

3 1761 06979713 2


Digitized by the Internet Archive  
in 2010 with funding from  
University of Toronto

<http://www.archive.org/details/commentariainsac07lapi>





**CORNELII A LAPIDE**  
**C O M M E N T A R I A**  
**IN**  
**SACRAM SCRIPTURAM.**



**COMMENTARIA**  
IN  
**SACRAM SCRIPTURAM**

AUCTORE R. P.

**CORNELIO CORNELII A LAPIDE**

E SOCIETATE IESU

SACRÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANI POSTEA ROMÆ PROFESSORE

EDITIO

**XYSTO RIARIO SFORTIÆ**

CARDINALI ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

D I C A T A

---

**T O M U S VII.**

COMPLECTENS COMMENTARIA IN DUODECIM PROPHETAS MINORES.



**NEAPOLI**

APUD I. NAGAR EDITOREM

IN VIA TRINITA' DE' SPAGNOLI N.º 33.

**M.D.CCC.LVII.**

BS  
485  
L36  
1854  
L.7



# SS. TRINITATI

## INCREATÆ ET CREATÆ,

### IN CHRISTO IESU

#### TRINUM PROPHE TARUM IUBILUM ET VOTUM.

**E**N tibi, o SS. Trinitas, novus et numerosus quaternorum Cherubinarum ternio, τρις τετραπυρρος, triplici inquam quaternarum vocum choro te celebrantium, consonoque dissonarum linguarum concentu tibi cum Seraphinis iugiter acclamantium: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Hi sunt duodecim Prophetæ, tui præcones et Musici, duodecim scilicet Apostoli, Evangelistæ, et Choraules veteris Testamenti, qui in ternos quaterniones, quasi ternos cælestis Musices choros, distributi te ambiunt, tibi que famulantes circumstant, ac in quadriga Cherubica triplicata S. Triadis nomen et gloriam toto orbe discurrentes, concinendo circumferunt. Hisce ego, eos commentando, αστερως cum alternante Seraphinorum choro succino: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis: Plena est omnis terra gloria tua*. Suscipe hosce meos in tuos Prophetas labores: suscipe mea, exilia licet tuæ Celsitudinis præconia. *De ventre enim matris meæ Deus meus es tu: in te proiectus sum ex utero*. Ita S. Ignatius, tertius a S. Petro Antiochenus Episcopus, *visionem angelorum per responsorios hymnos sanctam Triadem laudantium vidit, et modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit; unde ad omnes Ecclesias ista traditio promanavit, et hæc est ratio hymnorum responsoriorum*, ait Socrates. Nimirum *felix beatarum mentium otium, iuge pax doxologicæ est negotium; quique semel in divinitatem se mersit animus, non nisi eius deliciis et laudibus pascitur*: in quibus proinde recitandis et explicandis SS. Trinitati sit omnis honor, Ecclesiæ decor, lectoribus sapor, mihi labor.

Lib. 6.  
Histor.  
cap. 8.

Hocce ergo Sanctissima Trinitas, et trina Unitas, unaque Deitas novum sit iubilum, quo tibi duodecim melodis Prophetarum, quasi musicorum vocibus iubilo in novo hoc sancti anni Iubilæo, quod tertium in vita hac mihi cernere agereque ad plenam culparum veniam, gratiam et sanctimoniam indulxisti: quo pariter ternos tuos, Prophetarum et Ecclesiæ hostes, inauditis pene a sæculo præliis et triumphis, per ternos Reges tuis auspiciis protritros, vel subactos cernimus, gratulamur et iubilamus. Turcarum innumeras copias roburque formidabile, per Serenissimum Poloniæ Regem SIGISMUNDUM III. Jagellonidem, et S. Casimiri abnepotem; Moscorum et Tartarorum vindicem, tot cladibus attrivisti; ut, si cæteri Principes ei suppetias tulissent, iam actum esset de Ottomanorum imperio. Porro excessit ille libens patrio et avito Sveciæ regno, ne fidem Deumque perderet: hanc tui causa exiguæ ditionis iacturam, amplis illi in Moseovia, Polonia, Livonia, Walachia, Russia, Asia triumphis et imperiis centuplo fœnore compensasti.

II. Insuper Reges præcipuos arcto inter se matrimoniorum vinculo colligasti, simulque omnibus idem studium hæresis seditiosæ et rebellis extirpandæ aspirasti. Indidisti enim eis hanc sapientiam, ut clare cognoscerent enerve et imbelles esse regnum, in quo cives inter se de religione digladiantur, ubi hæretici pro sua perfidia usque ad mortem dimicant, perfideque non tantum cives, sed et Principes suos prodant perduntque. Fidei enim et religionis dissidium, necessario parit Ecclesiæ et reipubl. dissidium, idque internecinum, ut Rex orthodoxus regni sui dominus et rex non sit, quamdiu in eo talis grassatur hæresis et hæretici, qui et seditiones conflare, et Turcæ aditum patefacere, et vicinos Principes ad bellum sollicitare solent. Qua ratione enim Regi suo fideles sint, qui Deo sunt iniurii, blasphemii, infideles? Qua ratione Principi fidem servant, qui fidem Christo et Ecclesiæ datam violarunt, et assidue ac pertinaciter violant, quique suam hanc perfidiam rebellionem armant et propugnant? Non id ipsorum, non naturæ, non indolis, sed phrenesis, hæresis inquam seditiosæ et infidæ, est vitium. Aperuisti Regum oculos ut id liquido cernerent, ideoque singuli in Calvinismum, ut regni sui pestem insurgerent. Ita dedisti Christianissimo Galliarum Regi LUDOVICO XIII. S. Ludovici hæredi et æmulo, supra ætatem aoinos et vires, ut urbes et arcus plurimas quas Hugonotti insederant, armata manu eis extorqueret, cæteras pene omnes ad deditionem cogeret, quod nemo maiorum cogitare, nedum aggredi ausus fuerat; ut iam ipse Franciæ totius sit Rex, qui ante triennium dimidiatus et precarius eius tantum Rex esse videbatur. Ita FERDINANDUM Imperatorem invictum, spem et columnam Germaniæ, tot tantisque victoriis, iisque continuis decorasti, ut te pro eo manifeste pugnante, illud Iulii Cæsaris, imo vero pro patruis sui Caroli V. Imper. iure dicere possit: *Veni, vidi, vici Christum*. Et illud Deboræ Iudic. 5. *Nova bella elegit Dominus, portas hostium ipse subvertit, etc. De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt*. Instar fulminis enim victor eius exercitus, Duce Bavaro, quasi redivivo Iuda Machabæo, pervasit subegitque Austriam, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Hungariam, Palatinarum utrumque, ex iisque hæreticorum patriarchas Hussitas, ac rebellionum faces Calvinistas, expulsi et profligavit; qua in re suas quoque egregie præstitere partes insignes ex Italis Belgisque Duces, cum validis copiis ab optimo Rege Catholico opportune in auxilium submissi, ut iam Germania putidis et pestiferis membris resectis libera, redintegrari, revallescere, pristinasque vires et robur queat colligere: quibus in unum collectis roborata, non tantum Turcis resistere, sed et eos bello lacessere et invadere audeat, Hungariamque hæresis dissidio perditam, unitis Germanorum et vicinorum armis repetere et recuperare valeat. Hæc eorum æterna erit gloria, hi immortales triumphus, hæc trophæa, quæ in omne ævum perennabunt. Agite Principes

generosi, pergite magnis animis, opus felicibus adeo auspiciis cœptum conficite, paribus studiis rebellem Calvinii hæresim pene evulsam stirpitibus ubilibet eradicate.

III. Quare procul absit a Christiano fidelium pectore, ut hæreticos contra Orthodoxum suum Principem rebellantes adjuvare, aut fovere quis satagat. Qui enim hæreticos iuvat, hæresin iuvat et propugnat, ipsamque Christi fidem et Ecclesiam oppugnat. Qui rebelles iuvat, rebellionem iuvat et propugnat. Quocirca iusto Dei iudicio reddetur ei talio, ut in quo peccavit, in eodem puniatur, et ab hæreticis bello, a subditis rebellionem exagitetur; ut, quod aliis fecit iniuste, idem iuste a suis patiat. Sapienter Thucydides lib. 1. *Nullus Princeps, inquit, a suis subditis iuste puniendis arceus est: et qui id facit, parem in se legem statuit, ne et ipse suos puniat delinquentes.* Ita gravem non tantum cesuram, sed et vindictam Dei subiit Iosaphat, pius alioqui Rex Iuda, quando oraculo Iehu castigatus audivit: *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia iungeris; et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, et præparaveris cor tuum ut requireres Dominum.* Graviorem vero excepit ab Eliezer Propheta, in eum detonante: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Et tamen Iosaphat Ochoziam adjuvarat, non in impietate, sed in re politica dumtaxat, nimirum ad navigandum in Tharsis. Porro verissimum est istud, licet nonnullis paradoxum: *Christianorum de Christianis parta, cadit victoria victa;* uti evidenter demonstrat in Politica pereruditus Christophorus Varsevicius in Paradoxis. Quamobrem sapientes Consiliarii hoc suis Principibus instillant principium: *Ut tuum regnum firmes et amplifies, omni studio cole pacem et fœdus cum vicinis Christianis Principibus; horum enim amicitia, tibi erit murus et antemurale.* Nam, ut ait Rex sapientissimus: *Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Quin et Atticus Orator: *Præcipuum, inquit, boni Principis opus est, amicos parare. Nullum enim maius boni imperii instrumentum, quam boni amici.* Audiant Christiani saluberrimum Anchisæ apud Virgilium, Romanos a civilibus bellis dehortantis, consilium:

*Ne quæso, ne tanta animis assuescite bellu;  
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.*

Ista ergo magnifica Dei sunt opera, qui Principibus sibi fidelibus facit mirabilia magna solus; cui proinde tota Germania, tota Gallia, tota Polonia, imo totus orbis Christianus ob tantas tamque recentes victorias, cum gratiarum actione canticum novum concinat, totoque hoc lubilæo cum Mose et Hebræis iubilet: *Canticum Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem proiecit in mare.* Eia SS. Trinitas, tribus virtutis tuæ lanceis, tua inquam potentia, sapientia et gratia, trium hostium tuorum, pariter ac Prophetarum, Saracenorum inquam, Hæreticorum, et Schismaticorum mentes cordaque feri et saucia, ut omnes sese tibi subdant, te agnoscant, credant, ament, glorificent: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Tunc tuæ Maiestati et elementæ vere et exultanter omnium gentium iubilis, illud regii Vatis oraculum iubilabimus: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilare Deo in voce exultationis. Psallite Deo nostro, psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter. Iubilare Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.*

IV. Tu Rex sæculorum immortalis, invisibilis, gloriosus, qui lucem habitas inaccessibilem, per Verbum incarnatum te mundo pandere, apparere et cerni ac loqui, versari, et convesci nobiscum dignatus es: per illud nos tibi reconcilias et unis in illo divitiis gloriæ tuæ nobis ostendis, ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Christus enim dum nostram carnem assumpsit, nobisque consanguineus et cognatus, imo frater, fieri dignatus est, nos Deo concorporavit, ac SS. Trinitatis affines effecit. Ipse ergo est salus nostra, honor noster, amor noster, delicia nostræ. Nimirum hoc manifeste magnum est pictatis tuæ sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu; apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Hoc divini tui consilii arcanum prioribus generationibus incognitum, et æternis temporibus tacitum revelasti Prophetis, quasi aquilis cælestibus, ut idipsum nobis discordi vocum concordia præcinerent. Hoc est Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens, Christus crucifixus, qui factus est nobis sapientia, iustitia et redemptio. Hic est fidei nostræ axis, sapientiæ basis, sanctitatis apex, charitatis illicium, felicitatis centrum. Intonat de eo Michæas cap. 5. *Et tu Bethlechem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te egredietur qui sit dominator in Israel: et egressus eius ab initio, et a diebus æternitatis.* Insonat Aggæus cap. 2. *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram, et mare et aridam: et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus. Consonat Malaechias cap. 2. Statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Succinit Zacharias cap. 3. Adduceam servum meum Orientem. Et cap. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti victos tuos de lacu. In Christo ergo, o increata SS. Trinitas, tui vivam imaginem expressisti, et triadem creatam efformasti, quod admirans S. Ioannes epist. 1. cap. 5. *Tres sunt, inquit, qui testimonium dant (Verbo incarnato, Christo Iesu) in cælo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.**

Felix Bethlechem, felix Iudæa, felix Ierusalem, quæ non tantum Prophetas, sed et ipsum Verbum incarnatum gignere, videre et audire digna fuisti; quæ divinis eius pedibus calcata, eius sermonibus, sudoribus, lacrymis, spiriis, quin et sanguine pretioso irrigata, eum hospitem, imo civem et filium, redemptorem et salvatorem habere meruisti; scilicet factus est in pace locus eius, et habitatio eius in Sion. Quæsimus locum Domino, Tabernaculum Deo Iacob. *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.* Ibi suam ipse fundavit Ecclesiam, ibi refusit aurora legis novæ in splendoribus Sanctorum, Virginis Deiparæ, Apostolorum, Evangelistarum, ac primorum fidelium fide et charitate ardentium. Quocirca Christus sponsus hunc thalamum sibi adamans, indeque sponsam Ecclesiam alliciens: *Veni, inquit, de Libano (de Ierusalem et Iudæa) Sponsa mea: veni de Libano, veni: coronaberis de capite Anana, de vertice Sannir et Hermon (utique Iudææ montium) de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Idipsum præcinnuit Zachar. c. 13. *In die illa erit fons patens (gratiæ et baptismi) domui David, et habitantibus Ierusalem, in ablutioem peccatoris et menstruatæ. Et erit in die illa dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra. Et cap. 14. Stabunt pedes eius in die illa super montem Olivarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem. Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Ierusalem, etc. Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illa erit Dominus unus, et erit nomen eius unum.* Michæas vero c. 4. *De Sion, ait, exibit lex, et Verbum Domini de Ierusalem.*

Infelices ergo et miseri Christiani, qui a suis incunabulis exulant, qui sanctam urbem, sanguine Christi purpuratam, quæ aurora fuit Ecclesiæ, primumque eius regnum, a Turcis et Saracenis possideri, profanari et sacrilege polui cernunt et tolerant. Non toleravit id Constantinus Imp. qui loca sancta Christianis restituit: cuius nutu et sum-

pta mater S. Helena Hierosolymam profecta, loca sancta religiose venerata in Bethlehem, monte Calvarie et Oliveti, alibi que regia magnificentia templa et basilicas exedificavit. Quare cepit tum eo peregrinatio a fidelibus frequenter, confluentibus e toto orbe devotionis ergo Christianis. Ipse S. Hieronymus relicta Roma in Bethlehem se transiit ut ad Christi incunabula viveret et moreretur; quem secuta S. Paula, magnum post se trahens nobilitatis Romanae regnum, ibidem quatuor extravit monasteria, in quibus ipsa cum filia Eustochio Christi paupertatem, humilitatem et sanctitatem imitata, vitam egit religiosam et caelestem. *Bethlehem ingressa, ait S. Hieronymus, et in specum Salvatoris ingretriens, me uulnente iurabat, cernere se oculis filii infantem pannis involutum, eugentem in presepi Domium, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem Virginem, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat, et iam tunc Iovannis Evangelistæ principium dedicarent: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est; mistisque gaudio lachrymis loquebatur: Salve Bethlehem domus panis, in qua natus est ille panis, qui de celo descendit. Salve Ephrata regio uberrima, cuius fertilitas Deus est.*

Constantinum secutus Heraclius Imper. anno Domini 628. caelestibus de Cosroe Persarum rege potitus victoriis, crucem Christi ipsi ereptam, Hierosolymam victor reportavit, ac deposito regali cultu, detractisque calcis, et plebeio amictu indutus, illam propriis humeris retulit in eum montem, quo eam Salvator tolerat; ac in eodem Calvarie loco statuit, unde a Persis fuerat asportata. Ita SS. Trinitatis Christianique iniurias ultus Heraclius hasce de Persis vindicias dedit, imo reddidit Hierosolymæ. Iersalem enim est civitas Dei electa, sancta et gloriosa, fundata in montibus sanctis, centrum et umbilicus mundi, urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ, paradus orbis: quæ tamquam regia inter omnes urbes, velut caput in corpore, sicut sol inter astra effulget; quasi Ecclesie militantis Capitolium triumphantis typus et prælium.

V. Post Constantinum et Heraclium Urbanus II Pontif. æternum decus et gloriam sibi peperit (unde et monumento eius hoc elogium inscripserunt, *Urbanus II. auctor expeditionis in infideles*) eum concilio apud Clarum montem habito anno Domini 1095. ita Principes Gallie ad recuperandam Hierosolymam a Saracenis iamdiu occupatam, animavit, ut non dubitarent mori pro illa civitate, in qua Christus pro nobis mortuus est. Quare effecit ut trecenta hominum millia nomen in militiam Christi dederint signumque crucis susceperint, atque inter illos multi Principes, Duces et Comites; in quibus emittit Godefridus Bullonii Dux, præstantis animi, religionis et fortitudinis vir: qui quam facile terra sancta a Christianis recipi possit, ostendit dum parvis copiis residuis Hierosolymam anno Domini 1099. expugnavit, feria sexta, hora qua Christus mortuus est, ipseque primus consecens muris urbem ingressus, primus deinde Hierosolymæ Christianus Rex, quasi novus David creatus, regnum in posteros sex Reges, per LXXX annos propagavit, idque merito suæ virtutis, pietatis et modestiæ, qua, ut alia præteream, Christianis Principibus eum de more regio diademate coronare satagentibus, humilitatis studio restitit, dietitans: *Nolle se aurea corona insigniri in urbe sancta, in qua Christus Dominus pro nostra salute spinam tulisset: unde ea contentus, illique reverentiam exhibens, regium respuit, Regum optimus, lumen et speculum ceterorum,* ait Wilhelmus Archiepiscopus Tyri, lib. 9. Belli sacri cap. 9. Vivet Godefride, vivet Urbane, tua virtus et gloria, quamdiu sæculorum omnium vivet ÆTERNITAS.

Porro orationem Urbani, qua in Concilio Clarimontano omnes ad bellum sacrum accendit, recitat idem Wilhelmus, in qua inter cætera ait: *Hæc igitur salutis nostræ incunabula, Domini patriam, religionis matrem, populum absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidet violenter, et captivitatis liberæ filii extremas imponit condiciones, quibus versa vice merito servire tenebatur: Saracenorum gens impia, loca sancta, in quibus steterunt pedes Domini, iam a multis retro temporibus violenta premit tyrannide, subactis fidelibus et in servitutem damnatis. Ingressi sunt canes in sancta: profanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, scribit in tuto et latere regale sacerdotium, princeps provinciarum facta est sub tributo civitas Dei. Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes eiecit, ne domus Patris eius fieret spelunca latronum, facta est sedes demoniorum. Templum Domini inquam, ut ait Mathathias, quasi vir ignobilis, vasa gloriæ eius abducta sunt captiva. Civitas Regis Regum, quæ aliis regulas intemperatæ tradidit fidei, Gentium superstitionibus cogitur invita describere. Sancta resurrectionis ecclesia, requies dormientis Domini eorum scelerum spurcitiis. Loca venerabilia, quæ Dominum in carne susceperunt hospitium, signa viderunt, senserunt beneficia, facta sunt gregum præsepia, stabula iumentorum. Accingimini ergo et estote filii potentes, ut pugnetis adversus infideles: quoniam melius est mori nos in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Audite hæc Principes, audite Christiani, summi Pastoris vestri, Christi Vicarii lamenta, imo oracula.*

VI. Urbani cæpta constanter prosecuti sunt succedentes ex ordine Pontifices; Paschalis II. Gelasius II. Callistus II. Lucius II. sed maxime Eugenius III. qui anno Domini 1143. urgente Ludovico Rege Francorum, et S. Bernardo, expeditionem in terram sanctam suscitavit, ac S. Bernardum ad omnes Gallie et Germaniæ populos (qui eum ut Proprietam, vel Apostolum susceperant) in eam concitandos auctoravit; quare sequenti anno omnium consensu, S. Bernardus totius belli Dux et Princeps militiæ electus est. Verum satis visum est Eugenio, si ille tuba sacerdotali indiceret bellum, et tam verbis, quam literis Christianos ad id excitaret: quod illum felicissime sequentibus innumeris signis et prodigiis præstitisse, testantur Acta vitæ ipsius, et Epistolæ ab eo conscriptæ, nec non et Otho Frisingensis; sed magis ipse rerum successus, dum non solum Ludovicus Rex celebrato apud Verzelacum conventu, crucem, quasi belli sacri insigne, ab eodem S. Bernardo sumpsit una cum multis regni sui Principibus et optimatibus, quos tam ingens populi multitudo secuta est, ut vacuarentur urbes et castella; sed et eiusdem hortatu Conradus Romanorum Rex, generali apud spiram conventu indicto, æque crucem una cum fratre suo Henrico Duce Noricorum aliisque Principibus et nobilibus plurimis (etiam Polonis, adeoque Henrico Boleslai Regis fratre, teste Cromero lib. 6. Polon.) accepit; quibuscum etiam signati sunt nonnulli Episcopi, atque inter alios ipse Otho Frisingensis, virtutibus et meritis clarus. Qui demum addit, non solum ex Romano Imperio, sed etiam e vicinis regnis, puta Francia, Anglia, Paunonia, innumeris populis ac nationibus hæc expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic totum pene Occidentem siluisse, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur. Ulinam nunc iterum S. Bernardus, vel e cælo idem classicum fidelibus canat!

Ludovicum et Conradum æmulatus est S. Ludovicus, Francorum gloria dicam, an sanctitas, an verius utrumque? qui in Palæstinam non tantum copias transmisit, sed ipse quasi earum dux, relicto avito solo et regno, per tot terrarum mariumque spatia, maximis impendiis, laboribus et conatibus, semel et iterum traiecit, ut eam Saracenis extorqueret, et Christianis pristinis hæredibus assereret: sed eum peccatis fidelium exigentibus, idipsum, quod tanto conamine, virtute et animo moliebatur, perficere non posset; mortem tamen in tam gloriosa expeditione oppetere anno Domini 1270. non dubitavit, fidensque egyptum eecinit: *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo; nimirum tendit ad astra per aspera virtus: quin et operis tam Christiani prosequendi et perficiendi decus filiis posterisque suo exemplo, æque ac testamento reliquit. Resuscita, Domine, hunc S. Ludovici zelum in Catholicis Regibus et Principibus, præsertim Turcæ limitancis et confinibus, ut unanimes in tau-*

tum opus conspirent; sed et remotiores excita, ut in partem tam gloriosi operis veniant, ac nominatim S. Ludovici sequaces, hæredes, et cognomines, ut victricia arma ab Hæreticis in Saracenos transferant, ac Francos, cæterosque otiari nescios opere tam sancto occupent, ne ipsorum ardor quietis impatiens in bellum vel civile, vel Christianum, quo sese invicem collidant, turpemque dent maculam in gloriam suam, ac iram Dei in se concitent, erumpat; sed potius in Turcas, Tartaros et Saracenos SS. Trinitatis Christique hostes ad avitam et immortalem eorum gloriam, sese exerat. Hoc nomen Christianissimum eis hæreditarium, hoc S. Ludovicus progenitor, hoc generosa indoles et animi celsitudo, hoc S. Ecclesiæ amor et fidei ardor, hoc victoriæ et trophæa contra Christi perduelles cælitus data, hoc Præsules, hoc Pontifices, hoc fideles omnes iure suo ab eis efflagitant.

VII. Sapienter S. Catharina Senensis theodidaeta ( uti refert Raymundus Generalis Ordin. Prædicat. et ex ipso Ambros. Catharinus in eius vita ) Summos Pontifices, Gregorium XI. et Urbauum VI. anno Domini 1375. et sequent. acriter ad Bellum Turcis inferendum exstimulavit. Cumque Pontifex regeret, illud in tot intestinis Principum Italiæ, aliarumque regionum dissidiis, importunum videri; institit illa: *Imo vero, nunc maxime opportunum est, adeoque nullum efficacius remedium ad dissidia hæc tollenda suppedit, quam si fœdus sanctum sanciat, quo omnes paribus animis in communes Christi et Christianorum hostes conspirent: ibi suos animos et impetus, suos pugnandi ardores irasque effundent, eaque ratione privatas ponent lites et odia.* Ita, ut alios taceam, Rogerius et Boemundus fratres, Sicilia, Apuliæ et Calabriæ Principes, continuo inter se de Principatu digladiantes, ab Urbano II. fœdere belloque sancto conciliati, arma fraterna in Saracenos verterunt. Boemundus enim occupata Melphi, cupiditate gloriæ incensus, cum duodecim millibus delectæ iuventutis Italicæ in terram sanctam profectus, sua hæc virtute animique præstantia adeo fratrem Rogerium permovit, ut positis armis dixerit, sibi omnia cum fratre deinceps fore communia, ac statim Tancredum filium pugnandi cupidum, belli comitem fratri tradiderit, ait Platina in Urbano II. Pari modo acerba Germanorum, Bavarorum, Belgarum, Polonorum dissidia sopita fuisse expeditione in terram sanctam duce Conrado Imp. narrat Otho Frising. lib. 1. de gestis Frederici 1. Imper. cap. 29. Sapienter Livius l. 2. *Bella externa, inquit, sedant domesticas seditiones. Externus timor, magnum concordie vinculum.* Idipsum pervidet metuitque Turca, quocirca omni ratione Christianos Principes a sese invicem divellere, ac inter eos lites et bella serere molitur: ea de causa dum vicinum aggreditur, cum remotioribus fœdus ioit, imo eos in vicinum concitat, itaque eum Christianorum armis expugnat: quo facto remotiores gradatim eadem arte et fraude circumventos, ac ab aliis desertos aggreditur, occupat et subiugat. Fœdifragus enim ipse cum sit, fœdus initum, dum ei lubet, quæsita occasione abrumpit: cum ex adverso Christiani, insidiosi fœderis nomine magis quam religione irretiti, vicinos ab eo invasos protegere non audeant, itaque ipsos eius prædæ exponant, mox et ipsi eius præda futuri. Norunt historiarum et rerum Turcicarum periti, Turcam subinde iurare super libro smegmatico, itaque imposturam Christianis facere, ac iuramentum violare, dictitando, se super libro ficto, non vero, ac proinde fiete non vere iurasse. Quare iure ei regeant Christiani: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Nimirum fœdifragus fuit Baiazetes, qui Venetis contra pacta Coronem, Methouem et Naupactum ademitt. Baiazetem imitatus nepos Solymannus, qui anno Domini 1537. totis viribus Italiam aggredi destinabat, sed temeritate cuiusdam Veneti trierarchæ offensus, omnes iras et copias in Venetos sibi fœderatos effudit, Corcyra ipsorum insula longe lateque vastata, et insulis Cycladibus direptis, negotiatoribusque Venetis toto Turcico imperio cum universis eorum opibus et pecuniis in prædam datis; insuper eosdem Nauplii et Epidaurici concessione, ac duabus in Dalmatia arcibus, Nadino et Lubiana, muletavit. Solymanni enim erat vox: *Dummodo regnem, nil moror: sicut in cælo unus Deus, ita in terra unus Solymannus est colendus.* Solymannum patrem æmulatus Selymus, fœdus iureiurando cum Venetis initum violans, eis Cyprum extorsit: quin et eis insultans, *Barba, inquit, mihi a Venetis apud Naupactum abrasa succrevit; ego vero eis brachium dextrum capta Cypro amputavi, quod nunquam recrescet.* Annon hæc societas leonina? Pari modo fecere et faciunt cæteri. Cum enim ab origine fuerint sintque orbis prædones, toti opibus regnisque Christianorum per fas et nefas inhiant. Interim lethargo quasi sopiti altum dormiunt Christiani; quia quisque longe a se Turcam, et se ab eius iugo, abesse autumat. Qua in re errant omnes gravissime. Idem censebant olim Constantinopolitani, Trapezuntii, Thracæ, Bulgari, Bosnii, Servii, Hungari, cæterique; at iam a Turca capti, errorem suum vident, et serio, sed sero lugent. Turca in limine, et pene in visceribus, est Christianorum omnium, et illi eum a se remotum dictitant! O cæcitas! o stupor? Nuper tempore Pii V. inhiavit Crætæ, Venetiis, totique Italiæ: Viennam semel iterumque obsedit, inhians Augustæ totique Germaniæ. Ante triennium Poloniam se unico prælio eroraturum pollicebatur. Imminet ergo, et pene incubat Italiæ, Germaniæ, Poloniæ. Nunc silet, quia domesticis distinctur dissidiis: at occasionem præstolatur, ea data illico more suo imparatos Italos, Germanos, Polonos adorieatur et opprimet. Utinam periculum hoc adeo quam certum est et præsens, conspiciant, et inito contra eum communi fœdere discutiant Christiani, dum res est integral ne sero cum cæteris iam a Turca occupatis suum torporem, suaque dissidia accusent et defleant. Nunc cum domi rebellione gravi variaque agitur; cum in Persam omne exercitus robur transmisit; cum puer est; cum Ducibus, consilio et ærario destituitur; cum Principes Catholici tot victoriis a Deo datis ad bellum sacrum invitantur, tempus est opportunum eum invadendi et profligandi: quod si præterire neglexerimus, sero pœnitentes illum requiremus. Nihil enim tam volucere est, quam occasio: nihil levius, cum se offert, peritur: nihil magis, cum abiit, desideratur: nihil periculosius amittitur: nihil difficilius recuperatur. Porro quis dubitet Turcam Italiæ et Christianis imminere, cum Tunetanum regnum ab eo occupatum a Sicilia, Epirum et Macedoniam a Dalmatia, Foroivulium a Dalmatia tenuissimo tractu videat determinari; cum Apollonia, Turcico oppido, Hydruntum regni Neapolis urbem, antea quoque a Turcis possessam, unius noctis spatio annavigari posse intueatur? Quid Hispanis, Italis, Gallis insidiosus Alligerio? Quid Fessa, Marroco, Biserta, et tota illa Afrorum vafurum societate est infestius? An Gallia ergo experta? Nequaquam. Maria quæ ntramque eius partem alluunt, adeo Turcicis sunt infesta latrocinis, ut non ora, non sinus, non portus aliquis tutus et iis non exploratus esse videatur. Quocirca Ioannes ille Tarnovius Comes, qui sæpius Poloniæ exercitibus victor præfuit, dictitabat, *omnia Polonica Comititia perpetuam belli Turcici meditationem esse debere.* Idem dicas de Comitibus Germanicis, Gallicis, Italicis, Hispanicis. Celebre est illud Græcorum apud Pachymerem lib. 3. historia: *Cum hostibus Crucis geratur bellum, ubi et victoria laudabilis est, et vinci salutare.* Item: *Pax colenda, ubi Dei iacturam non facimus: bellum gerendum, ubi religio periclitatur totaque Resp.*

Quapropter ut ad Pontifices sacri belli faciæles, imo tubicines redeam, Eugenii III. pro terra sancta zelum æmulati sunt Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cælestinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. cui mox succedens Innocentius IV. testibus Platina, Onuphrio et aliis, Legatos per Franciam et cæteras provincias misit, qui fidelibus suaderent militiam Christi suscipere, et S. Ludovici signa castraque in terram sanctam, sequi. Ad eandem Christianos incitavit Alexander IV. Urbanus IV. Nicolaus IV. Innocentius VI.

Eugenius IV. vero Pontificatum iniens anno Domini 1431. in Turcas mari classem, terra exercitum Legato Iuliano Cæsarino Cardinale misit, ac duce Ladislao Poloniæ Rege triginta Turcarum millia uno prælio inter Hadrianopolim

et Danubium eiecit. Tunc quoque Ioannes Hunnialdes a Ladislao Transylvaniae praefectus, multos Amuratis exercitus delevit, Moldaviam recepit, maximam Serviae et Bulgariae partem victricibus armis percurrit.

Eugenio IV. succedens Nicolaus V. anno Domini 1447. vehementer institit, ut bellum communi omnium Christianorum consensu in Turcas decerneretur, quos iam parare arma contra Constantinopolitanos senserat; et ob eam Cardinalem Rutenum Constantinopolim miserat, qui Imperatori et civibus auxilium polliceretur, si ad Catholicam fidem, ut in Concilio Florentino promiserant, redire voluissent; sed illis in schismate persistentibus, iusta numinis vindicta Mahomet Turcarum Imper. Constantinopolim paulo post expugnavit anno Domini 1453. ac occiso Imp. Palaeologo, crudelissime urbem ferro flammaque vastavit, teste Chalcondyla lib. 8. et aliis. Cuius rei labem Pontificatui suo impartam, dum abolere coactis in Turcas copiis studet Nicolaus, arthriticis doloribus extinguitur.

VIII.

Nicolai studiis insistens successor Callistus III. creatus Pontifex anno Domini 1455. illico Turcis bellum indixit. Repertum est in sermone ipsius hac de re votum, ante Pontificatum huiusce verbis futuri praesagis conceptum: *Ego Callistus Pontifex Deo omnipotenti voveo, et sanctae individuae Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, et demum quibuscunque rebus potero, Turcas Christiani nominis hostes savissimos persecuturum.* Ea de causa illico praedicatorum per totam Europam misit, qui Christianos omnes ad arma contra Turcas concitarent; quin et per Legatos Usumcassanum Persarum Regem contra eosdem accendit. Ipse sexdecim triremes Romae aedificatas in hostem misit Ludovico Patriarcha Aquileiensi Praefecto, qui triennio maritima hostium Asianorum vexavit, insulas quasdam cepit, ac magnas clades hostibus intulit. Alfonsus autem Rex et Burgundiae Dux crucis signum suscipientes, ituros se quoque in hostem profitebantur, vel armatos milites eo missuros. Inssit insuper Callistus in meridie campanae sono fideles admoneri ut orationibus eos iuvarent qui contra Turcas dimicabant. Haec ratione parata fuit illustris illa de ipsis victoria. Christiani enim duce Ioanne Vaiyoda, adhortatore Ioanne Capistrano Minorita, apud Belgradum anno Domini 1456. sexaginta Turcarum millia ceciderunt, captis centum sexaginta bellicis tormentis: Mahometes tyrannus saucius fuga salutem quaesivit. Ea victoria Pontifex Festum, puta ollicium solemne, Transfigurationis Iesu Christi die sexta Augusti instituit. Actum de crudelissimo hoste tunc fuisset, si Christiani Principes omissis intestinis odiis et bellis, terra ac mari tantam victoriam prosequenti fuissent, sicut Callistus monebat et urgebat. Verum, dum illi sequiter rem agunt, Turca resumtis viribus Trapezuntem prius, Imperatore interempto, Bosniam deinde Rege capto atque interfecto, cepit. Praevidebat haec e specula Callistus et gemitabat, nec cessabat litteris et nunciis Principes Christianos adhortari, ut in tantis malorum periculis oculos aliquando aperirent, frustra remedia deinceps quaesituros, ubi iam hostis invaluisset. Vide hic, quam Pontificibus ex officio continua, et quasi haereditaria fuerit cura saeri foederis contra Turcas sauciendi.

Platina  
Onoph.  
Geneb.  
in Chronol. Suar.  
1. 1. de  
Relig. 1  
2. c. 5.  
Azor 1. 2  
1. 1. c. 15

Quapropter Callisto III. succedens Pius II. magni animi, sapientiae, facundiae et zeli vir, conventu Principum e tota Europa Mantuae indicto, nervosa et efficaci oratione iisdem persuasit, ut bellum communi omnium decreto Turcis indiceretur. Verum decretum hoc infregerunt mox intestina bella, quibus Germani, Hungari, Britanni, Hispani, Itali in se mutuo arma verterunt. Stetit tamen in sententia animosus Pontifex, dumque classem, quae passim in portibus Superi Inferique maris ad tantum bellum fuerat aedificata, atque Venetorum Ducem belli socium Anconae exspectat, diutina, et lenta febris afflicta moritur anno Domini 1464. Pontificatus 6. Sepultus in basilica S. Petri, cum hoc elogio: *Pius II. Pontifex Max. natione Tuscus, patria Senensis, sedit annos sex. Brevis Pontificatus ingens fuit gloria. Oppugnationibus Romanae Sedis intra atque extra Italiam restitit. Convencum Christianorum Mantuae pro fide habuit. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi relulit, etc. Cultor iustitiae et religionis. Admirabilis eloquio. Vadens in bellum quod Turcis indixerat, Anconae decessit: ibi et classem paratam, et Ducem Venetorum cum suo Senatu commilitones Christi habuit.*

Pio II. successit Paulus II. anno Domini 1464. qui accepto nuncio Turcas capta Epiro in Illyricum iter parare, legatos misit ad Reges et Principes eos oratum, ut, compositis rebus suis, de bello Turcis inferendo ad propulsandam iniuriam cogitarent.

Paulum II. excepit Sixtus IV. anno Domini 1471. qui, ut Christianos Principes inter se dissidentes ad concordiam revocaret, et sacro in Turcas foedere sociaret, Bessarionem Cardin. Nicenum misit in Galliam, Rodericum Borgiam in Hispaniam, M. Barbum in Germaniam et Pannoniam; Oliverium Carafam maritimae 24. triremium classi praefecit: huius se iunxere quinquaginta Venetorum, 24. Ferdinandi Regis Aragonum, adeo ut illis Turcae ex Bosphoro in Aegeum obviam prodire non sint ausi. Smyrna tunc in Asia capta, incolaeque omnes abacti. Constans fama est, Christianos eo anno magnam Asiae partem occupaturos fuisse, si ipsi mari, sicut Usumcassanus Persarum Rex terra, Turcas vexare perrexissent. Mox cum Scodra, ditionis Venetae oppidum, a Turcis oppugnaretur, Sixtus Scodranus comaeatu et pecunia instruens, ad hosti resistendum animavit. Rursum cum Turca, Hydrunte in Salentinis repente vi capta, Italiam omnem incredibili terrore complexset, Sixtus comparata classe hostem retrogredi compulsi. Sub id tempus Cyprum occupant Veneti, ne in Turcarum potestatem veniret: Mahometes maximis viribus Rhodum oppugnans, eam fortiter tuente magno Rhodiensium Equitum Magistro, re infecta discedere coactus est.

In Sixti IV. morientis locum successit Innocentius VIII. anno Domini 1484. omnes Christianos Principes frequentibus nunciis hortatus est, ut, mutuis dissensionibus et bellis compositis, foederibus iuncti, Turcarum vires toto iam orbe formidabiles retunderent. Zizimum Sultanum Baiazeti Imp. fratrem excepit, ac eius opera bellum Baiazeti inferre meditabatur: qui ut illud a se averteret, quotaunus Romam quadraginta aureorum millia ad alendum fratrem submit, atque Pontifici dono dedit ferrum lanceae, quo latus Christi in cruce perforatum est, quod religiose in Vaticana S. Petri Basilica asservatur et visitur. Igitur ad unum omnes ab Eugenio IV. usque ad Alexandrum VI. ex ordine Pontifices, foederi belloque sacro totis animi viribus incubuere, nimirum Nicolaus V. Callistus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Horum vestigiis insitit Leo X. Adrianus VI. Paulus III. Pius IV. cuius opera Solymanus Melitensem obsidionem solvere coactus est.

IX.

Atque ut caeteros taceam, horum, ac nominatim Pii II. et IV. tam spiritus quam nominis haeres et aemulus Pius V. suis suorumque commodis neglectis, curas omnes ad publicam salutem convertens, bellum sociale eum Rege Catholico et Venetis iniit, ac de Turcis memorabilem illam apud Naopactum in Sinu Lepantino victoriam retulit anno Domini 1571. Graeciam multaque alia iis erepturus, si ducum nationumque concordia constitisset, et expeditionem feliciter ceptam constanter prosecuta fuisset: sed Christianis accidit quod Maharbal a Cannensi pugna dixit Annibali: *Vincere seil Hannibal, at victoria uti nescit.* Hoc ergo illustrium Pontificum Urbanorum, Eugeniolorum, Callistorum, Piorum, caeterorumque pene omnium ab Urbano II. usque ad Gregorium XIII. illustre fuit opus, hoc decus: quorum proinde nomen et gloria in terra apud homines, aequae ac in caelo apud Deum et Angelos Sanctosque in omne aevum perennabit. Utique meminerant illi se Pastores esse non urbis dumtaxat, sed et universi orbis. Sciebant primas Pontificis curas esse debere, ut fidem, Ecclesiam cultum et regnum Christi ubivis gentium propaget. Sciebant Praesulis Apostolici proprium esse munus, imitari S. Petrum caeterosque Apostolos, qui vel per se, vel per suos univer-

sum mundum Christo subegerunt. Norant fideles, etiam infidelibus subditos, suas esse oves, sibi a Christo et B. Petro concreditas, ac proinde sui officii esse eas pascere, tueri, et in libertatem asserere. Quocirca muneri huic suo plene satisfacere satagerunt, esto voluntati eorum et voto exitus non semper responderit, sive Imperatorum Græcorum perfidia; sive quia promiscua, inops et imbellis fidelium turba devotione excita ad bellum concurrat; sive quod eadem acephala fuit et carens idoneo duce; sive quia inter Duces concordia non constitit. Ad tantam enim expeditionem opus est uno summo, eoque insigni Imperatore, lecto et veterano milite, ac ærario solido: quæ tria Reges Christiani hoc tempore facile præstare possunt. Auxilia deinde valida variæ provinciæ et gentes ultro præbebunt. Sane Christiani qui provincias Turcæ subditas incolunt, duramque servitutem; quin et sola Christiana Turcarum mancipia multis subinde partibus ipsos Turcas numero superant, uti oculati testes referunt; adeoque hic Turca tria, ille decem, alius viginti possidet mancipia, quæ ut tyrannicum herile iugum excutiant, decertabunt usque ad mortem; cum servitus Turcica eis ipsa morte sit acerbior. Exemplo sit Georgius Castriotus, qui anno Domini 1443. Amuratis iugum excutiens Epiri se Principem constituit, ac solus cum suis Epirotis per omnem vitam *αυτονομον πολιμου* cum Turca gessit, multasque et magnificas de eo victorias reportavit. Unde Turcis ita formidabilis extitit, ut ab eis Scanderbegius, id est, Alexander Magnus, sit nuncupatus, quin et solo eius nomine audito, eum scilicet adventare, illico velut viso fulmine diffugerent: de cuius gestis plauæ heroicis libri tredecim extant. Coævus et quasi ei collega fuit Ioannes Hunniades, cuius paulo ante memini, cognomento Fulmineus, Turcarum terror pariter et fulmen, qui variis præliis facile millionem Turcarum cecidit, cuius hoc erat axioma: *Turcam a Christianorum provinciis, puta ab Italia, Germania, Polonia, longius esse submovendum; nec exspectandum donec ipse Christianorum regiones invadat, sed in Thraciam et Turciam Christianis esse transeundum, ibique cum eo confligendum; perinde ac Alexander Magnus cum Dario in Asia, Hannibal cum Romanis in Italia, Scipio cum Carthaginensibus in Africa dimicavit.* Hunniadis et Scanderbegii, æque ac Ladislai asseclæ, imo successores sunt Reges et Principes Poloni et Hungari, qui, nupte Turcis et Tartaris contermini, cum eisque assidue belligerantes et triumphantes, pene soli rem hanc conficiant, si quis eis portionem pecuniæ ad tantum opus necessariae suppeditet, imo dumtaxat prænumeret: facile enim ipsi eam deinde ex victorum spoliis, et provinciarum, quas subiugabunt, tributis refundent. Atque videtur Deus id ipsum nupte eorum tam insigni victoria præsignificasse, adeoque inchoasse. Sane apud Turcas in fatis est, et certum quasi oraculum, suum imperium a Polonis everendum. Quocirca hæc præ aliis expedita viris sapientibus videtur ratio sine molestia, sine invidia, sine ambitione et discordia, quæ inter plures intercedere solet, omne hoc negotium absolvendi. Polonum enim Principem ultro sequentur non solum Kosaki Turcarum terror; sed et plurimi nobiles Poloni, Hungari, Germani, Itali, Walachi, Moschi, etc. suis expensis, spe gloriæ vel prædæ illecti. Sane a Danubio ex Walachia, quæ Poloniæ adiacet, Constantinopolim usque non nisi decem dierum est iter. Quare id ipsum animo designabat Stephanus Battoreus, sapiens æque ac magnanimus Poloniæ Rex, eaque de causa fœdus contra Turcam cum Philippo II. Hispan. Rege pepigerat, dietitans se Philippi in hoc bello fore stipendiarium: qui si vixisset, utique unus ille Turcam proligasset et imperio exuisset, præsertim Persa ex altera parte eundem invadente. Polono enim et Persa ex fœdere in exitum Turcæ conspirantibus, Turca resistendo non est, sed succumbat et pereat oportet. Porro Polonis Turcicum bellum pene est necessarium, tum ut Turcam longius a finibus suis submoreant; tum ut perpetuos et furtivos Tartarorum incursus a sese in Turciam avertant, ibique cum utrisque aperto Marte confligant, uti nupte feliciter et gloriose fecerunt. Poloni ergo et Germani cum auxiliis Summi Pontificis et Regis Catholici, Walachiam, Hungariam, cæterasque provincias nupte a Turcis fraude sibi ereptas, facile recuperabunt.

Proh pudor! proh scelus! Christiani in Christianos ob terræ angulum, ob exile honoris punctum internecinis odiis et præliis inter se decertant. A Christianis effunditur sanguis Christianus, Christi sanguine redemptus: madent manus Christianæ Christianorum sanguine, et carnem Christianam carni Christi consanguineam conscindunt, mactant, discerpunt. Ubi fides? ubi spes? ubi charitas? ubi philadelphia et amor fraternitatis? Christiani uno Christo patre, una Ecclesia matre regenerati et alti; una fide, una spe, una charitate consociati; unius Dei, unius religionis vinculo et sacramento constricti, sese quasi lupi spoliant, laniant, et exarnificant. Hæc videt, et in sinu ridet Turca, ac quasi tigris hiunulos de gleba graminis inter se arietantes, occupat, rapit et devorat. Nimirum Christianorum dissidia perdididerunt et Turcis prodiderunt Asiam, Græciam, Hungariam, aliaque opulentissima regna. Hoc est quod quæritur Michæas: *Filius contumeliam facit patri, etc. et inimici hominis domestici eius.* Et Ieremias: *Omnes amici eius spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Et sponsa Cant. 1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Prophetæ ad unam omnes non aliud pene vaticinantur, dolent et deplorant, quam exitium terræ sanctæ, quod ipsa ob fidei, morum et animorum dissidia Chaldæis aliisque infidelibus tradenda sit; atque omnes hortantur, orant et obsecrant, ut qua ritam corrigendo, qua orando, qua armis propugnando, qua in unam fidem et sententiam conspirando, tantam Ecclesiæ et Reipubl. eladem avertant. Clamat Osee cap. 5. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, ululate in Bethaven.* Et Ieremias cap. 6. *Confortamini filii Benjamin in medio Ierusalem, et in Thecua clangite buccina, et super Bethacarem levate vexillum.* Id ipsum non solis Iudæis, sed et Christianis insonant: magis enim Christianis quam Iudæis suas scripsere prophetias; atque Christianis terra sancta magis propria, longeque sanctior, charior et venerabilior effecta est per Christum, B. Virginem, Apostolos, primitivos fideles, primamque Ecclesiam, quæ ibi nata adolevit, seque per totum orbem sparsit et propagavit. Quid ergo hæremus? Quid moramur? Prophetis obtemperemus, maiores nostros æmulemur: satagemus terram Christi, Christo asserere; prima Ecclesiæ prædica illi restituere; domicilium SS. Trinitatis, sublatis execrandis sacrilegiis, illi reddere, eiusque laudibus consecrare.

X. Nunquam tanta rei bene gerendæ spes allulsit, quanta nunc. Videtur Deus eam ultro Christianis offerre, et in manus dare, quando, ut alia taceam, Turcas animis cadere, copiis viribusque minui, internecinis agitari discordiis, pavidos regni sectaque suæ interitum expectare; Christianos vero animosos hisce omnibus assurgere erigique conspiciamus; quando Catholicos Principes oppressa vel suppressa rebellium hæresi dominari, aretoque inter se connubiorum vinculo fœderari, ac universos zelo religionis agi accendique cernimus et gratulamur. Quid enim debellata pene rebellium hæresi superest, nisi ut eius reliquias subigant, ac deinde eius sororem, alteram inquam rebellis infidelitatis speciem, Mahometismum debellant? Ille iam effœtus consenescit, et sponte sua ad interitum ruit: peregit suum ipse sæculum, suam vixit ætatem, magnam utique mille annorum, quibus stetit viguitque impia Mahometi lex, iisque elapsis occasurum olim Mahomet ipse prædixit: iam ergo deerepitis occasui vicinus est: occidentem et prolabantem impellant dumtaxat, et coniunctis manibus protrudant Christiani, et acta res est; illico eius ruinam videbunt et exultabunt. Et sane eam iam inchoatam conspiciamus, dum assidua et Vatiniana eorum inter se dissidia, tumultus et seditiones intuemur. Falli enim nescit et nequit æternæ Veritatis vox: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Concidunt sese invicem Turcæ, concisos occupent Christiani. Evigilent ergo, et occasione tam commoda utantur. Vetus sapientum fuit estque omen, Ianizerorum potentiam indomitamque audaciam Ottomanicum perdituram imperium. Id iam in procinctu est. Ipsi Turcæ dum vident se destitui Principe, milite, consilio, pecunia, concordia, animo,

viribus, propalam profitentur de suo iam conelamatum esse imperio: ipsi Christianis ultro se offerunt, ac tantum non advocant. Tot Christianorum millia misere sub iugo Turcico gementia, passis manibus per sacra omnia opem nostram implorant, seque et fortunas omnes offerunt, ut iugum hoc excutiant. Hæc ipsa, a tam dira tyrannide et manibus ad pileum et libertatem vocata, si dumtaxat eis arma suggerantur, ac Ducem qui bellum inchoet videant, illico sequentur, ac pene sola rem conficiunt: quia in eam immane tributum quod Turcæ pendant, conferent. Multi etiam inter Christianos, licet in fide heterodoxi, tamen quin Principibus suis fideles, et quia Christi professores, lubentes præsentem occasionem arripiunt, ut, si invitentur, in societatem belli ultro veniant; tum ut contra commune Christiani nominis hostem conspirent (*Commune enim periculum concordia propulsandum est*, ait Cornel. Tacitus) eiusque iugum quam longissime a se amoliantur; tum ut Christianum Imperium propugnent et propagent; tum ut suas ditiones et fortunas ex opimis Turcarum spoliis augeant et locupletent.

Porro agitur hic non modo de amplissimo et ditissimo Ottomanorum imperio occupando, sed et de multorum millium, imo millionum animarum salute æterna: quæ sane sine impia crudelique socordia negligi nequit. Nunc enim magis quam unquam proclive et facile est Christianis, ut Turcæ adimant regna omnia suis maioribus per summum seclum crepta, ut Ecclesiæ sibi que restituantur Asiam, Hungariam, Græciam, Macedoniam, Thraciam, Armeniam, Galatiam, Cappadociam, Epirum, Cyprum, Bithyniam, Pontum, Syriam, Palæstinam (primas utique urbis provincias a S. Petro et Paulo ad Christum conversas, eorumque et Ecclesiæ prima quasi prædia et patrimonia) Ægyptum, Africam, Æthiopiæ, totumque Orientem. Quis hic dormitet? Quis non protinus evigilet? Quis non opes omnes et vires, omne ingenium et consilium in opus tantum, tantique momenti offerat et conferat?

Quod si Persa (nec quis novus Tamerlanes, mundi terror, bellicosus et acer in armis) nobis otiantibus aut dormientibus, regiones illas præoccupet, uti cepit, sane magno terrori evadet Christianis, eisque, utpote duplo iam potentior, in armis exercitior, tot victoriis insolentior, formidabilis quam Turcæ imminet, ut eum Monarchiam Europæ ambientem, ab urbibus tectisque nostris submovere non valeamus, quem a vicinis arcere non volumus. Sane videtur Deus opt. max. claris suæ mentis indicis ostendere, se velle, ut bellum hoc sacrum capessamus; cum occasiones undique tam evidentes illius conficiendi, quales a mille annis non dedit, modo suggerit, utroque offert: quas si elabi e manibus sinamus, nunquam amplius illæ redibunt. *Rerum occasiones tarditatem nostram et ignaviam non expectant*, ait sapienter Demosth. Philipp. 4. Sed nisi illicoprehendantur, eum sese ostentant, diffugiunt, et irrevocabiles sunt. *Fronte capillata est, a tergo occasio calva*. Earum neglectum graviter ulciscetur iustus omnium iudex vindexque Deus; atque illos ipsas dorso nostro dabit in flagellum, quos nunc ultro in sinum offert, ut subiiciat. Ita Chananaeus Iudæis dedit in flagellum perpetuum, eo quod ipsi eos subigere et delere, sicuti insserat Dominus, omisissent, ac pacis fœdera eum eis iniissent; uti videre est in tota Iudicium Historia: idque moriens eis prædixerat, et comminatus erat Iosue cap. 23. 13. *Ut sint, inquit, vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de Terra hæc optima, quam tradidit vobis*.

XI.

Ambabus ergo ulnis acceptemus et amplectamur præsens hoc tam liberale Dei donum; utamur occasione quam nobis in manum dat; subdamus Mahometanos, ne cogamur eis colla subdere, eosque habere dominos, imo tyrannos et tortores, quos modo possumus habere subditos et supplices; Deo opt. max. ad id tam manifestis ostentis vocanti pareamus, ne in die iudicii tantæ occasionis, totque millium animarum salutis neglectæ, rigidam a nobis rationem reposeat rigidus munerum suorum, æque ac occasionum et bonorum operum exactor Christus Dominus. Si paruerimus, Prophetas honorabimus, Prophetarum votis satisfaciamus, Prophetarum oracula adimplebimus; adeoque Prophetas, Christum Dominum, Deiparam, Apostolos, eorumque fidem et religionem, quasi exoles postliminio terræ sanctæ restituemus; Angelos sanctos miro gaudio afficiemus; Dei hominumque gratiam, et gloriam æternam nobis conciliabimus.

Pecunia, nervus belli, deesse non poterit, si quælibet urbs et provincia vel modicum conferat. Unus S. Ludovicus olim omnes belli sacri expensas per plures annos præstitit, nunc eas non præstabant universi Principes Christiani illo longe ditiores? præsertim si militaris pragmatica observetur, ut milites frugales sint in victu et vestitu, nec auro vel cyathis, sed ferro et hastis depugnent, uti faciunt Turcæ et Tartari. Quin et hostiles provinciæ, utpote divites et vastæ, si subigantur, exercitus nostros alent, uti priscorum Romanorum aluerunt. Ita anno elapso Asianus Bassa copias suas contra Ottomanos aluit ex ipsis provinciæ Ottomanicarum vectigalibus et tributis, idque copioso et splendide. Ita olim Alexander Magnus non nisi septuaginta talentis bellum orsus, spoliis hostium et gaza Darii se et milites omnes locupletavit. Idem fecere Iulius Cæsar, Scipio, Pompeius, Hannibal, Cyrus, Nabuchodonosor, ac nuper Saladinus, Tamerlanes, Ismael, Sophus, cæterique magni Duces, qui hostium opibus suos ditaverunt, seque vel Asiæ, vel Europæ, vel orbis monarchas effecerunt. Soli pene Cosaki, si hæc præda illis offeratur, rem feliciter a se sæpius tentatam conficiunt, nec aliud stipendium deponunt. Opes Asiæ offeruntur, spolia Orientis; quis ad manubias tam opimas non accurrat, imo advolet! Bessarion Card. memoria prodidit, Mahometem, qui duo imperia, duodecim regna, et trecentas urbes ipsamque Constantinopolim expugnavit, non nisi duos milliones annui census habuisse. Quis Christianorum Regum non habet longe plures? Sed una Constantinopolis dedit ei prædam sexdecim millionum. Porro facile erit Pontifici Max. solidum belli sacri ærarium in annos aliquot erigere, si a singulis Regibus et Principibus Christianis corroget id, quod quisque pro re tam pia, tam utili, tam sibi et toti Reipubl. Christianæ necessaria volens lubensque conferet. Unus Rex Catholicus pro suo fidei zelo iam a 57. annis quotannis in Belgicum bellum, in unam inquam modicam provinciam, plures milliones expendit; quid non impendet in totum Orientem, ipsamque Ierusalem, cuius ipse se hæreditario iure Regem indigitat? Rex quilibet conferat millionem, Princeps vel Respubl. quælibet aliquam millionis portionem; exurget ærarium non tantum sufficiens, sed et abundans. Omitto ultroneas mercatorum, aliorumque divitum in tam pium bellum oblationes, pensiones opimis beneficiis, eleemosynas fidelibus iubilæo in hanc rem a Pontifice indicendas: ex quibus multorum millionum summa conflabitur. Si quilibet ditiorum vel aureum conferat, ex tot divitum per totum orbem millionibus, quot aureorum milliones consurgent? Taceo dispensationum, privilegiorum, peccatorum aliorumque mulctas, quæ pie ad tam pium opus exigi queunt et applicari. Sane Innocentius III. Pontif. quadragesimam redditum partem Clericis omnibus in usum belli sacri indixit: Regi vero Galliæ, et Regi Angliæ ita scribit et præscribit lib. 2. epist. 239. *Tu ipse ad defensionem terræ sanctæ competentem in expensis tuis dirigas numerum bellatorum, quasi decimas saltem Christo persolvens, ita quod ex hoc divinam gratiam possis plenius promereri*. Idem rursum Clericis per triennium vigesimam redditum partem, in eundem finem sub pœna excommunicationis indixit. Euntibus vero ad bellum sacrum tributa, quin et usuras creditoribus debitas relaxavit: ac generalem inter Christianos toto orbe pacem per quadriennium servandam, sub pœna anathematis sanxit. Paulus III. Carolo V. in Africam contra Saracenos castra moventi, decimas omnium in Hispania beneficiorum attribuit. Pius V. Pontificis redditus omnes in usum belli sacri, similiumque piorum operum contulit, ideoque illustrem illam de Turcis apud Naupactum victoriam retulit.

Iam vero dissensionis aut discordiæ inter nationes et principes numquam minus fuit periculum, quam hoc sæculo. Deus enim opt. max. nobis dedit Reges et Principes mire Catholicos, optimos, piissimos. Sedi Apostolicæ summe adiectos et devotos (ut taceam omnes affinitate areta invicem devinetos) cuius proinde distributionem, arbitrium et sententiam omnes prompte sequuntur. Sic sæculo elapso Alexander VI. Pont. Indiarum limites divisit, propiusque statuit Hispanis et Lusitanis: hinc utrorumque mira in iis concordia. Hæc ergo Sedes Apostol. sacræ huius expeditionis, uti alias semper fuit, ita et nunc erit arbiter et iudex; imo choragus, director et moderator. Hæc cuique suas operas et provincias partietur. Hæc spolia et lucra dividet. Hæc lites omnes iudicabit et componet. Hæc novos Principes et Reges, si opus sit, instituet et creabit. Atque ista est propria huius ævi gratia et felicitas, ad commune hoc Ecclesiæ negotium conficiendum uti maxime opportuna et accomoda, ita hoc sine a Deo provisa et donata. Denique obvia est concordia ratio, si quisque seorsim loco sibi commodo communem hostem invadat, et quidquid ei admittit, iure belli occupet, sibi que vindicet. Achilles Tarduccius libello, *Quod Turca vincibilis*, demonstrat Turcam a solis Hungaris vinci posse, quinquaginta Christianorum millibus in aciem productis. Suffragatur Anonymus illi additus *De statu imperii Turcici*, qui per calculum arithmeticum ostendit bellum contra Turcam geri conficique posse quotannis quatuor auri millionibus; exercitu vero quadraginta millium peditum, et bis mille equitum, addita ei classe centum triremium. Rursum fœdus Christianorum Principum a Leone X. Pont. contra Selymum sancitum, ac provincias cuique ad invadendum occupandumque attributas, recenset Fr. Guicciardinus, et ex eo Lazarus Sorantius in Ottomano cap. 118. Qui et addit Leonem decrevisse, ante omnia vim auri maximam congerendam, tum ex ordinaris Principum contributionibus, tum etiam ut singulis Christianis certum aliquod tributum, huius belli nomine imperaretur.

Porro experientia constat, omnem in debellando huc usque Turca difficultatem constilisse in divisione et dissensione Principum Christianorum, adeoque Reipubl. Christianæ languorem tum prodiisse et se prodidisse, cum Monarchia transiit in Polyarchiam; sicut ex adverso Turcarum robor emicuit cum Polyarchiam Ottomanam in Monarchiam transtulit: quocirca Turcæ, cum sit Monarchia singulis Regibus potentior, a Christianis resisti nequit, nisi ad Monarchiam redeant, ut Monarchæ infideli Monarcham fidelem opponant. Et quis hic magis idoneus, quam Summus Pontifex? Bessarion Cardin. sapientissimus asserbat, *Turcam similem esse lupo, qui cum sit pili concoloris, canes pilo discolors vel infinitos non metueret; paucis vero unius pili conspectis, fugam adornaret*. Ita prorsus Christianos Principes, licet plurimos et potentissimos, si discordes sint, non metuit, sed ridet Turca; paucos si concordet sint, reformidat et fugit. Quin et Solymmanus ipse Caroli V. æmulus et antagonistæ, ut Ferdinandus Imperat. Caroli fratre se potentior ostenderet, eius Legato insultans dixit: *Se esse draconem unius capituli, sed multarum caudarum; Ferdinandum vero et Christianos esse draconem multorum capituli, sed unius caudæ*, q. d. Christianorum imperium est polyarchicum, ideoque discors et imbecille: meum vero est monarchicum, ideoque concors et validum. Igitur in hoc bello subdant se Principes Christiani, uti faciunt, Romano Pontifici; atque hæc ratione Monarchiam Christianam redintegrabunt, eamque Turcica longe validiorem constituent, ac mari æque ac terra Turcam invadent: quod omnino faciendum censuit Carolus V. Porro ne quis fidelis vel hæreticus ditiones Principum, eo tempore quo bellum sacrum capessunt, quovis titulo invaderet, Eugenius III. cavet sub pœna anathematis. Idem cavet Innocentius III. quem paulo ante citavi. Caveant et Principes fœderati: fœderis enim prima conditio est, ut, si quis unum invadat, cæteri omnes eum, quasi publicum Christi et Christianæ Reip. hostem et proditorem persequantur, ac regno, principatu, dominio, opibus, rebusque omnibus privent et spolient. Det Deus, ut omnes omnino ad pristinam unionem et Monarchiam ab eo sancitam, hoc Iubilæo revertantur.

Quapropter de felici belli exitu optime sperandum est, et vix dubitandum, præsertim si, uti Mose orante Iosue vincebat Amalee, ita et nos cum Machabæis Numinis opem, precibus, ieiuniis, sancta vita, bonisque operibus assidue nobis conciliemus: quarum rerum Iubilæum hoc illicium est, imo inchoatio et præludium. Sane hisce annis plures viri Religiosi sanctitatis et prophetiæ opinione celebres prædixerunt certo instare ruinam Turcici imperii, ac Christianos brevi potituros terra sancta.

- XII. Emitte, o Sanctissima Trinitas, ex alto, per Verbi tui incarnati acerbissimos dolores, cruceem et merita, Spiritum tuum sanctum, spiritum sapientiæ, consilii, pietatis et charitatis, ut omnes fideles et Principes in tua fide, cultu et amore concordet, studeant resistere, imo tuo regno subigere omnes Saracenos, Paganos et infideles; ut tuum nomen et gloriam agnoscant et celebrent omnes gentes; ut omnis terra confiteatur nomini tuo sancto. Dilixisti *Domine portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Ut quid ergo *Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt nomen sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam?* Terra in qua te laudaverunt patres nostri, tradita est alienigenis, qui assidue sacrilego ore blasphemant nomen tuum, et Christi tui. Locus in quo Christus operatus est salutem in medio terræ, possidetur ab Antichristianis. Exurge, Domine, vindica probrum tuum. Excita e Christianis Machabæos, qui gentes conerant et convertant, qui tibi tuam gloriam, Ecclesiæ suum regnum, terræ sanctæ avitam fidem et sanctitatem asserant, ac postliminio restituant. Excitasti nuper invictum Poloniæ Regem, qui prælia hæc inchoaret tanta fortitudine, æque ac felicitate, ut unus ipse non solum omnes Turcarum vires sustinuerit, sed et assidue præliis eos attriverit, fregerit, et ad pacem coegerit; plane utique protriturus, si auxiliariis aliorum Principum copiis opibusque suffultus, bellum hoc fuisset prosecutus. Sane Christianis Regibus ipse unus, Deo auspice, viam prævit stravitque, ac pariter ostendit, quam facile communis ille Ecclesiæ hostis hæcenus eunctis formidabilis, subigi, imo deleri et exterminari possit, si Christiani Principes iunctis animis malint bellum in ipsum capessere, quam inertis desidia, et privatarum rerum respectu communibus incendiis deflagrare; si communibus viribus eum impetant, diversisque copiis et locis invadant, ut non tantum eum procul a suis finibus areeant, sed et plane profligent ac extirpent; si concordibus studiis in communis periculo quod quisque potest præsidii, id in medium conferat. Ita res Christiana beata, inviata et æterna hæc concordia est futura. Idipsum ergo ingere et persuade cæteris Principibus, eosque sancto fidei et charitatis fœdere constringe, ut unanimes, læti et alacres constanter prælientur prælium Domini, prælium Christi, prælium Patris et Filii et Spiritus sancti, ita ubique terrarum serviemus tibi humero uno, uno corde et ore; ubique tibi psallemus; ubique agemus Iubilæum, eum terra sancta, totusque orbis ad pristinam fidem, ad pristinum herum et dominum suum revertetur; ubique tibi in linguæ mentisque iubilo exultantibus animis et vocibus inlabimus, *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*. Hocce fidelium, hocce meum unicum est votum, quod mihi ab olim o SS. Trinitas inspirasti, et inspirare non desinis, ut assidue desiderem, et obsecrem te pro excidio Mahometismi, Hæresis et Paganismi. Utinam triplicem trium horum tuorum hostium ruinam, ante mortem videre contingat, ut toto orbe sit unum Christi ovile et unus pastor! Tunc utique lætus occumbam, eamque et iubilabo cum S. Simeone: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel*. Tunc pariter occinet S. Ioannes suum illud: *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam de-*

Apoc. 21.

Psal. 46  
47 93.  
96. 97.  
136.



- scendentem de caelo a Deo, paratam, sicut sponsam ornata[m] viro suo. Tunc modulabitur Tobias illud c. 13. *Ierusalem civitas Dei, luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te, etc. Portæ Ierusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide caulido et mundo omnes plateæ eius sternerunt, et per vias eius Alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam. Amen.* Tunc rursus psallet regius Vates: *Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob, quem dilexit. Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam. Lætentur cæli, et exaltet terra, commoveatur mare, et pluitudo eius. Dominus regnavit, exaltet terra, lætentur insulæ multæ: Adorate eum omnes angeli eius; audivit et lætata est Sion. Exultaverunt filii Iudæ propter iudicia tua Domine. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.* Tunc exultabit Isaias: *Laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terre, resonate montes laudationem, saltus et omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, et Israel glorificabitur. Ecce isti de longe venient (ad Ierusalem) et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi. Laudate cæli, et exultate terra, iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur. Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, etc.* Tunc buccinabit Sophonias: *Lauda filia Sion, iubila Israel: lætare, et exulta in omni corde filia Ierusalem. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in læude.* Tunc iubilabit Zacharias: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator, etc. quia lapides sancti elevabuntur super terram eius. Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?*
- Cap. 44. 23. *Fac me voti mei, imo tui compotem Iesu Christe Salvator, amor noster. Hæc est enim, sicut ipse Patrem pro nobis precando dixisti, vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum; ac vicissim Pater tibi promisit dixitque: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Tu quoque sancta Dei genitrix, Patris æterni filia, Verbi incarnati mater, Spiritus sancti sponsa, quæ sola cunctas hæreses interemisti in universo mundo, has quoque nostri ævi interimere. Assere tibi terram sanctam, quasi tuum natale solum; asserere Hungariam, olim tibi clientem et supplicem, ideoque regnum Virginis nuncupatam; asserere cæteras provincias: quia cunctarum es Regina et Domina. Tu enim (ait S. Cyrillus hom. 6. contra Nestorium) es pretiosa margarita orbis terrarum: tu lucerna inextincti luminis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, templum indissolubile, continens eum qui nusquam contineri potest, mater et Virgo. Per te Trinitas sanctificatur, per te crux pretiosa dicitur. Per te exultat cælum, lætantur Angeli et Archangeli, fugantur dæmones, et homo ipse ad cælum revocatur; omnis creatura idolorum errore detenta; conversa est ad notitiam veritatis, et in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesie. Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Per te unigenitus Dei filius, vera illa lux, effulsit sedentibus in tenebris et umbra mortis. Te Prophete præannunciaverunt, te Apostoli summis laudibus celebraverunt. Dirige ergo universos, o inelyta maris stella, inter æstuantis huius sæculi fluctus et turbines, recto cursu ad orthodoxam fidem, virtutem, sanctitatem, et tandem ad portum salutis æternæ: Monstra te esse matrem mœstrantium se tuos cupere esse filios. Da per potentes tuas ad Filium preces nobis omnibus, VIVERE DEO, VIVERE CÆLO, VIVERE ÆTERNITATI: DA CHRISTO FRUI, ILLI IUBILARE PER OMNIA SÆCULA. Hoc est enim omnis homo. Amen.*

## ANNOTATIO

### ADDENDA AD MINORES PROPHETAS.

Nonnulli novitii et rudiores Theologi non capientes titulum Epist. Dedicatoriæ, quam Prophetis Minoribus præfixi, *Sanctissimæ Trinitati increatæ, et creatæ in Christo Iesu trinum Prophetarum iubilum et votum*; sed admirantes (ignorare enim facit admirari, ait Aristot.) a me flagitarunt, ut illum concise obscure, fusius enucleem et explicem. Id ergo in eorum gratiam nunc facere aggredior, quia cum S. Paulo, insipientibus, æque ac sapientibus debitor sum.

Clarum est ex ipsis terminis et vocibus hic librum dedicari non uni, sed duplici, Trinitati; priori increatæ, posteriori creatæ. Nec enim una eademque Trinitas potest esse increata simul et creata, sicut idem non potest esse creator et creatura: hoc enim implicat et contradictionem involvit.

Trinitas ergo increata, est Deus in essentia unus, sed in personis trius, scilicet Deus Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quæ sunt tres personæ divinæ reales, et realiter a se mutuo distinctæ, quæ eandem numero habent essentiam et divinitatem, ideoque per omnia omnipotentes sunt, immensæ et æquales, eademque patria adorandæ. Quocirca Seraphini, tum angelici, tum humani, puta Prophetæ omnes, ter quaternis vocibus trisagium, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth*, iugiter illis acciunt, uti in Dedicatoriâ mox subiicio. Hoc augustissimum

et ineffabile Trinitatis mysterium, in S. Script. diserte expressum contra Sabellium, Arrium et Macedonium omni ævo constanter docuit et propugnavit Ecclesia. Idem in Conciliis Oecumenicis multoties est definitum, intentato Arrianis et Sabellianis illud negantibus anathemate. Idem tradiderunt Apostoli in Symbolo, ac Patres Syri, Græci, Latini quolibet ævo, ut S. Iustinus, S. Ephrem, S. Epiphanius, S. Athanasius, S. Damascenus, S. Basilus, S. Greg. Nazianz. S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Gregorius, cæterique orthodoxi ad unum omnes, uti pluribus locis demonstravi, sed præcipue in Dedicatoriâ Prophet. Maiorum, ubi magna et mira, sed minora longe quam meretur, SS. Trinitati dediti elogia; et in Isaia c. 6. v. 3. ad illa, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth*; ac Rom. 11. 33. ad illa: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* etc. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.* et Hebr. 1. 3. *Qui (filius) cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ; et alibi sæpius: passim enim insector Arrianos et Ebionæos, velut hæreticos iuratos SS. Trinitatis, et Christi Paulique hostes, ac blasphemos atheosque.*

Trinitas creata in Christo, est Christi sanctissima anima, caro et sanguis: hæc enim tria creata sunt, ac a Deo

creatore Christi humanitati, velut partes substantiales in incarnatione inditæ, cum *Verbum caro factum est*. Alludo enim ad illud 1. Ioan. 5. 7. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant (quod Iesus est filius Dei: ut dixit v. 5.) in celo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt.* Spiritus enim est sanctissima Christi anima; aqua est illa quam Christus e carne lateris sui cum sanguine moriens emisit. Ibi enim S. Ioannes Trinitatem increatam assignat, Patrem, Verbum siue Filium, et Spiritum sanctum: creatam vero spiritum, aquam et sanguinem, quarum utraque testatur Christum esse Dei filium et mundi salvatorem, uti ibidem fuse exposui. Simili modo Prophetæ omnes prophetant et docent Trinitatem utramque, puta mysterium SS. Trinitatis et incarnationis Verbi, ut utrique Prophetias suas ipsi dicasse videantur, ideoque utrique ego illas dedicavi. Idque representat imago SS. Trinitatis in sinu gestans Christum crucifixum, cui singuli Prophetæ circumcirca sua oracula depromunt, quam epistolæ Dedicatoriæ præfixi. Dedicatoria enim ad imaginem respicit, illamque explicat.

Porro Trinitatis nomen licet absolute positum, ex usu fidelium soli increatæ competat, si tamen addatur *τὸ creatæ*, non nisi rei in tempore creatæ qualis est Christi humanitas, convenire potest, atque hoc modo nomen Trinitatis usurpat Patres, cum dicunt in anima humana esse imaginem SS. Trinitatis, imo Trinitatem participatam; quia in anima sunt tres potentie, scilicet memoria, intellectus et voluntas (imo hæc tria reipsa idem sunt cum anima, si Philosophis nonnullis credimus) sicut in essentia divina sunt tres personæ divinæ, scilicet Pater, Filius et Spiritus sanctus. *Eo enim ipso*, ait S. August. lib. 14. de Trinit. c. 8. *imago Dei est mens, quo capax eius est, eiusque particeps esse potest. Iam ergo in ea Trinitatem, quæ Deus est inquiramus. Ecce enim mens meminuit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Hæc enim quædam apparet trinitas, memoriæ, intelligentiæ et amoris.* Et S. Isidor. l. 7. Etymol. c. 4. *Trinitas appellatur, ait, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi trinitas, ut memoria, intelligentia et voluntas, in quibus mens habet in se quædam imaginem divinæ Trinitatis; nam dum tria sint, unum sunt.* Et S. Bouav. in 1. dist. 24. *Trinitas dicitur, inquit, quasi ter unitas, vel trium unitas.* Hinc et S. Bernard. serm. 11. in Cant. de eadem agens: *O beata, ait, et beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exulat. Discedens a te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus! Heu me, qualem pro te commutavimus trinitatem! Cor meum conturbatum est, et inde dolor: dereliquit me virtus mea, et inde pavor: et lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. En quam dissimilem trinitatem, o animæ meæ trinitas exulans, offendisti.* Simili phrasi Plinius lib. 2. c. 31. ait in parelio visos esse sæpius trinos soles, et trinas lunas. Quid enim est trinus sol et trina luna, nisi trinitas solis et lunæ? Si Latine licet dicere trinas esse animæ potentias, et trinas esse Christi incarnati partes; cur pariter non liceat dicere animam habere trinitatem trium potentiarum, et Christum trium partium.

Denique si quis *τὸ et creatæ Christo Iesu*, ita accipiat et detorqueat, ut velit in Christo Iesu nihil esse nisi crea-

tum; hic hæreticus est, Arrianus et Ebionita, hoc est Iudæus vel iudaizans. Christiana enim fides docet in Christo unam esse personam divinam, sed duas naturas, nimirum divinam, quam Christus ab æterno a Patre accepit, iuxta quam verus est Deus Patri *ὁμοούσιος* et consubstantialis, ideoque in Trinitate increata secundus et medius; et humanam quæ in tempore creata est, cum ipse qua homo, conceptus est de Spiritu sancto, et natus ex Maria Virgine. Primus id negavit impius Ebion, primus post Simonem Magum hæresiarcha anno Christi 74. Hic enim sacrilegus iudaizans, cum Cherintho negavit Christum esse Deum, eumque merum hominem esse asseruit, quia Mosem prætulit Christo, ac legem Evangelio; ideoque S. Paulum Evangelii præconem, Legis apostatam nuncupabat. Unde illi cœvus S. Ignatius episc. ad Philadelphenses: *Si quis, inquit, dicat unum esse Deum, et confiteatur Christum Iesum, sed eum nudum esse hominem putet, non autem Deum unigenitum, Sapientiam et Verbum Dei, sed solum animam et corpore constare censcat; huiusmodi serpens est, fraudem et errorem prædicans in exitum hominum; et est eiusmodi inops sensu cognomento Ebion.* Et S. Epiphanius hæres. 30. quæ est Ebionis: *Quæmadmodum, inquit, si quis copulasset sibi ornamentum ex diversis lapillis pretiosis, et vestem variegatam et splendide se ornasset: sic hic (Ebion) vice versa quidquid horrendum est, et perniciosum et abominabile, informeque et incredibile, et odio plenum, id a singulis sectis accepit, et seipsum in omnes efformavit: Samaritarum enim habet abominationem, Iudæorum nomen, Essenorum vero et Nazaræorum opinionem, Cherintianorum formam, Carpoeratianorum improbitatem, et Christianorum vultu habere appellationem.* Et Eusebius l. 3. Histor. c. 27. *Sed et alios, inquit, idem dæmon alia arte decepit, id est, Ebionæos, qui interpretantur pauperes (Ebion enim hebr. עֲבִיּוֹן idem est quod pauper. Ebion enim revera fuit mentis inops, et pauper, non tam ære et censu, licet id ipse iactaret, quam fide et sensu: ) vere enim pauperes sunt et egeni in scientia gloriæ Christi; quoniam quidem eum solum hominem putant, communi etiam natiuitate ex viro et femina procreatum.* Quocirca eum ut hæresiarcham et atheum acriter impugnant S. Iren. Tertull. S. Epiphanius. S. August. Theodor. Philastrius, Cardin. Bellarminus, Hosius, Gregorius de Valentia, Stapletonus, Alfonsus a Castro, ac cæteri Doctores Orthodoxi prisca et moderna, qui contra hæreses scripserunt; ut mirum sit hoc sæculo nonnullis in locis infamem et scelestum Ebionem, toties damnatum, rursus ex orco esse revocatum, et monstrosam eius hæresim iam diu sepultam, rursus in lucem prodierit opera Iudæorum et iudaizantium cum insigni probro Christiani nominis, æque ac ingenti fidelium damno. Hoc ergo est opus, hic astus Satanæ, qui transfiguratur se in angelum lucis, ut per Iudæos Christum et Christianos supplantet, ac homines quasi pisces decipiat capiatque, et secum trahat ad æterna gehennæ incendia. Quocirca S. Ioannes Apostolus adeo detestatus est blasphemum Ebionem, ut, cum casu balneum adisset intellexissetque in eo lavari Ebionem, illico cum suis aufugerit, dicens: *Festinate, fructes, egrediamur hinc, ne cadat balneum, et pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem*, uti narrat S. Epiphanius, hæresi 30.

## COMMENTARIA

IN

## XII. PROPHETAS MINORES

## P R O O E M I U M

Hi Prophetae  
cur vocentur  
minores.

**P**ROLEGOMENA hic pauciora praeimitto: quae enim Prophetis maioribus praefixi, eadem minoribus serviunt. Rem ergo aggredior: studeo enim brevitati, ut totam S. Scripturam octo vel novem tomis complectar, quod viri sapientes postulant. Notat S. Aug. l. 18. de Civit. c. 19. et Rufinus praefat. in Oseam, duodecim Prophetas minores dici respectu quatuor maiorum, puta Isaiae, Ieremiae, Ezechielis et Danielis, non eo quod iis sententiarum gravitate, et rerum verborumque maiestate cedant; sed ob sermonis et librorum breviter. Potuissent et ipsi paria maioribus volumina scribere, si voluissent: per multos enim annos munere concionandi et prophetandi functi sunt, uti Oseas usque ad annum aetatis nonagesimum strenue hoc officio perfunctus est. Ex quo liquet, eos multa vaticinando et concionando dixisse, quae scriptis non tradiderunt; idque ex studio modestiae et humilitatis, ut minores essent et haberentur, nec maioribus aequarentur. Quo studio impulsus humilis S. Franciscus, se et suos fratres Minores esse et nuncupari voluit. Unde cum Cardin. Hostiensis, qui postea creatus Pontifex, Gregorius IX. dictus est, ab eo quaesisset: utrum sibi placeret, ut fratres sui promoverentur ad Ecclesiasticas dignitates; respondit: *Domine Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut maiores fieri non presumant. Si vultis ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocacionis eorum, et ad Ecclesiasticas praerogativas nullatenus ascendere permittatis.* Ita refert S. Bonaventura in vita S. Francisci c. 6. Eodem studio et spiritu aetus S. Paulinus Nolae Episcopus, vir nobilis genere, ingenio, virtute, sapientia et eloquentia, quam mire extollunt S. Hier. et August. rogatus ut scriberet in S. Scripturam, respondit se minus peritum esse, et indignum, qui tam sublimes et divinos libros interpretaretur. Quare numquam calamus huic operi admoveere voluit, sed aliis minus sublimibus, epistolis et carminibus, quae etiamnum extant, et viri doctrinam, aequae ac modestiam, religionem, mundique contemptum testantur. Ita habet eius Vita Addit S. Chrysost. hom. 9. in Matt. *Multa, ait, ex Prophetis perierunt monumentis: desides enim cum essent Iudaei, nec desides modo, sed et impii, alia quidem perdidit negligentem, alia vero tum incenderunt, tum coniderunt. Et de profanitate quidem tali Ieremias refert cap. 36. 23. De negligentia vero 4. Reg. 22. legimus, quoniam post multum temporis vix Deuteronomii volumen sit repertum, defossum quodam in loco, ac pene deletum.*

Itaque maluerunt hi nostri Prophetae multis omissis, pauca tantum, nimirum praecipua, capita suorum oraculorum et concionum conscribere, quae Iudaeis dietorum a se, et ab iis auditorum, memoriam iugiter refricarent, quaeque ipsi, aequae ac posteris, praesertim Christiani, ob proximitatem non fastidirent, sed ob breviter a vide legerent. Verbo enim paucis, scripto toti consulitur posteritati. *Zacharias* (et quilibet doctor) ait Tertul. l. de Idolol. c. 23. *loquitur in stylo, auditur in cera: manus omni*

**A** sono clarior, littera omni ore vocalior. In hac ergo Prophetarum brevitate magna et praegnans est rerum copia, magnus dicendi nervus, magnum pathos, densus et multiplex sensus. Audi S. Hieron. proemio in epist. ad Philemon. *Sed, ait, mihi videntur dum Epistolam simplicitati arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiae lateat. Si autem brevis habetur contemptui, contemnatur Abdias, Nahum, Sophonias, et alii duodecim Prophetiae, in quibus tam mira, et tam grandia sunt quae feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonum in illis demirari debeas, an magnitudinem sensuum.* Quocirca idem hic in proemio, Oseam vocat *commaticum*, et quasi per sententias loquentem: brevibus enim sententiis quasi per commata intereisis, multas magnasque res pathetice eloquitur; nimirum sapiens uti verum uno mentis cernit in ietu, ita idem enunciat, unoque dentis verbique dicit et dietat in ietu. Sed audi ipsummet S. Hieronymum. *Osee commaticus est, et quasi per sententias loquens. Ioel planus in principis, in fine obscurior. Et usque ad Malachiam habent singuli proprietates suas.* Et in prologo Galeato: *Duodecim, ait, Prophetae in unius voluminis angustias coarctati, multo aliud, quam sonet in littera praefigurant.* Hic ergo verum est istud quod de apibus eccinit Virgil. in Georgie.

*In tenui labor, at tenuis non gloria.*

Nam, ut ait Ezechieles. c. 11. 3. *Brevis, graece μικρα, id est parva, in volatilibus est apus, et initium dulcoris habet fructus illius.* Hinc ista vox apum:

*Magna etenim est nobis in parvo corpore virtus.*

Ut Tydeo illi, pusillo mole corporea, sed mente gigantea, S. Paulus corpore Tydeus, solertia Ulysses. Virtus enim compressa fit fortior, et maiores impetus plagasque adversariis infligit. Apostolus, uti nomine, ita corpore Paulus fuit et pusillus; sed sapientia et spiritu excelsus, imo longolius. *Tricubitalis est, ait S. Chrys. et caelos sideraque transcendit.* Ita Prophetae minores tricubitales sunt, si verba et sententias spectes; sed sapientia et sensibus aethera transcendunt. Egregie S. Paulinus epist. 1. inter sex quas scripsit ad Amandum:

*Sicut mellis, ait, gutta idem sapit, quod lotus favius; sic et in uno licet verbo stillicidium linguae vestrae, totum sanctae animae vestrae saporem refert. Nec ideo margarita vilis est quia exigua, sed ideo magis pretiosa, quia et in exiguo modo magnum pretium habet. Sed et granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen extat in olere: ideo etiam brevis sermo vester, dulcedinem simul ac vigorem verbi caelestis tenet.* Sic Alauus in Anticlaudio laudat Symmachum urbis praefectum sub Theodosio Imp. a nervosa styli brevitate, dicens:

*Symmachus in verbis parvus, sed mente profundus:*

*Prodius in sensu, verbis angustus: abundans*

*Mente, sed ore minor: fructu, non fronde beatus,*

*Sensus divitias verbi brevitate coarctat.*

Non dubitat Poeta museam exiguam cum rege componere:

Deus in  
minimo  
eminet  
maxi-  
mus.

*An quisquam conferre neget cum principe muscam?  
Eminet in minimis maximus ipse Deus.*

Tria parva, sed efficacia:

*Vipera, si memini, prima est, formica secunda,  
Tertia cui proprio nectare lucet, apis,  
Non te parre culex formica, aut vipera, non te  
Vatis Bilbilici clarior esset apis.*

Porro Virgil. lib. 4. Georg. apim esse, vel habere quid numinis asserit:

*Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus  
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes  
Terrasque tractusque maris, etc.*

Homines statura parvi, communiter magnanimi sunt. Cor membrorum minimum, ipsum tamen est quasi focus et arx corporis, et alterum quasi animal, primum vivens et ultimum moriens, vitæ, sensus et motus fons et origo: quin et animalia generosa, ut leo, parvum habent cor; quæ vero magnum habent, ut hyæna, lepus, cervus, asinus, panthera, mustela, timida et pavida sunt, ait ex Aristot. Plinius l. 11. c. 37. Adeo Deus et natura, parvos et parva amat: et in parvis vasis sua cimelia recondunt. Nulli enim parvus est census, cui magnus est animus, ait S. Leo serm. 2. de Quadrages. Quocirca Philosophus interrogatus, quid minimum esset simul et maximum; cum unus dixisset esse oculum, eo quod membrorum sit minimum, et tamen totum mundum, qui maximus est, visu comprehendat; respondit non esse oculum, sed cor, tum ob rationem iam allatam, tum quia cor non solum mundum, sed et ea quæ supra mundum sunt, adeoque res infinitas mente, amore et affectu complectitur, nec ulla nisi Deo, qui immensus est, repleri et satiari potest. Denique cor humilitate minimum, virtute et gloria est maximum, uti docet Christus Matth. 18. 4. et c. 19. 26.

Præclare Sapiens Prov. 30. 24. *Quatuor, inquit, sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientioribus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Lepuseculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum. Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas. Stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regis.* Sapienter quoque Manilius l. 4. Astron.

*Nec contemne tuas, quasi parvo in corpore vires.*

*Quod volat, immensum est. Sic auri pondera parvi,  
Exuperant pretio numerosos æris acervos.*

*Sic adamus punctum lapidis pretiosior auro est,*

*Parvula sic totum pervadit pupula cælum;*

*Quodque vident oculi, minimum est, cum maxima cer-  
nant,*

*Sic animi sedes tenui sub pede locata,*

*Per totum angusto regnat de limite corpus.*

Gaudet ergo natura, æque ac Deus qui est natura naturans auctorque naturæ, magna, imo magnitudinem suam imminuere, contrahere et coarctare ad parva, ut ibi unita densetur, eoque magis resplendeat, quo in minori minor esse gestit. Quid maius macrocosmo et universo? hoc tamen Deus totum collegit in homine, dum cum microcosmum effecit. Quid sublimius Verbo æterno, Dei filio? hic tamen in infanti corpore integer inhabitare voluit, eique se adæquavit. Hoc est Verbum abbreviatum, portentum sæculorum, de quo Apostolus Roman. 9. 28. ait: *Verbum brevium faciet Dominus super terram.* Nam, ut de eodem vaticinatus est Isaias c. 10. 22. *Consummatio abbreviata inundabit iustitiam.* Quid magnificentius Christo vero Deo et homine? et tamen ipse in exigua Eucharistiæ hostia, imo in quolibet eius puncto totum se sistit. Magnus ergo esse cupis? Deum imitare: ab eo viam et modum grandæscendi discere: humilia, abbrevia, coarctata, et magnus evades, Deoque similis. Sic angelus in punctum loei se contrahit: sic et anima tota est in qualibet, corporis particula. Sic Orator convolvulum florem vocavit, rudimentum naturæ, liliam facere condiscens: pari modo humilitas convolvula est rudimentum animæ, qua ad apicem virtutum scandere condiscit. Denique aureum est illud Poetæ:

*Quidquid præcipies esto brevis, ut cito dicta*

**A** *Percipiant animi dociles, teneantque fideles.*

Et Cicero lib. 1. de Orat. oratori hoc dicendi dat præceptum; *Satius est minus quam nimis. Facilius enim cuiusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhæret,* inquit Velleius Patere. lib. 1. Hac de causa hi Prophetæ breves et contracti potius, quam fusi et proluxi esse maluerunt.

Argumentum minorum Prophetarum idem est quod maiorum, nimirum arguunt idololatriam, aliaque Hebræorum peccata, quæ Ieroboam erigendo vitulos aureos, quasi Deus in Dan et Bethel, inxerarat, ad hoc, ut per schisma religionis, faceret et schisma regni decem tribuum a regno duarum, Iudæ scilicet et Benjamin, ne videlicet decem tribus occasione sacerorum et cultus divini, ex lege celebrandi in Ierusalem, a se suoque regno ad duas tribus, et regem Roboam redirent, ut patet 3. Reg. 12. 26. Deus ergo quasi pius pater, ad eos revocandos misit Prophetas, qui tum decem tribus, tum duas reliquas hoc quoque idololatriæ contagio, ob vicinitatem et allinitatem decem tribuum, infectas, de hisce sceleribus corripent, comminando eis captivitatem Assyriacam et Babylonicam; itaque eas ad avitam patrum fidem et pietatem revocarent, ac ad Dei cultum et amorem accenderent: qua de causa addunt vaticinia lætaque promissa de Christo, deque Ecclesie, Sacramentis, gratia, omnique felicitate ab eo afferenda in novo Testamento: ideoque sæpe hi Prophetæ a Christo, Paulo et Apostolis citantur. Nam, ut sapienter ait S. Aug. in Sententiis n. 214. *Stultus est qui non credit denunciationibus Prophetarum in paucis quæ restant, cum videat tam multa completa, quæ tunc non erant, quando prædicantur implenda.*

Porro facillimum est mutato tantum nomine, quæ Iudæis hic ob idololatriam, aliaque scelera ad litteram intentant Prophetæ, tropologice applicare Christianis, atque animæ cuilibet, quæ per peccatum a Deo ad suas cupiditates abit, ac præsertim ad hæresin, cui passim hæc tropolog. adaptat S. Hierou. nam, ut ipse ait in cap. 14. Osee, gulosi deus et idolum est venter, avari mammona, hæretici sua hæresis, suumque commentum et dogma, et ita de cæteris. Quocirca æque Christianis ac Iudæis sua oracula dietarunt et consignarunt Prophetæ.

Iam vero Prophetæ minores numero sunt duodecim, instar duodecim Patriarcharum, et duodecim tribuum ad quas mittebantur. Fuerunt enim ipsi Patriarcharum sup-<sup>Sunt XII. numer.</sup> pares, imo sui ævi, duodecim Patriarchæ, duodecim tribuum, duodecim Doctores, duodecim Apostolorum, duodecim prodromi et antitypi, imo veri veteris testamenti Apostoli et Evangelistæ.

Merito ergo Ecclesiasticus celebrans heroes Hebræorum, hoc elogio duodecim hosce Prophetas celebrat et condecorat c. 49. 42. *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo, q. d. Ossium et sepulcri, ac per consequens ipsorum duodecim Prophetarum virens semper, grata et florida sit memoria; nomen et fama eorum cum sepulcris et monumentis ipsorum perennet, ut videantur reviviscere, et magis vivere defuncti, quam cum re ipsa viverent; adeo eorum laus, deus et gloria promanet ad posterum, imo permanet in æternum, ut, quoties posterius inspexerint eorum ossa et sepulera, toties eorum virtutum et oraculorum gloriosam memoriam renovent et celebrent, dignosque prædicent, quorum ossa inter Patriarchas et Apostolos, ad gloriam cælestem resurgant in universali hominum resurrectione. Est metalepsis: ossa enim ponuntur pro sepulcro, sepulcrum pro sepultis, puta pro ipsismet Prophetis; nimirum contentum ponitur pro continente: et pullulare idem est quod semper vigere et florere. Causam subdit: *Nam corroboraverunt Iacob in fide et pietate unius veri Dei et Messie, quem prædixerunt venturum: corroboraverunt, inquam, tum vaticinando, tum suis meritis et precibus robur et auxilium Dei populo impetrando: et redemerunt se in fide virtutis, puta in fide non quali quali, sed valentissima et potentissima; vel in fide virtutis, id est in fidelitate maxime strenua et efficaci, redemerunt, id est liberarunt et immunes præservarunt se**

ab omni culpa, pœna et eadumnia: quia non nisi ea quæ Deus eis revelabat, fideliter et constanter prolocuti et vaticinati sunt. Simili enim phrasi de Iosue, aliisque Iudicibus Israel dicit idem Eccles. c. 46. 13. *Et Iudices, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, hoc est, ut explicans subdit, et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.* Ossa ergo hæc Prophetarum etiamnum pullulant, et pullulabunt usque ad finem mundi, dum ipsi per sua monumenta et oracula Christianis, Iudæis, omnibusque gentibus assidue prædicant, et prædicabunt Messicæ adventum, eiusque fidem, mores, spiritum, omnemque virtutem et sanctimoniam.

Mystice  
Propheta  
quis?

Mystice S. Bernard. serm. 2. ad Fratres, in illud, *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*, docet omnes vere Religiosos, mystice esse Prophetas, eo quod perspicaci mentis acie eminens prospiciant superna, absentia et futura; quod eorum mens, cogitatio et conversatio in cælis sit, indeque ex summo caelorum vertice, quasi aquilæ, exiguum hoc terræ punctum respiciant et despiciant; quod in altis æternitatis montibus commorentur, indeque sub se videant et rideant inanes honorum opumque pompas, reges et principes quasi formicas intueantur; regnorum ortus et occasus, rerum omnium vicissitudines, temporum gyros et circumvolutiones, eunctosque sæculi turbines, flexus et reflexus, quasi bullas nascentes et mox devenascentes contemplantur. Hi nimirum veri videntes, veri vates, veri mystæ sunt; cæteri cæcutientes, præsentia exigua conspiciantur, futura licet maxima, non prævident; *in terrenis lynceis, in cælestibus talpæ.* Magnum sane, ait Bernard. *prophetandi genus, cui vos (Fratres suos alloquitur) deditos esse conspicio; magnum prophetiæ studium, cui vos video mancipatos. Quid illud? Nempe iuxta Apostolum, non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur, sine dubio prophetare est. Ambulare in spiritu, ex fide vivere, quærere quæ sursum, non quæ super terram, oblivisci quæ retro sunt, extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. Alioquin quoniam modo, nisi per spiritum prophetiæ, conversatio nostra in cælis est? Sic nimirum Prophetæ olim quasi non inter homines erant sui temporis, sed virtute et impetu quodam spiritus dies illos transilientes, exultabant ut viderent diem Domini; et videbant, et lætabantur in ea.* Talis Propheta, talis videns erat regis Vates, sibi occinens: *Credo videre bona Domini, in terra viventium.* Talis S. Hilarion, teste S. Hieron. *qui monebat omnes præterire figuram huius sæculi; et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emere raptus exclamabat: Non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Quod enim momentaneum est et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* El: *Fides est substantia rerum sperandarum, ergo futurarum; argumentum non apparentium, ergo obscurarum et propheticarum. Fides est mente cernere bona cælestia, quæ oculis non vides. Talis videns et videntium pater erat Abraham, qui fide demoratus est in terra re-promissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Iacob, cohæredibus re-promissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus. Iuxta fidem et prophetiam defuncti sunt Abel, Henoch, Noe, Isaac, Iacob, Ioseph, non acceptis re-promissionibus, sed a longe eas aspicientes, et subitantes, et confitentes quæ peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filicæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere ievunditatem: aspicebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum. Quare? Invisibilem enim tanquam videns sustinuit. Alii fidei et prophetiæ heroes, res sperandas et futuræ gloriæ bravia speculantes, pro iis distenti sunt, lapidati sunt,*

*A sceti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circueverunt in melotis, in pœllibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.* Mystici ergo Prophetæ sunt, qui vita magis quam voce, singulis inclamant: *Deorsum corpora, sursum sint corda: despice terrena, cælestia suscipe.*

Quibus  
prophetariunt?

Iam QUÆRITUR PRIMO, Ad quas gentes proprie missi sunt hi Prophetæ; quibus populis prophetarunt? Resp. Aliqui Prophetarum vaticinati sunt duabus tribubus tantum, puta Iuda et Benjamin, alii cæteris decem, alii utrisque: idque nominibus regum, sub quibus se prophetasse scribunt, aut nomine populi Iuda, vel Israel, aut aliis modis et circumstantiis subiudicant, imo sæpe id ipsum clare exprimunt. Ubi recte notat S. Hier. in proœmio: Quoties, inquit, ad decem tribus prophetia tenditur, sub his nominibus fere designantur, scilicet *Ephraim, Samaria, Israel, Ioseph, Iezrahel, Bethel, Bethaven*, et inlerdam *Iacob*; cum vero ad duas tantum, tunc notantur nomine *Iuda, Ierusalem, Benjamin, domus David*, et aliquando *Iacob*. Porro decem tribus vocantur *Ephraim* et *Ioseph*: quia primus eorum rex Ieroboam, et multi deinceps oriundi fuerunt ex tribu Ephraim, qui fuit filius Ioseph Patriarchæ. Dicuntur cædem *Samaria* et *Iezrahel*: quia hæc duæ erant metropoles regni eorundem. Dicuntur *Israel* et *Iacob*: quia posterorum eius maior erant pars; unde quasi plures parentis nomen sibi appropriarunt. *Iacob* enim alio nomine vocatus est Israel, Genes. 32. 28. Dicuntur *Bethel*: quia in Bethel a Ieroboam erecti fuerunt vituli aurei, puta idola, quæ ipsi coluerunt. Unde et Bethel dicta est per antiphrasin *Bethaven*, id est domus iniquitatis: quæ enim tempore Iacob vocabatur eratque *Bethel*, id est domus Dei, Gen. 28. 19. a Ieroboam facta est Bethaven, id est, domus idoli et peccati. Porro Prophetæ, Israelitis, ob idola aliaque peccata minantur excidium, et captivitatem Assyriacam, quam eis inflixit Salmanasar anno 6. Ezchieæ regis Iuda: Iudæis vero minantur excidium et captivitatem Babylonicam, quam eis irrogavit Nabuchodonosor anno 11. et ultimo Sedecie; sub utraque vero representant captivitatem stragemque extremam, quam eisdem inflixit Titus et Romani, ob occisum ab eis Christum. Illi ergo hæc facile est adaptare, mutato tantum nomine Salmanasar et Nabuchodonosor in nomen Titi, et Chaldæorum in Romanorum.

Nota, initio horum Prophetarum aliquibus Prophetis Cur ali-  
addi nomina patrum et avorum, aliis non addi. Causam qui pa-  
discriminis nonnulli hanc assignant, quod ex traditione tres suos  
Hebræorum (quam refert S. Hier. initio in Sophoniam, nomi-  
et S. Basil. in Isaia cap. 1.) patres et avi Prophetarum, nent, alii  
qui in titulo eorundem nominantur, fuerint quoque Pro- taceant.

phete; cæteri taceantur, eo quod non fuerint Prophetæ. Sed hæc traditio incerta est et dubia, etiam ipsi S. Hieronymo; quinimo eam reiicit et confutat Paulus Bursensis Hebræorum doctissimus, in Osee cap. 1. Facilius ergo et magis consona S. Scripturæ ratio est, nomina patrum addi iis, quibus ad distinctionem et notitiam addere ea opus fuit. Plures enim eodem loci erant tunc viri illustres et sapientes, qui vocabantur Osee, Ioel, Ionas, Sophonias, Zacharias: hinc ut Prophetæ habentes eadem nomina ab illis secernerentur, addiderunt nomen patris, dicendo: Osee filius Beer, Ioel filius Phatuel, Ionas filius Amathi, Sophonias filius Chusi, Zacharias filius Barachie. Hanc causam dat S. Chrysost. initio comment. in Isaia, Theod. initio comment. in Ioel, et S. Greg. hom. 2. in Ezech. Secunda causa est: patres aliquorum nominantur, eo quod fuerint nobiles; vel virtute, sapientia, officio et auctoritate illustres: horum enim nominatio Prophetis aliquam dignitatem et fidem apud populum conciliabat. Ita S. Basil. et S. Hier. in Isaia I. Hac enim de causa regibus et regali prosapia ortis, quales fuerunt Isaia et Daniel, patrum nomina (vel certe stirps regia) adiiciuntur. Adde, nomina patrum aliquando iuvare ad Prophetæ intelligentiam, et ad quædam mysteria significanda, quæ elegantur aperit S. Hier. in cuiusque Prophetæ initiis, quæ-

que inferius ex eodem recitabo.

Eædem causæ sunt, cur in aliquibus nomen patriæ recenseatur, puta in tribus, scilicet Amos qui oriundus fuit ex Theeva: Michæa, qui ex Morasthi: Nahum, qui fuit Elcesæus. Ex patria enim quisque facile dignoscitur, et ab aliis secernitur. Quando ergo Rabbini nonnulli, ut R. David, censent eum cui patria non additur, fuisse Hierosolymitanum, commentum est, et falsum esse patet in Iona, cui patria non additur, qui tamen fuit Gethæus, non Hierosolymitanus, ut patet 4. Reg. 41. 25.

Quando prophetarint?

QUÆRITUR SECUNDO, de tempore et ordine duodecim Prophetarum: Quando nimirum et quo ordine prophetarint?

Dico primo, aliqui Prophetæ non notant tempus quo prophetarunt, quia generales sunt eorum prophetiæ, et ad omnia spectant tempora. Tales sunt Abdias, Ioel, Nahum, Malachias, Ionas. Alii tempus prophetiæ exprimunt, quia eam aptant certo tempori, aut ut ex tempore adiecto facilius et melius ipsa materia et series prophetiæ intelligatur. Ita S. Basil. in Isaïæ 4. et Rufinus initio comment. in Osee. Secundo, aliqui tempus omittunt, quia brevitati student æque ac obscuritati, ut videantur esse Prophetæ, non historici, ac lectoris studium exerceant et acuunt. Ita Christoph. a Castro l. 4. de Prophetis c. 6. Tertio, continua est traditio, ait S. Hieron. initio in Osee, et Rufinus in c. 1. Ioelis, medios Prophetas qui tempus non præferunt in titulo, prophetasse sub illis regibus (saltem sub extremo illorum) sub quibus prophetavit præcedens Prophetæ, qui temporis titulum præfert, excepto fortasse Ioel, qui non sub Ozia, Ioatham, Achaz et Ezechia, uti Osee, qui Ioel præcedit, sed sub Manasse ab Hebræis prophetasse perhibetur: et Habacuc, qui pariter sub Manasse prophetavit, non sub Ioatham, Achaz et Ezechia, uti Michæas, et Nahum, qui Habacuc immediate præcedunt. Id patebit ex chronotaxi, quam mox subiiciam.

Dico secundo, probabile est hosce Prophetas pene omnes in Bibliis ordine temporis quo prophetarunt, esse collocatos. Hunc enim ordinem dedit eis tam Synagoga in Bibliis Hebræicis, quam Ecclesia in Bibliis Latinis. Negat id S. Hieronymus, hic in prologo; sed locum eius vitiatum esse, liquet ex proœmio eiusdem in Ioel: quare pro *apud Hebræos*, legendum est *apud Græcos*. Græci enim in ordine Prophetarum a Latinis dissentiunt, sed Hebræi consentiunt. Quocirca ultimi fuerunt Zacharias et Malachias: hos enim fuisse ultimos patet ex lib. 1. Esdræ 5. v. 1. et ex eorum titulo, in quo asserunt se prophetasse sub Dario Hystaspis, qui post Cyrum quartus fuit Persarum rex. Primus ergo, qui ante omnes, etiam ante Isaïam, prophetavit, fuit Osee. Ipse enim ita orditur: *Principium loquendi Domino in Osee*, cap. 1. 2. ita Euseb. in Chron. S. Hieron. et alii in Osee 1. 2. Negant hoc nonnulli, ut Christoph. a Castro, censentque primum fuisse Abdiam: putant enim eum prophetasse tempore Iosaphat et Achab. Hi enim excederunt Idumæos, uti prædicat Abdias, ut patet 4. Reg. 3. 4. et 1. Paral. 20. v. 1. Secundum esse Ionam, qui prophetavit exidum Ninives, quod factum est sub Sardanapalo, anno 8. Azariæ vel Ozia regis Iuda. Tertium esse Osee. Verum hunc ordinem minus verum videri, ostendam in Abdia et Iona. Certe in omnibus Bibliis Hebræis, Græcis et Latinis Osee primus ponitur; quin et ante Isaïam collocatur a Septuag. qui tamen in aliis nonnullis ordinem invertunt. Nam in Bibliis Sept. duodecim Prophetæ hoc ordine collocantur: primo, Osee; secundo, Amos; tertio, Michæas; quarto, Ioel; quinto, Abdias; sexto, Ionas; septimo, Nahum; octavo, Habacuc; nono, Sophonias; decimo, Aggæus; undecimo, Zacharias; duodecimo, Malachias. Deinde subnectuntur Prophetæ maiores, Isaïas, Ieremias, Ezechiel, Daniel: idque vel quia Osee tempore fuit primus; Osee autem in eodem libro annectuntur cæteri minores: vel quia minores maioribus oraculorum et sententiarum pondere non cedunt, eosque numero superant: sunt enim duodecim, cum illi sint quatuor. Dixi *pene omnes*: quia si initium cuiusque Prophetæ spectes, puta annum quo quisque cepit prophetare, præponendi sunt nonnullis Ionas et Nahum, et post-

ponendus Ioel. Hoc enim ordine cœperunt prophetare: primus omnium fuit Osee; secundus, Ionas; tertius, Amos; quartus, Abdias; quintus, Michæas; sextus, Nahum; septimus, Ioel; octavus, Habacuc; nonus, Sophonias; decimo, Aggæus; undecimus, Zacharias; duodecimus, Malachias. Id ita esse patebit ex harmonia, sive chronotaxi, quam mox subiungam. Unde S. Chrysost. præfat. in epist. ad Rom. probat in epistolis S. Pauli non servari ordinem temporis; quo sunt scriptæ: Quia, inquit, is ordo non servatur in Prophetis. Iam vero voluit Deus prophetare per duodecim Prophetas, ut nemo de eorum veritate dubitare posset, utpote cum videt oraculum unius cæterorum omnium oraculis confirmari, totque habere testes, quot sunt Prophetæ. Blasphemia enim et mendacissima apud Eusebium lib. 5. Histor. c. 13. est Apellis vox: *Prophetias se ipsas redarguere: esse enim eas a se invicem discordes, mendaces, et sibi ipsis contrarias*: ac proinde a contrario spiritu et sibi repugnante editas.

Porro scripserunt in minores Prophetas S. Hieronymus, Qui in minoribus Prophetas scripserunt. Cyrillus, Theodor. Theoph. Rufinus, non ille Aquileiensis antagonista S. Hieron. nam stylus dissentit; et Genadius, qui studiosè opera Rufini Aquileiensis collegit, huius commentarii non meminit; alius ergo fuit hic Rufinus ab illo. Scripsit et in omnes, uno Osee excepto, Remigius Altisiodorensis, qui vixit sub annum Domini 880. sub Carolo Calvo Imper. Extat in Biblioth. Ss. Patrum. Item Rabanus, Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionysius. Et novissime ac exactissime Christoph. a Castro, Gaspar Sanchez et Franc. Ribera, qui passim post litteralem, minutim singulorum moralem sensum persequitur. Brevissime scripserunt Emmanuel Sa et Ioannes Mariana, qui punctim multa tangunt. Hos omnes magno laboris et temporis impendio a capite ad calcem perlegi, discussi, et in compendium redegi: ac pene deereveram post eos non scribere, iuxta illud: *In sylvam ne ligna feras; ne sidera celo, lucem soli, noctuas Athenis addas; ut videre Sapientum octavus, tertius Cato, quintus Evangelista*. Verum multa alia ut hæc ederem impulerunt, nimirum, ut æquali tenore commentarium in totam S. Scripturam pertexerem: sua enim cuique dicendi scribendique est methodus ab aliis omnibus diversa et dispar. Rursum ut multa propria adderem. S. Scriptura enim est abyssus, quæ nullis scriptis, vel commentationibus exhauriri, imo nec penetrari potest. Insuper, quia multa docet, novaque affert ætas et tempus. Proficit enim Ecclesia sapientia, ac velut aurora crescit sensim ad clarum usque meridiem. Alioqui de me sentio et dico quod de se S. Bernard. epist. 87. ad Ogerum, postulantiem a se institutionem recte vivendi: *Itane lanam quarit ovis a capra, molendinum aquam a furno, sapiens verbum a stulto?* Extant hic Romæ in Bibliotheca Vaticana et Medicea, versiones vetustæ Bibliorum duæ, Syriaea et Arabica; eaque duplex, Antiochena et Alexandrina, quas uti subinde citavi in Prophetis maioribus, ita et hic citabo. Utamque in Latinum idioma transtulit Illustriss. et Reverendiss. Dom. Sergius Risius Maronita, Archiepiscop. Damascenus, cui Arabica lingua materna est, Syriaea familiaris; ea enim utuntur Damasceni et Maronitæ in sacris. Citabo utramque in locis difficultioribus et illustrioribus ad Prophetas hosce vel illustrandos, vel læpuletandos. Varietas enim hæc versionum antiquarum servit ad S. Scripturæ tm claritatem, tum copiam, quam ambiunt conceionatores; quorum rogatu et commodo ad publicum bonum (cui omnes ad Dei gloriam consulere satagimus) hæc mihi edenda communicavit Illustriss. Dom. Risius, cui proinde ea accepta referat lector. Nota est versio Pagnini, item Tigurina, quam Leo Hebræus, et Theodorus Bibliander, aliique eorum Symmystæ Zuinglii assecelæ Tiguri in Helvetia conceinnarunt, eamque commentariis brevibus illustravit Franciscus Vatablus, regius Hebrææ lingue Parisiis Professor: quæ quia ab hæreticis edita est, multaque novat, et a Vulgata studio dissidet, ut eam tacite carpat et subruat, hinc sæpe lima et censura indiget.

Denique extat Targum, id est, Chaldaica paraphrasis

in Prophetas (æque ne in cæteros veteris testamenti libros) cuius auctor est R. Ionatham filius Uzielis; sicut Targum Pentateuchi auctor fertur R. Aquila, qui elhadraee Onkelos dicitur; cæterorum vero R. Ioseph cæcus. Verum hæc paraphrasis in cæteris libris præterquam in Pentateuco (ubi tamen aliquos quoque naves habet, uti recte ostendit Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei c. 3.) corrupta est aliquibus in locis et fabulis merisque Thalmudistarum nugis de duobus Messiis, de tertio templo ædificando Iudæis, de liberatione a captivitate Titi et Vespasiani, de lamentatione Dei, de ascensione Mosis in caelum, de tabulis legis ex sapphiro throni divini excisis, etc. conspersa. Quocirca Franciscus Ximenius Cardinalis et Archiepiscopus Toletanus, in editione Bibliorum Complut. proficitur in Proœmio se solum Targum edere in Pentateuco. Verum quia in cæteris libris nonnulla habet quæ valde favent Christianæ religioni, hinc illud ibidem quoque edidit Arias Montanus in editione Bibliorum Reginorum: ubi et Apologiam eiusdem scripsit Franciscus Lucas. Citabo illud frequenter ad versionis vel illustrationem, vel copiam, explosis fabulis Iudaicis.

**QUÆRITUR TERTIO**, de phrasi et obiecto Prophetarum, nimirum quo stylo utantur, et quod obiectum spectent, quidque ad litteram significant?

Dico primo, omnes quidem Prophetas, sed præcipue hosce duodecim minores, abundare parabolis, symbolis, ænigmatibus: idque tum quia Prophetæ sunt, ideoque prophetice, id est obscure et ænigmatice, loquuntur; tum quia breves sunt et concisi: tum quia hoc poseit maiestas Spiritus sancti, ne hæc eius oracula, quasi patula et omnibus perspicua, vilescant, sed velut arcana sapientia plena, cunctis sui venerationem, æque ac studium exequent: qua de causa Pythagoras, Heraclitus, Pherecydes, Plato et Ægyptii sua dogmata per symbola et ænigmata tradiderunt. Quocirca Origen. homil. 7. in Exodum, cælestia eloquia comparat cum manna, quod cum esset minutum et rotundum, plenum tamen erat interna suavitate, et vigore admirabili. Et R. Moses apud Galatin. lib. 5. cap. 6. *Scito, inquit, quod claris intelligentiæ universorum, quæ Prophetæ dixerunt, est intelligere parabolicas et metaphoricæ similitudines, ac ænigmata. Scis enim apud Osam c. 12. dictum esse: In manu Prophetarum assimilabo. Et apud Ezech. cap. 17. Fili hominis ænigmatiza ænigma, et paraboliza parabolam ad domum Israel. Scis rursus quod dicit Sapiens Prov. 23. Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundum ambas facies suas. Cancellaturæ argenteæ sunt retiacula argentea, in quibus oculi sunt minutissimi, penetrabiles tamen visu. Est ergo sensus, quod verbum dictum secundum ambas facies suas, id est, secundum interiorem et exteriorem (puta mysticam et litteralem sensum) est sicut pomum aureum in retiaculo argenteo: ac si dicat, necessarium esse, ut sit sensus exterior pretiosus, et bonus, velut argentum, interior vero multo melior sicut aurum, necesse quoque est, ut sit aliquid in exteriori sensu quod ducat considerationem ad interiorem: quemalmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cum procul respicitur, vel absque multo intuitu, totum videtur argenteum; cum habens visum accesserit provocatus argenti decore, videbit profecto aureum pomum intus latere. Sic sunt verba Prophetarum. Hue usque R. Moses. Extat hic Romæ in picturis perelegantibus Bibliothecæ Vaticanæ hieroglyphicum prophetiæ. Pingitur enim ipsa quasi matrona velatis oculis; dextra tenet gladium eraginatam et tubam; sinistra catenam, quæ e sole supereminente descendit, capiti imminet columba. Velati oculi significant prophetiæ obscuritatem; tuba clangorem prædicationis; gladius minas neis; catena seriem providentiæ omnes res et eventus inter se apte connectentis, quæ a sole, id est a Deo, derivatur: columba index est Spiritus sancti qui locutus est per Prophetas. Vere ergo dixit S. Chrys. hom. 23. in Acta: *Abysus quæstionum S. Scriptura est. Et S. Aug. ser. 11. de verb. Domini. sec. Matth. Scriptura ubi aperta est, famem pascit; ubi obscura fastidium levat. Rursum: Scriptura ubi dilucescit, ibi dulcescit.**

Utuntur phrasi et stylo symbolico.

**A** Vide Clementem Alexand. l. 5. Stromat. Ubi inter cætera docet, non tantum Græcos et Ægyptios, sed et barbaros hisce symbolis usos. *Aiunt, ait, Idanthuram, Seytharum regem (ut refert Pherecydes Syrus) Dario qui Istrum traiecerat, bellum militatum symbolum misisse pro litteris, Murem, Ranam, Avem, Iaculum et Aratrum. Cum autem de iis exorta esset dubitatio, Orontopus tribunus militum dicebat eos tradituros imperium, coniectans ex Mure quidem domos, ex Rana aquas, ex Ave aerem, ex Iaculo arma, ex Aratro regionem. Xiphodres autem contra est interpretatus. Dicebat enim, Nisi tanquam aves evolaverimus, aut tanquam mures terram, vel tanquam ranæ aquam subierimus, illorum tela non effugerimus: non enim sumus domini regionis.*

Hinc liquet, quam profundum, sententiosum et elaboratum sit hoc exiguum Prophetarum opus, utpote in quo per symbola conscribendo et concinnando, duodecim Prophetæ tanto tempore desudarint: per omnem enim vitam non scripserunt aliud. Fertur Virgilius vix quindenos versus per dies singulos composuisse, ut eos toto die lamberet, relaberet, limaret et expoliret, ideoque qualibet eius verba plena sunt elegantia et doctrina. Quocirca parvo hoc suo poemate inter Poetas primas tulit, iureque habetur Poetarum princeps. Verum est illud Apuleii in Floridis: *Nulla res potest esse eadem festinata, simul et examinata, nec esse quidquam omnium, quod habeat et laudem diligentis, simul et gratiam celeritatis.* Idem ego in hisce meis commentariis solitaque brevitate consector, ut pauca scribam; sed succulenta, ac diu sæpiusque per annos viginti quinque, quibus tertio hosce Prophetas in scholis pertractavi, librata, discussa ei expensa.

Dico secundo, Prophetas aliquando ad litteram loqui de Cyro, Nehemia, Zorobabele, etc. qui Iudæos e captivitate Babylonica reduxerunt in patriam: aut de Davide, Salomone, Ezechia, qui regnum Israelis exerunt tam opibus et gloria, quam pietate et Dei cultu: allegorie vero de Christo: aliquando tamen ad litteram loqui de Christo, etsi cum allusione aliqua ad Ezechiam, Davidem, Zorobabelem, etc. Negabat id Theodorus Mopsuestenus iudaizans et ebionizans (contendebat Christum non esse Deum, sed purum hominem) qui omnia augusta de Christo oracula, ad litteram referenda esse censebat ad Aarone, Zorobabelem, Davidem et Iudæos; ab Apostolis vero et Evangelistis ea accommodari Christo sensu tantum allegorie, vel accommodatio. Quod eius dogma generatim recenseatur et damnatur in Conc. Oecumen. V. quod fuit Constantinopol. II. act. 5. ac particulatim in Concilio Romano sub Vigilio Papa, quod extat in Bibliotheca Vaticana, indeque illud transcripsit Antonius Augustinus, et noster Prado proœmio in Ezech. seet. 3. ac Turrianus, ut ipse refert commentans in l. 2. Constit. Apostol. c. 5. Porro Concilium Romanum hæc affert exempla. Primum Joel 2. 28. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Mopsuestenus hoc interpretabatur de favore quo prosecutus est Dominus exercitum Zorobabelis, pugnantem contra Scytas. Secundum, Michææ 5. 2. *Et tu Bethlechem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* Mopsuestenus per dominatorem hunc accipiebat Zorobabelem. Tertium, Malaeh. 3. v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum: et statim veniet ad templum suum dominator:* Mopsuestenus per dominatorem accipiebat Esdram, vel quem similem, qui olim cultum Dei in templo Iudaico restituit. Quartum, Amos 9. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reedificabo aperturas murorum eius, etc.* Mopsuestenus, *Hoc loco, ait, Anos reditum e Babylone prædicit, quando Zorobabelem ex stirpe David regem habuerunt:* Iacobus vero Actor. 15. 16. *hunc locum ad Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta.* Quintum, Zachar. 9. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi:* Mopsuestenus hunc regem aiebat esse Zorobabel redeuntem cum suis e Babylone. Ita et alii nonnulli, quorum ratio erat; Quia, inquiebant, gloriosius est Christo et Ecclesiæ præsignari personis et rebus, quam verbis. Sextum, Ps.

Error Mopsuesteni.

15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno.* Mopsuestenus id ad litteram non de Christo, sed de populo Israel erepto ex periculis prædictum esse censebat. Rursum illa Ps. 21. 18. *Foderunt manus meas et pedes meos. Dederunt in escam meam fel. Diviserunt sibi vestimenta mea.* Mopsuestenus aiebat hæc ad litteram non de Christo, sed de Davide esse prædicta propter tyrannidem Absalonis, qui regiam urbem substantiamque pervaserat, et in terra omnia patris sui dinumeraverat; sed Evangelistam hæc ex eventu ad Christi traxisse personam. Quibus omnibus recitatis Vigilus Papa subiungit: *Qui hæc ita sapit, docet, credit aut prædicat, unathema sit.* De lide ergo est hæc loca ad litteram non de Davide, aut Iudæo aliquo, sed de Christo esse intelligenda. Similiter in Synodo V. generali act. 5. ubi damnatur Mopsuestenus, de eo eiusque erroribus ex Ecclesiastica historia Hesychii sic dicitur: *Prima elementa doctrinæ suæ ex Iudaico vaniloquio incipiens, codicem in prophetiam Psalmorum conscripsit, omnes de Domino (Christo) prædictiones abnegantem.* Quocirca iure D. Thomas præfatione in psalmos, ait damnatum in V. Synodo Theodorum Mopsuestenum, eo quod doceret in veteri Scriptura et Prophetis nihil expresse haberi de Christo, sed ex sola quadam accommodatione.

De abusu  
S. Scri-  
pturæ.

Porro cavendi hic moderni nonnulli, præsertim Concionatores, qui a Prophetis et Patribus degeneres, novum concionandi, novum Prophetas explicandi et pertractandi modum commenti sunt. Ut enim apud populum plausum inveniant, verba S. Scripturæ ad miros suos conceptus, sibi, ut videtur, ingeniosos et elegantes, violenter inlecutunt et trahunt. Quapropter nec sensum litteralem S. Scripturæ et Prophetarum, nec mysticum, qui litterali quasi basi et fundamento insistere, ipsique apposite ex æquo respondere debet, sed ingenii sui speculationes parergas pro verbo Dei populo proponunt, imo supponunt. Hi enim non Dei, sed sua sensa populo pro divinis venditant, ipsamque S. Scripturam in alienas, imo in ipsi contrarias subinde expositiones detorquent; ac proinde eam temerant, illique violentas manus inferunt, quæ sane audax et gravis in Deum, eiusque sacras Litteras est irreverentia et iniuria, grave probrum, et pene sacrilegium; est enim ingens sacrarum Litterarum abusus et profanatio.

Exem-  
pla.

Vis exempla? accipe. Extat liber concionum, qui asserit Davidem uxoria difficultate, utpote re in ac vita molestissima, afflictum, quotidie pro ea, proque uxore orasse. Probat id ex verbis Psal. 37. 69. *Deus in adiutorium meum intende*, id est, inquit, Deus in uxorem meam intendente, fac eam facilem et morigeram: uxor enim vocatur *adiutorium viri*, ut patet Genes. 2. 18. *Faciamus ei (Adæ) adiutorium (puta Evam) simile sibi.* Spectatum admittitur risum teneatis amici. Alterum audi vi qui docebat, S. Scripturam asserere Mosen mortuum esse in osculo Domini: quia nimirum Deuter. 34. 5. in Hebræo dicitur, *Moses mortuus super os Domini*: Ergo, inquit, in osculo Domini. At quis nescit *os Domini* in Scriptura significare dictum, iussum, præceptum Domini? Quocirca Noster, Chald. Septuag. et alii passim vertunt *ibente Domino*. Tertius, ex illo Thren. 1. 15. *Torcular calcavit Dominus virgini filix Iuda: ideireo ego plorans*, probabat B. Virginem conceptam esse sine peccato originali. Hunc enim loci sensum dabat: Christus torcular passionis præcipue subiit pro B. Virgine, eique illius merita singulariter applicavit, curando ut præservaretur a peccato originali: ideireo ego Ieremias ploro, quod conceptus sum in peccato originali, licet in utero ab eo fuerim expiatus: esto enim hæc re sim superior cæteris hominibus qui in hoc peccato nascuntur, inferior tamen sum B. Virgine quæ in eo nec nata, nec concepta est. Hæc erat ipsi demonstratio: quasi vero hic de B. Virgine agatur, et non potius de impia Ierusalem, quæ a peccatis non fuit expiata, sed ob ea oppressa et excisa. Torcular enim hoc fuit excidium Ierusalem, non passionis Christi. At, inquires, conceptus hi lepidi populo placent, videnturque appositi et elegantes. Non audiat lepores hos Satyricus, ne subsannans exclam-

met: O lepidum, sed leporinum caput, quod ut plebis rudis et indoctæ aures mulceat, et se, et S. Scripturam facit fabulam, quod

*Humano capiti cervicem iungit equinam.*

Et alter:

*Id sibi negotii credidit solum dari,*

*Populo ut placerent quas fecisset fabulas.*

Lepores hi illepidi sunt, elegantiae inelegantes, facietæ infiectæ, sales insolsi, fabulæ ineffabiles, imo infandæ. Quis Philosophorum ferret, Aristotelem: quis Oratorum, Ciceronem; quis Theologorum, S. Thomam subtilibus explanationibus et commentis, in alios, et ab eius mente alienos sensus torqueri? Qui hoc auderet, falsarius apud omnes audiret. Quis ergo ferat S. Scripturam, quæ ipsius Dei ad homines est epistola, uti ex S. Aug. ait S. Greg. 1. 4. epist. 84. ad Theodorum, in proprios conceptus, qui a mente Dei alieni sunt, rapi et distorqueri? Quis rex sustineret præconem suas literas, sua edicta, aliena a sua mente explicatione interpretantem? sane in eum ut læsæ maiestatis reum animadverteret. Et Deus sustinebit verbi sui præcones illud aliena, imo sibi adversa, interpretatione pervertere et adulterare?

Damnavit Ecclesia Origenem, quod sui cerebri commenta fecerit S. Litterarum sacramenta, dum Evæ ex Adami costa formationem spiritualiter, arbores paradisi angelicam fortitudinem, tunicas pelliceas humana corpora; et plura similia mystice interpretatus est, ac litteræ veritatem sapiens ad mysticos sensus confugit, symbolicus semper interpretes, ait S. Hieron. Atque hæc una lapsus eius fuit occasio. Præclare Cassiodorus de Instit. divin. lect. *Origenes*, inquit, *ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo peius.* Quare sic legendus est, sicut Virgilius dum Ennium legeret, a quodam quid faceret interrogatus, respondit: *Aurum ex stercore quæro.*

Eadem damnat Hæreticos, qui S. Scripturæ cereum nasum assunt, eamque in sua sensa volentem nolentem fletere et trahere conantur. Quis pariter non damnet Orthodoxos, qui eidem Scripturæ sensum attextunt quem ipsa non habet, imo non patitur? Hæresis est aliquid sacre Scripturæ contrarium asserere: hæresis ergo est S. Scripturæ alienos ab eius mente, et contrarios sensus assignere. Hoc enim est reipsa discrete contrarium dicere eius, quod dicit et significare intendit S. Scriptura. Non enim S. Scriptura in syllabis et verbis, sed in sensu et sententia consistit. Quod enim est gladius ad vaginam, granum ad aristam, anima ad corpus, hoc est sensus genuinus ad ipsa verba S. Scripturæ. Si hunc sensum tollis, et alienum substituis, ipsam Scripturam exanimas, imo pro anima propria quam ei avellis, spuriam ipsi substituis. Hac de causa idipsum ne fieret gravi sanctione vetuit S. Tridentina Synodus, cuius verba mox recitabo, omnesque Patres. Unus omnium instar sit S. Hieron. qui scribens in c. 13. Isaia, ubi ad litteram agitur de Babylonis excidio, taxat eos qui posthabito litterali sensu ad allegoricos et mysticos confugiunt, qui cum litterali non coherent, nec ei superstruuntur. *Audivimus*, inquit, *Medos, audivimus Babylonem et inelytam in superbia Chaldeorum. Volumus intelligere quod fuit, et quærimus audire quod non fuit. Et hoc dicimus, non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quia spiritalis interpretatio sequi debeat ordinem historix, quod plerique ignorant in Scriptura vagantur errore.* Audiant hoc conceptum aereorum architecti: sciant se nodum in scirpo quærere, se mente concipere quod non est in rerum natura, se fabricare chimæram: quærunt enim sensum in Scriptura quem ipsa non habet, ac proinde in ea lymphatico vagantur errore. Hic ergo eorum conceptus non est veritas, sed error fanaticorum, ideoque furor, si credimus S. Hieron. Monet S. Paulus Timotheum epist. 2. c. 4. *Prædica verbum, argue, obsecra, increpa. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Pariter hi sanam doctrinam, puta sensum genuinum, non sustinent, sed eum quasi vulgarem fasti-



diunt, ac ut auditoribus, qui prurientes habent aures, se accommodent, pruriunt mente pariter et lingua. Pruritus hic arguit iudicium minus solidum, mentem levem, puerilem et curiosam, quæ talibus commentis et figmentis pascitur; cum solidum in S. Scripturæ germano sensu pabulum habeat, illudque nauseans rejiciat: perinde ut stomachi male sani, vento turgidi et cacochymici, solidum utilemque cibum fastidiunt, appetuntque cibos leves, fungosos, pravos et noxios. De Chrysippo argutiarum opitice vere dixit Cicero: *Chrysippi acumen in seipso frangitur et evanescit*. Ita acumina hæc aures plebis prurientes titillant, sed si discentiantur, minus vera, minus germana inveniuntur, et quasi fumi tenues vanescent in auras. Ubique enim verum est illud: Quæ nimis acuta et arguta, ea minus sunt solida, et non raro stolidia. S. Scriptura pulcherrimas, æque ac acutissimas, dillicillimas et obscurissimas habet sententias et sensus de qualibet virtute et vitio; adeoque sensus eius sunt conceptus ipsius Spiritus sancti, ut quid ergo exiles homuncionum imaginationes futiles sæpe et nugaces consecramur? Deus per Ieremiam cap. 23. acriter increpat pseudoprophetas, qui suis somniis prætendebant visiones et verba Dei: *Audi vi, ait, quæ dixerunt Prophete prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde Prophetarum valicinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis suis? Propeta qui habet somnium, narret somnium, et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras?* Arguit Deus Prophetas, qui cum sui cerebri commenta populo venditarent, dicebant: Hæc dicit Dominus: iubetque ut eo, utpote falso, omisso, dicant, Hæc ego commentus sum, hæc ego somniavi, hæc sunt paleæ meæ; Dei vero verbum est ignis, et malleus conterens petras. Itidem dicant et hi: Hic est conceptus meus, hoc commentum meum, non Dei, non S. Litterarum. Apostolus iubet Timotheo pastori et prædicatori ep. 2. c. 2. *Sollite, ait, cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis: recte, inquit, non prave, non contorte, non fecte; nimirum ut primo sensum litteralem S. Scripturæ genuinum tradas, deinde mysticum et moralem apposite illi in hærentem superstruas et quasi inædifices. Unusquisque, ait idem Paulus 1. Corinth. 3. videat quomodo superædificet: alii enim aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant; alii lignum, fœnum, stipulam. Sed hæc ignis in die Domini comburet: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Quocirca S. Hieron. in cap. 40. Ezech. *Eisdem, ait, lincis, et historia currit et tropologia: sed illa humilior est, ista sublimior*. Idem, vel quisquis est auctor. in cap. 3. epist. 2. ad Corinth. *Ille, ait, vere spiritualis intellectus est, qui non verisimilibus coloribus pulchrum mendacium pingit, sed virtute rerum ipsam rem exprimit veritatis*. Et S. Greg. hom. 4. in Evangel. *Tunc allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius post historiam in veritatis radice solidatur*. Denique extat hæc de re grave iustumque decretum sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini sess. 4. quod sic habet: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus torquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensus Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ sint. Qui contravenerint per Ordinarios declarentur, et pœnis a iure statutis puniantur*. Et inferius, agens contra eos qui sententias S. Scripturæ ad fabulosa, vana, adulationes, etc. detorquent, iubet *ut omnes huius generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, iuris et arbitrii pœnis per Episcopos coercantur*. Advigilent ergo Episcopi, eorumque vicarii, et idipsum*

**A** strenue exequantur, atque effrænem hanc novos S. Scripturæ sensus effluendi, imo in ecclesiis deprædicandi licentiam, coercant, ideoque theatrales hosce mimos, comœdos, fabulones e sacris pulpitis deturbent, vel emendent, ut auctoritatis S. Scripturæ, quæ liber est ipsiusmet Dei, sint tutores et vindices, utque ab Ecclesia scandalum hoc, et monstrum adeo fœdum et infame extirpent; meminerint huiusce rei se Deo reddituros rationem, quam exactam ab eis in hora mortis ipse iudex, utpote S. Scripturæ auctor et dictator, exposcet.

**Q**UÆRITUR QUARTO, quis fuit habitus, quæ dispositio interna Prophetarum? Respond. Prima dispositio animæ fuit quies, tranquillitas et serenitas: per hanc enim anima liberatur ab omni turbatione, et tumultu passionum et cogitationum distrahentium in diversa, ac colligitur in seipsam, ut plane pleneque possit intendere revelationi divinæ, quæ est causa prophetiæ. Ita S. Basil. proœmio in Isaiam: *Prophetarunt, ait, puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula facta divinæ operationis, quæ imaginem integram et inconfusam, nullaque ex parte turbatam carnis affectibus, repræsentabant. Nam omnibus quidem adest Spiritus sanctus, verum in his qui puri sunt affectibus, peculiarem vim ostendit*. Quocirca S. Hieron. in cap. 28. Matthæi: *In veteri, ait, et novo testamento hoc semper observandum est, quod, quando augustior aliqua apparuit visio, primo timor pellitur, ut sic mente peccatu possint quæ dicuntur audiri*. Ita Christus se post resurrectionem revelans mulieribus, viam præmunit dicens: *Nolite timere, Matth. 28. et Gabriel oraculum de Ioanne Baptista nascituro daturus Zachariæ, Luc. 1. 13. animum eius præparat abstergendo timorem, dicens: Ne timeas Zachariæ. Ubi Theophyl. auream dat regulam, et quasi indicem boni malive spiritus: Si mens, ait, primum turbatur, et statim timor solvitur, et iterum quiescit, revera divina visio est: si autem timor ac turbatio magis ac magis crescat, demoniaca visio est*. Hinc Cassianus, et alii rerum spiritualium magistri docent, hoc indicio consolationem angelicam ab illusionem diabolicam scerni et dignosci, quod angeli primo aspectu terreant, mox terrore absterso animum sedent et consolentur: ex adverso diabolus primo animam falsa consolatione mulceat, mox eandem multis pavoribus et angoribus implicet.

**S**ecunda dispositio fuit, animæ a sensibus et sensibilibus abstractio, per crebram et assiduum orationem et meditationem. Hæc enim animam a rebus terrenis avellunt, et in Deum elevant, ut eius inspirationi excipiendæ tota vacet et attendat. Rationem dat S. August. lib. 10. de Trinit. c. 4. nimirum, quod anima, cum sit limitatæ virtutis, non possit simul attendere rebus sensibilibus et divinis, præsertim cum hæc ab illis multum diversæ, et quasi contrariæ sint: quocirca eum attendit sensibilibus, parum ei restat virium, parumque attentionis quod impendat divinis: quo ergo minus attendit terrenis et corporalibus, eo magis potest attendere spiritualibus et celestibus. Quocirca Patriarchæ maxime prophetarunt eum mortali essent vicini, utpote quasi iam separati a curis, cogitationibus et affectibus huius vitæ: uti prophetavit moriturus Iacob Genes. 49. et Moses Deuter. 33. Vide de hæc S. Gregor. 4. Dial. 26. Ad hoc quoque iuvat psalmodia: hæc enim mentem excitat, elevatque ad sublimia. Unde Elisæus 4. Reg. 3. 13. postulaturus Dei oraculum, vocavit psalterem: *Cumque caneret psalles, facta est super eum manus Domini, et ait: Hæc dicit Dominus, etc*. Hæc quoque facit fuga voluptatum carnis et sensuum: hæc enim mentem valde deprimit, incrassat et inquinat, ut ælestes illuminationes et influxus cernere, excipere, haurire et gustare nequeat. Quocirca Moses ieiunio 40. dierum purgavit corpus et mentem, ad excipiendæ Dei oracula solitudo. Quocirca Orpheus et Zoroastres multis annis vixerunt in solitudine ut supernis intenderent. Talibus competit illud quod de Tiresia canit Homerus, et ex eo Plato in Memnone:

*Hic solus sapit, ast illi volitant velut umbrae.*

Dispositio ad prophetiam.

1. Est quies mentis

II.

Abstractio mentis.

III.  
Sancti-  
tas.

Propheta  
contina-  
ua,  
non da-  
tur uisi  
Sanctis  
ob tres  
causas.

Propheta  
sunt  
pictores  
virtutis.

Modus  
asse-  
quendi  
propheta-  
tam.

Humili-  
tas ad re-  
velatio-  
nem Dei  
accipien-  
dam, ma-  
xime an-  
imam  
disponit

Tertia, est sanctitas vitæ: Licet enim Deus subinde impiis det donum prophetiæ quasi obiter, et per transennam: nam in die iudicii, uti docet Christus Matt. 7. 22. improbi nonnulli dicent: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* atque talis fuit Caiphæ Ioan. 11. 51. et Balaam Num. 22. 32. et Saul 1. Reg. 19. 24. qui cum essent impii, prophetarunt: tamen donum prophetiæ continuum, et quasi habituale non solet dare nisi Sanctis, uti videre est in hisce duodecim, qui omnes catalogo Sanctorum in Martyrologio adscripti sunt. Ratio est, Prima, quod deceat tantum donum (Propheta enim sunt quasi os Dei) non dari nisi sanctis: impii enim eo non tantum indigni, sed et ad id inepti sunt. Secunda, quod sanctitas mentem evellet, disponatque ad Dei illustrationes hauriendas. Tertia, quod Propheta mittantur a Deo ut sint conciouatores, qui quasi mallei contendant saxea hominum corda. Ad hoc autem sanctitas non vulgaris, sed eximia requiritur, puta ingens zelus, tum gloriæ divinæ, tum salutis animarum promovendæ. Nam qua ratione peccator convertet peccatorem ad vitam puram et sanctam? quomodo frigidus accendit frigidum? Calore et amore opus est, eoque ingenti, ut quis alium Dei amore inflammet: non aqua, sed ignis maior minorem accendit. Præclare S. Chrysost. hom. in titulum Ps. 50. *Propheta, ait, velut quidam pictores sunt virtutis: virtus autem melius pingitur vita quam voce. Vivacior enim est imago morum, quam verborum.* Quocirca Philo lib. *Quis rerum divinarum hæres: Malum, ait, virum non est fas interpretem esse numinis, sed in solum sapientem hoc competit: quia is solus est instrumentum Dei, resonans ab eo contactum et pulsatum invisibiliter.* Et Origen. 1. 3. Periarch. e. 3. *Sanx, ait, et immaculatæ animæ, si cum omni affectu omnique puritate se voverint Deo, et alienos se ab omni dæmonum contagione servaverint, et per multam abstinentiam purificaverint, et piis sacræ religionis iuribus fuerint disciplinis, participium per hoc divinitatis assumunt, et prophetiæ, ac exterorum divinarum donorum gratiam merentur.* Præclarus S. Basil. proœmio in Isaiam: *Cum anima, ait, omni virtutis studio dedita, vehementi in Deum amore perpetuum Dei memoriam sibi impressam servat, atque hæc re primum apparat sese, ut Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementissima in Deum intentione, et arcano amore numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo divinam virtutem impertiente, animique oculos aperiende ad intelligendas quas velit speculationes.* S. Maximus centuria 1. de Charitate cap. 95. *Quemadmodum, ait, sol exorietis et mundum illuminans, cum seipsum, tum res a se illuminatas demonstrat, ita quoque sol iustitiæ purgato animo exorietis, et seipsum videndum exhibet, et rerum quæ a se factæ sunt, et deinceps fient, rationes demonstrat.*

Quocirca S. Bernard. lib. de Interiori domo c. 69. in fine: *Certum, ait, signum tibi sit, quæcumque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligis, si ad theoreticos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi nondum merueris. Vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Iam non dicam, inquit, vos servos, sed amicos: quia omnia quæ audiri a Patre meo, nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo eum desiderio anhetare. Collige teipsam ad temetipsam, et in solo divinitatis desiderio requiesce.* Propheta ergo Deo fuerunt familiarissimi, eiusque quasi secretarii, interpretes et præcones.

Porro inter cæteras virtutes, animam disponentes ad illustrationem et revelationem Dei, prima et maxime necessaria est humilitas. Nam, ut ait S. Laurent. Iustin. l. de Connubio Verbi, sub finem. *Cum humilitatis virtus animam compleverit, deiecerit, liquefecerit, tunc incipiet dilatarî dilectione, irradari veritate, repleti lumine, elevari spiritu. Hinc secretorum oritur revelatio, Scripturarum declaratio, futurorum cognitio, sensuum corporalium alienatio.* Humilitas enim subiicit et substernit mentem

A Deo, ut in eam illustrationes suas immittat. Unde S. Gregor. l. 1. Dialog. c. 4. *Mens, ait, quæ divino spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet, et humilitatem, quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferant.* Hoc est quod ait Sapiens c. 7. 27. *Sapientia Dei per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* Quinimo id per umbram vidit, Gentilis licet, Aristoteles lib. de Divinat. per somnium cap. 1. dicens: *Si divinatio somniorum a Deo est, inconveniens est eam immittere quibuslibet, et non optimis viris.* Hac ratione posterioribus sæculis multi Anachoretæ et Sancti spiritum propheticum adepti sunt. Audi Rufinum oculatum testem, præfatione in Vitas Patrum l. 2. *Vidimus, ait, apud eos multos Patres, caelestem vitam in terra agentes, et novos quosdam Prophetas, tam virtutibus animi, quam vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem, ac prodigiorum decretum efficacia. Cur enim hi qui nihil terrenum, nihil carnale capiunt, non accipiant caelestem potestatem? Nonnullos namque eorum ita ab omni malitiæ cogitatione ac suspitione vidimus defæcatis, ut nec si aliquid mali adhuc gereretur in sæculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantusque inoleverat eis bonitatis affectus, ut merito de eis dictum sit: Pax multa diligentibus nomen tuum Domine. Et mox: Tanta namque in eis fides est, quod etiam montibus ut transferantur valeat imperare, etc. Sunt ergo ornatî moribus, quieti, lenes, tranquillî, et charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti. Ad æmulationem vero virtutum certamen ingens exerceant et agones: studet enim unusquisque elementis altero, benignior, humilior ac patientior inveniri: si quis autem sapientior cæteris fuerit, hic ita communis erga omnes et mediocris existit, ut secundum mandatum Domini, omnium minimus et omnium servus esse videatur.* Ecce qua ratione, quibus virtutibus Sancti illi donum prophetiæ et miraculorum meruerunt et obtinuerunt; quid et hodie merentur et obtinent.

Denique quatuor sunt indicia, quibus verus Propheta et prophetia a pseudopropheta, falsisque oraculis scerentur et dignoscitur. Primum est sanctitas: Propheta enim erant viri sancti: pseudoprophetae vero erant idololatræ, hæretici, impii, superbi, vani, luxuriosi, etc. uti etiamnum sunt. Secundum est, quod vera prophetia conformis sit verbo Dei, fidei et doctrinæ Ecclesiæ, eique quasi iudici se submittat: pseudopropheta vero utrique difformis est; quocirca nullius iudicium antè censuram admittit. Tertium est rei eventus: nam veræ prophetiæ reipsa eveniunt, falsæ neutiquam. Hoc signum dat Deus Deuter. 18. vers. 22. Quartum, vera prophetia utilis est ad ædificationem Ecclesiæ, prodestque pietati et moribus: pseudopropheta inutilis est, vana, curiosa, futilis, imo noxia et pestilens. Ita S. Chrys. hom. 19. in Matth. et S. Petrus apud S. Clementem l. 3. Recognit. Accedunt non raro miracula, quæ vera et solida patrant Prophetæ, ficta vero et simulata pseudoprophetae.

QUERITUR QUINTO, quisnam fuit habitus exterior Prophetarum? Respond. Primo, nonnulli censent eodem sacro unctionis oleo ex eodem cornu, quo ex præscripto legis inungebantur sacerdotes et reges, inunctos quoque fuisse Prophetas. Verum hoc de unico dumtaxat Elisæo legimus, scilicet eum iussu Dei unctum ab Elia, itaque auctoratum, et quasi consecratum Prophetam. Ita enim Eliæ iussit Deus 3. Reg. 19. 16. de cæteris id non legimus: imo Isaias cap. 6. 7. ait se constitutum Prophetam tactu Seraphini carbone ignito labia sua tangentis, et purgantis: Ieremias vero voce divina c. 1. 4. eadem cæteri constituti et auctorati sunt Prophetæ. Accedit, quod aliqui remote a Ierusalem et templo, imo in Samaria et Bethel apud idololatras prophetarint, ubi non erat oleum sacrum, quo ungi possent, nec idololatræ unctionem hanc permisissent. Quare non est verisimile omnes Prophetas oleo sacro unctos et consecratos fuisse. Ita a Castro l. 4. Proleg. e. 5. quin et S. Chrys. hom. 1. in epistol. ad Rom.

Quatuor  
signa ve-  
ri pro-  
pheta.

Propheta  
an un-  
cti oleo?

initio ad illa verba, *Servus Iesu Christi*; et S. Aug. l. I. A  
Retract. c. 26.

Vestie-  
bantur  
sacco,

Secundo, vestis Prophetarum erat saccus, sive cilicium ex pilis hircorum, vel camelorum, vel equorum, etc. contextum. Patet id Isaïæ 20. 2. *Solve, inquit, saccum de lumbis tuis, et calcamenta tua tolle de pedibus tuis.* Et Elias erat *vir pilosus, et zona pellicea uccinctus*, 4. Reg. 18. Et Zacharias cap. 13. 4. loquens de falsis Prophetis habitum verorum assumentibus; *Nec operientur, ait, pallio sacco; Septuag. veste cilicina.* Ubi S. Hieron. asserit Prophetas, cum prophetarent, induisse cilicium, ut populum incitarent ad penitentiam. Idem docet Clemens Alexandr. lib. 3. Strom. Ita S. Ioannes Baptista penitentiae præco, vestitus erat cilicio e pilis camelorum, et zona pellicea, Matth. 3. 4. Porro sacco huic, sive tunicæ saccinæ vel cilicinæ iniiciebant pallium, uti patet de Elia, qui pallium suum iniiciens Elisæo, eum ad se sequendum et prophetandum vocavit, imo vi divina compulit, 3. Reg. 19. 17. Idipsum tradit Orig. hom. 13. in Num. Incedebant ergo Prophete tali, vel simili habitu, quali iam Patres Capucini, quasi contemptores mundi, et prædicatores regni vitæque cælestis. Sic qui olim a gentilismo ad christianismum convertebantur, reiecta toga pallium induebant, quasi modestiæ professores, et mundi contemptores, uti Tertull. se fecisse narrat et gloriatur lib. de Pallio. Subinde iussu Dei alia quoque oraculis suis conformia assumebant, et induebant, uti Jeremias cap. 27. 2. iussu Dei induit catenas et vincula, ut representaret instantem captivitatem, in qua vincendi erant Iudæi aliæque gentes a Chaldeis. Eadem de causa iussus est Ezechiel cap. 12. v. 3. assumere habitum transmigrantis, et incedere raso capite, cap. 5. 1.

Victus et  
gestus  
Prophetarum  
quales?

Tertio, victus Prophetarum fuit sobrius, ideoque vilis et asper; vox gravis, oculi in cælum suspicientes, imo suspensi, vita austera et insolita, incessus motusque omnis ad modestiam et pietatem compositus, factusque ad commovendos et compungendos duros Iudæorum animos; ita ut viderentur esse homines novi et alterius sæculi, ac quasi angeli e cælo venientes et legati a Deo missi ad homines convertendos. Hoc est quod ait Isaïas c. 8. 18. *Ece ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel.* Ita Amos cibus erant sycomori, id est, ficus fatuæ et insipidæ, ut patet c. 7. 14. Ezechielis c. 4. 12. panis hordeaceus subcinericius, et aqua; Danielis legumina: ea enim ipse refutatis cibus regis poposcit, ideoque meruit donum prophetiæ, ut patet Daniel. 1. 17. Ioannis Baptistæ locustæ et mel silvestre, Matth. 3. 4. Sic et filii Prophetarum victitabant oleribus, ut patet 4. Reg. 4. v. 39. Similis fuit victus et vita Christi et Apostolorum, iuxta illud Apostoli: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, eum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*, 1. Corinth. 9. 27. Et, *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum*, Rom. 14. 21. Apostolus enim fuit perfectionis magister, et magis opere quam ore docuit, non solum præcepta, sed et consilia Evangelica, quale est non bibere vinum, nec edere carnem. Hinc rursus ait: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus*, 1. Corinth. 4. 11. Quocirca abstemium fuisse Paulum, et numquam bibisse vinum censet Baron. anno Christi 36. Porro S. Hieron. contra Iovin. c. 10. cum dixisset homines initio mundi, toto tempore quod diluvium præcessit, abstinnisse carnibus, æque ac vino (cas enim post diluvium primum concessas Noe Gen. 9. v. 3. qui et primus vitem plantavit, vinumque ex ea elicit) subdit: *Postquam Christus venit in fine temporum, et extremilitatem traxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo: Bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare. Vinum enim cum carnibus post diluvium dedicatum est.* Sic Hægesippus, et ex eo S. Hieron. libr. de Viris illustr. scribit de Iacobo fratre Domini: *Ille ex utero matris suæ sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, carnes nunquam manducavit.* S. Petrum lupinis, herbis et leguminibus victitasse, tradit S. Gregor. Nazianz. orat. de amore pauper. Sic

et S. Marcum Alexandriae cum suis Essæis quotidie ieiunasse, ita ut vespere dumtaxat pane et sale, aut herbis vescerentur ac aquam biberent, tradit Euseb. Ioseph et Philo lib. de Essæis. Rursum S. Hier. epist. ad Lucinum Baticum: *Utinam, ait, omni tempore ieiunare possemus, quod in Actibus Apostolorum, diebus Pentecostes, et die Dominico Apostolum Paulum, et cum eo credentes, fecisse legimus.*

Ex quibus locis Vincentius Consentinus, Doctor et Provincialis Ordinis Minimorum, libello hac de re edito probare contendit Christum et Apostolos nunquam carnes comedisse; et ad illud quod obiici posset ex Lucæ 10. 8. *Manducate quæ apponuntur vobis*, respondet limitando, *quæ apponuntur*, scilicet vilia et modica, inter quæ carnes numerari nequeunt. Hoc cum grano salis accipiendum, nimirum hoc sensu, quod Apostoli abstinentiæ et ædificationis studiosi, utpote perfectionis magistri, vitarent quantum honeste poterant, delicias, carnes et vina; non tamen ea religione et voto, quo faciunt Minimi. Nam si necessitas egeret, aut si pietas et utilitas aliud suaderet, v. g. si invitati commode alium cibum habere non poterant, libere carnibus vescerentur. Hoc enim posebat vita illorum Apostolica, ut per totum orbem discurrere, et cum omnibus agere vivereque possent, ut omnibus omnia fierent. Unde hoc eis permissum, imo præceptum est verbis iam citatis Lucæ cap. 10.

An Christi-  
stus et  
Apostoli  
comedere-  
runt car-  
nes?

Denique mores, gestus et actiones omnes Prophetarum tales erant, ut viderentur esse homines cælestes, et angeli terrestres. Ad hoc enim eos Deus mittebat in mundum, ut homines a terrenis cupiditatibus avocarent, et cælestium desiderium eis imprimerent. Eadem de causa in mundum missus fuit S. Dominicus, qui quasi sui avi Paulus e cælo lapsus, et verbo et vita omnes, etiam Prælatos et Cardinales, ad mundi contemptum, ac Dei amorem incitabat. Quocirca præter alia, ter singulis noctibus acriter ad sanguinem sese diverberabat, ut peccata aliorum in suo corpore lueret; multas Albigenisium persecutiones sustinuit, suaque patientia eos ab hæresi ad fidem convertit: zelo martyrii, salutis animarum, et gloriae Dei flagrabat. Orabat adeo ardentè, ut spiritus in Deum elevatus elevaret et corpus in aere pendulum. Hinc proceres et plebei eum ut virum divinum audiebant, et ut angelum Dei sequebantur, beatosque se existimabant si vel eum contingere possent: plurimi in eius disciplinam se dantes, eumque moribus impimentes orbi admirationi et salutis fuerunt. Circinatus enim ad illius normam Religiosus (quod de Philosopho dixit Tertull. libr. de Pallio) dum videtur, auditur: magis enim exemplo quam verbo loquitur et concionatur. Socius ei a Deo datus est S. Franciscus, qui profundè animo oculisque in cælum intentus, non aliud vita et voce, habitu et vultu concionabatur, quam, *Ad cælum, ad cælum.* Audi S. Bonavent. in Vita eius c. 4. *Evangelicus præco, ait, civitates circumibat et castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuncians regnum Dei. Videbatur intentibus homo alterius sæculi: quippe qui mente ac facie in cælum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur.* Unde et fructum ingentem subdit: *Nam prædicationis ipsius fervore successi quam plurimi, secundum formam a Dei viro acceptam, novis se penitentiae legibus vinciebant, quorum idem Christi famulus Ordinem fratrum de penitentia nominare decrevit. Convertiebantur etiam virgines ad perpetuum calibatam: inter quas virgo Deo charissima Clara, ipsarum plantula prima, tamquam flos vernans et candidus odorem dedit, et tamquam stellæ præfulgidæ radiavit. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur: qui quotidianis succrescentibus profectibus, usque ad fines orbis terræ celeriter pervernerunt.* Et cap. 12. *Erat enim verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat; cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret.* Et mox: *Tam efficacibus subito cepit verbis affluere, tamquam*

Prophete  
angeli  
terre-  
stres.

potenti virtute illorum mentes virorum sublimium (Papæ scilicet, et Cardinalium) ad compunctionem inflectere, ut aperte elareret, quod non ipse, sed spiritus Domini loquebatur. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferrere. Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvis, eademque spiritus iucunditate paucis loquebatur, et multis: omnis ætas, omnisque sexus properabat virum novum mundo cælitus datum et cernere, et audire. Eius assectæ fuere S. Antonius de Padua, de quo Auctor vitæ ita scribit: Videbatur quasi alter quidam prodiisse Elias, zelo Dei fervens, inflammatusque igne Spiritus sancti ignitis sermonibus accendebat et urebat auditorum tepida, torpentia, frigida et obscura corda. Idem B. Petrus Martyr, cuius hoc continuum conceionis erat thema, e nostro Iona petitum, Adhuc quadraginta dies, et Nivæ subvertetur. Et S. Bonaventura, S. Thomas, S. Bernardinus, S. Vincentius Fererius, aliique similes oratores cælestes. Hosce sibi imitandos proponant nostri Prophetæ, Conceionatores inquam et Doctores, qui Clerum et populum reformare, sanctificare, ad cælum deducere contendant.

Homonymus et suppar S. Franciseo Assisio fuit nostro sæculo noster S. Franciscus Xaverius, hoc anno Domini 1622. inter cælestes relatus, qui mente oculisque in cælum defixus, non nisi cælum cogitabat, aspicebat, prædicabat, ac quasi homo cælo lapsus ad cælum omnes traducere satagebat. Huins enim unius rei causa a Deo in mundum missus videbatur. Cælestia enim iugiter non tantum contemplabatur, sed et reipsa gustabat et sapiebat, ut ineffabiles illas cælitum delicias præripere et prælibare videretur. Hinc illæ eius voces: *Satis est Domine, satis est, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Hinc ardens eius vultus instar Seraphini spirans amorem, imo ardorem divinum effulgurans. Hinc illa corporis eius in oratione a terra elevatio, ut inter cælum et terram suspensus, spiritu secum rapiente molem corporis, in alta conscenderet, ut videretur, quod ait S. Greg. homil. 37. *Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, incorruptionis perpetuæ munere letari.* Quapropter patria exul, parentibus amicisque orbis, quasi terræ hospes et civis cæli, inter exteros, extremosque Indos vivere et mori ambivit, sciens utique eo se Deo vicinior, quo a notis et amicis esset remotior. Deo ergo nixus, eius unius amore instar fulguris, imo instar angeli, tanta terræ marisque spatia, totumque Orientem evangelizando, celerrime pervasit. Xaverius enim (quod de S. Paulo Prophetarum et Apostolorum patriarcha ait Chrysost. hom. 2. de eius laudibus) *in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate fruere. Passibili enim colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Quippe et pennatus lotum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, ac quasi iam cælum possidens, tanquam cum ipsis iam incorporeis degeret, ita iugi mentis intentione vigilavit. Angelis quidem diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernavit populum, uti Paulus orbem, et Franciscus universum illuminavit Orientem. Quam hoc admirabile, eum ex terrena lingua sermo prosiliens velut oraculum, mortem fugavit, peccata disolvit, tenebras infidelitatis discussit, atque mutatione mirifica terram convertit in cælum! Hac de causa ad confusionem et iniurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quam ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potius quam vitam appetens, paupertatem quam opulentiam, et multo magis laborem desiderans quam alii requiem post laborem; studiosius pro inimicis orans, quam alii adversus inimicos. Convertebat enim orbem terrarum, quem nos pervertimus. Huius rei studio non tantum urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates velut arcem vilis reputavit; sed et præ Christi dulcedine non angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile*

*concupivit. Perfrui enim Christo, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur nihil asperum, nihil etiam suave reputabat. Sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solum herba iam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, velut quosdam culices aestimabat. Mortem vero et cruciatum, et mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret; hunc enim amplectebatur libenter, et decorabatur vinctus catena magis, quam diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cælum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt; dolores non minus quam præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum: propterea enim illos et gratiam nominabat. Denique illi vivere Christus erat, et mori lucrum. Hæc usque Chrysost. de Paulo, nos de Xaverio. Hæc apostolatus Pauli et Xaverii insignia, hæc prophetiæ decora, hæc heroica virtutum facinora, quibus infidelitatis monstra, et vitiorum portenta ubique debellavit, imo in Evangelicæ veritatis et virtutum splendorem transmutavit, ac paucorum annorum spatio seipsum meritis, Europam et Indiam beneficiis, Societatem Iesu exemplis, orbem fama, Ecclesiam gloria, cælum civibus sanctisque quos eo transmisit, implevit et decoravit. En tibi ideam veri Prophetæ, veri Apostoli.*

Quarto, de cætu Prophetarum legimus 1. Reg. 10. 5. *Cælus et filii Prophetarum qui? dielum Samuelis ad Saulem: Cum ingressus, ait, fueris tibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendenti-um de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in alium virum.* Hi Prophetæ erant viri religiosi, semoti a sæculo, vacantes Dei laudibus et psalmodiæ, ideoque psalterio, tympano, tibia et cithara, tum Deum laudabant, tum se invicem ad laudes Dei conceinendas provocabant. Inter eos tamen erant aliqui Prophetæ proprie dicti, ut Elias, Elisæus, etc. 4. Reg. 6. 1. Unde S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum, Religiosos et Monachos vocat filios Prophetarum. Horum enim in vita et moribus piis sunt imitatores et assectæ, æque ac Essenorum et Therapeutarum, tum eorum qui apud Iudæos ante Christum, tum eorum qui Christiani extiterunt, quorum parens et dux fuit S. Marcus, de quibus Eusebius, Ioseph, et Philo lib. de Esæis.

Porro secedebant a populo Prophetæ, tum orationis et sanctitatis, tum auctoritatis causa. Nam, ut ait Tacitus, *Maior est rebus ex longinquo honor;* et ut B. Petrus Damiani in epistolis, sicut pictura si procul absistat, inhiante et cum cupiditate prospicitur; si iuxta sit, contemptibilis iudicatur: ita ex secessu doctis et sanctis orietur apud omnes reverentia; ex adverso minuit præsentia famam.

Porro, an aliqui e duodecim hisce Prophetis fuerint ex hoc cætu Prophetarum, incertum est: certum est non omnes fuisse. Nam Amos e. 1. 1. ab armentis raptus est ad prophetandum. Rursum eos certas non habuisse sedes et domos, liquet ex eo, quod diversis in locis, urbibus et provinciis prophetarunt. Alii enim in Iudæa, alii in Samaria, alii in Bethel, etc. prophetarunt. De Holda prophetissa legimus 4. Reg. 22. 14. eam Hierosolymis habitasse in secunda, scilicet in media urbis parte. Ierusalem enim in tres partes, quasi vicos et regiones, erat distributa, scilicet in primam, secundam sive mediam, et tertiam, uti patet ex eius chorographia. Tradunt Hebræi in secunda, utpote quietiori et securiori urbis parte, fuisse gymnasia, ibique habitasse viros literatos et studiosos. Quocirca verisimile est ibi pariter nonnullos habitasse Prophetas.

Denique nominum Prophetarum etymologias et significata ita paucis perstringit S. Hier. præf. in Ioel: *Osee, interpretatur σωζω, quem nos Salvatorem possumus dicere. Ioel ἀρχομηνος, id est, incipiens. Amos βραχμης, qui*

apud Latinos portans dicitur. Abdias δδλος κυρις, id est, A servus Domini. Ionus περιτερρζ, id est, columba. Michæas οσις; ε'ν quod apud nos sonat, quis quasi, aut quis velut? Nahum παρακλις, id est, consolatio. Habacuc περιακβα- νων, id est, amplexans, sive luctans. Sophonias κελουµενος κυρις, hoc est, amplexans Domini. Aggæus εορταζων, quem nos festivum, sive solemnem possumus dicere. Zacharias μνη- µη κυρις, id est, memoria Domini. Malachius ερρηλος µε, id est, nuncius meus. Quæ omnia quo sensu accipiendū sint, in suis voluminibus disseretur. Attexit deinde etyma qua- tuor maiorum Prophetarum: Isaius, ait, σωτηρια κυρις di- citur, id est, salus Domini. Ezechiel κρατος κυρις, id est, robur Domini. Ieremias υψλος κυρις, id est, excelsus Do- mini. Daniel εκρις µε κυριος, id est, iudicavit me Dominus.

Denique mores, vitam et mortem singulorum Prophe- tarum scripserunt S. Epiphanius, Isidorus, et Dorotheus, quem multi censent fuisse Episcopum Tyri, et Martyrem sub Iuliano Apostata. Verum Baronius utrumque negat, recteque ostendit Dorotheum hunc alium esse a Dorotheo, qui fuit presbyter (non Episcopus) Tyri, Martyrque a Ju- liano effectus est annum ætatis 107. de quo in Mar- tyrolog. die 5. Iunii. Consentit Bellarmin. de Script. Ee- eles. asseritque Synopsin hanc Dorothei de vita Prophe- tarum plenam esse fabulis. Nam Priscam uxorem Aquilæ ponit inter 72. Christi discipulos, facitque Episcopum Colophonæ. Imo omnes quos S. Paulus in epistolis suis nominat aut salutat, facit discipulos Christi. Vide de Synopsi Epiphaniæ et Isidori Bellarminum libro citato; Baro- nium, et Possevinum in Bibliotheca.

QUÆRITUR SEXTO, quis sit scopus, quis usus, quis fructus Prophetarum? Resp. finis est, enarrare nobis ipsa sensa et arcana mentis divinæ: fructus, docere nos sapientiam divinam, æque ac vitam cælestem; docere nos sapere secundum Deum, sapere divina, vivere Deo, ex Deo, cum Deo. S. Carolus Borromæus, Italiæ et nostri æ- vi fulgor, et fulgur, asserebat hanc esse basin vitæ sa- pientis et sanetæ, nimirum semper et ubique tendere ad Deum, ut omnes actiones et passiones nostræ incipiant, dirigantur et desinant in Deum. Si vis, inquit, proficere in vita Christiana, perfici in doctrina, virtute et spiritu Christi, hæc tria observa: Primum, quotidie incipere et inchoare te existima, ut scilicet eo fervore quotidie ser- vias Deo, ac si eo die primum ei servire inciperes. Secun- dum, in mente semper habeto Deum, et iugiter cogita te in eius præsentia versari: spectaculum enim facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Tertium, effice ut omnia tua opera tendant ad Deum. Ita habet auctor Vitæ S. Bor- romæi lib. 8. c. 18. *Indicabo tibi o homo, ait Michæas c. 6. 8. quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: uti- que diligere iudicium, et facere misericordium, et sollici- tum ambulare cum Deo tuo, ut quasi altior terra, maior homine, cæli civis, par angelis cum Deo ambules, cum Deo iugiter verseris et agas, ex Deo omnes tuas cogita- tiones, sermones et actiones haurias, metiaris et dirigas. Sollicitudo hæc ambulandi cum Deo multa magnaque com- plectitur, magnorum et heroicorum operum est parens, ut in Michæa ostendam. Prophetæ ergo sunt os et oraculum Dei, per quos secreta sua, sensa et placita mundo Deus revelavit, præsertim quid credere, sperare, amare, agere debeamus, ut vitam beatam assequamur. Multifar- iam, ait Paulus Hebr. 2. 1. multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locu- tus est nobis in filio. Et Zacharias Luc. 1. 70. Sicut locu- tus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum eius.*

Prophetæ ergo non ex se, sed ex Deo locuti sunt, fue- runtque os eius et lingua. Quocirca docent ipsi nos sapientiam Dei, scientiam sanctorum, et prudentiam iusto- rum, ut eandem et alios doceamus, ac cum Ioanne Bap- tista parem Domino plebem perfectam. D. Thom. 1. p. q. 1. art. 1. quærit, an præter scientias naturales ne- cessaria sit alia revelata et supernaturalis? ac respondet, omnino eam necessariam esse, quam deinde ponit basin totius Scripturæ sacræ, et Theologiæ, totiusque doctrinæ

et vitæ Christianæ. Causam a priori assignat, quod finis noster et beatitudo supernaturalis sit, quam lumen natu- rale, ratio et scientia naturalis non cognoscunt, non at- tingunt, ac proinde ad eam eiusque viam demonstrandam, necessarium est lumen revelatum et supernaturale: fini enim supernaturali media supernaturalia danda et coap- tanda sunt. Multa subtiliter de natura, de elementis, de animalibus, de homine, de vita œconomica et politica dis- seruerunt Gentilium Philosophi; sed hæc omnia intra natu- ræ fines consistunt, terræ limites non excedunt; aliis ergo doctoribus opus qui viam in cælum, iter ad Deum nobis commonstrent. Narraverunt, inquit Psaltes Psalm. 118. *mihî iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.* Quæ Plato, quæ Pythagoras, quæ Socrates, quæ philosophi om- nines de mundo, de moribus, de beatitudine scripserunt, fabulæ sunt, si cum lege tua, o Domine, si eum oraculis, eum Prophetis tuis comparentur. Vanî, ait Sapiens c. 13. 1. *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei:* hanc autem Dei scientiam enunciant Prophetæ. Ipse enim Deus per Osee c. 12. 10. proclamat: *In manu (in oracu- lo) Prophetarum assimilatus sum.* Diserte vero Baruch veram sapientiam investigans c. 3. 14. *Audi, ait, Israel, discite ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ubi scias simul ubi sit longivivitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Ubi sunt principes Gentium, etc. qui in avibus cæli lulant, qui argentum thesaurizant et aurum: exterminati sunt, et ad inferos descenderunt; viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt. Non est qui possit scire vias eius, sed qui scit universa novit eam, et adinvenit eam prudentia sua. Hic est Deus noster: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam (per Prophetas) Iacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc, ut ore tenus hanc sapientiam doceret homines, in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, cum scilicet Verbum caro factum est.*

Hic ergo fuit error, hæc caligo vitæ humanæ, quod mor- tales quasi talpæ, terram et terrena tantum saperent, di- vina vero, iterque ad divinam beatitudinem ignorarent. Quinimo hic error etiamnum multos tenet Christianos, qui vitam suam instituunt secundum prudentiam politicam et humanam, secundum rationes naturales et temporaneas, ut honeste, decore, honorate, sapienter iuter homines vi- vant, ut suam ætatem commode transigant, eaque transa- cta cum Augusto Cæsare morituro dicant: Sat commo- de, sat decore personam nostram egimus: valet et plaudite. Interim non considerant, non provident, non consu- lunt animæ suæ, saluti suæ, æternitati suæ. Ad hunc sco- pulum allidit, dissilit et perit maior hominum pars. Deus ergo huic malo mederi, huncque errorem dispellere vo- lens, misit Prophetas, qui quasi videntes ea quæ remota, cælestia, futura et æterna sunt, ex alta prophetiæ specu- la, quasi e cælo, speculantes ostendant nobis viam ad sa- lutem, erudiant nos sapere et vivere secundum rationes, non naturales, terrenas et temporaneas, sed supernatu- rales, cælestes et æternas, quæ conscriptæ sunt vivuntque in mente Dei, quæque solæ mentem satiant et beant. Ve- rissimum enim est illud August. Epist. 39. *Vincula hu- ius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, ti- midam quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inane.* Hoc est quod Zacharias de filio S. Ioanne Bap- tista, qui Prophetarum fuit ultimus, finisque legis et pro- phetiæ, ac Evangelii Christi quæ lucifer canit: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Do- mini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum: per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Quapropter Pro- phetæ fuerunt quasi stellæ noctem orbis illuminantes, imo

Finis et fructus Prophetarum.

Tria ad proficiendum in virtute media.

quasi soles mundi. Nam, ut ait Origen. S. Scriptura et verbum Dei, quod præferunt Prophetæ, est sol, non corporalis et materialis, sed spiritalis et intelligibilis, mundum uniuersum illustrans. Quantum ergo cælum superat terram, quantum sol lumine et fulgore vincit candelam et lampadem, tantum oracula S. Scripturæ et Prophetarum superant sapientiam et dogmata omnium Philosophorum. Viderat S. Petrus in transfiguratione Christi, cominus oculis corporeis gloriam Christi, vocem audiverat suis auribus: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite, et tamen hæc ipsam visionem recensens epist. 2. c. 1. 17. prophetiæ postponit: oculus enim perstringi potest, auris falli; sed prophetia perstringi aut falli nequit. Hanc vocem, inquit, nos audivimus de cælo allata, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Lucifer est clarior illa Christi doctrina, puta fulgor Evangelii, succedens nocti tenebrarum gentilibus et iudaismi, ducensque ad claram meridiem beatæ æternitatis et visionis Dei. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Quocirca cælesti luce hic opus, ut cælestes Dei voces, cælestes hosce doctores capiamus et intelligamus. Ea propter cum D. Thoma meditatione et oratione magis, quam studio hic nitendum et utendum. Hinc S. Bernardi hoc fuit axioma: *Mens hominis sapientis qui Deum diligit non est in terra, sed in cælo: quia semper cælestia considerat et desiderat.* Vero S. August. in Psal. 64. *E cælis, ait, misit ad nos epistolas Pater noster: ministravit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium: quia peregrinationem nostram diligendo ad hostes facies posueramus, et dorsum ad patriam.* Et S. Greg. lib. 4. epist. 84. ad Theodorum medicum: *Imperator, ait, cæli Dominus hominum et angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit: et tamen gloriose fili, easdem epistolas ardentem legere negligis. Stude ergo, quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad cælestia regna maioribus desideriis accendatur. Tanto enim tunc maior ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui requies nulla fuerit.* Ita S. Bernardus totus meditationi deditus, confessus est aliquando sibi meditantem, vel granti sacram omnem velut sub se positam et expositam apparuisse Scripturam, ait Auctor vitæ eius l. 3. c. 3. De S. Francisco scribit S. Bonav. in eius Vita c. 11. *Ad tantam, ait, mentis serenitatem indefessum orationis studium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, ut, quamvis non habuerit S. litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Unde et Doctor quidam Theologus admirans eius responsa dixit: Vere Theologia sancti Patris istius, puritate ac contemplatione tamquam alis in altum subvecta, est quasi aquila volans: nostra vero scientia ventre graditur super terram. Nec absolum, si vir S. Scripturæ a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere; et per Spiritus sanctus unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.*

Meditatio ergo, oratio, et sancta vita sunt claves S. Scripturæ et Prophetarum: et hi vicissim claves sunt cælorum. Nam Prophetarum et Scripturarum lectio cælorum est reseratio, ait S. Chrysost. hom. 2. in verba Isaiaë, *Vidi Dominum, etc.* Idem conc. 3. de Lazaro: *Fieri, ait, non potest, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali.* Ex quo infert, non tantum Monachos, sed et laicos coniugatos debere lectioni S. Scripturæ vacare, idque eo magis, quo maioribus quam Mo-

nachi distractionibus, tentationibus et periculis implicantur. *Unde necesse est, ait, indesinenter a Scripturis armaturam sumere.* Additque: *Ubi cumque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque inhabitantibus accedit consolatio: quia ipse etiam sacrorum librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Rursum sive in sanctimonia perstiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioresque. Quod si accesserit sacra lectio, non aliter quam in sacris adytis rebus divinis vacans anima, sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente. Et inferius: Memento Eunuchi reginæ Æthiopum (Actor. 8.) qui cum esset homo barbarus, innumerisque distentus curis, nec intelligeret quæ loquebat, legebat tamen in curru sedens Isaiam Prophetam: quod si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans. Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio: magnum præceptum, profundum barathrum Scripturarum ignoratio, magna solutio, perditio, etc. Sicut mordent conscientiam, ita non parum afferunt utilitatis animis eorum qui mordentur.* Auctor Imperfect. in S. Matth. homil. 27. *Prophetas nuncupat angelos et paronymos Christi. Ecce, ait, omnes Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, et angeli sunt vocati: sicut scriptum est Actor. 7. Qui accepistis legem in præceptis angelorum, et non custodistis. Et superius: Prophetæ est, de Christo prædicare. Prophetæ est, pro merito conversationis et fidei prophetiam accipere. Prophetæ est, beneficium a Deo accipere. Prophetæ est, verbum ante tempus significare de Christo. Prophetæ est, ut ipse de Deo prophetet.* Et hom. 41. *Via est Christus, quæ ducit ad vitam. Et viæ dicuntur omnes Prophetæ, et omnes Apostoli: hæ enim omnes viæ ducunt ad Christum: Christus autem ad Patrem: sic generalis et publica via est diabolus, quæ ducit ad mortem: et viæ sunt omnes professiones sæculi istius, ut puta professio philosophiæ (vanæ, gentilitiæ et erroneæ) una est via: professio militiæ via altera, mundialis dignitas, altera. Quocirca S. Chrys. hom. in tit. psal. 50. Prophetæ, ait, velut quidam pictores sunt virtutis, ac militiæ qua contra peccata et diabolum decertamus. Idem hom. 1. in c. 1. Isaiaë initio docet prophetias esse oracula divina, ac literas e cælis delatas. Unde hom. 4. in cap. 6. Isaiaë, asserit silentium Prophetarum esse signum iræ divinæ. Idem in c. 8. Isaiaë: *Deus, ait, confecit medicamentum prophetiæ, delinquentes erudiens præscientiam peccatorum, non item doctrine experientia earum; ut si quidem resipiscerent comminationibus auditis, experimentum evitent intentati supplicii.**

Porro, in Prophetis non est quærenda eloquentia sed sapientia. Audi memorabilem historiam, quam in hoc argumento sibi in iuventute obvenisse narrat S. Hier. scribens ad Eustochium de custodia virgin. *Post nocturnum, ait, crebras vigiliis, post lacrymas, quas mihi præcitorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus, Prophetas legere cæpisssem, sermo horrebat incultus: et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, etc. raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, etc. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Subdit deinde se acriter flagellatum, donec proflammeret, et iuraret: *Domine si unquam habuero codices sæculares, si legero, te negavi.* Qua de causa idem S. Hier. proœmium in l. 3. Comment. in Amos: *In explanatione, ait, quod S. Scripturæ non verba composita et oratoriis floribus adornata, sed eruditio et simplicitas quæritur veritatis.* Nimirum hisce sublimibus Prophetarum mysteriis congruit illud Manilii: *Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.* Et illud Fabii: *A Philosopho si asserat eloquentiam, non aspernor: si non asserat, non admodum efflagitem.* Res magnæ seipsis ornatae sunt, non indigent fuco ut amentur. Et S. Basil. Græcorum facundissimus ad Diodorum: *Lectionis, ait, in affectata et incomposita simplicitas, decora mihi vi-*

Flage-  
tur S.  
Hieron.  
quod  
profanos  
legeret,  
non S.  
Scriptur.

debat, et conveniens professioni Christiani hominis: cuius est non ad ostentationem magis scribere, quam ad publicam utilitatem. Rursum S. Hier. ad Damasum quæst. 2. Scio, nit, hæc molesta esse lectori, sed de Hebraicis literis disputantem non deceat Aristotelis argumenta conquirere, neque ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est rivulus, neque aures Quintilianii flosculis, et scholarum declamatione mulcendæ: pedestris, et quotidianæ similis, et nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondeseat.

Obscuritas Prophetarum.

Porro tanta est obscuritas et profunditas Prophetarum, ut singulæ pene eorum sententiæ ænigmata videantur: nimirum prophetia obscuritatem in sua ratione et essentia includit: eam ergo allectant Prophetæ. Mira, inquit, S. August. l. 12. Conf. c. 14. profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas. Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris. In iis itaque verum est illud Auctoris Imperf. apud S. Chrysost. hom. 4. Sicut in cælo celatur Deus, sic in Scriptura absconditur. Et sicut hoc cælum omnes homines vident, Deum autem inhabitantem cernere nequeunt; sic et sacras Literas omnes fere legunt, non tamen omnes Deum veritatis in arcanis sensibus latentem intelligunt, nisi sapientiæ lumine illustrati. Quocirca Origenes assidue versabat, meditabatur et scrutabatur S. Scripturas, indeque orbis doctor et pene oraculum evasit, qui utique maior extitisset, si minori affectu plausus orbis excepiens, minor esse voluisset. Audi de eo S. Hieron. ad Marcellam epist. 18. Ambrosius, quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius et Chalcenterus noster explicavit, in quadam epistola, quam ad eundem de Athenis scripserat, refert nunquam se cibum Origene præsentem sine lectione sumpsisse: nunquam iniisse somnum, nisi unus e fratribus sacris literis personaret: hoc diebus egisse et noctibus, ut et lectio orationem exceperet, et oratio lectionem. Quid nos ventris animalia tale unquam fecimus? quos si vel secunda hora legentes invenerit, oscitamus, manu faciem defricantes continemus stomachum: et quasi post multum laborem, mundialibus rursus negotiis occupamur. Perdius et pernox in S. Literis fuit Origenes; at nimis ingenio et studio suo confusus in errores iusto Dei qui excelsa deprimit sternitque, iudicio prolapsus, suo malo nos docuit non altum sapere, sed cum metu et reverentia ad Deum Deique libros accedere, ipsi fidere, nobis ipsis diffidere: ab ipso humili prece assidue poscere, ut in sacra sua adyta, sensaque mentis suæ nos introducere dignetur.

Iam pene a quadraginta annis sacro huic studio incubo, a triginta annis non aliud ago, quin et continua S. Literas doceo: et tamen sentio quam parum in eis profecerim, longe plura me ignorare quam didicerim, imo quo profundius eas scrutor, eo maiorem sapientiæ abyssum intueor. Ut clare videam verum hic esse vetus Sapientis dictum: Cum consummaverit homo, tunc incipiet. O æterna veritas, et vera charitas, et chara claritas, Deus meus et omnia, cui suspiro die ac nocte, illumina tenebras meas (quas in dies in me maiores deprehendo) fulgore lucis tuæ irradiam menti meæ in splendoribus Sanctorum, ut in lumine tuo videam lumen; quo et alios pariter illuminem, et tui amore inflammem. Revela oculos meos, et conside-

rabo mirabilia de lege tua, tu qui mentes, et linguas infantium facis disertas. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre <sup>1. 17. iacobi</sup>. l. 1. Confess. c. 15. Ecce tu Domine, rex meus et Deus: tibi serviat quidquid utile puer didici; et tibi serviat quod loquor, quod scribo, et lego, et numero. Tibi enim, et tuæ gloriæ, tuæque Ecclesiæ usibus laboro, scribo, vivo, non mihi, nec meis. Fave ergo, et captis meis radiis tui favoris benignus aspira. Hominum iudicia aut plausus non moror: tibi enim soli placere cupio, et displicere timeo, dicoque cum Apostolo: Mihi pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum iudico: qui autem iudicat me, Dominus est. Et cum S. Hieron. præfat. lib. 2. Comment. in Osce: Optarem illud mihi contingere, quod Titus Livius scribit de Catone, cuius gloriæ neque profuit quisquam laudando, neque vituperando quisquam nocuit; cum utrunque summis præditi fecerint ingenii. Significat autem M. Ciceronem, et C. Cæsarem, quorum alter laudes, alter vituperationes supradicti scripsit viri. Dum enim vivimus, et in vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmulum opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos qui scribimus, quam eos qui de nobis iudicant, pallida mors subtraherit, et alia venerit generatio, primisque eudentibus foliis virens sylvæ succreverit, tunc sine nominum dignitate, sola iudicantur ingenia, non honorum diversitate, sed operum merito. Si quid in me, meisque dietis et scriptis est veritatis, virtutis, pulchritudinis, totum, quantum veritas, tuum est, o Sacrosancta Trinitas, quæ es prima, increata et fontalis veritas, virtus, pulchritudo. Ergo non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Omnia enim nostra bona, tua sunt dona. Si quid vero in me meisque est erroris, vitii, deformitatis, uti plurimum est, totum ex me est, totum mihi deuto, in me recipio, et simplex veniam posco. Tibi itaque laus, tibi decus omnis boni; mihi dedecus omnis mali, et confusio faciei meæ: tibi benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. Dixisti Domine tuis Apostolis et Prophetis, eorumque asseclis et interpretibus: Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, Matth. 5. 13. Dixisti, ac dicendo sanxisti et effecisti. Nam, ut ait ibidem S. Hilarius, Apostoli sunt rerum cælestium prædicatores, et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. Da Domine, ut eorum adiinstar simus et nos cæli prædicatores, et æternitatis satores, ut instar salis mentes hominum terrenas et insulas condiamus, eisque incorruptionem impertiamur; ut quicumque hæc legunt, ex S. oraculorum tuorum cognitione, ex tuarum promissionum minarumque gravitate et pondere, illecebrosas terræ cupidias despiciant, ac cælestium bonorum amore, et beatæ æternitatis desiderio studioque efficaci accendantur. Hoc unum specto, hoc unum postulo; hoc omnis mea lectio et scriptio, huc omnis labor desudat, ut sanctum nomen tuum sanctificetur, tuæque sancta voluntas fiat sicut in cælo, sic et in terra; ac sanctum tuum regnum gratiæ, gloriæ et felicitatis sempiternæ, ubi tu eris omnia in omnibus, nobis adveniat. Amen.

# CANONES

## IN PROPHETAS MINORES.

- Can. 1. **P**RÆTER canones quos maioribus Prophetis præfixi, hos minoribus pene proprios accipe. Prophetæ in nominibus propriis hominum vel urbium, alludunt ad eorum significata, tum ad elegantiam, tum ad vim et energiam: quocirca Noster interpret sæpe pro ipsis nominibus Hebraicis eorum significata reddidit. Tale est Primo, Osee 1. v. 6. ubi Osee, cum iussu Dei filiam ex fornicaria genuisset, a Deo audiit: *Voca nomen eius Absque misericordia*, hebr. *לא רוחמה lo ruchama*. Hoc ergo erat nomen proprium filia. Verum quia *lo ruchama* significat *absque misericordia*, ac significatum hoc urget hic Deus, dicens: *Quia non addam ultra misereri domui Israel*; hinc Interpres solerter vertit, *Absque misericordia*. Ibidem vers. 9. cum Osee rursus ex ea genuisset filium audiit: *Voca nomen eius, Non populus meus*, hebr. *לא עמי lo ammi*. Hoc ergo erat nomen proprium filii. Verum Interpres perspicax vidensque ad nominis significatum alludi, recte vertit, *non populus meus*. Sequitur enim: *Quia vos non populus meus, et ego non ero vester*. Sic cap. 10. 5. *Vaccas*, ait, *Bethaven coluerunt habitatores Samariæ*. Ieroboam enim vaccas, sive vitulos aureos colendos erexit in Bethel, quod hebraice idem est quod domus Dei, Genes. 28. 17. Verum quia Ieroboam ibidem collocavit idola, hinc Osee et Prophetæ Bethel vocant Bethaven, id est, domum idoli, q. d. Vos Bethel mutastis in Bethaven, id est, vos ex domo Dei fecistis domum idoli et diaboli.
- Secundo, tale est Michæ 1. 10. *In domo pulveris pulvere vos conspergite*. Pro *pulveris* hebraice est *עפרת eprat*, quod est nomen proprium urbis. Verum quia *efrat* significat pulverem, eoque alludit Propheta, hinc eleganter vertit Noster: *In domo Efrat*, id est *pulveris, pulvere vos conspergite*. Et v. 11. *Transite vobis habitatio pulchra*, hebr. *ספיר sapir*, quod est nomen urbis; sed significat pulchram. Et mox: *Non est egressa quæ habitat in Exitu*, hebr. *צאנן Tsaanan*, quod est nomen urbis, sed exitum significat. Et v. 12. *Infirmata est in bonum quæ habitat in Amaritudinibus*, hebr. *מרות Marot*, quod est nomen urbis, sed significat amaritudines, q. d. Quæ habitat in Maroth, id est, in amaritudinibus iuxta nomen suum infirmata et amaricata est. Et v. 14. *Dabit, etc. domos mendacii in deceptionem regibus Israel*, hebr. *אכזיב aczib*, quod est nomen urbis, sed significat mendacium, eoque alludit dicens: *leaczab*, id est, ad mentiendum et decipiendum reges Israel.
- Tertio, tale est Zachar. 3. 8. *Adducam servum meum Orientem*, hebr. *צמח tsemach*, quod est nomen Christi; sed significat germen nascens, et oriens ex terra virgine, uti Christus ex matre virgine siue patre natus est.
- Quarto, tale est Genes. 26. 20. ubi Isaac ex iurgio pastorum puteum vocavit *Calumniam*, hebr. *עשק esek*. Hoc ergo erat nomen proprium putei. Et v. 21. alium ob similem causam vocavit *Inimicitias*, hebr. *שטנה sitna*. Et v. 22. tertium vocavit *Latitudo*, hebr. *רחבות rechobot*, dicens: *Nunc dilatavit nos Dominus*. Et v. 33. quartum vocavit *Abundantiam*, hebr. *שבעה sciba*. Unde nomen urbi impositum est Bersabee, q. d. Puteus saturitatis et abundantia.
- Quinto, tale est 2. Reg. 8. 1. *Tulit David frænum tributæ de manu Philisthim*, hebr. *תג אמה Metheg amma*, quod est nomen proprium loci, vel urbis, significatque frænum tributæ.
- Sexto, tale est 2. Reg. 21. 19. *Adeodatus filius saltus*, hebr. *Elchanan ben iaari*, quod fuit nomen proprium viri unius ex fortibus Davidis: sed *אל אל* idem est quod Deus, *חנן chanan* dedit, *בן ben* filius, *יערי iaari* Saltus.
- Septimo, tale est Prov. 30. 1. *Verba congregantis filii vomentis*; hebr. *verba Agur filii Iake*. Agur enim fuit vir et
- A doctor, filius Iake, qui verba sequentia dictavit, sed *אגור Agur* significat congregantem, *יקה Iake* vomentem.
- Octavo, tale est 1. Paral. 4. 22. *Qui stare fecit solem, virique mendacii, et securus, et incendens*. Hebr. est, *Ioachim, et viri Kozba, et Ioas, et Saraph*: quæ sunt nomina propria virorum: unde ea retinuerunt Septuag. Sequitur enim: *Qui principes fuerunt in Moab*. Sed *יהויקים Ioa-kim* idem est quod stare faciens, *קוזיבה Kozba* est mendacium, *יואש Ioas* securus, *שרף Saraph* incendens. Ibidem cap. 2. 33. *Cinæi venerunt de calore patris domus Rechab*. Hebr. *Cinæi venerunt de Chamath patre domus Rechab*: ita Septuag. Pagnini. et Tigurini. sed *חמת Chamath* hebr. significat calorem.
- Nono, tale est nomen Petrus: nam S. Petrus in Syria Syriaco nomine a Christo vocatus est *Cephas*, cum prius vocaretur *Simon*. Ioan. 1. 42. sed quia syriace *Cephas* idem est quod græce et latine Petrus et petra, scilicet super quam Christus ædificavit Ecclesiam; hinc a S. Matthæo cap. 16. 18. et veniens Romam a Romanis deinceps vocatus est *Petrus*: sicut Saulus vocatus est Paulus: *Saulus* enim est nomen Hebræum, *Paulus* Romanum.
- Decimo, tale est quod Iob ultimo v. 14. de tribus filiabus Iob dicitur: *Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii*. Hebr. *et vocavit nomen eius ימימה Iemima*, id est diem, aut pressius Diariam (*Iom* enim est dies: inde *Iemima* est diaria) et nomen secundæ קציעה Ketsia, id est Cassiam, et nomen tertiæ קרן הפוך Keren haphuc, id est Cornustibii. Hæ ergo tres filiae proprie a Iobo vocatæ sunt, *Iemima*, *Ketsia*, *Kerenhaphuc*; sed Interpres nomen eorum significata reddidit, quia ad ea alludit Iob. Audi Nicetam: *Ideo, inquit, primam filiam Diem nominavit, quod ab obscurissima ærumnarum nocte ad felicitatem restitutam divinitus, quasi ad diei aspiciendam lucem, esset revocatus: secundam Cassiam appellavit, quod iam similis odoris quadam suavitate bonorumque voluptate frueretur. Tertiam Amalthææ cornu (sic enim vertunt Septuag.) vocavit, quod vitam deinde vixerit omni bonorum genere peraffluentem*. Et Olympiodor. atque ex eo Vatabl. Filias, ait, ita vocavit in monumentum utriusque fortunæ, prosperæ et adversæ, quasi iam ex tenebris ad diem et lucem, a fetore sterquilini, in quo sederat, ad fragrantiam; ex sordibus saniei et ulcerum, ad nitorem et elegantiam rediisset. Unde pro *cornustibii*, R. Abraham vertit, *cornu*, vel *robur immutatum* (hoc enim significat Hebr. *haphuc*) scilicet ex infirmitate et adversitate in hanc fortitudinem et felicitatem, priori et pristina longe maiorem. Tropolog. Olympiod. Dies sumus, inquit, cum lucifer Domini ortus fuerit in cordibus nostris. Cassia, cum suavis Christi odor progressu virtutum evadimus; Cornustibii, vel Amalthææ, cum spiritualium charismatum ubertate complemur, et ad perfectionem properamus. Symbolice, S. Gregor. per tres hæc filias accipit tres status generis humani. Qui enim lux fuimus coediti, et nunc redempti, inquit, sumus Cassia, id est, fragrantis fortitudine, patientia et pœnitentia, erimus aliquando Cornustibii, in clangorem et exultationem æternæ laudis assumpti. Ita ipse in verba citata Iob cap. 42.
- Metonymia crebro utuntur Prophetæ, æque ac Poetæ (utriusque enim sunt vates) metonymia enim inter omnes figuras et schemata est elegantissima. Sic civitas capitur pro civibus, Samaria pro Samaritis, Ierusalem pro Hierosolymitis, idolum pro idololatris, templum pro sacerdotibus, schola pro discipulis, Bacchus pro vino, peccatum Ieroboam pro cultu vitulorum aureorum, Isaias pro suis oraculis, Vulcanus pro igne, cælum pro cælitibus, terra pro terrigenis, Ceres pro frugibus, bene morata urbs pro



bene morales incolis, mors pallida pro mortuis pallidis, sidera pro caelo, penates pro domo, os pro vultu, euspis pro telo, ignis pro excidio, arx pro urbe, acies pro oculis, Mars pro bello, vertex pro capite, tellus pro terra, Neptunus pro mari, Pluto pro inferis, unda pro flumine, oliva pro oleo, toga pro pace, merces pro merito, peccatum pro supplicio, meritum pro praemio. Iuxta hoc schema Troiam in Latio consignat Virgilius, dum ita canit:

*Non Xanthus tibi, non Simois, non Dorici castra  
Defuerint; alius Latio iam partus Achilles,  
Natus et ipse Dea.* Ubi Latio Achillem vocat Turnum, Dorica castra Rutulos, Xanthum et Simoenta Anienem, Tiberim, etc.

Can. 3. Ablativi, Infinitivi, Gerundia suis verbis iuncta, eorundem significationem adaugent, et actionem complent, simulque important et indicant modum, quo ea fieri et peragi solet. Sic *videndo videre*, est clare et dilucide videre; quia visio fit media luce. *Audiendo audire* est recte audire et percipere; quia auditio fit auribus excipiendo, et mente retinendo verbum quod profertur. Sic *ore loqui*, vel *loquendo loqui*, est cordate vel praemeditate loqui: quia vere verbum oris est id, quod corde, id est mente, praecipitur et praecogitatur.

Can. 4. Oculum corporis significat oculum mentis, puta intellectum: sic et auris significat aurem mentis, puta voluntatem, quae iussa audit, iisque obedit; sic Matth. 13. 9. dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat*, q. d. Qui habet voluntatem obsequentem et morigeram, hisce meis dictis obsequatur et obediatur. Geminatio enim eiusdem vocis, puta *auris et audiendi*, significat perfectionem et complementum actionis, uti dixi can. 3.

Can. 5. Metalepsis est crebra apud Prophetas hosce minores, qua verbum, vel nomen sumitur, non praecise pro eo quod significat, sed pro eo quod inde consequitur: ut Osee 2. 21. *Exaudiam caelos, et illi exaudient terram*, hoc est, ego respondebo caelis in siccitate tacite petentibus pluviam, qua terram sibi subiectam irrigent, nimirum eos ipsos nubibus complendo: et vicissim caeli respondebunt terrae sitienti et petenti pluviam, illam in eam distillando. Ex responsione enim intelligitur postulatio: hanc enim illa consequi solet; nemo enim respondet nisi rogatus. *Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum: et haec exaudient Iezrahel*, q. d. Iezrahel, id est, semen et populus Dei, puta Israelitae petunt triticum, vinum et oleum, illisque, q. d. Eia date nobis copiam vestri, cibate et pascite nos; haec vicissim dicunt terrae; Eia esto foecunda, parturi nos, ut satiemus Iezrahel. Terra rursum invocatur caelum: Eia da mihi pluviam, ut germinare possim triticum, vinum et oleum. Caelum denique invocatur Deum, Eia Domine imple me nube, rore et pluvia, ut ea distillem in terram, eamque foecundem. Deus exaudit caelum, dando ei nubes et pluviam: caelum exaudit terram, distillando ea: terra deinde exaudit triticum, vinum et oleum germinando et producendo ea: haec denique exaudiunt Iezrahel, copiose germinando et nascendo, dandoque se Iezraheli in messem et cibum. Itaque omnium votis satisficit a Deo, qui omne animal implet benedictione; sed debito ordine et gradatione iam dicta.

Can. 6. Prophetae minores mira quadam harmonia maioribus conueniunt: quia easdem pene res praenunciant quas maiores, puta captivitatē Assyriacam et Babylonicam, adventum Messiae, Ecclesiae Sacramenta, etc. Voluit enim Deus oraculi sui tot testes dare, ut nemo de eo dubitare possit, cum idem omnes praenunciet, ac in omnibus consonent, in nullo dissonent. Hoc enim invincibile veritatis, veraeque divinationis est argumentum, quo passim utuntur S. August. contra Manichaeos, et Tertullianus contra Marcionem, ut probent auctoritatem tam novi quam veteris testamenti, ac utriusque auctorem fuisse Deum, ex eo quod per omnia unum alteri pulchra et discordi quadam concordia, velut voces diversae et discordes in musico concentu, consonent et consentiant. Sicut enim umbra consentit, et ad amussim correspondet corpori, sic et vetus testamentum novo. Hinc minores Prophetae maioribus

A sunt quasi suppare: quod enim hi fusius et fluentius, hoc illi concisus et nervosus dicunt. Ita Michæus suppar et æmulus est Isaiae, imo ad verbum subinde idem eum eodit; ut eum c. 4. v. 1. ait: *Et in novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium*, et caetera usque ad v. 4. Eadem pene ad verbum habet Isaia cap. 2. Rursum quod Michæas de castris Sennacherib ait c. 5. 1. *Nunc vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt super nos*; hoc idem de iisdem ait Isaia c. 33. 1. *Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris?* etc. Sic quod ait Osee cap. 10. 8. *Et dicent montibus, Operite nos, et collibus, Cadite super nos?* hoc Isaia c. 2. 19. dicit: *Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragine terrae a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, eum surrexerit percutere terram*. Sic prophetia Abdiæ contra Idumaeos, eadem est cum prophetia Ieremiae contra eosdem c. 49. 14. et seq. ut patet conferenti utramque. Sic quod ait Nahum, cap. 1. 15. *Ecce super montes pedes evangelizantis et annunciantis pacem*, totidem verbis habet Isaia cap. 52. 7. Sic quod ait Zacharias c. 9. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator*; iisdem verbis recenset Isaia cap. 62. 11. Similia sunt per-

Can. 7. Apud prophetas, praesertim minores, creber est sarcasmus, id est, hostilis irrisio, vel iocus cum amaritudine: qualis est ille Pyrrhi ad Priamum iamiam occidendum apud Virgil. Aeneid. 2.

— *Referes ergo haec, et nuncius ibis  
Pelidae genitori: illi mea tristitia facta,  
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.*

Talis est Prov. 1. v. 16. *Despexistis omne consilium meum, etc. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis evenerit*. Sic regem Babyloniam a Cyro casum irridet Isaia cap. 14. 12. *Quomodo cecidisti de caelo lucifer, qui mane oriebaris? Et Ezechiel regem Tyri cap. 28. 12. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, etc. donec inventa est iniquitas in te: et eieci te de monte Dei, et perdidisti te o Cherub*. Talis est illa gentium vox de Ierusalem: *Lapidetur, et aspiciat in Sion oculus noster*, Michæae 4. 11.

Can. 8. Creber quoque est mycterismus, id est, subsannatio, sive irrisio cum suspensione nasi, ac risu Sardonius, de quo Cicero l. 7. epist. 26. ad Fabium Gallum: *Videris, ait, mihi vereri, ne, si istum habuerimus, rideamus* γέλοσα σαρδωνίου significans futurum, ut, si Caesar rerum potiretur multis arridere atque applaudere cogenterentur quae magnopere displicerent: *νακέρ* enim graece significat nasum, qui index est irae et irrisionis. Unde Plin. l. 11. c. 37. *Et altior (nasus) homini tantum, quem novi mores subdole irrisioni dicavere*. Hinc nasum suspendere, est tacite et vafre irridere. Unde Horat. l. 1. serm. satyr. 6.

*Naso suspendis adunco.*

Et Persius satyra 4. de Horatio:

*Callidus excusso populum suspendere naso.*

Idem satyra 5.

*Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna.*

Et Martial. lib. 1. epigram. 32.

*Et pueri (dicaces) nasum Rhinocerotis habent.*

Hinc *nasutus* vocatur, qui docte novit alios irridere. Unde Martial. lib. 13. epigr. 2.

*Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.*

Ita Cicero subsannat Verrem, comparans eum verri. id est porco, actor. 3. *Homines, ait, negabant mirandum esse, ius tam nequam esse verrinum*. Verres enim et hominem, et suem significat; ac ius tam civile est, quam suillum. Et act. 6. *Siculi, ait, Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset*. Nam C. Sacerdos Siciliae praetura abiens, successorem reliquerat Verrem; et sacerdos, id est mactator, reliquit verrem, id est suem, quam non mactavit, utpote victimam foedam et Diis ingrattam. Talis est Michæae 6. 3. *Popule meus quid feci tibi? aut quid molestus fui? responde mihi. Quia eduxi te de*

terra *Ægypti*, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Mosen et Aaron, et Mariam? q. d. Quid mali tibi feci o Israel? ante summa mea beneficia quæ in te contuli, maleficia æstimas, et ut talia mihi improperas? Liberavi te ex *Ægypto* carcere, deduxi per Mosen usque in Chanaan: hæcne mihi obiciis? non enim habes aliud quod mihi obicias. Similis est Osee 7. 16. *Reversi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum a furore linguæ suæ. Ita subsannatio eorum in terra Ægypti.* Et Amos c. 2. 13. *Ecce ego strideo subter vos sicut stridet plaustrum onustum feno.* Et cap 4. 12. *Quapropter hæc faciam tibi Israel: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, q. d. Occurre, si potes, Deo te invadenti, cum illo manus consere, vim vi propulsa, si vales. Et Isaia 57. 13. Cum clamaveris, liberent te congregati tui. q. d. Reliquisti me o Sion! vade ergo ad Deos tuos: in tribulatione eos inclama, illi liberent te.*

Can. 9. Solent Prophetæ post oracula excidii et cædium, subiungere carmen funebre, sive epitaphia, vel ad maius pathos, vel ad leniendam oraculi atrocitatem. Ita Michæas c. 2. 4. *Samaritæ excidendæ hoc paugit carmen funebre: In illa die sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium: Depopulatione vastati sumus, pars populi mei commutata est. Quomodo recedet a me, cum revertatur qui regiones nostras dividat? Simile Babyloni et Baltassari pangit Isaia c. 14. 4. Et Ezech. Tyro c. 26. 17. Quomodo, ait, peristi, quæ habitas in mari urbs inclita? etc. Et Ægypto c. 32. 19. Et Ieremias Hierosolymæ in Threnis. Porro primum orbis, et commune Patriarcharum epitaphium extat Gen. 5. 3. *Vixit Adam nongentis triginta annis, et mortuus est. Vixit Seth nongentis duodecim annis, et mortuus est, etc.* Ita David Sauli et Ionathæ occisis hunc planetum planxit 2. Reg. 1. 18. *Incliti Israel super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? Montes Gelboe nec ros, nec pluvia veniant super vos, quia ibi abiectus est clypeus fortium. Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. Saul et Ionathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.* Solebant enim in hoc carmine defunctorum virtutes et victorias decantare. Unde Virgil. ecloga 5. *Daphnidis, id est Cæsaris, vel Quintilii Varii, cædem deflens, hoc eius epitaphium, imo apotheosin canit:**

*Et tumulum facile, et tumulo superaddite carmen:  
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus.*

Et paulo ante:

*Daphni tuum Pænos etiam ingemuisse leones  
Interitum, montesque feri, sylæque loquuntur.*

*Daphnis et Armenias curru subiungere tigres*

*Instituit (quia Cæsar sacra Liberi patris ex Armenia Romam transtulit) Daphnis thyasos inducere Baccho.*

*Et foliis lentas intexere mollibus hastas, etc.*

Nimirum epitaphia hæc duplici fine inventa sunt. Prior est, ut viventibus sint mortis specula, eosque moneant vitam hanc esse comediam, in qua quisque personam agit vel rustici, vel regis, vel Pontificis, donec finiatur actio comica, vel tragica. Posterior, ut iisdem sint virtutum exempla et incitamenta. Ita Virgil. 11. Aeneid.

*Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis  
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis  
Muneribus.*

Idipsum ad vivum in seipso repræsentavit moriens Augustus Cæsar uti refert. Sueton. in eius vita. Nam astantibus dixit: *Satisne belle, amici, personam nostram egimus?* Illis respondentibus, *Belle, valete ergo, ait, et laudite:* ac reducta cortina animam exhalavit, significans vitam hanc esse fabulam, in eaque se egisse personam Imperatoris: eam se nunc in morte ponere, ac in terram, e qua formatus erat, redire; posteris autem fortunati Imperatoris effigiem relinquere, ut iure singuli ei succedentes sibi acclamari optent: *Augusto felicior, Traiano melior.* Tertio, epitaphia hæc sunt heroicorum facinorum decora,

æque ac defunctorum monumenta, ut vivant in memoria charorum et posterorum, itaque æternitatem nominis consequantur; hanc enim ex instinctu naturæ optat et ambit homo, quod ipsum signum est immortalitatis et æternitatis animæ, ac resurrectionis: nisi enim ipsa æterna esset, non ambiret æternam sui memoriam: nam ideo in mentibus hominum semper vivere exoptat, quia in seipsa semper vivit sentitque, et gaudet se vivere in mentibus aliorum. Adde cum natura hoc æternitatis desiderium animis hominum inseverit, sequitur ipsos æternos esse. Natura enim nihil facit frustra, nec appetitus frustrancos inserit, aut a se insertos frustrari patitur. Denique quantum causam assignat S. Augustin. scilicet ut pro defunctis fidelibus oretur. Audi cum lib. de Cura pro mortuis c. 4. *Non ob aliud, ait, Memoriam, vel monumenta dicuntur ea, quæ insignita sunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtraherentur, in memoriam revocant, et admonendo faciunt cogitari.* Et mox: *Cum itaque recollit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talii sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* Pergit deinde ostendere hæc monumenta non tantum esse vivorum solatia, sed et mortuorum adiumenta. Iisdem de causis quotidie in Martyrologio legimus Sanctorum eo die defunctorum agones et triumphos.

Prophetæ minores, quia concisi sunt et pathetici, hinc affectibus abundanti, eosque alternant et miscent, ut nunc peccatoribus minentur iram Dei, nunc blandiantur, nunc terreant, nunc consolentur; nunc irascantur, nunc misereantur: nunc fulminent, nunc gemant; nunc rideant, nunc plorant: perinde ut videmus homines in ira, mœrore, gaudio, vel desperatione constitutos, hosce affectus alternare: loquuntur enim quæcumque affectus varii et inter se pugnantes, puta nunc ira, nunc spes, nunc timor, nunc mœror, vicissim exurgentes suggerunt. Hac de causa abundant hyperbaticis, aposiopesibus, emphasisibus, aliisque figuris patheticis, quæ vel indignationem, vel misericordiam concitant: hinc etiam sententiæ sequentes, subinde immediate præcedentibus non sunt connexæ; sed eas quæ multo ante præcesserunt, respiciunt: ut Michææ 7. v. 5. *Nolite credere amico, non cohæret cum eo quod præcessit, Nunc erit vastitas eorum, sed cum eo quod superius dixit v. 2. Perit vir sanctus de terra, etc. Vir fratrem suum ad mortem venatur.*

Omnes Prophetæ pro fine et scopo habent Christum, in eumque toti collimant. Quicquid sæpe ad eum avolant: et quod observatione dignum est, omnes, excepto Iona et Nahum, expresse in Christo desinunt, in eoque oracula sua finiunt, quasi ei coronidem operis sui assignantes. Primus enim Osee cap. ult. v. 6. ita Christum pingit: *Erit quasi ros Israel: germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius ut Libani.* Secundus Ioel c. 3. v. 18. ita concludit: *Et erit in die illa (Evangelii) stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Iuda ibunt aquæ, etc. Et Dominus commorabitur in Sion.* Tertius Amos cap. 9. 11. *In die illa, ait, suscitabo tabernaculum David (puta regnum et Ecclesiam Christi) quod cecidit, et reedificabo aperturas mororum eius, etc. Ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos.* Quartus Abdias ita desinit: *Et ascendent salvatores in montem Sion, iudicantem montem Esau, et erit Domino regnum.* Quintus Michæas ita finit: *Quis Deus similis tui, qui auferit iniquitatem, et transis peccatum? etc. Revertetur et miserebitur nostri, et deponet iniquitates nostras, et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra; dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quæ iurasti patribus nostris a diebus antiquis.* Christus enim est veritas et misericordia, olim promissa Abraham et Patribus. Sextus Habacuc itaclare in Christo exultans conquiescit: *Ego autem in Do-*

Epitaphiorum quatuor cause.

1.  
2.

3.

*mino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo, c. 3. 18. Septimus Sophonias c. ult. v. 9. Tunc, ait, reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serriant ei humero uno. Ultra flumina Ethiopix, inde supplices mei filii dispersorum meorum deferent munus mihi. Et v. 14. Lauda filia Sion, iubila Israel, letare et exulta in omni corde filia Ierusalem, etc. Octavus Aggæus ita concludit: Ego movebo cælum pariter et terram. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel (in Christo ex te nascituro) fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum: quia te elegi. Zorobabel enim hic repræsentat Christum, quasi pater filium. Nonus Zacharias cap. ult. v. 7. Et erit, ait, dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, et in tempore vesperi erit lux. Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Ierusalem. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen eius unum. Decimus Malachias ita finit in Elia, qui secundum Christi adventum præcurret: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filias, et cor filiorum ad patres eorum. Undecimus Daniel pari modo cap. 12. oracula sua obsignat resurrectione et iudicio Christi: Multi, inquit, de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Duodecimus Isaias simili argumento librum terminat: Assumam ex cis, inquit, sacerdotes et Levitas, dicit Dominus: quia sicut cæli novi et terra nova, quæ ego stare facio coram me, dicit Dominus, sic stabil semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato, etc. Decimus tertius Ezechiel, cum novam Ierusalem, puta Ecclesiam Christi, descripsisset, in ea desinit, dicens: Et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem. Decimus quartus Ieremias, Threnos ita claudit c. 4. 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus. Ita Prophetæ, Apostoli, Sanctique omnes quodlibet opus in Christo incipiunt, in Christo finiunt et desinunt, eique quasi centro cordis sui dicunt cum S. Nazianzeno: A te principium, tibi desinet: uti S. Paulus omnes omnino epistolas suas orditur a Iesu Christo, et pene omnes in eodem terminat. Vides hic ut finis legis et Prophetarum, æque ac Apostolorum et Sanctorum, sit Christus. Sicut enim is qui aliquid vehementer amat, de eo crebro cogitat, loquitur, somniat; sic et Prophetæ quasi divini amoris sauciati vulnere, quo futurum Messiam ardebant, omnes suos cogitatus, verba et facta eo flectebant, ut illum quærerent, illum sonarent; illius denique, in quo uno salus et redemptio mundi posita erat, vitam, mores et mysteria, ubicumque commode possent, repræsentarent.*

Cap. 12. Verba S. Scripturæ et Prophetarum diversos, imo contrarios subinde habent sensus, idque quia a diversis, imo contraria sentientibus proferuntur; vel diversas, imo contrarias causas, effectus aut fines respiciunt. Exemplum illustre est Ioan. 11. 50. ubi Caiphas de Christo ait: *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat.* Quibus verbis Caiphas intendebat significare, expedire Iudæis ut Christum neci darent, ne Romani Iudæam, quæ Christum quasi Messiam regem Iudæorum Cæsari oppositum colebat, invaderent, quod sane politicum, scelestum et diabolicum erat consilium. Verum Spiritus sanctus qui movebat linguam Caiphæ, non cor, ut ait S. Chrysost. per hæc eius verba longe aliud intendebat significare; nimirum, expedire ut Christus pro salute populi moreretur, ac morte sua redimeret Iudæos, omnesque gentes; quod non intelligebat Caiphas. Unde subdit S. Ioannes: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex* (ideoque caput Ecclesiæ veteris) *anni illius, prophetavit* (materialiter, non formaliter) *quod Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.*

A Sic 4. Reg. 8. v. 10. Hazael consulens Eliseum, rogansque an Benadad rex Syriæ a morbo revalesceret nec ne, ab eo audit: *Vade, dic ei: Sanaberis: porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Si sanabitur, quomodo morte morietur? An vero iubet Propheta Hazaeli, ut regi suo mentiatur? Absit. Itaque duo contraria significat hic Propheta, quorum utrumque erat verum. Prius, morbum regis non esse lethalem. Unde ait, *Sanaberis*, scilicet quantum est ex parte morbi, q. d. Morbus tuus non est lethalis, morbo tuo non morieris; idque erat verum: posterius, morte tamen morietur, scilicet non naturali, sed violenta: nam Hazael regnum ambiens, et invadens, v. 15. tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem eius, itaque suffocavit eum prætextu refrigerationis: quo mortuo regnavit Hazael pro eo.

Similis antiphrasis est 3. Reg. 22. 15. ubi Michæas Propheta consultus ab Achab rege Israel, an oppugnatio urbis Ramoth sibi foret prospera, nec ne, respondet: *Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis*, q. d. Quia vis ascendere, ascende, optoque ut prosper hic sit ascensus, urbsque tibi tradatur: verumtamen per prophetiam scio contrarium eveniturum: scio enim quia ibi occideris, uti paulo post occisus est. Est ergo ironia, ut notant ibidem Abulens. et Vatabl.

Huc facit quod scribit Ambros. Catharinus in Vita S. Catharinæ Senensis lib. 2. cap. 28. et 29. ipsi a Deo revelatos esse duos sensus illius orationis Christi in horto: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matt. 26. 39. Sensus, inquam, novos et diversos, imo in speciem contrarios vulgari expositioni. Prior est, q. d. Pater mi, illico da mihi bibere calicem passionis; illum enim avidissime sitio: da ut illico patiar et moriar: ardor enim meus patienti nullas patitur moras, ne quidem horæ, vel instantis unius: fac ergo ut illico per me transeat, ac deinde a me transeat calix iste, ut per passionem meam abolita morte et peccato, illico redimam genus humanum, itaque ad te revertar, ut te fruam, mi pater. Hoc enim Christus optabat secundum spiritum: optabat enim accelerare et absolvere opus redemptionis nostræ, ad quod a Patre erat missus. Unde ipse ait: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perfeiatur?* Lucæ 12. 50. Et paulo ante passionem: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Voluit enim dare exemplum S. Ignatio, Laurentio, Vincentio, aliisque generosis Martyribus desiderandi cruce, et ambiendi martyria. Secundum carnem tamen optabat contrarium, nimirum, *transeat*, id est, auferatur a me calix passionis. Porro hi duo sensus se invicem compatiuntur: poterat enim Christus unum orare secundum carnem, alterum secundum spiritum. Si poterat, probabile est eum fecisse. Nam si Apostolus ait 1. Corinth. 44. *Orabo spiritu, orabo et mente*; multo magis Christus orans carne, oravit et spiritu: spiritus autem desiderium erat contrarium desiderio carnis: caro ergo hisce verbis optabat transferri a se passionem, spiritus vero optabat eam accelerari, et celeriter pertransire. Posterior sensus illius orationis S. Catharinæ revelatus est hic: Videbat, inquit ipsa, Christus Dominus multos fore ingratos suæ passioni, mansuros in peccatis, ac damnandos: hic erat ei summus dolor, huncque vocat suum calicem, q. d. Transeat a me calix iste, id est, amove a me hunc dolorem, hoc tormentum, puta hunc numerum damnandorum: fac ut omnes meæ passionis ita sint participes, ut salventur. Et si hoc Christus absolute et efficaciter orasset, utique impetrasset; quia Pater nil negat Filio: sed maluit Christus ex reverentia se conformare Patris voluntati et iustitiæ, ideoque subiunxit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ita S. Catharina. Hosce S. Catharinæ Senensis sensus citat et sequitur inter alios noster Ludovicus de Ponte, Meditatione de oratione Christi in horto. Verum hæc sobrie accipienda sunt, nec imitanda, nisi ex Dei revelatione, vel aliunde constet illos sensus intentos fuisse a Spiritu sancto. Qua in re peccant multi concionatores, qui ex cerebro suo fingunt sensus

S. Scripturæ, sæpe ipsi literæ et menti Spiritus sancti A contrarios, contra quos egi superius quæst. 3.

Simili modo vox carnis allietissima est illa Iob, male-  
dicentis diei suo cap. 3. 2. *Pereat dies in qua natus sum; vox vero spiritus est: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Iob 1. 21. Sic vox carnis est illa Jeremiæ c. 20. 14. *Maledicta dies in qua natus sum, etc. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei? Vox vero spiritus: Cantate Domino, laudate Deum: quia liberavit animam pauperis de manu malorum.* Ibidem v. 13. Sic sæpe aliud caro nostra oral, aliud per eandem orationem petit et impetrat Spiritus sanctus. Nam, ut ait Apostolus Roman. 8. 26. *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemilibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Pari modo in Scriptura solerter secernendæ sunt sententiæ fidelium et piorum a sententiis dictisque infidelium et impiorum: ut Ecclesiastæ 3. 19. *Unus interitus est hominis et iumentorum, et æqua utriusque conditio, etc. et nihil habet homo iumento amplius.* Quæ verba S. Greg. lib. 4. Dialog. 4. Olympiod. et alii interpretes, censent dici a Salomone, non in persona propria, sed in persona Epicureorum, negantium animæ immortalitatem. Sic in libro Iob solerter distinguenda sunt verba Iob a verbis Eliphaz, aliorumque amicorum eius: illa enim probantur a Deo, hæc improbantur, Iob ult. v. 7. Simili modo in Evangelio S. Ioannis, secernenda sunt verba Iudæorum Christo credentium, a verbis incredulorum. In eadem enim turba alii credebant Christo, alii non credebant. Unde contraria sentiunt et dicunt: illi enim probant, hi improbant dicta Christi. Quare videndum quid enimque sit tribuenda. Hoc canone multas solvemus antilogias, multa loca in speciem contraria conciliabimus.

Can. 15. Hebræum **כי** *chi*, id est, *quia, quoniam*, sæpe non causam significat, nec rationale est, sed exceptivum, vel adversativum, vel sermonis inchoativum, vel encliticum, et ornatus dumtaxat gratia additum. Hinc Primo, *chi*, id est, *quoniam*, ponitur pro *quamvis*, Psal. 77. 20. *Quoniam, id est quamvis, percussit petram, et fluxerunt aquæ, etc. numquid et panem poterit dare, aut parare mensam in deserto? Habacuc 2. 18. Quid prodest sculptile, quia, id est quamvis sculpsit illud fictor suus?*

Secundo, *chi*, id est *quoniam*, est nota asseverationis, et capitur pro *sane, certe, enim vero*. Psal. 17. 30. *Quoniam, id est enim vero, in te cripiar a tentatione.* Ps. 51. 13. *Quoniam, id est, sane, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.*

Tertio, *chi*, sæpe est nota initii sermonis, et periodum inchoat, uti videre est in Psalmis. Sic Lucæ 1. 61. dicitur: *Et dixerunt ad illum, Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Osee 14. 1. *Quia puer Israel, et dilexi eum.*

Quarto, *chi*, id est *quia*, ponitur pro *quod*. Lucæ 2. v. 13. *Sicut scriptum est in lege Domini, quia, id est quod, omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.*

Quinto, *chi*, id est, *quia*, sumitur pro *porro, ad hæc, insuper*. Sophon. 3. v. 9. *Quia, id est insuper, tunc reddam populis labium electum.*

Sexto, *chi*, ponitur pro **אשר** *ascer*, relativo, id est, *quæ*. Genes. 4. 23. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem (hebr. chi, id est quia) occidit Cain.* Exodi 13. v. 17. *Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthæim, quæ (hebr. chi, id est, quia) vicina est.*

Septimo, *chi*, id est, *quia* est adversativum, capiturque pro *sed*. 2. Reg. 16. 18. *Nequaquam, quia, id est sed, illius ero, quem elegit Dominus.*

Octavo *chi* est nota temporis, significans *quando, eum*. Genes. 4. 12. *Cum (hebr. chi) operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.*

Nono, *chi* est exceptivum, idem valens quod *nisi*. 1. Reg. 30. 17. *Et non evasit ex eis quisquam nisi (hebr. chi) quadringenti viri.* Est apocope; **כי** *chi* enim ponitur pro **כי־מי** *chi im*, id est, *nisi*.

Decimo, *chi* cum geminatur, est disiunctivum, significans *aut, vel*, ut 3. Reg. 18. 27. *Aut (hebr. chi) in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit vester Deus Baal.*

Undecimo, est negativum, significans *ne, non*. Isaia 30. 21. *Hæc est via, ambulate in ea, et non (hebr. chi) declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Post schisma Ieroboam et decem tribuum a duabus, eorumque rege Roboam, usque ad captivitatem Babyloniam, distinguuntur hæc duo nomina, *Israel et Iuda*. *Israel* enim decem, *Iuda* duas tribus significat. Post captivitatem vero Babylonicam, *Israel et Iuda* pro eodem accipiuntur, scilicet pro duabus tribubus, tum quia in his solis perstitit familia et nomen Israelis, id est, Iacobi Patriarchæ; cæteræ enim tribus toto orbe dispersæ fuerunt: tum quia multi fideles e decem tribubus, iunxerunt se Iudæ. Tribus ergo Iuda cæteras decem, quæ *Israel* vocabantur, complexa est. Ita S. Cyril. Ribera et Arias in c. 12. Zachariæ v. 1. Sic Zacharias pater Ioannis Baptistæ canit: *Benedictus Dominus Deus Israel*, id est Iudæorum. Sic Christus ait se missum ad oves quæ perierunt domus Israel. Sic Evangelistæ sæpe nominant *Israel*, nec alium intelligunt, quam populum Iudaicum, utpote qui solus ex stirpe Israelis restabat, eratque hæres promissionum Abrahamæ et Israeli, id est Iacobo a Deo factarum.

Verba activa Hebræorum sæpe non actionem et effectum, sed agendi virtutem, vim et potentiam significant. Sic Christus Ioannis 1. vocatur *Agnus, qui tollit peccata mundi: Lux quæ in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, scilicet quantum in se est, q. d. Christus in se habet virtutem tollendi peccata, dispellendi tenebras, et illuminandi omnem hominem, nimirum, nisi ipse oculos claudat et lucem hanc videre nolit, uti multi infideles et impii fecerunt, et faciunt. Simili modo dicimus: Hic ignis urit; hæc aqua humectat, id est, habet vim urendi, humectandi, etc. etiamsi sæpe nil urat, nec humectet. Ita intellige illud Marci ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, scilicet quantum est ex natura et vi fidei et baptismi; si nimirum is qui credidit leges et præcepta fidei, ac spiritum baptismo acceptum sequatur, et exequatur in servandis Christi mandatis. Et illud Ioan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, scilicet quantum est ex vi Eucharistiæ; cui tamen peccator obicem suis peccatis ponere potest, eamque elidere. Sic sæpe Scriptura cum enarret opera Dei, magis significat ea quæ facere potest, quam quæ reipsa facit: ut, *Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant*, Psalm. 103. v. 32. *Qui præcipit soli, et non oritur: et stellas claudit quasi sub signaculo*, Iob 9. 7. Et clarius v. 6. *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ eius concutiuntur*, hoc est, concutere et commovere potest. Sic Zachariæ c. 12. v. 12. dicit, quod omnes familiæ Iudæorum videntes Christum in cruce confixum, plangent, id est, iure plangere poterunt et debebunt. Quem enim ad planetum non moveat Deus in cruce fixus? etiamsi de facto multi increduli eum non planxerint, sed subsannarint. Et Amos c. 8. 10. *Convertam, ait, omnes festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum, et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput culvitium.* Non est necesse omnes sacco indui, aut omnia capita decalvari; sed sensus est, q. d. Tanta erit clades, ut merito omnes possint saccum induere, et caput decalvare. Et Isaia cap. 4. 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die.* Id factum nusquam legimus; sed sensus est, q. d. Tanta erit cædes virorum, ut vix unus maritus septem mulieribus reperiat, ac consequenter ut septem mulieres pro uno marito certare possint, vel debeant, si more gentis suæ nubere velint.

Can. 16. **Apologus** utitur Zacharias. Prophetae, praesertim Zacharias, saepe utuntur apologis, tum ad obscuritatem, quae propria est prophetiae, tum ad elegantiam; tum ad excitandam auditorum torpentium, imo oracula Dei aversantium iisque adversantium, attentionem: sicut Demosthenes iudicium oscitantium attentionem excitavit, narrando fabulam mulionis, de umbra asini in ardente sole contententis cum asini conductore. Ea enim est curiositas hominum, ut ad fabulas et res novas aures arrigant, ad graves et serias demittant, velut iniquae sortis aselli. Insignis apologus est Ioas filii Gedeonis, dictatus ab eo contra Sichimitas, qui regem sibi crearent spurium et tyrannum Abimelech, Iudic. 9. 8. *Ierunt, ait, ligna ut ungerent super se regem, dixeruntque oliuae: Impera nobis. Quae respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, quae et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ut arborem ficum: Veni, et super nos regnum accipe. Quae respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter caetera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, et impera nobis. Quae respondit eis: Numquid possum descrere vinum meum, quod lactificat Deum et homines, et inter ligna caetera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ut rhamnum: Veni, et impera super nos. Quae respondet eis: Si vere me regem vobis constituitis, venite et sub umbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* Sensus est, q. d. Vos o Sichimitae, elegistis vobis in regem Abimelech parricidam et tyrannum, quasi rhamnum, qui proinde vos punget et cruciabit. Iusto ergo Dei iudicio vobis eveniet, ut lis et bellum inter vos et Abimelech concitetur, quo et vos ipsum conficiatis, et ipse vicissim vos, ut utriusque pereatis: Tyrannus enim in suos, etiam nobilissimos, si, ut communiter fit, ob tyrannidem ei litem moveant, exitium immittit; quo tamen et ipse affatur pariter, interitque, uti in plerisque tyrannis visum est. Verus Propheta fuit Ioas: nam Sichimitae et Abimelech se invicem confecerunt. Similis apologus est Ioas regis Israel, ad Amasianum regem Iuda se provocantem ad bellum: *Carduus, ait, Libani misit ad cedrum quae est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiae saltus quae sunt in Libano, et conculcaverunt carduum.* Apologum explicat dicens: *Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria et sede in domo tua: quare provocas mulum, ut cadas tu et Iudas tecum?* 4. Regum 14. v. 9. Similis est Zachariae 11. 2. *Ulula abies, quia cecidit cedrus, q. d. Ululate plebeii, quia ceciderunt magnates.* Et v. 1. *Aperi Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuos,* hoc est, aperi o Ierusalem portas tuas Tito et Romanis, qui domos tuas cedrinas comburent. Idem toto cap. 5. eleganti apologo describit captivitatem Iudaeorum in Babylone, per mulierem impositam amphorae, et ab alis milvinis translata in Sennar, id est in Babylonem. Plurimi similes sunt apud Zachariam et caeteros Prophetas, quos paulo post inter Hieroglyphica, vel Aenigmata, ordine recensebo.

Can. 17. Prophetae subinde alludent ad fabulas Gentilium et Poetarum: tum quia haec fabulae apud Gentiles erant tritae et celebres: tum quia subinde non tam fabulae, quam aenigmata, aut mythologicae sunt, ad morum informationem compositae: quales sunt fabulae Aesopi, quae magnam sapientiam et prudentiam continent; Ethicam enim docent per appositae rerum fictiones et fabulas. Hinc celebris fuit apud veteres Theologia *μυθικη*, id est fabulosa (et Mythologi habiti sunt Philosophi, imo Theologi) de qua Falgentius librum scripsit: eiusque meminit S. Augustin. 1. 6. de Civit. c. 5. et Euseb. lib. 3. Prepar. e. 2. Sic Malachias cap. 4. 1. dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius,* alludit ad fabulam phoenicis: quia phoenix symbolum est et aenigma solis, qui radiis suis quasi pennis vestitur, iisque vitam et sanitatem cunctis viventibus impertit. Sensus ergo est, q. d. Orietur Christus, qui a morte redivivus quasi phoenix, id est, quasi sol salutaris, radiis gratiae et gloriae suae,

**A** velut pennis contingens iustos mortuos et sepultos eos a morte ad vitam suscitabit, sanabit, beabit et glorificabit. Sic Iudith e. 16. 8. dicitur: *Nec filii Titan perusserunt eum, Holofernem.* Ubi alluditur ad fabulam Titanum, quos Poetae fabulantur fuisse gigantes, caeli et terrae filios, ac bellum gessisse cum Iove, ab eoque fulmine adaetos in tartara: de quibus Virgil. 6. Aeneid.

*Hic genus antiquum terrae, Titania pubes; Eubinae delecti fundo volvuntur in imo.*

Non quod fabulas Poetarum approbet S. Scriptura, sed ut loquatur more vulgi, eiusque sermone rem veram significet; quia non bene possumus intelligere quod dicitur, nisi per ea vocabula quae usu didicimus, et errore combibimus, ait S. Hieron. in e. 5. Amos v. 8. et S. Gregor. 1. 9. Mor. c. 6. praesertim quando fabulae ex S. Scriptura ortum ducunt, uti Pererius aliique viri docti censent, fabulam Titanum originem accepisse ex historia et factis gigantum Genes. 6. 4. et e. 11. 4. Filii ergo Titan, per catachresin vocantur bellicosissimi et robustissimi gigantes. quales poetae nuncupant, censentque fuisse Titanes. Unde explicando subdit Scriptura Iudith 16. 8. *Nec excelsi gigantes opposuerunt se illi; sed Iudith filia Merari in specie faciei suae dissolvit eum.* Ita S. Hieron. in c. 3. epist. ad Galat. sub initium. Sic Isaias e. 34. 14. alludit ad fabulas Onocentaurorum et Lamiarum, ut ibi dixi. Sic Iob 42. 14. filia Iob, quae hebr. et a Nostro vocatur *Cornu sibi*, a Septuag. nuncupatur *Cornu Amaltheae*, quam Poetae fingunt esse capram altricem Iovis. Sic Iob 21. 33. dicitur: *Dulcis fuit glareis Coeyti:* glareae est terra prope fluvium, arenosa et lapidosa. Coeytus est fluvius in Arcadia, a Styge palude fluens, quem iuferorum esse fluvium Poetae finxerunt, eo quod in illam paludem multa cadavera coniciebantur, ut cito exederentur. Veterum enim sepulera erant iuxta flumina, ut eadavera flumine consumerentur, eoque purgaretur aer. Sensus ergo est, q. d. Impio bene convenit cum sepulero: nihil enim ibi mali sentit, sed in eo dulciter et suaviter quiescit, uti Poetae fingunt defunctos quiescere in Coeyto. Mystice S. Greg. Impius, ait, dulcis est Coeyto, id est, diabolo et inferno, qui morte et poenis improborum gaudet et pascitur. Alludit itaque Iob ad fabulam tritam Coeyti: dictus enim est Coeytus *πρωτη μαρτυρια*, id est lugere: luctus enim convenit mortuis. Hinc Coeytum fingunt vicinum Acheronti. Audi Virgil. 6. Aeneid.

— *Tenent media omnia sylvae, Coeytusque sinu labens circumfluit atro.*

Et Claudian.

— *Presso laerymarum fonte resedit Coeytus, Acheron tucitis obmutuit undis.*

Rursum Virgil. 6. Aeneid.

*Acheron omnem Coeyto eructat arenam.*

Ubi Servius, ad Physiologiam hoc figmentum pertinere ait, quod qui caret gaudio, sine dubio tristis est. Tristitia autem vicina luctui est, qui ex morte procreatur: recte ergo in Coeytum per Stygem arenas eruclare suas Acherontem lingit Virgil. Quae circa iure haec quasi fabulosa ridet Cicero Tuscul. 1. *Dic quae, ait, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Coeyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti necatus Tantalus?* Sic Amos cap. 5. 8. ait de Deo: *Facientem Arcturum et Orionem.* Ubi alludit ad fabulas Poetarum: ex illis enim imposita sunt nomina stellis. Unde Virgil.

*Arcturum, pluviasque Hyadas geminosque Triones, Armatumque auro circumspicit Oriona.*

Ex titulo prophetiae saepe colligere licet qualis sit futura, an tristis, an leta, an mista. Nam eum titulus eius est *ONUS massa*, id est onus, vel pondus, signum est evidens tristem fore. Onus enim significat pondus grave et importabile vindictae et poenae, ex certo et irrevocabili Dei decreto inferendum impiis, ut duram eorum cervicem premat et curvet, vel frangat, qui Dei patientiam expectantem eos ad poenitentiam contempserunt, et in sceleribus suis obdurati perstiterunt. Unde saepe significat plenum urbis et gentis excidium, ut, *Onus verbi Domini in terra Hadrae, et Damasci requies eius, Zachar. 9. 1. Onus verbi*

*Domini super Israel, Zachar. 12. v. 1. Onus domus Achab, quo excisa est eius familia, 4. Reg. 9. 25. Vide Ierem. 23. 33. et seq. Cum vero titulus prophetiæ est visio, vel certe verbum Domini: tunc ordinariè læta est, et prospera pollicetur, sive post comminationem meliora promittit, ait S. Hieron. in c. 23. Ierem. sub finem. Cum denique titulus est, Onus visionis, ut Isaia 22. 1. aut, Onus verbi Domini, ut Malach. 1. 1. tunc partim tristis est, partim læta. Hic canon S. Hier. crebro verus est, non tamen semper. Nam visio exhibita Ieremiæ c. 1. et Ioeli c. 1. et Amos c. 1. et Nahum c. 1. nil fere lætum habet, sed omnia tristitia, ac proinde omnes iuculudat, uti recte advertit Ribera Osee 1. 1. Porro solus Abdias prophetiam suam inscribit, et vocat Visionem: Nahum vero, Habacuc et Malachias eam inscribunt Onus; cæteri omnes Prophetæ minores eam inscribunt Verbum Domini. In decursu tamen prophetiæ, illam subinde visionem nuncupant, ut eius certitudinem indicent. Visus enim omnium sensuum est certissimus. Unde Theophrastus apud Rhodig. lib. 10. 28. visum scite appellavit formam sensuum: quia scilicet experimenta illorum ille solus quasi actualat, perficit et certificat. Et S. August. lib. 10. Confess. c. 35. experientiam sensuum, et eorum quasi fidei resolutionem, in visu sitam esse docet: quocirca omnes sensus quasi oculos exhibentes, dicere solemus: Vide ut sapiat, vide ut sonet, etc. Et Aristot. gnomo est libr. 2. Metaphys. finem contemplationis esse veritatem visam: unde et beatitudo nostra consistit in visione Dei: Prophetæ ergo abstracti a cæteris rebus, et mentis intuitum figentes in contemplatione unius simplicis veritatis, habuerunt prægnatum quemdam et initium beatitudinis, iuxta illud Apostoli, 1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: quæ verba citans S. August. l. 1. de Trinitat. c. 8. Hic, inquit, nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum.*

In visum fit fidei sensuum resolutione.

Can. 19. Extasis differt a prophetia

Differunt prophetia et extasis. Prophetæ enim sæpe videntur futura sine extasi: subinde tamen fuerunt alienati a sensibus, raptique in extasin, uti contigit Adæ Genes. 2. 21. Abrahæ Genes. 15. v. 12. S. Petro Act. 10. v. 10. et S. Ioanni in Apocalypsi (quæ extases ordinariè factæ sunt, fiuntque per angelos: hi enim sunt administri Dei) omnibus enim hisce locis græce est *extasis*, quæ proprie est raptus mentis alienatæ a sensibus in aliquid sublimius. Unde S. Gregor. l. 5. Moral. c. 22. docet in extasi mentem a sensibus avulsam dormire mundo, sed laboriosius vigilare Deo. Est ergo *extasis dormitio vigilans*, seu *vigilia dormiens*, iuxta illud Cant. 5. *Ego dormio, et cor meum vigilat*, q. d. Sensus meus dormit, sed mens vigilat. Nota. S. Thom. quæst. 13. de veritate art. 2. ad ult. et 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 1. et in 2. Cor. 12. lect. 1. docet, quod excessus mentis, extasis et raptus aliquando contingat sine alienatione mentis a sensibus, nimirum cum quis exterioribus sensibus et rebus utitur, sed tota eius intentio divinis contemplandis et amandis vacat: qua ratione S. Dionys. cap. 4. Divin. nom. asserit, quod divinus amor extasim facit: amor enim transfert amantem a se in Deum amatum. Anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat: magis est ergo in Deo, quam in seipsa. Unde S. Bonav. tract. de Gradibus contempl. *Extasis*, ait, *est deserto exteriori homine, sui ipsius super se voluptuosa quædam elevatio, ad superintellectualem divini amoris fontem.* Aliter vero, et secundum magis usitatam significationem. Fit, inquit S. Thom. *dictus excessus mentis, extasis et raptus, cum aliquis etiam actu ab usu sensuum et sensibilibus rerum abstrahitur ad aliqua supernaturaliter videnda; idque per abstractionem a sensibus externis ad imaginariam visionem, vel ab imaginatione quoque ad intellectualem: et hoc iterum aut per intelligibiles immisiones, aut secundum quod intellectus videt Deum per essentiam.* Quod S. Thom. censet excessum S. Paulo in raptu, 2. Cor. 12. 2. sed contrarium est verius, scilicet S. Paulum non vidisse Dei essentiam, ut ibidem ostendi. Cæteris vero ut Adæ, Abrahæ, S. Petro et S. Ioanni censet extasim contigisse per abstractionem a sensibus, sed cum ima-

ginaria visione, quod verum est, et liquet ex locis citatis Scripturæ. Ordinariè enim mens in cognitione utitur phantasmatibus: unde licet rapiatur, habet tamen comites cogitationes phantasæ.

Porro opera dæmonis imo vi morbi, posse aliquem alienari a sensibus, raptique in extasin quasi naturalem, docet noster Delrio l. 2. Disquis. Magic. qu. 25. Ubi refellit Cardauum qui asserit, *cum libeat, posse quempiam vi naturali rapi*; et Bodinum, qui censet, *in eiusmodi extasi animam reipsa migrare de corpore.* Denique S. August. libr. 12. de Genesi ad liter. cap. 26. *Cum rapitur, inquit, anima ad ea visâ, quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, omnino a sensibus corporis avertitur, amplius quam in somno solet, sed minus quam in morte.* Nam in somno non ita avertitur a sensibus, quin illi levi sono, motu pulsuque evigilent; in extasi autem nullum motum, sonum pulsumque etiamsi acrius vellicetur aut pulsetur, sentit: in morte vero avertitur non tantum a sensibus externis, sed etiam internis, imo a toto corpore, ita ut illud amplius non informet, nec animet aut vivificet.

Iam vero linguam, qua loquitur Deus animæ, et anima Deo, pie explicat S. Bernard. serm. 45. in Cant. *Verbum et anima*, inquit, *habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentisque indicent. Verbi lingua, favor dignationis eius: animæ vero devotionis fervor. Elinguis est anima atque infans, quæ hunc non habet, et non potest illi esse sermocinatio cum Verbo: ergo cum huiusmodi linguam suam movet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Vivus est enim sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ. Et rursum cum suam linguam anima movet, Verbum latere multo minus potest, non solum quia ubique præsens, sed quia nisi ipso stimulante, devotionis lingua minime ad loquendum movetur. Verbo ergo dicere animæ, Pulchra es, et appellare amicam, infundere est unde amet, et se præsumat amari. Et S. Greg. lib. 5. Moral. 20. explicans illud Iob c. 4. 12. *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius: Venas*, inquit, *superni susurri auris cordis furtive suscepit, quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens, et raptim, et occulte cognoscit: nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat: occultatur autem ut audiat, et audit ut occultetur; quia et subtracta a visibilibus, invisibilia conspiciat; et repleta invisibilibus, visibilia perfecte contemnit.* Cum ergo loquitur Deus animæ, et illa loquentem audit; non duæ actiones sunt, sed una eademque, quæ ut a Deo proficiscitur, vocatur locutio: ut recipitur in homine, vocatur auditio. In phantasia loquitur Deus per angelos, in mente per se. Solus enim ipse illabi potest immediate intellectui et voluntati, quod facere nequit angelus. Angeli autem in phantasia loquuntur, per motum humorum et spirituum animalium, in quibus deferuntur internæ rerum species; nimirum ita illos commiscendo et componendo, ut hanc illamve speciem, et consequenter rem quam volunt, phantasæ, et per phantasiam intellectui representent. Varios locutionis Dei et angelorum modos recenset S. Gregorius 18. Moral. 2.*

Lingua Dei ad animam.

Prophetia omnis cum sit supernaturalis, exposcit pariter lumen supernaturale, quod vulgo propheticum vocatur; sicut enim ad visionem corporalem tria requiruntur, scilicet primo, obiectum emittens sui speciem in oculum; secundo, lumen obiectum illuminans; tertio, ipsa visio, puta oculus recipiens speciem, et per illam obiectum illuminatum inspiciens et videns, eaque ratione visionem in se eliciens et producens; ita pariter ad visionem propheticam requiruntur tria, scilicet primo, obiectum puta res futura quæ prævidetur; secundo, lumen propheticum mentem Prophetæ elevans, ut quasi ex alto eminens rem futuram videat; tertio, ipsa visio et cognitio rei futuræ. Porro lumen propheticum non est aliud, quam ipsa Dei illustratio et revelatio, sive locutio interna, qua mentem Prophetæ illustrat, eique revelat futura; quæ partim Dei est, quatenus a Deo immittitur; partim Prophetæ, quatenus in eius mente recipitur, imo in ea, et per eam vita-

Can. 20.

liter concurrentem a Deo producitur qua Dei est, vocatur illustratio; qua Prophetæ est, vocatur visio, auditio, cognitio, ut dixi in line can. 19. Lumen ergo hoc, sive illustratio est instar coruscationis, vel fulguris spiritualis mentem perstringens et illustrans (iuxta illud Ps. 76. 19. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Et illud Ps. 143. 6. *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos*) qua mens certo cognoscit rem futuram quæ a Deo revelatur, et simul eam non a dæmone, sed a Deo revelari, uti fit in actu fidei: illius enim obiectum materiale est res revelata, formale revelatio divina, vel ipse Deus revelans. Ideo enim fide credo Deum esse trinum et unum, quia Deus ipse, qui est prima veritas quæ nec falli nec fallere potest, id revelavit. Quocirca Prophetæ exipientes Dei revelationem, fide divina tenebantur credere tam sua oracula, quam illa sibi revelata esse a Deo.

Similes illustrationes, quasi coruscationes sentiunt sæpe viri spirituales, præsertim vacantes orationi et contemplationi, quibus mens eorum partim illustratur, ad clarius et sublimius cognoscenda attributa Dei, vaticinia Prophetarum, aliaque mysteria fidei et Scripturæ: partim amore Dei rerumque cælestium afflatur et accenditur. Similes sentiunt subinde peccatores, cum Deus eis immittit cogitationes et illuminationes pias de morte, de iudicio, de brevitate vitæ, de vanitate concupiscentiarum, de inferno, de cælo, quibus clare vident se male et imprudenter agere, ac in periculo salutis versari, ideoque timore et dolore percelluntur, qui eos impellit ad pœnitentiam vitæque mutationem. Porro istæ illustrationes menti non sunt liberæ, sed necessario in ea recipiuntur, cum Deus illas ei immittit: perinde ac visio fulguris aperto ac vigilantis oculo est necessaria, non libera: iis tamen receptis, libera manet mens, ut circa eas liberum fidei actum eliciat, libereque credat illa esse vera, atque exinde alios liberos doloris, pœnitentiæ, amoris, aliarumque virtutum actus in se concipiat et efformet. Illustrationes enim, quas intellectui; et pii impulsus affectusque, quos voluntati Deus immittit et indit, sunt gratiæ præventientes, et excitantes mentem peccato vel torpore sopitam, ut erigilet, et iis libere cooperetur, itaque in se actus pœnitentiæ, timoris, amoris et heroicarum virtutum producat. Pro talibus ut scilicet crebro eas nobis immittat Deus, continue orare debemus. Ex iis enim omnis noster profectus et salus pendet. Ita pro iis orat Psaltes ps. 12. 4. *Illumina, ait, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.* Psalm. 17. v. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* Psalm. 33. 6. *Acedite ad eum, et illuminamini.* Psalm. 66. 1. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos.* Psalm 73. 5. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Isaïæ 60. 1. *Surge, illuminare Ierusalem: qui venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Lucae 1. 79. *Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* Ioan. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ephes. 5. 14. *Exurge qui dormis, et illuminabit te Christus.* Psalm. 26. 4. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Iob. 11. 17. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam; et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Psalm. 96. 4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ.* Ezech. 1. 13. *Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Iob. 36. v. 29. *Si voluerit, etc. fulgurare lumine suo desuper.* Psalm. 89. v. 17. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige.* Isaïæ 58. 11. *Implebit splendoribus animam.* Habacuc 3. 4. *Splendor eius ut lux erit, Baruch 4. 2. Ambulabimus per viam ad splendorem eius.*

poetico exagitat. Ratio eorum erat, quod anima habeat aliquid divinitatis, sitque quasi divinæ particula auræ: non est creata enim est ad imaginem Dei: ergo et divinationis Deo propria est particeps. Ita censuit Plato dialog. de Natura: *Quod, inquit, dementiæ humanæ Deus divinandi vim dederit, illud argumento esse potest, quod nemo dum sanæ mentis est, divinum et verum vaticinium ullum assequitur; sed cum vel somno prudentis vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel divino aliquo raptu a sua sede dimota, fieri divinatio solet.* Et in Apolog. pro Socrate, ex eius mente assertit, eos qui proximi sunt morti, solere divinare. Et Aristot. in Problem. sect. 30. probl. 1. *Multi, inquit, propterea quod ille calor serti mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico infervescunt: ex quo Sibyllæ efficiuntur, et Bæchæ, et omnes qui divino spiraculo instigari creduntur, eum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidunt.* Similia habet Cicero lib. 1. de Divinal. additque rationem. *Cum est, inquit, somno sevocatus animus a societate et contagione corporis; tum meminit præteritorum, presentia cernit, futura providet. Lucet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem et vivit animus. Quod multo magis facit post mortem, eum omnino ex corpore excesserit: itaque appropinquante morte multo est divinior.* Quocirca concludit triplicem esse divinationem: *omnem enim divinandi vim a Deo, a fato, et a natura dimanare.* Et lib. 2. *Sæpe audivi, ait, poetam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse, et sine quodam quasi afflatu furoris.* Nam

*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.*

*Impetus ille sacræ semina mentis habet.*

Idem censuit Porphyrius, uti refert Iamblicus lib. de Myster. Egypt. §. de somniis divinis. Videtur huic sententiæ favere S. Aug. lib. 42. Confess. citatus a S. Thoma 1. p. q. 86. art. 4. ad 2. *Anima, inquit, habet quandam vim sortis, ut ex sui natura possit futura cognoscere; et ideo quando retrahitur a corporis sensibus, et quodammodo revertitur ad seipsam fit particeps notitiæ futurorum.* Sed recte eum excusat, mentemque eius explicat ibidem D. Thom. dicendo, animam separatam a sensibus fieri aptam et dispositam, ut recipiat impressiones Dei, angelorum, vel dæmonum, ac per eas accipiat notitiam futurorum, quam non habet ex seipsa; et hoc dumtaxat velle S. Augustinum. Adde, quæsi hæc verba studiose in S. August. nec hactenus ea reperire potui. Illud tantum repertum lib. 4. Confess. c. 3. et lib. 7. 6. Mathematicos planetarios subinde divinare, et futura prædicere, non arte, sed sorte, puta casu, quod verum est, nec ad rem præsentem facit, imo eius oppositum insinuat, inter multa enim quæ prædicunt, subinde casu verum tangunt, dicuntque: ergo non naturæ vi, non artis certitudine, sed sortis casu coniectant verumque attingunt, quasi aleatores rei futuræ.

Hæc Philosophorum sententia est erronea, et repugnans non tantum S. Scripturæ, sed et Philosophiæ. De fide enim est, prophetiam esse opus divinum, et prænotionem futurorum contingentium esse dotem propriam Deo, adeoque esse notam et indicem divinitatis. Nam ut ait Tertull. Apolog. 20. *Testimonium divinitatis est veritas divinationis.* Unde Deus cum idolis decertans: *Annunciate, inquit, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos,* Isaïæ 41. 23. Et S. Petrus epist. 2. cap. 1. *Omnis, inquit, prophetia propria interpretatio non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc et Prophetæ omnes passim hunc titulum oraculis suis præfigunt: *Verbum Domini: Hæc dicit Dominus, etc.* Prophetia ergo est verbum a Deo præseutum et prædictum, non ab homine. Ratio physica est: Prima, quia futura contingentia sunt plane indeterminata: determinabuntur enim ab agente libero, eum scilicet voluntas libera in tempore futuro, libere ad alteram contradictoriam partem se determinabit. Ergo impossibile est, ut homo, dæmon, vel angelus ea determinate præseiat et præcognoscat; sed, id est virtutis et omniscientiæ divi-

Lumen propheticum quod?

Est necessarium, non liberum menti.

Illustrationes piæ quam optandæ?

Can. 21. In anima moribundæ, vel maniaci

Prophe-  
tia est  
verbum  
Dei reve-  
lans rem  
futuram.

næ, quæ infinita mentis suæ acie et vi prævidet quid libera voluntas tali tempore, loco et circumstantiis sit electura, et determinatura. Secunda, mens humana pendet a phantasia et sensibus. Nihil enim est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu, ut ait Aristot. At futura contingentia nullo sensu percipi possunt: ergo nec ab homine intelligi queunt, non magis quam a cæco colores videri. Tertia, quod non existit vel in se, vel in sua causa, ab homine et angelo cognosci nequit. At futura contingentia nec in se, nec in suis causis, utpote adhuc futuris et indeterminatis, existunt. Ergo ab homine et angelo prænosci nequeunt. Ita S. Augustin. lib. de Divinat. dæmon. et S. Thom. 2. 2. q. 53. art. 1. ad 3.

Maniaci  
quomodo  
divinent.

Porro argumentum Platonis et Ciceronis tantum probat, animam, cum mortis vicina separatur a sensibus, aut cum amore, vino, igne, mania, bile, etc. incalescit, excitari et acui, ut quasi se supra se attollat, videatque et cognoscat ea, quæ alias non videret et cognosceret, sed intra terminos et limites naturæ. Unde tunc præ sagit ea, ad quæ vel ipsa bilis, et humor inclinatur, vel quorum causas et principia videt, vel quæ spiritus animales excitati et fervidi naturaliter ei suggerunt, ut patet in Poetis. Quocirca viri prudentes simili praxi utuntur, cum carmen, orationem, aut concionem, vel quid aliud componere volunt: curant enim, ut corpus et caput igne, somno, veste, etc. incalescat, itaque calente cerebro sua componunt. Calor enim excitat spiritus animales, qui excitati multos et insignes conceptus suggerunt: sed deinde defervescente calore, ea relegunt, seligunt, iudicant, digerunt. Ingenium enim in calore consistit, iudicium in frigore. Unde iuvenes ingenio et inventionem pollent, senes iudicio et censura, utpote qui habent sedatas passiones, frigidusque affectus. Adde, sæpe in maniacis immiscere se dæmonem, et suggerere ea quæ remota sunt, vel futura: illa enim præcipient ex probabili et subtili coniectura causarum præcedentium. Hac enim coniectandi vi et sagacia, mens eorum acerrima, præ homine prædita est: Sanctis vero in morte suggerunt subinde angeli, vel Deus oracula de futuris, uti contigit Iacobo Gen. 49. et Mose Deut. 33. Altera Philosophorum ratio, petita ab imagine, non concludit. Anima enim est imago Dei naturalis, non supernaturalis: quocirca naturaliter tantum naturalia Dei attributa representat, et participat; qualia sunt intellectus, voluntas, memoria, cognitio, amor, libertas, etc. non vero supernaturalia; qualis est prævisio futurorum contingentium, vis patrandi miracula, charitas, gratia, gloria, beatitudo, etc. Adde, anima habet aliquid divinationis uti et divinitatis, dum ex signis et causis præviis præ sagit futura naturaliter, sed sagaciter.

Can. 22. Prophetæ et scriptores hagiographi, dum ad certas provincias et gentes prophetant aut loquuntur, consuetudines, ritus, leges, merces, etc. quin et multas voces illis gentibus proprias consulto usurpant, ut eis se accommodent, utque melius res suas eis dilucidas faciant. Ita S. Hieron. in Abdiam, scribit eum usurpare vocem Assyriacam *Sepharad*, id est, *terminum*, quam ipse in textu Abdiæ vertit *Bosphorum*, quia de Assyriis erat sermo. Sic Daniel cap. 2. 3. et seq. multa ponit Babylonica nomina musicorum instrumentorum, æque ac Magistratum, uti sunt Satrapæ, Signæi, Adargazæi, Gedrebaei, Detrabaei, Tiphthaæi. Sic Iob, quia in Arabia vixit, et arabice liber eius primitus conscriptus fuit; hinc multas voces, æque ac consuetudines Arabicas usurpat, uti testatur S. Hier. in eius prologo. Idem ad Algasiam epistol. 151. q. 10. scribit Apostolum *humanum diem* nominare ex Cilicium lingua (erat enim ipse Cilix puta Tharsensis) dum dicit 1. Corinth. 4. 3. *Mihi pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die*. Tale quoque esse *αἰὲς αἰώνων*, Coloss. 2. 18. Vide ibi dicta. Additque, *Multa sunt verba, quibus iuxta morem urbis et provinciarum suarum, familiaris Apostolus utitur*. Rursum Prophetæ sæpe alludunt ad historias et gesta sui temporis, quæ tunc omnibus erant nota, nunc autem sunt incognita, eaque de causa subinde nobis obscuri sunt.

A Prophetia proprie est de tempore futuro: per catachresin tamen ad præteritum quoque et præsens sese extendit. Unde Homerus Iliad. 1. ait, Calchantem vatem nosse omnia, præterita, præsentia et futura. Quod imitatus Virg. 4. Georg. ait:

— *Novit namque omnia vates,*

*Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.* Exempla dat S. Gregor. hom. 1. in Ezech. *Prophetia*, ait, *de futuro est: Ecce virgo concipiet, et pariet filium. Isaïæ 7. Prophetia de præterito: In principio creavit Deus cælum et terram. De illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. Prophetia de præsentia 1. Corinth. 14. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiotus, convincitur ab omnibus, et diiudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, etc. Quod recte prophetia dicitur, non quia prædicat futura, sed quia prodit occulta; ventura etenim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde: utriusque ergo notitia est paris virtutis, puta non humana, sed divina. Sic Elisæus Propheta absens vidit Giezi petentem, et accipientem pecuniam a Naaman: *Nonne*, inquit, *cor meum in præsentem erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi?* 4. Reg. 5. Addit S. Greg. Prophetas præteritis ventura permiscere, itaque fecisse Mosen, *ut dum implerentur ea quæ de futuro prædiceret, ostenderet etiam quia de præterito vera dixisset.**

Ex prædicto cauone 23. S. Gregorius eadem homil. 4. in Ezech. colligit octo prophetiæ modos et species. Prima est: *Aliquando, inquit, spiritus prophetiæ ex præsentem tangit animum prophetantis, et ex futuro nequaquam tangit.* Dat exemplum: *Sicut Ioannes Baptista venientem Dominum videns, ait, Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi: sed eum iam moriturus esset, missis discipulis requirebat dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In quibus verbis ostenditur, quia in terris quidem venisse redemptorem noverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitabat. Ex præsentem enim prophetiæ spiritus tactus fuerat, qui humanitatem mediatoris videns, et divinitatem eius intelligens, confitebatur agnum qui peccata mundi tolleret. Sed tactus ex futuro non fuerat, quia adventum illius in inferno nesciebat.*

Can. 24.  
Octo mo-  
di pro-  
phetiæ.

Secunda: *Aliquando vero prophetiæ spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, atque ex præsentem non tangit, sicut aperte libri Geneseos historia testatur, cum Isaac Esau filium suum ad venandum misit, cui minorem filium Rebeccam ad benedicendum supposuit, qui hædinis pellibus inlutus, paterno palpatui corpus fratrum finxit. Cui ille minori filio tanquam maiori benedictionem dedit, quæque ei essent longe futura nunciavit: sed quis esset qui eorum se assisteret, scire non potuit. Prophetiæ ergo spiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atque ex præsentem non tetigit, quando caligantibus oculis pater et ventura prædicebat, et præsentem filium nesciebat.*

Tertia: *Aliquando prophetantis animum ex præsentem, pariter et ex futuro tangit; quod ex eodem libro Geneseos liquido docemur. In illo quippe scriptum est, quia cum ad vitæ iam terminum propinquaret Iacob, et duos filios suos Ioseph fecisset assistere ante eum, ut ex benedictione illius possent longe post futura promereri, cui maiorem ad dexteram, minorem vero posuit ad sinistram. Cumque ille oculis senectute caligantibus nepotes suos, quis prior, quisve esset minor, humano visu discernere nequaquam posset, ductis in obliquum brachiis, dexteram manum minori, sinistram maiori imposuit. Quod dum corrigere filius vellet, ait: Non ita convenit pater; quia hic est primogenitus; audivit: Seto fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur: sed frater eius iunior maior illo erit. Prophetiæ ergo spiritus ex præsentem, pariter et ex futuro prophetantis animum tetigit, dum Iacob et ventura nunciabat, et eos quos corporeis oculis videre non poterat, ante se positos per spiritum discernerebat. Sic Abiæ Prophetæ animum prophetiæ spiritus et ex præsentem, atque ex futuro tetigerat, cum caligantibus oculis eam, quæ se esse aliam*



simulabat, et uxorem Ieroboam esse cognovit, et quidquid ei futurum esset aperuit, dicens: Ingressa uxor Ieroboam; hæc dicit Dominus Deus Israel: Qui operatus es male super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi Deos alienos et conflabiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem proiecisti post corpus tuum, utcirco ego inducam mulu super domum Ieroboam. Ex præsentem ergo, atque ex futuro puriter prophetantis animus tactus fuerat, qui et ingrediendem deprehendere potuit, et ei ventura nunciare.

Quarta: Aliquando autem ex præterito et ex præsentem, atque ex futuro pariter tangitur animus prophetantis: sicut Elisabeth venire ad se Mariam conspiciens, quia incarnatum Verbum gestaret in utero, agnovit; eumque iam Domini sui matrem vocavit, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? De cuius conceptione per angelum quoque ad Ioseph dicitur: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quæ videlicet Elisabeth dicit: Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. Dicens enim: Beata quæ credidisti, aperte indicat, quia verba angeli quæ dicta ad Mariam fuerant, per spiritum agnovit; atque subiungens: Perficientur ea quæ sunt dicta tibi a Domino, quæ eam in futuro sequerentur prævidit. Simul ergo de præterito, et præsentem, atque ex futuro per prophetiæ spiritum tacta est, quæ et eam promissionibus angeli credidisse cognovit; et matrem nominans, quia redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit. Et cum omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro sequeretur, asperxit.

Quinta: Aliquando vero prophetiæ spiritus ex præterito tangit animum, nec tangit ex futuro: sicut in Paulo Apostolo aperte ostenditur, qui Discipulis dicit: Notum vobis facio fratres Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Iesu Christi. Unde aliis quoque discipulis dicit: Secundum revelationem notum factum est mihi sacramentum. Qui tamen hoc ipsum Evangelium, quod per revelationem cognoverat, cum Hierosolymam prædicaturus ascenderet, ait: Ecce ego alligatus spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans.

Sexta: Aliquando prophetiæ spiritus tangit ex futuro, nec tangit ex præterito: sicut in Elisæi facto scriptum est, quia cum unus ex filiis Prophetarum materiam succideret, huic ferrum securis in aquam cecidit, qui exclamavit: Heu, heu Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illud, natavitque ferrum. In quo videlicet prophetæ facto cognoscitur, quia qui requirit ubi ceciderat, quid esset facturus noverat: sed tamen cum requirit, constat, quia ubi ferrum cecidisset, ignorabat. Prophetiæ ergo spiritus Elisæi mentem ex futuro tetigerat, sed ex præterito non tangebatur, qui et ferrum ex profundis demersum quin revocaturus esset ad superficiem scire potuit; sed ubi ceciderat omnino nocivum.

Septima: Aliquando prophetiæ spiritus in præsentem ex parte tangit, et ex parte non tangit. Quod Petri Apostoli historia testatur, cum missi ad eum a Cornelio milites, ei sunt per spiritum nuntiati. Scriptum quippe est: Et dixit spiritus ei: Ecce viri tres querunt te. Ad quos ille descendens, et requirens dixit: Quæ causa est propter quam venistis? In cuius verbis ostenditur, quia eandem causam per spiritum non audierat, quam a militibus requirebat. In præsentem ergo mentem Petri spiritus ex parte tetigerat, et ex parte non tetigerat, qui et adesse milites dixit, et pro qua causa venerant, tacuit.

Octava: Aliquando spiritus in futuro ex parte tangit; et ex parte non tangit: sicut Prophetarum filii de aufereudo Elia ad Elisæum dicunt: Numquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Quo tamen ablato sese per diversa dispergunt, eumque in rupibus et vallibus querunt. In futuro ergo eorum mentem prophetiæ spiritus ex parte tetigerat, et ex parte non tangebatur, quando eum quem tollendum noverant, non invenendum querebant, Ex parte ilique tacti sunt, atque ex parte non ta-

cti, qui et sciebant quod tolli posset, et nesciebant quod inveniri non posset. Idem quoque Elisæus per prophetiæ spiritum de futuro ex parte tactus est, et ex parte non tactus, cum regi Israel diceret: Percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem; nunc autem tribus vicibus percucisti eam. Qui itaque noverat quia toties percuceret Syriam, quoties percussisset terram; sed cum ei diceret: Percute terram, quoties eam percussurus esset ignorabat: quippe et indignatus est terram tertio fuisse percussam; profecto constat quia de futuro ex parte tactus fuerat, et ex parte non tactus, qui Syriam percute prædixit, sed terram amplius percute roluil.

Aliquando, inquit ibidem S. Gregor. prophetiæ spiri- Can. 25.  
tus Prophetis deest, nec semper eorum mentibus præsto est, quatenus cum luce non habent, et hunc agnoscant ex dono habere cum habent. Unde Elisæus cum stentem Sunamitem mulierem a suis pedibus per Giezi puerum avelli prohiberet, dixit: Dimitte illam; anima enim eius in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi. Sic quoque cum eum Iosaphat de futuris requireret et prophetiæ ei spiritus decesset, psaltem fecit applicari, ut prophetiæ ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque eius unum de venturis repleret. Vox etenim psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotentem Domino ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat.

Aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, inquit ibi- Can. 26.  
dem S. Greg. ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu profertur, et se hæc ex prophetiæ spiritu dicere suscipiantur: sed quia sancti sunt, per Spiritum sanctum citius correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt, et semetipsos quia falsa dixerunt, reprehendunt. Ita Nathan, inquit S. Gregor. Propheta fuit, quia occultum Davidis adulterium et homicidium ei revelavit et redarguit; sed prædicans Davidi fabricam templi, quasi Deus illud a Davide vellet ædificari, erravit. Unde mox de errore admonitus a Deo, eum correxil. Qua in re inter Prophetas falsos ac ceros ista distantia est, quia Prophetæ veri si quid aliquando per suum spiritum dicunt, hoc ab auditorum mentibus per Spiritum sanctum eruditi citius corrigunt. Prophetæ autem falsi et falsa denunciant, et alieni a sancto Spiritu, in sua falsitate perdurant.

Hæ voces non amplius, non ultra, in Scriptura et Pro- Can. 27.  
phetis sæpe non significant æternitatem, sed longitudinem temporis, scilicet rem illam non fore longo admodum tempore, etiamsi postea futura sit, scilicet post hominum tum viventium mortem et memoriam; tunc enim videtur fore quasi aliud novumque sæculum, ad quod non se extendit vulgaris hominum sermo, uti nec vita, vel memoria. Sic de ortu Christi ait Isaias e. 2. v. 4. Nec exercebantur ultra ad prælium: quia nascente Christo fuit pax universalis in orbe, eaque duravit diu. Sic idem e. 23. v. 12. ait de Tyro: Non udivies ultra ut gloriaris. Et Ezechiel de eadem cap. 26. v. 13. Sonitus cithararum tuarum non audietur amplius. Et v. 14. Non ædificaberis ultra, scilicet ad longum tempus; nam postea reædificata est, et pristinam gloriam resumpsit: unde ab Alexandro Magno rursum vastata est. Simili modo æternum, sæculum, generatio generationis, sæpe non æternitatem absolutam, sed temporariam et humanam, hoc est longum tempus denotant; ut eum lex Mosis dicitur fore æterna: vide can. 4. in Pentateucho.

Verba Hebræorum nunc actum perfectum, nunc conti- Can. 28.  
nuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum denotant significant, v. g. credo, nunc significat credere destino, nunc credere incipio, nunc credere pergo et in fide confirmor, nunc plane et perfecte credo, ut alibi ostendi. Rursum, id fieri dicitur, quod aptum est et proclive ut fiat: atque id facere dicitur quis cuius faciendi potestatem habet: ut fecio sit idem, quod possum facere. Sic Iob cap. 9. 7. ait:

Qui præcipit soli, et non oritur, id est præcipere potest. A Et v. 6. Qui commovet ( id est, ad nutum commovere potest ) terram de loco suo, et columnæ eius concutiuntur. Amos 9. 5. Qui tangit terram, et tabescet, tangit, id est ita tangere potest, ut tabescat. Plura vide apud Salmer. prolegom. 20. quin. 2. can. 12. Sic Prophetæ dicunt sub Christo abolenda omnia peccata; iustitiam, pacem, sanctitatem, omnemque virtutem toto orbe germinaturam: quia scilicet hoc natum erat fieri, atque Christus idipsum, quantum est ex parte sua, effecit. Dedit enim nobis lytrum sanguinis sui, et gratiam suam potentem et copiosam, qua quisque omnia peccata abolere, omnesque virtutes menti inserere potest, si ea uti eique cooperari velit; esto multi ea non aboleant, nec virtutes inserant, quia Christi gratiam respuunt, vel negligunt. Rursum, non simul et semel id fit, sed sensim, crescente auma, æque ac Ecclesia, in fide et virtutibus.

Can. 29. Dicitur conditor, vel auctor rei, qui illam ornavit et auxit, etsi eam primus non fecerit. Sic Alexander Magnus dicitur conditor Alexandria, quia eam tamdiu condidit auxit et decoravit, eique nomen suum indidit. Sic Nabuchodonosor de Babylone ait Dan. 4. 17. Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ego ædificavi? id est amplificavi et decoravi: nam Babylon diu ante condita est a Nemrod Genes. 10. v. 10. Sic Romulus dicitur condidisse Romam, cum tamen de Evandro, qui ante Romulum fuit, dicat Virgil. Æneid. 8.

Tunc rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

Sic sæpe in Scriptura dicitur ædificasse locum vel urbem, qui eam collapsam, dirutam, vel vastatam reædificavit aut restauravit.

Can. 30. Dativus sæpe apud Hebræos per paragogen redundat, ut Cant. 1. Si ignoras te (hebr. tibi) o pulcherrima inter mulieres, egredere: ubi te, et tibi redundant. Ibidem c. 2. 10. et 13. Surge et veni: hebr. Surge tibi, veni tibi. Sic Hebræi dicunt: Vade tibi, id est vade, abi. Sic Isaia 6. 8. Quem mittam, et quis ibit nobis? nonnulli censent *eo nobis*, per paragogen addi ornatus causa; uti et *eo sibi* Isaia 59. 16. Salvavit sibi brachium suum; esto alius istorum locorum sit sensus magis genuinus, ut ibidem dixi.

Can. 31. In Prophetis sæpe est climax, id est scala, sive gradatio ad orationis tum elegantiam, tum energiam. Talis est C Osee 2. 21. Exaudiam cæcos, et illi exaudient terram; et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum: et hæc exaudient Iezrahel. Talis est Ioelis 1. 4. Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. Talis est illa, quæ septies iteratur Amos c. 1. et 2. Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum. Similis est illa B. Petri Damiani serm. de S. Andrea: Solum cor hominis capax est rationis et mysteriorum Dei. Cor est in pectore, anima in corde, mens in anima, fides in mente, Christus in fide; et hoc esse puto quod ait Apostolus, habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Et illa S. Gregorii hom. 29. in Evang. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; nam de cælo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepi venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cælum. Porro Gradatio, inquit Cicero ad Herenn. lib. 4. est, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius conscensum est, hoc modo: Nam quæ reliqua spes libertatis manet, si illis et quod libet licet, et quod licet possunt, et quod possunt audent, et quod audent faciunt, et quod faciunt vobis molestum non est.

Can. 32. Paradoxa crebra sunt apud Prophetas. Tale est Osee 1. 2. Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum. Et Osee 13. 14. Tro mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne. Et Ionæ 1. 2. Erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus. Et Michæ 5. 2. Ex te (o Bethlehem) mihi egredietur, qui sit dominator in Israel; et egressus eius ab initio a diebus æternitatis. Si enim egressus eius est ab æterno, quomodo fiet in tempore? Tale est: Qui totum capit, totum perdit: dimidium ergo plus est toto, de quo dixi Habacuc 1. 15. Sic Zacharias c. 5. 8. vidit impietatem quasi mulierem amphoræ inclusam,

ferri in Babylonem. Et cap. 9. 17. vinum germinans virgines, cum vinum incitet ad libidinem. Maxime vero paradoxa dicunt cum vaticinantur de Christi incarnatione, vita, passione, resurrectione, Ecclesia, missione Spiritus sancti. Tota enim œconomia vitæ Christi plena est paradoxis, æque ac doctrina et philosophia eiusdem. Quid enim magis apud mundi sapientes paradoxum et incredibile, quam humilitas exaltat, paupertas ditat, ieiunium satiat, in luctu sita est consolatio, in cruce gaudium? Hæc tamen Christus palam edicit: Omnis qui se humiliat, exaltabitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, etc. gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis, Matth. 5. 1. et sequent. Prophetæ enim fuerunt viri portendentes, ut ait Zachar. cap. 3. v. 8. et portentum Israel, ut ait Isaia cap. 8. v. 18. Sic Cicero scripsit sua, aut potius Stoicorum Paradoxa, id est admirabilia, inquit, et contra opinionem omnium, nimirum hæc: Solum honestum esse bonum, virtute prædito nihil deesse ad beate vivendum: æqualia esse peccata, et recte facta ( sed hoc non tam est paradoxum, quam error exploratus Stoicorum ) solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum; solum sapientem esse divitem.

Pleræque omnes veteris testamenti prophetiæ adimpletæ sunt vel ante Christum, vel per Christum. Excipio pauculas de Gog, Magog, Antichristo, iudicio et fine mundi, quæ extant Ezech. 38. et 39. Daniel. 7. 25. et c. 11. 36. et sequent. et cap. 12. Nonnulli tamen ex iis divinarunt adhuc futura: Primo, per accommodationem, uti Proclus Episcopus Constantin. Theodosio iuniori contra Scythas pugnantem accommodavit ea, quæ Deus intentat Gog, et Magog, ( nam hi erant Scythiæ est Tartari ) Ezech. 38. 42. quia ex plagis cælitus in Scythas inmissis, probabiliter coniecit eorum excidium, uti refert Socrates l. 7. Histor. c. 42. Secundo, per omen divinum, ut cum S. Antonius, S. Franciscus, S. Martinus, Clodovæus, et alii, quorum exempla recensit Isaia 8. v. 20. iussu, vel instinctu Dei, ex lectione Prophetarum, vel S. Scripturæ primo occurrente acceperunt normam vivendi, vel didicerunt eventum belli, aut alterius rei futuræ. Dixi, instinctu Dei: quia alioqui id facere est superstitio, et tentatio Dei. Tertio, per novam prophetiam. Ita Ioachim Abbas Floriacensis scribens in Isaia c. 13. et seq. Onus Babylonis, ait, tangit Romam; Chaldæorum, Alemanniam; Philistinorum, Lombardos; Moabitarum, Græcos; Tyri, Siculos; Ægypti, Francos, etc. uti dixi in fine præmii in Isaia. Verum in omnibus ipse obscurus et ænigmaticus est, in nonnullis falsus et fallens; esto a multis habitus sit Propheta. Ita sæculo præcedenti Hieron. Savanarola per oracula Amos, Zachariæ et Danielis, vaticinatus est adversa et prospera, quæ intra centum annos eventura erant Florentinis: quod Turcarum Imperator occupaturus esset Italiam et Romam, ac futurus Christianus, æque ac cæteri Turcæ et Saraceni; quod Pontifex cathedram e Roma translaturus esset Hierosolymam; quod brevi venturus esset Papa angelicus, qui totam Ecclesiam reformaret, quæ ita asseveranter assererat, ut diceret ea sibi revelata esse a Deo, et multos audientium visuros illa reipsa compleri. Sed experientia docuit in plerisque eum a vero aberrasse, et illusum fuisse, ac Florentiam paulo post expugnatam: unde tandem ipse misero fine vitam conclusit. Vide Ambr. Cathar. libr. de Prophetiis Savanarolæ, et Raphaellem Volater. l. 5. Geogr. in fine. Similis est liber propheticus, qui circumfertur nomine Methodii Martyris, sed falso: nam libri auctor non est Methodius Martyr, Olympiæ in Lycia Episcopus, et postea Tyrus; sed Methodius Cyrenensis: in quo cum citetur Magister sentent. et alia non satis rationi consona, videri posset hic liber ab aliquo magno nebulo-ne compositus, ait Salmeron tom. 1. Proleg. 7. sub finem. Dixi veteris testamenti: nam in Apocalypsi, quæ est prophetia novi testamenti, multa prædicuntur adhuc futura,

uti in ea ostendam: sed in ea multi errant, dum oracula eius generalia, et totam Ecclesiam spectantia, ad particulares homines, vel eventus detorquent. Egi Romæ cum quodam, qui integrum volumen talium divinationum, vel potius imaginationum coniecturalium in Apocalypsim conscripserat, ac nominatim quinam futuri essent Pontifices et Cardinales, ex ea se colligere iactitabat. Vere Comicus: *Amantes sibi somnia fingunt*: et sunt, qui indigent helleboro.

Cap. 31. Multum valet ad genuinum sensum S. Scripturæ capiendum, capitum, sententiarum et vocum eius apta vel coniunctio, vel disjunctio, systole, vel diastole. Exemplis res erit clara. Eccles. 24. 20. multi Codices legunt: *In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem deli*, et ita etiamnum legitur in Officio Eccles. B. Virginis ad Nonam, sensu obscure et difficili, quem Romana Biblia illustrant aliter dispungendo, nimirum sic: *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi*. In plateis enim plantantur platani, non cinnama et balsama. Sic 1. Reg. 3. 2. multi legunt: *Oculi eius (Heli) caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*. Quid hoc? Ergone extincta lucerna in tenebris melius videbat Heli, quam in luce, ea splendente? Ergone nocturnæ similis erat Heli, et noctiluca? Rem elucidant Romani Codices, dum ita legunt et dispungunt: *Oculi eius caligaverant, nec poterat videre: lucernam Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini*. Est periphrasis noctis, q. d. Cum adhuc arderent lucernæ, et Samuel dormiret, apparuit ei Dominus: noctu enim ardebant lucernæ in tabernaculo, mane extinguebantur: ita S. Hieron. Sic Aggæi cap. 2. versus primus referendus est ad finem capituli primi: alioqui enim manifeste pugnat eum versu secundo, qui proxime sequitur, ut patet intuitu. Similem diastolem esse Jerem. 28. v. 1. censet S. Hieron. et alii, ut ibi dixi. Talia nonnulla sunt, quæ suis locis annotavi.

Ubi Nota. Distinctio moderna capitum S. Scripturæ non est facta a Prophetis, nec a Patribus Græcis aut Latinis, sed iis posterior et recentior est, uti fuse docet Sixtus Senensis lib. 3. Biblioth. in methodo partitionis. Excepit Psalms, qui singuli seorsim dictati et scripti sunt. Patres enim citant S. Scripturam, per citationem non capitum, sed historiarum, vel materiarum. Sic S. August. dicit se scripsisse Comment. a principio Genesis usque ad eiectionem Adæ de paradiso, quod nos diceremus, in tria prima capita Genesis. S. Gregor. ait se scripsisse in librum Regum, a principio usque ad unctionem Davidis regis, quod nos diceremus, in quindecim prima capita 1. 1. Regum. Sic Elias Levita Præfat. in Masor. ait olim legem totam, puta Pentateuchum, fuisse unum Pasue, id est, unum tractatum sine incisione, vel divisione. Hinc S. Hilarius. scribens in Matthæum, eum distinxit in canones 33. et Ambrosius S. Lucam divisit in 64. titulos, Beda vero in 93. capita: licet Sixtus Senensis suspicietur hanc divisionem ab aliis esse factam. Ammonius Alexandrinus, vel, ut alii volunt, Eusebius Cæsariensis, aut Tatianus pro numero materiarum concordantiæ Evangelicæ distribuit S. Matthæum in cap. 350. Marcum in 235. Lucam in 345. Ioan-nem in 232. Porro in Interpretibus Græcis a sexcentis annis, puta Euthymio, Oecumenio, Areta, Andrea Cretensi, Suida, in novo Testamento capitum distributio invenitur similis nostræ, sed ea paulo maior. Ergo paulo post illud tempus videtur facta ea capitum divisio, quam nunc in Bibliis cernimus. Unde illa utuntur S. Thomas, Alerensis, Albertus, S. Bonaventura, illisque cœvi. Denique veteres libros æstimabant numero versuum, non capitum: versus autem constabat sex dictionibus. Sic S. Hieron. præf. in hom. Orig. super Cant. ait Origenem scripsisse in Cantica versus fere viginti millia. Idem de Script. Ec-

cles. ait Nazianzenum omnia opera sua conclusisse versibus triginta millibus. Et Apolog. in Rufinum, ait Hilarium mutuatum ex Origene versus prope quadraginta millia: seipsum vero, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse quotidie versus mille. Ita Sixtus. Non mirum ergo si divisio hæc subinde minus apta aut commoda sit, uti suis locis annotavi.

Euphemismus Græcis est boni ominis captatio; Rhetoribus est figura, qua nomina, vel res mali hominis in boni commutant, aut certe avertunt, et deprecantur; ut Terent. in Andria: *Si evenerit (quod Dii prohibeant) discessio*. Hæc non raro occurrit in Script. Sic enim maledictionem et blasphemiam ob sui enormitatem et execrationem, non audent suo nomine nominare, sed per euphemismum eam contrario nomine vocant benedictionem: ut, *Benedixit*, id est maledixit, *Naboth Deum et regem*, 3. Reg. 21. 13. *Benedic*, id est maledic, *Deo, et movere*. Job. 2. 9. Sic in iuramento execratorio dicunt: *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat*: sed per euphemismum silent malum quod quis sibi imprecatur, quasi rem tristem et mali ominis. Sic milites Davidis a Nabal tondente oves petunt alimoniam, dicentes per euphemismum: *In die enim bona venimus*, 1. Reg. 25. 9. Huic vicinus est *Charientismus*, id est, urbanitas, lepos et festivitas sermonis; quæ figura est Rethorices, qua dura dictu gratius proferuntur, ut si interrogantibus, num quis nos quæsierit? responsum datur, *Bona fortuna*, exinde intelligitur nos neminem quæsisse. Sic roganti matri: *Audio filium meum in bello esse captum, estne verum?* respondent amici eius dolorem festive levantes, *Non; est redemptus: quo tacite significant eum fuisse captum et male habitum, sed iam esse redemptum*. Sic Cicero pro lege Manilia, ne diceret consulares fasces esse captos, dixit esse redemptos. Sic sanatum esse vulnus libentius auditur, quam illatum; instauratam esse domum, quam dirutam, supplemento novo reffectas esse legiones, quam occisis militibus imminutas. Sic ait Isaias cap. 40. 1. *Consolamini, consolamini popule meus, etc. quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas eius*, quo tacite significat eum fuisse malam et inquam. Sic sapiens illa mulier Thecuitis, festive Absalonis scelus et fratricidium in se suosque filios transtulit, ut ei a Davide veniam impetraret, 2. Reg. 14. 6. Sic Nathan Propheta, ut regem Davidem de adulterio et homicidio Uriæ corripere, usus est apologo divitis, qui pauperi ovculam rapuit, et maetavit, ut in eius enormitate rex videret immanitatem sui flagitii, 2. Reg. 12. v. 2. Atque hic est modus commodissimus corripiendi magnates, qui opibus et titulis superbi, non ferunt se aperte et in fronte reprehendi. Charientismi illustres extant in epist. Valerii ad Rufinum, qua ei suadet ne ducat uxorem, tom. 9. operum S. Hieron. Sic enim habet: *Pacuvius flens ait Arrio vicino suo: Amice arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima uxor mea se suspendit, postmodum secunda, iam nunc tertia. Cui Arrius: Miror te in tot successibus lærymas invenisse. Dii boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit. Da mihi et de arbore illa surculos, quos seram. Timeo ne et te oporteat arboris illius surculos mendicare, eum iam inveniri non poterunt. Cato Uticensis dixit: Si absque femina posses esse mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Phoroneus rex ait Leonio fratri suo: Ad summam felicitatem nihil mihi deesset, si uxor mihi semper defuisset. Metellus Mario respondit, eum eius filiam dote divitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere noluit: Malo meus esse, quam suus. Cui Marius: Imo ipsa tua erit. At ille: Imo virum oportet uxoris esse. Logieum est enim: Talia erunt subiecta, qualia præmiserunt prædicata. Lais Corinthia petivit a Demosthene centum talenta pro consensu. At ille suspiciens in cælum, ait: Non emo tanti pœnitere.*

Can. 55.

# HARMONIA CHRONOLOGICA

## DUODECIM PROPHETARUM.

**H**oc est, tabula chronologica, per annos mundi et Christi consiguans oracula duodecim minorum Prophetarum, conformis et subalterna illi, quam quasi probabilem tum Pentateucho, tum Prophetis maioribus præfixi. Scio varios varie hæc consignare, omnesque probabiliter; sed paucis annis, quibus una chronologia ab alia distat, additis, vel demptis, hæc tabula cuilibet computui et chronologiæ serviet.

*Reges Iuda sibi continuo succedentes, sub quibus prophetarunt Prophetæ.*

Ozias, vel Azarias regnavit annis	52
Ioatham	46
Achaz	16
Ezechias	29
Amon	2
Iosias	31
Ioachaz mensibus	3
Ioachim annis	11
A Ioachim anno XI. fuit, puta ab eius cæde, et filii eius Ioachim transmigratio in Babylonem, incipiunt anni 70. captivitatis Babylonicæ, de quibus Ieremias c. 25. 11. Unde hinc annos prophetiæ suæ inchoat, et consignat Ezechiel in tota sua prophetia, ut ibidem dixi.	
Ioachim mensibus	3
Sedecias annis	11
Anno 11. Sedeciæ Nabuchodonosor Ierusalem et regnum Iuda evertit, anno regni sui 18.	
Regnavit post excisam Ierusalem Nabuchodonosor annis	26
Universim enim regnavit annis	44
Et successit ei filius Evilmerodach, sive Baltassar, qui regnavit annis	34
Baltassarem capta Babylone occidit Darius Medus et Cyrus. Itaque post Baltassarem in Babylone regnavit Darius Medus anno	1
Post Darium, Cyrus iam Monarcha regnavit annis	3
In anno 3. Cyri finiuntur prophetiæ Danielis, qui ultimus omnium quatuor maiorum Prophetarum prophetavit.	
Cyro successit Cambyses regnans annis	8
Cambysi post magos (qui paucis mensibus regnarunt) successit Darius Hystaspis, qui regnavit annis	36
Dario successit filius Xerxes, qui regnavit annis	20
Xerxi successit filius Artaxerxes, a manu una longiore altera, cognominatus Longimanus, qui regnavit annis	40
ANNO MUNDI 3136. ante Christum 814.	
qui fuit a diluvio annus 1479. a nativitate Abrahæ annus 1187. ab exitu Hebræorum ex Ægypto annus 682. cœpit regnare in Ierusalem et Iuda Ozias, sive Azarias rex, regnavitque per 52. annos, sub quo prophetavit Osee, Ionas, Amos, et Isaias. Itaque Osee, qui fuit primus omnium prophetarum, cœpit prophetare sub initia regni Ozia. Nam Isaias, qui eum secutus est, cœpit prophetare sub annum 17. Ozia, ut habet Euseb. in Chronico, qui fuit annus ante Christum 797. Ionas vero cœpit ante annum 14. Ozia, uti mox ostendam. Insuper sub Ozia rege cœperunt Olympiades. Annus enim 40. Ozia, qui fuit ante Christum 774. fuit annus primus Olympiadis 1. Ante Olympiades autem omnia apud Gentiles scriptores et historicos sunt incerta. Ab Olympiadibus enim cœpit apud eos historia fides. Audi Eusebium in Chronico ad Olympiadem 1. <i>Ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur: nam ante hoc, ut cuique visum est, diversas sententias protulerunt.</i> Unde Varro apud Censorinum de die Natali cap. 21. duplicem ponit sæculorum ordinem: priorem a diluvio ad primam Olympiadem, eum-	

Olympiades cœperunt anno 40. Ozia.

que vocat *μυθικόν*, id est fabulosum: posteriorem *εστορικόν*, id est historicum. Prophetæ ergo nostri antecesserunt omnem Gentilium historiam et sapientiam, æque ac Romam. Roma enim condita est anno 23. post inchoatas Olympiades, uti passim docent Chronologi.

Osee ergo sub initia regni Ozia, iussu Dei duxit uxorem fornicariam, et ex ea procreavit duos filios et unam filiam: primum nominavit *Iezrahel*: secundam filiam, *Lo rachuma*, id est, *Absque misericordia*: tertium, *Lo ammi*, id est, *Non populus meus*; ut tam factis, quam verbis portenderet sanguinem Iezrahel brevi vindicandum super domum Iehu; ac Israelem ob fornicationem cum idolis, aliaque scelera gravissime sine misericordia puniendum; atque cum vitulo aureo quem colebat in Dan et Bethel, transferendum in Assyriam. Post Oziam perrexit Osee prophetare sub Ioatham, Achaz et Ezechia, ut ipse ait cap. 1. 1. sed quid præcise sub hoc illo rege prophetarit ignoramus: quia ipse, ut et alii minores Prophetæ, sua oracula per annos regum sigillatim non consignant, uti consignant Ieremias, Ezechiel, Daniel, et subinde Isaias. Porro sub hisce regibus Osee prædixit, Christum devicta morte et Inferno, die tertia resurrecturum; Synagogam Iudæorum, tamquam adulteram, a Deo repudiandam; Ecclesiam vero ex Gentibus, Christo per fidem sponsandam in sempiternum: denique Synagogam diebus multis fore sine rege et lege, sine sacerdotio et sacrificio, expectantem Messiam, ad quem in fine mundi convertetur.

Paulo post Osee prophetavit Ionas contra Niniven, nimirum regnante in Iuda Ozia, in Israel Ieroboam, ut patet 4. Reg. 14. 25. Quare necesse est Ionam prophetasse primis 14. annis regni Ozia: illis enim dumtaxat cum Ozia regnavit Ieroboam. Ipse enim vita et regno decessit anno 14. Ozia, ut colligitur ex 4. Regum 15. 4. iuncto cum cap. 14. 23. Eodem tempore in Latio regnabat Procas Sylvius, avus Romuli, et in Assyria Sardanapalus, qui videtur fuisse rex Ninives a Iona conversus ad pœnitentiam. Ionas ergo præcessit Amos paucis annis. Amos enim cœpit anno 25. Ozia, ut iam dicam.

ANNO MUNDI 3161. ante Christum 789. qui fuit Ozia regis annus 25. cœpit prophetare Amos. Cœpit enim *ante duos annos terræ motus* (ut ipse ait c. 1. v. 1.) qui contigit anno 27. Ozia. Prophetat autem vindictam Dei in Damascus, Philisthæam, Tyrum, Edom, Ammon, Moab, Iudam, et maxime contra Israel, id est. decem tribus, quibus ob idololatriam aliaque flagitia excidium per Assyrios intentat. Ad hæc, tenebras e Solis eclipsi, meridie futuras per totum orbem in passione Christi; ac per eum tabernaculum Davidis collapsum restaurandum vaticinatur. Insuper in Bethel prædicat captivitatem et excidium Israelis. Quocirca ab Amasia sacerdote idolorum accusatur rebellionis, ac tandem vecte per tempora transfixus, Martyr occumbit.

Paulo post Amos cœpit prophetare Abdias, qui Idumæis excidium per Chaldæos prædicat, eo quod ipsi perpetui fuerint Iudæorum hostes.

ANNO MUNDI 3188. ante Christum 762. cœpit regnare in Iuda Ioatham, filius Ozia: sub quo cœpit prophetare Michæas, ut ipse ait cap. 1. v. 1. Prædicat autem initio Samariæ et Israelis excidium per Assyrios.

ANNO MUNDI 3198. ante Christum 751. qui fuit regni Ioatham XI. Roma condita est a Romulo, qui in ea regnavit annis 29. Quocirca solerter et apposite notat S. August. lib. 18. Civit. 27. hosce Prophetas cœpisse prophetare sub exordia urbis Romæ, quia eorum oracula Romanis, et Gentibus Christi lidem amplexuris scribebantur. Audi eum: *Ezechias quippe rex Iuda eo usque regnavit, ac per hoc per ea tempora, isti velut fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Assyriorum, cœpitque Romanorum; ut scilicet quemadmodum*

Osee quando cœperit prophetare.

Ionas.

Amos.

Abdias.

Michæas.

Roma quando condita.

regni Assyriorum primo tempore extitit Abraham, cui promissiones apertissimæ fierent in eius semine benedictionis omnium gentium; ita in Occidentalis Babylonis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula Prophetarum, non solum loquentium, verum etiam scribentium in tantæ rei futuræ testimonium solverentur. Cum enim Propheta nunquam fere defuisset populo Israel, ex quo ibi reges esse ceperunt, in usum tantummodo eorum fuere, non Gentium. Quando autem ea Scriptura manifestius prophetica condebatur, quæ Gentibus quantoque processet, tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc civitas, quæ Gentibus imperaret.

ANNO MUNDI 3220. ante Christum 730.

cœpit in Iuda regnare Ezechias: sub huius annum 7. vel 8. cum iam eversa esset ab Assyriis Samaria, et Israel abductus in Assyriam anno 6. Ezechiae, ita ut sola restaret intacta Ierusalem et Iuda, Michæas cap. 3. v. 12. prædicit quod Ierusalem a Chaldæis exscindetur. *Sion, inquit, quasi ager arubilur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.* Vide Ierem. 26. vers. 18.

Nabum. Sub idem tempus prophetavit Nabum excidium Ninives, eo quod Ninivæ post prædicationem Ionæ, in pristina seclera relapsi essent, uti dicam præmio in Nabum.

ANNO MUNDI 3230. ante Christum 720.

Ezechias in regno agebat annum decimum; sub hunc annum edidit Michæas illustre illud oraculum cap. 5. 2. de Christo in Bethlechem nascituro, uti ibidem ostendam.

ANNO MUNDI 3234. ante Christum 716.

Ezechias agebat annum regni 14. sub hunc annum Michæas protulit prophetiam illam cap. 4. 1. de Ecclesia in Sion a Christo instituenda, uti ibidem demonstrabo.

ANNO MUNDI 3249. ante Christum 701.

Joel. cœpit in Ierusalem et Iuda regnare Manasses rex impius: sub quo probabile est prophetasse Joel; quia ipse soli Iudæ (quasi Israele iam vastato anno 6. Ezechiae) vaticinatur excidium ob idololatriam, et ob occisos ab eis Prophetas, quod factum est tempore et iussu Manassis. S. Hieron. tamen Euseb. et alii permulti censent, Ioelam prophetasse longe antè, scilicet paulo post Osce, sub Ozia rege. Porro Joel prædicit Iudææ instare vastitatem per noxias bestias, et hostes Chaldæos, quos sub specie locustarum, erucarum et bruchorum depingit; ideoque hortatur omnes, et præsertim sacerdotes, ad planetum, ieiunium et orationem; et conversis magnam pollicetur prosperitatem, dandum Doctorem iustitiæ, Spiritum sanctum effusum iri super credentes, invocantes Dominum salvos fore. Denique diem iudicii prænuñciat, ac graphice describit eius horrorem, et prodigia prævia; locum quoque significat, nimirum in valle Iosaphat peragendum esse.

Habacuc. Sub Manasse etiam prophetavit Habacuc, qui pariter Manassi, ac toti Iudææ ob impietatem, extremam cladem per Chaldæos prænuñciat.

ANNO MUNDI 3306. ante Christum 644.

Sophonias. cœpit regnare in Iuda Iosias: sub quo prophetavit Sophonias, ut patet c. 1. 1. æque ac Ieremias: quos secuti sunt Ezechiel et Daniel, qui prophetarunt sub Ioakim filio Iosia. Quocirca hi soli Iudæ, utpote Israele iam sub Ezechia vastato, comminantur Dei vindictam: *Scrutabor, inquit, Deus per Sophoniam c. 1. 12. Ierusalem in lucernis: atque in typo excidii Ierusalem, æque ac Ninives, orbis excidium, diemque orribilem iudicii graphice depingit.*

Novem Propheta iam recensiti, prophetarunt ante excidium Ierusalem, et ante captivitatem Babylonicam. Nam hæc contigit sub Ioakim et Sedecia filiis Iosia. Cæteri tres qui sequuntur, puta Aggæus, Zacharias et Malachias, prophetarunt post captivitatem Babylonicam, postque reditum Iudæorum ex Babylone, qui contigit anno 1. monarchiæ Cyri. Quocirca

ANNO MUNDI 3433. ante Christum 517.

qui fuit annus 2. Darii Hystaspis, Tarquini Superbi, Ro-

manorum septimi et ultimi regis, annus 27. ait S. Hieron. cœpit prophetare Aggæus, ac Iudæos hortari, ut templum a Chaldæis combustum reedificet. Aggæi oraculis excitati Iesus pontifex et Zorobabel dux, cum populo templi fabricam ordiuntur, quibus Aggæus promittit tam frugum copiam, tum maiorem fore huius templi, quam prioris Salomonici gloriam: Christum enim ex Zorobabel nasciturum, hoc templum sua præsentia, concionibus et miraculis condecoraturum.

Eodem anno, sed bimestri post Aggæum (puta mense 8. Aggæus enim mense 6.) cœpit prophetare Zacharias, Aggæi adiutor, stimulans populum ut, postpositis privatis suis commodis et domibus fabricæ templi insistat. Unde vidit virum metientem civitatem cap. 2. 1. et Iesum pontificem templi c. 3. et candelabrum templi c. 4.

ANNO MUNDI 3434. ante Christum 516.

qui fuit annus 3. regni Darii Hystaspis, Zacharias cap. 5. vidit amphoram, in qua sedebat mulier nomine impietas per aerem raptari in Babylone. Et c. 6. vidit quatuor quadrigas, representantes quatuor imperia, et monarchias sibi invicem ex ordine successuras; ac post eas Christum Christique regnum: *Ecce, inquit, vir Oriens nomen eius.*

ANNO MUNDI 3435. ante Christum 515.

qui fuit annus 4. Darii Hystaspis, Zacharias, ut ipse asserit c. 7. 1. rogatus, an pristina captivitatis ieiunia, ea iam soluta, adhuc servanda forent? respondet, ea commutanda in festivitates præclaras, ac Iudæos hortatur, ut in fabrica templi animose pergant. Unde cap. 9. monet, ne timeant Philistæos; eo quod hi ipsis a Deo sint subiugandi, ac rursus promittens Christum: *Ecce, ait, rex tuus veniet tibi iustus et salvator ipse pauper, et ascendens super asinam, et pullum filium asinæ.*

ANNO MUNDI 3437. ante Christum 513.

qui fuit annus 6. Darii Hystaspis, perfecta est templi fabrica: in cuius dedicatione Aggæus et Zacharias cecinerunt alleluia; ita Epiphani. et Dorothei. in eorum Vita. Quocirca Zacharias sequentibus annis vaticinatur ea, quæ c. 10. et deinceps enarrat, nimirum summam urbis et templi fore felicitatem, per Machabæos pontifices, duces et vindices populi: ac præsertim per Christum qui in eo versabitur, et victimam pro hominibus se offeret Deo, ideoque a Iuda vendetur Iudæis 30. argenteis; percutietur ut pastor, et dispergetur oves: denique perfossis manibus atligetur cruci. *Quid sunt, inquit, plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: Ihs plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, Zachar. 13. 6.* Quocirca per Christum effundendum spiritum gratiæ, et fontem baptismatis super habitatores Ierusalem, omnesque gentes ad Christum et Ecclesiam concursuras prædicit et promittit.

ANNO MUNDI 3467. ante Christum 483.

qui fuit annus Darii Hystaspis 36. et ultimus, Aggæum et Zachariam diem obiisse tradunt Hebræi in Seder Olam, et innuunt S. Epiphani. et Dorothei. in eorum Vita.

ANNO MUNDI 3487. ante Christum 463.

cœpit in Perside regnare Artaxerxes Longimanus, filius Xerxis: sub cuius annum 5. vel 6. prophetat Malachias, Prophetarum omnium ultimus, contra vitia sacerdotum et populi, præsertim quod contra legem uxores alienigenas duxissent. Nam anno sequenti, puta 7. Artaxerxis, venit Esdras in Ierusalem, omnibusque persuasit ut eas repudiarent. Insuper prædicit Malachias sacrificia Iudæorum a Deo repudianda, ac eorum loco oblationem mundam Eucharistiæ a Christo sancientiam, quæ ubivis gentium toto orbe offeratur et sacrificetur; denique Christum venturum ad templum quasi angelum testamenti, eiusque præcurso-rem fore minorem angelum, scilicet Ioannem Baptistam: Eliam vero venturum ante secundum Christi adventum, qui convertet corda patrum ad filios.

Ex dictis patet, hosce duodecim Prophetas vicissim et successive prophetasse per 300. annos: tot enim fluxerunt ab Ozia rege Iuda usque ad Artaxerxem Longimanum.

# HIEROGLYPHICA

## E DUODECIM MINORIBUS PROPHETIS EXCERPTA.

### EX OSEE.

- Cap. 1. *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum.* Ad literam iubet Deus Prophetæ, ut ducat meretricem in uxorem, indeque procreet filios qui a matre infami vocentur filii fornicationum, id est, filii fornicariæ et meretricis: idque ad hoc, ut repræsentet idololatriam Israelis. Osee enim repræsentat Deum, uxor meretrix Synagogam, filii Israelitas. Unde explicans subdit: *Quia fornicans fornicabitur terra a Domino, q. d. Quia incolæ terræ, puta Israelitæ, a Deo apostatabunt, et colent idola quasi amasios suos.*
- v. 2. *Et peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel: quia adhuc modicum, et visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu.* Iezrahel, id est semen Dei, repræsentat Israel, qui erat populus Dei. Osee ergo iubetur a Deo primogenitum suum vocare Iezrahel, ut per eum repræsentet stragem posteriorum Iehu, regum Israel, q. d. Succidam posteros Iehu ob idololatriam, et quia ipsi Iezrahel, id est, pios Israelitas, Deum verum colentes persecuti sunt, sicut succidi stirpem Achab in Iezrahel ob idololatriam, et quia ipse in Iezrahel pium Naboth occidit. Unde subdit: *Et conteram arcum Israel in valle Iezrahel.*
- v. 4. *Et peperit filiam. Et dixit (Dominus) ei: Voca nomen eius, absque misericordia.* Causam subdit, scilicet ut suo nomine repræsentet, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.
- v. 6. *Et concepit, et peperit filium. Et dixit: Voca nomen eius, non populus meus, ut hic filius suo nomine Israeli assidue in os ingerat: Quia vos non populus meus, et ego non ero vester.*
- v. 9. *Dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel. Et fodi, id est pretio conduxit, eam. Et dixi ad eam: Dies multos exspectabis me, non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te.* Quid hoc symbolum significet, explicat subdens: *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim: et post hæc revertentur et quærent Dominum, etc. in novissimo dierum.*
- Cap. 3. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius: et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ.* Christi adventum, eiusque gratiam et Evangelium recte denotat per symbolum auroræ: sicut enim hæc post longam noctem, lucis et diei omnisque boni est initium et causa, ita et Christus: atque per symbolum imbris temporanei, qui sementem rigat; ac serotini, qui messem impinguat et maturat: pari enim modo Christus et semen gratiæ, et messen bonorum operum, ac gloriæ æternæ in nobis operatur.
- Cap. 6. *Profunde peccaverunt sicut in diebus Gabaa, q. d. Sicut Gabaitæ gravissime peccaverunt, enormi stupro occidentes uxorem Levitæ, illudque insano bello contra cæteras omnes tribus defendentes, quo proinde usque ad interuersionem cæsi sunt, Iudic. 19. et 20. ita nunc Israelitæ gravissime peccant stupro spirituali, id est, idololatria: quia illam pertinacissime retinent et tuentur, ideoque excinduntur ab Assyriis.*
- v. 13. *Ephraim Tyrus erat fundata in pulchritudine, q. d. Israel cum Deum coleret, erat pulcherrimus, opulentissimus et fortissimus, uti est Tyrus, quæ in rupe sita, et mari cincta, pulcherrima est, opulentissima et inexpugnabilis, omniumque gentium accolis et opibus, quasi regina coronatur. At iam eum Deum dereliquit: vastabitur et perdetur ut Sodoma.*
- Cap. 10. *Vitis frondosa Israel: fructus adæquatus est ei, q. d. Israel vitis est frondibus luxurians, et in eas totam se ef-*

**A** fundens; hinc similes parit fœtus, folia nimirum inania, non solidos fructus, q. d. Israel frondibus abundat, fructu vacuatur: quia opes resque externas consecatur, internum vero in mente pietatis cultusque Dei fructum negligit: fructus ergo eius est ventris, non mentis; carnis, non spiritus, puta opes, fruges, luxus, indeque consequens impietas et idololatria.

*Ephraim vitula docta diligere trituram.* Idem dicit metaphora vitulæ, quod prius dixit per metaphoram vitis, q. d. Ephraim diligit trituram, id est, fruges et opes, ideoque amat laborem trituraudi, id est, colendi idola: quia per ea se putat hæc fruges nancisci. Hinc facta est pinguis et obesa: sed ego collum eius pingue et crassum domabo, faciamque ut Assyrii in illud incendant, eumque frænent et regant, uti eques frænat et regit equum. Hoc est quod ait: *Ascendam super Ephraim.*

*Ego quasi nutricius Ephraim: portabo eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Funiculi Adam sunt amor et beneficentia, quibus allici trahique solent homines ad redamandum: illex enim et magus amoris est amor.

*Ideirco (quia scilicet vitulos aureos coluerunt, meque Deum ad iram concitarunt, excindam eos per Assyrios: unde tunc) erunt quasi nubes matulina, et sicut ros matulinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario, id est, de camino, qui in aere mox dispellitur et evanescit: pari enim modo ipsi in captivitate dispergentur.*

*Et ego ero eis quasi læna, sicut pardus in via Assyriorum (ab Assyriis enim quasi pardis in Assyriam ducentur) occurram eis quasi ursæ raptis catulis, et dirumpam interiora iecoris eorum.* Solent enim leones et feræ prædam findere et lacerare usque ad cor, illudque cum iecore primo devorare, q. d. Pari modo ego cor, id est, mentem, et iecur, id est, appetitum et concupiscentiam, Israelitarum tristissimis cogitationibus, anxietatibus, melancholiis, pavoribus, et mœroribus affligam, et quasi dirumpam.

*Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero inferne.* Christus moriens fuit mors mortis, quia moriendo mortem occidit: momordit vero infernum, cum post mortem eo descendit, et patres ex ipso eduxit, ac vires inferorum et dæmonum confregit.

*Ero quasi ros Israel: germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius ut Libani. Ibunt (diffundent se) rami eius, et erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani.* Israelis, id est, fidelis et iusti, fœcunditatem, gratiam et felicitatem comparat, primo, rori et irrorationi; secundo, lilio; tertio, cedro, pino, aliisque arboribus Libani proceris, latis et odoratis; quarto, olivæ pingui et fertili; addit quinto, *Convertentur sedentes in umbra eius;* sexto, *Vivent tritico;* septimo, *Germinabunt quasi vinea;* octavo, *Memoriale eius sicut vinum Libani,* q. d. Israelitæ, id est, fideles verique Christiani, abundabunt omni annona spiritali verbi Dei et Sacramentorum, præsertim Euchariستيæ; ideoque florebut et crescent omnibus virtutibus, bonis operibus et meritis.

### EX IOELE.

*Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo, q. d. Una clades alteri succedit, sequens antecedentem continua serie excipit: Assyrii assiduis incursionibus populantur et vastant terram Israel. Loquitur enim de Assyriis figurate, quasi de locustis et bruchis agros et vineas depascentibus, dicens: Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis: dentes eius ut dentes leonis, et molares eius ut catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit.*

- Cap. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locusta, brachus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quum misi in vos, q. d. Pristinam eladem et vastitatem nova pace et ubertate sarciam et compensabo.*
- v. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et propheta- bunt filii vestri et filia vestra. Id factum in Pentecoste, Act. 2.*
- v. 30. *Et dabo prodigia in caelo, et in terra, sanguinem, ignem et vaporem fumi, in fine mundi; antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, puta dies iudicii.*
- Cap. 3. *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat, et disceptabo cum eis ibi. In valle enim Iosaphat, quæ est prope Ierusalem, fiet iudicium, ac super eam sedebit in nube gloriosa Christus Iudex.*
- v. 13. *Mittite falces, quoniam maturavit messis. Venite et descendite, quia plenum est torcular. Messis est consummatio sæculi, tunc enim angeli quasi falce demetent homines impiosque prement quasi in torculari, in valle concisionis, id est, in gehenna inferni.*
- v. 18. *In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Iuda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum, Hebr. torrentem Setim. Ligna Setim erant imputribilia: unde ex eis facta erat arca, et tabernaculum, hinc significat Ecclesiam triumphantem et Beatos, q. d. In caelo omnia erunt plena dulcedinis, suavitatis et gaudii, et per beatissimos rivos, id est, choros laudantium Deum, aquæ voluptatum decurrent; et fons, id est, lumen gloriæ, et visio beatifica de throno Dei egredietur, irrigans et beans omnes electos.*

## EX AMOS.

- Cap. 5. *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis? q. d. Sic ego non ambulabo cum Israele, quia ille mecum non convenit, sed cum idolis.*
- v. 4. *Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? q. d. Sic Deus rugire non desinet contra Israel, donec eum quasi prædam capiat et laniet per Assyrios.*
- v. 5. *Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? Numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit? q. d. Sic Deus laqueum Assyriorum, quem quasi aucups tetendit Israeli, non auferet, donec eodem Israellem capiat et strangulet.*
- v. 6. *Si clanget tuba in civitate, et populus non expavesceat? Sic Deo clangente per Amos, ac indicente prælium et stragem, merite expavesceat Israel. Unde hæc omnia hieroglyphica explicans, et applicans subdit: Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit?*
- v. 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, et in Damasci grabato, q. d. Sicut pastor leoni ex ove devorata eripit duo crura, sic pauci Israelitæ evadent manus Assyriorum, iique viles et inutilis, scilicet pauperes, et ægri macie morboque confecti, qui in plaga, id est, latere et angulo, lecti decumbunt, vel in Samaria, vel in Damasco.*
- Cap. 4. *Formans montes, et creans ventum, et annuncians homini eloquium suum: faciens metulinam nebulam, et gradens super excelsa terræ. Dominus Deus exercituum nomen eius. Est hypotyposis potentia et magnificentia Dei.*
- Cap. 5. *Bethel erit inutilis. Hebr. Bethel erit in Aven, q. d. Domus Dei fortis fiet domus vanitatis, doloris et diaboli.*
- v. 19. *Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur donum, et imitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber, q. d. Samaritæ ex uno periculo in aliud, ex uno hoste in alium, v. g. ex Phul in*
- Cap. 7. *Teglatphalasar, ex hoc in Salmanasar incident.*
1. *Ece fietor locustæ in principio germinantium serotini*

*imbris, et ecce serotinus post lonsionem regis. Locustæ sunt Assyrii, fietor est Deus, imber serotinus est Ieroboam, tonsio regis est vastatio Israelis facta a Beoadad, q. d. Post vastitatem Israeli inlietam a Beoadad, res Israelis per Ieroboam regem rellouescere cœperunt: sed ecce mox Deus immisit Phul et Assyrios, qui quasi locustæ eas depascere.*

*Et ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, et devoravit abyssum multam, et comedit simul partem, q. d. Post Phul, qui mille talentis a Manahen rege Israel acceptis, sine noxa abiit, Deus iusto suo iudicio immisit Israeli ignem, id est, Salamanasar, qui ignito quasi ardore et impetu eum invadens, devoravit abyssum multam, id est, magnam multitudinem populi, puta tribum Ruben, Gad, et dimidiam Manasse, trans Iordanem humili loco quasi in abysso habitantes: Et comedit simul partem Israelis selectam, scilicet tribum Nephtholim, Aser et Zabulon, eis Iordanem commorantes.*

*Et ecce Dominus stans super murum litum (calce incrustatum, id est, elegantem et firmum) et in manu eius trulla cæmentarii. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adieciam ultra superinducere eum. Trulla est cura et providentia, qua Deus murum Israelis calce illinivit, id est, speciosum, æque ac fortem et hostibus invictum effecit, quamdiu Israel Deo fidelis adhæsit. At nunc eum infidelis ad vitulos aureos dellexit, Deus deponit trullam, id est, curam eiusdem, sinitque eum invadi ab Assyriis, et ruere in interitum.*

*Ece uncinus pomorum, Et dixit: Quid tu vides Amos? Cap. 8. Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: 1. Venit finis super populum meum Israel, q. d. Sicut uncino poma ex arbore carpuntur, sic per Assyrios carnam Israelitas, et in captivitatem abducam: ita S. Hier. My- stice, poma sunt homines, quos uncinus, id est, mors carpit nunc hunc, nunc illum, donec omnes colligat.*

*Ascendet quasi fluvius universus, et eiicietur, et defluet quasi rivus Ægypti, q. d. Sicut Nilus exundans opplet totam Ægyptum, eamque abluit et evertit secum in mare, in quod defluit; ita Assyrii operient terram Israel, omnesque eius opes et incolas in eumulum colligent, eosque secum abducent in Assyriam.*

*Vidi Dominum stantem super altare, et dixit (angelo) Percute cardinem, et commoveantur superliminaria. In- bet hic Deus angelo, ut convulso cardine evertat templum, ob avaritiam et scelera populi.*

*In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, etc. et possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes, etc. et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt, q. d. Regnum Davidis, collapsum restaurabo per Christum, faciamque ut ipse per fidem possideat Idumæam omnesque gentes, tanta donorum spiritualium ubertate et felicitate, ut montes et colles vina et mella fundere videantur, patet Aetor. 15. 16.*

## EX ABDIA.

*Erit domus Iacob ignis, et domus Ioseph flamma, et domus Esau stipula, q. d. Iudæi et Israelitæ subigent sibi Idumæos, sicut ignis subigit sibi stipulam. Unde explicans subdit: Et succendentur in eis, et devorabunt eos.*

## EX IONA.

*Et erat Ionas in ventre piseis tribus diebus, et tribus noctibus. Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus, Matth. 12. 40. Post triduum piscis vomuit Ionam in aridam, v. 11. Sic Christus post triduum ex inferis redivivus et gloriosus resurrexit.*

*Et preparavit Dominus Deus hedera, et ascendit super caput Ione, ut esset umbra super caput eius. Et latus est Ionas. Et preparavit Deus vermem, et percussit hedera, et exaruit, etc. Et percussit sol super caput Ione,*

etc. Tropol. docet Deus omnes res et spes humanas esse umbram hederae, quam subito vermis adversitatis erodit, tumque homines in ea recumbentes ferit sol angoris et tribulationis. Qui ergo sapit, non in creatura aliqua, sed in creatore spes resque suas deponat. Ille iuge præbebit umbraculum, ille iugis certusque erit protector.

## EX MICHÆA.

Cap. 4. 1. *Et erit: in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in scmitis eius: quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Ierusalem. Est hieroglyphicum Ecclesiæ, quam Christus inchoavit in Sion. Hæc est enim civitas in monte posita, quam eminus intuentur omnes gentes, et ad eam confluunt, ut discant legem Dei et Christi, ac iuxta eam vitam Christianam et sanctam incant in pace, concordia et gaudio Spiritus sancti. Unde subdit: *Et conident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterrcat, etc. et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum.**

v. 8. *Et tu turris gregis nebulosa* (hebr. *עֹפֶל* ophel, quæ erat turris altissima iuxta templum, ideoque intuentibus apparebat caliginosa) *filix Sion, usque ad te veniet: et veniet potestas prima, regnum filix Ierusalem, q. d. Tu o Sion quæ turribus Ophel, gregis, et aliis celsis et nebulosis excelsa es, nebulosa et munita, felix eris et beata. Nam ad te primo veniet Christus, ipse primo in te regnabit, prima eius potestas et imperium tibi ab eo communicabitur, nimirum priscum et avitum regnum Davidis, qui regnavit in Sion et Ierusalem, ipse quasi eius filius et hæres suscipiet, et restaurabit, ac fortissimum efficiet, non corporale, sed spirituale, illudque tibi consignabit. Ec-*

Cap. 5. 2. *Et tu Bethlehem (sita in regione) Ephrata, id est, frugifera et fertili) parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur (Christus) qui sit dominator in Israel: et egressus eius ab initio a diebus æternitatis. Egressus Christi duplex, symbolum est duplicis nativitatis Christi. Prior fuit in cælo æterna, in qua Christus genitus est a solo Patre, fuitque *απαρχος*. Posterior est temporalis, in qua Christus natus est in Bethlehem ex Virgine Deipara, fuitque *απαρχος*.*

## EX HABACUC.

Cap. 3. 4. *Cornua in manibus eius, q. d. Manus, id est, potentia, operatio et vindicta Dei est cornuta, id est, valida, acris et penetrans. Mystice cornua sunt anguli et clavi in manibus Christi crucifixi. Nam ibi abscondita est (divinitas et) fortitudo eius. Unde quasi in triumphum, ante faciem eius ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes eius, etc. Incurvati sunt colles (puta reges et principes) mundi ab itineribus æternitatis eius. In quemcumque enim locum pedem suum intulit Christi æternitas, et æterna maiestas circumiens orbem, et evangelizans per Apostolos, illum, eiusque principes, sibi suæque fidei et cultui subiugavit.*

## EX SOPHONIA.

Cap. 3. 1. *Væ provocatrix et redempta civitas columba. Columba symbolum est stoliditatis: quia ablatiis pullis e nido, ad*

illum tamen revertitur, q. d. Væ Hierosolymæ, quæ stolidita est et excors ut columba: nam cum a me ex Ægypto, et alias sæpe sit redempta et liberata, ipsa tamen mei obliviscitur, ad idola pergit, itaque me ad iram provocat.

*In igne zeli mei devorabitur omnis terra. Hic ignis zeli* v. 8. *apparuit in Pentecoste, quando Spiritus sanctus, in lingua igneis insedit Apostolis, per quos consumpsit et devoravit omnem terram Gentilium et gentilismi. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. Labium electum est lingua fidelis et Christiana, qua omnes gentes ab Apostolis conversæ invocant nomen Domini, eique serviant humero uno, id est, unanimiter, summa concordia et charitate. Unde de iis subdit:*

*Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit; v. 17. gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, id est, in tui amore silenter et gaudenter conquiescet, exultabit super te in laude, laudando tuam fidem, constantiam, patientiam, martyrium, etc.*

*Nugas qui a lege recesserant, congregabo. Nugas vocat* v. 18. *nugaces, leves et viles Iudæos, qui a lege recesserant, quos Christus in Sionem, id est, in suam Ecclesiam, congregavit et adunavit.*

## EX AGGÆO.

*Adhuc unum modicum, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet* Cap. 2. *desideratus eunetis gentibus, et implebo domum istam gloria. Desideratus est Messias, qui fuit gloria templi secundi, dum illud sua præsentia, doctrina et miraculis condecoravit. Commota sunt cælum et terra, dum prodigia stupenda ediderunt in eius nativitate et morte, quibus quasi clamabant se stupere hanc creatoris sui exinauitionem et dignationem, ac homines ad similem stuporem, gratitudinem, amorem et laudem Dei provocabant. Unde explicans subdit: *Magna erit gloria domus istius novissimæ, id est, templi Zorobabelis, plusquam primæ, puta templi Salomonis.**

*In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum; quia te elegi. Signaculum, id est, sigillum, vel annulus signatorius; quia hic omnia obsignat et custodit, ac literis et edictis regiis dat fidem: unde regi est ad manum, eiusque digito inseritur: hinc symbolum est amoris, fidei, auctoritatis, honoris, excellentiæ, quæ Deus contulit Zorobabeli, dum ex eius stirpe fecit nasci Christum, quem statuit suum in orbe Legatum, Regem, Doctorem, Prophetam, Pontificem, Redemptorem, ut legem Evangelicam, salutem et reconciliationem a Deo decretam, omnibus sibi credentibus promulgaret, et reipsa conferret: *Hunc enim Pater signavit Deus, Ioan. 6. 27.**

## EX ZACHARIA.

*Ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat* Cap. 1. *inter myrteta quæ erant in profundo (in valle, v. g. ad ripam Euphratis, cui adiacet Babylon: ) et post eum equi rufi, varii, et albi. Hic vir fuit S. Michael custos Synagogæ: insidet equo rufo, quasi vindex, fusurus sanguinem hostium populi Dei: stat inter myrteta, id est, inter Prophetas piosque Iudæos, qui in profundum captivitatis et ærumnarum in Babylone fuerant demersi. Sequuntur eum equi et equites rufi, id est, angeli præsidēs gentium, quæ persecute fuerant Iudæos; et albi, id est, angeli præsidēs gentium Iudæis benevolarum: et varii, id est, angeli præsidēs gentium variantium affectum, ut nunc Iudæis essent amicæ, nunc inimicæ. Omnes hi perlustratis regionibus sibi commissis, dicunt gentes omnes in pace degere. Unde orat Michael, ut eadem Iudæis detur: *Usquequo, inquit, tu non misereberis Ierusalem? iste iam septuagesimus annus est desolationis urbis et templi.**

*Ecce quatuor cornua, etc. Et ostendit mihi Dominus* v. 19. *quatuor fabros, etc. Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Iudam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum.*



*Et venerunt isti deterrere ea, ut desicciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Iuda. Quatuor cornua sunt quatuor gentes degentes ad quatuor mundi plagas, quæ vexarunt Iudæos, scilicet ab Oriente Ammonitæ, ab Occidente Philistini, a Meridie Idumæi, ab Aquilone Assyrii et Chaldæi. Porro quatuor fabri, sunt quatuor angeli tutelares Iudææ, qui hæc gentes et timore perculerunt, et percussas prostraverunt.*

Cap. 2. *Ego ero ei (Ierusalem et magis Ecclesiæ) ait Dominus, murus ignis in circuitu, q. d. Instar muri ignei cingam et tuebor Ecclesiam, ne quis hostis eam invadat: sicut Cherub flammeo gladio tuetur paradisum, Gen. 3. Unde subdit: Et in gloria ero in medio eius, q. d. Intrinsicus civibus ero consolationi, et gloriæ: forinsecus vero hostibus, instar muri ignei ero terrori et vastitati.*

v. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes. Est vox Christi, q. d. Olim ego Dei filius, gloriam meam ostendi in Ierusalem et Iudæis: nunc mittor a Patre in carnem, ut maiorem gloriam ostendam in Ecclesia et gentibus Christianis. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Cap. 3. *Et Iesus pontifex filius Iosedee, erat indutus vestibus sordidis. Et stabat ante faciem angeli. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se (angelos inferiores) dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoris, q. d. Abstuli a te peccata tua, et restitui tibi pontificatum, ideoque pro vestibus sordidis reddo tibi stolam pontificiam, ut deinceps templum cultumque meum instaures, in eoque pontificatu fungaris. Allegorice, Iesus filius Iosedee representat Iesum Christum, ob peccata nostra sputis et plagis in passione sordidatum, sed die tertia resurgentem, et stola gloriæ circumdatum.*

v. 8. *Audi Iesu sacerdos magne, tu, et amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt, hebr. viri portenti, q. d. Tu o Iesu, Zacharia, Aggæe, etc. estis Propheta, et tam verbis, quam factis portenditis Christum, eiusque Ecclesiam; unde subdit: Ecce enim ego adducam servum meum Orientem, hebr. צמח tsemach, id est, germen oriens ex Virgine et radice Iesse, puta Christum.*

v. 9. *Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu: super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego exlabo sculpturam eius, ait Dominus. Lapis hic angularis, et fundamentalis templi, id est Ecclesiæ, est Christus. Septem eius oculi, sunt septem angeli primarii protectores Ecclesiæ: sculpturæ, sunt vulnera et stigmata Christo in passione ineisa, per quæ abstulit iniquitatem terræ, ut sequitur:*

Cap. 4. *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas eius super caput ipsius: et septem lucernæ eius super illud: et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius. Et duæ oliivæ, super, id est iuxta, illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris eius. Candelabrum representat lucidissimam Dei providentiam, qua futurum erat, ut mox candelabrum materiale, id est, templum a Iudæis reedificaretur. Lampas est ipsa divinitas et mens divina omnisca. Septem lucernæ lucentes instar oculorum, sunt septem angeli primarii, administris et executores divinæ providentiæ, præsertim in hæc templi fabrica. Sic enim eas explicat angelus v. 10. dicens: Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. Septem infusoria, id est, calami concavi instar canalium et fistularum, per quos oleum e lampade derivabatur et defluebat in septem lucernas, totidem calamis insistentes, significant varias divinæ providentiæ rationes, modos et influxus, quos septem angelis administris suis communicat, ut eas exequantur. Duæ oliivæ, sunt Iesus Pontifex et Zorobabel princeps, qui adstant candelabro representanti Deum Deique providentiam, ut eam exequantur, templumque reedificent, ac Ecclesiam, æque ac republ. Iudæorum instaurent. Ita enim explicat angelus v. ultimo dicens: Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.*

*Allegor. Candelabrum est Ecclesia: Lampas est Christus: Oleum est Christi sanguis, merita et gratia. Hæc enim Christus per septem Sacramenta, quasi infusoria,*

**A** *influit in septem lucernas, id est, in omnes fideles et Ecclesias. Duæ oliivæ, sunt S. Petrus et Paulus, qui Christo assistunt quasi principili in fundanda et exornanda Ecclesia. Item Elias et Henoch in fine mundi, qui Iudæos gentesque omnes ad Christum convertent; itaque consummationem et culmen imponent Ecclesiæ, tam militanti, quam triumphanti.*

*Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum, q. d. v. 7.*

*Quis tu o Sanaballat potens et superbe, ut resistas Zorobabeli in fabrica templi? complanare, deprime tuam potentiam et superbiam. Non enim valebis Zorobabelem Deo nixum impedire, quo minus templum consummet. Mystice: Quis tu, o Satan potens et superbe, ut Zorobabelis filio, id est, Christo et Christianis, resistas in erigenda et propaganda Ecclesia? complanare: illi enim te calcabunt, et te invito Ecclesiæ fabricam consummabunt.*

**B** *Et educet lapidem primum, qui in culmine emineat, q. d. Zorobabel culmen templo imponet, illudque consummabit. Et exequabit gratiam gratiæ eius, q. d. Faciet Zorobabel ut gratia consummationis templi, gratiæ inchoationis eiusdem commensuretur, et quasi ex æquo respondeat. Unde explicans subdit: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus eius perficient eam.*

*Quis enim despexit dies parvos? Dies parvos vocat, quibus parva et exilia templi fundamenta iaciebantur a pauperibus Iudæis, ita ut non viderentur ad culmen posse deduci, multo minus æquare magnificentiam prioris templi a Salomone ædificati.*

*Et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel, q. d. Videbunt mox Zorobabelem perpendiculo dimittentem et perficientem fabricam templi, tumque lætabuntur quasi in die magno et mirabili. Lapis enim stanneus est, qui funem perpendiuli distendit, ut recta et ad libellam fabrica mensurari et assurgere possit.*

*Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, et latitudo eius decem cubitorum. Volumen hoc continet furta, periuria et scelera impiorum, æque ac pœnas cuique pro mensura scelerum debitas, et imminentes:*

**C** *hinc volat et quasi involat in fures, periuros, etc. præsertim qui opes a Dario aliisque datas pro fabrica templi, in suos usus sacrilege convertabant. Quocirca visum fuit egredi ex templo, vel circa illud volare: unde et ei in mensura fuit par. Tabernaculum enim Mosis, quod erat instar templi, longum erat viginti cubitis, latum decem; tantumdem longum et latum erat hoc volumen. Ita explicat Zacharias dum subdit: Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur; et omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur.*

*Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur: et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os eius. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi milvi; et levaverunt amphoram inter terram et cælum. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennar, et stabilietur, et ponatur ibi super basem suam. Amphora est mensura peccatorum, qua impleta Deus ea castigat et vindicat. Oculi omnium impiorum in eam respiciunt: quia impii non nisi ad suas cupidias et scelera respiciunt, itaque eam sensim adimplent, qua impleta, talentum plumbi ipsa obtegitur; quo significatur gravis Dei ultio et sententia, quæ impietatem amphoræ, id est, mensuræ peccatorum, culpis parium, adæquat et includit, ut eam evadere nequeat. Impietas est idololatria, aliæque erimina. Duæ mulieres sunt Nabuchodonosor et Nabuzardan, qui quasi milvi alati celerissime et rapacissime impietatem cum amphora, puta impios Iudæos, qui iam mensuram scelerum suorum impleverant, transtulerunt in Babylonem, ut ibi quasi in sua sede et regno commoretur impietas, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. Vide dicta Zachariæ 5.*

*v. 6.*

- Cap. 6. *Et quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium; et montes, montes ærei.* Quatuor quadrigæ sunt quatuor monarchiæ, quarum una alteri continue successit; hæc prodierunt e duobus montibus, id est, e celsitudine et arcana profunditate divini consilii et providentiæ; cuius duæ sunt partes, quasi duo montes, scilicet sapientia et potentia, sive prædestinatio et executio: utraque fortis et efficax instar æris, adeo ut nemo eis reluctari potuerit, aut possit.
- v. 2. *In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii et fortes.* Equi rufi significant primam monarchiam Chaldæorum, qui rufa veste, id est, purpurea et coccinea, amiciebantur; quique erant rufi, id est, crudeles et sanguinarii, præsertim in Iudæos. Nigri significant secundam monarchiam Persarum: nigror representat pavorem et horrorem quem incusserunt Iudæis sub Cambyse, et sub Assuero marito Esther per dolos Aman. Albi significant Græcos, qui albatu incedebant, ait Cyril. quique in Iudæos fuerunt clementes et benevoli. Varii significant Romanos, quorum varium fuit regimen, nunc monarchicum, nunc aristocraticum, nunc democraticum.
- v. 6. *Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis, q. d. Persæ aggressi sunt et vastarunt impiam Babylonem. Unde de iis subdit v. 8. Qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum (Septuag. furorem) meum in terra Aquilonis, puta in Babylone, quæ Aquilonaris est Iudææ.*
- Et albi egressi sunt post eos. Quia Alexander et Græci successerunt Persis, eosque cum suo rege Dario profligarunt iuxta Babylonem. Et varii egressi sunt ad terram Austri, q. d. Augustus et Romani invaserunt Ægyptum, quæ Iudææ est ad Austrum, eamque devieto apud Actium Antonio et Cleopatra (quæ ultima ex Græcis puta Ptolemæis, fuit Ægypti regina) sibi subiugavit, eaque ratione, extinctis plane Græcis, eorum monarchiam ad se transtulit.*
- v. 11. *Sumes aurum et argentum, et facies coronas duas, unam pontificiam, alteram ducalem; et pones in capite Iesu filii Iosedec, sacerdotis magni, ut significes deinceps pontifices fore duces et principes Iudæorum: ac magis, ut allegorice Iesus filius Iosedec, id est, iustitiæ Dei, representet Iesum Christum fore summum orbis Pontificem, æque ac regem. Unde de eo subdit: Ecce vir oriens (Chald. Messias) nomen eius: et subter eum orietur; multitudo fidelium et sanctorum Et ædificabit templum, id est, Ecclesiam tam militantem, quam triumphantem, Domino: et ipse portabit gloriam, etc. gloriose resurgens, et ascendens cum triumpho in cælum, ibique residens ad dexteram Patris, quasi Rex regum et Dominus dominantium.*
- Cap. 8. *Et habitabo in Ierusalem: et vocabitur Ierusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum, mons sanctificatus. Ierusalem typus est Ecclesiæ, quæ est columna et firmamentum veritatis; ac mons sanctitatis, tam doctrinæ, quam vitæ divinæ. Unde subdit:*
- v. 7. *Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, et de terra occasus solis. Hoc est quod Iudæis ait Christus de Gentibus: Multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno cælorum. Matth. 8. 11. Unde et subdit Zachar. v. 23. Apprehendent decem, id est, multi, homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Iudæi (id est, confitentis Deum, et erentis in Christum. eumque prædicantis, puta Apostoli, virique Apostolici) dicentes: Ibius vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.*
- v. 19. *Ieiunium quarti (mensis) et ieiunium quinti, et ieiunium septimi, et ieiunium decimi, erit domui Iuda in gaudium et lætitiâ, et in solemnitates præclaras. Hæc fuerunt symbola ieiunii quatuor temporum, quod usurpat Ecclesia, uti docet S. Leo. Vide dicta Zach. 8. 19.*
- Cap. 11. *Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit Dominus ad me:*
- A** *Proieice illud ad statuarium, decorum pretium quo appreciatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et proieci illos in domo Domini, ad statuarium. Zacharias hac actione sua symbolica, per visionem ipsi, ut videtur, in mente a Deo obiecta et efformata, representavit venditionem Christi, qua Iudas eum vendidit triginta argenteis; quod proinde per ironiam vocat decorum, id est, vile et infame, pretium. Unde inssu Dei proiecit illud in templo, ut eo a statuario, id est, a figulo, emeretur ager in sepulchram peregrinorum, Matth. 27. v. 3.*
- In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Cap. 13. Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Fons 1. hic est Christus in cruce lancea et clavis perforatus, ex quo scaturivit Baptismus, Eucharistia, ceteraque Sacramenta, ac omnis gratia: quibus abluitur peccator, et menstruatæ, id est, peccatrix. Peccatum enim est menstruum, id est, sordes et virus, animæ. Unde hunc fontem explicans subdit:*
- Et dicitur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum v. 6. tuarum? Et dicit: His plagatus sum in domo eorum (puta in Iudæa et Ierusalem) qui diligebant me, q. d. Has plagas mihi inflixerunt mei cives et cognati, puta Iudæi, qui erant populus colens et diligens Deum, et consequenter me. Ego enim sum Deus, et Dei filius.*
- Framea suscitare super pastorem meum, et super virum v. 7. cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Est vox Dei Patris, qua significat suo decreto occidendum esse Christum, q. d. Iubeo tibi, o framea, o gladio (sub quo clavos, lanceam, flagella, et omnia mortis instrumenta, per synecdochen intellige) ut ferias et occidas Christum, qui est vir cohærens mihi, et pastor quem dedi meis fidelibus, ut ipsi eius morte redimantur. Percute ergo Pastorem, et dispergentur oves.*
- Et stabunt pedes eius in die illa super montem Olivæ Cap. 14. run, qui est contra Ierusalem ad Orientem: et scindetur 4. mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem, et ad Occidentem præruptu grandi valde, et separabitur medium ad Aquilonem, et medium eius ad Meridiem. Symbolum est Christi ex monte Oliveti ascendentis in cælum, indeque mittentis Apostolos in quatuor mundi plagas. Anag. Christo ibidem eoisidente ad iudicium, scindetur totus mons, ut impios, æque ac Antichristum, absorbeat, mittatque in tartara.*
- Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus et gelu. Et v. 7. erit dies una quæ nota est Domino, non dies, neque nox, et in tempore vesperi erit lux. Ad literam dies hic fuit tempus persecutionis Antiochi Epiphani, qua Iudæis afflictis dies videbatur non esse dies, sed nox. Verum vespere, id est, in fine persecutionis, successit lux, id est, lætitiâ et consolatio per victorias Iudæ et Machabeorum. Anagog. dies iudicii qui soli Deo est notus, ita erit horridus, ut sub illud tempus sol obscurandus sit, et stellæ de cælo easuræ: sed vespere, id est, in fine eius, succedet Sanctis lux beatitudinis et gloriæ eternæ.*
- Et erit in die illa: exhibunt aquæ vivæ de Ierusalem: v. 8. medium earum ad mare Orientale et medium earum ad mare novissimum: in æstate et hieme erunt. Alludit ad fontes Gilon, qui ad Occidentem; et Cedron, aliosque qui ad Orientem eingeant et decorabant Ierusalem. Per hos intelligit Machabæos, qui suis præliis et victoriis, quasi fontes, aquas vivas consolationis, lætitiæ, et rerum abundantia attulerunt Iudæis. Parabolicè significantur Apostoli, qui e Ierusalem exeuntes in totum orbem emanarunt aquas gratiæ et doctrinæ Evangelicæ. Anagog. significantur gaudia Beatorum ex visione Dei, quasi ex fonte manantia. Unde huc alludens S. Ioannes Apoc. 22. 1. in descriptione cælestis Ierusalem: Et ostendit mihi, inquit, fluvium aquæ splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, et agni, etc.*
- Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ v. 16. venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum. Tenuiter id factum a Machabæis, qui Idumæos, Philistæos aliasque vicinas gentes coege-*

run ad suscipienda sacra Iudaica, eorumque festa colenda. Plene id factum ab Apostolis, qui omnes gentes converterunt et induxerunt ad celebranda festa Christiana, adumbrata per Iudaica; et præsertim ut mystice agant festum tabernaculorum, nimirum ut quasi peregrini degant in hoc mundo, tamquam in tabernaculo; ac fide, spe et charitate iugiter contendant ad patriam cælestem.

v. 20. *In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino*, q. d. Machabæi phaleras equorum, aliasque manubias hostium consecrabunt Deo, quasi victoriæ auctori. Idem facient de suis spoliis et opibus Principes, Reges et Imperatores conversi ad Christum: quorum primus fuit Constantinus, qui proinde ad literam clavum sanctum quo crucifixus est Christus, imposuit fræno equi sui, tum ad ostendendam suam fidem et pietatem in Christum, tum ut eius ope communitus in præliis, victoria potiretur.

*Et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari*, q. d. Ob victorias Machabæorum multi confluent ad sacrificandum Deo: hinc plurimos adducent lebetes ad coquendas carnes victimarum, quos deinde relinquent templo, Deoque consecrabunt: ita fiet, ut tot sint lebetes sanctificati, quot phialæ; ac lebetes in nitorem et sanctitatem phialarum quasi transeant. Mystice, lebetes sunt corda fidelium, in quibus igne charitatis excoquitur quidquid carnale est, ut fiant sancta instar thymiamatis quod est in phialis, iugiter exhalantia incensum orationis et laudis Deo. Hinc de S. Magdalena canit Ecclesia:

*Fit ex lebece phiala,  
In vas translata gloriæ,  
Ex vase contumeliæ.*

q. d. Prius erat lebes concupiscentiæ, deinde facta est phiala continentiæ et pœnitentiæ.

### EX MALACHIA.

Cap. 1. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Hebr. *מנחה* *mincha*, id est, sacrificium farreum, puta farinæ et panis, Levitici 2. quod erat typus Eucharistiæ, quæ hic ad literam significatur, et prædicatur in lege nova fore non tantum Sacramentum, sed et sacrificium.

Cap. 3. *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis.* Duos hic angelos prænunciat Malachias, unum communem et priorem, qui sit præcursor posterioris. Hic est S. Ioannes Baptista, qui fuit angelus, id est, legatus, Christi; idque ante faciem eius, id est, coram eo: quia Christum præsentem populo ostendit, et digito demonstravit. Alterum angelum testamenti, puta Christum, qui fuit angelus, id est, legatus, Patris ad sancendum novum te-

stamentum, id est, fœdus inter Deum et homines. Hic post Ioannem concionantem et præsertim incarcerationum, venit ad templum, ibique prædicavit et miracula patravit, quibus comprobavit se esse angelum testamenti, puta Messiam. Unde de eo sequitur: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus eius. Et quis stabit ad videndum eum?* q. d. Ecce ego Malachias eminus in spiritu cum adventantem conspicio. Et quis comprehendat, imo quis appendat, ponderet et penetret pro dignitate, uti meretur, eius in carne advenientis dignationem, charitatem, potentiam, sapientiam, maiestatem, gloriam? Quis vero coram tanta maiestate consistere queat? quis tantam lucem irretortis oculis intueri valeat? Quis hominum impurorum coram tanta puritate, imo igne conflante et purificante, illæsus consistat?

*Ipsæ enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum*, v. 2. q. d. Christus instar ignis conflabit, et instar herbæ saponariæ, qua fullones expurgant pannos emundabit ab omni peccato et immunditie, suos fideles, præsertim sacerdotes.

*Et sedebit conflans, et emundans argentum. Et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum: et erunt Domino sacrificia offerentes in iustitia*, q. d. Christus quasi aurifex, igne divino excoquat suos sacerdotes, ut niteant instar argenti, et splendeant instar auri, itaque iusta et sancta Deo offerant sacrificia. Aaronici enim sacerdotes fuerunt terreni, Christiani vero sunt argentei et aurei.

*Ecce dies veniet succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen.* Dies hæc est dies iudicii, succensa igne, tum conflagrationis mundi, tum gehennæ, tum acris examinis et iudicii divini, in qua impii cum omni sua gloria, opibus, deliciis et pompis funditus excinduntur, et comburentur ut stipula, cuius nulla radix superest, aut germen; ita tamen ut illæsi ipsi semper perdurent in igne, ad pœnam continuam et æternam.

*Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.* Hinc patet Eliam Thesbitem, ut habent Septuag. cum Henoch venturum ante diem iudicii, ut Iudæos convertat. Elias ergo cor, id est, mentem, fidem et devotionem patrum erga Christum venturum reducet, imprimetque filiis, ut cor, id est, mens, fides et devotio filiorum erga Christum iam præsentem, imitetur et sequatur cor, id est, mentem, fidem et spem patrum; ne veniens Christus ad iudicium, incolas terræ terrenis bonis affixos perdat anathemate, id est, pleno excidio et exterminio; sed credentes in se salvet beetque.

## Æ N I G M A T A

### EX OSEE.

Cap. 1. **E**T erit in loco ubi dicetur (dicebatur) eis: *Non populus meus vos, dicitur eis, Filii Dei viventis. Et congratulabuntur filii Iuda et filii Israel pariter: et ponent sibi caput unum, et ascendent de terra.* Est ænigma vocationis Iudæorum, et Gentium ad fidem et salutem per Christum. Hi enim antea non erant populus Dei, sed per fidem in Christum facti sunt populus Dei, et filii Dei, verique Iudæi et Israelitæ, cum scilicet unum caput sibi posuerunt Christum, et cum eo ascendere cœperunt mento et conversatione sancta de terra in cælum.

v. 11. *Quia magnus dies Iezrahel*, q. d. Celeberrimus et felicissimus erit dies ille, quo Iezrahel, id est, semen et filii Dei antea dispersi, per Christum unigenitum Dei filium congregabuntur in unam Ecclesiam, nuuc militantem, postea triumphaturam in cælis.

D *Dabo vallem Achor (id est turbationis) ad aperendam spem*, q. d. Turbatio et desperatio erit occasio, et initium spei: ubi omnia videbuntur perditæ et desperata, ibi affulgebit spes salutis. Deus enim in arctis extremisque difficultatibus maxime adesse solet, suisque aperire viam ad evadendum.

*Exaudiam cælos, et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum: et hæc exaudiet Iezrahel*, q. d. Dabo cælis pluviam, quam tacite poscunt, ut eam communicent terræ, quæ per eam sæcundata dabit triticum, vinum et oleum, quo alatur Iezrahel, id est, populus Dei: Iezrahel enim poscit triticum, etc. triticum poscit terram sæcundam, terra sæcunda poscit pluviam e cælo. Horum omnium votis satisfacit Deus, dum facit ut cælum impluat terræ, ex eaque producat fruges, ad alendum Iezrahel.

*Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super* t.

*Thabor. Speculationem vocat populum specularandum, sive speculationi et custodiae sacerdotum et procerum commissum, q. d. Vestrum erat speculari, præmovere, itaque avertere pericula a populo: at vos pro specula eidem facti estis laqueus; quia verbo et exemplo eum idolis implicastis et illaqueastis, itaque in ruinam et exitium egistis: perinde ac venatores reti capiunt et illaqueant feras et aves in monte Thabor.*

v. 7. *Devorabit eos mensis; Aquila, neomenia, id est, nova luna, puta novus rex, novum imperium, quæ sub luna, cum luna, et iustar lunæ mutantur et innovantur.*

Cap. 6. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.*

v. 3. *Ad literam primus dies, est captivitatis Assyriacæ: secundus, Babylonicæ: tertius, redemptionis, et libertatis per Cyrum, et multo magis per Christum. Allegorice primus dies fuit passionis Christi, secundus sepulturæ, tertius resurrectionis, quo seipsum, nosque in scipso a morte ad vitam Christus suscitavit. Tropolog. q. d. Cito Deus penitentem sua gratia vivificat; et patientem in tribulatione cito consolatur et liberat.*

v. 5. *Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei, q. d. Iudæi erant duri ut marmora: conatus ergo sum eos dolare et scalpere per Prophetas, assidue eos tundens et pulsans, nunc minando, nunc blandiendo, adeo ut Prophetas tot oraculis, verbis et concionibus fatigarim, et quasi encarrim: sed frustra: scalpra enim mea hebetavi, et Prophetas meos tantum non occidi; at ipsi marmora manent, sculpti scalpique nolunt.*

Cap. 8. *Ephraim factus est subeinericius panis qui non reversatur, qui non invertitur, ideoque ab igne aduritur, q. d. Israel quasi panis subeinericius, manet in suo cinere et sordibus idololatriæ, nec se ab iis avertit, ut per penitentiam redeat ad Deum: quocirca igne Assyriaco sensim comburetur et consumetur. Unde subdit: Comederunt alieni robur eius, puta fruges et opes eius deripuerunt, et devoraverunt Assyrii: et ipse nescivit, ipse non advertit se consumi, et tendere in ruinam.*

Cap. 8. *Ventum seminabunt, et turbinem metent, q. d. Sicut qui serit ventum, metit turbinem, quem causat ventus in terram iactus et conclusus: ita qui seminant idololatriam, superbiam, aliaque scelera, metent turbinem calamitatum et ærumnarum, quarum causa est idololatria, superbia, etc. Unde affini adagio idem explicans subdit:*

*Culmus stans non est in co, germen non faciet farinam, q. d. Sicut ex vento seminato nasci nequit culmus consistens, germenque crescens in granum quod faciat farinam: ita et ex idololatria et superbia nasci nequit aliquid boni, quod operantem pascat et reficiat; sed potius omne malum, quod eum cruciet, affligat, et mille molestiis curisque exagitet.*

v. 8. *Israel factus est quasi vas immundum, puta matula, in quam Assyrii, aliaque gentes suas sordes coniciant, ita S. Hieron.*

v. 9. *Israel est onager solitarius sibi, q. d. Israel iugum Dei et legis excussit: vult esse liber, sibi que, ut lubet, vivere, instar asini feri et sylvestris.*

Cap. 9. *Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus est, q. d. Propheta qui debet esse speculator populi, versari que cum Deo, et ex eius ore loqui, hic factus est populo laqueus ruinæ: quia suis falsis oraculis et doctrinis populum induxit in exitium et ruinam.*

v. 14. *Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arenata, q. d. Inflige Israelitis pœnam raram et acrem, scilicet sterilitatem et orbitatem, ut vel filios non concipiant, vel si conceperint, lactare et educare nequeant; idque quia in filiis superbierunt, iisque sacrilege abusi sunt, immolando eos Moloch.*

#### EX IOELE.

Cap. 2. *Eum qui ab Aquilone est procul faciam a vobis. Scilicet Nabuchodonosorem et Holofernem, qui ex Aquilonari plaga, puta Chaldæa et Assyria, veniunt, avertam ab Israele. Mystice, diabolum avertam a fidelibus. Ipse enim*

*est frigidus Aquilo, qui suo frigore omnia bona desiccet, acediam et torporem piorum operum inducit.*

#### EX AMOS.

*Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum: eo quod trituraverint in plaustris ferreis. Galaad, q. d. Ob tria, id est multa, scelera Damasci, sed maxime ob quartum, quia scilicet crudeliter sævit in Israelitis, puta Galaaditas triturando eos quasi triticum, non parcami ei; sed pariter in eum sæviam, et acriter eum puniam.*

*Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? quoniam convertistis in amaritudinem iudicium, et fructum iustitiæ in absinthium, q. d. Equi et bubali sequuntur naturæ ductum: unde nil faciunt naturæ repugnans, v. g. ut equi currant in petris, ut bubali indomiti iugo domentur, et arent. At vos, o Israelitæ, naturas rerum invertitis; quia facitis naturæ repugnantia: nam iustitiam in iniustitiam, virtutem in vitium, dulcedinem in amaritudinem convertitis.*

*Qui ædificat in celo ascensionem suam, id est thronum, ad quem sancti e terra ascendunt; et fasciculum suum super terram. Fasciculum vocat colligationem trium elementorum, aeris, aquæ, et terræ. Mystice, fasciculus Dei est Ecclesia, fide, lege et charitate Dei constricta et colligata: Ecclesia, inquam, tum mista et militans, tum electa et triumphans.*

#### EX MICHÆA.

*Quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur, q. d. Quia Samaria suas opes collegit ex idololatria (hæc enim est meretricatus spiritalis) hinc eadem ad idololatrias, puta ad Assyrios raptore devolventur.*

*Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa. Est sarcasmus: hæredem enim vocat Assyrios, qui vastabunt et hæreditabunt Maresa, cæterasque urbes Iudææ. Unde subdit: Usque ad Odollam veniet gloria Israel, q. d. Gloria Israel propulsa quasi ab Assyriis, qui eius urbes capient, fugiet usque ad Odollam, quæ est in finibus Iudææ, ibique cadet et extinguetur, cum Odollam capiet Assyrius. Ergo tu, o Samaria, æque ac tu, o Iudæa, decalvare et tondere (in signum extremi luctus) super filios deliciarum tuarum (Septuag. super filios tuos delicatos) dilata calvitium tuum sicut aquila, quæ senescens toto corpore deplumatur et decalvatur: quoniam captivi ducti sunt ex te.*

*Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena, q. d. Adhuc ignis cupiditatis, toties a nobis Prophetis repressus et restinctus, quasi sopitus reviviscit, inardescit et increseit, nimirum thesauri qui ex iniquitate comparantur, et usus mensurarum quæ iusto sunt minores, sed ira Dei plenæ: quia quod eis deest in pondere, hoc Deus supplebit et implebit sua vindicta, oheraque supplicii.*

#### EX NAHUM.

*Quia sicut spinæ se invicem complectuntur; sic convivium (id est, cætus convivarum, sive convivæ) eorum pariter potantium, consumentur quasi stipula ariditate plena, q. d. Convivantes et compotantes Assyrii, qui in symposiis instar coronæ e spinis contextæ et implexæ, sibi invicem in orbem sociantur, dum mensas et vina coronant: hi, inquam, ab angelo, et a Medis, quasi stipula aridissima comburentur et consumentur.*

*Plures fecisti negotiationes tuas, quam stellæ sint cæli: bruchus expansus est et avolavit, q. d. Sicut bruchus sole calente alas expandit et avolat; ita merces et opes tuæ, o Nive, quæ numero certant cum stellis, persequente te Chaldæo, a te ad eum avolabunt.*

*Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ.*

*locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris: sol ortus est, et avolaverunt, q. d. Sicut locustæ tam magnæ, quam parvæ, nocturno frigore torpentes, solis radiis excitatæ, et calefactæ avolant, ita tui duces et milites, o Nive, qui te custodiebant, veniente Chaldæo aufugient.*

## EX SOPHONIA.

- Cap. 1. *Præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos.*  
7. Hostia pro peccato immolanda divinæ vindictæ, est impia Ierusalem. Sacerdotes eam immolaturi, sunt Chaldæi, quos Deus ad hoc vocavit, et sanctificavit, id est, auctoravit, designavit, et quasi consecravit ministros et executores suæ iustitiæ et sententiæ.
- v. 12. *Scrutabor Ierusalem in lucernis, q. d. Scrutabor Iudæos in speluncis se abscondentes, per Chaldæos, qui eos ubique investigabunt, ut occidant, vel capiant. Unde subdit: Et visitabo (puniendo) super viros defixos in faucibus suis, puta in peccatis suis, q. d. Sicut vinum iugiter residens in faucibus suis fit olidum, vapidum et insipidum; ideoque ab œnopola ab iis depromitur, et in aliud vas transfertur: ita Iudæi in Iudæa degentes in otio, et rerum abundantia, lasciviant et luxuriant, putent et fœtent; quocirca eos inde transferam in Babylonem.*
- v. 15. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustix, dies calamitatis et miserix, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. Dies hæc ad litteram, est dies excidii Ierusalem per Chaldæos. Allegor. est dies mortis, et dies iudicii. Unde de ea subdit: In igne zeli eius devorabitur omnis terra; quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Deus enim iudex et vindex, quasi zelotes impulsus zelo iustitiæ, honoris et amoris sui, ad vindicandum iniurias sibi irrogatas, acriter puniet Iudæos, et fideles, qui quasi sponsæ ab eo adamatæ, eo spreto, cum creaturis adulteratæ sunt.*

## EX ZACHARIA.

- Cap. 10. *Ex ipso (Iuda) angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egreditur omnis exactor simul. Hæc sunt quatuor ænigmata principis, puta Machabæorum, et mystice Apostolorum. Princeps enim Primo, est angulus reipubl. utpote qui omnia eius latera stringit, continet et roborat. Secundo, est quasi paxillus, quia ex ipso omnium subditorum fortunæ, res et spes pendet, quasi ex paxillo. Tertio, est quasi areus, hostes Reip. sternens et profligans. Quarto, est exactor, id est victor qui victis leges, iura et tributa imponit.*
- Cap. 11. *Aperi Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuas, q. d. Aperi o Ierusalem, portas tuas Tito et Romanis, qui domos tuas cedrinas comburent. Libanus enim est ænigma Ierusalem et templi, tum quia ex cedris pinisque Libani erant constructa: tum quia ut Libanus arboribus, ita Ierusalem populis abundabat.*
- v. 2. *Ulula abies, quia cecidit cedrus. Ululate plebeii, quia ceciderunt magnates, qui vos protegabant: illis ergo eadentibus, cadetis et vos. Unde explicans subdit: Quoniam magnifici vastati sunt.*
- v. 7. *Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum: et pavi gregem. Duæ virgæ pastorales, sive duplex pedum significat duplex regimen*

Dei. Primo enim rexit Iudæos amore, sceptro quasi decoris, per promissa et beneficia, deditque principes et pontifices benevolos et beneficos; quales fuerunt ante Zachariam Moses, Iosue, David, etc. post eum Machabæi, et maxime Christus. Verum quia Iudæi his recalcitrarunt, hinc fracto sceptro decoris assumpsit sceptrum funiculi, quo cepit eos regere terroribus, minis, vinculis et flagellis, præsertim post Christum, ac tandem plane eos abiecit, tradiditque vastandos Tito et Romanis, uti in sequentibus docet Zacharias.

*Et dixit Dominus ad me: Adhuc sune tibi vasa pastoris stulti, id est improbi; qui gregem negligit, imo expilat, ut se unum pascat et ditet. Huius vasa, id est instrumenta, sunt machæra, vel culter ad iugulandum oves; baculus ad confringendum earum erura; laqueus ad eas strangulandum; cithara, quam neglectis ovibus pulset, ut se oblectet. Unde subdit:*

*O pastor et idolum, derelinquens gregem, q. d. Tu o stulte et improbe pastor, non es pastor, sed umbra et idolum pastoris. Habes nomen et pedum, sed curam et vigilantiam pastoris non habes. Tales fuere Iason et Menelaus tempore Machabæorum, atque Annas, Caiphas et Scribæ tempore Christi. Talis erit Antichristus in fine mundi, qui volet adorari ut idolum et unum.*

*Ecce ponam Ierusalem in superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu. Alludit ad profanationem templi factam sub Antiocho, adeo ut in eo comessionibus et seortationibus vacarent, ut patet 2. Machab. 6. Quocirca templum iam non erat templum, sed popina, ganea et domus crapulæ, ita ut in eius superliminari tituli loco scyphus, quasi insigne computationis et erapulæ, exponi poterit, et forte reipsa expositus sit, q. d. Græci, et nonnulli Iudæi ex domo Dei fecerunt domum crapulæ; ego faciam, ut quasi ebrii in illam impingant, utque a Machabæis cadantur, et iam non vino, sed sanguine suo inebrientur: propinabo eis calicem tremoris, stuporis et soporis (hæc enim omnia significat Hebr. *רַעַל* *raal*) ut eo consopiti æternum somnum dormiant.*

*Ponam Ierusalem lapilem oneris cunctis populis: omnes qui levabunt eum, concisione lacerabuntur. Alludit ad palæstram Gentilium, quam impius Iason in Ierusalem induxit, in qua certabant disco, id est massa plumbea, vel saxea, quis scilicet eam altius elevare, vel longius proiicere posset, qua sæpe lacerabantur manus levantium, imo ipsi levantes subinde opprimebantur, q. d. Certant Græci, ut Iudæos, quasi discum et lapidem oneris e Iudæa in Græciam proiciant; sed ego faciam, ut ab eodem per Machabæos lanientur et opprimantur.*

## EX MALACHIA.

*Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, et san-  
nitas in pennis eius: et egrediemini, et salietis sicut vituli  
de armento. Alludit ad ænigma phœnicis: huius enim sunt  
pennæ. Phœnix enim est avis solaris, quia symbolum est  
solis, q. d. Christus ex morte redivivus oriatur vobis, o iusti,  
quasi phœnix, id est, quasi sol iustitiæ post occasum  
exoriens, qui suis radiis, quasi pennis expansis, vobis ir-  
radians, a morte vos resuscitabit, ac gloria beatitudinis  
et dote agilitatis donabit, ut vegeti, læti et felices exilia-  
tis, sicut exilium vituli bene pasti et saginati.*

## A D A G I A

## EX OSEE.

- Cap. 2. **S**EPHAM viam tuam spinis. Hoc est, impediam ne curras  
6. ad tuos amasios, puta ad idola.  
v. 9. *Liberabo lunam meam et linum meum. Auferam a te vestes lanceas et lineas, quibus abuteris ad cultum idolorum. Significat creaturas invite servire impietati, ideoque ab impiis quasi captivari, quia creatæ sunt et destinatæ ad hunc finem, ut serviant piis in cultu Dei. Ab hæc captivitate li-*

berat eas Deus, dum illas impiis adimit, et transfert ad suos vel homines, vel usus.

*Visitabo super eam dies Baalim. Puniam eum ob cultum Baal.*

*Lactabo eam, et ducam in solitudinem, et loquar ad cor eius. Seducam eam ab amasiis, et solus cum sola agam, eique ablaudiar.*

*Sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio, et in misericordia et miserationibus.*

- Assumam te mihi in sponsam cum summa misericordia, æque ac iustitia, qua te tuebor et hostes tuos prosternam.
- Cap. 3. 1. *Diligunt vinacia uvarum.* Peccator relicta uva piugui et plena, id est vero summoque bono, diligit vinacia, id est, folliculos uvæ passæ, puta picta et ficta bona, falsas delicias, falsos honores, falsas opes, falsa gaudia.
- Cap. 4. 2. *Sanguis sanguinem tetigit.* Cædes cædibus adduntur, peccata peccatis cumulantur.
- v. 11. *Fornicatio et vinum, et ebrietas auferunt cor,* id est, rationem, iudicium, mentem, spiritum, hominemque demittant et infatuant.
- v. 15. *Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda,* habens Dei templum, Deoque quasi dedicatus et intimus. *Quoniam sicut vacca lasciuens declinavit Israel.* Israel ut vacca lasciuat, Iuda in Dei lege consistat ut leo.
- Cap. 5. 3. *Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me,* q. d. Ego sum cardiognosces, ideoque video intimas Israelitarum cogitationes, desideria, et propensiones in fornicationem et idololatriam. Unde sequitur: *Quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel: quia spiritus fornicationum in medio eorum.*
- v. 5. *Respondebit arrogantia Israel in facie eius,* q. d. Arrogans fastus Israelis, Deique contemptus publica clade sterneretur, et punietur; hæcque humiliatio et pœna ostendit eius scelera; eique interroganti, Cur adeo punior? in faciem non voce, sed facto et reipsa respondebit: Quia tam arrogans fuisti, q. d. Pœna respondebit culpæ; pœna culpam prodet, totique orbi demonstrabit. Unde sequitur: *Et Israel, et Ephraim ruent in iniquitate sua.*
- v. 12. *Ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo* (hebr. teredo) *domui Iuda,* q. d. Ut tinea molli lentoque, sed certo morsum corrodit vestem, ac teredo lignum: ita ego corrodam et consumam Israelitas et Iudæos.
- v. 14. *Ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Iuda,* q. d. Laniabo Israelitas quasi leæna, et Iudæos quasi leunculus.
- Cap. 6. 6. *Misericordiam volui, et non sacrificium: et scientiam Dei plusquam holocausta,* q. d. Requiro internam pietatem, non externam; actus, non cæremonias; victimas mentis, non carnis; cordis, non oris.
- Cap. 7. 4. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente.* Sicut adulterandi libido ulterando increscit, magisque accenditur, ita libido colendi idola in Israelitis, ipsa eorum cultura magis increvit, et incensa est iustar fornacis, quam succendit pistor; ita ut viderentur in idola furere et insanire.
- v. 11. *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens eor.* Sicut columba stolidi sinit sibi pullos auferri, et ad eundem nidum redit: rursum, ob escam in retia se dat, sinitque se capi: ita Israelitæ stolidi implorant opem deorum et Assyriorum, a quibus vident se sensim spoliari, et vastari, agique in exitium.
- v. 16. *Facti sunt quasi arcus dolosus.* Videbantur Iehu et Israelitæ, everso Baal, studia sua directuri ad stabiliendum Dei cultum; sed ecce resilierunt ad coleandos vitulos Iero-boam.
- Cap. 8. 4. *Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes extiterunt, et non cognovi,* q. d. Reges Israel fecerunt schisma a domo David, et regnarunt in Israel non me auctore, sed populo tumultuante, et deficiente a Roboam. Ego enim unum iustitui regnum, puta Iuda, non Israel; ego sum auctor unius Synagogæ et regni, non duplcis: odi enim divisionem et schisma, præsertim tendens ad idololatriam.
- Cap. 9. 4. *Sacrificia eorum quasi panis lugentium,* q. d. Israelitæ idololatræ, et mœrentes in captivitate offerunt et comedunt victimas immundas et illegitimas, æque ac lugubres et funestas, quale est epulum funebre.
- v. 10. *Facti sunt abominabiles sicut ea* (idola, et meretrices Beelphegor, id est, Priapi obscœnissimi) *quæ dilexerunt.*
- Cap. 10. 12. *Seminate vobis in iustitia* (hebr. iustitiam, id est opera pia, iusta et sancta) *et metite* (id est, certo metetis) *in ore misericordie:* hebr. iuxta os misericordie, scilicet Dei. Os symbolum est capacitatis et amplitudinis, q. d. Amplissimam a Deo recipietis mercedem, gratiam et misericordiam, tantam scilicet, quanta decet os, id est, amplitudinem misericordie Dei.
- Innovate ergo vobis novale,* q. d. Cor vestrum, evulsis vitiorum spinis et loliis, quasi novale, id est novum agrum, Deo præparate, ut in eo ipse serat copiosa suæ gratiæ et misericordie semina.
- Arastis impietatem, iniquitatem messuistis,* q. d. Hactenus arastis, et seminastis impietatis semina et opera, ideoque pœnas iniquitati debitas messuistis: *ac comedistis frugem mendacii,* q. d. Paucas tenuesque comedistis fruges, ideoque mendaces et fallaces: quia spem magnæ segetis, quam dabant in germine, in messe non præstiterunt.
- Deus ego, et non homo,* q. d. Homo regitur ira, ego iram moderor et rego: homo offensus spirat vindictam, ego misericordiam: hominis cogitationes sunt naturales, terrenæ et depressæ; meæ sunt supernaturales, cælestes, et transcendentes omnem angelorum intellectum: homo est inconstans, et mutabilis, ego constans et immutabilis.
- Circumdedit me in negatione Ephraim; Iudas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis,* q. d. Cum Ephraim, id est, decem tribus, abnegavit Dei cultum, et coluit vitulos aureos, tunc Iudas, id est duæ tribus Deo fideliter, cum sanctis sacerdotibus aliisque fidelibus adhæsit, ac quasi descendit cum Deo: Deus enim parte sui regni et Ecclesiæ ab Ephraim quasi spoliatus, descendere et deprimi videbatur: illi tamen in hoc descensu et contumelia, fidelis comes et assecla fuit Iudas. Iudas ergo fidem et amicitiam suam stabilem Deo in hac persecutione, et tribulatione probavit. Vulgo enim fieri solet illud Poetæ:
- Cum fueris felix, multos numerabis amicos;*  
*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*
- Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum,* q. d. Israel facit rem futilem, perinde ac si quis ventos vellet pasce-  
re et regere, quasi oves; imo rem noxiam, perinde ac si quis persequeretur æstum: cum enim non comprehendet, nec lædet, sed potius ab eo lædetur et uretur. Colit enim idola vana et noxia, in iisque spes suas reponit; ob quæ vastabitur et comburetur.
- Chanaan in manu eius statera dolosa,* q. d. Israel iam non est Israel, sed Chanaan, id est, mercator fraudulentus: in manu enim eius et statera dolosa; quia per iniqua pondera et mensuras decipit ementes et vendentes, ac iniqua luera aucupatur.
- Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal vitulos immolantes,* q. d. Si Galaaditæ, id est Israelitæ, experti sunt suos deos esse idolum, id est rem vanam et noxiam, ideoque se cum iis excisos esse, et in vanum abiisse: ergo frustra eosdem colunt Iudæi in Galgal: pariter enim sentient eos esse idolum, id est, rem vanam et noxiam, cum eoque excidentur et evanescent.
- Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum,* q. d. Excidium tuum tibi tuisque sceleribus ascribe, non mihi, meæque sævitie: ego enim tantum tibi auxiliari possum, idque desidero, si pœnitere et ad me redire velis.
- Tuum ergo exitium habes ex te; ex me vero non nisi auxilium.*
- Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea,* q. d. Non est quod speres auxilium a regibus tuis, Iero-boam et posteris eius: quia sicut eos tibi iratus dedi, ita et iratus auferam, tradamque una tecum Assyriis. Id fecit Deus in Osee ultimo rege Israel.
- Dicite ei* (Deo quem ostendistis) *Omniem aufer iniquitatem, accipe bonum* (id est, da veniam, gratiam, omnique bonum, quod rursum per gratiarum actionem a nobis accipias. Unde subdit) *et redditemus vitulos labiorum nostrorum,* puta laudem et hymnodiam labiis nostris expressam. Præscribit Propheta Israeli pœnitenti formulam confessionis et deprecationis.
- Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ vitæ Domini, et iusti ambulabunt in eis,* q. d. Soli sapientes, id est, fideles et iusti intelligunt vias legesque Domini, ac in eis ambulant recte in cælum: cæteri, infideles scilicet et impii, insipientes sunt: quia vias

Dei pratice non cognoscunt, nec in eis ambulant, sed in eis impingunt, corripiuntque in scelera, ac deinde in supplicia, puta in gehennam.

## EX IOELE.

- Cap. 1. 15. **A A A**, diei: quia prope est dies Domini, puta dies excidii Samariæ, et typice totius mundi, q. d. Instat extrema clades nrbi et orbi, et quasi vastitas a potente veniet. Unde de eodem ait cap. 2. 1. *Cantate tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini; quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis: quasi mane expansum super montes populus multus et fortis*, q. d. Sicuti summo mane sol expandit spargitque radios in montes, eosque preoccupat: ita Assyrii summa celeritate advolarunt, et preoccuparunt montes Israelis, antequam eos adventare scirent et sentirent Israelitæ.
- Cap. 2. 3. **Ante faciem eius ignis vorans, et post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terræ coram eo, et post eum solitudo deserti: neque est qui effugiat eum**, q. d. Exercitus Assyriorum ita omnia vastabit, ac si ignem cuncta afflantem ante se præferret, et post se exhalaret, ita ut terram, quæ antea erat florens quasi paradisos, redigat in solitudinem et vastitatem. Hinc
- v. 10. **A facie eius contremuit terra: moti sunt cæli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ, retraxerunt splendorem suum.** Hæc proprie fient in fine mundi; sed improprie facta sunt in excidio Israelis: quia scilicet Israelitis pavore percussis, cæli et terra inverti, concuti et obscurari visa sunt. Est hypallage.

## EX AMOS.

- Cap. 5. 7. **Qui convertitis in absinthium iudicium.** Qui iniustas, amaras et acerbas fertis sententias in pauperes et innocentes, itaque eos quos iuvare et consolari debebatis, exacerbatis et mœrore conficitis.
- v. 9. **Qui subridet vastitatem super robustum.** Qui ludens, et quasi subridens immittit plagas in robustos, quibus eos vastat et conculcat.
- v. 11. **Pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum.**
- v. 13. **Prudens in tempore illo** (excidii, considerans iustum Dei iudicium et vindictam) **tacebit, quia tempus malum est.**
- v. 23. **Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica tyra tuæ non audiam.** Quia Deus quærit cantica cordis, non oris; planctum mentis non vocis.
- v. 24. **Et revelabitur quasi aqua iudicium, et iustitia quasi torrens fortis**, q. d. Dei insta vindicta vos obruet, instar torrentis longe lateque exundantis, quia omnia secum convolvit et abripit.
- Cap. 6. 1. **Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientiæ pompaticæ domum Israel.** Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege. Qui canitis ad vocem psalterii. Bibentes vinum in phialis, etc. et nihil patiebantur super contritione Ioseph (populi sui.) Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium (in captivitatem Assyriacam) et auferetur factio lascivientium. Iuravit Dominus Deus in anima sua, etc.
- v. 12. **Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum maiorem** (decem tribus) **ruinis** (excidio pleno et perpetuo) **et domum minorem scissionibus**; id est, duas tribus scindet et carpit; sed non delebit: quinimo post 70. annos captivitas Babylonicæ, eas sibi et patriæ restituet.
- Cap. 7. 14. **Non sum Propheta, et non sum filius prophetæ, sed armentarius ego sum, velligans syconoros. Et tulit me Dominus cum sequer gregem, et dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israel.** Ita stulta et ignobilis mundi eligit Deus, impletque suo spiritu, ut confundat nobiles et sapientes.

**Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini**, q. d. Redigam Israel in obsidione Samariæ, ad tantas angustias, ut Prophetas, quas antea sprevit, undique conquirat, ut ex iis seiscitetur oraculum de futuro obsidionis eventu, an, et quomodo manus Assyriorum possit evadere.

**Nunquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi filii Israel?** Quia sicut Æthiopes colore, ita vos moribus atris estis, deformes, obdurati et immutabiles.

## EX ABDIA.

**Dicis** (o Edom) **in corde tuo: Quis detrahet me** (ex rupe, in qua securus habito) **in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.**

## EX IONA.

**Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt**, q. d. Qui colunt idola, quique voluptates suas a Deo vetitas sectantur, derelinquunt Deum, a quo omnem misericordiam, et omne bonum expectare debent.

**Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.**

## EX MICHÆA.

**Quod scelus Iacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Iudæ? nonne Ierusalem?** q. d. Samaria quasi metropolis, quæ decem tribubus debebat esse dux fidei et religionis, facta est eisdem dux idololatriæ, æque ac Ierusalem Iudæ, sive duabus tribubus.

**Super hoc plangam et ululabo, radam spoliatus et nudus: faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum**, q. d. Miserabiliter et ineonsolabiliter plangam excidium Samariæ.

**In domo pulveris** (hebr. in עפירה Aphra) **pulvere vos conspergite**, q. d. Aphra, nrbs Samariæ, recte vocatur Aphra, id est, pulvis: quia in pulverem ab Assyriis est redigenda. In ea ergo quasi in domo pulveris, vos o Samaritæ, pulvere vos conspergite, et lugete excidium eius et vestrum.

**Ascendet enim pandens iter ante eos: dividet, et transibunt portam, et ingredientur per eam: et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum**, q. d. Christus præbit pandetque viam fidelibus suis in Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem?

**Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione: et occumbet sol super Prophetas, et obtenebrabitur super eos dies**, q. d. Quia vos, o pseudo-prophe-

tæ non lucem, id est veritatem, sed noctem et tenebras, id est, mendacia, prophetastis, prædicendo impiis pacem, id est, prospera: ideireo puniam vos, faciamque ut visiones, id est, prophetiæ vestræ, vertantur in noctem, tum falsitatis, ut omnibus appareat eas fuisse tenebras, id est, errores et ligmenta: tum calamitatis et excidii. Redigam enim vos in eas angustias, ut sol vobis pavidis et attonitis occumbere, diesque in meridie obtenebrari videatur.

**Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio et virtute, ut annunciem Iacob scelus suum, et Israel peccatum suum.** Doctore et concionatori necessaria sunt hæc tria; primo, fortitudo, id est, libertas, et constantia docendi et arguendi peccata, et peccatores potentes; secundo, iudicium, id est veritas, æquitas et discretio; tertio, virtus, id est efficacia dicendi.

**Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Ierusalem in iniquitate**, q. d. Qui domos magnificas in Ierusalem ædificatis ex iniustis vectigalibus, donis, usuris, contrafactibus, fraudibus, rapinis et oppressionibus pauperum. Unde explicans subdit: **Principes eius in muneribus iudicabant**, etc.

**Propter hoc causa vestri** (ob vestras rapinas et scelera) **Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum**, q. d. De-

- moliar Sionem, et in ea domos vestras: quia eas ædificatis ex rapinis et sanguine pauperum. Urbs enim plectitur, propter cives: et templum igni destinatur, propter impios et sacrilegos indigenas. Satius enim est illud dari igni quam sceleri; excidio, quam sacrilegio, hosti Chaldæo, quam idololatræ et homicidæ Iudæo.
- Cap. 6. *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Mo- sen, et Aaron, et Mariam?* q. d. Estne hoc maleficium quod mihi imputas, nimirum beneficium, quo te e carcere Ægyptiaco redemi, et ex mancipio effeci ingenuum et liberum? Est mycterismus.
- v. 8. *Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium (iustitiam) et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Si- cut reus supplex et sollicitus ambulat cum iudice, a quo veniam et vitam petit: sicut famuli solliciti ambulant cum dominis suis, a quibus victum et omnia bona sperant.*
- v. 14. *Humiliatio tua in medio tui. In te residet tam culpa, quam pœna allictionis tuæ.*
- Cap. 7. *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumnu racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, q. d. Heu mihi: nam ego Michæas prædicatione mea excolui vineam Iuda; sed oleum et operam perdidit: vix unum al- terumve converti: diabolo et idolis cedunt botri grossi et plurimi; Deo et mihi pauculi acini. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*
- v. 4. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe, q. d. Optimus inter Iudæos, nocens est et aculeatus, puugitque et lædit ut paliurus et spina: cogitate ergo quales sint cæteri, quales pessimi.*
- v. 5. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, eustodi claustra oris tui, q. d. Uxori ne reveles secreta tua: prodet enim te, utpote infida et garrula: Nam inimici hominis domestici eius.*
- v. 8. *Ne lateris inimica mea (o æmula Idumæa) super me (Ierusalem, quæ vastata sum a Chaldæis) quia cecidi: consergam, cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini (captivitatem 70. annorum in Babylone) portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet: eduget me in lucem (in libertatem per Cyrum, et magis per Christum) videbo iustitiam eius, iustam vindictam in Chaldæos, aliosque fidelium tyrannos.*
- v. 18. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? Revertetur et miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quæ iurasti patribus nostris a diebus antiquis, q. d. Tu, o Domine Deus, vere et fideliter præstabis libertatem per Cyrum et magis per Christum, Iacob, id est Iacobæis, sive Iudæis, quam misericorditer olim promissisti, iurasti Abraham cæterisque Patriarchis, te daturum posteris eorum.*

## EX NAHUM.

- Cap. 1. *Non conserget duplex tribulatio, id est, ut Septuag. non vindicabit bis in idipsum in tribulatione, q. d. Deus idem scelus non punit bis; ita S. Cyril. et Theoph.*
- v. 15. *Eecce super montes pedes (gressus, adventus: huius enim symbolum et causa sunt pedes) evangelizantis et annunciantis pacem: celebra Iuda festivitates tuas, et redde vota tua: quia non adieci ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit. Belial hic ad litteram est Sennacherib: allegorice est diabolus: tropologice est peccatum: anagogice est mors, quæ tollitur in resurrectione, qua sublata Beati in cælo celebrabant perenne festum et iubilæum.*
- Cap. 2. *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum? Ubi est Ninive, quæ erat lustrum leonum, id est, tyrannorum, qui prædabantur omnes gentes, earumque spolia et opes distribuebant suis catulis, id est, filiis et optimatibus? q. d. Eversa est et expilata a Chaldæis, sicut ipsa evertit et expilavit alias.*

**A** *Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena: non recedet a te rapina, q. d. Væ civitati Ninive, quæ tota est sanguinaria, mendax, plena rapinis et prædis: quia sicuti prædata est, et laceravit alias gentes, sic pariter ipsa lacerabitur, eritque prædæ Chaldæis.*

*Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficiam, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis, q. d. Exscindetur Ninive ob idololatrias suas, superstitiones et veneficia, quibus infecit et imbuuit omnes gentes sibi subiectas.*

*Nunquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aqua in circuitu eius; cuius divitiæ, mare: aquæ, muri eius: Æthiopia, fortitudo eius, q. d. Ne fidas tuis viribus et opibus o Ninive: nam Alexandria quæ te est fortior et opulenter, utpote adiacens mari et aquis cineta, iis se tutari non poterit, sed capietur a Chaldæo: pariter ergo ab eo capieris et tu.*

## EX HABACUC.

*Eecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, etc. Leviores pardis equi eius, et velociore lupis vespertinis, etc. Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. In pardo notatur Chaldæorum sævitia, in lupo voracitas, in aquila rapacitas: in omnibus velocitas.*

*Quare respicis super iniqua agentes, et taees devorante impio iustiore se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem? q. d. Cur permittis, o Domine, Nabuchodonosorem quasi balænam impune grassari, nosque quasi pisciculos tyrannice opprimere et deglutire? Cur nos quasi lumbricos, sinis ab eo iniuste calcari et proteri?*

*Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo; quia in ipsis inerassata est pars eius, et cibus eius electus. Sagenam et rete vocat arma, vires et castra Nabuchodonosoris, quibus quasi retibus ipse illaqueabat, et capiebat gentes instar piscium, q. d. Ipse sibi suisque viribus, non Deo, ascribit suas victorias. Unde eas habet pro numine; quocirca ipse ut Deus, in statua aurea quam erexit, Daniel. c. 3. coli et adorari voluit.*

*Super eustodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplantur ut videam quid dicatur mihi, q. d. Ego disputans et argumentans cum Deo, cur sinat impios Chaldæos vastare populum Dei; ut meam thesin quasi munitionem propugnem, stabo vigil in excubiis, ut argumenta Dei excipiam, eaque aliis argumentis, si possim, repellam et refellam.*

*Et respondit mihi Dominus, etc. apparebit in finem, et non mentietur: si moram fecerit, exspecta illum: quia veniens veniet, et non tardabit: iustus autem in fide sua vivet, q. d. Tandem Deus puniet Chaldæos, et e Babylone liberabit Iudæos, scilicet post 70. annos: quare si moram fecerit, exspectate eum; quia certo veniet, idque brevi.*

**D** *Nolite ergo in ista mora esse impatientes, increduli, et diffidentes de hisce Dei promissis; sed in eorum fide et spe vestram captivitatem, et ærumnas generose sustentate, alacresque vivite.*

*Væ ei qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum? q. d. O miser Nabuchodonosor, cur rapis alienas opes? quid enim hæ sunt aliud, quam densum lutum, quo te opples et aggravas?*

*Quia lapis de pariete clamabit, q. d. Lapides, ligna et tigna quæ rapuisti, vel ex rapto emisti, ad superba tua palatia extruenda, propalam omnibus inclamabunt tuam avaritiam et rapinam, ideoque te iuste a Deo puniri, vastari et disperdi.*

*Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fietor suus, conflatile, et imaginem falsam? q. d. Quid in idolo tui Beli confidis? Hoc enim non est numen, sed numinis imago falsa, quam plastes fluxit. Dominus autem in templo saneto suo: silcat a facie eius omnis terra.*

*Cap. 3. Ingredietur putredo in ossibus meis, et subter me sca-*



teat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum, q. d. Veniant in me omnes ærumnæ, omnes morbi, omnes afflictiones, ut in die illa horrenda excidii Babyloniis, communem Chaldaeorum eladem evadam, et ascendam ad populum accinctum ad iter, cum eoque sospes redeam in Iudæam. Allegor. ut in die excidii mundi, dieque iudicii sim securus, et ascendam ad populum electorum, iam accinctum ad iter in cælum.

v. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo, id est, liberatore et salvatore meo, tum e Babylone, tum mystice a peccato et gehenna. Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor, in Ierusalem tum terrestrem, tum cælestem, in psalmis canentem.*

## EX SOPHONIA.

Cap. 2. *Moab ut Sodoma crit, et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in externum.* Est periphrasis extremæ vastitatis et desolationis, qua Moab et Ammon regiones olim florentes per Chaldaeos convertendæ erant in spineta, et acervos salis instar Sodomæ. Causam subdit v. 10. *Hoc eis eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini, hebr. magnificaverunt, scilicet os et linguam, subsannando Iudæos eum vastarentur a Chaldaeis, et blasphemando, ac dicendo, quod Deus eorum non potuisset eos contra Chaldaeos tutari. Quocirca horribilis, hebr. terribilis, crit Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* Hoc impletum est per Evangelium Christi, et prædicationem Apostolorum.

v. 13. *Ponet speciosam (Niniven) in solitudinem, etc. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alius. Quomodo facta est in desertum, cubile bestię? q. d. Ninive, urbs illa inelyta, superba et gloriosa, orbis domina, a Chaldaeis vastabitur, ita ut in ea deinceps non habitent homines, sed bestię et feræ.*

## EX AGGÆO.

Cap. 1. *Seminastis nullum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Causam dat v. 9. *Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam, q. d. Quia vos prætulistis vestras domos et commoda Deo, indeque neglexistis fabricam templi, ut illud maneret desertum; hinc Deus punit vos sterilitate et penuria, ut agri, horrea, vineæ et cellaria vestra sint arida, deserta et squalida, nec vos satient aut reficiant. Unde v. 11. *Vocavi, inquit, siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, etc.**

## EX ZACHARIA.

Cap. 1. *Et respondit Angelus Domini et dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Ierusalem et urbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est. Hi 70. anni sunt desolationis, sive excidii Ierusalem et templi, qui inchoantur anno 18. Nabueodonosoris, et finiuntur anno 2. Darii Hystaspis, quo hæc dixit angelus; ac proinde diversi sunt ab annis 70. captivitatis Babylonicæ. Hi enim finiuntur anno 1. Cyri, et inchoantur anno 11. Ioakim, vel, ut alii, anno 3. eiusdem.*

Cap. 2. *O, o fugite de terra Aquilonis.* Puta de Babylone, quæ est confusio errorum et vitiorum, ideoque rursus brevi capiatur et vastabitur a Dario Hystaspis. Tropol. fugite de mundo, qui plenus est pompis, vanitatibus, erroribus, concupiscentiis, ærumnis, periculis.

Cap. 3. *Nunquid non iste torris est erutus de igne? q. d. Iesus filius Iosedeæ rodiens a captivitate, est quasi torris ustulatus et fuliginosus, e fornace Babylonia erutus, id est mi-*

ser, squalidus et pauper. Cur ergo tu, o Satan, ei adversaris, ut eum plane comburas et disperdas, ne templum cultumque meum quasi pontifex restauret?

*In die illa, etc. vocabit vir amicum suum subter vineam, et subter ficum, d. d. Tempore Christi et Evangelii erit summa pax, lætitia et communicatio, ut fideles inter se bona habeant communia, in iisque conviventur, tum corporaliter, tum potius spiritualiter in Eucharistia, vita, doctrina et gratia Christi. Ipse enim est nostra vitis et ficus.*

*Et factum est sicut locutus est (Deus) et non audierunt: sic clamabunt, et non exaudiam, q. d. Lege talionis pari referam: ipsi me vocantem noluerunt audire, vicissim ego quoque eos in necessitate me invocantes non exaudiam.*

*Domini est oculus hominis, et omnium tributum Israel, q. d. Deus est oculus, tum ætivus, et videns omnes gentes, æque ac tribus Israel, iisque providens: tum passivus et visus, q. d. Deus est obiectum oculi: Deus est in quem oculum intendunt omnes homines, ab eo sperantes opem et omne bonum. Sic Ægyptii Deum et numen, sive providentiam, pingebant quasi oculum baculo insistentem. Baculus significat sceptrum, puta dominium et potestatem regiam; oculus, vigilantiam et providentiam Dei.*

*Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.* Rex est Christus, qui in die Palmarum, quasi rex certo debellaturus demones, peccata et mortem, triumphans ingressus est Ierusalem, reclusus asina, Matth. 21. 5.

*Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinetos tuos de lacu, in quo non est aqua, q. d. Tu o Christe, merito et pretio sanguinis tui, quo sancivisti novum fœdus inter Deum et homines, liberasti Patres in limbo detentos, ut tecum resurgerent, et ascenderent in cælum.*

*Et suscitabo filios tuos Sion super filios tuos, Græcia, et ponam te quasi gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur, et exibit ut fulgur iaculum eius: et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri, q. d. Apostoli ex Sione, id est, e Iudæa oriundi, erunt quasi gladius fortis, arcus, iacula fulgurantia, lapides fundæ, tubæ et turbines Dei, quibus Græcos, id est, omnes gentes, elangore, et potenti virtute Evangelii prosternet, sibi que subiciet. Unde de iisdem subdit:*

*Quia lapides sancti elevabuntur super terram eius, q. d. Apostoli erunt quasi lapides sancti, in titulum et trophæum victoriæ, de toto mundo partæ, erecti et elevati; ut quisquis eos viderit, vel nominari audierit, cogitet et stupeat tantam eorum gratiam et vim, qua pauci totum orbem Christo subegerunt.*

*Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? q. d. Apostoli eorumque asseclæ tantæ erant virtutis, tantaque patrabunt, non vi sua, sed ope Dei, qui omne suum bonum et pulchrum eis communicabit, scilicet S. Eucharistiam, quæ eos quasi frumentum alet, roborabit; et velut iuvenes, agiles, electos et validos reddet; ac quasi vinum cæleste, eos virgines, cælestes et angelicos efficiet.*

*Posuit eos quasi equum gloriæ suæ. Eos, scilicet Machabæos pugnaces et victoriosos. Mystice Apostolos. Sic equus gloriæ Christi fuit S. Paulus. Unde de iis subdit v. 5. *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, et bellabunt; quia Dominus cum eis.* Et v. 12. *Confortabo eos in Domino, et in nomine eius ambulabunt.**

*In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, et sicut faciem ignis in feno: et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuito, q. d. Ponam Machabæos quasi caminos et faces, qui omnes gentes in circuito succendant, sibi que subiiciant. Allegor. Dabo Apostolos, qui instar ignis totum mundum amore Dei inflammabunt.*

*Et erit qui offenderit ex eis in die illa, ut resurgat fortior, quasi David: et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum, q. d. Iudæi qui metu An-*

tiochi a fide apostatarint, videntes Machabæorum victorias, animos resument, et fortiores resurgent instar Davidis post lapsum. Rursum proceres et posteri Davidis, erunt validi quasi angeli Dei. Hoc verum in Machabæis, verius in Apostolis et Christianis.

v. 10. *Effundam super, etc. Ierusalem spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me quem confixerunt.* Est prophetia de Christo in cruce spinis, clavis et lancea translixo, quem Indæi pii aspexerunt cum intimo dolore et compassione, precantes Deum, ut tam indignam filii sui et Messia necem averteret, et ulcisceretur.

v. 12. *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon, q. d. Magno planctu plangent mortem Christi; sicut olim planxerunt necem Iosia, qui occisus est in Mageddo, iuxta Adadremmon urbem, ita dictam a copia malogranatorum.*

### EX MALACHIA.

Cap. 1. *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui.* Quia scilicet Iacobæos e Babylone in patriam reduxi, Idumæos autem in captivitate reliqui. Unde explicans subdit: *Posui montes eius in solitudinem, et hæreditatem eius in dracones deserti.* Et v. 4. *Isti ædificabunt, et ego destruam, et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum.* Allegor. Iacob, id est sanctos et electos, dilexi, et elegi ad vitam æternam: Esau, id est impios et reprobos, odio habui, et damnavi ad gehennam. Vide dicta Rom. 9. 13.

v. 6. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

v. 14. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino: quia rex magnus*

*A ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus. Deo enim summo et optimo, summa et optima sunt danda, præsertim quæ illi voto promissa sunt.*

*Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Angelus, id est, nuncius et legatus, ut vertit Vatabl. quem scilicet Deus legat ad homines, ut eis suam voluntatem et legem enunciet.*

*Ego Dominus, et non mutor.* Sum immutabilis, ideoque non revoco mea decreta, promissa et minas.

*Dixistis: Vanus est qui servit Deo: et quod emolumentum quia custodivimus præcepta eius, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ecce nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem.* Est vox impiorum negantium numen et providentiam Dei, eo quod videant pios in hoc mundo deprimi, impios exaltari. Hisce respondet Propheta: *Et attendit Dominus, et audivit hosce sermones impiorum providentiam Dei impugnantium, et piorum eam defendentium:*

*et scriptus est liber monumenti, id est, memoriæ, coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen eius, q. d. Deus in memoria et mente sua, quasi in libro conscripsit omnium hominum dicta et facta, eaque in die iudicii legget, et cuique pro merito præmium vel pœnam decernet: præmium, scilicet timentibus et assidue cogitantibus Dominum. Nam hi erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, id est faciam, scilicet iudicium, in peculiis, hoc est populus peculiaris, peculiariter a me electus, dilectus et exaltatus, quem omnibus meis bonis beabo et glorificabo, et parcam, id est miserebor, indulgens et munificus ero eis, sicut parcat vir filio suo servienti sibi. Quocirca in die iudicii videbitis, quid sit differentiæ inter iustum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei.*



## COMMENTARIA

IN

## OSEE PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

**O**SEE uti oraculis, factis et moribus, ita et nomine præfiguratur, imo repræsentat Christum, uti notat S. Hier. et Leo Castrius hic. Osee enim id est quod Iosue, et Iesus, id est salvator: unde Iosue ante vocatus est Osee, ut patet n. 13. 17. Sicut ergo Iosue in ducatu et regimine populi, Isaias in prophetia et gestis, ita pariter et Osee sua voce et vita repræsentavit Christum: ac proinde hi tres idem nomen, puta Iesu, prætulērunt. Ab eadem enim radice **ישיע** *iascia*, id est salvavit, deducitur nomen Iosue, vel Iesus, id est salvator, et nomen Isaias, id est salus Dei; et nomen Osee, id est salvans populum, nimirum sanctitate doctrinæ suæ, æque ac precum et morum, vitæque exemplo. Ubi Nota, *Osee* proprie hebr. significare *salva*: hebr. enim **ישיע** *hosceea* est imperativus *hiphil*, a rad. *iascia*, significans *salva*. Apposite: Osee enim optat oratque Dominum, dicens: *Salva nos Domine ab Assyriis, Chaldæis, et præsertim a peccato et morte per Messiam, quem missurus es. Huic optioni respondit Deus mittendo Iesum, id est Salvatorem postulatum.*

Fuit ergo ipse iuxta nomen suum Osee, id est, salvator, quia salutem populi sui qua orando, qua prædicando, qua sanctæ vitæ exempla dando procuravit, æque ac Iosue pugnando: de quo ait Eccles. cap. 46. 2. *Qui fuit magnus secundum nomen suum in salutem electorum.* Ac proinde uterque typus fuit Iesu Christi. Hinc et noster hic fuit filius *Beer*, id est, *putei mei*, quia ex Deo quasi puteo hausit aquas doctrinæ cælestis, quas in Iudæos, velut agros aridos effunderet, iuxta illud Isaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris*: ita S. Hieron. hic, et epist. 131. ad Ruffin.

Porro Osee tam ad Iudæam, quam ad Israel sive decem tribus prophetat: unde utriusque reges in titulo præfigit.

Osee fuit synchronus Isaiæ, ait S. Hieron. imo ante Isaiam Prophetarum primus, ut patet e. 1. 2. Osee ergo cepit prophetare sub initium regni Ozia vel Azariae, ante Olympiades, et ante Romam conditam: eum Albæ regnaret Procas Silvius, avus Romuli. Itaque Osee prænuunciat Israel, id est decem tribus exscindendas ab Assyriis, quod primum regem suum Ieroboam, eiusque posteros in idololatria vitulorum aureorum secuti sint: Iudam vero ab hac Assyriorum clade immunem servandum, quod Prophetarum vocibus obtemperans respicerit, secutusque suum regem Ezechiam idola abiecerit, templumque purgavit, licet postea ad eadem redierit; ideoque sub Sede-cia a Chaldæis vastatus sit. Quocirca Christum salvatorem et consolatorem ei, aliisque fidelibus miseris et allictis, qui sunt veri Israelitæ in spiritu, esto non in carne, promittit. Primo ergo prædicat Israelitarum carnalium ex-cidium et reprobationem, ac spiritualium Israelitarum, præ-

sertim Gentilium, vocationem et electionem; idque reipsa repræsentat, dum Dei iussu ducit uxorem meretricem, ex eaque gignit proles, quibus dat nomina, primo *Iezrahel*; secundo, *Absque misericordia*; tertio, *Non populus meus*: quia, inquit, vos non populus meus. Et erit in loco ubi dicetur eis: *Non populus meus vos*: dicetur eis: *Filii Dei vicentis*. Secundo, continua oratione idololatriam aliaque peccata populi acriter insectatur, minando ei Dei plagas et exedidum tantum, ut dicant *montibus*, *Operite nos*; et *collibus*, *Cadite super nos*. Tertio, Dei elementiam, gratiam et gloriam pœnitentibus promittit. Hinc ait e. 13. 14. *Ero mors tua o mors*: *morsus tuus ero inferne*. Et e. 14. 6. *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium*, etc.

Censet Aleazar, Apoc. 5. 2. angelum fortem, qui ibi inducitur, ad litteram esse Osee Prophetam. De angelo enim hoc ibidem ita legimus: *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna*: *Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula eius?* Quibus verbis alludit Ioannes ad illud Osee 14. 10. *Quis sapiens, et intelligit? intelligens et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et iusti ambulabunt in eis*: *prævaricatores vero corrueunt in eis*. Liber enim ille signatus Apoc. 5. continet vias tam piorum, qui legem Domini sequendo beantur; quam impiorum, qui eam spernendo damnantur. Iure autem Oseas nuncupatur angelus fortis, tum ob robur animi, quo primus concionando perfregit glaciem duricordium Iudæorum, et prostravit idola ac vitulos aureos: tum quia Epiphanius in eius Vita scribit, eum verborum suorum vi, ingentem quereum in duodecim partes divisisse, ut probaret Dominum venturum cælitus in terram, hocque fore signum adventus eius: *Si quercus*, inquit, *in Selom fundatur a seipsa in portiones bis senas, et fierent totidem quercus. Et accidit ita*. Hæc apposite dicuntur, veraque sunt in sensu non litterali, sed mystico. Nam ad litteram angelus ille Apocal. 5. non fuit homo, sed verus et proprie dictus angelus, uti ibidem ostendi.

Porro patheticus est Osee, ideoque commatius, ut ait S. Hieron. hoc est concisus. Agit enim personam Dei, qui quasi sponsus sponsam Synagogam deperiens, eamque in adulterio deprehendens, gravissimos concitat affectus, hinc indignationis et minarum, inde amoris et zeli. Inde pariter obscurus est, tum quia affectus plene non eloquitur, sed per aposiopesim ob pathos ineidit; tum quia verum est illud Poætæ: *Brevis esse laboro, obscurus fio*: tum quia profundus est. *Osee Propheta quanto profundius loquitur, tanto operosius penetratur*, ait S. Aug. 1. 18. Civit. 28.

Denique Osee obedientia et vitæ sanctitate illustris ab Ecclesia Sanctorum catalogo ascriptus est 4. Iulii. Vide Epiph. Dorothi. et Isidor. in vita Osee.

Osee idem quod Iosue, Iesus, uti et Isaias.

Prophetat Iudæam et Israel. Synchronus Isaiæ, imo Prophetarum primus.

An angelus de quo Apocal. 5.

Est commatius, quia patheticus.

## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Jubetur Osee uxorem ducere fornicariam, et fornicationis ex ea filios procreare, ut hoc suo facto et connubio repræsentet Synagogam, puta Israelitas, religionem et fidem uni Deo datam violasse, et ad idola quasi adulerinos Deos declinasse. Obedit Propheta, et meretricem ducit, ex eaque gignit tres proles, quarum primæ dat nomen Iezrahel, id est semen Dei; secundæ Lo rachuma, id est, absque misericordia; tertiæ Lo ammi, id est, non populus meus; quibus Israelis impietatem, ideoque punitionem et repudium, velut in quotidiana imagine Iudæis obiicit: quæ deinde fusius per sequentia capita prosequitur. Denique v. 10. promittit spiritalem Israellem innumerabilem, fore populum Dei, et filios Dei viventis.*

1. **V**ERBUM Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiaë, regum Iuda, et in diebus Ieroboam filii Ioas regis Israel. 2. Principium loquendi Domino in Osee: et dixit Dominus ad Osee: Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra a Domino. 3. Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaim: et concepit, et peperit ei filium. 4. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel: quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, et quiescere faciam regnum domus Israel. 5. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Iezrahel. 6. Et concepit adhuc, et peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen eius Absque misericordia: quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum. 7. Et domui Iuda miserabor, et salvabo eos in Domino Deo suo: et non salvabo eos in arcu, et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus. 8. Et ablactavit eam, quæ erat Absque misericordia. Et concepit, et peperit filium. 9. Et dixit: Voca nomen eius Non populus meus: quia vos non populus meus, et ego non ero vester. 10. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus vos: dicitur eis: Filii Dei viventis. 11. Et congregabuntur filii Iuda, et filii Israel pariter: et ponent sibi caput unum, et ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.

Vers. 1. **V**ERBUM DOMINI, QUOD FACTUM EST AD OSEE FILIUM **A** **BEERI.** ) Est hic titulus prophetiæ, præfixus non ab Esdra (uti aliqui putarunt) qui post captivitatem restituisse et restaurasse dicitur codices S. Scripturæ; sed ab ipsomet Osea, uti et tituli cæterorum Prophetarum ab ipsismet, prophetiis eorum, præfixi sunt, quibus testabantur se esse earum auctores, seque eas a Deo per revelationem accepisse; cui proinde omnes credere et fidem adhibere debeant. *Verbum* ergo idem est quod oraculum, prophetia, sermo Domini, ut vertit Chald. Addit Caiet. in illud Luca 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem: Divina, inquit, inspiratio, instructio et missio, vocatur verbum Domini: verbum ergo non tantum prophetiam, sed et missionem sonat. Hoc enim Dei verbo mittebantur ad populum, eique hæc Dei oracula edicere iubebantur. Hoc ergo verbo constituebantur legati Dei, Prophetæ, Doctores et præcones ad populum. Cur prophetia nunc vocetur verbum, nunc visio, dixi can. 1. in Prophetas maiores.*

**IN DIEBUS OZIÆ, IOATHAN, ACHAZ, EZECHIAË, REGUM IUDA, ET IN DIEBUS IEROBOAM FILII IOAS REGIS ISRAEL.** ) Nominat reges tam Iuda quam Israel; quia tam contra Indam, quam contra Israel, id est, decem tribus, propheta, magis tamen contra Israel; unde toties nominat Ephraim, Israel, Bethel, Bethaven, quæ non nisi Israel, id est decem tribus, significant: ita S. Hieron. Athanas. in Synopsi, et Euseb. in l. de Appellationibus librorum prophetiarum. Hinc patet Primo, has prophetias licet breves, successive tamen et per longum tempus fuisse dictas, deinde scriptas. Secundo, Osee fuisse primum Prophetarum, uti mox ostendam, ac diutissime prophetasse, nec tantum prædixisse, sed etiam vidisse excidium decem tribuum a se prædictum: hoc enim contigit anno 6. Ezechiaë: ita S. Hieron. et Ruffin. Quocirca tradunt Hebræi Osee prophetando superasse annos 90. quibus multa dixit quæ non scripsit; multa etiam a populo rebelli perpressus, confessionis, id est lenti, sed longi martyrii palmam obtinuit.

**IEROBOAM.** ) Hic non fuit primus rex Israel, qui schisma fecit sub Roboam 3. Regum 12. 20. sed eo longe fuit posterior, nimirum fuit pronepos Iehu regis Israel, cui Deus 4. Reg. 10. 3. promiserat regnum usque ad quartam generationem, itaque præstitit. Nam Iehu successit filius Ioachaz, huic Ioas, huic Ieroboam hic, huic Zacharias, quem regno ac vita spoliavit Sellum: in quarto ergo regge suæ prosapiæ, puta in Zacharia, defecit stirps regalis Iehu, 4. Reg. 15. v. 10.

**C** Nominat Osee præter reges Iuda etiam Ieroboam regem Israel, ut significet se tam, imo magis, contra Israel, quam contra Iudam prophetare. Sed cur e regibus Israel solum nominat Ieroboam, omittens Zachariam, Sellum, Manahem, Phacee, Phaccam et Hosee, qui in Israel regnarunt eo tempore, quo in Iuda regnabant Ozias, Ioathan, Achaz et Ezechias? nam anno 6. Ezechiaë, qui fuit annus 9. Osee, eversum est ab Assiriis regnum Israel. Respond. varii varias dant causas, sed vera et genuina est, ut Propheta indicet se non extremo, nec medio tempore regni Oziæ vel Azariaë, ( utpote qui 52. annos regna-

Aliter Leo Castrius: Beeri, inquit, idem est quod in lu-

Allegor.

Annis 90.  
prophe-  
tavit O-  
see.

vit) sed eius initio prophetare cœpisse. Nam anno Ieroboam regis Israel 27. cœpit in Iuda regnare Ozias: Ieroboam autem regnavit 41. annis: unde sequitur ultimos tantum 14. annos Ieroboam concurrere cum primis 14. annis Oziae, quibus simul regnarunt, Ieroboam in Israel, Ozias in Iuda, quibus necesse est prophetasse Osee: cœpit enim cum uterque simul regnaret. Vide 4. Regum 14. 23. et 4. Regum 15. 1. Tunc quoque, puta paulo post Osee, prophetare cœpit Amos sub utroque hoc rege, uti ipse ait e. l. v. l. ita Arias, Ribera et a Castro. Ex dictis sequitur, Osee prophetasse excidium Samariæ et regni Israel fere nonaginta annis (tot enim sunt ab initio regni Oziae usque ad 6. Ezechiae, quo capta est Samaria) antequam illud contingeret: excidium vero Ierusalem et Iuda prædixit circiter 224. annis (tot enim sunt a 1. anno Oziae usque ad ultimum Sedeciae, quo eversa a Chaldæis est Ierusalem) antequam eveniret. Nam excidium Ierusalem posterius fuit excidio Samariæ 34. annis. Ita tempestive Deus peccatores præmonet de imminente plaga, datque significationem ut fugiant a facie arcus, eumque penitendo evadant, ne querantur se serius esse monitos. Ita centum annis ante diluvium iussit Noe fabricare arcam, et monere homines de instante diluvio. Hinc rursum sequitur, Osee cœpisse prophetare paulo ante Isaia. Nam Isaia cœpit anno 17. Oziae, uti habet Euseb. in Chronico.

Cœpit 90 annis ante excidium Samariæ, et 224. ante excidium Ierusalem.

Vers. 2.

**PRINCIPIUM LOQUENDI DOMINO IN OSEE.**) Duplex hic est sensus litteralis. Prior, q. d. Primo omnium ante Isaia, Ioel et aliosque Prophetas locutus est Dominus ipsi Osee, vel ad Osee. Unde sequitur, Osee fuisse primum omnium Prophetarum. Negat hoc Christ. a Castro; sed asserunt S. Hieron. Rupert. Haymo, Vatabl. Albert. Hugo Cardin. Dionys. hic, et S. Basil. ac Ruffin. in Isaia e. 1. Idque confirmant Hebræa prout nunc punctantur. Sic enim habent: *Principio locutus est Dominus per Osee*, ut vertit Vatabl. Iam enim punctant דִּבְרֵי דִּבְבֵר id est, locutus est in præterito, cum Noster et Septuag. legerint in infinitivo *dabber*, id est, loquendi. Favet insuper nostra versio. Nam *principium loquendi Domino* (subaudi fuit) in Osee, idem est quod, principium loquendi Dominus sumpsit fecitque in Osee, sive primo loqui cœpit in Osee.

Secundus sensus est, q. d. Hoc est principium quo Dominus cœpit loqui cum Osee, scilicet illud quod sequitur: *Sume tibi uxorem fornicationum*; etc. Ita quoque explicat S. Hieron. Theodoret. Haymo, Hugo, Lyran. a Castro et Vatabl. qui rursum sic vertit, *initio quo locutus est Dominus per Oseam, dixit ad ipsum Oseam: Vade sume tibi uxorem*, etc. q. d. Adverte, o lector, et admirare, quare principium oraculis suis dederit Deus, nimirum iubendo Osee ducere meretricem, ut hoc ipso meretricios populi mores representaret et carperet.

Verum hoc sensu cæteri omnes Prophetæ idem principium usurpare potuissent, ac pari modo dicere: principium loquendi Domini in Isaia, Abdia, Ioel, etc. Iam autem nemo alius hoc dicit, sed solus Osee. Signum ergo est eum non tantum hunc sensum, sed vel maxime priorem, qui soli ei competit, exposcere.

**DOMINO.**) Id est, *Domini*, utrovis enim modo ex Hebræo veritas, significantius tamen *Domino*; τὸ enim *Domino* significat causam et auctorem principii loquendi, q. d. Dominus principium et quasi fundamentum oraculorum suorum dedit, et iecit in Osee.

**IN OSEE.**) Interius inspirando illi ea quæ faceret et diceret populo. Secundo, *in*, id est, ad, *Osee*, ut vertunt Septuag. Vatabl. et alii. Tertio, *in*, id est, per Osee ad populum. Quarto, *in*, id est, cum Osee. Hæc enim omnia significat Hebr. *beth* præpositionis.

**VADE, SUME TIBI UXOREM FORNICATIONUM.**) Id est, multis fornicationibus deditam et infamem, insignem fornicariam, publicam meretricem vel in taberna, vel in lupanari, vel alio loco corpus pro turpi lucro euilibet prostituentem. Simili hebraismo vocatur vir sanguinum, vir dolorum, vir misericordiae, vir virtutis, is qui valde est sanguinolentus, valde dolens; insigniter misericors, insigni virtute præditus. Iubetur ergo Osee ducere famosam meretricem, eam-

A que sibi legitimo copulare matrimonio, ac filios ex ea procreare, ut hoc symbolo quasi verbis et sermone reali, carpat apostasiam et idololatriam populi sui. Propheta enim hic Deum refert, uxor fornicaria Synagogam, id est, populum Israel sive decem tribuum, ut patet ex sequent. fornicatio enim hic, et passim apud Prophetas significat peccata, præsertim idololatria, qua Israelitæ, relicto Deo sponso suo, licentioris vitæ desiderio, idolis voluptatibusque suis quasi amasiis adhaerebant. Ita enim explicat Propheta, dum mox causam huius sui connubii a Deo præcepti subnectens, subdit: *Quia fornicans fornicabitur terra*, id est, quia Israelitæ valde addicent se idololatriæ, prout et communi impetu proruent ad colenda idola, q. d. Ego Deus te, o Osee, habere volo uxorem fornicationi hæcenus additissimam, ut designem uxorem meam, puta Synagogam, mystice fornicariam, id est, idololatriam, esse et fore, ut quod cœpit esse sub Ieroboam, deinceps sit magis: ita S. Hieron. Chald. et alii.

B Errant ergo illi qui censent, hoc loco iuberi Prophetæ ut fornicetur, ut scilicet accedat ad meretricem manentem meretricem, ita ut eam non ducat in uxorem: unde concludunt, fornicationem esse licitam. Hic enim est error manifestus, quem Græcis attribuit Alfonsus a Castro lib. 7. contra hæres. v. *Fornicatio*: fornicatio enim non tantum in novo, sed et in veteri testamento iure naturali et divino fuit prohibita, uti ostendi in fornicatione Thamar, Genes. 38. 16. ex communi Patrum et Interpretum sententia. Et fusius 1. Corinth. 6. 9.

Error, Osee non iubetur fornicari.

Denique iubet Deus Prophetæ: *Sume tibi uxorem*: ergo iubet ut eam matrimonio sibi copulet, non ut eum ea fornicetur: ita passim Patres et Interpretes.

Dices, S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. et 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. Caiet. et nonnulli Thomistæ dicunt Osee fornicatum esse, et tamen non peccasse, quia Deus matrimonio rerumque omnium dominus cum eo dispensavit, eique dedit potestatem et ius in corpus meretricis. Hæcque omnia putant significari verbis Dei ad Prophetam, quibus ait: *Sume tibi uxorem*, non matrimonii, sed fornicationum.

C Resp. disputant Theologi an Deus dispensare possit in lege naturæ, puta in Decalogo: ac varii varie respondent. Primo, Occam in 2. q. 19. ad 3. et 4. dubium, Gerson in tract. de Vita spiritali lect. 1. corol. 10. in Alphabeto 61. litt. E. et Almainus tract. 3. Moral. c. 15. asserunt Deum in omni omnino præcepto Decalogi et legis naturæ posse dispensare: imo Occam ait, Deum posse præcipere odium Dei, facereque ut illud non sit malum, sed bonum. Ratio eorum est: omne peccatum, inquit, ideo est peccatum, quia voluntate Dei prohibitum est; si ergo Deus velit ut aliquid non sit peccatum, hoc ipso non erit peccatum.

An Deus possit dispensare ut fornicatio sit licita.

Secunda est S. Bonaventuræ in 1. d. 47. q. 4. Scoti in 3. d. 37. q. 4. §. *Hic dicitur*, et Gabriel in 3. d. 37. q. 1. art. 2. concl. 1. Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ, non vero primæ, puta posse in iis quæ tangunt proximum, non vero in iis quæ tangunt Deum.

Tertia est Durandi in 1. d. 47. q. 4. n. 16. Deum posse dispensare in præceptis affirmativis secundæ tabulæ, non vero in negativis.

D Verum dico, Deum in nullo præcepto legis naturæ directe et formaliter posse dispensare. Ratio est, quia lex naturæ continet et præcipit id quod natura sua et intrinsece bonum est: quocirca quæ contra eam fiunt, natura sua et intrinsece mala sunt, non quia voluntate Dei prohibita, sed quia suapte natura contraria et dissidentanea sunt naturæ et rationi naturali. Sicut enim res possibles sunt possibles, non quia Deus voluit eas esse possibles, sed quia ex se non implicat contradictionem ut esse possint: eodem modo opera contra legem naturæ suapte natura sunt mala, non quia Deus voluit ea ut mala prohibere, sed quia ex seipsis naturæ rationali, ut rationalis est, contraria sunt et repugnantia. Cum ergo Deus non possit pro voluntate sua mutare naturas rerum, non poterit etiam mutare legem naturæ, ut quod illa dicitur esse conveniens rationi esseque bonum, Deus decernat non esse

conueniens esseque malum. Quocirca nullus, ne Deus quidem, facere potest ut odium Dei sit bonum, vel licitum (hoc enim repugnat non tantum rationi et naturæ, sed et ipsi divinitati) ut furari, mœchari, mentiri liceat: furari enim est accipere rem alienam invito domino: mœchari est turpiter uti fœmina non sua, sed aliena; mentiri est contra mentem loqui et fallere. Hæc autem intrinsece et natura sua ita mala et prava sunt, ut nequeant esse bona et honesta. Quocirca Deus uti hæc non potest suadere, ita nec facere, nec præcipere, multo minus velle et efficere ut sint honesta et licita. Hinc patet falsam esse primam sententiam, eiusque fundamentum. Non enim ideo fornicatio est mala, quia Deus ita vult, eamque odit; sed potius ideo eam odit, quia ipsa in se suaque natura est inhonesta et turpis. Sicut ergo creaturæ suam existentiam habent a voluntate Dei, suam vero possibilitatem ab ipsa natura Dei; posito enim quod sit Deus omnipotens, naturaliter sequitur et quasi resultat quod possit creare hominem, equum, etc. ac consequenter quod illæ creaturæ sint possibles quæ sine Deo essent impossibiles: ita pariter lex positiva, tam divina quam humana, pendet et fit a voluntate Dei, lex vero naturalis derivatur a lege æterna, quæ est in mente et ratione Dei: ita S. Thom. Caietan. Richard. et ex iis Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 179. num. 12. indirecte tamen et materialiter potest Deus in iisdem dispensare, nimirum mutando materiam rei præceptæ, itaque eam subtrahendo legi naturæ et obligationi Decalogi. Hoc autem fere fit in præceptis dumtaxat secundæ tabulæ, non vero primæ, uti dixerunt auctores secundæ sententiæ. Explico: potest Deus mihi dare ius in bona, corpus et vitam alterius, et tunc licite potero illi eripere bona, quod alias fuisset furtum; uti corpore alterius, quod alias fuisset mœchatio; occidere alterum, quod alias fuisset homicidium. Sic Deus iussit Hebræis Exodi 12. v. 36. ut spoliarent Ægyptios, quia hoc ipso eis dedit bona Ægyptiorum, fecitque ut illa iam non essent Ægyptiorum, sed Hebræorum; quocirca Hebræi ea occupantes, non aliena, sed sua occuparunt, sua, inquam, ex donatione Dei, qui est summus omnium, imo vitæ necisque dominus. Sic hic dedit Osee ius in corpus fornicariæ, et hoc ipso fecit ut illa esset sua uxor, non aliena. Quocirca utens ea Osee non est fornicatus, sed actu maritali in coniugio illi quasi suæ uxori est copulatus: Sic si Deus alicui præciperet, vel permetteret ire ad lupanar, ibique copulari meretrici semel dumtaxat, ad prolem ex ea suscitandam, illa copula iam non esset fornicatio, sed esset actus coniugii temporarii; copularetur enim non alienæ, sed suæ, ac consequenter uxori saltem temporariæ ex dispensatione Dei. Deus enim potest remittere obligationem, qua se uxor marito in coniugio ad perpetuam fidem obligavit, ideoque potest dispensare in matrimonii vinculo, ac facere ut non sit perpetuum, sed temporarium, quamdiu scilicet ei libuerit; præsertim quia potest educationem proli, ob quam matrimonium requirit perpetuitatem, vel negligere tamquam eius dominus, vel aliis modis procurare. Ita olim dispensavit cum Iudæis in matrimonio, cum eis permisit dare uxoribus libellum repudii, quo vere solvebatur matrimonium, ita ut uterque coniux quasi liber et solutus posset cum alio aliud coniugium contrahere. Sicut ergo tunc maritus quolibet tempore, imo post primam copulam poterat uxorem repudiare; ita posset et nunc copulari semel cum una, ac mox illam dimittere, si Deus pari modo nunc cum illo dispensaret.

Censet ergo S. Thom. Osee iussu et dispensatione Dei cum fornicaria copulatum fuisse tantum copula temporali (ideoque eam copulam per catachresin vocat fornicationem) non vero matrimonio stabili et perpetuo. Itaque opinatur hanc Osee uxorem fuisse temporariam, et matrimonium cum ea temporarium, scilicet ad aliquos actus generationis, et ad tres proles ex ea generandas; deinde dimisisset illam, itaque solutum fuisse temporarium cum ea matrimonium. Ergo docet S. Thomas Osee accessisse ad fornicariam, non tamquam ad concubinam, sed tamquam ad uxorem, licet temporariam tantum: censet enim

A Deum cum eò dispensasse, ut ad tempus dumtaxat cum ea contraheret, eaque uteretur ut sua; censet ergo Osee non esse fornicatum, sed usum matrimonio licet temporali tantum. Verba eius sunt: *Osee accedens ad uxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus: quia accessit ad eam quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii.* Quomodo vero hic eius actus matrimonii vocetur fornicatio, explicat 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. *Osee, ait, non peccavit fornicando ex præcepto divino, nec talis concubitus proprie fornicatio debet dici, quamvis fornicatio nominetur (dum dicitur: Sume tibi uxorem fornicationum) refrendo ad cursum communem, quo scilicet communiter a vulgo vocatur fornicator, qui cum fornicaria ad tempus copulatur, et expleta libidine eam deserit.* Unde liquet D. Thomam docere, quod Osee hic non sit fornicatus, sed cum fornicaria quasi sua uxore, concedente et dispensante Deo, ad tempus sit copulatus. Verum verius est quod passim censent alii Doctores et interpretes, scilicet Osee non temporarium, sed stabile et perpetuum cum fornicaria iniisse coniugium. Ideo enim iubetur eam ducere uxorem: atque ex sequentibus patet, eum per quatuor, imo plures annos illi cohabitasse: nam dicitur ex ea tres proles genuisse, easque deinde per eam lactasse et educasse. Quo fit ut nulla hic fuerit dispensatio, sed sola iussio Dei: licite enim poterat Osee fornicariam in uxorem accipere, sed non tenebatur: ut ergo teneatur iubet et obligat eum Deus.

Instabis: Uxor hæc fornicaria repræsentat Synagogam idololatram; atqui hæc post connubium cum Deo initum rediit ad sua idola; ergo et hæc fornicaria post connubium cum Osee rediit ad suas fornicationes: alioqui enim non ex æquo repræsentaret Synagogam, nec typus responderet antitypo. Resp. Simile per omnia non est simile; sed in eo tantum, in quo collocatur similitudo: quocirca non est necesse in allegoriis et typis, ut omnes circumstantiæ temporis, modi, actionis, etc. respondeant rei significatæ, sed eæ tantum in quibus fit representatio, et comparatio significantis cum significato, puta typi cum antitypo. Ita hic iubetur Propheta ducere fornicariam, ut per hoc repræsentet Synagogam esse fornicariam. In eo ergo tantum ponitur hic comparatio et similitudo, quod, sicut Propheta ducit fornicariam, ex eaque gignit proles, quæ a probro matris vocantur filii fornicationum, id est, fornicariæ: ita Dei uxor, id est, Synagoga, sit fornicaria, id est idololatra, similesque sibi gignat et educet filios, puta idololatras. Nec enim hæc res licite aliter representari potuit. Non enim potuit Deus præcipere Prophætæ fornicationem, ut ad fornicariam accederet tamquam non suam, sicut Synagoga idola colebat et Deos non suos: aut ut post copulam et proles, remitteret eam ad lupanar, et ad sua stupra: hoc enim fuisset peccatum. Erat ergo hic matrimonium Osee cum fornicaria (etiam ex sententia S. Thomæ, saltem temporarium) ac consequenter filii fornicationum vocantur, filii ex matrimonio hoc nati; ideoque vere non erant filii fornicationum, sed tantum hoc nomine vulgo censebantur et nominabantur, ob præcedentes ante connubium matris fornicationes. Simpliciter ergo et in genere iubetur hic Propheta per uxorem fornicariam repræsentare Synagogæ idololatriam, abstrahendo a tempore et loco, ubi et quando; an ante connubium cum Deo, an post eam perpetraret. Adde, Iudæos post hanc Osee prophetiam, puta post punitionem et excidium a Chaldæis illatum, postquam puniti et penitentes connubium cum Deo per Esdras renovarunt, amplius non rediisse ad sua idola, sicut uxor hæc Osee post connubium cum eo, non legitur rediisse ad suas fornicationes. Verum est, maiorem esse speciem fornicationis, et consequenter similitudinis, si cum D. Thoma quis dicat, non stabile, sed temporarium fuisse matrimonium: sed ex altera parte, res ipsa turpior et magis inhonesta apparet: videtur enim revera esse fornicaria copula, et simulatum tantum matrimonium.

Errat Secundo, Haymo, qui uxorem fornicationum in II.

Osee non  
asciuit  
sibi filios  
adulte-  
rinos, sed  
suos pro-  
creavit.

terpretatur uxorem quæ post matrimonium ex priori for-  
nicandi habitu rursus eum aliis proeis fornicetur, id est,  
adulteretur, ex eisque gignat filios, qui proinde vocantur  
filii fornicationis, id est, ex adulterio nati, quos Propheta  
iubeatur sibi asciscere et educare, æque ac matrem reti-  
nere et alere. Hoc enim fuisset non tantum infame, sed  
et scandalosum, ideoque illicitum; visus enim fuisset Pro-  
pheta uxorem in adulteriis fovere, eisque consentire. Un-  
de edicit Sapiens: *Qui tenet adulteram, stultus est et im-  
pius*, Proverb. 18. 22. vide Sanchez l. 10. de Divortio dis-  
put. 13. Quocirca infamis, et publicum orbis probrum  
fuit Claudius Imp. eo quod eius uxor Messalina publicæ  
scortaretur: ita Sveton. in Claudio, et M. Antoninus Phi-  
losophus ob Faustinae coniugem, quæ in continuis stu-  
pris versabatur; cumque de ea re moneretur, amicique  
suaderent ut eam repudiaret, si nollet occidere, effemi-  
nate respondit: *Si uxorem dimittimus, reddamus ei do-  
tem*: dotis nomine significans Imperium, quod ab Anto-  
nino Pio patre Faustinae, ita volente Adriano Imper. ad-  
optatus acceperat: ita Iulius Capitolinus in Antonino.

III.

Osee non  
duxit i-  
dolola-  
triam.

Errant Tertio, Lyran. et Burgens. qui fornicationem  
hic mystice accipiunt pro idololatria, putantque Osee hic  
iuberi ut ducat uxorem fornicationum, id est, Gentilem  
et idololatram. Ratio eorum est, quia hæc uxor represen-  
tat Synagogam idololatram: ergo ipsa quoque uxor  
fuit idololatra. Resp. negando consequentiam. Idem enim  
non representatur per idem, sed per simile: atque Pro-  
phetae solent representare idololatriam per fornicationem;  
quia hæc illius aptissimum est symbolum, speculum et  
imago: ita S. Hieron. Theod. Haymo, Hugo, et passim  
Interpretes. Quocirca cum Deus Prophetae ait: *Sume tibi  
uxorem fornicationum*, fornicationem litteraliter ut sonat  
accipit: cum vero huius iussionis causam et symbolum  
subdit, explicatque dicens, *Quia fornicans fornicabitur  
terra*; fornicationem mystice accipit, pro idololatria: quia  
illam symbolice per veram et realem fornicationem ux-  
oris, Prophetae representari iusserat.

Quæres, an vere et realiter hæc gesta sint, an vero tan-  
tum per visionem imaginariam; sive, an revera Osee du-  
xerit fornicariam, ex eaque genuerit filios fornicatio-  
num, an vero Deus idipsum tantum in imaginatione illi  
representarit, ut videretur sibi eam ducere, et ex ea gi-  
gnere; quomodo somniantes videntur sibi facere ea, quæ  
somniaut? Visionem tantum fuisse censent Chaldaei et  
Rabbini nonnulli, quos sequuntur Origenis seetatores,  
teste Ruffino, Haymo, Isidorus, Burgensis et Vatabl. imo  
S. Hieron. idipsum censet scribens in Ezech. 4. Et hic in  
proæmio, *Osee*, ait, *audiens a Domino, Accipe uxorem  
fornicariam, non frontem rugat, non mærorem pallore tes-  
tatur, non verecundiam mutato genarum rubore demon-  
strat: sed pergit ad lupanar, et scortum ducit ad lectu-  
lum. Et non inquit illam pudicitiae matronali, sed se lu-  
xuriosum et nepotem probat. Qui enim adhæret meretrici,  
unum cum ea corpus efficitur. Quis sapiens, et intelligit  
ista? ac postea respondet, infertque hæc typice et figura-  
liter esse interpretanda. Ratio ergo fundamentalis huius  
sententiæ est hæc, quia res turpis et indigna fuisset, si  
vir sanctus et Propheta duxisset scortum.*

Verum longe verius est quod communiter censent alii  
omnes Patres et Interpretes, rem hanc non per visionem,  
sed realiter esse peractam. Ita Theod. Cyrill. Hebræi, A-  
rias, Hugo, Dionys. et alii hic, ac S. Aug. lib. 3. de Do-  
ctrina Christ. eap. 12. et l. 22. contra Faustum eap. 23.  
S. Basil. in Isaia 8. Irenæus l. 4. contra hæc. e. 37. S.  
Thomas loco citato et alii passim: imo idem censent hic S.  
Hieron. uti videbit qui verba eius accurate expenderit.  
Ait enim more suo, historiam hanc ad antitypum esse re-  
ferendam, id est, Osee duxisse fornicariam, non ex eius  
amore et libidine, sed ut Christi et Ecclesiæ coniugium  
representaret. Hoc ergo, non aliud, voluit, cum dixit,  
hoc Osee factum typice et figuratiter esse interpretandum.  
Ratio huius sententiæ est, quia hoc exigit simplex narra-  
tio præcepti divini et facti, puta obedientiæ Prophetae; a-  
lias enim eum visio est, solet id exprimere, vel signo ali-

quo indicare Script. ut patet Apocal. 1. 4. Ezech. 40. 1.  
et alibi. Adde, nominatur hic maritus, scilicet Osee; ux-  
or, scilicet Gomer; uxoris mater, scilicet Debelaim; tres  
eius proles, scilicet *Israhel, Lo ammi, Lo rachuma*, quæ  
omnia significant non esse parabolam, sed veram histo-  
riam. Causa est, quod populus in idolis et peccatis suis  
obdormierat, itaque ordinarias increpationes et monitio-  
nes Prophetarum spernebat, imo non audiebat: voluit ergo  
Deus reali et portentosa prophetia, iubendo scilicet Pro-  
pheta ducere fornicariam, ex eaque proles procreare, po-  
pulum in peccatis dormientem a somno scelerum excita-  
re, et commovere ad pœnitentiam. Eadem de causa ius-  
sit Isaia e. 20. ut ipse, eum esset vir nobilis et magnæ au-  
toritatis, nudus per urbem Ierusalem media luce discur-  
reret, ut hoc portento omnium oculos in se converteret, ac  
re ipsa daret eis typum et speciem imminentis spoliationis  
et excidii, itaque populum ad lamenta converteret. Eadem  
de causa iussit Ezechiel c. 4. stereore boum vesci, ut eo  
instantem urbi famem et eladem præmonstraret.

Ad argumentum respondeo, Dei iussionem et auctori-  
tatem abstersisse ab hoc Prophetae connubio, omnem infam-  
iæ et turpitudinis maculam, præsertim quia assumeba-  
tur ad prophetiam et rei futurae sacramentum. Adde, non  
esse turpe, sed sanetum et honestum, fornicariam ducere  
hoc fine, ut ipsa vitam turpem eum honesta, fornicatio-  
nem eum matrimonio commutet; imo confessarii solent,  
et debent concubinariis suadere ut concubinatum iu con-  
nubium vertant.

Ita S. Aug. l. 22. contra Faust. e. 80. respondet Ma-  
nichæis impugnantibus vetus testamentum, et obiicientibus  
illi, quod in eo fornicatio Prophetae sit imperata. Res-  
pondet enim S. August. Non imperata est fornicatio, sed  
meretrix relicta fornicatione in castum et sanctum con-  
iugium assumpta est, de quo mox plura.

Idem Gentilibus respondet hic S. Hieron. eisque simi-  
lia Gentilium exempla opponit. *Qua ratione*, inquit, *præ-  
dicent virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem  
luxuriosissimum iuvenem, et inter psaltrias atque tibici-  
nes et impudicas mulieres ebrium, et hedera coronatum fe-  
cit obedire sapientiæ, et adolescentem turpissimum muta-  
vit in sapientissimum Philosophum? Cur Socratem ad ex-  
colum levent, qui Phædonem, ex cuius nomine Platonis li-  
ber est, de lupanari, ob crudelitatem et avaritiam domini,  
multorum libidini servientem, in Academiam trans-  
tulit? Et quidquid illi de Philosophiæ magistris respon-  
derint, nos ad Prophetæ defensionem referemus.*

ET FAC TIBI FILIOS FORNICATIONUM.) To fac non est  
in Hebræo, nec in Septuag. nec in Syro, nec in Arabi-  
co. Sie enim habent: *accipe tibi matrem fornicationum,  
et filios fornicationum*. Unde Primo, aliqui *filios fornicatio-  
num* proprie accipiunt filios ex fornicatione procreatos,  
quos velut testes fornicationis maternæ, Osee enim matre  
iubeatur ut suos recipere, alere, et quasi adoptare, quæ  
ingens erat ignominia et pœna Prophetae; idque ad hoc,  
ut per hæc representaret pari modo Synagogam peperisse  
filios idololatrias, quos tamen Deus quasi Patriarcha-  
rum suosque filios, cum ignominia et dolore alat in Ieru-  
salem. Ita explicant Theod. Hugo Lyran. et Arias.

Verum hos filios non fuisse adoptivos, sed naturales;  
nec autem genitos, sed a Propheta ex fornicaria gene-  
randos, patet ex seq. Ait enim: *Et abiit (Osee) et ac-  
cepit Gomer filiam Debelaim, et concepit et peperit ei fi-  
lium, etc.* Vox ergo *fac*, licet expresse non sit in Hebræo,  
tamen subauditur: imo ineluditur in voce, *accipe*. Acci-  
pere enim ex uxore filios, Hebræis idem est quod susci-  
pere et procreare. Verbum enim *לקח lakach*, id est ac-  
cipio, sumo, tollo, apud Hebræos est amplissimæ signi-  
ficationis: ita S. Hieron. Aug. Basil. Vatabl. et alii su-  
perius citati.

Secundo, Ribera censet vocari *filios fornicationum*, id  
est fornicariæ: quia erant filii matris idololatriæ. Verum  
hoc superius refutavi. Idololatria enim est fornicatio my-  
stica; non litteralis, de qua hic agitur.

Dico ergo, filii procreandi ab Osee ex legitimo cum for-

Filii for-  
nicatio-  
num qui?  
I.  
Expositio.

II.

III.  
Et goni-  
na.

nicaria coniugio, vocantur *fili fornicationum*, id est filii matris, quæ antea tota fornicationibus fuit dedita. Hanc enim suam turpitudinem et infamiam prolibus allabat mater, quæ fuerat publica meretrix; nec eam matrimonium subsequens apud populum detergere et delere poterat. A matre ergo proles infamiæ notam et fornicationis nomen sortiuntur: ita S. Hieron. et alii iam citati.

Adde, vocantur hi *fili fornicationum*, quod et ipsi in fornicationem futuri sint proclives, hocque vitium, hancque libidinosam indolem una cum natura a matre fornicaria sint hausturi et sucturi. Hoc enim apte respondet rei significatæ: hi enim filii libidinosi, significant Iudæos mystice libidinosos, id est, in idola proclives: unde iis æque ac matri exitium intentat c. 2. 4. dicens: *Filiorum eius non miserebor, quia filii fornicationum sunt.* Ita Emmanuel Sa, Mariana, et Pineda lib. 1. de Rebus Salom. cap. 4. n. 3. Simili enim phrasi in Script. vocantur filii obedientiæ, dissidentia, superbiæ ii qui in obedientiam, dissidentiam, superbiam sunt valde propensi, adeo ut ex ipsa obedientia, dissidentia, superbia geniti et procreati videantur. Unde Syrus vertit, *sume tibi mulierem quæ fornicatur, et filios qui fornicantur: quia fornicando fornicabitur terra de post Dominum, a Domino.*

Ubi moraliter Nota, vitia parentum, præsertim matrum, transfundi in filios: vitiosa enim matre, vitiatum semen, quod vitiat prolem quæ ex semine formatur. Quocirca sponsis qui quærunt sponsas, valde inquirendum est non tam an sponsæ sint opulentæ et pulchræ, quam an sint castæ, honestæ, virtuosæ, ne, si sint incestæ, inhonestæ, vitiosæ similes generent proles. *Iusti ergo mores,* ait Antiphanes Philos. *sunt peculium præstantissimum, et dos omni auro nobilior.*

Id ita esse docent Physici et Medici, ipsaque ratio et experientia. Hæc enim de causa passim in libris Regum, Salomonis, Abiæ, Iosaphat, Manassis, aliorumque regum matres studiose nominantur, quia a matre pendent indoles et educatio prolium vel in bonum, vel in malum; et qualis est mater, talis est et proles: præsertim quia proles sequitur affectum et amorem, quem magis in matre, quam in patre experitur. Causam dat Aristot. lib. 9. Ethic. 7. Magis, inquit, a matribus amantur proles, quia generatio earum laboriosa est, et magis se iungunt eas esse suas. Ita Spartani, teste Plutarcho in Apophtheg. Lacon. continentes fuerunt, fortesque in bellis et laboribus, quia matres habebant viragines, quæ ex institutione Læurgi continentia, laboribus et duritie tam se quam proles assuefaciebant. Unde Gorgon. Leonidæ uxor cuidam sibi exprobranti: *Vos Spartana solæ viris vestris imperatis;* respondit; *Quia solæ viros parimus.* Hinc filius meretricis vocatur is, qui habet mores meretricios. Ita Saul Ionatham filium suum pro Davide intercedentem, vocat filium *mulieris ultro virum raptantis*, 1. Reg. 20. 30. id est, filium meretricis, q. d. Meretricis es, quia mater tua fuit meretrix. Aut q. d. Non videris filius meus; sed filius adulteræ, quia Davidem hostem meum magis amas quam me; quasi mater tua non ex me, sed ex Davide te genuerit, ideoque Davidis amorem tibi ingeneravit. Ita Agrippina Neronis mater in libidines fuit effusa, adeo ut et Neronem ad sui incestum provocaret, ideoque quale libidinis et crudelitatis monstrum, Neronem, orbi dedit? Ita ex Cornel. Tacito Sabell. lib. 2. Enn. 7.

Heliogabalus Imp. Græcæ meretricis filius ab ea suam spureitatem et obscenitatem hausit: ita Lamprid. et Rhodigin. lib. 11. c. 13.

Quin et Salomon trecentarum uxorum maritus, et septingentarum pellicum coenubinus, matrem habuit Betsabee adulteram.

Semiramis Ninum filium ad stuprum compellavit, ideoque ab eo interfecta est, si credimus Ctesia, quem citat Sabell. lib. 1. Enn. 4.

S. Aphra Martyr, antea meretrix (quæ a Narcisso Hierosolymorum Episcopo a turpi et immundo quæstu revocata fuit) matrem habuit Hilariam, quæ solis lenociniis sibi victum comparabat: ita habet eius Vita.

Venus incesta incestuosissimi Iovis fuit filia, ait Ovid. 10. Metamorph.

Julia Cæsaris Augusti filia, libidinum paternarum fuit æmula, teste Sveton. in Augusto. Hac de causa, æque ac ob ignominiam, spurii Iure Canonico arcentur sacerdotio, suntque irregulares: sacerdotium enim angelicam puritatem requirit.

Simili modo infantes dum sugunt, nutricum indolem, affectus, et vitia una cum lacte sugere et imbibere, multis exemplis ostendi Genes. 21. vers. 7.

Denique filios matribus, quam patribus similiores naturam efficere solere, tum corpore, tum moribus, docent Arist. lib. de Gener. anim. cap. 4. et in Probl. lib. 10. c. 12. ac Hippocrates de Genitura. Quocirca pium æque ac prudens est nonnullarum urbium institutum, ut impudicarum matrum spuria proles per magistratum a matribus avellantur, ne matres vitiatam in semine filiorum indolem, magis vitiatam educatione pravoque exemplo corrumpant; ac gravibus matronis alendæ tradantur, quæ depravatam nativitatem gravi severaque institutione castigant et reformant: quales videmus Romæ in Hospitali S. Spiritus, et in monasterio S. Catharinæ de Funariis. Simili modo in aliis urbibus spuriotrophia erecta et dotata sunt.

Quæres quibus de causis voluit Deus ut Propheta fornicariam duceret, ex eaque filios procrearet. Respond. literalis causa primaria est ea, quam paulo ante dedi, ut nimirum hoc quasi vivum speculum daret Iudæis, in quo clare conspicerent et contemplarentur suam turpitudinem et idololatram. Seeudaria fuit, charitas, ut scilicet fornicariæ pudori et conscientia consuleret, dum eam commutat in uxorem. Ita S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 80. *Quid,* ait, *adversum clementia Veritatis (qua Christus, qui est veritas, dixit Pharisæis, Meretricis et publicani præcedent vos in regno xelorum) quid inimicum fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum coniugium commutetur? Et quid tam incongruum et alienum a fide Prophetæ, quam si non crederet omnia peccata impudicitia dimissa esse in melius commutata? Itaque meretricem Propheta (Osee) fecit uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figura Sacramentum, de quo mox loquemur, expressum.* Subdit deinde ibidem, et fusius c. 89. Manichæos carpsisse hoc factum Osee, non quia infame, sed quia ipsi matrimonia damnaabant, malebantque liberi fornicari, quam prole gravare uterum uxoris, et se onere illam alendi: ideoque fingebant Deum, sive divinæ substantiæ partem, in prole quasi ligari et vinculis constringi.

Insuper voluit hic Deus Prophetæ obedientiam exercere æque ac patientiam, ut quanto illa (uxor) sordidior est, tanto sit Propheta patientior, qui talem uxorem duxerit, ait S. Hieron. præsertim quia Osee erat iuvenis, virgineus, sanctus, et in flore ætatis, æque ac puritatis et virtutis, dum meretricem duxit: fuit enim hæc prima eius prophetia quam habuit initio regni Ozia, ac deinde promogavit vitam per annos 52. Ozia, 16. Ioathan, totidem Achaz, pervenitque ad tempora Ezechia. Iuvenis ergo, dum duxit fornicariam, fuerit oportet.

Allegoria causa est, ut Osee per connubium cum fornicaria representaret simile, sed mysticum, idque duplex, Christi coniugium: Prius cum carne nostra, quæ erat fornicaria, id est caro peccati, quam depuratam sibi univit et despondit per incarnationem. Ita S. Ambros. lib. 2. Apolog. David. cap. 10. mystice explicat non tantum hoc Osee connubium, sed et Davidis adulterium. *Ad Prophetam,* inquit, *dictum est: Vade, accipe tibi uxorem fornicariam. Dominus iubet cum ea quæ fornicaria fuerit, esse coniugium, cuius coniugii fructus est Christus. Namque filio qui ex fornicatione (id est, ex uxore Osee quæ antea fuerat fornicaria) est natus, a Domino nomen impositum est Izrahel, quod est divina generatio. Si ergo pia illa copula fornicariæ, etiam ista utique pia societas adulteræ copula est, etc. Et mox: Ex disparibus copulis contubernium pium factum est, quando scilicet Verbum caro factum*

Meretricis indolem suam proli commutavit.

Cur Osee iussus ducere fornicariam? 1. Causa. 2.

3.

Allegor.



est, non sunt legitima consortia divinitatis et carnis. **A** *Suscipit carnem Deus, assumpsit animam, per inusitatam nec legitimam incarnationem consortium fecit esse legitimum, ut sit Deus omnia in omnibus.* Unde nomen filii est Iezrahel, id est semen Dei, vel brachium Dei. Christus enim est brachium, id est, virtus Dei, uti eum vocat Isaias cap. 53. I. Christus etiam est semen Dei, quia non ex semine viri, sed ex Spiritu sancto conceptus et natus est. Quocirca Tertull. lib. de Carne Christi cap. 18. et 19. *Dei filius, inquit, ex Patris Dei semine, id est Spiritu, ut esset hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda sine viri semine: vocabatur enim viri semen apud habentem Dei semen.* Et c. 19. *Quid est ergo? Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.* Ita et Leo Castrius, qui tamen perperam contendit hunc sensum solum esse litteralem, et alios omnes excludit. Obiter hic Nota, Spiritum sanctum proprie non esse semen Dei. Deus enim nullam ex se semen decidit, uti facit homo: improprie ergo et per catachresin Tertull. Spiritum sanctum vocat semen Dei, quia scilicet ipse divina virtute a Patre et Filio accepta fecit in Virgine, quod in uxore facit semen viri; vocatur ergo semen, quia fuit loco et vice seminis; formavit enim et organizavit corpus Christi in Virgine, uti embryonis corpus in utero matris ex eius semine et sanguine coagulat, coagulat, format et organizat semen virile.

Posterius Christi connubium est cum Ecclesia, quod Osee suo hic representat. Ita S. Ambros. lib. de Salomone c. 5. *Meretrix, inquit, ista Ecclesie typus est, aliquando in Gentibus constituta, idolorum cultibus vitata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falsorum Deorum adulteram fecerat multitudo: lascivosque ac turpes in compositis molibus saltus, nemorum et lucorum inculata lustrabat, dedita luxurie, pompe Gentilium mancipata.* Hanc posteaquam Dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem et criminis accepit et nominis. Ita et S. August. libr. 22. contra Faustum cap. 89. ac S. Prosper lib. de Prædicationib. et promis. e. 15. p. 2. imo S. Paulus Rom. 9. 24. In huius rei typum Moses duxit uxorem Æthiopiissam Num. 12. v. 1. *contra quam, inquit S. Hier. in præmio, Aaron et Maria, carnale sacerdotium Iudeorum et prophetia litteræ scribens, mussitant, et offendunt Deum. Quæ dicit in Cantico cantici: Fusca sum et formosa, filia Ierusalem.* Christo ergo venienti in mundum dixit iussitque Pater: *Sume tibi uxorem fornicariam, puta Ecclesiam ex Gentibus, ex eaque procrea filios, qui sint filii fornicationum, id est, matris Gentilis; sed ex patre, utpote filio Dei, sint et ipsi filii Dei, ex quibus multi ad pristinam matris fornicationem sunt redituri, id est concupiscentias suas secuturi et peccaturi, ideoque a Deo puniendi et reiciendi.*

Mira sane misericordia et dignatio fuit Osee ducentis fornicariam, sed longe maior Christi carnem et Ecclesiam nostram aretissime sibi unientis et despondentis, ut eam depuraret, sanctificaret, et glorificaret, et quasi divinam redderet; tumque Osee, id est Iesu et Salvatoris nomen adeptus est. Ita Osee æmuli et Christi sectatores sunt, qui ad dura, vilia et abiceta quævis sese demittunt, et quoslibet labores et dolores subeunt, ut animas cum concupiscentiis fornicantes, sordidas, et horridas convertant, purasque efficiant, et ad Deum sponsum reducant.

Unde tropologica causa est, ut hoc exemplo doceret Deus Osee, id est, prædicatores, confessarios, aliosque zelo proximorum flagrantibus abducere animas a Satana, carne et peccato; easque per pœnitentiam et castimoniam despondere Christo, uti Paulus Corinthios despondit epistol. 2. cap. 11. v. 2. Anima enim peccatrix est fornicaria, imo adultera, gignitque filios fornicationum, id est, opera luxuria, gulæ, superbiæ.

Unde S. Hieron. in præmio, per fornicariam hanc tropologice accipit S. Magdalenam, quam pœnitentem sibi Christus despondit: *Hæc, inquit, est meretrix et adultera, quæ in Evangelio pedes Domini lavit, crine detersit, et confessionis suæ honoravit unguento.* Et inferius: *Hæc est me-*

*retrix de qua loquitur Dominus ad Iudeos: Amen dico vobis, meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei. Ista meretrix ( Rahab, Iosue 2. ) exploratores meos duos, fortissimos iuvenes, quorum alterum in circumcissionem misi, alterum ad Gentes, humanitate suscepit, abscondit studia, levavit in lectum, operuit lini stipula. Quæ cæsa persecutionibus, et sola in baptisate immutat colorem, et de tetro in album vertitur.*

**QUIA FORNICANS FORNICABITUR TERRA.**) Hoc est impense et continuo fornicabitur Israel, id est decem tribus. De his enim loquitur, non de Iuda, ut patet ex seq. Nam futurum iunctum participio vel gerundio eiusdem verbi, Hebræis significat actus vehementiam, et continuationem, sive consuetudinem. Fornicationem hic mysticam intellige, puta idololatriam; hic enim Deus symbolum sive parabolam applicat, et explicat, q. d. Iussi te, o Osee, ducere fornicariam, et ex ea generare filios fornicationum, ut per hoc Iudeis representem quod ipsi pari modo mystice fornicabuntur, id est, amabunt colentque idola, me vero Deo relicto.

**ET ABIIT, ET ACCEPTIT GOMER FILIAM DEBELAIM.**) Per- **Vers. 5.**  
peram Hugo et Dionys. per diastolen legunt de *Belaim*, quasi *Belaim* sit nomen proprium loci, ex quo oriunda fuerit Gomer. *Debelaim* enim unam esse vocem, eamque Hebræam patet ex Hebræo. *Debelaim* ergo est nomen matris Gomer, ait S. Hier. et Rupert. licet aliqui velint esse nomen patris eiusdem. Notat uxorem ex nomine et stirpe, ut sciamus hanc esse historiam, non visionem. Suspicatur Sanchez *Debelaim* quoque fuisse fornicariam, tum quia taceatur nomen mariti eius, tum quia talis fuit eius filia Gomer: nam *sicut mater, ita et filia eius*, ait Ezech. e. 16. v. 44. Apposite uxor vocata est Gomer, et parens *Debelaim*: Gomer enim hebr. idem est quod consummatio vel consumptio; *Debelaim* idem est quod duæ massæ ficuum aridarum; quo significatur consumendam et vastandam esse Synagogam; *quæ consummata in fornicatione atque perfecta filia voluptatis, quæ fruentibus suavis videtur et dulcis*, ait S. Hieron. eo quod animo et corpore idolis et voluptatibus servierit. *Debelaim* enim, id est ficus geminæ, symbolum est voluptatis et dulcedinis geminæ. Unde Vatabl. *Gomer*, ait, *significat consumptionem, et Debelaim palatas duas, quibus animi et corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem et interitum*, iuxta illud Apostoli: *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* Potest quoque hæc gemina voluptas accipi, spiritus. et carnis, sive ambitionis et ventris, puta gulæ et libidinis. Ex his enim duabus oritur omnis concupiscentia, omne peccatum, omnis ruina hominum. Est ergo elegans hic gnomo: Gomer est filia *Debelaim*, id est, corruptio est filia ficuum, puta est filia voluptatis, pœna est filia culpæ: hæc enim quasi mater illam parit; uti enim ficui et pomo vermis, ita et amori ac voluptati dolor, putor et pudor innascitur. Præclare Valer. lib. 9. e. 1. *Campana*, ait, *luxuria invictum armis Hannibalem, suis illecebris amplexata, vincendum Romano militi tribuit.*

**D** Denique Arias per geminas ficus ad litteram accipit geminum regnum Hebræorum, scilicet Israel et Iuda: utrumque enim idolis et cupediis suis erat deditum, ideoque excidio a Deo additum. Licet enim hæc prophetia capitis primi proprie et primario ad Israel ( hunc enim vocat Iezrahel v. 4. ) dirigatur, tamen secundario et consequenter ad Iuda Israelis æmulum et assecclam quoque dirigatur.

**VOCAT NOMEN EIUS IEZRAHEL.**) Osee iubetur a Deo pri- **Vers. 4**  
mum filium suum ex fornicaria uxore genitum vocare Iezrahel, ut per eum Hebræis representet eladem imminentem Iezraheli, id est, Israeli, sive decem tribubus.

*Iezrahel* hebr. quadruplex habet etymon, et quatuor significat. Primo, Iezrahel dicitur quasi זרע אל *zera el*, id est semen Dei. Secundo, quasi זרע אל *zera el*, id est brachium Dei. Tertio, quasi זרע יזרהע *izera el*, id est asperget malum vel contritionem Deus. Quarto, quasi זרע אל *zera el*, id est, sparget vel disperget Deus, scilicet Israelitas, ut captivi eant in Assyriam, et spargantur per

Tropol. corruptio est filia voluptatis.

Iezrahel significat quatuor.

Tropol.

totum orbem. Rursum Iezrahel notat Israel, imo idem est A cum Israel, si litteram  $\text{ז}$  commutes in  $\text{י}$ , et  $\text{י}$  in  $\text{ז}$  affine.

Nota. Iezrahel erat urbs regalis, et metropolis decem tribuum, ait S. Hieron. eratque terminus tribus Manasse et Issachar, sita in pede montis Gelboe ad Occidentem, insigni turri et specula, qua per totam Galilæam usque ad Carmelum, Thabor, Libanum, ac ultra Iordanem patebat prospectus, illustris. Iuxta hanc urbem erant campi amœnissimi et fertilissimi, ac vallis vastissima, quæ plus quam decem millibus passuum tendebatur, quæ ab urbe vicina, vallis Iezrahel dicebatur; sicut vicissim urbs a valle fertilissima dicta est Iezrahel, id est, semen Dei, quod semen in messe uberrimum, puta centuplum redderet, ut videretur esse semen Dei, et a Deo benedictum. Ante urbem erat vinea et ager Nabot, qui adhuc temporibus Borehardi et Bredembachii ostendebatur, ut ipsi scribunt in descriptione terræ sanctæ. Porro Deus iubet Osee, ut suum primogenitum ab hac urbe et valle vocet Iezrahel, ut per eum representet Israel. Unde causam nominis subdit dicens:

QUONIAM ADHUC MODICUM, ET VISITABO SANGUINEM IEZRAHEL SUPER DOMUM IEHU.) *Iehu*, nominat, quia eius posteri tum regnabant in Israel, erantque propagatores idololatriæ. Regnabat enim tunc Ieroboam, qui fuit tertius a Iehu: Iehu enim successit Ioachaz filius, huic Ioas, huic Ieroboam, huic Zacharias, qui occisus est a Sellum, in eoque stirps Iehu excisa est.

Ex verbis Osee liquet, et omnes fatentur alludi hic ad historiam Achab, Iezabel, Nabot, et Iehu. Iezabel enim uxor Achab per calumniam curavit occidi Nabot in Iezrahel, ut eius vineam ibidem sitam invaderet et possideret. Quocirca Deus per Elisæum unxit Iehu in regem, iussitque ei ut hoc scelus eodem in loco vindicaret. Iehu ergo occidit Iezabel, et curavit eam sepeliri in agro Iezrahel. Insuper omnes filios Achab iussit occidi in Samaria, eorumque capita ad se mitti in Iezrahel, 4. Reg. cap. 9. et seqq.

I. Explicatio. Iam Primo, Arias verba textus sic explicat, q. d. Voce o Osee filium tuum Iezrahel, id est, brachium Dei, quia sicut ego Deus brachio meo in Iezrahel effudi sanguinem Iezabel et filiorum eius, ita eodem effundam sanguinem posterorum Iehu, quia Achabo et Iezabeli similes sunt in scelere. Hic sensus alienior videtur. Sanguis enim Iezrahel in genitivo hic accipiendus est, quasi sanguis Iezrahelis, velut personæ cuius sanguis effunditur: non in dativo vel ablativo. quasi sanguis Iezrahele ut brachio, vel instrumento effusus.

II. Secundo, Theodoret. quem sequitur noster Emmanuel, Iezrahel, inquit, id est, semen Dei est Israel, qui est populus Dei, puta decem tribus. Sanguis autem in Scriptura vocatur homicidium, et per catachresin quodvis enorme peccatum et scelus, quale hic est idololatria, præsertim quia idololatræ non raro fundebant sanguinem occidendo pueros, aliosque homines, eosque immolando Moloch, Baal, aliisque idolis, atque semper occidebant animas tum suas, tum snorum. Hic sensus mysticus potius videtur, quam litteralis.

III. Tertio, Rupert. Vatabl. et Anton. Fernan. in visione I. lect. 3. exponunt, q. d. Puniam sanguinem Iezabelis et filiorum eius a Iehu effusum in Iezrahel, quia licet me iubente id fecerit, tamen ipse in illa cæde non tam studuit meæ voluntati, quam suæ ambitioni servire: ut scilicet occiso semine regio, ipse regnum invaderet, et quasi tyrannus regnaret. Hic sensus non satis respondet Scripturæ, quæ ob hoc factum laudat Iehu, eique regnum promittit usque ad quartam generationem 4. Reg. 9. et seq.

IV. Quarto, Christ. a Castro, Iezrahel, inquit, est Israel, eiusque primus rex Ieroboam. cæterique eius reges, q. d. Vindicabo sanguinem Iezrahel, id est, Israelitarum, effusum per Ieroboam et cæteros Reges, præsertim oriundos e familia Iehu, eo quod ipsi pios Israelitas renuentes ire in Dan et Bethel ad adorandos eorum vitulos aureos, occiderunt. Id enim fecisse Ieroboam patebit cap. 5. quocirca evertam domum Iehu, totumque regnum Israel. Verum hoc incertum est: nusquam enim legimus quod Iehu

renuentes adorare idola occiderit. Hic tamen sensus, uti et alii iam recensiti, quasi accessori et partiales locum habere et admitti possunt, suntque probabiles. Sed quærendus est sensus principalis et genuinus.

Dico ergo, quia verba Prophetæ manifeste alludunt ad stragem domus Achab editam a Iehu in Iezrahel, eique similem minantur; hinc primus et principalis sensus hic est, q. d. Ego Deus, o Iehu, elegeram te ut idololatriam invectam a Ieroboam, et promotam ab Achab et Iezabel in Israel, everteres; ideoque te regem constitui, iussique ut occideres et sepelires omnes posteros Achab, idque in valle Iezrahel, eo quod ipse in eadem fidelem meique cultorem Nabot interemerat. Quod si id non faceres, sed eis occisis, foveres nihilominus eorum idola, scires te similem horribilem, imo horribiliorem, Dei vindictam expecturum. At tu quasi vecors et temerarius, huius severæ ultionis Dei contra Achab, cuius ipse minister et carnifex fueras, oblitus, in eundem lapidem impegisti, eadem idola coluisti. Hoc est enim quod dicitur 4. Reg. 10. 29. *Delevit itaque Iehu Baal de Israel; verumtamen a peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos. Visitabo ergo sanguinem Iezrahel super domum tuam, hoc est, domui tuæ similem plagam et stragem inducam, qualem tu meo iussu induxisti, super domum Achab in Iezrahel. Itaque sicut tu filiorum eius omnium sanguinem effudisti, ita et omnium tuorum effundetur, omnesque posteri tui regno et vita spoliabuntur; ac paulo post, puta post quadraginta annos, totus Israel qui te in idololatria secutus est, vel occidetur, vel captivus abduccetur in Assyriam. Quocirca ut hoc Israelitis, o Osee, representantes, iubeo ut filium tuum voces Iezrahel, eisque explices ideo eum vocari Iezrahel, ut meminerint Iezabelis et filiorum Achab occisorum et sepultorum in Iezrahel ob idololatriam, sciantque se ob eandem causam pari modo occidendos, ut quoties nominarint vel audient nominari nomen filii tui Iezrahel, toties eis recurrat et redeat in mentem strages domus Achab, facta in Iezrahel, et eorum similis propediem facienda, quam ego hic per te eis intento: ita Mariana et alii. Unde Iezrahel, æque ac Sodoma, proverbialiter significat ingentem vindictam, ingens excidium, ait Sanchez.*

Ubi Nota. Pro *visitabo* Syrus vertit, *uleiscar*; hebr. est  $\text{יָקַדְתִּי}$  *pakadti*, quod valde generalis et angustæ est significationis; nec tantum vindicare, ulcisci et punire significat, sed in genere idem est quod requirere, recensere, imponere, inducere. Sensus ergo est, q. d. *Visitabo*, id est, requiram, *sanguinem Iezrahel super domum Iehu*; dicamque: Cur tu o Iehu effudisti sanguinem domus Achab in Iezrahel? nonne id fecisti meo iussu quia idololatræ erant, et idololatriæ duces in Israel? Quare ergo tu non es veritus eadem idola colere et propugnare? Esto ergo eis similis in pœna. quibus fuisti similis in culpa; illorum sanguis a te effusus est; tuus quoque effundatur: stirps illorum excisa est, et tua excindatur. *Visitabo* ergo, id est, requiram et recensebo ac annumerabo supplicia domus Achab domui tuæ, dicamque: Ecce Achab peccavit in tot tantisque idolis et scelcribus, tu o Iehu in totidem peccasti. Quocirca sicut Achab tot plagis, omniumque (puta septuaginta) filiorum strage punivi, ita et totidem plagis te puniam: ac sicut numerum culparum, ita et plagarum Achab, tibi tuæque domui annumerabo et accensebo, hoc est, inducam et intelligam.

Hic est sensus principalis, cui tamen cæteri annexi et connexi sunt. Itaque secundam Theodoreti expositionem et quartam Christophor. a Castro hic iam addas, hoc modo, q. d. Quia tu o Iehu, instar Achab, piorum Israelitarum Deum verum colentium, tuosque vitulos aureos spernentium, qui erant Iezrahel, id est, semen, hoc est populus, Dei sanguinem effudisti; et quia omnes Israelitas ad sanguinem, id est, ad enorme scelus idololatriæ, compulisti, ideo instar Achab sanguis tuorum omnium effundetur. Et sicut sanguinem Nabot ab Achab effusum, in Achabi domo omnem eius stirpem occidendo ultus sum, ita et sanguinem fidelium a te et tuis effusum in tua fa-

milia, eam evertendo, uliscar; grave enim crimen, et in eælum clamans vindictam est occisio innocentis, præsertim fidelis et sancti. Nam, ut ait S. Augustinus in psal. 9. explicans illud: *Sedet in insidiis, etc. ut interficiat innocentem; Innocentem interficere est ex innocente facere nocentem*, quæ est perversio tam iustitiæ, quam naturæ.

Dices, Sanguis posteriorum Achab effusus est in Iezrahel, non ob eius idololatriam, sed quia ipse ibidem effuderat sanguinem Nabot, ut eius vineam occuparet. Ergo hæc non recte adaptantur sanguini posteriorum Iehu effundendo ob idololatriam. Respond. antecedens esse falsum. Hæc enim strages inducta est damni Achab ob idololatriam, uti diserte dicitur 4. Reg. 21. 22. 26. determinatio vero loci, quod scilicet fieret in Iezrahel, facta est ob occisum ibidem Nabot, qui erat idolorum hostis, et unius veri Dei cultor.

Nam ad idololatriæ pœnam hæc omnia spectare, patet ex eo, quod ea de causa iubeatur Osee ducere fornicariam, et gignere filios fornicationum, ut idololatriam Israelitarum repræsentet. Unde nit: *Quia fornicans fornicabitur terra*, mystice scilicet cum idolis; ideoque ei sanguinem et exitium intentat.

Huc pertinet explicatio quam ex Chaldæo afferunt Haymo, Hugo, et Albertus, quæ talis est: Visitabo, id est, imputabo sanguinem domus Achab a Iehu effusum in Iezrahel, ipsi Iehu eiusque domui, eo quod ipse eadem idola coluerit, ob quæ filios Achab occidit, eiusque stirpem evertit; ac proinde opere ipso ostendit se inique et iniuste occidisse idololatrias; nec tam paruisse Dei iussu, quam secutum esse suam ambitionem et tyrannidem, uti dixit Vatabl. cum ipse æque ac illi fuerit idololatra. Itaque sanguis Iezrahel contra ipsum revertetur, et in eius domum recurret: meruit enim ipse qui inique idololatrias occidit, ut eius, utpote pariter idololatra, domus et stirps tota similiter excindatur, ut, sicut ipse idololatrias gladio punivit, ita et eius idololatria gladio puniatur et succidatur. In Iezrahel pulehra est annominatio ad eius etymon, q. d. Visitabo sanguinem Iezrahel, id est, seminis et populi Dei, puta piorum Israelitarum, quos afflixerunt et occiderunt Achab (ut patet 4. Reg. 9. 7.) et Iehu, super eorum domum et familiam, eroque eis Iezrahel, id est, *אֵלֶּיךָ יֵצֵא רָעָה* *izza ra el*, id est, inducens malum et contritionem Deus, puta conteram et evertam eos.

Denique Septuag. et post eos Arabicus, plane aliter vertunt, nimirum, *uliscar sanguinem Israel super domum Iuda*. Suspicio cum S. Hieronymo in eis typographicum esse mendum, et pro *Israel* legendum esse *Iezrahel*, ac pro *Iuda Iehu*. Sic enim habent Hebr. Chald. Latina, et Syrus. Perperam ergo Leo Castris ex versione Sept. et ex eo quod nouidit Propheta, Visitabo vitulos Ieroboam, sed, *Visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iuda*, contendit hæc ad litteram accipienda esse de excidio Iudææ et Hierosolymæ per Titum: Sensus enim esse, q. d. Sanguinem Iezrahel, id est, Christi (hic enim dicitur Iezrahel, id est, semen Dei, quia non ex semine viri, sed ex Spiritu sancto est conceptus) a Iudæis occisi uliscar super Iuda, evertendo Ierusalem et Iudæam per Romanos. Perperam, inquam: nam ex toto contextu liquet hic agi de idololatria Israel, eiusque punitione per Assyrios, non de excidio Iudææ per Titum. Hic ergo eius sensus mysticus est et allegoricus, isque congruus, non litteralis.

Moraliter discite hic, quam severe puniat Deus illos, qui Dei iudicia et castigationes impiorum non æstimant, nec propter eas ad Dei timorem et vitæ mutationem inducuntur, sed eadem peccata perpetrant, ob quæ vident alios a Deo castigari, imo se iussu Dei alios castigasse, quales sunt impii Principes, Iudices, Prætores, Prælati, Prædicatores, etc. qui ea quæ in aliis puniunt, ipsimet perpetrant. Hæc enim de causa excidium minatur Deus domui Iehu, quod peccata Achab, quæ per eum castigaverat, non devitarit. Qui enim tam manifestis et acerbis divinæ vindictæ exemplis non emendantur, merentur ut eandem subeundo, aliis statuantur in exemplum.

Simili modo et sensu dixit Lamech Gen. 4. 24. *Septu-*

*plum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies*, q. d. Si Cain qui unum occidit, septuplum, id est, multipliciter, punitus est, ergo ego Lamech, qui duos occidi, qui que pœnam Caini vidi, nec tamen ab eius peccato abstinui, septuagies septies, id est, longe gravius et multiplicius puniendus sum: ita S. Chrysost. ibidem. Sic et Ezech. cap. 16. ut et alii Prophetæ Iudæe intentat excidium, eo quod habuerit legem et tabernaculum Dei (ideoque vocat Oolla) ac consequenter debuisset castigare idololatriam Israelis sive decem tribuum (quas proinde vocat Ooliba) et tamen hoc adeo non fecerit, ut etiam dum videret Israellem puniri et excindi a Deo, nihilominus in eius scelere et idololatria perstiterit. Talibus merito intonat Apostolus Rom. 2. 1. *Propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas. Existimas autem hoc o homo, qui iudicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Et v. 21. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandam, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis?* etc.

ET QUIESCERE FACIAM REGNUM DOMUS ISRAEL.) Id est abolebo et evertam regnum Israel, sive decem tribuum: ita Vatabl. *Domum* vocat tribum et gentem: Hebræi enim sub Roboam in duas quasi tribus et gentes fuerunt divisi, scilicet in Israel et Iuda. Præstitit id Deus paulo post hanc prophetiam, sed sensim et paulatim. Hæc enim prophetia facta est ultimis annis Ieroboam, qui fuit pronepos Iehu, et pater Zachariæ. Zacharias autem tantum sex mensibus regnavit, occisus a Sellum: ac paulo post regnum Israel invasit Phul rex Assyriorum, eique tributum indixit: deinde Teglatphalasar, qui cepit et transtulit in Assyriam tribum Ruben, Gad, et dimidiam Manasse. Denique Salmanasar, qui anno 9. Osee ultimi regis Israel (qui erat annus 6. Ezechizæ regis Iuda) Samariam cepit, totumque regnum Israel evertit. Post Ieroboam ergo et Zachariam circiter 40. anno (mendose codex S. Hieron. habet 49.) eversus et captus est Israel. Vide historiam 4. Reg. 15. et seq.

ET IN ILLA DIE CONTERAM ARCUM ISRAEL IN VALLE IEZRAHEL.) *Arcum* vocat robur, vires, arma, milites Israelitarum, sive decem tribuum: ita S. Hier. Rupert. Haymo, Lyran. Hugo et alii. Male ergo Arias per *Israel* accipit duodecim tribus, puta tam Iuda, quam Israel.

Quæres, quando et quomodo in valle Iezrahel contritum sit regnum Israel? nihil enim de eo in Scriptura legimus. Aliqui per Iezrahel accipiunt Samariam: ad illam enim confluit totus populus imminente Assyrio, ibidemque ab eo victus et captus est. Verum nusquam *vallis Iezrahel* capitur pro Samaria, præsertim quia Samaria sita erat in monte, non in valle. Melius ergo alii censent ex hoc loco Prophetæ, ante excidium Samariæ et gentis Israelitas de more collatis signis conflixisse cum Assyriis in vicina valle Iezrahel. Hæc enim longissime patet, et aptissima erat coniectura. Ibi ergo superati et cæsi sunt Israelitæ ab Assyriis, qui deinde victoriam prosequenti Samariam obsederunt, et everterunt cum toto regno; ita S. Hieron. Cyrill. Theodoret. Haymo et alii Interpretes. Unde Borehard. Bredemb. et ex eis Adrichomier in Descriptione terræ sanctæ, de hac valle ita scribit: *Vallis Iezrahel lata duobus miliaribus (sed multo longior) quæ et planities Galilææ. In valle hac seu planicie intermedia magni et multi habitati sunt conflictus. Hic enim pugnavit Gedeon contra Madianitas, Iudic. 6. et 7. El Saul contra Philistæos, 1. Reg. 31. Item Achab contra Syros, 3. Regum 20. et postea Tartari ibi conflixerunt contra Saracenos.*

Porro apte Deus statuit ut Israel in Iezrahel cæderetur. Est enim magna vis et emphasis in verborum et rerum tum vicinitate, tum allusione, q. d. Olim o decem tribus eratis Israel, id est, populus dominans Deo, cum pietatem vestri patris Iacobi secuti uni Deo servientes, ab eo impetrabatis benedictionem et omne bonum quod petebatis, qua de causa Iacob vocatus est Israel, Genesis 32.

Allegor.

Tropol.

28. Eratis pariter lunc Iezrahel, id est semen et populus Dei. At nunc Deo rebelles et apostatæ, cum ad idola deflexistis, non estis Iezrahel, id est, semen Dei, nec Israel, id est, dominantes Deo; sed Deus iam iam dominabitur vobis, quasi hostis dominans, sæviens et grassans in urbe quam capit et vastat.

Ipsæ ergo cædet vos per Assyrios in valle Iezrahel: tum quia ibidem cæsa est stirps Achab idololatræ, quem vos imitati estis: tum quia huic loco apte convenit triplex etymon Iezrahel, quod recensui initio capit. Eo enim aludit, q. d. In hac valle sentietis Iezrahel, hoc est Primo, **אֶרֶץ זְרוּעָה** *zeraa el*, hoc est brachium Dei vos feriens et occidens. Secundo, quia ibidem erit Iezrahel, hoc est **יְזְרָאֵל** *izza ra el*, id est, asperget in vos malum et contritionem Deus. Tertio, ibidem erit Iezrahel, id est, **זָרָא** *zara el*, hoc est dispergens vos Deus in Assyriam omnemque ventum et plagam orbis. Alium sensum affert Leo Castrius: Vallis, inquit, Iezrahel, id est, seminis Dei, puta Christi, est Ierusalem; quia Christus in Ierusalem docuit, vixit, crucifixus et mortuus est, q. d. Adhuc modicum, id est, post parvum tempus, scilicet 40. post Christi crucem anno, *visitabo sanguinem Iezrahel*, hoc est Christi a Iudæis crucifixi, *super domum Iehu*, id est super decem tribus, *et conteram Israel*, id est, Iudæos omnes tam ex decem, quam ex duabus tribubus, *in valle Iezrahel*, id est, in Ierusalem per Titum. Succreverant enim post captivitatem decem tribus ex residuis captivitatibus, itaque tam regnum Israel, quam Iuda deletum est a Tito et Romanis. Verum hic sensus non est litteralis, ut ipse contendit; sed allegoricus et mysticus isque appositus. Si enim Deus sanguinem Iezrahel, id est Israel, vindicavit tam atrociter in domo Iehu, quidni atrocissime vindicaret sanguinem unigeniti filii sui in gente Iudaica, tam perfide et scelerate ab ea trucidati?

Tropol. pari modo vindicabit Deus et puniet Christianos impie viventes, qui, ut ait Apostol. Heb. 10. 29. *Filium Dei conculcaverint, et sanguinem testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, et spiritui gratiæ contumeliam fecerint. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Vers. 6.

II.  
Proles Osee quid significet?

ET CONCEPT ADHUC, ET PEPERIT FILIAM.) Quia Israelitæ duri erant et obstinati, hinc multis Prophetarum iectibus tundendi erant. Priori ergo filio et oraculo tristi additur hic secundum oraculum et portentum æque triste et minax, imo tristius et minacius; quasi secundus aries, qui ferrea eorum pectora feriat, et quatit. Audi S. Cyrill. lib. 6. Glaphyrorum: S. Osee, inquit, *meretricem duxit uxorem, neque infames deprecatus est nuptias, et passus est se esse patrem infamium liberorum, quorum nomina fuerunt, Non populus meus, Non consecuta misericordiam. Prophetarum prædictionibus adversabantur Israelitæ, neque recipiebant, neque legebant legem Dei. Iubebat ergo Deus favere ea quæ velut pieturæ essent rerum futurarum, ut velut in tabula quadam futura plane et aperte depingerentur, ut in aures et in oculos vel nolentium incurrerent, ut qui saperent diligerent potiora; ut quos possent ab impietate abducerent. Quoties enim Israelitæ has proles Prophetæ, toties seipsos quasi in imagine intuebantur; et quoties eas nomine suo compellabant, toties seipsos suaque fata sibi a Deo decreta nuncupabant et recensebant; v. g. cum vocantes hosee pueros dicebant, Veni huc lo rachuma, id est absque misericordia; ades dum lo ammi, id est non populus meus, tacite sibi ipsis dicebant et cogitabant, Mutato nomine de te fabula narratur. Tu es quem puer hic representat, tui ille personam gerit. Tu ergo es non populus Dei, tu es absque misericordia, quem Deus reiecit et reprobovit.*

Cur filia non filius?

FILIAM.) Filia hæc idem representat quod primus Osee filius Iezrahel, scilicet Israelis sive decem tribuum vastationem. Sed cur primus est filius, secunda filia? Resp. causa physica est, quia solent coniuges nunc filios, nunc filias generare. Causa symbolica est prima, ut representet tam viros, quam fœminas, utpote idololatriæ participes, hæc clade involvendas. Secunda filia representat in-

firmiorem et debilitatem Israelitarum, qua ob peccata non tam viri, quam fœminæ facti, Assyriis non potuerunt resistere; ita S. Hieron. Chaldæus, Cyrill. Haymo, Hugo et Rabbin. Tertia, hi tres filii representant idem, scilicet Israelitarum cladem et excidium; sed simul representat huius cladis tres quasi partes et gradus. Itaque primus Iezrahel representat stragem stirpis Iehu, uti expresse dicitur vers. 4. nam regnante ea stirpe validum adhuc et quasi masculinum erat regnum Israel. Iehu autem stirps excisa est in Zacharia abnepote quem occidit Sellum tyrannus. Secunda filia representat statum debilem et infirmum, quem habuit regnum Israel post Zachariam sub Sellum, Manahem, et Phacee regibus Israel; quando Salmanasar multis rapinis, cladibus et captivitatibus ita attrivit et attenuavit regnum Israel, ut iam inclinaret ad ruinam. Tertius filius representat plenam gentis stragem et regni excidium sub Phacee penultimo, et sub Osee ultimo rege Israel: ita Isidorus Clarius et R. David. Phacee enim rex impius et crudelis centum Iudæorum millia occidens, et Ierusalem cum Rasin rege Syriæ obsidens, concitavit in se suumque regnum Israel iram Dei, eiusque excidium acceleravit, uti prædixit Isaias c. 8. 6. et seq. Possent quoque tres hæc proles representare tres reges Assyriorum, scilicet Phul, Teglatphalasar, et Salmanasar, qui vastarunt et carperunt regnum Israel, donec Salmanasar capta Samaria illud plane evertit.

ET DIXIT (DEUS) EI (OSEE) VOCA NOMEN EIUS, ABSQUE MISERICORDIA.) Ut per hanc prolem significes Israelitas misericordia Dei indignos et incapaces, iusto Dei decreto certo exitio esse destinatos; unde explicans subdit, *Quia non addam ultra misereri domui Israel; Septuag. non addam ultra ut diligam eos, q. d. Sæpius ante hæc Israelitis ob peccata afflicti et penitentibus misertus sum, dum eis misi Gedeonem, Samsonem, Davidem, aliosque reges et iudices, sive vindices populi: at nunc, quia peccandi et idololatrandi finem nullum faciunt, et quia in sceleribus suis sunt obstinati et impœnitentes, eorum amplius non miserebor, sed sine ulla spe veniæ aut misericordiæ, tradam eos gladio et igni Assyriorum.*

Hebr. pro absque misericordia, est **לֹא רַחֲמָה** *lo rachuma*. Hoc ergo fuit nomen proprium filii Osee. Censet Arias **רֹחַ**, id est, non, scilicet, *miserebor*, ad Israel esse sive decem tribus spectare; **רַחֲמָה** vero *rachuma*, id est *misericordiam consecuta*, spectare ad Iuda: de quo subdit, *Et domui Iuda miserebor*: quia Iuda ex captivitate rediit, non Israel. Verum hoc subtilius est, quam solidius: **רֹחַ** enim *lo rachuma* unicum est nomen, unumque significat, scilicet Israelis derelictionem a Deo: quare **רֹחַ** *lo a rachuma* divelli nequit. De Israele enim proprie hic agitur, non de Iuda: obiter vero tantum additur illud, *Et domui Iuda miserebor*, ut per hoc Israelis pœna augeatur, dum se solum exitio destinatum, sibi vindictam, Iudæ vero vicino et fratri suo misericordiam parari audit.

SED OBLIVIONE OBLIVISCAR EORUM.) Hebr. **כִּי נָשָׂא חֵם לְהֵם** *chi naso essa lahem*, quod varie vertitur: Hebr. enim **נָשָׂא** *nasa* varia significat, scilicet portare, tollere, elevare, parcere.

Quocirca Primo, Chald. vertit, *si resipuerint parcendo paream eis*. Sed hæc versio repugnat nomini, *Absque misericordia*.

Secundo, Vatabl. vertit, *tollendo tollam eos a facie mea*. Tertio, R. David, *elevando elevabo super eos*, scilicet, hostes Assyrios.

Quarto, Septuag. non verbotenus, sed sensum reddentes vertunt, *adversans adversabor eis*, vel potius ut alii legunt, *aversans aversabor eos*.

Quinto, alii, *exportando exportabo eos in captivitatem*. Sexto, alii, *decipiendo decipiam eos, vel seducendo seducam eos*. Hebr. enim *nasa*, si *scin* habeat punctum in dextro cornu, significat seducere, decipere.

Septimo, Noster et alii vertunt, *obliviscendo obliviscar eorum*, id est, plane et omnino obliviscar eorum; eradam eos ex mea memoria, ut nunquam amplius velim de eis cogitare aut loqui. Hebr. enim *nascia* per *he* significat o-

blivisci. Litteræ enim *aleph* et *he* apud Hebræos sunt commutabiles, et sæpe una pro alia ponitur.

Nota eatachresin: in Deo enim proprie nullius rei est oblitio, utpote qui summa pollet sapientia, cuique omnia et præterita et futura obiective semper præsentia sunt: dicitur tamen oblivisci, cum abiicit, negligit, et derelinquit aliquem, ita ut hominibus videatur eius esse oblitus. Sicut ergo irasci dicitur, cum punit; recordari, cum benefacit; dormire, cum differt vel pœnam, vel præmium: ita oblivisci, cum negligit et abiicit. Pulchre S. August. lib. 1. Confess. cap. 4. *Amas, inquit (o Domine) nec æstuas; zelus, et securus es; pœnitet te, et non doles; irascere, et tranquillus es; opera mutas, nec mutus consilium.*

Moral. ingens est pœna peccatoris cum Deo illius obliviscitur: quia signum est eius impenitentiae et obstinationis, æque ac derelictionis et reprobationis divinæ. Talis ergo nihil gratiæ, nihil sapientiæ, nihil boni expectare potest a Deo, a quo quasi a sole omnis lux et omne bonum dimanet necesse est. Causa huius oblivionis Dei est, quod peccator prius obliviscatur Dei; quæ ei omnium malorum est causa. Unde ut hanc sui oblivionem Deus populo exequat, clamat per Ieremiam e. 2. 32. *Numquid obliviscetur virgo ornamentis suis, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.* Et Isaias exp. 17. 1. *Oblita es Salvatoris tui.* Et e. 51. 13. *Oblitus es Domini factoris tui.* Et e. 44. 21. *Memento horum Iacob et Israel, quoniam servus meus es tu: formavi te, etc. ne obliviscaris mei.* Ex adverso orat. Psaltes psalm. 12. 2. *Usquequo Domine oblivisceris mei in finem?* Et psalm. 41. 10. *Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo dum affligit me inimicus?* Porro hanc penitentiam infligit Deus peccatori iuste et congrue: qui enim obliviscitur Dei, lege talionis meretur vicissim ut Deus eius obliviscatur.

Vis ergo ut Deus tui non obliviscatur, sed iugiter recordetur? noli eius oblivisci, sed iugiter eius recordare, semper eum ante oculos et in mente habe. Hinc B. Catharinæ Senensi hoc dogma dedit Christus: *Filia recordare mei, et ego recordabor tui. De me semper cogita, et ego de te pariter cogitabo:* ita habet eius vita. Quocirca S. Dominicus suis edicebat, *ut continuo cum Deo, vel de Deo loquerentur.* Et S. Thomas Aquinas dicere solebat: *Religiosus non est, qui non semper in mente habet Deum.* Hoc est quod clamat Psaltes psal. 63. 7. *Miserationem Domini recordabor.* Et Ierem. e. 51. 50. *Recordamini procul Domini.* Ita Ionas in ventre ecti e. 2. 8. *Cum angustiaretur, ait, in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea:* et mox Deus vicissim eius recordatus dicitur *pisci, et evomuit Ionam in aridam.* Rursum Psaltes fructum huius memoriæ significat dum ait psal. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Et psalm. 113. 12. *Domini memor fuit nostri, et benedixit nobis.* Ergo cum Isaias e. 26. 8. assidue dicamus: *Domine nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime. Anima mea desideravit te in nocte: sed et spiritu meo in præcordiis meis mane vigilabo ad te.*

VERS. 7. **ET DOMUI IUDA MISEREBOR.** Quia Iuda licet aliquos habuerit impios reges, et nonnullos e populo; multos tamen habuit fideles et pios reges, quas secutus est populus: ut Iosaphat, Oziam, Ezechiam, Iosiam, et præsentem David, cui Deus promisit et iuravit psalm. 88. misericordiam et regnum stabile, ac Christum ex eius semine nasciturum. Israel vero cum omnibus suis regibus a primo Ieroboam, usque ad ultimum Osee per annos 256. continue coluit idola, puta vitulas aureas in Dan et Bethel, ideoque Deus eius misereri noluit, sed eum funditus excidit. Secundo, quia ex Iuda nasciturus erat Christus, ita enim decreverat Deus: unde subdit, *Et salvabo, etc.* Nota. In Deo nulla est passio, sed sola omnisque virtus. Misericordia ergo qua virtus, est in Deo, non qua passio. Misericordia enim in Deo est affectus benevolentiae, quo cupit succurrere miserie nostræ, eamque levare et tollere, vel certe mitigare. In hominibus vero est virtus, et simul est passio, concitans teneritudinem animi, compas-

sionem et sensum miseriæ alienæ, lacrymas, planctum, etc. quæ in Deo esse nequeunt, Deus enim est *απαθείς* et impassibilis. Quocirca vere Lactant. lib. de Ira Dei cap. 16. reprehendit eos, qui nullum animi motum, nullum affectum putant esse in Deo, ac subdit: *Et quia sunt aliqui affectus qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, mæror, invidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt: his enim vacat, quia vitiorum affectus sunt: eos autem qui sunt virtutis, id est, ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios, et iustos, et veros habet.*

Unde et Ecclesia orat: *Deus cui proprium est misereri semper et parcere, etc.* In Deo ergo est verus et proprius actus misericordiæ, æque ac eharitatis, sapientiæ, aliarumque virtutum. Deus enim cum sit vita, habet hosce actus vitales virtutum; sed hi non sunt in eo accidentia, uti sunt in nobis, sed sunt idem eum eius essentia. Hæc enim eum sit immensa, et infinitæ virtutis, perfectionis, et activitatis (est enim ipsa actus quidam immensus et efficacissimus) in se continet et absorbet omnes actus virtutum, qui in angelis et hominibus sunt divisi et discreti, quia finiti et terminati. Sicut ergo mare absorbet omnia flumina, nec iis augetur vel intumescit, quia vastum est et quasi immensum, ut eius respectu flumina sint instar guttæ, quam illic sorbet; ita et divinitas est mare, quod omnes dotes et perfectiones sorbet, aut potius in se continet. Rursum, sicut divina essentia ob sui immensitatem eadem est cum Patre, et eadem cum Filio, et eadem cum Spiritu sancto quæ sunt tres personæ distinctissimæ et realiter diversæ, ita multo magis eadem essentia divina identificatur eum intellectu, voluntate, amore, aliisque potentiis et actibus divinis tum circa se, tum circa creaturas. Cum enim ipsa quaquaversum plene et plane sit infinita, hinc nihil prorsus ei addi potest: quia quidquid cogites vel optes, iam ante in ipsa extilit, illudque ipsum communicat creaturis sine ulla sui imminutione vel mutatione. Tanta enim est in ipsa omnis boni plenitudo, ut nulla fingi possit accessio; tanta firmitas, ut nulla diminutio. Quidquid ergo in tota multitudine angelorum, hominum, et creaturarum omnium sparsim habetur boni, id totum in Deo est collectum in simplicem unitatem, idque sine limitatione et infinite. Hinc sit ut Deus per simplicissimam suam essentiam formaliter sit sapiens, iustus, misericors, etc. adeoque sit ipsa sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, etc. Ipsa ergo essentia Dei per se præstat sola, quod in creaturis præstant bonitas, sapientia, misericordia, aliqueque plurimæ et diversissimæ virtutes, sed modo eminentissimo et illimitato. Quis iam non amet hoc bonum in quo omne bonum? imo quis amet aliud bonum, quod cum eo comparatum umbra est, et potius privatio boni quam bonum?

ET SALVABO EOS IN DOMINO DEO SUO. Id est, per Dominum, ope et viribus non ipsorum, sed Domini. Nota hebraismum. Hebræi enim de se loquuntur in tertia persona, ac si de aliquo alio loquerentur. Sic dicitur Genes. 19. 24. *Dominus pluit super Sodomam ignem a Domino,* id est, a se ipso. Et Numer. 12. 7. *At non talis servus meus Moses, qui, etc. palam Dominum,* id est, me, videt.

Chald. vertit, *salvabo eos per verbum Domini Dei sui,* id est, per Dei promissionem fidelem et firmam, qua salutem a se promissam reipsa præstabit. Mystice per *verbum,* id est, per filium suum, qui ex Iudæis carnem assumpsit et homo natus, q. d. Salvabo eos per Iesum, id est, salvatorem mundi. Ita S. Hieron. et S. Hilar. lib. 4. de Trinit. sub finem. Imo Leo Castrus ad litteram putat Prophetam hic loqui de Christo, qui salutem attulit Iudæ, id est, credentibus et repulit Israel, id est, incredulos. Verum patet ex dictis, hæc allegorica esse, non litteralia. Porro licet hæc verba sint generalia et communia toti SS. Trinitati, tamen mystice appropriari possunt Filio: illi enim appropriatur salus liberatio et redemptio. Quæres, de qua salute Iudæ: ad litteram loquitur hic Propheta? Primo S. Hieron. Cyrill. Haymo, Theodor. Rupert. Lyran. Hugo et Vatabl. putant eum loqui de ea qua liberavit E-

Moral. o  
blivio Dei  
quantum  
malum.

VERS. 7.

Misericordia  
qua virtus,  
est in Deo,  
non qua  
passio.

zechiam, et duas tribus a manu Sennacherib, occidendo in eius castris una nocte per angelum 185. millia Assyriorum, 4. Reg. 19.

Secundo, et potius, loquitur Propheta de salute, quam Iudæis attulit Cyrus liberans eos e captivitate Babylonica. Hæc enim longe maior magisque optata, iucunda, plena, et universalis omnium fuit salus: et in hac recte Iuda opponitur et anteponitur Israeli, qui nunquam ex captivitate Assyriaca rediit. Ita iidem auctores paulo ante citati.

Nota. Duas tribus, scilicet Iuda et Benjamin, sub Cyro eos laxante ex Babylone rediisse in Iudæam, certum est ex 1. Esdræ cap. 1. Idem de decem tribubus quæ ante duas abductæ erant in Assyriam, scilicet eas inde rediisse in Samariam, censent S. Cyrill. in Osee 11. Theodor. et Theoph. in Osee 3. Verum contrarium, scilicet has ex Assyria nunquam rediisse patet ex hoc loco, et ex 3. Reg. 17. 23. et ex Iosepho l. 11. Antiq. c. 5. Estque communis S. Hieron. hic et in Malach. 2. Catholicorum æque ac Hebræorum omnium sententia.

Dices, eas redituras prædicit hic Osee v. 11. et c. 11. v. 8. et seq. et c. 12. v. 9. et c. 14. v. 6. ac Ezechiel c. 37. v. 14. et 22. et Ieremias c. 50. 4. ac Tobias c. 14. v. 6. dicens: *Prope erit interitus Ninive, et fratres nostri qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam.* Respondeo, Osee, Ieremias, Ezechiel loquuntur de reditu et libertate spirituali (non corporali) quam multi ex Israelitis, æque ac ex Iudæis, adepti sunt per fidem in Christum, de quo plura inferius. Tobias vero loquitur de reditu Iudæorum non in Samariam, sed in Ierusalem. Ait enim: *Domus Dei quæ in ea incensa est iterum reedificabitur, ibique revertentur omnes timentes Deum, et relinquent Gentes idola sua, et venient in Ierusalem, et inhabitabunt in ea.* Fateor tamen non paucos ex Israelitis sive Samaritis, excisa Ninive ubi detinebantur captivi, fugisse in Ierusalem, ibique cum Iudæis in templo coluisse Deum: et hoc videtur innuere Tobias, cum post excisam Ninivem statim subiungit: *Et fratres nostri qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam.* Verum hæc reversio fuit privata paucorum fugientium, non communis et publica; quia nec auctoritate publica Assyriorum vel Chaldæorum, nec communi consilio et conspiratione Israelitarum peracta est (uti Iudæorum reversio e Babylone facta est auctoritate Cyri, et communi populi consensu duce Nehemia et Esdra) sed quisque vel mansit in Ninive, vel rediit in Iudæam, vel alio migravit, prout cuique libuit, vel commodius fuit. Simili modo antea pauci Israelitæ fideles et pii, fugientes idololatriam Ieroboam et cladem Israeli instantem, ex Samaria fugerunt in Iudæam, ibique sedem fixerunt, ut patet 2. Paral. 11. 56. et c. 15. v. 9. et c. 30. v. 1. et ex Iosepho l. 8. Antiq. 3. Hi cum Iudæis in Babylone abducti, indeque cum iis reducti, postea valde multiplicati sunt. Multi etiam in ipso excidio Samariæ profugerunt in vicinam Iudæam. Multi etiam pauperiores relieti sunt in Samaria, ad eam colendam, cum cæteri ducerentur in Assyriam: sicut in excidio Iudææ et Hierosolymæ, Chaldæi in ea reliquerunt aliquot Iudæos, ut essent vinitores, agricolæ etc. ut patet ex 4. Reg. ult. 12. Unde his puta ex Zabulon et Nephtalim prognatis, prædixit Christus Matth. 4. 13. et ex his plerosque Apostolos elegit, ut patet psalm. 67. 28. et Isaia 9. 1. Hinc et Anna Prophetissa quæ erat ex tribu Aser, habitabat in Iuda et Ierusalem, Lucæ 2. 36.

Vers. 8.

ET ABLACTAVIT EAM. ) Hæc ablactatio filia typice significabat pari modo Israelitas privandos esse lacte, id est doctrina, oraculis, promissis, lege, gratia, omnique favore et consolatione Dei: ita S. Hieron. Haymo, Lyran. et Vatabl. ac iugi captivitati tradendos, in qua Gentilium cibus, moribus et ritibus sustentarentur: ita Rupert. et a Castro.

Vers 8 et 9.

ET CONCEPIT, ET PEPERIT FILIUM, puta tertiam prolem. ET DIXIT ei, scilicet Deus Osee, ut patet vers. 4. VOCA NOMEN EIUS, NON POPULUS MEUS. ) Nomen ergo tertiæ prolis erat *אממי* lo ammi, id est non populus

meus. Iam Primo, Ruffinus et Albertus putant hanc prolem significare duas tribus, puta Iudæos in Babylonicam captivitatem a Deo abiectos: Vatabl. et Arias eosdem a Tito et Romanis plane excisos. Verum hoc cap. vaticinatur Propheta excidium Israelis, sive decem tribuum; non duarum, sive Iudæorum. De his enim paulo ante contrarium dixit v. 7. nimirum: *Domui Iuda miserebor, et salvabo eos.* Secundo, alii putant hic significari Cuthæos, id est Assyrios, qui ex Cuth aliisque locis a Salmanasar translati sunt in Samariam, cum ipse inde Israelitas in Assyriam abduceret. Cuthæi enim non fuerunt populus Dei, quia cum Deo Israel coluerunt idola Assyriorum, ut dicitur 4. Reg. 17. v. 41. Verum Cuthæi non fuerunt Israelitæ, sed Gentiles. Pergit ergo Propheta prophetare de excidio et vastitate Israelis, sive decem tribuum; earumque omnimodam abiectiorem et reprobationem a Deo, tertiæ huius prolis nomine repræsentare iubetur, quod scilicet Israel amplius non sit futurus populus Dei, sed Gentium et idolorum, atque inter Gentes victurus, ibique prole et robore crecescens, quasi puer masculus in gentilismo vir fortis et robustus sit evasurus: ita S. Cyrill. S. Hieron. Theodor. Chald. Rupert. Haymo et alii. Sic ex adverso Isaïas cap. 8. 3. a Deo iubetur vocare filium suum, *Scor Iasub*, id est reliquiæ converteatur; ut significet reliquias Iudæorum ad Deum et Christum convertendas, uti ibidem dixi. Talia nomina prophetica, et quasi omnia a Deo indita, crebra sunt in Scriptura: ut, *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. 18. Sic Christus Iacobum et Ioanem vocavit *Boanerges*, id est filios tonitru, tonantes scilicet et fulminantes. Sic Isaïas c. 8. 1. nomen pueri Emmanuelis dicit fore: *Accelerata spolia detrahere, festina prædari.* Simili schemate dixit Poeta:

*Sint Mæcenas, non deerunt, Flacce, Marones.*

Et Virgil. eclog. 4. Iulium Cæsarem 23. vulneribus in curia confossum vocat Daphnidem, eiusque apotheosin canit:

*Candidus insuetum miratur limen Olympi,*

*Sub pedibusque videt nubes, et sidera Daphnis:*

*Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille Menalca.*

Porro Gentiles sæpe ab eventu, vel præsentem, vel futuro nomina accipiebant, vel commutabant. Sic apud Græcos teste Cicer. lib. de Orat. Tyrtamus, postea ab eloquentia Euphrastes, tandem a divinitate loquendi Theophrasti nomen invenit. Philosophorum Homerus, qui ab avo Aristoclis nomen acceperat, a pectoris latitudine, vel potius a latissima felicissimi ingenii ad disputandum copia, Plato fuit appellatus teste Plutarcho. in Platon. Apud Romanos ille Tyrius qui prius Malchus (quod prisca Hebræorum et Phœnicum lingua regem sonat) dicebatur, demum Longino Cassio præceptore suo id volente, a regem purpura Porphyrium se transnominavit: ita Porphyrius in Vita Plotini. Ita et Imperatores recens creati nova accipiebant vel nomina, vel cognomina. Severus Afer ut populo Romano placeret, Pertinacis; Iulianus ut militibus voluptuariis satisfaceret, Commodi cognomen accepit. Ita Herodian. lib. 2. Sic nunc in Sacramento Confirmationis cuique licet nomen suum permutare: quin et in ingressu Religionis multi illud permutant, ut v. g. apud Franciscanos Francisci, apud Dominicanos Dominici, apud Benedictinos Benedicti nomen accipiant, ut fundatorum Ordinis sui virtutes cum nomine semper ante oculos ponant, easque æmulari et moribus exprimere conentur.

QUIA VOS NON POPULUS MEUS, ET EGO NON ERO DEUS VESTER. ) Hebr. *ego non ero vobis*, scilicet, Deus, gubernator, tutor, provisor, nutritor, pater, mater, uti hactenus fui. Quanta sit felicitas et benedictio esse populum Dei, Deumque habere patrem; ex adverso quanta sit infelicitas non esse populum Dei, Deumque habere hostem, fuse describit Moses in Levitico toto cap. 26. et in Deut. toto c. 28. Mystice hæc tres proles significant tres gradus peccati, et tres gradationes peccatoris, quibus sensim ruit in gehennam. Prima enim proles Iezrabel, id est, semen Dei, scilicet perditum et effusum, ac quasi occisum, uti dicitur v. 4. significat primum gradum peccati, quo peccatorum.

Plato prius vocatus Aristoclos.

Mystice tres sunt gradus peccatorum.

lor suis illecebris intentus negligit et non curat monitiones, coniectiones, inspirationes Dei, ideoque Deus illas suamque gratiam sensim ei subtrahit. Hinc descendit ad secundum gradum, qui est impenitentia et obstinatio, ut sit absque misericordia. Inde ruit ad tertium, ut non sit o populo Dei, sed a Deo reprobatus tradatur in gehennam.

Vers. 10.

**ET ERIT NUMERUS FILIORUM ISRAEL QUASI ARENA MARIS, QUÆ SINE MENSURA EST, ET NON NUMERABITUR.** Hic alio transit Propheta, et a tristibus ad læta de more se convertit: unde Hebræi et Lyranus hic inchoant caput secundum. Quocirca minus recte Theodoret. et Cyrill. hæc connectunt præcedentibus per exaggerationem hoc sensu, q. d. Firmum manet manebitque meum decretum de excidio Israelis, etiamsi ille cresceret ut arena maris, fieretque innumerabilis. Nam contrarium significat *et erit*, et quæ sequuntur. Itaque hoc loco assurgit Propheta ab Israele carnali ad spirituales, a bonis terrenis ad celestia et divina. Ne quis enim obiiciat, dicatque: Quomodo, o Propheta, prædicis Israel perdendum et excindendum, cum Deus Abrahæ promiserit, semen eius, puta Israel, fore instar arenæ maris innumerabilem Genes. 22. v. 17. occurrit et respondet, id verum ratumque esse et fore, sed in Israele spirituali, non carnali.

Israelita quando salvati, ut qui?

Queres, quando et per quem impleta sit hæc prophetia? Primo, Hugo censet impletam esse per Ezechiam, qui 2. Paral. 30. undequaque Israelitas evocavit ad colendum Deum in Iersalem: item per Iosiam, qui instituit solemnem pascha, ad quod tam Israelitæ, quam Iudæi undique confluerunt. Hi ergo tunc caput unum sibi constituerunt, scilicet piæ regem Iosiam, vel Ezechiam.

Verum Ezechias convocavit Israelitas initio regni sui, cum nondum esset excisa Samaria, nec dispersi Israelitæ. Osee autem loquitur hic de Israelitis iam dispersis, imo reiectis, a Deo rursus congregandis. Iosias vero post excisam Samariam eos dispersos quidem congregavit, sed paucos; at Osee ait eos fore innumeros.

Secundo, Rufinus, Theodor. et Hugo putant impletam esse sub Cyro: tunc enim Israelitæ misti Iudæis duce Zorobabele e Babylone redierunt in Iersalem. Verum et hi perpauci fuerunt.

Dico ergo, prophetiam hanc impleri cœptam esse a Christo, qui tam Israelitis quam Iudæis per se evangelizavit; prædicavit enim in Galilæa et Samaria, ac nominatim in terra Zabulon et Nephthali, ut ait S. Matth. c. 4. 15. indeque suos evocavit et collegit Apostolos. Rursum paulo post Samaria per Philippum recepit verbum Dei, quocirca eo missus est S. Petrus et S. Ioannes Actor. 8. Adde, in dies plures ex Israel convertuntur. Denique omnes Israelitæ convertentur in fine mundi, ut ait Apostolus Roman. 11. vers. 26. tuncque perfecte implebitur hæc Osee prophetia: ita S. Hieron. et Christoph. a Castro hic. Verum quia hi Israelitæ sunt eruntque pauci, nec possunt dici innumerabiles; hinc

Dico Secundo, sub Israelitis intelligi quoque Gentiles conversos ad Christum, in iisque perfecte impleri hanc prophetiam. Hi enim sunt innumerabiles, et hi sunt veri Israelitæ secundum spiritum, non secundum carnem; quia secundum fidem sunt filii Abrahæ et Israelis, et consequenter benedictionis et bonorum a Deo utrique promissorum hæredes. Per fidem enim cooptantur in familiam Abrahæ et Israelis; ideoque vocantur et coram Deo sunt filii Israel: sicut filii adoptati civiliter, vocantur et sunt filii et hæredes adoptatis. Sensus ergo est, q. d. Licet dixerim Israelitas secundum carnem exterminandos et proiciendos a Deo, tamen promissio Abrahæ facta Genes. 22. v. 17. qua ait: *Benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et velut arenam, quæ est in littore maris*, non excidet nec erit irrita: quia eorum loco in familiam Abrahæ succedent et adoptabuntur alii qui ex Gentibus credent in Christum, eruntque filii Abrahæ secundum fidem et spiritum: hi enim erunt instar arenæ maris quasi innumerabiles. Id ita esse patet Primo, quia Apostolus Roman. 9. v. 25. diserte hunc Osee locum explicat de Gentibus, ex eoque contra Iudæos probat non solum

A Iudæos, sed et Gentes Christi vocationis et gratiæ participes fore. Quos et, inquit, *vocavit nos non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi.* Deinde Israelitas, sive Iudæos quoque vocandos et salvandos per Christum, sed paucos, non innumerabiles, probat ex Isaia dicens: *Isaias autem clamat pro Israel: si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquæ salvæ fient*, etc. Quid clarius?

Dices, Osee verba ad litteram intelligenda sunt de Israelitis naturalibus, Apostolus vero per analogiam et similitudinem tantum accommodat ea Gentibus: quia uti Israelitæ, ita et Gentiles non erant populus Dei, sed a Christo vocati facti sunt populus Dei, uti explicant S. Chrysost. Theoph. et Christ. a Castro. Verum hoc dici nequit. Nam Apostolus didactice loquitur, et contra Iudæos scholasticè argumentatur, probatque ex hoc loco Osee Gentes vocandas a Christo: ergo de Gentibus vere et proprie locutus est Osee. Alioqui enim respondissent Paulo Iudæi, hocque eius argumentum elusissent dicendo: Osee loquitur de Israelitis tantum, non de Gentibus: ergo tu, o Paule, perperam et falso trahis, imo detorques eius verba ad Gentes.

Secundo, quia Apostolus clare alibi docet benedictionem Abrahæ et Israeli promissam, ac bona quæ Israelitis eorum posteris per Christum promittunt Osee aliique Prophetæ, non pertinere ad carnales Israelitas, sed ad spirituales, id est ad credentes tam ex Gentibus, quam ex Israelitis: optimus autem interpres Prophetarum est S. Paulus. Audi eum clare id pronunciantem Rom. 9. 6. itaque solventem et explicantem similia veteris testamenti loca a Iudæis obiecta: *Non autem quod exciderit verbum (promissio posteris Abrahæ et Israelis facta) Dei: non enim omnes qui ex Israel sunt, Israelitæ; neque qui semen Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine, etc.* Et Galat. 3. 6. *Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad iustitiam: cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænuñciavit Abrahæ dicens: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur eum fidei Abraham.* Ergo hæc Osee promissio pertinet ad Gentes Israelis fidem imitantes et credentes in Christum.

Tertio, hæc est communis Patrum expositio, scilicet per Israel hic tam intelligi Gentes, quam Israelitas naturales ad Christum conversos: ita S. Hier. Cyril. Rufinus, Haymo, Hugo, Albertus, et alii hic, ac S. August. 1. 22. contra Faustum c. 8. 9. et sæpe alibi, Cyprian. 1. 1. testimon. contra Iudæos c. 19. Tertul. 1. 4. contra Marc. c. 16. Irenæus lib. 2. c. 4. Prosper. 1. 2. de Vocat. Gentium c. 18. Primas. Anselm. et S. Thom. in Rom. 9.

Denique id ipsum verba sequentia plane significant, quibus ait eos qui aliquando non erant populus Dei, vocandos filios Dei viventis, congregandos in unam Ecclesiam sub uno capite Christo, ascensuros de terra, foreque hunc magnum diem Izrahel, quæ omnia magis Gentibus fidelibus, quam Israelitis conveniunt.

**ET ERIT IN LOCO UBI DICITUR** (id est, dicebatur tam a Deo, quam ab hominibus, ita Vatabl. unde Sept. vertunt, *ubi dictum est*) **EIS: NON POPULUS MEUS VOS; DICITUR EIS: FILII DEI VIVENTIS.** Locum hunc intellige non Chaldæam, in quam abducti erant Iudæi, uti vult Albert. nec Iersalem et Iudæam, uti censent Haymo et Hugo, sed quemcumque locum in toto orbe ubi fuerint fideles et credentes Christo. Ita ex Chald. S. Hieron. et S. August. 1. 1. ad Simplic. q. 2. imo S. Petrus epistol. 1. c. 2. Scribens enim Christianis dispersis per Bithyniam, Pontum, Galatiam, Asiam, etc. quibus ipse evangelizaverat, graphicè explicans hæc Osee verba, ait: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericor-*

Vers. 11.

diam consecuti. Locus ergo hic est Ecclesia Christi ubivis gentium et toto orbe dispersa.

Filiatio  
Dei que  
et quan-  
ta?

**FILII DEI VIVENTIS.**) Maxima est hæc hominis dignitas et sublimatio, per quam simus divinæ consortes naturæ, ait S. Petrus. Vere S. Leo serm. 6. de Nativit. *Omnia, inquit, dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et homo Deum nominet patrem.* Quocirca idem sermon. 1. de Nativit. docet hominem debere imitari Deum patrem, eiusque mores induere, ut vitam agat divinam, non terrenam, non animale. *Agnosce, inquit, o Christiane dignitatem tuam, et divinæ consors factus nature, noli in veterem vilitatem degere conversatione redire.* Et sermon. 6. *Genus electum et regium regenerationis suæ respondeat dignitati: diligat quod diligit pater, et in nullo ab auctore suo dissential, ne iterum dicat Dominus illud Isaia e. 1. Filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem spreverunt me; sed sequatur illud Christi Matth. 5. Estote perfecti sicut et pater vester cælestis perfectus est.* Hi ergo non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, similes unigenito Dei, cui Pater ab æterno dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Porro *non viventis habet emphasis, q. d. Non sunt deorum mutorum et mortuorum, non idolorum; sed Dei veri et viventis filii, qui est ipsa vita divina et increata, eamque illis aspirat et communicat.*

Nota. In hac generatione et filiatione pater est Deus, semen est gratia præveniens, mater est voluntas ei consentiens et cooperans, proles est homo iustus, anima est charitas. Rursum exemplar huius filiationis est filiatio Verbi Dei: sicut enim Deus Pater ab æterno genuit filium sibi consubstantialiorem et æqualem per omnia, ita illius adinstar in tempore gignit filios, qui per gratiam sicut id quod filius Dei est per naturam. Nostra ergo filiatio est imago filiationis divinæ. Hoc est quod ait Apostolus Rom. 8. 29. *Quos præcivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et v. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Idipsum probat subdens: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Fit per  
Spiritum  
sanctum  
qui per-  
sonaliter  
datur fi-  
liis Dei.

Porro ut hanc Dei adoptionem profundius inspiciamus, ambiamus et suscipiamus, notandum est, in ea non tantum animæ infundi gratiam, charitatem, aliaque dona Spiritus sancti, sed etiam ipsum Spiritum sanctum, qui est primum et increatum donum, quod Deus donat hominibus. Potuisset Deus in iustificatione per gratiam et charitatem infusam nos tantum facere iustos et sanctos; illaque magna fuisset Dei gratia et beneficentia, etiam si nos in filios suos non adoptasset: sed hæc non contentus, voluit nos ita facere iustos, ut simul faceret et adoptaret in filios. Rursum hanc adoptionem facere potuisset, dando nobis solam charitatem, gratiam et dona creata: gratia enim est participatio divinæ naturæ in summo gradu, quantum scilicet deitas a creatura non tantum naturaliter, sed et supernaturaliter participari potest. Maius itaque priori fuisset hoc Dei beneficium. Verum eo non contenta immensa Dei bonitas, voluit simul nobis dare seipsam, ac per se nos sanctificare et adoptare. Quocirca Spiritus sanctus sponte sua se annexit suis donis, gratiæ et charitati, ut quandoeumque ea infundit animæ, simul eum eis et per ea infundat, seipsum personaliter ac substantialiter, iuxta illud Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* Roman. 5. 5. Quocirca Apostolus eum vocat *Spiritum adoptionis.* Non enim, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur,*

Rom. 8. 15. Et, *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei,* ibid. v. 14. Et, *Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater,* Galat. 4. 6. Hæc ergo est summa Dei nostri dignatio, æque ac nostra summa dignitas et exaltatio, qua recipientes charitatem et gratiam, simul recipimus ipsam personam Spiritus sancti, quæ se sponte charitati et gratiæ inserit et annectit, ac per eas nos inhabitat, vivificat, adoptat, deificat, agitque ad omne bonum. Vis maiora? Accipe. Spiritus sanctus descendens personaliter in animam iustam, secum adducit cæteras divini personæ, Patrem et Filium, utpote a quibus separari nequit. Tota ergo Trinitas personaliter et substantialiter venit ad animam quæ iustificatur et adoptatur, in eaque quasi in suo templo manet et inhabitat, quamdiu illa in iustitia perdurat, iuxta illud. 1. Ioan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et 1. Cor. 6. 17. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Hoc est quod Christus moriturus in divinis illa oratione ad Patrem rogavit et impetravit, dicens: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint,* Ioan. 17. 21. ut scilicet Spiritum sanctum unum et eundem participant, et in ipso uniantur, et per ipsum cæteris personis divinis: itaque in ipso omnes unum sint: quia Spiritus sanctus, qui ab omnibus participatur, et qui in omnibus est, unus et idem est. Unde omnes in unica re individua unum sunt, scilicet in Spiritu sancto, sicut tres personæ divinæ unum sunt in una natura divina, eaque singulari et individua: ita explicat S. Cyrill. libr. 11. in Ioan. c. 26. S. Athanas. orat. 4. contra Arrian. et ex eis Toletus. In iustificatione ergo et adoptione animæ infunditur gratia et charitas, ac cum iis Spiritus sanctus, totaque deitas, et SS. Trinitas, quæ se hisce suis donis substantialiter quasi annexit et inclusit, ut nos sibi substantialiter uniat, sanctificet, deificet et adoptet: qua adoptione primo accipimus summam dignitatem filiationis divinæ, ut reipsa non tantum accidentaliter per gratiam, sed et quasi substantialiter per naturam simus filii Dei, et quasi dii: Deus enim suam naturam realiter nobis communicat et donat. Secundo, per eandem quasi filii accipimus ius ad hæreditatem cælestem, puta æternæ vitæ et gloriæ cælesti, utpote quasi procedentia ab ipso Deo spirituque divino, qui nos inhabitat, ad eaque nos impellit, iisque cooperatur.

Ex dietis sequitur primo, quod iustitia inhærens, sive gratia iustificans, per quam sanctificamur et adoptamur in filios Dei, non sit una simplex qualitas, ut quidam imaginantur, sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, aliaque dona, ac ipsum Spiritum sanctum donorum auctorem (ac consequenter totam SS. Trinitatem.) Hæc enim omnia in iustificatione infusa accipit homo, ut ait Concil. Trident. sess. 6. c. 7.

Sequitur secundo, falli eos, qui in iustificatione et adoptione censent dari Spiritum sanctum dumtaxat quoad sua dona, non autem quoad suam substantiam et personam. Contrarium enim docet S. Bonav. in 1. sent. d. 14. art. 2. q. 1. qua tota ostendit Spiritum sanctum non tantum in effectu, sed etiam in propria persona, quasi donum increatum iustis dari, ut sit eorum perfecta possessio. Idem docet Magister sent. lib. 1. dist. 14. et 15. ex S. August. et aliis. Et Scotus, Gabriel. Marsilius ibidem. Idem clare asseverat S. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. et 6. et q. 38. art. 8. ubi ostendit Spiritus sancti nomen proprium esse donum, quia ipse donatur omnibus iustis. S. Thomam sequuntur eius discipuli ac nostri PP. Vasquez, Valentia, et maxime Suarez lib. 12. de Deo trino et uno Deum e. 5. n. 8. 11. 12. qui inde infert, quod Spiritus sanctus substantialiter novo modo secundum substantiam suam incipiat præsens esse in anima iusti, quo ante non erat: citatque pro hac sententia S. Leonem, S. August. S. Ambr. adeoque eam iusto.



certam esse asserit, ut contrarium dicere censeat esse errorem. Probatque ex S. Scriptura: 1. Corinth. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo.* Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ioan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo. Et, apud vos manebit, et in vobis erit. Et, Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et Ioan. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos. Rationem dat Suarez. n. 12. Quia, inquit, dona gratiæ vi sua et quasi connaturali iure, postulant realem ac personalem præsentiam Dei in anima, per talia dona sanctificata: quia si per impossibile fingamus, Spiritum sanctum non esse alias realiter præsentem intra animam: eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsomet Spiritus sanctus veniret ad eam per præsentiam personalem, et maneret quamdiu gratia in illa duraret.* Simili modo, inquit, Verbum præsens est humanitati Christi, ut, si per impossibile antea non fuisset illi præsens, iam per unionem hypostaticam illi fieret personaliter et intime præsens. Addit deinde rationem moralem: quod scilicet per gratiam fiat perfectissima amicitia inter Deum et hominem, quæ postulat præsentiam amici, puta Spiritus sancti, qui manet in anima amici sui, ut illi intime uniatur, in eaque tanquam in templo suo resideat, colatur, ametur et adoretur.

Ex hac communicatione ipsiusmet personæ Spiritus sancti et divinitatis, sequitur animæ summa cum eo unio, elevatio, et quasi dedicatio, ac consequenter adoptio perfectissima, scilicet non tantum per gratiam, sed et per substantiam divinam: quia per eam non tantum ius ad hæreditatem Dei patris, sed et naturæ divinæ participationem, ipsumque Spiritum sanctum ac Dei filiationem, non tantum accidentaliter, sed quasi substantialiter, eo sensu quo paulo ante dixi, adipiscimur. Sicut enim apud homines proprie pater dicitur, qui naturam suam filio communicat; sic Deus, dando nobis eum donis et per dona Spiritum sanctum, naturam suam divinam communicat, eoque modo proprie et perfecte nos facit et adoptat in filios. Unde S. Basil. hom. de Spiritu sancto ait Sanctos propter inhabitantem Spiritum sanctum esse Deos. Dicitum enim est illis a Deo: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes*, indeque probat Spiritum sanctum esse Deum. *Necesse est enim, inquit, divinum esse Spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis est causa.* Iam sicut prioris adoptionis per gratiam causa formalis est ipsa gratia, ita huius secundæ adoptionis, quæ fit per communicationem ipsius Spiritus sancti, causa formalis est ipse Spiritus sanctus animam iusti inhabitans, medium vero est ipsa gratia.

Sequitur tertio, quod adoptio nostra licet in se una sit, virtute tamen sit duplex. Prior est, qua adoptamur in filios Dei per charitatem creatam et gratiam animæ infusam. Hæc enim est summa participatio divinæ naturæ. Posterior est, qua per gratia adipiscimur ipsum Spiritum sanctum eiusque naturam divinam; ac per eum quasi deificamur, et in filios Dei adsciscimur. Porro utraque hæc adoptio hic inchoatur per gratiam, sed in cælo perficitur et soli dabitur per gloriam æternam, qua hæreditatis Dei possessionem re ipsa nanciscemur (idque firme et immobiliter, sine ullo timore vel periculo eam unquam amittendi) Deoque intime uniemur et fruemur per visionem beatificam, qua novo modo Deus se ipsum substantialiter animæ beatæ communicabit, illique intime et suavissime illabetur, seque insinuabit. De hac ait Apost. Rom. 8. 23. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem* (id est adoptionem, puta hæreditatis ad quam adoptati sumus, possessionem) *filiorum Dei expectantes.* Et S. Ioan. Apoc. 21. v. 3. *Ecce, ait, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Et v. 7. *Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius.*

Sequitur quarto, quod, sicut Christus est filius Dei naturalis, tum qua Deus per generationem æternam, tum

A qua homo per unionem hypostaticam; ita nos simus filii Dei adoptivi, sed longe nobilior, quam sunt filii adoptivi hominum. Illi enim nihil physicum recipiunt a patre adoptante, sed tantum denominationem moralem, per quam ius ad eius hæreditatem consequuntur: nos vero recipimus a Deo gratiam, et eum gratia ipsum Dei naturam, ut sicut apud homines pater proprie dicitur, qui alteri communicat suam naturam humanam, generatque hominem; ita Deus dicatur pater non tantum Christi, sed et noster: quia naturam suam nobis communicat per gratiam, quam Christo communicavit per unionem hypostaticam, ut eius fratres nos efficeret, iuxta illud Rom. 8. 29. *Quos præseivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et Ioan. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, etc. sed ex Deo nati sunt.*

Moral. Ex his discite, quantum, et quam inestimabile sit filiationis et adoptionis divinæ beneficium. Pauci illud laute dignitatis esse sciunt, quantæ iam esse ostendi: pauciores illud ponderant eo pondere quod meretur. Sane quisque in se illud venerabundus admirari deberet, ac doctores et prædicatores illud populo, eo modo quo iam exposui, explicare et inculcare, ut fideles et sancti sciunt se esse templa animata Dei, seque Deum ipsum in corde portare: ac proinde divinæ cum Deo ambulent, et digne cum tanto hospite conversentur, qui ubique eos comitatur, ubique adest, ubique intuetur. Merito Apostolus 1. Corinth. 6. 19. *An nescitis, ait, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Et S. Leo serm. 4. de Nativit. *Agnosce, ait, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vitilitatem degenerare conversatione redire. Memento cuius capitis et cuius corporis sis membrum. Reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Per baptismatis Sacramentum Spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem prævis de te actibus effugare, et diaboli te iterum subicere servituti: quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, quia misericordia te redemit.* Et S. August. serm. 24. de Tempore, tomo 10. *Prima, ait, nativitas ex masculo et femina: secunda nativitas ex Deo et Ecclesia. Ecce ex Deo nati sumus. Unde factum est, ut habitaret in nobis. Magna mutatio, ille factus caro, iste spiritus. Quid est hoc? qualis dignatio, fratres mei? Et erigite animum ad speranda et capienda potiora, nolite adiacere cupiditatibus sæcularibus. Pretio empti estis: propter vos Verbum factum est, propter vos qui eratis filii Dei, factus est filius hominis, ut qui eratis filii hominum, efficeremini filii Dei. Idem in Ps. 52. *Filii, ait, hominum sunt, quando male faciunt, quando bene, filii Dei. Hos enim facit Deus ex filiis hominum filios Dei, quia ex filio Dei fecit Deus filium hominis. Videate quæ sit illa participatio divinitatis! Filius enim Dei particeps nostræ mortalitatis effectus est, ut mortalis homo fiat particeps divinitatis suæ. Qui tibi promisit divinitatem, ostendit in te charitatem.**

Audi et S. Cyrill. Hierosol. catech. 7. *Hoc itaque, ait, cognoscentes spiritualiter conversamur, ut adoptione Dei digni efficiamur. Qui enim spiritu Dei ducuntur, isti sunt filii Dei, etc. Ne forte et illud nobis dicatur: si filii Abraham essetis, opera Abraham faceretis. Si enim eum patrem vocamus, qui opus cuiusque sine personæ acceptione iudicat, non sine timore, incolatus seu peregrinationis nostræ tempus transigemus, non diligentes mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Qui enim diligit mundum, non est dilectio Patris in illo. Itaque dilectissimi Patrem cælestem per opera glorificemus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum qui in cælis est. Omnem sollicitudinem nostram in illum proiciamus: scit enim Pater noster, quibus opus habeamus.*

Audi et S. Ambr. 1. 5. de Fide c. 3. *In quibus, inquit, Deus filium suum ad imaginem suam cernit, eos per filium*

Morale de dignitate filiorum Dei.

*adsciscit in gratiam filiorum: ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem filii in adoptionem vocemur. Et mox: Estote perfecti, sicut et pater vester celestis perfectus est. Quod si ille secundum plenitudinem maiestatis suæ perfectus est, nos autem perfecti secundum virtutis accedentis profectum.*

Hoc est quod admirans stupensque Christianis inculcat S. Ioan. ep. 1. c. 3. 1. *Videte, ait, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Cogita in humanis quanta sit dignitas esse filium principis, regis, Imperatoris (hic enim filius hoc ipso dignior est cæteris omnibus totius regni hominibus) et scito idem in divinis esse, censi filium Dei. Esse ergo filium Dei in immensum amplius est, quam esse Regem, Pontificem, Imperatorem, dominum cæli et terræ; imo quam esse Angelum, Archangelum, Cherubinum, Seraphinum. Quam ergo hæc filiatio Dei ambienda, quam suscipienda, quam sollicite conservanda, et, si amissa sit, recuperanda! Quantæ pro ea a quolibet iusto gratiæ Deo agendæ! Quanta fiducia, amore et reverentia ipse iustus cum Deo, quasi filius cum patre, iugiter agere et versari debet! Nimirum cum Noe, Enoch, Abraham, in generatione sua sit perfectus, ambuletque cum Deo; et angelis potius sit familiaris, quam hominibus. Vere S. Cyprian. lib. de Spectaculis: *Nunquam, inquit, humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei. Deicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest.* Idem tractat. de Orat. Domin. *Quando, ait, Deum Patrem dicimus: quasi filii Dei agere debemus: ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Converteremur quasi Dei templa, et Deum in nobis constet habitare, ut qui cælestes et spirituales esse cœpimus, non nisi spiritualia et cælestia cogitemus et agamus.*

Vers. 12.

**CONGREGABUNTUR FILII IUDÆ ET FILII ISRAEL.**) Tum naturales puta Iudæi et Israelitæ, qui convertentur ad Christum: ita S. Hieron. Haymo, Albert. Vatabl. Arias et a Castro: tum filii Iuda et Israel secundum spiritum, puta Gentiles qui familiæ Iudæ et Israelis accensebuntur, in eamque transibunt imitando Abraham fidem in Christum, itaque erunt eius filii adoptivi: *congregabuntur*, inquam, in unam Christi Ecclesiam. Scio S. August. locis citatis et Lyran. hæc duo distinguere, et per Israel accipere Gentes, per Iudam Iudæos: ex adverso S. Hieron. et Rupert. per Iudam accipere Gentiles, per Israel Iudæos ad Christum conversos. Sed puto hac distinctione opus non esse; cum enim per Israel et Iuda fundamentaliter intelligantur veri Israelitæ et Iudæi, qui ad Christum convertentur; symbolicè vero et mysticè Gentiles ad Christum convertendi, qui tam Iudæis quam Israelitis conversis in una eademque Ecclesia associabuntur; non video, ad quid, vel quomodo in Gentibus fidelibus ea distinguere debeamus, aut possimus. Quocirca censeo in Gentibus Israel a Iuda non secerni; sed Gentes tam Iudæ, quam Israeli fidei et credenti in Christum associari et accenseri, ac proinde eas tam Iuda, quam Israel vocari. **D**

**ET PONENT SIBI CAPUT UNUM.**) Puto Christum duem et ductorem, eiusque vicarium Romanum Pontificem.

**ET ASCENDENT DE TERRA.**) Alludit ad reditum e captivitate Babylonica, uti notant Chald. Theodor. et Hugo, q. d. Uti olim Iudæi in Babylone depressi, et quasi mancipia curvato collo et capite incedentes, dum per Cyrum liberi effecti sunt, inde erecto capite exultabundi exierunt et ascenderunt in Ierusalem: ita e simili captivitate spirituali, qua sub peccato et dæmonis potestate incarcerati tenebantur Iudæi, Israelitæ et Gentes, per Christum liberabuntur, indeque exhibent, et alacres ac lætabundi ascendent, perguntque in terram promissam, puta in Ierusalem, id est in Ecclesiam tum militantem in terris, tum per eam ad triumphantem in cælis.

Vocatur hic transitus ab infidelitate, gentilismo et iudaismo, ad fidem et Ecclesiam, ascensus, tum quia fuit e tenebris et carcere in lucem et civitatem, puta in Eccle-

siam sublimem, et in admirabile lumen Dei, ut ait S. Petrus. Secundo, quia fuit transitus a servitute in libertatem: servi enim curvi, depressi et quasi descendentes; liberi vero cervicæ erecta, et quasi ascendentes incedunt.

Tertio, vox *ascendere* notat Christianorum vitam non esse terrenam, uti est infidelium; sed cælestem, eosque a terris mente et conversatione condescendere in cælum: *nostra enim conversatio in cælis est*, ut ait S. Paulus.

Quarto, addit Lyran. et Ribera, voce ascendendi significari incrementum et propagationem fidei et Ecclesiæ, q. d. *Fideles ascendunt de terra*, id est crescent sensim, lateque se per universum orbem spargunt et propagabunt instar fontis, qui e terra exiliens eructat aquas, sed modicas, quæ tamen partim continua fontis eructatione, partim aliorum fontium et rivulorum confluxu ita crescent, ut ingentem lacum vel flumen efficiant. Sic ascendere pro crescere capitur Ierem. 46. v. 6. ubi de Pharaone, eiusque copioso exercitu dicitur: *Quis est iste qui quasi flumen ascendit, et velut fluviorum intumescunt gurgites eius? Ægyptus fluminis instar ascendit, et velut flumina movebuntur fluctus eius; et dicit: Ascendens operiam terram.* Et de Nabueodonosoris copiis c. 47. 2. *Ecce, inquit, aquæ ascendunt ab Aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram.* Sic Ezech. c. 49. 3. ait, *Eduxit unum de catulis suis, et leo factus est: pro eduxit hebr. est, ascendere fecit*, id est exaltavit eum et promovit in regem. Et Psaltes Psal. 96. 9. *Nimis exaltatus es, hebr. nimis ascendisti* (o Domine) *super omnes deos*, hoc est præ omnibus Gentium diis tuum robur et gloriam exaltasti et dilatasti.

Quia (hebr. *כי*, quod sæpe non est causale, sed assertivum et admirativum, idemque valet quod *sane, equidem, profecto*) **MAGNUS EST DIES IEZRAHEL.**) *Magnus*, id est celeberrimus, iucundissimus et felicissimus. Sic Romani magnos dies vocabant eos qui magnis molestiis, longisque laboribus et miseriis finem dabant, ideoque erant lætissimi, optatissimi et faustissimi. Sic de hoc eodem Osee die, puta de diebus Messiæ, cecinit Sibylla apud Virgil. ecloga 4.

*Incipient magni procedere menses.*

Sic Mathematici magnam annum vocant eum, quo septem planetæ expletis sibi propriis cursibus sibi concordant, de quo Cicero lib. 2. de Natura deorum: *Magnus, inquit, annus est, qui tenet duodecim millia quingentos quinquaginta quatuor annos, post quos Platonicæ dicebant omnium rerum fore reditum et revolutionem.* Ita Christus reduxit magnam annum, dum omnia reparavit, et ad primævam originem et felicitatem reduxit. Ex adverso dies parvi vocantur dies humiliationis, paupertatis et angustiarum. Zachar. 4. 10. *Quis, inquit, despectit dies parvos?* quibus scilicet Zorobabel parva et exilia iccit novi templi fundamenta.

Iam *Iezrahel*, id est semen Dei, vocatur populus Dei, sive Ecclesia ex Iudæis, Israelitis et Gentibus congregata, cuius caput est Christus, quem Apostolus Gal. 6. 16. vocat *Israel Dei*. Sensus ergo est, q. d. Equidem magnus, illustris, faustus, admirabilis, et terque quaterque beatus erit ille dies, illud sæculum, quo Israelitæ et Iudæi tum naturales, tum mystici et adoptivi, puta Gentiles conversi ad Christum, antea dispersi et errabundi, congregabuntur in unum, ut fiant *Iezrahel*, id est unus populus, una Ecclesia, puta filii Dei viventis, ut ponant sibi unum caput Christum, et ascendere incipiant de terra in cælum. O quam felix, quam novus et nunquam visus, quam clarus et gloriosus erit, quantamque mutationem singulis fidelibus totique orbi inducet dies ille, quo *lo ammi* fiet *ammi*, id est non populus meus, fiet populus meus; quo *lo rachuma* fiet *rachuma*, id est ea quæ erat absque misericordia, plena erit gratia et misericordia Dei: ita Albert. Haymo, Hugo, Lyran. et Vatabl. O quam salutaris, augustus, cælestis et beatus erit dies ille, sæculum illud quo nascetur, prædicabit, et regnabit *Iezrahel*, id est filius Dei, puta Christus Dominus, qui *Iezrahel*, id est semen benedictum, puta plurimos filios fideles, san-

etos et gloriosos Deo pariet per prædicationem et cælestem vitam, tum suam, tum Apostolorum suorum; ita S. Hier. Rupert. Albert. Leo Castrius, Emmanuel et Mariana.

Hinc dies hic *Iezrahel* accipi potest dies Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, ac Pentecostes, sive missionis Spiritus sancti, et prædicationis Apostolorum per totum orbem. Hæc enim omnibus Christus operatus est et operatur in dies salutem nostram, nosque Deo generavit et generat: unde Haymo magnum diem *Iezrahel* interpretatur totum tempus christianismi, puta totum quod fluxit a Christo, fluetque ad finem mundi: toto enim hoc tempore generatur et propagatur *Iezrahel*, id est Ecclesia, sive populus Dei.

Hinc primo, Leo Castrius hic, et S. Cyril. in Glaphyris l. 5. hæc intelligunt de die Incarnationis et Nativitatis Christi: Magnus, inquit, dies *Iezrahel*, quia de *Iezrahel*, id est, de semine Dei, puta de Spiritu sancto conceptus est filius Dei, de quo dixit Psaltes: *Hæc dies quam fecit Dominus*. Et Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Et Jerem. cap. 31. 22. *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum*. Et Isaias cap. 6. 9. *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis: et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*. Quin et Sibylla apud Virgilium ecloga 4. de eo ita canit:

*Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:  
Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,  
Iam nova progenies cælo demittitur alto,  
Chara Deum soboles, magnum Iovis incrementum.  
Tu modo nuscanti puero, quo ferrea primum  
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
Casta face Lucina.*

Secundo, magnus erit dies *Iezrahel*, quo scilicet in cruce durissima passurus et moriturus est filius Dei *pro gente*, et non tantum *pro gente*, sed *ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*, ait S. Ioan. cap. 11. 52. Hi enim sunt *Iezrahel*, id est *semen cui benedixit Dominus*, Isaiæ 61. 9. de quo idem Isaias ait cap. 6. v. 13. *Semen sanctum erit id, quod steterit in ea*.

Tertio, magnus erit dies *Iezrahel*, quo scilicet semen Dei, id est Christus, resurget et reviviscet. *Magnus*, inquit Rupert. *erit dies, et magna illustratio seminis Dei, quod est Christus; seminis, inquam, resurgentis ex mortuis, cum quo consurgentes atque ascendunt de terra, faciendo quod ait Apostolus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sic nimirum prima ascensione facta, quæ est resurrectio prima, tandem ascendent corpora quoque de terra, quæ erit resurrectio secunda; et sequentur caput suum sicut membra capiti coniuncta, et sicut ipse Christus expressit dicendo: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.*

Hinc quarto, magnus dies *Iezrahel* erit dies iudicii et resurrectionis, quo Christus iudex discernet semen Dei a semine diaboli, puta electos a reprobis; illosque ad beatam et gloriosam vitam evocabit, secumque duceat in cælum ad triumphum æternum: ita Cyrill. *Magnus*, ait, *revera dies Christi, quo omnes vita functos excilabit, et descendet quidem de cælo, sedebit autem super throno gloriæ suæ, et reddet unicuique iuxta opera sua*. Unde de hac die ait Ioel e. 2. 11. *Magnus dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum?* Et v. 31. *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit, omnis qui invocaverit*

*nomen Domini, salvus erit: quia in monte Sion et in Ierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis, quos Dominus vocaverit*. Hi ecce sunt dies *Iezrahel*.

Rursum *Iezrahel* significat brachium Dei. Ita hi omnes dies sunt *Iezrahel*, id est, dies et opera magni brachii, id est, magnæ virtutis et potentiae divinæ: ita Arias. Simili modo magnus fuit dies Madian, quo scilicet Gedeon contrivit Madianitas, et ab eorum iugo Hebræos liberavit, qui dies fuit typus huius dici Christi redemptoris nostri, de quo proinde canit Isaias e. 9. 4. *Iugum oneris eius, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius* (puta diaboli, o Christe) *superasti, sicut* (Gedeon) *in die Madian*. Ubi Nota. In hac eadem valle *Iezrahel* Gedeon Madianitas prostravit, ut dicitur Iudic. 6. 33. ut plane eo alludere videatur hic Propheta. Vide quæ de die Madian dixi Isaiæ 9. 4.

Hic est ergo magnus dies *Iezrahel*, quo per Christum incarnatum magnum illud mysterium vocationis et adoptionis fidelium peractum est, quod in omnibus suis epistolis Apostolus ita stupet et admiratur. Unde Ephes. 2. 11. *Gentes ad gratiarum actionem et iubilum excitans: Memores, inquit, estote quod aliquando vos Gentes, etc. eratis sine Christo, alienati u conversatione Israel, et hospites testamentorum, et promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi*. Et mox: *Ergo iam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei*. Hinc rursus attonitus exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et inestigabiles viæ eius!* Rom. 11. 33.

Tropolog. Magnus dies *Iezrahel* Ecclesiæ est, quo multi ad illam conversi facti sunt *Iezrahel*, id est semen, hoc est, filii Dei. Talis fuit dies quo Constantinus Magnus conversus convertit orbem sibi subiectum. Magnus dies genti vel urbi est, quo ab hæreticorum vel Turcarum iugo liberata, transit in libertatem filiorum Dei, et in regnum Christi; ut illum iugiter recolere debeat, ac gratulabunda cum Psalte canere: *Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus et lætemur in ea*. Sic magnus dies lideli animæ est, quo baptizata et fidelis effecta est; quo relapsa in peccatum per poenitentiam ad Dei gratiam redit; quo e sæculi turbinibus ad statum perfectionis a Deo evocata est; quo professionem emisit; quo sacerdotio initiata est, etc. Hæc enim diebus vel simpliciter, vel excellentius facta est *Iezrahel*, id est, semen sive filia Dei; ut merito illos quotannis recurrentes cum ingenti gratiarum actione, laude et iubilo celebrare debeat, ac canere cum B. Virgine: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen eius. Fecit potentiam in brachio suo*.

Sic magnus dies *Iezrahel* fuit, quo Iudith occidens Holofernem, patriam liberavit, quem proinde Hebræi annuo festo celebrarunt, ut patet Iudith ult. v. 31. Sic magnus fuit dies *Iezrahel*, quo Esther Iudæos neci destinatos eripuit, quem proinde annuo festo phurim, id est sortium, recoluerunt posteri, Esther e. 9. v. 26. et 31. Sic magnus fuit dies Encæniorum, id est dedicationis templi, tum factæ primitus per Salomonem 3. Regum 8. tum restauratæ per Esdræ 1. Esdræ 6. et postea per Iudam Machabæum, 1. Machab. 4. 52. Sic magnus fuit dies cæsi a Iuda Nicanoris, annumque festum, 1. Machab. 7. 49. Sic magnus fuit dies cælitus dati Aaroni, et sub Iuda Machabæo recuperati ignis sacri, quo eomburendæ erant victimæ, 2. Machab. 1. 18. Sic magnus dies, imo annus, fuit quinquagesimus, puta iubilæus, Levit. 25.

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Iubet Deus argui Israellem de idololatria et ingratitude, quod nimirum vinum, frumentum, linum etc. quæ acceperat a Deo, accepta tulerat idolis, unde se ea ablaturum minatur, quodque visitabit super eum dies Baalim. Hinc Secundo, prædicit Israelis pœnitentiam; ac consequenter vers. 14. promittit quod eum lactabit, ducet in solitudinem, et loquetur ad eor eius, eritque vir eius. Denique v. 18. Percutiam, inquit, cum eis fœdus. Et sponsabo te mihi in sempiternum. Et seminabo mihi eam in terra, et miserebor eius quæ fuit absque misericordia.*

1. **D**ICITE fratribus vestris: Populus meus: et sorori vestræ, Misericordiam consecuta. 2. Iudicate matrem vestram, iudicate: quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir eius: auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum. 3. Ne forte expoliam eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ: et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti. 4. Et filiorum illius non miserebor: quoniam filii fornicationum sunt: 5. Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos: quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum. 6. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. 7. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos: et quæret eos, et non inveniet, et dicet: Vadam, et revertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. 8. Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal. 9. Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam eius. 10. Et nunc revelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius: et vir non eruet eam de manu mea: 11. Et cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius, et omnia festa tempora eius. 12. Et corrumpam vineam eius, et ficum eius: de quibus dixit: Mercedes hæc, meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei: et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri. 13. Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur inaure sua, et monili suo, et ibat post amatores suos, et mei obliviscetur, dicit Dominus. 14. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem: et loquar ad cor eius. 15. Et dabo ei vinores eius ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem: et canet ibi iuxta dies iuventutis suæ, et iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. 16. Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me, Vir meus: et non vocabit me ultra, Baali. 17. Et auferam nomina Baalim de ore eius, et non recordabitur ultra nominis eorum. 18. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, et cum voluere cæli, et cum reptili terræ: et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra: et dormire eos faciam fiducialiter. 19. Et sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in iustitia, et iudicio, et in misericordia, et in miseracionibus. 20. Et sponsabo te mihi in fide: et scies quia ego Dominus. 21. Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, et illi exaudient terram. 22. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum: et hæc exaudiet Iezrahel. 23. Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor eius, quæ fuit Absque misericordia. 24. Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: et ipse dicet: Deus meus es tu.

VERS. 1. **D**ICITE FRATRIBUS VESTRIS. ) Hæc videntur pertinere ad finem capitis primi: unde S. Hieron. Lyran. Vatabl. et alii hæc connectunt cum cap. 1. et caput secundum inchoant a verbis proxime sequentibus, *Iudicate matrem*. Plane enim alludit ad tres proles Osee, scilicet, *Iezrahel*, *Lo ammi*, et *Lo rachuma*; quasi *Iezrahel*, id est, semen Dei loquatur fratri suo *Lo ammi*, id est, non populus meus, et eum consoletur, eique congratuletur de tam felici mutatione, qua a Deo iam factus sit *Ammi*, id est, populus meus: itemque sorori suæ *Lo rachuma*, id est, absque misericordia, quod iam sit *Rachuma*, id est, misericordiam consecuta: unde ex Hebræo si pro puncto *tsere* substituas *ehirie*, ut pro **אֶחָיִךְ** *achechem*, legas **אֶחָיִךְ** *achiehem*, veritas, *die fratri vestro*, æque ac, *die sorori vestræ*; sed eodem res redit, sive in singulari, sive in plurali veritas, fratri, vel fratribus; sorori, vel sororibus; tuæ, vel vestræ: singula enim hæc filiorum nomina licet voce sint singularia, significatione tamen et representatione sunt pluralia: significant enim semen Dei, et populum Israeliticum, in quo hominum erat multitudo et pluralitas.

Hinc patet fratres et sorores hic vocari eos, quos cap. 1. 10. vocavit filios Israel, et filios Dei viventis. Iam, cum ex dictis cap. 1. pateat, hos tres Osee filios significasse; primo, Israellem, sive decem tribus, ob impietatem a Deo desertas; secundo, Gentes paris impietatis et idololatriæ, sed quæ æque ac Israelitæ postea per gratiam Dei ad Christum conversæ, factæ sunt populus Dei, et misericordiam

consecutæ; hinc sensus huius loci est, q. d. O vos viri Iuda, qui estis fidelis Dei populus, nolite abicere decem tribus et Gentes, qui fratres vestri sunt per Dei prædestinationem, vocationem et gratiam, per quam ad Christum sunt conversi: vocate ergo eos, populum meum et misericordiam consecutum, qui olim erant et vocabantur, Non populus meus, et absque misericordia. Nam *10 dicite fratribus*, scilicet Israelitis, est vox Iudæ. Hic enim fuit frater Israel; quia duæ tribus erant fratres duodecim tribuum: aut, si mavis, est vox Iezrahelis: hic enim fuit frater *Lo ammi* et *Lo rachuma*. Iam per Iuda aut Iezrahel intelligit primos fideles Christo eredentes. Hi enim fuerunt ex Iuda et ex Israel: hi enim mire gavisii sunt, cum viderunt Samaritas, Galilæos, et Gentes ad Christum converti: iisque quasi iam fratribus suis in Christo et Ecclesia applaudebant, eosque vocabant fratres et populum Dei, ac misericordiam consecutum, uti eos vocat S. Petrus epist. 1. cap. 2. 10. et S. Paulus Rom. 9. 23.

Hunc sensum exposcunt nomina *Ammi*, id est, populus meus; et *Rachuma*, id est, misericordiam consecuta: his enim plane alludit ad finem capitis primi, ubi Israelitis iam conversis ad Christum hæc nomina indidit: ita censent S. Hieron. Albert. Hugo, Haymo, Lyran. Isidor. Vatabl. et Arias. Audi S. Hieron. qui ita explicat, q. d. *O homines tribus Iuda, nolite desperare decem tribuum salutem; sed eam quotidie et sermone, et voto, et litteris ad pœnitentiam provocate: quia frater vester appellatur et soror; frater ex eo quod dicitur, populus meus: soror ex*

eo quod appellatur, misericordiam consecuta. Deinde aliter explicat, hæc applicando ad Iudæis: *Qui, inquit, in Christum credidit, et estis tam ex Iudæis, quam ex Gentibus, dicitis fractis ramis et priori populo, qui proiectus est: Populus meus, quia frater tuus est: et misericordiam consecuta, quia soror tua est: cum enim intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.* Additque tropolog. *Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus; sed provocemus ad penitentiam, et illorum salutem germanitatis optemus affectu.*

Verum quia in Bibliis Latinis et Græcis hæc divelluntur a fine capitis primi, ita ut ab his incipiat caput secundum, hinc iuxta hanc distinctionem aliter hæc explicanda sunt eum Chald. et Christoph. a Castro: nimirum ut spectent ad sequentia: *Iudicate matrem*; quasi Propheta hic redeat ad initium c. 1. ac per eum iubeat hic Deus Prophetis, et piis quibuslibet viris Israelitis, ut, dum adhuc retinent nomen populi Dei, et misericordiam consecuti, plebem Israeliticam matrem suam, cuius singuli ipsi sunt membra ac filii, iudicent, id est moneant, et coarguant; ne, si in sua impietate perseveret, et sibi et filiis interitum pariat. Unde Chald. vertit: *Prophetæ dicite fratribus vestris: Popule mi, convertimini ad legem meam, et congregationis vestræ miserebor.* Sensus ergo est, q. d. Vos o Propheta dicite fratribus vestris, scilicet iis, qui sunt veri Israelitæ, id est Dei cultores, qui proinde sunt et vocantur *Amni*, id est populus meus; et sororibus vestris, scilicet mulieribus quæ sunt veræ Israelitides, ideoque sunt et vocantur *Rachuma*, id est misericordiam consecuta; ut iudicent, id est arguant, et increpent matrem suam, scilicet Synagogam, sive cœtum Israelitarum colentium idola; eique denuncient ex me et meo nomine, quod ipsa iam non sit uxor mea, nec ego maritus eius: auferat ergo fornicationes, id est, idololatrias suas, ut mereatur ad me redire, et in gratiam thorumque recipi. Unde Syrus vertit: *Vocate fratres vestros, Populum meum, et sorores vestras misericordiam consecutas, inite iudicium (iudicate) eum matre vestra; et Arabicus Antiochenus: Dicite, Popule meus, fratri vestro, et sorori vestræ dilectæ, et iudicium decernite ad matrem vestram; et Arabicus Alexandrinus diversis verbis, sed eodem sensu: Dicite fratribus vestris (Iudæis infidelibus) Vos non populus meus, et sorori vestræ, quod non est misericordiam consecuta: inite iudicium eum matre vestra.*

**SORORI VESTRÆ.**) Hebraice est *iad* plurale לאחותי *laachotechem*, unde Vatabl. Pagn. et alii recentiores vertunt, *sororibus vestris*. Sed eodem res redit, sive in singulari, sive in plurali veritas, ut paulo ante ostendi. Congruentius tamen Noster interpres vertit in singulari: quia una erat filia Gomer, nomine *Lo rachuma*, soror *Iezrahel* et *Lo amni*, filiorum Osee: ad illam enim alludit. Porro *iad* istud additur voci huic etiam in singulari, ut patet Cantic. 8. vers. 8. *Quid faciemus sorori nostræ?* hebraice לאחותי *laachotenu*.

**VERS. 2. IUDICATE MATREM VESTRAM.**) Hic proprie iuxta S. Hieronymum. et alios permultos, quos paulo ante citavi, incipit caput secundum. Hic enim redit Propheta a sæculo Christi de more ad suum, et ad suos Israelitas, puta ad sui sæculi depravatos mores, scilicet ut Israelitas qui toti idololatriæ dediti ruebant in exitium, iucrepet et ab ea revocet.

Quæritur, quænam hæc mater? Aliqui accipiunt Iudam et Ierusalem, sive Synagogam duarum tribuum, quasi hic Propheta increpet duas tribus, sicut primo cap. increpavit decem: ita Ribera, ut sensus sit, q. d. Vos, o pii Iudæi, qui pios Israelitas vocatis fratres, et pias Israelitides sorores; arguite Ierusalem et Synagogam, sive cœtum populi, qui in ea est, quæ est quasi mater vestra (ad vos enim loqui cœpi: arguite, inquam, eam eo quod iam cœperit imitari decem tribus, et cum esset uxor cultrixque Dei, iterum se adulteriis, id est, idololatriæ sordibus inquinavit: ne idem illi faciam, quod feci decem tribubus; scilicet ut eam repudiet et abiiciam. Hoc enim facere plane cogito et destino.

**A** Melius alii per matrem accipiunt Samaritam, sive Synagogam Israelitarum. Alludit enim ad Gomer uxorem Osee, quæ fornicando representabat idololatriam Israel, ut dixi cap. 1. 2. Iubet ergo Propheta, ut *Amni et Rachuma*, id est fratres et sorores, puta fideles Israelitæ et Israelitides, arguant hanc matrem suam de infidelitate et idololatria, unde v. 4. ait: *Et filiorum eius non miserebor, quia filii fornicationum sunt: quia fornicata est mater eorum*, ubi plane notatur Gomer eiusque filii, id est, Israelitæ impij. Denique v. 13. et 14. expresse nominantur eius filii, scilicet *Iezrahel, Lo amni, Lo rachuma*. Pergit ergo Propheta hic insectari Israelis idola. Iam sensus est idem quem paulo ante dedi; illum ergo hic repetit et applica, mutato tantum nomine Iuda in Israel: ita S. Hieron. Chald. Albert. Hugo, Arias et alii. Hinc patet Prophetam hic increpare Israelitas idololatrias sui avi, non autem Iudæos qui erant futuri tempore captivitatis Babylonicæ, ut vult Theodor. multo minus Iudæos futuros tempore Christi. Alleg. tamen hæc recte iis adaptes hoc sensu, quasi scilicet hic veri Israelitæ, puta Apostoli, iubeantur increpare Synagogam, eo quod Christum sponsum suum non recipiat nec agnoscat: ita Haymo et Vatabl.

**B** Nota. Pro *iudicate*, alii vertunt, *litigate*, id est, iudicio contendite, litem ei intentate; Vatabl. *expostulate*. Iudicare ergo hic non est sententiam ferre, sed accusare, sive partes accusatoris agere: hoc enim significat Hebr. ריבו *ribu*. Est catachresis, vel metonymia; ponitur enim causa pro effectu, antecedens pro consequente; scilicet accusatio pro iudicio, sive lata sententia, hæc enim certo ferenda est in reum certum et confessum, puta in publicos idololatrias Israelitas, sicut ex lege Deut. 13. 6. certa et lata erat sententia mortis, puta lapidationis, in adulteram. Sententia ergo de iure lata, et per iudicem certo ferenda habetur moraliter quasi iam lata.

Septuag. vertunt *καταγγεζε*, id est *iudicamini eum matre vestra*, eodem sensu: qui enim iudicio contendit cum parte adversa, uti facit actor sive accensator eum reo, hic dicitur cum eo iudicari, id est, in iudicio disceptare, in iudicio agitari et ventilari, ut a iudice sententiam vel favorem, vel adversam excipiat. Aliter a Castro: *iudicamini*, inquit, id est, vos invicem arguite et increpate. Sed prior expositio est genuina, eamque exposcit vox Hebr. *ribu*, et consensus cæterorum Interpretum.

**UT AUFERAT FORNICATIONES SUAS A FACIE MEA, ET ADULTERIA.**) Tritum est in Scriptura apud Prophetas, fornicationes et adulteria vocari idololatriam, eiusque actus, præsertim sacrificia, quia per hæc anima, vel gens, relicto Deo sponso suo, copulatur idolo et dæmoni, quasi fornicario et adultero. Fornicatio ab adulterio distinguitur quasi genus a specie: fornicatio enim est copula tam cum soluta, quam cum coniugata: adulterium, cum coniugata tantum. Aliter S. Hieron. *Fornicaria*, inquit, *est quæ cum pluribus copulatur, adultera quæ unum virum deserens alteri iungitur.* Hinc Psal. 72. cum Psaltes dixisset v. 25. *Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram?* pro quo Hebr. S. Hieron. et Aquila habent: *Quis mihi est in cælo? et tecum nobis in terra*, scilicet habere alium sponsum, amicum, et adiutorem, ut exponit Theodor. et, ut Chald. socium. Arnobius legit, *Quid mihi restat in cælo, et a te quid volui super terram?* q. d. Ego Christus in terra positus ita cælestem vitam egi, ut, cum in cælum ascendero, nihil mihi supersit, quod in terra positus non impleverim: nil enim præter te o Deus meus volui super terram; nihil ergo in terra relinquo nisi obedientiam et adimpletionem voluntatis tuæ; nihil in cælo nisi amorem et cultum tui: tu enim es omne quod in cælo et in terra volo et adamo. Subdit v. 27. *Quia ecce qui elongant se a te peribunt, perdidisti (perdes) omnes qui fornicantur abs te*, qui scilicet a te sponso suo, tuaque fide, amore et cultu desciscunt adherendo idolis vel creaturis, quasi adulteris. *Quorum anima*, inquit Arnob. *alterum ducit Deum (quasi maritum) aut a veritatis et sanctitatis coniugio se falsitate et iniquitate commisset.* Quocirca subdit et infert Psaltes v. 28. *Mihi autem adherere Deo bonum*

est, græce προσκολλησθε, id est, mihi agglutinari Deo bonum est. Triplici vinculo, inquit S. Bernard. anima colligatur Deo: primo, honestate et promissione, quasi fune; secundo, timore inferni, quasi clavis, de quo dicitur Ps. 118. *Confite timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui*; tertio, amore, quasi glutino.

A FACIE MEA.) Est emphasis, q. d. Non pudet te, o impudens meretrix et adultera, quod me vidente, et in oculis meis forniceris? Scis me zelotypum, et non metuis, ne te in flagranti delicto confodiam, siderem aut fulmine afflem?

ET ADULTERIA DE MEDIO UBERUM SUORUM.) Per hæc grammaticè intelligit illecebras et signa adulterii; puta omnem ornatum et gestum meretricium. Solent enim meretrices nuda ostentare ubera, eaque onerare floribus, gemmis, bullis, unguentis, phyllis et amatoris carminibus, ut amasios in sui concupiscentiam illiciant. Denique contractatione uberum inchoatur, accenditur et expletur libido. Iam per hæc litteraliter intelligit ornamenta faciei, capitis, pectoris, bullas, annulos, torques, aliaque quæ ad ubera gestabant in honorem idolorum, ac præsertim medallia et imagines idolorum, quas e collo suspensas, vel in lamina cælatas ad pectus deferebant. Idipsum poscit sponsus a sponsa, sed sancto et casto amore dicens, Cantic. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, q. d. O sponsa, cor tuum æque ac brachium mei imagine obsigna, mei imaginem cæla et gesta tam in bullis appensis ad cor, id est, ad pectus, quam in armillis appensis ad manus et brachia, ut hæc tibi iugem mei memoriam et amorem refricent et ingerant, ut assidue non aliud, quam me cogites et ames.

Vers. 5.

NE FORTE EXPOLIEM EAM NUDAM, ET STATUAM EAM SECUNDUM DIEM NATIVITATIS SUÆ.) *Diem nativitatis* Israelis vel Synagogæ, vocat ortum vel propagationem primam Gentis Israeliticæ in Ægypto: in Mose enim, et cum Mose quasi orta est Synagoga, erevit et adolevit, ac quasi pubes desponsata est Deo, quando in Sina per Mosen a Deo legem, et cæremonias, et ritum sacrorum, quibus Deum coleret, accepit. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Haymo, Hugo et alii. Paulo aliter Arias: censet enim ortam Synagogam in Chaldæa, cum Abraham eius parens ibidem ortus est. Verum ibi non tam gens ipsa, quam gentis pater, puta Abraham, ortus est.

Nuditatem vocat, tum inopiam et paupertatem Israelis in Ægypto, ubi alligebatur, vivebat et victitabat quasi mancipium Ægyptiorum, tum infirmitatem et impotentiam eiusdem, qua quasi inermis et imbellis, carensque duce, se tutari non poterat, ideoque Pharaoni erat in prædam et rapinam: tum quod destitutus lege, religione, tabernaculo, Prophetis, a Deo quasi derelictus et nudus, omnique veste tam corporali, quam spirituali destitutus videretur. Sensus ergo est, q. d. In Ægypto Israel natus est nudus, miser, pauper, imbellis, abiectus, informis; carens rege, duce, lege, religione, Synagoga, repub. imo Deo, omnique bono, expositus prædæ et neci, ac infanticidio Pharaonis. Ego eius miserimi commiseratus, eum per Mosen collegi, liberavi, eduxi, armavi, spoliis Ægyptiorum ditavi, manna pavi, lege et sacris iustruxi, in Synagogam et rempubl. efformavi, milique eam despondi. At illa iam dives facta, luxuque abundans, lascivire et recalcitrare cepit, fornicari et idola colere, me aspernari. Itaque moneo, ut pristinae suæ conditionis, meæque beneficentiæ memor respiscat, alioqui eam derelinquam, sinamque revolvi in primævam infantia suæ miseriam et nuditatem; ut sit sine opibus, sine rege, sine lege, sine Deo; ut vastetur et spolietur ab Assyriis, omnibusque bonis et rebus suis nudetur. Hoc est quod subdit: *Ponam eam quasi solitudinem; eam*, scilicet terram, et consequenter gentem Israel: desolatio enim gentis, est desolatio terræ; et vicissim desolatio terræ, est desolatio gentis. Quocirca Osee, aliique Prophetæ de Israele nunc loquuntur quasi de gente, nunc quasi de regione et terra: unde subdit: *Et statuam velut terram inviam*; Hebr. et Septuag. *terram sine aqua*; Chald. *terram desertam*: hæc enim est

invia. *Et interficiam eam siti*, q. d. Faciam eam arentem et siticulosam, ita ut siti enecetur tam terra, quam gens quæ eam incolit. Cum enim agri et prata carent aqua, itaque sitiunt et areseunt, nullas dant fruges, nullam segetem, nullos fructus, nulla germina, ac consequenter iumenta et homines tunc suo pabulo potuque destituti, sitiunt et tabescunt. Hoc idem schema Synagogæ, quasi puellæ recens natæ, nudæ et miseræ, a Deo vestitæ, ditatæ, et desponsatæ, ac deinde lascivientis, adulterantis et idololatrantis; ideoque a Deo rursum derelinquendæ, ac per Chaldæos denudandæ et vastandæ, graphice et fuisse proponit Ezech. cap. 16. et Jerem. c. 2. Vide ibi dicta. Tropol. pari modo Deus gentes et animas sui olim cultrices, si eo spreto ad hæresin aliaque scelera deflectant, omnibus suis gratiis, beneficiis et donis denudat; itaque facit, ut incultæ et inutiles iaceant, ac redigantur in solitudinem: punitque eas siti, id est, desiderio voluptatum, quas obtinere nequeant, uti instar Tantalii sitiennes aquas videant et tangant; sed eas ore contingere et haurire nequeant. Rursum siti, id est, desiderio felicitatis, quam assequi non possunt: vera enim et solida felicitas solis iustis a Deo destinatur et obtingit.

Secundo, sicut in locis aridis sunt feræ, quæ venenum ab immodico æstu trahunt virulentissimum uti sunt serpentes et dracones, eorumque variae species; ita anima arida et sitiens non parit nisi cupiditatum feras, et vitiorum venena.

Tertio, terra arida generat monstra; unde de Libya dicitur, *Semper Libya aliquid mali affert*; et de Africa, *Semper Africa aliquid novi parit*. Rationem dat Aristot. lib. 2. de Gener. animal. c. 5. quod, cum regio sit æstuans et arida, paucos habeat fontes, ad quos sitis levandæ causa congregantur animalia, et feræ, ibique inter se commiscuntur, itaque e commistione diversarum specierum generentur monstra; et e monstrorum commistione nova rursus procreentur monstra, fœtusque bifformes, imo trifformes et quadriformes. Ita anima cum relicto sponso Deo, vagatur per opum, honorum, deliciarum amores, innumera parit peccatorum monstra, uti videre est in aulis, civitatibus, imo et collegiis Clericorum et Monachorum, in quibus dominatur ambitio, avaritia, gula, libido, etc. ita Sanchez.

ET FILIARUM ILLIUS NON MISEREBOR. Notat parabolice filios Gomer, puta *Iezrahel*, *Non populus meus, Absque misericordia*, et per eos ad litteram intelligit Israelitas idololatræ, Synagogæ idololatrantis filios; uti dixi c. 1. Horum dicit Deus se non miseraturum; sed eos per Assyrios excisurum: **QUIA FILII FORNICATIONUM SUNT.**) Id est quia imitati sunt matrem suam in idolorum cultu, quem ab ea didicerunt et imbiberunt. Alioqui enim si sola mater peccasset, filiique innoxii fuissent et pii, sola mater merita fuisset supplicium, non filii. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur; et filius non portabit iniquitatem patris*, uti sancit Deus Ezech. 18. 20. ita S. Hieron. Chald. Theodor. et Lyran. Nota. Per matrem intelligit Synagogam, id est primores et senes Synagogæ; hos enim quasi duces, iuniores et populus in idolorum cultu sequebantur: unde subdit: *Quia fornicata est mater eorum*, q. d. Principes suo exemplo, institutione et iussu docuerunt, imo compulerunt populum secum fornicari et idola colere.

Vers. 4.

CONFUSA EST QUÆ CONCEPIT EOS.) Primo, Rupert. et Albert. *confusa est*, inquam, confusione non vercedundæ, sed ignominia: quia in peccato (adulterii, id est idololatriæ) deprehensa est.

Vers. 5.

Secundo et melius, confusa est, quia spe sua frustrata est; quia id quod sperabat non obtinuit. Sperabat enim luxuriari cum suis amasiis, id est, idolis et idololatræ, ab iisque ditari; sed Deus ei iter ad illos interclusit. Hoc est enim quod subdit: *Quia dixit: Vadam post amatores meos; sed a Deo viam intercipientem audit, Sepiam viam tuam spinis*. Sic ait Apostolus, *Spes non confundit*, id est, non frustratur hiantem et sperantem; sed eum certo deducit ad rem speratam. Sic sæpe Psaltes orat, dicitque: *In te*

*Domine speravi, non confundar in aeternum; id est, spe mea non excedam, sed certo a te assequar quod a te spero. Spes enim et sperans pudelit et confunditur, cum spe sua deludatur, nec rem speratam assequitur.*

**QUIA DIXIT: SEQUAR AMATORES MEOS.**) Meretrix hæc, ait S. Hieron. *in tantum venit impudentiam, ut audiret per Ieremiam: Facies meretricis factu est tibi, impudoratu es tu. An non est hoc duræ frontis et meretriciæ impudentiæ, ut in suo scelere gloriatur, et dicat: Sequar amatores meos, vadam ad idola, quæ mihi et ad victum, et ad restitum necessaria præbuerunt: ita quoque Theod. Haymo et Vatablus.*

Alii per *amatores* intelligunt ipsos Gentiles, quorum idola Israel colebat, sperans ab eis protectionem et auxilium contra hostes; ut suis agris et bonis secure frui, indeque honeste imo laute vivere posset: ita Chald. Haymo, Hugo et Isidor. nec male. Nam Prophetæ *amatores* vocant tam idololatrias, quam eorum idola; ut patet Ezech. 16. 36. Sed eodem res redit: ab idolis enim, quasi diis, alimoniam, ab idololatris amicitiam et subsidia sperabant Israelitæ.

**QUI DANT PANES MIHI.** Hebr. *panem meum*: per panem Hebræi significant quemlibet cibum, quodlibet obsonium, quasvis delicias: **ET AQUAS MEAS**, tum fontium, tum pluviarum, ad irrigandam et fœcundandam terram: nam de potu mox sequetur. **LANAM MEAM ET LINUM**, ex quibus vestes lanæ et lineæ mihi meisque conficiam: **OLEUM MEUM**, quo utar ad cibum, ad lumen et ad unctionem: **ET POTUM MEUM**,) tum vini, tum siceræ, quæ fiebat nunc ex aqua in farina tritici et hordei elixa et cocta (qua etiamnum utuntur Traasalpini, vocantque cerevisiam) nunc ex contusis pomis, pyris, cerasis aliisque fructibus; quin et ex herbis, salvia, cicorea, origano, etc. et ex radicibus, atque ex incisione arborum: iude enim lachryma copiosa stillans potum dat, uti fit in Brasilia, quæ proinde multis in locis alio non utitur potu.

Vers. 6

**PROPTER HOC.**) Hic versus, et proxime sequens recto ordine collocandi essent immediate ante v. 14. **Propter hoc ecce ego lactabo eam.** Sic enim omnia optime cœherent. Primo enim Deus sponsæ scelera recensens ei pœnam infligit, illa afflicta de more confugit ad suos deos; sed Deus viam sepiit et intercludit; illa ergo pœnitens ad Deum revertitur: Deus misericors eam pœnitentem et revertentem excipit, dicitque: *Propter hoc ecce ego lactabo eam.* Hic enim est rectus ordo, quem passim videmus servari in reconciliatione coniugum. Quocirca nonnulli hos duos versus, sextum scilicet et septimum parentesi intercludendos censent. Est enim hic vehemens pathos sponsi Dei, indignantis sponsæ ob adulteria; in quo proinde affectus ex vehementia et copia inciduntur, miscentur et turbantur.

**SEPIAM VIAM TUAM SPINIS.**) Syrus, *sepiam viam tuam spina*, scilicet Arabica, quæ acuta, densa et multa est in Palæstina. Sensus est, q. d. Quia tu, o Synagoga, confagis ad deos Gentium; quia frumentum, lanam, linum, omneque bonum petis, non a me, sed a tuis amasiis, puta idolis et idololatriis; ideo ego tibi viam ad eos intercludam, nimirum tot calamitatibus te premam, tanta hostium incursione et obsidione te cingam, ut ad tuos amasiis egredi, opemque ab eis poscere non valeas. Fecit hoc Deus, cum in Samariam immisit Phul, Teglatphalasar et Salmanasar reges Assyriorum. Hi enim suis copiis omnes vias ita obsidebant, ut Israelitæ neque in Syriam, neque in Ægyptum, neque in Ammonitidem, Damascum, Iudam profugere possent.

Moral.  
Deus obstruit vias peccatorum.

Moral. Deus sepiit et obstruit vias peccatoribus, cum eos a peccatis, morbo, ærumnis, odiis, persecutionibus (hæ enim sunt sepes et maceria, quibus Deus iter eis ad peccata intercludit) cohibet, vel ipsas occasiones peccatorum aufert: quæ ingens est Dei misericordia, licet peccatori suas delicias concupiscenti, ingrata et exosa. Ita Adamo superbienti, et ex ligno scientiæ boni et mali ambienti omniscientiam et divinitatem, Deus sepivit viam, ponens ante paradisum Cherubim, cum flammeo et ver-

satili gladio, qui cum aditu paradisi prohiberet; ne ad lignum scientiæ boni et mali posset accedere. Ita sepiit viam libidinosi, dum occultas eorum libidines orbi pandit et prodit; percussit eos hic Gallica, ut publice confundantur, subeantque gravem cruciatum æque ac ignominiam et infamiam: hæc enim est sepes et maceria, qua a peccatis cohibentur, vitamque emendant. Sic sepiit viam Israelitis fornicantibus cum filiabus Moab, occidendo 24. millia, Num. 25. 9. et Sodomitis, afflando eos igne caelesti, Gen. 19. Ita sepiit gulosis viam ad delicias et vina, dum eos paupertate vel morbo affligit, ut ad omnem cibum nauseent; uti fecit filiis Israel, desiderantibus carnes pro manna, Num. 11. 20. et 34. Sic sepiit avaris viam ad lucra, dum merces per naufragium perdit, aut per piratas et latrones diripit. Sic ambitiosus sepiit viam ad honores, dum eis patronorum, per quos promoveri sperabat, favorem et gratiam aufert; ut eis sint odio, quibus antea erant in deliciis: dum eis æmulos opponit, dum eis alios maiori pollentes dexteritate, prudentia, gratia anteponeat, uti quotidie in aula et sæcularium, et Ecclesiasticorum principum fieri videmus. Hæ sunt sepes, hæc maceriæ, quæ assidue eis inelamant: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium*, imo spinas et cruces?

Audi S. Gregor. 34. Moral. cap. 2. et hom. 36. in Evangelio. *Spinis electorum via sepiuntur, dum dolorum punctiones inveniunt in hoc, quod temporaliter concupiscunt. Quasi interposita maceriu vis eorum obviat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profecto animæ amatores suos querunt, et non inveniunt; dum sequendo malignos spiritus, nequaquam eas, quas appetunt, huius sæculi voluptates apprehendunt. Tunc dicit: Vadam ad virum meum priorem, id est, ad Deum: quem tunc mens uniuscuiusque desiderat, cum multiplices amaritudines, velut quasdam spinas invenit in iis delectationibus, quas temporaliter concupiscit. Nam dum adversitatibus mundi, quem diligit anima, morderi cœpit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priori viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit, uti correxit filium prodigum fame pereuntem, Lucæ 15. 17.*

**ET SEMITAS SUAS** (quibus ad idola et idololatrias curabat) **NON INVENIET.**) Utpote spinis a me obseptas. Est enallage personæ, crebra apud Prophetas. Transit enim a secunda persona in tertiam, a *tuas* in *suas*: unde explicans subdit:

**ET SEQUETUR AMATORES SUOS, ET NON APPREHENDET EOS.**) q. d. Implorabit opem idolorum et Gentium, quibus religioe et fœdere se devinxit; sed non obtinebit, tum quia ipse vias medias spinis a me interclusas transire non poterunt; tum quia sine me imbelles sunt, et invalidæ ad opitulandum. Quocirca Synagoga omni eorum spe destituta, ad se et ad Deum rediit et dicit: *Vadam et revertar ad virum meum priorem* (ad Deum) *quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc.* Comparat deos Gentium amatoribus, eo quod Synagogam comparaverit meretrici.

**Tropolog.** hoc dicit et sentit anima pœnitens, dum videt se a suis amasiis, id est, sociis, voluptatibus, applausibus, derelictam et deceptam. Tunc enim damnat illas, et ad Deum, in quo antea veram experta est requiem et gaudium, recurrit. Ita ad Christum recurrit Magdalena, filius prodigus, S. Paulus, et S. Matthæus, et alii. Pulchris apologis fallaciam harum amasiarum declarat Damascenus in historia Barlaam, et Iosaphat cap. 12. et 13.

**ET HÆC NESCIVIT.**) Redit ad v. 5. eo enim hæc pertinent, uti dixi initio v. 6. q. d. Synagoga coluit Deos, dicens: Hi dant mihi panes, aquas, lanam, linum, oleum; et tam impudens fuit, ut nesciret, id est, non recognosceret, me illi hæc dedisse, quin et argentum et aurum, quod ipsi dedi, consecravit Baal, ex eisque fecit simulachra Baal. In voce *nescivit*, est catachresis: sciebat enim Synagoga se habere hæc a Deo; sed *nescivit*, id est, scire noluisset, non agnovit, ita se gessit ac si nesciret: ita Vatabl.

Sic Terent. in Andria ait: *Tu xedepol si sapis, quod scis A nescies*, id est, nescire te simulabis.

Tropol.

Tropol. S. Hier. Panis, inquit, hæreticorum est luetus perpetuus: aqua, cœnosa doctrina, qua etiam baptizatos suffocant: lana et linum, simulata sanctitas et munditia, quia veniunt in vestimentis ovium: oleum est adulatio, unde dicitur: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum: potus, S. Scriptura, quam illi pervertunt.*

**QUÆ FECERUNT BAAL.**) *Baal* est dativi casus, ut patet ex articulo Hebr. *lamed* לבעל *lebaal*, q. d. Quæ fecerunt, id est, obtulerunt, et accepta tulerunt ipsi Baal, quasi eorum auctori et datori; vel quæ dedicarunt ipsi Baal. *Sic facere* Latinis idem est quod sacrificare; unde τὸ *quæ*, non tantum ad argentum et aurum, sed et ad frumentum, viuum et oleum referri potest: hæc enim faciebant, id est, offerebant et libabant Baal; vide Ezech. 16. 17. Secundo, *quæ fecerunt*, id est, ex quibus fabricarunt et ornarunt Baal. Unde ex Hebræo verti potest, *aurum fecerunt Baal*, q. d. Ex auro Dei, et a Deo accepto, fabricarunt idolum Baal: facere enim aurum, vel argentum, est illud cœlare, polire aut in vas vel effigiem aliquam efformare: infectum enim dicitur, quod rude est et impositum. Audi Isidorum lib. 15. c. 17. *Tria sunt genera argenti, et auri, et æris; signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis, et signis: infectum, quod in massis, quod et grave dicitur, id est massa.*

Tropol. peccatores suas cupiditates faciunt suos deos. Unde S. Hieron. in psal. 80. 10. *Non erit in te Deus recens. Cui Deus*, ait, *venter est, Deus ei recens est: quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: Vidi et concupisci mulierem, libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi Deus est.* Ita fornicatores corpus, vires, opesque quas a Deo acceperunt, mancipant suis veneribus. Unde Syrus vertit, *ex eo* (auro et argento) *fecerunt Baal*; Arabieus, *conflavit ea Baal*. Porro Baal, sive Baalim, sive Bel, Bal, et Belus, erat Iupiter Belus, qui fuit Deus primus Chaldæorum, de quo plura dixi Gen. 10. 9. et Daniel. 14. 2.

Tropol. Origenes hom. 2. in Caut. per aurum accipit sensum et intellectum; per argentum facundiam et gratiam sermonis; quæ dum ad vanam gloriam, vel ad lucra sectanda, non vero ad Dei gloriam, et animarum salutem expendimus tunc ea Baalim offerimus. *Dedi*, inquit Origen. *vobis sensum et rationem, qua me Deum et sentire possitis, et colere: vos autem sensum et rationem, quæ in vobis est, ad colenda dæmonia transtulistis.* Simile est Ezech. 7. 20. vide ibi dicta. Glossa vero ex Haymone: *Per vinum*, inquit, *letitia spiritualis signatur, quam non in hoc sæculo, sed in Deo habere debuerunt; per oleum, sensus illuminatio; per argentum, nitor eloquii; per aurum, præceptum dilectionis Dei et proximi, in quibus omnibus non Deum, sed dæmones venerabantur.* Similia habet S. Gregor. 3. p. Pastor. admon. 25:

Vers. 9.

**INCIRCO CONVERTAR, ET SUMAM FRUMENTUM MEUM.)** Convertar ab amore in odium, a beneficentia in vindictam; convertar, inquam, ab alimonia qua tam liberaliter eam alui, dedique frumentum, vinum, etc. ad puniendum eam sterilitate et fame; ut ex prophetia hac, et ipsa eius experientia discat, sciatque meum esse frumentum et vinum, illaque a me dari, non ab idolis. *Sumam ergo, et auferam frumentum meum in tempore suo*, puta in tempore messis; *et vinum meum in tempore suo*, puta in tempore vindemiæ, q. d. Faciam ut parum frumenti in messe, et parum vini in vindemia colligant, aut si multum collectum sit, evanidum sit, parumque det panis et vini; aut certe incendio, grassatione hostili, aliove modo illud disperdam.

**ET LIBERABO LANAM MEAM ET LINUM MEUM.)** *Liberabo*, scilicet, quasi e captivitate, qua detinentur ab iniquo vel iniusto possessore: unde Chald. vertit, *detrahā vestem sericam et byssinam, quam dederam ei ad operiendum ignominiam suam; Sept. auferam linteamina mea,*

*et vestimenta mea, ne legant ignominiam eius; ignominiam*, id est, nuditatem: hanc enim significat Hebr. ערוא *erua*, et hæc est turpis et ignominiosa, q. d. Spoliabo et nudabo eam vestibus, nudamque ignominiose ad ludibrium exponam, ut ab omnibus rideatur et illudatur. Est prosopeia: tamquam enim lana et linum invite servient ingratis et impiis idololatri, quasi iniustus possessoribus; inde ea dicit se liberaturum. Ergo τὸ *liberabo*, significat quod creaturæ coacte serviant impiis, superbis et ingratis: Deus enim eas creavit ad hunc finem, ut homini servirent ad cognoscendum et amandum Deum, earum creatorem et largitorem. Quocirca dum hoc suo fine, ad quem conditæ sunt, privantur, imo contra Deum assumuntur ad superbiam et luxum, naturaliter idipsum aversantur, captivantur, et vim patiuntur, ac reipsa dolerent, gement, et de iniuria protestarentur, si sensum haberent. Hoc est quod ait Apost. Rom. 8. 20. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens: sed propter eum qui subiecit eam in spe.* Et mox: *Seimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.*

Deus ergo creaturas ita gementes sub hac servitute liberat, dum impiis eas auferat, et piis eas tradit, aut facit eas sibi suoque obsequio, ad quod conditæ sunt, et ad quod naturaliter propeudent, totoque naturæ pondere feruntur impendi.

Audiivi in Belgio celebrem concionatorem, qui calumniatoribus nonnullis obieciantibus Clericos et Religiosos quosdam laute vivere, pro concione respondit: Primo, hanc esse calumniam et mendacium. Secundo, esto id verum esset, non esse iniquum, sed secundum ordinem rerum: Deus enim creavit creaturas ut servirent piis, non impiis; famulis, non hostibus. Quocirca, inquit, si panis, si vinum, si ova, si perdicees loqui possent, clamarent: *Comedant nos viri sancti, servi Dei nostri, non comedamur ab inimicis Domini nostri.* Substantia nostra, caro nostra in corpore tu sanctis, ut in iis ad gloriam resurgat, non peccatoribus: in illis enim resurget ad gehennam. Quæ enim creatura non malit esse in cælo et gloria, quam in inferno et igne?

Hac de causa in fine mundi, et maxime in die iudicii omnes creaturæ, quasi vindices creatoris sui, insurgent in impios, eosque disperdent. Hoc est enim quod ait Sapientis c. 5. v. 21. *Pugnabit eum eo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulguris, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur. Et a petrosa ira mittentur grandines, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tamquam turbo venti, dividet illos.*

**ET NUNC REVELABO STULTITIAM EIUS.)** Septuag. *im-* Vers. 10.  
*munditiam*; Vatabl. *turpitudinem*; Pagnin. *spurcitiā*; Chaldæus, *ignominiam eius.* Proprie Hebr. נבלות *nablut*, significat rem stolidam et stultam: unde de Nabal marito stolido, apposite dixit Abigail uxor Davidi: *Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est eum eo.* 1. Regum 25. 25.

Porro *stultitia* Israelis sive decem tribuum (de his enim loquitur, ut ante dixi) erat hæc, quod relicto Deo optimo patre et provisoro, a quo percipiebant frumentum, vinum, linum, omniaque bona, colerent muta et surda idola, eisque suum frumentum, vinum, etc. ascriberent, et accepta referrent: quæ sane ingens erat stoliditas, ingratitude et impietas. Hanc revelaturum se toti orbi minatur hic Deus, idque reipsa præstitit, cum Israellem bonis omnibus nudavit, eumque prædæ, captivitate et irrisioni Assyriorum (quorum deos Israel colebat) exposuit.

Similis est stultitia cuiusque peccatoris; utpote qui creaturam creatori, terram cælo, diabolus Deo, infernum paradiso, peccatum sanctitati, malum bono præfert.

**ET CESSARE FACIAM OMNE GAUDIUM EIUS.)** Quia cessare faciam omnes fruges eius; item omnia sabbata, omnesque dies festos eius, ut sequitur; in his enim feriari, gaudere, et recreare se solent Iudei æque ac Christiani. Vers. 11.

**ET CORRUMPAM,** Vatabl. *devastabo*, tum per grandi- Vers. 12.



nem et procellas, tum per Assyrios, **VINEAM EIUS, ET FICUM**, q. d. Non tantum uvas et ficus, sed et ipsas vineas, ipsasque ficum arbores excindam et demoliar. Causam subdit: **DE QUIBUS DIXIT: MERCEDES** (meretricatus, id est, cultura idolorum) **HÆ MEÆ SUNT, QUAS DEDERUNT MIHI AMATORES MEI.**) q. d. Excindetur, quia fruges et opes quas ego ei dedi, ipsa ingrata et stolidè acceptas retulit suis idolis.

**ET PONAM EAM IN SALTUM.**) Ribera ex Hebræo, Chald. et Septuag. contendit legendum *ea*, scilicet vineam et ficum: verum Romana legit *eam*, scilicet Synagogam, et terram Israel; hæc enim ab Assyriis vastata, data est bestiis terræ devoranda; huic enim continue loquitur, eamque peccati coarguit. Minus ergo genuine S. Hier. Theod. et Lyran. Ierusalem, eiusque excidium hic significari volunt: nam, ut dixi, agit hic Propheta de decem, non de duobus tribubus. Septuag. pro **יָעַר** *iaur*, id est, saltum, vel silvam, legentes **יָעַד** *iaad*, id est testimonium, vertunt, *ponam eam in testimonium*, ut scilicet toti orbi attestetur quanta sit Dei in sceleratos ira, iustitia, potentia et vindicta.

**VERS. 15. ET VISITABO SUPER EAM DIES BAALIM.**) q. d. Puniam dies, id est, peccata illis diebus, puta idolorum festis, commissa, quibus ornabat se, coluitque Baalim, id est, varios Gentium deos, festivis sacrificiis et vestibus, uti sequitur: ita Chaldeus, Haymo, Hugo et Vatabl. Nota Baal hebr. Primo, significat dominum a rad. **בָּעַל** *baal*, id est dominatus est: inde secundo, significat sponsum et maritum, maritus enim est caput et dominus uxoris suæ, 1. Corinth. 41. 3. hinc tertio Gentiles suum Iovem vocabant Baal, quasi dominum cæli et terræ. Baal in plurali habet *Baalim*, q. d. multi domini, multi mariti, multi dii: hos multos opponit solitudini, et singulari *Baali*, uti mox dicam.

Aliter S. Hieron. q. d. Faciam ut illis ipsis festis diebus, quibus colebat Baalim, puniatur et excindatur. Sic tropol. dies Baalim sunt, quibus quis servit Veneri, Mammone, spiritui superbiæ et ambitionis, quasi Baalim, id est, amasiis, dominis et heris, imo diis suis. Hos Deus visitat, cum peccatorem punit lue venerea, paupertate, amissione honoris et status.

Rursum visitat dies Baalim, cum peccatorem licet penitentem, punit tribulationibus, rebus adversibus, desolationibus; et præsertim tentationibus pristinorum peccatorum, ad cum quasi ad veterem amicum recurrentium; uti S. Maria Egyptiaca totidem annos, puta 17. quot peccarat, obscænis cogitationibus tentata fuit. Idem passim aliis contingit. Vide S. Bern. serm. 3. et 4. in Cantic.

**QUIBUS ACCENDERAT INCENSUM**, scilicet Baalim, puta idolis: **ET ORNABATUR INAURE SUA, ET MONILI SUO.**) Quasi meretrix, quæ se adornat et fucat amasiis suis. Iudæi enim in festis cultiores inducebant vestes, ad cultum festi et idoli sui; uti et faciunt Christiani, sed in honorem Dei et Sanctorum quorum festa colunt.

**VERS. 14. PROPTER HOC, ECCE EGO LACTABO EAM.**) Difficile est *propter hoc*: quæ enim est causa, imo quæ consequentia et connexio dicere, Uxor adulterata est, ideoque puniam et perdam illam, propterea lactabo eam? Primo, aliqui sic connectunt et exponunt, q. d. Quia Israel tam graviter peccavit, quia tam graviter errat et delirat, quia in tantis versatur animæ miseriis et periculis salutis, ut mihi miserationem potius moveat, quam iram et bilem; hæc de causa ego post eius castigationem, iram in misericordiam vertam; et ostendam ei divitiarum potentiam et misericordiam meam; nimirum lactabo eam, et loquar ad eor eius: itaque eam ad me convertam et reducam: ita Ribera. Secundo, Lyran. hæc connectit eum initio capitis: *Dicite fratribus vestris, Populus meus: et sorori vestræ, Misericordiam consecutus.*

Verum dico esse hic hysterologiam, uti ostendi v. 6. Hæc ergo verba *Propter hoc ecce ego lactabo eam*, referenda et connectenda sunt cum v. 6. et 7. Sic enim omnia ordinate coherent et fluunt. Sensus ergo est, q. d. Dixi v. 6. et 7. *Septimam viam eius spinis, vexabo et castigabo eam;*

**A** ne scilicet sponsa mea Synagoga, Gentes et deos alienos adire et colere possit: unde ipsa in se revertetur, penitensque vitæ prioris, dicit: *Vadam et revertar ad virum meum priorem.* Propter hoc, quia scilicet ipsa penitens ad me redit; ecce ego lactabo eam, q. d. Ego priorem eius scelerum oblitus, eam redemptem excipiam, quasi sponsus amantissimus, et in eius amplexus ruam, ut ruit pater in amplexus filii prodigi ad se redemptis, Luce c. 15.

Præclare S. Bernardus serm. 83. in Cant. docet tantum esse sponsi Dei nostri amorem, ut anima quantumcumque vitiiis corrupta, adhuc per amorem castum et sanctum possit redire ad nuptias, et thalamum sponsi. *Magna, inquit, res est amor, sponsæ res et spes unus est amor. Hoc sponsa abundat; hoc contentus est sponsus; nec is aliud querit, nec illa aliud habet. Hinc ille sponsus, et sponsa illa est.* Et inferius: *Quidni amet sponsa et sponsa amoris? Quidni ametur amor?* vide sequentia.

**ECCE EGO LACTABO EAM.**) Rufinus, *Lactabo*, inquit, id est, dabo manna Hebræis in deserto; manna enim dicitur lac, quia lacti erat simile in colore et sapore. Verum hoc manna olim dederat Deus; hic autem ait, *lactabo*, in futuro. Rursum, *lactare* hic non significat lac dare, vel lacte nutrire; sed est verbum frequentativum, derivatum a primitivo lactio; cuius significatio patet ex compositis allicio, illicio, pellicio, et ex frequentativis lacto, illecto, delecto: lactare ergo idem est, quod alliecre, suadere, pellicere, et velut lacte dato inescare, decipere et capere: uti docet Fest. Pompeius lib. 10. Sic vulgo dicimus: Herus meus hac spe me lactat, magnis promissis factor, etc. Sic Prov. 1. dicitur: *Si te lactaverint, id est, pellicere et seducere voluerint, peccatores, ne acquiescas eis:* et hoc significat Hebr. **פָּתָה** *pata*, unde Græcum **πυθω**, id est, suadeo, persuadeo. Quocirca Septuag. vertunt, *εγὼ πλυνωσας αμαρτιαν σου, ego seduco eam, et ponam eam quasi desertum;* Vatabl. *ego pelliciam eam;* Syrus, *ecce decipio eam;* Arabicus Antioch. *errare faciam eam;* Arabicus Alexand. *perdam eam;* alii, *ego inescabo eam;* sicut pisces et aves data esca inescantur, itaque capiuntur. Iam Primo, Theodor. et Theoph. hoc in malam partem accipiunt, atque ex Septuag. hunc dant sensum, q. d. *Ecce ego faciam eam seduci et erroribus implicari, ac labi; ut ducatur in captivitatem (in Assyriam) et captivam factam his omnibus bonis faciam destitui.* Verum hæc in bonam accipienda esse, et significare læta promissa, non tristia et minas, docent passim alii Interpretes; et patet ex sequentibus. Ait enim: *Loquar ad cor eius, dabo ei vinitores eius; canet ibi iuxta dies iuventutis suæ: vocabit me, vir meus; auferam nomina Baalim, percutiam eum eis sedus: sponso bo te mihi in sempiternum.* Lactabo ergo eam, id est, suadebo, allieciam, et quasi pio dolo inescabo, et decipiam eam; ut ultro idola sua contemnat, et mihi quasi sponso et Deo suo se totam addicat et mancipet. Unde Chald. vertit, *ecce ego subiieciam eam legi, et operabor illi miracula, et grandia facinora, qualia edidi illi in deserto.* Hoc est, quod ait Ezech. c. 36. 25. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.*

**D** Tropol. ita Christus lactabat S. Magdalenam ut opes, delicias, veneres, et quidquid est in mundo fastidiret; ut famam et iudicia Pharisæorum contemneret, qui putabant eam non tantum deceptam, sed et insanam, cum in publico convivio Christi pedes lacrymis lavit, et capillis tersit. Sic lactavit Deus S. Antonium, Hilarionem, Franciscum, Claram, totque nobiles et divites, qui spretis sæculi oblectamentis, religiosam et austeram penitentiam vitam amplexi sunt, et in dies amplectuntur, quos mundani deceptos, imo fatuos aestimant. Ita lactatus S. Paulus dicebat: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. Et, *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et, *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Ita lactavit primos Christianos et Martyres; ut dulcedine divine consolationis, et amore Christi pro eis crucifixi illecti, imo ebrii procurrerent ad martyria, ambirent ignes, bestias, cruces; ac in ipsis catastas, craticulis, et ignibus exultarent, tyrannis-

Mystice dies Baalim qui?

Moral. quomodo lactet Deus suos.

que et tortoribus insultarent, uti videre est in vita S. Ignatii, Laurentii, Vincentii, Agathæ, et aliorum plurimorum.

Israel ductus in solitudinem quam?

**ET DUCAM EAM IN SOLITUDINEM.** ) Alludit Primo, ad sponsam adulterantem, quæ turbis sese inferens, et per multorum adulterorum cubilia et lupanaria divagata, tandem pœnitens a marito domum reducit, quasi in solitudinem; ut ibi sola cum solo marito degat. Secundo, alludit ad Synagogam Hebræorum, quæ in Ægypto turbis Ægyptiorum et idolorum, puta Apis, Isis, Osiris, Canopi, Hammon, et aliorum plurimorum commista, iussu Dei a Mose educta est in desertum Sina; ibique a Deo legem, tabernaculum, et religionem accipiens, in sponsam, id est, Ecclesiam et rempubl. ab eo electa et assumpta est. Sensus ergo est, q. d. Sicut olim te o Israel vacantem, et meretricantem cum turba Gentilium, et deorum Ægypti, inde eduxi in solitudinem; ita pariter nunc ex turba Assyriorum, Medorum, Chaldæorum, Persarum, Parthorum, inter quos captivus et dispersus divagaris, nunc horum, nunc illorum deos colens, ducam te in solitudinem, qua itur in Iudæam et in Ierusalem, ut per illam te in patriam sedem et religionem, quasi in solitudinem reducam. Erant enim Iudæi in Iudæa a Gentibus separati; imo post excidium, Iudæa erat solitudo. Hoc est quod ait Ezechiel c. 20. 34. *Educam vos de populis, et congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, etc. Et adducam vos in desertum populorum, et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem; sicut iudicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti*, qui locus huic nostro persimilis est, eumque explicat: ita Chald. Haymo et alii.

Tertio, et potius, ducam eam in solitudine; hoc est, ducam Synagogam, puta Israelitas, ab idololatria Ægyptia et Assyria, æque ac a superstitione Iudaica, ad Ecclesiam Christi, in qua quasi sponsus solus cum sola segregata iam a pristinis amasiis et peccatis, et a multitudine ac tumultu sæculi, cum illa agam blande et secreta; illam protegam, illi miracula faciam, qualia olim feci Hebræis in deserto.

Nota. Hunc locum R. Salomon et Iudæi accipiunt de solo reditu ex captivitate Babylonis: tunc enim multi Israelitæ cum Iudæis redierunt in Ierusalem, nec deinceps nominarunt aut coluerunt Baalim: sed quieti et læti Deo vero servierunt. Christiani vero permulti, ut S. Hier. Cyril. Rudin. Theodor. Theophyl. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera et alii, hæc accipiunt de redemptione hominum e captivitate diaboli, facta per Christum.

Verum mediam sententiam ego sequor, dicoque Prophetam alludere ad reditum e captivitate Babylonica, eumque obiter perstringere, sed sub eo quasi tenui typo, potius significare reditum e captivitate diaboli, per redemptionem Christi: ita Theodor. Hæc, inquit, *typice et adumbrate sub Zorobabel occiderunt: expresse vero, et veritate ipsa, ubi Christus se hominem fecit*. Idque patet ex verbis et promissis Prophetæ, quæ augustiora sunt, quam ut Israelitis, iisque paucis e Babylone cum Iudæis redeuntibus, conveniant. Talia sunt: *Arcum, et gladium, et bellum contexam de terra, et dormire eos faciam fiducialiter*. Nam Iudæi Babylone redeuntes, mox servierunt Persis, Græcis, Romanis. Et, *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Et, *Dicam non populo meo: Populus meus es tu; et ipse dicit: Deus meus es tu*. Quod Apostol. Rom. 9. 25. et S. Petrus 2. epist. 1. 10. de populo Christiano explicant.

Ecclesia vocatur solitudo, cur? i. Causa.

Quæres, cur Ecclesia vocetur solitudo, cum in ea sit Gentium multitudo? Resp. Primo, quia ipsa colit unum Deum, qui solus verus est Deus; ideoque est Baal, vel Baali v. 16. Hunc enim opponit Baalim, id est, multis amasiis, dominis, et diis, quos Israel coluit in Ægypto, et in Assyria. In Ecclesia ergo est solitudo Dei, et consequenter solitudo fidei, et solitudo religionis, cum apud idololatrias, et hæreticos, sit multitudo et confusio uti deorum, ita et errorum, et sectarum. Hoc est quod ait Apostol. Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Hinc consequenter Ecclesia est sola, id est, una, cum hæreticæ et idololatræ plurimas, sibi que invicem contra-

rias habeant synagogas et congregationes.

Secundo, quia, sicut Deus Hebræos duce Mose deduxit per mare rubrum mersis Ægyptiis, in desertum Sina; ibique eos in suam Synagogam efformavit, dando legem et sacerdotium; ita et Christianos per mare rubrum sanguinis Christi in baptismo, mersis peccatis et vitiis, deducit in Ecclesiam; ibique eis dat suas leges, et sacra.

Tertio, sicut Hebræos in deserto aluit manna, et aqua ex petra; ita Christianos in Ecclesia alit Eucharistia, aliisque Sacramentis et gratiis, ac consolationibus spiritualibus.

Quarto, sicut Hebræis in deserto dedit victoriam contra Amalec, Og, Schon, aliosque hostes; ita Christianis in Ecclesia dat victoriam contra dæmones, carnem et mundum.

Quinto, sicut Hebræos per desertum duce columna ignis per noctem, et nubes per diem, protegit ab æstu et procellis, eosque illuminavit et deduxit in terram promissam: ita Christianos in Ecclesia per desertum huius vitæ deducit, duce Spiritu sancto, qui in adversis eos illuminat et inflammat, in prosperis protegit et humiles facit, ut securi tendant in terram viventium, promissam in cælis.

Tropol. Deus vere pœnitentes deducit ad solitudinem, ibique eos divinis donis exercet et perficit, ubi scilicet separati sunt ab omni sæculi, illecebrarum, et hominum turba et tumultu. Ita Magdalenam separavit a turba, fecitque ut se sequeretur in solitudinem; ac post mortem et resurrectionem deduxit eam in solitudinem, montemque vicinum Massiliæ, ubi in Bauma peccata pristina defleas, cum Christo et angelis versabatur, vitam angelicam magis quam humanam agens. Sane, qui e peccatis emergere, vitamque serio emendare et mutare volunt, necesse est, ut a turba declinent, et in solitarium locum, saltem ad tempus se recipiant; ubi et pristina vitia dediscant, et occasiones peccatorum distractionumque declinent; et meditationibus sanctis, piisque exercitiis insistentes, discant qua ratione et modo vitam corrigere debeant; denique ubi a Deo visitentur, illuminentur, et corroborentur

Moral. de bono solitudinis.

in hoc melioris vitæ proposito. Nam, ut ait Iob cap. 12. *Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepi auris mea venas susurri eius*. Loquitur enim Deus, ait S. Dion. lib. de Divin. nom. aut per lumen quoddam, aut per inspirationes internas, raro vero per vocem sensibilem. Ut quis ergo eum audiat, recipiat se in solitudinem et silentium, ubi mentem et aures a rebus aliis avulsas introvertat, et ad Deum qui in centro cordis est, reflectat: ibi silentem eius sibilum et susurram excipiet. Quæ causa movit Carolum V. Imper. ut abdicatis tot regnis in solitarium locum se reciperet, ubi liber a curis et turbis, totus sibi et Deo vacaret, atque ad instantem mortem vitamque beatam se compararet, uti reipsa præstitit perstititque usque ad vitæ finem. Quocirca Franciscus Borgia, olim sub eo Dux Gandiæ, in eius funere rogatus ut oratione funebri illi parentaret, hoc thema proposuit, Caroloque adaptavit: *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine*, ostendens quam pie et sapienter egisset, qui mundum prius reliquisset quam mundus ipsum: quod propediem futurum erat. Novum hoc, et orbi nostro sæculo inauditum fuit tanti viri exemplum. Maior fuit Carolus in sua cremo quam in imperio: quia maior mundo æque ac seipso: ita noster P. Sacehinus tom. 2. Annal. Societatis lesu ad annum Domini 1558.

Caroli avi sui sensa animi secutus est Philippus III. Hispan. Rex, moriens hoc anno Domini 1621. licet enim vitam iuste, innocenter et pie traduxisset, adeo ut hoc obfirmatum haberet, malle se omnibus regibus privari, quam scienter Deum vel venialiter offendere; tamen in mortis agone penitius rationem regni administrati Deo mox reddendam considerans, et expavescens, in has voces et vota erupit: *Utinam nunquam fuisset Rex; utinam annos quos in regno egi, exegissem privatus in cremo; utinam vitam solitariam cum Deo duxissem in Thebaide! Quam nunc securius morerer? quam fidentius ad Dei tribunal pergerem?* Ita habet eius mors typis vulgata, et testantur quot-

quot ei interfuerit. Audit Loth in Sodomorum incendio: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum, neque stes in omni circa regione; sed in monte saluum te fac*, Gen. 19. Ita S. Ioan. Baptista secessit in desertum, ut ibi verbo et exemplo predicaret pœnitentiam, eoque ab urbium strepitu sevocans turbas, omnibus inelamabat: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. Ita Christus Dominus inchoaturus opus suæ predicacionis, et nostræ redemptionis, sibi a Patre impositum, a Spiritu sancto ductus est in desertum, ibique ad illud quadraginta dierum meditatione, oratione et ieiunio se comparavit, Matthæi 4. eodemque predicaturus turbas eduxit, uti et Apostolos in montem apicem Evangelii eos docturus, Matthæi 5. 1. Solitudo enim facit mentem quietam, sibi præsentem, collectam, eamque compungit cogitatione rerum cœlestium et æternarum. Ita S. Hieron. pœnitens abiit in solitudinem Syriæ, et ad illam invitans Heliodorum, epistolam hoc epilogo quasi celestimate concludit: *O desertum Christi floribus vernans! o solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas regis magni extruitur! O eremus familiaris Deo gaudens! Quid agis frater in sæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum umbra premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? Tertull. libr. de Pallio c. 5. Seccessi, inquit, de populo, imo unicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo quam ne curem. Vita meliore in secessu fruarè, quam in promptu, id est, in publico. Nemo alii nascitur moriturus sibi.*

Ex S. Hieron.

Ex S. Basilio.

S. Basilius cum S. Gregor. Nazianz. in eremo orationi et studio sacrarum Literarum vacans, scripsit tractatum de laudibus eremi, quem sic inchoat: *Solitaria vita cœlestis doctrinæ est schola, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est totum, quod discitur; via, qua tenditur: totum, per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus est paradisus deliciarum, ubi spirant ornamenta virtutum: ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt: ibi lilia castitatis niveo candore caudescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ: ibi myrrha mortificationis, non solum carnis, sed, quod gloriosius est, propriæ voluntatis exundat: et thus assidua orationis indesinenter emanat*. Et paulo post. *O eremus sanctarum mentium delectatio, et intimi gustus inexhausta dulcedo. Tu caminus ille Chaldaicus, ubi sancti pueri, ferventis incendii vires orationibus repriment, et extinguunt. Tu fornax, ubi superni regis vasa formantur, et ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa, ac lima salutiferæ correctionis erasa perveniunt. O cella negotiatorum cœlestium apotheca. Felix commercium, ubi terrenis cœlestia, transitorius mutantur æterna. Et inferius: O cella spiritalis exercitii mirabilis officina, in qua humana anima creatoris sui imaginem in se restaurat, et ad suæ redit originis puritatem. Tu das ut homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, Deum et seipsum prius ignorabat. Tu facis ut homo in mentis urce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque prospiciat in ipsa rerum labentium decursione transire. O cella castrum Dei, turris David, angelorum spectaculum, palestra fortiter dimicantium. O eremus mors vitiorum, fomes et vita virtutum. Tibi Moses debet bis acceptæ legis decalogum. Per te Elias novit Domini pertranscuntis adventum. Per te Elisæus duplicem magistri sortitus est spiritum. Tu scala illa Iacob, quæ homines vehis ad cælum, et angelos ad humanum deponis auxilium. O vita eremitica, balneum animarum, purgatorium sordidorum; cella nempe est conciliabulum Dei et hominum. Et sub finem: O eremus mundi persequentis felix effugium, laborantium quies, merentium consolatio, ab æstu sæculi refrigerium, peccandi repudium, reclusio corporum, libertas animarum, cœdrea gemmarum cœlestium, curia cœlestium senalorum; ubi victor dæmonum, socius efficitur angelorum: exul mundi, hæres est paradisi: abnegator sui, sectator est Christi.*

Ex S. Bernard.

S. Bernard. epist. ad Fratres de Monte Dei: *Cellæ, ait, et cœli habitatio cognatæ sunt, sicut enim cælum et cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nomi-*

*nis, sic et pietatis. A celando enim cælum, et cella nomen habere videntur: et quod celatur in cœlis, hoc et in cellis. Quod quæritur in cœlis, hoc et in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem pie et fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, Sancti angeli Dei cellas habent pro cœlis, et æque delectantur in cellis ac in cœlis. Et paulo post: A cella in cælum sæpe ascenditur: vix autem unquam a cella in infernum descenditur: quia vix unquam nisi cælo prædestinatus, in ea usque ad mortem perstitit. Et inferius: Cella terra sancta, et locus sanctus est, in qua crebro fidelis animus cum Verbo Dei coniungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humana divinis uniantur. Siquidem sicut templum sanctum Dei, sic cella est servi Dei. Et, In templo enim et in cella divina tractantur, sed crebrius in cella. Idem tract. de Modo bene vivendi ad sororem, c. 58. Si, ait, propter Deum in terra vitaveris societatem virorum, per Deum in cælo habebis societatem angelorum.*

Porro hic secessus maxime quærendus est ei, qui deliberat de vitæ statu, dubitatque quem capessere debeat. Doctet id S. Bern. ep. 107. in fine, Thomam Præpositum, ut, si cupiat cœli vocem audire, secedat. *Huic, ait, voci Dei tui, dulciori super mel et favam si præparas aurem interiorè, fuge curam exteriorè, ut expedito et vacante interno sensu, dicas et tu cum Samuele: Loquere Domine, qui audivit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico: secretum consilium, secretum querit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit et lætitiã si sobria aure perceperis*. Hoc modo se præparabat David, cum dixit: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quia loquatur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor: id significans, quod Deus non loquatur iis qui extra cor sunt in res externas effusi: sed iis qui se recipiunt ad interna cogitanda. B. Petr. Damian. epist. ad Teuzonem ait, se quemdam sanctum Eremitam consuluisse de se suoque statu; an scilicet sibi expediret, Ecclesiæ et proximis servire in Cardinalatu et Episcopatu Ostiensi: an vero iis abdicatis recipere se ad monasterium, eo quod vitam activam sentiret spiritum suum distrahere et minuere, eiusque profectum impedire. Cui Eremita: Quid prodest lucernæ si aliis luceat, et ipsa se flamma vorax absumat? Quocirca Petrus relicto episcopatu et cardinalatu ad suum monasterium rediit, ibique totus suæ salutis et perfectioni vacavit. Hæc enim erat prima eius vocatio, puta monastica.*

Iam vero non sufficit solitudo corporis, si desit solitudo mentis ad quam illa ducit, si nimirum mens per ea, quæ vidit vel audivit, divagetur, totumque mundum cogitando oberret. Deus, inquit S. Bernard. serm. 40. in Cant. est spiritus; requirit ergo a nobis solitudinem spiritalem magis, quam corporalem. *Sola inquit, indicitur tibi mentis et spiritus solitudo. Solus es si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum.*

Alioquin nec si solus corpore es, solus es. Et paulo superius docens quomodo anima fiat sponsa Dei: *Omnino, inquit, supra te est angelorum Domino desponsari. Annon supra te, adhærere Deo, atque unum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius sicut turtur, nihil tibi et turbis; etiam ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscent rex decorem tuum. O sancta anima sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu.*

S. Gregor. 30. Moral. 12. explicans illud Iob 39. *Quis demisit onagram liberum in solitudinem, et vincula eius quis solvit? Viri, inquit, contemplativi quasi onagri solitudinem mentis inhabitant, et liberi a secularium negotiorum tumultibus, Deum siliunt. Quid enim prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Itaque bene conver-*

*santibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant; ut ebullientes ab infimis curas cordis, per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum querant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur.*

Denique scripsit Cornelius Musius, illustris nostro aeo Delfis in Hollandia Christi Martyr, carmen doctum in laudem vitæ solitariae, eni haec patheticam dat clausulam:

*Vive ut vis, scil cum ægrotabis  
Iustis lacrymis damnabis  
Omnes mundi infulas.*

*Et cum morti propinquabis,  
Tunc, sed sero, provocabis  
Ad beatas cellulas.*

*O beata solitudo,  
O sola beatitudo,  
Piis secessicolis.*

*Quam beati candidati,  
Qui ad te volant alati,  
Porro a mundiculis!*

Notatu dignum est quod scribit Ioannes Mauburnus Abbas Liuriaeensis in Roseto 1. c. 3. sub finem, nimirum varios Ordines variis de causis a primæva sanctitate et splendore decidisse, ut Cluniacenses propter otium, Cistercienses propter negotia nimia ruralia, Præmonstratenses ob nimia Missarum et chori opera, Mendicantes ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem, quia nimis se populo immiscuerunt, iuxta illud ps. 105. 33. *Commisti sunt inter Gentes, didicerunt opera eorum, et factum est illis in scandalum.* Benedictinos ob nimias opes, iuxta illud: *Filia amplæ adorationis, suffocavit matrem devotæ religionis.* Addit, præ cæteris in suo nitore et vigore stitisse Carthusienses ob studium solitudinis et silentii, ac ob strenuam observantiam visitationum. Ude hæc tria carmine complexus, ait:

*Per tria, si, so, vi, Carthusia permanet in vi, id est, vigore.*

*Si est silentium, so solitudo, vi visitatio.* Episcopus enim, Rector, Superior visitans subditos, corrigit eos si prolapsi sint; si stent integri, vigiles et constantes, eos conservat. Silentium et solitudo faciunt Primo, ne subditi suas murmuraciones et tentaciones invicem communicent et affricent. Secundo, ne mentem terrenis et vanis phantasmatibus, quæ concupiscentiarum sunt excitamenta, impleant. Tertio, disponunt animum ut satus divinos excipiat. Deus enim hoc suum balsamum non infundit nisi animo libero, puro, a fæcibus terræ secreto, et soli Deo attendenti; hoc enim dignum et iustum est. Audi Thomam Theodidactum l. 1. de Imitat. Christi c. 20. *dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redii. Nemo secure apparet, nisi qui libenter latet. Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. Nemo secure præest, nisi qui libenter subest. Qui se abstrahit a notis et amicis, appropinquabit illi Deus cum angelis sanctis. Maximi sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, et Deo in secreto vivere eligebant.*

Ex Gen-  
tilibus.

Idipsum Gentiles per umbram viderunt, suaserunt, et reipsa præstiterunt. Scipio Africanus, teste Plutarco, in eius vita, dicebat, *nunquam se minus esse solum, quam cum solus esset; nec unquam minus otiosum, quam cum otiosus esset.* Alius ex adverso aiebat, *nunquam se minus hominem esse, quam cum inter homines versaretur.* Ptolomæi, ut habetur in eius vita, in prologo Almagesti, hæc erat gnome: *Securitas solitudinis dolorem removet, pavor multitudinis consolationem aufert.* Cicero senescens, forensis vitæ pertæsus Tusculum secessit, ibique philosophatus est, ac Tusulanæ quæstiones, quibus alterum Senecam se exhibet, conscripsit. Seneca ep. ad Lucilium, c. 7. dans ei præcepta honestæ et beatæ vitæ: *Quid tibi, inquit, vitandum præcipue existimem, queris? Turbam. Nondum illi tuto te commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem*

*A meam, nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex his quæ fugavi, redit. Et mox: Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquid nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus illinit. Nihil vero est tam damnosum, quam in aliquo spectaculo desiderare. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. Et inferitis: Socrati, Catoni et Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeo nemo nostrum qui maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest: convictor delicatus paulatim enervat et emollit; vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes quantumvis candido et simplici, rubiginem suam affricat. Et paulo post: Recede in te ipsum quantum potes, cum his versare qui te meliorem facturi sunt: illos admittle, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt, et homines dum docent, discunt. Non est ergo quod gloria publicandi ingenii te producat in medium, ut recitare istis velis. Cui ergo, inquis, ista didici? Tibi didicisti. Democritus ait: Unus mihi pro populo est, et populus pro uno. Alius cum quaereretur ex illo, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucos perventuræ: Satis, inquit, mihi sunt pauci; satis est unus; satis est nullus. Epicurus cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Et c. 8. *Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus, et primum a rebus meis. Durius tractandum est corpus, ne anima male pereat. Contemne omnia, quæ supervacuus labor velut ornamentum ad decus ponit. Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est. Nonne hæc aurea sunt? nonne quot sententiæ, tot margaritæ?**

Qui ergo ad vitam solitariam vel monasticam a Deo vocantur, hæc solitudine iugiter gaudeant, vitamque angelorum agant in Dei laudibus: ac ea utantur non tantum ad suam, sed et ad aliorum salutem orando, docendo, concionando, scribendo, etc. pro suo quisque talento. Non enim sibi solis sunt nati, sed et aliis. Atque ea est perfecta contemplatio, quæ in actionem dimanat: hæc enim illam fovet, oblectat, perficit et consumat. Qui vero ad vitam activam destinantur, subinde ad solitudinem hanc se recipiant, mentemque a curarum tumultu revocent, et se sibi reddant; ut interquiescat tam corpus quam spiritus: utque errata sua multiplicia introspiciant et corrigant; utque Deo se uniant, ab eoque ad eor loquente novum lumen, novas vires et animos hauriant, ad labores vitæ illius molestæ sustinendos, et difficultates omnes fortiter superandas, propter Ecclesiæ et Reipub. publicum bonum.

Memorabilis hæc in re fuit Thomæ a Kempis, auctori libri de Imitatione Christi, anno Domini 1441. qui inter fratres sui Ordinis occupatus, cum iisque colloquens, quoties sentiebat cælestis sponsi vocem et inspirationem, se quasi sponsam ad colloquium evocantem, humiliter, sed libere fratribus valedicens et secedens, aiebat: *Charissimi fratres oportet me secedere: est enim qui in cella me expectat.* Illico ergo in cellam se proripiens, devote instar Samuelis inquebat: *Loquere Domine, quia audit servus tuus: ita habet eius Vita a viro gravi ipsi cœvo cœscripta. Lege c. 20. lib. 1. et videbis profunda eius sensa, de amore solitudinis et silentii, ac asseres enim in cella ex Dei instinctu hausisse illum cælestem spiritum, quem ipse cuique eius libellum legenti iugiter exhalat et afflat. Denique Hugo de S. Victor. lib. 4. de arca Noe c. 4. *Scrutemur, ait, Scripturas, et invenimus vix aut nunquam Deum locutum fuisse in multitudine, sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus et populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, et a communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis et solitudinibus, et montibus et vallibus se manifestavit. Sic locutus est cum Noe, cum Abraham, cum Isaac, cum Iacob, et Mose, Samuele, David, et omnibus Prophetis. Ac paulo post: Quid est quod semper loquitur in secreto Deus,**

nisi quod nos ad secretum vocat? Et quid quod eum pauis loquitur, nisi ut nos colligat sive uniat?

ET LOQUAR AD COR EIUS.) Sensus est Primo, q. d. Loquar ei interiori, non exteriori; loquar ei in mente et voluntate, non in aure, ingerendo ei suae ingratitude et peccatorum pudorem, terrorem, odium, ac spem veniæ, et desiderium et amorem melioris vitæ, ut ad sponsum suum Deum penitens redeat.

Secundo, q. d. Cor eius verbis meis mulerbo, flectam, et ad me, meique amorem et cultum convertam. Unde Leo Hebræus vertit, *loquar in cor eius*. Hoc est, quod ait Ezechiel c. 36. 26. *Dabo vobis cor novum et spiritum novum*. Vide ibi dicta.

Tertio, ex Hebr. proprie veritas, *loquar secundum cor*, id est, affectum, *eius*, q. d. Alloquar eum blandis verbis et plenis consolatione, quasi sponsus sponsam ad me revertentem; quibus eius cor, id est, amorem et affectum, lactabo, ut præcessit, mulerbo, et ad me rapiam. Sicut Isaias c. 40. 2. ait: *Loquimini ad cor Ierusalem*, id est, *consolamini eam*, uti præcessit. Unde Syrus vertit, *demulcebo cor illius*; Arabicus, *loquar in corde eius, et detrimentum non ingrediatur intellectum illius*, uti lit ab amasiis carnalibus et fallacibus. Sic Genes. 34. 3. de Sichem consolante Dinam a se violatam dicitur: *Tristemque delinquit blanditiis*; hebr. *locutus est ad cor puellæ*. Sic Booz consolatus est Ruth: *Et locutus est ad cor eius*, Ruth 2. 13. Fecit hoc Deus Synagoga per Esdras, ut patet 1. 2. c. 8. 10. ubi Esdras legens populo legem, illi fletu dixit: *Ite, comedite pinguis, et bibite mulsum, etc. quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari: gaudium enim Domini est fortitudo nostra*. Sed maxime fecit id Ecclesie per Christum et Apostolos, præsertim in Pentecoste mittendo Spiritum sanctum quasi paracletum, id est, consolatorem fidelium; in quo, ut ait Apost. Rom. 8. *clamamus: Abba Pater*. Unde ipse hoc Spiritu plenus et exultans, in omnibus suis laboribus et tribulationibus iubilabat dicens: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Et c. 12. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Ita Deus Eremitas in sua austera vita, Magdalenam et penitentes in suis lacrymis, Martyres in tormentis consolatus est, adeo, ut illa omnibus epulis præferrent. Hoc est quod ait Isaias cap. 10. 27. *Computrescet iugum a facie olei*. Vide ibi dicta.

Mystice, loquitur Deus ad cor sanctorum, qui se totos illi despondent, imo consecrant, dum student illi per omnia placere, illi iugiter inhærere, cum illo ambulare et colloqui. His enim præsentem se sistit quasi sponsus, loquitur, erudit, consolatur: *quo præsentem*, ait Richard. Victor. in Cantica (explicans illud c. 3. 4. *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*) *innovatur anima, et quasi ei adhærens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incantivum, compassionis affectum, iustitiæ zelum, delectationem virtutum. Habet in oratione eum Deo familiare colloquium, audiri se sentiens, et plerumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, et audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, et interdum convincens*. Ecce hæc loquitur ad cor sponsæ sponsus, facique eam loqui, ut ei postulanti eadem largiatur.

Idem docet S. Bernard. serm. 57. et 58. in Cant. ubi explicans illud: *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea*, ait Deum in anima devota loqui humilitatem, patientiam, fraternam charitatem, obedientiam, pacem, mortificationem vitiorum, compunctionem, omnemque sanctimoniam. Porro, inquit, *hoc igne consumptu omni labe peccati, et rubigine vitiorum, si iam emundata ac serenata conscientia, sequatur subito quædam atque insolita latitudo mentis, et infuso luminis illuminan-*

**A**tis intellectum, vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter proximos edificandos reor dari, oculus procul dubio respicientis est iste, educens quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem. Subdit sponsum hortari sponsam, id est, viros perfectos ad regimen imperfectorum, ut ex eis vitia extirpent, et virtutes inserant, dicendo: *Surge propera amica mea*. Idem serm. 74. *Vivum*, ait, *et efficax est Dei verbum, moxque ut intus venit, expergescit dormitantem animam meum, movit et molliovit et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, et male sanum. Caput quoque exollere et destrucere, edificare et plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non et mittere prava in directa, et aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, et omnia que intra me sunt nomini sancto eius*.

ET DABO EI VINITORES EIUS EX EODEM LOCO.) Ita et Chald. qui proinde in Hebræo legit cum Nostro **כרמיה** **coremecha**, id est, vinitores eius. Jam alii punetis legunt **כרמיה** **cheramecha**, id est, vineas eius: unde et Septuag. vertunt, *possessiones eius*, q. d. Vineæ quæ in terra Chanaan eodem loco, puta in solitudine, de qua præcessit, incipiunt, quæque Israelitis abstulerunt Assyrii v. 12. restituam eis ibidem: ita Vatabl. Et mystice, per Christum restitnam eis gratiam et dona Spiritus sancti, qui est pignus hæreditatis æternæ, Ephes. 1. 23. hæ enim sunt vineæ, quas fideles hic possident inchoate, sed plane possessuri sunt in cælo: ita Arias. Verum eodem redit sensus, sive vineas legas, sive vinitores: ubi enim est vinea, ibi est et vinitor, et vice versa Quocirca Sanchez censet hic alludi ad ritus nuptiales, in quibus dos sponsæ data, erat dotalis ager: ita enim Deum hic suæ sponsæ, puta Synagoga, in dotem dare vineam fertilissimam Engaddi: illam enim vel eandem, vel vicinam esse valli Achor. Unde eo alludit Cant. 1. 14. *Dilectus meus in vineis Engaddi*. Et Cant. 8. 11. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos*, hebr. *in Baal hamon*. Idem enim videtur locus qui hic vocatur *vallis Achor*, et ibi *Engaddi*, ac *Baal hamon*. Vallis Achor hic ergo præ cæteris Iudææ locis meminit Osee, quia hæc fuit velut prima dos a Deo data Synagoga, per quam quasi accepit spem et arrham totius Chanaanæ brevi possidendæ.

Aptius tamen Noster legit, *coremecha*, id est, vinitores eius: vinea enim Dei erat olim Synagoga, nunc est Ecclesia, ut patet Isaiæ 5. 7. *Vinea Domini exercituum, domus Israel est*. Et Matth. 21. v. 33. vinitores sunt Prophetae et Apostoli. Unde Chald. vertit, *constituam ei inde gubernatores eius*. Sensus ergo est, q. d. Sicut olim vineæ meæ, id est, Synagoga, puta Israeli exculti ex Ægypto dedi curatores et cultores, puta Mosen, Iosue, et Aaron: ita postea eidem redenti ex Assyria et ex Babylone, dabo similes, puta Esdras, Nehemias, Aggæum, Malachiam, etc. ac tempore, Christi dabo ei Apostolos, Evangelistas, aliosque pastores et doctores, qui primi erunt *ex eodem loco*, puta oriundi ex Israele aequæ ac Moses, Esdras, etc. nam postea eorum successores erunt alieni et peregrini, uti prædicit Isaias c. 61. 5. puta Gentiles conversi ad Christum; cum scilicet Ecclesia per Gentes sparsa et propagata fuerit. Hi ergo erunt vinitores maxime seduli et strenui, qui assidue Ecclesiam, puta fideles, custodiant, dirigant, corrigant, excitabunt, ut fructus bonorum operum, quibus vitam æternam mereantur, proferant; perinde ac vinitores vineam solent plantare, dirigere, putare, ablaqueare, etc. ut usurarum copiam proferat: ita S. Hieron. Emmanuel, Mariana et alii passim. Moraliter discant hic Pastores et Prelati, se esse vinitores suæ parochiæ vel dioceseos, illamque tanta cura et assiduitate excolere debere, quanta vinitor excolit vineam.

ET VALLEM ACHOR AD APERIENDAM SPEM.) Vallis Achor sita est iuxta Iericho: dicta est *Achor*, id est, turbationis, eo quod Hebræis duce Iosue ingredientibus terram promissam, ob sacrilegium Achan, ibidem Israel turbatus sit et cæsus ab hostibus. Nam Iosue c. 7. 25. dixit ad

Achan: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac, indeque vocatum est nomen loci illius, vallis Achor usque hodie.* Erat hæc vallis amœna, compascua et sæcunda, ut patet Isaïæ 65. 10. Unde Israel ingrediens in Chanaan, in ea primum ex longa quadraginta annorum peregrinatione conquievit, seque refecit et recreavit.

Vallis Achor aperit spem, quomodo? Pro ad aperiendam spem, hebr. est, ad, vel in ostium spei, ut vertit Vatabl. Pagnin. R. David, et alii. Sic Latini dicunt, aperire fores amicitiae, cum cui ad eam aditum vel occasionem præbent. Theod. vertit, ad aperiendam προσδοκία, id est, sustententiam et expectationem eius. Hebr. enim תקווה *tikva* significat filum, lineam et extensionem; indeque per metaphoram longam spem et expectationem: spes enim est quasi linea, qua se animus sperantis ad rem speratam extendit et prolongat, dum ad eam sperandum anhelat. Hoc spectasse videtur Chald. dum vertit, ad delicias animæ. Anima enim rem speratam adipiscens, ea deliciatur. Mirum est Septuag. et Syrum vertere, ad aperiendam intelligentiam, vel, ut Syrus, sensum suum; quod tamen Theod. et Theoph. congrue sic exponunt, q. d. Sicut ex pœna Achan, et conturbatione Israel in valle Achor, ob furtum Achan, intellexit et didicit Israel timere Deum, eiusque plagas et vindictam; ita pariter ex captivitate Babylonica didicit eundem revereri, ei que obedire, multo magis exinde Christiani timent Christum, eiusque legi parent, ne in vallem Achor, id est, perturbationis, et gehennæ, ubi nullus est ordo, sed semperternus horror inhabitat, detrudantur; sicut Achan in valle Achor lapidatus et combustus est. Ita moraliter ex adversis eruditur anima, et devenit ad consolationem speratam.

Porro nostræ versionis multiplex est sensus. Primo, a Castro explicat, q. d. Sicut in valle fertilissima, quæ postea a peccato et punitione Achan, dicta est Achor, Israel ex longo itinere recreatus est, et uberimos terræ promissæ fructus prælibare et gustare incepit; indeque intellexit quanta esset totius terræ illius ubertas, eamque certa spe concepit et quasi devoravit: ita pariter eadem vallis Achor, prima eidem ex Babylone redeunti occurret, in qua requiescat, et primitias fructuum terræ cum gaudio prælibet: ac tempore Christi Israelitis ex captivitate diaboli redeuntibus, et ingressis terram Evangelicam prima occurret eadem vallis. puta Ecclesia Hierosolymitana, omni virtutum genere florens: indeque aperiatur ianua spei, simili modo totum orbem subiciendi Christo et Evangelio, ex eoque uberrimos virtutum fructus colligendi. Nam ex ubertate vallis illius, tamquam ex ungue leonem, et ex filo glomum eruerunt, collegerunt et intellexerunt ubertatem terræ reliquæ, quam involute cognoverant et sperabant. Unde Chald. vertit, vallem Achor, ad delicias animæ: illas enim gustarunt primi Christiani, qui cum Apostolis primitias spiritus hauserunt. Idem experiuntur qui vitam malam in bonam, aut bonam in meliorem et perfectiorem commutant: sentiunt enim miram animæ quietem, suavitatem, consolationem, ac ex illa coniciunt longe maiorem sentire eos, qui proveci sunt: et maximam, qui post luctum in cælis eoronantur; ubi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas, ait S. Aug. Enchir. 23. ex quo spem concipiant idem sibi eventurum, si perseverent.

Hic sensus appositus est; sed non plenus, nec adequatus: non enim explicat, nec applicat, cur hæc vallis dicatur Achor: in voce enim Achor magna est emphasis, uti omnes interpretes docent. Quocirca

Secundo, Vatabl. putat hic esse antithesin vallis Achor et Ecclesiæ, q. d. Non erit in ista mutatione, puta in Ecclesiæ fundatione, tale initium, quale fuit in ingressu terræ sanetæ: illic enim fuit turbatio; hic, nempe initio Ecclesiæ, læta et prospera erunt omnia.

Tertio, optime S. Hieron. quem sequuntur Haymo, Rupert. Lyran. Ribera, et alii, censent hic alludi ad factum Iosue, qui Achan sacrilegum occidit, omniaque que eius erant, igne consumpsit; indeque potitus est urbe Hai, totaque Chanaanæ. Significat ergo quod in prima Israelitis

A victoria, inquit S. Hieron. mœror in gaudium commutatus sit: ibique aperta est spes, ubi fuerat desperatio; ut punitis his qui peccavere in Christo, et commisere sacrilegium, salventur ex eis qui blasphemantes Iudæos fuerint detestati, et quantum in se est, interfecerint, q. d. Olim in valle Achor punito Achan conturbatio in quietem, et in spem conversa est desperatio Israelis. Ita et tempore Christi punientur Iudæi sacrilegi, et Christicidæ; tumque salutis spem concipient veri Israelitæ, qui eorum incredulitatem et scelus fuerint detestati; et quantum in se est, sustulerint. Iosue enim fuit typus Iesu Christi; Achan Iudæorum incredulorum; vallis Achor, Iudææ et Ierusalem. Quocirca Beda, et ex eo Haymo: Sicut, inquit, occiso Achan populi perturbatore, omnis Israel spem concepit hostes suos devincendi, eorumque urbes capiendi; ita destructa Ierusalem per Romanos, Apostolis cæterisque credentibus aperta est spes victoriæ de universo mundo reportandæ, ut scilicet Gentes subiticerentur Christo et Ecclesiæ.

Moraliter hic significatur Primo, Ecclesiam ob scelera impiorum, præsertim sacrilegorum, puniri et turbari: ideoque illam impios plectere et expellere debere, tumque fore ei omnia prospera: sic enim punito Achan, Israel habuit maximas victorias contra Chanaanæos. Sic ergo ait, S. August. q. 8. in lib. Iosue: *Disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem adhibeant diligentiam, et tamquam unius corporis et unius hominis, alia pro aliis sint membra sollicita.* Sicut enim manu furis peccante et furante, totum eius corpus plectitur: ita fit et in corpore politico, puta in Ecclesia, ut scilicet Deus eam castiget ob membrorum, id est, fidelium paucorum, et subinde unius, enormia peccata. Vallis ergo Achor, est vallis iustitiæ et vindictæ: ac consequenter spei.

Secundo, hic doceatur pœnitentiam aperire ostium spei et salutis: pœnitentia enim est vallis Achor qua mens timore Dei percellitur. Nam, ut ait Albert. et Dionys. *Interfecto Achan, debilitas populi versa est in fortitudinem, paupertas in abundantiam, tristitia in gaudium, et hæc omnia in valle pœnitentiæ seu contritionis promittuntur: in ea enim aperitur ex perceptione præsentium bonorum spes futurorum.*

Tertio, discimus hic Deum permittere Ecclesiam et fideles tentari, vexari, turbari extreme, et ad restim quasi adigi, tuncque si ipsi in spe, et invocatione Dei persistent, eelerem et admirabilem afferre opem: vallis enim Achor, est humiliatio et tribulatio, quæ est ianua spei. Ita Christo crucifixo et occiso, turbati sunt Apostoli et Ecclesia, illaque videbatur peritura; sed mox tertio die Christus resurgens, eam in miram lætitiæ et spem erexit. Ita sub Diocletiano summa erat fidelium persecutio: iuraverat enim ipse se illos extirpaturum, aut imperium depositurum, quod proinde de facto deposuit, et ecce subito Deus affuit, ac per Constantinam Ecclesiæ libertatem et triumphum dedit. Idem passim in particularibus Ecclesiis, congregationibus, Ordinibus, et fidelibus quibusque semper fuit, et etiamnum est videre. Qui ergo est in valle Achor, id est, in turbatione, tentatione et persecutione, stet in fiducia Dei, sciatque certo vicinam esse consolationem, Deumque mox aperturum ostium spei et salutis. Hoc est Dei paradoxum: Vallis Achor aperit ostium spei, nimirum desperatio (res desperata) parit spem, turbatio quietem, tentatio gaudium, tribulatio coronam, lucta triumphum. Sic sæpe desperatio victis est stimulus et causa victoriæ. Hinc ait Abner ad Ioab in conflictu nimis se suosque urgentem: *An ignoras quod periculosa sit desperatio?* 2. Reg. 4. Hinc illud in præliis aureum præceptum: *Hosti fugienti aureum sterne pontem.* Qui enim desperant de vita et salute, extrema tentant, et in rabiem acti, ne inulti moriantur, victores secum in exitium trahunt. Talibus enim una in audacia est spes salutis, ait Tacitus l. 4. Unde Ovidius lib. 3. de Ponto eleg. 7.

Proximus huic gradus est bene desperare salutem, Sæpe semel vera seire perisse fide.

Et Seneca in Medea:

Qui nihil potest sperare, desperet nihil.

Moral ex desperatione oritur spes.

Et alius :

*Unica spes victis est desperare salutem.*  
Vere Trivertius apophtheg. 50. *Qui in summo, ait, periculo omnem liberationis spem abiicit, Deum cum malo duce comparat, qui militis oblectatur interitu, aut exercitum in precipilio collocat.*

Quocirca Abbas Isidorus apud Sophron. in Prato spirit. c. 110. dicebat : *Dæmonum opus est ut cum animam in peccatum deiecerint, tunc nos in desperationem precipitent, ut perfecte non perdant : semper enim dæmones dicunt animæ : Quando morietur et peribit nomen eius? At penitens e contra clamabit: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Ipsi impudentes rursus clamant: Transmigra in montem sicut passer. Idcirco et nos ad illos dicere debemus : Nam et ipse Deus meus, et salvator meus, adiutor meus, non emigrabo.*

Idem Isidorus dæmoni suggerenti ei desperationem, ac dicenti : *Quoniam post hæc omnia iturus es in tormenta ; respondebat : Quamvis ego in tormenta mittar, tamen vos subitus me invenio, teste Rufino in Vitis Patr. l. 3. n. 101. qui similia refert. n. 102. et sequenti.*

Porro causa cur Deus suos permittat ad extrema adigi, est, ut plane diffidant sibi omnique opi creatæ, ac toti fidant Deo, in eumque se totos coniciant ; quod dum faciunt, non potest non succurrere. Ipse enim promisit dicens : *Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, Psal. 90. 14.* Hoc est quod Propheta ait ad Iosaphat regem hostibus circumsessum 2. Paral. 20. 15. *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei: non eritis vos qui inimicabitis, sed tantummodo confidenter stete, et videbitis auxilium Domini super vos.* Sic et Moses Hebræos a Pharaone cinctos ac pavidos animans, ait Exodi 14. 13. *Nolite timere: state et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Dominus pugnabit pro vobis, et vos lacebitis.* Hoc est quod canit Psaltes Ps. 21. 5. *In te speraverunt patres nostri, et liberasti eos: ad te clamaverunt et salvi facti sunt; in te speraverunt et non sunt confusi.* Et Ezechiel c. 2. 11. *Respicite filii nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Et Job 13. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, q. d. Dum spiro spero, et vivens, et moriens spero in Deo meo. Et Iosue cæsus ab hostibus c. 7. 9. Quid facies, ait, nomini tuo magno? et Psaltes rursus Ps. 113. 9. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo ita gloriam.* Idem securus et exultans in Deo: *Dominus, ait, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Psal. 26. 1.* vide sequentia. Hoc est quod Græci dicunt, *Σεως απο παραχρησ; et Latini, Deus ex machina. Deus ex improviso apprensus: Et Eurip. in Oreste: Apollo in mediis tumultibus apprensus, res turbatissimas subito componit.* Sic Priamus apud Homerum Iliade 2 :

*Numen adhuc aliquot dextram mi obtendit amicam.*

Et adagium vetus: *Adhuc aliquis Deus respicit nos.*

Allegor. Leo Castrius (licet ipse id putet esse literale) vallis Achor, id est, passio et turbatio Christi, ac nominatim vallis Getsemani, ubi orans captus est Christus, turbatique sunt et fugerunt Apostoli, facta est credentibus spes et ianna vitæ æternæ: per illam enim redempti et salvati sumus.

ET CANET IBI IUXTA DIES IUVENTUTIS SUÆ.) Septuag. et Syrus, *et humiliabitur ibi; Symmach. et affligetur ibi; Theodotion, respondebit ei; Aquila, et audiet; Chald. de- dent sese ibi verbo meo; Noster, Vatabl. et alii melius vertunt, et canet ibi; licet enim Hebr. *אנה* ana et humiliari, et affligi, et respondere, et audire, et canere significet: et licet Israel in Ægypto a Pharaone afflictus sit: tamen h'c non agitur de afflictione, sed de liberatione, et ob eam lætitia et cantu, q. d. Sicut olim Synagoga Israelis liberata a Pharaone merso in mari rubro, cecinit alternis eboris Deo carmen eucharisticum dicens: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem proiecit in mare, Exod. 15.* ita pariter canet enim ex Assyria, et ex Babylone liberata a Cyro redibit in patriam; ac*

A multo magis cum e captivitate peccati et diaboli liberata a Christo redibit in Ecclesiam, ut tendat in patriam et Ierosalem caelestem: canet, inquam, quasi alternis eboris, his præcipientibus, aliis succinentibus, tamquam exultans de tanto dono, tripudians et triumphans. Ita S. Hieron. Vatabl. et alii. Simili modo anagogice Beati in caelo qui mare huius sæculi feliciter quasi victores transierunt, canunt canticum Mosis et Agni Apoc. 15. 3.

Nota. Dies iuventutis Synagogæ, vocat tempus Mosis quo illa recens nata, evocata a Deo ex Ægypto, et educta per Mosen, lætabunda cecinit, gratiasque egit Deo, Exodi 15. unde explicans subdit: *Et iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* Vox enim *et*, est *εταρταται*, idemque valet quod *id est*.

ET ERIT IN DIE ILLA, AIT DOMINUS: VOCABIT ME, Vers. 16.

VIR MEUS; ET NON VOCABIT ME ULTRA BAALI.) Ita legendum cum Hebr. Rom. et Septuag. non *Baalim*. Nota. *Baali* idem est quod dominus meus, habens vel possidens me, maritus meus. Et sic vocabant uxores Hebrææ maritos suos, dicentes: *Baali*, id est, domine et marite mi, peto hoc vel illud abs te, unde idem est *Baali* quod *ישעי* *isei*, id est, vir meus: quo sensu Arabicus verlit, *vocabunt me Baali, et non Baalim*. Verum quia Baal in plurali addita litera m, puta Baalim, significat deos et idola; et quia Baal, sive Bel, et Belus, Deus erat Gentium idololatrarum; hinc in odium idololatriæ, et ad eius extirpationem, nomen hoc abolet Deus, *ne, dum Israel aliud loquitur, alterius recordetur; et virum nominans idolum cogitet*, ait S. Hieron. q. d. Esto sim vester Baal, id est, dominus et maritus: nolo tamen me hoc nomine compelletis, ne videar esse Baal, vel Baalim, id est, Deus Chaldæorum, Tyriorum, et aliarum gentium. Simile esset si diceret: Nolo a vobis vocari Iehova, vel Iova (uti Calvinus, Castalion, et alii Novantes vertunt vocantque Deum) ne me Iovem aestimetis, q. d. Israelitæ Babylone redeuntes, et multo magis credentes in Christum, adeo Baalim, id est idola, detestabuntur, ut nec nominare ea velint, ne memores eorum futuri sint per labia sua; ita Rupert. Haymo, Dionys. Vatabl. Emmanuel et alii. Unde Syrus verlit, *vocabit me, Vir meus, et non Baal meus*.

Aliter R. Salomon Lyran. Leo Castrius, Mariana, Isidorus, et Arias exponunt, q. d. Israel in lege nova compellabit me *Isei*, id est, vir meus, quod amoris est nomen: sponsus enim amantissimum significat; non Baali, quod limoris et dominatus est nomen: Baal enim significat herum, sive dominum imperiosum, uxori et aliis herili iure dominantem. Sic Augustus Cæsar noluit vocari Dominus, eo quod domini ad servos referantur, ut tyranni; non ut reges in subditos, qui eis sint id quod est pastor ovibus. Dominus enim et servus correlativa sunt. Hoc est quod ait Apost. Rom. 8. 15. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei.* Indæis ergo Deus fuit Baal, id est Dominus: Christianis est *isei*, id est, vir et sponsus. Verum priorem sensum exigit id quod sequitur: *Et auferam nomina Baalim de ore eius, et non recordabitur ultra nominis eorum.* Potest tamen hic secundus sensus ut accessorius et allusivus admitti. Ad varia enim alludunt Hebrææ voces.

Unde voce *isei*, id est, vir meus, allusio esse potest ad *ישע* *es*, id est, ignis, q. d. Deum invocabis nomine *Isei*, id est, vir meus; quasi *esei*, id est, ignis meus, amor meus, Deus enim noster ignis consumens est, totus amor, totus ardor: ardet enim amore nostri. Quocirca Hebræi dicunt virum vocari *is* ab *ישע* *es*, id est ignis, eo quod calidæ sit nature et igneæ complexionis, eum femina sit aqueæ et phlegmaticæ. Ita in Pentecoste Deus ostendit se esse *esei*, id est, ignem nostrum; quando in specie ignis, et linguarum ignearum descendit in Apostolos, eisque dedit eorum igneam, et linguam igneam.

Alii, ut Forsterus, censent virum dici hebr. *is* a verba *ישע* *iesce*, id est, est, vel existit; eo quod vir prior sit essentia seu existentia femina; femina enim ex viri costa formata est, indeque dieta est *אשה* *ischa*, quasi virago, aut potius vira a viro, ut ut est, sicut Latins vir dicitur

a virtute, Græcis *ανδρα* ab *ανδραειας*, id est fortitudine: ita Hebræis *is* significat virum, qui ætate, auctoritate, dignitate, virtute, robore, iudicio et gloria non tantum fœminis, sed et iuvenibus, omnibusque plebeiis præstat et anteponitur; vir ergo idem est quod virilis, præstans, illustris. Sicut ergo homo dicitur *Adam* ab *adama*, quasi terrenus a terra, luteus a luto, et *שןאנ* *enos* ab infirmitate, quasi desperatæ vitæ, et brevi moriturus: ita ex adverso dicitur *is* a robore, et præstantia, virtute. Quocirca apposite hic iubet Deus se a Synagoga vocari *isei*, utpote qui omnibus rebus præset et tempore, et dignitate, et potentia, et providentia. Ipsius enim nomen est *Iehova*, sive *Ego sum qui sum*. Et, *Qui erat, et qui est, et qui venturus est*, Apoc. 1. 4. Et sic apposite opponitur Baalim, id est idolis, quæ non habent esse verum, sed fictum; suntque dii non veri, sed mendaces. *Idolum enim nihil est in mundo*, ait Apost. 1. Cor. 8. 4. vide ibi dicta.

Vers. 18. **ET PERCUTIAM CUM EIS FOEDUS IN DIE ILLA, CUM BESTIA AGRI.)** Pro *cum eis*, Hebr. et Septuag. habent *eis*. Unde S. Hieron. in comment. legit: *Percutiam fœdus inter eos et bestias*. Loquitur de Synagoga sive Israele nunc in singulari, nunc in plurali: quia in populo sunt multi. Theodor. et Theophyl. putant hæc præstita Israelitis Babylone redeuntibus. Hi enim Deo auctore fœdus et pacem habuerunt cum bestiis, id est, cum barbaris, puta cum Persis, Græcis et Romanis: item proprie cum bestiis, inquit Theophyl. quia Deus effecit ut feræ et bestię fruges eorum non consumerent aut læderent. Verum hæc levitia et exilia fuerunt: quare plenius et perfectius hæc eis præstita sunt per Christum.

Ubi Nota. Symbolicæ hic *bestiæ* significant homines barbaros et truces: *vobucres* significant timidos, et ambitiosos: *reptilia* denotant vafros et ventri deditos, q. d. Hi omnes per Christum et Apostolos contrariis virtutibus exculli et mansuefacti, pacem inibunt et colent tam eum Deo, quam inter se. Hoc est quod prædixit Isaia c. 11. 6. *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit*, etc. Hinc et S. Petrus Act. 10. 13. mittendus ad Cornelium aliosque Gentiles, vidit linteum plenum quadrupedibus, serpentibus et volatilibus, audiitque, *Occide, et manduca*: ex quo intellexit Gentibus esse prædicandum Evangelium, easque convertendas ad Christum. Ita S. Hieron. Theod. Haymo, Albert. Hugo, Vatab. Ribera et alii. Vide dicta Isaia 2. 4.

Insuper Apostoli alique nonnulli illustres Sancti, ut S. Antonius, Franciscus, vere et proprie acceperunt a Christo potestatem in serpentes, scorpiones, pisces, aves et bestias terræ, Lucæ 10. 9. ita Rupert. Isidor. et Arias. Verum hoc paucorum fuit privilegium: prius vero omnibus fidelibus est commune. Prior ergo sensus est genuinus et plenus.

Vers. 19. **ET SPONSABO TE MIHI IN SEMPITERNUM.)** q. d. Israellem olim ob adulteria, id est idololatriam, repudiavi, et Assiriis in prædam dedi: at iam Babylone reduces, et longe magis tempore Christi veros Israelitas, eos scilicet qui ex Israele et ex Gentibus ab infidelitate et impietate convertentur, credentque in Christum, adsciscam mihi in sponsam, puta in Ecclesiam, quam nunquam repudiabo, sed mihi copulabo in æternum; ideoque ut sponsalia hæc et connubium confirmem sanciamque in æternum, dotem ei excellentem et multiplicem dabo, qua exornata non possit non mihi iugiter placere, ut eam cogar semper amare et ut coniugem retinere. Dotes hæc sunt iustitia, iudicium, misericordia et fides. Reete Theod. Rupert. Lyran. Arias et alii, et passim ex *is* in *sempiternum*, inferunt hic agi de Ecclesia Christi: nam Synagoga est repudiata, et esse desiit. Sensus ergo est, q. d. Synagogam mihi desponsabo usque ad Christum, tuncque per Christum vertam eam in Ecclesiam, quæ erit mihi sponsa æterna. Hinc patet Ecclesiam nunquam in fide defecisse, nec posse deficere.

**ET SPONSABO TE MIHI IN IUSTITIA ET IUDICIO.)** Primo, Sanchez explicat, q. d. Regam te, et in officio (hoc enim est iustitia et iudicium) continebo, ac vivendi leges præscribam, quasi maritus uxori, quomodo filia in officio

continetur a patre, a quo leges accipit, quas sequatur, utpote quo illius pudori et honori consulit, deque rebus omnibus necessariis providet. Cui per patrium nomen ac potestatem licet admonere libere, atque etiam severe, si quando in eo quod ius exigit coniugale, peccaverit. Maritus enim succedit in locum patris, quem sponsa relinquit, ut totum amorem et studium in maritum transferat. Unde Ierem. 3. v. 4. a Deo sponso audit Synagoga: *Anodo voca me, Pater meus, dux virginitalis mee*. Hæc ergo est mutua inter sponsum et sponsam iustitia, sive officium. Rursum, q. d. Iustificando te et iudicando, sive vindicando te in sponsam accipiam. *Iustitia* enim hic Primo, significat iustificationem Ecclesiæ et fidelium, qua Deus eis infundit iustitiam, id est, gratiam, charitatem, cæterasque virtutes, quibus abolerentur peccata, et constituuntur iusti gratique Deo. Deique filii et hæredes; imo uxores et sententiam iudicialem, quam pro Ecclesia tulit Deus contra diabolum, qui ut tyrannus eam iniuste possidebat, eique dominabatur. Secundo, *iustitia* et *iudicium* cum iunguntur in Scriptura, significant duas partes, sive duo officia iusti iudicis et iudicii. Iudex enim per iustitiam iustos defendit, eisque dat et conservat, id quod est ipsorum: per iudicium vero indicat et condemnat impios, qui iustos iniuste vexant et persequuntur, q. d. Ego, o Ecclesia, o sponsa, te tuaque semper tuebor, ego hostes et persecutores tuos puniam et disperdam.

**ET IN MISERICORDIA ET MISERATIONIBUS.)** Est hendiadys, q. d. In misericordia summæ miserationis, in misericordia maxima, utpote profecta ex intimis visceribus, et ex viscerali commiseratione; hanc enim significat Hebr. *רחמים rachamim*. Est hæc secunda artha et dos sponsæ, qua Deus eam in æternum sibi despoudet; nimirum intima miseratio et summa misericordia illi a Deo exhibita, et iugiter exhibenda. Hoc est quod ait Paulus Tit. 3. 5. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum*. Hæc sunt viscera misericordiæ Dei, quæ in nos effudit per Christum, Luc. 1. 78.

**ET SPONSABO TE MIHI IN FIDE.)** Tertias dos sponsæ est fides, unde tertio repetit *is* sponsabo, ut certam, plenam, perfectam, et in æternum duraturam desponsationem sanciat, et significet. Quocirca Chald. vertit, *consolidabo et stabiliam sedem meam in te*. Sicut enim in matrimonio est mutua corporum traditio, ita hic sponsa se tradit Deo, ac vicissim Deus se tradit sponsæ, ut in ea thronum sibi æternum constituat, in quo quasi rex et iudex habitet et sedeat, ac iudicium exercent iustos tuendo, impios puniendo. Unde thronus hic Dei quatuor virtutibus quasi columnis fuleitur: nimirum iustitia, iudicio, misericordia, et fide. Sic Ps. 88. 15. *Iustitia et iudicium præparatio* (id est fuleimentum: hoc enim significat Hebr. *מכון mechon*) *sedis tue*. Et Prov. 20. 28. *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur elementia thronus eius*. Porro fides hæc in Deo est fidelitas et constantia in promissis, quæ in Scriptura vocatur veritas. Per hanc enim Deus sponsæ assecurat nuptias has cum illa fore perpetuas, nec ullo repudio divellendas; ita a Castro. In sponsa vero accipi potest, tum eadem fidelitas, qua sponsa se fidelem promittat et præset suo sponso, ut nil præter eum amet; tum fides Christiana quæ est initium iustitiæ et gratiæ, per quam despondemur Deo. Hæc enim Christi fides initio Ecclesiæ maxime inculcanda fuit, ut homines crederent in Deum incarnatum et crucifixum, itaque fierent fideles, et sponsæ Dei ac Christi. Vide de desponsatione animæ cum Deo ea quæ dixi 2. Cor. 11. 2. ad illa verba: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Iutuere hic amorem et zelum sponsi Dei in sponsam Synagogam. Merito S. Bernard. ser. 5. de Dedicat. Eccles. citans hæc Osee verba subdit: *Si non fecit ille quod sponsus, si non tamquam sponsus amavit, si non zelatus est tamquam sponsus, nobis acquiescere sponsam te arbitrari*.

Porro Philo Carpathiorum Episcopus ordinatus a S. E-



piphanio, tempore Arcadii et Honorii Imper. scribens in Cantica Cant. l. 4. Biblioth. SS. Patrum, explicans illud Cant. 3. 11. *Egredimini et videte filia Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius*, docet Christum ter, sive tribus diebus, sibi despondisse Ecclesiam. Primo, dum incarnatus est: tunc enim sibi carnem nostram, et per eam hominum Ecclesiam cœtumque hypostatice copulavit. Secundo, in passione: tunc enim suo sanguine Ecclesiam lavit, sibi-que in sponsam emittit. Tertio, in Pentecoste: tunc enim desponsationis arrham Ecclesiæ dedit, nimirum Spiritum sanctum.

Denique hæc Osee sententia, quasi formula sponsaliorum, Christus Dominus S. Catharinam Senensem in sponsam assumpsit, eamque sibi visibiliter despondit. Rem miram narrat Auctor gravis Vitæ eiusdem P. Raymondus, qui Generalis fuit Ordinis S. Dominici Magister, S. Theologie Doctor, et S. Catharinæ Confessarius: *Ut posset, inquit, sponso cœlesti, immutabili quodummodo et inviolabili fidelitate semper manere subiecta, valde aspirabat ad perfectum fidei gradum, dicens cum Apostolis: Domine adauge mihi fidem, eamque adeo in me perface, ut nulla possit vi adversantium eonvulsi vel prosterni. Cumque sæpe illi id oranti, sæpe etiam responderet Dominus: Desponsabo te mihi in fide: tandem in Bacchanalibus, aliis ventris festa celebrantibus, ipsa se inclusit in suam cellulam, non respiciens in vanitates et insanias falsas, sed ardentissime petens a Domino eam, quam diximus, fidei perfectionem. Et quia verissime dixit Propheta: Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui: Christus ei apparuit cum sanctissima matre sua et aliquot Sanctis, et eam mirabili modo sibi despondit, hortatusque est eam, ut deinceps ageret viriliter et incunctanter ea, quæ ex divina providentia ipsi facienda incumbent. Post eam autem desponsationem capit Dominus eam sensim trahere ad hominum convictum et consuetudinem. Volebat enim eius opera uti ad multorum hominum promovendam salutem. Ex hæc desponsatione secuta est mira virginis cum Christo familiaritas et unio. Nam etiamsi familiæ et ægris serviret, nihil ab æterni sponsi castis amplexibus recederet. Versu enim propemodum et in naturam videbatur incredibilis quædam habitus et promptitudo mentem suam cum Christo coniungendi, etiam quovis loco et tempore, nec ab hæc felicissima coniunctione ullo actu externo impediatur, semper et ubique tendens ad cœlestia. Unde fiebat, ut prope innumeris vicibus extra se reperetur. Porro causam desponsationis et quasi meritum, hæc dedit Christus: Quia tu, inquit, sperxisti vanitates mundi, amplexa es crucem et penitentiam, quæris summum et æternum bonum, atque hisce diebus Bacchanalium, quibus mundani vagant guttæ et luxuriæ, tu studes mortificationi et orationi, ideo ego te mihi desponsabo. Modus ritusque fuit hic: B. Virgo accipiens dexteram Catharinæ, extendendo eius digitum annularem petebat a Filio, ut illam sibi desponderet. Matri annulit Christus, ac accipiens Catharinæ dexteram, digito eius annulum sponsalium (qui etiamnum Romæ servatur in monasterio Virginum Dominicanarum in Magnanapoli, ubi eum clare intuitus sum) inseruit dicens: Ecce ego qui sum Creator et Salvator tuus, te mihi despondeo in fide, quæ perdurabit in te ex hæc hora semper immutabilis, donec nuptiis æternis tibi in cælo coniungar, ubi videbis me facie ad faciem, meque perfrueris. Superest ergo, ut viriliter decertes et in robore fidei, quam tuo cordi infixi, superes omnes illecebras et angustias mundi, omnes stimulos carnis, et omnem tentationem inimici. Ita Raymondus in Vita S. Catharinæ Senens. quam in Italicum idioma transtulit Ambros. Catharinus, lib. 1. cap. 23.*

Vers. 21. EXAUDIAM CÆLOS.) Nimirum mandando id quod mandando per Ezech. cap. 38. 8. *Vos montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*

Nota primo, ad emphasin et elegantiam hic in cælis, etc. proponi prosopopœiam per gradationem, q. d. Cæli appetito naturali, quo terræ, hominum, totiusque universi, eam ipsi pars sunt, bonum et commoda desiderant, vi-

dentur a me Deo posse nubem et pluviam: ego illam eis annuam, statimque dabo; et sic consequenter cæli respondebunt votis terræ sitientis, et pluviam fecundam desiderantis, eam distillando; et terra satisfaciet votis tritici multipliciter crescere cupientis, et triticum explebit vota Iezrahel, id est, seminis et populi Dei, qui hæc fruges exoptat. Hæc gradatio significat tum miram fertilitatem bonorum, etiam temporalium, quam populo suo pollicetur Deus; tum subordinationem congruam, et ordinatam eausarum secundarum seriem a Deo institutam, qua infimæ a mediis, mediæ a summis, summæ a Deo pendent et reguntur, quam Gentiles fatum, fideles harmoniam mundi appellarunt, de qua Iob 38. 37. *Concentum cæli quis dormire faciet?* Sic hic Israelis, id est populi Dei, vita pendet et sustentatur a tritico, hoc a terra, hæc a cælo, hoc a Deo; unde pro *exaudiam*, hebr. est אָנָה *ana*, quod, ut dixi, inter alia significat respondere, et canere alternis. Unde hic veritas, *respondebo cælis, vel illis præcipientibus succinam*, et accinam: cæli enim postulando canent Deo: Domine da nobis pluviam ut terra producat triticum, vinum, et oleum, quo alatur Iezrahel, id est, populus tuus, cui nos et omnia creata servire decrevisti. Respondet et succinet Deus: Æquum mihi que gratum postulatis: id ipsum præstabo; amo enim Iezrahel, id est Israel, quasi sponsam charissimam.

Unde moraliter hic advertit Pineda in Iob 37. vers. 41. *Concentum. 3.* quod universitas creaturarum cum suo creatore conspirans in commoda hominum, præsertim fidelium et sanctorum, videatur mirabilem concentum efficere, et, ut Sapiens ait c. 19. 17. *sicut in organo suo sonum concordare*, q. d. Sicut cum in musico instrumento sonus unius chordæ ex variatione modulationis et toni, aliam et aliam efficit harmoniam in gratiam audientium; ita Deo ludente in elementis Ægypti, elementum suam naturam et ordinem retinens, iunctum alteri, in eius conditionem et usum transisse visum est, ad punitionem Ægyptiorum, in gratiam Hebræorum. Nam iumenta Hebræorum terrestria transeuntia mare rubrum a Deo divisum, videbantur piscium naturam induisse; et natantia, puta ranæ, in terra degentia Ægyptios affligebant, ac si fuissent terrestria. Simili schemate ait Euripides apud Arist. 8. Ethic. c. 1.

*Cum est sicca tellus, ipsa certe tunc imbrem amat.*

*Cum turget æther imbre, cum cælum tumet, Affectat, ut telluris in sinus cadat.*

Tollit hic Deus prius maledictum, quod Israeli adulteranti cum idolis intentavit, v. 9. *Sumam frumentum meum in tempore meo.* De Iezrahel dixi c. 1. 4. Chaldæus censet Iezrahel hic significare populum Dei antea dispersum, nunc a Deo in Ecclesia collectum et benedictum.

Nota secundo, hic esse continuam allegoriam. Alludit enim ad Israelem ex Assyria et Babylone redeuntem in Iudeam, cui Deus dedit pluviam, triticum, oleum et vinum, uti notant S. Hieron. Theodoret. Theophyl. Albert. et Hugo: sed sub his allegoriis significat Deum tempore Christi pro votis fidelium eis abundantiam gratiæ, Sacramentorum, concionum, omniumque donorum spiritualium daturum; ita S. Hieron. et Rupert. Uterque sensus est literalis; sed prior est quasi typus et umbra posterioris; unde ad illum tantum alludit eumque obiter perstringit: intendit vero per eum significare posteriorem, in eo-que hæret, seseque explet, ut fieri solet in allegoria. Deus enim et populus Dei, puta veri Christiani, parvi æstimant omnia bona temporalia et caduca. Hi enim didicerunt a Christo calcare terrena, et amare cœlestia, eisque toto affectu iuiare, ut vivant æternitati. Hinc symbolice ex Theophyl. Leo Castrius: Vinum, ait, et frumentum, id est Eucharistia, aliæque Sacramenta exaudient Iezrahel, id est, semen vel brachium Dei, puta Christum, qui conceptus est de Spiritu sancto, quique est virtus et brachium Patris, ut scilicet ipsa Sacramenta faciant opus suum, quod est fideles Christi purgare, sanctificare, pascere, roborare: Christus enim est qui per ea hæc operatur in fidelibus. Rursum Deus Pater Christi causa e cælo depluit in Ecclesiam ubertatem bonorum spiritualium. Idem Ca-

strius ex S. August. Exaudiam, inquit, caelos, id est, caelites, puta angelos et Sanctos, qui pro Iezrahel, id est fidelibus militantibus, Deum preecantur; et caeli, id est sancti, exaudient terram, id est Ecclesiam, ut a Deo pluvias caelestium honorum Iezraheli, id est fidelibus, impetrent. Ante Christum enim eiusque sanctos, iussum erat caelis ne pluerent: Mandabo, inquit Deus, nubibus caeli ne pluant super terram. Ita ipse ad litteram, ego symbolice. Hinc et anagogice Cyrill. *Exaudiam caelum*, ait, *id est, munus meorum largum dispensatorem faciam caelum, sive calcicolas, ut et ipsi misericordiam consecutos exhortari possint. Et tunc plane terra exaudiet frumentum, vinum et oleum, id est, fructum ferent qui sunt in terra, spem vitam, laetitiam, hilaritudinis. Et typus quidem vitae frumentum est, vinum autem laetitiae, oleum hilaritatis et bonae habitudinis.*

Vers. 25. **ET SEMINABO EAM MIHI IN TERRA.**) *Seminabo*, id est, instar seminis spargam ipsam, ait Vatabl. q. d. Ego Ecclesiam, eiusque Apostolos et Principe spargam per totam terram, ut illi per semen doctrinae et martyrii sui multam fidelium et sanctorum segetem producant; ita Haymo et Rupert.

Nota. Vox *eam* grammaticae non refert *Iezrahel*, utpote masculinum; sed *matrem eius*, puta Synagogam: de ea enim egit hoc capite. Alludit et obiter perstringit, uti iam dixi Israelitas e Babylone redeuntibus in Iudaeam, ubi instar seminis iacti in terram ubertim creverunt et propagati sunt. Ita Chald. Theodor. Theoph. et alii. Simile est

A Ieremiae 31. 27. vide ibi dicta. Nota. *To seminabo*, significat actionem et mortificationem seminis, puta Apostolorum et posterorum. Nam, ut ait Christus Iuan. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Non minuitur*, ait S. Leo ser. 1. de S. Petro et Paulo, *Ecclesia persecutionibus, sed augetur: et semper Dominicus aper segete ditiore vestitur, dum grana quae singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Idem fit in qualibet anima fideli et saneta.

**ET MISEREBOR EIUS QUAE FUIT ABSQUE MISERICORDIA.**) Haec explicata sunt cap. 1. v. 6. Tantum Nota. Pro *misererbor*, etc. Vaticana Biblia legunt, *diligam non dilectam*. Hebr. enim **רחם** *racham*, significat intimum affectum tam dilectionis, quam miserationis et misericordiae. Unde S. Paulus citans hunc locum Rom. 9. 25. utrumque ponit.

B Ait enim: *Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam, dilectam: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Quod enim Paulus dicit: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: Osee dicit: Dicam non populo meo, Populus meus es tu.* Praeposit enim ea Paulus, quae Osee postponit. Porro quod addit Paulus: *Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei viventis*, non ex hoc cap. sed ex e. 1. v. 10. desumpsit. Ibi enim dixit Osee: *Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus vos; dicitur eis: Filii Dei viventis.*

## C A P U T T E R T I U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Iubetur Osee adulteram domum suam abducere, cum eaque pacisci, ut ibi multo tempore caebis sedeat, nec fornicetur, nec ad virum suum redeat; ac per hoc representat Israel multo tempore fore sine Deo, sine idolis, sine lege, sine rege, sine theraphim; sed in novissimo dierum reversurum ad dominum.*

1. **E**T dixit Dominus ad me: Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico et adulteram: sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum. 2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei. 3. Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, et non eris viro: sed et ego expectabo te. 4. Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. 5. Et post haec revertentur filii Israel, et quaerent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum, et ad bonum eius, in novissimo dierum.

Vers. 1. **A**DHUC VADE.) Iubetur hic Osee amare et pretio conducere, inque domum suam inducere adulteram: quia prior fornicaria Gomer non plene representabat Israelis adulteria, id est, idololatrias cum diis Gentium quasi adulteris commissas, spreto vero amico, puta Deo.

Quaeres, contra quos hoc signum assumitur, sive quosnam representat haec adultera? Duodecim tribus representare censet S. Hieron. et Lyran. Duas tantum, puta Iuda et Benjamin, significare censent alii, ut, sicut Ezechiel e. 23. per duas sorores meretricantes notavit omnes Hebraeos idololatrantes, puta per Oolla decem tribus, per Ooliba duas; ita hic Osee per Gomer fornicariam cap. 1. significet decem tribus, per adulteram vero hoc capite significet duas, quae decem in idolorum cultu secutae et imitatae sunt. Ita Haymo. Rupert. Albert. Hugo, Vatabl. Ribera et Sanchez.

Verum melius Chald. Theodoret. Theoph. et a Castro, censent hic eosdem notari, qui cap. 1. notati sunt: puta Israeliam, sive decem tribus. Hae enim comminatur ob idololatriam plenum excidium et desolationem, ut sint sine rege, sine lege, Deo, repub. etc. quod ita evenisse post Samariae excidium anno 6. Ezechiae regis peractum cernimus: cum ex adverso duae tribus Babylone redeuntibus habuerint duces, legem, et republ. usque ad excidium per Titum, quod non ob idololatriam, sed ob occisum Christum peressae sunt, et etiamnum perpetuantur.

**DILIGE MULIEREM DILECTAM AMICO.**) Ita et Chald. S. Hieron. et alii passim: legunt enim in Hebr. **רע** *rea*, id est amico. Verum Septuag. aliis punctis legentes **רע** *ra*, id est malum, vertunt, *dilige mulierem diligentem mala*, scilicet adulteria: et ita legunt Theod. et Theoph. utpote Graeci, qui proinde Graecam versionem Septuag. sequuntur, sed eodem redit sensus.

Quaeres, quoniam haec? an Gomer quam duxit Osee e. 1. an quae alia? Primo Ruffinus, Ribera, et alii censent fuisse Gomer: quae, inquiunt, post coniugium cum Osee, tresque proles ex eo susceptas, adulteris se miserat: unde Osee eius repudium cogitabat. Sed Deus eam recipi, diligi et retineri renovato et redintegrato per novum contractum cum ea matrimonio, iubet; ut hoc factum representet Synagogam Deo desponsam, licet adulterantem, diligi a Deo. eamque ipsum post adulteria idololatriae amare, et retinere sibi sponsam. Ratio est, quia Osee non potuit aliam adulteram, quae alterius esset uxor, in uxorem ducere: fuisset enim hoc novum adulterium: debuisset ergo illa ad priorem verumque maritum remitti (eius enim erat uxor) non ab Osee duci.

Secundo, Chald. S. Hieron. Cyrill. Theodor. Hugo, Isidor. Paulus a Palatio, a Castro, Emmanuel, et alii, censent hanc mulierem non fuisse Gomer, sed aliam (uti verba textus innuunt, praesertim *adhuc et fodi*, id est emi: ergo hactenus non erat empta nec comparata) quae a vi-

ro suo discedens adultera effecta sit, quam Osee iubetur a scelere avocare, et emere non in uxorem, sed in ancillam, ac domi retinere castam, ut nec cum viro, nec cum adultero copuletur; donec post multum tempus ad virum suum revocetur, et in eius gratiam thorumque redeat. Audi S. Hieron. *Propheta diligit adulteram, et tamen non ei matrimonio copulatur, neque fornicatione coniungitur, sed tantum diligit delinquentem.* Hoc enim verba Osee significant v. 7. *Et dicit ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, et non eris viro: sed et ego expectabo te.* Quod deinde explicans, et ad scopum per eam prophetice representatum applicans subdit: *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, etc. et post hæc revertentur, et quærent Dominum Deum suum.*

Tertia sententia, quam Theoph. Rupert. (qui vult hanc fuisse sororem Gomer) Vatab. Sanchez et alii sequuntur, media est; nimirum mulierem hanc aliam fuisse a Gomer, emptaque ab Osee in sponsam et uxorem, non in ancillam. Hoc enim significat *το dilige mulierem*, q. d. Due in uxorem, et ut uxorem dilige. Rursum *το Expectabis me, sed et ego expectabo te*, unde liquet eam ab Osee fuisse desponsatam, ut fieret uxor; sed Osee consummatione coniugii et copula abstinuisse ad longum tempus, quo expleto, ei copulatus est, ut repræsentaret pari modo Synagogam multo tempore fore sine rege, lege, Deo, eoque expleto, ad Dei amplexus redituram. Osee enim videtur hic personam Dei gerere, mulier Synagogæ, coniugium et copula religionis et cultus Dei. Ergo fuit hæc uxor Osee, sicut Synagoga erat uxor Dei. Unde sequitur virum eius priorem, sub quo adulterata erat, iam fuisse mortuum, aut certe per libellum repudii ei a viro ob adulteria datum, seissum et solutum fuisse prius cum eo coniugium, ita ut iam soluta potuerit nubere Osee Prophetæ.

Hæc sententiæ probabiles sunt, sed secunda probabilior, ob nostram versionem, quæ vertit, *dilectam amico*, id est marito: sequitur enim, *Sicut Dominus Deus diligit filios Israel*, q. d. Sicut hæc mulier, licet multum dilecta a marito, tamen adulteratur; ita filii Israel, licet multum dilecti a Deo, tamen copulantur idolis. Amicus ergo hic non potest accipi adulter, sed maritus: talis enim erat Deus respectu Synagogæ. Hinc sequitur, mulierem hanc habuisse amicum, id est, maritum superstitem, ac proinde non potuisse appeti ab Osee in uxorem, sed tantum in ancillam, aut potius Osee eam perditam et profugam adamasse ex charitate, ut proximam, eique dedisse pretium et hospitium, ut adulterare desineret. Ita auctores citati, ac nominatim per amicum hunc accipiunt maritum, non adulterum, Chald. Lyran. Isidor. Paulus a Palatio. Arias, Guadalupensis, Vatabl. et alii multi: licet S. Hier. Theodor. et Theoph. ex Septuag. intelligant adulterum. Et sic *rea*, id est, amicus vel socius, significat maritum Ierem. 3. 20. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum*, hebr. *rea*, id est amicum, puta maritum. Hic ergo amicus gerit typum Dei, non Osee, qui tantum mulieris huius est conductor.

Porro Chald. Isidor. et Vatabl. censent hæc facta esse in Osee non realiter, sed tantum in spiritu per visionem imaginariam. Melius Theod. a Castro, et alii censent recipia ab eo esse facta et patrata. Vide dieta c. 1. 1.

ET ADULTERAM. ) Septuag. Complut. et Regia legunt, *και μοιχαλαδης*, id est, et adulteras, sed corrupte: legendum enim cum Codice Vatic. S. Hieron. et Theoph. *και μοιχαλαδης*, id est, et adulteram. Patet ex Hebræo, Syro, Arabico, et aliis. Vide hic tenerum Dei cor, quo amat et sequitur peccatores a se aversos.

Moral S. August. hom. 38. inter. 50. *Evelle*, ait, *cor tuum ab amore creaturæ, ut inhæreas creatori, quia si amas illa quæ fecit, adulter es, et quæris iram, quia amicitia huius sæculi inimica est Deo. Quicumque ergo voluerit esse amicus huius sæculi, inimicus constituitur Dei. Anima deserto creatore, amans creaturam adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius. O anima ut illius amplexibus digna sis, dimitte ista, et illi inhære gratis. Nam inde dixit Psalles psal. 72. Mihi ad-*

*hæreere Deo bonum est, ideoque versum priorem præmisit dicens: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*

ET DILIGUNT VINACEA UVARUM. ) Pro *vinacea* hebr. est *וַיִּשֶׂה* *ascisce*, quod Chald. Lyran. Marinus, Forsterus, R. David, et ex eo Vatabl. et Pagnin, vertunt *winophora*, vel *lagenas uvarum*, quasi notetur hic idololatrarum gula et ebriositas. Solebant enim idololatrate in suis sacrificiis et festis solemnioribus epulari et potare, imo presentibus certam vini et cibi mensuram distribuere, uti et fecit David eum aream transtulit in Sion 2. Reg. 6. 19. Hinc et Septuag. vertunt *πευματα*, id est bellaria, panes ex simila factos et placentas quæ idolis offeruntur, ait S. Hieron. et Theophyl.

Verum melius S. Hieronym. Vatabl. et alii vertunt *vinacea*. Nam et Aquila vertit, *πλαια*, id est *vetusta*; et Symmach. *ακαρπες*, id est *infrugiferos*, sive aridos et steriles uvarum folliculos: *vinacea* enim sunt folliculi sive pelliculæ uvarum, quæ in torculari expressa uva, vinoque dellescente remanent. Unde hebr. vocantur *וַיִּשֶׂה* *asciscim*, q. d. *ima*, seu *fundamenta*, quæ in torculari subsidunt; a rad. *וַיִּשֶׂה* *ascias*, id est, *fundavit*. Ita Columella lib. 6. c. 3. (ubi vocat *siccata vinacea*) et Varro lib. 3. de Re rustica c. 11. et Cato c. 10. et Plinius l. 17. 22. Eadem vocantur *lora*, quod *lota acina*: *ac pro vino operariis dantur hieme*, ait Varro lib. 1. c. 51. et Plinius lib. 14. 40. *Non possunt*, ait, *iure dici vina, quæ Græci deuterias appellant, Cato et nos loram, maceratis aqua vinaccis: sed tamen inter vina operaria numerantur.* Audi et Hugonem: *Vinacea*, inquit, *sunt pelliculæ, botrus plures racemi, racemi plures vix, acinum granum, glareæ liquor.* Significat ergo hic Propheta idololatras idolis suis obtulisse hæc *vinacea*, inquit Theod. et Theophyl. aut potius acri sarcasmo perstringit eos, quo relicto domi vino puro et præstanti, adirent idola et idolothyta, ubi ob adveuarum turbam singulis dabatur lora ex vinaccis aqua dilutis, non vinum.

Unde Tropol. *vinacea* et inanes uvarum folliculi significant res vanas et futiles, in quibus nihil est succi, nihil medullæ, nihil boni, quales erant idola et idolothyta, aliaque quæ amabant Israelitæ relicto Deo: omnis enim peccati voluptas inanis est, insipida et exsæca, non solida, non satians. Hinc Hugo: *Vinacea*, inquit, *sunt demones, qui creati in magna pinguedine Spiritus sancti, sed per superbiam arefacti, proiceti sunt de celo. Nam Deus in eis, ait S. August. fuit simul et largiens gratiam, et condens naturam; sed effusa gratia per peccatum mansit natura vacua, quasi vinacem.* Sic, o peccator, cum sectaris honores et dignitates, vina et veneres, *vinacea* sectaris, folliculos inanes, et nero aere aut vento turgidos sectaris. Vesebaris in domo Dei pane calii; pane angelorum; nunc vagus et profugus cum filio prodigo ambis siliquas porcorum. Quod enim in tritico sunt siliquæ, hoc in uvis sunt *vinacea*. Itane, o stolide, mundo te credis, qui pro tritico siliquas, pro vino loram tibi propinat? Argentum tuum versum est in scorium, vinum tuum mistum est aqua, imo aqua est mera, eaque putrida. Quin ad patrem, ad Deum tuum redis? Invitat te ille ad mensam suam vino et deliciis instructissimam, ac clamat: *Venite, comedite panem meum, et vinum quod miscui vobis.* Prov. 9. 5. *Ego sum parvis vivus qui de celo descendit: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, Ioan. 6. 51. Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Zachar. 9. 17. *Venite, et bibite, et inebriamini charissimi, Cantic. 5. 1. Quin accedis, quin accurris? ut sentias dicasque cum sponsa: Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus et lætabimur in te.* Pulchre S. Bernardus in Sentent. *Vinum*, ait, *gratiæ est, quod ex botro Cypri, id est, conditoris largitate decurrit: et hoc est mustum quo sponsi filii inebriantur, quod militum etiam in utres novos.* Et rursum: *Triforme vinum est in scypho Dei: rubicundum in longanimitate sanctorum, quod lactificat Isaac in xgritudine: album in remuneratione iustorum, quo ebriatur Noe: nigrum et acidum in damnatione præ-*

*Vinacea sunt folliculi uvarum.*

*Tropol.*

vorum, quod Iesus gustat, sed non vult bibere. Et ex hoc vino, ait idem tract. de Diligendo Deo, sobria illa ebrietas vero, non mero, ingurgitans: non madens vino, sed ardens Deo. Et serm. 18. in Cant. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, et carnalium voluptatum infundit oblivionem.

vers. 2.  
Fodi, id est emi, cur.

**ET FODI EAM.**) Id est conduxi, comparavi eam. Ita Septuag. Chald. S. Hieron. Hugo, Lyran. Vatabl. Arias, et alii passim. Unde Syrus vertit, *emi eam*: Arabiens. *conduxi eam*. Nota hebr. כרה *cara*, proprie significat fodere, exscindere, excavare: inde per metalepsin significat comparare vel emere. Olim enim quisque fodiebat sibi cryptas ad habitationem et ad sepulturam, ac multo magis vineas, agros, puteos et cisternas, quibus maxime in Mesopotamia locisque vicinis (ubi habitaverunt Patriarchæ Israelis) ob terræ siccitatem et calorem indigent, indeque tot et tanta iurgia pastorum Isaac cum pastoribus Abimelech ob hosee puteos, Genes. 26. v. 17. 20. 22. a deo ut etiamnum viatores ibidem ad puteos communes anhelent et divertant, æque ac in Europa anhelant ad hospitalia, ut mihi retulit oculatus testis R. P. Marietus. Puteos ergo olim fodiendo sibi comparabant. ut patet Gen. 50. 5. et alibi. Hinc *fodere* significat *emere, comparare*, ut Deuter. 2. 6. pro *aquam emptam haurietis*, hebr. est, *aquam fodietis ab eis argento*, id est, emetis argento, emptamque haurietis. Addit S. Hier. Haymo et Lyran. Osee uti hoc verbo fodiendi, quia alludit ad vinea iam dicta. Israel enim erat quasi vinea, quæ fodi solet. Unde c. 2. 15. dixit: *Dabo ei vinitores ex ea*. Quocirca Leo Castr. Fodi, inquit, et pastinavi vineam, impendens in fossore quindecim argenteos. Secundo. Forsterus: *Cara*, inquit, significat fodere et scindere. indeque emere: quia ementes et vendentes dextras invicem percutiendo quasi discindunt, earumque discissione et divisione stipulantur venditionem utriusque esse factam, ratamque emptionem significant. Tertio. Arias: *fodi eam*, id est, emi in servam perpetuam: huic enim fodi et perforari solebant aures, iuxta legem Exodi 21. 6. Deuter. 15. v. 16.

Unde Nota. Licet Ruffin. et Ribera paulo ante citati censent hanc fœminam ab Osee fuisse emptam in uxorem: apud veteres enim, etiam Hebræos, sponsi et mariti emebant sponas et uxores, tum ab earum parentibus, tum ab ipsismet, dando eis pro dignitate cuiusque munera: ac sponsæ vicissim dotem dando, ea sibi maritos comebant. Ita David emit Michol centum præputiis Philistinorum, Iacob Rachelcm emit servitio septem annorum, Gen. 29. 18. Saphora emit Mosen sanguine filii, quem circumcidit, Exodi 4. 25. vide ibi dicta. Idem mos fuit apud Romanos, ut patet ex Cicerone oratione pro Murena, et Gellio l. 18. 6. atque apud Græcos: unde Iliad. 9. Agamemnon Achilli offert filiam sine *ἐδωκε*, id est, donis, quæ sponsi solent dare sponsis. Unde ab Ovidio dona iugalia vocantur; ab aliis sponsalia. Sic ergo Osee hic videtur emisse uxorem. Tamen verius est, ipsum eam non emisse in coniugem, sed conduxisse in ancillam, ad hoc ut adulteris et adulteriis abstineret. Unde Septuag. vertunt, *ἐμετ-εστρασε γυναικα μου* id est, *mercede et pretio conduxi eam*; *αγορασε* enim est merces. Ita S. Hieron. Albert. Hugo, et alii supra citati.

**QUINDECIM ARGENTEIS.**) Scilicet sielis. Sielus autem pendebat quatuor drachmas Atticas, id est, semiunciam, puta 4. regales Hispanicos, sive quatuor Iulios Italicos, uti dixi Exodi 30. v. 13. Ergo sielus argenteus erat florenus Brabanticus, et 15. sieli 15. floreni Brabantici.

**CORO HORDEI.**) Corus, hebr. חומר *chomer*, (diversus est ab עמר *homer*, sive gomor, quæ mensura erat victus diurni, Exodi 16. 16.) erat mensura continens 30. modios. Ita S. Hier. et Epiphan. lib. de Mensuris, qui ait, eorum continere 30. modios, esseque cameli onus. Addit Paulus a Palatio, eorum sive chomer esse onus asinarium, quod scilicet fortis asinus ferat, indeque dici *chomer* a חמור *chamor*, id est asinus. *Antiquissimum*, ait Plin. lib. 18. c. 7. *in cibis hordeum, sicut in Atheniensium ritu apparct; et gladiatorum cognomine, qui Hordearii vocantur.*

**ET DIMIDIO CORO HORDEI.)** Hebr. est תת שיערים *letech scorim*, quod mirum est Septuag. vertere *νεσσι σιγδ*, id est lagenam vini: *scorim* enim hordeum significat, non vinum. Et cæteri Interpretes verterunt *ημμορον*, id est medium eorum, hoc est quindecim modios hordei. Ita S. Hieron. Epiphan. et alii.

Porro empta fuit hæc uxor dimidio coro hordei: quia olim confarreatione nuptiæ contrahebantur, cum certis verbis coram testibus solemnî sacrificio, in quo panis farreus adhibebatur, in manum conveniebant, ait Ulpianus; quod a Romulo institutum fuisse testatur Dionys. nam farreatio illa significabat vitæ communionem; quocirca disfarreatio apud Festum est dissolutio matrimonii confarreatione contracti. Ita Ulpian. l. 9. Instit. Plinius lib. 18. c. 3. et ex iis Pineda l. 5. de Rebus Salomonis c. 2.

Quæres, quidnam hæc significent? Primo, Chald. S. Hieron. Hugo, Lyran. et alii censent quindecim argenteis significari decimam quintam diem primi mensis Nisan, puta Pascha, quo Hebræi sanguine agni paschalis a morte, quam inferebat angelus percutiens primogenita Ægyptiorum, redemerunt suos primogenitos, ideoque deinceps eosdem quinque sielis redimere sunt inssi. Corus et dimidius, id est, 45. modii, significant 45. dies quibus ex Ægypto pervenerunt ad montem Sina, ubi legem acceperunt, in qua sanxit Deus primitias hordei sibi offerri altera die Paschatis, inquit Chald. Verum esto eo alludi possit, tamen hæc iam pridem transacta erant: hic autem est prophetia de futuro, quæritur ergo quid in futurum portendant.

Secundo, Arias censet quindecim argenteis significari quindecim Prophetas tam maiores, quam minores, qui Isracl prædicarunt eumque conduxerunt ad pœnitentiam: corus sive chomer, inquit, est cumulus; *scorim* est hordeum, item turbo et tempestas, 45. modii sunt 45. pœnæ quas Deus Iudæis Levit. 26. intendavit, si legem violarent, quas Propheta hic Iudæos subituros significat. Alii alia asserunt, sed impertinentia, quæ vide, si lubet, apud Christ. a Castro.

**C** Simplicius dicendum videtur, hoc pretium taxatum fuisse huic mulieri ad annum victum: ad hunc enim Romani designabant modios suos 48. quos efficiunt Hebræorum modii 45. puta corus cum dimidio. Unde Terentius in Phormione docet, quod servi quatuor modios in mense accipiebant pro victu: iam multiplica quatuor per duodecim (tot enim sunt menses in anno) habebis modios 48. quæ erat mensura annui victus Romæ. Porro hordeum et hordeaceus panis erat cibus servorum, ancillarum et pauperum; apud Hebræos etiam adulterarum: unde mulier de adulterio accusata, ait S. Hieron. inbetur accipere gomor farinæ hordeaceæ, Num. 5. 45. Per hæc ergo omnia significat Propheta, quod Deus Israelitis ob peccata servituti destinatis, et quasi inmentis terrenis (horum enim pabulum est hordeum) dabat boua terrena, sed cum labore et pauca, puta tanta quanta ad victum sufficerent, tale enim est corus cum dimidio hordei ad victum annum, ac quindecim sieli ad vestitum et cætera necessaria; idque ad hoc, ne cogantur Gentes et idola sequi sicut olim faciebant, sed sciatur se non omnino a Deo esse derelictos, quinimo eius in se curam, alimoniam et bonitatem agnoscant, et spe maiorum donorum ad Deum revertantur, quod fiet in novissimo diernum, ut dicitur vers. 5. Hoc est quod ait Apostolus Roman. 14. *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*, sed expectat donec in fine *omnis Israel salvus fiat*. Ita Ribera, a Castro et alii. Moral. de pretio hoc vide S. Hieron. hic, et S. Ambros. l. 4. epist. 39. et l. 8. epist. 77.

**ET DIXI.)** Propheta conduxit adulteram pretio quindecim argenteorum, et sesquicoro hordei: nunc conductionis pacta et conditiones quas ab ea exigit, illi proponit.

Prima est, *Dies multos* (puta annum integrum: hanc enim Hebræi vocant ימים *iamim*, id est dies; quia annus est omnium dierum complexio et revolutio: et ad annum victum dederat ei pretium, uti iam dixi) *expectabis me*, hebr. *sedebis mihi*, vel mecum, q. d. Per annum

apud me habitabis et desidebis, nec vagaberis per domos et hospitia tuorum amasiarum. Ita Theod. Theoph. Pagnin. et alii: unde Isidor. et Vatabl. exponunt, q. d. *Multos dies in lectu sedebis quasi vidua*. Osee hic representat non Deum, sed Salmanasar, qui Israelitas in Assyria quasi in hospitio captivos detinuit. Noster vertit, *expectabis me*, quia respicit rem significatam: ad hoc enim sedebat domi Propheta, ut expectaret tempus quo ab eo reconciliaretur, et reduceretur ad maritum. Ita S. Hieron. Haymo et alii.

Secunda est, *Non fornicaberis*: hic enim fuit præcipuus scopus Prophetæ, nimirum ut avocaret eam a fornicatione. Ubi Nota insignem eius charitatem et zelum animarum. Ita S. Ephrem celebrat zelum et solertiam Abramii Eremitæ (in eius vita) qui Mariam neptem suam in fornicationem lapsam, indeque publice in hospitio meretricantem, re cognita insecutus, magno labore æque ac industria inde abduxit, et in eremum ad pristinam vitæ sanctitatem perennemque pœnitentiam reduxit. Ita S. P. N. Ignatius Romæ monasterium S. Marthæ extruendum curavit, ut in eo reciperentur mulierculæ, quæ a turpi quæstu abductæ vitam in melius mutare velent, ipseque existens Generalis illas eo deducebat. Cumque ei obiceretur in illis operam perdi, quod facile ad vomitum rediret: *Minime sane*, inquit Ignatius, *sed si omnibus vitæ mex curis atque laboribus id possim efficere, ut vel unam noctem peccato vacuam præterire istarum aliqua velit, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel illo tam exiguo tempore Deus et Dominus noster non offendatur, etiamsi seiam illam statim ad ingenium redituram*. Ita Ribaden. l. 3. Vitæ eius c. 9. Nimirum clare perspiciebat quantum malum, quanta Dei offensæ et iniuriæ sit unum peccatum mortale, una fornicatio, ad quam proinde avertendam quilibet Dei zelotes omnes vires corporis et animi contendere et impendere debeat.

Tertia est, *Et non eris viro*, id est nulli viro nubes, aut copulaberis: et consequenter nec ad tuum virum (ille enim te ob adulteria negligit et spernit) redibis, eive copulaberis; multo minus mihi qui sum merus tui custos, hospes et conductor.

Quarta est, *Et ego expectabo te*: hebr. *et ego ad te*, scilicet respiciam et veniam, ut suo tempore, puta post annum, te ex hoc meæ domus hospitio educam, et ad maritum reducam. Noster vertit, *expectabo*, quia respicit rem significatam, q. d. Expectabo, ut tu pœnitens convertaris, tumque ego te marito restituam. Ita Chald. S. Hier. Haymo, Hugo, et Lyran. Aliter Ribera, expectabo inquit te, ut tecum copuler, et ex te rursum liberos procreem. Censet enim hanc fuisse Gomer uxorem Osee, a qua ipse ad tempus iussu Dei abstinerit, iusseritque eam domi sedere quietam, nec fornicari; sed expectare se, suumque thorum, ad quem denuo eam revocaturus erat, ut representaret quod Deus qui Synagogam Iudæorum iam quasi dereliquerat, data interim frugali sustentatione bonorum temporalium, expectaret eam usque in finem mundi, ut tunc ei rursum desponsetur, eique liberos procreet. Aliter quoque Vatabl. Pagnin. et Arias: vertunt enim, *non eris viro, nec etiam ego ad te*, supple, ingrediar, ut tecum copuler. Significationem et causam harum conditionum explicat Osee, et applicat Israeli dum subdit:

VERS. 4. **QUIA DIES MULTOS SEDEBUNT**, desolati et dispersi, ideoque lugentes, afflicti et squalidi, **FILII ISRAEL SINE REGE**, etc. ) Primo, Rabbini, Ruffin. Albert. et Hugo, hæc accipiunt de captivitate Babylonica duarum tribuum, usque ad eius laxationem per Cýrum. Verum obstat quod in illa captivitate habuerint hæc tribus pontificem, scilicet Iosedec: item legem et iudices, ut patet Daniel 15. 5. quin et regem Ioachim, et principes Zorobabel et Salathiel: insuper altare, ut patet Baruch 4. 10. et sacerdotes ac prophetas, ut Danielelem, Ezechielem, etc. atque Deum colebant, quæ tamen omnia hic eis defore prædicuntur. Rursum Zorobabel aut Salathiel non potest dici David rex. Ita S. Hieron. Cyrillus, Rupert. et S. August. 18. Civit. 28.

Secundo, R. David hæc contigisse putat tempore Ma-

habæorum et Herodis: tunc enim subacti fuerunt Iudæi ab Antiocho Epiphane eiusque posteris, qui sacra Iudæorum profanarunt, et pontificatum vendebant; ac licet tunc Machabæi essent principes, non tamen erant legitimi, quia oriundi ex tribu Levi non Iuda, cui sceptrum dedit Deus, Gen. 49. 10. Verum errat: tunc enim sub Machabæis maxime floruit religio, virtus et fortitudo Iudæorum, erantque ipsi legitimi principes, utpote a toto populo electi. Nec obstat locus Gen. 49. 10. ut ibi ostendi.

Tertio S. Hier. Cyril. Haymo, Hugo Lyran. Paulus a Palatio, Vatabl. Ribera, Sanchez et passim alii, ac S. Aug. l. 18. Civit. 28. censent hæc pati Iudæos, nunc, puta post Christum, et passuros eadem usque ad finem mundi. Iam enim carent rege, sacerdotio, altari, etc. Verum hoc patitur Iudæi ob occisum ab eis Christum, non ob idololatricam; quod tamen asserit hic Propheta. Rursum hæc usque Propheta egit de Israelitis, id est, decem tribubus, non de duabus, puta Iudæis: Iudæorum enim dixit se miseretur, c. 1. 7. Fateor tamen a pari ad eos hæc posse extendi: unde

Quarto, dico cum Theodor. Theophil. Chaldeo, et a Castro, Prophetam pergere loqui de Israelitis, id est, decem tribubus, ac prædicere earum excidium, et desolationem duraturam usque ad finem mundi. In Assyriam enim abducti, inde nunquam redierunt, nisi perpaucae misti Iudæis; sed sparsi, et incogniti vagantur etiamnum toto orbe: unde carent rege, lege, republ. sacerdotio, etc. serviuntque viles, pauperes et miseri aliis gentibus et principibus, uti mulier illa (quæ horum erat typus) sedebat apud Osee desolata, quasi vidua, carens marito, omnique alia ope divina et humana, habens solam tenuem sustentationem quam dabat illi Osee. Hoc est quod eis pariter prædixit Azarias Propheta 2. Paral. 15. 3. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote, doctore, et absque lege*, q. d. Excisa Samaria ab Assyriis anno 6. Ezechie regis Iuda, Israelitæ captivi erunt et profugi, carebuntque tam republ. quam Ecclesia; tam rege, quam pontifice; tam curia, quam templo; tam civili iure, quam sacro.

**SINE ALTARI.**) Hebr. est מצבה *matsbeba*, id est, statua: unde Leo Hebr. Isidor. Arias, Pagnin. et alii vertunt, *sine idolis*. Verum melius vertit Noster, *sine altari*: ita enim vertunt Septuag. altare enim directe et correlative respondet sacrificio, quod antecessit. Hinc et Chald. vertit, *neque erit in Samaria excelsum*, scilicet altare. *Matsbeba* enim significat omne id quod erigitur, statuitur, firmatur, quale in primis est altare, a rad. יצב *iatsab*, id est, *stelit*; et in hiphil הציב *hitsib*, id est, *statuit*, erexit, firmavit.

**SINE EPHOD.**) *Ephod*, sive superhumeralis, erat primaria vestis pontificum, ut dixi Exod. 28. 6. Unde significat pontificatum et sacerdotium Israeli auferendum, uti iam pridem ablatum est. Ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Hugo et Lyran. quocirca Septuag. vertunt, *sine sacerdotio*. Verum quia in τω *sine sacrificio*, et *sine altari*, sat significavit auferendum pariter sacerdotium, hoc enim sine altari et sacrificio esse nequit; hinc pressius et melius per ephod accipimus oracula et prophetiam, quæ fiebat per urim et thummim posita in ephod, ut dixi Exodi 28. 30. significat ergo ab Israele auferendos Prophetas et pontifices, qui per urim et thummim dent oracula, et consulti respondeant de futuris. Ita S. Cyrillus, Theodor. et Theoph.

**SINE THERAPHIM.**) Quæres, quid est *theraphim*? Primo, Iudæi censent fuisse sacras imagines, quibus privandæ erant decem tribus in Assyriaca captivitate; unde Aben Ezra et alii Rabbini ex hoc loco colligunt sacras imagines non fuisse Iudæis vetitas, sed tantum profanas et idololatricas. Sileat ergo Lutherus et hæretici, qui volunt *theraphim* fuisse sacras imagines similes imaginibus Catholicorum, unde eas esse vetitas, quia alibi passim Scriptura votat et damnat *theraphim*. Legant hi fabulones Bellarm. lib. 2. de Sanctis.

Secundo, Arias et Caietan. in Iudic. 17. et Olcaster in

Gen. 31. 19. censent esse imagines quas certo astrorum situ conficiebant Astrologi, ut ex iis loquentibus, responsaque dantibus cognoscerent futura. Unde R. Eliezer in suis capitulis, c. 36. *Quare, inquit, vocantur Theraphim?* ac respondet: *Adducebant hominem primogenitum et mactabant, eique caput abscindebant, atque hoc sale et aromate condiebant, ac inscribebant super laminam nomen cuiusdam spiritus immundi. Porro supponebant nomen illud sub lingua ipsius, camque reponebant in pariete, atque coram eo accendebant lucernas, et adorabant eum; ipse vero alloquebatur eos.* Et Aben Ezra in Genes. 31. Theraphim, ait, erant hominum imagines, ad superiorum virtutem et caelorum influxum suscipiendum. Sic et Lyranus in Iudic. cap. 17.

III. Tertio, alii Rabbinii censent esse instrumenta quaedam aëra, ad horarum partes internoscendas, seu esse horologia, cylindros, astrolabos.

IV. Quarto, Monceus l. 1. de Vitulo aureo c. 18. et 20. putat theraphim fuisse Chernbim, alii Seraphim. Unde Cedrenus referens historiam Iudic. 17. pro *theraphim* habet *Seraphim*. Chaldaei enim ita dicunt: nam pro littera s, ponunt l, ut pro *sciatos*, id est, tria, dicunt *thelath*; pro *sces*, id est, sex, dicunt *sect*: pro *mescialim*, id est, proverbialia, dicunt *methalim*: pro *matseca*, id est, fusile, *malheca*: pro *sciaar*, id est, ianua, dicunt *therah*, cum metathesi, e qua Graecorum *ἑρως*, et Germanorum *thur*, inquit Serarius in Iudic. 17. q. 5. Hinc et S. Hieron. Theraphim, ait, sunt Cherubim et Seraphim, sive alia quæ in templi ornamenta iussa sunt fieri, hæc enim omnia per synecdochen significantur in sui parte, puta in theraphim, hoc est, Cherubim et Seraphim. Ita et Haymo, Albert. Hugo et Dionys.

V. Quinto, Christ. a Castro, Saotchez et Leo Castrius censent theraphim esse urim et thummim, quæ erant duo lapides, vel duo simulacra, ut putat Christ. a Castro, in rationali pontificis, dantia oraculum et responsa consulentibus. Probat, quia Septuag. et Aquila vertunt, *illuminationes*, vel *manifestationes*: sic autem idem vertunt urim et thummim Exodi 28. v. 30. Verum hoc uti novum, ita parum verisimile videtur: præsertim quia hoc periculosum valde fuisset apud Iudæos, si imagines vidissent, vel audissent loquentes et vaticinantes. Erant enim ipsi in imaginum adorationem et idololatriam propensissimi.

VI.  
Et ge-  
minia.

Quocirca dico primo, *theraphim* significat imagines sive simulacra. Patet, quia ita vertit Noster 1. Reg. 19. 16. in statua quam pro Davide profugo supposuit uxor Michol. ubi Septuag. vertunt *εἰκόνες ἀνθρώπων*, id est, statuas representantes mortuum hominem, sed inanes et evanidas, cum ipsum corpus hominis non adsit, sed absit. Secundo, quia Aquila vertit *μορφωματα*, id est, figuras seu imagines: Chald. *צלמניא* *tsalmenaita*, id est, similitudines et simulacra.

Dico secundo, hinc consequenter theraphim, sicut et simulacra, sumuntur pro idolis, quia priscae imagines, præsertim apud Iudæos, vix fiebant nisi diis et idolis. Patet, quia Noster interpres et alii Gen. 31. 19. Iudic. 17. 5. Ezech. 21. 21. et alibi passim *theraphim* vertunt idola. Hæc dicuntur *theraphim*, vel a rad. *רפה* *rapha*, id est demittere, ut vult Marinus et Forster. quod idololatræ coram iis se demitterent et humiliarent, ea adorando: vel a Chaldaeo *תרף* *teraph*, id est putrescere, exprobrare, et probris afficere. Unde Chaldaei *beth hatturph*, id est, domum turpitudinis, vocant fanum idoli: et forte inde manavit Latina vox turpis et turpitude, ait Serarius loco citato. *Theraphim* ergo idem est quod turpe, probrosum, immundum, putridum et putrefactione dignum; tale enim est idolum, quod proinde hebr. vocatur *stereus* et *sordes*: vel potius *theraphim* dicta sunt a seraphim et cherubim, de quo mox plura.

Porro *theraphim* hic, uti et alibi, significare idola, ex eo colligitur, quod per *τὸ sine theraphim*, explicat illud quod de muliere dixit, v. 3. *Non fornicaberis, et non eris viro*, q. d. Volo te o mulier domi meæ degere solam, ita ut nec adulteris, nec marito tuo copuleris; ut representes quod Israelitæ post excidium pari modo sedebunt si-

ne sacrificiis et altari, ut non colant Deum verum, quasi maritum suum; et sine theraphim, ut non colant deos alienos, quasi adulteros: significat ergo Israelitas longo tempore non colituros Deum verum, nec theraphim, id est idola.

Dico tertio, *theraphim* significat idola, tum qua deos, tum qua dabant oracula, et consulentibus respondebant de futuris eventis. Patet, quia Ezech. 21. 21. de rege Babylonis dicitur: *Interrogavit idola* (hebr. *theraphim*) *exta consuluit*. Et Zachar. 10. 2. *Quia theraphim locuta sunt, et divini viderunt mendacium*. Unde et Chald. vertit, *non erit qui responsum reddat*. Idem patet Iudic. 17. 5. et c. 18. 20. in theraphim Michæ. Secundo, quia Septuag. pro *theraphim*, vertunt *δεδωσις*, id est, manifestationem; et Aquila *φωτισμοῦ*, id est, illuminationem, hoc est, prophetiam et oraculum. Denique Rabbinii *theraphim*, inquit, *sunt imagines futura prænuntiantes*.

Theraphim ergo erant simulacra et idola, quæ idololatræ domi habebant, invocabant, et in omnibus difficultatibus dubisque consulebant, quasi Lares et Penates suos. Sic Rachel furata est theraphim, id est idola et Lares, patris sui, Gen. 31. 19. Sic Michæ habuit theraphim, quasi Penates suos, Iudic. 17. v. 5. Itaque significatur hic quod Israel in captivitate carebit theraphim, id est, diis patriis, Laribus et Penatibus suis, puta vitulis aureis, et Baalim, quos colebat in Samaria, licet enim mistus Gentibus coluerit earum idola; tamen hi non erant eius theraphim, id est, dii patrii, Lares et proprii Penates quos coluerat in Samaria. Ita Hebræi, Lyran. Yatabl. Pagnin. Isidor. Arias, Serarius loco citato, et alii. Simili modo Gentiles coluerunt suos Lares, adeo ut etiam post excidium domo et urbe fugientes, eos secum peregre asportarent, uti Æneas excisa Troia extulit secum idola patria, quasi Lares suos: quod tacite irridens Virgil. ait:

*Ilum in Italiam portans victosque Penates.*

Hinc narrat Gentiles, quod, cum Troiæ in honorem Palladis arx, et in eius summo templum illi ædificaretur, cælo ceciderit Palladium, id est, Palladis simulacrum lignum movens oculos et hastam quam manu gestabat, ut scribit Servius. Hoc Palladium sibi locum in eo templo delegit, moxque oraculum ab Apolline datum est, Troiam excidendam, si Palladium hoc ex urbe efferretur. Quocirca Diomedes et Ulysses clanculum occisis custodibus, illud extulerunt; ac paulo post a Græcis capta est Troia. Ita Ovid. 5. Fastor. et Virgil. 2. Æneid.

*Fatale, inquit, aggressi sacrato avellere templo*

*Palladium, etc.*

Palladium enim erant Penates Troiæ. Et S. Augustin. in lib. de Civit. ridet hosce deos urbiumque tutores, qui oculos habent et non vident, pedes et non ambulant, manus et non possunt opitulari. *Tales, inquit, fuerunt præsides et custodes Capitolii, qui cum seipsos non possent defendere, quanto minus valebant civitatem tueri?* De his ait Plautus:

*Ego Lar sum familiaris ex hac familia,*

*Unde exeuntem me aspexisti.*

D Inde Lararium vocabatur locus sive oratorium in quo theraphim, id est, Lares et dii domestici servabantur et colebantur. Scribit Lampridius Alexandrum Severum Imp. in Larario rem divinam mane facitasse ad effigies deorum, in quibus habebat Abrahamum et Christum: in secundo autem Larario habebat simulacrum Virgilii et Ciceronis. Idem dicti sunt Penates, sive a penu ducto nomine (est enim omne quo vescuntur homines *penu*) sive ab eo quod *penitus* insident, ex quo etiam *penetrates* a poetis vocantur, inquit Cicero l. 2. de Natura deorum. Et Macrobius lib. 3. Saturn. c. 4. *Penates*, ait, *esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus*. Unde Plaut. in Mercat. *Ego mihi alios Penates deos persequar, alium Larem*. Et Terent. in Phormione: *At ego deos Penates hinc salutatum domum divertar*.

Hinc rursus suspicari quis potest, theraphim ortum habere a cherubim et seraphim, uti superius dixi. Cum enim

Gentes viderent Iudeos tanta veneratione prosequi cherubim et seraphim, tum post fabricam arca et cherubim per Mosem, tum ante eam. Nam ante eam Genes. 31. Rachel dicitur furata theraphim, id est, idola patris sui: atque ab initio mundi cherubim positi erant ad custodiam paradisi; denique ex traditione Adæ, Noe, Abraham, filii et nepotes eorum ante Mosem cognoscebant et venerabantur angelos, seraphim et cherubim. Inde Gentiles suspicati sunt hæc esse eorum numina et deos tutelares: unde ipsi pariter suos Lares et Penates nonnihil immutata et corrupta voce (uti fieri solet, cum voces e primæva lingua in aliam peregrinam transferuntur) pro seraphim et cherubim vocasse videntur theraphim, præsertim Chaldaei, qui littera t gaudent, et s in l commutant, uti initio dixi. Hinc et theraphim sæpe iunguntur cum ephod, uti hoc loco, et Iudæ. 17. 5. et c. 18. v. 4. 17. et 20. constat enim ephod vestem fuisse sacerdotalem Iudæorum.

Vers. 5.

ET QUÆRANT Israelitæ, sive decem tribus, tot centenorum annorum desolatione et derelictione afflicti, pœnitentes, et respicientes, DOMINUM DEUM SUUM, ET DAVID REGEM SUUM.) *David*, id est, Messiam, sive Christum, Davidis filium, et in regno (non temporali, sed spiritali Ecclesiæ) successorem. Ita Chald. S. Hieron. Hugo, Vatabl. Isidor. Arias et alii passim. Ita Christus vocatur David Ezech. 34. 23. *Suscitabo super servum meum David. Ierem. 30. 9. Servient Davidi regi suo, quem suscitabo eis.* Et alibi, uti docet S. August. tom. 4. lib. de octo Duleitii quæstionibus q. 5. et ult. ac fuse Galatin. lib. 3. cap. 23. nomina enim parentum apud Hebræos sæpe patronymice sumuntur pro filiis et posteris.

ET PAVEBUNT AD DOMINUM ET AD BONUM EIUS.) Pavor in Scriptura, cum Deo et rebus divinis tribuitur, significat summam venerationem et reverentiam, q. d. Summa reverentia prosequuntur et colent Dominum. Septuag. vertunt, *stupebunt in Domino, et in bonis eius.* Porro *ad Dominum*, id est, audito nomine Domini, q. d. Solo no-

minis divini auditu percussis et attoniti, eum reverebuntur. Bonum autem hic significat Dei erga Israelitas largitatem et beneficentiam, quam Deus fidelibus per innumeras gratias, dona et beneficia demonstrat, et testatissimam facit, ita ut fideles iis visis in Dei tam liberalis et benefici admirationem et stuporem rapiantur, q. d. Israelitæ mira devotione et reverentia venerabuntur Dei bonitatem et magnificentiam; quia videbunt tam magnifica dona et beneficia ab ea sibi, licet tam diu rebellibus post tot sæcula exhiberi, iuxta promissa Abraham et patribus facta. Unde primo, particulatim S. Hier. Albert. et Hugo per *bonum* accipiunt Iesum Christum, quem unigenitum suum (ac consequenter omnia dona per eum et cum eo) nobis donavit Deus Pater. Secundo, Haymo, Albert. et Arias, per *bonum* accipiunt Spiritum sanctum; hic enim est primum et increatum bonum et donum Patris et Filii, qui omnia creata dona in se complectens, ea ubertim in nos effundit. Tertio, alii per *bonum* accipiunt Eucharistiam; in hac enim summam bonitatem, opus et gratias nobis in dies ostendit, et communicat Deus Pater, et Christus Dominus iuxta illud Zachariæ 9. 17. *Quid est bonum eius, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?*

IN NOVISSIMO DIERUM.) In fine mundi, quando sub adventu Antichristi, maxime post eum occisum, Israelitæ et Iudæi, qui ei viventi et regnanti adhæserant, partim memores concionum et miraculorum Eliæ et Enoch, partim aliorum concionatorum exhortatione, convertentur ad Christum, uti dixi Apoc. 11. tunc enim omnis Israel salvus fiet, Roman. 11. 25. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. et alii passim. Secundo, Isidor. et a Castro hæc facta putant in incarnatione, et primo adventu et prædicatione Christi, scilicet inchoate: tunc enim pauci ex Israel converti cœperunt. Errant alii, qui hæc præstita putant in laxatione Iudæorum e Babylone facta per Cyrum.

## C A P U T Q U A R T U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Causas iræ Dei et vindictæ in Israellem recenset, maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, etc. quorum omnium origo fuit, quod in eo non esset scientia Dei. Secundo, horum omnium causam, v. 8. assignat ignorantiam et malitiam sacerdotum, qui peccata populi adulando forabant, ut pro iis hostias ab eo acciperent. Tertio, v. 19. arguit Israelis lasciviam et libidinem, ideoque ei ignominiosum excidium et captivitatem comminatur.*

1. **A**UDITE verbum Domini filii Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. 2. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. 3. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in voluere cæli: sed et pisces maris congregabuntur. 4. Verumtamen unusquisque non indicet, et non arguatur vir: populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti. 5. Et corruet hodie, et corruet etiam propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam. 6. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. 7. Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo. 8. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublebabunt animas eorum. 9. Et erit sicut populus, sic sacerdos: et visitabo super eum vias eius, et cogitationes eius reddam ei. 10. Et comedent, et non saturabuntur: fornicati sunt, et non cessaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. 11. Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. 12. Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus eius annuntiavit ei: spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. 13. Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiana: subtus quærum, et populum, et terebinthum, quia bona erat umbra eius: ideo fornicabantur filix vestrae, et sponsæ vestrae adulteræ erunt. 14. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponas vestras cum adulteraverint: quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effæminatis sacrificabant, et populus non intelligens vapulabit. 15. Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda: et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque iuraveritis: Vivit Dominus. 16. Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel: nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine. 17. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. 18. Separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt: dilexerunt auferre ignominiam protectores eius. 19. Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis.

Vers. 1.

**AUDITE VERBUM DOMINI FILII ISRAEL.**) Hinc patet Prophetam adhuc alloqui decem tribus. Ita Chald. S. Hieron. Hugo, Vatabl. et alii: hæc enim vocantur Israel, et Ephraim v. 17. licet aliqui, ut Haymo et Arias, hæc accipiant de duabus tribubus, eo quod v. 15. nominet Iuda: sed id facit obiter, per subitam depressionem, imo per comparisonem et oppositionem ad Israel, id est ad decem tribus. Alii denique, ut Ribera, hæc accipiunt, tam de Israel quam de Iuda, id est, de duodecim tribubus, quod non est improbable; licet primum quod dixi sit probabilius, magisque proprium et connexum.

**QUIA IUDICIUM DOMINO CUM HABITATORIBUS TERRÆ.)** *Iudicium*, id est, accusatio et expostulatio: unde Chald. vertit, *disceptatio*, q. d. Habet Deus quod in iudicio accuset, iusteque expostulet cum incolis Samariæ. Ita Vatabl. et alii.

**NON EST ENIM VERITAS.)** Id est fidelitas, sive fides promissorum et factorum, q. d. Israelitæ non servant fidem, sed dolosi sunt et fraudulentum: decipiunt enim et fraudant proximos suos. Ita passim interpretes. Solus Albert. quem sequitur Dionys. accipit veritatem morum et vitæ, qua scilicet vita dicitur vera, id est recta, iusta et conformis suæ regulæ, puta rectæ rationi.

**NON EST MISERICORDIA.)** q. d. Non est qui misereatur, et miserendo subveniat egenti et afflicto. Ita Haymo, Hugo, Vatabl. Arias, ac S. Cyprian. epist. ad Demetrianum: ubi et addit: *De sterilitate aut fame quereris, quasi famem maiorem siccitas quam rapacitas faciat, quasi non de captatis ammonarum incrementis et pretiorum cumulis flagrantior inopia ardor exerceat. Quereris claudi in tribus exlumi, cum sic horrea claudantur in terris. Quereris minus nasci, quasi quæ nata sunt, indigentibus præbeantur. Pestem et luem erimuraris, cum peste ipsa et lue detecta sint vel aucta crimina singulorum: dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina; iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia luera temerarii, fugientes morientium funera, et appetentes spolia mortuorum; ut appareat in aegritudine sua miserum ad hoc forsitan et derelictos esse, ne possint dum curantur, evadere.* Ita sane et hodie sæpe immiseri cordia est causa miseriarum privatarum et publicarum.

**ET NON EST SCIENTIA DEI IN TERRA.)** Et, id est, quia (hoc enim significat Hebr. *vau*) q. d. Defectus scientiæ Dei, quasi luminis practici, est causa cur deficiat misericordia et veritas, sive fidelitas. Porro scientiam Dei accipe non speculativam sed practicam, qua cognoscimus, æstimamus, et reveremur Dei nomen, providentiam, iustitiam, vindictam, etc. ideoque hæc Dei scientia cum eiusdem timore, amore, cultu et obedientia coniuncta est. Hæc enim est scientia, sapientia et prudentia, quam passim commendat Scriptura, præsertim in Proverbiis, Ecclesiastico, et aliis libris sapientialibus, q. d. Non est qui Deum practice cognoscat, puta qui eius maiestatem et providentiam apprehendat et æstimet, uti par est, qui eum timeat, colat et reveretur; ut cogitans eius providentiam qua punit impios, et præmiat pios, studeat ei placere; ideoque vacet operibus piis, et absteineat ab impiis: de quo ait S. Ioan. epist. 1. c. 2. 4. *Qui dicit se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est.* Unde Chald. vertit, *non est qui ambulet in timore Domini.* Sic et S. Cyril. et S. Cyprian. lib. ad Demetrianum. Quod enim homines a peccato absterret, et ad bonum impellit, est Numinis metus et reverentia: hoc si tollas, homines impune fræna laxabunt suis concupiscentiis, et ruent in omnia scelera. Hoc est quod queritur Psaltes Ps. 13. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: hac de causa corrupti sunt, et abominabiles facti.*

Ex adverso S. August. serm. 112. de Tempor. *Cognitione*, ait, *Dei nihil melius est, quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitudo est. Unde et Salvator ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Et mox: *Beata siquidem vita est cognitio divinitatis: cognitio divinitatis, virtus boni operis est: virtus boni operis, fructus est æter-*

Beatitudo est nosse Deum.

*næ beatitudinis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur.* Idem scripsit librum de Beata vita, quo toto docet non aliud esse beatam vitam, quam perfectam Dei cognitionem. S. Bernard. trac. de Interiori domo in fine: *Deum, ait, cognoscere, plenitudo est scientiæ: plenitudo autem huius scientiæ, plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. Ad huius vero scientiæ plenitudinem, opus est potius intima compunctione, quam profunda investigatione; suspiriis, quam argumentis: lacrymis, quam sententiis: oratione quam lectione: celestium potius contemplatione, quam terrestrium occupatione.* Idem lib. de Conscientia, docet multos quærere scientiam, paucos conscientiam, cum vera scientia consistat in pura et sancta coram Deo conscientia.

**MALEDICTUM ET MENDACIUM)** Chald. vertit, *peierant incelle huius terræ, mentiuntur, etc. committunt adulteria, perfringunt* (scilicet sepem mandatorum Dei) *et sanguis sanguinem tangit, cædes cædem excipit.* Sic et Vatabl. Alii vertunt, et explicant: *Maledictis, calumniis, conviciis et execrationibus insectantur proximos.* Ita Theoph. Haymo, Lyran. et Hugo. Utrumque significat hebr. **אלא** *ala*, sed magis prius: ostendit enim non esse veritatem in terra ex contrario, quia scilicet in ea regnat *ala*, id est, perurium execratorum, ut vertunt Septuag. q. d. Execrantur, dicuntque: *Dispeream, terra mihi dehiscat si hoc non sit verum, vel si hoc non fecero, et mentiuntur fidemque fallunt; ideoque sunt periuri.*

**INUNDAVERUNT.)** Chald. et Vatabl. *eruperunt instar diluvii*, quod omnes aggeres et sepes sua vi diffringens et dirumpens, campos implet et opplet aquis. Hoc enim est hebr. **פראס** *parats*: pari enim modo Israelitæ suis sceleribus plurimis et maximis diffringebant omnia iura iusaque Dei, atque omnia replebant furtis, fraudibus, adulteriis, cædibus, etc.

**ET SANGUIS SANGUINEM TETIGIT.)** Septuag. *sanguines in sanguinibus miscent.* Sic enim legit codex Vatic. hebr. ad verbum est, *sanguines in sanguine tetigerunt.* In sanguine, id est, sanguines: verba enim contactus apud Hebræos construuntur cum *beth*, id est, *in*. Dicunt enim percutere in manu, pro, percutere manum: occidere in anima, id est, occidere animam. *Sanguis* in Scriptura significat Primo, homicidium, per metonymiam, qua obiectum ponitur pro actu; puta sanguis, pro effusione sanguinis, indeque extenditur per catachresin ad quamvis vim fraudem et iniuriam proximo illatam: hæc enim viam sternit ad homicidium, eiusque est quasi inchoatio: unde prohibetur quinto Decalogi præcepto, *Non occides.* Secundo, significat omnem contaminationem, pollutionem et immunditiam: sanguis enim effusus omnia contaminat, polluit, cruentat et fœdat. Tertio, per synecdochen significat quodlibet scelus: quia enim maximum scelus in proximum est homicidium, hinc ab eo utpote famosiori, sumitur denominatio, ut quodlibet aliud facinus a pari vel simili vocetur sanguis. Hisce omnibus modis hic accipitur.

Primo, ergo Vatabl. exponit *sanguis sanguinem tetigit*, id est, cædes cædi fuit continua, vel cædes eadem tetigit, q. d. Sunt continuæ cædes in Samaria, mutuis vulneribus sese passim interficiant. Sic Latinis prisceis alternum dare sanguinem dicebantur qui se invicem vulnerabant. Unde Seneca in Thyeste:

*Quis vos exagitat furor*

*Alternum dare sanguinem,*

*Et sceptrum scelere aggredi?*

Unde Syrus vertit, *sanguinem sanguine miscuerunt; Arabicus, sanguinem super sanguinem effuderunt.* In hebræo maior est emphasis. Habet enim in plurali *sanguines tetigerunt sanguines*, q. d. Tanta est effusio sanguinis, ut non guttatim is stillet, sed instar rivi et torrentis decurrat, atque ad sanguinem alibi effusum confluat, efficiatque quasi lacum sanguineum, et campos sanguinantes. Inde *vir sanguinum* vocatur homicida et Iatro, uti David vocatur a Semei 2. Reg. 16. 7.

Vers. 2.



Secundo, Rupert. sanguinem accipit pro commistione seminis et sanguinis (semen enim est sanguis optimus, et plane percoctus) consanguineorum, q. d. Consanguinei invicem sanguinem, id est, semen, commiscunt, invicem incestant et pollunt.

Tertio, plenissime, Chald. S. Cyril. S. Hieron. Haymo et Hugo sanguines accipiunt pro peccatis, q. d. Addunt peccata peccatis, scelera sceleribus accumulunt. Audi S. Gregor. homil. II. in Ezech. *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur; ut ante Dei oculos adinuetis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus Apostolus ait: Ut impleant peccata sua semper. Joanni quoque per angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc*, q. d. Domus, vici, fora, templa, muri, agri peccatis inundant et exundant.

Quæres, cur sanguis sit symbolum peccati? Resp. Primo, quia effusio sanguinis, puta homicidium, inter homines censetur gravissimum esse peccatum. Secundo, quia sanguis est sedes et instrumentum concupiscentiæ, quæ est causa peccati. Sanguis enim subministrat materiam tam libidini, quam iræ et superbiæ, eaque accendit et inflammat. Unde sanguis est symbolum carnalis sensus et cupiditatis, uti ex Theod. docui Levit. 17. 11. Tertio, quia sanguis Iudæi ex lege erat immundus et abominabilis, nec eo licebat vesci, idque in odium et detestationem homicidii, Levit. 17. 10. Rursum, sanguis menstruarum et naturaliter, et ex lege immundissimus erat, Levit. 15. 19. et seqq. Tale est et peccatum quod est menstruum, et terribimum virus animæ. Quarto, quia peccatum occidit animam, eiusque quasi sanguinem et vitam effundit.

Allegor. Theoph. et ex eo Leo Castrus (qui hunc sensum affert quasi literalem) Iudæi sanguini Prophetarum miscuerunt sanguinem Christi, Apostolorum, et Martyrum, dum eos æque ac Prophetas occiderunt, uti Christus eis obiicit Matth. 23. v. 33. Rursum iidem, ait Castrus, Christum inter duos latrones crucifixerunt, ut crederetur esse latro. Sic ergo sanguinem Christi sanguini latronum miscuerunt.

Vers. 5.

PROPTER HOC LUGEBIT TERRA. ) Hic pœnam tot tantisque sceleribus debitam intentat. Ait ergo: *Lugebit*, id est, ut Chald. *vastabitur et desolabitur, terra*, ut metaphoricè lugere videatur: sicuti ex adverso prata ridere dicuntur, cum germine, floribus et fructibus vernant. Ita Lyran. Arias et Vatabl. Secundo *lugebit*, metonymice, quia vastata luctum incolis inducet. Ita Haymo et Hugo. Quocirca huius luctus terræ effectum subdit, dicens:

ET INFIRMABITUR. ) Id est, languebit, fame conficietur, tabesceat et morietur. Ita Chald. Est metonymia: ponitur enim antecedens pro consequente, puta infirmitas pro morte.

OMNIS QUI HABITAT IN EA, IN (id est, cum) BESTIA AGRI, ET IN (id est, cum) VOLUCRE CÆLI.) q. d. Desolata terra non tantum homines, sed et bestię avesque, quin et pisces morientur: tum quia hæc omnia ex terræ frugibus vivunt; iis ergo sublatis emoriuntur: tum quia per hæc omnia punitur a Deo homo peccans, qui est eorum dominus.

ET PISCES MARIS CONGREGABUNTUR. ) Id est deficient, et morientur. Ita Sept. et Chal.

Quæres, cur defectus animalium et mors, vocatur congregatio? Respond. Primo, quia animalia, etiam fera, ut leones, cervi, lupi, agri sparsa per agros et sylvas dum periculum mortis sentiunt, naturæ instinctu solent congregari in unum agmen, ut simul iuncta validius periculo resistant. Secundo, quia pisces cum ob vitium aquarum, aeris, aliave de causa (ut ob fœturam, vel cum balæna gravida onus ventris sentiens agitatur seipsam, totumque mare, et consequenter omnes pisces) alio migraturi sunt, solent congregari in unum agmen, itaque simul proficisci: unde tunc pisces qui id præsentiant, eos piscari solent; uti quotannis stato tempore videmus fieri piscationem halecum, mungilum, salmonum. Tertio, Ribora, et alii exponunt: *Congregabuntur*, scilicet ad mul-

titudinem et congregationem mortuorum, id est tabescent et morientur. Hinc enim illa trita phrasis, *Apponi*, vel *congregari ad patres*, id est, mori. Est metalepsis, vel metonymia: ponitur enim consequens pro antecedente, scilicet descensus in sepulcrum et limbum, pro morte prævia. Quarta et genuina, quia Hebr. *קָהַל asaph*, significat congregare, colligere, auferre. Sic enim poma dicuntur congregari, vel colligi, dum carptim auferuntur. Sic pisces congregantur in sagenam, dum expiscando auferuntur. Unde Lucilius:

*Ruis hæc, et colligis omnia furtim.*

Congregare ergo vel colligere, idem est quod auferre.

Porro hæc mors vel descensus piscium in desolatione terræ contingit partim naturaliter: siccitas enim et combustio terræ arefacit torrentes et rivus, qui alebant pisces; partim et potius iusto Dei iudicio, qui hominum impiorum terra et aqua, bestiis et piscibus abutentium luxum castigat, omnium defectu et desolatione. Hoc est quod minatur Isaias Aegyptiis e. 19. v. 5. *Arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur atque siccabitur; et deficient flumina, et moriebunt piscatores*. Ita in historiis legimus, et hoc sæculo vidimus, in Francia, Scotia, Hollandia urbes olim piscatione et piscibus divites, postquam hæresim admiserunt, piscibus emorientibus, vel alio commigrantibus sterilitate et paupertate a Deo vindice punitas. Refert Platina sub Victore III. Pontif. ob peccata illius ævi, pisces tam in mari quam in fluminibus defecisse. Idem Hiberniæ contigisse, sed precibus S. Malachiæ correctum esse, in eius Vita scribit S. Bernard. Sic ex adverso Christus semel et iterum ingentem copiam piscium adduxit in retia S. Petri, utpote fidelium principis, Lucæ 5. v. 6. et Ioan. 21. 6. Theodor. per aves accipit divites, qui in pisces, id est, pauperes, grassantur, eosque consumunt, sed hoc mysticum est, non literale.

VERUTAMEN UNUSQUISQUE NON IUDICET (id est, non Vers. 4.

expostulet, ut vertit Vatablus, non increpet) ET NON ARGUATUR VIR. ) q. d. Nemo increpet et arguat homines huius regionis: frustra enim id faciet, non momenti obstrepunt et contradicunt. Ita S. Hier. Lyran. et Vatabl. Loquitur quasi desperans de eorum emendatione, simulque significat eos plane indignos esse monitione et correptione, ait Rupert. Audi S. Hieron. *Provocati erant ad iudicium Dei filii Israel, ut causas Dominicæ indignationis audirent, et præterita peccata cognoscerent, propter quæ hostibus traderentur. Nunc quia in scelere perseverant, et impudenti Deum fronte contemunt, audiunt: Non necesse est ut veniatis ad iudicium, ut in vestris flagitiis arguamini: quia tantæ estis impudentiæ, ut nec convicti quidem, pudorem habetis et verecundiam; sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat.*

POPULUS ENIM TUUS SICUT ILLI, QUI CONTRADICUNT SACERDOTI. ) Vatabl. *sicut hi qui litigant cum sacerdote*, q. d. Israelitæ contradicunt mihi et Prophetis, sicut improba et impudens plebs contradicit sacerdoti, cum eoque litigat. Ita S. Hier. Alleg. Iudæi contradixerunt Christo, qui est summus sacerdos, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem, ait Leo Castr. Secundo, *ut sicut* potest accipi ut nota non similitudinis, sed veritatis, uti est Ioan. 1. 14. q. d. Populus tuus est obstreperus et vitiligator, uti decet eum qui litigat et iurgatur cum suis sacerdotibus. Quocirca Arias sic exponit, q. d. Nemo est qui arguat populum. Nam sacerdotis quorum est cum arguere, æque improbi sunt. Unde si hi populum increpent, ille recalcitrat, et scelus sceleri regerit, illud occinens.

*Væ tibi vix nigre dicebat cacabus olivæ.*

ET CORRUES HODIE. ) Id est brevi, q. d. Iam iam tibi, Vers. 5. o Israel, imminet ruina et calamitas captivitatis Assyriacæ; tibi, inquam, et tuis pseudoprophetis, qui tibi quasi nunquam vastandæ falso abblandiebantur. Ita Chald. S. Hieron. Theodor. Lyran. et Isidor.

Alii pro *hodie*, vertunt, *interdium*, aliterque sequentia dispungentes, sic transferunt: *Corruet igitur interdium*, id est palam, media luce, non per tenebras et insidias, cor-

Peccatum vocatur sanguis ob quatuor analogias.

B

C

D

Congregari, id est mori, cur?

ruct et Propheta locum nocte, id est in sua calamitate et strage, æque ac ignorantia, imprudentia, et inopia consilii; ita Chall. Vatabl. Pagn. Isidor. et Arias; unde sequitur:

**NOCTE TACERE FECI** (præ pudore et confusione) **MATREM TUAM.** Puta Synagogam, sive Samariam, q. d. Puniam eius obstreperam contradictionem silentio, ut se excusare, imo loqui nec audeat, nec possit. *Nulla stendi maior est causa, quam flere non posse, vel metu tyranni fletum prohibentis, vel præ gravitate mali, quæ oculis mentique stuporem inducit. Cum miserimum sit flere, quam infelix sum, cui ne hoc quidem licet!* ait Seneca libr. 1. Controv. 1. *Noctem* vocat tempus calamitatis et excidii, puta captivitatis, cædis et spoliationis Samariæ: forte etiam quia noctu capta est ab Assyriis. Unde hebr. est. *nocte, et tacere feci, vel compeosci matrem tuam*, q. d. Cum nox erit, tunc tacebit. Rursum Hebr. **לַלַיְלִית** *lamitti*, verti potest cum Vatabl. Pagnino et aliis *succidi*, q. d. Nocte succidi matrem tuam. Tertio, verti potest cum Septuag. *nocti assimilari matrem tuam*, q. d. Ita cladibus obruetur, ut dies videatur esse nox, utque ipsa nocti tenebrosæ et horridæ similis esse videatur.

Vers 6. **CONTICUIT POPULUS MEUS** Vatabl. *ad silentium redactus est, vel succisus est populus meus, eo quod non habuerit scientiam Dei, de qua v. 1.*

**QUIA TU SCIENTIAM REPULISTI, REPELLAM TE, NE SACERDOTIO FUNGARIS MIHI.** *Scientiam* vocat Dei legisque divinæ studium et cognitionem, non tantum speculativam, sed et practicam, ut dixi v. 1. unde Chald. vertit, *Quia tu repulisti timorem Dei, repellam te*, etc. Nota primo. Alloquitur Synagogam sive populum Israel: unde de ea loquitur nunc in genere masculino, nunc in feminino dicens: *Oblita es legem Dei tui*, q. d. Repellam te o Israel, ne ullus ex filiis tuis, aut ex cætu tuo sit mihi sacerdos. Maxime tamen alloquitur ipsos sacerdotes, ut patet ex sequentibus. Nam v. 8. ait, *Peccata populi mei comedent*, scilicet sacerdotes; ita Chald. et Arias. Iam sacerdotium intelligit non falsum et idololatrium, institutum a Ieroboam, ut vult Albert. hoc enim non mihi, id est Deo, sed vitulis aureis fuit dicatum: sed verum et divinum. Sensus ergo est, q. d. Quia tu o Israel, et maxime vos o sacerdotes sparsi per Israel, ut eum Dei cultum et timorem doceretis, repulistis studium meæ legis; hinc ex lege et pœna talionis vobiscum agam; nimirum quia vos legem meam adeo neglexistis, ut nec eam legeretis, nec ipsos legis libros haberetis, ego vicissim vobis ipsam legem, scientiam, sacerdotium, omnemque mei cultum et religionem auferam, ut quasi ad atheismum et paganismum redigamini. Ex sacerdotio enim pendet totius populi fides, cultus, et religio. Eo ergo ablato necesse est ut hæc pariter auferantur et pereant. Ingens ergo pœna quam Deus Israeli hic sociardi in sui cultu comminatur, est sacerdotii ablatio. Videant nunc respubl. hæreticæ, quæ sacerdotes et sacerdotium Christianum exterminant, quam non tantum illis et Christo, sed et sibi ipsis sint iniuriæ: hoc enim ipso auferunt sibi Dei fidem, Dei Ecclesiam, Dei cultum, veramque religionem. Denique Arabicus vertit, *Quia tu es qui dilexisti sæculum, et consolationem eius, et ego repellam te, ne fungaris mihi sacerdotio.* Quod notent sacerdotes, ne se implicant rebus sæcularibus, ut monet Apostolus, si Deo servire et frui velint. Rursum ex hac Osee sententia, Synodus VII. generalis probat arendos esse episcopatu indoctos, qui carent Sacerdotis Scripturæ scientia, ut habetur dist. 38. cap. *Omnes.*

Vers 7. **SECUNDUM MULTITUDINEM EORUM SIC PECCAVERUNT MIHI.** *Eorum*, scilicet, *filiorum*, ut præcessit, q. d. Multiplicavi Israelitas sicut stellas cæli, sed quo plures fuerunt, eo plus peccaverunt, et gravius; ut quot Israeli filios dedi, tot mihi videar hostes genuisse: ipse enim eos educat in mei odio, et in idolorum amore cultuque. Quocirca **GLORIAM EORUM IN IGNOMINIAM COMMUTABO.** q. d. Auferam eis filios (hi enim sunt gloria parentum, præsertim in lege veteri) quod eis erit valde probrosum et ignominiosum. Ita S. Cyrill. Theodor. et Theophyl. Secundo,

S. Hieron. explicat, q. d. *Quot homines habuit Israel, tot aras extruxit dæmonibus, in quorum victimis peccavit mihi. Propterea gloriam eorum, in qua gloriabantur sibi, cum Deo idola præferabant, in ignominiam commutabo; ut et sacerdotes capiantur, et populi. Siquidem sacerdotes peccata populi mei comedunt: quia cum eum peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed laudant, atque sustolunt, ac beatos prædicant.* Tertio, Chald. **et eorum**, ad opes et proventus refert: vertit enim, *sicut multiplicavi eis proventus, sic ipsi multiplicaverunt contra me peccata.* Ita sæpe videmus non tantum laicos, sed et sacerdotes ex opibus insolescere et luxuriari, iuxta illud Deuter. 32. 15. *Incrassatus est dilectus, et recalcitavit.* Quocirca apposite, ait S. Ambr. *Divitiæ de vitis nomen acceperunt, quia divitiæ vitiorum sunt fomes.*

**PECCATA POPULI MEI COMEDENT.** Comedent, id est comedere solent; futurum enim Hebræis sæpe significat morem et consuetudinem actionis. *Peccatum* in Scriptura tripliciter sumitur. Primo, pro peccato proprie dicto. Secundo, metonymice pro pœna peccati. Tertio, pro hostia pro peccato; ut, cum ait Apostolus 1. Corinth. 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum*, id est hostiam pro peccato, fecit.

Triplex ergo hic asseritur sensus. Primus, q. d. Sacerdotes comedent, id est, luent pœnas peccatorum populi, quorum causa suere sua dissimulatione: efficiam ergo ut quæ comederunt peccata, et quorum ipsi fuerunt causa, excederent visceribus, inquit Christ. a Castro. Unde et Theodor. sic exponit, q. d. *Mentent quæ severunt, et suorum peccatorum fructum vindemiabunt.* Verum cum hac expliatione non recte cohæret id quod sequitur: *Et ad iniquitatem eorum subterabunt animas eorum.*

Secundus, q. d. Peccata, id est, hostias pro peccato a populo oblatas comedunt sacerdotes, in iisque convivantur, et epulantur. Unde S. Bernard. serm. 77. in Cantic. *Peccata, inquit, populi mei comedunt, q. d. Peccatorum pretia exigunt, et peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quam vitis extirpandis?* Unde Prosper lib. 2. de Vita contempl. c. 10. ex hoc loco docet graviter peccare eos qui ex bonis Ecclesiæ locupietari volunt. *De Clericis*, inquit, *dicit Spiritus sanctus: Peccata populi mei comedunt: sed sicut nihil habentes proprium non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt, ita possessores non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt.*

Tertius, *Peccata populi comedunt*, qui precibus et victimis suis ea abolent et consumunt. Ita Rufinus, et alii. Verum hæc est laus sacerdotis, non probrum, de quo hic agitur.

Dico ergo, sensus est, q. d. Sacerdotes *peccata populi mei comedunt*, non ea consumendo per orationes et oblationes, uti par erat (hoc enim eorum officium, æque ac oblationes fidelium poscunt et exigunt) sed ea laudando, dissimulando, et in se suamque conscientiam ac caput ea suscipiendo. Ita enim agendo quasi haurebant et absorbebant peccata populi, erantque causa ut illa multiplicarentur, idque ad hoc ut peccata, id est, hostias pro peccato plurimas a populo acciperent et comederent. Dicebant enim adulando, et extenuando peccata populi: Illud nullum, vel leve est peccatum; Deus scit nos esse fragiles et infirmos: tales ergo sciens tolerat, iisque compatitur; non ergo sitis anxii, ego illud in me suscipio, ego pro te satisfaciam Deo; et, ut ait Theoph. *super nos sit condemnatio*, uti Indæi dicentes Pilato: *Sanguis eius sit super nos, et super filios nostros*; ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Ribera et alii. Et S. Greg. hom. 17. in Evang. *Cur, ait, peccata populi comedunt, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant?* Et Arias: *Optant, inquit, magnam peccatorum esse copiam, quæ suam illis mercem cum questu compendioque suppeditant.* Sic apud Iapones peccata populi comedunt sacerdotes, quos ipsi Bonzios vocant, qui exiliet omnium scelerum impunitatem spondent, dummodo eis largas dent o-

blationes et elemosynas: huiusque sponsonis suae dant syngraphas, quas morituri secum deferunt ad sepulcrum, quasi eas exhibituri iudici et vindici Deo; ita habent epistolae Iaponicæ.

Duo ergo hæc phrasi significat Propheta, adeoque peccatum accipit dupliciter: scilicet proprie, et metaphorice, pro hostia pro peccato: hanc enim offerebant, et ex parte comedebant sacerdotes iuxta legem Levit. 7. vers. 7. eo ergo alludit, q. d. Hi sacerdotes ex lege comedunt peccata, id est, hostias pro peccato a populo oblatas; et quia avari sunt et gulosi inhiant hisce oblationibus et hostiis, ideoque ipsa peccata populi extenuando et adulando sorbent et deglutiant, et, ut ait S. Iob, bibunt quasi aquam iniquitatem. Ita sorbebat peccata Henrici VIII regis Anglicus ille palpo, qui regi volenti ducere Annam Bolenam, quæ putabatur regis esse filia ex pellice, ac roganti quantum peccatum esset cognoscere matrem et filiam, respondit: Tantum, quantum si quis devoret pullum cum matre, puta cum gallina, uti refert Sanderus l. 1. de Schismate Anglicano. Hunc sensum poscit id quod sequitur:

**ET AD INIQUITATEM EORUM SUBLEVABUNT ANIMAS EORUM.**) Hebr. ad verbum præcise sic habent, *peccata populi mei comedent sacerdotes: et ad iniquitatem eorum* (scilicet sacerdotum, id est, suam) *elebunt, vel portabunt animam eius*, scilicet populi, in quo quia sunt multi, hinc Noster vertit in plurali, *eorum*, scilicet populorum, q. d. Sacerdotes respuentes Deum, Deique sciantiam, epulautis in hostiis et oblationibus populi, iadulgent genio et ventri: et ad hanc similesque iniquitates suas imitandas iuvitant, eriguunt, et inducunt animas populi verbo et exemplo. Unde subdit: *Et erit sicut populus, sic sacerdos*, q. d. Sacerdos qui populum præire debebat virtute, par est ei, imo præit eum, in scelere. Hinc secuado, R. David, Vatabl. Arias sic explicant, q. d. Inhiant, et avidè expectant iniquitates populi, sive ut contra legem peccet populus, ut exiude ab eo hostias pro illis peccatis expiandis accipiant, quibus epulentur: inhiant ergo peccatis populi, quasi iude toti pendente et vivant; nam sublevare animam hebr. significat erigere animam in spem, sperare, inhiare, ut patet Ezech. 24. 25. et alibi. Tertio, Haymo: *Sublevant, inquit, dicentes: Quoniam populus Dei estis, ex genere Abraham descendistis, propter illius amicitiam parcat vobis Deus, si peccaveritis ei.* Et Ribera sic explicat, q. d. Sacerdotes addunt animos popularibus ad hoc ut magis peccent, dum peccatis eorum conivent, ea palpant, iisque adulantur. Quarto, alii *sublevant* exponunt per *exonerant*, q. d. Sacerdotes animas oacratas peccatis adulando sublevant, alleviant, exonerant; ita S. Hier. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. et alii. Quinto, pro *sublevabunt*, Septuag. vertunt, *accipient*, q. d. Sacerdotes pro iniquitatibus populi accipiunt, id est, offerunt Deo animas suas, seipsos devovendo iræ Dei pro populo. Ita Cyrillus. Verum primus sensus maxime genuinus est, ac deinde secuadus, et tertius. Porro Cyrill. pulchre docet sacerdotes debere se orando et sancte vivendo, hostiam Deo pro peccatis populi offerre. *Talis enim, ait, potest populum qui in offensam Dei incurrit, legemque Dei violavit, in gradum pristinum restituere.*

**ET ERIT SICUT POPULUS SIC SACERDOS.**) Hebr. *et erit* (vel, *et est*) *sicut populus, sicut sacerdos.* Est Hebraismus. Hebræi enim similitudinem exprimunt nota similitudinis, puta *eo sicut* apponendo utriusque rei comparatæ, vel simili: quod Latinus interpres apte Latina phrasi reddidit uni apponendo *eo sicut*, alteri *eo sic*, quod respondet voci *sicut*, estque redditio similitudinis. Sensus est, q. d. Similis est eritque populus sacerdoti, et sacerdos populo; qualis populus, talis sacerdos, et vice versa. Hoc enim exigit non tantum ipsa notæ similitudinis reciprocatio, ut vult Martin. Martines lib. 8. Hypotyp. c. 8. sed et ipsa similitudinis ratio, simile enim est simili simile, et vice versa: simile enim est relatiyum æquiparantia. Sive ergo dicas, *Sicut populus sicut sacerdos*, sive dicas, *Populus est sicut sacerdos*, idem dieis, idemque significans: similis, inquam, est in culpa. Unde Vatabl. vertit, *hinc fit ut sit ta-*

*lis populus, qualis sacerdos:* ac consequenter similis erit in pœna. Hanc enim sententiam infert tum ex eo quod proxime præcessit, scilicet: *Peccata populi mei comedent* (sacerdotes) *et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum*, quibus verbis sacerdotes æquantur, imo præferuntur, populo in culpa; tum ex eo quod paulo ante dixit: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*, q. d. Nulla erit differentia inter sacerdotes et plebeios: nam omnes erunt captivi citra delectum; et ob id omnes allicientur ignominia et contumelia. *Eximiorum enim et magnatum rationem hostes habere non solent*, ait Procop. in Isaïæ 24. 2. unde et sequitur: *Et visitabo super eum vias eius.* Nam sacerdotes erant decus et gloria Israelis, utpote consecrati Deo, et mediatores inter Deum et populum. Debeant ergo hanc suam gloriam tueri antecellendo populo tum in legibus scientia, tum in sanctitate Deique cultu. At quia neutrum præstiterunt, sed populo tam in ignorantia, quam nequitia fuerunt pares, imo Superiores; hinc iisdem pares, imo Superiores fuerunt in pœna et ignominia. Ita S. Hieron. Haymo et Hugo. Simili modo dieas de indisciplina clericis et Religiosis: Qualis laicus, talis clericus; qualis sæcularis, talis Religiosus. Tolle habitum, hunc ab illo non discernes: quia eadem utriusque est lingua, sermo, actio, vita et mores.

Præclare urget hunc locum S. Gregor. hom. 17. in Evang. et 2. p. Pastor. e. 7. Vere S. Chrysost. *Sacerdotes multi, sacerdotes pauci: non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos*, scilicet mysticus, qui mysticas laudis, orationis et sanctorum operum hostias Deo offert. Audi et Gilbertum Abbatem in append. ad serm. S. Bernardi in Cant. serm. 13. *Factus est sacerdos sicut populus, ut licentius populus sicut sacerdos fiat. Mundo se monachi studio conformant, et qui in mundo sunt errorem suum nostrorum satis versute et nimis vere tuerunt exemplo. Mutuis ad vitia sese aut informant aut ferunt exemplis pastores, populi, sæculares et Religiosi: promptuaria plena sunt huiusmodi, eructantia ex hoc in illud, aut turpis, aut tepidæ conversationis spiritum pestilentem. Heu quam avido cordis ore pravum hunc attrahimus spiritum, et corruptentem haurimus auram! Iesu bone quando erit, si tamen aliquando erit, sicut fides integra, sic et incorrupti mores.*

**ET VISITABO SUPER EUM VIAS EUS.**) q. d. Pœnam eius actus et peccata. *Vix enim in Scriptura vocantur actus, modus vivendi, tenor vitæ, conversatio: per hæc enim meus incedit, sicut per vias corpus.*

**ET COGITATIONES EUS REDDAM EI.**) Hebr. מעללין *maalalav* significat studia, machinationes, molitiones, opera. Hæc ergo vocantur hic *cogitationes*, scilicet ipsæ machinationes scelerum: has reddit Deus peccatori, cum illum propter easdem ex æquo punit et affligit.

**ET COMEDENT, ET NON SATURABUNTUR.**) Pauperes spiritu, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, saturabuntur, ideoque beati prædicantur a Christo, Matth. 5. 6. At hi avari sacerdotes et epulones, qui peccata populi comedunt, iisque inhiant inexplebili aviditate, iusto Dei iudicio ad tantam famem rediguntur in captivitate Assyriaca, ut eam saturare et explere nequeant. Ita Theoph. et Arias: qui addit: *Qui hostias captant, ipsi in hostias convertentur, ut spolientur et mactentur ab Assyriis.*

Secundo, Ribera et Arias, q. d. Licet gulæ, ventri, et sceleribus se immergant, nunquam tamen desiderium suum explebunt. Nam, ut ait S. Hier. et ex eo Haymo, *Voluptas luptas insatiabilis est, et quanto magis capitur, tanto plus est insatiabilis, utentibus se famem creat. E contrario beati esurientes et sitientes iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sicut iustitia saturat, sic iniquitas substantium non habens, vana comedentes fraude deludit, et uteros devorantium vacuos derelinquit.*

Alienus Theodor. Comedent, inquit, pœnas et supplicia, ut nunquam iis saturabuntur, id est, nunquam illa desinent: quia unum alteri continuo succedet.

**FORNICATI SUNT, ET NON CESSAVERUNT.**) Chald. Vatabl. Pagnin. Arias et Isidor. hæc accipiunt de corporali

fornicatione, de qua sequitur: *Fornicatio, et vinum et ebrietas auferunt cor*; unde vertunt, *seortabuntur, et non prorumpent*; Syrus, *non sunt multiplicati*, id est, non crescent, non augebuntur filiis, q. d. Quærunto liberos, ideoque non tantum uxoris, sed et meretricibus copulantur: sed Deus punit eos sterilitate, ut filios non procreent: sicut paulo ante eosdem, quia epulones puniuit fame, ut eam saturare nequeant. Congrua enim et iusta pœna fornicantium est ἀστειρία et sterilitas illiberis, ut qui ex matrimonio ad proles a Deo instituto eas procreare nolunt, ex meretricibus eas procreare cupientes non possint, aut si procreent, pravæ sint et miseræ, brevisque ævi; uti hodierna sæpe docet experientia. Hoc est quod dicitur Sapient. 4. 3. *Spuria vitulamina*, græcè πορνεύματα, id est, propagines, et novi surculi, *non dabunt radices altas*: quod clare explicans e. 3. 16. ait: *Filii adulterorum in inconsummatione erunt*, id est inconsummati erunt, nec perveniunt ad perfectam ætatem: *et ab iniquo thoro semen exterminabitur*.

Secundo, et melius S. Hieron. Theodor. Cyrill. Theoph. Haymo, Hugo et Lyran. hæc accipiunt de fornicatione mystica, id est, de idololatria: de hac enim continue agit hic Propheta, de eaque statim, causam huius sui dicti dans, subdit: *Quoniam dereliquerunt Dominum*. Sensus ergo est, q. d. Comedant, et non saturabuntur: quia fornicati sunt cum idolis, et non cessaverunt, nec sua fornicatione saturati sunt; sed inexplebili libidine fornicari, id est, idololatrare, continue perrexerunt. *Vires*, inquit S. Hieron. *in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit*; unde pro *cessaverunt*, hebr. est לא יפרצו *lo iphrotsu*, id est, *non sunt divisi*, scilicet a sua fornicatione, suisque amasiis puta, idolis; sed iis iugiter copulati sunt: radix enim פראס *parats* significat dividere. Inde locus in quo Deus pro Davide pugnavit, divisit et dispersit Philisthæos, dictus est *Baal pharasim*, id est, habens divisionem, q. d. Planities divisionum, vel campus fracturæ et rapturæ, dicente Davide: *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ*, 2. Reg. 5. 20. Uterque sensus verus et genuinus est. Fornicatio enim hic et in sequent. tum proprie pro seortatione, tum mystice per idololatria capitur. Ratio est, quia illa huius erat non tantum imago et symbolum, sed eoque quoque et assecla, imo et instrumentum. Idola enim, præsertim Beelphegor, sive Priapum, colebant fornicatione, omnique obscœnitate, etiam infanda et Sodomitica cum effœminatis, ut patebit v. 14.

QUONIAM DOMINUM DERELIQUERUNT IN NON CUSTODIENDO. ) Scilicet eius legem et præcepta. Ita S. Hieron. Hugo, Albert. Lyran. et alii. Hebr. habent, *quia deseruerunt Dominum ad custodiendum*, id est, quia deseruerunt custodire Dominum, sive custodiam Domini. *Custodia Domini* hebr. vocantur leges, præsertim ceremoniales Domini. Hæc vocantur custodia per metonymiam, quia summe observandæ et custodiendæ sunt; ut qui eas custodit, Deum ipsum qui eas sanxit, quique iis colitur et honoratur, custodire videatur: unde Chald. vertit, *quia cultum Domini dereliquerunt, et non custodierunt*; et Vatabl. *quia deseruerunt Dominum, quo minus eum* (id est, eius iussa) *observarent*. Sicut ergo aulici et stipatores, puta Helvetii, summa cura iugiter custodiunt principem, et omnia quæ eum tangunt, nec faciunt aliud tota vita: ita nos, præsertim sacerdotes, custodire deest cultum ritusque sacros Dei. Sic Sapient. 6. 19. dicitur: *Cura disciplinæ dilectio est: et dilectio custodia legum illius est: custoditio autem legum consummatio incorruptionis est*. Alludit ad Levitas, qui diebantur in tabernaculo excubare, et custodire custodias Domini, id est, tabernaculum, vasa, ritusque Domini, Levit. 8. 33. Numer. 1. 53. et e. 3. 32. 36. 38. et e. 8. 26. e. 18. 4. 5. 8. et alibi.

Quocirca minus recte Cyril. et Theoph. sic exponunt, q. d. *Dereliquerunt Dominum, ut custodirent vias suas malas, ebrietatem, fornicationem, etc. Rupert. qui ex adverso, Non custodierunt se, inquit, ne servirint peccatis.*

Vers. 11. FORNICATIO, ET VINUM, ET EBRIETAS AUFERUNT COR.)

**A** Fornicatio, tum corporalis, iungitur enim vino et ebrietati; tum quæ inde consequi solet spiritualis, id est, infidelitas et idololatria, auferit cor, id est, mentem, rationem, iudicium, animum, ac hominem dementat, facitque recurdem. Ita Theodor. Theoph. et alii. Idque tum quia ipsa fornicatio est fœda et vesana, ac repugnans rectæ rationi: tum quia corporalis subiicit hominem meretriculæ quæ vesanis cupiditatibus agitur; spiritualis vero subiicit hominem idolo et dæmoni, qui est iuratus eius hostis; tum quia exhaurit et perdit eius opes, famam, sanitatem, conscientiam. Ita Dalila Philisthina cor, vires et vitam eripuit Samsoni. Ita septingentæ concubinæ Salomonis dementarunt regem sapientissimum, eumque ad sua idola colenda pertraxerunt, et perdiderunt, 3. Reg. 11. v. 1. Porro fornicario et peccatori ex cordi cor restituit timor Dei, iudicii, et gehennæ: Deus enim per timorem cor pulsatur, et ad vitam spiritalem excitatur. Nam ut ait Sapient. Eccli. 25. *Qui timet Dominum, convertetur ad cor suum*. Iustos vero et generosos, sed dormitantes vel incogitantes, excitatur Deus per amorem et beneficia: ut Davidis cor excitavit 2. Reg. 7. 27. eum dixit: *Revelasti aurem servi tui dicens: Domum ædificabo tibi: propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret*.

Moral. Disce hic, quam bruta sit libido, quæ præ aliis vitiis homini, etiam sapienti et principi, cor et mentem eripit. Quocirca Diogenes teste Laertio l. 6. dicebat *seorta esse regum reginas*; quod reges dementarent, ac ab illis quidquid libuisset, peterent et impetrarent, ideoque in ipsos reges quasi regnum, imo tyrannidem exercebant: reges enim a populo non semper obtinent quod exigant: at seorto nihil negatur. Idem Diogenes dicebat seorta similia esse mulso lethalibus venenis temperato: eo quod allerent quidem initio voluptatem, sed quam perpetuus dolor consequeretur.

Quocirca Demosthenes Corinthi postulans a Laide famosa meretrice corporis copiam, cum illa pro nocte stipularetur draehmarum decem millia, deterritus magnitudine pretii, mutavit sententiam dicens: *Non emo tantum panitere*, significans inhonestæ voluptati comitem esse dementiam, æque ac pœnitentiam.

Xerxes iratus Babylonis quod a se defecissent, postquam illos in suam potestatem redegit, vetuit ne ferrent arma; sed psalteriis tibiisque canerent, seorta alerent, cauponas haberent, quo voluptatibus evirati et excordes, non molirentur denuo defectionem. Testis est Plutarch. in Apoptheg. regum.

Demetrius Phalereus cum vidisset juvenem luxuriosum: *Eecce, ait, quadratam statuum, habentem syrma, ventrem, pudenda et barbam*. Ita Brusson. lib. 3. c. 33.

Hæc Gentiles, quid iam dicant Christiani, quibus maior a Christo puritas et sanetitas indicitur, quibusque magis nota est libidinis turpitudine, noxa, et vindicta æternorum ignium?

Præclare Salomon sua experientia et periculo (ideo enim forte damnatus est, eius enim salus est dubia) edoctus: *Vinum, inquit, et mulieres faciunt apostatari sapientes*; nam ut ait Poeta:

*Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent;  
Illa pudore caret, Liber amorque metu.*

Præclare S. Ambr. lib. 4. in Lucam c. 4. *Nec minorem, ait, febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum, hic corpus inflammat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates*. Et mox: *Vehementior tamen est animi, quam corporis febris, et ideo pro animi voluptate corporis salus plerumque contemnitur, nec a periculis abstinetur*. Affert exemplum illustre: *Theotimus cum gravi oculatorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus: vale, ait, amicum lumen*. In æstu ergo cupiditatis sciens se oculos amissurum, maluit illos amittere, quam libidine abstinere. An non libido ei cor mentemque eripuerat? Utique: idque sensit cum libido deferbuit, et oculos amisit: tunc enim errorem cæcitate-

quo suam delens, sed sero, nec libidinis voluptatem retinere, nec oculos perditos recuperare valuit.

Apposite quoque tres illi Heroes custodes Darii regis, cum inter se quaererent et disputarent quidquam esset fortissimum? primus eorum respondit: *Fortē est vinum. Alius: Fortior est rex. Tertius Zorobabel: Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas*, 3. Esdræ 3. 10. Mulieres ergo sunt Sirenes, quæ socios Ulyssis sua forma et cantu inescarunt, dementarunt, et perdidērunt. Vis remedium? Unicum est in fuga. *Fugite fornicationem*, ait Apostolus, fugite aspectum vocemque mulierum. Illustrē hęc de re exemplum extat in vita S. Martiniani apud Surlium, qui praviter et erebro tentatus a mulieribus, ut eas effugeret, toto orbe factus est profugus, cuius hic iugis erat stimulus: *Fuge Martiniane*.

Denique fornicatio eripit homini cor, id est, mentem et cerebrum: quia in ipso eius actu homo videtur esse impositus sui, aestuare et furere instar epileptici. Unde philosophi nonnulli dixerunt actum venereum esse meram epilepsiam; præsertim quia ille si frequentetur, realiter hanc inducit, uti experientia vidi, et ratio physica clare id demonstrat. Quocirca Alexander Magnus licet ab adulteribus audiret se esse Filium Iovis, tamen hominem se fieri coactus: *Ex usu, ait, Veneris, et ex somno manifeste me esse hominem convincor*. Ita Plutarch. in eius vita.

VINUM ET (et capitur pro, id est: ita Emmanuel) EBRIETAS AUFERENT COR.) Septuag. hęc aliter dispungunt et vertunt, nimirum: *Fornicationem, vinum, et ebrietatem suscepit cor populi mei: verum alii passim dispungunt, et vertunt, uti Noster interpres. Hebr. ad verbum est, fornicatio, vinum, et mustum, (vel, ut Vatabl. vertit, potus inebrians) capiunt, vel accipiunt, vel eripiunt, cor*. Alludit hebr. וַיִּרֶשׁ id est, mustum, sive vinum recens expressum, a rad. וִרַשׁ iaras, id est, possedit et occupavit: eo quod cum crassum sit, turbidum, bulliens et fumosum, statim occupet et possideat cor, id est, arcem mentis, faciatque hominem ebrium et amentem. Notat originem idololatriæ, omnisque mali fuisse eomensationes et comotationes: hęc enim eripiunt mentem et iudicium rectæ rationis, simulque libidinem inflammant, itaque hominem præcipitant in fornicationem, aliaque scelera, ac tandem in infidelitatem et idololatriam; eius enim Deus est venter. Id ita esse patet ex prima hominum post diluvium propagatione. Cum enim vinum inventum fuit a Noe, mox ipsi, et multo magis eius posteris cor ad se rapuit, et mentem eripuit, adeo ut plerique omnes ad vitia, imo ad idololatriam deslexerint. Noe enim moriens, gemens fremensque vidit pene totum orbem, id est, omnes suos posteros impios idololatrias, uti dixi Genes. 9. sub finem capituli. Hinc nonnulli notarunt vinum a Noe inventum, adeo avide citoque ab omnibus arreptum tentumque fuisse, ut ipsum eius nomen in omnes linguas transierit, idemque quod prius, apud omnes, licet iam linguis divisos, remanserit. Vinum enim hebr. dicitur יַיִן iain, vel ien: inde Ianos (puta Noe) vini inventor: inde Græcum οἶνος: inde Latinum vinum: Gallicum, vin: Italicum, Sclavonicum, et Hispanicum vino: Germanicum, Anglicum, et Belgicum wīn, et ita de cæteris gentibus et linguis. Porro quam vinum et delicia eripiant cor, non tantum Prophetæ, sed et Gentium Philosophi docuerunt.

Anthistenes quodam prædicante delicias, *Hostium, ait, filiis contingat in deliciis vivere*, ut rem amentem et pestilentem detestans delicias, quas plerique pro summo bono complectuntur. Ita Laertius lib. 6. de Vitis Philos. e. 1.

Diogenes apud Laertium eodem lib. distomachabatur in eos, qui pro bona valetudine diis munera afferrent, et in ipso sacro omnibus voluptatibus se obruentes perderent. Idem eos qui per luxum in equos, nepotes, scorta et adulatores facultates suas profunderent, similes dicebat arboribus per præcipitia nascentibus, quarum fructus homo non gustaret, sed a corvis et vulturibus ederentur: sentiens eos, qui gulæ ventrique serviunt, non esse homines.

Socrates apud Laertium lib. 2. e. 5. aiebat esse turpe,

VOL. VII.

si quis sua sponte serviens voluptatibus talem se faceret, quales nemo domi suæ vellet habere servos. Talibus autem nullam salutis spem reliquam esse, nisi si pro eis deos comprecarentur alii, ut bonos dominos nancisci possent, quando prorsus decretum esset servire: indicans nullos fœdiorem et miseriozem servire servitutem, quam qui et animo et corpore servirent voluptatibus. Idem admonēbat, voluptates non aliter quam Ulysses esse prætereundas, obturata aure instar Ulyssis, ei, qui properat ut Ithacam, id est, virtutem veluti patriam, conspiciat.

Plato eum videret Agrigentinos magnis impensis ædificare, eodemque modo cœnare: *Agrigentini, ait, ædificant quasi semper victuri et comedunt quasi semper morituri*. Ita Ælian. lib. 2.

Arcefilaus Scythia pereunctanti, qui fieret ut ab aliis sectis multi delicerent ad Epicureos, ab Epicureis nulli desciscerent ad alios: *Quoniam, ait, ex viris Galli sunt, ex Gallis viri nequaquam*. Gallos dixit sacerdotes Cybeles viratos, q. d. In voluptatem proniores sumus, quam in virtutem, cum tamen hęc ex fœminis viros, illa ex viris fœminas efficiat. Ita Laert. lib. 4. cap. 6. Idem respondit B. Thomas Morus euidam roganti, cur tam multi ad Lutheri hæresim voluptuariam deficerent.

Cato senior vinoso euipiam et gulosio eius familiaritatem ambienti abnuil, causamque addidit: *Quia, inquit, vivere non possum eum eo, qui melius et subtilius palato, quam corde sentit*. Ita Brusson. lib. 3. e. 7.

Tiberius Cæsar Attilio Butæ viro prætorio, cum ad inopiam per luxum redactus eam deploraret: *Sero, inquit, experrectus es*. Dormiunt nimirum temulentia ac luxui dediti verius, quam vivunt. Nam *vita mortalium vigilia est*. Ita Seneca in epistol.

Scipio Æmilianus Censor declaratus, audiens iuvenem placentam ex melle in urbis formam compactam, Carthaginemque nuncupatam convivis diripiendam dedisse, equo privavit. Rogatus eum? *Quia, inquit, me prior Carthaginem diripuit*. Quo dicto militem damnavit ignavum et vecordem, qui gulæ deditus eum placentis potius melle conditis, quam contra hostes pugnaces belligeraret. Ita Brusson. lib. 3. e. 1.

Sed accipe propria vini et crapulæ. Pythagoras dicere solebat: *ebrietatem esse insanitæ meditationem*. Ita Maximus serm. 30.

Leontichidas Spartiata rogatus eum parum bibant Spartiata? *Ne, inquit, alii pro nobis consultant, q. d. Nequit prudenter de rebus consultare, cui sanum iudicium a vino ablatum est*. Ita Plutarch. in Lacon.

Astyages eum rogasset Cyrum, cur vinum non hausisset? *Quia, ait, metuebam, ne in craterē mista venena forent. Etenim cum tu in natalitatis amicum adhibuisti, perspicue didici eum vobis venena infudisse. Et quo pacto, inquit ille, o fili hoc dignovisti? Quod videbam vos, respondit, neque corporis esse, neque mentis compotes*. Ita Xenophon in Pædia.

Androclides vir sapiens ad Alexandrum Magnum vino deditum dixit: *Vinum potaturus, rex, memento te bibere terræ sanguinem: cicuta homini venenum, cicuta est vinum*. Ita Brusson. lib. 4. e. 19.

De Bonoso bibaeissimo, qui postea Imperator creatus est, dixit Aurelianus: *Non ut vivat, sed ut bibat natus est*. Ita Vopiseus in Aureliano. Idem Bonosus se suspendit: ac roganti euipiam quis esset suspensus, respondet alter; non hominem esse, sed amphoram. Æschines dicebat, *Speculum formæ est æs* (olim enim specula fiebant ex ære polito) *vinum autem animi: nihil enim tam occultum in corde, quod ebrius non effutiat*. Ita Maxim. serm. 30.

*Luxuriosa res est vinum et tumultuosa ebrietas*. Prov. 20. 1.

*Cui vix? cuius patri vix? cui rix? cui fovex? cui sine casu vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenderit in vitro color eius ingreditur blande, sed in novissimo mordabit ut coluber, et sicut regulus venena diffundit*. Prov. 23. 29.

*Noli regibus o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.* Prov. 31. 4.

S. Basil. et Ambros. dicunt ebrietatem esse voluntariam insauiam. Amplius ait S. Bernard. lib. de Modo bene vivendi cap. 25. *Multi, ait, per vinum a demonibus cepli sunt, nec est aliud ebrietas, quam manifestissimus demon.* Et paulo ante: *Ebrietas corpus debilitat: ebrietas generat perturbationem mentis; auget furorem cordis; ita alienam mentem, ut homo nesciat seipsum.*

Monachus quidam Aegyptius interrogatus, cur assidue sibi voluptates subtraheret? respondit: *Subtraho eas mihi, ut iræ causam et occasionem præcidam.* Scio enim *illam semper de voluptatibus belligerari, mentemque meam perturbare, et cognitionem ipsam fugare.* Ita Niceph. l. 11. histor. c. 43.

Vers. 12. **POPULUS MEUS IN LIGNO SUO INTERROGAVIT.**) Probat quod fornicatio et ebrietas auferent cor, ex eo quod homines deducant ad idololatriam, ut idola lignea, surda, cæca, muta et inania interrogent quasi deos suos, et consulant de futuris rerum eventis. Aut potius sensus est, q. d. Adeo luxus et libido tam fornicandi, quam idololatriandi dementavit eos, ut a lignis et baculis oracula poseant.

Quæres quodnam sit hoc lignum? Primo, Chald. Rupert. et Lyran. respondent esse ligneum idolum. Secundo, Isidor. esse pseudoprophetas quos consulebat populus. Hi metaphorice vocantur *lignum*, quia eis quasi ligno et scipioni innitebatur vulgus. Tertio, melius S. Hieron. Haymo, Hugo et Vatabl. per *lignum* hoc accipiunt baculum divinatorium, eo enim quasi instrumento divinantur. Unde Septuag. vertunt, *in symbolis eorum interrogabant*: erant enim hi baculi superstitionis et divinationis symbola. Hinc et subdit: *Et baculus eius* (ab eo interrogatus) *respondit ei.*

Nota. Veteres Chaldaeï, eosque secuti Hebr. utebantur *קלפודקאזא* et *פדוקאזא*, id est, divinatione per virgas et sagittas. Ita Nabuchodonosor dubitans an Ierusalem, an Philadelphiam oporteret bello appetere, accepit duas sagittas, quarum uni inscripsit nomen Ierusalem, alteri nomen Philadelphię; deinde sorte eas commiscuit, unamque eduxit, cui cum videret inscriptum nomen Ierusalem, coniecit illam sibi primo esse expugnandam, Ezech. 21. v. 21. Vide ibi dieta. Rursum sagittas iaciebant in altum, et aspicebant quo illæ caderent: an antrorsum, an retrorsum; an ad dexteram, an ad sinistram, eoque sibi pergendum esse conieciabant. Ita Theoph. Tertio, Moses Samsonis filius, in explicatione præcepti negativi 52. commemorat huiusmodi ritum: decorticabant baculum ligneum uno tantum ex latere, tum in aerem proiciebant: si primo iactu apparuisset superior pars decorticata, at secundo iactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur: sin e contra primum pars vestita, infelicem: si utroque iactu vestitum vel nudatum latus superius fuisset, mistum eventum sibi pollicebantur; et hoc ab Osee hic notari et carpi. Vide Rhodiginum l. 4. c. 29. et Delrio l. 4. Disquis. Magic. c. 2. q. 7. sect. 1. sub finem, et sect. 3. sub initium.

**SPIRITUS ENIM FORNICATIONUM DECEPIT EOS.**) Aliqui per hunc *spiritum* accipiunt stimulum carnis, puta vehementem inclinationem et impulsam ad fornicandum. Huc accedit Cassian. collat. 7. cap. 32. qui ex Sereno Abbate docet spiritum fornicationis esse dæmonem incitantem ad fornicationem: licet enim dæmones sint incorporei, et quisque eorum homines ad quælibet vitia sollicitet, tamen ut sit inter eos aliquis ordo, utque ordinati, ideoque potentius et efficacius homines oppugnent, ipsimet inter se operas et vitia distribuunt; ita ut hi præsent huic vitio, ad illudque sollicitent; isti illi, alii alteri, inde enim in Script. vocari videntur spiritus iræ, superbïæ, gula, luxuriæ, etc. Sic Moabitides puellæ deceperunt Hebræos, dum eos primo induxerunt ut secum fornicarentur, deinde ut idolum suum Beelphegor colerent, itaque Dei iram et plagam eis acciverunt, Num. 25.

Secundo, *spiritus fornicationum* est ardor et impetus

animi, incitans eum ad idololatriam; ita Theodor. Theophyl. Arias et alii. Hoc spiritu quasi æstro acii vesani Israelite ruebant ad idola colenda, uti fornicator ruit ad scorta; uti patet ex Prophetis, qui passim in hunc ardorem invehuntur et detonant. Unde sequitur: *Et fornicati sunt cum Deo suo*, q. d. Fornicando, id est, idololatriando desciverunt a Deo, Deique cultu. Uterque sensus huic loco congruit, uti dixi v. 10. sed posteriorem magis intendit Spiritus sanctus.

**SUPER CAPITA MONTIUM SACRIFICABANT.**) Hæc capita sunt quæ a loci altitudine *excelsa* vocantur passim in libris Regum.

**ET SUPER COLLES ACCENDERANT THYMIAMA.**) Id est, incensum, sullitum. Græcum enim *θυμία* significat suffire, sullumigare, adolere iucensum, et hoc significat hebr. קטור *katar*: thymiama ergo hic non tantum est illud compositum ex stacte, onyche, galbano, et thure, quod Deus iussit adoleri in altari thymiamatis, Exodi 30. 34. sed etiam thus, ambra, et quodlibet incensum, edens suffitum.

**QUIA BONA, amæna, iucunda, ERAT UMBRA EIUS.**) Idem de arbore populo candida (hanc enim significat Hebr. לבנה *libne*: sunt enim et populi nigra) ait Virgil. ecloga 9. *Hic candida populus antro*

*Imminet, et lentæ texunt umbracula viles.*

**IDEO FORNICABUNTUR FILIÆ VESTRÆ.**) q. d. In pœnam vestræ fornicationis, tum corporalis, tum spiritalis, scilicet idololatriæ, Deus permittet, ut filia vestræ corporaliter fornicentur, tum cum amasiis suis, tum cum hostibus vestris, puta Assyriis; qui eis abutentur, cum eas captivas abducent, nec eas impediēt aut puniet: quo fiet ut magis et magis fornicentur, ac maiori dolore et ignominia vos afficiant, animosque vestros vulnerent. Ita Theod. Haymo, Albert. et Hugo.

Secundo, Chald. Vatabl. et Pagnin. vertunt in præsen- ti, *ideo fornicantur filia vestra*, q. d. Quia vos fornicamini, hinc vestro exemplo fornicantur et filia ac sponsa vestra, præsertim quia absunt ab ædibus et oculis vestris, ac versantur apud excelsa in locis sylvosus et amœnis, quæ scelus illeceant; ut, sicut vos fidem frangitis Deo, ita iusto Dei iudicio frangant et sponsa fidem vobis datam. Lex enim est talionis:

*Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

Pro sponsa hebr. est כלת *callot*, quod verti potest eum Chald. Theoph. et Vatabl. *nurus*, id est, uxores filiorum vestrorum, q. d. Hæ fidem frangent datam filiis vestris, fornicando eum adulteris; sicut vos fidem fregistis Deo datam, fornicando eum idolis: itaque tam vos, quam filios vestros, maritos suos pudore et mœrore afficient et conicient.

**NON VISITABO,** id est, deseram, negligam, peccare impune permittam. Ita S. Hier. Theod. Hugo, Lyran. aut, ut Isidor. et Vatabl. q. d. Non puniam tam severe ut vos, filias et sponsas vestras, eum adulteraverint. Causam subdit: **QUONIAM IPSI CUM MERETRICIBUS CONVERSABANTUR.**) Est enallage personæ: ex indignatione enim quasi avertens faciem ab ipsis, mutat secundam personam in tertiam dicens, *Ipsi*, id est, vos ipsi, q. d. Quia vos relictis filiabus et uxoribus, aditis meretrices, cum eisque scortamini; hinc ipsa vestro exemplo irritata, et a vobis derelicta, pari modo et iure relictis vobis adibunt amasios et adulteros, cum eisque fornicabuntur. Hebr. habent: *quoniam ipsi cum meretricibus separabantur*, id est, separatim relictis filiabus et uxoribus conversabantur et scortabantur: licet Marinus in Lexico Hebr. פרוה *ipparedu*, id est, separabantur, derivet a פרה *percd*, id est, mulus (qui sic dicitur, quod sit generatione separatus) q. d. Mulos, id est, spurios gignent; vel q. d. Ad instar mulorum abutuntur matrimonio, non generandi causa, sed explendæ libidinis ergo dumtaxat. Porro meretrices hæ erant sacerdotissæ Beelphegor, id est Priapi, et sua prostitutione eum colebant, ait S. Hier. Cyrill. et Theod. de quibus 3. Reg. 15. 13. aut Veneris cultrices, ut vult Albert. quæ sedentes ad eius templum adventantibus se prostituiebant, uti dixi Baruch 6. 42.

Moral.  
Deus pu-  
nit pec-  
cata pa-  
trum  
peccatis  
filiorum  
et uxo-  
rum.

Moraliter discere hic proles et uxores imitari parentes et maritos in scelere, Deumque horum peccata, prolium et uxorum peccatis et ignominia ulcisci. Ita ultus est adulterium Davidis scelere Absalonis, qui uxores Davidis patris sui incestavit, 2. Reg. 12. 11. Præclare Iuvenalis satyra 4.

*Et quod maiorum vitio sequiturque minores,  
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,  
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.  
Si damnosa senem iuvat ulca, ludit et hæres  
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.  
Sic natura iubet.*

Quocirea illud in mente recondant parentes :

*Et peccaduro obsistat tibi parvulus infans.*

Et illud Plauti in Pseudol.

*Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum  
Probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.*

Denique illud Verini:

*Et verbo et facto parvis sit regula natis,  
Optima sitque omni tempore norma pater.*

Sane pueri dum circa mores inconditos monentur vel arguuntur, illam quasi natura insitam exensationem rege-  
gerunt: A patre hoc didice: Id mater me docuit: Sic faciebat mater mea, sic pater; vulgo dicitur, *Mali corri malum ovum*. Audiui non raro parentes graviter querentes de filiis, quod essent spurei, vinosi, maledici, cervicosi, inobedientes, intractabiles. Quibus ego, Parentes horum sæpe sunt causa: quia ipsi iisdem vitiis addicti filiis pravo exemplo præeunt, illosque eadem verbis et factis docent. Si ergo cuperent filios mores corrigere, ipsi prius suos corrigerent, quibus illos dedocerent ea quæ ante docuerant.

Ita Augusti Cæsaris libidines et sordes imitatae sunt duæ Iuliae, filia et neptis; quæ proinde publicum illi probrum extiterunt: unde ipse tertiam adoptavit, Agrippinam; sed et hanc mox ob sordes abdicavit: nec aliter tres illas, quam tres vomiceas, seu tria carcinomata sua appellare solebat: quin et testamento cavuit, ne mortuæ in sepulchrum suum inferrentur. Denique exclamare solebat illud Homericum:

*O ulinam cælebs vixissem, orbusque perissem!*

Ita Sveton. in eius vita.

Eadem, imo maior est ratio uxorum, quam filiorum. Nam, ut ait Seneca epist. 95. *Improbis est, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum: uxor enim mariti adulteri exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare, ait Quintil. Quocirea de multis dici potest, quod de Clytemnestra ait Ovid. lib. 1. de Arte amandi?*

*Dum fuit Atrides una contentus, et illa  
Casta fuit: vitio est improba facta viri.*

Et illud Euripidis de eadem:

*Stultæ quidem sumus mulieres, non nego:  
Cum autem insit hoc animis, peccat maritus  
Fastidians connubia, imitari vult*

*Mulier virum, et alium parare amasium.*

Denique Aristot. in Oeconom. *Primum itaque, ait, leges sint viro ad uxorem, ut iniuria cesset; sic nec ipse iniurias patietur: alioqui talionem rependet ei uxor, et lege talionis se tuebitur.*

ET CUM EFFŒMINATIS. ) Hi erant viri sive seorta mascula, ut sunt pueri pathiei, sacerdotes Priapi, qui molitie et venere succuba Sodomitis serviendo, ex viris quasi feminas se effliciebant, ideoque vocantur effæminati. Unde Aquila vertit, *εναλλογεμενους*, id est, mutatos, scilicet ex officio virili, in femineum; Sept. *τετελεσμενους*, id est, consecratos, scilicet Priapo aut Veneri; Theodotio, *εργωρισμενους*, id est, separatos a vulgo, quasi sacerdotes Priapi. Ita Cyrill. qui ait, Erant viri, sed in feminas molitie mutati, qui muliebri vociferatione et cymbalis utentes, facesque ferentes circumambulabant. Sic et Theodor. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. et alii, qui et addunt aliam causam cur vocentur effæminati, quia iniquiunt, multi ex illis castrabantur, fiebantque eunuchi; ut ad venerem tan-

tum passivam valerent, quasi feminae, non activam. Porro hosce viros succubos Beelphegor, id est Priapo, consecratos fuisse in Israel et Iuda, patet 3. Reg. 14. 24. et 4. Reg. 23. 7. Sed audi S. Hieron. *Nos, ait, effæminatos vertimus. Hi sunt quos hodie Romæ matri non deorum, sed daemonum servientes, Gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys (quem eunuchum meretricis fecerat) sacerdotes illius manciparint: propterea autem Gallorum gentis effæminantur, ut qui urbem Romam ceperant, hæc seriantur ignominia. Istiusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maxime feminis Beelphegor, ob obscæni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare.*

Secundo, tamen non minus apte pro effæminatis, veritas meretricis. Has enim proprie significat hebr. קדשיות *kedesciot*, quod est feminum: viri enim et mares masculine vocantur קדשים *kedescim* (possunt tamen et hi femine vocari *kedesciot* per catachresin, quia erant effæminati, uti iam dixi) favet S. Hieron. *Sciendum, inquit, quod in præsentibus kedesciot, meretricis ερευνας, id est, sacerdotes Priapo mancipatas vocet.* Verum recte suspicatur Ribera in codice S. Hier. esse mendum librariorum, et legendum esse, *ερευνας, sacerdotes Priapo mancipatos vocet*, ne secum pugnet: nam paulo ante eos viros vocavit. Erant ergo viri sexu, sed meretricis et feminae abusu libidinis et naturæ. Favet et Symmachus, qui *εραυνας* (id est socias, amicas, amasias) proprie meretricis appellavit. Sic et Theoph. *Initiatos, inquit, huiusmodi vocat sacros mystas, dignos iam arcanis apud illos sacris iudicatos, ceu perfectiores: qui mares esse visi, fœmellæ fuerunt, cymbalis utentes, femineisque ululatibus circumibant trivium, Beelphegor sacramenta perficientes.* Et Chald. qui vertit, *cum scortis comessantur et potant.* Ubi Nota. Hebraeis plus est *kedescia*, quam זונה *zona*: *zona* enim significat quamlibet meretricem, *kedescia* vero famosam, publicam, quasi Iupanari iam auctoratam et consecratam: hæc enim dicitur *kedescia*, id est sancta, per antiphrasim, quia spureissima et fœdissima, ac spureitie sua infamis et celebris. Rursum *kedescia*, id est sancta, vocabatur meretrix, quæ Priapo aut Veneri erat consecrata quasi sacerdos, quales hæc erant.

ET (id est, ideirco, scilicet ob scelera iam recensita) **POPULUS NON INTELLIGENS VAPULABIT.** ) Cum scilicet tandem a me punietur, exseindetur, et in captivitate, puta in Assyriam, ducetur. Ita S. Hieron. *Tigur. vertit, et populus qui intelligere noluit, variis iactabitur malis; Vatabl. populus non intelligens peribit, vel corruet, q. d. Populus ignorans Deum, corrucere solet. Aut stupore afficietur, cum scilicet sentiet tanta Dei flagella, qui licet sit misericors, est tamen et iustus in puniendis peccatis, et tarditatem supplicii gravitate compensat.*

Hebr. *לכת labat* proprie significat impingere, offendere, ruere, vapulare; R. David vertit, *pervetetur*; R. Ioseph, *claudicabit*; Thargum, *capietur*; R. Salomon, *laborabit, fatigabitur*; Pagnin. *festinabit, anceps erit et dubius, nesciens quo se vertat.*

**D SI FORNICARIS TU ISRAEL, NON DELINQUAT SALTEM** Vers. 15. **JUDA.** ) Ab Israel sermonem convertit ad Iuda, cumque monet ut memor templi et regni Dei (in Iuda enim regnabat Deus per posteros Davidis, ibique suam habebat domum et templum) non imitetur Israel fornicando, et fornicatione sua honorando et colendo Beelphegor, aliosque deos, id est demones.

ET NOLITE INGREDI IN GALGALA. ) Galgala locus erat et Galgala civitas inelyta, distans a Iordane stadiis quinquaginta, a Iericho stadiis decem: miraculis et religione patrum sancta et illustris. Nam primo hic transito Iordane castra longo tempore posuerunt filii Israel, ibique prima publica facta est gentis circumeisio. Ibi enim Iosue circumeidit omnes masculos Hebræorum, qui per 40. annos peregrinationis nati erant in deserto, ibique primum in Chanaan Pascha celebravit: unde in Galgala Hebræi adierunt quasi possessionem terræ promissæ. Nam deficiente manna, ibidem primum comederunt de frugibus terræ. Inde locus nomen accepit, dictusque est Galgala, Iosue 5. 9. ubi sic

legimus: *Dixitque Dominus ad Iosue* (peracta circumcissione) *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis*: quia hodie vos a vita et moribus incircumcisorum Ægyptiorum, per circumcissionem transtuli in sanctam meam legem et gentem: ideoque *vocatum est nomen loci illius Galgala*. Galgala enim, vel Gilgal, vel Galgal, vel, ut S. Hieron. vocat, Golgol, hebr. idem est quod amotio et ablatio; scilicet præputii, et consequenter opprobrii, et gentilissimi Ægyptiorum: radix enim גלגל *galal*, significat devolvere, remove, auferre: inde geminata litera *ghimel*, *ghilgal*, vel *galgal*, idem est quod devolutio, remotio, ablatio.

Secundo, in Galgala Iosue accepit omen victoriæ et possessionis Chananæ: videns enim angelum, evaginatum habentem gladium, perrexit ad eum, et ait: *Noster es, an adversariorum?* audivitque ab eo: *Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio*, ut tibi Chananæam subiugem. *Solve calcamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est*, Iosue 5. v. 13.

Tertio, in Galgalis Iosue reposuit duodecim lapides, quos tulerat de medio Iordanis alveo, idque ut ibi essent in perpetuum monumentum transitu miraculoso, quo duodecim tribus sicco pede per Iordanem transierunt in Chananæam, Iosue 4. 20. Unde S. Hier. in Epitaphio S. Paulæ ait, hosce lapides ibidem visos a S. Paula. Hi duodecim lapides representant duodecim tribus, et patriarchas; ac consequenter duodecim Apostolos, quasi duodecim petras et fundamenta Ecclesiæ Apocal. 21. v. 14. Ita Tertul. lib. 4. contra Marcion. c. 13.

Quarto, in Galgalis per multos annos constitit tabernaculum Dei, cum arca et propitiatorio: unde ibidem Samuel iudicabat populum, ibique Saulem secundo in regem nexit, 1. Reg. 10. 8. Ibi quoque Agag regem Amalec occidit, 1. Reg. 15. 33.

Quinto, Elias et Elisæus frequenter versabantur in Galgalis, ibique prophetabant, et faciebant miracula, 4. Reg. 2. 1. et c. 4. 38.

Hæc de causa idololatræ idola sua iam inde ab initio statuerunt in Galgalis; utpote loco sancto adeo, et celebri. Nam tempore Aod, qui tertius a Iosue fuit iudex Israelis, erant idola in Galgalis: ut patet Iudic. 3. 19.

Ubi Nota, dæmonem esse simiam Dei, ideoque eoli vel le ubi cultus fuit Deus, tum ut Deum possessione sua excludat, tum ut celebrior sit eius honos et veneratio. Ideirco Antichristus sedem regiam constituet in Ierusalem, ut ostendi Apoc. 11. 8. ibique in templo sedebit et coletur ut Deus, tum ut habeatur verus rex Sionis, id est Messias, successor Davidis et Salomonis: tum ut profanet urbem olim sanctam, et pro templo Dei suum constituat: tum ut evertat monumenta omnia passionis, resurrectionis, et ascensionis Christi, cuius ipse erit hostis, et Antichristus. Sic experientia constat dæmonem maxime insidiari monasteriis tum virorum, tum feminarum, ut magum vel magam, lubricam, turbulentam, etc. aliquam in illud inducat, quæ cæteras omnes vel turbet, vel inficiat, ut ubi maxime cultus fuit Deus, colatur ipse, itaque Deum suo templo quasi expellat, de eoque se vindicet.

**IN BETHAVEN.**) *Bethaven* urbs fuit Iudææ, sed ignobilis, sita iuxta Bethel, de qua Iosue 7. 2. et de ea hic loqui Prophetam censet a Castro. Verum S. Cyril. Hieron. Theophyl. Theod. Haymo, Lyran. Vatabl. et alii passim, putant ipsam Bethel vocari *Bethaven*: tum quia ei erat vicina: tum quia Bethel erat celeberrima: primo sanctitate et pietate, postea idolis et idololatria. Ieroboam enim vitulos aureos collocavit in Dan et Bethel, quasi in duobus regni limitibus, ibique hisce vitulis per se sacrificavit. Nota. Bethel prius dicta est Luzn, ob copiam nucum et amygdalarum (hæc enim hebr. vocantur לוז *luz*) a Iacobo vero Patriarcha, qui ibi vidit Deum scalæ innixum, et angelos per scalam ascendentes et descendentes, vocata est Bethel, id est, domus Dei, Gen. 28. 19. Eadem a Prophetis per antiphrasin vocatur *Bethaven*, id est, *domus iniquitatis*, ut vertit Theodotion: aut *domus nihili*, ut vertit Symmachus et Aquila. Sept. pro אָבֵן *aven* per erasin legentes אָוֹן *on*, vertunt, *domus doloris*, vel *domus idoli*: quia

Bethel est Bethaven, id est domus idoli.

**A** in ea erat templum, in quo colebantur vituli aurei Ieroboam. Id ita esse patet Amos 5. 5. ubi Propheta eadem pene verba, quæ hic habet Osee, usurpat, aitque: *Nolite quærere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, etc. quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis*, hebr. *aven*. Bethel ergo est Bethaven. Monet itaque Indam, puta duas tribus, ne adeant idola vicina posita in Galgalis, et in Bethel. Dico vicina, quia Galgala et Bethel erant in sorte tribus Benjamin, ut patet Iosue 18. v. 12. et 22. ideoque ea potius nominat, quam Dan aut Samariam. Dicit autem: *Ne ascenderitis in Bethaven*, quia Bethel sita erat in loco alto. Ita Vatabl.

Tropol. Bethel fit Bethaven, cum regnum, populus, urbs, uti Anglia, Scotia, Dania, a fide et cultu Dei ad hæresim desciscit: cum templa in stabula, monasteria in armentaria, hospitalia in tabernas et ganeas convertuntur, quibus competit illud Ieremiæ, et Christi: *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Matth. 21. 13. Rursum sancta anima fit Bethaven, cum a Dei gratia per peccatum excidit: tunc enim a regno et dominio Dei transit in ius et potestatem diaboli.

Nota, Prophetam hic, et deinceps usque ad finem capituli, maxime loqui duabus tribubus: ad illas enim convertit sermonem v. 15. dicens, *Si fornicaris tu Israel, non delinquit saltem Iuda*.

**NEQUE IURAVERITIS: VIVIT DOMINUS.**) q. d. Ne iuretis per vitam idoli, quod est in Galgalis, vel in Bethel, ei attribuendo nomen *Dominus*, hebr. *Iehova*, quod est nomen incommunicabile, et proprium Deo vero. Iuramentum enim est actus patriæ: iurando enim per aliquem, testabantur eum esse infallibilem, primam et increatam veritatem; ac consequenter esse numen et Deum: eum enim iurantes in teslem suæ assertionis vocabant dicentes v. g. *Vivit Dominus*, quod hoc illudve fecerim, aut faciam: quasi dicerent: Iuro per Deum, vitamque Dei, quod hoc illudve feci, aut faciam. Sicut ergo paulo ante vetuit cultum idoli, ita hic vetat iuramentum per idolum: hoc enim est protestatio et invocatio numinis, Deique veri. Ita Theodor. Albert. Hugo, Lyran. et alii.

Alii exponunt, q. d. Ego Deus et Dominus, sive Iehova vester, nolo ut per me eamque vitam amplius iuretis, cum sitis idololatræ; nolo ut ore, quod invocatione idolorum polluistis, iuretis, nominetis, et invocetis, itaque pollutis nomen sanctum meum. Ita S. Hieronym. Cyril. Theoph. Haymo, Isidor. Vatabl. et alii. Verum hæc expositio non recte cohæret eum eo quod præcessit: *Nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven*; huic enim annectit: *Neque iuraveritis; Vivit Dominus*: hæc enim tria pari casu, tenore et nexu dicuntur, ut patet ex Hebræo. Eodem ergo spectant; scilicet ad hoc ne colant idola in Galgalis et Bethaven, neve per ea iurent. Alioqui quæ esset connexio dicere: *Nolite colere idola in Galgalis et Bethaven, et Nolite iurare per nomen meum?* Contrarium enim potius dicendum esset, hoc modo? *Nolite colere nec iurare per idola, quæ sunt in Galgalis; sed potius colite me, et iurate per nomen meum.*

**QUONIAM SICUT VACCA LASCIVIENS DECLINAVIT ISRAEL.**) Proponit Iudææ petulantiam et lasciviam Israelis, quasi rem fædam, indignam, et Dei indignationem exitiumque gentis provocantem; ut Iuda aliena insaniam et periculo sapiat, illudque declinet, q. d. Israel carens cerebro lasciviat ut vacca; at tu o Iuda, persta in Dei lege, quasi leo: huic enim te assimilavi Genes. 49. 10. Ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Haymo et alii.

In hebræo est elegans paronomasia: *Sicut vacca vel vitula sarera sarar Israel*, q. d. Sicut vacca rebellis rebellavit Deo Israel. Ita Vatabl. *Sarera* enim significat vaccam quæ lascivia vel æstro agitur, ideoque indomita et rebellis ingum omne excutit, et quasi furens hue illucque discurret.

Quocircæ Septuag. vertunt *sicut vacca asilo percussa insaniavit Israel*: asilo, id est, æstro, uti ex Virgilio docet S. Hieron. sic enim canit Virgil. lib. 3. Georg.

Quocircæ Septuag. vertunt *sicut vacca asilo percussa insaniavit Israel*: asilo, id est, æstro, uti ex Virgilio docet S. Hieron. sic enim canit Virgil. lib. 3. Georg.



*Est lucos Silari circa, illicibusque virentem  
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo  
Romanum est, astron Graui vertere vocantes,  
Asper, uerba sonans: quo tota exterrita sylvis  
Diffugiunt armentu.*

Asilum significat furorem Hebræorum, quo impetu insano ferebantur et ruebant ad cultum idolorum. Noster generalius, magisque proprie et adæquate vertit *lascivians*: non enim solo Castro, sed et pastu, amore, aliisque de causis lasciviant vacca; unde Chald. vertit: *Sicut bos qui saginatur et recalcitrat, sic rebellat Israel propter multitudinem bonorum*: iuxta illud Dent. 32. 15. *Incrassatus est dilectus et recalcitruvit*, etc. Noster vero melius vertit *vacca*, quam *bos*: tum quia hebr. פרה *para* vaccam significat non bovem: tum quia feminae omnium pene animalium magis lascivæ sunt, petolæ, et deliræ, quam mares, uti docet Aristotel. lib. de Physiognomia, et ex eo Augustin. Niphus, qui huiusce rei physicas rationes adducit. *Magis malefica*, inquit Aristotel. *sunt feminea masculis, et proterviora, et minus defensiva*. Rursum: *Masculina natura sunt fortiore, et iustiore genere: feminina autem sunt timidiora et iniustiora natura*. Fœminina tamen quia minus habent cerebri, iudicii, animi et virium, hinc natura id aliunde compensante, plus habent affectus, passionum, procacitæ et impudentiæ: hisce enim illa supplet.

Denique Propheta comparat Israel em vacca non cani vel asino. Primo, quia coluit vaccas, puta vitulos aureos, vocatur vacca potius, quam vitulus, ad maiorem confusionem: quia sic miro fornicationis modo a vitulis subigebatur, quibus visibiliter adorando se substernebat: invisibiliter vero suam animam tauro, id est, dæmoni, prostituēbat. Secundo, quia Deus eius erat venter, et ut ait David, *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Tertio, quia eius lascivia commutanda erat in iugulationem, iubilus in mugitum et planctum. Ita Rufinus, Rupert. et ex iis Delrio adagio 977. Denique quia vitulabatur et lasciviebat, uti vacca et vituli quos colebat.

**NUNC PASCET EOS DOMINUS QUASI AGNUM IN LATITUDINE.** Id est, in loco lato et spatioso, q. d. Sicut agnus qui saginatur, latissime in pascuis uberrimis pasci sinitur, ut impinguatus statim maectetur: ita Deus sinit Israel em bonis alluere et lascivire, ut sit prædæ Assyrîis, ab eis quo spolietur et iuguletur. Ita S. Hieron. Vatabl. et Lyran.

Secundo, alii, q. d. Israel captivus ibit in Assyriam, ubi non lasciviet ut vacca; sed ducetur quo hostes volent, agaturque ad nutum Assyrîorum tamquam agnus mansuetus. Ita Haymo, Hugo, et a Castro. Aut sicut agnus mansuetus ubique matris ubera requirit; ita Israel in captivitate domitus et mansuefactus, me meaque ubera requireret. Ita Theod. et Theoph.

Tropol. S. Hier. per Israel hæreticum, per Iuda fidelem et Ecclesiasticum accipit. *Si semel, ait, fornicaris hæretice, saltem tu, Ecclesiastice, non delinquas; nec ingrediaris in Galgala, hæreticorum conciliabula, ubi peccata omnia revelantur, et instar porcorum volutantur in exno* (alludit enim Galgala ad גלגל *gala*, id est, revelavit, et ad גלגל *galal*, id est, revolvit, volutavit) *ne te ascendere putes ad superbas et arrogantes falsorum dogmatum fictiones. Non est enim ibi domus Dei, sed domus idoli. Sicut enim vacca percussa asilo, percussi sunt hæretici ardentibus diaboli sagittis, et legis notitiam reliquerunt: ideo pascentur in lata et spatiosa via, quæ ducit ad mortem, et patientia Domini bonique pastoris eos nutrit ad interitum*. Idem mutato nomine hæretici, adaptes ambizioso, luxurioso, avaro, et cuilibet peccatori.

Vers. 17. **PARTICEPS IDOLORUM EPHRAIM, DIMITTE EUM.** q. d. O Iuda, dimitte Ephraim, id est, Israel, puta decem tribus, quæ sunt particeps cultus et mensæ idolorum: comedunt enim idolothyta, scilicet carnes et cibos idolis immolatos: noli ergo eum imitari, noli eum eo participare in idolis et idolothytis. Ita S. Hieronym. Theoph. Hugo, Lyran. et alii. Minus recte Rupert. et Vatabl. censent hæc esse verba Dei ad Prophetam, q. d. Luseris operam si ad pœnitentiam iavitaris Ephraim: dimitte ergo eum

A eum suis cupidinibus et idolis. Gravissima enim est pœna dimitti a Deo, et tradi sibi suisque concupiscentiis.

**SEPARATUM EST CONVIVIUM EORUM**) Dat causas Iudæ, Vers. 18. cur Israelis commercium et societatem vitare debeat. Prima est hæc, q. d. Quia illorum cultus, religio et convivium a tuo, o Iuda, separatum et diversum est: tu enim abstines cibis lege Levit. 11. vetitis; illi sine scrupulo iis vescuntur: tu participas ex hostiis pacificis Deo immolatis; illi participant et comedunt idolothyta; ita S. Hier. Albert. et Hugo: tu post epulas castum te conservas; illi epulis distenti ardent in libidines. Hoc est quod sequitur: *Fornicatione fornicati sunt*. Pro *separatum est convivium*, hebr. est סכנאם סר *sur sobean*, id est, recessit potatio vel compositio, id est, convivium eorum. Hebræi enim vocant משתה *miste*, id est, comotationem, uti et Græci συμποσιος, a communionem potus, quod Latini a communione victus et cibi vocant convivium. Est metaphora a viniis acidis. Nam recedere venuste ab Hebræis usurpatur de vino, quando in vappam resolvitur. Unde et Græci tale vinum εφεταχος, Cicero *vinum fugiens*, Flandri *afguenden icyn* vocant. Chald. R. David, Vatabl. Pagn. et alii recentiores vertunt, *putruit vel fetuit potus eorum*, q. d. Vinum eorum erat olim vinum *cos*, id est, coloratum, odoratum, sapidum; iam per seclera eorum recessit a suo colore, odore, sapore; factumque est decolor, putidum, acidum, q. d. Lætitia eorum in tristitiam versa est, gaudia in luctum, epulæ in absinthium.

Myrum est Septuag. vertere, *Provocavit Chananæos*, quod sic explicat S. Hier. q. d. *Tantum studium habuit Israel in idolorum cultu, ut non imitatus sit Chananæos, id est, Ethnicos, sed ad imitationem sui eos provocaverit eroris*.

Denique Isidor. vertit, *Recessit ebrietas et erapula eorum*, quasi Israelitis hic tacite obiciatur, quod usque ad erapulam et vomitum sese ingurgitarent.

**DILEXERUNT IGNOMINIAM PROTECTORES EUS.**) Altera ratio qua urget Propheta Iudam, ut recedat ab Israel; quia, inquit, *protectores*, id est, dii quos colunt, vel, ut Chald. Hebr. Pagnin. et Vatabl. principes eius, qui sanctiunt idololatriam, fornicationem, erapulam, illumque ad ea inducunt verbo et exemplo, iisdem non nisi ignominiam et probrum ipsi accersunt. Itaque per ignominiam intellige probrosam et ignominiosam tam idololatriam, cum S. Hieron. Haymone, Hugone et Lyran; quam gulam et fornicationem, cum Aria et Chaldæo, qui vertit, *fornicationem dilexerunt, ut venirent sibi in ignominiam proceres eorum*.

Legit Interpretes הבר *habo*, id est, afferre: iam aliis punctis legunt, הבר *habu*, id est, afferre, dare. Unde vertunt *diligunt, date ad ignominiam, clypei eius*, id est, protectores eius qui eum tuentur ut clypei, q. d. protectores et principes Israelis, diligunt munera, dicuntque, *Date, date nobis dona*, quod est illis, æque ac populo ignominiosum; ita Vatabl. Pagn. Isidor. Rabini. Aut, ut Arias, *date*, scilicet vina et delicias, q. d. Assidue postulant vina et delicias, quasi Epicurei, quæ est summa ignominia. Verum hæc versio obscurior est, ac textui nonnulla addit et supplet: nostra vero clarior, planior, magisque adæquata est, ideoque verior et germanior.

**LIGAVIT EUM SPIRITUS** (id est, ventus, sivo turbo) IN ALIS SUIS.) Septuag. *turbo spiritus sibilabit in alis eius*, q. d. Turbo divinæ indignationis et vindictæ, quasi alis suis colligabit Israel em sive Synagogam, eamque auferet in captivitatem Assyriacam, ibique celerrime disperget in omnes mundi plagas: sicut turbo contorquere, iactare et dispergere solet paleas. Aut q. d. Quocumque ventus perflaverit, eo secum deferet alligatum Israel em: quare celerrime hinc avolabit quasi impulsus velocissimo et rapidissimo vento. Ventis enim dantur alæ per metaphoram, ob velocitatem: unde et pinguntur alati æque ac angeli, ait Isidor. lib. 7. Etymol. c. 5. Hinc Ovid. 1. Metam.

*Emittitque Notum, madidis Notus evolat alis.*  
Sic aquæ pluvie dicuntur in nubibus, non tantum inclu-

di, sed et ligari, Iob. 26. v. 8. ut nisi simul cum nubibus, moveri et discurrere non possint: nubes enim sunt pluviae vehiculum; ita Pineda ibidem. Unde Syrus vertit, *colligabitur spiritus in alis eorum*; Arabicus Antiochenus, *venit spiritus inflexus (retortus) in alis eius*; Arabicus Alexandrinus, *flaverunt venti ex alis eius*.

Est Poetica descriptio captivitatis; ita Ruffin. Theodoret. Theophyl. Pro *ligavit*, hebr. est צָרָר *tsarar*, id est, ligavit, constrinxit, contorsit, arctavit, afflixit, tribulavit. Cyrill. et Theophyl. pro אָתָה *ota*, id est, *eam*, aliis punctis legunt אָתָה *atta*, id est, *tu*; unde vertunt, *turbo spiritus tu es in alis eius*, quasi Propheta loquatur Deo, dicatque, eum esse ipsum turbinem, qui auferet Israel: aut, ut Cyril. q. d. Tu Iuda fuisti Israeli quasi turbo spiritus in alis volucris: eum enim Israel vidit te, qui habes templum, tam inertem et supinum, iisdemque peccatis illigatum, magis citiusque apostatavit.

Ex adverso S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo et Lyran. per spiritum hunc accipiunt diabolium, q. d. Diabolus est qui impellit Israel ad idololatriam, aliaque scelera, a deo ut videatur ei mentem et voluntatem colligasse, eaque astrinxisse idolis. Sic dæmon peccatorem alligat amasiæ, vino, ambitioni, itaque ligatum agit et raptat, quasi mancipium, quocumque vult, uti magas et sagas tam corpore, quam spiritu raptat ubilibet.

Secundo, Leo Hebr. vertit, *ligavit ventum in alis suis*, quod Vatabl. exponit, q. d. *Ventus constrictam tenebat illam congregationem* (hanc enim significat hebr. אָתָה *ota*, quod est fœmininum) *Israelitarum in alis suis, et ita*

*eos alio transferet*, puta in captivitatem Assyriam: alas enim vocat oras et sinus vestium, quasi Israel in iis ligatum habeat ventum sive turbinem, qui eum ita alatum celerrime transferat in Assyriam. Unde et Symmach. vertit, *ligavit ventum in alis venti*; quod explicans S. Hieron. *Ligavit*, inquit, *eos diaboli spiritus in alis suis, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, et stabili in Ecclesia pede permanere non possunt*.

Secundus hic sensus coincidit cum primo: sive enim dicas Israel in Assyriam abreptum alis turbinis iræ Dei, sive alis turbinis sui, eodem res redit: turbo enim Israelis non est alius, quam turbo iræ Dei, quem scilicet ei ira Dei indidit et impressit, ut eum auferat in Assyriam; sicuti vis iacientis lapidem, et vis iacti lapidis, eadem est. Iacientis enim vim suam lapidi iacto imprimit, ut eum proiciat quo vult: vis ergo hæc tam est hominis iacientis, quasi efficientis; quam lapidis iacti, quasi recipientis et patientis. Denique Hebr. *ota*, id est, *eam*, aliqui referunt ad ignominiam, q. d. Turbo iræ Dei ligavit ignominiam in alis Israelis, ut illam excutere nequeat: unde subdit: *Cofundentur a sacrificiis suis*, id est, ob sacrificia quæ idolis obtulerunt.

Tropol. disce hic peccata creare turbinem, qui peccatores ignominiose dispergat, et tandem deturbet in tartara. Quocirca Zacharias cap. 5. v. 7. vidit mulierem, cui nomen erat impietas, amphoræ insidentem, a duabus mulieribus habentibus alas milvi, et spiritum in alis, rapti in Babylonem, quæ est symbolum gehennæ. Vide quæ de funibus et vinculis peccatorum dixi Isaïæ 5. 18.

## C A P U T Q U I N T U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Vocat Deus ad iudicium sacerdotes, et primores, eosque accusat quod laqueus fuerint populo, eumque suis idolis et sceleribus implicarint*: Quia spiritus, inquit, fornicationum in medio eorum. *Hinc eis cum populo, et cum Iuda, qui Israelis scelus secutus est, hostile excidium intentat, dicens v. 5. Respondebit arrogantia Israel in facie eius; ruet etiam Iudas cum eis. Denique vers. 12. ait se eos quasi tineam et cariem corrosurum, ac vers. 14. quasi leenam discerpturum.*

1. **A**UDITE hoc sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. 2. Et victimas declinastis in profundum: et ego eruditor omnium eorum. 3. Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me: quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel. 4. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. 5. Et respondebit arrogantia Israel in facie eius: et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis. 6. In gregibus suis, et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient: ablatus est ab eis. 7. In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt: nunc devorabit eos mensis cum partibus suis. 8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: ululate in Bethaven, post tergum Inum Benjamin. 9. Ephraim in desolatione erit in die correctionis: in tribus Israel ostendi fidem. 10. Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam. 11. Calumniam patiens est Ephraim, fractus iudicio: quoniam cepit abire post sordes. 12. Et ego quasi tineam Ephraim: et quasi putredo domui Iuda. 13. Et vidit Ephraim languorem suum, et Iuda vinculum suum: et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem: et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum. 14. Quoniam ego quasi læna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Iuda: ego ego capiam et vadam: tollam, et non est qui eruat. 15. Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis, et quæretis faciem meam.

Vers. 1. **A**UDITE HOC SACERDOTES.) Increpat primo sacerdotes, C deinde populum, præsertim primores populi, demum regis aulicos et principes Israelis de idololatria: hanc enim sacerdotes et primores abolere, et populum dedocere debant, eumque docere verum Dei cultum. Per sacerdotes S. Hieron. Haymo, Hugo, Ribera, et alii accipiunt pseudosacerdotes idolorum in Israel: hi enim non erant veri et legitimi; tum quia non erant ex tribu Levi; tum quia erant idolorum; tum quia non a Deo, sed a Ieroboam idololatra rege constituti, 3. Reg. 12. 28. Possunt tamen accipi veri Dei sacerdotes. Hi enim sparsi erant per Israel, ut eum in Dei cultu continerent; sed eum Ieroboam viti-

los suos induxit, non tantum populus, sed et sacerdotes regis sui imperium secuti, vitulos hosce et Baalim coluerunt, aliosque colere docuerunt, imo compulerunt.

QUIA VOBIS (Septuag. ad vos) IUDICIUM EST.) q. d. Vos Deus vocat ad iudicium, et condemnationem; ut scilicet vos ob idololatriam in iusto iudicio accuset, et condemnet ad excidium inferendum ab Assyriis. *Iudicium* ergo hic, primo, proprie sumi potest; secundo, improprie, per catachresin pro disceptatione, accusatione, redargutione, increpatione, quæ fieri solet in iudicio; tertio, metonymice pro condemnatione, q. d. *Adeste in iudicio Dei, ut vestram sententiam et condemnationem audiat; ita S.*

Hieron. Theodor. Theophyl. Hugo, Ribera et alii. Aliter Chald. et Isidor. q. d. Quia vestrum est iudicium, id est, quia ad vos spectat iudicare, quia polletis auctoritate in iudiciis; hinc adeste in hoc Dei iudicio, verum non ut iudices, sed ut rei.

QUONIAM LAQUEUS FACTI ESTIS SPECULATIONI, ET RETE EXPANSUM SUPER THABOR.) Pro speculationi Hebr. est מצפה *mitspa*, vulgo *maspha*, quod Vatabl. Arias, Pagn. et passim hebraizantes ac Novantes accipiunt, ut nomen proprium urbis. Maspha enim fuit urbs sita in monte, eaque celebris: nam in ea fuit arca testamenti: unde eo conveniebat populus ad orationem. Hinc et Samuel in Maspha iudicabat populum, 1. Reg. 7. 20. In Maspha quoque habitavit Godolias et Ieremias, Jer. 40. 41. Vertant ergo hebraizantes, nam *laqueus facti estis in Maspha, et rete expansum super Thabor*, idque dupliciter exponunt. Primo, Vatabl. Kimeli et Pagnin. subaudiendo vocem *sicut*, exponunt, q. d. Vos scandalo et offendiculo estis populo, ut eum capiat et inducat ad idololatriam, indeque in exitium et ruinam; sicut venatores laqueos extendunt in Maspha, et retia in Thabor, ad capiendas aves et feras. Secundo, Arias exponit, q. d. Ieroam in Maspha et Thabor statuit speculatores et custodes, qui capiebant Israelitas euntes Ierusalem ad templum, eosque cogebant ire in Dan vel Bethel, ibique adorare vitulos aureos Ieroam. Verum, ut alia omitam huic versioni obstat, quod Maspha non erat in Israel, ubi regnabat Ieroam, sed in Iuda ubi regnabat Roboam, uti docet S. Hieron. in Locis Hebr. Adrichom. et passim alii.

Quocirca noster a Castro censet urbem hanc Maspha aliam fuisse ab ista Maspha Iudææ, ac fuisse sitam in Israel, puta in monte Galaad. Mons enim Galaad dictus est Mitspha vel Maspha, id est, specula; vel, ut Septuag. vertunt, *ορασις*, id est, visio: ex eo quod Labau sanciens fœdus cum Iacob, ibi Deum, quasi speculatorem, in testem et vindicem sui fœderis per iuramentum vocavit, ut dixi Genes. 31. v. 48. Itaque censet a Castro, Ieroam speculatores constituisse in Galaad, qui populum averterent a templo, et cogere adorare in Dan et Bethel. Hic sensus probabilis et plausibilis videtur.

Verum obstat Primo, quod de his speculatoribus in libris Regum, et in tota Script. nulla fiat mentio; aliquid tamen de iis innuitur Osee c. 6. 9. uti eo loco dicam. Secundo, quod Galaad nusquam vocetur Maspha, nisi Genes. 31. vers. 48. idque tantum in Hebræo. Tertio, quod *Mitspha* hic in Hebræo habet articulum dativi casus: sic enim Hebr. ad verbum habent: *Quia laqueus fuistis ipsi Matspha, et rete expansum super Thabor*. Male ergo recentiores vertunt, in *Mitspha*, vel *super Mitspha*: *Mitspha* enim hic est dativi casus. Quarto, quia Septuag. Chald. S. Hier. plane consentiunt nostræ versioni, vertuntque, *quia laqueus facti estis speculationi*, vel *specula*. Itaque *Mitspha* hic est nomen non proprium urbis, sed appellativum significans speculationem, vel speculam.

Quæres, quænam est hæc *speculatio*? Primo, S. Hieron. exponit, q. d. Facti estis laqueus pro speculatione, eo sensu quem mox asseram. Hebr. enim לamed in מצפה *lemitspha*, subinde significat *pro*. Secundo, abstractum hic accipi potest pro concreto, more Hebræo: *speculatio* ergo accipi potest pro populo speculato, seu vestræ o sacerdotum et principes populi, curæ et speculationi commisso, q. d. Vos o primores (hos enim alloquitur) qui debebatis speculari, excubare, et custodire populum in cultu Dei, eundem verbis et exemplis pertraxistis ad idololatriam. Sic Ezechiel a Deo constitutus est speculator populi c. 3. 17. vide ibi dicta. Ita Cyril. Albert. Hugo, Emmanuel, Mariana et Lyran. Aut certe *speculationi*, id est, prophetiæ, hæc est Prophetis, q. d. Vos o Israelitæ facti estis laqueus Prophetis et doctoribus, quia eis insidias tenditis, eosque capitis et occiditis. Ita Chald. Theod. Theoph. *Mitspa* ergo, id est *speculatio*, significat vel מצפה *mitspe*, id est, speculatum, scilicet populum; vel צרפים *tsophim*, id est, speculatores, scilicet Prophetas; perinde ac si dicas, Laqueus facti estis episcopio, id est, Episcopo, et subditis

A Episcopo; unde Syrus vertit, *laquei enim facti est speculationi*.

Quocirca allegor. Cyrill. hæc accipit de Iudæis Christo (hic enim est speculator, et Episcopus animarum nostrarum, ut ait S. Petrus epist. 1. c. 2. v. ult.) eiusque verbis et factis ubique insidiantibus, ut cum in necem et crucem agerent, uti tandem fecerunt. Sic et Leo Castrinus, qui putat hunc esse sensum litteralem, adeoque de Christo totum hoc caput, imo totum Prophetam explicat ad litteram, in quo hallucinatur; de Christo enim Propheta loquitur allegorice, non litteraliter.

Nota. In hebr. pulchra est paronomasia inter מצפה *mitspat*, id est, iudicium, et מצפה *mitspa*, id est, speculationem, q. d. *Vobis mitspat*, id est, *iudicium est*, hoc est, cito vos ad iudicium, quia fuistis laqueus *lemitspa*, id est, speculationi. Rursum inter פח *pach*, id est, laqueus, et מצפה *mitspa*, id est, specula, q. d. Pro specula facti estis laqueus: vestrum enim erat speculari, et præmonere ac custodire populum; sed vos ipsi cum illaqueastis, et in B laqueum, id est, in captivitatem hostium induxistis, iuxta expositionem S. Hieron. primo loco assignatam. Perinde ac si latine ludas, ac dicas: Vos speculatores facti estis expilatores aut spiculatores; vos tutores traditores; vos curatores proditores; vos defensores direptores; vos pastores perditores: vos Episcopi apostatae. Ita Synodus generalis V. actione 5. ex verbis S. Cyrilli, hunc Osee laqueum ait esse Theodorum Mopsuestenum, et similes heresis et falsitatis doctores.

ET RETE SUPER MONTEM THABOR.) Subaudi voculam *sicut*, q. d. Sicut venatores rete tendunt avibus et feris in Thabor, ita vos insidias tetendistis vel populo, vel Prophetis et prædicatoribus. Porro Thabor, vel, ut Septuag. et Thabor Joseph vocant, Itabyrius, mons est pulcherrimus in medio Galilææ campo, mira æqualitate ex omni parte rotundus: in vertice viginti sex stadiorum campestris planities patet: cæli temperie est saluberrimus: vineis, olivis aliisque arboribus fructiferis undique consitus: rore perpetuo viduus: arborum frondibus, et versicoloribus herbis semper viridis, atque suavi omnigenum florum odore fragrantissimus. Hinc magna ferarum, maximeque avium in eo est frequentia, quarum et grato concentu amœnissimus est, et venatu celebris: unde in eo venatores retia tendebant, ut ait hic Osee. Denique totus hic mons pascendis oculis, reficiendis animis natus factusque videtur: ideoque eum Christus Dominus merito delegit tum orationi, tum transfigurationi suæ, in quo sole lucidior et nive candidior refulgens coram Mose et Elia, cælestis beatitudinis et gloriæ specimen aliquod discipulis suis dedit. Ita Borehard. Bredembæ. et Adrichom. in Descript. terræ sanctæ.

Tropolog. Theophyl. speculatores, id est, Episcopi, Pastores et Prælati, quorum erat invigilare salutem subditorum, eis fiunt rete, cum vel falsa doctrina, aut pravis consiliis, vel moribus et exemplis eos secum implicant, trahuntque ad scelera, et in ruinam; idque in Thabor, quod nomen hebraice significat, puritas, vel veniens lumen, ait S. Hier. quia in ipsa sacerdotii pulchritudine animis feditatem asserunt; in ipsa puritate inquinant; in ipso lumine tenebras offundunt; in ipsa eelsitudine in profundum plebem præcipitant, ait Sebast. Barrad. lib. 7. c. 5. Unde Arabiens Antiuch. vertit, *quia facti estis laqueus in offensionem, et quasi rete expansum super abyssum*; et Arabicus Alexand. *iam facti estis sicut laquei in locis insidiarum, et sicut eibus qui ponitur in venationem in nemoribus animalium*.

ET VICTIMAS DECLINASTIS, scilicet a Deo, eiusque templo, et altari Hierosolymitano, ad idola eorumque aras erectas in Dan et Bethel: idque IN PROFUNDUM.) Scilicet impietatis. Unde Chald. vertit, *sacrificant idolis largissime*. Hebræi enim sumunt verba pro adverbis. Ita Ribera. Hebr. ad verbum habent, *victimam declinantes profundaverunt*, id est, in profundum scelerum abierunt, profunde descenderunt, in fundum idololatriæ prolapsi sunt, et, ut ait Osee c. 9. v. 9. *profunde peccaverunt*. Eadem

Speculatio que?

D

vers 2.

phrasi utitur Isaias c. 31. 6. *Converlimini sicut in profundum recesseratis* (hebr. *sicut profundustis*) filii Israel. Et c. 30. 33. dicitur Tophet, id est, gehenna, profunda et dilatata; hebr. *profundavit et dilatavit se*. Ita S. Hier. Albert. Lyran. Arias, Ribera et alii. Aliter Vatabl. et Clarius, qui per profunditatem intelligunt calliditatem et veritiam, q. d. Apostatae qui declinant a vera religione, rationem subtilem et callidam invenerunt immolandi diis alienis: dicunt enim se colere idola in honorem Dei. Sic Galli dicunt: *Voilà un homme profond*, cum callidum et astutum denotare volunt.

Septuag. hæc referunt ad rete quod præcessit: vertunt enim, *qui capiunt venationem, confixerunt*; ut hebr. *profundaverunt*, idem sit quod, *profunde vel retia in terram, vel lanceas et venabula in corpora defixerunt*, scilicet venatores: legendum enim *confixerunt*, ut habet editio Romana Carallæ, S. Hieron. Theodor. et Theophyl. *non timuerunt*, ut habent Complut. et Regia. Syrus vertit, *et venatores qui venantur, operuerunt laquei*, q. d. Capti sunt laqueis suis, quos aliis telenderunt; *ego autem erudiam* (corripiam) *eos omnes, ego scio*. Mystice S. Greg. hom. 4. in Ezech. *Sunt, ait, nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus sancti videantur. Quid hi nisi victimas in profundum deferunt? qui per hoc quod in imo sunt quæ requirunt, orationis suæ, sacrificium deorsum deponunt.*

ET EGO ERUDITOR OMNIUM EORUM.) q. d. Profunde peccant, eum tamen ego nunquam destiterim eos corripere per Prophetas et erudire, ne tantum scelus patrarent. Ita S. Hieronym. et Septuag. qui vertunt, *et ego magister eorum*, Minus recte vertit Lyran. *et ego cognitor eorum*, q. d. Non pudet eos peccare in mea præsentia; ego enim omnium eorum scelera cognosco et video. Nam hebraice מוסר *musar*, non significat cognitionem, sed correptionem, obiurgationem, castigationem: unde disciplina et castigatio puerorum vocatur *musar*. Quocirca Chald. vertit, *ego adduco correptiones, vel castigaciones super omnes illos?* quod Theodor. et Theophyl. exponunt per futurum, q. d. Ego castigabo eos excidio, puniam eos captivitate.

Vers. 5. EGO SCIO EPHRAIM, id est, ut rhythmicè more Hebr. quasi per carmen antistrophum explicat, dum subdit: ET ISRAEL NON EST ABSCONDITUS A ME.) Aut potius Ephraim vocat tribum regiam et capitalem; Israellem vero reliquas novem, quæ Ephraim idololatriam et imperium secutæ sunt, distinguit enim Ephraim ab Israel v. 5. q. d. Novi ingenium et indolem Israelis, quod scilicet in idola sit propensissimus, et a me maxime aversus, quodque idololatriam et vitulos Ieroboam, qui fuit primus eorum rex ex tribu Ephraim, mox prono animo secutus sit, adeoque alle animo suo impresserit, ut eum quasi tributum suum totus populus, omnesque deinceps reges in scelere imitati et affectati sint; nec ullis Prophetarum monitis aut minis ab eo revocari possint, nisi excidio conterantur, et captivitate dura eorum corda frangantur. Ita S. Hier. Theodor. Rupert. Albert. Arias, Lyran. et Vatabl.

Tropol. hic Nota, Deum cognoscere et prævidere intimas et secretissimas mentium cogitationes, desideria, propensiones, intentiones; unde in Scriptur. vocatur cardio-gnostes, quia scrutatur renes et corda. Quocirca Isaias c. 29. 15. graviter redarguit impios, qui putant se Deum latere dicentes: *Quis videt nos, et quis novit nos?* quod tantumdem est, ac si *figmentum*, inquit, *dicat fictori suo; Non intelligis, non me cognoscis, quod impium est: Dei enim est creaturas suas quas ex nihilo creavit et finxit regere et conservare: ergo qui eas creavit, eas pariter intime cognoscit, penetrat et pervidet. Præclare Sapiens Proverb. 15. 11. Infernus, ait, et perditio eorum Domino, quanto magis corda filiorum hominum: perditio*, id est, damnatio æterna, q. d. Novit Deus ima inferni; et qui, quot, quantumque ob scelera sua sint damnandi, aut damnati: ergo multo magis novit secreta eordum cuiusque. Ita valet, stringitque hoc argumentum a maiore ad minus, q. d. Cum in cubili, imo in corde occultissime peccas, cum te latere credis, adeo Deum non lates, ut simul

ipse videat pœnas, quas præcise mereris, quasque ipse tibi in gehenna pro illo crimine præparavit. Tu peccas, et inanem concupiscentiam explēs, interimque non cogitas gehennam et ignes æternos, qui tibi a Deo parantur. Hoc est quod graviter et significanter ait Apostol. Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio anceps, et pertingens usque ac divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius: vide ibi dicta. Atque hæc est causa cur Deus prævideat et præcognoscat omnia contingentia futura, omnesque actus voluntatis liberos futuros, vel absolute, vel conditionate, si videlicet in tali, vel tali rerum serie, talibusque circumstantiis voluntas poneretur, quid ipsa factura et electura esset: quia scilicet ipse prævidet, et plane comprehendit totam voluntatem, omnesque eius occultas affectiones et propensiones, uti et circumstantiarum rerumque omnium; itaque videt ipsam positam et compositam cum tali gratia, tentatione, aliisque circumstantiis certo et infallibiliter, sed libere ad hoc illud se determinatorum: Qui enim causam comprehensiva cognitione cognoscit et comprehendit, comprehendit et omnes eius effectus actusque, etiam liberos.*

NON DABUNT COGITATIONES SUAS UT REVERTANTUR AD Vers. 4. DOMINUM.) Aliter verti potest ex Hebræo, scilicet, *non permittent opera eorum* (impia et idololatrica, quibus assidue vacant) *ut revertantur ad Dominum*. Ita Chald. et Vatabl. cui apte cohæret quod sequitur.

QUIA SPIRITUS FORNICATIONUM IN MEDIO EORUM.) q. d. Ita dediti sunt idololatriæ, ut videantur spiritu et æstro idololatraudi agi et furere, uti vacæ actæ æstro furentes discurrunt, et a bubulco revocari compeseique nequeunt. Aliter Vatabl. intelligit enim spiritum pseudo-prophetarum, q. d. Decepti sunt a pseudoprophetis, illorumque doctrina et spiritu idololatrico imbuti, in idola insaniant.

C ET RESPONDEBIT ARROGANTIA ISRAEL IN FACIE EIUS.) Vers. 5. *Arrogantiam* vocat superbiam Israelis, qua spernens Deum sequebatur idola: rursum *arrogantia* hic sumitur pro pœna culpæ arrogantia debita, q. d. Punietur hæc arrogantia Israelis, ita ut pœna respondeat culpæ, eique publicæ, quasi in faciem dicat; Ecce, quia o Israel, tam arrogans fuisti et rebellis in Deum tuum, hinc merito nunc ab eo humiliaris et plecteris: Hinc Vatabl. et Pagn. vertunt, *testificabitur fastus Israelis contra eum, idque in faciem eius*. Unde explicans subdit: *Et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua*. Quocirca Sept. pro *respondebit*, vertunt, *humiliabitur iniuria* (iniuriosa in Deum arrogantia) *Israel in faciem eius*; Chald. *deprimetur gloria Israel ipsis videntibus*. *Respondebit* ergo, id est, ex æquo punietur et humiliabitur, ut conquerenti inste respondere possit, eum ita puniri, quia fuit tam arrogans. Nam pœna debetur et commensatur, itaque ex æquo respondet culpæ ac peccanti, sicut præmium virtuti, merces labori, fructus agricolæ, uti ait Iacob ad Laban, Genes. 30. 33. quod hic alluditur. Ita S. Hieron. Theodoret. Albert. Hugo, Lyran. et Ribera.

IN FACIE.) Id est, palam, publicè, ipsis aliisque omnibus videntibus, et iustum Dei iudicium ac vindictam approbantibus. Ita Chald. Theoph. et alii iam citati. Aliter Arias, qui *in facie*, putat significari impudentiam, q. d. Arrogantia et fastus Israelis cernitur et relucet in facie eius, oculis et superciliis inflatis, altis et tumidis, iuxta illud Isaiæ 3. 9. *Agnitio vultus eorum respondit eis*. Vide ibi dicta. Vere dixit B. Cæsarius Episcopus Arelat. homil. 23. *Quisquis superbus est, dæmone plenus est*.

Moraliter S. Gregor. lib. 26. Moral. e. 13. ex hoc Osee Moral. lib. 26. Moral. e. 13. ex hoc Osee loco docet luxuriam esse pœnam arrogantia: *Ocultam, ait, culpam sequitur aperta percussio; ut malis exterioribus interiora puniantur, et cor publicè corrumpat, quod latenter tumebat*. Probat id ex eo quod Osee hic dixit: *Spiritus fornicationum in medio eorum*. Eiusque causam assignans subdit: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem*

Moral. lib. 26. Moral. e. 13. ex hoc Osee loco docet luxuriam esse pœnam arrogantia: *Ocultam, ait, culpam sequitur aperta percussio; ut malis exterioribus interiora puniantur, et cor publicè corrumpat, quod latenter tumebat*. Probat id ex eo quod Osee hic dixit: *Spiritus fornicationum in medio eorum*. Eiusque causam assignans subdit: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem*

*eius; ac si diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit. Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit iura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, iure et a subiecta carne prælium suscipit. Probat id exemplo Adæ, qui mox ut inobediens contra Deum superbiivit, stimulum carnis sensit; ideoque erubescens, nuda membra foliis ficis contexit; ut superatus disceret, quid elatus amisisset.*

**ET ISRAEL ET EPHRAÏM RUENT IN INIQUITATE SUA.)** Hæc est responsio realis, non verbalis; de qua iam dixit: *Et respondebit arrogantia Israel in facie eius.* Distinguit Israel ab Ephraim, uti corpus a capite, regnum a metropoli. Tribus enim Ephraim dedit primum regem Ieroboam, multosque deinde eius successores Israeli: unde Ephraim continebat imperium et regnum Israelis, sive decem tribuum, earumque erat quasi caput et metropolis Sensus ergo est, q. d. Decem tribus ruent eum suo capite, puta cum suo imperio, eum sua tribu regali Ephraim, eiusque rege et regno, idque *in iniquitate sua*, id est, merito iniquitatis, propter iniquitatem suam. Sic enim præpositio *in*, Hebræis sæpe significat meritum vel demeritum, idemque valet quod propter, uti legenti Psalmos notissimum est.

**RUET ETIAM IUDAS CUM EIS.)** q. d. Etiam duæ tribus, sive regnum Iuda ruet; quia Israelis idololatriam secutum est.

**IN GREGIBUS SUIS ET IN ARMENTIS.)** q. d. Positi in eanitate, et ab hoste circumdati, quærent Deum per victimas gregum et armentorum; sed frustra: nec enim eam invenient; utpote qui derelinquentes se pariter dereliquerit. Ita S. Hieron. Hoc est enim quod subdit: *Ablatus est ab eis; Chald. Subduxit se maiestas eius ab eis.* Allegor. q. d. Iudæi post Christum volent Deo offerre pristinas gregum victimas, iisque Deum placare; sed frustra: ipse enim recessit ab eis ad Christianos, et gregum victimas in Eucharistiam corporis Christi commutavit. Ita Theophyl. et Leo Castrius.

**QUIA FILIOS ALIENOS GENUERUNT.)** *Alienos*, scilicet a Deo, Deique culto; sive quos ab infantia in idololatria educarunt, aut Moloche aliisque idolis per ignem consecraverunt. Hi enim me non cognoscunt, nec ego illos ut meos cognosco, sed ut alienos æstimo: ita S. Hieron. Cyrill. Albert. Hugo et Clarius. Huc accedit Rupertus et Lyran. qui per *filios alienos* intelligunt discipulos familiares, aut subditos, quos ipsi docebant suam idololatriam.

Secundo, Cyrill. Theodoret. Theophyl. Clarius, Emmanuel et Mariana, censent vocari *filios alienos*, quos ex alienigenis, puta ex filiabus Gentium, quarum connubia eis erant a Deo vetita, Exodi 34. v. 16. et Deuter. 7. v. 3. procreabant. Unde Chald. vertit: *In verbum Domini perperam egerunt, quia filios de filiabus gentium sibi statuerunt.*

**NUNC DEVORABIT EOS MENSIS.)** q. d. Per singulos menses irruet in eos hostis et plaga, eosque perecutiet et vastabit. Unde Chald. vertit, *nunc adducum adversus eos populos per singulos menses, qui populabuntur fructus terræ eorum; et Arabicus Antiochen. nunc devorabunt eos latrones, et gentem eorum; et Arabicus Alexandr. comedet eos Assur, et omnia bona eorum.* Ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Vatabl. Emmanuel et alii: et patet ex 4. Reg. 15. v. 19. et 29. sub Phul, Teglatphalasar, et Salmanasar crebras fuisse irruptiones Assyriorum in Samariam. Rursum Deum plagas alias et alias successive et continue in Israelitas immisisse, significat illud Joel c. 1. 4. *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.*

Secundo, Clarius et Vatabl. per mensem, synecdochice accipiunt breve tempus. Declarat, inquam, illud *nunc*, quod dixerat, cum dicit *mensis*, q. d. Post tempus menstruum, id est, brevissimum, peritari cum suis facultatibus: aut, hoc mense vastabuntur et devorabuntur.

**A** Videtur enim Propheta hæc dixisse iamiam imminente hoste et clade: unde subdit: *Clangite buccina in Gabaa.* Hic sensus planus videtur et facilis.

Tertio, Lyran. Mariana et Arias ex R. Salomone, per mensem accipiunt 28. Ab, id est, Iulium: censent enim in Iulio captam et excisam esse Samariam cum regno Israel. Sed hoc incertum est: certum est eodem mense Iulio combustam esse Ierusalem cum templo a Chaldæis, totumque regnum Hebræorum, sive posteriorum Israelis, 4. Reg. 25. 8. illi ergo certius hæc attribuas.

Denique Septuag. pro *mensis*, vertunt, *rubigo*; videntur ergo pro **חֳדָשׁ** *chodes*, id est, mensis, legisse, **חֲסִיל** *chasil*, id est, rubigo. Aquila vero vertit, *neomenia*, forte quia censuit primo die mensis excisam esse Samariam. Hæc Aquilæ versio illustrem dat allegoriam et tropologiam. Neomenia enim, sive novilunium, quod erat Hebræis prima dies mensis (hunc enim inchoabant a nova luna) symbolice representat novum imperium, ac consequenter mutationem status gentis et regni, q. d. Brevi veniet neomenia, id est, novus monarcha, puta Salmanasar, et Nabuchodonosor, ac novum eorum imperium, quod devorabit Israelitas et Iudæos, veteremque eorum gentem, mores et regnum. *Novus enim rex, nova lex, nova plebs*, ut vulgo dicitur. Et hoc significat Hebræum **חֳדָשׁ** *chodes*, scilicet innovationem, novitatem, a rad. **חָדַשׁ** *chadas*, id est, innovavit, novum fecit: inde enim neomenia sive calendæ vocantur *chodes*, eo quod tum fiat innovatio lunæ, et consequenter mensis lunaris, quo utebantur Hebræi. Itaque omnes res humanæ, omnes gentes, omnia imperia sub luna sunt, et reguntur a luna, id est, a vicissitudine, mutabilitate, et quasi a fortuna. Sunt ergo lunatica, ac instar lunæ, et cum luna cito decurrunt, transeunt, et finiuntur in novilunio, dum scilicet novus rex, novumque imperium assurgit.

Quocirca mulier illa cælestis Apocal. 12. 1. Ecclesiam et fideles representans, lunam habet sub pedibus: quia fideles et sancti terra sunt aliores et luna, id est, omnium rerum temporalium mutabilitate, ac cum S. Paulo mentem et conversationem habent in cælis.

**CUM PARTIBUS SUIS.)** Septuag. *et clerus eorum: clerus*, id est, sortes, puta terras et agros, quæ sortito cuilibet tribui et familiæ obvenerant, Iosue c. 13. unde Leo Hebr. vertit, *cum agris suis.*

**CLANGITE BUCCINA IN GABAA, TUBA IN RAMA.)** *Buc-* Vers. 8.  
*cina* erat e cornu cornica: *tuba* ex ære ærea, subinde ex argento argentea, q. d. Adest hostis, imminet prælium, vel obsidio; ergo clangite et convocate populum ad arma, ut hosti resistat. Nota. *Gabaa* et *Rama* urbes erant celebres in tribu Benjamin, vicinæ, et in monte sitæ; unde et nomen acceperunt. *Rama* enim significat excelsum, *Gabaa* collem. Quocirca Septuag. vertunt, *clangite tuba super colles, resonate in excelsis.* Porro Benjamin Iudæ adhæsit, fueruntque hæ duæ tribus unite sceptro et familiæ Davidis tempore Roboam, cum ab ea decem reliquæ tribus fecerunt schisma, electo rege Ieroboam. Hæc ergo post Israelæ exitum denunciât, explicat enim illud quod dixit, *Ruet etiam Iudas cum eis*, q. d. O duæ tribus, ne putetis vos immunes fore a clade et excidio Israelis; quin potius tubis clangite: video enim in spiritu imminere bellum et excidium decem tribubus, quæ colunt idola in Bethel et Bethaven: video pariter quod iis abductis in vos quasi vicinis sese convertet hostis, vosque pariter vastabit et excindet. Ita S. Hier. Hugo, Lyran. Ribera, a Castro, et alii. Hæc de causa eum dixisset: *Ululate in Bethaven*, quæ urbs erat decem tribuum, subdit: *Post tergum tuum Benjamin*, q. d. Post Bethaven, quæ tibi a tergo est o Benjamin, te hostis quasi flamma proserpens pariter invadet et corripiet:

*Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.*

Aliam causam cur in Gabaa et Rama clangere iubeat, dat Chald. dum vertit, *Buccinate, propheta te venturos contra eos populos interfectores, eo quod creaverunt regem super se Sautem, qui erat de Gabaa Benjamin, etc. et eo quod minime susceperint verba Samuelis prophete, qui erat de Ra-*

*mata.* Verum esto hæc de Saule et Samuele vera sint, tamen remota sunt; nec de iis hic agitur, sed de præsentibus idololatriæ, ob quam Israelitæ puniendi erant excidio ab Assyriis, et Iudæi a Chaldæis.

**ULULATE.**) Hebr. *הריעו hariu*, id est, vociferamini, conelamate, scilicet ad arma, eo quod hostis adsit. Unde Vatablus vertit, *ululate*; Septuag. *prædicate in domo* ω; aut *vociferamini*, quasi de re iam desperata et conelamata, quod scilicet hostis iam expilet et incendat urbem, omnesque trucidet: tunc enim solet audiri clamor et ululatus puerorum et fœminarum: et hoc videtur voluisse Noster dum vertit, *ululate*. Ita Rupert. Haymo et Albert. Porro Septuag. vertunt, *in domo* ω, in quo Græci interpretes se torquent; sed dico Sept. pro *בית און bet aven*, per crasin legisse *בית און bet on*. Idem ergo est *Bethaven*, id est, domus iniquitatis, puta idoli, quod *Bethon*, id est, domus doloris, idolum enim et scelus hebr. vocatur *labor et dolor*, quia eius est causa. Ex *Bethaven* ergo, id est, ex domo peccati, itur in *Bethon*, id est, in domum doloris tum præsentis, tum æterni, puta in gehennam.

**POST TERGUM TUUM BENIAMIN.**) q. d. A tergo tibi instat et imminet hostis o Beniamin; iam enim expugnat Bethaven, quæ tibi a tergo adiacet. Ita Clarius, Vatabl. et alii. Hebr. est, *post te Beniamin*, scilicet est hostis in Bethaven. Mirum Septuag. vertere *ἐξέστη*, id est, mente excessit, vel in mentis stuporem et extasin raptus est Beniamin.

Vers 9. **IN DIE CORREPTIONIS**, punitionis, vindictæ et excidii. Refer hæc verba tum ad id quod præcedit: *Ephraim in desolatione erit.* Ita Hebr. Chald. Sept. et Latina Romana, q. d. O quantum desolabitur Ephraim in die excidii! tum ad id quod sequitur: **IN TRIBUBUS ISRAEL OSTENDI FIDEM.**) q. d. In die excidii ostendi, id est, ostendam fideles et veras fuisse meas minas, quibus per Prophetas eis hoc excidium intentavi et prædixi; ostendam ergo eis meam fidem, id est, veritatem seu fidelitatem: fiet enim excidium quod prædixi, et comminatus sum. Ita S. Hier. Theod. Theoph. Arias et Ribera. Alii tamen hæc a sequentibus dirimunt, ac tantum ad id quod præcedit referunt. Unde id quod sequitur *ostendi*, proprie accipiunt in præterito, q. d. Sæpius fideliter admonui decem tribus de excidio futuro, nisi respicerent: liberavi ergo fidem meam per fidelem admonitionem: ideo me accusare seque excusare non possunt, quod a me non fuerint præmonitæ. Hisce ergo verbis occludit eis os: fidem enim vocat sineeram, amiceam et fidelem præmonitionem. Ita Chald. Clarius, Vatabl. et a Castro. Hic sensus appositus est magisque respondet disjunctioni Bibliorum Hebr. Chald. Græcor. et Latinorum Roman.

Vers 10. **FACTI SUNT PRINCIPES IUDA QUASI ASSUMENTES TERMINUM.**) Scilicet alienum, puta alieni agri, et fundi, id est, *transferentes*, ut vertunt Septuag. ac Syrus, et promoventes terminum, id est, lapidem, stipitem, vel columnam terminalem (quo agri proprii limitantur, et ab alienis dividuntur) scilicet ad hoc, ut eos, vel eorum partem suis agris et fundis adiungant: quod est peccatum iniustitiæ et furti, vetitum lege Dei, Deuter. 19. 18. Solebant enim veteres vel lapide in terram defosso, uti etiam num fit, vel erecta columna, aut titulo fundos suos limitare, ut constaret quousque eorum fundus porrigeretur, ne ab alio invadi ad occupari posset. Hic lapis, iimes, et signum dividens agrum ab agro, vocabatur terminus. Hinc Terminus Gentilibus erat Deus, in cuius tutela credebant esse fines agrorum, cuius festa dicebantur Terminalia. Tales deos Terminos passim Romæ, quasi antiquitatis monumenta, in hortis magnatum asservari et exponi videmus. Iam sensus hic est multiplex. Primo, q. d. Principes Iuda transferunt terminos agrorum, et alienos agros invadunt, suisque contra ius et fas adiciunt. Ita Chald. Vatabl. Arias et a Castro. Verum esto hæc alludat, et quasi obiter hoc eorum scelus perstringat, tamen omnia præcedentia et sequentia alio, scilicet ad idololatriam, spectant.

Secundo, S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyranus, Mariana

A et alii exponunt, q. d. Principes Iuda, ipsique Iudæi gaudent decem tribus esse abductas ab Assyriis, ut ipsi suos terminos prorogare, eorumque terram occupare possint. Verum hoc parum credibile est de Ezechia pio rege, sub quo decem tribus abductæ sunt. Rursum, esto id fecisset, licite fecisset: iuste enim potuisset Iudas Israele abducto, eius terram occupare; erat enim eius proximus hæres, eique ut frater fratri succedere poterat et debebat. Tota enim Chanaanæ data erat a Deo Iacobo, et posteris eius; unde si qui ex eis moriebantur, vel abducebantur, fratres in eorum possessiones succedebant. Denique obstat ratio priori sententiæ opposita.

Tertio, ergo melius sic exponemus, q. d. Principes Iuda similes sunt raptoribus, qui terminos suos transferunt, ut alienos invadant. Pari enim modo ipsi terminos fidei et cultus mei, meæque Ecclesiæ transferunt, voluntque sibi adiungere et copulare deos Gentium, eorumque cultus, templa et aras, ipsasque Gentes et Synagogam infidelium. Ita Theophyl. Theodoret. et Theodorus Antioch. qui ait: *Transferunt terminos meos, et iura, honorem qui mihi debetur in idola transferentes, more eorum qui contra ius alienos terminos transferunt.* Hoc enim exigit vox quasi: hæc enim significat eos non esse proprie translatores terminorum, sed tantum illis esse similes. Addit Ribera, q. d. Iudæi non contenti adorare idola, quæ erant in Iudæa, transierunt quoque in alienos terminos, ut in Bethaven, quæ erat decem tribuum, imo in Assyriam, ut earum idola colerent, templaque et aras victimis suis impleant, imo ut idola hæc ex Assyria traducerent in Iudæam, uti fecit Achaz 4. Regum 16. v. 10. et 18. Hunc sensum exposcit sequentia, sequitur enim: *Quoniam cepit abire post sordes*, id est, idola. Et clarius v. 13. *Et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem.* Iudæi enim, æque ac Israelitæ, pressi ab hostibus, ad vicinas gentes opem postulantes confugiebant; utque eam impetrarent, eis in fide et religione se sociabant, eorumque idola colebant, imo transferebant in Iudæam: unde hoc passim redarguit Ieremias, Ezechiel, Osee hic, alique Prophetæ. Hac de causa Noster vertit, non *transferentes*, sed *assumentes terminum*: quia idola hæc Gentium assumebant sibi Iudæi quasi Deum suum tutorem et terminalem, qualis Romanis erat Deus Terminus. Prophetæ enim minores loquuntur concise, anigmatice et parabolice, ideoque obscuri sunt, quia paucis verbis multa significant, et ad multa alludunt.

Denique Arabicus Alexandr. vertit, *tamquam qui immutati sunt in funibus suis*: olim enim agros et fundos dimetiebantur funibus; Arabicus vero Antioch. *facti sunt principes Iuda, tamquam qui dimissus est eum alis suis.* Videtur respicere ad id quod dictum est c. 4. 19. *Ligavit eum spiritus in alis suis.*

Tropol. *assumentes terminum* in fide, sunt hæretici, qui transgredientes terminos religionis a Patribus sanctis, assumunt sibi quasi idolum hæresis Lutheri, Calvini, etc. In moribus vero, qui transgredientes iustitiæ aut charitatis terminos Decalogo sanctitos, assumunt sibi concubinas, usurpant fundos, domos et prædia aliena. Rursum qui actionum suarum scopum et finem sibi præfigunt, non Dei honorem, sed suum; qui ambiunt dignitates et prælaturas; qui nomen et famam non in cælis, sed in terris aneupantur; qui familias suas præter ius et fas evchere et extollere moliantur.

**SUPER EOS EFFUNDAM QUASI AQUAM IRAM MEAM.**) q. d. *Hostium multitudine velut inundatione quadam fluminis (aut torrentis) occupabo eos*, ait S. Hier. et Theodoret. Unde a Castro: *Effundam*, ait, *super eos quasi diluvium indignationem meam.* Videtur alludere ad diluvium Noe, quo Deus omnes impios obruit. Verum quia ait, *aquam*, non flumen, non torrentem, non diluvium; hinc secundo, simplicius cum Vatablo et Ribera accipiemus de aqua, quæ e vase everso et inverso tota effunditur, ita ut vix gutta hæreat aut restet: aqua enim tota est liquida et fluida, quia nihil habet glutinosum aut viscosum, quod vasi adhæreat, uti habet oleum, lac, mel, etc. quæ

proinde si effundantur, sui partem vasi adhaerentem relinquunt, q. d. Sicut aqua ex vase inverso universa simul effunditur, ita ego meam excandescantiam totumque furorē meum, simul et semel in eos effundam. Sic Christus Ps. 21. 15. ait: *Effusus sum sicut aqua*, q. d. Omnes vires, spiritus, et sanguinem effudi instar aquae effusae. Sic Israelitae cincti a Philisthaeis, poenitentes invocant Dominum, *hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini*, q. d. Sumus coram te Domine ut aqua ista effusa. Unde sequitur: *Atque dixerunt: Tibi peccavimus Domine. Quocirca Chald. vertit, et impleverunt aquas, et effuderunt eor suum in penitentia.* Et S. Gregor. in illum locum: *Quid enim, ait, est aquam haurire, nisi de profunda animi poenitentis confusione fluentia lacrymarum producere? etc.*

Vers. 11. **CALUMNIAM PATIENS EST EPHRAIM.** *Calumniam* Hebraei vocant oppressionem, sive ab hoste, sive ab accusatore fiat, sive a quo alio, vim aut iniuriam faciente; hanc enim significat **שָׂוּי** *osceck*, q. d. Israel opprimetur ab Assiriis iniuste, utpote tyrannis, iuste tamen respectu suorum scelerum, Deique iusti vindicis: unde **FRACTUS EST IUDICIO.** Tum iusto Dei, tum iniusto Assyriorum. Ita S. Hieron. Haymo et Lyran. Alludit ad iudicium in quo quis per calumniam falsorum testium, aut iniusti iudicis opprimitur, damnatur, plectitur. Unde pro *fractus* hebr. est **רָצוּץ** *retsuls*, id est, concussus, oppressus, conculcatus, stratus, prostratus est: sic enim hic quasi iudex erat tyrannus Salmanasar, qui Israelitas iniuste concussit, oppressit, spoliavit, occidit. Iudicium ergo hic est vindicta et supplicium per iudicium quasi irrogatum, quod ex parte Dei erat iustum iustaque scelerum ultio, ex parte Salmanasar iniustum: ei enim non nocuerant Israelitae.

Secundo, Vatabl. *iudicium* proprie accipit, q. d. Israel vi opprimetur et iniquis iudiciis apud gentes, inter quas erit captivus. Sic enim fieri solet peregrinis, praesertim captivis. Cum ergo Israelitae oppressi ab Assyriis iudicio cum eis contenderent, suumque ius et res in eos repeleant, ab Assyrio iudice quasi exteri et captivi repellebantur, et causa Assyrio oppressori adiudicabatur.

Tertio, Septuag. censent hic denotari crimen Ephraim, ob quod Deus in eum iram effundere decrevit, unde vertunt, *oppressit Ephraim adversarium suum, conculcavit iudicium; quia cepit abire post vana, puta post idola.* Iniuria enim in Deum per idololatriam, est origo iniuriae, oppressionis et iniustitiae in proximum: sicut ex adverso qui fideles sunt Deo, fideles sunt et proximo. Nimirum pro **שָׂוּי** *asciuk*, id est, calumniam patiens, Septuag. alio puncto legerunt **שָׂוּי** *asciok*, id est, opprimere, calumniam facere; sic pro **רָצוּץ** *retsuls*, id est, fractus, legerunt **רָצוּץ** *ratsots*, id est, frangere, hoc est oppressit, fregit: Hebraei enim infinitivis utuntur pro praeterito.

**QUONIAM COEPIT ABIRE POST SORDES.** Id est, post idola; haec enim Scriptura vocat sordes et stereora: quia sunt numina vilissima et putidissima; ut ea adducat in odium et contemptum. Secundo, Chald. vertit, *quia abiit ut erraret post mammona iniquitatis*, q. d. Ideo Ephraim vim patitur et iudicio opprimitur, quia ipse pari modo pro muneribus in iudicio oppressit pauperes, insontesque damnavit. Tertio, Clarius, Arias, Vatabl. et Pagnin. vertunt, *quia cepit abire post praecipuum*; sicque exponunt, q. d. Ephraim volens et ultro sceutus est praecipuum Ieroboam de adorandis vitulis, quos proinde adoravit. In Hebraeo enim iam legitur **צַר** *tsav*, id est, praecipuum. Verum aliter legerunt prisci, Septuag. Chald. S. Hieron. et alii, nimirum **צַר** *iso*, et eliso **צַר** quiescenti, **צַר** *iso*, id est sordes, stereora, puta idola. Haec enim Septuag. vocant *vana*.

Vers. 12. **ET EGO QUASI TINEA EPHRAIM**, q. d. Sensim per Assyrios carpam, corrodam, consumam et perdam decem tribus. **ET QUASI PUTREDO.** Hebr. **רָקָב** *rakab*, id est, teredo, (et sic aliqui hic legendum censent cum R. David: teredo enim respondet tinea, quae praecessit) vel caries (haec enim est putredo ossium et lignorum, quae ea corrodit et consumit) **DOMUI IUDA.** q. d. Decem tribus

per Assyrios consumam citius, uti tinea pannum, utpote mollem, cito exedit; duas vero tribus tardius, uti caries lignum, utpote durum, tardius erodit. Ita S. Hieron. Lyran. Vatabl. Porro Septuag. vertunt, *ego quasi conturbatio Ephraim, et quasi stimulus domui Iuda; Syrus, ego ero quasi commotio Ephraim, et commotio domui Iuda; Arabic. Antiochen. ego qui perturbavi Ephraim, et ego tanquam mordens domum Iuda; Arabicus Alexandrinus, et ego deturbatio Ephraim.* Ita et hodie Deum videmus instar tinea familias, urbes et provincias sceleratas sensim sine sensu corrodere, depauperare et consumere. Idem Tropol. sentit fidelis, clericus et Religiosus in anima, dum peccat, aut in Dei obsequio suoque officio intepescit: nunc enim hanc gratiam, virtutem et fortitudinem, nunc illam, nunc aliam sibi auferri persentiseit.

Nota, Apposite Deum comparat tinea et teredini, quia Israelem eiusque idololatriam vocavit sordes; tinea enim et teredo invadunt vestem aut lignum, non sanum et climatum, sed vetustate, pulvere, aliisque sordibus obsitum, squalidum, et quasi emaciatum. Nam tinea ex pulvere, situ et putredine nasei docet experientia, unde Plinius l. 11. c. 33. *Idem, ait, pulvis in lanis et veste tineas creat, praecipue si araneus una includatur: silit enim, et omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat.* Et Horat. lib. 2. Serm. satyr. 3.

*Cui stragula vestis,*

*Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca.*

Hinc homini sordido tinea minatur Martial. lib. 2.

*Non metuas mortem Nævole, sed tineas.*

Quocirca Tropol. tinea apte representat homines carni et voluptati deditos: hos enim ipsa voluptas quasi tinea consumit. Unde S. Gregor, explicans illud Job. 4. 19. *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut a tinea*, sic ait, *Tinea quippe domum facit, et sonitum non facit: ita iniquorum mentes quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque a corde innocentiam, ab ore veritatem, a carne continentiam, et per accessum temporis ab ætate vitam.* Sed id non sentiant, dum toto desiderio curis temporalibus implicantur. Quasi ergo a tinea consumuntur, quia sine sonitu culpa morsum tolerant, dum quanta detrimenta vitæ et innocentiae patiantur, ignorant. Rursum tinea, ait idem Gregor. 18. Mor. 11. *sibi domum corrumpendo ædificat, ita gula et luxuria carnem in qua exoritur, corrumpit. Insuper tinea chartas et pannos sine ullo cuiusquam fruetu, ac tandem seipsam consumit; itidem facit gula et luxuria.* Extat hæc de re elegans ænigma tinea:

*Littera me parvit, nec quid sit littera novi.*  
*In libris vixi, nec sum studiosior inde.*  
*Exedi Musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.*

Denique tinea elanculum rodens pannos, significat oculum Dei iudicium, indeque occulta damna et strages, uti notat Pineda in locum Job citatum.

**ET VIDIT EPHRAIM LANGUOREM SUUM.** Puta suum imperium infirmari, languescere, deficere, et ad occasum tendere.

Vers. 13. **ET IUDA VINCULUM SUUM.** Hebr. **מָזוֹר** *mazor*, id est, colligationem suam, hoc est plagam suam pannis obvolutam et obligatam. Significat plagam et eladem, quam accepit Iuda a Rasin rege Syriæ, et a Phæcee rege Israel, qui multos Iudæos abduxerunt, 4. Regum 15. 38. et c. 16. v. 5. et 6. ita S. Hieron. qui secundo addit, per vinculum hoc posse accipi colligationem et consociationem, qua Iuda Israeli in idololatria et seclere fuit colligatus; aut potius conspirationem et coniurationem, qua Rasin et Phæcee contra Achaz et Iudam coniurarunt. Porro **EPHRAIM**, ut hanc plagam suam sanaret, **ABIT AD ASSUR.** Quasi ad medicum et chirurgum, hoc est, misit legatos ad regem Assyriorum, petens ab eo opem et protectionem. Id fecit Manahen rex Israel, mittens ad Phul regem Assur mille talenta argenti ad hoc, ut suum regnum confirmaret et protegeret 4. Reg. 15. 19. ita S. Hier. Haymo et Hugo. Rursum id fecit Osee ultimus rex Israel qui se quasi vas-

sallum subdidit Salmanasar, pendens ei annuum tributum, ut sub eius alis tuto et quiete viveret et regnaret, 4. Regum 17. 3. ita Theoph. et Arias.

Rex ultor quis?

ET MISIT AD REGEM ULTOREM. ) Misit, scilicet Iudas, ut solveret vinculum suum, de quo paulo ante dixit. Alterne enim Propheta hic loquitur de Israel et de Iuda, ut patet ex antecedentibus et sequentibus. Ita S. Hier. Cyrill. Haymo, Dionys. Arias, Ribera et alii, qui sic exponunt: Iudas, inquit, id est, Achaz rex Iudæ, pressus et quasi obsessus a Rasin rege Syriæ, et Phæce rege Israel, misit legatos et munera opis petendæ causa ad Teglatphalasar regem Assur, 4. Reg. 16. v. 7. Hunc ergo vocat Propheta regem ultorem; Aquila et Theod. iudicem; Symmach. ὑπερμαχοντες, id est, defensorem ( vindicare enim, vel ulcisci apud veteres, significabat defendere, et ita subinde capitur in Scriptura, ut dixi Rom. 12. 19. ) qui erat monarcha potentissimus: ita ut ad eum quasi tutorem et vindicem omnes principes et reguli confugerent. Hebr. ירר iareb, id est, qui ulciscetur, id est, ultor; Chald. ut adventaret ultum eos; Septuag. Syrus, Arabic. Vatabl. Pagnin. Arias et Clarius retinent Hebr. ירר iareb: sed saluntur in eo, quod putent illud nomen esse urbis Assyriæ, in qua rex regnarit. Sic Gedeon a iareb dictus est Ierobaal, id est, ultor vel vindex Baal, eo quod destructo ab eo altari Baal, Ios pater ut eum contra vim vicinorum tueretur, dixerit: *Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius*, Iudic. 6. vers. 31. Videtur ergo alludere ad Gedeon, æque ac ad Ieroboam: uterque enim fuit iareb, id est, ultor, iudex et vindex Israelis: ille contra Madianitas, hic contra Roboam: ab eo enim oppressus Israel, misit ad Ieroboam, postulans eum libertatis suæ vindicem et principem 3. Regum 12. 20.

Minus recte Chald. Theodoret. et Lyranus per regem ultorem accipiunt Sua regem Egypti, ad quem confugit Osee rex Israel, pressus a Salmanasar, ideoque ab eodem cum toto regno captus et eversus est, 4. Reg. 17. 4. hæc enim pertinent ad Iuda, non ad Israel, ut dixi. Adde, Sua impotens erat, nec potuit Israelitas tutari. Unde non recte vocatur rex iareb, id est, iudex et vindex.

Mystice, aliqui ait S. Hieron. per regem iareb, id est, ultorem, accipiunt Christum, qui peccatores salvare non poterit in die iudicii, sicut scriptum est: *In inferno quis confitebitur tibi?* Allegor. Theoph. et Leo Castrius per regem ultorem accipiunt Romanos, quorum opem invocavit Hyreanus pontifex et Iudæi, sed ab eis per Titum excisi sunt; aut certe Iulianum Apostatam, qui Christianis infensissimus, in eorum odium se fecit Iudæorum vindicem, eisque templum restaurare aggressus est; sed frustra: Deus enim immisso in fabricam igne, opus consumpsit. Ita Socrates lib. 3. 20.

Vers 14. Ira Dei comparatur lænæ, cur?

QUONIAM EGO QUASI LÆNA EPHRAIM. ) q. d. Rex ultor non poterit vos ab hoste liberare, quia ego Deus sum qui hostes immitto et roboro, imo ego sum vester hostis, qui quasi læna invado Ephraim. Apte Dei vindicta comparatur lænæ; quia hæc fortissima est et ferocissima, præsertim eum peperit alitque catulos; ad quos, omnibus invidis et frustra obsistentibus, prædam quam cœpit et discepsit, domum asportat. Docent Physici, et ex eis Gesnerus in leone, leonem tam esse ferum, ut ad retundendam eius feritatem indita ei sit a natura febris quartana, qua iugiter laborat, quamque abstinentia superat. Hæc enim ei est medicina, cui horologium est fames et venter. Hebr. חיהווי sciacal significat bestiam quamvis trucem et efferaam, qualis est leo; Septuag. vertunt, pardalim, quæ velocissima est et sævissima. Ita S. Hieron. qui addit: *Ut quidquid sævum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. In panthere velox per Assyrios regni Samariæ significatur interitus: et in leone fortissimum contra Ierusalem et Iudam aliquanto post tempore ostenditur regnum Chaldæorum etc. ut fiat ( Deus ) quasi panther, vertatur in leonem, muletur*

A in bestias. Unde subdit: *Ego ego capiam et vadam; tollam, et non est qui eruat.*

Nota. Sicut v. 12. Deum quasi lineam opposuit sordibus Israelis, ita hic apposite Deum quasi lænam opponit regi ultori, ad quem recurrebat Israel: hoc enim fortior est læna; sic et Deus fortior erat Teglatphalasar. Symbolice, Deus in hac vita peccatores castigat leniter ut læna, at in die iudicii et in gehenna sæviet et lacerabit eos quasi læna. Tunc horrendo sonitu in eos rugiet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*, Matth. 25.

ET QUASI CATULUS LEONIS DOMUI IUDA. ) Hi enim catuli solent esse audaciores, utpote ignari periculorum et insidiarum: ac ferocios, utpote avidiores sanguinis, quem recens degustarunt, præsertim quia fervet et bullit in iuventute sanguis. Quocirca Iudas aggrediens hostes, comparatur catulo leonis; quiescens vero, leoni, Genes. 49.9. *Catulus leonis Iuda. Ad prædam fili mi ascendisti: quiescens acubuisti ut leo. Iusti quoque confidentia comparatur catulo leonis. Prox. 28. 1. Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo (hebr. כפיר chephir, id est, leunculus) confidens absque terrore erit.* Leunculus enim animosus est et sævus, quia iugiter ei latrat stomachus: ac fame, æque ac specie et forma, orisque rictu et rugitu, videtur esse quasi latrator Anubis, præsertim eum grandescit, sitque leo.

VADENS REVERTAR AD LOCUM MEUM. ) Uti solent lænæ Vers. 15. læniata fera raptaque præda in speluncam reverti, eamque ibi cum catulis devorare: ita ego per Assyrios et Chaldæos tam Israelitas, quam Iudæos prædabor, eosque in captivitatem abducam, ibique eos servitute, tributis et oneribus consumam et quasi devorabo. Ita Haymo, Arias, et Vatabl. Chald. vertit, *Auferam maiestatem meam, et in locum sanctitatis meæ revertar, qui est in caelis donec norint se peccasse*, q. d. Deseram Iudæos cum templo, et quasi oblitus eorum tradensque eos hostibus, abibo in cælum: hic enim est locus solii et gloriæ Dei, ex quo eminus spectat reorum careces et supplicia. Ita S. Cyrill. Hier. Theod. et alii. Vatabl. hæc refert ad cap. sequens, hincque inchoat c. 6. eum eo enim coherent; eoque spectant, uti mox patebit.

DONEC DEFICIATIS. ) Hebr. עד יאשמו ad iesemtu, id est, donec peccatum suum et culpam agnoscant. Ita Chald. Vatabl. Clarius, Arias et alii אשם asiam enim peccare et peccatum significat. Verum asiam subinde ponitur pro שים seiamam, id est, desolavit: ordines enim verborum imperfectorum sæpe apud Hebræos inter se commutantur, v. g. defectiva Pe aleph, quale est asiam, commutantur eum duplicantibus scenndam, quale est seiamam. Unde Septuag. vertunt, *donec dispercant*; Noster, *donec deficiatis*. Hic sensus priori subservit, eumque antecedit. Iudæi enim per eladem et excidiam excitati peccata sua agnovissent, et pœnitentes ad Deum redierunt, uti patet ex libro Baruch. Huc enim tendunt plagæ omnes a Deo in urbes, gentes, familias et homines immissæ, ut scilicet iis sternal eorum superbiam, utque eor concupiscentiis obstructum et obduratum aperiat, eruciet et sauciet, quo afflicti sua scelera Deumque vindicem agnoscant, ad eumque pœnitentes recurrant; qui videant non esse alium, qui plagas hæc depellere, malisque tantis succurrere possit, iuxta illud Psal. 13. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Dum ergo flagellaris a Deo, non ad Assyrios, id est, non ad principes et potentes, qui te e manibus Dei eripere non possunt, sed ad Deum ipsum eum Davide et Ninivitis recurre; ac supplex deito: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Ita mulcebis iram Dei, ac flagellum ex manibus irati extorquebis, pristinumque eius favorem, gratiam et opem tibi conciliabis et restitues.



## CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Promittit afflictis Christum redemptorem, qui eos vivificabit tertia die, quique orietur quasi diluculum, et quasi imber temporaneus et serotinus. Inde v. 4. redit ad sua tempora, et accusat duritiam Ephraim, quod cum per Prophetas dolare voluerit, sed ipse omnes dolabras respuerit: item immisericordiam, cum Deus misericordiam vellet, non sacrificium. Denique v. 8. invehitur in Galaaditas, qui cultores euntes in Ierusalem in via occidebant.*

1. **I**N tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite et revertamur ad Dominum, 2. Quia ipse cepit, et sanabit nos: percutiet, et curabit nos. 3. Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus eius, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. 4. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. 5. Propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei: et iudicia tua quasi lux egredientur. 6. Quia misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei, plusquam holocausta. 7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. 8. Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. 9. Et quasi fauces viro- rum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem: quia scelus operati sunt. 10. In domo Israel vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim: contaminatus est Israel. 11. Sed et Iuda pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.

Vers. 1. **I**N TRIBULATIONE SUA CONSURGENT AD ME.) Hæc pertinent ad finem capitis quinti, unde eo hæc referunt Hebræi, Chald. et Pagnin. et caput sextum inchoant ab illis verbis: *Venite et revertamur ad Dominum.* Vatabl. vero caput sextum inchoat a v. ult. cap. 5. uti ibi dixi. Sed eodem omnia recidunt, indicantque initium huius capitis connexum esse cum fine cap. præcedentis, hoc modo et hoc sensu: Revertar ad locum meum, ait Dominus, donec tribulatione afflicti et deficientes Israelitæ culpam suam agnoscant, et quærant faciem meam. Cum enim fuerint in tribulatione, mane consurgent ad me. Hinc patet tribulationem hic intelligi tum eam, quam passi sunt Israelitæ in captivitate Assyriaca, tum eam quam passi sunt Iudæi in captivitate Babylonica. Ita S. Hier. Theod. et Theoph. utramque enim utrisque comminatus est cap. præced. v. 5. dicens: *Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis.* Et v. 12. *Ego quasi tineam Ephraim, et quasi putredo domui Iuda.* Unde eius remedium quærens tam Israel quam Iuda, abiit ad regem ultorem, et ipse, inquit Propheta, non poterit sanare vos: quocirca opem humanam ab iis desperantes, in tribulatione recurretis ad me Deum vestrum, uti hic dicitur.

Aliter Arias, qui per tribulationem accipit captivitatem Iudæorum, quam passi sunt a Tito et Romanis. Verum illius nulla cap. præced. facta est mentio: nec in illa Iudæi conversi sunt sincere ad Dominum, nec Deus tertia die illos vivificavit; quin potius eos excidit et interneeione delevit.

**MANE.**) Id est, cito, mature, festine petentes a me ut eos tribulatione liberem: puta mane hoc symbolicum fuit, cum transacta nocte captivitatis, impletisque eius septuaginta annis a Deo decretis, Iudæi excitante eos in spem Daniele, Esdra, Aggæo, aliisque Prophetis, ad vicinam sub Cyro liberationem anhelantes, supplices a Deo eam postularunt et impetrarunt: mane enim et aurora Iudæis captivis fuit spes vicinæ liberationis, mox expletis 70. annis præstandæ per Cyrum.

Mystice S. Hieron. mane, inquit, id est cum ortum fuerit eis lumen pœnitentiæ per faciem fidei. Allegor. Lyran. mane, ait, id est, in prædicatione Ioannis Baptistæ, qui quasi lucifer et aurora præviit Christum solem iustitiæ, exhortans homines ad pœnitentiam, ut per eam illos ad Christi gratiam et iustitiam præpararet. Tertull. lib. 4. contra Marc. 43. hæc accipit de mulieribus piis, quæ afflictæ ob mortem Christi, venerunt mane ad monumentum ut eum ungerent: unde meruerunt primæ videre eum resurgentem, qui mire eas consolatus est. Verum hic sensus est accommodatitius.

**VENITE, subaudi, dicentes, et se invicem adhortantes, ET REVERTAMUR AD DOMINUM, QUIA IPSE CEPIT.)** Hebr.

**A** **לָרָפָה** *laraph*, id est, rapuit, vel abripuit nos, q. d. Non Salmanasar, non Nabuchodonosor, sed Deus vindex fuit, qui ob scelera nostra, per Salmanasar et Nabuchodonosor nos victos abripuit in Assyriam et Babylonem: unde ipse solus potest nos liberare, et plagam hanc sanare, uti se sanaturum promisit, ideoque brevi reipsa sanabit. Respicit ad illud quod dixit e. præced. v. 14. *Ego quasi lezra Ephraim? ego capiam et vadam: tollam, et non est qui eruat;* et v. 13. *Ipse (rex ultor, puta Assyrius) non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum;* sed ego solus qui illud vobis induxi, unde subdit:

**PERCUTIET ET CURABIT NOS.)** Hebr. **יַחֲבֹשֶׁתִּי** *iachbessenu*, id est, obligabit nos puta fasciis vulnera nostra alligabit, itaque curabit. Unde Sept. vertunt, **μωσσομαχαι: μωσσομαχαι** enim, ait S. Hier. *appellatur lintecola quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, et extrahant purulentias: artisque medicorum est granulia vulnera longo sanare tempore, et per dolorem reddere sanitatem. Percutit ergo nos Dominus, et curat nos: quia quem diligit corripit, et non solum curat, sed et vivificat post duos dies.* Et Isagoge Galeno adscripta: ubi **μωσσομαχαι** dicitur esse quadruplex: **σπερτρομαχαι**, id est, tortilis: **ξισσομαχαι**, id est, rasilis, quod de rasa linteorum materia formaretur: **σποδισσομαχαι**, id est, conceptilis, a conceptu vellicatuque materiæ: **επιχρυσισσομαχαι**, quod ex elychnio confaretur. Interpres Biblior. Reg. **μωσσομαχαι** vertit, *turbabit nos:* quia ebirgus ut vulnus curet et pus eximat, penicillo illud expurget, turbet et radat oportet: ut deinde **μωσσομαχαι**, sive elychnium sanans inserat. Eleganter S. August. in Ps. 50. *Illam, ait, est vox Domini: Ego percutionem, et ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt, et sanant: armant se ut feriant, ferrum gestant et curare veniunt.*

**C** **Moral.** discet hic tribulationem esse telum Dei, quo Deus homines a se fugientes et abentes in ruinam, ad se et ad salutem revocat. Tribulati enim hoc telo confixi, prostrati et humiliati, ponunt fastum, culpam agnoscent, et pœnitentes poscunt a Deo veniam; qui mox supplicibus parcat, eosque ulnis maternis amplectitur. Hoc est quod ait Psalmista: *Sagittæ tuæ infiræ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.* Psalm. 37. 3. Ita S. August. in Psalm. 21. serm. 2. docet Deum esse medicum, qui tribulatione quasi medicamento curat vitia nostra. *Sub medicamento, ait, positus ureris, secaris, elamas: non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem.* Et lib. 1. de Verbis Domini serm. 18. *Bibe, ait, amarum calicem: tu enim tibi fecisti. Præcepta illa mea quæ sano data sunt tam dulcia, tum levia, contempta sunt: cepisti laborare, sanari non potes nisi amarum bibas calicem tentationum, tribulationum, angustiarum et passionum. Bibe ut vivas.*

*Et ne responderet ei languidus, Non possum, non scro, non bibo; prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret agrotus. Quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? Si contumelia, prior audivit cum dæmones expelleret: In Beelzebub eiecit dæmonia. Si dolores amari sunt, ligatus, et flagellatus, et crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius quam mors crucis. Idem serm. 3. de Machabæis: Totus mundus fornax aurificis est. Ibi iustus tanquam aurum, impius tanquam palea. Ibi tribulatio sicut ignis, ibi Deus sicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat, impius Deum blasphemat, palea fumat: iste purgatur, ille vastatur eodem igne; Deus in utroque laudatur. Idem in Ps. 40. Patitur quis tribulationes, docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua. Idem lib. de vera innocentia: Cum Dominus permittit, aut facit ut aliqua tribulatione vexemur, etiam tunc misericors est: qui exercitans fidem, et differens edictorium, non auxilium negat, sed desiderium movet. Idem epist. 87. Res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est momentis Dei. S. Greg. in Moral. Aurem cordis, ait, tribulatio aperit, quam saepe prosperitas huius mundi claudit. S. Chrys. hom. 4. de pœnitentia, tribulationem vocat aratrum: Illo ergo, ait, corda scindamus, ut si quæ dolosa herba, et improba cogitatio nobis inest, radicitus eam evellamus, ut puras pietatis seminibus terras exhibeamus. Idem hom. 4. de divite et paupere: Nisi tentatio, ait, nec corona: nisi certamina, nec bravia: nisi stadia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hiems, nec æstas. Et hoc non tantum in hominibus, sed et in seminibus intueri licet. In his enim multam pluviam, multam nubium collisionem, multam glaciem fieri oportet, si vernans spica exurgere debet. Cum ergo ingruit hiems animarum, seramus et nos in hac hieme, ut in æstate metamus. Hic fuit sensus, hæc praxis Sanctorum omnium. Sara, Tobie e. 3. 21. *hoc habet pro certo omnis qui colit te, quod vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur.* Iob e. 5. v. 17. *Beatus homo qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus eius sanabunt.* Psaltes, Psalm. 15. 4. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Salomonis, Prov. 3. v. 11. *Disciplinam Domini filii mi ne abicias, nec deficias cum ab eo corripis: quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Ieremie e. 31. 18. *Castigasti me, et eruditus sum quasi iuveneculus indomitus.* Ionæ cap. 2. 8. *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* Danielis e. 11. 35. *Et de cruditis ruent, ut constentur, et eligantur, et decalcentur.* Zachariae e. 13. 9. *Uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum.* Malachiae e. 3. 2. *Ipse enim quasi ignis constans, et quasi herba fullonum: et sedebit constans et emundans argentum; et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum.* Quin et Philo cum aliis Iudæis apud C. Caligulam accusatus ab Appione, quod Cæsari divinos honores non tribueret, eiectus ex aula, sociis Iudæis respondit: *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius: quia necesse est adesse divinum, ubi humana cessat auxilium.* Ita Euseb. l. 2. Histor. e. 5. Denique S. Bern. in Sententiis: *Tribulatio, ait, tria confert. Exercitium, ne virtus amoris otii tempore frigescat. Probationem, ut nostræ constantiæ fortitudo, ad exemplum hominibus innotescat. Præmium, ut iuxta tribulationis modum immensum gloriæ pondus accipiat.* Subdit deinde totidem remedia: *Adversitati, ait, tria sunt opponenda. Electorum agones et angustiae, quas patiuntur qui pie vivunt. Redemptoris afflictiones et molestiae, quas ei saxissimi principes intulerunt. Dispositio moderatricis iustitiæ, cuius altitudinem, quasi virgæ Ioseph summitatem, non discutere sed adorare debemus.**

Vers 5. **VIVIFICABIT NOS POST DUOS DIES.**) Primo, Hebræi sic exponunt, q. d. Post duos, id est, paucos, dies Deus li-

berabit nos Babylone, in qua captivi, afflicti, et quasi mortui, et, ut ait Ezech. cap. 37. quasi ossa arida in sepulchro degimus: liberans ergo nos ab hac morte civili, puta captivitate, *vivificabit nos*, ut videamur nobis resurgere in libertatem, quasi in novam vitam. Sicut enim servitus, carcer, mœror, sunt mors quædam civilis et moralis, ita libertas, lux et lætitiæ est vita mentalis et civilis: *nec enim vivere, sed vigere et valere est vita*, ait Poeta. Verum id locum habet in solis Iudæis, non in Israelitis: hi enim ex Assyria nunquam liberati sunt. De utrisque autem egit, et agit Propheta. Adde, Catholicos omnes hæc referre ad Christum. Fateor tamen ad liberationem Iudæorum e Babylone per Cyrum hic alludi, eamque obiter et allusivè perstringi. Loquitur enim Israelitis, quorum primus dies fuit tempus captivitatis Assyriacæ, et Iudæis, quorum fuit secundus æque miser dies captivitatis Babylonicæ: post quos excessit tertius dies lætus et faustus redemptionis et liberationis, quam inchoavit Cyrus, perfecit Christus.

Secundo, ergo Patres et Interpretes orthodoxi omnes, <sup>Vivificavit nos Christus die tertia, quod sensu.</sup> docent hic prædicæ Iudæis et Israelitis adventum Christi redemptoris. Hæc enim eis in captivitate afflictis identidem ingerebant Esdras, Zorobabel, Aggæus, Zacharias, Iesus filius Iosedec, aliique sacerdotes et Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Sustinete, o Hebræi, modicum, sperate, invocare Deum: quia post duos dies, id est, post breve tempus, ipse vos liberabit, inchoate per Cyrum, sed plene et perfecte per Christum (a Cyro enim ad Christum assurgere, et subito quasi avolare solent Prophetæ, ut dixi Isaiæ 45. 2.) qui Abrahæ, nobisque a tot sæculis promissus est salvator et redemptor. Ipse enim nos a peccato, morte et inferno liberabit, ac gratiæ, vitæ et cælo restituet; itaque vivificabit nos vita sancta, cælesti et divina. Sic duo dies sumuntur pro paucis et brevibus. Num. 9. 22. *Si vero biduo* (id est, paucis temporibus) *aut uno mense, vel longiore tempore fuisset* (columna nubis) *super tabernaculo.* Sic et e. 11. 19. Isaiæ e. 17. 6. et alibi. Tempus ergo 391. annorum (tot enim fuerunt a captivitate Babylonica, usque ad nativitatem Christi) vocatur hic duo dies: quia Deus (et Prophetis in lumine Dei elevatis) respectu æternitatis suæ, et respectu æternæ et cælestis salutis afferendæ per Christum, *mille anni sunt, sicut dies hesternæ quæ præterit*, ut ait Psaltes Ps. 89. 4. Hinc eodem respectu et sensu ait de Christo Aggæus cap. 2. 7. *Adhuc unum modicum est, etc. et veniet desideratus cunctis gentibus.* Ita Cyrill. Arias, Vatabl. a Castro, et alii. Itaque tempus nativitatis et primi adventus Christi, puta tempus gratiæ, novi testamenti et christianismi, vocatur hic dies tertia, tum quia brevi erat adventura, tum quia plenam vitam, lætitiæ, lucem, cumulumque (hunc enim significat ternarius) bonorum omnium erat allatura: tum quia post primam diem legis naturæ, et secundam diem legis Mosaicæ, immediate quasi tertia erat successura: proprie vero post primam diem captivitatis Assyriacæ, et secundam captivitatis Babylonicæ, quasi tertia erat hæc dies liberationis futura, uti paulo ante dixi; tum quia aludit hic Osee ad diem tertium quo Christus a morte resurrexit. Unde dico

Tertio, plane respicit hic Propheta ad resurrectionem Christi, quæ tertio die a passione eius facta est, eamque hic significat et prophetat. Liberatio enim et redemptio Israelitarum et Iudæorum, æque ac nostra, facta per Christum, completa et plane perfecta fuit in eius resurrectione: hæc enim eius fuit terminus et coronis. In ea ergo Christus, plene nos vivificavit, tum quia in ea plene nos redemit et sanctificavit, tum quia ipsa nostræ resurrectionis est causa tam exemplaris, quam efficiens: unde in ea Christus nos secum quasi vivificavit, et suscitavit ad vitam beatam et immortalem. Unde Arabicus Antioch. vertit, *Sanabit nos post duos dies, et in tertia surgemus, et manebimus* (habitabimus) *in conspectu eius, coram eo; et Arabic. Alex. Ipse est qui sanabit nos, et liberabit nos post duos dies, et in tertia stabimus vivi coram eo.* Hoc est quod ait Apostolus Rom. 4. 25. *Qui traditus est propter delicta*

*nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.* Et Ephes. 2. 5. *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cuius gratia estis salvati, et conresuscitavit, et condescendere fecit in caelestibus in Christo Iesu.* Ex resurrectione enim Christi tam certam habemus fidem et spem nostrae resurrectionis, ac si iam cum ipso de facto resurrexissemus: vide ibi dicta. Ita hunc locum passim intelligunt Patres, qui ex hoc loco probant resurrectionem Christi et nostram, ut S. Hieron. Theodoret. Haymo, Hugo, Lyran. Emmanuel, Mariana et alii hic, Origen. hom. 5. in Exod. Tertull. l. 4. contra Marc. c. 43. Cyprian. l. 2. contra Iudeos c. 25. Lactant. lib. 4. 19. Cyril. Hierosol. catech. 44. Aug. l. 18. Civit. 28. Ruslin. in expos. Symbol. Gregor. homil. 20. in Ezech. Nyssen. lib. de Cognitione Dei, qui tres putant hæc diei in persona Sanctorum qui resurrexerunt cum Christo Hierosolymis, ibique multis apparuerunt, Matt. 27. 53. Idem docuerunt veteres Hebræi apud Galatin. l. 8. 22. Et R. Moses in Eeresith rabba, id est, in Genesi magna, explicans illud Gen. 22. *Die autem tertia elevatis oculis vidit locum procul,* dicit: *Multæ sunt in S. Script. dierum trinitates, quarum una est resurrectio Messiae.* Unde illud 1. Corinth. 15. 4. *Et quia resurrexit tertio die secundum scripturas,* Anselm. ibi, et Dorothe. in vita Osee, exponunt de hæc Scriptura Osee: nec enim alibi dies tertius resurrectioni Christi præscribitur. Accedit Isidorus Pelus. qui l. 2. epist. 112. sic legit: *Tunc mors lugebit fortiore morte devicta. Sanabit nos post duos dies: in tertio resurgemus, ac vivemus cum eo;* atque explicat de resurrectione Christi, in qua et suam et nostram mortem ipse superavit et prefigavit.

Porro hos tres dies ita consignant Orig. loco iam citato, S. Aug. serm. 90. de Tempore, et alii; primum diem numerant eum, quo passus et crucifixus est Christus: secundum, quo sepultus est et descendit ad inferos: tertium, quo resurrexit. Aliter Ribera: Primus, inquit, dies fuit, decima quarta luna, qua post celebrationem paschæ et institutionem Eucharistiæ, in horto erans captus est, patique cœpit Christus. Secundus est luna decima quinta, puta paraseve, qua passus et occisus est. Tertius, est luna decima sexta qua resurrexit. Verum sic sabbatum esset luna decima sexta: hoc enim succedit lunæ 15. si ve paraseve; cum tamen constet Christum non sabbato, sed Dominico die resurrexisse. Vide Interpretes in Matth. 12. v. 40.

Porro Christus resurrexit præcise tertio die, variis de causis. Prima est, quia Ionas c. 2. tribus diebus fuit in ventre ceti, et hoc facto portendit Christum tribus diebus fore in sepulcro, ac tertio die resurrecturum, ut ipse tertio die vivus e ventre ceti prodiit. Hanc causam dat Christus Matth. 12. 40. Secunda, quia Christus idipsum prædixerat Ioan. 2. 19. *Solvite, ait, templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Tertia, quia sicario eius diutius mansisset in sepulcro, fuisset corrupta. Hoc autem non decebat, iuxta illud psal. 45. 10. *Non dabis sanetum tuum videre corruptionem.* Quarta, ne videretur quis alius resurrexisse. Quinta, quia Christus moriendo mortem destruxit: decebat ergo, ut in morte diu non teneretur, sed mox quasi eius domitor et triumphator gloriose resurgeret. Sexta, quia vita Christi hominis fuit divina, et inter res omnes creatas nobilissima: decebat ergo eam peracta redemptione et satisfactione nostra, illico restaurari, præsertim quia divinitas semper, etiam in morte, mansit tam corpori, quam animæ Christi coniuncta. Quod enim semel assumpsit, hoc nunquam dimisit. Audi S. Leonem serm. 4. de resurrect. *Ne turbatos discipulorum animos longa mæstitudo eruciaret, denunciata tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima, et pars tertii prima concurrat, et aliquantum spatio temporis decideret, et nihil dierum numero periret.* Et mox: *Tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut maior ibi esset soporis similitudo, quam mortis. Quoniam Deitas, quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate coniunxit.* Moralit causa fuit, ut doceret crucem

et mortem fidelium brevem fore, et quasi triduum respectu beate æternitatis. Ergo, quasi animat eos ad crucem et mortem, quod ex ea quasi ex somno secum mox resurrecturi sint ad vitam æternam.

Mystice, varii varie tres hosce dies annumerant. Primo, S. August. serm. 90. de Tempore: *Tres, ait, dies non incongrue possumus dicere, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quia et Pater dies est, et Filius dies est, et Spiritus sanctus dies est, et hi tres, unus dies.* Vivificavit nos Pater, creando et dando naturam: Filius redimendo, et dando suum sanguinem: Spiritus sanctus sanctificando et dando gratiam et iustitiam. Secundo, Fulgentius apud Albertum, primum diem numerat quo ab æterno a Deo Patre genitus est Filius: secundum, quo in tempore ex Virgine natus est homo: tertium, quo e sepulcro resurrexit. Tertio, alii: Primus, inquit, dies est nativitatis Christi; secundus, passionis; tertio resurrectionis; quarto, Lyran. et R. Salomon, per tres dies tria templa, eorumque tempora accipit: Primus, inquit, dies fuit tempus templi Salomonici, cui successit nox captivitatis Babyloniæ: secundus templi Zorobabelis, cui successit nox excidii Titi et Romanorum: tertius templi Christi, id est, Ecclesiæ semper duraturæ.

Tropol. S. Bernard. Tres dies, ait, significant triplicem vitam; primam naturæ et culpæ, puta peccati originalis: secundam gratiæ: tertiam gloriæ: nam serm. 72. in Cant. explicans illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ,* sic in fine ait: *Cum igitur duo in nobis præcedant dies, unus quidem inspirans pro corporis vita, alter vero respirans in sanctificationis gratia, porro tertius supersit in resurrectionis gloria; claret profecto aliquando implendum in corpore quod præcessit in capite, magnum utique pietatis Sacramentum, et Prophetæ testimonium qui ait: Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius.* Et fusius serm. 2. in vigilia Nativit. *Tres, ait, dies sunt de quibus legimus: Vivificabit nos post duos dies, in die tertia resuscitabit nos, unus sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Unde et ibi subditur: Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. Et hic dicitur: Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. His enim dicitur, qui dimidiaverunt dies suos, in quibus perit dies in qua nati sunt, quæ est dies Adæ; dies peccati, cui Ieremias quoque maledicebat: Maledicta dies in qua natus sum: omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ et caliginis, dies tenebrarum et turbis, quam nobis fecit Adam. Deinde agens de secundo die gratiæ Christi: Ecce, ait, illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea: quia cras egrediemur. Unde, nisi de conclavi huius sæculi, de ergastulo huius corporis, de compedibus necessitatis, curiositatis, vanitatis, voluptatis? Quid enim spiritui nostro cum terrenis, etc. Agite diem istum in Christo, ut ambulatis sicut et ipse ambulavit.* Tertium deinde explicans ait: *O Iuda et Ierusalem nolite timere, cras egrediemini, id est, quam cito a corpore exierit anima, omnes simul affectiones, omnia desideria, quibus per universum interim mundum dispersa et ligata tenebatur, dissolventur, et egredietur de visco hoc, et Dominus erit vobiscum, etc.* Idem rursus serm. 5. inter parvos: *Vivificabit, ait, nos post duos dies, scilicet cognitionis et conversionis: in die tertia suscitabit nos voce Verbi incarnati per primam suam resurrectionem: et vivemus in conspectu eius vivificati per passionem, serene illuminati per miraculorum cognitionem: sequemurque ut cognoscamus Dominum, instructi per doctrinæ conversionem.*

Anagog. S. Hieron. quem sequuntur Albert. Hugo et Clarius, putant hic notari tres Christi adventus: primum in humilitate, cum natus est homo: secundum in gloria, cum resurrexit: tertium in habitu iudicantis; itaque dies tertia erit dies iudicii et resurrectionis universalis, qua sancti resurgent ad vitam et gloriam æternam. Unde Chald.

Tertia die Christus resurrexit ob sex causas.

vertit: *Vita donabit nos in diebus consolationis qui venturi sunt, et in die resurrectionis mortuorum suscitabit nos, et vivemus cum eo.*

**IN DIE TERTIA SUSCITABIT NOS.**) Explicat quod dixit, *Post duos dies*: hoc enim idem est quod *die tertia*. Unde Lactant. loco iam citato, *Vivificabit*, inquit, *nos post biduum die tertio*. Sic et Tertull. Theodor. Clarius, Arias et a Castro hic, et S. Greg. ac Origenes superius citati. Quis sit hic dies tertius, iam dixi. Pro *suscitabit*, Hebr. est *יקימנו* *ikimenu*, quod Hebraei et Chald. vertunt *stare faciet, fulciet, sustentabit nos*. Sed alii passim vertunt, *suscitabit nos*; sequitur enim, *Et vivemus*; et praecessit, *vivificabit nos*. Agitur ergo hic de suscitacione ad vitam, non de sustentacione in vita.

**ET VIVEMUS IN CONSPECTU EIUS.**) Primo Theod. Theophyl. et Rupert. exponunt, q. d. *Vivemus*, scilicet vita gloriae et beatitudinis, praesertim cum post generalem resurrectionem, in corpore glorioso resurgemus; tuae enim non tantum Deum oculis mentis videbimus facie ad faciem, sed et Christum oculis corporeis. Verum quia sequitur, *Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum*, hinc melius haec accipiemus de vita gratiae, q. d. *Vivemus in eius (Dei et Christi) gratia et cura quam habet de nobis, imo in eius conspectu: videbimus enim eum facie ad faciem, et vicissim videbimur ab eo, ac proinde illi ut nos intuenti semper placere conabimur, itaque eum eiusque leges et doctrinam sequemur in sancta conversacione, ut in dies eum magis magisque cognoscamus, amemus, colamus donec eum assequamur, et videamus facie ad faciem in caelis*. Ita S. Hier. Albert. Hugo. Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et a Castro. Ubi Nota, *in conspectu eius*, tripliciter exponi potest: Primo, q. d. *Viventes videbimus eum facie ad faciem, inquit Vatabl. puta Christum in carne natum.*

Secundo, q. d. *Ita sancte vivemus, ut semper simus memores nos in eius praesentia oculisque versari, ac proinde ei per omnia placere et obsequi studebimus; quomodo Henoch, Noe, aliique viri sancti et perfecti dicuntur ambulasse cum Domino, Genes. c. 5. 22. et c. 6. 9. vide ibi dicta.*

Tertio, q. d. *Securi et felices vivemus in conspectu eius, scientes eum iugiter nos intueri, curare, regere, tueri, qui antea eum viveremus in peccatis oculos mentemque et curam a nobis averterat:  $\tau\omicron$  enim in conspectu eius, opponit ei quod dixit cap. 5. v. ult. *Revertat ad locum meum donec deficiant, et quærant faciem meam*; sive, ut ait Ieremias c. 7. 13. *Proiciam vos a facie mea, sicut proicci fratres vestros, universum semen Ephraim*. Sicut enim Deus Cainum Genes. 4. 14. omnesque impios proiecit a facie sua; ita ex adverso pios iugiter in oculis et mente habet. Quocirca ei sibi suisque exposcens David orabat Ps. 122. 2. *Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec ipse vicissim oculos suos benigne convertat ad nos, et misereatur nostri*. Sicut enim sol quaecumque luce sua, quasi oculo aspexit, ea illustrat, calefacit, vivificat, laetificat, fecundat: ita prorsus facit et Deus, qui est sol increatus et immensus. Hinc rursus Psaltes passim orat dicens: *Respice in me et miserere mei*; respiciendo enim misereris et benefacis: *Non avertas faciem tuam a me: ne proicias me a facie tua: ostende mihi faciem tuam: faciem tuam Domine requiram*. Item: *Illustra faciem tuam super servum tuum*, Psal. 30. 17. *Dominus illuminet vultum suum super nos*, Psal. 66. 2. *Faciem tuam illumina super servum tuum*, Psal. 118. 135. q. d. Lucidam, id est sereneam, letam, hilarem, benignam, amicam et beneficam mihi faciem vultumque ostende, non atram, severam, tristem, iratam, minacem.*

Quarto, *vivemus*, id est, erimus vivaces, sani, vegeti, a-lacres, fortes, gloriosi. Haec enim omnia complectitur vita, quasi mater et radix omnium. Nam ut ait Martial. lib. 9. epigram. 69.

*Non est vivere, sed valere, vita.*

Et Seneca:

*Mors habet vices*

*Lentis quæ trahitur vita gemitibus.*

Hinc gloria Beatorum vocatur vita æterna.

**QUASI DILUCULUM PRÆPARATUS EST EGRESSUS EIUS.**) q. d. Christi nativitas et ortus, quo e caelo in terram nascendo et conversando egredietur a Deo, paratus est instar auroræ: quia ut aurora depellet tenebras ignorantiae et peccati, ac Israelitas omnesque homines luce suæ doctrinae et sanctæ vitæ collustrabit. Hoc est quod ait Apost. Rom. 13. *Nox praecessit, dies autem appropinquavit*. Pro *præparatus est*, hebr. est *נצח* *nachon*, id est, firmiter et certissimo præparatus, ac fixo Dei decreto confirmatus est, puta in Dei prædestinatione, adventus Christi. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. et Vatabl.

Anagog. Isidor. hæc accipit de gloria resurrectionis, qua Christus cepit toti orbi velut aurora eoruscare, suamque vim et fortitudinem exercere, iuxta illud Ps. 109. v. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum*, q. d. Princeps eris, o Christe, in die, non humilitatis et crucis, sed in dies virtutis, id est, potentiae et regni tui, cum splendore, gloria et maiestate sanctissima et sacratissima, quæ apparebit in tua divina resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris, missione Spiritus sancti, et conversione omnium gentium.

Nota. Christi ortus tum divinus, tum humanus, recte comparatur auroræ. Primo, quia, sicut aurora est prima dici lux, ita primum opus Dei Patris fuit generatio æterna Filii; per auroram ergo significatur eius antiquitas et æternitas, iuxta illud Psal. 109. 3. *Ex utero ante luciferum genui te*; pari modo primum opus redemptionis nostræ fuit eius generatio humana, sive incarnatio. Unde S. August. et Iustin. contra Tryphon. illud, *Ex utero ante luciferum genui te*, sic exponunt: Quia, inquit, ex solo utero Virginis, sive viri semine, ante luciferi ortum, post mediam noctem genitus et natus est Christus. Addit Tertull. l. 5. contra Mareion. e. 9. Sicut in diluculo apparent stellæ, sic in diluculo quo natus est Christus, stella nova Magis apparuit, indicans eis Christi quasi auroræ ortum.

Secundo, sicut aurora solem tegit, et quasi parit, ita caro Christi nascens tegebat eius divinitatem, eamque nobis secum allerebat, et quasi pariebat.

Tertio, sicut aurora est lux exigua, quæ crescit usque ad meridiem; ita et crevit Christus infans ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines, usque ad crucem.

Quarto, sicut in aurora producit ros ex aere, qui herbas et plautas irrorat, vegetat et fecundat; ita et Christus ex caelo per Virginem opera Spiritus sancti prodiit, qui animas peccato mortuas sua gratia irrorans vivificat, et bonis operibus meritisque fecundat. Unde pro *Ex utero ante luciferum genui te*, Hebræa, Symmach. Aquila et V. editio habent, *ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ*; alii vertunt, *ab aurora rorem genui te*. Sic Isaias comparat Christi generationem rori cap. 45. 8. dicens: *Rorate caeli desuper*. Vide ibi dicta. Rursus ros adolescentiæ Hebræis idem est, quod flos et decor adolescentiæ. Ros ergo Primo, designat suavitatem, hilaritatem et dulcedinem Christi. Secundo, eius generationem caelestem ex Virgine, sicut ros nascitur ex aurora virtute caelesti, ait R. Hardsan. Unde ex Hebræo verti potest, *ex utero auroræ ros iuventutis tuæ*. Tertio, gratiarum copiam, quæ instar roris in Christum effusa est. Hinc Chald. vertit, *misericordix Dei præsto erunt tibi tanquam ros, sedebunt confidenter nati tui*. Unde ex hoc loco probat Vatabl. et Suarius 3. p. tom. 1. disp. 18. sect. 3. plenitudinem gratiæ animæ Christi infusam esse in utero, puta in primo conceptionis eius instanti. Sic ergo Christus genitus ut ros, fuit filius auroræ, id est, Patris æterni qua Deus, et matris virginis qua homo. Hinc sumpsit Trismegistus suum illud: *Deus cum maris et foeminae vim haberet, peperit verbum*: atque ex eodem Lactant. lib. 4. 43. docet quod Deus est  $\alpha\pi\tau\tau\omega\rho$  et  $\alpha\mu\tau\tau\omega\rho$ , ac proinde oportuisse ut bis nasceretur filius, in prima spiritali nativitate  $\alpha\pi\tau\tau\omega\rho$ , in secunda carnali  $\alpha\mu\tau\tau\omega\rho$ . Insuper per rorem significatur filium esse tam patri, quam matri consubstantialem: ros

Christi generatio est quasi aurora ob quinquæ analogias.

I.

II.

III.

IV. Christus genitus quasi ros.

enim eiusdem substantiæ est cum materia ex qua fit. Ita Molina 4. p. qu. 27. a. 1. disp. 2. Denique noster Maldon. ( cui favet Caietan. et versio Chaldæi iam recitata ) commentans in Ps. 109. sic exponit: Ex utero, id est, ex baptismo, tibi o Christe nascetur ros pueritiæ, id est, multitudo puerorum; vel ros adolescentiæ et iuventutis, id est, multitudo adolescentium et iuvenum, puta fidelium et Christianorum: ros enim in copia gignitur, totamque terram quasi operit; est enim instar minutissimæ pluviam, sive stillarum, quæ frequentissime et creberime cadunt. Rursum ros significat gratiam largam libellibus hisce Christi filiis datam. Sensus ergo est, q. d. Generatio, progenies et posteritas tua, o Christe, non erit carnalis, sed spiritualis, eaque copiosa tum numero, tum gratia, qualis est roris.

Quinto, sicut auroræ lux hominibus, qui cæcis longæ noctis tenebris fatigantur, optatissima est, gratissima et iucundissima, ita et hominibus sedentibus in tenebris et in umbra mortis exoptatissimus et faustissimus fuit Christi ortus. Hinc enim est istud quod ait Iob e. 11. v. 17. *Cum te consumptum pulaveris, orieris ut lucifer.* Et S. Petrus Christum, Christique Evangelium vocat luciferum, epist. 2. cap. 1. 19. *Donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.*

ET VENIET QUASI IMBER NOBIS TEMPORANEUS ET SEROTINUS TERRÆ.) Imber temporaneus, vel tempestivus in Palestina est, qui cadit in autumnno iactis in terra seminibus, ut ea radices figant in terra, et germinare incipiant: serotinus, qui cadit in vere, ut segetem increasset, impinguet et maturet. Dicitur ille tempestivus, quia est sementis; hic serotinus, quia est segetis et messis. In Syria enim tota æstate vix pluit, sed sudi serenique sunt dies. Ita S. Hieron. et Vatabl. Utrique Christum comparant Prophetæ; quia æque ut illi optatus advenit, terramque, id est, hominum animas, fecundavit et vivificavit.

Vers. 4. QUID FACIAM TIBI EPHRAÏM.) Parentis in perditos filios monstrat affectum, ait S. Hieron. iuxta illud Isaïæ 5. *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci?* et Michææ 6. *Popule meus quid feci tibi?* Reddit hic Prophetæ ad sua tempora, ac mores incorrigibiles Hebræorum sui ævi, ob quos a Deo destinati sunt exeidio, uti ait in sequentibus. Hic ergo ostendit ipsos suæ perditionis esse causam, non Deum, qui de ea dolet, eamque omnibus modis avertere conatus est, pulsando assidue animos eorum duros et rebelles per Prophetas, nunc minis, nunc promissis, nunc flagellis; ita ut ex parte sua omnia adhibuerit, quæ eos sanare, et ad salutem tam animæ quam corporis perducere poterant. Quocirca moral. Dionys. Carthus. hæc, ait, *possunt esse verba clementissimi Dei ad Christianos peccatores temporalia congregantes, et labiis tantum confitentes, vel aliis vitiis implicitos, quos Deus ad penitentiam indesinenter invitat, eorum damnationi velut compatiens. De quo dicit Apostolus, quod vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Hinc et S. Petrus epist. 2. e. 3. ait: *Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti. Cui consonat Isaïas e. 30. Propterea, inquit, expectat Dominus ut misereatur vestri. Non ergo divitias bonitatis et longanimitatis eius contemnamus. Mallet etiam Christus animarum amator denuo crucifigi, quam sincere quempiam ( quantum in se est ) condemnari.* Hæc ergo voluntas in Deo sincera est, seria, et quantum est ex eius parte, effeax: est ergo voluntas non signi tantum, ut quidam volunt, sed beneplaciti: alioqui enim fictæ et simulate Deus ageret, dum invitat peccatores ad se tanto dolore et affectu, si enim tantum in ore et verbis haberet, non in mente et corde, quod cogitare est nefas, de quo plura e. 11. 9.

MISERICORDIA VESTRA.) Hebr. חֶסֶד *chesed*, significat pietatem et misericordiam, indeque sanetitatem; huius enim signum et causa est misericordia; unde *chasedim* vocantur viri misericordes et pii. Sensus est, q. d. Quid faciam vobis, o Hebræi? obstinati enim estis in vestris sceleribus, nec pia mea monita et inspirationes in men-

tem admittitis: licet enim aliquando aliqua pietatis et misericordiæ in proximos egresses et miseris vos tangat cogitatio et sensus, tamen is instar nubis et roris matulini, qui statim ad ortum et calorem solis evanescit, subito præterit et pertransit, q. d. Pietas et misericordia vestra inconstans est, instabilis et evanida. Ita Chald. Rupert. Lyran. Vatabl. et Arias. Secundo, alii hic accipiunt *miseri cordiam* Dei, non Iudæorum, q. d. Ego Deus cuperem vestri, o Iudæi, misereri, idque assidue et continuo; sed vos hanc meam voluntatem et misericordiam vestra nequitia dispellit, aque ac ventus subito dispellit nubes, et sol oriens subito sorbet rorem. Ita S. Hieron. Theoph. Hugo et Ribera. Priori sensui magis faveo id quod sequitur: *Miseri cordiam volo, et non sacrificium.*

PROPTER HOC DOLAVI IN PROPHETIS.) Pro *dolavi* hebr. Vers 5. *עָצַבְתִּי chalsabti*, id est exceidi, suecidi, occidi; ac tribuitur lignis et lapidibus, dum cæduatur ut dolentur et quadrentur: unde Sept. vertunt, *propterea succidi* ( Syrus, *dilaceravi*; Arabicus, *messui*) *Prophetas vestros*: quod S. Hieron. Haymo, Rupert. et Hugo exponunt de falsis Prophetis, q. d. Occidi pseudopphetas, qui vos a me, et a pietate vera abducebant ad impietatem et superstitionem, ut qui causa erroris fuerant prospera promittentes, interfecit verterentur in occasionem salutis, ait S. Hieron. Ita Deus per Eliam occidit 450. Prophetas Baal, 3. Reg. 18. Leo Castrius vero, uti et Theoph. accipiunt veros Prophetas, sicque exponunt, q. d. Occidi, id est, occisioni et neci certæ exposui meos Prophetas, dum eis iussi ut assidue vestram impietatem redarguerent: sciebam enim ideo illos a vobis occidendos. Aut, ut Vatabl. et a Castro, q. d. Obtudi Prophetas meos, et quasi eneavi: nam eos fatigavi assiduis stimulis, adeo ut eos quasi ad necem redegerim; iugiter scilicet eos impellendo et pulsando, ut vos assidue monerent et pulsarent, nunc minis, nunc promissis.

Verum, quia Hebræa habent, *in Prophetis*, itaque verit Noster. Chald. et alii; hinc melior et illustrior sensus erit, si hanc dolationem ad populum referamus. Unde S. Hier. quem sequuntur Haymo, Albert. et Hugo, sic exponit: *Dolavi vos in Prophetis* ( id est per Prophetas ) *et verbis terribilibus comminatus sum; scalpellum, ignes et cauteria protuli, ut quem elementem contemnebatis, timcatis offensum.* Explicat et probat id quod dixit: *Quid faciam tibi Ephraim? tua enim pietas et misericordia levissima est, impietas solidissima, et durissima instar marmoris et adamantis: propterea eam frangere et dedolare conatus sum per Prophetas, sed frustra: nam dum marmora isthæe silice duriora sculpebre nitor, hebetavi dolabras et scalpella mea, scilicet ministros et Prophetas meos; nam occidi eos in verbis oris mei,* q. d. Continuis oraculis, monitis et iussis eos fatigavi, et confeci: hæc enim magno eis stabant: oportuit enim illos sapius cum sermone omnia bona, et vitam ipsam simul exponere et profunderere: sed obdurerunt marmora, cæleri recusant, nihil profecimus tanto labore, tantis impendiis, nolunt effingi ad imaginem Dei homines ipsius figmenta. Similis est querela et pathos Dei per Ieremiam cap. 6. 27. *Probatorem dedi te in populo meo robustum, etc. ars et ferrum: universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos: quia Dominus proiecit illos.* Vide ibi dicta. Ita Hieron. Prado in Ezech. 24. 12. Emmanuel, Mariana, et alii.

ET OCCIDI EOS IN VERBIS ORIS MEI.) S. Hieron. hæc æque ac præcedens refert ad Iudæos, q. d. *Occidi negligentes in verbis oris mei, ut ante peccatores verborum terrore punirem, quam captivitas immineret,* q. d. Occidi eos, non reipsa, sed verbis et minis. Melius et efficacius alii, *et dolavi ad Iudæos, et vero occidi ad Prophetas referunt.* Ita Lyran. Arias, a Castro et Prado iam citatus. Sensus est, quem paulo ante dedi.

ET IUDICIA TUA QUASI LUX EGREDIENTUR.) q. d. Dolavi et occidi vos ad hoc, ut *iudicia*, id est, iustitiæ ve-

stræ, instar lucis orientur ac splendescerent. Sicut enim sol per radios splendet, ita iudicia et leges Dei per opera emicant, ait a Castro. Secundo, Vatabl. q. d. Res tuæ feliciter et prospere tibi cesserunt. Sicut enim tenebræ infasta, ita lux prospera et fausta significat, q. d. Propter Prophetas quibus te dolavi, eumulavi te beneficiis meis. Verum iudicia non significant beneficia. Tertio, ergo aptissime, q. d. Et, id est, idcirco, iudicia tua, id est, condemnatio tua velut in luce clara videbitur, et apparebit omnibus esse iusta, tuumque scelus esse inexcusabile, utpote obstinatum post tot Dei monita, dolationes et verbera. Ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Lyran. Arias et alii.

Vers. 6.

QUIA MISERICORDIAM VOLUI, ET NON SACRIFICIUM.) S. Hier. hic, et S. Chrysost. Hilar. et Euthym. in Matth. c. 9. 43. accipiunt misericordiam non hominum, sed Dei, q. d. Iucundus mihi est misereri vestri, quam a vobis sacrificia recipere; magis delector vestra conversione et salute quam victimis. Favet Christus Matth. 12. 7. Cum enim Pharisei carperent Apostolos, quod sabbato vellere spicas, ut fami suæ succurrerent; Christus eis hæc Osee verba obiicit, dicens: *Si autem sciretis, quid est, misericordiam volo, et non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes*, q. d. Si sciretis quanta sit Dei misericordia, sciretis pariter gratius ei esse, ad famem pauperum sublevandam velli spicas in sabbato, quam sabbatum tam rigido ab operibus otio, cum tanta meorum fame observari. Verum sic non recte coherent hæc cum præcedentibus, quibus minatus est eis iudicia, id est condemnationem; nec cum sequentibus, *Et scientiam Dei plusquam holocausta*: hæc enim scientia est hominum: ergo et misericordia. Adde, non congrue misericordiam Dei cum victimis hominum comparari.

Melius ergo hæc accipiemus de misericordia, id est, elemosyna et beneficentia hominum in proximos egentes et miseros. Ita Chald. Theodor. Theoph. Haymo, Albert. Lyran. Arias, Vatabl. et August. lib. 10. Civitat. S. Cyprian. lib. 3. contra Iudæos cap. 5. et alii, imo Christus Matth. 12. 7. Sensus enim eius est, q. d. Permissi discipulos meos fidentes sabbato vellere spicas, quia misereor eorum, cupioque ut fami suæ succurrant. Scio enim Deo gratiorem esse misericordiam quam otium sabbati, imo sacrificium: hoc ergo a me discite, mecumque misericordiam hanc in discipulos meos fidentes induite et exerceate, ut eos non accusetis ob sabbatum violatum, sed ob famem levatam excusetis, eisque compatiamini.

Nota primo. Vox *quia* dat causam præcedentium, præsertim eorum que dixit v. 4. ubi accusavit eorum misericordiam, qua una scelera sua expiare, Deumque placare poterant, quod esset instabilis et fallax, eo quod mox in solitam immisericordiam et crudelitatem (idololatria enim crudelis est, æque ac hæresis) relaberentur, q. d. Commendavi vobis misericordiam, et immisericordiam accusavi, quia illa Deo gratissima est, hæc exosa et ingrattissima: misericordiam enim Deus mavult et præfert sacrificio. Erant enim Iudæi, uti immisericordes in proximos, ita misericordes et propensi ad sacrificia et oblationes externas, quasi in illis tota pietas. Neque reconciliatio consisteret, putantes si illa præstarent, omnia sibi fore secunda, Deumque eorum scelera dissimulaturum, quem errorem eis hic Deus admittit, asserens contrarium, nimirum: *Misericordiam volo, et non sacrificium*. Et Christus Matthæi 23. 23. *Væ vobis Scribæ et Pharisei hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquias quæ graviora sunt legis, iudicium, et misericordiam, et fidem*.

Nota secundo, ex eo quod ait, *non sacrificium*, putarunt aliqui vetera sacrificia Deo non placuisse, imo ei exosa fuisse. Sed hic est error: erant enim ab eo instituta et præcepta toto Levitico, erantque actus religionis et patriæ Dei. Itaque *non sacrificium*, idem est quod *quam sacrificium*, uti vertunt Septuag. Chald. et alii. Hebræi enim quia carent comparativo, hinc eum exprimunt per negationem eius quod minus est. Itaque quod Hebræi dicunt: *Misericordiam volo* (id est, amo, cupio, diligo, opto; hoc

enim est Hebr. *חַפְּזִים chaphals*) non sacrificium, hoc Latini dicunt: Misericordiam malo quam sacrificium, vel misericordiam præopto, præeligo, præfero, præpono sacrificio. Unde S. August. l. 10. de Civit. cap. 5. *Ubi scriptum est*, inquit, *Misericordiam volo magis quam sacrificium, nihil aliud quam sacrificium* (mysticum misericordiarum) *sacrificio* (proprie dicto) *prælatum oportet intelligi*.

Quæres, quomodo revera misericordia præstet sacrificio? Resp. et dico Primo: Actus sacrificii, uti manat a religione et devotione interna, melior et nobilior est actu misericordiarum. Patet, quia ille Deum, hic hominem spectat: ille est actus religionis et patriæ; hic misericordiarum, quæ est virtus moralis: religio autem præstat omnibus virtutibus moralibus: est enim cultus ipsius Dei. Ita S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 6.

Dico secundo: Misericordia tamen præstat sacrificio externo, quia illud in lege veteri secundum se, sive ex opere operato Deo non placebat, sed tantum ex devotione offerentium: misericordia autem per se placet Deo. Et hoc intendit hic Propheta: Iudæi enim immisericordes summam sanctitatem, pietatem et placationem Dei ponebant in externis hisce sacrificiis, quasi per se Deo placerent; eumque placarent victimæ ovium et boum. Hoc Deus hic reprehendit per Osee, uti et per Isaiam cap. 1. 11. *Quo mihi, multitudinem victimarum vestrarum?* etc. *quiescite agere perverse*, etc. *subvenite oppresso*. Et Jerem. 7. v. 22. *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes: quia non locutus sum cum patribus vestris, et non præcepi eis*, etc. *de verbo holocaustomatum et victimarum*. Et Ps. 49. 13. *Numquid manducabo carnes laurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Et Psal. 50. 18. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis*. Simili modo dicitur 1. Reg. 15. 22. *Melior est obedientia quam victima*. Et Psal. 50. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Simili ergo modo vere dici posset charitatem, humilitatem, obedientiam, penitentiam interuam volo, non sacrificium, id est, præfero sacrificio externo. Rursum licet sacrificium nobilior sit ratione obiecti, quod est honor Dei, tamen ratione necessitatis sæpe nobilior est misericordia, ideoque præferenda, adeo ut tunc malum esset sacrificare, v. g. cum ægrolo est ministrandum. Sic Christus reprehendit filios, dicentes parentibus egentibus *corban*, hoc est munus illud Deo offerre præstat, quam dare tibi o pater, Matth. 15. vers. 6. Sic S. Augustin. damnat parentes, qui bona sua dant monasterio, cum habeant filios indigentes, adeoque talium oblationes ipse refulare solebat, uti referi Possidonius in eius Vita c. 24. Tertio, quia misericordia sæpe imperatur a charitate, camque includit: constat autem actus charitatis nobiliores esse actibus religionis. Ubi nota, per sacrificium hic omnem cultum externum, ut cultum sabbati Matth. 12. 7. intelligi: per misericordiam vero, omnia opera charitatis et pietatis internæ: hanc enim significat Hebræum *חֶסֶד chesed*, idque patet ex eo quod subdit: *Et scientiam Dei plusquam holocaustum*. Unde Pineda libro 8. de Rebus Salom. c. 1. sic explicat: *Misericordiam*, id est, animum bene erga me affectum, *volo, non sacrificium*. Quarto, misericordia præstat sacrificio, si misericordia referatur ad cultum Dei, et imperetur a virtute religionis: tunc enim sunt duo actus, unus elicetus a misericordia, alter imperatus a religione, qui duo præstant uni religionis et sacrificii.

Moraliter discet hic, quanta sit excellentia misericordiarum, quamque ea grata sit Deo, qui eam præfert suis sacrificiis. Ratio est, quia ipsa est virtus divina et propria Deo: summum enim bonum summe est misericors et beneficus. Hinc ait Psaltes: *Miserationes eius super omnia opera eius*. Et Ecclesia orat: *Deus cuius proprium est misereri semper et parcere*. Præfert ergo Deus ea quæ per misericordiam homini conferuntur iis, quæ ipsi per sacrificium donantur, tum quia iis non indiget, iisque nihil honoris aut gloriæ ei accrescit; tum quia plus quærit hominis utilitatem quam suam: quod puri est amoris, quodque gloriosius est et summe magnanimum, planeque regium et divinum.

Misericordia præstat sacrificio, cur?

Moral. de præstantia misericordiarum.

Hinc B. Nazianz. orat. de cura pauperum: *Esto, ait, calamitoso Deus. Et S. Cyprian. tract. de orat. Dominica: Quando, ait, quis miseretur pauperis, Deo fuerat: et qui dat minimis, Deo donat, spiritaliter Deo suavitatis odorem sacrificat. Neque enim, ait idem tractat. de Opere et eleemosyna, promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit. Unde inferius docet in fame misericordiam esse cibo præponendam, exemplo viduæ, quæ primo fecit panem Eliæ, deinde sibi et filiis, 3. Reg. 17. Esurientibus, ait, liberis alter prius pascitur, neque in penuria et fame cibus antequam misericordia cogitatur. S. Chrysost. homil. 36. ad pop. Misericordia, ait, maior est gratiæ quam mortuorum suscitare. Idem hom. 51. in Matth. docet plaris esse misericordiam facere, quam templa magnifica condere: hoc enim templum (vivum, puta pauperum) illo (materiali) est multo præstantius. Et hom. 53. Misericordia, ait, ars quædam liberalis est, in cælis habens officinam, et non hominem, sed Deum magistrum possidet. Hæc nobis mansionem in celo ædificat, et æterna tabernacula præparat. S. August. lib. de Eleemosyna: Hæc, ait, sunt hostiæ gratissimæ misericordia, humilitas, confessio, pax et charitas. Idem lib. 9. de Civit. c. 5. Cicero, ait, in Cæsaris laude locutus est, dicens; Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gravior est misericordia. Idem sermon. 34. de resurrectione Domini: Vide, ait, si non magnam Deus tibi dat misericordiæ mercedem. Si dimittis homini in quo te læsit homo hominem, et Deus tibi ignoscet in quo offendisti homo Deum. Idem tract. de Avaritia et luxuria: Ego, inquit, Dominus accepi, ego reddam. Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc. Terram accepi, cælum dabo: temporalia accepi, æterna restituum: panem accepi, panem dabo, sed cælestem et æternum: hospitium accepi, domum dabo: æger visitatus sum, salutem dabo; in carcere visitatus sum, libertatem dabo, etc. Idem sermon. 203. de Tempore: Multa, ait, sunt genera miserationum, quæ cum facimus adiuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata; sed ea nihil est maius, quæ ex corde dimittimus, quæ quisque peccavit. Auctor serm. ad Fratres in eremo serm. 5. Sola, ait, misericordia ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem, sola Deum humilians nos sublimat. Quocirca Iosaphat rex apud Damascen. in hist. c. 36. relicto regno tendens ad vitam anachoreticam, Barachia, quem sibi in regno substituerat, valedicens, hoc ei primum dedit præceptum, non sum, sed Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et Rursum: Estote misericordes, sicut et pater vester cælestis misericors est. Hoc enim præceptum, inquit, potissimum ab eis exposuit, qui in summo imperio constituti sunt, ut cum imitentur a quo potentiam acceperunt. Hæc porro in re maxime quis Deum imitabitur, si misericordia nihil potius antiquiusque habeat. Hæc accedit, quod subditos nihil æque ad benevolentiam alluciat, ut beneficii gratia egentibus concessa.**

Ioannis Eleemosynarii misericordia in pauperes.

S. Ioannes, qui a misericordia Eleemon, id est misericors, vel Eleemosynarius est dictus, omnes miseros iuvabat, et vesperi lacrymabatur, si nemo afflictus eo die opem eius postulasset. Hinc ditatus a Deo est bonis tam temporalibus, quam spiritalibus. Porro originem huius suæ virtutis ita ipse aliis enarrat apud Leonium: *Mihi, ait, cum essem quindecim annos natus, et versarer in Cyprio, quadam nocte puella quædam apparuit in somnis eximia pulchritudine splendide vestita, et oleagina corona in capite redimita. Cum vero prope me stetisset, et manu latus pupugisset, me territum et somno excitat. Rogavi autem eam quænam esset, et unde veniret, et quomodo causa esset accedere ad me dormientem. Illa autem subridenti et lato vultu me hilariter et placide intuens: Sum, ait, prima ex filiabus magni regis. Si tu me tibi amicam paraveris, poterit te ei efficere familiarem: nulli enim maior est apud eum, quam mihi, fiducia: quoniam ei, ut e cælo descenderet in terram, et carnem acciperet humanam, ego persuasi. Ego vero cum ad me redisset, et id quod visum fuerat mente versarem, iudicabam eam esse misericordiam: statim ergo surgens ivi solus ad Ecclesiam: et fiv obvian*

**A** pauperi, qui erat nudus, et valde affligebatur frigore. Ei, cum me mea veste excuissem, eam trado, apud me dicens: Sciam, an sit verum, et non deceptio, id quod a me est visum: et prius quam venissem in Ecclesiam, ad me accedens vir quidam candidatus, tradit mihi auri centum nummos, qui mox evanuit. Tunc intellexi visionem non esse phantasiam sed apertam visionem. Unde ipse deinceps in misericordiæ opera ita se effudit, ut in iis fuerit exemplum et portentum orbis. Dichitabat autem se cum quid erogaret, mox a Deo duplum, imo centuplum recipere. Proinde eius hæc erant axiomata.

*Non est iustum ullius alterius rei curam nos gerere prius quam Christi: Ille ergo per urbem, et sigillatim describebat dominos meos. Cumque rogarent sui, quos suos vocaret dominos? Quos vos, ait, pauperes et mendicos soletis appellare, eos ego dominos meos et adiutores nomino. Nam ii soli mihi possunt opem ferre, ut a Christi regno non excidam.*

**B** Si nobis qui homines sumus, licet omnino ad Deum accedere absque ullo intercessore, et de quibus volumus eum rogare; quomodo non ipsi quoque nostris conservis portus aperuerimus, absque ullo impedimento? et non euilibet, cui est opus, benignam aurem præbuerimus? Scimus enim, qua mensi fuerimus mensura eadem nobis remetiendum.

Sophronius videns eum quadam die tristem, causam rogans audivit: *Hodie miserandus Ioannes non ab aliquo ullam accepit mercedem, neque ullum vel minimum piaculum potuit offerre Christo pro multis et magnis suis delictis. Quid hoc minus illo Titi Imper. Hodie non regnavimus, quia neminem affectimus beneficio.*

**C** Christus iubet dari cuivis petenti: si autem dicitis, vos esse alicuius alterius, qui imperat ut examinetis vitam et statum mendicantium, sciatis quod neque Christus, neque humilis Ioannes opus habet curiosis ministris.

*Si nostra essent quæ dantur, et ea a nobis illata essent in mundum, forte aliqua venia danda esset ei qui parce uteretur. Si autem Dei sunt omnia quæ sunt, eius omnino iussum in iis quæ sunt eius, servare oportet.*

*Si subit vos timor ex incredulitate, ne forte multitudo impensarum superet Ecclesiasticos redditus, ego ne tantillum sustinebo esse socius vestræ modicæ fidei. Persuasum enim habeo, quod, etiamsi totus mundus veniret simul Alexandria egens beneficentiæ, hos Dei thesauros nequaquam in angustum redigeret. Hæc omnia narrat Leontius in eius Vita. Palladius in Lausiaca c. 11. 5. narrat Eleemonem monachum adeo in omnes fuisse misericordem, ut etiam libros venderet, eorumque pretium mox in pauperes erogaret. Rogatus cur id faceret, dixit: Qui possum meo persuadere magistro, me eius artem accurate didicisse, nisi illo ipso usus fuero ad artem recte exercendam?*

Et cap. sequente Bisarionem ab eadem virtute commendat, quod nudum pauperem vestiret suo habitu, ipse interim nudus; quin et Evangelium vendiderit ut pauperi subveniret, dicens: *Ut illic habeamus fiduciam, propter obedientiam vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat: Vende quæ habes, et da pauperibus.*

**D** Et cap. 118. celebrat Melaniam Romanam, quod in totum orbem fuerit benefica: et Olympiadem neptem Ablavii Præfecti c. 144. quod omnia sua in pauperes erogaret.

Denique ut alia omittam, vivum et ardens misericordiæ speculum, æque ac spiculum nobis est Christus Dominus, qui per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, ut nostris miseriis, quæ plurimæ erant et gravissimæ, subveniret. Quamobrem hæc ipsa tota in nos effudit, tum in incarnatione, tum in vita, tum in cruce, ut vere dixerit Isaias, c. 53. 4. de eo: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Vis ergo vivam misericordiæ effigiem, intueri Christum in cruce, ubi totus est miseria, quia totus est misericordia nostra. Nec tantum in cruce, sed et post mortem per omnia sæcula, imo in æternum totum se per misericordiam in suos effundit: se nuscens enim dedit socium, convalescens in vitulum, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. Nascendo enim curavit miseras natiuitatis et vitæ nostræ, eas*

in se suscipiendo, moriendo curavit miserias peccatorum nostrorum, pro iis satisfaciendo; convescendo dandoque se in Eucharistia ad manducandum, curat singulorum infirmitates et passiones animæ, cibando eam alimonia cælesti; regnando curat miseriam mortis et mortalitatis, dando corpus suo conforme, puta immortale et gloriosum. Sane qui miserias infinitas animæ suæ, æque ac corporis clare perspicit, videtque eas per singula momenta a Christo curari novis et infinitis miserationibus, non potest non eas admirari, æmulari, in easque transformari, ut iugiter canat cum Psalte: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

**ET SCIENTIAM DEI PLUSQUAM HOLOCAUSTA.** ) Scientiam Dei practicam intellige, puta coniunctam cum interna Dei reverentia, pietate, charitate, misericordia. Opponit enim internam pietatem externæ, puta holocaustis. Unde sequitur, Hebr. חֶסֶד *chesed*, hic non tantum misericordiam, sed quoslibet veræ et internæ pietatis actus denotare et comprehendere, uti superius dixi. *Chesed* enim proprie significat pietatem tum in Deum, tum in homines, puta pium et propensum affectum, benignitatem, beneficentiam, gratiam, charitatem, benevolentiam, gratitudinem, sanctitatem sive bonitatem. Inde enim חֲסִיד *chasid*, id est pius, vocatur vir bonus et sanctus, et *chāsida* vocatur ciconia, avis pia in parentes, ideoque pietatis symbolum. Ita a Castro hic, et Marinus, Forsterus, Pagnin. et alii in lexicis. Sic Ionæ 2. 9. dicitur: *Qui custodiunt vanitates (idola) frustra misericordiam suam* (hebr. חַסְדָּם *chasdam*, id est, pietatem suam erga Deum, et consequenter erga homines) *derelinquunt*: ubi *chesed* proprie significat Dei timorem et cultum.

Vers. 7.

**IPSI AUTEM SICUT ADAM** ( primus parens in paradiso violans pactum cum Deo, eiusque conditionem et legem de non comedendo pomo vetito ) **TRANSGRESSI SUNT PACTUM.** ) q. d. Imitantur parentem suum, puta primum legis et pacti Dei prævaricatorem, ideoque sicut ille paradiso expulsus est, ita et ipsi terra sua, quæ instar paradisi est, puta Iudæa, expellentur. Ita S. Hieron. Cyrill. Rupert. Hugo, et Lyran. Addit Clarius: sicut Adam non fame pressus, non concupiscentia incitatus, sed mera sua lubentia pomum vetitum comedit, ita hi peccant ex mera petulantia

Secundo, Septuag. το *Adam* acceperunt ut nomen commune, non proprium, significans hominem; unde vertunt, *ipsi vero sunt sicut homo prævaricans testamentum*, vel *fædus*. Sic et Vatabl. et Clarius: sed hi duo cum Theodor. vertunt in genitivo, *ipsi autem transgressi sunt fædus meum sicut hominis*, id est, ut fædus ietum cum homine, q. d. Non pluris fecerunt fædus meum initum, quam si cum homine inivissent: unde ex levitate mox illud reseiderunt et violarunt. Aut, ut Arias, q. d. Ipsi externis victimis me colunt, quasi eum hominibus agerent, qui non vident eor, et falluntur: ego enim sum cardiognostes; ideoque internam pietatem et misericordiam volo non sacrificium.

**IBI PRÆVARICATI SUNT IN ME.** ) Το *ibi* quadrupliewer exponi potest. Primo, *ibi*, scilicet in Adamo, q. d. Ex eo tempore quo Adam peccavit, cœperunt prævaricari in me; insigniter ergo hanc Adæ prævaricationem imitati sunt, imo continuarunt. Secundo, *ibi*, scilicet in paradiso, q. d. In terra sua, puta in Iudæa, quæ amœna et fertilis erat instar paradisi terrestris, in qua ego eos benigne collocaveram, uti Adamum in paradiso, *ibi*, inquam, paradiso hoc suo, meaque benignitate abusi et lascivientes recalcitrarunt. Ita S. Hieron. Chald. et Vatabl. Tertio, *ibi*, scilicet in suo sacrificio et holocausto, quod vel idolis cum idololatria, vel mihi cum impia mente et conscientia scelerata offerunt. Quarto et genuine, *ibi*, scilicet in transgressione qua pactum meum transgressi sunt, sicut Adam *prævaricati sunt in me*, quia hoc pactum mecum, non cum angelo, nec cum homine iniverunt.

Vers. 8.  
Galaad  
quid?

**GALAAD CIVITAS OPERANTIUM**, id est, fabricantium, ornantium et colentium, **IDOLUM.** ) Galaad erat mons celebris terræ sanctæ, ita dictus a fœdere inito inter Laban et Iacob, Gen. 31. 48. qui cessit in sortem tribubus Ruben

**A** et Gad. Inde civitas in eo ædificata dicta est pariter Galaad, et ab altitudine Ramatha, ex qua ortus est Iephte Iudic. 11. 1. et Ramoth Galaad, in qua unctus fuit Iehu in regem, 4. Reg. 9. 1. Hæc erat civitas refugii, ut patet Iosue 21. 36. et 1. Paral. 6. 78. ideoque in ea erat multitudo sacerdotum. Quocirea ob urbis celebritatem idololatriæ posuerant in ea sedem idololatriæ, templumque et aras idolis exædificarant, uti hic significat et taxat Propheta, q. d. Galaad civitas sacerdotalis et sancta. facta est metropolis idololatriæ et iniquitatis, adeo ut ad eam tota composita factaque videatur. Ita S. Hieron. Chald. vertit, *Galaad civitas vim inferentium*. Hebræum enim אָוֵן *aven*, significat iniquitatem, indeque violentiam, uti et idololatriam. Utraque enim insignis est iniquitas.

**SUPLANTATA SANGUINE.** ) q. d. Galaad supplantabitur, capietur et vastabitur ob sanguinem piorum Deum colentium, quem ipsa idololatra copiose et iniuste effudit. Est emphasis in verbo *supplantata*, q. d. Ipsa supplantavit, et per dolos ac insidias deiecit Dei cultores, hinc ipsa pari modo supplantabitur, decipietur et deicietur in ruinam. Unde hebr. est. *Supplantata a sanguine*; et ita latine legendum hic contendit Ribera. Ita reipsa factum est, ut Galaad quæ prima erat in scelere, prima pariter esset in clade et excidio. Nam quia Syris erat vicina, hinc prima expugnata est ab Assyriis tempore Phacee, 4. Reg. 15. 29. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Ribera et alii.

Hinc secundo, pro *supplantata a sanguine*, Leo Hebr. vertit, *oppressa sanguine*; Hebræi et Pagnin. *fœdata sanguine*; Chald. *dolose effundens sanguinem*; Lyran. *insidiatrix sanguinis*, q. d. Galaad ita dedita fuit insidiis et cædibus piorum et innocentium, ut eorum sanguine quasi supplantata et submersa videatur: natavit in sanguine alieno et innocenti, iam uatabit sanguine suo et nocenti.

Tertio, Sept. pro מִדָּם *middam* legentes מַיִם *maim*, vertunt, *perturbans aquas*, id est, sanam doctrinam, uti faciunt idololatriæ et hæreticæ, inquit Theodor.

**C** Alleg. *Galaad*, id est, tumultus testimonii, est Ierusalem polluta sanguine Prophetarum, Christi et Apostolorum, aliorumque eius testium, quos ipsa cum suis Scribis et Sacerdotibus occidit et tumulavit, uti eis obiicit Christus Matth. 23. 29. Ita Leo Castrus ad litteram, ego allegorie.

**ET QUASI FAUCES VIRORUM LATRONUM.** ) q. d. Galaad ita habent fauces hiantes ad prædam instar latronum, imo luporum; sitiunt enim sanguinem et eadem innocentium. Sic de voraci famelico ait Silius l. 3.

*Immani fauces diducit hiatu.*

Legit Interpres in Hebr. חִיכָה *chiche*, id est fauces, iam legit alio puncto חִיכָה *chache*, id est expectare, inhiare; unde vertunt, *sicut latrones qui expectant virum*, ut eum occidant vel spolient, puta qui prædæ inhiant. Ita R. David, Pagnin. Vatabl. et alii. Alio casu et syntaxi, sed eodem redeunte sensu, vertit Chald. *sicut observat vir latrunculos, consociati sunt ipsi et sacerdotes eorum*, q. d. Deicolæ euntes ad templum in Ierusalem, ita timebant et cavebant Galaaditas eorumque sacerdotes, ut viator timet et cavet latrunculos.

Aliter Haymo et Albert. per fauces enim metaphoricè accipiunt strictos ingressus vallium aut collium, in quibus latere solent latrones, et insidiari viatoribus, eosque inopinantes repente aggredi. Sic enim vocantur fauces terræ, fauces portus, fauces scopuli, fauces Orci, de quibus Virgil. 6. Æneid.

*Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci.*

Ita Græci pauci numero expectarunt Xerxem cum innumeris copiis ad fauces Thermopylarum, ibique eum ceciderunt. Sic ergo sensus est, q. d. Galaaditæ insidebant fauces montium, ut euntes Hierosolymam caperent, spoliarent, occiderent. Unde Symmach. vertit: *fauces tuæ quasi viri insidiatoris.*

Verum Hebr. *chiche*, fauces hominis, non terræ significat: a radice enim חָכָה *chacha*, id est expectare, anhelare, inhiare, deducitur nomen חֶךְ *chec*, id est palatum,



gula, fauces, eo quod cibo inhiunt: sunt enim ipsæ quasi os stomachi, scilicet interior pars gulæ, ubi os angustatur, tenditque in stomachum, quam partem Græci et Latini laryngem, vel pharyngem vocant. Unde de ea Plin. l. 11. 37. *Summum gulæ, ait, fauces vocantur, extremum stomachus.* Hæ enim fauces magis significant aviditatem inexplibilem cædis et sanguinis, quam illæ montium et vallium. Sic Cæsar apud Lucan. Pompeium comparat tigridi, quæ assueta sanguini ferarum, semper enim sitit:

*Sic et Syllanum solito tibi lumbere ferrum,  
Durat Magne sitis: nullus semel ore receptus  
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.*

Porro Septuag. pro כחכי *chechache*, aliis punetis legentes כחכי *cochachi*, vertunt, *fortitudo tua quasi viri piratæ*, q. d. Summa vi et fortitudine invadis transeuntis in Ierusalem, uti faciunt piratæ: כח *couch* enim est vis, virtus et fortitudo.

**PARTICEPS SACERDOTUM**, puta Galaad habens fauces latronum, particeps et socia fuit sacerdotum, qui in via interficiebant, **PERGENTES DE SICHEM.**) q. d. Galaaditæ fuerunt socii sacerdotum Bethel, puta idolorum et vitulorum aureorum, qui Deicolos euntes a Sichem in Ierusalem in Paschate, Pentecoste, et Scenopegia, ut iuxta legem Deum in templo adorarent, trucidabant vel per se, vel per submissos a se sacros. Ita S. Hieron.

Hebr. iam ad verbum habent, *sicut latrones qui observant virum, ita conspiratio sacerdotum in via qua itur Sichem, trucidant*: scilicet viatores. Pro *conspiratio*, Vatabl. *vertit congregatio*; Pagnin. *collegium*; alii, *societas*. Notatur hic sceleris atrocitas et imperium. Nam ubi in illud multi conspirant, nihil non perficiant: armata enim tot manibus totque consiliis impietas, omnia perfringit et sternit.

**PERGENTES DE SICHEM.**) Hebr. שׁכמה *seechma*, id est, in Sichem: hoc enim significat ה locale. Ita Vatabl. et Arias. Verum dico ה hic non esse locale, sed terminativum nominis proprii. Urbs enim hæc diæta est *Sichem*, vel addito ה *Sichima*. Unde Sept. et Symmach. vertunt, *interfecerunt Sichima*, id est, *Sichimitas*. Noster vero, quia hic fit mentio viæ in Ierusalem, recte subaudiens præpositionem מן *min*, id est *de*, vertit *pergentes de Sichem*. Hi enim idololatræ non occidebant euntes in Sichem, sed ex *Sichem* euntes in Ierusalem. *Sichem* enim urbs, diæta a Sichem principe, qui vitiauit Dinam Iacobi filiam, Genes. 34. 2. tempore Christi dicebatur *Sichar*, quam Christus per mulierem Samaritanam convertit, Ioann. 4. 5. deinde diæta Neapolis, hodie Napolozæ. Errant qui putant ad has insidias alluisse Christum Lucæ 10. in parabola euntes a Ierusalem in Iericho, qui incidit in latrones. Nam Iericho erat ad Orientem Hierosolymæ, Sichem vero ad Septemtrionem. Quare nulla erat viæ, quæ ex Ierusalem per Sichem tenderet in Iericho. Nominat Sichem præ aliis urbibus, tum quia ex Samaria, quæ erat metropolis decem tribuum, recta erat via in Ierusalem per Sichem: tum quia Sichem religione erat celebris: in ea enim habitauerunt Abraham et Iacob, cuius et puteus ibidem ostenditur: in ea quoque sepultus est Ioseph, Iosue 24. v. 32. Rursum Sichem erat iuxta montes Hebal et Garizim, in quibus Moses proclamavit legem, et benedictiones eam servantibus, et maledictiones eam prævaricantibus, Dent. 27. 4. Hinc multi Sichimitæ in cultu Dei perstiterunt, eum alii declinarunt ad vitulos Ieroboam. Hinc quoque peregrini visentes loca sancta, visebant (ut etiamnum visunt) Sichem et Ierusalem. Sicut Christiani in Italia visitant Laurentum et Romam: tum denique quia iuxta Sichem erat Dan et Bethel, ubi Ieroboam posuit vitulos aureos. Ibi ergo erat sedes idololatriæ: ac consequenter ibi vigebat persecutio in pios et fideles euntes in Ierusalem, quos in via interceptiebant et male mulebant.

Porro Chald. Aquila, Theodor. Vatabl. Clarius et Pagnin. *שׁכמה* accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, significans humerum. Unde vertunt, *turma*, vel *conspiratio sacerdotum in via interficit humero uno*, id est, consensu unanimi, pari studio et conatu. Sic enim fu-

res et milites dum conspirant in domus vel urbis expilationem, uno quasi humero ferunt scalas, trabes aliaque instrumenta quibus turres conscendant, aut ostia sternant ad irrumpendum et prædandum. Aquila vertit in accusativo, *participatio sacerdotum in via occidebant*, id est amputabant, *humeros viatorum euntes in Ierusalem*.

**QUIA SECLUS OPERATI SUNT.**) q. d. Insidiantur Galaaditæ Deicolis eosque occidunt, quia totos se sceleribus dederunt. Pro *seclus* Hebr. est זמה *zimma*, id est, piaculum, nefas, abominatio, puta seclus horrendum et execrabile.

Disce hic moraliter, quantum seclus sit impedire operæ pictatis, ac remorari eos qui tendunt ad salutem et ad Dei cultum. v. g. ad statum perfectionis. Unde S. Hier. hæc applicans hæreticis: *Nos dicamus, ait, hæreticos (tu die libertinos, alias Catholicos, ut irrisores et sanniones operum piorum) intercludere viam, ne de Sichem, id est de bonis operibus, pergamus in Ierusalem, id est, in Ecclesiam. Isti sunt quasi fauces latronum, et interficiunt eos, qui per huius sæculi viam ad veritatem pergere cupiunt. Sichem interpretatur זמה, id est, humeri: in humeris opus intelligimus: et omnes falsi sacerdotes abscondunt viam, et occidunt homines malis operibus, ne perveniant Ierusalem. Quod autem humerus opus significet, illud ostendit Ierem. 31. iuxta Septuag. Da cor tuum in humerum tuum, hoc est, quæ intelligis, verte in opera. Et de Isachar legimus Gen. 49. quod supposuerit humerum suum ad laborandum, et vir agricola sit. Quocirca S. Chrysost. l. 3. Contra vituper. vitæ monast. hunc ponit nonum et summum malitiæ gradum. Primus, ait, malitiæ et impietatis gradus est, iumenta et pecora ipsa inimicorum errantia, vel lapsa negligere. Secundus et maior, inimicis ipsis, si qua re egeant, non subvenire. Tertius, proximos ignotos aspernari. Quartus, despiciere familiares. Quintus, non solum corpora, sed etiam animas fratrum pereuntes negligere. Sextus, ipsos filios pereuntes negligere. Septimus, nec eos per se curare, nec alios qui curent comparare. Octavus, prohibere insuper eos qui sponte iuvare illos velint. Nonus, non modo eos a salute arcere, sed etiam eorum salutem ultro oppugnare. Hoc est quod tam sedulo monet et præcipit Apost. 1. Thessal. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere*. Vide ibi dicta, ac præsertim mirum hac de re exemplum Prætextatæ, quod refert S. Hieron. epist. 7. ad Lætiam.*

**IN DOMO ISRAEL**, puta in regno decem tribuum, **VIDI** Vers. 10. **HORRENDUM**, puta **FORNICATIONES EPHRAIM.**) Scilicet idola et vitulos aureos, quos induxit Ieroboam rex oriundus ex Ephraim, quemque tribus Ephraim quasi civem et regem suum secuta est, et mox totus Israel: hoc est quod ait, *Contaminatus est Israel*. Pro *horrendum* hebraice est שׁערוּרָה *seiaruria*, idem quod *seiarurit*, sed per auxesin quid amplius et maius significat, uti notat Marinus in lexico. Vatabl. vertit, *pollutiones, inquinamenta*; Pagnin. et Marin. *turpitudinem, fæditatem*; Noster Ierem. 5. 3. *mirabilia. Stupor*, inquit, *et mirabilia facta sunt in terra*. Hic vero proprie vertit *horrendum*, quod horripilationem excitet, faciatque ut pili et crines audientium ex horrore erigantur: שׁעיר *sear* enim pilum significat; et inde *seirim* vocantur satyri pilosi et hirsuti. Talis est idololatria, præsertim communis totius gentis, Deo olim addictæ et devotæ, quæ innum hominem, puta Ieroboam, secuta est, Deo omnium Domino relicto et spreto.

**SED ET IUDA.**) Hæc verba connectenda sunt cum præcedentibus hoc modo: *Contaminatus est Israel, sed et Iuda*. Ita Hebr. Chald. et Septuag. Iuda enim secutus est idola Israelis.

**PONE MESSEM TIBI.**) *Pone*, scilicet, o Israel, vel potius, tu o Iuda, q. d. O Iuda tu etiam capieris, æque ac Israel, quia eius scelera imitatus es: nec tu, ut putas, pones et recondes messem tuam, quia eam hostis Chaldæus vastabit: is enim metet ea quæ tu seminasti: pones tamen et recondes tibi messem, quæ ex spicis deciduis per tot annos captivitatis tuæ sponte et copiose succrescet, cum te e captivitate reduxero per Cyrum, q. d. Ante neq. e-

Novem  
gradus  
impietatis.

Vers. 11.

quia hostes id non permittent; tunc vero pones: tu enim redibis e captivitate, non Israel, qui in ea iugiter manebit. Osee enim concise loquitur; et paucis multa complectitur, uti dixi in proœmio. Ita Hugo, Dionys. Ribera et Lyran. qui sic breviter et plane exponit: Relinque messem tuam in tempus, quo convertam captivitatem tuam, et nunc ei ne impliceris: tunc enim messem colliges, licet nunc captiva ducaris. Simili schemate Virgil. in persona pastoris Mantuani, finibus suis a milite veterano pulsi, ait eelog. 1.

*Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.*

*Impius hæc tam culta novalia miles habebit?*

*Barbarus has segetes? en quo discordia cives*

*Perduxit miseros! en quis consevimus agros!*

Secundo, Haymo et Hugo per messem intelligunt filios, q. d. Pone messem, id est, genera filios, quos demetat, id est capiat, vel occidat hostis Chaldæus. Sed huic expositioni non consentiunt, nec coherent sequentia: *Cum convertero captivitatem populi mei.* Licet enim id Rufinus sic exponat, q. d. Tu quoque o Iuda, demeteris, cum captivitas populi mei Israel convertetur ad te, ut tu similiter capiaris; tamen id non respondet hebraismo, quo convertere captivalem significat liberare e captivitate, non vero in captivitatem ducere.

Tertio, Arias hæc refert ad tempora Christi, q. d. Demetetur Iudæa a Tito et Romanis, cum captivitatem generis humani e potestate diaboli solvam per Christum. Hoc allegoricum est. Adde, ponere messem significat metere, non demeti: est enim actus eius qui metit, non qui metitur; unde Septuag. vertunt *σπρρρρρρ*, id est, vindemiare.

Recentiores aliter vertunt, ideoque aliter explicant: pro

**A** *pone* enim legunt *נשׁ* *seiat* in præterito, id est, posuit; unde vertunt, *etiam Iudas posuit*, vel *ponit messem*, vel plantarium. Quod Primo, aliqui sic explicant, q. d. O Iuda tuis sceleribus continuis paras tibi demessionem, id est excidium, cum convertenda erat captivitas populi mei, id est, dum ego cogito de captivitate tua avertenda. Unde Theodor. et Theoph. ex Septuag. legunt, *sed et Iudas dimisit messem suam*, puta suas segetes et opes, quia secutus est idola Israelis, ideoque a Chaldæis spoliatus et excisus est.

Secundo, Clarius vertit et explicat, q. d. Etiam o Iuda, Ephraim posuit plantulam tibi, vel contra te. Nam plantavit tibi lucos, et docuit idololatram, qua re effectit ne te converterem, sed a me abiectus abires in captivitatem.

Tertio, Vatabl. putat hic notari factum Ieroboam, quo restituit Damascum et Emath Iudæ 4. Reg. 14. 25. et 28. q. d. Ephraim, id est Ieroboam filius Ioas, rex in Ephraim, posuit tibi, o Iuda, plantarium in Damasco et Emath: ipse enim has urbes tibi restituit, in iisque Iudæos incolas plantavit tunc, cum convertit captivitatem populi, cum scilicet iugum regis Syriæ a populo suo, puta ab Israele, depulit et excussit: et tamen tu, o Iuda, cum accepisses tantum a Deo beneficium, ei ingratus fuisti, eum sprevisisti, et deos Gentium tibi adseivisti.

**CUM CONVERTERO**, usque dum convertam: Hebr. enim est *בשׁוּבִי בְּשׁוּבִי* *besciubi*, id est in, vel ad conversionem. **CAPTIVITATIS POPULI MEI.** Id est, tuam, o Iuda. Est hebraismus: Hebræi enim eum quem alloquuntur, sæpe compellant in tertia persona, uti faciunt et Germani, dum honoris causa dicunt: Dominus hoc dicat, vel faciat, id est, tu o domine hoc dicas vel facias.

## C A P U T S E P T I M U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Describit nequitiam et malitiam Iehu, et Israelis idololatrantis, comparando eam Primo, furno succenso. Secundo, fermento, vers. 4. et pani subinericio, v. 8. Tertio, columbæ seductæ, non habenti eor, v. 11. Quarto, arcui doloso, v. 16.*

1. **CUM** sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium: et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. 2. Et ne forte dicant in cordibus suis omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea factæ sunt. 3. In malitia sua lætificaverunt regem: et in mendaciis suis principes. 4. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente: quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum. 5. Dies regis nostri: cœperunt principes furere a vino: extendit manum suam cum illusoribus. 6. Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis: tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ. 7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt iudices suos: omnes reges eorum ceciderunt: non est qui clamet in eis ad me. 8. Ephraim in populis ipse commiscebatur: Ephraim factus est subinericio panis, qui non reversatur. 9. Comederunt alieni robur eius, et ipse nescivit: sed et eani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. 10. Et humiliabitur superbia Israel in facie eius: nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eam in omnibus his. 11. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens eor: Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. 12. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum: quasi volucrem cæli detraham eos, cædam eos secundum auditionem cætus eorum. 13. Væ eis, quoniam recesserunt a me: vastabuntur, quia prævaricati sunt in me: et ego redemi eos: et ipsi locuti sunt contra me mendacia. 14. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis: super triticum et vinum ruminabant, recesserunt a me. 15. Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum: et in me cogitaverunt malitiam. 16. Reversi sunt ut essent absque iugo: facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.

Vers. 1. **CUM SANARE VELLEM ISRAEL, REVELATA EST INIQUITAS EPHRAIM.** Multi hæc accipiunt de tempore Ieroboam, qui fecit schisma a Roboam, factusque rex decem tribuum induxit idola, puta vitulos aureos in Israel, q. d. Cum sanare vellem Israel a sceleribus et idololatria quam induxit Salomon colens deos concubinarum suarum alienigenarum, 3. Reg. 11. 31. tunc erupit Ieroboam ortus e tribu Ephraim, qui vitulos aureos erexit in Dan et Bethel, quem secuta est tota Samaria operans mendacium, id est, colens idola vitulorum. Ita S. Hieron. Cyrill. Haymo, Hugo, Lyran. Clarius et Ribera. Huc accedunt Theodor. Theoph. Arias et Sanchez, qui hæc accipiunt de Ieroboam, cæterisque omnibus regibus Israel: hi enim Ieroboam ducem in scelere et idololatria sunt æmulati. Verum obstat, quod tempore Ieroboam necdum erat Samaria: quia illa condita est post 60. annos ab Amri patre Achab, 3. Reg. 16. 14. Rursum, Deus tunc sanare volebat non solum Israel, sed magis Iuda, qui erat fons mali et idololatriæ: nec tunc revelata est, quasi antea latisset abscondita iniquitas Ephraim, sed esse et existere cœpit.

Dico ergo Prophetam loqui de tempore Iehu: sub Iehu

enim cepit prophetare; unde eum nominat initio prophetiae dicens cap. I. 4. *Adhuc medicum, et visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu.* Per Iehu enim Deus volebat sanare et extirpare idololatriam: unde iussit ei 4. Reg. 9. 6. evertere Baul et domum Ahab, eiusque prophetas 430. occidere; quod et praestitit Iehu initio regni. Verum mox metuens idem quod Ieroboam, ne scilicet, si populus ad Deum eiusque templum in Ierusalem rediret, pariter ad regnum regemque Iuda rediret; hac de causa in idololatriam relapsus est, populoque vitulos aureos Ieroboam colendos proposuit. Quocirca in eum hic detonat Deus.

Porro Deus hic personam medici induit, qui chirurgum sibi ascivit Iehu ad resecauda putida membra Israelis, et reliqua sananda. Alludit enim ad Ramoth Galaad, ubi rex creatus est Iehu, 4. Reg. 9. 1. et seq. In Galaad enim erant aromata et pharmaca optima, aequae ac chirurgi et medici; unde de ea ait Ierem. cap. 8. 22. *Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta civitatis filix populi mei?* Vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Cum per Iehu quasi chirurgum meum in Galaad sanare vellem vulnus idololatriae Israelis, ideoque per eum resecaessem Ahab et Iezrahel (quae, utpot' Tyria, fuerat fax et incentrix cultus Baal Dei Tyri) eiusque prosapiam, puta septuaginta filios; videbatur iam eversum regnum idololatriae, omnesque idololatrae, timentes Iehu quasi vindicem et excisorem Baalitarum, dissiugebant aut latitabant: sed ecce Samaria, quae erat metropolis in Ephraim puta consilarii regii aliique politici in Samaria, fraudulenter suggesserunt et suaserunt Iehu stabilire cultum vitulorum in suo regno, si illud statumque suum conservare vellet. Hoc enim exigere politiam; alioqui enim populum, si permitteretur redire ad Dei cultum in Ierusalem, pariter rediturum ad pristinum eius sceptrum et regnum puta ad stirpem Davidis. Hoc consilio politico et satanico ictus captusque Iehu, in eorum sententiam concessit, cultumque vitulorum restituit et sanxit. Tunc ergo revelata est malitia Samariae, a Iehu paulo ante compressa, ideoque latitans postquam scilicet Samaritae subdole pertraxerunt Iehu in suam idololatriam, idque paulo ante hanc Osee prophetiam; ipse enim prophetavit sub Ieroboam pronepote Iehu, ut patet ex proemio.

Ita etiamnum videmus politicos suadere principibus haeresin, ut statum et principatum suum tueantur, vel adaugeant. Ita haeresis invecata est in Hollandiam: qui enim in ea dominari cupiebant, haeresin induxerunt hoc praetextu, quod, si Hollandi Catholicam fidem permitterent, certo iugum Hispanicum esset subituri: Catholici enim, inquebant illi serupulo conscientiae adacti ad suum avitum et legitimum principem, puta ad regem Hispaniae, redire volent; ut ergo excludamus Hispanicum, excludamus lidem Catholicam oportet. Idem fuit paralogismus Elisabethae reginae Angliae. Cum enim ipsa ob natales spurios, et a Pontifice Romano damnatos, incapax esset regni, ut fulmen Pontificis et Pontificiorum averteret, regnumque sibi stabiliret, schisma fecit a pontifice et fide, ac haeresin invecit: ideoque Deus illico succedit eius regnum stirpemque, uti olim succedit domum Ieroboam, Ahab, Iehu, aliorumque regum, qui cultum Dei abiecerunt, et cultum idolorum sanxerunt. Idem evenit Hollandis, qui cum caput sibi praeciderint, acephali sunt, ac inter se haeresibus odiisque internecinis digladiantur, quibus sese consumunt, nisi ad unitatem praesae religionis, aequae ac reipubl. et ad caput avitum redeant. Det eis Deus idipsum sapere.

QUA OPERATI SUNT MENDACIUM.) In Script. uti triplex est veritas, mentis, oris et operis: mentis, cum eius cognitio adaequatur et conformis est suo obiecto, puta cum mens res cognoscit prout vere a parte rei sunt: oris, cum verba conformia sunt menti: operis, cum opera conformia sunt suae regulae, puta rectae rationi, officio et legi: Ita ex adverso triplex est mendacium, scilicet mentis, oris, et operis: mentis, est error quo mens difformis est suo obiecto, puta quo falso iudicat de re: oris, est mendax locu-

atio, qua contra quam in mente sentit, proloquitur: operis, est scelus quo homo deviat a suo officio, a recta ratione et lege. Tribus hisce modis hic accipi potest. Samaritae enim invehentes idololatriam et falsam religionem, invehabant menti errorem in fide; blasphemiam in lingua, qua spernebant Deum et laudabant idola; scelus in opere, puta in sacrificio et externo cultu idolorum.

Proprie ergo mendacium significat hic cultum falsum et mendacem idolorum, ipsumque idolum. Idolum enim est numen et Deus mendax: cum enim sit lapis vel lignum, mentitur se esse Deum, seque opponit Deo, qui est veritas verumque numen. Ita S. Hier. Haymo, Hugo, Theodor, Theophyl. et alii. Quocirca Socrates dicebat *se malle adorare canem quam idolum*, eo quod canis cum sit opus naturae, idque vivum, dignior sit idolo, quod est opus artis, idque inanime. Idem aiebat se mirari quod, cum simulacrorum artifices id summo studio conmitterentur, ut lapis quam simillimus homini redderetur, non pariter hoc curarent, ne ipsi lapidibus similes et viderentur, et essent.

Hoc est quod ait Propheta Psal. 113. *Simulacra Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum: oculos habent, et non videbunt: aures habent, et non audient, etc. similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Diogenes teste Laertio. l. 6. solebat subinde adire simulacra, et aliquid ab eis petere. Demirantibus eum id faceret? *Ut consuescam, ait, non commoveri, si quando ab hominibus non impetro quod peto.* Idem rogatus a tyranno, e cuiusmodi aere potissimum oporteret fieri simulacra? *Ex eo, inquit, ex quo fusi sunt Harmodius et Aristogiton, innuens illa eum ipso esse tollenda, quod illi tyrannicidae fuerint.* Idem dicebat *bonos viros esse deorum simulacra.* Deorum eum sint optimi, naturae proprium est benefacere omnibus, nocere nemini. Haec imago melius reluet in sapientibus ac bonis viris, quam in stultis, eum dii sint incorporei. Fabius Hannibalis domitor, capto direptoque Tarento, scribae percunetanti quid de statu templorum statuisset? *Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos.* Ita Plutarch. in Apophth. Roman.

Secundo, ut Clarius et Arias, sicut *facere veritatem* in Script. est facere id quod officium eiusque requirit, ita *facere mendacium* est facere contra officium et debitum. Sic diabolus mendax, *in veritate*, id est, in officio, subiectione et fide quam Deo debebat, *non stetit*, Ioan. 8. 44. Sensus ergo est, q. d. Consilarii et primores Samariae transgressi sunt officium suum, fidemque quam Deo et reipubl. debebant. Debebant enim regi Iehu suadere veram religionem, verumque unius Dei cultum; at ipsi induxerunt eum in idololatriam, indeque in excidium et ruinam, tum suam, tum gentis totius et regni. Mentiebantur enim regnum Iehu stabile fore, si populum domi in cultu vitulorum contineret, ut non iret in Ierusalem. Mentiebantur, inquam: nam omne regni firmamentum est vera religio, vera fides, verus Dei cultus. Docet hoc S. August. in l. de vita, quos hoc argumentum conseripsit: ubi lib. 1. cap. 33. ait: *Scipio non censebat felicem esse rempub. stantibus moribus, ruentibus moribus, inter quos primas leveat religio et pietas.* Et l. 2. 18. enarratis vitiis quae Romam Gentilem invasere, et pene perdidere, addit eius imperium cruce Christi firmatum esse et stabilitum. Ait enim: *In ista collusione morum pessimorum, maxime venire ac subvenire debuit celestis auctoritas, quae voluntarium paupertatem, continentiam et benecolentiam, iustitiam atque concordiam, veramque pietatem persuaderet, ceterisque vitæ luminosas validasque virtutes, non tantum propter istam vitam honestis inie gerendam, nec tantum propter civitatis terrenae concordissimam societatem, verum etiam propter adipiscendam salutem sempiternam, et sempiterni cuiusdam populi celestem divinamque rempub. cui nos cives adseiscit fides, spes, charitas.* Et mox: *Deus enim sic ostendit in opulentissimo et praecelso imperio Romano, quantum valerent civiles etiam sine religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cuius rex veritas, cuius lex charitas, cuius modus eternitas.*

Tertio, aliqui vertunt, quia sibi mutuo non servant si-

dem: qui enim fidem Deo non servant, nec servant homini: quocirca ubi est hæresis, ibi pariter grassantur fraudes et doli. Castrius hoc refert ad Samaritas, qui contra fidem Achab regi datam, occiderant 70. eius filios, cum Iehu id iuberet, 4. Reg. 10. 7. Verum hos occidi insserat Deus: ergo magis ob idololatriam, quam ob hanc cædem eos per prophetam hic redarguit, præsertim quia periculum erat, ne impii parentis idola impiæ proles sequerentur. Taxat tamen quoque Propheta hanc cædem ob perfidiam, uti inferius dicam.

**ET FUR INGRESSUS EST SPOLIANS, LATRUNCULUS FORIS.** ) To et explicat mendacium, idemque valet, quod, id est, aut certe et, id est, idco, q. d. Quia Samaritæ fraudulentè et mendaciter suaserunt cultum vitulorum regi Iehu ( S. Hieron. eum aliis, uti dixi initio capitis hæc attribuit regi Ieroboam ) idcirco ipse Iehu secutus eorum fraudulenta consilia, elanculum in regni gubernacula ingressus est, ut fur, dissimulans occultam suam nequitiam et idololatriam: at ubi rerum plane potitus est, quasi latro publicè grassatus est, cogens omnes ad sua idola et nolentes spolians, vel occidens. Sic Nabuchodonosor vocatur latro Ierem. 18. v. 22. vide ibi dicta.

Secundo, sic exponas, q. d. et, id est, idcirco fures et latrones tum domestici, tum externi invadunt urbes et agros Israelitarum, eosque vastant et expilant. Nam dum in republ. eliminatur vera religio, subintrant furta, latrocinia, omniaque scelera, uti hæc in Galaad et Samariam subintrasse dixit c. præced. v. 9. ita Chald. Lyran. et Arias. Rursum, Deus in eos Syros et Assyrios, qui eos vastarent, immisit, uti dicitur 4. Reg. 10. v. 32. ita Theodor. Theoph. Dionys. et Ribera. Hi enim in libris Regum vocantur latrunculi, id est, prædones, grassatores, quos Belgæ vocant *urybuyters*. Sept. vertere solent  $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\zeta\omicron\upsilon\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\zeta\omicron\upsilon\alpha\upsilon$ , id est, unius, scilicet eximie, zonæ, q. d. excellentes bello, et qui cingulo eximio a ceteris differunt, egregieque sunt accincti et armati: ita Suidas. Hebr. enim  $\text{גִּהְדָּד}$  *gheddud*, significat accinetum et expeditum militem. Sic et olim milites vocabantur latrones, vel  $\alpha\pi\omicron\ \tau\omicron\upsilon\upsilon\ \lambda\alpha\tau\rho\upsilon\sigma\epsilon\upsilon\sigma\iota\upsilon$ , id est, a serviendo, ut vult Festus l. 10. vel a latendo, quia ex insidiis more latronum hostes adoriuntur. Nota, Iehu hic: primo, comparatur furi et latroni: secundo, v. 4. pistori succedenti furnum idololatriæ, eiusque fermento fermentanti populum: tertio columbario, seducenti et capienti columbas v. 11. quarto, areni doloso v. 16. quia evertendo Baal, videbatur idola eversurus, at mox ea restituit.

Vers. 2. **ET NE FORTE DICANT.** ) q. d. Ne cogitent et querantur me in memoriam revocare præterita parentum suorum peccata, ac propterea filios plectere ex vindicta magis, quam ex desiderio sanandi eos, enumerabo illis modernas eorum machinationes impias, quas hisce diebus coram facie mea impudenter perpetrarunt, ut eas negare vel excusare non potuerint: ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera et Arias.

Septuag. hæc referunt ad præcedentia, vertuntque, ut concinant quasi canentes in corde suo, id est, ut S. Hier. ut quasi socii consentiant eum fure et latrone: et eum eis quasi canant eandem cantilenam, vel, ut Theodor. ut videntes tantas suas clades gemant canantque threnos; non publice, ne hostis eos subsannet, vel acrius puniat, sed tacite in corde suo.

Tertio, Chald. vertit, nec interim reputant in cordibus suis, omnia ipsorum maleficia manifesta esse coram me; mox circumvenient eos opera eorum mala ( id est, vindicta et supplicia operum malorum ) quæ coram me aperta sunt. q. d. Brevi fiet, ut videant me opera eorum cognoscere et videre, eum scilicet sentiant mea verbera et flagella. Ita Vatabl.

Vers. 3. **IN MALITIA SUA LÆTIFICAVERUNT REGEM.** ) Ieroboam, ait S. Hieron. vel potius Iehu, q. d. Sua mala et impia voluntate applauserunt Iehu, eiusque principibus, deficiendo a suo rege Achab, eiusque familia regia, ac in gratiam Iehu colendo vitulos pro Baal; item perfide occidendo 70. filios Achab fidei suæ commissos, et 40. fratres

A Ochoziæ: hanc enim defectionem et perfidiam vocat mendacia. Licet enim Iehu a Deo per Prophetam unctus et creatus rex, mandante Deo, eos occidi iusserit, tamen Samaritæ ignorabant Dei iussu hæc fieri. Secreto enim unxerat propheta Iehu in regem: quocirca non Dei iussu, sed metu Iehu tyranni eos occiderunt, ideoque iniuste et perfide. Septuag. vertunt reges: non enim soli Iehu, sed et antecessoribus et successoribus eius in idololatria consenserunt. Ita solet vulgus mobile adulari regibus, et ad eorum libitum mutare fidem et religionem instar arundinis, uti hodie in Germania fieri videmus. Quam verum est illud:

*Regis ad exemplum totus componitur orbis!*

Quocirca melior esse nequit oratio, quam illa qua oratur pro regibus et principibus, tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus, ut eos prudentes et pios, et strenuos vel largiatur, vel elliciat Deus. Hoc est quod inculcat Apostol. 1. Timot. 2. v. 1. *Obscero igitur primo omnium fieri obsecrationes, etc. pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate.*

Viderunt idipsum Gentiles. Enripidis est hæc vox: *Gubernari oportet malos a bonis, et parere se melioribus: si vero impios in civitate promoveris, sursum atque deorsum vita nostra inopinato tota pervertetur.* Platonis ista: *Sutores, si pravi et perditii sint, quamquam dissimulati, nihil inde periculi civitati imminet: custodes vero legum et civitatis, si non revera sint, sed videantur tantum, urbem totam funditus perdunt.* Velleii Paterculi: *Princeps optime faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo est maior.* Neoptolemi apud Sophoclem in Philoct.

*Principibus omnia, quos penes rerum fuit*

*Summa, imputo: nam urbs a magistratu, a duce*

*Æercitus dependet: exemplo ducum*

*Peccant frequenter milites.*

Hoc est quod clamat Ecclesiast. c. 10. 2. *Secundum iudicem populi, sic et ministri eius: et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Rex insipiens perdet populum suum. Hinc Arabicus hoc loco vertit, *latati sunt reges eorum in iniquitate, et principes eorum in mendacio: et fiducia eorum sicut sues grunniunt, et sicut qui pastam conficit, et expectat eam donec fermentetur, sic erunt dies regum ipsorum; et Syrus, in malitia sua lætificaverunt reges, et in malitia sua omnes principes eorum: exarde-scent quasi clibanus ardens in decoctionem.*

**OMNES ADULTERANTES** ) Id est, omnes idololatrantes. Vers. 4.

Est metaphora a pistore furnum accedente, q. d. Israelitæ instar furui accessi æstuant libidine et ardore colendi idola. Ita S. Hier. Cyrill. Vatabl. Unde Hebr. habent, *omnes illi adulterio (idololatria) incalescunt, uti fornax succensa a pistore.* Hebræi enim coquentem vocant pistorem, uti et veteres Latini. Unde Festus Pompeius: *Cocum, ait, et pistorem apud veteres eundem fuisse accipi-mus.* Grammaticè significat libidinem et concupiscentiam adulterandi, ipso adulterii actu non extingui, sed quasi fornacem iniectis sarmentis magis accendi. Unde Saloni-us in Parab. Salom. qui extat tomo 1. Biblioth. SS. Patrum, sic explicat illud Prov. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filie, dicentes, Affer, affer; et nunquam satiantur.* Sanguisuga diabolus est qui semper sanguinem sitit, id est, ad peccata homines trahere cupit, et sitim peccandi incessanter accendit: duæ filie sunt luxuria et avaritia, quæ diaboli sitim et ardorem imitantur, dicentes, Affer, affer: quia sicut ille nunquam peccando satiatur, sic nec luxuria et avaritia. Nam quanto quisque magis luxuriatur et fornicatur, tanto amplius delectatur. Similiter quanto quisque divitias sibi accumulatur, tanto magis eas semper augmentat. Hinc et S. Gaudentius Episc. Brixiens. tempore S. Ambrosii, tom. 2. Biblioth. SS. Patrum tract. 13. ad Neophytos: *Stupri, ait, assiduitas luxuriam carnis non cohibet, sed accendit, dicente Propheta: Omnes fornicantes, velut ardens clibanus corda eorum. Prædatoris quoque rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat. Scriptum est enim: Qui amat pecuniam, non satiabitur pecu-*

*nis. Eccles. 5. Sic gulosus gula, iratus ira, superbus honore, etc. magis inflatur et accenditur. Nam:*

*Quo plus sunt potus plus sitiuntur aqua.*

**QUIEVIT PAULUM CIVITAS A COMMISTIONE FERMENTI, DONEC FERMENTARETUR TOTUM.)** q. d. Sicut pistor fermentum indit massæ farinae, ac deinde succensa fornace quiescit: mox enim fermentum quiete et tacite proscribit per totam massam, eamque suo acore inficit et fermentat: quo facto pistor in fornacem succensam massam infert, in eaque coquit panem (unde Syrus vertit, *cessabit de civitate conficiens pastam, donec fermentetur*) ita Iehu noluit vim facere populo. *Quidquid enim necessitate fit, cito solvitur, quod voluntate arripitur, perseverat,* ait S. Hieron. Iehu ergo non coegit populum ad colendos vitulos, sed permisit idololatrias sensim et occulte fermentum idololatriæ suæ per populum spargere, donec eius permissione et conniventia, imo benevolentia, totus populus hoc scelere inficeretur et corrumpere: tunc eo convocato suo decreto cultum vitulorum sanxit, quod populus avide excepit, faustaque regi acclamavit. Ita totus ab eo in clibanum succensus, id est, in impetum et ardorem, imo furorem idololatræ coniectus est, atque idololatria publica ardensque instar fornacis ab eo succensæ exarsit. Ita S. Hieron. Cyril. Albert. Hugo, Lyran. et Ribera.

Eleganter hunc Osee locum tractat Petrus Abbas Cellensis anno Domini 1181. lib. de Panibus cap. 4. in fine, tomo 8. Biblioth. SS. Patrum: *Etiā quiescens Ægyptius ab operatione exteriori, inquit, dum non animadvertit, fermentatur. Sicut pasta, non solum cum ei admiscetur fermentum, fermentatur; sed multo magis cum a commistione cessat qui commiscuit, et ipsa pasta bene cooperta quasi quiescens obdormit: sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquando tempore (forte, quia deest occasio) a malo opere cessare: eo tamen quasi acrius sævit in corde, quo non transit in opere. Unde Oseas: Paululum civitas cessavit a commistione fermenti, donec fermentaretur totum, q. d. Ut studiosius cogitatum perpetret malum, calidius pro tempore retrahit manum. Confotum enim stuparum superinjectione incendium, non dormit, sed serpit, non extinguitur, sed reficitur: sic voluntas mala, velut flamma latens, vorat tandem superpositos necessitatis, et reicit velut torrens, dilationum obices.* Unde infert: ergo Religionem professus, periculose gustat sæculi fermentum. Audit Novitius verbum sæculare, ambitiosum, illecebrosum, non movetur; sed phantasia excepit fermentum, quod in cella menti recurret, eumque ad sæculum repetendum, ad ambitionem, ad nuptias sollicitabit, et forte expugnabit. Idem videmus in pueris et puellis innocentibus.

Ad hanc Osee sententiam pertinet illud Oedipi: *Ab inquieto sæpe simulatur quies.* Sic Tropol. Hæretici, ait S. Hieron. initio quiescunt et omnia pacifica promittunt, sed occulte sua docent, itaque cancer paulatim serpit in populos. Addit S. Hieron. ex Hebræorum traditione, Iero-boam (de eo enim ipse hæc accipit, uti dixi: ego de Iehu) cum subito religionem novare non auderet metu seditionis et rebellionis, occulte quosdam submisisse qui populum excitarent, ut a rege peteret Deum domesticum, puta Lares et Penates, scilicet vitulum quem coluerant in Ægypto: id ita factum libentibus illis, sed maxime rege Iero-boam. Ergo, inquit, *similes erant clibano ardenti, parato ad coquendum si quid immittas: ardebant enim cupiditate.* Ita Elisabetha regina Angliæ, teste Sanderò de Schism. Anglic. restitutam a Maria sorore sua regina fidei Catholicam in Angliam, succedens ei primo anno regni sui subvertit, constituens magistratus hæreticos, qui in parlamento hæresim restitui peterent, imo decernerent. Politice, principes sapientes et boni hoc Iero-boam, vel Iehu consilium imitentur, sed in bono. Ita Alfonsus Aragonum rex, teste Guicciardino, cum cogitaret bellum, aut quid aliud moliretur, priusquam deliberationes animique sui cogitata intelligerentur, tacite per suos rumorem spargebat, regem his illisve de causis merito talia moliri debere. Hinc fiebat, ut magno omnium applausu et laude

**A** consilia et molimina eius probarentur, eum publice proponebantur ea, quæ iam omnium calculis, et quasi præiudiciis iusta aut necessaria habebantur.

Hebr. est hendiadys: *Quievit a civitate, a commistione,* id est, quievit rex a commistione, id est, depravatione civitatis, quod in re idem est cum eo quod vertit Noster: *quievit civitas, rege videlicet quiescente, et tacite dissimulante, a commistione,* id est, a corruptione et depravatione regis aperta. Ita Ribera. Hebr. enim מעיר מעיר, idem est quod *a civitate.* Recentiores vertunt, *ab excitando,* scilicet, quievit furnarius, ut furnum accendat, huncque dant sensum: Quibus in locis furni sunt publici, solent furnarii noctu vicatim inclamare mulieres et excitare, ut pastam subigant: quas postquam excitare quieverunt, furnum interim accendant, tandemque vehementer calefaciunt, donec fermentatam pastam et in panes conformatam ipsæ afferant, ut coquatur in furno vehementissime calido, cuius calori comparat hic Propheta ferventissimum idololatrarum studium in colendis idolis. Sunt, inquit, ut fornax a fornario accensa, quam accendere solet statim, postquam cessavit excitare mulieres subigendæ pastæ causa, quæ tantisper vehementissime æstuat, donec a mulieribus inferatur panis: ita Vatabl. et Clarius ex R. David. Hæc versio consentit eum eo quod præcessit: *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente,* illudque explicat.

Verum iuxta nostrum interpretem est hic alia similitudo, eaque valde apposita: sicut enim prius ardorem idololatræ Iehu et Israelis comparavit fornacis succensæ, ita hic comparat fermento, quod totam massam illico pervadit. Unde eadem comparatione nititur Apost. 1. Corinth. 5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* Quamquam eodem res redit, et secundus sensus primum continet et includit. Iehu ergo fuit quasi furnarius, qui fornacem idololatriæ accendit, tum permittendo vitulos aureos, tum sua conniventia excitando alios, qui fermentum idololatriæ in massam, id est, in cælum populi spargerent, qui dam totus eo infectus fuit, Iehu eam publice decreto, templo et cultu in hanc idololatriæ suæ fornacem intulit, et percexit.

Denique Pagnin. vertit, *cessavit pistor a civitate,* id est, ut Chald. vertit, *migrabunt cito a civitatibus suis.*

Allegor. Leo Castrius (licet id ipse putet esse litterale) hæc refert ad Iudæos, qui fermento iræ et superbiæ tumidi, cum plebem corrupissent, Christum cruci affigi a Pilato postularunt, et impetrarunt. Sic ait Plantus: *Mea uxor propter iram tota in fermento iacet,* id est, præ ira tumet et turget, uti fermentum elevat et tumefacit pastam.

**DIES REGIS NOSTRI.)** Et mimesis: imitatur enim et ex-<sup>Vers 5.</sup> primit vocem populi applaudentis, et congratulantis tam regi, quam diis suis, puta vitulis a rege sancitis et erectis, q. d. Populus cum iam omnino fermento idololatriæ esset corruptus, acclamavit regi Iero-boam, ait S. Hieron. vel potius regi Iehu, dicens: Hæc est dies regis nostri, scilicet regalis, læta et fausta (sic ait Psaltes: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea*) tumque et ipsi principes ceperunt furere quasi ebrii, et comessantes Dei-que obliti idola colere: tumque ipse rex **EXTENDIT MANUM SUAM** (ad calices) **CUM ILLUSORIBUS.**) Id est, cepit agere idem quod illusores iam dicti, puta principes eorumque assectæ, qui Deo, aut potius regi vanis laudibus et acclamationibus illudebant, q. d. Libenter cepit eum eis potare, illudere, scurram agere, laudare idola, spernere Deum. Ita S. Hieron. Haymo, Lyran. Ribera et alii. Vide hic, ut magis adulatio, quam hostis reges et principes perdat. Ita Mariana.

Nota. hebr. ילץ *lets*, quod Noster illusorem vertit, significat hominem superbum, irrisorem, qui omnia divina et humana irridet, plane corruptum, pestilentem, qui quasi pestis alios inficit et corrumpit, quales sæpe sunt in aulis, qui principes etiam bonos omnino immutant et depravant. Aliter Chald. Arias, Pagnin. et Vatabl. exponunt enim, q. d. Die illo quo regem inaugurarunt, cepe-

runt principes cum eo compotare, indeque iugiter vacant computationi, non reipubl. aut, ut Clarius, ægrotare eum fecerunt, propinantes ei lagenam vino plenam, ut eum assuefacerent potationi, itaque enervarent, mentemque et consilium ei adimerent, ut cum potatoribus assidue potaret, cum nugatoribus nugaretur, cum illusoribus aliis illuderet. Hebr. enim *החלה* *hechelu*, significat tam ægrotare, quam incipere. Rursum pro *חמת* *chamat*, id est, furere (est enim infinitivus a rad. *חח* *hacham*, id est, incaluit, iratus est, furit) ipsi legunt *חמת* *chemet*, id est, utrem, lagenam.

Vers. 6.

**QUIA APPLICAVERUNT QUASI CLIBANUM COR SUUM CUM INSIARIETUR EIS:** *τὸ quia* causam dat, cur Ieroboam, vel potius Iehu tam facile populum totum, puta omnes Israelitas induxerit ad cultum idolorum, scilicet vitulorum. Causa est hæc: quia Israelitæ in corde et mente erant corrupti, et libidine, id est, amore idololatriæ, æstuabant: unde cum rex Iehu insidiaretur eis, ut eos pelliceret ad idololatriam, ipsi ei mox applauserunt, corque suum quasi clibanum idololatria æstuantem aperuerunt et applicuerunt, ideoque totius populi communi consensu et decreto vitulorum cultus receptus, sancitus et stabilitus est. Quocirca rex Iehu prius anxius et timens, ne aliqui ex populo voluntati et idololatriæ suæ resisterent, cognita populi mente et consensu dormivit, id est, securus fuit instar hominis qui tota nocte dormit, **COQUENS EOS**, id est, permittens eos per se coqui, hoc est, fermentari plane, inasamque impietatis efficere: unde sicut pistor per noctem fermentata massa, mane eam iafert in furnum, quem eadem nocte calefecit, quemque rursum eodem mane extremo igne et flamma calefacit; ita Iehu populum in idololatriæ furnum consentientem et volentem iniicit; imo **MANE IPSE SUCCENSUS QUASI IGNIS FLAMMÆ**. q. d. Ipse Iehu non tantum quasi pistor flammam idololatriæ, qua idololatrias percoqueret, succendit; sed et quasi conversus in ipsam flammam, inflammavit omnes Israelitas. Quocirca hæc flamma **OMNES CALEFACTI SUNT QUASI CLIBANUM**

Vers. 7.

suum ardore, quo iustar ignis **DEVORAVERUNT IUDICES SUOS**, alliciendo et cogendo eos, ut et ipsi furentem populum sequerentur, cum eoque idola colerent, imo suo decreto colenda præciperent: hinc et **OMNES REGES EORUM**, qui Ieroboam, aut potius Iehu secuti sunt, in eundem impietatis furnum **CECIDERUNT**.) Ita S. Hieron. Albert. Haymo, Hugo, et Lyran. Nota Amor ardens vocatur ignis, et clibanus succensus: quia amor ciet motum cordis vehementem, qui causat calorem in homine, imo fervorem et æstum. Unde Iob. 31. dicitur: *Ignis est usque ad perditionem devorans*. Et istud Sapientis: *Qui non zelat, non amat*.

Amor est ignis et ardor.

Quocirca Epictetus rogatus ab Adriano Imper. *Quid est amor?* respondit: *Otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in femina furor, in iuvene ardor, in senè risus*. Cur Venus Vulcanò nupta dicitur? *Ut ostendat amorem ardore incendi*. Hinc Virgil. de Didone amante Æneam Æneid. 4. *Et exco carpitur igne. Uritur infelix Dido. Ardet amans Dido*. Et alibi:

*Est mollis flamma medullas*

*Interea, et tacito vivit sub pectore vulnus.*

Porro amor, quia ignis est et calor, hinc emollit et liquefacit partes corporis: et quia eo calore resolvuntur spiritus vitales et animales, adiuvante ad eam resolutionem et consumptionem vehementi cogitatione, quæ fixa est in remata; hinc ex amore vehementi sequitur deliquium et languor totiusque corporis infirmitas: ad quam iuvat tristitia, et ægritudo animi de absentia rei amata. Vide Richardum de S. Victore lib. de Gradibus charitatis cap. 4. et lib. de Gradibus violentæ charitatis, ubi fuse explicat, quomodo amor vulneret, liget, liquefaciat, deliquium et languorem adducat. Hos amoris æstus et effectus sentiebat sponsa, dicens Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore languo*. Et c. 8. 6. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum*.

Secundo, Chald. et alii hanc flammam censent esse insidiarum, iniuriæ et violentiæ in proximos, quæ ex flam-

ma idololatriæ proserpere et exoriri solet. Chald. enim sic vertit, *instar clibanum ardet cor eorum in insidiis suis: tota nocte protrahitur furor eorum, usque mane æstuat in morem ignis flammigeri*, q. d. Uti pistor nocte succenso furno dormit usque mane, tumque rursum ignem furni suscitatur et auget, quo furnus succensus novas et scintillantes evomit flammæ: ita Israelitæ noctu quiescunt, cogitantes et meditantes modos insidiandi et nocendi proximo, usque mane; tum enim quisque surgit, ut quasi ignis succensus insidias et noxas noctu meditatas in proximum evomat, et opere consummet: quocirca Israelitæ *omnes calefacti sunt* hæc malignitate quasi clibanus, ut regi Iehu placerent, ideoque *devoraverunt*, id est occiderunt, *iudices suos*; et *omnes reges*, id est 70. filii Achab regis eorum, manu ipsorum cæsi *ceciderunt*: non est qui elamet in eis ad me, q. d. Nullum eis spatium dederunt ante mortem convertendi se ad Dominum, eumque invocandi, sed subito omnes trucidarunt, itaque tam animas quam corpora eorum perdidit. Ita Theodor. Theophyl. Arias et Vatabl.

**Tropol. rex impius, qualis fuit Ieroboam, est pistor caecodæmonis; regi enim omnes subditi applicant cor suum quasi clibanum succendendum; videat rex quem ignem iniicit, caelestemne divini amoris, an tartareum vitiorum. Rex impius tartareum iniicit, eoque panes suavissimos, id est peccata, coquit caecodæmoni, qui parem illi gratiam referet: nam in inferno clibanum ei succendet, quo in æternum ardeat.** Ita Sebast. Barrad. l. 9. c. 12. Concord. Evang.

**EPHRAIM IN POPULIS IPSE COMMISCEBATUR.**) Dat causam tantorum scelerum, q. d. Causa cur Ephraim, id est, Israel succensus fuerit ut fornax impietatis, est, quod fœdus et amicitiam inierit cum vicinis populis et gentibus, cum iisque conversans eorum impietatem et scelera imbibit, iuxta illud Ps. 103. 33. *Commisti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum*, etc. ita Theodor. Vatabl. et Arias.

Vers. 8.

**EPHRAIM FACTUS EST SUBCINERICIUS PANIS, QUI NON REVERSATUR.**) q. d. Sicut pasta quæ sub cineribus iuxta ignem coquitur, si non vertatur, insensibiliter exurit et consumitur, ita et Israel in cineribus et sordibus idololatriæ manens, nec per pœnitentiam se convertens ad Deum, exuret ab hostibus. Nam *comederunt alieni robur eius, et ipse nescivit*, q. d. Assyrii paulatim vires Israelis atterent, eumque expilabunt, quod tamen ipse non advertet, puta se in ruinam et exitium tendere, seque a Deo puniri ob eum derelictum pro cultum vitulorum. Ita Cyrill. Theodor. et Theophyl. Vel *nescivit*, id est, non sapuit, non respuit. Unde Chald. vertit, *similis est domus Ephraim subcinericio panis, qui antequam versetur comeditur*, vel a famelico, vel potius ab igne quo coquitur; *diriperunt populi substantias eorum*.

Nota. In pane subcinericio multas notat Israelis conditiones. Primo, pertinaciam, scilicet eum cinere, id est, sordibus, undique esse circumdatum, in iisque perdurare, nec ab iis recedere et reverti ad Deum, etiam dum ab eo igne tribulationis excoquitur. Ita S. Hieronym. Cyrill. Theodor. et Theophyl. Unde tropol. S. Gregor. l. 32. Moral. 7. *Factus est, ait, Ephraim quasi panis subcinericus qui non reversatur. Ex natura quippe bene condita est nobis intentio, quæ surgat in Deum, sed ex conversatione nequiter assueti inest voluptas, quæ præsens premit in sæculum. Panis autem subcinericus ex ea parte mundior est, quam inferius occultat; atque ex ea parte sordidior, qua desuper cinerem portat. Quisquis ergo intentionem qua Deum debuisset querere, negligit, quasi more panis subcinericii mundiore partem inferius premit: et cum curas sæculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat.* Et lib. 11. c. 6. *Si terrenarum cogitationum cinerem a mente excutimus, quasi panem subcinericium reversamus.*

Israel subcinericus panis, cur?

Secundo, celerem vindictam et exitium: panis enim sub cinere coquitur, non in furno, a pauperibus et famentibus, ut statim ab eis comedatur; rursum panis ille si non ver-

Tropol.

tatur, mox exurit: sic et Israel statim ab Assyriis devoratur et exustus est. Ita Chald. Albert. et Vatabl.

Tertio, imprudentiam, quod scilicet Israel in cupidinibus suis sordidis et exitiosis residens, non verterit se in alteram partem, ut videret clades et exitium ob illas sibi imminens. Ita Clarius. Cupiditates enim et peccata sunt instar panis subiciuericij, qui duas habet facies, siue superficies; inferiori, qua terræ; superiori, qua igni et cineribus adhaeret: ita peccati facies inferior est voluptas terrena, quam intuetur et arripit peccator; superior est cinis, id est mors et ignis, hoc est pœna et gehenna quæ voluptatem peccati certo quasi a tergo sequitur, eique connexa est: hanc non intuetur peccator: unde ab ea imprudens et incautus, eum minime putat, comprehenditur et exurit. Quocirca Syrus vertit, *Ephraim factus est placenta parvuli, decocta est, comesta est*, q. d. Mox ut facta et cocta, comesta quoque est. Sic enim pueri placentiam mox ut cocta est, comedunt. Arabicus Alexand. *Ephraim factus velut locus combustus, et ipse non mutatur*; Arabicus Antioch. *Ephraim erat succensus, non revertens*.

Vers. 9. **COMEDERUNT ALIENI (Assyrii) ROBUR EIUS.** Robur, id est, fruges et opes eum roborantes: panis enim cor hominis confirmat, Psal. 103. 15. Mystice, alieni sunt demones, qui vires animæ, suggerendo cupiditates, enervant, eo non advertente. Unde ait: *Et ipse nescivit, adversarios amicos putans, et devoratores suos arbitrans esse convivias*; ait S. Hieron. Sic et S. Greg. 34. Moral. cap. 3. Quocirca recte S. Bern. serm. 2. de Quadrag. id adaptat Religioso, qui in exteriora cor effundit, itaque eius robur spirituale dissipat et perdit: *Miser, ait, homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, et ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse eum nihil sit, ipse se seducit. Sicut aqua effusus sum (ait Psalmista in persona hominis) et dispersa sunt omnia ossa mea. Et alius quidam Propheta: Comederunt, inquit, alieni robur eius, et ignoravit. Exteriori quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspiciatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, ieiuniorum regula custoditur, statulis psallitur horis; sed cor longe est a me, dicit Dominus. Attende solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut contristeris; et sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum.*

**SED ET CANI EFFUSI SUNT IN EO**, q. d. Iam Israel captivitati et excidio proximus est, uti homo senex et canus morti: Israel canescit, senescit, tendit ad interitum. Est catachresis. **ET IPSE IGNORAVIT.** Se excidio proximum, multo magis ignoravit se ob derelictum Deum, et ob idola exscindendum. Ita S. Hieron. Aliter Haymo, Hugo et Lyran. q. d. Israel pervenit ad canitiam, mortem et excidium: itaque tunc cœpit sapere, et agnoscere suam culpam causamque excidii. Nemo enim tam insipiens est, qui non in morte sapiat. Sic Ptolemæus, ut habetur in eius vita prefixa Almagesto, dicere solebat: *Ultimæ promissiones hominis canis sunt*, id est, sapientes, seriæ, æque ac seræ et ultimæ. Verum cum hac explicatione non recte coheret *et ipse ignoravit*.

Tropol. S. Hieron. hæc referens ad hæreticos, aliosque impios: *Comederunt, ait, alieni, id est, demones, robur eius; sed et cani effusi sunt in eo, imo effloruerunt, id est, multo erravit tempore, et nihilominus ignoravit senectutem et vetustatem suam, de qua scriptum est Hebr. 4. Quod veteratur et senescit prope exterminium est. Et si ad iustum virum, et ad Ecclesiasticum dicitur Sapient. 4. Cani hominis sapientia eius; quare non dicatur ad iniquum et hæreticum, Cani hominis stultitia eius? De hac senectute Daniel dicebat ad presbyterum: Inveterate dierum malorum. Unde et in libro Pastoris (si cui tamen placet illius recipere lectionem) Hermix primum videtur Ecclesia cano cupite: deinde adolescentula et sponsa erinibus atornata.*

Apposite ergo hæc Osee verba Pelagio hæresiarchæ seni, et inveterato malorum dierum, cum iam ipse hæresin, antea occultatam delegeret, ac instar Cain vagabundus

eamdem per Ægypti monasteria spargeret, adaptat et intorquet B. Isidorus Pelusiota, scribens ad eum sub annum Domini 405. lib. 1. epist. 314. *Cani, ait, effusi sunt in Ephraim, et ipse ignoravit, vitiosus nimirum affectibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque ingens amorum turba eanitiem invexit, et tamen rigidum et inflexum unimum habes, ex alio monasterio in aliud migrans, atque omnium mensas perscrutans et explorans.*

**ET HUMILIADITUR SUPERBIA ISRAEL IN FACIE EIUS.** Hebr. Vers. 10. *respondet ergo fastus Israelis ei in faciem*, id est, testificabitur contra eum palam et aperte, quod scilicet iuste ob superbiam deprimitur et evertatur. Vide dicta c. 5. 7.

**ET FACTUS EST EPHRAIM QUASI COLUMBA SEDUCTA NON HABENS COR.** Cor, id est, mentem, sensum, prudentiam. Simile adagium est apud Suidam, *Columba sedens*: hæc enim simplex, facile seducitur et capitur vel a milvo, vel ab aucupe. Pro *seducta* hebr. est, פֹּתָה *potu*, id est, flexilis, facilis, seductilis; Septuag. *αργε*, id est, insipiens, amens, uti legit Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 137. Aquila et Symmach. *decepta*; Leo Hebræus, *stolida*, quæ scilicet facile se sinit capi et decipi, quia simplex et carens corde, id est, intelligentia et sagacitate: rursus corde, id est, cordato animo et memoria. Unde Syrus vertit, *factus est Ephraim quasi columba puella* (parvæ ætatis, ideoque ignara, inexperta et seductilis) *cui non est cor*, animus, animique fortitudo; Arabicus Alexand. *factus est Ephraim ut aves insipientes, et non est illi intelligentia*; Arabicus Antioch. *factus est Ephraim sicut columba, non habens intellectum, neque cor*.

Nam primo, columba eum singulis mensibus ova pariat et pullos excludat, videatque singulos e columbario et nido continue auferri, ad eum tamen obliviosa et stolida iterum iterumque, et milies redit: ibique rursus ova fovet, pullos excludit, qui iterum auferantur. Secus faciunt aliæ aves, quæ ovis aut pullis sublatis aufugiunt, nidumque mutant: ita Israel licet videret se spoliari, suasque proles capi nunc a Phul, nunc a Teglatphalasar, nunc a Sal-

manasar regibus Assyriorum, tamen identidem ad Assyrios recurtebat opem postulans. Nota, Aristot. lib. de Generat. et part. animalium docet, nec columbam, nec ullum animal quod sanguinem habeat, posse vivere sine corde: cor hic ergo non physice, sed symbolice accipiendum pro sensu et sapientia, quæ præ reliquis avibus caret columbæ. Id maxime verum est in columbis Syriæ, quæ ita nidum et columbarium suum adamant, ut etiamsi per centum milliaria et amplius ab eo abducantur, et in peregrina ignotaque regione constituantur, tamen vel ex odoratu, vel ex sagacitate et instinctu naturæ cognoscentes ubi sit suum columbarium, si libere ex alto volare sinantur, mox ad illud directe paucis horis contento volatu revolent: unde Syri columbis pro nunciis et veredaris utuntur, uti oculati testes mihi retulerunt, de quo plura c. 11. v. 11. Tales erant Israelitæ in Syria, qui opes suas in idola stolidè profundeabant, quin et filios proprios idolo Moloch comburendos quasi insani tradebant, atque ob hæc vastabantur ab Assyriis: ipsi tamen spoliati opibus et orbati filiis, sine ullo quasi doloris aut dispendii sensu redibant ad sua idola, æque ac ad Assyrios, eorumque opem et amicitiam ambiebant, quod æque veors et stultum erat, ac si quis lupo ovem aut prolem committeret. Erat ergo Israel excors, ingens sine medulla pepo, et eucurbita. Ita S. Hieron. Chald. Theodor. Theophyl. Hugo, Arias, Ribera, Mariana et alii.

Secundo, columba est veors et excors, quia ut ait Arias, eum reliquæ aves retia caveant et aucupem fugiant, columba tamen adeo stupida est, ut propter obiectam escam, præsertim tempore nivis, sponte in retia incurrat: mox enim ut videt abeuntem eum qui retia tendit, in illa ad escam devolat. Rursum S. Basil. epistol. 175. ad Julittam: *Ars, ait, quædam est aucupandi columbas, videlicet talis: ubi unam ceperunt qui capiendis illis student, cicerem illam reddunt, et ad humanum convictum assuefaciunt. Deinde unguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus; illa vero per unguenti fragrantiam*

agrestem illum ac liberi passus gregem, ad possessionem A transfert eius cuius ipsa domestica est. Bene olentes autem sequuntur et reliquæ, atque ita in potestatem columbarii veniunt. Prudentius quoque in Hamartigenia lueulenter omnes modos enumerans, quibus ab aucupibus columbæ decipiuntur, ostendit totidem fere illusionibus hominum animas a dæmone in tartara detrudi. Hinc et Christus Matth. 10. 16. monet; ut simplicitatem columbæ cum serpentis prudentia copulemus, eaque illam acuamus et custodiamus, ut scilicet ita simus simplices, ne aliis noceamus; sed et prudentes, ne aliorum insidiis capiamur: prudentia enim sine simplicitate, calliditas est: simplicitas sine prudentia, stultitia est. Hinc Prudentius Evam a serpente deceptam columbæ comparat:

*Eva columba fuit tum candida, nigra deinde*

*Facta per animum malesuada fraude venenum.*

Insuper columba domestica a columbis alterius columbarii, sibiloque aucupis illecta, in illud sponte se infert. seque capi permittit. Denique solent aucupes exoculatam columbam in reti ponere, quæ subsultans et in reti ludens, coque se illaqueans, ad idem cæteras columbas alliciat. Ea Græcis πάλυρρα, teste Suida, dicitur a πάλυρρα, quod est seducere, seu in laqueum inducere. Unde Aristophan. in Avibus loquens de columbis, ait: *Et cogit paleutriam agere (columbas) alligatas in reti.* Similes paleutrias anates vidi in Belgio, quæ in lacubus et paludibus iungentes se anatibus silvestribus, eas abducebant in retia, magna herorum voluptate et quæstu. Ita Israelitæ sponte in laqueos et aucupes, puta in Assyrios et Ægyptios incurrebant, se suaque illis dedebant, hostesque suos æstimabant amicos. Hoc est quod explicans subdit Osee: *Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum, et quasi volucrem cæli detraham eos.* Id maxime verum fuit in Osce ultimo rege Israel: hic enim cum esset tributarius Salmanasar regis Assyriorum potentissimi, stolide rebellavit, ac contra eum imploravit opem Sua regis Ægypti: quare indignus Salmanasar, Samariam cum rege et regno evertit, 4. Reg. 18. 10.

Moraliter, tales sunt qui occasiones peccatorum, v. g. societatem puellarum, aut pravorum sociorum non vitant, imo ambiunt, unde corrunt in peccata et gehennam. Quid stolidius quam sponte Assyrio, id est, dæmoni, se dedere, quam sponte in ruinam æternam se præcipitare? Ita Theoph. Vere S. August. 1. 4. Confess. 13. *Quid est miserius misero non miserante seipsum?* Sapienter monet S. Ephrem ode in eos qui assidue peccant et raro pœnitent, tom. 1. *Fuge, ait, scorpionem, cuius nosti stimulum: fuge serpentem, cuius exploratam habes perniciem. Qui secundo in eundem impigerit lapidem, cæcus est aut mente captus.*

III. Tertio, columba notat ingratum erga bene de se meritum. Nam mas ubi robustior evaserit, ex consortio matris patrem expellit: itaque ei connubio iungitur, ait Horus hierogl. 34. et Aldrovandus in columba pag. 418. Sic Israel ingratus fuit Deo optime de se merito, eumque expulit e thoro matris suæ, puta Synagogæ, quam sua idololatria constupravit, et conspurcavit.

IV. Quarto, columba est vecors; quia, ut docet Plinius lib. 10. c. 36. et ex eo Sanchez, sibi in colorum varietate mire placet, unde ut eam columbæ in pennis suis alisque ostendent, inani quadam iactantia eas inter se collidunt et implicant, ut resonent strepitumque edant. Ad strepitum excitantur accipitres, qui advolant, easque impliculis alis volare non potentes, facile capiunt. Ita dum vanæ gloriæ, suæque pulchritudini indulgent, ultro sibi mortem adseiscunt: sic et Israel sua superbia, iactando suas opes, suæque terræ fertilitatem et amœnitatem, illexit Assyrios ad eam invadendam et capiendam. Sic et hodie multis venustas et ostentatio est causa ruinæ et interitus. Vere Poeta:

*Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet*

*Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque.*

Denique Israellem imprudentem comparat columbæ se-

ductæ et insipienti, quia est et columba sapiens, de qua dicitur: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* etc. *cuius pennæ deargentatæ, et posteriora dorsi eius in pallore auri,* Psal. 67. ita S. Hieron.

Symbolice, cor est bulla pectoris, et bulla est cordis symbolum. Bullam enim gestabant nobiles in pectore, ut eam insipientes se homines et rationales cogitarent, si corde et mente excellenter. Rursum cor arcano sermone notat consilium, ait Pierius hierogl. 34. et vicissim bulla Macrobio dicitur *απο τας βουλας*, id est, consilio: tam ergo bulla, quam cor symbolum est, monitor, indexque consilii. Hinc Salomon orat 3. Regum 3. 9. *Dabis servo tuo cor docile*, id est, sapiens plenumque consilio, *ut populum tuum iudicare possit.* Ex adverso earent corde principes et subditi, qui sine ratione et consilio regunt aut reguntur, qui non animadvertunt quid eligant, quid faciant, quem finem sit res habitura, in quas difficultates et ærumnas se coniciant; sed temere obiecta voluptatis, opum aut honorum esca, eam invadunt eum iactura vitæ, status et animæ. Sic Iudæis ait Ierem. c. 5. 21. *Audi popule stulte qui non habes cor.* Et Sapiens Prov. 6. 32. *Qui autem adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam.* Et c. 11. 12. *Qui despicit amicum, indigens corde est.* Et c. 10. 13. *Virga in dorso eius qui indiget corde.* Sic Plautus ait de muliere: *Cui pectus sapiat; nam cor non potest:* quia nullum habet. Sic Tertul. l. 4. c. 10. contra Marcionem ait, eum nec cor, nec cerebrum habere.

Videtur ergo peccator, qui stulte et imprudenter parva præ magnis, caduca præ solidis, momentanea præ æternis ambit et amplectitur, non habere cor; quia illud ei eripuit Plutus, Venus, fastus, etc. Exempla ad litteram illustria suppetunt. Narrat ex Prospero Gabriel Inehino Canon. Eccles. Lateran. serm. 1. de puritate cordis, rem miram de divite avaro; qui cum mortuus esset, hæredes aperuerunt corpus, ac singula lustrantes, non invenerunt cor: quod undeque requirentes, tandem in cumulo nummorum eius aureorum reconditum et sepultum invenerunt: quin et dæmonem specie draconis cordi assidentem, illudque diserpentem viderunt, eumque sibi dicentem audierunt: *Hoc aurum et argentum est pretium cordis, quod mihi vendidit amicus vester, ideoque iure meum est, eoque pro arbitrato uti possum.* Simile est quod in Vita S. Antonii de Padua legimus: cum enim ipse orationem funebrem haberet in funere divitis cuiusdam avari, urgeturque verba Christi: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, entusiasmo actus: Inspicite, ait, mortui thesaurum, videbitis quam hoc Christi dictum sit verum: ibi cor divitis invenietis, quare illud in eo quæsiverunt, et invenerunt.

Eleganter verbisque nervosis docet S. Bern. lib. de Natura et dignitate amoris c. 1. impios et carnales non habere cor hominis, illudque in ventrem eorum diffluisse, et mutatum esse in brutum. Applicans enim eis illud Ps. 21. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei*, subdit: *In angusta quippe corporis parte cor locatum est, ubi quasi medium superiorum sensuum arcem, et corporis inferioris sicut populi humilioris, quasi quandam reget et dispensaret remp. totamque circumquaque cogitatum et actionum regionem; sed ad concupiscentiæ carnalis ignem degeneri quadam molliori liquescens. totum diffluit in ventrem, et in medium ventris, videlicet non sapiens, nisi ea quæ ventris sunt, et de ventre in ventris inferiora omnia confundens, omnia degenerans, omnia adulterans, amoris naturalem affectum pervertens in brutum quemdam carnis appetitum; non solum quæ non licet appetentem, cum contumeliis corporis in passionibus ignominie, sed adeo oblitum suæ antiquæ generositatis, ut qui creatus erat Deo soli, a corruptis et corruptoribus suis æstimetur esse potius luxuriæ naturalis domicilium, et vitiorum omnium prostibulum. Infelices qui tantum natura reclamante sibi viluerunt, ut animæ suæ locum, qui proprius Dei creatoris erat, et nulli creaturæ communicabilis, sedem Satanæ, sedem spurciliarum et omnis immunditiæ constituerent.*



Vers. 11. **ÆGYPTUM INVOCABANT, AD ASSYRIOS ABIERUNT, q. d.** A  
 et 12. Nunc Ægyptiorum, nunc Assyriorum opem invocare solent  
 Israhelitæ. Unde mox de more rursus eam invocabunt: **ET CUM PROPECTI FUERINT, EXPANDAM SUPER EOS RETE MEAM.** Ut ab Assyriis reti quasi capiantur, a quibus opem sperabant, patet 4. Reg. 15. 29. et cap. 17. 24. ita Theod. Rete vocat exercitum Assyriorum. Hinc Secundo, q. d. Cum Osee opem Sua regis Ægypti invocabit, *abierunt*, id est, abibunt et captivi ducentur Israhelitæ, ad Assyrios. Ita S. Hieron. Unde sic τὸ *abierunt* non respondet τὸ *cum propecti fuerint expandam super eos rete*. Nam hoc sensu rete expansum erat a Deo, antequam abirent et profiscerentur in Assyriam, quia hoc reti capti et abducti sunt.

Tropol. Ægyptios et Assyrios invocant, qui non Dei, sed hominum favorem ambiunt, iis adulantur, dant munera, ut præbendam, vel statum ad quem aspirant assequantur, sed Deus super eos expandit rete, puta fastidia, molestias, æmulationes, ignominias, morbos, mortem, etc. quibus illaqueantur, et misere vivunt, et contabescunt.

**QUASI VOLUCREM CÆLI DETRAHAM EOS** ) q. d. Detrahā Israelitas ex altissima et munitissima urbe Samariæ (hæc enim ædificata erat in monte Somer, indeque vocata est Samaria 4. Reg. 16. 24.) quam dabo expugnandam et vastandam Assyriis, perinde ac aves arte aucupum, puta per immissos falcones, ex altissimis arboribus detrahuntur, capiuntur et occiduntur.

**SECUNDUM AUDITIONEM.** ) q. d. Sicut olim audivit et monitus est Israel a Mose Deuter. cap. 27. et 28. scilicet se puniendum a Deo, si ab eo deflecteret ad deos Gentium, ita nunc ab eo punietur et cædetur. Ita Vatabl. Clarius et a Castro. Aliter alii, q. d. Sicut totus eorum cætas auditus est inelamare et poscere opem deorum et Gentium, ita totum pariter cædam et plectam. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo et Lyran.

Vers. 15. **EGO REDEM EOS, liberavi eos tum ex Ægypto, tum ab aliis hostibus, puta Madianitis per Gedonem, Philisthæis per Samsonem, Ammonitis per Iephte, etc. ET IPSI LOCUTI SUNT CONTRA ME MENDACIUM.** ) q. d. Ipsi tamen hanc redemptionem non mihi, sed vel idolis, vel aliis Gentibus mendaciter ascripserunt, mentiti sunt quod dii Gentium eos salvassent, non ego. Ita S. Hieron. Chald. Theodor. Cyril. Vatabl. et alii. Sic Hebræi educti ex Ægypto eum Moses abesset, acciperetque legem a Deo in Sina, fabricarunt sibi vitulum, puta Apin, eique acclamarunt: *Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, Exodi 32. 8.

Vers. 14. **ULULABANT.** ) q. d. Israhelitæ ululabant præ miseriis et ærumnis, puta præ defectu tritici et vini, præ fame, siti, etc. nescientes aliud quam gemere et plorare, nec memores tunc opem meam esse implorandam. Ita Arias, Ribera et a Castro. Secundo, S. Hieron. Theophyl. Hugo et alii, q. d. Ululabant more Gentilium bæchanium aut furentium, qui ululatu et horrendis clamoribus deorum opem exposcent, putantes quod iis aures deorum ferient et pertulderent, uti fit apud homines.

**SUPER TRITICUM ET VINUM RUMINABANT.** ) Non dieit, Comedebant, sed *ruminabant*, ut eos similes bestiis ostenderet, ait S. Hieron. quæ non faciunt aliud quam comedere et ruminare, id est, cibum comestum in os regerere, rursusque mandere, itaque iugiter cibum ex ore in stomachum, et ex stomacho in os mittere et remittere, q. d. Non aliud cogitant, non aliud somniant, quam cesas et ventrem, modumque ea comparandi, ob hoc plorant, ob hoc ululant, dicentes cum patribus suis: *Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piseium quos comedebamus in Ægypto: in mentem nobis veniunt eucumeres et pepones*, Numer. 11. 4. De cætero non cogitant a quo ea petere, aut si eis donentur, cui gratias agere debeant: quia *recesserunt a me*. Hinc omnia tribuunt fortunæ, aut diis suis, non meæ providentiæ. Ita Vatabl. Clarius et Arias.

Aliter S. Hieron. et Chald. q. d. Præ copia tritici et vini, quæ ruminant quasi bestię, recalcitrarunt et recesserunt

a me. Verum quia ululabant præ fame, hinc potius inopia laborabant, quam copia. Pro *ruminabant*, hebr. est, יתגררו *ilgoraru*, quod recentiores vertunt, conveniebant, congregabant se; Septuag. vero, *concedebant se*, scilicet cultris ad placandos deos, ut ab iis impetrarent triticum et vinum. Sic enim fecerunt sacerdotes Baal ad eliciendum ignem e caelo, 3. Regum 18. v. 28. ita Cyril. et Theophyl. qui addit: Virilia sibi amputabant, ut sanctis diis ministrarent, ut faciebant cultores Rhee matris. Noster optime vertit, *ruminabant*, quia hoc recte significat gulam Hebræorum, ob quam murmurare et ululare solebant: et *ilgoraru* id proprie significat. Nam גרון *garon* est guttur, inde גור *gorer* idem est quod gargarizo, guttur mulco, vel prolo, uti Philoxenus, teste Aristol. in Ethicis, optabat sibi guttur gruis, ut diutius cibi potusque voluptatem et delicias sentiret. Et Alcivius hoc dat emblema gulosi:

*Gurgulione gruis, tumida vir pingitur alvo,*

*Qui larum, aut manibus gestet onocrotalum.*

**Ita Forsterus, Marinus, et passim Hebræi in Lexicis, docent quod גרה *ghera* significat pabulum præmansum, quod animal ex imo trahit et denuo ruminat, q. d. Trahenda, seu rumen, radix enim *gor*, vel *gorer*, vel *gacha*, significat trahere, attrahere, quod in bestiis rumen gomo et ore est ruminare, indeque deducitur *garon*, et גרגרה *garghera*, id est, guttur, gurgulio, eo quod gutture trahitur et retrahitur eibus æque ac halitus, instar serræ, quæ proinde ab eadem radice a continuo tractu et retractu hebr. dicitur מגרה *meghera*, q. d. traha: gulonibus enim terra, æque ac horologium, est gula et venter.**

**ET EGO ERUDIVI EOS, docui eos legem viamque salutis per Mosem. Secundo, erudivi, id est, reprehendi et castigavi pravos eorum mores per Prophetas: hoc enim significat Hebræum יסרת *issarti*. Ita Leo Hebræus. Tertio, Arias, erudivi, inquit, id est, instar medici dedi doque eis sana consilia et remedia. Quarto, erudivi eos ad bellum, puta constrinxi et accinxi eos gladio, inquit Vatabl, sequitur enim: *Et confortavi brachia eorum*, ut hostes suos debellarent. Sic ait David Psal. 143. 1. *Qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum*. Erudivi ergo eos, et roboravi tot tantisque modis; **ET, id est, at, IPSI IN ME COGITAVERUNT MALITIAM.** ) Ut mihi rebellent, ac deos Gentium sequerentur et colerent.**

**REVERSIS SUNT, ad pristinum suum ingenium, pravamque indolem et mores, UT ESSENT ABSQUE IUGO.** ) Ut scilicet essent filii Belial, effrænes, exleges, rebelles, qui omne legis Dei que iugum, quasi vacca indomitæ, exeunt. Unde Chald. vertit, *aversi sunt ut deficerent a lege*. Legit interpres cum Chaldæo על *ol*, id est, iugum, iam legunt על *al*, quod Rabbin, Vatabl. Pagnin. et Clarius vertunt, excelsus, altissimus, a rad. עלה *ala*, id est, ascendit in altum. Vertunt ergo, *revertuntur, at non ad Altissimum*, sed ad vitulos aureos. Videtur notare Iehu, qui cum everlisset Baal, videreturque Deum verum culturus, mox rediit ad vomitum, iterumque cultum vitulorum, quos Ieroboam erexerat, restituit. Sept. vertunt, *reversi sunt in vanum*, id est ad idola. Tropol. ad vanas opes et honores sæculi. Allegor. Christus eruditit Iudæos, sed ipsi ab eo aversi, eius legem exeusserunt, et sagittis linguæ suæ eum confixerunt, clamantes: *Crucifige, crucifige eum*: ita ex Cyrillo Leo Castrinus.

**FACTI SUNT QUASI ARCUS DOLOSUS.** ) Qui scilicet, eum suam sagittam mittere et iaculari videatur in unam partem, in quam a iaculante dirigitur, eam divertit, et in aliam partem, imo in ipsum iaculantem, eam reflectit et retorquet, vel ex se, vel quia collimat et iaculatur in materiam duram, aut validam, quæ missam sagittam resiliere facit in iacientem, uti accidit militibus Eugenii tyranini, pugnantibus contra Theodosium Imper. quod miraculum ita celebrat Claudianus in eius Panegyry.

*Te propter gelidis Aquilo de monte procellis*

*Obruit adversas acies, revolutaque tela*

*Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.*

Pari modo Israel et Iehu, cum a me dirigeretur ad exi-

Arcus do-  
 losus  
 quis?

dium Baal et idolorum, reflexus est in me, meumque cultum excidit, et statuit aras vitulorum, easque suo arcu propugnavit. Proprie *arcus dolosus*, sive pravus, distortus et obliquus est, qui inter iaculandum alio mox vertitur (vel a vastro iaculatore, vel ob fabricam arcus ita compositam, vel casu, vel ob defectum arcus) quam in directum quo tenditur et respicit, siveque alium, vel etiam ipsum iaculantem nec opinantem, dimissa ferit sagitta. Unde Illyrica versio Psalm. 77. 57. habet: *Converterunt se in arcum inversum*, quales arcus arte fiunt, in quibus semicirculus eum sagitta in adversam partem levi ferri motu reflectitur, inseiumque iaculantem configit. Ita Fenella Kermethum regem Scotorum occidit, porrigens ei pomum aureum, ita fabrefactum, ut quicumque illud tetigisset, statim multis telis e pomo prosilientibus transfigeretur, uti narrat Cardan. 1. 12. de Rerum variet. c. 56.

*Arcus dolosus*, ait S. Hieron. *est qui percutit dirigentem, et vulnerat dominum*. Ita Israel qui contra Gentes, earumque deos se armare debebat, adversus se suumque Deum armatus est. Seipsum enim lædit, qui Deum offendit. Unde tropologicæ S. Gregor. 27. Moral. 27. Converterit, ait, in arcum pravum arrogans doctor, quia dum contra elationem verba facit, in seipso sagittas figit, sicut arcus perversus ipsum a quo iatenditur, percutit, quod vulgo dicitur, *Cornicum oculos configere*. Addit S. Cyrill. Deus, ait, tetendit Israel, pugnans cum tyrannide diaboli, quasi proprium arcum adversus idololatriam, quæ universum mundum occupaverat: verum ipsi conversi sunt in contrarium, scilicet in Dei contumeliam et contemptum, ait Rufinus. Alludit ad Psalm. 77. 9. *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli*: et ad arcum Iehu, quo dolose occidit Ioram regem Israel, clamantem, *Insidie Ochozia*, 4. Reg. 9. 23.

Rursum Israel est arcus dolosus, quia alio mittit sagittas fiducia et orationis suæ, scilicet ad idola me relicto, ad quem eas mittere debebat, ait a Castro. Secundo, arcus dolosus est, qui videtur tensus et paratus ad iaculandum, cum sit remissus et ineptus. Unde Theodor. legit ex Septuag. *facti sunt ut arcus non contentus*, sed laxatus, qui nullam perniciem hostibus infert: quamquam versionis Septuag. vera lectio sit contraria, scilicet *facti sunt quasi arcus intensus*. Quod S. Hieron. sic tropologicæ de hæreticis explicat: *Quia, ait, semper parati sunt ad pugnas et contentiones in perniciem audientium*. Idem sunt arcus dolosus, ut habet nostra versio, *quia, sicut eorum hæresiarchæ Iudæi, instructi de scripturis sanctis, adversus Dominum legis, et Prophetarum, et Evangelii verba ver-*

*tunt*: depravant enim scripturas, eisque Deum earum auctorem, ipsamque eius fidem et veritatem impugnant, quibus recte competit illud Ps. 77. 57. *Conversi sunt in arcum pravum*: ubi S. August. *Arcus*, ait, *perversus non pro nomine Domini, sed contra nomen Domini, iuxta illud, Non erunt tibi dii alii præter me. Per arcum autem significat animi intentionem*.

Hinc Tropol. arcus pravus vel dolosus sunt, qui intentionem quam in Deum dirigere debebant, dirigunt ad creaturas, v. g. qui ieiunia, orationes, eleemosynas, quæ dirigere debebant in Dei honorem, dirigunt ad auram popularem. Ita Guadalupeasis.

Rursum arcus dolosus sunt, qui per immanem ingratitude opibus et potentia sua abutuntur adversus illos, quorum opera fuerunt ea consecuti; uti de Eutropio et Habundantio narrat Claudianus lib. 1. in Eutrop. ita Delrio adagio 946. Sic maledicus lingua ferit Deum, qui eam dedit ad sui laudem. Sic homicida manu quasi ferit Deum datorem, dum Dei imaginem, puta hominem, occidit. Sic omnis qui peccat, vel ingenio suo, vel sæventia, vel opibus, vel aliis naturæ aut fortunæ dotibus a Deo datis, contra Deum pro dæmone pugnat.

**CADENT IN GLADIO (ASSYRIORUM) PRINCIPES EORUM (ISRAELITARUM) A FURORE LINGUÆ SUÆ.** Quia scilicet furente et indignante insana lingua, blasphemias in me, pro suis idolis certantes evomuerunt, cum ab iis opem contra hostes peterent, me spreto. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo et Lyran. Unde Chald. vertit, *propter pravitatem linguæ eorum*. Sept. *propter imperitiam* (id est, stoliditatem) *linguæ eorum*, qua dicunt ligno: Deus meus es tu; et lapidi: Tu me genuisti, ait Cyril. Aliter Vatabl. et Arias: *furorem enim Dei accipiunt, q. d. Cadent, quia maledicia sua lingua conceitarunt furorem Dei, qui eos disperdet*.

**ISTA EST SUBSANNATIO EORUM IN TERRA ÆGYPTI.** q. d. Hic est mos olitanus, hæc avita indoles eorum: sic enim me deriserunt et subsannarunt olim habitantes in Ægypto, colentesque Apin. Unde Chald. vertit, *ista sunt opera eorum, dum essent in terra Ægypti*. Ita S. Hieron. Theoph. Albert. et Hugo. Aliter Clarius et Vatabl. *Subsannationem enim passive capiunt, q. d. Ridebuntur ab Ægyptiis, enim ab eis opem poseent: dicent enim. Ite ad Dominum Deum vestrum, ite ad vestros Assyrios; illi vos iuvent. Aut, ut Lyran. ridebuntur ab ipso Deo, iuxta illud Psalm. 2. 4. Qui habitat in cælis iridebit eos, et Dominus subsannabit eos.*

## CAPUT OCTAVUM. SYNOPSIS CAPITIS.

*Minatur Deus Israeli excidium, quod Ieroboam posterosque eius, se inconsulto, creavit reges, cum eisque vitulos aureos coluerit. Unde ait: Ventum seminabunt, et turbinem metent. Secundo, taxat quod amicitiam Assyriorum ambierit, et dato tributo emerit, ideoque ab illis ipsis excindendum prædicit, excisis pariter urbibus et delubris, quæ magnifice ædificaverat tam Iudas quam Israel. Nota. Israel, eiusque opera et idola comparat primo, v. 6. araneorum telis; secundo, vers. 7. vento et turbini, ac culmo evanido; tertio, vers. 8. vasi immundo, id est matulæ; quarto, vers. 9. onagro.*

1. **I**n gulture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini: pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt. 2. Me invocabunt: Deus meus cognovimus te Israel. 3. Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes extiterunt, et non cognovi: argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut intirent: 5. Projectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos. Usquequo non poterunt emundari? 6. Quia ex Israel et ipse est: artifex fecit illum, et non est Deus: quoniam in araneorum telas erit vitulus Samariæ. 7. Quia ventum seminabunt, et turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam: quod et si fecerit, alieni comedent eam. 8. Devoratus est Israel: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum. 9. Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi: Ephraim munera dederunt amatoribus. 10. Sed et cum mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos: et quiescent paulisper ab onere regis, et principum. 11. Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum: factæ sunt ei aræ in delictum. 12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. 13. Hostias offerent, immolabunt carnes, et comedent, et Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum: ipsi in Ægyptum convertentur. 14. Et oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra: et Iudas multiplicavit urbes munitas: et mittam ignem in civitates eius, et devorabit ædes illius.

Vers 1. **IN GUTTURE TUO.**) q. d. Admoue tubam ori tuo, aut potius maxima voce et clamore tubali, ac si tubam haberes in gutture, proclama et expectora id quod sequitur, scilicet; Veniet hostis quasi aquila super domum Domini. Sic Isaia e. 58. 1. ait iubetque Deus: *Clama, ne cecies, quasi tuba exalta vocem tuam.* Septuag. vertunt, *in sinu eorum quasi terra.* Cur ita verterint nescire se fateatur S. Hier. nec enim quid tale est in Hebræo. Suspiceo pro שפר *sciophar*, id est tuba, eos legisse עפר *aphar*, id est, pulvis terræ: et pro חקר *chicheca*, id est, in gutture tuo, legisse חקך *chekeca*, id est, in sinu tuo. Theodor. refert istud ad finem enpitis præcedentis, hoc sensu: *Subsannatio ista recidet in sinum eorum: sicut enim quasi terra in via: nam hostis veniet quasi aquila.* Porro Theodor. miscens versionem Theodotionis versioni Septuag. legit, *quasi terra in via sicut tuba; Syrus vertit, tonitruum tuum velut tuba sit, et quasi aquila super domum Domini; Arabicus, et erat in foraminibus eorum quasi terra, et quasi aquila in domo Domini.*

**QUASI AQUILA SUPER DOMUM DOMINI.**) Subandi veniet, advolabit, insiliet hostis. Hunc enim comparat aquilæ, quæ in sublime elata, ex improvise iustar tormenti involat in prædam, puta in agnos, capras, lepores. Per aquilam multi intelligunt Nabuchodonosor: hic enim domum Domini, id est, templum, vastavit et incendit, idemque ab Ezechiele c. 17. 3. Ieremia c. 48. 40. et Habacuc c. 1. 8. comparatur aquilæ. Ita S. Cyrill. Theodor. Hier. Theoph. Albert. Hugo, Lyran. Vatabl. et Ribera. Verum Nabuchodonosor evertit regnum Iuda, non Israel, de quo continue hic agitur.

Secundo, Arias accipit Sennacherib, qui post excisos Israelitas iuvasit Ierusalem et templum. Alii accipiunt Salmanasar, qui evertit domum Domini, id est, Israel, qui erat populus quem inhabitabat Dominius.

Tertio, a Castro hic explicat, q. d. Veniet Salmanasar tantis copiis et animis, ut videatur non tantum Samariam, sed et Ierusalem templumque excisurus: unde ex Hebræo vertas, *quasi aquila usque ad domum Domini*, puta usque ad Iudam et templum veniet, sed Deo adhuc parente Iudæis et templo, cumque ab illis avertente, Iudam et templum reipsa non invadet. Denique aliqui per domum Domini accipiunt fanum vitulorum: hoc enim idololatræ vocabant domum, id est, templum, Domini.

Quarto et melius, iungendo primam expositionem cum secunda, per aquilam intelligas hostem in genere, tam Chaldæum, quam Assyrium, puta Nabuchodonosorem, qui Iudam et templum, ac Salmanasar, qui Israellem evertit. Loquitur enim Propheta brevis confuse et conoise, miscetque subinde Iudam cum Israele, et utriusque hostes excidiumque intendat: esto crebrius yaticinetur Israeli, uti hic mox ad eum resilit. Israelis enim excidium fuit prævium, vicinum, et affine, ac quasi præludium excidii Iudæ; eo quod tam Iudæi, quam Israelitæ transgressi sint fœdus legemque Dei, ut sequitur.

Porro domus Domini hic vocatur templum, quod ex sui origine, Deique institutione commune erat Iudæ et Israeli: hinc symbolice tam Israel, quam Iuda, erat domus Domini: quia in utroque populo a se electo per sui cultum et templum habitabat Deus. Sic Ierem. 12. 7. dicitur *Reliqui domum meam; dimisi hæreditatem meam*, id est, reliqui Iudæam. Et c. 11. 15. *Quid est quod dilectus meus in domo mea (in terra saneta) fecit scelera multa?* Sic passim apud Prophetas, populus Dei vocatur domus Iacob, domus Israel, domus Iuda. Sensus ergo est, q. d. Veniet hostis Assyrius et Chaldæus cum magno impetu, feritate et velocitate advolans quasi aquila ad prædam, ut domum Domini, id est, terram sanctam, tam duarum, quam decem tribuum diripiat, imo ipsum Dei templum succendat. Cur Chaldæi comparentur aquilæ, dixi Ezech. 17. 3.

Quinto et optime, totus hic versus sic connecti ( uti in Bibliis passim sine disputatione media connectitur ) explicarique potest: *In gutture tuo sit tuba quasi aquila, supple elange et exalta vocem tuam, super domum Domini.* Clangor enim proprie aquilarum vox esse dicitur. Unde

Auctor Philomela:

*Dum clangunt aquilæ, vultur pulpate probatur.*

Et Homer. *Iliad. µ. Ipsa vero (aquila) clangens volabat* An clangens?

propter strepitum gravem avibus alterius speciei, maxime nocentibus, tam inimicum adeoque terribilem, ut earum feratur tardare motum et obtundere, qualis sane regiam avem decebat: quin et draco ipse clangorem aquilæ audiens, terrore percussus intra latebras suas mox se abscondere dicitur. Verum hoc verum est tantum in degeneri aquila, quam vulturinam, vel subaquilam vocant. Nam vera aquila tantum abest ut vocem aliquam edat, aut canat, ut mutam pene Physici tradant, aut vix vocalem, idque ex animi magnitudine, qua fame et siti superior, animæ affectus et cupiditates regere et moderari novit: voces enim huiusmodi plerumque intemperantis impotentisque animi affectus, puta inopiam, aut cupiditatem, aut timorem, aut letitiam indicant. Ita ex Plinio et Aliano Aldrovandus in Aquila pag. 33. Quin et Aristot. lib. 9. Hist. anim. cap. 32. melanaetum, sive pullam aquilam, quam liberalem vocat, invidiaeque expertem, ideo non clangere nec murmurare autumat, quia modesta minimeque petulans, allectus moderari ac cohibere melius possit quam cæteræ. Hinc sensus planus et appositus videtur. Iubetur enim Propheta tuba clangere instar aquilæ, ut representet clangorem tubarum Chaldæorum et Assyriorum, qui quasi aquilæ feroces involabunt in Samariam, Iudæam et templum. Unde huc videtur alludere Ioann. Apoc. 8. 13.

*Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium celum, dicentis voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Hæc enim aquila erit Propheta, prædicens orbi calamitates imminentes sub tempora Antichristi, uti Osee, hic prædicat clades Israeli instantes; vide dicta Apoc. 8. Porro in Scriptura non raro aquila vocatur subaquila, ut Matth. 24. 28. *Ubi cumque fuerit corpus (cadaver) illius congregabuntur et aquilæ*, scilicet vulturinæ, sive subaquilæ: vera enim aquila, quia generosa, non cadaver quærit, sed prædam vivam; nec comedit nisi quod ipsa necaverit, teste Aristot. Plinio, aliisque Physicis. Alleg. Leo Castrius: Aquila, ait, significat Titi et Romanorum exercitum ac vexilla: in his enim præferebantur aquilæ, q. d. Romani vastabant Ierusalem et templum, in eoque sua vexilla, puta aquilæ, collocabant, ob cæsum a Iudæis Christum.

**ME INVOCABUNT**, cum sibi exitium imminere sentiant, Vers. 2.

dicentque; **DEUS MEUS COGNOVIMUS TE ISRAEL.**) q. d. Nos qui sumus Israel, id est, Israelis, puta Iacobi Patriarchæ filii et hæredes, invocamus opem tuam: quia cognovimus et colimus te, o Deus noster: tu enim nobis tui cognitionem et cultum per Mosem et patres nostros indidisti. Vere Lactantius l. 1. c. 1. *Nullus, inquit, suavior est animæ cibus, quam cognitio veritatis*, præsertim primæ et increatæ. Dicit *meus* in singulari pro noster: quia respicit nomen *Israel*, quod pariter est singularis quoad vocem, sed plurale quoad significatum: significat enim totum populum. Unde ait, *Invocabunt* in plurali. Hic a toto cœtu Hebræorum, tam duarum, quam decem tribuum,

**D** descendit ac salit Osee ad unam eius partem, puta ad Israel, id est, decem tribus: contra has enim maxime propheta: eo quod ipsæ idololatriæ et schismatis fecerint initium eo ipso tempore, quo vivebat et hæc prædicabat Osee; cum duæ tribus post mortem Osee, sub Achaz et Manasse regibus ad idola deflexerint. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Hugo, Ribera et alii. Chald. vertit; *omni tempore in quo adduco super eos angustiam, erant coram me dicentes: Nunc certo cognoscimus quod non sit nobis Deus præter te: redime nos, quia sumus populus tuus Israel.* Sed frustra clamabunt, meque invocabunt: causam subdit, dicens:

**PROIECIT ENIM ISRAEL BONUM.**) Deum scilicet, eiusque fidem et religionem. Vers. 3.

Deus enim est omne bonum, tam suum, quam nostrum, ut ei singuli merito dicere debeamus eum S. Franeiseo; *Deus meus, amor meus, et omnia.* Secundo, *proiecit Israel bonum* virtutis et pietatis, æque ac divinitatis mæ. Idcirco ego pariter a me abiciam et

proiciam eum, quo facto, *inimicus persequetur eum*. Causam primam et fontem mali subdit, dicens:

Vers. 4.

**IPSI REGNAVERUNT, ET NON EX ME.** ) Primo, taxatur hic populus, quod inconsulto Deo reges sibi creavit proprios, eosque schismaticos: unde et statim eum eis a Deo ad idola vitulorum defecit, tamque schisma a fide, quam a domo Davidis fecit 3. Reg. 12. Ita S. Hieron. Theophyl. Theodor. Ubi Nota. Pro *regnauerunt*, hebr. et Chald. est **הַמְלִיכָהּ** *himlichu*, id est, regnare fecerunt, reges sibi constituerunt. Quocirca Origen. hom. 4. in lib. Iudic. et Cyprian. epis. 53. legunt, *sibimet regem constituerunt, et non per me; principem, et non per consilium meum*; et clarior Chald. *regem sibi creauerunt, et non ex sententia mea: constituerunt sibi principes, sed non ex voluntate mea*. Porro Origen. et S. Hieron. putant hic notari Saulem, cum populus a Samuele regem peteret. Tunc enim Deus dixit Samueli: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Verum hoc factum iam exoletum erat, et emendatum per Davidem, quem Deus ipse Sauli substituit, regemque a Samuele ungi iussit: nec Saul fuit causa schismatis et idololatriæ, sed tam Iudam, quam Israelem, in unius Dei cultu continuit.

Melius ergo idem S. Hier. Cyrill. Theodor. Haymo. I. yran, Hugo, Ribera. cum Rabbiniis, censent hic notari Ieroboam: hic enim ab Israele creatus fuit rex, fecitque schisma tam a Roboam et stirpe Davidis, quam a Deo, eiusque cultu et templo, erigendo vitulos aureos in Dan et Bethel.

An Ieroboam fuerit rex, an tyrannus?

Dices, Ieroboam a Deo per Ahiam Silouitem Prophetam designatus fuit rex. Scisso enim pallio in duodecim partes, dixit ei Ahias: *Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus*. Quocirca Abulensis. in 3. Reg. 12. qu. 8. et 9. censet decem tribus licite fecisse schisma a Roboam, et elegisse Ieroboam in regem. Ratio eius est: Quia, inquit, ipsæ tribus liberæ erant, populusque liber; Roboam autem volebat eas in servitutem redigere, easque regere ut tyrannus, non ut rex; poterant ergo ab eo recedere, et novum regem sibi creare. Populus enim vel republ. principibus et regibus dedit imperium in se, puta potestatem et ius regendi populum, sed certis iustisque conditionibus: unde et potest illud iisdem auferre, vel imminuere, si ipsi eo abutantur et tyranni evadant. Non enim populus absolute se dedit regi, uti quis dat aurum vel equum amico, ita ut omne suum ius in eum transferat, nec unquam illud revocare possit; sed certis pactis intervenientibus, inter quæ primum est, ut iuste ab eo regatur, utque contra hostes ab eo defendatur, quod si id negligat aut violet rex, potest populus revocare potestatem quam illi dedit, eumque regno deponere. Ita Abulensis.

Regem fuisse censet Abul.

Pro responsione Nota. Duplex de Ieroboam est sententia, utraque probabilis. Prior asserit eum creatum esse regem tam a Deo, quam a populo: posterior censet eum creatum a solo populo, non a Deo.

A Deo creatum censet Pineda

In primis ergo Pineda l. 2. de Rebus Salomonis cap. 2. ita respondet: Ieroboam, inquit, accepit a Deo ius regni super decem tribus ministerio Ahie Prophetæ, dicentis 3. Reg. 11. 37. *Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel*. Sed postea suffragiis populi non tam cepit ius regni, quam possessionem, 3. Reg. 12. 20. *Cum audisset Israel quod reversus esset Ieroboam, miserunt et vocaverunt eum congregato exultu: et constituerunt eum regem super omnem Israel*. Quod non tam pertinet ad ius regni, quam ad solemnitatem quamdam inaugurandi regis, atque regii muneris exercendi. Qua ratione Origen. Cyprian. Theoph. et Theod. docent accipiendum hoc Osee 8. 4. *Ipsi regnauerunt, et non ex me*, id est, me inconsulto, suo tantum libito et cupiditatis temeritate regem constituerunt Ieroboam. Queritur enim Deus non de ipso Ieroboam, cui divinitus ius regni collatum fuerat; sed de decem tribubus, quæ ira potius et animi impatientia, quam idonea aliqua ratione ductæ a domo David defecerant, et alteri se regi, regendas permiserant: unde in hebr. pro *regnauerunt*, est **הַמְלִיכָהּ** *himlichu*, id est, regnare fecerunt, regem creaverunt. Ita ipse.

Alii ex adverso, et forte probabilius censent, Ieroboam non a Deo, sed a populo creatum esse regem, idque Deum tantum prædixisse, 3. Reg. 12. 37. nam illa verba, *Regnabis erisque rex*, prædictio sunt tantum et promissio regni, non vero eius donatio, regisque creatio; regni, inquam, dandi a populo per eius schisma et defectionem a Roboam, quod tamen permittere et non impedire intendit Deus; quia per illud punire volebat idololatriam Salomonis, ut ipse eidem prædixerat 3. Reg. 11. 11. Quod ergo ait, *Te autem assumam*, idem est quod, *Te autem assumi faciam*, ita animos populi resque omnes disponam, meaque providentia dirigam, ut assumaris in regem tu, non alius. Id ipsum, non aliud, nec amplius significat Deus, dum ait 3. Regum 12. 24. *A me factum est verbum hoc*, puta schisma Israelis, quo novum regem sibi creavit. Huic sententiæ plane favet nostra versio hic, quæ habet: *Ipsi* (scilicet Ieroboam, et posteri eius reges Israel) *regnauerunt, et non ex me*. Hebræum enim *himlichu*, tam significat regnarunt, quam regnare fecerunt: sæpe enim sumitur in significatione *kal*, esto sit *hiphil*. Favet et historia lib. 3. Regum: nam cum cap. 11. Dominus tantum prædixerit et promiserit Ieroboam regnum, dandum per populum, nusquam autem de facto ipsum unxerit aut creavit regem, sed cap. 13. solus populus faciens schisma a Roboam per se inconsulto Deo eum regem constituerit; plane videtur a solo populo, non a Deo, ipse creatus fuisse rex. Populus autem creando eum regem peccavit: quia temere, sine consilio et consensu Dei id fecit. Debebat enim in re tam gravi ex prisco more consulere Deum per Pontificem, vel per Prophetam. Deus enim instituerat regnum Hebræorum per Samuelem, volueratque unum esse, non duo: Hebræi enim erant populus et regnum Dei; ac proinde regnum hoc non tantum humanum erat, uti est aliarum gentium, sed et spirituale et divinum. Peccarunt ergo Israelitæ qui inconsulto Deo hoc regnum imitauerunt, et mere humanum effecerunt, ac diviserunt, novumque regem sibi creaverunt. Sic peccaret populus et clerus, si Pontificem, etiam tyrannice regentem, deponeret: Pontifex enim a Deo auctoritatem accipit et potestatem, non ab Ecclesia, ideoque a solo Deo deponi potest. Ieroboam quoque peccavit: quia licet sciret a Deo prædictum et promissum sibi regnum, tamen illud iniit sine Deo, neque nectus fuit a Pontifice, aut Propheta, sed solius populi tumultuantis vocibus et acclamationibus creatus, illud accepit et usurpavit. Secus est de Iehu, qui schismate iam facto, et regno Israelis iam instituto, a Deo creatus et unctus est rex per Prophetam, 4. Reg. 9. 6. Quia ergo Deus per Ahiam dicit Ieroboam, 3. Reg. 11. 31. *Scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus*, intellige non active per me, sed obiective et permissive per Israelem, puta per populum. Obieciam enim eius oculis et animis imprudens et tyrannicum responsum et regimen Roboam, quo fiet ut ipse ab eo aversus, convertat se ad Ieroboam, eumque creet: quod ego permittam, ut puniam peccata tam Salomonis, quam Roboam. Sicut ergo Christus ait, ob hominum malitiam et infirmitatem necesse esse ut fiant scandala, vae tamen homini illi per quem scandalum venit: ita posita duritie Roboam, et aversione populi ab eo, necessum quasi erat alium, puta Ieroboam, a populo regem creari: vae tamen illi, qui huius creationis fuit causa et scandalum; Deo enim irato, ideoque invito ea facta est; unde Israelitæ non leguntur Deum consuluisse, nec ex eius oraculo aut directione, sed motu proprio et temerario regem sibi subito creasse. Ita S. Hier. Theodor. Cyrill. Vatabl. Ribera, a Castro et alii. Prædixit ergo Deus Ahie et Ieroboam, eum regem futurum per tumultum populi, non vero ipse per se eum regem constituit. Taxat itaque Deus hic Primo populum, quod sine suo nutu regnum Davidis unum a se constitutum, in duo diviserit, quodque ab eo fecerit schisma, ac novum sceptrum et regnum sibi creaverit, creando sibi regem Ieroboam; præsertim quia per hoc schisma prævidebat enim inducturum schisma in fide, et idololatriam. Itaque peccavit populus contra ius non humanum, sed divi-

num, ac consequenter contra religionem, non contra iustitiam. Iure ergo queritur Deus, quod reges in Israel non regnarint ex se, uti regnarunt reges Iuda: quia ipse non instituit regnum Israel, uti instituit regnum regesque Iuda.

Secundo, taxat ipsos reges Israel, quod non ex Deo, sed ex se regnarint: quia scilicet aliqui ex eis tyrannice regnum invaserunt, ut Zamri, Amri, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee et Osee, sub quibus hæc Prophetavit Osee, 4. Reg. 15. et sequent. Alii vero, ut Ieroboam, Ichu, etc. licet a Deo viderentur designati vel electi, tamen non tam ex divina auctoritate et voluntate, quam ex propria cupiditate et regnandi libidine regnum iniverint: unde et statim ad idola defecerunt, ut sequitur. Quocirca Septuag. vertunt: *Ex semetipsis regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et non indicaverunt mihi.* Denique regnarunt, id est, regnum administrarunt, non ex me, id est, non iuxta meam legem et voluntatem, sed iuxta suam tyrannidem et impietatem, presertim quia per leges et edicta sua sanxerunt idololatriam. Ita Sanchez.

Tropol. ambitiosi non regnant ex Deo.

Tropol. hæc facile est adaptare tyrannis, qui regnum vel invadunt, vel legitime adeptum tyrannice administrant, presertim qui hæresim, schisma, sacrilegia in regnum invohunt. Rursus iis qui ex ambitione potius, quam virtute imperium regimenque ambiunt, et capessunt principatum vel praelaturam, contra quos ait S. Greg. 1. p. Pastor. cap. 1. *Dominus per Prophetam queritur dicens: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et ego ignoravi. Ex se namque, et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis recipiunt potius, quam assequuntur. Quos tamen internus iudex et prohibet, et non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profecto per iudicium reprobationis ignorat.* Et S. Bern. de Convers. ad cleric. e. 27. taxans clericos ambientes praelaturas: *Tollitis, inquit, et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per Prophetam: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et ego non vocavi eos. Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audeatne aliquis vestrum terreni cuiuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua a vasis ira aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed consilera quis vocetur.*

Aptius hæc adaptat S. Cypr. Fortunato et Felicissimo, aliisque schismaticis, qui cathedram Pontificiam S. Cornelii legitimi Papæ convellere et invadere moliebantur. Unde scribens ad Cornelium ep. 3. 1. 1. habet hanc auream sententiam: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria divina (notent hoc hæretici) obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret: nemo post divinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, iudicem se iam non Episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foris novam hæresin conderet. Et inferius: Plane Episcopi (schismatici) non de voluntate Dei fiunt; sed qui extra Ecclesiam fiunt, sed qui contra dispositionem et traditionem Evangelii fiunt, sicut ipse Dominus in duodecim prophetis ponit et dicit: Sibi met regem constituerunt, et non per me.*

Reges a Deo dantur.

Viderunt idipsum per umbram Gentiles, qui reges et principes legitimos a Deo dari crearique asserunt. Ita Callimachus: *Ex Iove sunt reges.* Et Homerus passim reges vocat *διογενεις*, Iove genitos, et *διογενετας*, quasi Iovis alumnos. Romulus quoque primus Romanorum rex hanc legem sanxit, ut nemo regnum magistratumque iniret, nisi auctor fieret Deus ipse, uti refert Pompon. Lætus de Magistr. Rom. Titus Imper. teste Suetonio in eius vita cap. 9. duos patrios in necem suam coniurantes non occidit, sed monuit ut desisterent; principatum fato dari, in-

**A** quens, frustra que tentari facinus potiundi spe vel amittendi metu. Plinius in Panegy. Traiani: *Principem, ait dat Deus, qui erga genus humanum vice sua surgitur.*

NON COGNOVI.) Practice, id est, non approbavi principes Israelis. Ita S. Hieron. Vatabl. et alii paulo ante citati. Sic dicit Christus reprobis: *Nescio vos*, id est, aversor vos, Matth. 23. 12. Similes phrasas plures recenset S. Greg. 1. 2. Moral. 4.

ARGENTUM SUUM ET AURUM SUUM FECERUNT SIBI IDOLA, q. d. Ex auro et argento suo conlaverunt sibi idola, UT INTEURENT.) Id est, ad interitum eorum; vel, unde interibunt: τὸ enim ut eventum et effectum significat, non causam. Hebræa habent in singulari, ut *excideretur*, id est, ut interiret, scilicet argentum et aurum eorum, cum ab hoste Assyrio vel rapietur, vel incendio consumetur. Quare minus recte hoc aliqui ad homines referunt eo sensu, q. d. Totam copiam auri et argenti contulerunt in fabricam idolorum; ita ut multum de suis opibus detraxerint. Hebr. enim *קראל* *caral* significat exsindere, succedere, perdere; et ad hostes pertinet: unde sequitur: *Proiectus est vitulus tuus, quem ex auro tuo fabricasti.*

Moral. proprie avari aurum et argentum faciunt suum idolum; quia illud præ rebus omnibus adamant, quaerunt, tuentur, Deoque sæpe præferunt: unde avaritia ab Apostolo vocatur idolorum servitus, Ephes. 5. 5. vide ibi dicta.

PROIECTUS EST VITULUS TUUS SAMARIA.) Hebr. *proiecit* (scilicet Deus) *vitulum tuum, o Samaria*, quia fecit ut tecum caperetur ab Assyriis. Septuag. legentes aliis punctis *זנח* *zenach*, in imperativo, vertunt, *proieice vitulum tuum, o Samaria*. R. David et Arias vertunt, *elongabit se a te*, vel, *proiecit te vitulus tuus*, puta Apis, quem colis, quem amas, et in quo omnem spem tuam reponis. Hebræi enim carent casibus: unde *עגל* *eghel* tam est *vitulus* in nominativo, quam *vitulum* in accusativo. Porro præterita accipe pro futuris: *proiectus est*, id est, proiecitur: *proiecit*, id est, proieciet. Est enim prophetia.

USQUEQUO NON POTERUNT EMUNDARI?) q. d. Quamdiu durabit ista obstinata voluntas vitulos et idola colendi? utique usque ad excidium et captivitatem Assyriacam. *Quæ tanta insania*, ait S. Hier. *me dante locum penitentis, illos ad sanitatem nolle reverti?* Chaldaeus necit hæc præcedentibus, itaque vertit, *exarsit furor meus in eos, quamdiu non potuerunt* (quia obstinate noluerunt) *se purgare ab idololatria.* Hebr. est, *usque quando non poterunt innocentiam*, supple comparare sibi Israelitæ, id est, quamdiu impuris et immundis animis erunt propter idololatriam? Ita Vatabl.

QUA EX ISRAEL ET IPSE EST.) q. d. Israelis opus et figmentum est hoc idolum vituli, puta Apis Ægyptii, uti et alia idola aliarum gentium stulta figmenta sunt, patet ex seqq. Hunc enim vitulum primo finxerunt Ægyptii: inde Hebræi exeuntes ex Ægypto, eundem formarunt in deserto, Exodi 23. 4. Hos imitatus Ieroboam eundem conflavit, cum fecit schisma a Roboam et Iuda. Sensus est, q. d. Apis non est Deus, non est numen, nil ex se habet divinitatis aut potentiae: sed Deus effectus et formatus est a stultis Ægyptiis et Israelitis.

QUONIAM IN ARANEARUM TELAS ERIT VITULUS.) Probat Apis non esse Deum, quia ab Assyriis disperdetur, q. d. Licet aureus hic vitulus, quasi Deus iam magni fiat ab Israelitis, tamen brevi ab hostibus exterminabitur, et diffilabitur ut tela aranæ, sive, ut fila in autumno per aerem volantia, quæ per ventum in atomos et in auram dissolvuntur et abeunt. Vult dicere: Idolum est opus inutile, vile, evanidum; ac proinde se suosque cultores adiuvare impotens planeque infirmum et invalidum.

Pro telas aranearum hebr. est *שכבים* *seebabim*, quod R. David, Arias et Vatabl. vertunt, *seissilia, frumenta, frusta*; Chald. *asseret*; Symmach. *instabile*; V. editio, *vagus et fluctuans*; Septuag. *πλανητος*, id est, *seducens* vel *decepiens*, q. d. Assyrii confringent et captivum abducent Apis, qui Israelitas seducit. R. David, R. Abraham, et ex eis Pineda in Iob 18. 5. vertunt, *scintillas*, q. d. Samaritæ fecerunt vitulum æream, splendens et scintillan-

tem: sed scintillæ splendoris in suos cultores desævient, velut scintillæ ignis. Insuper ipsi velut levissimæ scintillæ statim peribunt et extinguentur. Moral. peccator per usuras, fraudes, etc. parans sibi opes, præbendas, dignitates magnis laboribus et molestiis, quid nisi telas aranearum texit? quæ mox vento casuum humanorum, ac præsertim mortis, difflabuntur et evanescent, nec eum in Dei iudicio tegere aut vestire poterunt; imo quæ quasi scintillæ ignem gehennæ illi succedent; vide dicta Isaia c. 59. 6.

Vers. 7.

**VENTUM SEMINABUNT. ET TURBINEM METENT.**) q. d. Frustra laborarunt colendo Apin: nullum enim ex eo fructum capient, nisi turbinem excedii et captivitatis. Nota pulchram metaphoram, ab agricola seminante et metente mutuam, quæ erebra est in Script. nam seminare significat operari; metere, mercedem operis recipere; ventus, opus inane, sterile, futile; turbo, calamitatem, scilicet captivitatem; ita Mariana et alii. Rursum, alluditur ad ventum, qui quasi semen intra terram ex exhalationibus conceptus et genitus, cum in lucem et aerem eruperit, ciet pulverem, turbinemque infestum excitat. Significat ergo hoc adagium, laborem idololatrarum et impiorum in colendis suis idolis non tantum esse frustraneum, sed et noxium. Quid enim fructus speret qui ventum seminat, nisi terræ motum et pulveris nubem? horum enim causa est ventus in terra conclusus; unde Arabicus Alexand. vertit, *seminaverunt ventum, et in perditione auferentur; non implebitur manipulus de hordeo*; Arabicus Antioch. vero, *seminaverunt planities maiores eorum, ut pasceret* (vitulus Samariæ, de quo præcessit) *cas: non fuit autem illis arundo neque virtus ad faciendum.*

Notat Anton. Fernand. in vision. 13. sect. 1. quod turbo pulverem dissipans apposite quadret in tribulationes quibus homo iactatur, homo, inquam, qui est pulvis et cinis a primæva illa maledictione peccati; unde est illud Ps. 1. 4. *Non sic in pectus, non sic, sed tamquam pulvis quem proiecit ventus a facie terræ*; ubi S. Hilar. *Ut sit, inquit, pena lucubriosa: levissimus quippe terræ pulvis, paleæ, et huiusmodi aliæ quisquiliæ nihil aliud sunt, quam rapidis ludibria ventis.* Et quid est homo post peccatum, nisi merum ludibrium tentationum et calamitatum undique ingruentium, eumque huc illucque raptantium? Hoc est quod ait Isaia c. 21. 1. *excidium Babyloni miserimum denuncians: Onus deserti maris: sicut turbines venient de terra horribili.*

Querit S. Greg. in illud Iob 38. 1. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit, cur Deus de turbine sit locutus?* ac respondet quia flagellato loquebatur: durabat nempe illa adhuc tempestas malorum, qua Deus flagellabat Iob: ideo non alius flagellanti, e quo loqueretur conveniebat thronus, quam turbo.

Tropol.

Tropol. ventum seminant, et turbinem metunt, qui bonum operantur ut inanem gloriam, vel quæstum sordidum aucupentur: hæc enim ut turbo, mille curarum, sollicitudinum et dolorum flatibus æstibusque eos exagitat; ita Cyrill. Sic fere et Theoph. quem audi: *Seminans in carne, et ex carne corruptionem metens, ventis corrumpenda, levia et vacua seminat, a spiritu, seu flamine nequitie noxam hanc recipiens. Nec iam robore præstat, ut faciat opus animam alens. Nec enim dicere cum D. Paulo potest: Omnia possum in eo qui me confortat, Christo. Si unquam quidquam operetur boni, non iuxta divinum hoc scopum faciens, sed ad humanam quamdam gloriam, vel aliam rationem non commendabilem, demonibus istud impertit.* Ubi nota, Theoph. de more sequi versionem Septuaginta. Septuag. enim sic vertunt, *corrupta vento seminaverunt, et subversio eorum suscipiet ea, quod tropologicè de hæreticis explicans S. Hieron. Isti, inquit, ventum seminant, sive ἀνεμοσποροί, quæ a vento corrupta sunt semina, quæ medullam non habent, quam Græci ἐνερυονία vocant: et ideo vacua seminantes, inania vacuaque recipiunt; imo seminantes in carne, de carne metunt corruptionem, et circumferuntur omni vento doctrinæ. Ita sementi seges respondet.*

**CULMUS STANS NON EST IN EO, GERMIN NON FACIET**

**FARINAM.)** Ex Septuag. S. Cyrill. legit et explicat, q. d. *Similes erunt manipulo spicarum carentium granis, quæ inutiles sunt ad conficiendum panem.* Adagium est simile priori, imo prioris pars et explicatio, q. d. *Idololatræ ventum seminant, et turbinem metent: quia ex semine eorum non nascetur culmus et germen, quod crescat et matureseat in grana et segetem, ut ex ea fiat farina et panis edulis; sed totus culmus in germen et inanem spicam abibit, q. d. Omne opus eorum, puta cultus idolorum, nullum eis afferet fructum, nil opis divinæ, nil consolationis, nil boni pariet; ac nominatim culmum, et germen faciens farinam, id est, messem et segetem, rerumque copiam et opes, quas ab hisce suis diis sperant, eis non dabit. Unde Chald. vertit, *omnes eorum opes et segetes deprædabitur hostis, vel disperdet Deus, ut fiant extreme pauperes.* Est syncdoche: ex culmo enim et germen segetem, omnesque opes intelligendas relinquit; ita S. Hieron. et Ruffin. quem audi: *Apud te, inquit, nihil fertilitatis firmitatisque remanebit, ut solet in culmo, cuius proceritas per aliquam acris iniuriam, spicæ plenitudinem non creaverit. Ita igitur et tu nihil emolumentum consequeris, nec ulla culture respondebit industria.**

Loquitur, ut dixi, de idolis et idololatris: a pari tamen Tropol. et simili hoc adagium adaptes, ait Delrio adagio 948. ostentationi virtutis non solidæ, rebusque modice duraturis, nec ad felicem exitum perverturis: quales esse solent divitiæ male partæ, immodicæ diligentie, studia intemperata, præcocia puerorum ingenia, eoneiones, disputationes et scriptiones supra vires, supra doctrinam et ingenium. De quibus verum est illud Ptolemæi dictum prol. in Almagestum: *Qui scientiam suam ultra astutiam quæ in ipso est, extendit, est sicut pastor debilis cum multis ovibus: has enim regere, pascere et impinguare nequit.* Quocirca S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 28. tropologicè hæc Prophetæ verba hypocritis adaptat: *Culmus, inquit, germen non habet, cum vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit cum is qui in præsentis sæculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. Sed sæpe et cum fecerit, hanc alieni comedunt: quia et cum bona opera hypocritæ ostendunt, de his malorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri dominum, sed alienos pascunt. Fecundo itaque hypocrita et neglecto palmiti similis, servare fructum non valet; quia botrus boni operis in terra iacet. Sed tamen hæc ipsa recordia sua pascitur (ut ait Iob) quia pro bono opere a cunctis honoratur, ceteris præeminet, subiectis hominum mentes tenet, maioribus locis attollitur, favoribus nutritur; sed tunc se stulte egisse intelligit, cum pro delectatione laudis sententiam divinæ correptionis acceperit.*

Denique Leo Castrius per culmum et germen non faciens farinam, accipit diram famem, qua a Deo puniti sunt Iudæi ob occisum Christum, quando obsessi a Tito fame extabuerunt, adeo ut et matres comederent filios.

**DEVORATUS EST ISRAEL,** opes Israelis, vires, fama et gloria atrita et absumpta sunt ab Assyriis, q. d. Israel mistus idolis et Gentibus, proprium et nobile Israelis nomen amisit, **FACTUSQUE EST QUASI VAS IMMUNDUM.**) Sordibus et fæcibus plenum, puta matula, ut omnium gentium sordes, ignominiam et probra unus exciperet; matulam enim verterunt alii interpretes, teste Ruffino. Idem recte dicas de quovis fideli peccatis inquinato et polluto. *Immundum vas sive inutile, ut vertunt Septuag. Hebræi matulam vocant, ait S. Hieron. quo ad proicienda stercore uti solemus. Et Ruffinus: Nunquam, ait, Israel honesto delegatus officio est, ut post libertatis ac dominationis insignia, saltem inter servos liberaliter censeretur; sed quasi vas ad naturæ requisita compositum, ita contumeliarum sordibus implebatur.* Sic Varro, Plautus, et alii hominem vilissimum et sordidum vocant *matulam*, dicuntque, non homo est, sed matula. Unde et Martial.

*Dispercam si tu Pyladi præstare matellam*

*Dignus es, aut porcos pascere Pirithei.*

Ita Iudæi ob casum Christum a Romanis capti, et ad ster-

cora exportanda damnali, stabularii et matularii effecti sunt. Unde Iuvenal. satyra 3.

*Iudæi, quorum ephinus fenumque sepellex.*

Quin et factorem genti loti proprium contraxerunt, quem non nisi baptismo eluere possunt, si convertantur ad Christum. Unde a Poetis *fatentes* appellantur, et tales experientia sentimus. Ita Martialis lib. 4. epig. 4. fetentem Iudæorum halitum coniungit eum exhausta palude, eum aqua sulphurea, eum fumante Ichno, eum vulpino stercore, eum viperino cubili. Et Fortunatus lib. 5. Carmin. epist. ad Gregorium:

*Abluitur Iudæus odor baptismate divo,  
Et nova progenies reddita surgit aquis.*

*Vincens ambrosios suavi spiramine rores,  
Vertice perfuso chrismatis effluit odor.*

Scorta  
matule  
diaboli.

Pari modo peccatores, præsertim scorta, sunt hominum, imo diaboli, matule, ait Delrio adagio 949. venter enim gulosi et luxuriosi quid aliud est, quam matula, quam latrina, quam cloaca? Dum ergo hanc per diem sæpe visere, inspicere et olfacere cogitur, cogitet talem esse ventrem et multo magis talem esse animam suam. Huc pertinet illa meditatio S. Bernardi: *Cogita, o homo, quid fuisti, quid es, quid eris? Fuisti sperma fetidum: es vas stercoreum: futurus esca vermium.* Ita tentationem gula superavit B. Iacoponus, carnes putidas identidem applicando ori et naribus: ac libidinis ignem superavit odorando cadaver purulentum mulieris adamatæ monachus ille in Vitis Pat. lib. 5. tract. 5. de fornicatione §. 22.

Porro quam hoc nomen et obsequium matulæ vile et infame sit, docuit adolescens Spartanus, qui, ut refert Plutarchus in Apophtheg. Lacon. ab Antigono captus ac venditus, paruit quidem in omnibus emptori, quæ non essent indecora ingenuis: cæterum iussus afferre matulam, detrectavit obsequium, addens: Non serviam. Surgente domino, puer, Senties, inquit, quem emeris, simulque consensu tecto sese præcipitem dedit, maleus mori, quam tam viliter servire.

Vers. 9.

**QUIA IPSI ASCENDERUNT AD ASSUR, ONAGER SOLITARIUS** (SIBI.) q. d. Israel petiit opem ab Assyriis ad hoc, ut quasi onager, id est, asinus sylvester, omne iugum legis Dei excuteret, viveretque liber, ac faceret quidquid libet more onagrorum, et more gentium, quibus idola hanc peccandi dant licentiam; ita Theodor. Theophyl. Arias, Vatabl. Ribera et a Castro. Hinc iusto Dei iudicio Israel derelictus, solus erit ut onager, destitutus tam Assyriorum, quam Dei quem dereliquit, auxilio. Idem dicas de hæresi et hæretico. Aliter S. Hieron. et ex eo Haymo, Hugo et Lyran. *Ascenderunt*, inquit, id est, *ascendent*, *imitantes onagram solitarium, nequaquam ut oves pastu a Domino, sed male abutentes libertate sua, et educti in captivitatem*, q. d. Ascendent Israelitæ captivi in Assyriam, quia voluerunt vivere ut onagri liberi, et absque iugo disciplinæ: ideoque Assyriorum amicitiam et opem magnis muneribus et tributis coemerunt: unde Chald. vertit, *ascendent ad Assyrios pro eo quod ambulaverint in voluntate animæ suæ, tamquam onager efferus*; Septuag. vertunt, *germinavit* (fructificavit, fetus produxit) *apud semetipsum Ephraim*. Tradit enim Oppianus, onagram marem ita esse zelotypum, ut pullos suos dentibus exsecet, ne generare queant, ut ipse solus onagra sua fruatur. Unde et vocatur solitarius: licet enim sæminarum agmine stipatus incedat, tamen eis solus imperare et frui vult, nec alium marem rivalem, vel æmulum patitur. Incedit ergo solus non ab onagrarum, sed ab onagrorum convicta. Audi Solinum Polyhist. cap. 30. *Africa onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus sæminarum: æmulos libidinis suæ inveniunt. Inde est quod gravidas suas servant, ut in editis maribus, si qua facultas fuerit spem generandi morsu detruant: quod caventes fæminæ in recessibus partus occulant.* Idem tradit Plinius lib. 8. cap. 30.

Allegor. Leo Castrinus: Israel, ait, post occisum Christum est onager solitarius, quia solus in suo errore et perfidia Iudaica pertinaciter persistit; nec eum cæteris gentibus omnibus in religione cultuque Dei communicat.

**A** Tropol. hæc facile adaptes superbis, præsertim apostatis a fide, vel ordine: unde Rupert. *Onager*, ait, *id est, agrestis asinus, hominem stultum atque superbum significat, sicut in Iob c. 11. 12. scriptum est: Vir vanus in superbiam erigitur et quasi pullum onagri liberum se natum putat.* Et inferius: *Onager ergo dicitur, id est, asinus, sed superbus: asinus per stultitiam, sed infrænis, et præsepiti dominici contemptor, vel ignarus præ superbia: solitarius, a rectore Deo profugus, et solus, ut pote Dei desertor, et a Deo desertus: vide et S. Greg. in citatum S. Iob loem 1. 10. Moral. c. 15.*

**EPHRAIM MUNERA DEDERUNT AMATORIBUS.**) Assyrii, quorum opem et amicitiam ambiabant, ideoque eorum idola colebant. Sic enim Phul regi Assyriorum in tributum dederunt mille talenta, ideoque Manahem rex Israel singulis indixit tributum quinquaginta siclorum, 4. Regum 15. v. 19. et 20.

**SED ET CUM MERCEDE CONDUXERINT NATIONES,** q. d. Vers. 10.

**B** Quia muneribus et mercede conduxerunt Assyrios, hinc ne frustra conducti videantur, NUNC contra ipsosmet Israelitas, in excidium Samariæ CONGREGABO EOS.) Ita Arias, Clarius, Vatabl. et Pagn. Dicit eos, et non eas (uti dicendum erat; respicit enim nationes) quia hebr. *גוים goim*, id est, nationes, est masculinum. Secundo, planius per eos accipias Ephraim, id est, Israelitas: ita Chald. S. Hieron. Theodor. Haymo et Lyranus, q. d. *Nunc congregabo eos*, scilicet Israelitas in Samariam aliasque urbes, ut in iis prædiis Ægyptiorum adiuti contra Assyrios se muniant, ibique quiescant paululum a tributo et muneribus, quæ pendebant regi Assyriorum et principibus, sed modica erit hæc quies: nam mox sequetur, ut ab Assyriis ob rebellionem indignantibus obsideantur, expugnentur et vastentur: unde 4. Reg. 17. Ita hæretici ut exeant iugum fidei et Catholicorum Principum, implorant opem Turcarum: itaque paululum videntur quiescere a iugo et onere; sed mox longe gravius iugum Turcicum subeunt, uti in Hungaria factum et fieri videmus et lugemus.

**C** **ET QUIESCENT PAULISPER.)** Nota. Pro *quiescent*, uti vertit Noster et Septuag. hebr. est *וַיַּחֲלֶהוּ vaiaichelu*, quod si a *חול chul* deducatur, significat dolere, cruciari: si a *חול chul*, in hiphil significat incipere: unde Arias et Pagnin. vertunt: *dolebunt et cruciabuntur paululum propter onus regis et principum*, q. d. Modicum dolebunt ob tributum quod pendunt Assyriis, sed paulo post longe magis dolebunt, eum ab eisdem vastabuntur. Alii vero vertunt, Incipient paululum ab onere regis et principum, puta a tributo quod eis pendunt, supple *liberi esse et quiescere*, ut vertit Noster. Rursum Clarius vertit, *incipient eos onerare* (tributis) *tam rex quam principes*; et R. David, Vatabl. et Pagnin. *incipient conqueri et murmurare paululum propter onus regis et principum*, puta propter tributum, q. d. iam incipiunt gravari et queri ob tributa, sed multo magis querentur, eum mox exscedentur et abducentur in captivitatem. Ita impii, inquit a Castro, incipiunt degustare in oneribus quibus gravantur, æterni exilii instantis, et carceris gehennalis angustias et supplicia.

**QUIA MULTIPLICAVIT.)** q. d. Habuit Israel sat idolorum et altarium, quid opus fuit ea ad insaniam multiplicare, et cumulare peccata peccatis, ut sibi iram Dei, vindictam et excidium accelerarent? Quocirca multipliciter punietur. Vere S. Ephraim tract. de timore Dei tom. 3. *Cui*, ait, *non placet ministrare Domino uni, serviet multis: et qui non vult subesse præfecto uni, subicietur multis.* Vers. 11.

**SCRIBAM EI MULTIPLES LEGES MEAS, QUÆ VELUT** Vers. 12. **ALIENE COMPUTATÆ SUNT.)** Hic expletur sensus prioris sententiæ alias pendentis, q. d. Quia multiplicavit Israel altaria, ideoque et ego multiplicabo leges capitales contra eum. Nota. Alludit ad scripturam legis in lapidibus factam a Mose, iussu Dei Deuter. 27. et 28. Idque ad perpetuam legis memoriam apud Israelitas, ut eam eiusque præmia, si eam observarent; ac pœnas, si eam negligerent, cordi imprimerent, ac iugiter præ oculis haberent. Sensus ergo est, q. d. Leges meas carumque pœnas mul-

tiplices olim scripsi per Mosen in lapide: at iam scribam eas in dorso Israelitarum virga et stylo ferreo, nimirum multiplices illas plagas a Mose descriptas infligam eis gladio hostili, eo quod leges meas, quasi alienas, oblitum neglexerint et contempserint. Leges ergo hic pœnales intellige, puta pœnas lege decretas iis qui eam violent: est metonymia: ita Rufinus. Sicut enim vir pius, est quasi lex viva, quæ suis moribus clamat quid factum opus, quid lex, quid Deus, quid religio poscat, ut docet S. August. libr. de Mendacio c. 15. et S. Gregor. homil. 10. in Ezech. *In sanctorum*, ait, *vita cognoscimus, quid in Scriptura legere debeamus*. Et Philo libr. de Abraham ait legem scriptam esse commentarium vitæ sanctorum: ita impius a lege punitus est lex viva, inclamans cæteris ut impietatem fugiant, ne in eadem pœnas incurrant. Sic fur suspensus, e patibulo reipsa omnibus inclamat: Cavete a furto, ne suspendamini sicut ego. Tradit Herodotus l. 2. Assyrios depinxisse regis Sennacherib eladem et caelestem vindictam cum hoc lemmate: *In me intuens pius esto*. Et Virgil. 6. *Æneid*.

*Phlegyasque miserimus omnes*

*Admonet, et magna testatur voce per umbras:*

*Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos.*

Aliter Vatabl. et alii recentiores vertunt, nimirum, *præscripseram eis רביי rubbe*, id est, *multiplicitates* vel *excellentiora*, vel *axiomata legis mex, sed reputantur ea eum quid alienum*, q. d. Dedi legem Israeli quasi margaritam, eamque digito meo conscripsi: at ipse quasi alienam, eam respuit, tamquam ad eum non pertineret. Quid ergo ultra ei faciam? scribam aliam legem? Nequaquam: quia pari modo eam spernet: ita S. Hier. et Syrus, qui vertit, *scripsi illi multitudinem legum mearum, et velut aliena computavit ipsa verba mea*.

Verum hic sensus non coheret eum *quia*, nec cum versu præcedenti; additque notam interrogationis, qua caret Biblia: legunt enim hæc assertive, non interrogative. Verisimiliter Sanchez hæc accipit quasi ironice dicta a Deo, ac si Deus suum consilium reprehendat, quod labore de corrigendis Israelis moribus, cum tamen ipsi nihilo idcirco futuri sint meliores, q. d. Scilicet scribam Israeli novas leges, quas æque ut veteres contemnet: non scribam. Similis ironia est Isaïæ 26. 11. *Miseramur impio, et non disceat iustitiam facere*. Et apud Virgil.

*En queis consevimus agros!*

*Insere nunc Melibæe pyros, pone ordine vites.*

Sic vulgo dicitur: *Ale luporum catulos, et canes qui te lañient*.

Vers. 15. **HOSTIAS** (victimarum et oblationum mearum, ut addunt Hebræa) **OFFERENT, IMMOLABUNT CARNES, ET COMEDENT, ET DOMINUS NON SUSCIPIET EAS.**) Hebr. *Domini non volet illa, vel non delectabitur illis*, q. d. Si quando mihi sacrificarunt, non idolis, hoc fecerunt ut rescerentur sacrificatis, non ad me placandum: ita Vatabl. Nota. Samaritæ cum idolis colebant quoque Deum verum et avitum, eique subinde sacrificabant, ut patet 4. Reg. 17. 33. Verum quia id faciebant, non propter Deum, ut eum colerent, sed ad hoc, ut inde epularentur et opipara instruerent convivia, hæc de causa reprehendit hic eos Deus, eisque minatur excidium: ita S. Hieron. Vatabl. Ribera, a Castro et alii.

**IPSI IN ÆGYPTUM CONVERTENTUR.**) q. d. Cogentur fugere et reverti in Ægyptum. Ita factum: nam post excidium Samariæ multi Israelitæ ex illo elapsi, ut se salvarent fugerunt in Ægyptum, ibique mortui sepulti sunt in Memphi, ut patebit c. 9. 3. ita S. Hieron. Theoph. Theodor. Arias et Vatabl. Idem fecerunt Iudæi post excidium Ierusalem, ut patet Ieremiæ cap. 44. 12. Ægyptus enim erat iuge et commune Israelis refugium et asylum. Secundo, S. Hieron. sic quoque exponit, q. d. Ipsi revertentur ad eum vivendi modum, quem tenuerunt in Ægypto:

colent enim idola, et vitia Gentium induent, sicut fecerunt in Ægypto. Tertio, Lyran. et Sanchez, q. d. Reverentur in Ægyptum, hoc est, talia brevi apud Assyrios patientur, qualia ipsorum patres passi sunt ab Ægyptiis, scilicet duram servitutem, ministeria sordida, pauperiem, famem, etc. ut more Hebræo subintelligatur nota similitudinis *sicut, velut*. Ipsi ibunt in Assyriam, velut in novam Ægyptum, hoc est, novum carcerem. Primus sensus planissimus est, eique favet v. 6. cap. sequentis, *Ægyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos*.

**OBLITUS EST ISRAEL FACTORIS SUI.**) Dei creatoris sui, **Vers 14.** qui eum sibi populum peculiarem fecerat, et selegerat ex omnibus Gentibus, uti eidem prædixit et exprobravit Moses in Deut. toto c. 32. præsertim v. 18. *Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui*.

**ET ÆDIFICAVIT DELUBRA.**) Puta templa, vel fana idolis, spreto Deo: spes enim suas omnes collocavit in idolis. *Delubra* dicta sunt loca ante aras, quod in iis essent labra, id est, conchæ et vasa ad abluenda mortuorum cadavera, inquit Asconius in Divinat. vel, ut alii, a diluendis tum cadaveribus, tum manibus sacerdotum ante sacrificium. Quocirca delubra erigebant iuxta magnatum sepulcra, ibique captabant in somnis oracula per necromantiam: unde Isaïas cap. 65. 4. *Qui habitant, inquit, in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt*, ad captandam divinationem. Festus vero *delubrum* dici putat quasi delibratum, id est, decorticatum fustem, quem pro Deo venerabatur. Servius autem: *Delubrum*, inquit, dictum est, quod uno tecto plura complectitur nomina, ut est Capitolium, in quo est Minerva. Iupiter, Iuno.

**ET IUDAS MULTIPLICAVIT URBS MUNITAS, IIS, NON DEO, CONFIDENS,** se fore tatum ab hoste Chaldaeo, idcirco ego **MITTAM IGNEM IN CIVITATES EIUS, ET DEVORABIT ÆDES** (hebr. *ארמנות armenot*, id est, palatia, ædes magnificas) **ILLIUS.**) Fecit id Deus per Nabuchodonosor; ita S. Hier. Hugo, Lyran. et alii, licet Haymo et Hugo hæc quoque facta putent per Sennacherib, qui cepit omnes urbes munitas Iuda, excepta Ierusalem. Civitates et palatia, tum Iuda, tum a pari Israelis intellige: sicut enim utrumque culpavit de oblivione et neglectu Dei, ita utrumque pariter reum damnat ad excidium et incendium urbium et ædium. Minus ergo recte aliqui *civitates* referunt ad Israel, palatia ad *Iudam*: quia, inquit, Osee usurpat hebr. Israel in genere masculino, Iuda in fœminino: subaudit enim terram Iuda. Verum hæc ratio non subsistit: nam Osee hic Iudam usurpat in genere masculino, dicens: *Iudas הרבה hirba*, id est, *multiplicavit urbes: hirba* enim verbum est masculinum: fœminine enim dicendum fuisset *הרבתי hirbeta*, uti norunt hebraice periti. Rursum cum ait, *Mittam ignem in civitates*, plane intelligit eas de quibus paulo ante dixit, *Iudas multiplicavit urbes*: in Hebræo enim utrobique est eadem vox *ערים arim*. Ergo civitates intelligit Iudæ. Si quis tamen hæc distinguere velit, melius cum Aria vice versa, *civitates* ad Iudam, *ædes* vel palatia ad Israel referet: *ארמנות armenot* enim, id est, palatia, vel domus augustæ et templa, sunt *היכלות hechalot*, id est, basilicæ, delubra, templa, quæ paulo ante dixit ædificasse Israel.

Verum, ut dixi, verius est eodem pertinere civitates, et ædes sive palatia, scilicet primo ad Iudam, deinde a pari ad Israel: unde et Septuag. vertunt, *mittam ignem in civitates eius, et devorabit fundamenta illius*: fundamenta enim sunt civitatum, quæ cum civitatibus devorabit immixtus ab hoste ignis. Porro de Iuda, æque ac de Israele, loquitur Propheta nunc in genere fœminino, intelligens terram, uti cum dicit *ארמנתיה armenoteha*, id est, ædes illius fœmininæ; nunc masculine, intelligens populum, ut cum dicit, *הרבה hirba*, id est, multiplicavit; et *עריי arau*, id est, urbes eius, cum affixo, sive pronomine masculino.



## CAPUT NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Israeli in frugibus et opibus lascivienti, deosque Gentium quasi earum datores ludis et festis colenti, minatur captivitatē, in qua panem lugentium et pollutum comesturus sit. Secundo, vers. 9. docet quod imitentur parentes suos, qui coluerunt Beelphegor, Num. 25. et Gabaitas, qui uxorem Levitæ stupro enecarunt. Hinc vers. 11. minatur eis eandem filiorum, vulvam sine liberis, et ubera arentia, quodque eos in perpetuum deserens et abdicans tradet hostibus, ut plane exscindantur, fiantque toto orbe vagi et profugi.*

1. **N**OLI lætare Israel, noli exultare sicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici. 2. Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis. 3. Non habitabunt in terra Domini: reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assiriis pollutum comedit. 4. Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei: sacrificia eorum, quasi panis lugentium: omnes, qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini. 5. Quid facietis in die solenni, in die festivitatis Domini? 6. Ecce enim profecti sunt a vastitate: Ægyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos: desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum. 7. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote Israel stultum prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, et multitudinem amentia. 8. Speculator Ephraim cum Deo meo: propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insaniam in domo Dei eius. 9. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa: recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum. 10. Quasi uvæ in deserto, inveni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum: ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, et abalienati sunt in confusione, et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. 11. Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu. 12. Quod et si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus: sed et vae eis cum recessero ab eis. 13. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine: et Ephraim educet ad interfectorem filios suos. 14. Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. 15. Omnes nequitia eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos: propter malitiam adinventionum eorum de domo mea eiiciam eos: non addam ut diligam eos, omnes principes eorum recedentes. 16. Percussus est Ephraim, radix eorum exiccata est: fructum nequaquam facient. Quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. 17. Abiiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: et erunt vagi in nationibus.

Vers. 1

**N**OLI LÆTARI ISRAEL, q. d. Ne exultes, o Israel, ne publica festa, ait Chald. tripudia et ludos instituas, uti instituunt Gentes in honorem deorum, quorum cultum numquam dereliquerunt, cum ab eis abundantiam opum, victoriam, aut aliud insigne beneficium accipere se pulant: quia tu **FORNICATUS ES**, id est, coluisti idola, itaque aversus es a DEO TUO.) Ergo tibi lugendum est iugiter, non exultandum. Ita Chald. Hugo, Clarius et alii. Aliter Arias, q. d. Noli lætari, o Israel, ut cæteri populi: quia tu iam dispersus per captivitatem, non amplius es populus, sed mancipium et fæx populorum omnium.

**DILEXISTI MERCEDEM**, scilicet meretriciam, ut nimirum pro mercede idola coleres **SUPER AREAS**, id est, pro areis, **TRITICI**.) Merces ergo fuerunt areæ tritici, q. d. Fornicatus es cum idolis quasi meretrix, pro pretio et mercede tritici, ut scilicet idola darent tibi eius copiam. Unde Chald. vertit, *dilexisti servire idolis pro omnibus areis frumenti*, q. d. Ubi cumque erat spes frumenti, lucri, aut copiarum eorum, ibi quasi meretrix, illarum spe idolis te substernebas, eaque colebas, sperans te ab eis ditandum: ideoque iuste a Deo hac mercede, puta frugibus et opibus privaberis, ut sequitur: ita S. Hieron.

Secundo, *super* id est, *apud*, omnes areas tritici fornicatus es, puta coluisti idola: quia in ipsis areis, æque ac in torcularibus, vel iuxta eas, tripudia et ludos instituebant in gratiarum actionem, laudando deos suos, quod copiosam messem aut vindemiam dedissent: ita S. Hier. Hugo, Lyran. et Arias, q. d. Plena horrea, et copiosam messem, quam Deus tibi dederat, tu non Deo, sed idolis acceptam tulisti, iisque festa et ludos instituisti, quæ summa est ingratitude, æque ac impietas: ita Theodoret. et Theophyl. ac S. Cyrill. quem audi: *Solebant*, ait, *Gentiles, cum incipienda erat aratio, sacrificare dæmonibus, petentes fertilitatem: item cum metendum erat, et vindemia caleanda, libabant et sacrificabant canentes odas επιδωροζ (vindemialis) in summa lætitia. Accusat ergo nunc Dominus Israel, qui hoc idem faciebat quod Gentes, quæ Deum non cognoverant. Fornicatus es ergo, inquit, dilexisti munera, etc. petisti non a Deo, sed ab idolis fertilitates agro-*

*rum, quas tibi non dederunt; hoc enim significat, Area non cognovit eos, etc.*

**AREA ET TORCULAR NON PASCET EOS**, q. d. Quia Israel dilexit areas et horrea messis, eaque petebat et accepta referebat, non mihi eorum datori, sed idolis, qui nihil in ea iuris et potestatis habent: ideo ego hæc Israel ingrato et impio auferam, faciamque ut nec area det frumentum, nec torcular vinum quod pascat eos: quocirca **VINUM MENTIETUR EIS**, q. d. Vineæ quæ eis multas uvæ, multum vini promittere videbantur, fallent eos, et parum vel nihil uvarum et vini proferent, itaque spe sua eos frustrabunt, quinimo faciam ut vastentur ab Assiriis: unde **NON HABITABUNT IN TERRA DOMINI**, et Chanaanæ, quam Deus eis promisit et dedit; sed **REVERSUS EST** (vertetur) **EPHRAIM**, puta Israel, excisus et profugus, **IN ÆGYPTUM**, **ET IN ASSYRIIS** captivus **POLLUTUM COMEDIT**.) Hoc est, comedit idolothyta, ac cibos lege, Levit. 11. vetitos, ideoque immundos. Ita S. Hieron. Chald. Theoph. Haymo, Hugo, Lyran. et alii. Vide dieta e. 8. 8. Erat ingens probrum ac pœna, æque ac peccatum apud Iudæos, pro pane sancto comedere pollutum. Unde Machabæi excarnificari maluerunt, quam suilla carne lege vetita vesci, 2. Machab. 6. 18. Sic et Daniel cap. 1. 8. et S. Petrus Aetor. 11. 8. exhorruerunt cibos Gentilium immundos. Simile est illud Horatii l. 2. epist. 2.

*Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,  
Spem mentita seges, bos est enectus arando.*

**NON LIBABUNT DOMINO VINUM**.) q. d. Non Deo, sed idolis et dæmoni sacrificabunt, et libabunt, et, ut ait Apost. 1. Corinth. 10. 20. bibent *calicem dæmoniorum* (id est, dæmonibus oblatum) non Domini: ita S. Hieronym. Haymo, Arias et Vatabl. Secundo et potius, q. d. Puniam eos sterilitate et fame, ut ne quidem habeant vinum quod Deo in sacrificiis libent: patet ex paulo ante dictis.

Nota. Deus in Levitico et Num. 15. sanxit, ut in omni sacrificio carneo, puta ovis, capræ et bovis, adhiberentur libamina, quasi condimenta, puta panis, vel similia oleo conspersa, sal, et vinum. Sacrificium enim erat quasi convivium Dei. Unde victimæ in Scriptura vocantur panis, id

Vers. 2.

Vers. 5.

Vers. 4.

est, cibus Dei. In convivio autem requiritur tam cibus, puta panis et caro cum sale, quam potus, puta vinum; quod in honorem Dei vel in terram effundebatur, vel a sacerdotibus bibebatur, hocque vocabatur libare, et libamen. Unde et Christus in sacrificio Eucharistiæ instituit speciem panis, quasi cibus; et speciem vini, quasi potam libandum, id est, hauriendum a sacerdote in honorem Dei. Vide dicta in Levit. et Num. 15.

Nota secundo. Videntur Israelitæ saltem sapientiores, errorem et dementiam suam in cultu vitulorum agnovisse, et damnasse; ac voluisse Deo vero sacrificare, cui sacrificarent patres eorum. Unde de eis ait Deus c. 8. 2. *Me invocabunt: Deus meus cognovimus te Israel.* Verum, quia non ex toto corde ad Deum se convertebant, sed partim Deo in occulto, partim vitis et idolis in publico, ut communi populo se accommodarent, serviebant, hinc Deus eos eorumque victimas respuit et reprobat: ita fere Sanchez. Unde sequitur:

**ET NON PLACEBUNT EI.**) q. d. Hostiæ et sacrificia Israelis deficiente libamine, puta vino, non placebunt Deo, quia imperfecta et illegitima, et quia ab idololatris oblata extra Ierusalem et templum in Assyria, ubi captivus detinetur Israel. Hebr. *non dulcescent ei*, id est, non erunt Deo dulcia et iucunda, sicut iniucundum et ingratum est epulum, in quo deest vinum, in quo editur tantum, non bibitur. Unde subdit:

**SACRIFICIA EORUM QUASI PANIS LUGENTIUM.**) Supple immunda erunt, æque ac tristia et inscavia, uti sunt prandia lugentium: tum quia carentia vino; tum quia ab idololatris oblata inter idola et idololatrias, sæpe etiam ipsi idolis, uti censet S. Hier. et Cyrill. estque valde verisimile: tum quia contra legem, extra templum et Ierusalem in Assyriaca captivitate oblata, in qua Israel degit mœrens et lugens, ac proinde festa et sacrificia sua læte et festivo celebrare nequit, uti fecit in Ierusalem et templo.

Nota: explicat hic cibus Israelis *pollutus*, de quo dixit v. 3. per panem lugentium, qui scilicet comedi solet in exequiis et funeribus, quæ Græcis *νεκροδειπνον*, id est, lugentium cœnæ dicuntur: Latinis *parentalia*, quod parentibus mortuis immolentur, ait S. Hieron. hisque hæc quasi ultima iusta et pietatis officia solvantur. Porro hic panis et cibus Iudæis immundus erat: nam Numer. 19. v. 11. 14. et 16. sancit Deus, ut omnes contaminentur; sintque immundi per septem dies, qui mortuum tetigerint, aut funeri interfuerint, aut ex pauca epulove funebri comederint. Panis ergo luctus, sive domus funestæ, tangentes et comedentes funestabit et contaminabit. Significat ergo totam vitam Israelis in Assyriaca captivitate, fore continuam quandam quasi funebrem et feralem cœnam: in qua squalens et mœrens comedit cibos Gentium pollutos, cuiusque oblatio non ferriis, sed inferiis erit aptior, inquit Rufin. Albert. Hugo, Vatablus, et Arias.

Tropol. S. Hieron. Hæretici, ait, qui non nisi luera et symposia aucupantur, omniaque deliciarum causa faciunt, ut populum decipiant, et domos devorent viduarum, habent panem lugentium, id est, verba mortifera, quibus, iniquitatem loquuntur contra Dominum, qui panis non ingreditur in domum Domini. Sic omnis peccator comedit panem lugentium, quia ei nihil est lætum, etiamsi epuletur et tripudiet; non enim potest esse vera lætitia, ubi est mala conscientia: hæc enim vermem rodentem et remorsum pungentem semper secum defert.

**QUIA PANIS EORUM ANIMÆ IPSORUM,** scilicet, erit, q. d. Animæ, id est, concupiscentiæ et gulæ suæ consulunt et satisfaciunt sacrificando, non autem sacrificant ut Deum, vel idola colant: ac propterea indigni sunt ut panis, id est, victimæ eorum **AD DOMUM DOMINI.**) Id est, ad templum deferantur, quod proinde me puniente, a Chaldæis igne succendetur: in Assyria autem et Chaldæa *ad domum Domini* deferri non poterunt, quia nulla erit ibi domus Domini: ita S. Hieron. Theophyl. Hugo, Arias, Ribera, et alii.

Tropol. hæc recte adaptes sacerdotibus indigne sacrificantibus, non pietatis, sed lucri et gulæ causa: horum

enim sacrificium, licet ex parte hostiæ, puta filii Dei, sit Deo gratissimum; tamen ex parte offerentium est quasi qui patri filium necat, ipsumque offerentem occidit. Est ergo panis lugentium: unde Chald. vertit: *Sacrificia eorum erunt instar panis abominabilis*: ita Delrio adag. 951. Rursum Theophyl. hæc adaptat sacrificio quod fit ex iniuste partis; hoc enim est panis lugentium, quia est de bonis oppressorum, ideoque lugentium.

Symbolice hic disce, Deo non placere oblationes et victimas, quæ tristi, lugubri et melancholico animo offeruntur, sed hilarem datorem diligere, ut ait S. Paul. 2. Cor. 9. 7.

Hermes Episcopus et Martyr, S. Pauli discipulus, in libro Pastoris, quem probavit S. Dorotheus, Damasus, et multi veterum, visione 3. mandato 10. narrat sibi apparuisse angelum in figura pastoris, et inter alia dixisse: *Tristitia omnium spirituum nequissimus est, et pessimus servus Dei, et omnium spiritus exterminat, et contribulat Spiritum sanctum, et oratio tristis non habet virtutem ut ascendat ad altare Dei. Quoniam tristitia sedet in corde eius. Cum ergo mista fuerit oratio viri cum tristitia, hæc non patitur orationem mundam ascendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mistum eandem suavitatem non habet: sic et tristitia Spiritui sancto mista eandem orationem mundam non habet.* Hoc est quod ait Aaron, lugens in strage filiorum: *Quomodo potui placere Domino in carcerum mente lugubri?* Quocirca Cassianus collat. 9. cap. 3. docet, quod ad recte orandum, iræ præ omnibus, ac tristitiæ perturbatio funditus ex animo sit eruenda.

**QUID FACIETIS IN DIE SOLEMNI, ID DIE FESTIVITATIS DOMINI?**) Primo, sensus est, q. d. In captivitate non poterit Israel celebrare festum Paschæ, Pentecostes, et similia, quæ cum gaudio celebrabat in Ierusalem: ita Theodor. Arias, et Lyran.

Secundo et nervosius, S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Clarius et alii exponunt, q. d. Festa pristina non celebrabitur, o Israelite, in templo utpote positi in captivitate; sed facietis perenne festum et solemnitatem vindictæ meæ, quo scilicet publice puniam vos captivitate, paupertate et gladio. Hæc enim dicitur solemnitas Domini, quia in ea solemnitas Dei iustitia et gloria toto orbe splendebat, et ab omnibus gentibus celebrabatur. Sic ait Ierem. Thren. 2. v. 22. *Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu.* Ex eadem phrasi et tropo, impii exseindendi et occidendi in hæc Dei solemnitate vocantur hostiæ et victimæ, quæ immolantur iustitiæ divinæ; ac Assyrii et Chaldæi, qui eos occidunt et immolant, vocantur sacerdotes Dei. Sic ait Isaias cap. 34. 6. *Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom,* etc. *quia dies ultionis Domini, annus retributionis iudicii Sion.* Hinc bellum contra impios vocatur sanetum, militesque sancti, quasi auctorati et consecrati a Deo sacerdotes. Sic ait Ierem. c. 6. 4. *Sanctificate,* o Chaldæi, *super eam (Ierusalem) bellum.* Vide ibi dicta.

Anagog. S. Cyrill. lib. 4. in Ioannem c. 35. q. d. Vos, o impii qui spreveritis viam arduam, laboresque virtutis non poteritis ingredi solemnitatem cœnæ et beatitudinis celestis. Dicet enim vobis paterfamilias, Quomodo intrastis huc absque veste nuptiali?

**ECCE ENIM PROFECTI SUNT A VASTITATE.**) Id est, proficiscientur et fugient in Ægyptum, propter excidium et vastitatem Samariæ. Vide dicta c. 8. 8.

**ÆGYPTUS CONGREGABIT EOS, MEMPHIS SEPELIET EOS.**) Memphis, nunc Cairus, vulgo *Alcairo* dicitur, aut potius Memphis vetus fuit e regione Cairi, ab alia parte fluminis Nili: vide dicta Ierem. 44. v. 1. Hieron. Haymo, Albert. et Hugo hæc accipiunt de Iudæis, qui occiso Godolia, quem Chaldæi præfecerant Iudææ, timentes eorum vindictam, fugerunt cum Ieremia c. 43. 7. in Ægyptum. Verum hic non agitur de Iudæis, sed de Israelitis, id est; Samaritis: eorum ergo excidium et fuga in Ægyptum hic prædicatur, quodque morituri et sepeliendi sint in Memphis.

**DESIDERABILE ARGENTUM EORUM URTICA HEREDITABIT.**) Per *urticam* significat longam fore captivitatem et

Samaritæ vastitatem, q. d. Domos splendidas, quas Samaritæ magno argento comparaverant, vasisque argenteis et pretiosis exornaverant, ac in quibus suos thesauros argentumque condiderant, vastabit et radet Assyrius usque ad solum: adeo ut in eo tribuli, lappæ et urticæ germinent: ita S. Hier. Haymo, Albert. Arias. Unde Chald. vertit, *in domo desiderabili argenti eorum urticæ degent.*

LAPPA IN TABERNACULIS EORUM.) Pro lappa Septuag. vertunt, *spina*; alii, *tribuli*. Est enim lappa spinosa teste Dioscor. lib. 3. cap. 93. flosculum habens aculeis plenum, qui iniectus in vestem tenaciter adhæret, quo Iuda solent pueri delectari. Cuius tria sunt genera, ait Perottus. Nam quædam dicitur canaria, quæ est exigua, canibus adhærens. Altera maior est, et philanthropos appellatur, quod vestibus hominum adhærens, eos amare videatur. Tertia appellatur personata, et maxima est, nasciturque iuxta rivos et flumina. Folia habet ampliora cucurbitis: ideoque veteres ea utebantur ad personatos faciendos. Porro Plinius lib. 21. 17. *Notabile*, ait, *est in lappa quæ adhærescit, quoniam in ipsa flos nascitur non evidens, sed intus occultus, et intra se germinat, velut animalia quæ in se pariunt.* Hebr. *חֹאֵךְ choach*, proprie hamum significat, indeque omnem plantam spinosam, quæ instar hami tenet et capit id cui applicatur. Unde noster Interpres nunc lappam, nunc carduum, nunc tribulum, nunc paliurum vertit.

Vers. 7. VENERUNT DIES VISITATIONIS, id est, punitionis et exidii, qui erunt dies RETRIBUTIONIS.) Quibus Deus repondet eis supplicia pro scelere: ita Syrus.

SCITOTE.) Legit interpres *ידעו udeu* in Imperativo, iam legunt *ידעו iedeu* in futuro, id est, scient. Septuag. vero legerunt *ירעו iaroo*, id est, *affligetur Israel sicut Propheta insanians.* Sensus est, q. d. Nemo vobis aduleat, nemo vos decipiat; nam instant dies castigationis et supplicii vestri: proinde scitote nunc, vel tunc ipsa experientia scietis, stultos fuisse et insanos Prophetas, qui vos non capiendos nec exseindendos, sed secure et late victuros, omniaque prospera pollicebantur; me vero, Isaiam, Ioclem, et similes fuisse veros Prophetas, qui eadem hanc et stragem vobis prædiximus.

Secundo, S. Hieron. et Lyran. censent, hic ipsummet Israel vocari, *Prophetam stultum*, q. d. Scitote, vel tum scient omnes, Israel fuisse Prophetam stultum et insanum, hoc est multa effluentem temere, instar insani et furore quodam aut spiritu periti: quia ipse securitatem et fausta omnia sibi promittebat, eum ecce iam captus et vastatus sit.

Tertio, S. Hieron. rursus, Haymo, Albert. et Hugo, hæc intelligunt de veris Prophetis, q. d. Scitote et advertite nunc, vel tunc scietis et advertetis, Prophetas qui excidium minabantur, quos vos stultos vocabatis, an insani fuerint, an potius viri spirituales, id est, afflati Spiritu sancto. Primus sensus et secundus aptiores et planiores sunt: comparant enim populum aviculis, pseudoprophetas aucupibus, prædicationem eorum laqueo: ita Vatablus.

VIRUM SPIRITUALEM.) Id est, Prophetam; hunc enim Hebræi vocant *virum spiritus*, id est, spiritu Dei afflatum. Pro *virum spiritus*, veritas, *virum venti*, et pro *spiritualium, ventosum*, id est, vanum et mendacem. Sic Ierem. 5. 13. ait: *Prophetae fuerunt in ventum locuti, et responsum (oraculum prophetia) non fuit in eis; Syrus, cognoscat Israel stultus Prophetam insanum, virum qui amictus est spiritu stoliditatis; Arabicus, consumetur Israel ut vespera perturbata, aut sicut homo indutus spiritu malo.*

PROPTER MULTITUDINEM INIQUITATIS TUÆ, ET MULTITUDINEM AMENTIÆ.) q. d. Habuisti falsos stultosque Prophetas, qui te deciperent, et in exitium agerent; quia id merebatur multa tua iniquitas et amentia, qua Deum tuum, eiusque veros Prophetas semper sprevisi: aut, ut Hieron. Prado in Ezech. 13. v. 3. q. d. Propheta quidem vester stultus fuit, sed in hanc amentiam præcipitarunt eum iniquitates vestræ, atque odium Dei, vestris impietatibus conceptum. Pro *amentia* hebr. est *מַשְׁמָה ma-*

*stema*, quod R. David, Vatabl. et alii recentiores vertunt, odium, iram, furorem (nam ira furor brevis est) radix enim *מַשְׁמָה satam* significat odisse, inimicari, adversari: odium ergo est amentia, et odire Deum summa est amentia. Sensus est, q. d. Adhæristi idolis, eorumque falsis Prophetis; quia odisti Deum, eiusque Prophetis adversatus es, quæ summa est vesania et dementia.

SPECULATOR EPHRAÏM CUM DEO MEO: PROPHETA LAQUEUS RUINÆ (hebr. *aucupis*, qui avem capit agitque in ruinam) FACTUS EST SUPER OMNES VIAS EIUS, INSANIA (hebr. *mastema*, id est, *odium*, uti iam dixi) IN DOMO DEI EIUS.) Primo, Theodor. sic explicat, q. d. Ephraim per legem et Prophetas, quos a Deo accepit, constitutus est quasi speculator et doctor gentium omnium, ut eas doceret verbo et exemplo Dei cultum, viamque virtutis et salutis. At ipse factus est eis laqueus, dum insane coluit idola et vitia idololatrarum.

Secundo, Vatabl. q. d. Ephraim fecit sibi speculatorem, id est, pseudoprophetas, eosque vult audire simul cum Deo suo, q. d. Vult audire et colere tam idola, quam Deum, tam falsos quam veros Prophetas, quæ est mera insania.

Tertio, Chald. et Lyran. q. d. Speculator Dei, id est, verus Propheta, est in Israel; at Israel ei laqueum tetendit, ut eum interficiat: itaque conceit sibi odium Dei, qui hunc speculatorem in domo, id est, Ecclesia sua, constituit.

Quarto et genuine, q. d. *Speculator cum Deo meo*, id est, Propheta qui debuerat secundum Deum, et quasi a Deo auctoratus et constitutus Propheta, aut qui dicebat se Deo familiarem et ab eo missum, ideoque debebat Israeli vera prædicare et docere, ac hostes et imminencia mala ex alta providentiæ suæ specula prospicere, præmonere et avertere, hic eum illaqueavit, et quasi laqueus aucupis eum decipit sua falsa prophetia et doctrina, qua inter alia prædicabat, quasi acceptum ex ore Dei, Israeli nihil timendum esse ab hoste et vastitate, itaque causa fuit, ut Israel perduraret in suis viis, id est, impiis actionibus, ac præsertim in sua idololatria, quæ summa est insania: nam *in domo Dei eius*, id est, in templo idoli eius, quod ipse colit ut Deum suum, incitat eum ad adorandum idolum, id est, ligna et lapides: ex his enim compactum est idolum. Speculator ergo hic est pseudopropheta, et falsus fallaxque doctor. At quis? S. Hieron. Haymo, et Hugo accipiunt Ieroboam. Hic enim creatus rex illaqueavit populum, eumque coegit adorare vitulos aureos a se erectos in Dan et Bethel. Secundo, Albert. et Dionys. Carthus. accipiunt Ahiam Silonitem: qui licet esset verus speculator, id est, Propheta Dei, tamen per accidens factus est laqueus Israeli, quia prædixit, et quasi promisit regnum impio Ieroboam, qui causa fuit idololatriæ et ruinæ Israelis. Tertio, planius et plenius accipias quosvis falsos prophetas: hi enim mentiebantur se a Deo missos, itaque illaqueabant et decipiebant populum. Hi quoque sunt stulti Prophetae et insani, de quibus dixit v. præced.

Tropol. hæc recte adaptes Tertulliano, Lucifero Calatropolitano, Origeni, aliisque viris sapientia et virtute illustribus: hi enim fuerunt quasi oraculum Dei, et quasi speculator cum Deo conversans; sed per apostasiam et lapsum facti sunt laqueus in Ecclesia, multosque fideles secum traxerunt in ruinam, quibus recte competit versio Arabica v. 11. *Ephraim quasi avis volavit, et eminentia (claritas, nobilitas) eorum quasi vallis, et quasi vada.*

PROFUNDE PECCAVERT, SICUT IN DIEBUS GABAA.) Hebr. est, *profundarunt*; Syrus, *profundum petierunt*, id est, in profundum, puta in haratrum scelorum, prolapsi sunt; et, ut Vatabl. profundam fecerunt defectionem, ex qua scilicet emergendi vix videtur ulla esse spes, aut possibilitas, et, ut Prado in Ezechiel 13. 3. q. d. Ex profundo et imo corde; ex toto affectu recesserunt a Deo, et coluerunt idola. Porro *dies Gabaa* S. Hieron. Haymo et Hugo referunt ad tempus, quo Saul creatus est rex in Gabaa, eum populus invito Deo a Samuele regem sibi postularet, q. d. Ut Israel olim Saulem, ita nunc Ieroboam me invito regem sibi constituit. Melius idem Hier. Cyrill. Theophyl.

Vers. 8.

Vers. 7.

Tropol.

Vers. 9.

Lyran. Vatabl. Ribera et alii hæc referunt ad enorme stuprum a Gabaitis commissum in uxorem Levitæ; ob quod omnes cæsi sunt: vide historiam Iudæ. c. 19. et 20. Sensus ergo est, q. d. Sicut profunde, id est, gravissime, peccarunt viri Gabaa, et Beniaminitæ, fœdo et insano stupro occidentes uxorem Levitæ, illudque deinde contra alias omnes tribus pertinacissime defendentes stolido bello, quo omnes pene usque ad interfectionem totius tribus Beniamin occisi sunt: ita nunc Israelitæ gravissime peccant stupro spirituali, id est, idololatria publica, et communi omnibus decem tribubus, illamque pertinacissime tuentur et defendunt, nec ullis Prophetarum monitis aut minis ab ea avocari se sinunt: quin potius Pseudopphetarum vocibus et oraculis in ea confirmari et perfici gaudent: quocirca a Deo exscindentur ut Gabaitæ.

Vers 10.

QUASI UVAS IN DESERTO INVENI ISRAEL, q. d. Elegi Israel, eduxique per Mosen ex Ægypto in desertum, fuitque ipse mihi charissimus et in deliciis, uti solent esse viatori in deserto fame, siti et fatigatione afflicto, uvæ repectæ, et PRIMA POMA FICULNEÆ.) Id est, primæ et præcoces ficus (*ponum* enim Latinis significat fructus omnes qui molliori sunt cortice) quæ Ieremiæ 24. 2. vocatur *præcoque*, alibi *primitivæ*, vel *primi temporis*. Septuag. Isaïæ 28. 4. vertunt, *præmaturas*. Hæc enim, quia post longam earum carentiam avide expetuntur, in proverbium abierunt, significantque rem valde desiderabilem, diuque expetitam: primos enim fructus, præsertim ficus, mire concupiscimus: quia iis, utpote immaturis, diu, puta toto anno, abstinuimus. Immaturitas enim et mora cupiditatem acuit, ut ubi primum maturuerint, aut sese ostenderint, cupide arripiantur. Simili modo ego Israelem inopem et famelicam in deserto manna de cælo alui. At ipse ingratus et recalcitrans, me spreto defecit ad Beelphegor, id est, Priapum, eumque adoravit, Num. 25. 1. vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Israel colens nunc vitulos, imitator parentes suos, qui primitus coluerunt Beelphegor. ita Chald. Albert. et Arias. Ita quoque explicat S. Hieron. Theodor. Theophyl. Rupert. Haymo. Hugo et Lyran. nisi quod ipsi per *pâtres* accipiant Abraham, Isaac, Iacob, non Mosen. Verum hi non fuerunt in deserto.

Nota. Pro *quasi prima poma ficulneæ*, Sept. vertunt, *sicut scopum in ficu temporaneum*. Sicut enim scopus, id est, speculator rem longe venientem annunciat, ita præcox ficus maturitatem, uti erudite annotavit Billius in orat 32. Nazianz.

ABALIENATI SUNT IN CONFUSIONEM.) q. d. Converterunt se ad colendum pudendum idolum Priapi, quod uti obscœnum, ita per obscœnas libidines et fornicationes colebant: ita S. Hier. Cyrill. Theodor. Theophyl. et Lyran.

ET FACTI SUNT ABOMINABILES, SICUT EA QUÆ DILEXERUNT.) Puta, sicut idolum Priapi erat fœdissimum et abominandum, ac sicut abominandæ erant meretrices Madianitæ quas dilexerunt, et cum quibus fornicabantur, quæ eos ad cultum Priapi illexerunt: unde Arias et Vatabl. vertunt, *facti sunt abominabiles secundum amorem earum*, scilicet meretricum, id est, sicut meretrices hæc, amorque earum et fornicatio erant abominabiles. Sicut ait Psaltes psal. 113. 8. *Similes illis* (simulacris et idolis) *fiant qui faciunt ea*, q. d. Idoloplastæ et idololatræ fiant trunci, stipites, stupidi ingenio, omnique sensu homine digna, ac viribus destituti, clausis et mortuis mentibus, ait S. August. et Hier. tales enim solent esse idololatræ, idolis suis similes. Hinc scholasticæ recte docet D. Thomas 1. 2. q. 18. art. 2. actus humanos sumere speciem ex obiectis, ut si obiectum sit bonum, actus sit bonus; si obiectum sit malum et abominandum, actus sit malus et abominandus, idque in tali specie virtutis vel vitii, cuius est obiectum: obiectum enim a voluntate amatum et concupitum, suam bonitatem vel malitiam in eandem transfundit. Arabicus vertit, *illusi sunt in operibus suis, et assimilati sunt amenti*. Peccator ergo est stultus et amens.

Voluntas est chamæleon.

Moral. Discce hic, quod voluntas nostra natura sua sit quasi chamæleon: sicut enim ille rerum omnium, quibus se applicat, colorem induit, præter rubrum et candidum,

A inquit Plin. lib. 8. c. 33. ideoque in omnes formas et species se transmutat: sic et voluntas omnium rerum speciem et faciem quasi induit, quibus se per amorem iungit et applicat. Hinc dixit vir sapiens: *Quod per voluntatem resolute et efficaciter vis, hoc absolute es*. Vis resolute esse humilis, hoc ipso humilis es: vis esse temperans, castus, obediens, patiens; si id efficaciter vis, de facto es temperans, castus, obediens, patiens. Hoc est quod ait S. Augustin. epistol. 52. ad Macedonium: *Non faciunt bonos vel malos mores nisi boni vel mali amores*. Sicut ergo facti sunt abominabiles, qui dilexerunt peccata; ita facti sunt, sicutque speciosi et gratiosi, qui diligunt Deum speciosissimum et gratiosissimum. Nam, ut ait S. August. tract. 2. in epist. S. Ioan. *talis est quisque, qualis est eius dilectio, terram diligis? terra es: Deum diligis? quid dicam? Deus eris*. Amor enim transformat amantem in rem amatam: unde anima, ait S. Aug. *magis est ubi amat, quam ubi animal*: et vicissim res amata magis est in amante, quam in animante. Quocirca Cato Censorius amantis animum dicebat in alieno corpore vivere, uti refert Plutarch. in eius vita. Et Plato asserebat omnes qui perditæ amarent, in suo et proprio corpore mortuos esse, eo quod in alieno viverent, uti refert Fulgos. lib. 7. c. 2. Et Panætius Philosophus amorem turpem aiebat esse rem impotentem alteri emancipatam, vilem sibi, uti refert Brunsion. lib. 1. c. 2. Eius enim officium non est aliud quam corpus proprium et creaturas alias, puta carnes, panes, vina, delicias, etc. in putredines devorando, vel voluptando convertere. Hæc eius utilitas, imo vilitas; hæc eius potestas, imo infirmitas, ut per eum nostra sanies transeat affluenter: non enim facere valet, ut maneat. Hoc eius studium, hæc eius beatitudo, ut voluptatum creaturam sordibus alluat, quibus votive succumbit, corrumpente eum per illas diabolo: qui mire gaudet de hominis deceptione et interitu, cum rei creatæ quam turpiter homo adamat, imago ei maneat impressa, tanquam simulacrum in templo suo; cui non bovem, non hircum, sed animam rationalem et corpus, id est, seipsum totum peccator immolat, cum ea fruatur. An non ergo abominabilem se facit, cum se pro vili delectatione, eaque momentanea, putri carni, imo terribili dæmoni mancipat, et servum addicit? quando creaturas quas fœde diligit, ac cum eis seipsum in putidas vomicas, carcinomata, aliasque sordes et putredines transmutat.

Ex adverso anima amans Deum, sit spiritualis, angelica, divina, et in Deum illi inhærendo transit. Unde S. Ambros. lib. de Isaac et anima c. 3. *Tunc ait, nos osculatur Dei Verbum, cum cor nostrum lumine cognitionis illuminat, et amore bonitatis inflammat, ut adhæreat ipsi, et unus cum ipso spiritus efficiatur*. Nervosius S. Gregor. explicans illud Cant. 1. 1. *Osculetur me. Cum eius* (sponsi ait sponsa) *osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in eius similitudinem illico liquefacta transformor*. Amor enim est motus et impulsus, quo amans fertur in rem amatam, eique se unit, et in eam se transformat. Secus est in intellectu et intellectione. Hic enim non tendit extra se, sed res intellectas per species et cognitionem ad se trahit, sibi imprimat et incorporat, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 22. art. 2. Denique ex hoc loco et similibus, recte probant Theologi, quod actus peccati transiens, post se relinquit in anima peccantis maculam habituales peccati, per quam ipsa formaliter sit exosa et abominabilis Deo: ita Ioannes Salas 1. 2. q. 86. initio.

EPHRAIM QUASI AVIS AVOLAVIT, GLORIA EORUM A PARTU.) Est hebraica metathesis, sive verborum transpositio: sic enim illa ordinanda sunt: Gloria Ephraim quasi avis, id est, velocissime, avolavit a partu, etc. Gloriam vocat filios: hi enim sunt parentum decus et gloria, uti dicitur Proverb. 10. 8. Sensus ergo est, q. d. Filii Ephraim in quorum multitudine, specie et robore ipse gloriabatur, cito morituri sunt; alii a partu, cum scilicet primum prodierint in lucem, alii ab utero, quia scilicet abortivi erunt, q. d. Faciam ut matres patiantur abortum, fœtusque suos abortiant, alii a conceptu, quia semen con-

Vers. 11.

ceptum mox diffuet, ut ex eo embryo formari nequeat; q. d. Puniam uxores vestras sterilitate et vitio matricis, faciamque ut foetum non concipiant, aut conceptum abortiant, aut natum mox perdant. Hunc esse sensum patet ex sequentibus: *Quod etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam*, q. d. Quod si filios aliquos procrearint et educarint, illos vel gladio hostili, vel peste, aut morbo occidam, ut ad aetatem maturam non perveniant, nec com-  
 putentur in hominibus. Idem patet ex v. 14. ubi dicit: *Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia*: ita S. Hieron. Chald. Vatabl. Arias et alii. Aliter Theod. Haymo et Lyran. q. d. Ephraim cito quasi avis avolabit in captivitate Assyriacam, qui gloriabatur de sobole copiosa, de utero conceptuque facundo. Aliter quoque Theophyl. q. d. Ephraim cito quasi avis avolavit, et recessit a viis et moribus patrum suorum: quia gloriam suam non in me, sed in prole, partu et conceptu ubere constituit. Hinc ego illam ei adimam et succidam.

Arabicus Antiochenus vertit, *Ephraim quasi avis volavit, et eminentia* (claritas, nobilitas) *eorum quasi vallis, et quasi vada*; Arabicus Alexandrinus, *Ephraim velut avis volans, et quasi dolor parturientis: sic gloria eorum; quia enutrit filios suos ut exteros e filiis hominum: vae illis, quia recesserunt a viis meis*.

Tropol.

Tropol. *Gloria Ephraim a partu, ab utero, a conceptu transit*, inquit Iulianus Archiepise. Toletan. qui in Nahum exstat tom. 2. Biblioth. SS. Patrum, *quando mens prius honore, gloriae quasi semidea, pro fama infantiam, pro gloria miseriam, odium pro gratia, contemptum pro reverentia, lucrum pro iactura, inedia pro copia iusto Dei iudicio recipit: partus est operatio, venter intentio, conceptus cogitatio. Gloria igitur Ephraim avolat a partu, a conceptu, ab utero quando prius splendide forinsecus viventium, et de vita extrinseca honestate in se gloriantium inhonestatur actio, corrumpitur intentio, fedatur cogitatio*, de quo plura vers. 14.

Vers. 12.

SED ET VAE EIS CUM RECESSERO AB EIS.) Est gradatio; primo enim minatus est eis, quod sobolem impediret ne nasceretur; secundo, quod natam occideret; et hic tertio, minatur eis omnimodam desolationem, indeque vastitatem et excidium, q. d. Vae eis cum eos orbabo non tantum filiis, sed et mea cura et providentia, atque a me abdicabo; tunc enim invadent eos perdentque Assyrii.

Nota. Est hic duplex lectio: prior בְּשָׂרִי *besuri*, per *sin*, quod idem est cum *samech*, id est, *cum recessero*: ita legunt et vertunt Noster, Aquila, Symmach. Jonathan Chaldaeus Paraphrastes (quem Galatinus lib. 4. de Arcan. fidei cap. 3. asserit 42. annis praecessisse Christum) qui vertit, *vae eis cum sustulero maiestatem meam ab eis*; R. David, R. Abraham, R. Salomon. Vatabl. et alii. Posterior בְּשָׂרִי *besari*, id est, *caro mea*: unde vertunt, *vae eis cum caro mea ex eis*: ita Septuag. et Theodor. quos sequuntur Graeci, ut Cyrill. Theodor. Theophyl. Dorothe. in Synopsi, Cyrill. Hierosol. catechesi 12. Quocirca Theod. et Theophyl. putant hic esse prophetiam de incarnatione Christi: imo Raymundus quem citat Lyran. sic legit, *vae eis, incarnatio mea ex eis*, q. d. Vae nunc Israelitis cum exseinduntur ab Assyriis, sed longe magis vae cum ex eis carnem ego Christus assumam: tunc enim ipsi me, licet cognatum suum persequuntur et occident, ideoque a Tito, et Romanis funditus delebuntur, et in aeternum desolabuntur. Sic et Lyran. Burgens. Mariana, Galatin. libr. 1. cap. 8. et Leo Castrius, qui contendunt Iudeos hunc locum corrupisse, ac pro *besuri*, id est, *caro mea*, scripsisse *besuri*, id est, *cum recessero*; idque, quia Verbum incarnatum oderunt et repudiarunt. Verum id perperam dicitur, Primo: nam Christus carnem sumpsit ex Iudeis, non ex Israelitis. Secundo, quia passim in Bibliis scribitur בְּשָׂרִי *besuri*, per *vau*, quod nequit esse in בְּשָׂרִי *besari*, id est, *caro mea*, ut patet intuitu: *besuri* ergo, id est, *cum recessero*, legendum est, non *besari*, id est, *caro mea*. Tertio, quia versionem hanc Vulgatam, qua legimus, *cum recessero*, recepit et probavit Ecclesia a mille annis: impium autem est dicere, Ecclesiam vitata et fal-

sa versione uti.

Quocirca Cyrill. et Theophyl. aliam meliorem et Vulgatæ editioni viciniorem huius versionis Septuag. dant interpretationem, scilicet hanc: *Auditis*, inquit Theophyl. *Propheta minus Dei adversus Israelitem peccatur, ne vel ipse, vel sui contribules, et secundum carnem cognati sint participes futuræ istius iræ. Idecirco inquit: Caro mea ex ipsis, hoc est extra ipsos. Longe quæso ab ipsis removear, et ego, et caro mea, sive cognati et contribules*. Sic Apostolus Iudeos vocat *carnem suam*, id est, cognatos, secundum carnem, Roman. 11. 14. Simili modo Cleon. in tragœd. apud Senec. Iasonem a communi culpa cætuque eximit, dicens:

*Proculque vestro purus a cætu stetit.*

EPHRAIM, UT VIDI, TYRUS ERAT.) q. d. Ephraim, prout ego ipse vidi, par erat Tyro in opibus, prosperitate, fortitudine, munitione, copia prolium, omnique decore et gloria, cum Deum coleret eiusque legem servaret, inquit Chald. quia sic vallabatur Dei auxilio, sicut Tyrus mari, ait S. Hieron. At quia nunc Deum relinquit, sibi suisque idolis præfidens, hinc omnem ei gloriam Deus adimet, ac præsertim filios, in quibus ipse adeo solet gloriari, dabit tum in bello pugnantes, tum post bellum victos et captos, occidendos Assyriis eorumque regi. Hunc enim vocat *interfectorem*: ita S. Hieron. Albert. Lyran. Vatabl. et alii. Tyrus olim erat quod nunc Venetiæ. De gloria Tyri dixi Isaïæ 23. et Ezech. 26. Huc accedit Vatabl. qui sic vertit et explicat: *Vidi Ephraim sicut Tyrum. puta primo florentem pace rerumque copia, mox ob idololatriam vastatum*.

Secundo, Arias putat esse antithesin Ephraim et Tyri, q. d. Esto Tyrus ad Ephraim, puta ad tribum Aser pertineret, ut patet Iosue 19. 29. tamen vidi Ephraim a Tyro toto caelo differre: vidi enim Tyrum florentissimam opibus et prolibus. Ephraim vero ei vicinum vidi utrisque orbatum et desolatum.

Tertio, Aquila, Symmach. et Theodor. pro *Tyrus*, vertunt, *petra*: hanc enim significat Hebr. צֹר *tsor*, indeque urbs in petra fundata dicta est hebr. *Tsor*, Chald. *Tor*, græce et latine *Tyrus*, q. d. Ephraim erat ut arx munitissima, puta ut petra et scopulus durissimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas, turbines et ventos, puta omnes hostium incursus: sed quia in Deum peccavit, Deus ei vires roburque adimet, ut filios cogatur tradere Assyriis maectandos: ita S. Hieron.

Quarto, Septuag. pro *ר* legentes *ד*, puta pro צֹר *tsor*, id est, Tyrus, צָרָה *tsud*, id est, venatio vel captura, vertunt, *Ephraim, sicut vidi, in ἑσπέραις*, id est, *venationem vel captivonem præbuit filios suos, ut educeret ad interfecionem*.

Nota. Deus Ephraim, id est, Israel, intentat filiorum necem et orbitatem præ cæteris ærumnis: tum quia ipse in iis gloriabatur et præfidebat, quasi ob eorum et civium copiam esset inexpugnabilis; unde eos vocavit gloriam Ephraim v. 11. tum quia Ephraim filiis suis abusus erat non tantum ad fastum, sed et ad idololatriam; eos enim immolaverat idolo Moloch: iure ergo iisdem a Deo spoliatur et orbatur: tum quia imitabatur fornicationem et idololatriam Gabaitarum, et parentum colentium Beelphegor. Fornicationis enim congrua et propria poena est ἀπειρία, sive liberorum orbitas, uti dixi e. 4. 10.

DA EIS DOMINE, PŒNAS ET SUPPLICIA QUE MERENTUR. Sed quas? Quid, inquam, DABIS EIS? quas pœnas in particulari decet me iis imprecari, et te, o Domine, iis infligere? Utique ut filios, quos perditte amant, quibusque abutuntur, perdant, itaque summe erucientur. DA ERGO EIS VULVAM SINE LIBERIS, ET UBERA ARENTIA.) q. d. Puni uxores Ephraim sterilitate, ut liberos non concipiant, aut si quos conceperint et pepererint, lactare et nutrire nequeant: ubera enim arentia sunt, quæ lacte earent. Sic nimirum ebra occasione fastus et idololatriæ, quam per filios committunt, præcides, o Domine: sic pariter tolles stirpem tibi invisam. Ita S. Hieron. Cyrill. Chald. Theophyl. Haymo, Hugo, Lyran. et alii. Solus Arias hæc in bonum accipit, quasi Deus hic pœnam Israelitis decretam

moderetur et imminuat, ut sensus sit: Ne Israelitæ nimis crucientur, videndo filios iam maturos ab Assyriis capi et interfici; fac, o Domine, ut illi vel non concepiantur, vel concepti et uati mox tabescant et moriantur. Paulo aliter quoque Vatabl. vertit, nimirum sine interrogatione, sic: *Da eis Domine quod daturus es: da eis vulvam abortientem et ubera arentia*; Arabic. Alexand. *da eis, o Domine, secundum retributionem eorum; et da eis non parturientes, et mammam arentem*; Arabicus Antioch. *Ephraim vidi in statu quo vidi sterilem. Da eis Domine vulvam non parturientem, et uber siccum*; Syrus, *da eis Domine id quod das (dabis) eis: da illis matricem illiberem, et ubera arida*.

Moral.  
impii  
sunt illi-  
beres.

Moral. disce hic Deum punire parentes orbitate filiorum, dum ipsi matrimonio turpiter, vel prolibus superbe vel impie abutuntur ad Dei offensam: ex aduerso Deum pios parentes, sæpe donare egregia multaque sobole. Exemplum est pia Anna, eiusque æmula Phenenna: hæc enim in filiis superbiens, Annamque sterilem irridens, ab ea supplantata est: Deus enim Annæ filium dedit Samuellem Prophetam, ac insuper quinque alias proles, 2. Reg. v. 21. unde ipsa gratias agens Deo carmen eucharisticum cecinit, dicens: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornum meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos* (Phenennam, eiusque filios et asseclas, mihi sterili insultantes) etc. *donec sterilis (uti ego) peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est*. Tradunt Hebræi, et ex eis S. Hieron. Abulens. Vatabl. et alii, Phenennæ tot mortuos esse filios, quot nascebantur Annæ. Celebris est apud Gentiles Niobe, quæ septem filiis totidemque filiabus pulcherrimis superbiens, seque Latonæ præferens, ab Apolline Latonæ filio, filiis et filiabus omnibus interfectis orbata præ dolore attonita obmutuit, ac velut lapidescens malis dirigit, uti describit Ovid. 6. Metamorph. et Statius lib. 5. Sic Augustus, Tiberius, Caligula, Nero, Commodus, Traianus, Adrianus, cæterique pene omnes Imperatores Gentiles, ob libidines et fastum sobole caruerunt, neque ullum ex se tanti imperii reliquerunt hæredem.

Sic et anima Dei  
donis superbiens.

Mystice id verius est in anima, quæ ob virtutes Deique gratias et dona vane gloriatur et superbit, quasi illa sua sint opera, non Dei munera. Hæc enim cum humilis agnosceret Deum datorem, eique gratias ageret, pulchra erat et florens rerum spiritualium copia, ut Tyrus: at iam superbiens, sibi quæ præfidens deseritur a Deo sponso; itaque ab eo semen et læc gratiæ non accipit, ut opera bona parturiat; aut si acceperit et pepererit, ea lactet et nutriat: ubera enim animæ arent, id est, succo gratiæ et spiritu destituta sunt: unde proles, id est, opera bona grandescere nequeunt, sed tabescent et evanescent. Idem maxime locum habet in Prædicatoribus, Prælatibus, Confessariis, aliisque qui animas Deo parere satagunt. Dum enim puro zelo gloriæ Dei et salutis animarum id faciunt, florent filiorum spiritualium copia et fructu; dum vero se, puta plausum, luera, aut commoda aucupantur, mox matrix eorum sterilescit, et ubera areseunt, ut nec filios in spiritu gignere, nec si quos genuerint, alere et promovere possint. Hoc est quod ait Christus: *Sicut palmæ non possunt ferre fructum a semetipso, nisi manserint in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis*. Et mox: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmæ, et areseet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet*, Ioan. 15. 4. Omnis enim succus vigorque gratiæ, qua spiritaliter vivimus, vegetamur, cresemus, et fructificamus, derivatur a Christo, quasi a radice et humo. Vide S. Greg. hom. 17. in Evangelia.

Præclare S. Bernard. serm. 31. in Cant. *Ingratitudo*, inquit, *inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ*. Idem tract. de Interiori domo cap. 41. *Superbia*, inquit, *sicut est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Sola superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus omnes*

**A** *corrumpit*. Idem serm. 54. in Cant. *Argumentum superbiæ, privatio est gratiæ*. Ex aduerso, argumentum humilitatis, est copia gratiarum. Si quem ergo videris privari gratia et donis suis, scias eum esse superbum; si vero alique videris iis abundare et crescere, scito eum esse humilem. Humilitas enim est mater et conciliatrix donorum, quorum dissipatrix est superbia: Deus enim humilibus dat gratiam, quam superbis aufert.

**OMNES NEQUITIÆ EORUM IN GALGAL.**) In Galgal enim Vers. 13.

Israelitæ abiecerunt omne regimen Dei, tam politicum quam sacrum. Politicum, quia a Deo regi nolentes, in Galgal petierunt a Samuele dari sibi regem, qui proinde dedit eis Saulem. Sacrum, quia in Galgal statuerunt idola, quæ spreto Deo coluerunt: ita S. Hieron. Theod. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii. De Galgal vide dicta e. 4. 20.

**QUIA IBI EXOSOS HABUI EOS.**) Hebr. **כי**, id est, *quia*, sæpe non causam significat, sed encliticum est, et ornatus causa additur, imo subinde effectum significat. Ita capitur hic, q. d. *Quia*, id est, ideireo, ibi cõpi eos odio habere et aversari: ita Ribera, a Castro, et alii.

**DE DOMO MEA EICIAM EOS.**) Puta de templo, ut explicat Chald. vel potius de terra sancta, quæ tota erat quasi una domus et familia Dei, in qua sub eius alis et protectione securi et felices degabant Israelitæ, quasi filii sub parentis cura, unde in ea habebant nomen Israelis et populi Dei: ibi quoque Deus suos Prophetas, quasi paterfamilias ad eos erudiendos et formando mandabat. *De domo ergo mea eiciam eos*, ut alieni a me abeant captivi ad Gentes, et idola quæ coluerunt: ita S. Hieron. Theoph. Lyran. Arias et alii.

**NON ADDAM UT DILIGAM EOS.**) Id est, *non amplius diligam eos*, ut vertit Vatabl. Nam, ut sequitur, et ut ait S. Hieron. *Abiecit eos Deus omnium Prophetarum, quia non audierunt eum: et vagi erunt in nationibus, non habentes altare, non sedem, non principem, donec ad Christum convertantur*.

**OMNES PRINCIPES EORUM RECEDENTES.**) q. d. Omnes reges Israel a primo Ieroboam usque ad ultimum Osee, a Deo ad vitulos aureos recesserunt.

**PERCUSSUS EST EPHRAIM, RADIX EORUM EXSICCATA.** Vers. 16:

**EST.**) Comparat Ephraim arbori, prius frondibus et fructibus luxurianti, postea percussæ aurugine et aresecenti, quod radix eius siccata sit, ideoque fructum producere non valenti, q. d. Ephraim, id est, populus Israel, instar arboris percussæ et aresecentis in radice, paucos vel nullos proferet fructus, id est, filios. Patet ex sequenti. Unde Chald. vertit, *domus Israel similis est arbori, cuius radix uredine percussa est deorsum, et siccatur folium eius sursum, fructum non faciet*. Porro radix Israel accipi potest fecunditas illi a Deo indita, eum Ruffin. et Lyrano; vel regni potestas, sive reges et principes, eum Theodor. et Theophyl. Hi enim instar radicis sustentabant, et vegetabant totum populum. Unde Arias apposite: *Radix*, inquit, est rex, truncus est regia tribus Ephraim, folia et rami cætera novem tribus, q. d. Ultimus Samariæ rex (qui est quasi radix) puta Osee, cum Samaria, totaque tribu Ephraim, quæ est quasi truncus arboris, vastabitur a Salmanasar: unde ab eodem mox vastabuntur cæteræ omnes (quæ sunt quasi rami) ut plane areseat, utpote siccata radice, regnum et respub. Israel: adeo ut, etiamsi aliquos genuerint, interficiam amatissima, vel ut Vatabl. et alii vertunt, *desiderabilia, uteri eorum*, id est, charissimos filios, qui erant eorum desiderium et deliciæ: unde Chald. vertit, *interficiam viscera eorum pulchritudinem*. Proles enim sunt parentum pignora, et quasi viscera.

Mystice, radix regni et reipubl. est Deus; hic enim regnum et rempubl. sustentat, auget, florere et fructificare facit. Ita S. Hieron. qui rursus per radicem accipit Patriarchas Israelis, puta Abraham, Isaac et Iacob. Hi enim licet in se vivi, aridi tamen et quasi mortui erant suæ soboli degeneri, puta Israelitis idololatris: quia eos aversabantur, nec eos merito et prece sua iuvabant.

**ABIECIET EOS DEUS MEUS, NON ILLORUM: QUIA NON AUDIERUNT EUM; ET ERUNT VAGI IN NATIONIBUS.**) Vers. 17. Hoc est

quod deplorat Ieremias Thren. 1. 8. *Peccatum* (fornicationis spiritualis, puta idololatriæ, loquitur enim de Ierusalem quasi de virgine meretricante) *peccavit Ierusalem: propterea instabilis facta est, q. d.*

*Ætherei scelus hoc ægre tulit ira mariti,  
Inque suam retulit le remcare domum.  
Inde raga, huc illuc incertis sedibus erras:  
Nulla tibi domus est, cum sil ubique domus.*

## C A P U T D E C I M U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Primo, comparat Israel em viti frondosæ, sed fructibus vacuæ, quod Dei opibus abusus sit ad augendum cultum idolorum, ideoque minatur ei excidium, quodque idolum eius, puta vitulus aureus, deferetur munus regi ultori, scilicet regi Assyriorum; tantasque strages et arummas, ut dicturi sint montibus: Operite nos; et collibus: Cadite super nos. Additque id iure fieri, quia prisicum est hoc Israelis peccatum, puta ex diebus Gabaa, in quo pertinaciter persistit, quod non nisi excidio extirpari potest. Secundo, vers. 11. comparat eum vitula amanti trituram, id est, fruges et opes, unde ait: Haecenas arastis impietatem, iniquitatem messuistis; nunc sapite, ac seminate in iustitia, ut metatis in ore misericordiæ. Deinde hortatur ut novale cordis sui innovent, et præparent ad gratiam, quam afferet Christus, iustitiæ doctor ac dator. Denique vers. 14. si in impietate peristent, minatur quod Bethel, id est, idola Bethel perdent eos, sicut Bethel Arbel, id est, domus Gedeonis, perdidit Salmana cum Madianitis.*

1. **V**ITIS frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, iuxta ubertatem terre suæ exuberavit simulacris. 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt: ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum. 3. Quia nunc dicent: Non est rex nobis: non enim timemus Dominum: et rex quid faciet nobis? 4. Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus: et germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri. 5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super eum populus eius, et æditui eius super eum exallaverunt in gloria eius, quia migravit ab eo. 6. Siquidem et ipse in Assur delatus est: munus regi ultori: confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua. 7. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. 8. Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel: lappa et tribulus ascendet super aras eorum, et dicent montibus: Operite nos; et collibus: Cadite super nos. 9. Ex diebus Gabaa, peccavit Israel, ibi steterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. 10. Iuxta desiderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas. 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob. 12. Seminate vobis in iustitia, et metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale: tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam. 13. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii: quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum. 14. Consurget tumultus in populo tuo: et omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana a domo eius qui iudicavit Baal in die prælii, matre super filios allisa. 15. Sic fecit vobis Bethel, a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

Vers 1. **VITIS FRONDOSA ISRAEL.**) Pro *frondosa* hebr. est **בבב** *bokec*, id est, evacuans, quia scilicet se totam in frondes effundit, in easque succum suum exhaurit et evacuat, ut nil, vel parum superius quod in fructus et uvas transferat. Unde Chald. et Vatabl. vertunt, *vitis vacua*, vel *dissipata*, id est, *succo carens et humore*. Sic Nahum 2. 2. dicitur: *Vastatores dissipaverunt eas*; hebr. eleganter *be-kakim bokekim*, id est, evacuatores evacuarunt eos, hoc est, prædatores prædati sunt eos. Hinc et *Aquila*, ait S. Hieron. *bokec interpretatus est εὐδρόσι, quam nos aquosam vel εὐδρωσι possumus dicere, eo quod vini perdat saporem: Symmachus ἀπορροστὰ, quæ tota in frondibus creverit: vites enim quæ putatæ a vitatore non fuerint, in flagella (id est, palmites) frondesque luxuriant, et humorem quem debuerant in vinum mutare, vana fronditum et foliorum ambitione disperdunt. Talis fuit Israel crescens in multitudine populorum, et non reddens fructus agricolæ Deo.*

Addit deinde *aliam*, imo contrariam interpretationem: *Vitis, inquit, frondosa, sive iuxta Sept. ἐπιερκεστὰ, id est, bonas habens propagines et flagella fructifera, multos botros attulit; et uvarum fecunditas ramorum magnitudinem coæquavit, sed hæc quæ prius talis erat antequam offenderet Deum, postea abundantiam fructuum vertit in offensam multitudinem: ut quanto plures habet populos, tanto plura edificaret altaria, et abundantiam terræ numero vinceret idolorum.* Hæc deinde more suo tropologicè apposite adaptat hæreticis: hi enim similes, imo peiores sunt idololatri.

Ratio huius diversæ, imo contrariæ versionis et explanationis est, quod *bokec*, idem sit, quod *evacuans se*. Iam

autem *vitis se evacuare potest in frondes solas* (ita ut nil, vel parum possit suppeditare fructibus et uvis) aut partim in frondes, partim et magis in uvas, itaque erit frondosa, simulque fructifera. Sic Israel olim tempore Patriarcharum erat fructifer, id est, affluens tum uvis et fructibus, æque ac hominibus, iuxta illud Ps. 78. *Extendit palmites suos a mari usque ad mare*: tum pietate, Dei cultu, bonisque operibus. Ita S. Hieron. Raymo, Hugo, Lyran. et alii. Sic ait Isaias c. 5. *Vinea Domini sabaoth domus Israel est, et viri Iuda germen delectabile*; unde *fructus adæquatus est ei*, id est, fructus eius respondit palmitum, id est, familiarum, multitudini; tot tulit fruges, quot numero incolarum alendo sufficerent.

Verum prius verisimilius est: *bokec* enim proprie evanescens se, id est, vacuam et evanidam significat, ut vertit Symmach. *Aquila* Chald. et Vatabl. quin et Sept. nam *ἐπιερκεστὰ* idem est quod, bonos habens palmites, surculis luxurians: *ἐπιερκεστὰ* enim a Theophrasto, Columella et aliis vocantur palmites et pampini vitis, vel fasciculus sarmentorum vitis: unde ex eo fiebant *ἐπιερκεστὰ*, id est, virgæ centurionales, quibus scilicet centuriones cædebant milites delinquentes. Hinc Macrobius vocat vitem centurionalem: lege enim Romana sanctum erat, ut cives non virgis cæderent, sed sarmentis vitium, teste Livio lib. 57. Hinc facit quod Plutarch. in Apophthegm. et ex eo Valerius Maxim. 1. 6. c. 4. scribunt, Popilium Lenam a Romanis missum ad Antiochum Epiphaneum, ut eum iuberet recedere ab Ægypto, nec pugnare in Ptolemæos, cum Antiochus moram faceret, deliberans quid esset responsurus, Antiochum *ἐπιερκεστὴν*, id est, virgæ, cir-

eumscripsisse, eique dixisse: Non exibis hoc circulo, nisi responsum des mihi et Romanis; *επιληματιστα* ergo idem est, quod frondosa et pampinosa.

Itaque de hac vinea in frondes evanescenti, id est, de Israele in opes bonaque terræ effuso, ait: *Fructus adæquat* est ei, id est, eum fructum tollit, quem promittebat pampinorum et sarmentorum lascivia, scilicet nullum verum et solidum, quia totus abiit in frondes et surculos, totus terrenis bonis inhians, iisque et prolibus luxurians, atque ea idolis accepta referens sprexit Deum, itaque nullum pietatis, timoris Dei et sanctitatis fructum dedit; non uvas religionis, sed labruseas protulit idololatriæ; ita S. Hieron. Vatabl. Arias, Prado in Ezech. cap. 15. v. 2. fructus enim respondens et adæquatus viti frondosæ, sunt frondes et labruseæ. Unde Vatabl. vertit, *ponctne*, vel *afferetne fructum*? q. d. Non, nisi foliatum et futilem; alii vertunt, *fructus mentietur illi*, id est, falleret eum et frustrabit sua spe. Hebr. enim *יטו* *iesciare*, id est, *adæquatus est*, si a *טו* *sciav*, id est, mendacium, deducatur significat, *mentietur*. Aliter Arabicus Alexandrinus vertit, *vitis florida habens ramos est Israel: multi sunt fructus eius in templis eorum*, puta multæ in idolis victimæ et impietates; Arabicus Antiocheus, *Israel quasi vitis fertilis, et fructus eius facilis est ei*; Syrus, *vitis pampinorum* (pampinosa) *Israel, quæ fecit fructus secundum multitudinem fructuum eius, multiplicaverunt altaria*. Iuxta hos Sanchez sic explicat. q. d. Israel quasi vitis, uti frondes, ita et fructus multos protulit, et opibus abundavit, sed has omnes suis idolis, impendit, plures impensurus, si plures habuisset. Alii, q. d. Vitis evacuat, id est, dementat Israel. Nam *fornicatio et vinum auferunt cor*, cap. 4. 11. Sic Jerem. c. 51. ait. *tebokeku*, id est, evacuant, terram eius Chald. hæc ad captivitatem refert: vertit enim, *vitis vastata est Israel, quæ erat plantata cum legem exqueretur: et fructus respondet ei. Nam opera eius mala fuerint ut exulet*. Vitis ergo vastata similem fructum feret, scilicet exilium et captivitatem.

Allegor. vinea est Ecclesia, et tropologicè anima quævis fidelis, idque Primo, quia antiquis, præsertim Patriarchis, potissimum prædium erat vinea. Ita Noe mox a diluvio plantavit vineam, Genes. 9. v. 20. Sic Deus Israelitis in terra promissa promisit vinea, Deuter. 6. 11. Sic sponsa Cant. 8. 11. hæreditatem suam vocat vineam: *Vinea*, ait, *mea coram me est*, q. d. Mihi carissima est et vicinissima, in ea vel iuxta eam dego, illa oculis meis semper obversatur. Solebant enim veteres, uti et moderni, in atrio domus ad ianuam plantare vineam, ad umbram, et ad amœnitatem. Est enim vinea quid medium inter hortum et agrum: nam hic quæstuosus est, ille deliciosus; vinea et quæstiosa, et deliciosa.

Secundo, quia vinea maxime fructifera est: tum quia vinum fert, quod Deum lætificat et homines, Iudic. 9. 13. tum quia nulla arbor vite feracior, si eius tenuitatem spectes: tum quia multæ vineæ bene exultæ copiosum dant fructum, uti fuit illa, de qua Cato, quæ ex singulis iugerbibus dabat decem vini euleos. *Efficaci exemplo*, ait Plinius lib. 14. 4. *non maria plus temerata conferre mercatori, non in rubrum litus Indicumve merces petitas, quam sedulum ruris larem*. Hinc Sapientia sese deprædicans: *Ego*, ait, *quasi vitis fructifera*, Eccli. 24. 23. Talis vitis fuit S. Polycarpus, discipulus S. Ioannis Apostoli, Christianorum in Asia doctor, pater, et dux ad martyrium, de quo proinde vere Poeta:

*Fructificas Polycarpe, Deo, more, ore, et amore:*

*A fructu merito nomen et omen habes.*

Nimirum polycarpus poseit, amat et provehit Deus, non polyphyllos, fructiferos, non frondosos. Denique vinum quod profert vitis, ita vires hominis reficit et recreat, ut non tantum læ senum, sed lignum vitæ, imo vita hominis dici possit.

Tertio, quia vinea incundissima est, sive ordines vitium, sive pampinos, sive botros vernantes et rubescentes spectes. Quoeireca sponsa sponsum ad ambulandum per vineam invitat in Canticis. Denique musti ex uvis reeens

A expressi tanta est vis, ut lagenas et vasa sæpe diffingat, ut homines non tantum ebrios, sed et mentis impotes, et quasi amentes efficiat.

Ita Ecclesia et anima fidelis, primo, est prædium Deo charissimum; secundo fertilissimum bonorum operum; tertio, amœnissimum; quarto, efficacissimum: licet enim exterius instar ligni vitis sit vilis et despecta, interius tamen habet succum vivificum, puta spiritum Christi, quo languidi et quasi emortui reviviscunt, incalescunt, aliosque Dei amore inflammant ad ardua virtutum opera. Hoc ergo est vinum germinans virgines, id est, castos et immortales: virgo enim vivido roseoque colore florens, iuventæ nunquam senescentis et immortalis vitæ est symbolum; ita Prado loco citato. Et S. Bernard. ser. 63. in Cant. *Viro sapienti*, ait, *sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia, nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet*. Et mox: *Cui virtus vitis, cui actio palme, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis; sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo: quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini sabaoth*. Vineam ergo hæc non tantum frondosa, sed et florens, fructifera et vinosa est. Idem ser. 65. Ecclesiam vocat vineam *grandem nimis*, Domini plantatam manu, redemptam sanguine, rigatam verbo, propagatam gratia, fecundatam spiritu. Et serm. 60. *Si vineæ animæ flos opus, odor opinio est, fructus quid? martyrium*. Et *vere fructus vitis, sanguis est Martyris*. *Quidam mustum rubens probatum, pretiosum, plane de vinea Sorce, torculari passionis expressum?* Denique vide eundem lib. de Passione Domini, qui totus est de mystica hac vite et vinea. Explicans enim illud Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*, docet Christum esse veram vitem, cuius proinde præcisionem, circumfessionem, vineula, culturam et speciem Christo accommodat. Deinde c. 8. et sequ. septem vitis huius folia mystica recenset: mox cap. 16. eiusdem flores: *Habuit*, inquit, *vitis ista vera non unius, sed omnium florum speciem, violam humilitatis, liliam castitatis, rosam patientiæ et charitatis, et florem abstinentiæ, quem erocum appellamus*. De his dicitur in Cant. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languëo*. Et: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*.

SECUNDUM MULTITUDINEM FRUCTUS SUI MULTIPLICAVIT ALTARIA. ) *Fructus* vocat frondes; non edim uvas, sed frondes proferebat hæc vitis, uti paulo ante dixi: per frondes intelligit filiorum frugumque copiam, q. d. Quanto plures habebat eives et opes Israel, tanto plura edificavit idola et altaria; quia instar vitis frondosæ, in ea totus effluxit; ita S. Hier. Theodor. Theoph. Chald. Lyran. et Vatabl. in Hebr. est elegans paronomasia inter *טוב* *tob*, et *הטוב* *hetibu*, q. d. Secundum bona terræ fecerunt bona idolis, quasi earum largitoribus, ut quo plus bonorum ab iis se accipere putabant, eo plus iis impenderent. Sic ait de Deo frugum Virgil eelog. 7.

*Nunc te marmorum pro tempore fecimus, at tu,*

*Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.*

Hoc est quod subdit hic Propheta: *Iuxta ubertatem terræ exuberabit simulacris*. Ita impii Deo reddunt mala pro bonis, et beneficia vertunt in maleficia, ac fruges in gladios, divitias in vitia, quibus contra auctorem eorum pugnant pro diabolo.

DIVISUM EST COR EORUM. ) Hebr. *divisit cor eorum*; Vers. 2.

Septuag. *divisit corda sua*, quia scilicet Israel, puta Samaritæ, separarunt mentem suam Primo, a Deo, Deique lege, ait Chald. et Theoph. Secundo, a sese invicem, q. d. Animis et odiis inter se dissident, dum hi hæc, illi illa idola, alii alia inducere conantur; ita S. Cyrill. Theod. Albert. et Hugo. Simili modo inter hæreticos perpetua videmus schismata et iurgia, quæ parit superbia. Cum enim fastu tumeant, nolunt aliorum hæreses sequi, esseque eorum discipuli; sed ipsi novorum dogmatum auctores et magistri esse satagunt. Porro Hugo putat hic notari schismata inter Iuda et Israel, sive inter Roboam et Ieroboam, ac consequenter inter Deum et vitulos aureos: hos enim coluit Israel, illum Iuda. Verum hoc remotius

Vinea est Ecclesia et anima ob varias analogias.



est: vicinius S. Hieron. Haymo et Albert. putant hic significari schisma inter Osee ultimum regem Israel, et populum, dum populus vitulos, rex Deum colendum cense- ret: sed huius schismatis in Scriptura nulla est mentio, imo de Osee rege dicit 4. Regum 17. 2. *Fecitque malum coram Domino*, quia, ut videtur, coluit vitulos aureos, non Deum. Tertio, *divisum est cor eorum in seipsis*, dum par- tem eius Deo, partem idolis dare voluit. Capiant enim tam Deum, quam idolum colere, ut utrumque habeant propitium, ut patet 4. Reg. 17. 33. ita Lyran. Sic Roma- ni colebant deos omnium gentium, ut omnes haberent propitios et faventes, ne, si quem negligerent, eum con- tra se concitarent; uti Troiani colendo Venerem, concita- runt contra se Iunonem, uti narrat Virgil. 4. Æneid. Pu- tabant enim inter Deos esse lites et bella, uti sunt inter homines.

**NUNC INTERIBUNT.** ) q. d. Ideo iam iam excidentur, et desolabuntur, ut vertunt Septuag. divisio enim et schi- sma est causa ruinæ et interitus. Verum enim est illud Christi: *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Secun- do, cum Chald. Aria et Vatablo verti potest, *nunc delin- guent*, q. d. Insigne delictum et enorme flagitium est, hæc cordis eorum divisio a Deo et proximis, imo a seipsis. He- br. enim **שָׁשָׁ** *aseiam* et delinquere, et desolari, sive ex- scindi et interire significat.

**IPSE**, scilicet Deus, **CONFRINGET** per Assyrios **SIMULA- CRA EORUM.** ) Israelitarum. Ita S. Hier. Theod. Theoph. Albert. et Vatabl. Hebræi enim sæpe suppositum subti- cent, et ex circumstantiis subintelligendum et supplendum relinquunt. Secundo, *ipse*, id est *ipsum*, scilicet, cor divisum: **לֵב** *leb* enim, id est *cor*, hebr. est masculini ge- neris, æque ac *ipse*: vel certe *ipse*, scilicet Israel, qui di- visit cor suum, ut habent Hebræa, q. d. Ipse dissensus a- nimorum, ipsa discordia, ipsa schismata et factiones per- dent eos, tradentque hosti qui simulaera, æque ac domos et urbes eorum evertet; ita a Castro. Unde sequitur:

**QUIA TUNC DICENT: NON EST REX NOBIS.** etc. ) q. d. Cum viderint adventare Assyrios, ac Samariam obsidere, nec Osee regem suum posse eis resistere, tunc dicent: Non est rex qui nos possit tueri: rex noster perinde est, ac si non esset rex, idque iuste accidit nobis, quia non timemus, nec colimus Dominum, sed idola. Deo enim, qui est Rex regum et dominus dominantium, irato, quis mor- talis rex invare et salvare poterit? ita Lyran. et Vatabl. Unde Secundo, S. Hieron. Theod. et Albert. exponunt, q. d. Cum Osee rex capietur ab Assyriis, dicit Israel: Iam or- bati sumus rege; quia Deum regem regum reliquimus. Tertio, a Castro, q. d. Deus qui solet nos regere, esseque rex noster, nos deseruit, quia non colimus eum: quid ergo opis nobis conferet Osee rex miser, et ruinæ proximus? Denique Hugo et Arias exponunt, q. d. En regnum Israel quod invito Deo instituimus, iam successum est: quia Deum non timuimus. Quid ergo illud nobis profuit, aut prode- rit, quod nos secum trahit in ruinam?

**Moral.** discant hic resp. et reges, omnem eorum poten- tiam esse imbellem et invalidam, nisi Dei cultu et ope ful- ciatur. Hoc professus Salomon, 3. Regum 2. 24. *Vivit, D* ait, *Dominus, qui firmavit me, et collocavit me super so- lium David patris mei.* Et Davidi ait Deus psalm. 88. 36. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in æternum manebit, et thronus eius sicut sol in conspectu meo?* Quocirca David moriens Salomoni hæc ultima dedit monita: *Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, etc. ut confirmet Dominus sermones, quos locu- tus est de me, dicens: Si custodierint filii tui vias meas, et ambulaverint coram me in veritate in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.* Quin imo Moses moriturus, ex ore Dei de regibus ita san- xit Dent. 17. 18. *Postquam sederit (rex) in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium, etc. legetque illud omnibus diebus vite suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba, et cæremontias eius, etc. ut longo tem- pore regnet ipse, et filii eius.* Hoc ipsum æterna Sapientia edicit Prov. 8. 13. *Per me reges regnant.* Hinc de Iosaphat

**A** pio rege dicitur 2. Paral. 2. *Fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulavit in viis David patris sui, etc. confirmavit- que Dominus regnum in manu eius, etc. factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et multa gloria.* Hac de causa Agapetus recte monuit Iustinianum Imp. uti refert Baron. tom. 7. in Iustin. *Sceptrum, ait, imperii, cum a Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei, qui id tibi dedit, eumque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omni- bus eum honorare festina.*

Viderunt idipsum Gentiles. Scribit Plinius de Viris il- lustr. c. 2. Numam Pompilium secundum Romanorum re- gem, ferum populum religionis institutione et utilibus le- gibus domuisse, suumque regnum ita firmasse, ut penden- te eius regno nemo illi bellum moverit. Apud Livium lib. 44. est illa vox C. Marci, *favere pietati fideique deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii pervenit.* De A- gesilao Spartanorum duce ita scribit Xenophon in eius laudibus: *Existimabat divina auxilia non minus in hosti- li, quam amico in solo imploranda esse.*

**LOQUIMINI VERBA VISIONIS INUTILIS.** ) Legit Interpres Vers. 4. **דַּבְּרָו** *dabberu* in Imperativo, id est, *loquimini*: iam le- gunt **דִּבְּרָו** *dibberu* in præterito, id est, locuti sunt. Chald. vertit in præsentem, *loquuntur verba violenta*: quia Hebræi carent præsentem, et pro eo utuntur præterito. Rursus, pro *visionis inutilis*, hebr. est **אֵלֹת שָׁוְיָ** *alot sciuv*, id est, *iuramenti mendacis*, vel futiles et *inutilis*. Solebant enim Prophete suas visiones, sive prophetias confirmare iuramento, dicendo: *Vivo ego, dicit Dominus*, id est, iuro pro vitam meam; aut potius se diris devovendo, dicere; *hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si mentior.* Hebr. enim *alot* significat iuramentum execratorium, maledictio- nem et imprecationem tristium. Talis ergo visio et pro- phetia vocatur *ala*, id est, execratio: quia fiebat cum ex- ceratione. Sensus est ergo, q. d. Loquimini sane et iaeta- te verba pseudoprophetarum, qui asserunt suas visiones, easque iurando et peierando confirmant, sed mendaces et futiles. Pollicentur enim omnia prospera, nec timendos esse Assyrios, sed mentiuntur et decipiunt vos, aguntque in ruinam. Est ironia: ridet enim et subsannat eos, quod falsis Prophetis et seductoribus fidem habeant in suam perniciem: loquuntur enim visiones, sed futiles et men- daces, puta non Dei oracula, sed cerebri sui somnia; ita S. Hieron. Haymo, Hugo et alii.

**FERIETIS FOEDUS.** ) Hæc sunt *verba visionis inutilis*, seu oracula pseudoprophetarum. Dicebant enim: *Ferietis*, vel ferite *foedus*, scilicet eum diis vestris, æque ac regibus, iu- rando et devovendo vos diris, si unquam eos, eorumque schisma deseratis, et ad Deum domumque David in Ieru- salem et templum redeatis; ita Vatabl. Arias et Clarius. Secundo, ferite foedus cum Assyriis, aut cum Ægyptiis: si hoc feceritis, omnia erunt vobis segura et prospera; ita ipsi. At fallunt: nam instat vobis amaritudo captivitatis; unde de ea subdit:

**ET GERMINABIT QUASI AMARITUDO IUDICIUM SUPER SULCOS AGRI.** ) Pro *amaritudo* hebr. est **רֹס** *ros*, quod significat venenum, amaritudinem, resque vevenatas et amarissimas, uti est fel, virus serpentum (unde Chald. vertit, *caput serpentum maleficorum*) colocyntides, absyn- thium, etc. Septuag. vertunt, *germen*, scilicet amarum et noxium. Sensus ergo est, q. d. *Iudicium*, id est, sup- plieum Israelis *germinabit*, et prodibit quasi *amaritudo*, id est, amara et noxiæ herba, v. g. absinthium, *super sul- cos agri*, ubi copiosius germinant, utpote terra sulcata et elaborata, q. d. Uti noxiæ herbæ copiose germinant in terra culta; ita copia suppliciorum germinabit in Israel, qui in agro tam terræ, quam cordis duxit sulcos non pie- tatis, sed impietatis: hisce enim cor suum sulcavit, id est, studiose et data opera peccavit, sculpendo et colendo ido- la, ac Deum Deique legem et minas spernendo; idque ex eo, quod credidit pseudoprophetis dicentibus, eum, si id faceret, foedusque cum idolis feriret, tutum et securum fore; ita Theodor. Theoph. Arias, Vatabl. et S. Hier. qui et addit de hac amaritudine supplicii: *Ut qui seminare- runt copiose in gaudio, copiose metant in lacrymis; qui ri-*

Moral. vis regni sine Deo est inva- lida.

serunt, *flcant; qui habuerunt consolationem, lugeant.* Al-  
 ludit ad minas et execrationes Mosis. Deuter. 29. 18. *Ne  
 forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cuius  
 cor aversum est hodie a Domino, ut vadat et serviat diis  
 illarum Gentium, et sit inter vos radix germinans fel et  
 amaritudinem. Cumque audierit verba iuramenti huius  
 benedicti sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, et am-  
 bulabo in sivilate cordis mei. Et Dominus non ignoret  
 ei, sed tunc quam maxime furor eius fumet;* imo hasce  
 minas in Israele iam implendas Osee hic prædicat. Secun-  
 do, *iudicium*, id est, vindicta, *super sulcos agri*, accipi po-  
 test sterilitas inducta agris, q. d. Deus puniet vos agro-  
 rum sterilitate, ut, licet sulcati et seminati, non proferant  
 segetem, sed potius spinas, tribulos, lolia, herbasque a-  
 maras et venenatas.

Vers. 3.

**VACCAS BETHAVEN COLUERUNT HABITATORES SAMAR-  
 IÆ.** ) *Bethaven* est Bethel. Bethel enim, id est, Domus  
 Dei, dicta est. ob visum ibi a Iacobo Deum scæ læ inni-  
 xum. Eadem deinde dicta est *Bethaven*, id est, domus in-  
 iquitatis, vel idoli, ob vitulos aureos quos ibi adorandos  
 proposuit Ieroboam. *Vaccas* ergo, sive iuvenas, vocat  
 hosce vitulos. Unde Septuag. hic vertunt, *vitulum*; et de  
 eo mox sequitur: *Quia luxit super eum* (vitulum) *popu-  
 lus*. Pro quo nota: Vitulus hic fuit Apis, sive Serapis,  
 Deus Ægyptiorum. Hunc enim cum Ægyptiis coluerunt  
 Hebræi degentes in Ægypto, ideoque Deus, ut eos ab hoc  
 idolo avelleret, iussit Mosi ut eos educeret ex Ægypto in  
 Sina: ubi cum Moses accepturus legem, diutius cum Deo  
 hæreret in monte, mox populus volens redire in Ægyptum,  
 Apin, puta vitulum aureum, quasi ducem viæ sibi conlla-  
 vit, Exodi 32. 4. Eumdem renovavit et revocavit Ieroboam,  
 faciens schisma a Deo, et a domo David; lege historiam  
 3. Reg. 12. v. 28. Porro Ieroboam non unum, uti videtur  
 velle S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo et Lyran. sed plures  
 erexisse vitulos patet, tum 3. Reg. 12. 28. tum quia  
 hic eos vocat *vaccas* in plurali; *vaccæ* ergo *Bethaven*, sunt  
 duo vituli aurei, quos fecit Ieroboam, unumque posuit in  
 Bethel, alterum in Dan. Dan ergo æque ac Bethel vocat  
 hic *Bethaven*, id est, domus idoli.

Nota: Scriptura hos duos nunc vocat *vitulos*, nunc *vi-  
 tulas*, vel *vaccas*. Primo, quia Patres quos citavi Exodi 32,  
 v. 4. docent eos non fuisse integros vitulos, sed tantum  
 capita vitulina, ita ut Aaron Hebræis tantum collaverit  
 caput vituli: unde an is mas esset, an femina, puta an vi-  
 tulus, an vitula, vix dignosci poterat. Secundo, quia valde  
 verisimile est, si e capite sextus dignosci poterat, fuisse  
 vitulas potius quam vitulos: tum quia Herodat. lib. 2.  
 id docet: *Boves mares*, inquit, *eisdemque mundos, ac vi-  
 tulos universi Ægyptii immolant: feminas eis immolare  
 non licet, utpote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum  
 muliebre est bubulis præditum cornibus, quemadmodum  
 Io Græci describunt, bovesque feminas omnes itidem Æ-  
 gyptii venerantur ex omnibus pœudibus longe plurimum:*  
 tum quia hebr. vocantur *עגלות* *eglot*, fœminine, id est,  
 vitulæ, uti vertunt Septuag. 3. Reg. 12. 28. ac Ioseph. 1.  
 S. Ant. c. 3. sive *vaccæ*, uti vertit Noster hic. *Vaccas* ergo  
 novellas accipe, id est, vitulos adultos, aut potius ad-  
 ultas: vitulus enim, uti et bos, asinus, equus, ovis, ca-  
 melus, et cætera animalium nomina utrumque sexum,  
 puta tam fœminam, quam marem significant. Hæc senten-  
 tia valde probabilis est: contraria tamen, scilicet fuisse  
 vitulum, potius quam vitulam, non est improbabilis,  
 eamque videtur sequi S. Hier. Rupert. Vatabl. et Arias.  
 Ratio est, quia passim vocatur *vitulus*: hic tantum vocatur  
*vacca* ad irrisionem. Apis ergo, sive Serapis, erat bos,  
 vel vitulus corpore nigro, candida fronte, habens in ter-  
 go albam notam vel maculam, uti dixi Exodi 32. 4.

Tropol. peccator qui carni, abdomini, ventri et veneri  
 indulget, colit vitulos et vaccas Bethaven, eum iisque vi-  
 tulatur, sitque quasi vitulus. Sicut enim vituli et vaccæ  
 stupidi sunt, pelulei, iugum subeunt, terram aratro subi-  
 gunt, et collum oneri supponunt: ita et carnales stupidi  
 fiunt mente, lasciviant, labores maximos subeunt ut suis  
 deliciis fruantur, onera gravissima et pene importabilia

A suscipiunt, fœno pascuntur, tolique in terram et terrena  
 proiecti suut.

**COLUERUNT.**) Hebr. est *יגרו* *iaguru*, id est, timue-  
 runt, hoc est, coluerunt et venerati sunt, ut vertit No-  
 ster, Chald. et alii: nam *primus in orbe deos fecit timor*.  
 Hinc in Scriptura timor Dei, significat venerationem et  
 cultum Dei. Timor ergo hic est reverentia Dei; ita S. Hieron.  
 Theodoret. Haymo et alii.

Aliter Vatabl. Arias, Pagnin. et Clarius, q. d. Sama-  
 ritæ videntes ab Assyriis vastari Bethel et vitulos suos,  
 pavebant, timentes quod et ipsimet propediem simili clade  
 vastabuntur. Septuag. vertunt, *morati sunt*: *גור* *gur*  
 enim significat proprie peregrinari, morari, degere: inde  
*ג* *gher* est peregrinus: et quia peregrini peregre, apud  
 exteros et incognitos sunt timidi et pavidi, hinc *gur* si-  
 gnificat quoque timere, pavere. Vertunt ergo Septuag. *a-  
 pud vitulum domus* ( pro *און* *aven* enim legunt ipsi  
 per crasin *און* *on* ) *morabuntur habitatores Samaritæ*. Hinc  
 et Vatabl. vertit, *ad vitulas Bethaven concurrent Sama-  
 ritæ*.

**QUIA LUXIT SUPER EUM POPULUS EIUS.** *Eum*, scilicet  
 vitulum, ut vertunt Septuag. Itaque quas ante *vaccas* vo-  
 cavit, hic *vitulum* vocat, ob causas iam dictas: et quia  
 voluit substantiam tantum idoli, non sexum, non nume-  
 rum significare, scilicet quod esset bos, sive vitulus, non  
 equus, non hircus, non aries. Sensus ergo est: *Luxit*, id  
 est, lugebit, populus super vitulum Deum suum, cum sci-  
 licet videbit eum ab Assyriis capi, et captivum avehi in As-  
 syriam, lugebunt **ET ÆDITUI EIUS**, puta sacerdotes et cu-  
 stodes vituli eiusque templi, qui antea **EXULTABERUNT IN  
 GLORIA EIUS**, cum ipse ab omnibus coleretur: **QUIA GLO-  
 RIA hæc vituli MIGRAVIT AB EO.** )

**SQUIDEM ET IPSE (vitulus) IN ASSUR (Assyriam) DE-** Vers. 6.

**LATUS EST, MUNUS REGI ULTORI.** ) Septuag. et ipsum *vin-  
 ciendum duxerunt ænia regi*, q. d. Vitulum hunc capti-  
 vum, quasi munus et ænium iossigne obtulerunt Assyrii  
 regi suo. Nota Primo, *quia* hic non causam significat,  
 sed eventum: hebr. enim *כי* *chi*, sæpe tantum consequen-  
 tiæ et ornatus causa additur, idemque valet quod *hinc*,  
*hæc de causa, idcirco*. Secundo, post *æditui*, more Ho-  
 bræo subauditur relativum *אשר* *ascer*, id est, *qui*. Terti-  
 o, regem Assyriorum vocari *ultorem*, id est, vindicem;  
 Symmach. *ὑπεραγγελας*, id est, præsullem et defensorem,  
 ob causam quam dedi c. 5. 13. Allegor. Tertull. l. 4. contra  
 Marcion. c. 42. *Oseeas*, ait, *de Christo prophetavit: Et  
 vincetum eum ducent ænium regi*; nempe cum Pilatus eum  
 misit ad Herodem. Sed perperam; donum enim hoc fuit  
 idolum, puta vitulus aureus, qui nequit esse typus Christi.

**CONFUSIO EPHRAIM (Ephraimitas, id est, Israelitas si-  
 ve Samaritas) CAPIET, ET CONFUNDETUR ISRAEL IN VO-  
 LUNTATE SUA.** ) Hebr. *מעצתו* *meatsato*, id est, *a consilio  
 suo*, ut vertunt Sept. Vatabl. et alii

Quæres, quænam hæc confusio, quæ voluntas, quod-  
 nam consilium? Primo, S. Hieron. Theodoret. Theophyl.  
 Haymo et Hugo: *Tradunt*, inquit, *Hebræi vitulos au-  
 reos a sacerdotibus furto esse ablatos, et pro his æneos et  
 deauratos repositos. Cum igitur lugeret populus tempore  
 necessitatis et angustiae, etiam vitulos aureos inter manera  
 cætera Assyrii regibus, et maxime regi Sennacherib, ab Is-  
 rael esse directos; exultabant æditui quod fraus eorum ne-  
 quaquam posset argui et deprehendi. Et hoc est quod ait:  
 Æditui eius, scilicet vituli, super eo exultaverunt in gloria  
 populi, hoc est, in vitulo quem habebant pro gloria; quia  
 migrasset ab eo, id est, a populo, et translatus esset ad As-  
 syrios. Siquidem ipse delatus est munus regi ultori, sta-  
 timque sequitur: Confusio capiet eos, etc. Deprehensa enim  
 fraus vitulorum deauratorum, regi Israel litteris indica-  
 tur; et unde se placere existimaverunt, inde vel maxime  
 confunduntur, et offendunt eos, quibus munera miserant,  
 existimantium non furto sacerdotum, sed fraude regum  
 atque consilio hoc esse perfectum. Additque S. Hier. Legi-  
 mus 4. Reg. 15. 19. *regem Israel Manahem regi Assyrio-  
 rum Phul mille talenta argenti misisse, ut ei præberet au-  
 xilium, inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos au-**

reos esse directos. Consilium ergo hoc sacerdotum fuit, quod suaserint regi Israel, ut vitulos deauratos mitteret dono regi Assyriorum, ut sic fraus eorum lateret, qua ipsi furati vitulos aureos, supposuerant teneos deauratos: confusio et pudor eorumdem fuit, cum fraus eorum detecta per regem Assyriorum, redundavit in eaput regis Israel, et tandem in caput ipsorummet sacerdotum. Aliter Theophyl. opinatur enim sacerdotes suasisse principibus, ut vitulos hosce mitterent in Assyriam, quod sperarent eos ab Assyriis adorandos, sed confusi sunt: nam Assyrii eos confrugerunt. Aliter et Theodor. Consilium, ait, hoc fuit de mittendo vitulo in donum Sua regi Ægypti, ut is Israelitas tueretur contra Salmanasar. Sed confusi sunt: nam et vitulum perdiderunt, et a Sua adiuti non sunt.

Verum hæc omnia incerta sunt, et fabulas Rabbinicas olent, præsertim quia Osee satis significat, vitulum hunc non datum, sed captum, ab Assyriis e. 8. 5. *Proiectus est, inquit, vitulus tuus Samaria.* Et hic v. 2. *Ipsæ confrigit simulacra eorum.* Et v. 8. *Disperdentur excelsu idoli, peccatum Israel.*

Dico ergo: Voluntas hæc et consilium Israelis fuit, quod vitulum quasi numen suum elegerint, et Deo vero prætulerint, eique, non Deo, servite voluerint, sperantes eius ope se tutos fore ab Assyriis, sed confusi sunt: nam vastati sunt eum vitulo, qui ab Assyriis captos et irrisus, in donum oblatus fuit regi altori, puta Salmanasar, qui ultus est defectionem Israelitarum tam a Deo, quam a se, quod scilicet contra fœdus secum initum confugissent ad Sua regem Ægypti. Ita Lyran. Arias, Vatabl. Ribera, a Castro et alii.

Tropol. S. Gregor. explicans illud S. Iob cap. 21. 16. *Consilium eorum longe sit a me. Quod est, inquit, iniquorum consilium, nisi terrenam gloriam quærere, æternam negligere; salutem temporalem cum damno interiori appetere, et dolores transitorios ad æternos genitus commutare?*

Vers. 7.

**TRANSIRE FECIT SAMARIA REGEM SUUM.** ) Hebr. נדמה נדמה, quod Primo, verti potest, *excindetur in Samaria rex eius*, scilicet rex Samariæ, puta Osee occidetur in ea; ita Vatabl. Secundo, *Similis est eum Samaria rex eius spumæ, quæ est in superficie aquarum*, q. d. Rex cum regno instar spumæ dissipabitur et evanescet: ita Arias. Tertio, *In silentium reducta est, vel obmutefacta est*: id est periit, disperiit *Samaria cum rege suo*; ita Forster. Quarto, *Noster passivum nidme accepit pro activo דמה דמה, vel dîmma, id est, exeidit; unde vertit, transire fecit*: Sept. *abiecit*; forte pro נדמה נדמה legerunt נדפה נדפה, id est, impulit, propulit, propulsavit Samaria regem suum quasi spumam: spuma enim ab unda et fluctu proprie propelli dicitur, q. d. Samaria idola colendo transire fecit, impulitque in exitium regem suum quasi spumam. Suo enim scelere apud Deum meruit et effecit, ut regnum suum cum rege ab eo exiinderetur, et transiret eclerrime, evanesceretque ut spuma aquæ propulsa et dispulsa a fluctibus. Rursum, q. d. Cum rex populo in idololatriam proposito obsecundaret; et hic sceleris avidus regi assentiretur et assentaretur, fecit populus, quem aquæ multæ representabant, regem suum perire quasi spumam ex se natam, eam scilicet in seipso, velut in aqua consumens, perdens et evanesere faciens. Aliter Sanchez qui per regem accepit idolum, puta Moloeh, vel vitulos aureos, quos secum perdiderunt Samaritæ.

Nota. Pro *spumam* hebr. est קצף *kelseph*, quod proprie significat ebullitionem et effervescentiam; inde iram ebullientem, inde bullam et spumam. Septuag. vertunt, *φρηνάσους*, quod interpres *cremum* vertit, puta sarmenta, stipulæ, omniaque ignis fomenta ad cremandum facilia, quibus fornax incenditur, vel torretur aliquid atque frigitur: a frigendo enim vocatur *φρηνάσους*; ita ex Columella et Plinio S. Hieron. Hæc enim sarmenta vel stipulæ, instar spumæ ab aqua propelluntur, et si accensa sint, ab ea mox extinguuntur, ait Theodor. Symmachus vertit, *επιζεουζα, volens ostendere ferventis ollæ superiores aquas, et in spumam bullasque surgentes, quas Græci πρυμολύγας vocant*, ait S. Hieron. Syrus vertit, *reiecit Samaria regem suum*

**A** *quasi paleam, vel quasi testudinem* ( pro *ghelo* enim aliis punctis legi potest *golo*) *super faciem aquæ.* Arabicus Antioch. *desperavit Samaria regem suum quasi herbam super aquas*, v. g. algam. Arabicus Alexandr. *sustulit Samaria regem suum sicut spumam, quæ est super faciem* (superficiem) *aquarum.*

**ET DISPERDENTUR EXCELSA**, altaria, sacella et templa (hæc enim Iudæi more Gentilium erigebant in montibus, loeisque excelsis) **IDOLI**, puta vituli aurei in Bethel erecti, quod est **PECCATUM ISRAEL.** ) *Peccatum* vocat non actum, sed obiectum peccati, puta idololatriæ.

**ET DICENT** Israelitæ in excidio Samariæ per Salmanasar, **MONTIBUS: OPERITE NOS.**) q. d. Tanta erit clades et cedes Israelitarum, tantus clamor, pavor et horror Assyriorum, ut qui poterunt abdant se in speluncas et cavernas: qui non poterunt, optent montibus et collibus operiri et contegi, ne hanc stragem videant et sentiant; *ut nemo futurus sit*, ait Theophyl. *qui non malit obrui aut terra discedente, aut repentino montium casu, quam mala ab hostibus admissa sustinere.* Et Cyrill. *Dicent, inquit, montibus, in quibus idola colebant: Cadite super nos, et anticipate crudelitatem Babyloniorum, et captivitatis extremam miseriam.*

**B** Nota, ad litteram, ut patet ex antecedentibus et sequentibus, hæc intelligi de excidio et calamitate extrema ac desperata decem tribuum, cum ab Assyriis excisa est Samaria. Ita S. Hieron. Cyrill. Ruffin. et alii. Allegor. vero hic dari typum calamitatis et excidii, tum Jerusalem per Titum et Romanos, quæ tanta fuit, ut in cryptas et cloacas se abderent Iudæi, teste Iosepho; excidium enim Samariæ fuit typus et præludium excidii Jerusalem: unde eidem hæc accommodat Christus Lucæ 23. 30. ita S. Hier. Haymo, Theophyl. et Hago; imo Rupert. vult hunc esse sensum litteralem; sed perperam: tum totius orbis in fine mundi: eidem hæc adaptat S. Ioannes Apocal. 6. v. 16. Simile est Isaïæ 2. 19. *Introibunt in speluncas petrarum, et in voragine terræ a facie formidinis Domini.* Sic apud Seneeam in Troadibus vidua Hectoris occultans filium in sepulero, ait ei:

*Fata si miseris iuvant,  
Habes salutem: fata si vitam negant,  
Habes sepulcrum.*

Quod Malchus Monachus, teste S. Hieron. in eius Vita, herum insequentem fugiens, abdensque se in speluncam, sibi adaptans: *Si, inquit, Dominus miseris iuvat, habemus salutem: si despicit peccatores, habemus sepulcrum.*

Anag. hæc plane pleneque congruunt damnatis in gehenna, qui optant mortem, ut penas evadant, et mori nequeunt. De quibus S. Bernard. lib. 5. de Consid. cap. 12. *Horreo, ait, vermem morducem, et mortem vivucem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus, Cadite super nos; et collibus: Operite nos, quid nisi mortem mortis beneficio aut finire, aut evadere volunt? Denique invocabunt mortem, et non veniet; ait S. Ioannes Apoc. 9. Unde Arabiens vertit, et dicent montibus, et rupibus, et collibus: Cadite super nos.*

**EX DIEBUS GABAA PECCAVIT ISRAEL.**) q. d. Priscum et inolitum est hoc idololatriæ Israelis peccatum, olitana et pertinax hæc in eo est labe et macula, quæ proinde non nisi igne et excidio purgari et evelli potest.

Quæres, quinam sunt dies Gabaa? Primo, Chald. hæc refert ad Saulem, qui creatus est rex in Gabaa: peccavit enim Israel petendo regem contra voluntatem Dei, q. d. A tempore Saulis peccavit Israel, et Deo rebellare cepit: in Gabaa ergo tam populus, quam rex steterunt coram Domino, imo contra Dominum; et tamen non comprehendit eos prælium susceptum *super*, id est, contra, *filios iniquitatis*, puta Philistinos incircumcisos et infideles, q. d. Licet Israel peccaverit creando regem Saulem, tamen Deus eum non deseruit, nec tradidit Philisthæis, sed potius eos illi subiugavit. Nam, ut dicitur 1. Reg. 14. 52. *Erat bellum potens adversus Philisthæos omnibus diebus Saul.* At Israel tantæ Dei clementiæ immemor et ingra-

Vers. 8.

Vers. 9.

tus, ab eo descivit ad idola. Ergo acriter ab eo punietur. Hoc est enim quod subdit: *Iuxta desiderium meum corripiam eos*. Verum in creando Saule rege non peccavit solus Israel, de quo hic agitur, sed et Iuda: nec sub Saule, aut post Saulem sub Davide et Salomone a Deo descivit ad idola, sed sub Roboam.

Secundo ergo, melius alii hæc referunt ad tempora Iudicum, puta ad tempus quo stuprum in Gabaa est commissum a Beniaminitis in uxorem Levitæ, ob quod omnes pene in prælio deleti sunt, Iudic. 19. 20. Sensus ergo est, q. d. Ex eo tempore, quo viri Gabaa et Beniaminitæ scelus in Levitam, eiusque uxorem admiserunt, peccavit Israel, scilicet idololatria publica, puta colendo idolum a Micha erectum in urbe Dan, Iudic. 17. 5. et cap. 18. 30. Nam utramque historiam, puta stuprum Gabaa et idolum Michæ eodem tempore contigisse, patet Iudic. 17. 1. mirum statim post tempora Iosue, vivente adhuc Caleb, sub Othoniele, ut docent Hebræi, S. Hieron. Rufin. Rupert. Theodoret. Theoph. Lyran. a Castro et alii. Unde et Iosephus utrumque morti Iosue illico subnectit, ante historiam Iudicum. Idque demonstratur ex eo quod Phinees filius Eleazari filii Aaron iam tum vivebat, uti ibidem dicitur cap. 17. 6. et cap. 18. 1. et cap. 20. 27. et ex eo quod Ionatham filius Gersam, filii Mosi, consecratus fuerit sacerdos idoli Michæ, uti dicitur cap. 18. 30. Rursum, quod tum needum ab Israelitis expugnata esset Ierusalem, uti dicitur cap. 19. 11. Cum igitur Ierusalem expugnatio narretur initio libri Iudic. cap. 1. sequitur stuprum Gabaa et idolum Michæ contigisse ante tempora Iudicum, et historias eorum lib. Iudicum esse præponendas; vide Abulens. ibid. Porro nominat scelus et stuprum Gabaa, potius quam idolum Michæ, quia illud enorme erat, infame et execrabile, non tantum coram Deo, sed et coram hominibus: et quia stuprum hoc mystice repræsentabat idololatriam; hæc enim in Scriptura vocatur *fornicatio, adulterium*, etc. Denique, quia hæc duo vicina et coniuncta sunt: libido enim est mater idololatriæ, æque ac hæresis; et vice versa idololatriæ sunt libidinosi: ac Gabaitæ utrumque fuisse videntur, et ex uno vitio in alterum prolapsi.

Tertio, pro *ex diebus*, hebr. est *מִימֵי* *mime*, quod verti potest, *præ diebus Gabaa* peccavit Israel, q. d. Gravius peccavit Israel colendo idola, quam Gabaitæ violando uxorem Levitæ: gravius ergo punientur quam illi, eumque illi pene ad interneccionem deleti sint, multo magis Israel interneccione delebitur; ita Vatabl. et Sanchez. Aliter Clarius, q. d. O Israelitæ gravius nunc peccastis colendo vitulos Ieroboam, quam in diebus Gabaa per stuprum: illud enim pauci Gabaitæ commiserunt, totus vero reliquus Israel illi restitit, scelusque publico bello vindicavit, hic autem nullus est qui idololatriæ vitulorum resistat, sed omnes in eam conspirant. Ergo ergo Deus, sceleris æque ac honoris mei vindex exargam, omnesque vos soutes plectam per Assyrios.

IBI STETERUNT.) q. d. A diebus Gabaa, in idololatria Michæ immobiles perstiterunt, ut patet Iudic. 18. v. 30. et 31. æque ac Gabaitæ in defensione stupri; ita Theodoret. et Theophyl. perstiterunt, inquam, usque ad Ieroboam, qui idololatriam in vitulis suis renovavit et auxit. Aliter Rupert. et Lyran. q. d. Cum Israelitæ vindicassent stuprum Gabaa, ibi steterunt, nec perrexerunt vindicare gravius scelus, puta idolum Michæ, uti facere debebant. Aliter et Clarius, q. d. In Gabaa unanimiter steterunt Israelitæ ad ultionem sceleris, et conspirarunt ad vindicandum stuprum.

NON COMPREHENDET EOS IN GABAA PRÆLIUM; est hebraismus: cum enim ait, *In Gabaa*, subauditur particula similitudinis *sicut*, q. d. *Comprehendet* Israelitas *prælium*, at *non tale* quale fuit Gabaitarum, vel sicut fuit *in Gabaa*, SUPER, id est, contra, FILIOS INIQUITATIS,) puta Gabaitas, qui abusi erant uxore Levitæ, sed longe gravius, quo scilicet plane exseindetur tam Samaria, quam rex et regnum totum Israel.

Aliter a Castro, q. d. In Gabaa filios iniquitatis, id est, Gabaitas, non comprehendit prælium Israelis: quia primo

et secundo prælio Israel a Gabaitas victus et cæsus est. Verum obstat quod ait, *comprehendet* in futuro: loquitur ergo de futuro, non de præterito. Adde, sensum illum videri extra propositum, et difficulter toti sententiæ adaptari.

IUXTA DESIDERIUM MEUM CORRIPIAM EOS, q. d. Cum omnes stent et conspirent in prisca idololatria, quam cœperunt a tempore Michæ, desidero et aveo eos insigniter corripere et castigare. Meo ergo nutu et providentia CONGREGABUNTUR SUPER EOS POPULI (Assyrii) CUM CORRIPIENTUR, id est, punientur, PROPTER DUAS INIQUITATES SUAS) puta duos vitulos (est metonymia: idololatria enim ponitur pro ipso idolo) quos coluit, scilicet anum in Bethel, quam v. 1. vocavit *Bethaven*, alterum in Dan, ubi primitus fuit idolum Michæ in diebus Gabaa, uti innuit v. 9. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. et Clarius: qui Secundo, *duas iniquitates* accipiunt duplicem idololatriam, scilicet unam prisecam idoli Michæ in diebus Gabaa, alteram recentem vitulorum Ieroboam. Tertio, Arias exponit, q. d. Gabaitæ unam stupri iniquitatem admiserunt, hi vero duas, puta fornicationem et idololatriam. Quarto, S. Hier. addit unam iniquitatem esse, quod non coluerit Deum; secundam, quod coluerit vitulos. Simile est Ieremiæ 2. 13. Interpres noster bebr. אַסְרָם *asram*, accipit quasi derivatum a יָסַר *iasar*, id est, corripere. Ordines enim verborum imperfectorum, qualia sunt אַסְרָם *asar*, et יָסַר *iasar*, sæpe commutantur, ita ut unum ab alio modos et tempora mutuetur. Recentiores vero proprie *asram* ab אַסְרָם *asar*, id est, vincire, ligare, derivant; unde vertunt, *cum colligarint*, vel conianxerint *se in duobus iugeribus*, vel *suleis*, huncque dant sensum ut sit metaphora a iugo, vel a pari boom arantium, q. d. Sicut duo boves uno iugo constringuntur ad arandum, et ad suleandos agros, v. g. duo iugera; ita Israel et Iuda conspirabunt in eandem idololatriam, puta ad colendos duos vitulos anreos. Cum ergo uterque sic conspiraverit, tunc utramque, quasi duos boves colligatos, cædam et mactabo. Addit Chald. q. d. Sicut Israelitæ laborarunt in cultu duorum vitulorum, ita ipsimet capti et constricti ab hostibus, quasi duo illi vituli arabant: damnabit enim eos hostis quasi boves et mancipia ad aratum, et ad agriculturalionem. Ubi advertet, pro *iniquitates*, hebr. est עֲוֹנוֹת *honot*, quod Chaldæus, R. David, Vatablus et alii vertunt, *iugera* vel *sulcos*. Verum aliis punctis legendum est עֲוֹנוֹת *avonot*: aut certe *avonot* per erasin ponitur pro *avonot*, id est, iniquitates; ita enim vertunt Sept. Noster, Arias, Pagnin. Forster. in lexico et alii; nusquam enim alibi *ona* significat iugeram aut sulcum.

EPHRAIM VITULA DOCTA DILIGERE TRITURAM.) Sicut v. 1. Israellem comparavit viti frondosæ, sed fructibus vacuæ; ita hic eundem comparat vitulæ, quæ aravit impietatem, et messuit iniquitatem: in eaque metaphora persistit usque ad finem capituli. Porro alludit ad multa. Primo, in voce *Ephraim*, id est, frugifer, fertilis ad fertilitatem terræ Ephraim. Secundo, in *vitula* ad aureos vitulos, vel potius vitulas, sive vacceas, uti dixi vers. 5. quas colebat, q. d. Ephraim colendo vitulas vitalatur, æstroque insanix agitur quasi vitula. Tertio, *docta*, id est, assueta, ut vertit Vatablus et alii. Unus Lyran. vertit, *stimulata*, quod eodem reduci potest: consuetudo enim illi erat pro stimulo. Alludit ad Apim, id est, vitalum, quem Israel in Ægypto coluit; indeque eius cultui se assuefecit, eique pertinaciter adhæsit in Chanaan. Rursum ad fruges copiosas Ægypti, quibus Israel inescatus in Ægypto, ad eas earumque triturationem, æque ac ad Apim, quasi earum datorem iugiter anhelabat. Quarto, pro *triturationem* hebr. est לָדוּשׁ *ladus*, id est, ad tritandum, puta ad excutiendum grana e segete. In Palestina enim, æque ac in Italia, Canariis, aliisque regionibus grana excutiunt, non homines ligneis flagellis, uti faciunt Germani et Galli, sed boves et vacceæ, sive pedibus et unguis segetem calcando et terendo, sive, ut ait S. Hieron. ferreos orbis super acervum segetum trahendo. Quinto, in voce *docta* et *diligere*, significatur vitulas ad hanc la-

Vers. 10.

Vers. 11.

horiosam trituram condoceri per pabulum, quod ex arca capiunt, sed sensim: saepe enim laxantur: itaque spe pabuli disceunt sponte ad aream, et ad tritrandum redire; eo quod dum triturant, subinde segetem ore carpere, ex eaque edere sinuntur, iuxta legem Deuter. 25. 4.

Sensus ergo huius allegoriae est, q. d. Ephraim instar vitulae amantis trituram et triturationem, eique assuefacta, didicit idola colere, et idololatriae se assuefecit; ac licet subinde ea dimiserit, tamen mox ad ea recurrit: quia per ea sibi frugibus ditari, divesque fieri et prosperari videbatur. Unde labores et molestias, quas in idolorum cultu sustinet, vel non sentit, vel facile superat: quia ex eo putat se frui libertate, opibus, rerumque copia; ita Rupert. Haymo, Lyran. Hugo. Notat S. Hier. *70 docta* significare consuetudinem et amorem. *Ephraim*, inquit, *similis est vaccae, vel vitulae quae a iuventute sua didicit aream terere, et ferreos orbis super acervum segetum trahere, ut palea a tritico separantur: et non solum didicit, verum nimia consuetudine capit amare quae didicit, etc.*

Aliter explicat Vatabl. q. d. Ephraim mavult triturrare, quam arare, id est, mavult comedere quam laborare: unde est instar vitulae saginatae pinguis et obesus. Et alii: Ephraim, inquit, amat trituram, id est, regnum, quo triturret, id est, sibi subdat, et tributis exhauriat alias tribus et gentes. Hinc

Tertio, Septuag. pro *triturrare* vertunt, *contentionem* et vexationem: *Ephraim*, inquit, *vitula docta diligere vitulos*, id est, *contentionem*: sicut enim tritura affligit et vexat segetem, ita contentio vexat homines, praesertim subditos. Aut potius, ut Theod. Cyrill. Theophyl. et S. Hier. contentio hae est cum Deo. Sicut enim vitulus triturans contendit cum segete, ut ei grana adimat et excutiat; ita Israel contendebat cum Deo, nec eius iugum suscipere volebat, sed illud excutiebat, quocirca ego, inquit Deus, collum eius obesum et superbum premam et subigam per Assyrios. Versioni Septuag. consentit Chald. qui vertit: *Similis est domus Israel vitulae quam arare docent, et non discit*. Perperam Leo Castrius pro *vitulos* legit *vitulos*, id est, victoriam, q. d. Ephraim assuetus fuit non domari et vinci, sed vincere, ut ait S. Cyrillus. Sensus tamen eodem redit.

Verum prima expositio est genuina. Est enim adagium, significans indolem, usumque et morem Israelis, quo assuetus libertati, gulae et ventri, ardentem et constantem diligebat idola, quasi per ea libertatem et gulam suam expleret. Alludit ad ingenium meretricum: hae enim sunt, et vocantur vitulae lascivientes. Meretrices enim assuetae amasiis, scortationi et symposiis, ad ea iugiter redeunt, nec ullis vel amicum monitis, vel amasiorum contumeliis, vel lue venerea, dolore et sordibus, vel infamia, etc. ab illis avocari se sinunt, sed ad illa semper revertuntur, velut canis ad vomitum, etiamsi eum dolore, labore et confusione turpitudinem suam expleant. Sic et Israel assuetus idolis, et idololatrarum gentium commerciiis, cum quibus epulabatur, quibusque se ditari putabat, nullis Dei minis, plagis, aut probris ab iis avocari poterat; sed quasi vitula et meretrix lasciviens, cum iis comessabatur, et scortabatur assidue; ita Martinus de Roa lib. 3. Singul. cap. 13. et Delrio adagio 934.

Moral. hinc disce, quanta sit vis consuetudinis, praesertim meretriciae. Vulgo et vere dicitur: *Consuetudo est altera natura*. Et Sapiens Prov. 22. 6. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedit ab ea*. Unde S. Gregor. lib. 20. Moral. 16. *Vitula*, ait, *triturrare laboribus assueti, relaxata plerumque ad eundem laboris usum, etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens huius mundi servitiis dedita, et rerum temporalium futigationibus assueti, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a iugo mundanae servitutis cessare non libeat etiamsi, liceat*. Et hom. 10. in Ezech. *Nonnulli*, ait, *ut in hoc mundo aliquid esse videantur, terrenis laboribus insudant, insistent causis, permi-*

Vol. VII.

*ascuntur iurgiis. Et quamvis se corpore defecere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per Prophetam dicitur: Ephraim vitula docta diligere trituram, etc. Rogant ut emanent, grave se incurrisse periculum quietem putant. Talibus congruit illud Iobi c. 30. 7. Qui inter huiusmodi luctabantur, et esse sub sentibus delicias computabant. Et illud Isaia 5. 18. Vae qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrum peccatum; vide ibi dicta. Vide et S. Aug. l. 8. Confess. c. 5. ubi se a concubinato, cui assueverat, non potuisse expedire narrat, etiamsi is displiceret, ideoque gemeret et suspiraret, donec efficaci Dei gratia tactus, nodum hunc quo concubinae alligabatur discidit. Sic et hodie qui tractant animas, audiunt saepe concubinarios, usurarios, ebriosos, etc. suam infelicitatem plangentes, sibi que indignantes, quin et vere poenitentes, qui tamen data occasione ad vomitum statim redeunt. Nam, ut ibidem ait S. Aug. Ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate.*

*Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi calenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibi innoxis, unde calenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus.*

Nota Secundo, Israellem vocari vitulam, quia vitulando cum vitulis, vitula potius erat quam homo. Polchrae Boetius lib. 4. Consol. phil. prosa 3. ostendit, quomodo vitium hominem sua humanitate deiciat, et in bestiam transformet: *Avaritia*, inquit, *ferret alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus, linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator ocellus surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exequetur. Ira intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torquet? Asinum vivit. Levis atque inconstans studia permulat? Nihil ab avibus difert. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate descenda, homo esse desiderit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.*

ET EGO TRANSIVI SUPER PULCHRITUDINEM COLLI EIUS. Vatabl. et ego transivi cervicem eius pinguem, q. d. Quia Ephraim, id est, Israel, pertinaciter diligit trituram idolorum, ex eaque facta est pinguis et obesa, uti ipsa putat; et, id est, *idecirco*, ego transivi, id est, transibo super pulchrum pingueque collum eius, et tumentes eius cervicum toros iugo imposito edomabo, ait S. Hier. scilicet per Assyrios. Nota. Transit Deus cum plagas infligit; hinc transire in Scriptura significat punire; ita transivit per domos Aegyptiorum occidens primogenita eorum, indeque sancitum et nuncupatum est Pascha, Exodi 12. 12. ita S. Hieron.

ASCENDAM SUPER EPHRAIM. Uti solet eques ascendere super equum; hoc enim est Hebr. ארכיב archib, q. d. Deinceps omnino Israellem mihi subiugabo, faciamque ut Assyrii insendant in collum eius, perinde ac Sapore Persarum rex consensurus equum, Aureliani Imper. dorsum quasi seabellum prius inscendebat. Idem fecit Tamberlanes Baiazeti Turcarum Imperatori. Simili schemate ait Ieremias c. 46. 20. *Vitula elegans atque formosa Aegyptus: stimulator* (hostis et vastator Nabuchodonosor) *ab Aquilone veniet ei.*

ARABIT IUDAS. Nota Hebraeam metaphoram, qua arare significat operari et colere. Hebr. enim ארץ charas significat operari, arare et fabricare. Dicit ergo, quod, cum Deus ultor ascendet super Ephraim, id est, cum decem tribus subiugabit Assyriis, trahetque eas captivas in Assyriam, tunc Iudas, id est, duae tribus hanc Israelis cladem videntes, sibi que de eadem meuentes, respicient, et sub Ezechia pio rege aratrum legis resument, ideoque persistent in terra sua, ibique colent Deum verum: ac CONFRIGENT SULCOS, id est, opera et idola, IACOB. Puta Israelis, sive decem tribuum: ita Theodor. et Theophyl.

19

Moral. de vi consuetudinis.

Peccator non est homo, sed bestia.

Aut q. d. Iacob, id est, reliqui ex decem tribubus profugi ex Samaria, fugient ad Iudam, cum eoque in unum populum coalescent et conspirabunt in verum unius Dei cultum, uti in agriculatione conspirant agricolæ, dum unus arat, alter sulcos et glebas confringit; ita S. Hieron. Haymo, Albert. Lyran. et alii. Huc accedit Vatabl. vertit enim, *Iuda arabat, Iacob confringebat ei glebas*, quod tamen alii paulo aliter accipiunt, q. d. Ephraim, id est, Israel, dilexit triturationem, id est, regnum: at Deus subiciet illum tribui Iudæ, et Iudas arabit tamquam paterfamilias, Iacob vero, sive Israel confringet in glebas, quasi minister et famulus. Duo ergo hic significantur: prius, quod Israel profugus conspirabit cum Iuda in unum sceptrum, unamque religionem: posterius, quod in hac re minor erit Iuda, eique subditus subserviet; Iuda enim tenuit sceptrum, iuxta promissa Iacobi patriarchæ, Genes. 49. 10.

Vers. 12. SEMINATE VOBIS IN IUSTITIA, ET METITE. id est, metetis certissime (Imperativum enim usurpant Hebræi pro futuro, cum eius certitudinem, quasi illa sit in manu nostra, denotare volunt) IN HONORE MISERICORDIÆ. ) Hebr. *ad os misericordiam*, et ita legit Origen. traet. 12. in Matth. et S. Ambros. lib. de Nabothe c. 7. Iam misericordia tripliciter accipi potest: Primo, ut idem sit quod iustitia, et significet opera pia, iusta et sancta, q. d. Date operam iustis, piis et sanetis operibus; metetis enim et recipietis præmium in ore, id est, secundum mensuram misericordiam, hoc est, eorumdem sanctorum operum; ita Chald. Theophyl. Haymo, Hugo, Dionys. et alii. *Os enim* hebraice sæpe significat capacitatem, proportionem, mensuram: unde *לֶפְתִּי* *lephi*, id est, *ad os*, idem est quod *secundum*, *iuxta*, *pro ratione*, *mensura* vel *merito* operum, cum de iis agitur, uti norunt hebraice periti, et docent Marinus, Pagninus et alii in lexicis. Sic Exodi 12. 4. dicitur: *Assumet vicinum iuxta* (hebr. *lephi*) *numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni*. Et c. 16. 16. *Colligat unusquisque ex eo* (manna) *quantum sufficit ad vescendum*; hebr. *lephi achlo*, id est, *secundum os cibi eius*, hoc est, *iuxta edacitatem eius, quantum os eius potest capere et comedere*. Sic et Genes. 47. 12. de Ioseph dicitur: *Alebat eos omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis*, hebr. *לֶפִי הַטֶּף* *lephi hattaph*, id est, *secundum os parvuli*, hoc est, quantum quisque etiam parvulus, comedere poterat. Porro *misericordia* in Scriptura sæpe sumitur pro sanetitate et iustitia, puta pro operibus sanetis et piis; quia propria sanctorum virtus et index est misericordia, uti ostendi Daniel. 4. 24. et 2. Corinth. 9. v. 8. Sensus est, q. d. Exerce te vos in actibus misericordiam et iustitiæ, id est, quarumlibet virtutum, et referetis mercedem amplissimam, *secundum os*, id est, amplitudinem misericordiam et piorum operum, quæ exercuistis. Explicat enim id quod dixit vers. præcedenti: *Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob*; unde persistens in metaphora arationis et agriculationis, explicans subdit: *Seminate vobis in iustitia, et metite in ore misericordiam*, q. d. Quantum iustitiæ, id est, pietatis, misericordiam, cæterarumque virtutum quasi arando seminaveritis, tantum messis et præmii ex iis percipietis. Huic Prophetæ adagio simile est illud S. Ephrem in serm. ad fratres tom. 2. *Post formicam apes, post laborem requies et fructus, post tribulationem refrigerium*, q. d. Post labores formicæ colliges mel et favos apes. *Acerbitatem enim laboris dulcedo quietis excipit, et asperitatem vitæ gaudium*. Sic Christus *favos post fella* (crucis et passionis) *gustavit*, ait Tertull. lib. de Corona militis c. 14.

Secundo, planius *misericordia* hic proprie accipi potest, et ad Deum referri, q. d. *Seminate in iustitia*, hebr. *iustitiam*, vel *ad iustitiam*, hoc est, iustitiæ et sanetitatis semina, puta pia de Deo rite colendo desideria et proposita cordi vestro inserite, ut inde opera iusta et sancta germinet, sicut metetis eorum segetem, id est, mercedem amplissimam, quam Deus in ore misericordiam, id est, iuxta misericordiam suam immensam, quæ merita nostra superat et vota, vobis promittit, et reipsa præstabit; ita

Vatabl. qui vertit, *seminate vobis ad iustitiam, metite beneficentiam*, scilicet Dei; et Septuag. *seminate vobis in iustitia, vindemiate fructum vitæ*. Huc accedit explicatio Riberæ: *Seminate*, inquit, *opera iusta, et metetis in ore misericordiam*, id est, quantum misericordia voluerit, hoc est largissime. *Os* enim subinde pro voluntate capitur, ut cum dicitur: *Percussit eos in ore gladii*, id est, quantum gladius percutere et occidere valebat et volebat, q. d. Omnes occidit, nemini pepercit. Hæc explicatio subtilior videtur: planius et solidius dixerimus *os* significare amplitudinem, capacitatem, quantitatem, mensuram, q. d. *Seminate opera pia et sancta, et metetis secundum os*, id est, secundum capacitatem et amplitudinem misericordiam Dei, hoc est amplissimam ab eo mercedem recipietis, tantam scilicet, quanta deest Deum Deique misericordiam, quæ amplissima est, utpote divina et immensa. Quocirca ex Hebræo verti potest cum Marino, *metite ori misericordiam; ori*, id est, amplitudini, hoc est, amplissime. Unde Syrus vertit, *seminate vobis iustitiam, et metite os misericordiam*, q. d. Ex semine iustitiæ metetis os ipsius misericordiam et gratiam, ut illud totum, quantum quantum est, metalis et capiatis. Porro misericordia hæc est remissio culparum præcedentium, et penarum eis debitaram, ac præsertim instantis exidii et captivitatis, q. d. Parcet vobis Deus, nec sinet vastari, quin et bonis temporalibus ac spiritalibus vos cumulabit, ut iis cumalatus est Iudas sub Ezechia pio rege, ac liberatus de manu Salmanasar et Sennacherib.

Tertio, S. Amb. lib. de Nabothe c. 7. *iustitiam* accipit pro misericordia, uti accipitur psal. 111. 9. *iustitia*, id est, misericordia et eleemosyna, *eius manet in sæculum sæculi*, et alibi. Et *misericordiam* proprie capit pro eleemosyna, q. d. Studete misericordiam et eleemosynæ, et ampliam eius mercedem recipietis, iuxta illud 2. Corinth. 9. 6. *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*. Sed audi Ambros. *Bonorum enim fructus munerum, in eos ipsos qui contulerant convertuntur, et gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Denique scriptum est: Seminate vobis ad iustitiam. Esto spiritalis agricola, sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddidit fructus uberiores quam acceperit, quanto magis misericordiam remuneratio reddet multipliciora quam dederis?* Deus enim liberalior est, quam sit terra vel natura. Si ergo terra ex uno semine dat centum, imo subinde trecenta grana; multo magis Deus pro una eleemosyna dabit centum, trecentas, imo mille? Rursum bonum opus semen est melioris. Humilias te, inde incitaris ad magis te humiliandum. Oras, magis cupis orare. Das eleemosynam, plura dare exoptas. Nam uti somnus somnum, ita virtus virtutem addeat: labor laborem, vigiliæ vigiliis pariunt, uti aiebat S. Dominicus Loricatus.

Quarto, pro *misericordia* hebr. est *חֶסֶד* *chesed*, quæ vox tam pietatem, quam misericordiam significat. Unde vertit Marinus, *metite ori pietatis*. Proprie enim hic agitur de operibus piis, quibus colitur Deus, quæ contraria sunt operibus impietatis, quibus Iudæi coluerunt idola, de quibus subdit vers. 13. *Arastis impietatem, iniquitatem mesuistis*, q. d. Estote iusti et pii in Deum, et Deus vicissim pius, fidelis ac beneficus erit in vos: sicut antea cum impii eratis in Deum, Deus pariter quasi iniquum, id est, minus humanum et maleficum, se vobis exhibuit. Primus sensus, et magis secundus planissimus et plenissimus est, huncque quartum in se complectitur. Quarto favet Arabicus, dum vertit, *inquirant Dominum, et veniat fructus iustitiæ eorum*.

Symbolice S. Hieron. Haymo, Arias et Hugo, sic exponunt: *Seminate in lege, et metetis in gratia*, q. d. Studete legi, o Israelitæ, ita præparabitis vos ad gratiam Christi. Lex enim Mosis fuit lex iustitiæ et rigoris, lex vero Christi est lex gratiæ, amoris et liberalitatis; unde subdit: *Tempus autem requirendi Dominum*.

Anagog. S. Bernard. de Convers. ad Clericos cap. 15. *seminate in gratia, et metetis in gloria; seminate in terra*

eum labore, et metelis in celo eum inbilo. *Nec enim, ait, opera nostra transcunt, ut videntur, sed temporalia quæque velut æternitatis semina iaciuntur, stupebit insipiens, cum ex hoc copioso semine copiosam videbit exurgere messem.* Nota, opera bona esse semina beate æternitatis. Idem serm. de S. Benedicto: *Seminemus, inquit, hominibus exemplum bonum per aperta opera: seminemus angelis gaudium magnum per occultata suspiria. Seminate et vos, quia tam multi ante vos seminaverunt: fructificate, quia vobis seminaverunt. O genus Adam, quam multi seminaverunt in te, et quam pretiosum semen, quam male peribis, et quam merito: si perierit in te tantum semen, simul et seminantium labor! Seminavit in terra nostra Trinitas, seminaverunt Angeli pariter et Apostoli, seminaverunt Martyres, Confessores et Virgines, etc, Seminavit Pater panem de celo, Filius veritatem, Spiritus sanctus charitatem. Apostoli ibant, et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient eum exultatione, portantes manipulos suos. Duo manipuli sunt quos queris, honoris scilicet et quietis. Qui seminaverunt laborem et utilitatem, metent honorem pariter et quietem.*

**INNOVATE VOBIS NOVALE.** ) *Novale est ager novus, eum scilicet is excisis spinis, loliis, herbisque noxiis, primo colitur et seritur, q. d. Evellite e corde vestro lolia eopiditatum et spinas vitiorum, quæ erebro repullulant, ut innovati, velut novus ager, semen divinum gratiæ et virtutum excipiat. Vatabl. vertit, arate vobis arationem, sicque explicat, q. d. Interim præparate corda vestra ad adventum Christi. Septuag. vertunt, illuminare vobis lumen scientiæ, id est, ut Theoph. illustrate lucernam mentis vestræ lumine cognitionis Dei, deficientes ab idolis, eorumque tenebris et erroribus. Hebr. enim נִיר nir, sulcum et derivationem tam luminis, quam fluminis, æque ac agromodo significat. Quocirca recte S. Clemens Rom. libr. 2. Const. Apost. c. 5. Habe, inquit, curam verbi Episcopo, ut possis omnia secundum verbum interpretari, ac multa doctrina populum tuum copiose nutrias, et illustratione legis illumines. Accendite vobis, ait Dominus, lumen cognitionis dum tempus est.*

Mor. cognitio sui est via ad cognitionem Dei.

Moral. ex hac versione Sept. docet. S. Ambr. cognitionem sui debere præcedere cognitionem Dei, nec nisi per illam, perque bona opera ad hanc perveniri. Audi eum in ps. 118. octonario primo: *Seminate vobis ad iustitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis: non prius illuminate, sed seminate: nec solum prius seminate ad iustitiam, sed etiam vindemiate, inquit, ad fructum vitæ, et sic illuminate lumen cognitionis, ut perfectio non solum consitis, sed etiam receptis fructibus approbetur.* Per lumen enim cognitionis S. Ambr. hic et clarius lib. de Isaac c. 4. accipit perfectionem charitatis. Plenius vero et pientius S. Bern. ser. 37. in Cant. *Seminate, ait, vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, et tunc demum illuminate vobis (ait) lumen scientiæ. Ultimam posuit scientiam tanquam picturam, quæ statim habere nequeat super inane; et inde illa duo præmisit et subiecit illi tanquam se solidum aliquid picturæ substerneret. Securus iam intendam scientiæ, si vitæ prius per beneficium spei securitatem accepero. Tu ergo seminasti tibi ad iustitiam, si ex vera nobilitate tui vigilasti timere Deum, temetipsum humiliasti, sudisti lacrymas, elemosynas profudisti, ieiunasti et vigiliis afflixisti corpus, si pectus lusionibus, celos clamoribus fulgasti. Hoc siquidem seminare est ad iustitiam. Semina sunt bona opera, bona studia, semina lacrymæ sunt. Ibant, inquit, et flebant mittentes semina sua. Ideo metent manipulos gloriæ, quin et statim metunt spem vitæ et gloriæ futuræ. Et epistol. 108. *Veram scientiam, inquit, soli Christi discipuli, id est, mundi contemptores Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio; non litera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad iustitiam, metite spem vitæ; illuminate vobis lumen scientiæ; vides, quia non recte proditur ad lumen scientiæ, nisi iustitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, et non palca gloriæ.**

**A** Huc accedit S. Hilar. qui in Psal. 118. sic legit et explicat: *Scrute in iustitia (alii legunt, in iustitiam) vosmetipsos, et metite vos in fructu (alii, in fructum) vitæ, et illuminate vos in lumine scientiæ. Non illuminatio primum, sed satio vestra præcepta est, ut cum ante nosmetipsos, id est vitæ nostræ usum, in spem fructuum severimus, deinde cum quæ sata sunt messuerimus, tunc nos lumine scientiæ illuminemur. Tenendus igitur hic ordo est sationis, messis et illuminationis. Plures enim nostrum illuminari se priusquam serere ac metere festinant, cum satio atque messis quædam consequendi luminis preparatio sit.*

**TEMPUS AUTEM REQUIRENDI DOMINUM CUM VENERIT QUI DOCEBIT VOS IUSTITIAM.** ) q. d. Cum venerit Christus doctor iustitiæ, tunc erit tempus inquirendi ea quæ Dei sunt et salutis: illud ergo observate, o Israelite, et ne sinatis illud vobis elabi et effluere: ita S. Hieron. Haymo et Hugo, qui censent Prophetam hic de more avolare ad Christum.

Secundo, Lyran. hæc de Ezechia explicat: hic enim reduxit populum ad Dei cultum, itaque fuit doctor iustitiæ, sed inchoate et imperfecte, ac quasi in typum Christi, qui plene et perfecte idipsum præstitit.

Tertio, pro *cum venerit*, ex Hebr. Septuag. Vatabl. et alii vertunt, *donec veniat, et depluat super vos iustitiam*, q. d. Nunc est tempus quærendi Dominum vosque præparandi ad adventum Messiæ; ille enim veniens docebit vos, imo dabit veram iustitiam, qua eorum Deo iusti sitis, filii et hæredes regni eius. Unde Chald. vertit, *recipite vos ad timorem Domini: nunc enim revelabitur, et asseret vobis iustitiam*; ita veteres Hebræi apud Galatin. libr. 3. cap. 29. Theoph. Vatabl. et alii.

Moral. discite hic uti tempore gratiæ et salutis, dum datur: nam post hoc tempus non erit aliud gratiæ, sed iustitiæ. Pulehre S. Ephrem tract. de Morte tom. 1. *Nemo, ait, finis mundanis mercaturam exerceat: neque ille qui post certamina accedit, coronatur: neque qui iam confecto bello venit, laudem consequitur. Merito ergo nec is qui vitam exacta post mortem pietatem exerceat, pius esse censendus est.* Ponderent hoc temporiperdeat.

Moral. de usu temporis.

**ARASTIS IMPIETATEM,** Hebr. אָרַסְתֶּם אִיְמָתָא charas significat Vers. 15. primo, arare; secundo, fabricare; tertio, machinari; unde primo exponas, q. d. Ager quem arastis hactenus, et semen quod seminastis fuit impietas, ac consequenter seges non fuit alia quam impietas, q. d. Nihil cogitastis aliud, quam impietatem impietati addere, scelera sceleribus cumulare. Secundo, q. d. In corde vestro extirpastis sulcos et semina pietatis, cognitionis cultusque Dei, ac duxistis et seminastis semina impietatis et idololatriæ; ideoque INIQUITATEM MESSUISTIS. ) Puta fraudes, dolos, omneque nefas in Deum et proximum operati estis. Ex corde enim impio et iniquo, non nisi impietatis et iniquitatis fructus et opera proveniunt. Rursum, q. d. Ex impietate in Deum prodiit omnis iniquitas in proximum, uti docet Apost. Roman. 1. 28. et 29. ita S. Hieron. Tertio, *iniquitas accipi potest pro pœna iniquitatis, puta pro deprædatione et captivitate, q. d. Perperastis culpam iniquitatis, hinc eius pœnam, puta spoliationem ab Assyriis et captivitatem, luitis et sustinetis; ita Theophyl. Opponit enim Prophetam hunc v. 13. versui 12. q. d. Hactenus arastis et seminastis impietatem, ideoque iniquitatis huius pœnas messuistis: deinceps ergo sapite, et seminate in iustitia, ut metatis misericordiam et beneficentiam Dei; alioqui si persistatis in scelere, certo vastabimini et excindemini, ut sequitur.*

**COMEDISTIS FRUGEM MENDACII.** ) Id est, mendacem et fallacem. Nota. Fructus et fruges dicuntur mentiri, cum tantum non reddunt, quantum in germine promittebant, puta cum seges siccitate vel aurugine in agro deperit, aut in horreis a vermibus, aut vento aereve corrupto atteritur, consumitur et evanescit, q. d. Simili modo vos, o Israelite, ex vestra impietate et idololatria non percipietis pacem, prosperitatem, rerum copiam, quæ sperabatis, quæque pseudoprophetæ vobis promittebant.

Tropol. omnis gulosus, omnis avarus, omnis luxurio-

Omnis  
impius  
edit fru-  
ctum  
menda-  
cii.

sus, omnisque impius comedit fructum mendacii. Nam, ut ait S. Hieron. *gulosus cor habet in ventre, lascivus in libidine, cupidus in luero*. Lnerum autem mendax est, libido mendax, gula mendax: nec enim satiant appetitum, nec veram afferunt delectationem, sed fucatam, umbraticam et evanidam; unde Psaltes Psal. 3. *Filii hominum ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium?*

Praclare S. Greg. hom. 36. in Evang. docet hoc distare inter delicias corporis et cordis, quod corporales, inquit, *deliciae cum non habentur, grave in se desiderium accendant; cum vero avidae eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciae cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciae desiderium in mente, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, tanto amplius cognoscitur quod avidius ametur: et ideo non habitae a mari non possunt, quia earum sapor ignoratur; vide eundem lib. 20. Moral. c. 16. Accedit, quod carnales deliciae spirituales et veras excludant, iisque viam obstruant, dum ipsae omnes sensus occupant, totumque hominem possident. Quocirca asserit vere S. Hier. *animas in nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nihil caeleste, sed semper de carnalibus eructare, et ventris ingluviem cogitare*. Tertio, deliciae et divitiae sunt mendacium, quia pro delectatione ingerunt, desinunt in fastidium et cruciatum tam animae, quam corporis. Ita Cicero pro Caelio: *Amores, ait, et deliciae mature et celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est*. Et Boetius l. 3. metro 7.*

*Habet omnis hoc voluptas,  
Stimulis agit fruentis,  
Apiumque par volantum  
Ubi grata mella fudit,  
Fugit, et ninis tenaci  
Ferit icta corda morsu.*

Quocirca Epictetus art. 120. *Dignus est, inquit, deorum conviva, qui rebus creatis moderate utitur, qui vero licitas etiam voluptates contemnit, non iam conviva Dei est, sed consors.*

QUAERITUS ES IN VIIS TUIS.) In operibus tuis impiis, ac praesertim in cultu idolorum. Est enallage numeri: transit enim a plurali numero ad singularem, quia loquitur populo, qui singularis est, si caetum species; pluralis, si capita et homines.

IN MULTITUDINE FORTIUM TUORUM.) Tum civium, tum amicorum Gentilium, tum idolorum: ideo:

Vers 14. CONSURGET TUMULTUS IN POPULO TUO, cum te invadent hostes Assyrii, ET OMNES MENTIONES Tuae VASTABUNTUR

SICUT VASTATUS EST SALMANA A DOMO (a familia, servis et militibus) EIUS QUI IUDICAVIT (ita legendum eum Hebr. et Roman. non vindicavit, uti legunt nonnulli codices Latini) BAAL.) Puta a domo Gedeonis. Comparat enim excidium Israeli futurum per Salmanasar regem Assyriorum, excidium Madianitarum, quorum princeps erat Salman, facto per Gedeonem Iudic. 8. 2. et Ps. 82. 12. ita S. Hieron. Cyril. Ruffin. Theodor. Rupert. Albert. Hugo et alii passim. Sensus ergo est, q. d. Sicut Gedeon occidit Salmanam idololatram, hostem populi Dei; ita et Salmanasar caedet Israelem, ob idola quae coluit in Bethel.

Nota Primo. *Salmana* quem occidit Gedeon scribitur per *tsade*, hic vero *Salmana* scribitur per *sein*; unde hunc esse diversum ab illo contendit Lyran. eum Chaldaeo, qui proinde *Salmana* hic accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum significans pacificum, idemque quod Salomon. Sic enim Turcarum Imp. vocatus est Solymanus, id est, Salomon: utrumque enim nomen ab eadem rad. שלם *scialam*, id est, pacificus fuit, deducitur. Unde ver-

tunt, *sicut vastari solet pacificus per insidias belli, vel ab insidiatore in bello, sic vastabitur Israel*. Verum auctores iam citati asserunt unanimiter, hunc *Salmana* esse eundem cum illo quem occidit Gedeon, idque mox clarius patebit. Nec obstat, quod hic per *sein*, ille per *tsade*, scribatur: quia hae duae litterae vicinae sunt et commutabiles, utraque enim includit טרשא, licet illud in *tsade* addito t. roboretur et dorescat, idemque valeat quod ts.

Nota secundo. Pro *qui iudicavit Baal*, hebr. est una vox *Arbel* ארבאל *arbel*. quod varie a variis explicatur. Primo. Chal. quid? et Lyran. uti iam dixi, vertunt *insidias* vel *insidiatorem*, a rad. ארב *arab*, id est, insidiatus est. Secundo, alii censent esse nomen proprium principis, vel urbis, de qua 1. Machab. 9. v. 2. dicitur: *Castra posuerunt in Masaloth, quae est in Arbellis*, huncque dant sensum: Sicut Salman, id est, Salmanasar, 1. anno Osee regis Israel, vastavit urbem Arbel crudelissime, ita ut infantes coram matribus, et matres coram infantibus collideret; sic Deus vastabit Israel et Samariam. Licet enim hae historia in Scriptura non narretur, tamen tempore Osee erat apud omnes vulgata et celebris. Porro urbs hae dicta est *Arbel*, aut ab ארב *arba*, id est, quatuor, et אל *el*, id est, Deus, vel fortis, quod in ea celebres extarent et colerentur quatuor dii, vel quatuor Heroes: sicut dicta est *Cariat arbe*, id est, civitas quatuor, scilicet Gigantum, Iosue 14. 15. aut ab ארב *arab*, id est, insidiatus est, et אל *el*, id est, Deus, vel Deo: ita Arias, Vatabl. et Marinus in Lexico. Syrus pro *Arbel* legit *Il*, vel *El*, id est, Deus, unde vertit, *sicut vastatio Salmana de domo El in die praelii*.

Verum dico, *Arbel* idem esse per crasin quod *Ierobaal* ( ut vertunt Septuag. unde perperam in Complut. aequae ac in Arabico utroque legitur *Ieroboam*, pro *Ierobaal* ) id est, Gedeon: ita auctores iam citati. Audi S. Hier. *Arbel idipsum significat quod et Ierobaal, sed breviori disertiorique sermone. Arbel enim idem est quod litigator, vel iudex Dei, puta Baal: idem significat Ierobaal: רוב rub enim idem est quod litigavit, contendit, iudicavit: Baal, est Deus Baal. Ex eo enim quod Gedeon iudicavit, id est, damnavit, et infirmum convicit esse Baal, dum eius aram evertit, dictus est Ierubbaal, dicente Ioas patre Gedeonis: *Ulciscatur se de eo Baal, ( si est Deus ) qui suffodit aram eius*, Iudic. 6. v. 31. Rursum Gedeon dicitur *Arbel*, id est, insidiator Dei: quia Deum Baal clanculum noctu per insidias evertit.*

MATRE SUPER FILIOS ALLISA.) Quaes, unde hoc petitum? Resp. S. Hieron. scriptum esse Iudic. 8. *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua*. Verum id non reperitur Iudic. 8. sed 1. Reg. 15. 33. sunt enim verba Samuelis ad Agag regem Amalee, cum eum occidi mandaret. Lapsus ergo memoria videtur S. Hier. Dico ergo, id in libro Iudicum et historia Gedeonis non narrari, reipsa tamen accidisse, uti hic asseritur, nimirum fuit tantus pavor, consternatio et confusio in castris Madian, dum Gedeon et socii eius clangerent tubis trecentis, et faces trecentas ardentes ostentarent, ut vel gladii Madianitarum in sese invicem conversis, vel festinatione et trepidatione fugientium, matres cum filiis alliderentur: ita Ribera, Emmanuel, Mariana et alii.

SIC FECIT ( id est, faciet ) NOBIS BETHEL.) q. d. Sic vos punient et caedent non tam hostes Assyrii, quam *Bethel*, id est, peccata a vobis commissa, puta idola adorata in Bethel, sicut *Salmana* punitus et casus est a *Beth Arbel*, id est, a domo et exercitu Gedeonis. In Hebraeo est elagans paronomasia, et antithesis inter *Beth Arbel* et *Bethel*, q. d. Sicut caecidit et prostravit Madianitas idololatrias *Beth Arbel*, id est, domus Gedeonis, qui fuit *rub*, id est, iudex et vindex *El*, id est, Dei falsi, puta Baal; ita caedet vos *Bethel*, id est, domus Dei veri, quam vos violastis, et fecistis *Bethaven*, id est domum idoli: propter sacrilegia enim commissa in Bethel exscindemini: unde subdit:

A FACIE MALITIAE NEQUITIARUM VESTRARUM.) Id est, propter pessimas nequitias vestras, quibus polluistis Be-



thel, id est, domum Dei. Hæc de causa ait Isaias c. 31. 9. *Dirit Dominus, cuius ignis est in Sion, et cuminus eius in Ierusalem: vide ibi dicta.*

Simili elegancia et tropo Isaias Ierusalem vocat *Ariel*,

A in eaque voce varie Iudit c. 29. v. 1. et 2. dicens: *Væ Ariel, Ariel! civitas quam expugnavit David, etc. Et circumvallabo Ariel, etc. Et erit mihi quasi Ariel*

## CAPUT UNDECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Inculeat Deus, et in os iniicit Israeli amorem et beneficia a se ei iugiter præstata, ut ostendat eius ingratitude, quod a se ad vitulos aureos desciverit. Puer, inquit, Israel, et dilexi eum: et ex Ægypto vocavi filium meum. Et ego quasi nutricius Ephraim, et portabam eos in brachiis meis. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Quocirca ingrato captivitatem et iram intentat, quam tamen ita misericordia temperat, ut ei reditum in patriam spondeat. Ab hac elude eximit Iudam, quia ipse fidelis a parte Dei stetit cum sanctis Levitis.*

1. **S**icut mane transiit, pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, et dilexi eum: et ex Ægypto vocavi filium meum. 2. Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum: Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant. 3. Et ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: et necierunt quod curarem eos. 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: et declinavi ad eum ut vesceretur. 5. Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse rex eius: quoniam noluerunt converti. 6. Cœpit gladius in civitatibus eius, et consumet electos eius, et comedet capita eorum. 7. Et populus meus pendebit ad reditum meum: iugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur. 8. Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israel? quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. 9. Non faciam furorem iræ meæ: non convertar ut disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, et non homo: in medio tui sanctus, et non ingrediari civitatem. 10. Post Dominam ambulabunt, quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris. 11. Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum; et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus. 12. Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel: Iudas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis.

Vers. 1. **S**ICUT MANE TRANSIIT, PERTRANSIIT REX ISRAEL.) Chald. Arias, Pagnin. et Vatabl. hæc verba referunt ad finem præcedentis capituli, quia eo pertinere videntur. Verum Noster, Septuag. et passim veteres Græci et Latini ab hisce verbis inchoant caput undecimum. Hebr. est, *in aurora*, (vel *instar auroræ*: 2 enim, id est, in, sæpe sumitur pro 2, id est, *instar, sicut*) *plane excisus est rex Israel*, q. d. Sub initium regni Osee rex Israel eum Samaria et regno excindetur ab Assyriis. Comparat Osee auroræ, quia sicut aurora medium quid est inter noctem et diem, lucem et tenebras, estque post noctem initium diei et lucis; ita post longas ærumnas et spoliationes, quas Israel sustinuerat ab Assyriis, sub Osee rege respiravit, et in spem melioris sortis se erexit, præsertim eum Sua rex Ægypti videretur illi opitulaturus: sed hæc spes velociter instar auroræ, sole oriente et auroram fugante, pertransiit et evanuit: ita S. Hieron. Cyrill. Ruffin. Theodor. et Theoph. Simili modo Israelis regem comparavit spumæ cap. præced. v. 7. eum ait: *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.* Ubi pro *transire fecit* in Hebræo est idem verbum quod hic, scilicet נרמח *nirmaneh*, quod, ut ibi dixi, varie exponi potest.

Secundo, S. Cyrill. per *mane* accipit experrectionem Dei ad vindictam, qui ante dissimulans peccata Israelis, dormire videbatur. *Cum, inquit Cyril. Deus nondum peccata aliquorum puniit, dormire dicitur; ut ait Ieremias: Ne, inquit, sis Domine tamquam somno dormiens, aut tamquam vir non potens salvare. Et David: Surge Domine. Et alias videns auxilium Domini: Surrexit, inquit, tamquam dormiens. Mane itaque vocat hic tempus ipsius velut evigilationis in eos: mane enim solemus evigilare.* Verum prior sensus et allusio est aptior; mane enim hic tribuitur regi pertransiit, non Deo evigilanti: quamquam hoc eum illo coniunctum est. Ideo enim rex mane pertransiit et excisus est, quia Deus in eius excidium evigilavit.

Tertio, nonnulli ex eo quod sequitur: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, id est, Christum, uti explicat S. Matthæi c. 2. v. 13. hæc omnia de Christo ad litteram accipiunt, q. d. Christus in mundo nascetur quasi aurora, sed

et cito transibit ut aurora: post tres enim prædicationis annos redibit ad Patrem. Ergo, o Israelitæ, venientem studiose excipite, eiusque tempus diligenter observate. Ego enim vos, quasi Abrahamæ amici mei filios, dilexi, ideoque ex Ægypto vocavi filium meum, ut vos eius præsentia, doctrina et gratia frueremini.

Verum ad Osee regem hæc pertinere ad litteram non ad Christum, patet ex eo quod ait, *Pertransiit ex Israel.* Idem patebit ex sequentibus: toto enim capite agitur de iudicio et excidio Israelis. Unde moraliter disce, reges terrenos similes esse auroræ, quæ aurea videtur, sed mox evanescit: eorum enim *vita* est quasi *vapor*, ut ait S. Iacobus epist. cap. 4. *ad modicum parens*; vapor, inquam, aurea quadam honoris regniæque pompæ luce perfusus. Somnia sunt hominum regna, ideoque merito in somnis a Nabuchodonosore, Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum Imperia visa sunt Daniel. 2. Quid ergo sunt dignitates, status et sceptræ? nonne aureus quidam nubium color, temporis momento evanescens?

**C** QUIA PUER ISRAEL, ET DILEXI EUM.) Vox quia more Hebræo redundat, uti dixi c. 10. 17. unde Leo Hebræus vertit, *quando Israel adhuc puer erat, dilexi eum*, eum scilicet in Ægypto degeret, et quasi oriretur ereseeretque populus Israel, essetque parvus, imbellis, ignorans, allictus quasi puer, ex tunc dilexi eum, curamque eius egi, et quasi puerum per Mosen inde liberavi et eduxi: ita S. Hieron. Vatabl. et alii.

Secundo tamen, 70 quia proprie ut causale accipi potest, q. d. Quia Israel in Ægypto erat puer tenellus, sui impos, se regere impotens, neglectus ab omnibus, ab Ægyptiis oppressus et neci destinatus, opisque indigus; hæc de causa eum dilexi, et enutrivit quasi mater. Solet enim puerorum parvitas, imbecillitas et pericula, matres allucere ad eorum amorem et curam; ita Theophyl.

Adde, *dilexi eum*, quia *puer* erat, eo quod esset filius Iacobi Patriarchæ, quem puerum, imò in utero adhuc existentem dilexi, dicens Malach. 1. 2. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: et Genes. 25. 23. *Maior serviet minori*, puta Esau Iacobo, nimirum Idumæi servient Iacobitis, id est, Israelitis. Sicut ergo Iacobum puerum, ita et filium eius Israellem puerum dilexi. Denique 70 quia connectit

hæc præcedentibus, q. d. Rex Israel cum suo populo transiit, id est, brevi transibit et interibit, quia Israel, quem a puero dilexi, ex Ægypto eduxi, alui et nutriti ut mater, huic meæ dilectioni et beneficiis ingratus et rebellis, me sprexit, et ab Baalim declinavit.

ET EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM. ) Et, id est, ideo, q. d. Quia Israel puerum dilexi, ideo cum quasi filium meum, ex Ægyptia servitute per Mosen evocavi et eduxi: ita Septuag. et Chald. qui vertunt, *ex Ægypto vocavi filios eius*, scilicet Israelis: licet enim in Hebræo sit בני *beni*, id est, *filium meum*, tamen hoc in re idem est quod, *filios eius*: filii enim Israelis erant filii Dei; et quia Israel, ut ait S. Hieron. *singulariter dicitur, sed pluraliter intelligitur*, utpote populus, forte etiam Septuag. et Chald. pro *beni* legerunt בני *banau*, id est, filios eius, uti opinatur Mald. in Matth. 2. 15. Porro populum suum Deus vocat filium, dicens Exodi 4. 22. *Filius meus primogenitus Israel*. Et, *Dimitte filium meum ut serviat mihi*; ita S. Hier. Theod. Theoph. Rupert. Hugo, Lyran. Arias, Vatab. hic, Iansen. Maldon. Barrad. et alii in Matth. 2. v. 15. Et patet ex iis, quæ hic antecedunt et sequuntur: hæc enim spectant ad populum Israel. Hic enim dicitur filius Dei primogenitus, quia dilectus ab eo fuit ut primogenitus, et solus primo electus ex omnibus gentibus, ut esset Dei peculium, respubl. regnum, sacerdotium.

Dices, quomodo ergo S. Matth. c. 2. 15. ait hoc Osee oraculum impletum esse in Christo puero cum ex Ægypto revocatus est in terram Israel? Iulianus Apost. teste S. Hier. hic, hoc obiiciebat Christianis, ut S. Matthæum vel falsitatis, vel inscitiae argueret. Respondet Primo, Iansenius in in Matth. 2. id impletum esse in Christo per accommodationem, quia quod dictum est de populo Israel, recte Christo quasi simili aptari et accommodari potest: perinde atque si quis de filio qui patri percharus est, diceret:

*Omnis in Aseanio chari stat cura parentis.*

Verum hoc liberius dicitur, et pene temerarie, inquit Suarez loco citando: nec enim prophetiæ impleri dicuntur, nisi cum eveniunt ea quæ per eas prophetata sunt. Quare aliud est accommodari, vel aptari Scripturam, aliud eam impleri. Igitur prophetia proprie impleri dici nequit, nisi cum fit quod ipsa in sensu vel litterali, vel allegorico futurum prædicit, uti docent communiter Interpretes.

Secundo, Eusebius l. 9. Demonstr. Evang. c. 4. Lyranus et Dionys. censent hunc locum ad litteram intelligi de Christo. Verum ex antecedentibus et sequentibus patet, hic agi de populo Israel. Dices, duplicem hic esse sensum litteralem, unum de populo, alterum de Christo. Ita Prado præmio in Ezech. sect. 8. et 9. Respond. id minus congrue dici, tum quia cætera non spectant Christum, sed populum: in sensu enim litterali omnia et singula congruere debent rei de qua agitur; secus est in allegorico: tum quia populus Israel fuit typus Christi. Ergo ad litteram sermo est de populo, typice de Christo; sensus enim litteralis non est typicus, sed typici figura et imago: populus enim Israel exulans in Ægypto, Christi ibidem exulanti figura fuit; sicut nunc corpus mysticum Ecclesiæ, corporis naturalis Christi figura est.

Tertio ergo, melius dicemus ad litteram hanc sententiam impletam esse in populo Israel per Mosen educto ex Ægypto, allegorice vero et typice in Christo puero reducto ex Ægypto: licet autem hic sensus sit allegoricus, tamen est priore litterali dignior, potior et magis intentus a Spiritu sancto: populus enim Israel in hoc reditu ex Ægypto gessit typum Christi, præsertim quia Christus illius populi fuit pars et propago, eaque nobilissima. Hac de causa ait, *filium meum*, non *filios meos*, ut denotet Christum. Neque hoc mirum aut novum est: nam magis nova et insolens videtur allegoria, qua Sina et Sion, item Sara et Agar significant duo testamenta, vetus et novum, uti explicat Apostolus Galat. 4. v. 24. ita S. Hieron. Ribera et alii initio citati, ac S. Chrysost. et Theoph. in c. 2. Matth. atque Francis. Suar. 3. p. q. 37. art. 4. disp. 7.

A sect. 1. et Gabriel Vasq. 1. p. q. 1. art. 10. disp. 14. c. 4.

Obiicit Osiander in c. 2. Matth. Fieri nequit ut populus Israel innumerabilis, unius hominis sit figura: ergo in sensu allegorico hic locus nequit accipi de Christo. Resp. negando antecedens. Si enim unus homo potest representare totum populum ex se generandum, uti Patriarcha; sicut de Jacob et Esau dicitur Rebecce matri Gen. 25. *Dux gentes sunt in utero tuo*, etc. vel sibi subditum, uti rex representat regnum; cur vice versa unus populus unum hominem, quasi Patriarcham et regem, ac præsertim Christum Dominum representare non possit? ita Patres passim et Doctores. Porro qua ratione populus Israel fuerit figura Christi peregrinantis in Ægypto, et inde redeuntis, fuse explicat Rupert. in locum citatum Matth. 2.

Ex hoc loco ostendit S. Hieron. quædam non haberi in versione Septuag. quæ habentur in Hebræo, ideoque se novam ex Hebræo versionem endisse, idque ei obtreccantibus obiicit: *Qui, ait, detrahunt nostræ translationi, videant Scripturam de qua Evangelista hoc testimonium sumpsit, et interpretatus est de Domino Salvatore, quando de Ægypto reductus est in terram Israel: et cum invenire non quiverint, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare.*

VOCaverunt eos, ex Ægypto et idololatria Moses, Aa- Vers 2.

ron, aliique Prophetæ, ut eos ad avitum Dei cultum reducerent; sed ipsi licet sic, id est, adeo et toties vocati et invitati, ABIERUNT A FACIE EORUM. ) Id est, obverterunt eis terga, euntes ad Baalim. Unde plane vertunt Septuag. *sicut vocavi eos, ita abierunt a facie mea*. Hebræi enim sæpe subaudiunt voculam *sicut*, et similes, q. d. Uti ego eos vocavi, ita ipsi impudentes averterunt se a me: quanta fuit mea benignitas et assiduitas in vocando, tanta fuit eorum durities et contumacia in resistendo, et respuendo meam vocationem; ita Chald. Cyrill. Hieron. et alii. Potest Secundo, *sic* accipi pro *propterea*, q. d. Quia ego vocavi eos toties, propterea abierunt, uti solet facere pueri protervi et refractarii, qui eo quod vocentur a parentibus, ut hoc illudve faciant, ideoque rebelles avertunt faciem et abeunt, qua expositione significatur Israelis maior plenaque obduratio et pervicacia. Sic Hebr. כן *chen*, id est *sic*, sumitur pro כן על *al chen*, id est, *super sic*, hoc est, *propterea*. Ps. 60. 9. *Misericordiam et veritatem eius quis requirit? sic* (id est propterea, ideoque) *psalmum dicam nomini tuo*. Ioan. 4. 6. *Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic* (id est, ideoque, quia scilicet fatigatus) *super fontem, uti exponunt Tolet. et Maldonat. ibidem*. Sic enim vulgo dicimus, *Venit fessus, et ita* (id est ideo) *consedit*. Quin et Cicero 4. Tuscul. *Sic*, inquit (id est, ideoque) *tol simul virtutes, continentiam, gravitatis, iustitiam, fidei defecerunt*.

Aliter Arias: Vocaverunt, ait, id est, invocaverunt Israelitæ eos, scilicet deos Gentium: *sicque abierunt*, videlicet ut non tantum eos invocarent, sed et iis sacrificarent; unde sequitur: *Baalim immolabant. Abierunt*, inquam, *a facie*, id est, ante faciem, *eorum*, uti solet grex ovium ire ante faciem pastoris, populus ante Episcopum, milites ante ducem, filii ante parentes. Verum de diis Gentium nulla hic præcessit mentio.

BAALIM, id est, diis Gentium, puta idolis, nimirum vitulo aureo, Exodi 32. 4. et Beelphegor, sive Priapo, Numer. 25. 1. IMMOLABANT. ) Quia enim Deus primarius Chaldeorum, Tyriorum, Carthaginensium, etc. erat Baal, vel Bel, sive Belus; hinc quoslibet deos vocarunt *Baalim* in plurali.

ET EGO QUASI NUTRICIUS EPHRAIM PORTABAM EOS IN Vers. 5.

BRACHIIS MEIS. ) Legit Interpres זרעותי *zerootai*, id est, *in brachiis meis*: iam addito *vau* legunt זרעותי *zerootau*, id est, *brachiis eius*. Pro *nutricius* hebraice est תירגלתי *tirgalli*, quod Rabbini, Vatablus, Arias, et alii hebraizantes dicunt poni pro הירגלתי *hirgalli*, id est, *incedere feci, in pedes exeri, ambulare docui, pedetentim deduxi, uti faciunt nutrices*, dum infantes deducunt docentque incedere. Unde vertunt, ego Ephraim, id est Israel, puerum deduxi, et ambulare docui per desertum.

Aut, ut Vatabl. Ego sensim et pedetentim eum deduxi, ne conficeretur labore vie. Alii vertunt, *Ego dedi pædagogum Ephraim* (puta Mosen) *qui portaret eos super brachia sua*, quasi alludit ad illud Mosis, *Ut dices mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.* Num. 11. 12.

Verum melius magisque præcise vertit Noster, *nutricius*, id est nutritor, vel nutrix. Hoc enim proprie significat תרגלת *tirghelet*, et addito iod paragogico תרגלתי *tirgalti* (quod plane diversum est ab *hircalli*, id est, incedere feci: hoc enim verbum est, illud nomen: deducitur enim a רגל *reghel*, id est, pes. Unde Marinus in *Lexico* vertit, *pelatio*, q. d. *Itio*, vel *ambulatio mea erat ad Ephraim*) *tirghelet* ergo est nutrix, quæ pedes infantium format et firmat, eosque deducit, docet et assuefacit incessui. Unde Septuag. vertunt, *συνεπιποδισα*, id est, colligavi pedes, scilicet fasciis infantilibus, quod etiam est nutricum, ait Theoph. Iam sensus est is, quem dat S. Hieron. Narrat, ait, *Deus, quo Israel amore dilexerit, secundum illud Deut. 1. 31. Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulasti, donec venires ad locum istum. Et in alio loco (Deuter. 31. 11.) Expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Et Ps. 79. 2. Qui deducit velut ovem Joseph. Ego, ait, qui pater eram, nutricius factus sum, et parvulum meum in ulnis meis ipse portabam, ne læderetur in solitudine, et ne vel æstu, vel tenebris tereretur; in die nubes eram, in nocte ignis columna: ut quos protexeram, meo illustrarem, et sanarem lumine: cunquæ peccassent, et fecissent sibi vituli caput, dedi eis locum penitentiae, et ignoraverunt quod curarem eos, ut vulnus idolatriæ quadraginta annorum spatio obducerem, et pristinae redderem sanitati. Quod ergo subdit, *Et nescierunt, idem est ac si dicat: Et tamen post tot beneficia, quibus quasi nutrix eos educeavi, ipsi hæc officia providentiæ et maternæ curæ meæ erga se non agnoverunt, sed me spreto dixerunt vitulo: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* Exodi 32. 4.*

**PORTABAM EOS IN BRACHIIS MEIS.** In deserto enim per Moseu, per columnam ignis et nubis, per mauna, per vestium eorumdem conservationem, etc. Iam suaviter et benigne Deus Indæos tractavit et deduxit, ac si quasi nutrix eos brachiis suis portasset.

Vers. 4.

**IN FUNICULIS ADAM TRAHAM EOS, IN VINCLIS CHARITATIS.** Adam hic accipi potest vel ut nomen proprium protoplasti, vel, ut commune, significans *hominem*. Si ut proprium, sensus erit quem dat S. Hieron. q. d. Sicut ex amore Adamum natura simul ac gratia, et amicitia mea donavi, ita et vos posteros eius donabo. Adam enim ex mea gratia est vester protogenes et archigenes, id est, humanæ generationis princeps. Aut, ut noster Prado in Ezech. cap. 6. v. 9. Funiculi, inquit, sunt dolores: illis enim quasi funibus homo aretatur et constringitur, iuxta illud Psal. 17. 6. *Dolores* (hebr. חבל *chable*, id est funes) *infernæ circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Hebræum enim *chebel* funiculum, ligamen, vinculum, indeque dolorem, quasi ligantem et vincientem significat. Sensus ergo est, q. d. Ego Israelitas per dolores et afflictiones, quos ab Adamo parente suo hæreditaverunt, ad me traham, quæ sunt mei erga illos amoris pignora. Unde sequitur: *In vinculis charitatis*, id est, in vinculis quibus soleo ad me allicere charissimos filios, quæ sunt castigationes et flagella.

Secundo, alii passim *Adam* accipiunt ut nomen commune, vertuntque, *hominis*. Ita Aquila, Syrus, Symmach. Theodor. et Septuag. q. d. In funiculis, quibus solent homines ligari et trahi, nempe amore et beneficiis, traham illos ad me. Unde Chald. vertit, *sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis*; Arabicus, *attraxi eos pugillo protractionis meæ*. Alludit ad cap. 10. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram*, q. d. Vitulo lascivientes, qualis est Israel, trahuntur funibus enuabinis, vel ferreis; at ego Ephraim, licet subinde mihi reitentem, nolo ut bestiam tractare, trahereque invitum fune

verberum et terrorum; sed ut hominem (non servum, sed filium) traham cum funiculis amoris: illis trahi solent homines, præsertim ingenui, et filii. Ita S. Hier. Vatablus, Emmanuel, Mariana et alii. Porro S. Hier. per *hominem* specialiter accipit Patriarchas, Abraham, Isaac et Jacob. *Curavi*, inquit, *eos propter funiculos et vincula charitatis, quibus mihi Abraham, Isaac et Jacob astrinxeram.* Hi enim fuerunt parentes Israelis, ob quos Deus Israellem amabat et curabat. Verum plantius quilibet homines accipi possunt: omnes enim trahuntur amore.

Tertio, nonnulli funiculos Adam, id est hominis, active accipiunt, non passive, id est, non quibus homo trahitur a Deo, sed quibus homines sancti, puta Abraham, Isaac, et Jacob traxerunt Deum in sui, sueque familie et gentis amorem, ut eam diligeret, et eligeret ex omnibus gentibus in suam Ecclesiam et regnum. Verum prior sensus est magis genuinus.

Quarto, Hebr. חבל *chebel*, verti potest, *corruptio, vastatio*. Unde Sept. vertunt, *in corruptione hominum extendi eos in vinculis charitatis meæ*, q. d. Esto sint peccatis infecti et corrupti, tamen adhuc conabor eis mederi ex charitate, sicut medicus ægro, v. g. contracto, volens mederi, extendit membra eius contracta, alligans ea vinculis, non ut eum alligat et torqueat, sed ex charitate ut sanet.

Nota primo. *Traham* potest proprie accipi ut futurum, q. d. Licet Israel me offenderit, tamen adhuc traham illum ad me. Verum melius accipias pro præterito: *Traham*, id est, traxi: clarius enim liquet, quod Deus traxerit eos in deserto, quam quod post tempora Osee eos tracturus sit: paulo enim post eos vastavit, et tradidit Assyriis: et quia sequitur, *Declinavi ad eum*, etc. in præterito. Ita S. Hieron. Septuag. Chald. Rupert. Hugo, Lyran. Dionys. Arias et Sanchez. Præcessit enim præteritum: *Portabam eos in brachiis meis*. Recte S. August. in Psal. 3. 6. *In prophetia*, ait, *bene miscentur futura præteritis, quo utrumque significetur.*

Nota secundo. Tractus et funiculi significant copiam, æque ac suavitatem amoris, qua Deus homines ad se trahit: *Magnes enim amoris est amor.* Hoc est quod ait S. August. de sua ad Deum conversione et tractu, l. 9. Conf. 1. *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Etieiebas enim eas a me tu vera et summa suavitas, etieiebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Idem August. ser. 2. de verbis Apostoli tom. 10. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum: Non dixit, inquit, Duxerit, sed Traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? crede, et venis; ama, et traheris. Non arbitraris istam asperam molestamque violentiam; dulcis est, suavis est; ipsa suavitas te trahit. Nomen ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur: sic et tu veni ad Christum. Ad illum enim qui ubique est, amando venit, non navigando.*

Nota tertio. Rufinus funiculos Adam censet esse beneficentiam, qua Deus Adamum post peccatum prosecutus est, dans ei cibos illaboratos, et sponte nascentes; sic vice versa funiculos Israelis esse mauna, et aquam de petra, quæ ei sine satione et fossione in deserto Deus dedit, quibus quasi charitatis vinculis eum alligavit: quæ fuerunt typos Eucharistiæ. Unde

Allegor. traxit nos Christus in funiculis Adam, eum pro nobis factus est Adam, id est, homo, caro nostra, et frater noster, ut docendo, patiando et moriendo pro nobis, nos ad se et ad Deum traheret, ac terrenum Adam redimeret, transformaret, faceretque caelestem; eumque hominum morbos, tam corporis, quam animæ curavit, inquit Theophyl. et Rupert. ac præsertim eum quasi nutricius Ephraim, corpus et sanguinem suum quasi dedit in Eucharistia. Hic enim est funiculus Adam, quo nos sibi Deoque astrinxit. Est enim Christus in Eucharistia *amor amorum*, ut ait S. Bernard. serm. de Cœna Domini: ita Delrio adagio 956. Audi et S. Hieron. *In tantum dilexi,*

*et tam demens pastor fui, ut morbidam orem humeris meis ipse portare: ipsi vero ignoraverunt, quod mea illos passione curarem; et qui amator sum omnium hominum, traherem eos ad credendum in vinculis charitatis.*

Symbol.

Symbol. Paulus a Palatio: Funiculi Adam, ait, sunt leges veteres datæ Iudæis, et multo magis novæ datæ Christianis: hæ enim ligant, id est, obligant populum quasi funiculi, suntque Adam, id est, hominum, non bestiarum: quia humanæ sunt, et rectæ rationi ac æquitati conformes. Eædem sunt vincula charitatis: quia finis legis est charitas, ut scilicet nos ducat ad amorem Dei et proximi. Tales et debent esse leges humanæ, scilicet vincula charitatis, non tormina cupiditatis: quia publicæ utilitati, non proprie aviditati serviant oportet.

Tropol. amor est telum violentissimum.

Tropol. disce hic amorem esse telum violentissimum, quod hostes expugnat, imo immutat, et ex inimicis facit amicos. Errat hic mundi sapientia, quæ hostem odiis, maleficiis et plagis vult vincere, cum iis magis accendatur odium et hostilitas. Vera ratio vincendi hostem, est eum vincere amore, et vincere beneficiis. Vidit hoc Philippus Macedo, qui, ut testatur Plutar. in eius vita, cum capitaneum quemdam haberet qui iugiter illi eiusque famæ detrahebat, ceuserentque amici cum terrore et minis compescendum, Philippus aliis armis utens, misit ad eum magnam pecuniæ vim, addens, si plura emperet, se plura daturum. Hoc dono vinceta est eius lingua, victa maledicentia, ac qui primo Philippum carpebat, nunc eum laudabat et in cælum evehebat. Mirabantur amici doni ignari tantam in calumniatore mutationem, quibus Philippus: *En, ait, in mea manu est facere, ut detractores mei sint laudatores.* Idem obsessurus areem in rupe sitam, cum sui dissuaderent, dicerentque eam esse inaccessam, ideoque inexpugnabilem, rogavit, num asinus onustus auro eo ascendere posset? asserentibus viam patere asino: Ergo, inquit, accessu et expugnatio facilis est. Quare submissa ingenti auri vi arcis præfectum sibi devinxit, fecitque ut areem sibi dederet. Nimirum *validius et facilius aureis hastis pugnatur, quam ferreis.* Norunt hoc sapientes principes et duces. Docuerat id Philippum Apollo Pythius, dum ab eo consultus respondit:

*Si telo ex auro pugnaveris, omnia vinces.*

Seneca epist. 9. ad Lucill. *Si vis amari, ama.* Et Poeta:

*Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.*

*Hoc non fit verbis: Marce, ut ameris, ama.*

Præclare S. Chrysost. homil. 13. ad pop. explicans illud Christi: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis,* ait: *Vis beneficia capere? confer beneficium alteri: vis laudari? lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primis potiri? cede illas prius alteri.*

ET ERO EIS QUASI EXALTANS IUGUM SUPER MAXILLAS EORUM. ) *Ero, id est, eram:* sicut paulo ante traham, id est, traxi. Sequitur enim, *et declinavi* in præterito. Iam quoad sensum, Albert. explicat, q. d. *Faciam ut maxillæ eorum premantur iugo Assyriorum.* Unde Symmach. vertit, *putaverunt quod imponerem iugum super maxillas eorum.* Iugum scilicet, vel hostis, vel legis meæ, quam ipsi æstimant durissimum esse iugum. Melius alii contrarie exponunt, q. d. *Exaltabo, id est, auferam ab eis iugum aliarum gentium.* Tertio, Septuag. vertunt, *ero eis quasi dans alapas homo super maxillas eius,* quod explicans S. Hieron. *Quia, inquit, non sua sponte currebant, sed vinculi funibus trahabantur, paululum maxillas eorum verberavi, non puniens, sed corrigens et emendans. Iudex lacerat carnes, torquet funiculis, flagellis atque ignibus cruciat; qui autem pater est, lascivientem filium palma percussit manus.* Sic et Cyrill. et Theodor. per alapam hominis accipiunt castigationem levem, qua Deus quasi pater leniter castigat suos, quasi pueros: *quem enim diligit Deus, castigat.* Imo aliqui hæc accipiunt de alapa qua pater leniter tangit maxillas pueri, quasi applaudens ei poppismo blandientis, ut doceant Dei alapas non esse aliud, quam plausus quosdam, et manuum collisiones, quibus equisones, seu poppyzontes voce simul et manuum tractatione equos animare solent, et indomitos cicurare, uti Deus hic

A cicuravit Israel: ita Delrio adagio 937. Quare minus recte Leo Castrius hæc refert ad alapam a milite datam Christo in passione, coram Caipha Pontifice; præsertim quia ipse contendit, in Hebræo pro *exaltans* יָרָה *ol*, id est, *iugum*, legendum esse *exaltans* יָרָה *iad*, id est, *manum*, scilicet ad dandam alapam, quod est contra omnes codices.

Sed quæres, qua ratione et qua allusione ad rem rusticanam, in nostra versione dicatur: *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas?* Nec enim rustici exaltant iugum super maxillas, sed super collum, vel cornua boum. Primo. Rullinus censet alludi ad boves qui trahunt currus, *In quibus, inquit, iuga cum solvuntur, eriguntur:* cum enim boves e curru solvuntur et abeunt, elevatur currus temo, qui pariter secum elevat iugum. Verum solutis bobus solet et iugum eorum solvi, nec dimitti alligatum temoni. Adde, hic magis ad boves arantes, vel trituranter, quam ad currum trahentes respici. Alludit enim ad id, quod paulo ante dixit c. 10. v. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim, arabit Iudas, etc.*

B Secundo, alii censent respici ad morem rusticorum, qui ad singulos sulcos elevat iugum boum ad caput et cornua, ne eo collum nimis incalescat et gravetur. De eo enim sic præcipit Columella lib. 2. cap. 2. *Sulcum longiorem facere quam pedum centum viginti contrarium est pecori, quoniam plus æquo fatigatur, ubi hunc modum excessit. Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem iugum propellat, et boves inhibeat; ut colla eorum refrigerent, quia celeriter conflagent, nisi assidue refrigerentur; et ex eo tumor, ac deinde ulcera invadunt:* ita Figuerius. Verum hæc spectant elevationem iugi ad caput et cornua, non vero ad maxillas, quod quærimus.

Tertio, verisimilius Sanchez censet per *iugum* hic significari capistrum, quod os boum et maxillas tegit et stringit, ne inter arandum germina carpant: hoc enim capistrum alligatur iugo, ne boves caput demittant, sed eo recto incedant. Hoc enim faciendum esse docet Columella loco citato, *Ut boum colla, inquit, minus labefactentur, iugumque melius aptatum cervicibus insideat.* Cum enim boves ab arando vel triturando cessant, elevatur et aufertur iugum, unaque capistrum quod erat ori et maxillis alligatum; imo subiude inter arandum et triturandum agricolæ laxant elevantque capistrum a maxillis, ut boves caput demittere, et germina vel grana quæ triturant carpere et edere possint. Sub iugo ergo hic intellige frænnum sive capistrum: hoc enim proprie tangit maxillas, et elevatur supra eas, ut boves comedere possint. Unde et sequitur: *Et declinavi ad eum cibum, ut vesceretur,* q. d. *Israel quasi traxit iugum meum peregrinas per desertum 40. annis: sed cum aliquid laboris et modestiæ subivit, in tam diuturno et dissiili itinere, ego sic eum relevavi et refeci, sicut agricola solet laborantem bovem, a quo iugum et laborem amovet, ut suis se temporibus pabulo reliciat et restauret.*

D Quocirca optime Hebræa vertit Chald. *verbum meum fuit sicut bonus agricola, qui allevat humerum boum, et relaxat (frænnum) in maxillas eorum.* Alludit enim ad vitulos vel boves arantes et trituranter; his enim comparavit Israel cap. 10. 11. quibus iugum cervici, capistrum ori imponitur, ut assidue arent vel triturent, nec ab hoc opere divertere possint os segeti vel cibo admovendo: hos agricola, si elemens et benignus sit, subinde a iugo solvit aut laxat, ut quiescant et comedant, q. d. Pari modo ego cervicem Israelis iugo maxillas capistro liberavi, dum in deserto hostium arma et iugum ab eo averti, fecique ut a labore itineris sæpe interquiesceret. *et declinavi,* id est, demisi e cælo manna, quo *vesceretur:* ita S. Hieron. Exaltatur ergo iugum super maxillas, eum ab illis attollitur et aufertur, aut, ut Vatabl. eum more rusticano e collo boum aufertur, et in cornibus eorum suspenditur, ut per maxillas dependeat et desluat. Sic enim respirant boves et refocillantur aliquantulum in mediis arandi et triturandi laboribus. Alleg. Christus exaltat et aufert a nobis iugum peccati, dæmonis, et concupiscentiæ dicens:

*Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. II. v. 28. Aut enim tentationes et difficultates tollit, aut sua gratia ita eas emollit, ut hoc eorum iugum non videatur maxillas stringere, neque colulum arctare.

ET DECLINAVI AD EUM UT VESCERETUR. ) Id est, ut Symmach. et Vatabl. *declinari ad eum cibum*: hunc enim significat Hebr. אוכל *ochil*: quod alii vertunt, *comedere faciam*, puta tum bona terra Chanaan, tum manna, quo Israel em alui in deserto: ita S. Hieron. Chald. Haymo, Albert. Lyran. et alii. Allegor. per manna accipe Eucharistiam, qua Christus suos alit, de qua ait S. Hieronym. *Declinavi (ego Christus) ad eos deferens regna caelorum, ut cum eis vesceret assumpta forma hominis: sive dedi eis esum corporis mei ipse et cibus et conciva.*

Pro *declinuri* hebr. est, וט ut, quod per apocopen ponitur pro וטא *atte* futuro hiphil, a rad. וט *nata*, id est, declinavit. Aliqui *at* accipiunt ut adverbium, significans *quiete*, q. d. Exaltavi iugum gentium, abstulique a maxillis Israel, fecique ut quiesceret a bellis in Chanaan per Iosue, utque quiete eius frugibus vesceretur. Sed hæc significatio et versio dubia est et incerta. Docti enim Hebræi censent *at* eum adverbiasse, significare abscondite, clam, tecte, a rad. וט *laal*, id est, abscondit.

NON REVERTETUR IN TERRAM ÆGYPTI. ) Est hic oratio pathetica, ideoque confusa, in qua multa supplenda sunt: Deus enim hic induit pathos parentis, vel nutricis zelotypæ, q. d. Ego tanta charitate, tot beneficiis affecti, et alexi ad me Israel: sed ille cor habet algidum, et a me aversum, ad me reverti non vult, sed reverli cogitat in Ægyptum, ut eius opem imploret contra Assyrios. Quid ergo? impune hoc feret? Non feret: sepiam viam eius spinis, faciamque ut viis ab hoste obsessis in Ægyptum reverti nequeat, utque Assyrius eas ex improvise præoccupet, et in Assyriam captivum abducat, sitque *Assur ipse Rex* (imo tyrannus) *eius*. Unde Chaldaeus vertit, *non revertentur in terram Ægypti, sed Assur* (puta Salmanasar) *dominabitur eis*: ita S. Hieron. Albert. Lyran. et Hugo. Aliter Arias, q. d. Debeant ire et opem implorare, non Ægypti, nec Assur, sed Domini Dei, ut *revertetur*, non rem futuram, sed debitum et obligationem significet, idemque sit quod *reverti debet*: sic enim Hebræi subinde loquuntur dicentes, *Hoc non fiet*, id est, hoc fieri non debet.

COEPIT GLADIUS. ) q. d. Iam Assyrii per erebras excursionis coperunt vastare, et occidere Israelitas, nec desistent donec, *electos et capita*, id est, consiliarios (ut habent Hebræa) et principes eorum cum tota gente consumant. Id ita factum esse patet ex historia I. 4. Reg. c. 15. et sequent.

ET POPULUS MEUS ISRAEL PENDEBIT AD REDITUM MEUM, q. d. Israel animo pendulus sperabit et expectabit, ut ego de more rediens liberem eum ab Assyriis, qui velut recedens iam eum deserueram, sed fallitur: quia enim ipse in sua contra me rebellionem et vitulorum cultu persistit, faciam, *UT IUGUM ASSYRIORUM IMPONATUR EIS omnibus simul*, nemine excepto: *QUOD NON AUFERETUR.* ) Sed erit perpetuum: ita S. Hieron. Albert. Haymo, Clarius et alii.

Secundo, q. d. Israel pendet et hæsitat an ad me converti et redire velit, necne: ita Leo Hebræus et Chald. qui vertit, *populus meus hæsitat se convertere ad legem meam*. Accedit Arias, qui explicat, q. d. Israel superbus et pervicax non vult prior me de reconciliatione compellere, sed expectat ut ego prior ei reconciliari postulem, quasi ego sim offendens et reus, ille offensus et actor.

Huc quoque accedit R. David, quem sequitur Pagnin. et Vatabl. qui Hebr. משובתי *mesciubali*, quod noster vertit, *reditum meum*, vertunt, *aversionem*, vel *rebellionem meam*, huncque dant sensum: Israel in sua a me aversione undique pressus angustiis et hostibus hæsitat quid agere, quo confugere, cuius opem implorare debeat.

Nota. Pro *iugum imponetur ei*, hebr. est, *ad iugum vocabunt eum*. Legit interpretes ויגול, id est iugum, æque ac Chald. qui vertit, *infirmitatem gravem incurrunt simul*.

VOL. VII.

Iam legunt alio puncto ויגול, id est, altus, excelsus, putata Deus. Unde vertunt, *ad Altissimum vocabant eum*, q. d. Prophete vocabant Israel em ut ad Deum rediret. Sept. vertunt, *Deus super pretiosa eius irascetur*.

Rursum pro *non auferetur*, hebr. est, *non exaltabit*, vel *non exaltabitur*, scilicet iugum, id est, non auferetur a maxillis Israelis, uti exposui v. 4. Alii aliud suppositum verbi subaudiunt, scilicet Theodor. *non exaltabit*, puta *cos Deus*; Chald. *non exaltabit*, supple *caput* Israel depressus ab Assyriis; Vatabl. *non exaltabit*, supple *Israel Deum*, id est, non laudabit, nec celebrabit Deum, quia ab eo avertit se ad idola, q. d. Hæsitat Israel an mecum in gratiam rediturus sit; et licet Prophete eum crebro vocet, ut ad Altissimum redeat, nemo tamen est qui ad Deum redeat, cumque exaltet et colat.

QUOMODO DABO TE EPHRAIM, PROTEGAM TE ISRAEL. ) Vers. S. Pro *protegam*, hebr. est ושמך *amagghen*, quod si a radice גג *ganan*, id est, tegere, obtegere, deducas, significat *protegam*, obtegam, et ut Septuag. ac Aquila vertunt, *scuto circumdabo te*. Nonnulli tamen censent *amagghen* esse contrariæ significationis (taliam enim sunt multa Hebræorum verba, quæ aliquando unum, aliquando eius contrarium significant) unde Theodotus vertit, ἀποστρεψω σε, id est nudabo te, et *auferam a te σκλον*, id est scutum, quo te ante protexeram, ait S. Hieron. et Chald. *exterminabo te*.

Secundo, si *amagghen* a rad. מג *magan*, id est, tradere, deducas, significat *tradam te*, scilicet hostibus Assyriis: ita Symmach. Leo Hebræus et Pagnin. Hi sensus licet verbo tenus diversi, imo contrarii, in eundem tamen sensum, quasi finem et scopum, collimant. Deus enim hic duas personas et duos affectus alternantes induit, scilicet amantis patris, qui filium peccantem punire ex amore refugit; et severi iudicis, qui eum ut reum plectere destinat. Est enim in hac Dei interrogatione ingens pathos, in quo quasi luctatur amor cum dolore et ira, puta summa Dei misericordia eum eisdem iustitia et vindicta. Deus enim, ait Cyrillus hic, quasi pendulus se versat utrumque, hæsitatque an protegere, an perdere debeat Israel em tam perditæ et prolignatæ vitæ, ut ostendat quam eius misereri cupiat, si resipiscere velit, ut ostendat quam eius impoenitentis excidium descendat. Sensus ergo est, q. d. *Quomodo dabo*, id est, quid de te, vel tibi faciam, o Israel? *protegamne* te more solito ut pater? at tua obstinata a me aversio et rebellio obsistit: tuaque scelera atrociam clamant in cælum, et vindictam a me efflagitant. Perdamne te per Assyrios, ut Sodomam, Adamam, Seboim, urbes Pentapoleos? at quomodo id paternus meus in te affectus patietur? Cum Sodomam perdidisti, tactus fui dolore cordis intrinsecus: at nunc si te filium meum perdam, magis cor meum, quam tuum, dolore sauciabo. Cor enim mihi findi, convelli et dissecari (anthropopathos) videtur, si te, quem amavi ut filium, ut viscera mea, abiciam, tradam Assyriis, vastem et disperdam. Quid ergo faciam? quo me vertam? vincet amor, an dolor? misericordia, an iustitia? Vincat amor, vincat misericordia. Ait ergo:

CONVERSUM EST IN ME COR MEUM, PARITER CONTURBATA EST PENITUDO MEA. Leo Hebræus vertit, *inversum est in me cor meum, simulque accensæ sunt in me penitudines meæ*, q. d. Dum ita mecum luctor, misericordia et pietate paterna vincor. Itaque cor meum convertito et inverto, muto sententiam, revoco decretum de excindendo prorsus Israele; ac quasi penitens conturbor intimo animi sensu, percellorque quod eum omnino perdere voluerim. Non ergo eum excindam ut Sodomam, sed castigabo ut filium: puniam, non ut perdam, sed ut emendem. *NON FACIAM FUREM IRÆ MEÆ*, ut eum exterminem, prout scelera eius postulabant. Denique *NON CONVERTAR UT DISPERDAM EPHRAIM.* ) Ita S. Cyril. Hieron. Theodor. Theophyl. Albert. Hugo et alii. Causam subdit:

QUONIAM DEUS EGO SUM, ET NON HOMO. ) q. d. Non sum ego similis hominibus, qui in inferendo supplicio plerumque ex ira transiliunt metas iustitiæ: Deus sum,

qui in puniendo, non solum metas iustitiæ æquare non soleo, sed citra illas me contineo, ait Anton. Fernan. vis 29. sect. 3. Nimirum homo furore ebrius naturæ moderari nescit, ego scio: homo in vindictam se effundit; ego vindictam misericordia tempero, imo supero: in me enim misericordia superexaltat iudicium: quantum ergo Deus homini, cælum terræ eminet, tantum magnifica et divina clementia mea eminet iustitiæ et vindictæ, ipsisque omnibus hominum omnium sceleribus, quæ tam facile absorbet, quam mare sorbeat guttam aquæ; ita S. Cyrill. Theodor. et alii.

Aliter Chald. et R. David, q. d. Homo offensus revocat promissa: at ego licet offensus ab Israele, promissa tamen, quæ Abraham, Isaac et Iacob patribus eius feci, servabo et opere præstabo.

Omnes ergo hæc in bonum accipiunt: unus Arias hoc in malum accipit, q. d. Fixum maneat decretum meum de excindendo Israele: quia Deus ego sum, non homo, q. d. Quia sum Deus immutabilis, non homo, qui facile flectitur mutatque sententiam. Verum perperam: cætera enim omnia hic non vindictam et odium, sed summum amorem et clementia spirant.

Moral. discite hic, quam in offensis condonandis dispar sit sensus Dei et hominum. Homo offensus vindictam machinatur, Deus reconciliationem. Homo punit ut perdat, Deus punit ut emendet. Homo passione et ira, Deus ratione et iustitia movetur. Homo stulte reputat sibi fore dedecus, si prior reconciliationem postulet: Deus id ipsum sibi honori ducit. Est hæc mundana, imo diabolica, hominum magnanimitas, ut pertinaces sint in offensis et litibus: eaque de causa multi iuges alunt inimicitias, quia neutra pars vult prior reconciliationem, multo minus veniam, etiam si offenderit prior, postulare. Concionatores eos dedocent hanc mundi sapientiam, imo stultitiam, et dementiam, ostendantque non dedecus, sed decus et laudem esse eximiam, si quis prior de reconciliatione adversarium interpellat. Hoc enim signum est animi liberalis, iræ potentis, mansueti, humani, imo divini: Deum enim ducem imitatur, qui prior nos peccatores sua gratia prævenit, et iuvat ad reditum in gratiam. Vide S. Chrysost. hom. de similitudine et ira, tom. 5. ubi præclare docet honorificum esse prævenire partem adversam, eamque invitare ad reconciliationem; eo quod hæc reconciliatio et præventio, sit heroica virtus, ingensque bonum utrumque, cuius causa et auctor est non rogatus, sed rogans. Qui enim prior venit, is, inquit, totum luctum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquit, illi imputatur, cuius precibus impetratum est. Non enim Deo obtinens, sed illi gratificans legem adimplexisti. Christus prior e cælis descendit ad nos, ut nos ad se revocaret: Christianus ergo est, et Christi assecla, qui id ipsum imitatur. Pusilli et arcti animi est fovere iniurias, ampli et celsi eas abolere. Unde Moses postulans a Deo veniam rebellionis a populo admittæ: Magnificetur ergo, inquit, fortitudo Domini, sicut iurasti, dicens: Dominus putiens et multæ misericordie, aufrens iniquitatem et scelera, Num. 14. 17.

Sic Theodosius Imper. teste S. Ambros. serm. de eius obitu, beneficium se accepisse dicebat, cum ignosceret; quin et Hadrianus, licet Gentilis, Imperator creatus dixit, sibi iam ereptam esse facultatem iniuriæ privatæ ulciscendæ; quod Imperatorem deceat non nisi publicas reip. iniurias vindicare, privatas vero condonare: eius enim dotem propriam esse clementiam: ita Sanchez ad v. 7.

IN MEDIO TUI SANCTUS, ET NON INGREDIAR CIVITATEM.) q. d. Hostes crudeles dum civitatem obsessam capiunt, eam ingrediuntur, et vastant: non ita ego, non ingrediar urbes tuas ut eas vastem: quia sanctus sum, et in medio tui habito, ideoque cupio te corrigere et correctum salvare: ita Rufin. Rupert. et S. Hieron. Non ergo ponam te ut Sodomam, sed tui reliquias conservabo, imo te totam, o Ierusalem, sub Ezechia pio rege a Sennacherib tutabor et protegam. Hoc est enim quod prædixit Isaïas c. 36. 4. Non ingredietur urbem hanc, et non iacet ibi sagittam. Licet enim hæc spectent ad Ephraim, ta-

men spectant quoque ad Iuda et Ierusalem, uti iam dicam: magis tamen spectant ad Ephraim. Unde recte nos-ter Prado in Ezech. 4. 3. sic explicat: In medio tui sanctus, id est, huc usque a te cultus et honoratus fui, et non ingrediar civitatem, q. d. Non ergo decet me civitatem Sichem (vel Samariam, quæ erat metropolis Ephraim) idolorum sentinam ingredi: quia decrevi eius cives servare. Sustinet enim Deus personam iudicis, qui advertere animum non vult ad ea quæ plectere recusat; ac proinde non ingreditur loca sceleratorum, ne videns scelera, urgente iustitia, cogatur ea punire.

Secundo, Hebræi, Haymo, Albert. et Hugo exponunt, q. d. Ego in medio tui, o Israel, moror et color; nec te sedemque meam derelinquam, ut ingrediar aliam civitatem vel gentem. Hinc R. Salomon, R. Abraham, R. David, et etiamnum Iudæi deliri existimant, Deum tantum apud Iudæos habitare. Huc accedit Chald. qui de Ierusalem explicat, q. d. Ierusalem est mea civitas, ibi habeo templum, in medio eius habito: non ergo illud deseram, ut aliud templum vel urbem ingrediar. Licet enim hæc spectent ad Israel, id est, ad decem tribus primario, secundario tamen spectant ad Iudam: utrisque enim prophetæ Osee: præsertim quia decem tribus priscum ex Dei institutione ius habebant ad Ierusalem, et ad templum, nec illud a se abdicare poterant, quantumvis ad idola deflecterent.

Tertio, q. d. Ego Deus dignor in medio tui habitare, o Israel, esto nullam ingrediar civitatem aut locum: tum quia omnibus locis sum præsens: tum quia loco non egeo, nec capior: sum enim toti orbi infusus, effusus, et circumfusus: ita Theodor. et Lyran.

Quarto, aliter Sanchez, q. d. In te, o Ephraim, sunt alii sancti (ut Osee, Joel, Amos, aliique Prophetæ) qui in Sodoma totaque Pentapoli non fuerant, qui si non omnino colibere, obtundere tamen possint districtum gladium vindicis iracundiæ. Quare non ingrediar civitates Ephraim eo modo, quo olim per angelos sum ingressus Sodomam, ad eius scelera videndum, et incendio vindicandum.

Moraliter, vide hic viscera charitatis, clementiæ et dignationis Dei nostri, qua peccatores sceleratissimos, quales erant Israelitæ, ad se trahere conatur in funiculis Adæm; dolet et pœnitet, gemit et suspirat ex intimo corde, quod eos castigare debeat, mutat et revocat sententiam de eorum excidio. Audi S. Hieron. In medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem, hoc est, non sum unus de his qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur iustitiam. Ius summum summa malitia est: mea autem lex, meaque iustitia est salvare correptos.

Considerent hæc penitus Theologi illi, qui ponunt in Deo reprobationem, vel positivam, vel negativam damnandorum, non ob eorum demerita, sed ex mero Dei beneplacito: censent enim Deum ante omnem prævisionem operum, imo ante prævisionem lapsus Adami et peccati originalis (uti illorum nonnulli volunt) ex hominibus hos, puta electos, absoluta et efficaci voluntate elegerit ad gloriam, illisque solis destinasse media et auxilia congrua et efficacia ad salutem; cæteros vero omnes, utpote damnandos, neglegisse, reprobasse negative, et posuisse in serie damnandorum; ex quo infallibiliter fiet, ut hi ad unum omnes damnentur; ideoque Deum negare eis auxilia congrua, imo, ut (aliqui volunt) etiam sufficientia ad salutem, utpote qui statuerit eos relinquere in massa peccato originali damnata, ideoque permittere eos labi in peccata actualia, in iisque obdurari et mori, itaque damnari.

Quomodo quæso hæc consentiant cum verbis Prophetæ nostri, et cæterorum omnium, in quibus protestatur, imo iurat Deus, se ex animo cupere omnium hominum, etiam peccatorum et obstinatorum (quales erant hi Samaritæ) salutem, nolle se eorum mortem et perditionem; de eaque ex intimis visceribus dolet et ingemiseit, ideoque assidue per Prophetas eorum scelera arguit, minatur pœnas, hortatur et iuvat ad pœnitentiam, promittens eis

Moral  
quam de-  
corum  
sit præ-  
venire  
offen-  
sum.

Nemi-  
nem Deus  
reprobat  
ex se,  
ante præ-  
visa de-  
merita.

Prob.  
I.

veniam et gratiam? Si quis rex aut princeps hæc omnia præstaret populo rebellī, nonne diceretur ab omnibus sincere summeque cupere, ut populus ad se sibi que reconcilietur, itaque mortem rebellibus debitam evadat, vivat et salvetur? At Deus longe melior, benignior et clementior, longe sincerior, longe veracior est quovis rege aut principe.

Sane qui aliter sentiant, videntur Primo, Deo factum vel hypoerisin ascribere, ut exterius dicat et promittat, quod interius non putat, vel vult. Si enim Deus damnandos omnes ante prævisionem demeritorum reiecit et reprobavit negative, ergo interius in animo suo noluit eos salvare, imo voluit delinquere ut perirent et damnarentur: ergo cum exterius per Prophetas dicit se velle eorum salutem, nolle mortem; simulate, et quoad speciem et apparentiam externam tantum id dicit: non enim revera et ex animo potest velle contradictoria, nimirum velle eorum salutem, eandemque simul nolle. Ficta ergo et simulata (quod cogitare horret mens Christiana, imo humana) erit illa Dei per Isaiam c. 5. 4. ad Iudæos vox: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci?* et Ierem. 2. v. 5. *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem?* Et v. 12. *Obstupescite cæli super hoc, et portæ eius desolamini vehementer; duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas.* Similibus querelis Dei plenus est Ieremias. Talia quoque sunt Proverb. 1. 24. *Vocavi et renuistis: extendi manus meas, et non fuit qui aspiceret.* Ezech. 20. 31. *Convertimini et agite poenitentiam, facile vobis cor novum, etc. Et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini et vivite.*

ii. Secundo, hæc sententia valde coarctat Dei clementiam et bonitatem, scilicet ad solos electos, qui pauci sunt; circa alios vero omnes qui plurimi sunt, facit eum rigidiorum quam sit ullus rex Turca aut Tartarus in populum suum. Absit crudelitas a Deo benignissimo. Insuper reprobationem, damnationem, obdurationem, et consequenter peccatorum patrationem, quæ inde sequitur, ascribit Deo optimo et sanctissimo, eiusque providentiæ et curæ; cum et Scripturæ, et rei natura doceat ea ascribenda esse peccatori. Cur Deo elementissimo illa tribuunt, a quo sunt alienissima, et non homini, cuius ea sunt propria? Clamat Osee cap. 13. 9. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Quam ergo perperam dicunt nonnulli: Perditio tua, non tua, sed ex Deo est reprobante! Quid enim est reprobatio, etiam negativa, nisi perditio, eaque extrema et æterna? Clamat Eccl. cap. 15. 11. *Non dixeris: Per Deum abest a me sapientia et scientia salutis: quæ enim odit ne feceris, q. d. Non per Deum, sed per te stat, quod non capessas viam salutis, quia facis ea quæ Deus odit, ac proinde a via ista recedis. Si enim non facias illa quæ Deus odit, accedet ad te Deus et sapientia, sive scientia sanctorum. Non dicas: Ille me implanavit; id est, in errorem impulit: Non enim necessarij sunt ei homines impij. Iam si Deus ex se, ante prævisionem operum impios reprobavit, nonne recte dicere poterunt impij? Non per me, sed per Deum stat, quod primitus sim reprobatus ab eo: huic autem eius decreto resistere ego non potui, nec reprobationem evadere: illi ergo imputanda est prima mei reprobatio, omnesque eius effectus, non mihi. Quis enim ego sum, qui resistam Deo, eiusque providentiæ seriem fruster et evertam?*

Adde, reprobare, punire, damnare sunt actus iustitiæ vindicativæ: ergo non præcedunt, sed sequuntur et præsupponunt peccatum, et culpam reprobandi et damnandi. Princeps enim esset iniustus et tyrannus, si subditos impelleret vel induceret ad peccata eum fuisse, ut eos posset punire, damnare et occidere.

iii. Tertio, Christi filii Dei unigeniti redemptionem et æconomiam valde hi doctores extenuant, eiusque gratiam et gloriam imminuunt: nam eam ad paucos electos restringunt; cæteros ab ea reipsa excludunt, etiamsi nomine te-

IV. nus partem eius aliquam, aut potius apparentem aliquam umbram ad eos extendere videantur. Iam ex adverso, ex S. Scriptura, et ex doctrina Patrum et Ecclesiæ constat, quod Christus hæc de causa incarnatus sit, laboraverit, sudaverit, passus, crucifixus, et atrocissima quæque perpessus sit, ut omnes omnino homines, etiam eos qui sua culpa damnantur, redimeret, ut omnibus gratiam non tantum sufficientem, sed et copiosam ad salutem impetraret, pro eaque assidue Patrem oravit, atque ad eam omnes toto Evangelio ex animo invitavit. Hinc amare flevit super Ierusalem, dicens: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Hæc de causa per totum orbem misit Apostolos, quos scilicet, ut ait Apostolus 1. Tim. 2. v. 4. *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Ideirco rursus singulis sæculis, imo singulis annis per urbes singulas, vicos et castella mittit prædicatores, qui doceant et invitent omnes ad eius gratiam et salutem: ergo neminem ab ea exclusit vel excludit, nisi nolentem venire.

Quarto, multi ex iis qui damnabantur sunt baptizati, penitentes et iusti, in quibus omne peccatum, etiam originale, plane deletum et abolitum est. Ergo Deus eos tunc odisse, reprobare, negligere aut deserere nequit; sed amat, iuvat, protegit et destinat ut fiant hæredes gloriæ et regni sui, uti docet S. Scriptura, et Concil. Trid. quod inter cætera ait sess. 6. art. 11. Deum gratia sua non deserere iustum, nisi prius ab eo deseratur.

v. Quinto, ex hæc sententia Deus videtur insidiari salutem omnium eorum qui damnantur. Nam ante omnem prævisionem decrevit eos reprobare, utque hoc decretum sit infallibile et efficax, debet procurare illis passim offendicula et gratias inefficaces et incongruas, ut peccent iusteque damnari possint, uti recte argumentatur Gregor. de Valentia. Hoc enim involvit id quod dicunt auctores illius sententiæ, scilicet Deum ante omnem prævisionem ponere reprobos in serie damnationis et damnandorum.

C Quocirea viri sapientes non pauci aversantur ista dogmata, et præsertim reprobationem tam negativam, quam positivam ante prævisionem operum et finis vite cuiusque, eamque e cathedris et pulpitis eliminandam censent, tamquam Dei æquitati, sanctitati, bonitati et elementariæ, æque ac Christi redemptioni, meritis et charitati iniuriam; quæque hominibus teporem ad bona opera, et pronitatem ad peccata ingerat, ad eaque sollicitet. Sane novi plures, qui ex illius sententiæ prædicatione et doctrina, vel in desperationem, vel in insaniam acti miseri vixerunt; aliquos etiam qui se occiderunt. Semper enim decretum Dei de sua salute vel damnatione, quasi fatum quoddam ineluctabile, idque dubium et incertum, capiti suo impendens phantasiæ suæ obiectantes, nec illud excutere valentes, succubuerunt tandem, ac in dissidentiam, vel amentiam prolapsi sunt. Denique hæc sententia impulit Calvinum et hæreticos ad hoc, ut dicant Deum esse auctorem operum malorum, æque ac est honorum.

Itaque sentiamus, dicamus, doceamus et prædicemus, quod Prophetæ et Apostoli prædicarunt, scilicet Deum benignum esse in omnes, velleque et optare ex animo omnium salutem, ideoque reprobationis eiusque causam esse peccata propria, non quæcumque, sed ea tantum in quibus quis vitam finit; Deumque neminem reprobasse, nisi quem in peccatis moriturum prævidit, uti docet S. August. lib. de Correp. et gratia cap. 13. et Prosper in resp. ad e. 2. et 3. Gallorum. Deus enim cuique hanc vitam dedit quasi stadium, in quo usque ad mortem decurrat, et decertet; si rite decertarit, eum eliget, coronabit et glorificabit; si nequiter, eum reprobat et damnabit. Quamdiu ergo in hac vita sumus, in via, stadio et agone sumus, id est, in statu merendi gloriam, vel demerendi gehennam: in morte erit terminus, uti vite, ita et meriti vel demeriti. Quocirea in eiusque arbitrio est quamdiu vivit, vel bene agere, itaque mereri et eligi ad gloriam, vel male, itaque reprobari. Hoc est quod per Moysen Deuter. 30. 15. Deus Hebræis edixit: *Considera quod hodie*

*proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum; et e contrario mortem et malum, ut diligas Dominum, etc. et vivas. Et Eccl. 15. 14. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata facere, conservabunt te. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Ita fecisse Deum cum angelis et Adamo clarum est, et fatentur auctores illius sententiæ: ergo et idem facit eum hominibus post lapsum: per Christum enim homines lapsos erigere, et in pristinum, imo altiore gradum restituere deerevit, et de facto restituere dignatus est, uti manifestissimum est in iis qui baptizati et iusti, imo magni Sancti evaserunt, e quibus tamen postea nonnulli sua superbia, aliave culpa perierunt, et etiamnum pereunt et damnantur.

Hic sensus dignus est Deo, dignus Christo, dignus Ecclesia. Sentiamus ergo cum Sapiente de Deo in bonitate, a quo, ut ait Isaïas e. 28. 21. mala insligere vel inferre alienum est et peregrinum, proprium vero misereri et parcere. Nam, ut ait Psalter, *Miserationes eius super omnia opera eius.* Et Sapiens cap. 11. 27. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas;* græce significantius, *δυσπτοτα φιλοψυχος.* Ipse ergo est *φιλοψυχος*, et, ut ait Apostolus Tit. 3. 4. *φιλανθρωπος*, qui ex mero amore animas creavit, easque perditas Christi sui sanguine redemit, ac proinde non vult eas perire, sed salvari, ideoque singulis gratias et media ad salutem sufficientia, imo copiosa et abundantia, ex immenso hoc amore quo eas prosequitur, suppeditat; ut qui pereunt, non Deo, sed suæ ignaviæ, vel malitiæ id tribuere debeant, uti ait hic Propheta. Vide inter alios Gregor. de Valentia 1. p. q. 23. disp. 1. puncto 3.

Dices, Deus elegit hanc rerum seriem, in qua prævidebat hosce, puta reprobos omnes, peccaturos, ideoque damnandos: ergo voluit et intendit eos negligere, et reprobare ante omnem prævisionem operum. Cur enim eos posuit in hac serie rerum in qua infallibiliter damnandi erant, nisi quia voluit eos abiicere? alioqui enim posuisset eos in alia serie, in qua prævidebat illos salvandos. Resp. negando consequentiã: inde enim a pari sequeretur, Deum intendis peccata reproborum, quia ea pari modo prævidit in tali serie, in qua eos posuit, certo futura: hoc autem dicere est impium et blasphemum. Causa ergo cur eos posuerit in tali serie, non fuit illa, quod intenderet eos reprobare aut damnare; sed quia liberum ei fuit eligere seriem quæcumque voluit, præsertim quia prævidebat Deus, quod quæcumque seriem eligeret, semper aliqui cum communibus gratiæ auxiliis (noluit enim omnibus dare extraordinaria et potentissima: hoc enim quasi privilegium paucis reservavit) ex arbitrii libertate, facilitate et fragilitate deficerent et peccarent, ideoque reprobandentur et damnarentur. Quod ergo hanc seriem de facto elegerit, in qua prævidebat hosce defecturos et damnandos; non illam, in qua prævidebat hosce in gratia perstituros et salvandos, sed alios defecturos et damnandos; hoc liberæ eius electionis et potestatis fuit: est enim ipse summus rerum omnium Dominus. Taceo occultas alias huius electionis causas, quas plures in mente sua habuit et habet: has enim homini scrutari nec possibile, nec fas est; sufficiat nobis non fuisse hanc causam, quod hos præ aliis vellet reprobare ante prævisionem operum, uti iam ostendi. Nam dedit eis, æque ac aliis, communia gratiæ auxilia, cum quibus facile bene vivere et salvari poterant et debebant (hocque volebat et intendebat Deus) sicut multi alii iisdem bene vixerunt, et salvati sunt. Tribuant ergo suæ libertati, fragilitati et negligentia, non Deo, nec Dei reprobationi, quod gratiæ Dei cooperari strenue, prout res tanta posebat, noluerint, ideoque reprobandi sint.

Vers. 10. POST DOMINUM AMBULABUNT, quia Dominus QUASI LEO RUGIET. ) Suoque metu percelleret cogitque omnes ut se sequantur, et post se ambulent. Id reipsa factum est; Primo, cum Deus in vastitate et captivitate Israelitarum

A rugiit et sæviit quasi leo. Tunc enim multi ex iis plagis fracti, et pavore Dei percussus ad Deum redierunt, eumque in captivitate Assyriaca coluerunt, et invocarunt petentes veniam et liberationem: ita S. Hier. Haymo, et alii. Secundo, cum Ezechias convocavit et invitavit Israelitas in Ierusalem ad Dei cultum, 2. Paral. 30. Rursum et potius, cum Iudæi e Babylone redierunt in Iudæam: tunc enim multi ex Israel, id est, e decem tribubus, Iudæis permisti, cum eis redierunt in Ierusalem, ibique in templo Deum coluerunt: ita S. Cyril. Theod. Chald. Albert. et Hugo.

Tertio et maxime, Christo incarnato et prædicante, ac rugiente quasi leone tum per se, tum per Apostolos, multi Israelitæ tam ex Samaria et Iudæa, quam ex Ægypto, Assyria, omnique mundi plaga ad eum conversi sunt, et quasi columbæ advolarunt, quos ipse collocavit in domibus suis, puta in particularibus Ecclesiis, ubi pie sanetique Deo servierunt, serviunt et servient. Ad Christum enim avolare hic Prophetam censent Hebræi, S. Hieron. et alii passim.

Nota. Christus per se et Apostolos evangelizans comparatur leoni: Primo, quia ipse ut leo terrore et iniuriæ iudicii et gehennæ terruit peccatores, et reipsa in iudicio terreat damnatos insligendo illis ignem æternum. Secundo, quia uti leo quasi rex dominatur cæteris feris et animalibus, ita Christus dominatus est philosophis, sectis et erroribus tam Gentilium, quam Iudæorum. Tertio, quia summa auctoritate et maiestate loquebatur quasi leo. Quarto, quia summa et leonina fortitudine e captivitate peccati, diaboli, et gehennæ veros Israelitas eduxit.

QUIA IPSE RUGIET, ET FORMIDABUNT FILII MARIS. ) Id est, homines marini, v. g. insulani. Sic Isaïa 23. 10. Tyrus dicitur, *filia maris*, quia insula. Aut *filii maris*, id est, Occidentis (mare enim Mediterraneum est ad Occidentem Iudææ; hinc *mare* in Scriptura significat Occidentem) hoc est, Occidentales populi, q. d. Remotissimi quique Israelitæ qui in Occidentem profugerant, æque ac gentes Occidentales, audito hoc leonis, id est, Dei et Christi, rugitu, *formidabunt*, hebr. *יִחַדְדוּ* *iccherdu*, id est, trepidabunt, eique se subdent. Nam ut ait Amos c. 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Significat quod ad remotissimos quosque Israelitas, æque ac nationes, perveniet vox, terror, potentia, et dominans gratia Christi.

Aliter Theodor. nam per *filios maris*, accipit pisces, q. d. Tam horrendus erit Dei rugitus, ut pisces etiam fugituri sint, et in maris imo se addituri.

Mystice, *mare* est sæculum hoc varium, æstuans et tempestuosum: filii ergo maris sunt filii huius sæculi, quos Christus rugiens percussit et convertit.

ET AVOLARUNT QUASI AVIS EX ÆGYPTO, ET QUASI COLUMBA DE TERRA ASSYRIORUM. ) Cum scilicet ego Deus rugiam per Cyrum proclamando libertatem, ut Iudæi Babylone redeant in patriam; et multo magis cum rugiam per Christum proclamando libertatem a peccato et gehenna, tunc Israelitæ inter Gentes dispersi undique ad me confluent, scilicet a mari, id est, ab Occidente; ab Ægypto, id est, a Meridie; et ab Assur, id est, ab Aquilone et Oriente, ut me duce redeant per Esdram in Iudæam, et multo magis per Christum redeant ad Ecclesiam, quæ est prima veraque eorum patria, ubi *eos in domibus suis* et sedibus, puta in localibus Ecclesiis collocabo. Ita Chald. qui vertit, *post Dominum ambulabunt, et verbum eius sicut leo erit qui rugit: statim enim ac rugiet congregabuntur exules ab Occidente. Sicut avis quæ aperte venit, sic venient qui in exilium acti fuerunt in terram Ægypti: et sicut columba quæ revertitur ad columbare suam, sic redibunt qui deportati sunt in terram Assur*, q. d. Israelitæ, æque ac Gentes, Leonis, id est, Dei et Christi augusta voce territi et excitati, ad eum eiusque fidem et sequelam confluent.

Nota. Per Assyrios et Ægyptios, quaslibet regiones et gentes accipit per synecdochen: hos tamen præ aliis nominat, quia eo fugerant, vel abducti erant Israelitæ tempore captivitatis, indeque quasi columbæ revolarunt.



Avis Ægypti quæ?

Quæres Primo, quænam sit avis Ægypti, et cur ei comparetur Israel rediens e captivitate? Resp. esse ibin, vel accipitrem: utraque enim Ægyptiis erat in honore, et sacra, imo divinis honoribus colebatur. Per eam ergo significat Israelis, non tantum celerem reditum, sed et indemnitatem, ac dignitatem, honorem et reverentiam, quibus ab hostibus ipsis dimissus honorifice et gloriose in patriam sit reversurus. Ægypti enim, ait Strabo, e terrestribus tria coluerunt, scilicet bovem, canem et fœlem: e volatilibus duo, accipitrem et ibin: ex aquatilibus duo, sepidotum piscem et oxyrynum. Accipiter avis est rapax, ab accipiendo dicta, ideoque celerissima. Unde Æthiopes rem cito factam significaturi pingunt accipitrem; quod hæc aliarum ferme omnium avis sit velocissima, ait Dioscor. lib. 4. cap. 1. Eadem a Virgilio 11. Æneid. sacra vocatur, dum ita canit:

*Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto,  
Consequitur pennis sublimem in nube columbam.*

Porro accipiter Ægyptiis erat in honore et veneratione. Primo, quia accipiter est hieroglyphicum solis, tum ob vim prolificam qua præditus est; est enim inter aves fœcundissimus; tum quia vivacissimus est: tum quia iubar radiosque solis firmiter intuetur: tum quia oculos et visum habet acutissimum. Unde Plutarch. accipitrem interpretatur Osirim et solem. Origenes eundem vocat Apollinis nuncium: tum quia trigesimo quoque die fœminæ solet coniungi æque ac sol lunæ. Hinc et Zoroastres, teste Eusebio, dixit Deum accipitris habere caput: Deus enim est sol iustitiæ, Malach. 4.2. Secundo, quia cæteræ aves dum in sublime tendunt, non recto, sed obliquo feruntur tractu: solus autem accipiter sublimipeta recto meatu volat. Tertio, quia accipiter symbolum est animi alati, ac in altum cælumque evolantis, ac consequenter sacerdotis et sacerdotii, quod verum et legitimum solus Israel possidebat. Quarto, quia accipiter symbolum est gloriæ et victoriæ, tum quia agilitatis in volatu principatum obtinet: tum quia avis est pugnacissima et solertissima, quo fit ut dimicans alias aves semper vincat, vincatur nunquam. Quocirca Darius Persarum rex, qui sibi totius orbis victorias promittebat, pallas gestabat auro distinctam, in qua accipitres velut rostris inter se concurrebant, inscripta hæc voce, *νικητικωτατος*, id est, victoriosissimus. Et Antiochus tot victoriis illustris, accipitris cognomine vocari gestiebat. Hæc et plura tradit Pierius hierogl. 21. c. 2. 6. et 19.

Ibis vero ita propria est Ægypto, ut alibi non reperitur. Ibis autem est ciconiæ species, excelsa, rigidis erubibus, procero rostro. Hinc Ægyptus in obeliseis et nummis representatur per ibin: tum quia ibis alibi quam in Ægypto vivere nequit: tum quia Ægyptus habet speciem Δ, unde et delton vocatur; eandem habet ibis, tum in rostro, si illud patefaciat; tum in incessu, quo pedes ad æquales trianguli lineas deducit. Porro ibis Mercurio dicata erat, qui totius cordis et sermocinationis dominus habebatur: hinc et cordis est symbolum, præsertim quia ibis mirifice cordi confert, uti asserunt medici: et quia ibis duas æque drachmas ponderat, teste Plutarcho: quod utique pondus est cordis pueri recens nati. Insuper ibis rostro purgans alvum, docuit homines usum clysterii: hinc sanitas et salutis est symbolum, præsertim quia, ut ait Cic. 1. de Natura deorum, *ibes maximam vim serpentum conficiunt, itaque avertunt pestem ab Ægypto, cum volucres angues, ex vastitate Libyæ vento Africo invectas, interficiunt atque consumunt: ex quo fit, ut ille nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ.* Unde Poeta vocat *salutaram serpentibus ibim.* Hinc et scribit Iosephus 1. 2. Antiq. 5. Mosem copiis Ægyptiorum a Pharaone præfectum, cum in Æthiopas castra moveret, quia per loca serpentibus plena profecturus erat, vim ibum ingentem papyraeis arcibus inclusisse, iisque in serpentes immissis, ab iis illasum in Æthiopiam penetrasse, eamque subiugasse. Hæc Pierius hieroglyph. 24.

Quæres Secundo, cur *avem Assyriorum* vocat columbam, potius quam aquilam, et cur Israellem reducem comparat columbæ, non alteri avi? Respond. Primo, quia vo-

latus columbæ directus est, æque ac constans. Secundo, quia apud Assyrios columbæ sacre habebantur, et nefas erat eas occidere: inde tanta ibi crevit harum volucrum copia, ut accidentium mercatorum ora pervolarent. Hæc de causa ait hic Osee: *Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum.* Hinc et Tibullus lib. 1.

*Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes  
Alba Palestino culta columba Syro.*

Testatur Euseb. lib. 8. Præpar. 5. se, cum ad Asealonem Syriæ civitatem appulisset, miratum esse multitudinem columbarum, cumque causam rogaret, audivisse, lege apud eos columbarum usum esse prohibitum. Causa fuit, quod adulatores Semiramidis, reginæ primæ Assyriorum, finxerint eam commutatam in columbam, eaque specie eam quasi deam coluerint. Quocirca Martialis l. 13. de columba ita canit:

*Ne vires teneras præduro dente columbas,  
Tradita si Gnidix sunt tibi sacra Dæx.*

Tertio, quia columba timida, ad umbram etiam accipitris celeriter avolat. Nam ut ait Poeta:

*Terretur minimo pennæ stridore columba.*

Ita Israelitæ timidi data licentia a Cyro, statim e Babylone aufugerunt, et deinceps ad solum Babylonis et idololatrarum nomen trepidarunt, iuxta vetus proverbium:

*Timeo naufragus omne fretum.*

Et, *Vitaret exlun Phaeton si viveret.*

Quarto, quia columbæ unice amant suum columbare, æque ac nidum et pullos, unde etiam aliis abducantur, mox ut libera evadunt, eo statim revolant: quocirca columbis uti solent in obsidione urbium, quasi tabellariis. Obsessi enim per eas ad amicos ultro citroque litteras transmittunt, et recipiunt. Ita iis usus est Brutus in obsidione Mutinensi, de quibus Poeta:

*Quid vigil obsidio, quid arces  
Aut valla prosunt, per spatia invii  
Eunte cæli nuncio?*

ait Plin. lib. 10. c. 37. Ita Christiani Ptolemaidem obsidentes, per columbam tabellariam eam miro stratagemate obtinuerunt. Cum enim per columbam Sultanus misisset litteras, quibus se brevi obsidionem soluturum significabat, Christiani eam intercipientes, contrarias fictasque, Sultani nomine inscriptas litteras, per eandem in urbem miserunt, quibus significabatur Sultanum aliis districtum urbi succurrere non posse: ergo cum hoste optimis conditionibus componerent. Ita obsessi urbem Christianis dederunt, uti narrat Egnatius, et ex eo Aldrovandus prolegom. in Ornithol.

Quin et patresfamilias, ut docet Lipsius l. 2. Saturnal. c. 6. qui in theatrum aut circumibant, unde non tam cito dabatur reditus, columbas secum in sinu ferebant, easque emittebant cum tabellis nuncias domum quid vellent, idque probat ex Varrone l. de Re rustica, qui ait: *Columbas redire solere ad locum licet animadvertere, quod multi in teatro e sinu missas faciunt, atque ad locum redeunt, quæ nisi reverterentur non emitterentur.* Id maxime verum in columbis Syriæ et Palestiniæ, quæ etiam si ad centum millaria a columbari abducantur, si e loco alto libere avolare sinantur, statim directe mira vel odoratus, vel naturæ sagacitate, ad columbare suum paucis horis revolant: quibus proinde etiamnum mercatores et cives, ut merces advectas aliaque nunciant, pro tabellariis utuntur. Nam eas secum deferentes ad portus, vel ad alias urbes, inde cum litteris domum remittunt, uti mili Romæ narrarunt viri graves, qui in Syria vixerunt oculisque id ipsum conspexerunt.

Idipsum Iuse narrat et confirmat R. P. Stephanus Mantegazza Ordinis S. Dominici, in suo Hierosolymæ itinerrario l. 2. c. 22. et 23. ubi narrat se id vidisse Caira in Ægypto, additque in toto Oriente incolas columbis uti pronunciis et veredariis, quibus carent, magno et pretii et temporis compendio, easque ad id edoceri: atque Godefridum Bullonium, qui terram sanctam ante sexcentos annos reconperavit, primusque o Christianis creatus est He-

Columba cur vocetur a vis Assyria?

rosolymæ rex, in obsidione Hierosolymæ interceptis columbam, quæ a Sultano cum litteris ad obsessos mittebatur: ipsum vicissim columbam cum litteris misisse ad obsessos in castello Hesaræ.

Hiscæ ergo columbis suis recte Israelitas comparat Propheta, q. d. Avolabitis e captivitate ad patriam, uti columbæ vestræ alicubi detentæ avolant ad suum columbare et nidum.

Tropol. fidelis amet Ecclesiam, Religiosus suum Ordinem, uti columba amat suum columbare, et si quo casu inde abducat, mox ut potest eo revolet, ut dicat cum Iob cap. 29. 18. *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Et cum Psalte Ps. 83. 4. *Etenim passer invenit domum, et turtur nidum, ubi ponat pullos suos: mea autem domus est templum, meus nidus altare, de quo subdit: Altaria tua Domine virtutum, rex meus et Deus meus, q. d. Altaria tua sunt ad quæ anhelo, uti avis ad nidum suum. De his ait Isaias cap. 60. 8. Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? vide ibi dicta.*

Vers. 12. **CIRCUMDEDIT ME** Hic redit Osee ad sua tempora et ad pristinas minas. Unde Lyran. Arias, Pagnin. et Vatabl. hinc inchoant cap. 12. Sensus ergo est, q. d. Cupitis scire causam, cur non obstante mea tanta miseratione et amore, Ephraim æterna captivitate, uti iugiter inelamo, damnandus sit? Ea in promptu est, quia scilicet circumvenit me suo mendacio, negavit enim cultum mihi debitum; et reliquas tribus dolo: nam dolose eas seduxit ad colendos vitulos aureos, quos mihi astute substituit.

**IUDAS AUTEM TESTIS DESCENDIT CUM DEO, ET CUM SANCTIS FIDELIS.** q. d. Iudas autem non fecit sic: quia eodem tempore sub Ezechia pio rege, sua fide, cultu et vita Deo adhesit, ad eiusque partes ab Israele neglectas, ideoque quasi inferiores, descendit testis veritatis, puta divinitatis Dei; itaque cum sanctis tum Patriarchis et Prophetis, tum potius Sacerdotibus et Levitis (hi enim in schismate Ieroboam retinuerunt cultum Dei, ideoque ex Israel ad Iudam et Ierusalem confugerunt, ut patet 2. Paral. 13. 9.) fidelis Deo fuit, veramque eius religionem et obedientiam fideliter, stabiliter et constanter (hoc enim significat Hebr. נֶאֱמָן *neeman*) conservavit: ideoque cum excindetur Ephraim et Samaria, tunc Iudas et Ierusalem stabit et florebit; ita S. Hieron. Haymo, Ugo, Emmanuel, Mariana et alii. Perperam Compluteu. pro *fidelis* legunt *fidelibus*. Nota. Noster interpres legit *ty ed*, id est, testis, iam legunt *ty od*, id est, adhuc. Rursum *rad* accepit ut ininitivum a *iarad*, id est, descendit: iam accipiunt ut præteritum verbi *rud*, id est, dominatus est; unde vertunt: *Iudas autem adhuc dominatur eum Deo*; ita Chald. Leo Hebræus, Lyran. et Pagnin. quasi alludat ad factam Iacobi cum angelo vices Dei gerente, cui eum prævaleret Iacob, vocatus est, *Israel*, id est, dominans Deo, Gen. 32. 28. Verum eodem redit sensus, q. d. Cum Ephraim vastabitur, Iudas suum retinebit dominatum et sceptrum: quia cum Deo consertit et conspirat; retinet enim eius fidem et cultum quasi testis eius fidelis: unde regnat adiutus et protectus a Deo, adeoque a Deo et eum Deo regnare videtur: Dei enim regnum terrenum erat in Iuda, uti cæleste est in cælo. Unde Chald. vertit, *proles vero Iuda calidæ fuerunt in cultu Domini*; et Arabicus Alexand. *Iudas testis eum Deo remotus ab eis, et factus est fidelis et sanctus.*

Aliter Arias et Albert, q. d. Iudas stetit in cultu Dei quasi testis eius fidelis, etiam cum descendit de splendore regni, dum scilicet Ephraim, id est, Ieroboam, potiorum regni partem occupavit, eamque ad vitulos aureos abduxit.

Rursum Vatabl. et Lyran. censent hic innui mysterium SS. Trinitatis. Nam pro *fidelis*, vertit in dativo, *et cum sanctis fidelis*: ac per *eo sanctis*, accipit Deum qui præcessit, in personis trinam, in essentia unum, q. d. Iudas descendit eum Deo, eum Deo, inquam qui sanctissimus est, ac ter sanctus in tribus personis (ut pluraliter vocari possit קְדוֹשֵׁים *kedosim*, id est, sancti: tum quia sanctis-

simus est, tum quia in eo sunt tres personæ sanctissimæ) æque ac fidelissimus. Simili enim modo et causa Deus vocatur *Eloim* in plurali. Verum primus sensus uti plauissimus, ita maxime genuinus est. Porro Septuag. hæc aliter dispungunt, itaque vertunt, *Circumdedit me in mendacio Ephraim, et in impietate domus Israel et Iudas: nunc cognovit eos Deus, et populus sanctus vocabitur Dei*; Sept. sequitur Syrus, *Circumdedit me Ephraim in mendacio, et domus Israel et Iuda dolo, donec descendit eum ipso Deo populus sanctus et fidelis*: et Arabicus Antiochenus, *Considerare (reperite modum) quomodo removeatis mendacium, o domus Ephraim; et iniquitatem, o domus Israel et Iuda; quoniam iam cognovistis Dominum, et vocabimini Deo populus sanctus.*

Denique Hebræi hæc referunt ad transitum maris rubri, de quo historiam vel fabulam hanc narrat, inquit S. Hieronym. *In exitu Israel ex Ægypto, quando ex alia parte mons, ex alia rubrum mare, et ex alia Pharaonis cingebatur exercitu, et inclusus populus tenebatur; ecclesis tribus desperantibus salutem, et aut reverti in Ægyptum, aut bellare cupientibus, solus Iuda fideliter ingressus est mare: unde et regnum meruit accipere; et hoc esse quod nunc dicitur: Iudas testis sermonum Dei, et astipulator ac vindex descendit eum Deo in mare, et inter sanctos fuit fidelissimus, ut verbis iubentis crederet Dei.*

Verum quicquid sit de hac historia, certe de ea hic non agitur (esto eo alludi possit) sed de schismate Israelis facto per Ieroboam, in quo Iudas fideliter perstitit in cultu veri Dei.

Moral. Iudas, id est, confessor et testis fidelis Dei, eum Moral. testes fideles Dei sunt Apostoli, Doctores et Martyres. eo descendens in apostasia Israelis, est verus Christianus, qui cæteris a fide, pietate, castitate vel iustitia metu pœnarum, vel spe opum et honorum deficientibus, in iis eum Deo et pro Deo constans usque ad mortem persistit, eum iactura bonorum, famæ et vitæ. Sic toto pene orbe arrianizante, unus pro fide Homousii invictus stetit S. Athanasius, quasi Atlas Ecclesiæ, hæresimque profligarit, ac de ea triumphum egit. Horum dux et antesignanus est Christus, de quo ait S. Ioan. Apoc. 1. 5. *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Tribunus est Moses, dicens Deut. 4. 26. *Testes invoco hodie cælum et terram, cito vos perituros esse, si a Deo ad idola deseiscatis.* Chiliarchæ sunt Apostoli, a Christo ad id deputati, Actor. 1. 8. *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Signifer est S. Paulus, ad id a Christo electus, Actor. 22. 15. *Eris testis illius (Christi) ad omnes homines eorum quæ vidisti et audisti.* Hinc ipse ait Rom. 1. 9. *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri favio.* Et Philip. 1. 8. *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Et 1. Thess. 2. 10. *Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et iuste, et sine querela vobis qui credidistis, fuimus.* Primicerius est S. Stephanus ut patet Act. 7. de quo proinde ait Paulus Act. 22. 20. *Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam et consentiebam.* Prodromus est Iosue c. 24. 22. *Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut servietis ei.* Propheta est Samuel 1. Reg. 12. 5. *Testis, ait, est Dominus adversum vos, et testis Christus eius in die hæc, quia non inveneritis in munu mea quidpiam muneris, oppressionis, vel iniustitiæ aut criminis.* Milites sunt Christiani, qui aliis ad hæresim, libidinem, aliave scelera deficientibus, perstant in fide, continentia et virtute. Triarii sunt Martyres, qualis fuit Antipas, qui bovi æneo includi et eremari maluit, quam Christi fidem negare. Apoc. 2. 13. *In diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos.* Agmen claudent Elias et Henoch, Martyres Christi futuri, et occidendi ab Antichristo. Apoc. 11. 3. *Dabo, inquit, duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.*

Atque ut veteres præteream, illustre, idque recens et domesticum habemus exemplum quadraginta Martyrum

e Societate nostra, quorum Provincialis et dux fuit P. Ignatius Azebedo, qui anno Domini 1570. die 15. Iulii, missi in Brasiliam ad docendum et convertendum barbaros, iuxta Palmam insulam intercepti a pirata Calvinista Iacobo Soria, segregati a cæteris omnibus laicis et Ecclesiasticis, qui eadem navi vehebantur, quia Iesuite, ad unum omnes pro fide Christi proque constanti professione religionis suæ confossi pugionibus, sclopis et lanceis, in mare præcipitati sunt; cum Ignatius quasi dux, elata in altum imagine B. Virginis, hortaretur omnes ad mortem et martyrium animose obeundum: qui proinde capite gladio dilisso, immotus mortem opperens, tribus confossus lanceis vociferando cecidit: *Testes, inquit, appello mortales et angelos, me pro fidei Catholicæ Romanæ professione occumbere, a qua ne latum quidem unguem resiliendum censeo; sociosque respiciens: Filii, inquit, mei mortem ne expavescite, præliate fortiter prælium Domini: Deus vires suggeret, qui coronas ostendat. Illi gratius agite, qui vos ad eus vocat. Ei proximus Didacus Andrada cum pugionibus confossus in mare præcipitaretur: Pugnemus, ait, socii fortiter, sanguinis prodigi: Christi enim sanguine redempti sumus. Quocirca duo e sociis infirmi, qui facile latere potuissent, in pedes ultro e lectulo desiliunt, iniectaque veste seminudos se, iugulumque offerunt. Quin et Ioannes Sanctius cum e Societate non esset, cæteris tamen Sociis se adiunxit, ut hanc martyrii palmam aucuparetur; quam et obtinuit. Denique Emauuel Alvarez martyrii ardore incensus, increpans hæreticos, multis plagis et vulneribus acceptis, contritis manibus, pedibus et ossibus, longa duraque nece emoriens: *Mihi, inquit, o fratres nolite compati, sed potius invidete: profitor enim palmam me nunquam tantum bonum, tam gloriosam mortem promeritum: quindecim annis scripsi Deo et Societati; oppido quam liberaliter Deus omnia obsequia mea, labores omnes hæc nobili martyrii laurea compensat et remuneratur!* ita Petrus Ribadeneira in vita P. Francisci Borgiæ lib. 3. c. 11. *Nimirum sanctorum vita est interpretatio Scripturæ, ait S. Hieron. imo viva conicio, lectorem delectans, docens et movens.**

Martyrii  
elogia.

Præclare S. Clemens lib. 5. Constit. Apost. c. 1. *Qui, ait, propter nomen Domini Dei nostri damnatus est, hic est sanctus Martyr, frater Domini, filius Altissimi, receptaculum Spiritus sancti; per quem illuminationem gloriæ Evangelii singuli fideles acceperunt, cum digni habiti sunt immortalis corona et testimonio passionum eius, ac societate sanguinis ipsius, ut conformarentur morti Christi in adoptionem. Et S. Cyprian. ad Fortunat. de Exhort. marty. Martyrium, ait, est baptisma in gratia maius, in parte sublimius, in honore pretiosius; baptisma, in quo angeli baptizant: baptisma, post quod nemo peccat: baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat: baptisma, quod de mundo recedentes statim Deo copulat. Et in fine: *Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet eælum: minatur Antichristus, sed Christus tuctur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occisus mundus eripitur, sed restituito paradisis exhibetur: vita temporalis extinguatur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, et quanta securitas exire hinc letum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus? Sicut balsami frutex incensus, balsamum stillat suavissimum, quo vulnera sanantur: ita Martyres secti et cæsi, virtutis suæ odorem et exemplum toto orbe sparserunt, quo infirmorum animi sanantur, et ad idem decus excitantur; de quibus S. Chrysost. homil. de S. Martyr. *Flamma, ait, illos undique obsidente, ac scintillis in ulcera prosilientibus, et quavis fera crudelibus vulnera vellicantibus, perinde atque si essent adamantini, et in alienis ista corporibus fieri cernerent, ita genere, ac cum ea quæ illos decebat fortitudine, in confessionis verbis constantissime perseverabant; et in omnibus his malis durantes simul et animi sui robur invictum, et Dei gratiam egregie præ se ferebant. Deinde eos comparans soli: *Dum, ait, velut crocci quidam radii rivi sanguinis undique illis****

*diffuerent, eorumque corpus multo quam eælum sol ipse, splendidius illustrarent. S. Gregor. Nazianzen. uti citat S. Maximus serm. de patientia, apologum narrat arboris, quæ resecta pullulat, et cum ferro cærit, et tantum abest ut moriatur, ut potius morte ipsa vivat, sectione germinet, ac decerpta succrescat. Arbor hæc, ait Nazianz. est *cir philosophus, qui infortunis illustratur, et molesta quæque in virtutis materiam transfundit, ipsisque aduersis cenustatur. Hunc Horatius ode 4. lib. 4. ita pingit:**

*Daris ut ilex tonsa bipeumibus,  
Nigræ seraci frondis in Algido,  
Per dumna, per cædes, ab ipso  
Ducit opes animunq; ferro.*

*Ita nimirum iuvat ire periculis aut Deum.*

Scribit Plinius lib. 37. cap. 9. et Isidor lib. 13. 16. alectoria gemmam esse crystallina specie, magnitudine labæ, quæ invenitur in ventriculis gallorum gallinæcorum, eaque usum Milonem Crotoniatem, in certaminibus invictum fuisse. Ut ut hoc sit, talis alectoria est animi constantia, quæ omnia hostium tela illæsa excipit et retundit, de qua Chrysost. apud Nicetam: *Beatus, ait, ille unilique petitus, firmius stetit, et sexcenta tela clypeo excipiens deditonem non fecit, exhaustis dæmonis pharetram, nec cecidit, imo nec de gradu quidem tantisper motus est. Hic est amiauthus lapis, qui impositus igni ignescit, sed exemptus candidatus apparet et purior, teste Plinio l. 36. cap. 19. Hic est salamandra, quæ in igne vivit: proinde eam pro iusgvi assumpsit Frauciscus I. Galliarum rex, subscripto hoc disticho:*

*Ursus atrox, aquileque truces, et tortilis anguis  
Cesserunt flammæ iam salamandra tuæ.*

Sed audi ipsos Martyres e carcere scribentes et buccinantes ad S. Cyprian. lib. 3. epist. 12. *Quid gloriosius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interitum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæcularis potestatis varii et exquisita tormenta, etiam extorto, et exercuciato, et exearnificato corpore Christum Dei filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam relicto mundo eælum petiisse? quam desertis hominibus inter angelos stare? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis, in conspectu Dei iam se liberum sistere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? quam immaculatam conscientiam de confessione nominis reportasse? quam humanis et sacrilegis legibus contra fidem non obedisse? quam veritatem publica voce contestatum fuisse? quam ipsam quæ ab omnibus metuitur moriendo mortem subegisse? quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quam omnibus sævitiæ instrumentis excarnificatum et extortum ipsis tormentis tormenta superasse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quam sanguinem suum profluentem non horruisse? quam supplicia sua post fidem amare cepisse? quam detrimentum vitæ suæ putare, non exisse? o robora, o nobiles triumph!*

Quod superest? nisi ut classicum Apostoli Hebr. 12. 1. audientes, eorum virtutis æmuli, cum Iuda quasi testes fideles cum Deo descendamus in arenam, ac genere pro Christo, religione et iustitia decertantes, eandem, vel similem martyrii palmam consequamur. *Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstant nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Nemo se excuset, dicatque: Felicia ista martyrii tempora iam transierunt, desierunt persecutores, transit Nero, Decius, Diocletianus, nam hostis nulli deest: persecutor iugiter te infestat, nunc demon, nunc caro, nunc mundus: cum his acriter collige, hos supra, martyris eris. Si socius, si mulierculas ad obscena te sollicitantes fortiter repudies, et cum Ioseph effugas, martyr eris pudicitie: si honorum rapinas, fraudes, iniurias patienter sustineas, martyr eris patientie: si tui contemptum, depressionem, etc.*

Marty-  
rum est  
obedi-  
entia,  
constan-  
tia,  
mutili-  
cacio,  
castitas,

opprobria hilariter feras, martyr eris humilitatis: si Superioris inssa varia et ardua strenue capessas et adimpleas, martyr eris obedientiæ.

Ita B. Petrus Faber, primus S. Ignatii fundatoris nostri socius, ab eo per omnem vitam variis inssionibus mandatisque exercitus, tandem Romam revocatus, licet medici ob intensos calores iter dissuaderent, maluit obedire quam vivere: vitam ergo quam in obedientia traduxerat, in obedientia posuit, ideoque inter alias in cælo laurcas hanc unam præcipnam obtinuit, quod sit hostia obedientiæ. Post mortem enim apparens ipse cuidam personæ sanctæ, ostendit ei suam gloriam cum lætissimus sæpius diceret, se obedientiæ nomine mortem appetivisse, ideoque miris in cælo gaudiis perfrui. Ita in eius Vita lib. 2. cap. 28. narrat Nicol. Orlandinus, idque se accepisse ex litteris R. P. Andreæ Oviedo Patriarchæ Æthiopiæ asseverat.

Hoc est quod ait S. Bernard. serm. 2. in festo omnium Sanctorum: *Martyrii veri, genus est paupertas voluntaria, multo magis castitas et obedientia. Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et preliosias algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ille appetitus? An non merito coronabitur, qui sic certaverit mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et (quod gloriosius est) de semetipso triumphans: et crucifigens concupiscentiam prurientem?* Idem serm. 1. in octava Paschæ: *Memento, ait, et unicum, et quotidianum esse baptismum, similiter et martyrium. Est enim et martyrii genus, et quadam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est et baptismus aliquis in compunctione cordis, et lacrymarum assiduitate.* Idem serm. de B. Virgin. in illud Apoc. 12. *Mulier amicta sole, et in capite eius corona stellarum duodecim, duodecimam eius stellam et gemmam assignat martyrium cordis.* Ipsa enim, ut idem ait serm. 4. in cæna Domini, fuit *Martyr non ferro carnificis, sed acerbis dolore cordis: quam amare sebat, quam amare dolebat astans Christo crucifixo!* Idem in Scuteutiis: *Martyrium sine sanguine triplex est: Pareitas in ubertate, quam habuit David et Iob: Largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua: Castitas in iuventute, qua usus est Ioseph in Ægypto.* Idem docet S. August. serm. 250. de Temp. *Contra mortifera, ait, blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis non deesse.* Et S. Gregor. hom. 35. in Evangel. *Ferre, ait, contumelias,*

*A odientes diligere, martyrium est in occulla cogitatione. Et S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ, eam vocat Martyrem: Nam, inquit, non solum effusio sanguinis in martyrio reputatur, sed et devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et de violis textitur, ista de liliis.*

Quocirca sapienter S. Pachomius (ut habet eius vita) cuidam monacho volenti claustris egredi ad captandum martyrium: *Frater, inquit, monachi certamen fortiter et strenue sustine, et cum vitam tuam nulli reprehensionem affinem ita gesseris, ut Christo placeas, habebis in cælis communicationem martyrii.* Vide S. Cyprianum (vel quisquis est auctor) tract. de Duplici martyrio, passionis scilicet, et actionis, puta sanctæ vitæ: hac enim testimonium perhibemus Deo, illumque glorificamus æque ac illa. *Fidelis, inquit, tota vita martyrium, hoc est testimonium, reddat Deo: quod adeo negligendum non est, ut, nisi ea præcesserit, martyrium quod sanguine perhibetur, non sit martyrium.* Frustra enim cervicem præberis carnifici, nisi prius occideris membra quæ sunt super terram, hoc est affectus qui militant adversus spiritum, odium, invidiam, superbiam, libidinem, etc. Quisquis ergo satagit esse ludeus et testis, cum Deo descendat in arenam, et persistat cum sanctis eius fidelis. Huic enim utraque corona promissa est, et debetur dabiturque. Congruit enim, ut qui cum Deo et Sanctis eius fidelis descendit in arenam, cum eis pariter gloriosus ad palmam ascendat in cælum.

Denique præ cæteris, Ecclesia Martyribus annumerat eos, qui morbo laborantibus ministrantes ex charitate, eodem afflantur et emoriuntur. Exemplum illustre est in Martyrol. Romano die 28. Februarii, ubi sic legimus: *Alexandriæ commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, et aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imp. cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem appetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* Ubi Baronius ex Eusebio lib. 7. Histor. cap. 16. et seqq. citat S. Dionysium Alexandrinum Episcopum, epist. ad Hieracem, de eisdem sic loquentem: *Ex Patribus qui virtute erant præstantissimi, in hunc modum mortem appetierunt; quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, quidam e populo, virtutis ergo multum laudati: adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem et robustam fidem suscipiebatur, nihil a martyrii splendore abesse videretur.*

## CAPUT DUODECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Discepat, litemque intentat Iudæ et Israeli: Primo, quod pascat ventum implorando opem, non Dei, sed Ægyptiorum et Assyriorum. Secundo, quod ingratus sit Dei beneficiis, tam Iacobo patri præstitis, ut quod eum præelegerit et prætulit Esau, quod eum fecerit Israel, id est, dominantem Deo, etc. quam sibi; ut quod per Mo- sen eductus sit ex Ægypto. Tertio, quod Iudas videns vanitatem et punitionem idololatriæ in excidio Israelis, eam tamen non caverit: unde offensus minatur ei necem et opprobrium.*

1. **E**PHRAIM pascat ventum, et sequitur æstum: tota die mendacium et vastitatem multiplicat: et fœdus cum Assyriis inicit, et oleum in Ægyptum ferebat. 2. Iudicium ergo Domini cum Iuda, et visitatio super Iacob: iuxta vias eius, et iuxta adinventiones eius reddet ei. 3. In utero supplantavit fratrem suum: in fortitudine sua directus est cum angelo. 4. Et invaluit ad angelum, et confortatus est: flevit, et rogavit eum: in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum. 5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius. 6. Et tu ad Deum tuum converteris: misericordiam et iudicium custodi, et spera in Deo tuo semper. 7. Chanaan, in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit. 8. Et dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi: omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi. 9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. 10. Et locutus sum super prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum. 11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes: nam et altaria eorum, quasi acervi super sulcos agri. 12. Fugit Iacob in regionem Syriæ et servivit Israel in uxorem, et in uxorem servavit. 13. In propheta autem eduxit Dominus Israel, de Ægypto: et in propheta servatus est. 14. Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, et sanguis eius super eum veniet, et opprobrium eius restituet ei Dominus suus.

Vers. 1.

**E**PHRAÏM PASCIT VENTUM.) Primo, S. Hieron. Albert. Clarius et Dionysius exponunt, q. d. Ephraim perdit oleum et operam, facitque rem inanem, inutilem, et futilem, imo noxiam et impossibilem, dum relicto Deo ad idola et ad idololatrias in afflictione et vastatione confugiens, ab eis sperat opem et salutem: perinde enim facit, ac si pastor ventum, velut gregem suum, vellet pascere, ut eo se aleret et sustentaret; hoc enim futile est et noxium (ventus enim homine est potentior, eique stando noxam infert;) imo impossibile. Pari enim modo Ephraim colit idola saxea, quæ iuvare nequeunt, imo nocent: provocant enim iram et vindictam Dei. Secundo, ex Hebræo vertas, *Ephraim pascitur vento*. Unde R. David explicat, q. d. Ephraim colens vitulos, similis est homini aperienti os suum vento, et pascenti illum, ex quo non vivit. Pasceor enim est verbum deponens, tamque accusativum regit, quam ablativum. Unde Virgil. lib. 4. Georg. ait, *Alpes pascuntur arbusta*. Et lib. 3. *Pascuntur vero sylvas*. Sic dicimus, Equus pascitur graminem, æque ac, pascitur gramine. Itaque *Ephraim pascit ventum*, partim potest accipi active, ut *pascit*, sit idem, quod pascitur vento. Sic Ovid. ait lib. 2. Pastor.

*Pascit ovis pratium, verbenas improba carpsit.*

Partim passive, ut *pascit*, sit idem quod, facit se cibum ventis, ut venti, puta Assyrii, eum devorent. Sic S. Aug. lib. 5. contra Cresc. explicans illud Prov. 6. 10. *Qui nititur falsis, hic pascit ventos: id est, inquit, fit esca malis spiritibus*. Potius active accipiendum hic videtur. Sic enim qui vana spe lactatur, aut seipsum laetat, dicitur pasci vento aut pascere et comedere ventum.

Tropol. ambitiosi pascuntur vento. Quid enim est honor, nisi popularis aura, et ventus in omnem partem mobilis, statimque evanesceus? sunt ergo quasi chamæleontes, qui feruntur vivere et nutrirri vento; ita Sanchez. Similia huic proverbialia sunt; Reti ventos venaris: eribro aquam hauris: in arena ædificas: in saxis seminas: ignem dissecas: litus aras: Æthiopem lavas: lapidem elixas: laterem abluis: aranearum telas texis: surdo canis: undas numeras: arenam metiris: ferrum natare doees: aquam in mortario tundis: asinum sub fræno currere doces.

**ET SEQUITUR ÆSTUM.**) Idem dicit alia similitudine. Pro *æstum* hebr. est קדים *kadim*, id est, ventus Orientalis, qui urens est et noxius, puta subsolanus, qui collaterales habet duos, scilicet Vulturnum ad Septentrionem, Eurum ad Meridiem. Unde R. David intelligit Euroaustum, Chald. vertit, *turbinem: Israel*, inquit, *seminat ventum, et metit turbinem*. Quin et S. Hieron. alibi sæpe *kadim* vertit, Notum, sive Austrum; imo Genes. 41. 6. vertit, *aredinem Kadim* ergo significat omnem ventum urentem, ipsamque urentem et æstum, quem Sept. vertunt, *καυσωνας*, qui febres, inflammationes, aliosque morbos causare, frugesque adurere et consumere solet; sic enim vertunt Septuag. *Spiritus malus* (id est voluntas mala, ait Theodor.) *persecutus est καυσωνας*, id est, æstum. *Israel*, inquit Cyrill *appetivit causonem, cum posset se sub meam umbram recipere. Causonem*, id est, *æstum, vocat calamitates incendentes, et inflammantes dolore*. Causon, inquit Arist. morbus est, quo pars extrema corporis levicula febricitat, intima tamen ferventissimo calore æstuant. Et ab Hippocrate causon vocatur febris, quam ardentem, et tertianam exquisitam vocamus. Et Celsus lib. 2. e. 8. *Febrem*, inquit, *ardentem, quam Græci καυσωνας vocant, subitus horror exolvit*. Sic sæpe in animi morbis, ait Delrio adagio 958. *æstus venis alitur, et in anima immane incendium est luxuriæ, avaritiæ, vel iræ, vix se foris prodens, sed suo tempore lethale furens, et in publicam tandem urbis et reipubl. erumpens conflagrationem*.

Talis est hæresis, præsertim Calvinii, quæ suos assecelas zelotas facit erroris, atque quasi causon occulte serpens, in publicum tandem civitatis, vel provinciæ grassatur incendium, uti in Gallia, Scotia, Belgio, aliisque regnis hoc sæculo vidimus. Hoc est quod ait S. Hieronymus: *Secundum tropologiam omnes hæretici pessimo demonum spiritu continentur, de quo Ephes. 6. Adversus spiritualia*

*nequitiæ in caelestibus. Et immundus spiritus cum exierit ab homine, et requiem non invenerit, septem alios spiritus nequiores se sibi copulat, et pristinam revertitur ad domum. Spiritu ergo pessimo sequuntur καυσωνας, id est, ariditatem, sive ventum urentem, qui contrarius est floribus, et germinantia cuncta (virtutum opera) disperdit: tota die inania vacuaque sectatur; nec proprio errore contentus est, sed multos discipulos, imo comites suæ vanitatis errorisque multiplicat. Fœdus quoque facit cum Assyriis, quorum princeps est sensus magnus, ut quæcumque fuerit, sapienter simulasse videatur ea sapientiâ quæ destruitur a Deo. Hinc et Theophyl. et ex eo Leo Castrius, per causonem accipit zelum Iudæorum contra Christum. Hoc allegoricum est, non litterale, ut ipsi volunt.*

**TOTA DIE MENDACIUM ET VASTITATEM MULTIPLICAT.)**

q. d. Israel iugiter concinnat res et spes fallaces, quæ ei vastitatis et excidii erunt causa. S. Hieron. hæc refert ad Manahem regem Israel, qui tributo emebat opem Assyriorum, 4. Reg. 15. 19. Melius Lyranus, et alii referunt ad Osee ultimum regem Israel: hic enim primo fœdus inicit cum Assyriis, deinde contra eos imploravit opem Sua regis Ægypti, missis ei muneribus, 4. Regum 17. 4. Porro Lyranus hæc ita apte distribuit, *Ephraim*, ait, *pascit ventum*, tribuendo tributa Assyrio: *sequitur æstum*, dum opem petit ab Ægyptio: *mendacium multiplicat*, dum fœdus cum Assyrio abrumpit, negans ei pactum tributum: *et vastitatem*; hanc enim illi attulit violatio et negatio tributi.

**ET OLEUM IN ÆGYPTUM FEREBAT.)** Sub oleo per synecdochen cæteras fruges et munera intellige, quæ Israelitæ mittebant regi Ægypti, ut eius favorem et opem contra Salmanasar sibi conciliarent; ita S. Hieron. Chald. Arias et alii; *oleum* præ cæteris notat; quia illo excellēbat Samaria (uti Romæ excellit oleum Tybure allatum) carebat Ægyptus.

**IUDICIUM ERGO DOMINI CUM IUDA.** *Iudicium*, id est, iusta querela, iusta expostulatio, hebr. est ריב *rib*, id est,

lis, disceptatio, accusatio iudiciaria, q. d. Quia Iuda secutus est Israelem in apostasia a Deo et cultura vitulorum, ideireo litem ei intentat Deus, reumque impietatis in iudicio peragit. **ET VISITATIO SUPER IACOB.**) Per *Iacob* accipe Israel, sive decem tribus, q. d. Deus litem intentat Iudæ, sed Israeli visitationem, id est, certam punitionem, qua eum visitet, id est, puniat et plectat: uterque enim est reus idololatriæ, sed Israel magis; ita Lyranus. Vatabl. Arias, licet S. Hieron. Theodor. Hugo et alii, per *Iacob* accipiant Iudam, ut idem dicatur et repetatur alio nomine. Porro Lyranus *cum Iuda*, exponit pro *Iuda*, q. d. Litigat Dominus pro Iuda contra Iacob, ut ex pœna qua plectetur Iacob, sapiat Iudas, nec eius scelera imitetur, sed respiceat. Melius Arias, q. d. Litigat Dominus cum Iuda, eumque obiurgat, ne miretur Iacob, qui longe gravius peccavit, quod a Deo visitetur et plectatur. Optime, q. d. Iudicium, sive litem intento Iudæ, quia eius scelus needum liquidum est, quia needum publicum et commune: eget ergo inquisitione et examine, antequam sententiam in eum pronunciet, eumque condemnem et plectam. *Visitationem* vero, id est, condemnationem, supplicium, et excidium intento Iacob, quia eius scelus est clarum, universale et inexcusabile.

Similem differentiam et gradationem ponit Christus inter iudicium, et visitationem, puta gehennam, dum hanc et illud diversis iræ gradibus, quasi pœnam commensam assignat: *Qui*, inquit, *irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri, ræca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*, Matth. 5. 22. Similis gradatio fuit in tria voce Doctoris Parisiensis defuncti, qui in vita vulgo habitus sanctus, in exequiis, cum ad illam lectionem ventum esset, *Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata?* e feretro exurgens, primo die exclamavit: *Iusto Dei iudicio accusatus sum*. Secundo die: *Iusto Dei iudicio iudicatus sum*. Tertio die: *Iusto Dei iudicio condemnatus sum*. Qua voce perculsus S. Bruno cum sociis, mundo rebusque omnibus va-

Iedicens, in eremum secessit, et ordinem Carthusiensem instituit.

Vers. 3.

**IN UTERO SUPPLANTAVIT (Iacob) FRATREM SUUM ESAU.**) Iacob enim nasceus tenebat plantas Esau: quo significabat Deus, se Iacobum præeligere et prædiligere, ac prælatorum Esau primogenito, quodque Iacob prærepturus esset Esau ius primogenituræ et patris benedictionem, itaque eum supplantaret; indeque vocandus esset Iacob, id est, supplantator; vide dicta Genes. 25. 25. ita S. Hieron. Theodoret. et Chald. qui ita vertit: *Nonne de Iacob patre vestro antequam natus esset prædictum est, quod maior evaderet fratre suo?* Commemorat hic Propheta beneficia Iacobo olim in utero, ante omne meritum ex mera Dei gratia præstita: itemque Iacobi sanctitatem, ut Israelitæ posteri eius patrem imitentur, Deoque serviant, et gratias agant. Hæc enim prælectio Iacob, qua a Deo prælatus est Esau fratri, magis ad posterum eius spectabat, puta ad Israelitas, quos Deus prælegit et prætulit Idumæis posteris Esau. Nam alioqui Esau dum viveret, potentior et ditior fuit Iacobo.

**ET IN FORTITUDINE SUA DIRECTUS EST CUM ANGELO.**) *Directus*, id est, feliciter luctatus est cum angelo: quia, ut vertunt Septuag. et Chald. *prævaluit angelo vicem Dei gerenti*, unde angelus hic in Hebræo vocatur *Elohim*, indeque Iacob vocatus est Israel, id est, dominans Deo, Genes. 32. 28. vide ibi dicta. Hinc et Tigurina versio habet, *prævaluit Deo, prævaluit, inquam, angelo*. Verum Hebr. *ישיא* *iesciar*, proprie significat *directus est*, indeque congrue sequitur: *Et invaluit*, id est, prævaluit, *ad angelum*, id est, angelo, vel contra angelum: licet in hebræo hæc verba transposita sint. Est hoc secundum Dei erga Iacobum et Iacobæos insigne beneficium. Nota. *Dirigi* in Scriptura est prospere agere, ut Ps. 139. 12. *Vir linguosus non dirigetur in terra*, et sæpe alibi. *Directus est* ergo Iacob cum angelo, id est, prospere egit, recte ei successit lucta cum angelo; quia vicit. Rectius forsitan, *directus est cum angelo*, id est, non succubuit angelo, sed recto et imperterrito vultu ac pectore aggressus est eum, latus lateri quasi commiscens, ac fortiter stringens, iuxta illud Poetæ:

*Hæsit pede pes, densusque viro vir.*

*Et invaluit*, id est, superior evasit et vicit, ut vertit Chald. nam angelus quasi victus dixit Gen. 32. 26. *Dimitte me*. Et Iacob arctius cum stringens respondit: *Non dimittam te*, etc.

In voce *directus* alludit ad nomen *Israel*, quod deduci potest dicique quasi *ישיא* *iesciar* *el*, id est, rectus Dei, vel cum Deo, vel apud Deum; etsi hæc non fuerit nominis origo, nec proprium etymon. Israel ergo dicitur hic *directus*, vel dirigens se cum Deo, quia non quomodolibet, sed recto et imperterrito vultu ac pectore adorsus est angelum, eumque luctando vicit, ut per hoc significaretur cum intrepidum fore contra Esau et omnes hostes, eosque superaturum. Hinc Sap. 10. 10. de eo dicitur: *Certamen forte dedit illi ut vinceret*; ita Anton. Fernand. visione 2. in præfatione, et visione 22. sect. 2. Unde Syrus vertit, *et potuit fortitudine angeli (ut angelus); fortitudine congressus est cum Angelo*; Arabicus Alexand. *et corroboratus est in angelo*; Arabicus Antiochen. *restitit angelo, et potuit*, id est, prævaluit.

**FLEVIT ET ROGAVIT EUM.**) Puta angelum, q. d. Iacob timens fratrem suum Esau contra se venientem cum quadringentis armatis, luctans cum angelo, simplex et flens petiit ab eo benedictionem, ut hoc fratris periculum ope angeli evaderet. Hæc de lacrymis et precibus Iacob in Genesi, non habentur expressa, sed hic ea supplet Osee quasi ex traditione, vel ex revelatione Dei accepta; ita S. Hier. Theodor. Haymo et Hugo. Unde Aquila, Theodot. et Symmach. vertunt, *flevit et deprecatus est me*, quasi Deus loquatur. Aliter R. Salomon, et ex eo Lyran. et Vatabl. ipsi enim hæc de angelo, non de Iacob accipiunt, q. d. Flevit angelus, et suppliciter rogavit Iacobum, qui eum luctando tenebat, ut sineret se abire, quia aurora ascendebat. Verum prior expositio est verior: flens

enim occasio erat in Iacobo, non in angelo. Iacob enim volebat eum dimittere, nisi sibi benediceret, flensque petebat hanc eius benedictionem: poterat ergo angelus ei benedicere, itaque dimisisset eum Iacob, ac liber abiisset angelus, uti de facto data ei benedictione ab eo dimissus liber abiit.

**IN BETHEL INVENIT EUM.**) Puta Iacob angelum, vel etiam angelus Iacobum; eodem enim res redit: significatur enim reciprocatio occurrentium, puta mutuus occursum Iacobi et angeli.

Est hoc tertium Dei in Iacob et Iacobæos beneficium, quod scilicet Deus Iacobo, ob fratris iram profugo et misero, apparuerit scilicet scilicet innixus, eum consolans et confortans: indeque locus vocatus est Bethel, id est domus Dei, dicente Iacobo: *Vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta caeli*, Genes. 28. 12. et sequent. Qua visione significabat Deus, se Iacobi et posterorum eius Deum fore, tutorem et provisorem in omnibus adversis, æque ac prosperis; seque Iacobo, id est posteris eius, terram illam lacte et melle manantem daturum in hæreditatem; ita S. Hieron. Theod. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Dionys. et alii.

Nota Primo. Pro *invenit eum*, Hebr. est *ימצאני* *imtsaenu*: pro quo Aquila, Symmach. et Theodotian, aliis punctis legentes *ימצאני* *imtsanu*, vertunt, *invenit nos*, scilicet non in persona nostra, sed in persona patris nostri Iacob, in cuius lumbis continebamur, dum ei in Bethel apparuit Deus. Septuag. vero legentes *ימצאני* *imtsauni*, vertunt, *in domo on* (id est, idoli et vitulorum, puta in Bethaven: hæc enim est Bethel, uti iam sæpius dixi) *invenerunt me*. Perperam Lyranus legit, *invenimus eum*.

Nota Secundo. Iacob bis invenit et vidit Deum, puta angelum Dei vicarium in Bethel. Primo enim vidit eum scilicet innixum, uti iam dixi. Secundo, dum e Mesopotamia rediens cum tota familia, iussu Dei ascendit in Bethel, ibique erigens altare, se suosque omnes obstrinxit ad iugiter colendum Deum, ac proinde a Deo accepit promissionem terræ Chanaan, et magnæ longæque posteritatis, audivitque: *Cresce et multiplicare*, Genes. 35. De hæc secunda apparitione hic vel maxime agitur. Sequitur enim:

**ET IBI LOCUTUS EST NOBISCUM.**) Scilicet Deus per angelum, promittens nobis in patre nostro Iacob Chanaanæam, et posteritatem iam dictam.

Aliter Vatabl. ex Chaldæo, q. d. *Ibi locutus est Deus nobiscum*, id est, mecum (puta cum Osee Propheta) et cum Amos, iubens nobis, ut prædicatione nostra invitarem populum Israel ad pœnitentiam. Nam Amos c. 7. 42. dixit Amasias pseudosacerdos Bethel ad Prophetam Amos: *Gradere, fuge in terram Iuda: in Bethel non adicias ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est*.

**ET DOMINUS DEUS EXERCITUM, DOMINUS MEMORIALIS EUS.**) Hebr. est, *et Iehova Elohim* (id est, Deus) *exercituum, Iehova* (inquam) *est memoria, vel memoriale eius*. Est hic multiplex sensus, isque congruus et illustris. Primo, q. d. Deus in Bethel locutus est nobiscum, invitans et iubens ut eum coleremus: sed videte, o Israelitæ, ne ab idololatriis decipiimini: ne, inquam erretis in Deo falso (quales pseudoprophetae et Gentiles multos vobis obtrudunt, mihi que per fraudem supponunt; uti diabolus pro Deo, perinde ac simia pro homine, se supponit, seque Deum ementitur) pro vero colendo. Ecce dico et repeto, nomen meum, proprium est Iehova: Deum ergo colite, qui est Iehova, id est, ipsum Ens, et esse tam suum, quam creaturarum omnium, puta qui est plenitudo entis, creator rerum omnium, pelagus essentia, sapientia, gloria, omnisque boni immensum. Alludit ad Exodi 3. 14. *Qui est* (id est Iehova) *misit me ad vos*, etc. *hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generatione et generationem*, q. d. O Israelitæ ne colatis Apin Ægyptium pro Deo: iste enim est vitulus, non Deus; sed colite me, qui sum Iehova, id est, sum qui sum, vel, qui est, fuit et erit. Hoc nomen mihi est æternum: hoc ergo

Vers. 3.

nomine mei memoramini, meque invocate; ita Chald. Arias, et Lyran. Secundo, q. d. Deus qui Iacob prætulit Esau, aliaque beneficia ei et posteris præstitit, non est Baal, sed Iehova; hoc est nomen et memoriale eius, quo coli et nominari vult; ita a Castro.

Tertio, q. d. Iacob Deum verum, puta Iehova, semper in mente et memoria quasi præsentem habebat, vel actu, vel virtute. Ergo et tu, o Israel, patrem tuum imitare, iugemque Dei memoriam conserva; ideoque ad Deum tuum convertere, misericordiam et iudicium custodi, et spera in Deo tuo semper; ita Theodoret. et Lyran. Quod ut facilius præstes, voluit Deus nomen suum patri tuo tibi que imponere, vocando eum et te Israel, id est, dominans Deo, ut in hoc nomine iugiter Dei memoria apud te perseveraret, nec posses eius oblivisci, sicut tui nominis non potes oblivisci: ac proinde quoties patrem tuum vel te nominas, aut nominari audis, memoreris et recorderis *El*, id est, Dei tui, qui ita includitur in nomine *Israel*, ut ab eo separari nequeat: quam ergo *El* includitur in *Israel*, tam Deum in te tuaque mente include, ut ab eo nunquam oculos vel mentem avertas; ita S. Hieron. et Haymo: licet enim hic in Hebræo nomen Dei sit *Iehova*, non *El*, tamen reipsa *Iehova* idem est quod *El*.

Moral. de præsentia Dei.

Moraliter hic discere, quam Dei iugiter memorari debeamus, utpote qui nobis est præsentissimus ubique et intimus, magis quam anima et spiritus vitalis, quo respiramus et vivimus. Ipse enim est in quo vivimus, moveamur, et sumus. Ipse est qui halitum nostrum manu sua continet. Ipse est qui mortem et vitam nostram tam præsentem, quam æternam in potestate habet, a quo pendemus ut radii a sole, ut umbra a corpore, qui semper nos aspiciat, semper in nobis operatur; denique est omnia in omnibus. Præclare S. August. epist. 3. ad Fortunatianum: *Deus, ait, totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt: totus manus est, quia omnia operatur: totus pes est, quia ubique est.* Quocirca idem in Soliloqui. cap. 13. enumeratis perennibus Dei beneficiis: *Hæc, ait, et multa alia beneficia fecisti mihi Domine Deus meus, vita animæ meæ, de quibus dulces esset mihi semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, ut possim te pro omnibus bonis tuis laudare et amare.* Idem lib. 1. de Verbis Domini serm. 6. *Sicut, ait, vita corporis anima est, sic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus cum animam emittit, ita expirat anima cum Deum amittit.* Merito ergo Psaltes ps. 76. 4. *Memor, ait, fui Dei, et delectatus sum.* Causam delectationis dat S. Bernard. tractat. de Diligendo Deo, dicens: *Iustum quippe est ut quos præsentia non delectant, præsto eis sit memoria futurorum; et qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc est generatio quærentium Dominum. Dei ergo quærentibus et spirantibus præsentiam, præsto interim et dulcis memoria est, non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant unde satientur.* Hoc sapiebat Isaias c. 26. 8. *Domine nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Et Ierem. Thren. 3. 20. *Memoria memor ero, et tabesceat in me anima mea; vide ibi dicta.*

Vers. 6.

Et (id est, ideo) TU AD DEUM TUUM CONVERTERIS.) Id est, convertaris, vel convertere. Est Hebræa enallage: ponitur enim futurum pro imperativo, q. d. Tu ergo o Israel, ad Deum patris tui Iacob ab idolis redi et convertere, quasi genuina Iacobi proles, heresque pacti ab eo cum Deo initi.

IUDICIUM, id est, iustitiam, CUSTODI.) Transit enim a Deo ad proximum, ut ex honore et amore Dei id iubentis, proximo suum ius, æque ac misericordiam debitam præstet: veram enim fidem cultumque Dei sequitur fides, id est, fidelitas erga proximum; sicut ex adverso infidelitatem in Deum, sequitur infidelitas et iniustitia in proximum. Unde subdit:

Vers. 7.

CHANAAN, IN MANU EIUS STATERA DOLOSA.) Hoc est, ut Syrus, *statera dolosa* (Arabicus *statera oppressionum*)

**A** est in manu Chanaan. Hebræi enim repetunt relativum, ponuntque cum suo antecedente, q. d. Ephraim est Chanaan, id est, mercator fraudulentus: in manu enim eius est statera dolosa et iniusta. Nota, hic Ephraim, id est, Israel, sive decem tribus, ut sequitur, vocari *Chanaan* per catachresin. Primo, quia Israelitæ impii erant ut Chanaanæi, ut potius filii Chanaan, quam Iacob viderentur. Sic ait Daniel cap. 13. 56. seni Susannæ castitati insidiant: *Semen Chanaan, et non Iuda.* Et Ezech. c. 16. 3. *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan.* Sic Isaias c. 1. 10. Scribis et Iudæis ait: *Audite verbum Domini principes Sodomorum;* ita S. Hieron. Cyrill. Theod. Rupert. Hugo, Dionys. Emmanuel et Mariana. Secundo, quia *Chanaan* hebraice significat mercatorem, uti vertit hic Leo Hebræus, Chald. Pagnin. Lyran. et Arias. Unde Proverb. 31. 24. dicitur: *Cingulum tradidit Chanaanæo,* id est mercatori. Chanaanæi enim terreni et avari, ob maius viciniam mercaturæ, et in ea fraudibus, dolis, furtis et rapinis vacabant: inde Hebr. **כְּנַעַנִי** *chenaani*, id est, Chanaanæus, significat mercatorem. Alludit ergo Osee hic ad dolos et fraudes mercatoris, q. d. Iacob pater tuus ob sanctitatem meruit vocari Israel, id est, dominans Deo; tu vero o Ephraim non mereris hoc nomen, sed potius voceris es Chanaan, quia habes mores Chanaanæorum, et quia defraudas proximos in pondere, uti facit mercator, præsertim Chanaanæus, qui dolosa statera defraudat cientes, utens maiori pondere dum merces emit, minori dum eas vendit. Unde Chaldæus vertit, *ne sitis sicut mercatores, in quorum manibus sunt bilances dolosæ, rapinæ studentes.* Sicut ergo servi vocantur *Phryges*, fures *Lacones*, gulosi et delicioosi *Sybaritæ*, infames *Ambrones*; ita impii et iniusti mercatores vocantur *Chanaanæi*, quorum unicuique est studium decipere, et quæstu iniusto dilascere, ideoque bilances habent fallaces, sive, ut ait Sapiens Proverb. 20. 10. *pondus et pondus, mensuram et mensuram,* id est, duplicia pondera, duplices mensuras. Tales etiamnum multi sunt inter Iudæos, qui meri lucriones nil nisi fœnerari norunt, quos proinde in spiritu prævidens Propheta, merito Chanaanæos stateræ dolosæ vocavit; adeo ut si institorum avarum et fraudulentum pingere velis, pingas Iudæum instar Chanaanæi, cum bilance et ponderibus iniustis.

Tales pariter sunt non pauci mercatores, qui toti lucro inhiant. Fieri enim nequit, quin huiusmodi ex tanta lucri aviditate, sæpe extra metas iuris et iustitiæ ferantur. Quocirca de talibus ait S. Chrysost. hom. 38. in Matth. et habetur c. 11. *Eticiens, distinet. 88. Eticiens Dominus vendentes et cientes de templo, significavit quod mercator numquam potest Deo placere: et ideo nullus Christianus debet esse mercator.* Loquitur enim de lucrionibus qui finem ultimum, summumque bonum in lucro constituunt, parati peccare mortaliter ut lucrentur, uti exponit S. Th. 2. 2. quæst. 77. art. 7. quique fraudibus et periuriis negotiationem exercent, uti exponit noster Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 21. dub. 1. Sic Thales Milesius, assidue in ore habuisse fertur: *Noli ditari nequiter: lucrum enim fraude partum, damnum est, non lucrum;* ita Laert. lib. 1. de Vitis Philos. cap. 1. Chilon Lacedæmonius dicere solebat: *Dammum turpi lucro præferendum est: illud enim semel dolet, hoc autem semper.* Iactura facta sareiri facile potest addita industria, infamia autem ex lucro iniquo contracta nunquam apud viros bonos diluitur; et sic lucrum scelere partum, damnum est, non lucrum; ita Laert. lib. 1. cap. 4. Antiphanes dietitabat: *Usuram quæstumque breves habere delicias, longam autem calamitatem.* Agesilaus fœneratorum chirographa publice in foro combustis, dicens, *nunquam se puriorem ignem vidisse;* ita Plutarch. in Lacon. Alfonsus rex Aragon. teste Panorm. in eius vita, *fœnus non aliud esse dixit, quam animæ funus.* Musonius: *Iupiter, inquit, non fœneratur, multo minus fœnerat,* q. d. Deus non accipit ad usuram, multo minus dat. Divinius Psaltes ps. 70. 81. ait: *Quoniam non cognovi titterarum* (hebr. **סִפְרוֹת** *siphrot*, id est, ciphras, numeros, ut vertit Symmac. et Rabbini, ac Septuag. **מִסְפָּרִים**

Moral. de omnia lucri aviditate.

**D**

ματαιος, vel, ut S. August. Arnob. et Chrysost. legunt, *πραγματειος*, id est, *negotiationem*, uti habet Roman. Psalterium) *introibo in potentias Domini*. Vide ibi S. August. qui et in psalm. 132. *Luerum, ait, fecisti, sed ut luerum faceres Deum offendisti: acquisivisti aurum, fidem perdidisti. De aera gaudes, de corde non plangis? plus perdidisti quam acquisivisti, et perdidisti, quod nec naufragio tibi potuisset auferri. Et inferius: Ille habet aurum, qui novit uti auro: qui autem auro uti non novit, habetur, et non habet: possidetur, et non possidet. Estote domini auri, et non servi auri: quia et aurum Deus fecit, et te super aurum ipse fecit. Aurum fecit ad subsidium tuum, te ad imaginem suam. Vide quod super te est, et calca quod infra te est. Quid ergo acquisivisti? Tolle tecum ad inferos quod acquisivisti. Cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad coronam exiret.*

Mercator ergo hoc lucri studium temperet, et moderetur timore Dei, et desiderio opum maiorum et cœlestium, aureamque illam Sapientis sententiam menti inseribat: *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles*, Proverb. 15. 16. Et: *Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate*, Proverb. 16. 8. Secundo, ingiter audiat sibi intonantem Apostolum: *Divitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis abunde omnia ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam*, 1. Timoth. 6. 17. Tertio, crebro ruminet illud Iob e. 20. 15. de divite impio et iniquo: *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus*. Et quod vulgo dicimus et cernimus:

*De male quæsitis non gaudet tertius hæres.*

Denique illud Christi: *Stulte hæc nocte animam tuam repelent a te; quæ autem parasti, cuius erunt?* Luc. 12. 20.

Chananaeus est: I. Hæreticus.

Tropolog. Primo Chananaeus est hæreticus. Chananaan quippe, ait S. Hieron. interpretari potest *quasi moventes*. Et nota, quod dixerit, *quasi moventes, et non, moventes*. *Moventes* sunt eos, quos deeeperint; *quasi moventes* sunt eos, quos movere tentaverint; sed quia fundati sunt supra petram, nullo possunt turbine conenti, nec pedum suorum mutare vestigium. In istiusmodi Chananaei manu, id est, operibus, est *statera dolosa* et iniqua: quidquid enim hæreticus loquitur, Dei iustitiam non habet, et plenum est doli et fraudum. Hinc et eques equusque niger Apocal. 6. 5. denotans hæresim, *habebat stateram in manu*. Vide ibi diæta.

II. Ambitiosus.

Secundo. *statera dolosa* est prava intentio, ambitio et cupido primatus. Audi Theodor. *Tu, o Ephraim, imitans malitiam Chananaan, iniquam mentis stateram habes. Iustitiam semper vilipendis, iniquam potentiam exoptas, in divitiis elato spiritu es, et plurimum tibi arrogas in earum rationibus perscribendis*. Et Prosperum p. 2. de Prædicit. cap. 24. qui admonens reges et principes: *Ipsi, inquit, caveant qui has accipiunt potestates, si cupiditate dominantis, nec consulentis affectu suscipiunt: si ministrari eligunt, ac non potius ministrare, quod Dominus per seipsum, et per Prophetam Osee increpat dicens: Chananaan in manu eius statera iniustitiæ; dominationem enim elegit. Et in Evangelio ipse: Qui voluerit maior esse in vobis, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*.

III. Avarus hypocrita.

Tertio, Rupert. *Statera dolosa, inquit, est malitiosa terrenæ cupiditatis duplicitas*.

Quarto, *statera dolosa* est ipsa malitia, et propositum deliberatum peccandi. Hoc enim, ait Rufinus, *eum suspensus ab utraque parte ponderibus nefandu committat, dicitur peccasse sub trutina, de quo David Psal. 61. 10. Veruntamen mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de civitate in idipsum. Cum ergo hoc sit præceptum huiusmodi munus ingenii, ut quid obire debeat, quid vitare, perpendicularo rationis et momentis collationis examinet, profanatus populus veritatem in mendacio detinens, admovit quidem stateram negotiis, sed dolosam, melioribus vi-*

*deliect deteriora præponens, et noxiis magis quam utilibus acquiescens.*

CALUMNIAM DILEXIT.) Leo Hebr. *gaudet vim facere*; Septuag. *αγαπησεν την δυναστην*, id est, *opprimere per potentiam dilexit*.

ET DIXIT EPHRAIM: VERUNTAMEN DIVES EFFECTUS SUM, INVENI IDOLUM MIHI.) *Idolum* vocat suas opes et divitias, q. d. Obstrepunt mihi Prophetæ, meque ob stateras dolosas culpant et arguunt: at ego has voces non moror, sed ut garritus graculorum despieio: habeo enim penes me idolum, id est, Deum fortissimum (puta Mammonam, id est, divitias, quas mea unius industria mihi peperit) quo præsentem neminem timeo: quia omnibus bonis abundo; ita S. Hieronymus.

Nota Pro *idolum* hebr. est *אילון* on, quod proprie significat iniquitatem, et *rapinam*, ut vertit Chald. aut *vim* et *robur*, ut vertit Arias et Vatabl. Porro Lyran. et Pagnin. vertunt, *divitias*, scilicet inique partas; Septuag. *requiem*: opes enim avaro sunt primo, idolum; secundo, rapina; tertio, omne eius robur; quarto, eius divitiæ; quinto, omnis eius spes et requies; sed futilis, fallax et evanida. Ex Chaldaeo aliqui sic vertunt et explicant, *inveni vim mihi*, scilicet pecuniam, quæ quasi dominus mihi vim iuferat, meque violenter opprimat. Ita S. Gregor. Nazianz. orat. 24. initio: *Aurum, inquit, est occultus tyrannus, per quem multa sursum deorsumque velut in talorum ludo iactantur*. Quæ verba sic explicat Elias Cretensis: *Tyrannum vocat, quod auri cupidus vim afferre, eosque velut tyrannide opprimere possit: invisibilem vero propterea quod tacens, minimeque conspectum avaros subiciat, ab eisque quæ decreverit, per vim abducat*.

OMNES LABORES MEI NON INVENIUNT MIHI INIQUITATEM QUAM PECCAVI.) q. d. Non poterit inveniri in meis negotiis, contractibus, ponderibus (esto scrutetur ea quisquis volet) ulla iniustitia qua peccaverim. Nota hic vocem *divitum*, quos cæcavit cupiditas et avaritia, qui Deo suo, puta Mammona, et opibus superbientes et tumidi omnia iusta et licita sibi putant. Uni enim intendunt luero: hoc eorum idolum est, hoc eorum ius, sive per fas, sive per nefas illud conquirant; ita Arias et Vatablus.

Tales etiamnum sunt inter Christianos, qui cum iugiter usurarios, aliosque illicitos contractus ineanat, nullum tamen sibi movent serupulum, imo in confessione sacramentali etiam hæc de re rogati respondent, se nullos nisi licitos invisisse; ita in luero et avaritia occalluerunt et obsurduerunt.

Secundo, *luera mea non invenient iniquitatem*, id est, iudicem qui ea iniquitatis et iniustitiæ damnare audeat: quia enim dives sum et potens, nullum iudicem timeo, aut si quem timeam, muneribus oculos eius excæcabo: ego enim nullius, omnes mea ope indigent, q. d. Non refert quomodo habeam opes, dummodo habeam; ita S. Hieron. et Albert.

Tertio, Sept. passive et contrarie vertunt, *omnes labores eius non invenientur ei, propter iniquitates quibus peccavit*, q. d. Male parta cito dilabuntur. Et Chald. *Omnes divitiæ vestræ non permanebunt vobis in die retributionis peccatorum*; iuxta illud Psal. 75. 6. *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*.

Huic versioni nostram accomodat Lyran. quasi sit hic correctio Prophetæ, q. d. Vos, o divites, divitiis vestris velut idolo confiditis et præfiditis: attemen scitote ex me, quod ipsæ quantumvis labore vestro partæ, non invenient vobis iniquitatem, id est, expiationem iniquitatis.

ET EGO DOMINUS DEUS TUUS EX TERRA ÆGYPTI.) q. d. Ex eo tempore quo ex Ægypto te eduxi, fui iugis tui custos, dux, Dens, pater.

ADHUC TE SEDERE FACIAM IN TABERNACULIS.) q. d. Expectabo an pœnitere velis, ac proinde differam pœnam captivitatis, quam tuis sceleribus decrevi, faciamque te in tuis sedibus et urbibus lætum habitare, et ideo lætam festivitatem Scenopegiæ, ea de causa olim institutam Levit. 23. 39. quotaunis de more celebrare sicut hæc-



nus illam celebrasti; ita S. Hieronym. Quare minus recte Theodor. hæc accepit ut minas, ac contrarie exponit, q. d. Quia immemor es liberationis tuæ, qua te eduxi ex Ægypto, e domo tua expellam te in Assyriam, ubi quasi exul in tabernaculis habitabis, ac moriens recordaberis Paschatis, quo te ex Ægypto exultantem eduxi, aliarumque festivitatum, quas in patria festive celebrare solebas.

Secundo, Albert. et a Castro hæc referunt ad reditum e captivitate Babylonica: ex ea enim multi Israelite cum Iudæis misti redierunt, q. d. O Israel ibis in captivitatem ob tua scelera; at faciam ut inde redeas, tuncque in memoriam reditus et transitus felicis per desertum, celebrabis festum tabernaculorum, sicut olim illud celebrasti in memoriam exitus ex Ægypto, et transitus per desertum, quando scilicet Deus ipsos quadraginta annos te, duce columna ignis et nubis, per horridam solitudinem deduxit usque in Chanaan.

Allegor. q. d. Tempore Christi faciam te habitare in tabernaculis, id est, in Ecclesiis, primo militantibus in terra, deinde triumphantibus in cælo, ubi continuas et perennes ages festivitates, longe ketiores, quam olim egisti celebrando Pascha, Pentecosten, Scenopegiam, etc. ita Lyran. et Clarius, qui putant hunc esse sensum literalem.

Vers. 10. **ET LOCUTUS SUM SUPER** (id est, *ad*, ut vertunt Sept. Vatabl. et alii) **PROPHETAS**, ut te ad poenitentiam, et consequenter ad festivitatem hanc tabernaculorum invitarent, ideoque **VISIONES**, prophetias et correptiones tibi ingerendas, eis **MULTIPPLICAVI, ET IN MANU PROPHETARUM ASSIMILATUS SUM.**) q. d. Per Prophetarum facta et verba varias formas et similitudines assumpsi, nunc monendo, nunc mirando, nunc blandiendo. Rursum assimilavi me nunc pastori, nunc aurigæ, nunc patri, nunc regi, nunc sponso, etc. Denique iussi Prophetis, ut varias figuras et similitudines induerent, quibus te permoverent ad emendationem. Sic Osee cap. 1. iussi ut suo matrimonio assimilaret me sponso, ambienti sponsam fornicariam: ita S. Hieron. Theodor. Lyran. et alii.

Nota hebraismum: *in manu Prophetarum*, id est, per Prophetas, quasi per meum organum et instrumentum: manus enim est organum organorum, ait Aristot. *In manu ergo*, id est, ministerio, opera, sermonibus *Prophetarum assimilatus sum*, q. d. Quis ego sim et qualis, quid velim, quid exigam, ex Prophetarum dictis et factis cognosci potest: Prophetæ enim suis me actionibus gestisque, æque ac verbis repræsentarunt; ac meæ non tantum mentis voluntatisque, sed et indolis ac ingenii quamdam quasi similitudinem et imaginem oculis hominum subiecerunt; ita Pineda l. 7. de Rebus Salom. c. 23. Emmanuel et Mariana hic. Sic legatus repræsentat suum principem, Apostolus Christum.

Allegor. q. d. Ego Christus meam incarnationem, humanitatem, passionem, etc. variis Prophetarum figuris adumbravi, assimilavi, et repræsentavi; ita S. Chrysost. hom. 58. in Gen. *Tunc ait, quoniam initium et principia erant, in figura unicuique illorum apparebat, sicut ipse per alium Prophetam dicit: Ego visiones multiplicavi, etc. quando autem dignatus est Dominus humanam formam suscipere, et primitias nostras recipere, non putativam tantum, neque apparentem, sed veram carnem inhiit.* Sic de Cyro ait Deus Isaïæ 45. 4. *Assimilavi te, et non cognovisti me*, q. d. Feei te similem Christo, eiusque typum: sicut enim tu Iudæos Babylone liberabis, ita Christus homines inferno liberabit: sed tu hoc non cognoscis. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 1. 1. *Multifariam multisque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio*; ubi pro multisque modis græce est πολλοῖς ποῖος, id est, multis modis, formis, figuris, similitudinibus.

Vers. 11. **SI GALAAD IDOLUM, ERGO FRUSTRA ERANT IN GALGAL BOBUS IMMOLANTES.**) Nota. *Galaad* erat urbs et regio trans Iordanem pertinens ad decem tribus, puta ad Ruben et Gad; unde primo occurrit Assyrii invadentibus terram Israel, et ab eis occupata est, 4. Reg. 15. 29.

**A** Galgal vero cis Iordanem erat, et spectabat ad tribum Iuda, ait S. Hieron. Porro tam Galaad fuit celebris idolis, ut patet cap. 6. v. 9. quam Galgal, ut patet e. 9. v. 15. Sermo est ad duas tribus, puta ad Iudam, q. d. Vos o duæ tribus agnoscitis Galaaditarum vitulos esse idolum, id est, rem vanam, numen fictum et pictum, ideoque iniquum et impium (hoc enim significat אָוֵן *aven*) eaque de causa vidistis aras illius dirui ab Assyrii, vertique in acervos lapidum, terramque eius desolari, ac desolatam aratro et sulcis subigi: cur ergo simile idolum, puta vitulos, sive boves frustra colitis. iisque immolatis in Galgal? Ideo enim terra vestra in similes acervos lapidum redigetur ac desolabitur, et aratro sulsisque a bobus subigetur; ita S. Hieronym. Lyran. Clarius et alii. Unde ex Hebræo expressius sic verti potest cum Vatabl. *Si in Galaad iniquitas, vel vanitas, puta idolum iniquum et vanum, fuit, utique vani facti sunt*, id est, ideico in vanum abierunt, excisi sunt et evanuerunt: cur in Galgal bobus (vel boves) sacrificarunt? Hoc est iudicium Iuda, de quo dicit v. 2. *Iudicium ergo Domini cum Iuda, et visitatio super Iacob*, q. d. Si Galaaditis idolum non profuit, sed obfuit, pariter et tibi, o Iuda, idolum in Galgalis non proderit, sed oberit. In Hebræo est nervosa paronomasia in vocibus אָוֵן *aven*, אָוֹן *on*, et אָוֶן *avon*. Respicit enim ad v. 8. q. d. *Dixit Ephraim: Dives effectus sum, inveni idolum*, hebr. *on*: omnes labores mei non invenient iniquitatem, hebr. *avon*. Hinc respondet hic Galaad esse *aven*, id est, iniquitatem, vanitatem et *idolum*, ideoque laborem et dolorem, idque probat ex eo, quod eius aræ in acervos et sulcos redactæ sint. Videtur ergo hæc propheta edita ab Osee post vastatam ab Assyrii urbem Galaad in tribu Gad, antequam ab eisdem vastaretur Samaria et Galgala, quæ erant trans Iordanem, cum eis cum esset tribus Gad et Galaad; ita Sanchez.

Secundo, pro *ergo*, hebr. est אַח *ach*, id est, certe, utique, ergo, veruntamen, *tamen*, uti legunt Biblia Plantin. et Haymo, qui proinde exponit, q. d. Si Galaad, id est, Israel, colit idolum, ei ex parte condonandum est, quia templo et altari Dei eret: tibi tamen, o Iuda, colenti eadem idola in Galgalis, condonandum non est: quia tu possides Dei templum, altare, sacerdotes, scribas, etc.

Tertio, alii, q. d. Si vultis idola colere, ite in Galaad: ibi enim est sedes idololatriæ: nolite ergo ea colere in Galgalis; quia hic locus pertinet ad Iudam, et consequenter ad Deum, Deique templum.

**NAM ET ALTARIA EORUM QUASI ACERVI SUPER SULCOS AGRI.**) q. d. Ne mihi negetis idolum Galaaditis fuisse vanum, frustraneum et noxium; en appello ipsa altaria idolorum. Hæc enim redacta sunt in acervos et terram arabilem, uti iam dixi. Aliter Clarius, q. d. Miseri ubique acervos lapideos colligunt, ut ex eis altaria idolis construant, et diis terminalibus immolent, relicto Deo vero. Prior sensus est verus et genuinus. Sic enim in terris saxosis, qualis est Iudæa, solent eximi saxa, ut possint arari et sulcari, quod rustici vocant exossare agros: saxa enim sunt in agris, quod ossa in homine. Sic Persius satyra ult. ait:

*Exossatus ager iuxta est.*

**FUGIT IACOB IN REGIONEM SYRIÆ.**) *Fugit*, scilicet a facie Esau fratris sui, indignantis ob crepta sibi ab eo primogenita, Genes. 28. Redit Propheta ad ostendendam Dei providentiam et eorum, quam habuit de Iacob patre Israelitarum, et per consequens de ipsismet Israelitis, ut demonstret eorum ingratitude, utque eos ad Deum redamandum rursusque colendum revocet.

**SERVIVIT ISRAEL IN UXOREM,** q. d. Iacob pro uxore Rachel servivit Laban septem annis: **ET IN UXOREM,** id est, pro uxore altera, scilicet Lia, **SERVAVIT.**) Id est, custodivit et pavit oves Laban. Hic enim *servavit* legendum enim Hebr. Septuag. et Rom. non *servivit*, uti paulo ante.

Sensus est, q. d. Deus sua providentia effecit, ut Iacob servicus Laban ditaretur, tam in ovibus, quam uxoribus ac prolibus, puta duodecim patriarchis, ex quibus vos

prognati estis. Nota hebraismum: Hebræi enim per *beth*, id est, *in*, significant pretium: dicunt enim, Emi domum in argento, id est, argento: Comparavi mihi opes in labore, id est, labore: Servivi in uxore, id est, pro uxore, hoc ergo est *beth* pretii, vel *in uxorem*, id est ad, propter uxorem sibi comparandam.

Vers. 13. IN PROPHETA, id est, per Prophetam, puta Mosen, EDUXIT DOMINUS ISRAEL DE ÆGYPTO, ET IN PROPHETA (per eundem Mosen) SERVATUS EST.) A Pharaone aliisque hostibus.

Vers. 14. QUOCIRCA AD IRACUNDIAM ME PROVOCAVIT EPHRAIM, (id est, Israel) quia tot beneficiis meis ingratus me spernit, et vitulos adorat, IN AMARITUDINIBUS SUIS.) Id est, in peccatis suis, præsertim idololatriæ, quæ mihi amaritudinem, id est, dolorem et bilem, movent. Loquitur anthropopathos. Nota hic, peccata et idola vocari *amaritudines* Dei: quia maxime Deum offendunt, adeo ut, si dolor, mæror, anxietas, imo mors et interitus in Deum cadere possent, hæc non aliunde, nec alia sagitta, quam peccato ei obvenirent.

SANGUIS EIUS SUPER EUM VENIET.) Sanguis in Script. vocatur homicidium, et metonymice pœna homicidii, uti hic, q. d. Occidetur ut reus, ac pœna suæ necis et sui interitus ipsi obveniet, ipsique imputabitur.

ET OPPROBRIUM EIUS, id est, pœnam opprobrii, RESTI-

**A** TUET EI DOMINUS SUI.) Scilicet pro opprobrio quo ipse Deum affecit, adimens ei divinitatem, eamque sacrilege transcribens idolis. Deus enim peccatum nullum, præsertim tam enorme, sinit inultum. Nam ut ait S. August. in Ps. 44. *Peccatum puniturus est (Deus) quia virga directionis est virga regni ipsius. Puniendum est peccatum; si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præveni illum: non vis ut ipse puniat? tu puni. Et mox: Puniendum ergo erit aut a te, aut ab ipso. Tu agnosce, ut ille ignoscat. Idem in Ps. 58. Quid est, inquit, Operantem æquitatem? quia hoc in te odisti quod et odit ille, ut incipias placere Deo, dum hoc in te punis quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est: Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem. Idem in psal. 50. explicans illud: Ecce enim veritatem dilexisti, id est, inquit, impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti: veritatem dilexisti, sic misericordiam prærogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confidenti, ignoscis, sed seipsum punienti. Ita servatur misericordia et veritas: misericordia, quia homo liberatur: veritas, quia peccatum punitur. Vide eundem epist. 122. ad Victorianum, ubi docet Deum nemini peccanti, ne sancto quidem, parcere; ideoque permississe Barbaris Italiam et Hispaniam invadentibus affligere etiam sanctos viros, et violare sacras virgines.*

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Israëli minatur excidium, eo quod homines immolaverit vitulis, ut dispergatur, et evanescat, quasi nubes, ros, gluma et fumus: quia Deus invalet eum quasi leæna, pardus, et ursa raptis catulis. Ergo perditio tua, id est ex te, est Israëli: in me vero auxilium tuum. Secundo v. 44. avolat ad Christum, docetque quod Christus moriens eos, omnesque credentes a morte liberabit, et ex inferno educet: erit enim quasi ventus urens, qui per ignem conflagrationis perdens mundum impium in die iudicii, cuique sortem pro meritis dividet et retribuet.

1. **L**OQUENTE Ephraim, horror invasit Israel, et deliquit in Baal, et mortuus est. 2. Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes. 3. Ideo erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumariorum. 4. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me. 5. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis. 6. Iuxta pasua sua adimpleti sunt, et saturati sunt: et levaverunt cor suum, et oblitii sunt mei. 7. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. 8. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora iecoris eorum: et consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos. 9. Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. 10. Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis; et iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem, et principes. 11. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. 12. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius. 13. Dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum. 14. De manu mortis liberabu eos, de morte redimam eos: ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne: consolatio abscondita est ab oculis meis. 15. Quia ipse inter fratres dividet: adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem: et siccabit venas eius, et desolabit fontem eius, et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

Vers. 1. **L**OQUENTE EPHRAIM, Ephraim, vocat Ieroboam, qui ortus fuit ex tribu Ephraim, primusque ex ea creatus est rex Israelis, q. d. Dum loqui cepit Ieroboam Ephraimita, ac incitare plebem ad idola, puta ad vitulos aureos colendos, HORROR, vel, ut Symmach. et Theodotion, tremor, INVASIT ISRAEL, ut regi idololatriæ resistere non auderet, sed eius metu quasi tremore percussus, Baal, id est, idola, puta vitulos aureos ab eo propositos, coleret: itaque MORTUUS EST.) Tam ipse, quam rex eius, id est, captivitati, et morti temporali fuit addictus, ac multo magis spirituales animæ mortem incurrit, perdens eum qui dicit: *Ego sum vita*, Ioan. 44. 6. iuxta illud Ezech. 18. 20. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*: ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Emmanuel et Mariana. Ad litteram Baasa, occidit Nadab filium Ieroboam, eiusque stirpem everit, ac regnum ad se transtulit, 3. Reg. 15. 29. Aliter Arias: *horrorem* enim accipit aversionem a Roboam, quam populo impressit Ieroboam, proponens ei illius tyrannidem, et tributorum immanitatem, itaque a populo aversante Roboam, creatus est rex Ieroboam.

Secundo, pro *invasit*, hebr. est נָשָׂא *nasa*, quod inter alia significat *extulit*, *alienavit*. Unde Chald. et Vatabl. sic vertunt et explicant: Olim cum ipse Ephraim Deum coleret, tremebant omnes dum ipse loqueretur, tuncque extulit caput, factusque est rex; sed postquam deflexit ad Baal, mortem incurrit, vitæque et regno privatus est. Per *Ephraim* intellige Ieroboam, vel ipsammet tribum regiam: tribus enim Ephraim in Ieroboam et posteris, regnum in cæteras tribus obtinuit.

ET NUNC ADDIDERUNT AD PECCANDUM, q. d. Insuper peccata peccatis, idola idolis addunt et accumulunt: nam FECERUNT SIBI CONFLATILE (conflaverunt idolum) DE ARGENTO SUO. vel auro, aliove metallo, QUASI SIMILITUDINEM IDOLORUM.) Hebr. *iuxta intelligentiam*, vel *conceptionem suam idolorum*, sive quam habebant de idolis, hoc est, prout cuique in mentem venit, prout quisque phan-

tasia sua concepit, prout euique visum fuit, vel libuit effingere aut formare hoc vel illud idolum, tali vel tali specie forma et figura, quod elare Noster vertit, *similitudinem idolorum*. Hæc enim eorum mentis conceptio, vel idea non erat aliud, quam idea et similitudo idolorum. Unde subdit:

**FACTURA ARTIFICUM TOTUM EST.**) q. d. Idolum nil habet numinis, vel divini, sed totum est artificis idea conceptum, et eiusdem manu fabricatum, dum ergo idolum adoras, ideam et phantasiam fabri adoras: illius enim est opus et imago, nec aliunde quam ex hac eius officina prodiit; sicut enim artifex mente prius concepit ideam domus quam fabricare cogitat, ac deinde iuxta eam domum construit et fabricat; ita et idolo-**plastes**, siue artifex idoli, prius format sibi ideam idoli in mente, ut v. g. talem habeat mensuram, talem vultum, tales oculos, talem situm, etc. ac deinde iuxta eam illud ex argento vel auro collat et efformat. Hebr. ergo **תבונה תבונה** proprie intelligentiam significat, non ideam, a rad. **בן** *ban*, id est, intellexit; sed in re, intelligentia architecti, artificis et fabri non est aliud, quam exemplar et idea rei ædificandæ et fabricandæ, quam Hebræi proprie **תבנית** *tabnit* vocant, a rad. **בנה** *bane*, id est, ædificavit.

Hinc patet, magis subtiliter quam solide et genuine, alios per *similitudinem idolorum* accipere *imagines idolorum*, q. d. Quanta est Israelitarum vanitas et stultitia, quod non tantum ipsa idola, sed et eorum effigies ac imagines expingant et exculpant, easque colant quasi deos!

**HIS IPSI DICUNT: IMMOLATE HOMINES VITULOS ADORANTES.**) Vox *homines* est accusativi casus, non vocativi, patet ex Hebr. **זבחי אדם** *zobeche adam*: et ex Septuag. **ἑστατες ἀνθρώπων**, id est *immolate homines*, v. g. filios quasi victimas; vituli enim defecerunt. Sensus est, q. d. De idolis dicunt idololatricæ, præsertim eorum sacerdotes: Vos, o Israelitæ, qui vitulos aureos Ieroboam adoratis, immolate eis non tantum oves et boves, sed et homines; quia id faciunt Gentes, et quia id fecit Abraham, immolans Isaac filium suum, Genes. 22. Sed vera causa erat, quia **DAEMON** sitit cruorem humanum, eorumque necem sibi deposcit. Est nervosa antithesis inter vitulos et homines, q. d. Quanta stupiditas est vitulis immolare homines, cum vituli quasi bestię homini servire debeant, non homo vitulis? ita S. Hieron. Cyril. Hugo et alii. Aliqui tamen, ut Lyran. Pagnin. Vatabl. et Arias **το** homines accipiunt in vocativo, q. d. Vos o homines, immolate victimas vitulis aureis, eos adorantes.

Nota. Pro *adorantes*, hebr. est **ישקון** *isciakun*, id est, *osculantes*. Unde Vatabl. vertit, *vos o homines qui sacrificatis vitulis, osculamini eos*. Solebant enim idololatricæ, in signum venerationis et adorationis, osculari idolum, aut si id non possent, manum propriam loco idoli. Hoc est quod ait Iob. c. 31. 27. *Si vidi solem cum fulgeret, etc. et osculatus sum manum meam*, hoc est, si solem fulgentem adoravi osculando manum meam. Et Ezech. 8. 17. *Ecce applicant manum ad nares suas*, quasi adorantes et osculantes Deum, cui ramus hic sacer erat; vide ibi dicta. Hinc *adoro* idem est quod ad ora applico, scilicet manum osculando; ita Plinius lib. 28. c. 2.

**VER. 5. IDCIRCO ERUNT QUASI NUBES MATUTINA.**) Culpæ intentat pœnam excidii, eamque celerem, acrem et plenam, quam proinde quatuor parabolis explicat et exaggerat. Prima est: *Erunt*, inquit (scilicet Israelitæ qui vitulos adorant) *quasi nubes matutina*, quæ cito a sole oriente dissoluta, vel dispulsa interit.

Secunda, sicut *ros matulinus præteriens*, quem scilicet sol matulinus statim sorbet, siccat et aufert.

Tertia, sicut *pulvis turbine raptus ex area*: pulverem intellige, non arenam, nec terræ, sed palearum frumentum trituro, puta glumam et quisquilias palearum (has enim significat Hebr. **מוץ** *mots*) quas ventus turbine rapit ex area, et huc illucque distat. Pari enim modo Israelitæ excisa Samaria, ex ea quasi area sua abrepti sunt ab Assyriis in captivitatem, indeque quaquaversum dispersi.

Quarta, sicut *funus de fumario*, puta de fumibulo, vel

**A**eamino, exit et propellitur, qui statim tenues vanescit in auras: ita e Samaria expellentur Israelitæ in Assyriam. Pro *fumario* hebr. est **ארבה** *arubba*; quod Aquila, *catractam*; Symmach. *foramen*; Theod. **κατακρησισ**, id est, fumibulum, vertit. Cataractam autem proprie vocant foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur, ait S. Hieronymus. Verum Septuag. aliis punctis legentes **ארבה** *arbe*, vertunt, *locustam*: quod explicans S. Hieron. Audiat, ait, Ephraim se **απυρος**, id est, vapori, siue auræ, et spiritui, comparari, qui ita tenuis de ore locustæ egreditur, ut non sentiatur.

**EGO AUTEM DOMINUS DEUS TUUS, SUI CONTINUO EX TERRA ÆGYPTI** q. d. Ex olitano tempore, quo ex Ægypto te per tot portenta eduxi, iugem tui curam gessi, te protexi, alui, prosperavi quasi Deus, imo pater tuus. Quocirca dixi, et mandavi tibi vicissim id quod sequitur, scilicet: **DEUM ABSQUE**, id est, præter, **ME NESCIES**, q. d. Non agnosces, nec coles, alium Deum quam me: **ET SALVATOR NON EST PRÆTER ME.**) Hebr. **וואו**, significans *et*, est causale. *Et ergo*, id est, *quia*, q. d. Coles me, quia redemptor et salvator tibi non est alius, quam ego, qui ex Ægypto, aliisque hostibus te salvavi et liberavi. Ita Cyril. Theodor. Lyran. et alii.

**EGO COGNOVI**, pratique, id est, amavi, benefeci, rexi, et direxi, **TE IN DESERTO.**) Ita S. Hieron. Unde Septuag. vertunt, *ego te pavi in solitudine*, nempe dans manna de caelo quotidie. Vere Psaltes psal. 22. 1. *Dominus*, ait, *regit me* (hebr. *pascit me*, vel *est pastor meus*) *et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.*

**IUXTA PASCUA SUA ADIMPLETI SUNT.**) q. d. Cum tam largiter et miraculose eos per manna, colurnices, et aquam de petra pascere in deserto aridissimo, ac si in pascuis uberimis eos collocassem; ipsi saturi mihi recalcitrarunt. Ita Chald. itaque impleverunt illud Mosis de se vaticinium: *Incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*, Deuter. 32. 15. ita S. Hieron. Chald. Hugo, Lyran. et alii.

**ET**, id est, *idecirco*, q. d. Quia ipsi mihi, se tam affluenter pascenti, ingrati et rebelles fuerunt, idecirco, **ERO HIS QUASI LEONA.**) Deum vindicem acrem et terribilem, ac consequenter Assyrios, quibus ad hanc vindictam usus est Deus, comparat Primo, leonæ, quæ sævior est leone, præsertim dum catulos nutrit. Secundo, pardis *in via Assyriorum*, qui scilicet solent grassari in deserto, per quod ex Iudæa et Samaria itur in Assyriam. Notat captivitatem per Assyrios factam: Assyrii enim quasi pardi, per hoc desertum Israelitas vexando, onerando, et verberando quasi mancipia, deduxerunt in Assyriam. Hebr. est **אשור** *asciur*, id est, Assyrius: verum Chald. Rabbin. Clarius, Arias, Pagnin. et Vatabl. pro Assur legunt **אשור** *asciur*, id est, aspiciam, accingar ad prædam, insidiabor, a rad. **שור** *sciur* id est, aspexit, insidiatus est. Unde vertunt, *sicut pardus ad viam aspiciam, et insidiabor eis*, ut eos deprader et dilaniem.

**Tertio: OCCURRAM EIS QUASI URSA RAPTIS CATULIS.**) Sævius in raptorem, et consequenter in obvios quosque. Mira est sævitia ursæ raptis catulis: quia mirus illius in eos amor. Ursa enim catulos informes gignit, eosque deinde lambendo sensim format et perficit, quod non faciunt alia animalia. Unde B. Isidorus Pelusiota, discipulus S. Chrysostomi, libr. 3. epist. 267. legit: *Occurrat eis ut ursæ anxia*, atque hoc simili significari vim Dei ultricem.

Tropol. si tantus est ursæ amor in fœtus informes, tantusque furor in eum qui illos sibi eripit; quantus est amor Dei in suos fideles et filios, quantusque furor in eos, qui illos malo exemplo, vel pravis consiliis, illecebris, etc. a Deo avertunt, et in venerem aliaque seclera pelliciant? Sane in tales sæviet Deus magis, quam ursæ in raptorem catulorum. Vide de ursæ in catulos studio Plinium lib. 8. c. 36. et Alian. libr. 2. c. 19.

**ET DIRUMPAM INTERIORA IECORIS EORUM.**) Hebr. Chald. et Sept. *dirumpam clausuram cordis eorum*; Leo Hebr. *lucubrabo pertinaæ cor eorum*. Alludit ad leones aliasque

feras, quæ solent captæ prædæ corpus scindere et findere usque ad cor, ipsumque cor primo devorare. Porro hebr. **לב** *leb*, id est, cor in Scriptura per synecdochen significat interiora omnia, puta iecur, præcordia, aliaque viscera. Itaque noster interpres maluit vertere *iecoris* quam *cordis*, quia iecur est sedes amoris et concupiscentiæ; ac proinde iuste a Deo punitur, et dirumpitur. Hæc de causa in hymno sabbati, ad matutinas Horas orat Ecclesia:

*Lumbos iecurque morbidum*

*Adure igni congruo.*

q. d. Concupiscentiam adure, quæ in lumbis et iecore maxime residet.

Ita sentiunt quoque et loquuntur Philosophi et Poetæ, ut Plato et Horat. lib. 1. ode 25. cum ait:

*Cum tibi flagrans amor et libido*

*Sæviet circa iecur ulcerosum.*

Et lib. 4. ode 1. ad Venerem:

*Si torrere iecur quæris idoneum.*

Et lib. 1. Epist. 18.

*Non ancilla tuum iecur uleeret.*

Rursum dirumpet Deus iecur, id est vitam, felicitatem et gloriam Israelitarum; horum enim symbolum est iecur, ut dixi Thren. 2. 8.

**ET CONSUMAM EOS IBI SICUT LEO: BESTIA AGRI SCINDET EOS.** *Ibi*, scilicet *in via Assyriorum*, ipsaque Assyria. Ita S. Hieron. Lyran. et Vatabl. Aliter Arias: *Ibi*, inquit, *id est, in corde*, q. d. Sicut leo cor prædæ petit et vorat, adipemque et sanguinem circa cor diffusum exugit, cætera vero membra permittit ursis, lupis, aliisque bestiis devoranda: ita ego corda Israelitarum immissis assiduis curis, mœroribus, anxietatibus et terroribus exedam et consumam: sed bestia agri, id est, Assyrii reliquas corporis partes scindunt, et laniabunt. Hæc expositio apposita est, æque ac erudita.

Moraliter, Deus creditentibus et pœnitentibus est mater, atque: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. 11. 28. *Incredulis vero et nolentibus agere pœnitentiam, panther, pardus, ursa, et leo efficitur*, ait S. Hieron.

Vers. 9.

**PERDITIO TUA ISRAEL: TANTUMMODO IN ME AUXILIUM TUUM.** *Tua*, id est, ex te, tuisque peccatis et demeritis tibi obvenit, q. d. Tu o Israel tibi es causa perditionis, id est, captivitatis et excidii, non ego: quia in me non est perditio, sed auxilium tuum: nullus enim est qui tibi auxiliari possit et velit nisi ego. Tu vadis te perditum, ego non nisi tibi auxiliari, teque salvare opto et conor. Hinc Leo Hebr. Pagnin. et Vatabl. pro **תָּשָׁח** *sciachet*, id est, perdere, perditio, legentes **תָּשָׁח** *sciachet*, id est, perdidit, excidit, delevit, vertunt, *perdidit te vitulus tuus*, quem me relicto coluisti; *sed in me auxilium tuum. Perditio* ergo hic non significat peccatum et culpam, sed peccati pœnam et excidium: hoc enim significat Hebr. *sciachet*. Ita Septuag. S. Hieron. Lyran. Vatabl. a Castro, Mariana et alii. Sensus ergo est, q. d. Tu, o Israel semper tua rebellione, idolis et sceleribus ascivisti tibi clades, ruinas, et mille calamitates: ego ex adverso, quantum in me est, curavi et curo tuam salutem mittendo Prophetas, qui te ad pœnitentiam, qua clades imminentes evaderes, hortarentur: tibi ergo tuum excidium imputa, non mihi; esto enim tandem occurrurus sim tibi per Assyrios quasi leo, pardus, et ursa sæviens: tamen tu ad hoc me cogis tua obstinatione et impœnitentia, quæ tanta est, ut ipsa volenti mihi tui misereri et parcere, quasi invito flagellum quo castigeris extorqueat. Hinc Chald. vertit, *eum vos depravatis opera vestra, o domus Israel, dominantur in vos populi: sed quoties conversi estis ad legem meam, verbum meum fuit vobis præsidium*; Syrus vero, *corrupti (perdidi) te Israel; quis adiuvabit te?* Arabicus Alexandr. *in perditione tua o Israel, quis est qui te adiuvet?* Arabicus Antioch. *corrumpent te* (hostes, v. g. Assyrii) *quis est qui te adiuvet?*

Ubi Nota. Vox *tantummodo* licet expresse non sit in Hebræo, tamen per antithesin intelligitur, duoque significat. Prius, Israellem nec ab Assyrio, nec ab Ægyptio,

nec ab Osee rege suo, nec ab ullo alio sperare debere auxilium, nisi tantum a Deo. Posterius, Dei tantum esse auxiliari, non perdere, q. d. Sicut tibi proprium est te perdere, ita Dei proprium est tibi auxiliari, teque salvare: per accidens enim ei est, et quasi alienum ab eo, si ob peccata cogatur te punire. Ita noster Emmanuel Sa.

Secundo, S. Hieron. ex Hebræo hunc quoque dat sensum: *Disperas Israel, quia nihil tibi reliquum est, nisi ut mea solum clementia conserveris.*

Tertio, Septuag. vertunt, *corruptioni tuæ Israel quis auxiliabitur?* id est, captivitati tuæ, et ultimæ servituti quis eorum, quos tibi præules æstimasti, poterit ferre auxilium? ait S. Hieron. Unde sequitur: *Ubi est rex tuus?*

Loquitur Propheta de perditione et auxilio primo corporeo et temporali, deinde spiritali et æterno. Hoc enim illo longe gravius, maxime momenti est. Unde sequitur perditionem, reprobationem, obdurationem et damnationem, non esse proprie et per se ex Deo perdente, reprobante, obdurante, et damnante; sed ex homine peccante, et sequitur in peccatis usque ad finem vitæ obdurante. Ex adverso prædestinationem, vocationem et gratiam non esse ex præviis prædestinatorum meritis; sed ex Deo prædestinante, vocante, et gratia sua prædestinatos præveniente. Hæc enim sunt auxilium Dei. Ita Teologi 1. p. q. 23.

Quocirca licet in prædestinatiois non sit causa vel ratio cur prædestinentur, tamen in non prædestinatis est ratio seu causa cur non prædestinentur. Si enim Deus ex seipso motus aliquos excluderet a beneficio prædestinationis, ipse esset prima causa perditionis illorum, cum certum sit perituros qui non sunt prædestinati, ait Gregorius de Valentia 1. p. q. 23. puncto 4. disp. 1.

Est ergo hæc sententia, *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, generalis et universalis, quam sic quasi per partes et parallela explices:

Captivitas tua Israel ex te: redemptio tua ex me.

Interitus tuus ex te: salus tua ex me.

Mors tua ex te: vita tua ex me.

Malum tuum ex te: bonum tuum ex me.

Reprobatio tua ex te: prædestinatio tua ex me, qui semper ad ostium cordis sto et misericorditer pulso.

Derelictio tua ex te: vocatio tua ex me.

Miseria tua ex te: felicitas tua ex me.

Damnatio tua ex te: salvatio et beatificatio tua ex me. Nam, ut ait S. August. in Sententiis, n. 311. *Multa bona facit Deus in homine, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ Deus non facit ut faciat homo.*

Quod ergo nonnulli Doctores sic exponunt: *perditio*, id est, peccatum et culpa tua, qua te perdis, o homo reprobe, est ex te, tuæque mala voluntate: *perditio* vero, id est, reprobatio et permissio peccati, ex qua infallibiliter sequitur peccatum et damnatio, est ex Deo reprobante. Hæc, inquam, expositio huic loco est impertinens: quia perditio, uti ostendi, hic pœnam significat, non culpam. Est et falsa, ut videtur: prima enim permissio primi peccati hominis in Deo, non est effectus reprobationis, nec a Deo reprobante: sed est effectus communis providentiæ, qua Deus causas secundas et liberatas permittit suæ libertati, ut libere bene faciant aut male, prout voluerint: hoc enim exigit hominis libertas, et suavis divinæ providentiæ dispositio. Nam reprobatio non est causa peccati, sed potius eius effectus. Deus enim neminem reprobabat ideo, ut peccet; sed omnem reprobum ideo reprobabat, quia peccavit et reproba gessit, ideoque se reprobum et damnatione dignum effecit. Reprobatio enim est actus iustitiæ vindicativæ, quæ necessario peccatum vindicandum et puniendum, quasi obiectum proprium præsupponit, non facit, nec causat. Vide dicta c. 11. v. 8. et 9.

Præclare S. Bernard. serm. 8. in natali Domini: *Reete*, ait, *Deus, non pater iudiciorum vel ultionum dicitur, sed pater misericordiarum, eo quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, iudicandi vel ulciscendi magis ex nostro.* Et S. August. sententia 379. *Neminem*, ait, *Deus ad peccandum cogit: prævidet tamen omnes qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus,*

Reprobatio est ex homine, prædestinatio ex Deo.

quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim memoria sua cogit facta esse quæ præterunt, sic Deus præscientia sua non cogit faciendâ quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminil, nec tamen omnia quæ meminil fecit; ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est: quorum autem non est auctor malus, iustus est ultor. Clarius idem epist. 106. Si Deus, ait, quemquam immeritum damnare creditur, immunis ab iniquitate non creditur. Et I. de Bono persever. c. 8. Qui liberatur, gratiam diligit: qui non liberatur, debitum agnoscat. Et c. 41. Investigabilis ergo est misericordia Dei, qua cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis; et investigabilis veritas (id est iustitia) qua quem vult indurat, eius quidem præcedentibus meritis; sed cum eo cuius miseretur plerumque communibus. Et ep. 105. Quærimus causam prædestinationis, nec invenimus: reprobationis autem causam quærimus, et invenimus. Nam quibus Deus misericordiam non impertit, ut non impertiatur merentur. Et lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. Ille cui subvenit, et ille quem deserit, ex eadem massa sunt peccatorum. Et quanvis debeat uterque supplicium, ab uno tamen exigitur, alteri donatur. Ibidem asserit Esau odio habitum a Deo propter peccata. Cum ergo reprobatio sit odium; Deus autem nihil odiat in homine nisi peccata, ut ait S. August. ep. 105. sequitur, Deum neminem reprobare nisi propter peccata.

S. Augustinum sequitur S. Prosper ad capitula Gallor. in sententia super cap. 7. ubi dicit: Gratia Dei non prius eos (reprobos) deseruit, quam ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinatione electione illos non habuit. Utrumque secutus S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum: Quæso, inquit, Monime charissime, ut hunc locum Apostoli diligenter attendas. Notum namque est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse. Deus enim cum reprobat, dicitur ab Apostolo velle ostendere iram, Rom. 9. 22. Idem docent Scotus, Herveus, Caiet. Ferrarius, Ioannes Maior, Silvester, Dom. Soto et alii, quos citat et sequitur Lud. Molina 1. part. q. 23. art. 4. et 5. disp. 3. Vasquez, Bellarmin. Suarez et Gregor. de Valentia ibid. Hi omnes asserunt Deum neminem reprobare nisi ob eius peccata, in quibus vitam finit.

Tropolog. perditio tua Israel, non hostium, non infecti aeris, non concursus siderum, non virium accensi ignis, non armorum, non ducum, non hostium, nec exercituum validissimorum: hæc enim omnia imbellia et evanida forent, nec te perdere possent, nisi tu tuis peccatis iram Dei in te concitares, eamque in tui perditionem lacesceres et evocares; tibi ergo eam ascribe, tibi imputa, non hosti. Idem dicat quælibet republ. civitas, et anima peccatrix, quæ suis sceleribus Dei vindictam sibi accersit, suosque hostes in suum exitium concitat et armat.

Rursum idem S. August. lib. 2. de Peccat. mer. et remiss. c. 5. pulchra similitudine idipsum explicat. Sicut, inquit, corporis oculus non adiuvatur a lumine, si oculus claudas, aut si eum a luce avertas: ita si te avertas a Deo, qui lumen est quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, aut si claudas mentis oculos, incurres in laqueos dæmonum, et peribis: si vero te convertas ad Deum, ille tuam mentem illustrabit, et te ad se convertet. Itaque o Israel, tua perditio ex te est, quia te avertis a Deo: salus tua tantummodo ex me, quia conversio ad Deum ex peccato a Deo incipiat necesse est. Hinc D. Thom. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. sic explicat: Defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est a Deo, secundum illud Osee: Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.

Simili schemate de excidio Troie cecinit Poeta;

Non tibi Tyndaridæ facies invisâ Lacenæ,  
Culpatusee Paris; verum inelemtia Dicum  
Has evertit opes.

Vers. 10. **UBI EST REX TUUS? MAXIME NUNC SALVET TE.** ) q. d. Reges quos tibi petivisti et creasti, non possunt te ab instante Assyriorum excidio eripere et salvare; sed ego

solus quem tu negligis et spernis. Probat id quod dixit v. precedenti: *Tantummodo in me auxilium tuum*, q. d. Reges et principes tui non possunt tibi in hac clade auxiliari: disce ergo ipsa experientia, quod ego solus tibi optulari possim.

Pro ubi hebr. est **יְהוָה עִי** *ehi*, quod Sept. Chald. Noster, Leo, Hebr. et alii vertunt, *ubi*. Aliqui tamen vertunt *ero*, quasi *ehi* sit futurum ab **הָיָה** *haia*, id est, *fuil*, ut sensus sit: *Ero rex tuus nunc*, q. d. Nunc regam et frænabo te quasi equum rebellem et indomitum. Verum huic versioni repugnant sequentia, *Salvet te*, etc. quæ de rege, non de Deo, accipienda esse liquet.

ET IUDICES (consilarii et principes, ut sequitur) **TUI DE QUIBUS DIXISTI**, 1. Reg. 8. 5. **DA MIHI REGEM ET PRINCIPES.** ) Hinc videtur, quod populus petens regem a Samuele (qui ei annuens iussu Dei, dedit Saulem) simul ab eo peterit iudices, quasi regis consilarios: licet hoc in historia lib. Regum non exprimat.

**DABO TIBI REGEM IN FURORE MEO.** ) *Dabo*, id est, dedi tibi Saulem iratus, quod regem alium a me peteres: item Ieroboam, cæterosque reges Israel, quos proinde mox abstuli, eo quod impie viverent. Simili modo brevi auferam ultimum regem Osee pariter impium, et in eo, ac eum eo regnum tuum evertam. Vere S. Augustin. in Sentent. sententia 252. *Deus*, ait, *cum male aliquid poseitur, dando irascitur, non dando miseretur.*

Unde S. Hieron. et Lyran. sic explicant: Dedi tibi Saulem primum regem in furore; et ultimum regem Sedeciam auferam pariter in furore. Aut potius, dedi Ieroboam primum regem tuum, o Israel, in furore (de eo enim hic agitur, non de Sedecia et Iuda) et auferam ultimum regem tuum Osee in furore.

Nota. Ieroboam, cæterosque reges sequentes Israeli dedit Deus in ira, quia offensus peccatis populi, voluit eum abiicere a Ierusalem, temploque ac regno suo, quod erat in Iuda: unde in pœnam peccatorum eius, dedit ei reges qui schisma facerent a Iuda et Deo, populumque ad vitulos aureos abducerent.

Probat quod dixit, Israelem a regibus suis non debere expectare tutelam contra Assyrios et salutem: quia, inquit, ego reges hosce dedi Israeli non ex amore, sed ex ira; ac proinde pariter auferam eos cum regno et populo ex ira. Quocirca ipsi non tam sunt sceptrum, quam flagellum Dei: quia sunt virga, qua Deus, non regat gregem suum, sed castiget hostes suos. Vere dixit Livius l. 9. *Imperia male parata, male gesta, male retenta obruuntur.* Hoc est quod ait cap. 34. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritum propter peccata populi.* Quæ verba explicans S. Gregor. libr. 25. Moral. 14. docet subditos non debere conqueri de regum et principum vitiis, sed de suis propriis, quia ob ea Deus iniquos eis dat principes. *Culpam ergo, ait, proprii magis accuset operis, quam iniustitiam gubernantis. Scriptum namque est: Dabo reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despiciamus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus?* Unde concludit: *Sic ergo secundum merita subditorum, tribuuntur personæ regentium. Sic pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis, etiam vere boni delinquat vita pastoris.* Idem lib. 6. epist. 7. *Ita, ait, sibi regentium merita connectuntur et plebium, ut sæpe ex culpa præcedentium deterior fiat vita subditorum, et sæpe ex merito plebium delinquat vita pastorum.* Probat id exemplo Davidis: *Ille enim Deo attestante laudatus, ille superiorum mysteriorum conscius, tumore repente elationis inflatus, populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus David peccante suscepit.* Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium, disponuntur corda regentium.

Unde infert subditos maxime debere orare tam pro regibus, quam pro toto populi cœtu. Sic Deus Iudæis et improbis in fine mundi, dabit Antichristum regem in furore suo, uti docet ibidem S. Gregor. imo S. Paulus, *eo quod charitatem veritatis, inquit, non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio*, 2. Thessal. 2. 10. q. d. Quia Iudæi noluerunt reci-

pere Christum veracem, ideo mittet eis Deus Antichristum mendacem. Scelera ergo impiorum quæ in fine mundi erunt maxima, parturient quasi Antichristum, cumque a Deo regem extorquebunt.

Præclare Plutarch. lib. de Sera numinis vindicta c. 4. docet impios principes et tyrannos dari a Deo, quasi carniciferos, ad sumendum de impio populo pœnas; sicut enim fel hyæna utile est ad morbos sanandos, sic et sævitia tyranni, vel magistratus, valet ad expurganda vitia populi: *Tale medicamentum*, inquit, *Agrigentinis fuit Phalaris, Marius Romanis, Orthagoras Myro, Clisthenes Sycioniis.* Hinc Theognides, cum videret urbem fastu et luxu tumentem:

*Uterum, inquit, fert civitas hæc: timeo autem ne pariat Virum correctorem mala insolentiæ vestræ.*

Anastas. Nicænus qu. 15. in Scriptur. duo illustria refert exempla. Primum, cum Phœas, inquit, Imper. quasi tyrannus sæviret in innocentes, Monachus quidam sæpe cum Deo expostulabat: *Cur Domine eum fecisti Imperatorem?* Cui responsum est cælitus, *Quoniam non inveni peiorem.* Secundum: Monachus quidam hypocrita, sed scelestus, angeli monitu creatus Thebaidis corruptissimæ Episcopus, cum ex sacro honore insoleceret, audivit ab angelo: *Cur superbis, o infelix? non es creatus Episcopus, quod dignus sacerdotio sis, sed quod civitas tali digna erat Episcopo.* Quin et S. Ambr. in Apolog. David, agens de eius lapsu: *Regum, ait, lapsus pœna populorum est: sicut enim eorum virtute servamur, ita etiam errore periclitamur.* Porro inter alia peccata, quæ impios principes merentur, Deumque ad eos dandum provocant, excellit contemptus sacerdotum et sacerorum: hunc enim Deus tyrannide principum castigat, inquit S. Cypr. epist. 67. ad Rogatianum, idque probat exemplo Samuelis. Huic enim dixit Deus: *Non te spreverunt, sed me, atque ut hoc ulcisceretur, excitavit eis Saul regem, qui eos iniuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret; ut contemptus sacerdos, de superbo populo ultione divina vindicaretur.*

Vers. 12. **COLLIGATA EST INIQUITAS EPHRAIM**, q. d. Scelus Israel repositum et reconditum est in serinio memoriæ meæ, uti pecunia in arca et loculis colligatur et reconditur: colligatur, inquam, ne excidat, ideoque in mente mea **ABSCONDITUM EST PECCATUM EIUS.** Quia in ea reservatur ad tempus ultionis, quod brevi aderit, ut puniatur. Ita Chal. S. Hier. Theodor. Vatabl. et alii. Alludit ad Deut. 32. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?*

Moral. de confessione.

Tropol. nonnulli hæc referunt ad fideles, qui ex verecundia aut superbia nolunt Confessario sua peccata confiteri: et ad Religiosos, qui nolunt Superiori detegere suam conscientiam, animæque infirmitates et malas inclinaciones. In his enim colligata est lingua, et consequenter iniuitas: sicut enim morbus ægri curari nequit nisi ipse eum detegat medico, ita nec vitia animi: quibus hoc proprium est, ut sola humilitate confessionis, et charitate, consolatione et instructione Patris spiritualis, vel sanentur, vel mitigentur, uti docet Cassianus, Vitæ Patrum, ipsaque experientia. Unde sequitur: *Dolores parturientis venient ei*: quo enim diutius quis silet peccatum, eo difficilius illud pandit et expellit: sicut puella quæ fœtum mortuum utero gestat, quo diutius eum tacet et dissimulat, eo difficilius parturiet; quia in dies magis is corrumpitur, ut a matrice et virtute pariendi eiici nequeat. Audi Cassian. Collat. 2. c. 10. *Illico ut patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, et antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus velut e tenebroso et subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, et traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tandiu enim suggestiones eius noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.* Confirmat deinde idipsum exemplo Serapionis, qui solitus furari panem ad famem satiantiam, furtum confitens, mox tentatione et fame omni liberatus est: vide et Dorotheum serm. 5. Huc spectat illud Ps. 31. v. 3. *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea.*

A Et Eccl. 4. 24. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam.* Et S. August. libr. de Decem chordis: *Melior est modica amaritudo in faucibus, quam æternus cruciatus in visceribus.*

**DOLORES PARTURIENTIS VENIENT EI**, etc. **NUNC ENIM NON STABIT IN CONTRITIONE FILIORUM.** q. d. Israel dolebit ut parturiens, dum cernet lilios suos ab Assyriis occidi et contereri. Pro *in contritione filiorum*, Pagn. et Vatabl. vertunt, *in confractione fœtum*, id est, in ipso partu, et partus angustiis: per confractionem enim intelligit angustias uteri materni, ab effectu, eo quod fœtus illic confringatur, q. d. Gravissimas de Israele sumam pœnas, et tamen non respicere: nam est tamquam fœtus insipiens, qui non conatur statim egredi ex angustiis uteri materni et prodire in lucem; sed illic diu moratur in confractione. Tam stolidi sunt peccatores, qui cum sint sæpe in extremis angustiis, in illis hærent, ab iisque confringuntur et conteruntur, nec ad pœnitentiam et ad Deum recurrunt, quod si facerent, mox ab iis se expedirent; a Deo enim liberarentur. Aliter Rupert. et Arias, q. d. Ephraim non agnosceit suam culpam et scelus, *dicitque, Cuncti labores non inveniunt mihi iniquitatem*: facit ergo sicut stolidi puella, quæ cum fornicata sit, scelus occultat: sed dum ei partus angustia obvenit, illud eum summo dedecore et dolore prodit: nam non stabit in contritione filiorum, id est, tantos in pariendo cruciatus et contritiones patitur, ut sustinere et dissimulare nequeat: sed se parere vultu et voce prodat, imo proclamet. Pari modo accidet Israeli in exidio: tanta enim erit eius clades et dolor, ut omnes agnoscant eius scelus fuisse enorme, ob quod adeo punitur; licet illud nunc neget et occultet. Ita Rupert. Arias, et Sanchez, quem vide.

Tropol. sicut puella fœtum, sic peccator peccatum concipit cum modica et brevissima voluptate, sed illud parturit et parit cum magno et longo dolore, præsentis et æterni. Vide S. Hieron. hic ad v. 15.

C **DE MANU MORTIS LIBERABO EOS.** Chald. vertit in præterito, *liberavi eos*, q. d. Hactenus sæpius Israelitas pœnitentes, et me invocantes liberavi ab hostibus, morte et exidio: at iam impœnitentes, mihi que rebelles tradam hostibus et morti: imo ipse ero eis mors, ut sequitur. Verum hebr. Septuag. et alii passim legunt in futuro, *liberabo et redimam.* Secundo, Leo Hebræus et Clarius subaudiunt conditionalem voculam *si*, vertuntque per subiunctivum, q. d. Si populus Israel esset filius sapiens, et respiceret a peccatis, ac ad me rediret, de faucibus inferni et mortis liberarem eum: at quia manet insipiens et impœnitens, morti a me tradetur. Ubi nota. Pro *mortis*, hebr. est **שְׁאוֹל** *secol*, id est, *inferni*, ut vertit Syrus, sed eodem res redit: quia hæc duo tunc erant coniuncta. Nam ante resurrectionem Christi, qui ibant in mortem, ibant pariter in infernum.

Verum nec Hebr. nec Septuag. nec Chald. nec alii habent voculam *si*, sed legunt absolute *liberabo et redimam.* Hæc ergo est vera et genuina lectio.

D Quæres, quis eius sit sensus, et de qua liberatione hic agatur? Primo, Rullinus hæc accipit de liberatione urbis Hierosolymæ e manu Sennacherib eam obsidentis, quæ facta est per angelum eadentem 185. millia Assyriorum, 4. Regum 19. 35. Verum illa fuit liberatio Iudæ et Hierosolymæ, hic vero agitur de liberatione Ephraim, id est, decem tribuum, ut patet v. 1.

Melius Theodor. et a Castro, censent hic agi de liberatione et captivitate Babylonica: licet enim ea primario fuerit Iudæorum, tamen secundario fuit quoque Israelitarum: multi enim ex ijs miscentes se Iudæis, cum iis e captivitate in Iudæam redierunt. In captivitate enim erant quasi in morte et inferno, erantque ibi morituri et in infernum descensuri, nisi Deus inde eos liberasset. Typice autem agi hic de liberatione et redemptione Christi, qui moriens et resurgens Patres e limbo et morte liberavit, vitæque restituit. Simili schemate Ezechiel c. 37. 1. per ossium aridorum vivificationem, repræsentat liberationem Iudæo-

rum e captivitate, et typice resurrectionem mortuorum. **A** Verum alii passim hæc non typice, sed ad litteram accipiunt de Christo, qui sua resurrectione Patres inferno et morte liberavit, secumque resurgere fecit; ac in fine mundi omnes pariter a morte ad vitam revocabit in universali resurrectione. Tunc enim perfecte hoc oraculum implebit Christus, qui inchoate illud implevit in sua resurrectione: in ea enim nos simul cum eo quasi resurreximus per fidem et spem. Ita censent S. Hieron. Haymo, Hugo, Rupert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera et alii passim hic, et S. August. serm. 137. de Tempor. Euseb. l. 4. Demonstr. c. 12. S. Gregor. hom. 22. in Evangel. et veteres Rabbinii apud Galatin. l. 8. c. 21. ubi refert verba R. Mosis Hadarsan, dicentis: *Ubi mecum Messias, filius David, quousque perveni ad portas gehennæ, cumque viderent captivi qui in gehenna erant, lumen Messie, gavisissimi cum recipere dicentes: Hic educet nos de his tenebris, sicut dictum est Osee 13. De manu inferi redimam eos, de morte liberabo eos.* Probat hęc sententia, Primo: quia ita de Christo hæc explicat Apost. 1. Cor. 15. 54. dicens: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem* (in communi resurrectione) *tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Ubi manifeste citat verba Osee hoc loco, uti mox plenius dicam. Secundo, quia id arguunt ipsa verba sequentia: *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne,* quæ umbratice tantum, et tenuiter admodum conveniunt Cyro Iudæos e Babylone liberanti; proprie vero competunt Christo victori et triumphatori mortis et inferni, ut liquet ex ipsis verbis, et passim docent Patres et Interpretes, adeo ut hic videatur communis esse fidelium et Ecclesie sensus, cui contradicere est nefas. Tertio, quia Israelitæ, de quibus hic agi nonnulli censent, e captivitate Assyriaca nunquam sunt liberati, sed in ea manserunt. Ergo de iis dici nequit, *Liberabo et redimam eos:* licet enim aliqui cum Iudæis e Babylone redierint, tamen id per accidens fuit, illique fere perpauci. Hęc autem sententia et promissio, *De manu mortis liberabo eos,* est generalis et universalis: ergo omnes spectat, et ad paucos aretanda non est.

Dico ergo, Prophetam hic de more ab Israelitis sui temporis avolare ad Christum: solent enim Prophetæ tristibus læta subiungere, ne populi animos in desperationem adigant, sed ad spem meliorum erigant. Illa autem læta sunt, liberatio et redemptio facienda per Christum. Cum enim hic Propheta plenum Israelis prædixisset excidium, quæ erat res tristissima, et extremæ desperationis occasio, ut hoc leniat, consolatione melioris sortis, utque hoc quasi fel melle iucunditatis dulcoret, subdit eos non tantum e captivitate, sed et a morte ac inferno liberandos per Christum; Christum enim eos, si in ipsum credant, æque ac alios omnes sibi credentes a morte et inferno liberaturum.

Fateor tamen alludi hic ad liberationem e captivitate Babylonica, iuxta sensum ex Theodoro paulo ante allatum; ita tamen ut in ea non sistat Propheta, sed eam obiter tantum, quasi umbram perstringat et prætervolet, ac mentis suæ aciem scopumque ligat in Christo, quem unum ad litteram significare intendit. Simili modo Isaias a Cyro avolat ad Christum, dicens c. 45. v. 8. *Rorate exli desuper, et nubes pluant iustum.* Vide canon. 4. et 5. quos præfixi Prophetis maioribus.

**ERO MORS TUA, O MORS; MORSUS TUUS ERO, INFERNE.** Rupert. libr. 6. in Ioannem post medium, *morsum* passive accipit pro cibo qui mordetur et comeditur, ac talem fuisse Christum, qui descendens ad inferos, seipso pavit, recreavit, et vivificavit Patres in limbo: *Quem, ait, agnum in cruce torridum, illa sacratissima vespera simul omnes in inferno positi velociter comederunt, impleta prophetia quæ dicit: O mors ero mors tua; morsus tuus, inquit, ero inferne: quem, inquam, agnum mortui in inferno comederunt, nos eundem manducamus* (in Eucharistia) *ut in æternum vivamus.* Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum. Potius enim morsus hic a-

ctive capitur, æque ac mors, quo scilicet Christus momordit infernum, æque ac mori fecit mortem, eamque moriendo occidit. Hoc enim significat vox Hebræa, ut mox dicam. Unde et pro *morsus*, Septuag. vertunt, *aculeas*, per quem Rupert. rursum hic et 1. Cor. 15. accipit divinitatem Christi. Ait enim: *Libera eos a morte. Sed quomodo id fiet? Mordebis me, o inferne, et ut hamum decorabis; sed postea hamo divinitatis meæ dirumpam ventrem tuum, et exibo, ac simul exhibent Patres, Christus est de quo ait Job c. 40. 20. An extrahere poteris Leviathan hamo?* Hoc accommodatum est et elegans: nam ad litteram stimulus hic est mortis, non Christi: vertunt enim Sept. *ubi est mors stimulus tuus?* Ergo quoad sensum litteralem, Theodor. et a Castro per mortem et infernum accipiunt captivitatem Babylonicam, q. d. E Babylone, quasi e faucibus mortis et inferni, Israelitas liberabo, itaque ipsis quasi mortem interficiam, et infernum destruam. Chaldaeus contrarie vertit, *erit, inquit, verbum meum contra eos in necem, et verbum meum ad disperdendum,* q. d. Verbo et iussu meo per Assyrios occidam Israelitas, trudamque in infernum. Huc accedit Clarius: vertit enim, *ero pestes tuæ ad mortem, ero excidium tuum ad sepulcrum,* q. d. Consumam te o Israel, usque ad internecionem, usque ad mortem et sepulcrum.

Verum ex delinitione Ecclesie, et Concilii Tridentini sess. 4. sancientis, Vulgatam versionem esse genuinam S. Scripturam, de fide certum est, hanc huius loci esse sententiam: *Ero mors tua o mors; ero morsus tuus o inferne;* sic enim habet Vulgata versio. Certum pariter est, de Christo victore mortis, et inferni hic esse sermonem, uti paulo ante probavi. Mors enim et infernus significant regnum mortis et inferni, quo mors per Adæ peccatum in orbem inducta, omnibus eius posteris dominabatur, uti docet Apostolus Rom. 9. 12. et sequentibus, ac in omnes mortuos ius et imperium exercebat, eosque inferno, quasi assectæ et carcerario suo debebat et mancipabat usque ad Christi adventum. Est prosopopœia: mors enim et infernus hic quasi duæ personæ, et duo reges inducuntur late dominantes, quos regno et vita spoliavit Christus e morte et inferno resurgens, ac de utroque triumphavit: mortem quidem, quia post resurrectionem mors nulla erit; infernum vero, quia post eandem nullum amplius poterit capere, et devorare.

Hinc resurrectionis Christi et nostræ symbolum est **Symbolum 10-** Primo, phoenix, qui fertur emori, resurgere et iuvenescere: moriendo ergo occidit mortem, et suscitavit vitam. Unde illud Job 29. 18. *Dixi: In nidulo meo moriar, et sicut palma* (Tertull. libr. de Resurrect. cap. 13. Vatabl. R. Salomon et alii vertunt, *et sicut phoenix*) *multiplicabo dies.* Hic enim longævus est, et in nidulo moritur.

Secundo, sicut hydrus crocodilum interfecit, sic Christus mortem et tartarum. Audi B. Petrum Damiani l. 2. epist. 18. ad Cardin. *Hydrus, ait, animal est habitans in gurgitibus fluminum, crocodilis feratiler inimicum. Hic ilaque eum viderit crocodilum aperto ore in crepidine fluminis dormientem, provolvitur in limo luti, ut faucibus illius lubrico corpore facilius possit illabi. Tunc in os crocodili dormientis perneciter insilit, quem ille desubitatus repente deglutit. Hydrus vero viscera eius cuncta dilaniat, donec eo iam prorsus extincto, de eadverere illius vicus et victor crumpat. Quid hic crocodilus, nisi figuram tenet mortis et tartari? Quid hydrus nisi victoriam innuit Salvatoris? Lino ergo hydrus obvolvitur dum Redemptor noster humanæ carnis luto vestitur. Hic ventrem ingreditur crocodili, quia Dominus claustra penetravit inferni. Hic demolitur intima viscerum, et Dominus mortis evertit imperium. Ille corroso ac penetrato cadavere post victoriam redit, qui Salvator noster postquam infernum moriendo momordit, eum triumphali de sepulcro gloria resurrexit. Unde morti per Prophetam victor insallat: Ubi est, inquit, o mors, victoria tua? ubi est stimulus tuus? Et iterum: O mors, ero mors tua: morsus tuus ero, inferne.*

Citat hunc Osee locum S. Paulus 1. Cor. 15. 54. sed ex versione Septuag. hoc modo: *Ubi est mors victoria tua?*

*Ubi est mors stimulus tuus?* Unde patet hic duplicem esse ex Hebræo versionem, ultramque canonicam: tam enim nostra hic in Osee, quam Septuag. quos sequitur Paulus, est canonica.

Ubi Nota primo: Hebræum **אחי** *ehi* significat *ero*, uti vertit Noster hic v. 14. Secundo, ut R. Iona, *ehi* per metathesin sumitur pro **איה** *aie*, id est, *ubi*, uti vertunt Septuag. et Paulus 1. Cor. 15. v. 55. et ita **אחי** vertit Noster, Septuag. et Chald. hic v. 10.

Nota secundo: Pro *mors tua*, hebr. est **דברך** *debarecha*: quod si a **דבר** *deber* deducas, significat *pestes tuæ*, q. d. O mors ero plenissima pestis et mors tua: et, ut Symmachus vertit, *ero plaga tua*. Sin a **דבר** *dabar*, id est, verbum, deducas, significat, *ubi verba tua*, vel *sermones tui?* ut vertit Aquila et V. editio. Septuag. vertunt **δύναμις**, hoc est, *causa*; pro quo Paulus hic habet **νίκη**, id est, *victoria*. Unde putant aliqui Paulum apud Sept. legisse **νίκη**, vel **νικη**, pro **δύναμις**; sed omnia vetera exemplaria Septuag. interpretum, teste Hieronymo, habent **δύναμις**, id est, *causa*. Melius ergo dicemus, Apostolum immutasse verba, non sensum, cum pro *causa* posuit, *victoriam*: Græcum enim **δύναμις** quatuor significat. Primo, causam forensam, et, ut Hier. in Osee 13. vertit, contentionem, q. d. Ubi est, o mors, causa tua contentiosa, qua in Dei iudicio homines ob peccatum mortis reos peragebas et vincebas? Secundo, significat **δύναμις** sententiam, q. d. Ubi est o mors, sententia tua, qua scilicet omnes tibi, id est, morti, adiudicati sunt? Tertio, significat ius, q. d. Ubi est ius quod olim habebas in omnes? Quarto, significat pœnam, q. d. Ubi est pœna illa durissima qua homines puniebas et perdebas? et hoc quartum alludit ad Hebræum *deber*, id est, pestis; priora tria alludunt ad *dabar*, id est, verbum. Ex quibus patet in re causam idem esse quod victoriam.

Nota tertio: Pro *morsus tuus*, hebr. est **קטובך** *katobcha*, quod Symmachus occursum vertit; Theodotion et V. editio plagam et conclusionem; Septuag. **νεύρα**, id est, stimulus, aculeus, quo scilicet mors homines confodiebat et occidebat. Proprie *katobcha* significat excisionem, qua Christus mortem omnia succidentem succidit. Hoc enim est *katob*, scilicet evulsio, excisio, excidium, seu exitium, hoc est, lues subito evellens et excindens, qualis est febris valida, pestis, apoplexia, quæ subito mortem adfert, ipsaque mors subitanea, quæ hominem avellit et excindit.

Noster apte vertit *morsum*. Ubi adverte, *morsus* hic tam passive, quam active sumi potest, q. d. Ego Christus mordebor a te, o mors, et o inferne; sed ita ut a te morsus te vicissim mordeam, ita ut a te quasi absorptus viscera tua disrumpam, itaque fideles electos educam e ventre tuo.

Nota quarto: Pro *inferne*, ut habent Hebræa et Noster et Græca. 1. Cor. 15. 55. **προς θάνατον οὐρανῶν**, *ubi est o inferne victoria tua?* interpres Noster hic vertit, *ubi est mors victoria tua?* eodem sensu: infernus enim et mors significant statum mortuorum: omnes enim olim ante Christum post mortem in limbum descendebant. Sic Act. 2. 24. et alibi, Græcum **ἐν νεκρῶν**, id est, *mortis*, Noster interpres vertit *inferni*. Eodem ergo redit versio Sept. quam sequitur Paulus, eum nostra et Hebræo. Sensus ergo est: Ubi est mors victoria et stimulus tuus, quo soles homines occidere, eisque dominari? q. d. Periit, contractus est a Christo, qui est mors tua, o mors, et morsu suo te, o inferne, disrupit et absorpsit.

Ubi adverte, hoc cœptum est impleri cum Christus surrexit, et animas sanctorum e limbo reduxit, sicque ex inferis quasi morsu hanc partem abstulit. Ita Anselm. et Origen. hom. 22. in Evangelia, et S. Aug. serm. 137. de Tempore: perfectæ autem implebitur in communi resurrectione, ut docet Apostolus. Pulchre S. Hier. in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, mortem alloquens, illique cum Paulo insultans: *Qui, inquit, per Osee quondam tibi rigidus minabatur: Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne, illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus? devorasti, et devorata es, dumque assumpti corporis Christi sollicitaris illecebra, et avidis faucibus prædam pu-*

*tas, interiora tua adunco dente (vel, ut alii legunt, unco) confossa sunt. Gratias tibi Christe Salvator, tuæ agimus creaturæ, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti.*

Denique Syrus secutus Septuag. vertit: *Ubi est igitur victoria tua, o mors? aut ubi est aculeus tuus, inferne? et Arabicus Alexandr. Ubinam scientia tua, o mors? et ubi spina tua? puta stimulus tuus; et Arabicus Antioch. Ubi est causa tua (lis tua, ius tuum) o mors? Et ubi telum (vel gladius) tuum, o inferne?*

Audi S. August. serm. 137. de Tempore, et ex eo S. Moral. Gregor. hom. 22. in Evang. *Ero, ait, mors tua o mors, ero morsus tuus, inferne. Id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit: ex eo enim quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit: quia vero ex inferno partem abstulit, et partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo: Ero mors tua, o mors, ac si aperte dicat: Quia in electis meis te funditus perimo, ero mors tua. Ero morsus tuus inferne, quia sublatis eis, te ex parte transfigo. Celebrant veteres robor, victorias et triumphos Achillis, Hæculis, Samsonis, Alexandri, Iulii Caesaris, et simillium, quibus nemo in hac vita resistere valuit: sed hi omnes a morte victi sunt, et ad inferos descenderunt. Solus Christus dormitor est mortis et inferni. Unde ait ipse Apocal. 1. 18. Habeo claves mortis et inferni. Et c. 20. 13. Mors et infernus dederunt (Christo iudici) mortuos suos. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Itaque in die iudicii mors et infernus in triumphum ducentur a Christo, eiusque currum triumphalem sequentur, iuxta illud Habac. 3. 4. Ante faciem eius ibit mors. Egre dietur diabolus ante pedes eius. Insuper fecit Christus, ut non tantum ipse, sed et omnes eius milites et sequaces infernum et mortem vincant de iisque triumphent.*

Præclare S. Bernard. serm. 26. in Cantic. describens mortem letam et felicem Gerardi fratris sui: *Non, ait, dubium quin ad illos ieris, quos circa medium extremæ noctis tuæ invitabas ad laudem, cum in vultu et voce exultationis subito erupisti in illud Davidicum, stupentibus qui assistebant: Laudate Dominum de caelis, laudate eum in excelsis. Iam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, et insultantem morti: Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, et moriendo cantat. Usurparis ad letitiam mater mæroris, usurparis ad gloriam gloriæ inimica, usurparis ad introitum regni portu inferi, et fovea perditionis ad inventionem salutis, idque ab homine peccatore. Causam subdit: Iuste nimirum, quia tu inique in hominem innocenter et iustum potestatem temerarij usurpasti. Mortua es o mors et perforata hamo, quem incauta glutisti, cuius illa vox est in Propheta: O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Illo inquam hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum latumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat larvalis effigies. Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modo securus, sed et latibundus et laudans.*

Ita S. Vincentius, Laurentius, Sebastianus, aliique Martyres tortoribus, tormentis, et morti per Christi gratiam et robur insultarunt. Ita sancti Confessores, Anachoretæ, Religiosi in morte exultarunt, et etiamnum exultant: quia mortem moriendo superant, et ad beatam immortalitatem transeunt, uti multis demonstrat noster Hieron. Platus l. 1. de Bono status religiosi c. 31. Neque Religiosi tantum, sed et fideles quique. Hinc illæ eorum voces: *Mors Christianis ludus est. Maturus avi est, qui pro Christo potest mori. Vitu mihi in tædio, mors in desiderio. Vita mihi non eripitur, sed in melius commutatur. Nunc mori desino, et vivere incipio.* In hac enim vita propter te, o Domine, mortificamur tota die. S. Cyprianus audiens sententiam mortis: *Gratias, inquit, ago, Deo omnipotenti, qui*



me a vinculis huius corporis dignatur absolvere. Idem epist. I. ad Cornelium, laudans eius et populi Rom. in fidei confessione constantiam: *Intellexit adversarius, ait, milites Christi vinei non posse, mori posse, et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent.* Num ut ait S. Bernard. tract. de Natura et dignitate divini amoris cap. 15. *Hunc transitum ad vitam miseri infideles mortem appellant, si delis aulem quid, nisi Pascha? quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo: ingreditur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

Denique ex hoc loco, et ex I. Petr. 3. v. 19. ubi dicitur Christus prædicasse inferis, Origenes, et nonnulli alii opinati sunt, Christum aliquando omnes damnatos ex inferno liberaturum, ac consequenter omnes damnatos aliquando salvandos. Ita censuit Marcion, Christum in suo ad inferos descensu omnes animas damnatas liberasse, uti referunt Iren. I. 1. e. 29. et Epiph. hæ. 24. Sic multi putant animam Traiani Imp. precibus S. Gregorii ex inferno fuisse liberatam. Et in nonnullis Patrum historiis (teste Niceta in orat. 42. Nazianzeni) refertur Platonem apparuisse euidam Christiano, qui ei sæpe maledicebat, ac dixisse: *Ego quidem peccatorem me esse non inficior; verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit.* Verum hæc apocrypha sunt fabulosa et hæretica, uti docet Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 8. Suarez 3. p. q. 52. art. 8. disp. 33. sect. 3. et alii.

Christus ergo descendens ad inferos, solum Patres e limbo, et animas purgatas, vel purgantes e Purgatorio liberavit. Pie enim multi censent, Christum triumphatorem in suo descensu ad inferos, omnibus in Purgatorio existentibus dedisse iubilæum, et primas indulgentias, nimirum plenariam culparum ac peccatorum remissionem. Sic enim solent reges cum alicubi inangurantur, reos omnes e carceribus liberare. Hoc enim decet beneficentiam et magnificentiam novi principis, ut felix sit regni auspiciam, atque opinionem elementæ sibi conciliet. Unde S. Greg. I. 13. Moral. 20. asserit Christum descendendo ad inferos liberasse omnes electos. Et S. August. ser. 137. de Temp. *De electis suis, inquit, nullum apud inferos reliquit.* Et S. Anselm. in Elucidario: *Omnes absolvit, et in gloriam duxit rex gloriæ, iuxta illud Isaia 49. 9. Dices his qui vinculi sunt: Exite; et his qui in tenebris sunt: Relevamini.* Huc quoque inclinat Marsil. in 3. qu. 13. art. 2. dub. 3. Maior in 3. dist. 22. Gabriel ibid. dub. ult. Dom. Soto in 4. dist. 43. qu. 1. art. 1. Gerson Alphabeto 83. lit. F. dicens, Christum forte Purgatorium evacuasse: licet D. Thom. 3. p. qu. 52. art. 8. et ibid. Suarez, suspiciantur Christum non omnes Purgatorio liberasse, sed aliquibus tantum hanc gratiam indulsisse, nimirum illis solis, qui ad illam magis dispositi erant, v. g. qui singularem aliquam perfectionem fidei ac devotionis erga Christum, vel passionem, aut gloriam eius habuerant, dum viverent. Durius est quod censent Durand. in 3. d. 22. q. 4. Richard. ibid. a. 3. q. 2. Abul. paradoxo 5. c. 118. Christum nil penitus indulsisse animabus Purgatorii, sed tantum illas liberasse, quæ iam omne debitum pænæ exolverant.

Mystice, S. August. lib. 83. quæst. qu. 70. et epist. 57. ad Dardanum, pro mortem accipit concupiscentiam, si ve fomitem peccati: hæc enim concupiscit et contendit contra spiritum: hanc enim mortem, inquit ipse, peccato meruimus. Hæc mors et contentio auferetur in resurrectione et gloria cælesti: nulla enim erit contentio inter carnem et spiritum, eum mortale hoc induerit immortalitatem: *Mortem, inquit, significari arbitror hoc loco carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum. Non enim diceretur: Ubi est contentio tua: si non restitisset et repugnasset. Ipsius contentio etiam illo loco describitur: Curo concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem resistunt et adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Fit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnis carnalis appetitus spiritui nostro illuminato et vivificato, id est, bonæ voluntati subiciatur. Hanc autem mortem meruimus.* Et mox: *Ergo aculeus*

**A** mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio, quæ iam possit resistere bonæ voluntati, et cum dolore cohiberi: quom delectationem, quia in defectu est animæ delectationis effecta, iure mortem vocamus. Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfectam delectatione spiritualium delectatio cui natis obruitur.

**CONSOLATIO ABSCONDATA EST** (hebr. *abscondit se*) **AB OCVLIS MEIS.**) Ita Hebr. Septuag. et alii passim. Perperam ergo Chald. et Theodor. vertunt, *ab oculis ipsorum*, puta Israelitarum eum exseindetur, q. d. Aulæram ab illis omnem consolationem, auferendo meam presentiam et maiestatem, et consequenter omne bonum ab eis. Iam *abscondita est*, id est, brevi certoque abscondetur.

Rursum pro *consolatio*, hebr. est **נחם** *noelam*, quod tria significat, consolationem, commiserationem, et penitentiam. *Consolationem* vertit Noster et Septuag. ac recentiores, ut R. David, et ex eo Leo Hebr. Pagnin. et Arias vertunt, *penitentiam*, q. d. Abscondetur, id est, non veniet in conspectum meum penitudo, hoc est, non mutabo sententiam meam de Israelis excidio penitentia ductus, ut sæpe haec feci, sed sine ulla commiseratione certo et obfirmate eum disperdam. Verum quomodo hæc coherent cum consolatione summa quæ præcessit, *Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero, inferne?* Rursum hæc ad Christum spectant, non ad Israel, uti paulo ante demonstravi.

Dico ergo, sensus est quem dat S. Hieron. *Dum video et considero, inquit, durum mortis necessitatem (eo quod nullus sit hominum qui vivat, et non moriatur) non valeo consolari: quidquid mente concepero, dolorem meum non potest mitigare, eernentis charissima inter se nomina morte sciungi: ipse, inquit, infernus inter fratres dividit, q. d. Dum contempler omnes homines mori et ad infernum descendere, dum video mortem omnia depasci, et fratres a fratribus separare, valde contristor: sed me consolor, dum ad Christum mortis domitorem oculos reflecto. Ille enim id quod promisit, *Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero, inferne*; sine dubio reipsa præstabit. Huc accedit Lyranus, qui hanc accipit quasi vocem a morte per Christum suscitandorum, sed anxiorum, eo quod nesciant suam sortem, an seilicet in die iudicii inter electos ad dexteram, an inter reprobos ad sinistram collocandi sint, donec Christus iudex inter fratres dividat, et enique suam sortem, locam et mercedem pro meritis attribuat. Hæc expositio hoiæ loco congrua est, et apposta.*

**QUIA IPSE INTER FRATRES DIVIDET.**) *Ipsæ, scilicet infernus, non captivitatibus Assyriacæ, ut vult Theodoretus et Arias, q. d. Quia Ephraim fecit schisma, et divisit se a fratribus, puta a duabus tribubus, ideo adducit Deus ventum urentem, puta Salmanasar, qui cum in captivitate dividat et dispergat; sed infernus proprie dictus: hic enim dividit fratres vivos a mortuis, quos absorbet: ipsos etiam mortuos dividit, dum unus hoc loco, alius alio in inferno pro operum diversitate collocatur. Ita S. Hieron. et Haymo. Aliter Lyran. Ipse, inquit, scilicet Christus, dividet in iudicio homines iustos ab iniustis, puta electos a reprobis.*

Nota. Pro *dividet*, uti vertunt Noster et Sept. legentes in Hebr. **יִפְרִיד** *iaphrid*, iam in Hebræo legitur **יִפְרִיא** *iaphri*, id est multiplicabit, crescet, fructificabit: unde deducitur nomen Ephraim, id est, frugifer, crescens, multiplicans. Inde enim Ioseph filium sibi natum vocavit Ephraim, dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, puta in Ægypto, in qua fuit incarceratus, pauper et miser, Gen. 41. 52. Quam nomenclaturam confirmans et extendens Iacob, pater Ioseph, benedicens Ephraim dixit: *Semen illius crescat in gentes*, Genes. 48. 49. Alludit ergo *iaphri* ad Ephraim, de quo est sermo, q. d. Ephraim iuxta etymon suum erat Ephraim, id est, frugifer: crevit enim et germinavit in multam sobolem, iuxta benedictiones avi sui Iacob, quamdiu in cultu et lege Dei stetit: at quia iam ab eo descivit, adducam ventum urentem, qui omnia hæc eius germina arefaciat. Ita

Christus in limbo primum dedit iubilæum.

Moral mors est concupiscentia.

vers. 15.

Clarius et Pagnin. Aut, ut Chald. *Quia*, inquit, *multiplicaverunt opera corrupta, ideo adducam regem fortem*, puta Salmanasar, qui eos puniat et perdat. Melius Vatabl. et alii hoc de Christo accipiunt, q. d. Christus est Ephraim, qui *iaphri*, id est, multiplicabit electos suos in die iudicii, tum numero tum gloria; uti in hac vita multiplicavit eos gratia, meritis et virtutibus. Optime de inferno accipias, hunc enim demonstrat pronomen *ipse*, q. d. Quia infernus in immensum erevit, itaque dilatavit os suum, ut maiorem hominum partem absorpserit, ideirco adducet urentem ventum Dominus, etc.

ADDUCET URENTEM VENTUM DOMINUS.) Per *ventum urentem* Theodor. accipit Cyrum, Arias et Clarius Salmanasar; hic enim Israelitarum, ille Babyloniorum terram, venasque opum omniaque desiderabilia et pretiosa quasi ventus urens siccauit, perdidit et rapuit.

Verum dico, *ventum urentem* esse Christum, q. d. Quia infernus fratres a fratribus divisit, ideirco Deus pater Christum quasi Austrum urentem in orbem induxit, cum eum de ineulto huius mundi deserto. æque ac de inarato B. Virginis utero, quasi de deserto suscitavit, ut venas mortis, puta peccata quibus ad mortem et infernum, quasi ad communem pleumque malorum fontem tendimus, siccaret et aboleret, ipsumque fontem, puta mortem et infernum, desolaret, ac diriperet animas SS. Patrum et Sauctorum, quas mors et infernus, ut supellectilem ma-

Axime pretiosam et desiderabilem, in thesauris suis habebat et arete retinebat. Ita S. Cyrill. Hieron. Rupert. Haymo et alii.

Rursum non ineongrue Lyran. et Vatabl. per *ventum urentem* accipiunt iguem conflagrationis mundi, quem Christus quasi administrum præmittet, ut omnes mortis et inferni venas, puta peccata et peccatores, omnemque mundi concupiscentiam perdat et comburat. Hic enim ignis admistum habebit ventum, quo propelletur per omnes mundi partes, ut universa quaquaversum consumat. Ad Christum enim hæc omnia spectant, ad eum enim avolare cepit v. 14. de eoque loqui pergit usque ad finem capitis. Hisce enim omnibus describit Christi de morte et inferno victoriam, spolia et triumphum, ita tamen ut alludat ad Cyri, vel Salmanasar victorias, spolia et triumphos. Sicut enim hi impios perdidit, ita et Christus: et sicut Cyrus pios Babylone, ita Christus credentes in se a morte et inferno liberavit. Quare accommodatitium est non litterale, quod S. Hippolytus Episcop. et Martyr tract. de Consummat. mundi initio, per ventum hunc urentem intelligit Antichristum: *Ecquis*, ait, *alius ventus urentis a deserto, quam Antichristus, qui temporibus suis delicturus est et desiccaturus venas aquarum, et fructus arborum, propterea quod homines amplexuri sunt opera eius? Itaque delebit eos, ipsique servient in impuritate ipsius.*

## CAPUT DECIMUMQUARTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Prædicat Samariæ excidium, eo quod toti Israeli fuerit dux idololatriæ. Hortatur ad pœnitentiam, eique formulam pœnitentiæ, confessionis et deprecationis præscribit, qua postea usi sunt Israelitæ conversi ad Christum, quibus proinde v. 5. veniam omnemque Dei gratiam et benedictionem pollicetur, quam variis promissis et parabolis explicat et exaggerat: versu enim 5. avolat ad Christum, indeque usque ad finem capitis felicitatem Israelis, id est, populi fidelis et Christiani, ample fuseque describit.*

1. **P**EREAT Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et fœtæ eius discendantur. 2. Convertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua. 3. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum: et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: et reddemus vitulos labiorum nostrorum. 4. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: Dii nostri opera manuum nostrarum: quia eius, qui in te est, misereberis pupilli. 5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee; quia aversus est furor meus ab eis. 6. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilius, et erumpet radix eius ut Libani. 7. Ibunt rami eius, et erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani. 8. Convertentur sedentes in umbra eius: vivent tritico, et germinabunt quasi vinea: memoriale eius sicut vinum Libani. 9. Ephraim quid mihi ultra idola? ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem: ex me fructus tuus inventus est. 10. Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et iusti ambulabunt in eis: prævaricatores vero corruent in eis.

Vers. 1. **P**EREAT SAMARIA.) *To pereat* potest proprie accipi ut optativum, quasi Propheta conformans se voluntati Dei vindicis, ex zelo iustitiæ iustæque vindictæ, ad sarcijendum Dei honorem a Samaria violatum, optet ut ipsa dispareat. Melius tamen accipias optativum pro futuro, scilicet *percat* pro *peribit*, ut sit propheticum: ita Hebr. et Septuag. Sic et alibi optationes extremorum malorum in viris sanctis, pro prophetiis et prædictionibus eorumdem accipiuntur, ut psalm. 68. 29. *Deleantur*, id est, delebuntur, *de libro viventium, et cum iustis non scribantur*, id est, non scribentur. Sensus ergo est, q. d. Prima peccavit Samaria inducendo vitulos aureos, prima ergo et ultima puniatur: prima in suis contribulibus, quos videbit ab Assyriis iugulari et vastari; postrema in seipsa, cum ab iisdem ipsa eiusque populus iugulabitur et vastabitur, itaque disperibit.

Pro *percat* hebr. est **עָוָה** *tesciam*, quod et desolari sive perire, et peccare significat, quia sæpe peccatum est causa desolationis et perditionis. Unde Chald. vertit, *peccati rea est Samaria*; Leo Hebr. et Pagnin. delinquet, vel peccabit, id est, peccavit, Samaria. Utrumque sensum nexuit Symmach. dum vertit, *pœnilebit*, id est, pœnam pec-

cati luet Samaria, ideoque proprie pœnitebit eam peccati, sed sero.

QUONIAM AD AMARITUDINEM CONCITAVIT (Leo Hebr. *exacerbavit*) DEUM SUUM.) Septuag. *οτι αυτεστη ενος τον εεου, quia restitit contra Deum*. Mira ergo est peccati acerbitas, utpote quæ Deum benignissimum et dulcissimum amarieet et exacerbet.

PARVULI EORUM ELIDANTUR.) Id est, elidentur, ut habent Hebr. puta ad saxa et muros, itaque occiduntur.

ET FOETÆ, id est, matres gravidæ et prægnantes. Ita Hebr. Septuag. et Chald. **EIS DISCENDANTUR.**) Iu est, discendantur una cum fœtu quem utero gestant. Utrumque notat extremam iram, furorem et sævitiam barbaram hostium Assyriorum, ac consequenter gravissimum scelus Samariæ, quod hanc in se Dei iram concitavit. Quocirca Elisæus prædicens Azaeli quod futurus esset rex Syriæ, quodque parvulos Israelis elideret, et prægnantes divideret, conturbatus est usque ad suffusionem vultus et flevit, 4. Reg. 8. v. 14. Ita accidisse re ipsa Samariæ certum est ex hoc oraculo, etiamsi in libris Regum id non narretur.

CONVERTERE ISRAEL AD DOMINUM.) Nota hic alternan-

tes Dei et Prophetæ affectus. A nimis enim subito trans-  
eunt ad blanditias, ut ostendant pietatem et elementiam  
Dei, quæ minatur non ut perdat, sed ut corrigat, salvet  
et ad se reducat Israellem.

Moral. de  
plena ad  
Deum conver-  
sione.

Moral. Nota hic veram et plenam conversionem esse,  
qua mens a venere, vino, aliisque cupediis, quas prius ad-  
amabat, aversa, tota convertitur ad Deum, illique tota  
copulatur et adheret: Conversio, ait Albert. et ex eo Sanchez  
hic, est mutatio situs, ut quæ sinistra sunt, dextra  
fiant; et contra sinistra, quæ dextra fuerant; quæ ante-  
riora, posteriora; quæ superiora, inferiora. Ad quem lo-  
cum et gradum nisi pervenerit qui sibi in pœnitentiæ no-  
mine gratulatur, sane ad Dominum usque non perveniet.  
Avarus dextras, anteriores et superiores habuit opes ter-  
renas et caducas; sinistras, posteriores et inferiores ha-  
buit opes spirituales et ælestes: necesse est ut harum si-  
tum et ordinem convertat, si Deo perplacere velit, ut scilicet  
ad dextram, ante et superiori loco constituat opes  
ælestes; ad sinistram vero posterius et inferiori loco ter-  
restres. Unde S. Gregor. in l. 1. Reg. c. 7. lib. 3. *Perfe-  
cte*, inquit, *convertitur, qui quod semel prave egerat, plan-  
git; quod rursus plangat, ultra non repetit.* Et S. Aug.  
serm. 3. in Domin. 1. Quadrag. docet illum non esse con-  
versum, qui priorum vulnerum cicatrices aperit et resau-  
ciat. Idem lib. 8. de Gen. ad liter. c. 12. *Tota*, ait, *ho-  
minis actio bona est, converti ad eum a quo factus est, et  
ab eo iustus, pius, sapiens, beatusque semper fieri, non fieri  
et recedere, sicut a corporis medico sanari et abire.* Cum  
enim quis sanatus est, recedit a medico, et manet sanus:  
cum vero quis a peccato sanatur, et convertitur ad Deum,  
debet semper illi adhærere, ac dicere: *Mihi autem adhæ-  
rere Deo bonum est: quia eius præsentia iustificatur, et  
illuminatur, et beatificatur, operante et eustodiente Deo,  
dum obedienti subiectoque dominatur, etc. eo autem ab-  
sente, continuo tenebratur.* S. Bernard. ser. 1. de S. Paulo,  
cum statuit exemplar perfectæ conversionis. *Hæc plane  
fratres*, ait, *perfectæ conversionis est forma. Paratum,  
inquit, cor meum Deus, paratum cor meum. Domine quid  
me vis facere? O verbum breve, sed plenum, sed vivum,  
sed efficax, sed dignum omni acceptione! Quam pauci in-  
veniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita  
abiecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium  
habeant, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, di-  
centes sine intermissione: Domine quid me vis facere? etc.  
Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam a te, sed  
a me tuam querri et fieri voluntatem.*

COBRUISTI IN INIQUITATE TUA.) q. d. Per et propter  
iniquitatem tuam corruisti in tot ærumnas.

Vers. 5.

TOLLITE VOBISCUM VERBA, scilicet mollia et lacrymo-  
sa, æque ac pia et sancta, quasi dona et munera gratis-  
sima, quæ Dei irati et exacerbati cor mulceant, ieniant  
et ad misericordiam inflectant, puta verba humilitatis,  
pœnitentiæ, confessionis, deprecationis et laudis Dei, ni-  
mirum DICITE EI: OMNEM AUFER INIQUITATEM.) Pœni-  
tet nos peccasse, condona ergo, et condonando aufer, quæ-  
sumus, iniquitatem nostram.

ET ACCIPE BONUM.) Tam animum nostrum, quam ver-  
bum, q. d. Accipe cor nostrum contritum, accipe bonum  
pœnitentiæ et deprecationis nostræ.

Secundo, accipe bonum, id est, effice ut malitia et ini-  
quitate nostra sublata, per te bono gratiæ tuæ cum vita  
et salute donemur, ut sic deinceps bona nostra tum ope-  
ra, tum sacrificia, nosque totos quasi tibi deditos, tuosque  
in gratiarum actionem accipias. Unde Chald. vertit *accipe  
nos iam bonos*, et tibi devotos, simul et bona opesque  
quas tacite a te petimus, ut ea tibi reddamus, tuque ea a  
nobis in sacrificium, vel oblationem eucharisticam acci-  
pias. Accipe ergo, id est, da bonum, quod vicissim a no-  
bis accipias. Est metalepsis: ad blandiendum enim arti-  
ficiosi mendici dicunt, Accipe, non Da, q. d. Da non tam  
nobis, quam tibi: quia nos illud tibi reddemus, tuque il-  
lud rursus a nobis in oblationem et gratiarum actionem  
accipies. Simili schemate dicitur psalm. 67. 19. *Ascendi-  
sti in altum, etc. accepisti dona in hominibus, ucepisti,*

A id est, *dedisti*, mittens Spiritum sanctum, eiusque dona  
in Apostolos in Pentecoste, rursus ab eis illa accepturus  
per laudem et eucharistiam, uti explicat Apostolus Ep-  
phes. 4. 8. Vide ibi dicta. Est ergo antithesis, q. d. *Au-  
fer iniquitatem*, et pro ea *accipe bonum*, id est, confer  
gratiam, da iustitiam. Rursus aufer iniquitates, pœnas,  
et mala ob eas nobis indicta, vel infligenda, et pro eis  
confer bonum, puta tuum favorem, beneficentiam, omnia-  
que bona, tum corporalia, tum spiritualia, quæ tuis a-  
micis conferre soles, uti patribus nostris nobisque olim,  
dum te coleremus, ea contulisti.

ET REDDEMUS VITULOS LABIORUM NOSTRORUM.) Hic  
explicat quod dixit, *Accipe bonum*: bonum enim hoc, aut  
boni huius effectus et fructus sunt vituli, id est, hostiæ,  
*labiorum*, puta Dei laudes et gratiarum actiones, quas  
pro venia bonisque a te acceptis, labiis nostris tibi offere-  
mus loco vitulorum. Ita S. Hieron. Chald. Vatabl. Arias  
et alii, vel, ut alii, reddemus tibi vitulos, quos tibi labiis  
nostris voximus et oblaturos promisimus. Ridicule hæc  
accipiunt Iudæi, q. d. Cum ob vastatum templum non  
possimus Deo offerre vitulos veros et reales, offerimus ei  
vitulos labiales, puta lectionem Levitici de sacrificiis in  
Synagogy, itaque satisfacimus Deo et legi, uti prædixit  
Osee. Septuag. vertunt, *fructus labiorum*. Hebr. enim  
**פריים**, si punctes **פריים** *parim*, significat vitulos; si **פריים**  
*periim*, significat fructus. Huc allusit Apost. Hebr. 13.  
15. cum ait: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis  
semper Deo, id est, fructus labiorum confitentium nomini  
eius*; vox enim, *id est*, significat eum alio, scilicet huc,  
alludere. Præscribit hic Propheta Israeli, et cuius pœni-  
tenti formulam confessionis, pœnitentiæ et deprecationis,  
nimirum, ut dicant Deo, primo, *Omni aufer iniquita-  
tem*; secundo, *Accipe bonum*; tertio, *Reddemus Vitulos  
labiorum nostrorum*; quarto, *Assur*, etc. Hæc utamur in  
culpæ et cladibus tum privatis, tum publicis. Unde S.  
Ambr. epist. 28. ad Theodosium, per vitulos labiorum ac-  
cipit confessionem peccatorum. *Erant*, inquit, *tunc* (tem-  
pore Davidis) *sacrificia pro delictis: hæc nunc sunt sa-  
crificia pœnitentiæ*, qua quasi cultro occidimus priores ini-  
quitates et cupiditates, hominemque veterem eum do-  
tore et pudore, ut novus homo incipiat vivere Deo, legi  
et virtuti.

ASSUR NON SALVABIT NOS.) q. d. Post hæc non con-  
fidemus Assyriorum potentia, nec equitati et equis Gen-  
tium, præsertim Ægyptiorum, uti haecenus fecimus, I-  
saia 31. 1. Spem salutis non in hominibus, nec in Gen-  
tibus, sed in te Domine collocabimus. Ita S. Hieron. Cy-  
rill. Chald. et alii. Ægyptii enim valebant equorum copia  
et robore: unde ex Ægypto equos accipit Salomon, 2. Pa-  
ral. 1. 16. Porro equitatus et equorum copia vitia fuit  
Iudæis, eorumque regibus Deut. 17. 16. tum ne illis præ-  
fiderent et superbirent, tum ne equorum emendorum cau-  
sa in Ægyptum redirent, itaque sensim in Ægyptiorum  
idololatriam et vitia relaberentur: vide dicta Deut. 17. et  
Isaia 2. 8.

QUIA EIUS, QUI IN TE EST, MISEREBERIS PUPILLI.) q.  
d. Misereberis, o Domine, Israelis, qui quasi sine patre  
et matre, ac ab omnibus derelictus, quasi pupillus *est in  
te*, id est, tuus est, ac tuæ curæ relictus et creditus, ideo-  
que in te uno omnes spes suas reponit: *Tibi enim dere-  
lictus est pauper, orphanus tu eris adiutor.* Sic 1. Petri 5.  
2. dicitur: *Pascite qui in vobis est*, id est, qui vobis ere-  
ditus, et vestræ quasi pastorum curæ commissus est *gre-  
gem Domini.* Ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. et alii.

Secundo, pupillus *est in te*, o Domine, per memoriam,  
miserationem et curam: sicut enim obiectum amatum est  
in amante per amorem, ita miser, v. g. pupillus, est in  
Deo miserante per misericordiam. Hebræa enim habent:  
*Quia in te est miseratio pupilli*; Sept. *in te misereberis pu-  
pilli*, q. d. In te tuisque visceribus, o Domine, intimam  
et visceralem compassionem, miseracionem et misericor-  
diam habet pupillus: hoc enim significat **יְרַחֵם יְהוָה**  
*ierucham iatom.* Hæc ergo est ingens consolatio pupillo-  
rum et miserorum, quod in Deo, Deique memoria, mise-

Vers. 4.

ratione et providentia, quasi in Dei visceribus sint, in eaque securi vivat et habitent, iuxta illud psalm. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei exli commorabitur.* Huc usque formula præcationis Israelis pœnitentis. Huc occurrit benignus Dominus ac respondet:

Vers. 5. **SANABO CONTRITIONES EORUM.**) Hebr. **קִשְׁבוֹתַי** *meschinbatam*, id est, aversionem eorum, puta apostasiam qua a me ad idola desciverunt: *Sanabo*, inquam, eum pœnitebunt, dicentque, *Omnem aufer iniquitatem*, etc. uti præcessit: quod fiet umbratice et typice, eum e captivitate dimittentur per Cyrum, inquit Rufinus; plane vero et plene fiet per Christum, q. d. Per Christum evangelizantem sanare incipiam, et sub finem mundi per eum dem indicantem et beantem perfecte sanabo contritiones, id est, vulnera, Israelitarum, quæ ex contritione vel confractione fieri solent, vulnera, inquam, animæ puta aversionem a Christo et Deo. Faciam enim ut videant suas ærumnas esse pœnas aversionis suæ a me, indeque pœnitentes convertantur ad me, Christumque meum Salvatorem et Messiam suum agnoseant. Sequentia enim sublimiora sunt quam ut Cyro convenient. Ergo ad Christum transit hic de more Propheta, suaque oracula concludit læto de Christo eiusque redemptione nuncio. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Vatabl. et alij passim. *Diligam eos spontaneæ*, puta sine eorum meritis, gratuite et ex mera benevolentia; hebr. est **נְדָבָה** *nedaba*, id est, animo liberali, regio, magnifico. Unde Leo Hebr. vertit *liberalissime*.

Vers. 6. **ERO QUASI ROS ISRAEL, etc.**) Syrus, *ero quasi ros Israel, et germinabit quasi lilium*; Arabicus uterque, *ero quasi ros Israeli, germinabit autem ut rosa*, q. d. Sicut ros herbas leniter humectat et fecundat, ita ego lege, doctrina et gratia mea suaviter irrorans Israeli, eum virtutibus et bonis operibus fecundabo. Ita S. Hieron. Theodor. et Vatabl. Hinc Ægyptii, ait Horus Apollo l. f. hierogl. 35. doctrinam indicantes cælum pingebant rorem fundens, inuuentes quod, sicut ros mollit herbas non saxa, sic doctrina molliat et imbuat dociles, non stupidos, duros et indoctos.

Secundo, q. d. Sicut ros e cælo in terram noctu occulte descendit, ita ego Christus, qui sum filius Dei, e cælo in uterum Virginitatis Israeliticæ occulte descendam, ex eaque carnem assumam, ut Israelem salvem: perinde ac ros in vellus Gedeonis descendit, significans Gedeonem liberaturum Israelitas de oppressionem Madianitarum, Ind. 6. 37. Hoc est quod ait Isaias cap. 43. 8. *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum: aperiat terra, et germinet salvatorem.* Ita Rupert. Lyran. et veteres Rabbinum apud Galatin. l. 3. cap. 17. et l. 9. cap. 11. Cur Christus comparetur rori et irrorationi, varias rationes et analogias assignavi Isaiæ 43. 8.

Tertio, aliqui per rorem accipiunt Eucharistiam, in quam Christus silenter et latenter instar roris illabitur, germinatque lilia virginitalis, de quibus mox; præsertim quia manna, quod fuit expressus typus Eucharistiæ, erat quasi ros coneretus et congelatus; imo Hebræi tradunt eum manna depluisse rorem, qui manna tegetet, sicut species panis in Eucharistia tegunt velantque corpus Christi, de quo plura dixi Exodi 16. v. 13. et sequent. Est ergo hic proportio analogica primi ad secundum, qualis est tertii ad quartum. Sicut enim se habet ros ad terram cui illabitur, eam fecundando, sic se habet divinitas, sive Verbum ad humanitatem tum Christi, cui per gratiam unionis hypostaticæ; tum nostram, cui per gratiam creatam et Eucharistiam illabitur, eam omnibus donis et bonis operibus fecundans.

Moral. fidelis est lilium ob septem analogias. **GERMINABIT, LEO** Hebr. *florebit, sicut lilium.*) q. d. Israel rore gratiæ meæ irroratus, ereseet et florebit ut lilium: Primo, amplitudine et propagine. Sicut enim lilium mirifice creseit, seque propagat: ita Israel, id est, populus fidelis, per Christum et Apostolos toto orbe propagatus est. Secundo, eandem castitatis et puritatis vitæ. Tertio, odore et fragrantia bonæ famæ. Ita Cyrill. et Theophyl. Lilium, inquit, odoris fragrantiam habet, magnitudinem

**A** non habet, q. d. Sic vir doctus et sanctus quo humilior est, eo maiorem virtutis et sapientiæ exhalat fragrantiam. Quarto, admirabili splendore virtutum; nam, ut ait Theodor. *admirationem concitat lili splendor*; et Theophyl. *Cum, ait, in Ecclesia videris aliquem bene vivere, et luce virtutum coram hominibus splendere, illum vocato lilium.* Quinto, sicut lilium folia sursum erigit, etiam inter nimbos et grandines; ita Israel, id est, sanctus, cor in cælum ad Deum erectum habet tam in adversis, quam in prosperis. Ita Hebræi apud Galat. l. 3. c. 17. Israel ergo, id est fidelis et iustus, similis est Christo, qui, ut ait S. Hieron. Cant. 2. 1. *Ego flos campi, et lilium convallium: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sicut enim Christus in mundi huius campo quasi lilium æstibus et imbribus laborum, persecutionum et dolorum, in medio spinarum, id est, Iudæorum, expositus fuit, inquit S. Ambr. libr. de Instit. virg. c. 14. ita et iustus. Sexto, lilium symbolum est spei. Hinc in Rom. Imper. nummis ab altera parte visitur Deus, dextera lilium protendens, eum hac inscriptione, *spes publica*, vel *spes Augusta*, vel *spes P. R.* teste Pierio hierogl. 55. Unde et Virgil. significans spem de Marcello conceptam, sic de eo canit 6. Æneid.

*Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos.  
In tantum spe tollet avos.*

Et mox:

*Tu Marcellus erit: manibus date lilia plenis.*

**B** Sicut enim lilium convallium expositum est radiis solis corporei, ab iisque expectat et haurit spiritum, vitam, decorem, et omne bonum; illis enim vegetatur et vivificatur: ita et vir bonus, præsertim si sit excellens, radiis divinæ providentiæ iugiter irradiatur, iisque alitur et augetur; ideo ab iis omne bonum sperat, et postulat. Septimo, Gregor. Nyssenus homil. 4. in Cant. et S. Ambr. lib. 1. de Virginit. *Lilium*, inquit, *inter spinas significat castitatem et virtutem spiritalium nequitiarum sentibus obideri; unde nemo fructum referat, nisi qui cautus incedat.* Idem Ambros. lib. 3. de Virginit. explicans illud, *Lilium inter spinas: Nonne, ait, inter asperitates laborum contritionesque animorum boni flos odoris assurgit? quia contrito corde Deus placatur.* Vide S. Bernard. serm. 48. in Cant. ubi inter cætera ait: *O candens lilium, o tener et delicate flos, increduli et subversores sunt tecum; vide quomodo caute ambules. Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt: versari in his, et minime lædi, divinæ potentie est, non virtutis tue.* Idem ser. 70. in Cant. *Quot, ait, virtutes, tot lilia. Hinc Christus se lilium appellavit, quod totus versetur in liliis; et omnia quæ ipsius sunt, lilia sunt: conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula, sacramenta, passio, mors, resurrectio, ascensio; quid horum non candidum, et non suavissime redolens? Porro ortum candidavit incorrupta virginitas matris, conversationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis, sacramenta pietatis arcænum, passionem patiendi voluntas, mortem libertas non moriendi, resurrectionem fortitudo, ascensionem exhibitio promissionum.*

**D** **ET ERUMPET RADIX EIUS UT LIBANI.**) Id est, iaciet Israel et fidelis radices suas ita profundas, ut cedri aliæque arbores Libani, quæ eum sint exelsæ et vastæ, ac ventorum flatibus agitentur, profunde iaciunt radices, nimirum quantum in auras consurgunt vertice, tantum radice in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole diu consistent, ait S. Hieron. q. d. Pari modo Israel in Dei præsidio tutus firmusque per multa, imo omnia sæcula consistet, nec ullo hostium vel adversæ fortunæ vento loco suo dimoveri poterit: ita S. Hier. Vatabl. et Chald. qui ita vertit, *habitabunt in robore terræ suæ, sicut arbor Libani quæ diffundit suam propaginem.*

Secundo, Libanus hebr. significat *thus*. Unde de thure sic explicat Cyrill. *Erit Israel sic tutus et firmus, uti est thuris planta, quæ alte iacit radices: talis est mens credentium, qui non moventur ventorum impulsu.* Talis fuit, et est constantia Martyrum.

Tertio, Sanchez radicem metonymice sumit pro germine e radice pullulante, quomodo Christus vocatur *radix David*, id est, germen e Davide quasi radice prognatum, Isaie 11, et Apoc. 22. Germen enim proprie erumpere dicitur, non radix, quæ sub terra se abscondit. Germen autem hoc Libano familiare esse cedrum, quæ est arbor procerâ et firmâ, ideoque immortalitatis et æternitatis symbolum. Unde Persius: *Et cedro digna locutus*: quin et Plinius lib. 16. 40. cedrum et epressum vocat arbores æternas, eo quod vetustatem et ætatem non sentiant. Sensus ergo erit, q. d. Israel pene emortuus revirescet ut germen cedri, ut eius adinstar in magnam celsitudinem et gloriam, eamque æternam excreseat. Verum primus sensus videtur genuinus. Primo, quia Hebræa et Septuag. habent *mittet*, vel, *proiciet radices suas*: mittere autem vel iacere radices, est profunde eas in terra quaquaversum spargere et firmare. Secundo, quia si radices, proprie accipias, habebis hic causam propriam eius quod sequitur: *Ibunt rami eius; ibunt*, id est, spargent sese longe lateque. Nam quantum arbor deorsum in profundum et latum mittit radices, tantum sursum in altum et latum spargit ramos, iuxta illud Virg. 4. *Aeneid.* de quereu:

*Ipsa hæret scopulis, et quantum vertice ad auras  
Æthereas, tantum radice ad tartaru tendit.*

Tertio, quia ita seipsum in Comment. interpretatur S. Hier. ipse enim est auctor versionis Vulgate. Unde huic sensui non obstat vox *erumpet*, quia radix non tantum in germina, sed et in fibras suas erumpere dicitur: cum enim ipsa quæ prius videbatur arida et emortua, vim vitalem et vegetantem in se latentem foras emittit, et in fibras, quibus se in terra spargat et figat, exerit, erumpere dicitur.

Vers. 7. **IBUNT**, id est, promovebunt se, crescent, diffundent se, **RAMI EIUS.**) Per ramos accipit sobolem et liberos præsertim spirituales, q. d. Israel magnam habebit sobolem filiorum, puta fidelium, quos ad Deum convertet, æque ac virtutum et honorum operum. Unde Chald. vertit, *Israelitæ crescent filiis et filiabus.*

**ET ERIT QUASI OLIVA GLORIA EIUS.**) q. d. Erit Israel fecundus, speciosus et gloriosus instar olivæ frondibus, et fructibus undique circumdatæ et quasi coronatæ, hæc enim est gloria olivæ. Hoc est quod dicitur psal. 127. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.*

Moral  
sanctus  
est olivæ,  
cur?

Nota, Ecclesiam et sanctum quemlibet vocari olivam, ob fecunditatem honorum operum, ob præstantem charitatem, misericordiam, lenitatem, et splendorem virtutum, horum enim symbolum est oleum. Sic de Elia et Henoch dicitur Apoc. 11. 4. *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Et Jerem. 11. 16. de Israele dicitur: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Vide ibi dieta. Addit Martin. de Roa lib. 4. Sing. e. 6. olivam pacis, deditiois et obedientiæ esse symbolum: ramos enim olivæ victoribus prætendunt deditiois, ut fecerunt Iudæi Christo, dum in die palmarum quasi rex, victor et triumphator ingressus est Jerusalem: sicque explicat illud psal. 127. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*, q. d. Filii tui tibi se submittent, eruntque obediētes, atque inter se non rixabuntur; sed concordēs erunt et pacifici quasi olivæ novellæ. Chald. vertit, *splendor eorum sicut splendor candelabri sanctitatis.* Candelabrum enim templi habebat lucernas septem ardentes oleo olivarum.

**ET ODOR EIUS UT LIBANI.**) Per Libanum montem, vel etiam thus accipe: *לבונה* *lebona* enim hebr. vocatur thus; inde mons thure, cedro, pino, aliisque resinosis et odoriferis arboribus abundans, vocatus est Libanus. Hinc Chald. vertit, *Odor eorum velut odor incensi aromatum.* Et Cyrill. *Odor*, inquit, *eius ut thuris, odoris optimi est. Idecirco lex Mosis cum sacravit Deo. Odoratus itaque est fructus electorum et vocatorum.* Et Theoph. *Significatur*, ait, *cum qui seipsum offert Deo mente et spiritu orans, instar Libani fragrantiam suavis odoris habere.*

Vers 8 **CONVERTENTUR SEDENTES IN UMBRA EIUS**) q. d. E captivitate revertentur Israelitæ, ut sedeant plane securi,

**A** stabiles et fortunati in umbra, id est, tutela, Christi: ita Chald. S. Hier. Rupert. Lyran. et alii passim. Pronomen enim *eius*, respicit Christum, ipse enim est dux Israelis, id est, populi fidelis: de Christo enim continuo agit hic Propheta a v. 5. usque ad finem capituli.

Aliter a Castro: *Eius*, inquit, id est, Israelis, q. d. Qui sedent in umbra Israelis, id est, qui se coniungunt Ecclesie et populo fideli, *convertentur* a vita carnali ad Christum, eiusque mores puros et sanctos induent.

Aliter et Arias: *Eius*, inquit, id est, Libani, q. d. Fideles convertentur ut sedeant semper sub umbra Libani, eiusque suavissimo odore recreentur.

**VIVENT TRITICO.**) q. d. Israelitæ, id est, fideles tempore Christi abundabunt annona spirituali, qua affluenter et deliciose pascant recreentque animas; annona, inquam, tum verbi Dei, ut ait Chald. S. Hier. et Theodor. tum Eucharistiae, ut ait Emmanuel. Hæc enim panem celestem, puta corpus Christi vivificum manducandum nobis exhibet sub specie panis triticeo, et sanguinem eiusdem

**B** potandum præbet sub specie vini, de quo hic subditur: *Germinabunt quasi vinea, memoriale eius sicut vinum Libani.* Hoc est *frumentum electorum*, de quo Zachar. 9. 17. et panis vitæ, de quo Christus Ioann. 6. 50. *Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducet non moriatur*; et v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: ita Haymo, Albert. et Lyran. Hinc et Septuag. vertunt, *bibent*, (vel, ut Romani codices Caralæ legunt *vivent*) et *inebriabuntur* (licet Compl. legant *επιβιβασονται*, id est, firmabuntur, vel *confortabuntur*) *tritico*. Triticum enim bibitur in potu ex eo confecto, puta in cerevisia, qua Transalpini ut vino deliciantur et inebriantur. Triticum ergo eis est cibus et potus, æque ac Eucharistia fidelibus.

Unde S. Hier. exponens Septuag. *bibent et inebriabuntur tritico*, hoc est, ait, *rerum omnium abundantia*. Quod autem *ebrietas hic non eversio mentis, sed copiam rerum omnium significet, versiculus ille declarat dicens: Visita-sti terram, et inebriasti eam*, ps. 64. *et Ioseph convivium, in quo inebriasse dicitur fratres suos*, Gen. 43. *Et Dominus loquens ad Apostolos: Comeditis amici mei, et bibite, et inebriamini fratres*, Cant. 5. *Sive quia Dominus noster ipse est frumentum, et vinea, quicumque crediderit in eo, inebriari dicitur. Denique sequitur: Et effloret quasi vinea, memoriale eius sicut vinum Libani.* Eucharistiae ergo effectus unus e multis est, ut ex ea fideles fiant spiritualiter ebrii, iuxta illud psal. 22. *Calix tuus inebrians quam præclarus est!* Et ps. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*; ubi S. Aug. *Hoc calice*, ait, *inebriati erant Martyres, quando ad passionem cunctes suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quam non agnoscere uxorem stentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, ebrii erant. Unde ebrii erant? Videte, acceperunt calicem unde inebriarentur. Idem in ps. 103. ad v. 15. *Et vinum lætificet cor hominis.**

**C** *Videbitur*, inquit, *ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore iustitiæ, videbitur postremo in alienatione mentis vestræ, sed a terrenis in ætium.*

**D** Quin et Rabbini ex hoc similibusque locis agnoscunt, Messiam mutationem quamdam miram in frumento facturum, puta transubstantiationem panis in corpus suum; hocque prædicit ps. 71. 16. *Erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: firmamentum enim idem est, quod panis cor hominis confirmans; nam hebr. est פסת בר *pissat bar*, quod Burgensis vertit, *placenta frumenti*: R. Emauuel, *vola*, id est, manus plena, *frumenti*, proprie *pissat bar* est particula, libum, vel pugillus frumenti. S. Hier. vertit, *erit memoriale triticum*; Chald. *erit substantificus panis*; Ionathan clare, *erit placenta tritici in vertice superdotum*. Denique veteres Rabbini verba hæc Psaltis exponunt de sacrificio panis delicatissimo, tempore Messiae offerendo et comedendo. Leo Hebræus hic pro, *vivent frumento*, vertit, *reviviscunt ut frumenta*; quod Vatab. exponit, q. d. Fideles Christi gratia fortissime ferent afflictiones et persecutiones, iisque quasi vivificabuntur, uti triticum fert frigora hiemis, ex hisque vegetius et copiosius resurgit. Tri-*

bulationes ergo non enecant, sed vivificant fideles, eosque in vita spirituali corroborant, ut magnum in ea faciant incrementum, æque ac fructum in proximis. Unde Arabicus Antioch, vertit, *et vivent et permanebunt sine peccato, et permanebit memoria eius sicut vitis, et sicut ligna (arbores) Libani, quæ sunt Ephraim: quid illi est eum idolis? Et ego qui corrobore eum velut arbores platani uberis, quæ scilicet ramis et frondibus luxuriat; et Arabicus Alexandrinus, et vivent et saturabuntur de tritico, et germinabit quasi vinea, et erit sicut incensum.* Denique de hoc vino quod germinat virgines, æque ac de frumento iuvenum, sive electorum, plura dicam Zachar. 9. 17.

GERMINABUNT QUASI VINEA.) q. d. Fideles latissime, uberrime, felicissime instar vineæ felicis et fertilis propagabunt se ad hanc, non upupæ, sed cyneam Dei vocem et promissionem. Nam upupa, ait Horus Apollo l. 2. hierogl. 88. canens ante tempus vitium, magnam vini bonitatem et copiam prænuñciat. Unde Ægyptii præsigium copię vini significantes, pingebant upupam.

MEMORIALE EIUS, hebr. זכרו *zichro*: id est memoria eius, SICUT VINUM LIBANI.) Ita Syrus, q. d. Memoria et commemoratio Israelis erit gratissima et suavissima, uti erat vinum erescens in Libano. Nam hoc præstantissimum fuisse, æque ac odoratissimum ex afflatu arborum odoratarum, quibus abundabat Libanus, docent Geographi terræ sanctæ. Audi Burehardum in Antilibano: *Antilibanus, ait, distat ab ista civitate (Sidone) per leucam et dimidiam, et ibi habetur vinum delicatissimum, de quo dicit Propheta (Osee hoc loco) Memoriale tuum ut vinum Libani.* Quocirca Arabicus Alexand. vertit, *et erit sicut incensum;* vinum ergo Libani, est vinum incensum, puta odoratum sicut thus, vel incensum: *Libanus*, enim hebr. significat thus vel incensum. Unde R. David ex libro Asaph medici, docet vinum Libani fuisse vinum *eos*, id est, colore, odore, sapore, imo et vi medicæ excelluisse. Certe Byblus urbs est ad Libanum sita, quæ nomen dedit Biblino vino, quod ab Hesiodo, Achæo, Theocrito et aliis celebratur. Denique Patres Societ. nostræ oriundi e Libano, puta Maronitæ, Romæ mihi asseverarunt; vinum Libani etiamnum esse valde generosum et præstant, ideoque vim suam per multos annos conservare. Ad hæc botros et uvas, e quibus exprimitur, esse ingentes, similes illis quas exploratores e terra sancta in veete extulerunt, Num. 13. 14. Idem suadet situs loci: Libanus enim est in regione calida, frugifera, montosa et vitifera. Bacchus enim amat colles calidos. Quocirca Theod. sic explicat: *Israelitæ similiter ut vinum odoratum in Libano cultum, virtutis fragrantiam possidebunt: atque illine manantem bonam existimationem quasi fructum percipient.* Et S. Cyrill. *Talis, inquit, est omnis Christi sermo et doctrina, item vite eius mysteria et Sacramenta, præsertim Eucharistiæ, quæ sub specie panis et vini corpus et sanguinem Christi nobis exhibet. Hæc enim est memoria, et memoriale iuge Christi, de quo Psaltes ps. 110. 4. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, eam dedit timentibus se; et Christus ipse: Hoc facite in meam commemorationem, Matth. 26. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuncietis, ait Paulus 1. Corinth. 11. 26.* Sic de Iosie piissimi regis fama dicitur Eccli. 49. 1. *Memoria Iosie in compositione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulebitur eius memoria, et ut musicæ in convivio vini.*

Aliter aliqui apud S. Hieron. nam per vinum Libani accipiunt vinum thure conditum. Verum hoc insuave est. Aliter et Chald. S. Hieron. et Haymo; nam per vinum Libani accipiunt vinum templi, quod sacrificiis adhibebatur ut libamen, diciturque Libani, quia ex uvis Libani coactum. Unde Chald. vertit, *Erit memoriale bonitatis eorum fructificans et indeficiens, iuxta ac memoria tubarum clangoris super vino veteri, quod libari solet in domo sanctuarii.* Primus sensus uti simplex et planus, ita et germanus est; cui adde alium valde appositum, quem tradit Sanchez, nimirum vinum Libani vocari vinum aromati-

bus Libani conditum, ideoque odoratum. Libanus enim adeo odoratis guttis, herbis et aromatibus abundat, ut pro ipsis odoribus usurpetur. Tale est vinum myrrhatum, foliatum, nardinum. Addit Sanchez, vinum condiri solitum non solum ad suavitatem gustus, et ad salubritatem corporis, sed etiam ad vim odoris et unguenti. Sic vinum in quo spica Cilissa, id est, crocus, incoquitur, pro unguento pretioso spargebatur in theatris. Sic ait Martial, in Amphith. epigr. 3.

*Et Cilices nimbis hic maduere suis.*

Nimbi enim Cilicum sunt vina, quæ sibi odorem ex croci coctione traxerunt. Sensus ergo est, q. d. Israelis nuper apud omnes Gentes exosi, iam ad Deum conversi tam grata erit memoria, eiusque nomen et commemoratio tantam audientibus suavitatem inhalabit, quantam inhalat vinum aromate Libani conditum, sive unguentum fragrantissimum.

EPHRAIM (supple, tot a Christo affectus beneficiis dicit, vers. 9. ut habent Hebræa et Chald.) QUID MIHI ULTRA IDOLA?) quid mihi cum idolis? abeat in malam crucem: mihi deinceps solus Deus pastor et director erit, Christus amor meus. Septuag. vertunt, *Ephraim quid ultra et idolis? Huc alludit Apostolus 2. Corinth. 6. 15. Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli eum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi.*

Aliter S. Hier. et Albert. accipiunt hæc verba, scilicet, non ut Israelis, sed ut Dei, q. d. Quid mihi o Ephraim, obiectas idola? vides esse idola, id est, res umbraticas et vanas; ea ergo desere, me unum sequere et cole.

EGO EXAUDIAM, ET DIRIGAM EUM (Ephraim, sive Israeleem) EGO UT ABIETEM (Arabicus, ut *platanum*) VIRENTEM.) Abies enim semper viret, nec hieme folia amittit, ut docet Plin. lib. 16. 21. q. d. Ut abies arbor enodis, procerâ, semper virens, recta, semper directe in altum ascendit; ita ego Israeleem virtutibus semper virentem dirigam in cælum ad me, et ad vitam beatam: ita Rupert. Abies, inquit Plinius l. 16. 10. *e cunctis amplissima est, et femina etiam prolivior* (est enim abies mas et femina) *materia mollior viliorque, arbore rotundior, folio pinnato densa, ut imbres non transmittat, atque hilarior in totum.* Talis est et Israel, id est, fidelis, quem Deus facit virere semper, densari, et hilarescere gratia et virtutibus: ita S. Hieron.

Sept. pro abies vertunt, *iuniperus*. Hebr. enim יושן *beros*, et abietem, et iuniperum, et eupressum significat, vertunt ergo, *ego sicut iuniperus condensa cooperiens.* Iuniperus enim, ait Cyrill. adeo frondibus densatur, ut nec solis radios, nec imbres, quantumvis vehementes, transmittat: sic et Deus Christusque fidelibus suis in omnitribulatione et tribulatione densam præstat umbram et protectionem: licet enim Virgil. iuniperi umbram vocet gravem, nimirum dormienti sub ea; eadem tamen suavis est et tuta confugiendi, ut imbrem vitæ vel æstum, ait Delrio adagio 965. Addit Theodoret. *Iuniperus, inquit, semper viridis existit, nec putrescit, et coma redimitur aculeata. His ostendit, quod omni studio te curabo, ab omni que pernicie tutum efficiam, et invadentem quasi quibusdam aculeis perterrefaciam.* Aculeos hosee, sive spinas aliter interpretatur Theoph. nimirum Deum esse spinam, quia suis fidelibus, qui secundum Deum cupiunt vivere, imperat vitam asperam, quæ eos pungat et compungat ex consideratione iudicii extremi.

EX ME FRUCTUS TUUS INVENTUS EST.) q. d. Dixi quod faciam te pulchrum et virentem ut abietem; et ne putes te frondosum tantum fore, non fructiferum, uti est abies, addo me insuper fructus bonorum operum, gratiæ et gloriæ tibi daturum. Eris ergo abies frondibus, vitis et oliva fructibus: ita Chald. S. Hieron. Lyran. et alii.

Moraliter, fidelis in verbis et præceptis sanctis sit abies, sed simul in operibus et fructibus sit oliva. Ita Iesus erat potens in opere et sermone. Cur? quia eius verba et dicta erant facta: quod docebat verbo, monstrabat exemplo. Phocion teste Plutarcho in eius vita, dicentes

et docentes bona, sed non facientes, aiebat similes esse cupressis, quæ cum sint sublimes et pulchræ, nullum tamen edunt fructum. Ita hic Osee ait, eos similes esse abieti virenti.

Vers. 10. **QUIS SAPIENS, ET INTELLIGET ISTA?**) Scilicet oracula mea: illa enim profunda et remota sunt a sensu hominum carnalium et impiorum, solisque iustis pervia: ita S. Hieron. et Rupert. Aut potius *ista*, scilicet mysteria et promissa Christi, q. d. Quam pauci erunt Iudæi qui hæc Christi, qui est via, veritas et vita, mysteria credant, sapiant, ament et faciant!

**QUIA RECTÆ SUNT VIE DOMINI**, rectaque ducunt in altum ad Deum rectissimum: unde a solis rectis cognosci terique possunt. Soli enim **IUSTI AMBULABUNT IN EIS**: sed depressæ et curvæ in terras animæ, ac celestium inanes, quales sunt Iudæorum, has sapere et ingredi nequeunt, quin vero impiigent et **CORRUENT IN EIS.**) Præsertim cum detrudentur ruentque in gehennam, eo quod eas agnoscere noluerint, nec per eas ambularint.

Secundo, ex Hebræo sic verti potest cum Leone Hebræo, Vatabl. Lyrano et Aria, *Si quis sapiens est, intelligat ista; si quis prudens, cognoscat ea, quod rectæ sint viæ Domini, et iusti in eis ambulabunt, prævaricatores vero corruent in eis*, q. d. Qui sapiens est, intelligit et videt iusta esse opera et iudicia Domini, tam circa iustos, quam iniustos; dum illos dirigit, fovet et præmiat, hos negligit, reiecit et punit; iustum enim est quidquid a Deo fit. Unde iusti qui soli sapient, ambulant, id est, observant vias Domini, laudantque Deum in omnibus operibus suis: peccatores vero insipientes eas negligunt, spernunt, vituperant, ideoque corruent in eis.

Censet Alcazar ad hæc Osee verba alludere S. Ioan-nem Apocal. 5. 2. ubi ait: *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula eius?* imo censet hunc angelum fortem esse ipsummet Osee, de qua re quid sentiendum sit dixi in præmio.

Moraliter: **Pauci sunt qui viam in cælum, iterque ad beatitudinem cognoscant et capessant.** Merito ingemuit Moses: *Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* Deu-

Moral.  
pauci  
viam in  
cælum  
cogno-  
scunt.

ter. 32. 28. et Christus: *Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi intrans per eam. Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* Matth. 7. 13. *Sequimur ergo Domine Iesu te, per te, ad te; quia tu es via, veritas et vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio,* ait S. Bernard. serm. 2. de Ascensione.

Porro sapientum, puta fidelium, qui Christum sequuntur, felicitatem hic quatuordecim partim promissis, partim phrasibus et parabolis graphice depingit, omnibusque spectandam et amplectendam proponit Propheta. Nam primo, iis promittit v. 5. *Sanabo contritiones eorum*; secundo, *Diligam eos spontaneè*; tertio, *Ero quasi ros*; quarto, *Israel germinabit sicut lilium*; quinto, *Erumpet radix eius ut Libani*; sexto, *Ibunt rami eius*; septimo, *Erit quasi oliva gloria eius*; octavo, *Odor eius erit ut Libani*; nono, *Convertentur sedentes in umbra eius*; decimo, *Vivent tritico*; undecimo, *Germinabunt quasi vinea*; duodecimo, *Memoriale eius sicut vinum Libani*; decimotertio, *Ego exaudiam, et dirigam eum, ego ut abietem virentem*; decimoquarto, *Ex me fructus tuus inventus est.*

O stulti ergo filii Adæ, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? ut quid instar chamæleontis aere et aura inani vos pascitis? o stolidi, ut quid caduca solidis, exilia immensis, terrena caelestibus, humana divinis, momentanea æternis anteponitis? ut quid creaturam Creatori, amasiam Christo, Mammonam Deo antefertis? ut quid vilissima, brevissima et fœdissima voluptate sempiternos gehennæ ignes, dolores et angores emitis? Pœnitebit vos, et in æternum pœnitebit; sed sero et frustra. Sapite dum licet, operamini dum lux est, capessite gratiam dum offertur; ne cum fatuis virginibus in morte eam cum lacrymis requiratis, nec inveniatis; ne cum iis nuptiis caelestibus exclusi, audiat a Christo: *Nescio vos. Suspicite in cælum*, despiciate in tartara, Deum vindicem cogitate, vivite

**ÆTERNITATI.**

*Appende mille annos contra Æternitatem, imo millia millium, quid appendis cum infinito quantumcumque finitum?* ait S. August. in psal. 36.



## COMMENTARIA

IN

## IOELEM PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

**I**OEEL, ait Epiphan. lib. de Vita et obitu Prophet. natus est in agro Bethor, de tribu Ruben; sic et Dorotheus in vita Ioelis, nisi quod agrum nuncupat Bethomeron in Ruben. R. Salomon putat Ioelem fuisse filium Samuelis Prophetæ, qui unxit Davidem in regem; eo quod eius filius vocetur Ioel a Iosepho 6. Antiq. 3. Sed alius est iste Ioel a nostro: noster enim eo longe posterior fuit tempore, ut mox patebit. Censent nonnulli Ioelem, æque ac Osee, prophetasse tam contra decem, quam contra duas tribus, puta tam contra Samariam, quam contra Iudam. Ita S. Hier. ex sententia Hebræorum epist. 103. ad Paulinum: *Ioel, ait, filius Phatuel describit terram duodecim (licet Albertus legat duarum) tribuum eruca, bruchus, locusta, rubigine vastante corruptam, et post eversionem prioris populi effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in caenaculo Sion: ita et Theod. Remigius, R. Salomon. Lyran. Vatabl. et alii recentiores Hebræi, qui putant Ioelem vixisse, et prophetasse eum Elisæo sub Ioram rege, ideoque e. 1. prophetare famem, quæ illo tempore tam Samariam quam Iudam afflixit, ut patet 4. Reg. 6. 25.*

Ioel prophetat soli Iuda.

Verum melius idem S. Hieron. præfat. in Ioelem, censet Ioelem solis duabus tribubus, Iudæ scilicet et Benjamin, prophetasse. *Quomodo, inquit, in Osee Propheta sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur vaticinium, quæ vel Samaria, vel Israel sæpe nominatur; sic in Ioel omne quod dicitur, ad tribum Iuda, et ad Ierusalem pertinere credendum est, et nullam omnino Israelis, id est, decem tribuum, in hoc fieri mentionem.* Ita et Epiphan. lib. de Vita Prophetarum, in Ioele, Hugo, Albertus, Haymo, Ribera, Dionys. a Castro, Sanchez et alii; et patet ex verbis Ioelis cap. 1. 13. *Plangite sacerdotes, ululate ministri altaris; et e. 2. v. 1. 15. et 17. Canite tuba in Sion. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, etc.* Altare enim erat in Ierusalem, non alibi.

Quando.

Porro Ioel prophetavit eodem pene tempore quo Osee, sub Ozia, Ioatham, Aebaz et Ezechia regibus Iuda, ait S. Hieron. Cyrill. Theod. Ruffin. et S. August. l. 18. Civit. 27. licet Hebræi in Seder Olam, et ex eis R. David, Genebrard in Chronol. Arias et a Castro hic, putent eum prophetasse sub Manasse, ac consequenter post excidium Samariæ et decem tribuum; hoc enim contigit anno sexto Ezechia, qui fuit pater Manassis: idque verisimile sit ex eo, quod Ioel solis duabus tribubus prophetet, non reliquis decem; eo quod illæ iam essent excisæ et abductæ.

**A** Rursum ex eo quod Scriptura dicat, Deum misisse Prophetas, qui Iudææ clades nomine Dei intenterent ob scelera Manassis, 4. Reg. 21. 10. et e. 23. 26. Videtur ergo ex his fuisse Ioel; ipse enim Iudææ clades hæc comminatur, æque ac Ieremias e. 15. 4. qui ob scelera Manassis eas irrogandas diserte asserit. Hæc sententia est valde probabilis; unde in editione Sept. Romana, Ioel post Michæam ponitur. Hinc et diem excidii Hierosolymæ ita vive et horripice depiugit, ut quasi iustantem, et pene presentem oculis eum cernere videatur.

Ex dictis sequitur, Ioelem comminari captivitatem non Assyriacam, qua vastata est Samaria; sed Babylonicam, qua vastata est Ierusalem et Iuda a Chaldæis.

Argumentum ergo Ioelis est, prædicere Dei vindictam et captivitatem Babylonicam, indeque eius antitypum iudicium extremum, in quo reprobi gehennæ, probi cælo adiudicabuntur.

Argumentum.

**B** Primo ergo, e. 1. Iudæis excidium per Chaldæos comminatur, utque hoc evadant, hortatur omnes ad lamenta et ad pœnitentiam.

Secundo, cap. 2. pergit atrocitatem huius diei et excidii describere, indeque excitat omnes ad luctum, et publicas supplicationes. Deinde pœnitentibus reditum e captivitate et Babylone pollicetur. Ad hæc promittit adventum Christi, qui Spiritum sanctum in suos fideles effundet. Inde transit ad secuudum Christi adventum, eiusque sigua prævia enarrat.

Tertio, cap. 3. docet Christum in valle Iosaphat quasi iudicem iudicaturum omnes gentes, ac damnaturum impios ad gehennam; pios vero translaturum in cælestem Ierusalem, cuius delicias, gloriam et felicitatem describit.

Tropol. *Ioel* hebr. idem est quod *volens, incipiens*, vel *Ioelis* *domini descensus: Phatuel* vero pater eius, hebr. idem est quod *latitudo*, aut ostium, aut *suasio Dei*, vel *aperiens* *Deus*; ut moraliter significetur, quod qui ostium, suasionem et scientiam habuerit Dei, recte incipit prophetare, ut cum Paulo possit dicere: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est*; quia audiebat a Domino: *Dilatata os tuum, et implebo illud.* Ipsa enim oris adaptio non in hominis, sed in Dei potestate est, dicente eodem Paulo: *Ostium mihi apertum est magnum et evidens*, 2. Corinth. 6. Ita S. Hieron. qui in cap. 1. Osee ait: *Ioel* idem est quod *Domini Deus*; ut Ioel per crasin idem sit quod *Iehova el*, vel *Iu el*, quæ omnia sunt nomina Dei. Denique Ioel relatus est inter Sanctos, ac Romano Martyrologio inscriptus legitur 13. Iulii.

Ioelis etymon.



## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Iudææ excidium per erucam, locustam, bruchum et rubiginem, puta per varias hostium Chaldæorum populationes, prædicit. Hinc v. 45. sacerdotes et populum hortatur ad penitentiam et supplicationem, ut iis Deum sibi reconcilient, plagasque ab eo hic comminatas avertant.*

1. **V**ERBUM Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel. 2. Audite hoc senes, et auribus percipite omnes habitatores terræ: si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum? 3. Super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ. 4. Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. 5. Expergiscimini ebrii, et ilete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro. 6. Gens enim ascendit super terram meam, fortis, et innumerabilis: dentes eius ut dentes leonis: et molares eius ut catuli leonis. 7. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit: nudans spoliavit eam, et proiecit: albi facti sunt rami eius. 8. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. 9. Periit sacrificium et libatio de domo Domini: luxerunt sacerdotes ministri Domini. 10. Depopulata est regio, luxit humus quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, clanguit oleum. 11. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vitatores super frumento et hordeo, quia periit messis agri. 12. Vineam confusa est, et ficus clanguit: malgranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium a filiis hominum. 13. Accingite vos, et plangite sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interit de domo Dei vestri sacrificium et libatio. 14. Sanctificate ieiunium, vocate cætum, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri: et clamate ad Dominum: 15. A a a, diei: quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet. 16. Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia et exultatio? 17. Computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ: quoniam confusum est triticum. 18. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis: sed et greges pecorum disperierunt. 19. Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. 20. Sed et bestię agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te: quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.

Vers. 2.

**A**UDITE HOC SENES. ) Initio Propheta hisce verbis sibi attentionem conciliat, quod res (puta elades) graves, novas, et ab hominum, quantumvis senum, memoria inaudititas sit dicturus, quæ tamen Iudæos maxime tangant, ut eorum plane intersit hæc nosse, posterisque tradere, ut ipsi hisce patrum suorum flagellis moniti respiciant, uniusque Deo toto corde serviant, cuius providentiam et vindictam in parentibus suis aspiciant, itaque eandem evadant, eiusque gratiam et beneficentiam sibi concilient.

**SI FACTUM EST ISTUD.** ) Quod sequitur, quodque mox enarro.

Vers. 5.

**SUPER HOC (de hoc) FILIIS VESTRIS NARRATE.** ) Iuxta præceptum Mosis Exodi 10. 2. *Narres in auribus filii tui et nepotum tuorum quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis, et sciatis quia ego Dominus; et Psalms psal. 77. 6. Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera: filii qui nascuntur, et exurgent, et narrabunt filiis suis: ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Domini, et mandata eius exquirant.*

Vers. 4.  
Quatuor  
plagæ.I.  
Est eruca.

**RESIDIUM ERUCÆ COMEDIT LOCUSTA.** ) Quatuor hic pestes et plagas recenset et comminatur. Prima est *eruca*; Septuag. *ααμπα*; Chald. *זחלה zachala*, id est, vermis qui post pluviam nascitur, ac per caules, olera, arborumque folia reptat, eaque pigro et lento, sed exitiali morsu arrodit et depascitur. Unde hebr. vocatur *גזם gazam*, id est, tonsor, rator, rosor, excisor. Sic et *eruca* latine ab eodem erodendo dicitur, ait Isidor. lib. 12. Orig. c. 5. licet Apuleius erucam ab hærendo dietam velit, quod brassicis, aliisque herbis quas occupat tenaciter adhæreat. Unde Colomella libr. 11. de Re rustica c. 3. *Erucæ, ait, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti: sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint, non iterum amplius in superiorem partem prorepunt.*

II.  
Locusta.

Secunda est locusta, quæ erucam superat acrimonia, volatu et numero. Unde hebr. dicitur *ארבה arbe*, id est, plurima, a rad. *רבה raba*, id est, nullus fuit: ita Arias et Pagnin. tanta est enim locustarum copia, ut volando solem calumque operiant, cubando vero integras provin-

cias obtegant, ut nil nisi locustas videas; qui et maria volando legant et transeant, ut unam regionem depastæ, aliam invadant et aliam, singulas ex ordine devorantes. Unde locustarum plaga fuit una ex plagis gravissimis Ægypti, Exodi 10. v. 4. Vide ibi dicta. Quocirca *locusta* dicta est, quasi *loca urens*, vel exustulans, inquit Grammatici: licet Isidorus et Lyran. ita dictam velint, quod *longis sit pedibus*: Albertus Magnus vero, *locusta*, inquit, dicitur quasi *loco stans*: ita Aldrovandus in locusta.

**RESIDIUM LOCUSTÆ COMEDIT BRUCHUS.** ) Tertia est hæc plaga, puta bruchus, pro quo hebr. est *יעלک telek*: quod septies reperitur in Scriptura, et ubique Noster *bruchum* vertit. Psal. 104. 34. *Dixit, et venit locusta (hebr. arbe) et bruchus (hebr. telek) Ierem. 51. 4. Replebo te hominibus quasi bruchus: et vers. 27. Adducite equum quasi bruchum.* Eodem modo vertit hic, et c. 2. 23. et Nahum 3. 15. *Devorabit te ut bruchus; congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta; et v. 16. Bruchus expansus est et avolavit.*

Dicitur *יעלک*, id est, *ligurio*, quod herbas ligat, lambat et rodat: radix enim *לקלק lakak*, significat lingere, lambere: unde Aquila, teste S. Hier. in Nahum c. 3. vertit *comestor*.

Quæres, quid sit *יעלک* et *bruchus*? Primo, Suidas, et Scaliger exere. 36. Bruchus, inquit, est *ααμπα*, id est, eruca, quam Lombardi *bruch*, Galli *bruyere* vocant; verum erucam hic Joel distinguit a bruchus. Secundo, Ambros. Calepinus ex Sipontino, et nonnulla Lexica Latina et Græca: Bruchus, inquit, est vermiculus similis locustæ, herbas erodens, sine alis. Verum Nahum cap. 3. bruchus dat alas. Tertio, R. David hic, censet bruchum esse animaleculum alatum instar crabronis, sed minoris quantitatis, quod arborum folia depopuletur, et in maxima multitudine vastet: unde aliqui putant bruchum esse insectum illud rubea tunica vestitum (quod statis annis humidioribus turmatim enaseitur) quam dum expandit, alas ostentat, quibus volat in arbores, earumque folia depascitur: solent id rustici colligere, et fossa facta sepelire, ut de bruchus ait Isaias c. 33. 4. Verum hoc insectum genus est scarabæi, non bruchi, nec ab ullo classico auctore vocatur bruchus etiamsi pueri in Gallia bruchum,

III.  
Bruchus.

vel *bruyant* vocent a bombo, quem volando edit, a quo et A Syro plane consentit Arabicus uterque.

Bruchus  
est pul-  
lis locu-  
stæ.

Flandri eum vocent *prædicantem*.  
Dico ergo, bruchum esse parvam locustam, sive pullum locustæ, varii enim sunt locustarum gradus, et, ut ita dicam species, secundum earum ætates et incrementa distinctæ. Primo enim *locusta* relinquit semen: ex eo nascitur parva locusta instar vermis, qui vocatur *bruchus*: qui dum crescit et grandescit, ac modicis alis vestitur, vocatur *attacus*, vel *attelabus*. Hic rursus dum inerescit corpore et alis, vocatur *ophiomachus*, qui dum mole corporis et alis perficitur, vocatur *locusta*. Unde apposite ait Propheta: *Residuum locustæ comedit bruchus*. Locustæ enim eum grandiores sicut, grandiora tantum depascuntur, sed post se relinquunt pullos parvos, qui residuum, et minima germia quæque usque ad radices stirpitis depascuntur. Id ita esse patet Primo, quia Septuag. Ierem. 51. 14. et alibi, pro *ielek*, id est, bruchus, vertunt *ακροδης*, id est, locustas. Secundo, quia omnes Physici, et classici scriptores dicunt, bruchum esse speciem locustæ, vel locustam inchoatam et imperfectam. Unde in Scriptura passim bruchus iungitur cum locusta, quasi proles cum matre. Et Aristot. lib. 5. Hist. animal. cap. 29. bruchum necit et subiungit locustæ. Sic et S. Hier. in Nahum e. 3. *Bruchus*, ait, *est animal nihil volare valens, ventri tantum studens: attelabus saltans potius, quam volans parvis alis: locusta iam perfectas alas habens*. Albert. Magnus l. 26. de Animal. *Bruchus*, inquit, *est primus partus locustæ, et eum efficitur maior, vocatur archilabus* (corrigere attelabus) *et quando perficitur, est locusta. Bruchus autem eo quod immobilis est, totum depascitur usque ad radices, nihil viroris relinquens*. Lyranus bruchum et locustam differre scribit perfectum et imperfectum in eadem specie. *Bruchus*, ait Glossa, *vocatur fetus locustæ antequam alas habeat: deinde cum parum incipit volare, attelabus dicitur: cum vero plene volat, locusta dicitur: multoque gravior est bruchus quam locusta, vel attelabus; quod iacens in uno loco, radicibus comedit fructus*.

S. Chrysost. in illud psal. 104. 31. *Venit locusta et bruchus*: Locusta, inquit, et bruchus non simul existere solent; aut enim præcedens locustam parit, aut bruchus auctus in locustam tandem evadit. Βρουχος, inquit Varrinus, est *ειδος ακροδης, παρα το βρουσιον, η το εσδουον: το αυτο δε και ματαξ ηλιαιται, παρα το ματαξδαι: και βρουχος η ακυπη, η νεογενης, και απτερος ακρις*. *Bruchus*, inquit, *est species locustæ, ita dicta a vorando, quæ et mastax dicitur, a mandendo*. Item, *bruchus crucea primus nata, et locusta carens alis*. Sic et Hesychius in Lexico, ait, bruchum esse locustarum speciem, ac Cyprios viridem locustam vocare bruchum, Tarentinos attelabum.

Bruchus ergo dicitur vel a βρουσιον, id est, comedo; vel a βρουζω, id est, dentibus strido et frendeo; vel a βροζω, id est, sorbeo, deglutio, voro, inde βρουγχιος est guttur: quia bruchus non videtur habere aliud quam guttur et ventrem: pedes enim licet oblongos, graciles tamen habet: unde forte Italorum *broccare* pro vorare; et Germanorum *bruchen*, quod consumere et conficere significat, et Belgarum *brocken*, quod est minutim conscindere, ait Aldrovandus. Hoc etymon verius est quam illud quod dat Anonymus in psalm. 104. dicens: *Bruchus dicitur quasi βρουγχιος, id est, brevis et parvus: est enim parvus vermis a locusta generatus*. Denique bruchos esse genus locustæ, censent Remigius, Pagninus, Forsterus, Marianus (qui illud gryllum vocat: gryllus autem est parva locusta cinerei vel grisei coloris) in lexicis, Cælius l. 3. c. 25. Aldrovandus lib. de Insectis in locusta, qui et pag. 414. omnes locustarum species, ac nominatim bruchum depingit, eiusque formam in imagine spectandam exhibet. Accedit Syrus, qui vertit, *quod reliquit locusta non alata* (vermis corrodens frumentum in agro) *comedit locusta volans; et quod reliquit locusta volans, comedit locusta parva* (vel locusta quæ vocatur *separata*) *et quod reliquit locusta separata, comedit sarsur*, quæ etiam est locustæ species, ut mox dicam. Unda patet, Syrum per has quatuor loelis plagas accipere quatuor locustæ species.

Dices, si bruchus est pullus locustæ instar vermis, carens alis, quomodo ergo Ieremias cap. 51. 14. dat ei aculeum, eumque vocat aculeatum, et Nahum e. 3. 16. dat ei alas, eumque vocat alatum?

Resp. nomen bruchi subinde extendi ad alias locustarum species, ac complecti attelabos et ophiomachos. Opponitur enim locustæ: ergo sicut locusta omnem perfectam, ita bruchus omnem imperfectam locustam (quales sunt attaci, attelabi, ophiomachi, qui alati, et pedibus, dentibus et cauda aculeati sunt) significat. Sic agnos, hædos, vitulos subinde vocamus, non tantum pullos recentem natos, sed adultiores etiam et grandiores, puta iuvenecos anniculos, vel biennes, usque dum generare incipiant: imo Hebræi vaceas novellas dum primo pariunt, vocant *עגלות* *eglot*, id est, vitulas. Id ita esse patet ex S. Hier. qui est auctor versionis nostræ: ipse enim scribens in Nahum 3. per *ielek*, quem hic vocat bruchum, accipit attelabum. *Attelabus*, ait, *quem significantius comestorem interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum, et modicis pennis replans potius quam volans, semperque subsiliens, et ob hanc causam ubicumque orta fuerit, usque ad pulcrem cuncta consumit: quia donec crescant pennæ, abire non potest*. Et mox: *Confertur exilienti attelabo*, etc. Hinc Aldrovandus lib. de Insectis cap. de brueho, pag. 406. *Bruchus*, inquit, *S. Scripturæ differt a Brueho profanorum, sicut perfectum ab eo quod suam perfectionem necdum est consecutum*. Et Cælius l. 3. Variar. lect. 23. docet locustas quaslibet rodentes sata, vocari bruchos, et attacos, et mastaeas, uti est apud Nicandrum. Et Quinquarboreus in cap. 4. Amos, censet bruchum esse locustæ genus, quod præter numerum et copiam, volatu etiam præstet celeriore, et latius quam cætera extenditur, pluresque agros celerius conficit et consumit, ideoque a Ieremia vocari aculeatum. Quocirca Chal. hic pro *ielek*, sive brueho vertit *פרחא* *pircha*, id est, motitans, eursitans, volitans, (radix enim *פרח* *parach* significat motitavit se, volitavit, eursitavit) eo quod huc atque illuc vastando fruges cursitet, et subsiliat. Ex dictis patet, vocem bruchus significare infimam et minimam speciem locustæ, cum cæteræ omnes species numerantur; cum vero illæ subiteuntur, pro illis substitui, ut bruchus iam sit attelabus, iam ophiomachus, iam quælibet alia locustarum species. Quocirca cum Ieremias bruchum vocat aculeatum, et Nahum alatum, nomen bruchi extendunt ad attelabum, ophiomachum, aliasque locustæ maioris species, hæc species enarrat Moses Levit. 11. ubi earum esum Hebræis concedit.

ET RESIDUUM BRUCHI COMEDIT RUBIGO. ) Quarta est hæc segetum et germinum pestis et plaga, scilicet rubigo. Hebr. est *חסיל* *chasil*, id est, perditor, depastor, absumptor, a rad. *חסל* *chasal*, id est, absumpsit, eo quod omnia vastet et perdat, ac nil reliquum faciat. Recentiores, Pagn. Arias et alii censent esse tertiam locustæ speciem, eamque voracissimam: primam enim vocavit Ioeel bruchum, secundam locustam, tertiam *chasil*: itaque pro *chasil* vertunt locustam Septuag. et Noster Isaia 33. 4. et 2. Paral. 6. 28. Unde nonnulli per rubiginem hic accipiunt animal: Rubigo, inquit, est vermis qui maxime rorem sequitur. Hinc Aldrovandus in locusta, citans S. Hieron. Rubigo, inquit, rorem noxium sequitur, qui cum in folia depluit, sole superveniente animalur et vivit, varieque plantis nocet.

Suffragatur Syrus, qui pro *chasil* vertit *sarsur*: de quo Illustriss. Dominus Sergius Risius, Archiep. Damascenus, natione Syrus, hæc mihi Romæ asseveravit: *Sarsur*, inquit, est animal in Syria parvulum ut locusta, imo e genere locustarum; sed a locustis vulgaribus differt, quod locustæ interdum, et certis quibusdam annis pro cæli et auræ temperie proveniunt; hoc autem continuum et perpetuum est. Estque duplex: eius enim unum genus domesticum est, aliud sylvestre. Quatuor prorsus ut locusta pedes habet, et alios duos parvulos quibus cibum ad se trahit et comedit. Colorem habet nigrum, et dorsum planum.

IV.

plaga  
est rubi-  
60.

Quid?

Differt etiam a locustis, quod sylvestre valde nocet frumento et herbis, non autem arboribus ut locustæ, quæ ficum et aliarum arborum corticem omnino corrodunt. Permolesum est ob sonum et strepitum, quem ingentem præcipue noctu excitat, præsertim apud aquas in Ægypto, ubi post Nili inundationem una cum ranis procreatur et remanet; adeo ut ubi horum animalium copia fuerit, homines ob eorum strepitum et damna quæ inferunt, habitare nequeant. Aliud eius genus est domesticum, habitans cum hominibus quod in trahibus degit, eamque pulvere et excrementis vesci perhibetur, molestum quoque ob rumorem et strepitum.

Verum pro Hebr. *chasil*, hic vertunt, *rubigo*, non *locusta*, Septuag. Chald. Vatabl. et alii, æque ac ps. 78. 4. et alibi. Hebræi enim nomina, præsertim animalium, arborum, gemmarum, lapidum, etc. sunt amplæ et variæ significationis, nuncque unum, nunc aliud significant. Quocirca *chasil*, vertunt nunc locustam, nunc bruchum, nunc rubiginem: rubigo enim non minus quam locustæ segetes absumit. Porro rubigo, vel robigo Latinis significat vitium segetum, non locustam. Est enim rubigo, sive aurugo, vel ærugo vitium segetum ex corrupto aere, et quasi earum morbus regius, quo scilicet culmi pallescent in modum auri vel æris, itaque paulatim areseunt et evanescent. *Rubigo*, inquit Albertus hic, *est ros incensus ab aere defluens, qui primo ad minii colorem, postea in fuliginem convertit segetes marcidias, et in pulverem foetidum versas, ac friabiles*. Agricolæ nebulam vocant. Dicitur *rubigo* a rubedine: quia rubras facit segetes, uti et metalla, cum situm contrahant. Hinc Apuleius lib. 3. de Florid. *Profeceto*, ait, *ut gladius usu splendescit, situ rubiginatur, ita vox in vagina silentii condita diutino torpore hebetatur*. Et Plinius l. 18. 17. *Rubigo maxima segetum pestis, lauri ramis in arvo defixis, transit in earum folia ex arvis*. A rubigine dicta sunt Rubiginalia, id est, festi dies et sacra ad amoliendam rubiginem instituta a Gentilibus, quales sunt supplicationes amburbiales in diebus Rogationum apud Christianos, quæ eadem de causa peraguntur: Hinc Plinius lib. 18. 19. *Rubiginalia*, inquit, *Numa constituit, quæ nunc aguntur ad septimum Calend. Maii: quoniam tunc fere rubigo segetes occupat*. Hæc de littera. Iam

Quæritur, quid hæc quatuor plagæ, puta eruca, locusta, bruchus, et ærugo significant? et an litteraliter ut sonant, an symbolice sicut accipiendæ?

Multi eas ut sonant accipiunt, ut significet Iocel vere ab hisce animalculis ob scelera sua vastatam fuisse Iudæam, indeque sterilitatem ac famem ei inductam. Unde censent hic prædici famem septem annorum, quam Elisæus quoque prædixit sub Ioram 4. Reg. 8. v. 1. et 2. Hanc enim famem aiunt fuisse inductam per erucas, locustas, bruchos et rubiginem per quatuor annos sibi invicem succedentes, ac insuper durasse tres alios annos, quibus Deus clausit cælum ne plueret: ita Remigius, Rufinus, Lyran. Vatabl. Arias, R. Salomon, et alii Rabbin. Theodoret. vero putat prædici hic sterilitatem et famem biennem, quam prædicit Amos c. 4. 9. ubi minatur Israelitis auriginem, sive rubiginem et erucas, æque ac Iocel hic. Verum Iocel diu post Elisæum et Ioram prophetavit cum Osee, sub Ozia et posteris eius, uti dixi in proœmio. Nos autem prophetat Samariæ, id est, decem tribubus, ut patet Amos 1. 1. non duabus, uti facit Iocel: nec meminit locustæ et bruchi, quæ nominat Iocel. Quare si ad litteram hæc accipias uti sonant, de ipsa eruca, brucho, locusta et rubigine, alio tempore in Iudæa illa contigisse necesse est. Multa enim comminantur Prophetæ, quæ omnia re ipsa accidisse credimus, etiamsi illa alibi non narrentur. Unde Iocel cap. 2. 24. consolans suos hisce plagis afflictos, spe melioris sortis et fertilitatis: *Implebuntur*, inquit, *aræ frumento, et redundabunt torculariu vino et oleo. Et redam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos*, etc. Ergo vere eis immisit erucas, locustas, bruchum et rubiginem. Adde, hæc et plures alias plagas comminatus est Hebræis Moses Levit. 26. 22. et Deuteron. 28. 22. si ipsi

Deum desererent, eumque offenderent. Ergo cum eum tempore Iocelis offenderint, ideoque excisi sint, verisimile est illas plagas Deum eis irrogasse, ac minas suas explese. Insuper, naturale et ordinarium Dei flagellum est sterilitas et fames invecata per erucas, locustas, bruchos et rubiginem.

Præclare S. Chrysost. homil. *Quod nemo creditur nisi u seipso: Omne*, inquit, *quod est in rebus, habet aliquid quo corrumpi possit ac lædi: lanam linea, ovium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpit: lolium segetibus nocet, grando vineam lædit, virgultu ac diversu plantaria locustæ ac bruchi exercitus vastant, et singulis quibusque corporibus variæ morborum species inferunt corruptelam*. Plinius lib. 11. 29. cum ostendisset quam ingenti copia locustæ vento sublata gregatim maria volando tranent: *Tamquam*, inquit, *parum sit maria transisse, immensos tractus permeant, diruque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes, et fores quoque tectorum*. Quanta damna locustæ variis provinciis intulerint, multis exemplis et historiis docet Aldrovandus in locusta pag. 422. et seq. Extat emblemata Aleiati cum lemmate: *Nihil reliqui*, hoc carmine explicatum:

*Scilicet hoc decrat post tot mala, denique nostris  
Locustæ ut raprent quidquid inesset agris.*

*Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,  
Qualia non Aticæ, eustraque Xerxis erant.*

*Itæ senum, millium, farra omnia consumpserunt:  
Spes et in angusto est, stant nisi vota super.*

Hinc Ægyptiis locusta erat hieroglyphicum famis, ait Picrius lib. 28. Porro refert Theodoretus in Philotheo, S. Aphraatem agrum cuiusdam supplicis sibi, aspersione aquæ benedictæ ab exercitu locustarum, qui Persidem vastabat, tutatum esse, ita ut eum tangere non auderent. Idem fecisse S. Vincentium Fererium in agro Mursiæ, civitatis in Hispania, testatur auctor vitæ eius l. 3. sub finem. Sic S. Theodorum præce sua locustas agros populantes enecasse, scribit Georgius presbyter in eius Vita l. 2.

Verum esto hæc plagæ ad litteram accipi possint ut sonant, tamen per eas symbolice, et potius significantur hostes vastaturi Iudæam. Sic enim eas explicat ipse Iocel v. 6. *Gens enim ascendit super terram fortis et innumerabilis, dentes eius ut dentes leonis*. Et v. 15. *A a a diei, quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet*. Et c. 21. *Venit dies Domini, dies tenebrarum, etc. quasi mane expansum super montes, populus multus et fortis*. Et v. 4. *Quasi equites sie eurrent*, etc. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Hugo, Ribera, Emmanuel, Sanchez, et Mariana, qui ait: *Utrumque scilicet famis et bellum, hic significatur*. Est ergo hic ænigma, sive allegoria et parabola continua, significans hostem hosti successurum, eladem eladi usque ad excidium et interneccionem Iudæorum. Simile est Isaie 24. v. 17. *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit, qui fugerit a facie formidinis, cadet in foream: et qui se explicaverit de fovea, tenebitur luqueo*. Et Ierem. 48. 43. *Pavor, et fovea, et laqueus super te o habitator Moab. Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam: et qui condescenderit de fovea, capietur luqueo*. Et cap. 15. 2. *Qui ad mortem, scilicet destinati sunt a Deo, ad mortem, supple ibunt: et qui ad famem, ad famem: et qui ad captivitatem, ad captivitatem. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia cæli, et bestias terræ ad devorandum et dissipandum: et dabo eos in fervorem universis regnis terræ, propter Manassen filium Ezechia regis Iuda, super omnibus quæ fecit in Ierusalem: quo forte alludit hic Iocel. Simile est illud Homeri Odys. ɛ.*

*Tradebat Notus hunc Borex quandoque vehendum:  
Nunc rursum Zephyro iactandum tradidit Euris.*

Et Iiad. 7. *Tristia perpetuo mihi tristibus excipiuntur.*

Sic Ausonius in Epigram. eleganter hosce vocat labores (et dolores) *cutenatos*, cum labor ex labore, dolor ex dolore seritur. Hinc adagium: *Malorum panegyris*, quo u-

Quæritur, quid eruca, locusta, bruchus, et ærugo significant?

Resp. 1. Sterilitatem.

2. Hostes, et clades alias aliis successuras.

utitur Pisides apud Suidam: *Omnes, inquit, simul malorum ut in panegyre, alios tenebat aliud infortunium. Huc spectat illud Diogenianum: Mali tripes, mali rursus ipes, de duplici ac multiplici malo dici solitum. Trips enim vermiculus est, qui lignis innascens, ea vitiat: ips item cornibus et vitibus infestus. Et illud Socratis apud Athenæum I. 9. Malis ter mala eveniunt. Et illa, Ilias malorum; thesaurus, et lerna malorum; agmen et mare malorum, cum malum malo velut unda undæ, fluctus fluctui succedit, eumque protrudit; quibus utitur Euripides in Ione dicens: Me miseram, ut ingens panditur thesaurus, ac penus malorum!* Et Aeschylus in Supplicibus:

*Tantum malorum pelagus aspicio miser,  
Unde enatandi nulla spes alluceat.*

In hoc pelago volutantur damnati in gehenna. Causa adagii est, quod sæpe erucis succedant locustæ, locustis bruchi, bruchus ærugo, eaque ingeutes calamitates afferant, idque agminatum instar exercitus, et aciei hostilis. Hinc castra Madian, quæ prostravit Gedeon, comparantur locustis, Iudic. 6. 5. uti et Apoc. 9. 1. exercitus dæmonis in fine mundi afflictorum impios, turmis locustarum assimilatur. Adde, locustas, bruchos et erucas non raro præire et prænuñciare hostium adventum, et bellorum strages, ut liquet ex historiis. Inde locusta ab Hesychio, Nicandro, Suida, Theocrito idyl. 10. et aliis vocatur *μαυρις*, id est, vates, vel divinatrix et prænuñcia, quod semper famem prænuñciat et inferat, sæpe etiam hostium incursum et elades, licet aliam quoque causam det Cælius l. 30. 22. *Mantis, inquit, locustæ genus est, quæ in stipulis enaseitur, virens colore, corpore prælongo, pedibus item prælongis, quos et agit assidue. Aristarchus in Commentario Lyeurgi scribit, locustam hanc si quod inspexerit animal, protinus illi quidpiam prædicere mali: unde mantis vocatur, quæ noxii molestique aspectus est: vel dicitur mantis, quod locustis adventantibus præsagium sit ingruentis penuriæ.*

Locustæ  
portendunt  
bellum.

Exempla pauca, sed rara e multis accipe, quæ recenset Aldrovandus pag. 425. Anno, inquit, Domini 1534. locustæ illæ quæ ab Oriente per Illyricum stupendis agminibus in Italiam convolarunt, maximaque passim damna dederunt, Turcarum adventum portendere visæ sunt. Nam et Turca Rhegium occupavit, Romæque trepidatum est, dum Ostiæ subsedisset; Nicæam cepit, Christianorum multa millia in servitutem abduxit. Tamberlanes, referente Crantzio, Hierosolymam expugnare statuerat, sed cum bruchi exercitum eius vexarent, admonitum se interpretatus a Deo, ea re temperavit. Primam expeditionem sacram (ut Sigonius testatur) Hierosolymitanam anno Domini 1096. Claromonte institutam, locustarum repente nata vis tanta præcessit, ut nubium instar Solis lucem adimerent. Mirum quod scribit Gregor. Turonens. duas acies locustarum per Arvernium atque Lemovicium transientes Romanicæ campum ingressas, ibidem prælio inter se conflixisse, ingentemque stragem edidisse, cum Clotharius cum Chramno filio suo esset pugnaturus: quem deinde victum una cum uxore et filiis comburi iussit.

Quinam  
hi quatuor  
hostes, et  
elades  
Iudæorum?  
I.  
Sententia.

Sed quinam fuerunt hi hostes vastatores Iudææ, quos per erucas, locustas, bruchos et rubiginem denotat et præsentat Propheta? Hebræi, et eos secuti S. Hier. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. et Dionys. censent hic significari quatuor orbis monarchias sibi invicem succedentes, quæ afflixerunt Iudæos; scilicet per erucam significari Assyrios et Babylonios: per locustam Medos et Persas: per bruchos Græcos, ac præsertim Antiochum Epiphanem, contra quem pugnarunt Machabæi; per rubiginem Romanos. Has enim quatuor monarchias simili modo recenset et depingit Daniel c. 2. et c. 7. per quatuor quadrigas. Verum Persæ et Medi, ut Cyrus et Darius, Iudæos non afflixerunt, quin potius e Babylone eos liberarunt: afflixit tamen eos Cambyses, impediens fabricam templi, I. Esdræ 2. Per rubiginem vero non intelligi Titum et Romanos, qui Hierosolymam exiderunt, patet ex eo, quod hisce plagis Propheta c. 2. 18. remedium afferendum dicit a Christo:

Christus autem eladem Hierosolymæ per Titum illatam non reparavit, imo eam autecessit ac prædixit.

Secundo, Theod. per quatuor hasce plagas accipit solos Assyrios et Babylonios, qui Israelitas vastarunt: scilicet per erucam accipit Teglatphalasar, per locustam Salmanasar, per bruchum Sennacherib, per rubiginem Nabuchodonosor. Verum primi duo tantum vastarunt decem tribus, non duas, de quibus hic agitur. Ioelem enim Iudæa dumtaxat et Ierusalem vaticinatur, elademque minatur, uti ostendi in præmio, ac ut ibidem dixi, videtur id fecisse sub Manasse, quando iam excisæ erant decem tribus.

Tertio ergo, aptius et verius S. Hier. per quatuor hasce plagas accipit Nabuchodonosorem, qui in suis castris habebat varias gentes quasi erucas, locustas et bruchos, quæ populatæ sunt ita Iudæam, ut quod una relinquebat, altera raperet vel vastaret. Aut potius, magisque particulatim, apposite et genuine, per quatuor hasce plagas intellige quatuor expeditiones Nabuchodonosoris, quibus sensim magis et magis carpsit Iudæam et Ierusalem, donec eam excinderet; nimirum prima fuit anno 1. regni eius (qui fuit annus 3. Ioaquim regis Iuda) quo ipse instar erucæ terram perrepentis, leviter tantum Iudæam rasit et perstrinxit. Nam dumtaxat Ioaquim regem eum Dauiele et sociis Babylonem abduxit, Daniel c. I. v. 1. Secunda fuit anno 8. eiusdem (qui fuit 11. et ultimus Ioaquim) quo turmas suas instar locustarum alatarum et validarum in Iudæam immisit, ac summa germina carpsit. Nam regem Ioaquim rebellantem cepit et occidit, eique substituit filium Ioaquin, quem post tres menses Babylonem abduxit, surrogans ei patrum Sedeciam. Tertia fuit anno 18. eiusdem, qui fuit 11. Sedecia, quo instar bruchi residua germina etiam minima, eosit. Nam totum populum vel occidit, vel cepit, urbem excidit, regem Sedeciam excæcavit, filios eius necavit, regnumque Iudæorum evertit. Quarta fuit, cum post quatuor menses submitis Nabuzardan, qui ut rubigo templum incendit, æque ac regiam, domosque principum, omniaque in favillas et cineres convertit.

Huc accedit, imo in re pene eadem est, expositio Christ. a Castro, qui hasce quatuor plagas adaptat quatuor Iosia filii, scilicet Ioaquaz, Ioaquim, Ioaquin et Sedecia, qui ob scelera Manassis vastati et occisi, vel in captivitatem abducti sunt: nimirum, ut eruca, quæ leviter tangit terram, significet Pharaonem Nechao, qui Ioaquaz abduxit in Egyptum, relinquens Iudæam intactam, imo præficiens illi Ioaquim, fratrem Ioaquaz: locustæ significet latrunculos Chaldæorum, Syrorum, Moab et Ammon, qui instar locustarum turmatim invaserunt Iudæam, et Ioaquim occiderunt: bruchus significet Nabuchodonosorem, qui post eos quasi pullus locustarum, puta bruchus, cepit Ierusalem, ac Ioaquin pullum, id est, filium, Ioaquim, avexit in Babylonem; rubigo sit idem Nabuchodonosor, qui post undecim annos rursus Ierusalem cum rege Sedecia cepit, templumque ac palatia combussit, et quasi rubigo in favillas redegit, regnumque et temp. Iudæorum funditus evertit.

Allegor. Hugo de S. Victore scribens in hunc Ioelem, per quatuor has plagas accipit quatuor persecutiones Ecclesia, quarum prima fuit Gentium Imperatorum, Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, etc. Secunda Arrii et hereticorum, qui elati saliant in alta quasi locustæ, quæ priori cessanti, per imperium Constantini, mox successit. Tertia malorum Christianorum, qui carnales sunt et ventres, ut bruchi. Quarta Saracæorum et Antichristi, quæ quasi rubigo ferro et flamma omnia vastat, et vastabit. Unde eadem pene quatuor equis, scilicet primo albo, secundo rufo, tertio nigro, quarto pallido representat S. Iohannes Apoc. 6. 2. et sequentibus, ut ibi dixi.

Tropolog. plagæ hæc sibi succedentes significant, quod unum vitium alteri, imo subinde virtuti ipsi succedat, quodque uno abeunte, aliud nos oppugnet, ut residuum, quod prius reliquit, posterius depascatur et destruat: nimirum post erucam, quæ toto corpore repens in terra,

II.

III.  
Et ge-  
nuina.

B

C

D

Allegor.

Tropol.

repræsentat libidinem, superatam, vel recedentem, succedit et invadit nos volans locusta, id est, vana gloria et superbia. Locusta enim pedibus ambulare nescit, et eum alas vix habeat, volare nititur, ideoque inanes dat saltus. Sic et Lucifer ambit æqualitatem Dei, ad quam assurgere non potuit, sed corruit. Idem facit superbus. Post hanc sequitur ventrosus bruchus (totum enim eius corpus pene in ventrem colligitur) id est, gula. Post hanc succedit ignea rubigo, quæ quidquid tangit incendit, puta ira et impatientia, cuius flamma omnes virtutum fructus tabescunt. Quare residuum erucæ, id est, libidinis, est castitas: residuum locustæ, id est, vanæ gloriæ, est humilitas; residuum bruchi, id est, gulæ, est sobrietas; residuum rubiginis, id est, iræ, est patientia. Residuum ergo erucæ comedit locusta, et locustæ bruchus, et bruchi rubigo: quia sæpe accidit, ut e continentia et castitate oriatur inanis gloria: humilitatem sequatur ebrietas et erapula, sobrietatem excepiat ira et impatientia: ita Hugo loco citato, et S. Gregor. 1. 33. Moral. c. 27. Alii per rubiginem vel æruginem accipiunt avaritiam, quæ versatur in illis quæ ærugo et tinea demolitur: ærogo enim aurum et argentum depascitur. Porro primum, puta luxuriam, docuit corrupta natura: secundum, puta superbiam, invenit Lucifer: tertium, scilicet gula, parentes nostros perdidit, Adamum et Evam: quartum, gigantes et tyranni a Cain prognati adinvenerunt.

Symbolice sunt quatuor passiones animi.

Symbolice, sive physice, S. Hieron. per hæc quatuor accipit quatuor passiones et ægritudines animi, puta gaudium, tristitiam, spem et metum, quæ faciunt quasi quadrigam cursus et volubilitatis vitæ nostræ: mox enim gaudium succedit tristitia, tristitiæ spes, spei metus, hisque quatuor affectionibus continua successione agitatur et iactatur anima hominis, præsertim mundani et peccatoris.

Eruca repræsentat ægritudinem tristitiæ, locusta gaudium, bruchus metum, rubigo spem. Audi S. Hieron. *Has perturbationes uno, et nec pleno versiculo illustris Poeta comprehendit: hi metuunt, cupiuntque (hoc de futuro) dolent, gaudentque (hoc de presenti) neque aurum, inquit, respiciunt, clausi tenebris et carcere exco. Qui enim perturbationem tenebris obvolvunt, clarum sapientiæ lumen non valent intueri. Cavendum est igitur, ne ægritudo quasi eruca nos comedit, ne locusta vastet in gaudio, huc illicque volitans, et gestiente lœtitia per diversa se iactans: ne bruchus, id est, pavor et futurorum metus, radices sapientiæ devoret: ne rubigo et desiderium futurorum res inutilis concupiscat, et nos perferat ad ruinam: sed ut in omnibus quatuor quadrigis, et quatuor cornua, et quatuor equos rufos, et varios, et albos, et nigros, id est, vel adversa, vel prospera, vel ex utroque sociata frænis sapientiæ gubernemus. Subdit deinde: Ego reor erucam esse insipientem in animo passionem; quæ tarda est et discurrens non potest, et mora ipsa ac pertinacia ebibit et exugit omnem virorem, quam si non occiderimus, in nobis crescit, et avolat, et nunc devorat quidquid attigerit, nunc semesa dimittens pergit ad alia, revertensque ad pristinam sedem bruchus efficitur, ut non solum fruges, et folia, et cortices, sed et ipsam medullam devoret tarditate. Hisce verbis, ut hoc obiter notem, indicat S. Hieron. erucam esse vermiculum, qui crescens fiat bruchus, ac deinde evadat locusta. Sic et alii nonnulli, pullum locustæ vocant vermem et erucam.*

Audi S. Paulinum epist. 30. quæ est ad Aprum secunda: Vide, inquit, qualiter ista sibi congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidunt vitia monstrorum. Nam (verbi gratia) si quid vitium concupiscam, et mox abiectam cogitationem, eruca est in folio sedens, quæ decussa, si abiectero quidem, sed rursus redierit cogitatio, et cæperit abiecti, et redire crebrescat, locusta est avolans et revertens. Quod si cæperit immorari, et maius habuerit spatium in comedendo, quam avolando, bruchus dicitur. Quod si ipse bruchus qui non satis avolat, sed magis sedet, non fuerit abiectus, in rubiginem vertitur: quæ iam penitus inhaerescens, ut de stipula, sic de anima nunquam, aut difficile expellitur.

VOL. VII.

Qui ergo mentis quietem et celsitudinem ambit, has passiones inter se iugiter conflictantes supprimat et edomet: sic erit imperturbabilis, quietus, excelsus, felix. Vide dicta Apoc. 3. v. 21. in fine.

EXPERGISCIMINI EBRII (proprie a vino, ut habent Septuag. et FLETE QUI BIBITIS VINUM IN DULCEDINE (Chald. *vinum merum*; Pagnin. et Vatabl. *mustum iam expressum*: hoc enim est *סִדְּי* *asis*, a rad. *סָדָה* *asas*, id est, pressit, expressit) QUONIAM PERUIT, hebr. *excisum est*, id est, brevi excindetur, AB ORE VESTRO.) Per erucas, locustas, bruchos et rubiginem, id est, per Chaldaeorum turmas, incursum et populationes, quas Deus vinetis, agrisque vestris immittet; ita Chald. Lyran. et Arias.

Tropol. voluptates omnes, æque ac passiones et perturbationes mentem inebriant, id est, dementant, recto iudicio privant, sopiunt, excæcant, ac insensibilem sui que impotem efficiunt, perinde ac ebrietas hæc eadem causare solet in corpore et capite: ita S. Hieron. Remigius, et

Theod. Albert. Hugo. Audi S. Hieron. *Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio. Est ira quæ iustitiam Dei non operatur, et furori proxima, mentis suæ impotentem facit, in tantum ut labia tremant, dentes conerepent, vultus pallore mutetur, recteque illud laudatur Archite Yarentini, qui cum villico suo esset iratus: Iam te, inquit, occiderem, nisi iratus essem. Quid referam de gaudio et voluptate, et maxime de amore, qui excæcat cordis oculos, et nihil aliud amantem, nisi id quod amat, cogitare permittit? An non est dicenda ebrietas, cum propter vile scortum, et ignominiosam corporis partem, animæ libertas in serviles blanditiis inclinatur? cum laborem suum alterius facit esse delicias? cum furto, scelere atque periuriis opes futuræ præparat voluptati? et cum videatur ab omnibus, se æstimat non videri, dummodo potiatur eo quod desiderat. Sed et avaritia excæcat animum eius cui nihil satis est, et muliebri amor, et duleium cupido vitiorum. Addit S. Hier. Deum peccatori non raro auferre hæc dulcicia, quæ eum deceperant, ut qui, inquit, Deum non cognoverunt in prosperis, cognoscant in adversis; et qui divitiis male usi sunt, ad virtutes penuria corrigantur, imo cogantur. Sicut ergo virtus est animæ sobrietas et sapientia, ita vitium quodlibet est animæ ebrietas et insania, quam causat vinum malitiæ expressum ex uvaupiditatis, quod ei propinat dæmon. Audi et S. Gregor. 33. Mor. c. 27. *Ebrii vocati sunt, qui mundi huius amore confusi, mala non sentiunt quæ patiuntur. Quid est ergo dicere: Expergiscimini ebrii, et flete, nisi somnum vestræ insensibilitatis executite, et in devastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviat?**

GENS ENIM.) S. Hieron. per gentem metaphorice accipit locustas. Simili enim tropo de iis dixit Sapiens Prov. 30. 25. *Formicæ populus infirmus, lepulus insipientis plebs invalida. Et, Locusta regem non habet, sed egreditur universa per turmas suas. Et Apoc. 9. v. 1. et sequ. myriades exercitus dæmonis immittendi in impios in fine mundi, vocantur locustæ. Sic et Theodor. Rullin. a Castro, Mariana, Emmanuel et alii. Unde c. 2. Ioel locustas hæc comparat equis, equitibus et quadrigis: *Quasi aspectus, ait, equorum aspectus eorum, et quasi equites sic current, etc. Velut populus fortis præparatus ad prælium. Est ergo hic continua metaphora, sive allegoria. Nam toto hoc cap. et sequ. loquitur de exercitu Chaldaeorum Indæam populantium, sub allegoria locustarum, quæ agros vastare solent et omnia obvia, quacumque eunt; ut cum locustas legeris, hostes cogites: cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas, ait S. Hieron. Unde consequenter populum Indæorum comparat vineæ et ficui, quas arrodere solent locustæ, iuxta illud Isaia 4. 7. *Vinea Domini exercituum domus Israel est, et vir Juda germen eius delectabile. Locustæ ergo sunt Chaldæi: ficus et vinca sunt Iudei et Iudæa. Hinc et Christus Luc. 13. 6. Indæorum impiorum excidium significavit per ficum sterilem, quam paterfamilias iussit excindi: et Ieremias cap. 24. per ficus bonas et malas, significavit Iudæos bonos et malos. Sic Virgil. de formicis ait Georg. 4.***

*It nigrum campis agmen, prædamque per herbas  
Convectat.*

**DENTES EIUS** (gentis, puta locustarum, hoc est Chaldæorum) **UT DENTES LEONIS.**) q. d. Chaldæi numero innumeri, robore fortissimi, gladiis quasi dentibus omnia lacerabunt et succident, ac si leones essent, et leoninis dentibus prædam avide, celeriter, audacter et crudeliter discernerent. Sic S. Ioannes locustis, id est. exercitui dæmonis in fine mundi, qui omnia vastabit, dat dentes leonum, Apoc. 9. v. 8. utique alludens ad has Ioclis locustas, quasi præambulas et antitypas.

**ET MOLARES** (dentes) **EIUS, UT CATULI LEONIS.**) Ita et Septuag. et Chald. *Catulum* intellige grandiorum et provecum (hunc enim significat Hebr. **כַּלְבִּי לָבִי**) qui ut iuvenis ferox et robustus, dentibus suis omnia molit, frangit et comminuit. Habet enim dentes acutiores et firmiores, utpote non attritos, sed recentes et integros. Unde Scriptura dentes leonculorum celebrat, ut Iob 4. 10. *Rugitus leonis, et vox leonæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt.* Horum enim dentes valentiores et violentiores sunt: nam ob ætatem, et continuam prædæ lacerationem leonibus grandævus dentes sæpe comminuntur, vel excidunt, uti docet noster Pineda ibidem. Notat Theodor. quod, sicut locusta post se ducit bruchus minores et graciliores, et sicut leo post se ducit catulos; sic Chaldæi bellicosi et strenui secum ducunt alias gentes minus fortes, minusque in bello expertas, non minus tamen feroces et noxias ad vastandam Iudæam. Rursum, sicut per dentes, Chaldæorum gladios; sic per molares balistas, arietes, aliasque machinas, quibus concusserunt Hierosolymam, intellige: ita a Castro.

Tropol. Rupert. notat per locustas hic nos doceri, quod etiam infirmi, viles et abiecti, uti sunt locustæ, contra eos quibus Deus irascitur, robusti sint, invicti et sævi, Deo dante illis robur animos et iras: unde Deum per tales solere contundere fastum arrogantium, uti per locustas, einiphes, muscas et ranas contudit arrogantiam Pharaonis tempore Mosis. Rursum, detractor vocatur locusta: blandus enim et gracilis videtur in narratione lepida, sed habet linguam et dentes leonis, uti docet noster Viegas Apoc. 9. 8. com. 2. sect. 9. Denique de peccato quolibet dicitur Eccli. 21. 3. *Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.*

**ET FICUM MEAM DECORTICAVIT.**) Solent locustæ arrodere cortices arborum, qui arborum succum et calorem quasi vestes fovent et continent. Unde iis arrosis vel ablatis, rami quasi tunicis suis exuti, virore deperdito, albi fiunt et exsucci, et arescunt, ac quasi proiecti in terram corruunt: ita S. Hieron. *Ficus* significat sacerdotes et principes, qui in populo Iudaico eminebant, sicut ficus in vinea, quique populum S. Script. sapore divino, et legum sanctorum dulcedine, quasi ficus pascabant et recreabant, quos Chaldæi vel vita, vel libertate, vel opibus, quasi corticibus spoliavit: ita Ribera.

Tropol. cortex et tegmen virtutum est humilitas, quam si tollas, peribunt omnes: ita S. Gregor. cuius mox verba recitabo.

**ET PROIECIT.**) Tum fructus, cortices et folia, quæ arrosit; tum surculos, et ramos teneriores: hos enim arrodendo succidit et delicit locusta: ipsamque denique ficum omni sua veste spolians, et arefaciens talem efficit, ut a colono succidi, et in focum proici debeat. Tales fuere Iudæis Chaldæi, æque ac Christianis Hunni, Alani, Gothi, Wandali, et etiamnum sunt Turcæ; qui quasi erucæ, bruchi, locustæ et rubigo, sibi ordine succedentes, orbem Christianum populati sunt, et etiamnum populantur.

Tropol. idem in animabus fidelium faciunt dæmones, ait S. Hieron. item hæretici, ut Lutherus, Calvinus: ac lenones, parasiti et morum corruptores. Hi enim omnes pietatis fructus, omnes cæremônias, quasi folia, omnem Sacramentorum efficaciam, quasi corticem arrodunt, omnemque Ecclesiæ, æque ac animæ ornatum, opes, felicitatem et gloriam evertunt et dissipant, eamque faciunt inopem, aridam, desolatam et mortuam, instar ficus et vi-

**A**neæ a locustis erosæ, ac in desertum redactæ.

Rursum, id in bonis operibus facit vana gloria. Audi S. Gregor. 8. Moral. 30. *Insidiantibus spiritibus* (dæmonibus) *Dei vinca in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, legmen (quasi corticem) quo vestitur, ei humilitatis tollit, camque nudans expoliat, etc. Albi facti sunt rami eius: quia ostensa humanis oculis eius opera candescunt; de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur; sed subducto cortice rami arescunt: quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per iactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur: quia et candida est, per hoc quod cernitur; et siccitati proxima, per hoc quod legmine corticis nudatur. Intus ergo servanda sunt quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis expectamus.*

**PLANGE QUASI VIRGO ACCINCTA SACCO.**) q. d. O Ierusalem dire plange et lamentare, quod a Deo sponso tuo, cui in adolescentia et virginitate tua (scilicet cum primum nascereris in Ægypto, nupsisti, sis deserta, et tradita hostibus Chaldæis; sicut virgo quæ recens nupta fuit, amarissime solet plangere cum perdit virum suum, cui primo pubes effecta nupsit, quem proinde intime et tenerrime diligebat. Unde Sept. vertunt, *αὐτὴν πνεύματι σου*, id est, virum virgineum, cui scilicet se virginem in uxorem tradiderat: *Plange*, inquit, *super virginem* (id est, præ virgine magis quam virgo) *præcinctam cilicio, quæ plangit super virum suum virgineum, quem mors ei abstulit.* Ubi adverte, Hebr. **שַׂק** *sak*, id est, sacco, Sept. *vertere cilicium.* Erat enim sacco vestis aspera et lugubris lugentium et pœnitentium, qua utebantur in funere suorum luctus ergo, vel in publica calamitate pœnitentiæ causa, ad Deum propitiandum, ut is eadem averteret. Simili modo Ezech. c. 16. 8. hortatur Synagogam ad pudorem et dolorem, quod Deum sponsum suum dereliquerit, qui eam iuenculam, et miseram ac projectam in Ægypto sibi despondit, ut reginam vestiens subtilibus, armillis, torquibus, ac corona in capite eam coronans. Sic et Ierem. c. 2. 2. *Recordatus, ait, sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.* Et c. 3. 4. *Saltem anodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Porro cubabant in sacco non solum noctu, sed et per diem in gravi calamitate, cum Deo fiebant supplices, ut eum ad commiserationem hoc habitu commoverent; vide Sanchez hic.

Tropol. plangat anima quæ per peccatum deseruit Deum, cui in baptismo se desponderat: iuxta illud Apostoli 2. Cor. 11. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hæc enim a Deo vicissim deserta, omni gratiæ et virtutum dulcore et decore spoliata, quasi vinea et ficus comesta a locustis, mancipata et prostituta est dæmoni, qui ea quasi scorto vilissimo abutitur pro sua libidine et tyrannide ad omnem malitiam, iniuriam, opprobrium et miseriam. *Anima enim, inquit Hugo de S. Victore, est virgo conditione natura, virgo privilegio gratiæ, virgo quoque præmio gloriæ. Animam siquidem meretricem facit inordinata concupiscentia; castitatem ei reddit virilis pœnitentia: virginitatem sapiens innocentia. Fornicaria est igitur anima in prostibulo: coniugata in atrio: continens in domo: virgo in thalamo. In primo exponitur concupiscentia: in secundo opera facit pœnitentiæ: in tertio plangens virum, desiderio afficitur iustitiæ; in quarto virgineis iucundatur amplexibus et osculis sapientiæ. Fornicaria igitur est anima per concupiscentiæ iniquitatem: easta per continentie humilitatem: continens per iustitiæ puritatem: virgo per contemplationis sublimitatem. Vir eius pubertatis Christus est desponsator virginitatis.*

Ita peccatum suum plauxit S. Fabiola Romana matrona prenobilis, quæ marito adultero repudiato, alteri nubens, putans id sibi licere, eo mortuo errorem suum et culpam agnoscens, publicam egit pœnitentiam, ac omnibus suis in pauperes erogatis, seipsam in nosocomio æ-

vana gloria bona opera decorticat.

Vers. 8.

Moral. de pœnitentia.

pœnitentia S. Fabiolæ.

grorum ministerio mancipavit. Audi de ea S. Hieron. in eius Epitaphio ad Oceanum : *Quis hoc, ait, crederet, ut post mortem secundu viri in se reversa etc. saccum indueret, errorem publice fateretur, et tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cesariano truncatus est gladio, sluret in ordine penitentium : Episcopo, præsbyteris, et omni populo collaerymantibus. sparsum crimen, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? Et inferius : Non est confusa Dominum in terris, et ille cum non confundet in celo. Aperuit eunctis vulnus suum, et decolorem in corpore eicatricem stens Roma conspexit : descendit de solio deliciarum suarum, et discealecatis pedibus transiit fluenta lacrymarum : sedit super carbones ignis. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat : oderat gemmas, linteaminu videre non poterat, ornamenta fugiebat. Et mox : Omnem censum quem habere poterat (erat autem amplissimus, et respondens generi suo) dilapidavit ac vendidit, et in pecuniam congregatam in usum pauperum preparavit, et prima nosocomium instituit. Quoties morbo regio et pædore confectos humeris suis ipsa portavit ! quoties lavit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat ! Præbebat cibos propria manu, et spirans cadaver sorbitiunculis irrigabat, etc. Angusta misericordie eius Roma fuit. Peragrabat ergo insulas, et totum Hetruscum mare, imo Hierosolymam navigavit, etc. Quare merito S. Hieron. eam nuncupat, laudem Christianorum, miraculum Gentilium, luctum pauperum, solatium Monachorum.*

S. Paula. *Quin et S. Paula post conversionem in Bethlehem commigrans, ita delicias vitæ prioris eastigavit et planxit, ut ieiuniis, lacrymis, aliisque pœnis pene se conficeret. Mollia, ait S. Hieron. in eius vita, etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat ; si tamen illu quies dicenda est, quæ iugibus pene orationibus dies noctesque iungebat, illud implens de psalterio : Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo : in qua fontes crederes lacrymarum : ita leviu plangebat peccata, ut illam gravissimorum criminum crederes, ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, ut eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat : Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et stibio sæpe depinxi ; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpeti compensandus est stetu, mollia linteamina asperitate cilicii commutanda : quæ viro, et sæculo placui, nunc Christo placere desidero. Vere S. Gregor. hom. 10. in Ezech. In sanctorum vita cognoscimus, inquit, quid in Scriptura legere debeamus.*

Vers. 9. **PERIIT SACRIFICIUM ET LIBATIO DE DOMO DOMINI.)** Pro sacrificium hebr. est מִנְחָה *mincha*, id est, sacrificium ex farre, vel pane, de quo Levit. 2. *Libatio* erat. oblatio libaminis, puta vini et olei, quo sacrificia tum farrea, tum carnea condiebantur, q. d. Quia locustæ, puta Chaldæi, vastarunt agros, vineas et oliyeta Iudæorum, hinc periit frumentum, vinum et oleum, quod Domino de more sacrificaretur et libaretur. Quocirca *lucerunt sacerdotes*, tum quia periit cultus et oblatio Dei in templo ; tum quia deficientibus oblationibus quibus vivunt (nec enim aliam habent hæreditatem) non habent unde se sustentent. Ita S. Hieron. Theod. Ribera, a Castro et alii.

Vers. 10. **CONFUSUM EST VINUM.)** Est prosopopeia, q. d. Erubuit vinum et quasi pudore suffusum est, videns se non respondere votis et laboribus vinitorum, nec spæi a se datæ. Unde Septuag. vertunt, *aruit vinum, aruerunt vites.* Hebr. enim הֹבִישׁ *hobis*, proprie est præteritum *hiphil* a rad. בָּשׂ *ibas*, id est, aruit : sed quia ordines verborum imperfectorum apud Hebræos sæpe commutantur, hinc *hobis* potest deduci a בָּשׂ *bos*, id est, confusus est, pudefactus est. Adde, si legas aliis punctis הֹבֵשׁ *hubus* proprie significabit, *confusum est gaudium*, hoc est periit, defecit, ut iam dixi.

Vers. 15. **ACCINGITE VOS, scilicet saccis, sive ciliciis, ut dixit v. 8. ET PLANGITE SACERDOTES.)** Vestrum enim est pro populo Deum propitiare planctu, precibus et pœnitentiis.

**SANCTIFICATE IEIUNIUM.)** Nota, *sanctificate* Hebræis proprie est segregare ab usibus profanis, et addicere sacerdotibus, q. d. Vos, o sacerdotes, et pontifices, ac principes, segregate, designate et indicite tempus aptum ieiunio, illudque cum toto populo pure et sancte obite et celebrate, ut placetis Deum peccatis vestris offensum. Ita Theod. Arias, et alii. Unde Chald. vertit, *decernite ieiunium ; Vatabl. indicite ieiunium ; Tertull. lib. de Ieiuniis c. 16. sanctificate ieiunium.*

Secundo, S. Hieron. Haymo, Hugo et Lyran. *Sanctificate*, inquit, id est, sanctum facite, et condite ieiunium per elemosynas, preces, aliaque pia opera, ut v. g. quod ieiunando subtrahitis ventri, detis pauperibus. Unde S. Gregor. homil. 16. in Evang. *Ieiunium, ait, sanctificare, est adiunctis bonis aliis dignum Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. Incassum enim caro atteritur, si a pravis voluptatibus animus non refrænatur, cum per Prophetam Dominus dicat : Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra. Et superius : Illud ergo ieiunium Deus approbat, quod ad eius oculos manus elemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire : ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.*

**VOCATE COETUM.)** Symmach. *synodum ;* Aquila, *diem collectæ*, scilicet populi, quod fiebat in die festo, ut in die octava Paschæ, et festi tabernaculorum. Unde dies hæc octava vocabatur hebr. צְרִיף *atsaru*, id est, coetus, sive collecta populi. Septuag. καθόλιξε θρησκείαν, id est, *prædicatæ curationem*, id est, ieiunium quo curantur peccata, ait S. Hieron. aut potius *curationem*, id est, orationem et supplicationem publicam, quia curetur Dei cultus, invocatio et propitiatio : θρησκεία enim significat famulatum, obsequium, cultum. Unde S. Dionys. Eccl. hierare. c. 10. monachos vocat θρησκείας, id est, cultores et famulos, qui iugiter assistunt et obsequuntur Deo. Quocirca Tertull. l. de ieiuniis c. 16. vertit, *prædicatæ officia curantia Deum*, additque : *Unde, et qui in idolis comendis, et in hæc re (alii melius legunt, in aris) ornandis, et ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur.* Curatione ergo idem est quod cultura, et curator idem quod cultor. Sic Parochi vocantur a vulgo Curati, vel Curatores, quia curant cultum Dei, geruntque curam Ecclesie et Parochianorum. Ita ex Platone Leo Castrius hic, et Pamelius in Tertull. Sic apud Gentiles, ait Tertull. *Cam stupet extum, et uret annus, nudipedalia denunciantur : magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, preces indignant, hostias instaurant.*

**A A A DIEI.)** q. d. Væ diei quo Ierusalem vastabitur a Chaldæis, væ Hierosolymis, væ Iudæis in illo die. Hebr. est unica dictio dissyllaba אָהָה *ahah*, quæ est interiectio dolentis et desperantis. Noster vertit unica dictione, sed trisyllaba, *Aaa*, tum quia hæc apud Latinos et Europæos est vox et suspirium summe afflictæ : tum quia Hebræa aspiratio h sæpe per a vertitur, ut docet S. Hieron. in Tradit. Hebr. in Genesim : sic enim pro Hebr. *Aharon* vertunt, Aaron, pro *Habel* Abel, pro *Halleluia* Alleluia.

Iam quia in Hebræo *ahah* duplex est h, et secundum est mappicatum in ventre, ac forte, quod proinde sonare et audiri debet, ita ut *ahah* licet vox sit dissyllaba, virtute tamen sit trisyllaba ; hinc per duplex a noster vertit, eni adde primum a in *ahah*, habebis triplex *a a a*. Quocirca Sept. trinam pariter pro *ahah* habebat vocem, ac ter repetunt, οἶμοι οἶμοι οἶμοι, id est, *oime, oime, oime*, vel *hei mihi, hei mihi, hei mihi in diem ;* Syrus et Arabicus uterque, *heu, heu huic diei, quia proximus est dies Domini, et direptio a Deo veniet*, q. d. O tristem diem exidii, qui nobis imminet ! Hinc Hugo de S. Viatore per tria *a a a* putat significari trinam calamitatem et eadem Iudæis a Deo per Chaldæos infligendam : *Triu siquidem, inquit, Babylonice captivitatis fuerunt infortunia : templi scilicet eversio, urbis destructio, populi transmigratio, q. d. A civitas destructur, sed misere civitati sanctificationis tue. A templum evertetur ; sed audi Domine orationem quam servi tui*

Vers. 14. Sanctificatur ieiunium dupliciter.

I.

II.

Cultores et curatores qui ?

Vers. 15.

orant eorum te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum hanc die ac nocte. A populus tuus in captivitatem duccitur; sed miserere Domine plebi tuæ super quam invocatum est nomen tuum.

Allegor.

Allegor. Idem pathetice et eleganter refert hæc ad ruinam Iudæorum tempore Christi, et ad exidum eorum per Titum et Romanos, ob repudiatum, imo occisum ab eis Christum, q. d. *A veniet qui avertet iniquitatem a Jacob, et eripiet iugum ab Israel. A et non est ei species, neque decor, et vidimus eum, et non erat ei aspectus. A et quasi absconditus vultus eius et despectus: unde nec reputavimus eum, et putavimus eum quasi leprosum, et percussimus a Deo et humiliatum. A quia vidimus, et non cognovimus. A quia audivimus, et contempsimus. A quia operantem bona accepimus, et pro nobis orantem interfecimus. Audivimus verba, accepimus beneficia, vidimus miracula, sed A verba contempsimus: A beneficiis ingrati fuimus: A miraculis detraximus. Audivimus docentem in monte: sed A surdu aure transivimus: inde dolor. Vidimus eum turbas pascentem: sed A non curavimus: inde mæror. Vidimus eum pendentem in cruce; sed A contempsimus: et inde terror. Audivimus doctrinam, accepimus vitam, vidimus mortem. Doctrina illius nostram excelsitatem illuminavit: A cui non obtemperavimus. Vita eius nostram informavit: A quam non recepimus. Mors eius mortem nostram captivavit: A quam contempsimus, imo quam fecimus. Idem concionator facile accomodat animæ quæ dampnanda est in iudicio, tum particulari, tum universali.*

Tropol.

Symbol. et Tropol. idem: *A a a, quia sunt mala quoque tria Iudæorum, æque ac quorumlibet peccatorum: ignorantia, concupiscentia et miseria. Legis naturalis pravariatio attulit ignorantiam: legis scriptæ transgressio inordinatam propagavit concupiscentiam: prophetiæ contemptus ministravit miseriam. A pravariata est lex naturalis: inde dolor: sed vindictatum est in ea captivitate Ægyptiaca. A pravariata est lex scripta: inde mæror: sed vindictatum est in ea captivitate Assyriaca. A contempsit prophetia: inde terror: sed et hoc disponis vindicare captivitate Babylonica. A incidimus in miseriam quam vindicasti: A decidimus in concupiscentiam quam punisti: A incidimus in miseriam horrendam quam disposuisti. Unde causam doloris fusius explicans Ioele subdit, aitque Synagogam, æque ac animam, peccando perdidisse omnes suas opes et delicias: Perit, inquit, sacrificium, id est, mortificatio carnis: et libatio, id est, fletus compunctionis; et regio, id est, serenitas conscientiæ: humus, humilitas cognitionis propriæ: triticum, amor iustitiæ: vinum, fervor sapientiæ: oleum, odor misericordiæ: fœcus, dulcedo contemplationis, et æternorum suavitas: hordeum, abiectio penitentiæ: agricolæ, tum efficaees concionatores et pastores, tum gemitus et motus confessionis: vittores, desideria compunctionis et suspiria contemplationis: palma, contemptus terrenorum: malgranatum, tum charitas unionis fraternæ, tum ardor et sitis præmiorum: malum simplex, boni affectus: ligna alia, cæterarum virtutum sunt desideria: vel potius opera et profectus. His amissis, confusum est gaudium; quibus possessis, ordinatum et gloriosum disponitur premium.*

QUA PROPE EST DIES DOMINI. puta dies iudicii, et vindictæ Domini, quam in Ierusalem exeret per Chaldæos, ET QUASI VASTITAS A POTENTE VENIET.) Hebr. est pulchra et nervosa paronomasia כְּשׂוֹד מִשְׂדֵי chesciod misciadaï, id est, quasi vastitas potens a vastante potente veniet: sciudai enim est nomen Dei, et Deum vel miserierdem, vel potentem et vastantem significat, uti dixi Gen. 17. 1.

Vers. 16.

CORAM OCVLIS VESTRIS. Ita et Septuag. licet Hebr. et Chald. habeant, coram oculis nostris; sed eodem redit sensus, q. d. Vobis et nobis speetantibus vastabitur Iudæa, ideoque ALIMENTA, scilicet sacerdotum, puta sacrificia et oblationes, PERIERUNT, id est, peribunt, DE DOMO (templo) DEI NOSTRI, ac eoque peribit LÆTITIA ET EXULTATIO.) Qua in festis et sacrificiis exultare solebant. Deumque festive colere psalmis, hymnis, organis, tympanis, etc.

COMPUTRUERUNT IUMENTA IN STERCORE SUO.) q. d. Vers. 17.

Hæc Chaldæorum strages non tantum homines, sed et iumenta affliget. Nam illa ob metum hostium Ierusalem obsidentium, eduei non potuerunt ad pascua, sed in stabulis et stercore suo, deficiente herba et feno, fame morientur, contabescunt et computrescent; ita Remigius, Hyran. Albert. Ribera et a Castro. Pro computruerunt hebr. est עָבְטוּ abesciu, quod verbum hic tantum reperitur. Septuag. vertunt, subsultaverunt vitulæ in præsepibus suis. non præ lascivia, sed præ fame corruentes, pedesque ad terram allidentes, ait Theodor. Arabicus Antioch. vox animalium super præsepibus, et non saltant animalia, et greges boum plorant præ carentia pabuli: Arabieus Alexand. non gustant animalia, et armenta boum boant præ defectu pasuorum: Syrus, dormierunt vitulæ icuonæ (inæcnatæ) in præsepibus suis. Melius Noster, R. Jonathan, R. David et Aben Ezra vertunt, computruerunt, id est, putredine corrupta sunt.

B

Pro iumenta hebr. est פִּרְדוֹת perudot, aut potius aliis punctis פִּרְדוֹת pirdot, id est, mulæ, a rad. פָּרַד parad, id est, divisit, separavit: muli enim a patre et matre, puta ab equo et asina, specie distinguuntur; nec enim sunt equi, nec asini, sed tertia species, puta mulæ. Sub mulis, qui frequentes erant apud Iudæos (adeo ut filii regum iis uterentur, ut patet 2. Reg. 13. 29.) equos, asinos, boves, cæteraque iumenta per synædochen intelligit. Septuag. vertunt, vituli; Chald. vertit, dolia: Computruerunt, inquit, dolia vini sub operculis suis: Tigurina vertit, semina sparsa et sata in agro: computruerunt, inquit, semina dispersa subter glebas suas, ac proinde ex tali semente nulla sperari poterat messis.

Tropol. in stercore et fætoribus libidinis suæ computrescunt luxuriosi, inquit Remigius, Albert. et Hugo ac S. Gregor. 21. Moral. cap. 6. vel iuxta aliam editionem, 8. Iumenta, ait, in stercore suo computrescere, est carnales homines in fælore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumentum declarantur, de quibus per Prophetam (Ieremiam cap. 5.) dicitur: Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus Propheta alius (Ezechiel. cap. 23.) dicit: Ut carnes asinorum carnes eorum, et fluxus equorum fluxuseorum. Idem ad verbum habet Rupert. censetque id impletum in lasone. aliisque apostatis, 2. Machab. 4. æque ac hoc ævo in Luthero, Calvino, Petro Martyre, Bucero, aliisque ab Ordine ad nuptias transvolantibus, completum vidimus, Et S. Bern. serm. 10. in ps. 90. Quomodo, ait, dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra, non pareitis carni vestræ? Esto non parcamus semini, in quo ei magis parere poteramus? An non melius est illi renovari et multiplicari in agro, quam in horreo putrefieri? Heu computruerunt iumenta in stercore suo, sic vos pareitis carni vestræ? Simus nos crudeles interim non parcendo, at vos plane parcendo crudeliores: siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe: videritis vos ipsi quid ignominie interim vestra sustineat, quid miseriæ cam muneat in futurum.

Denique S. Hieron. Computrescit, inquit, in stercore, cuius Deus venter est, et qui dicit: Manducemus et bibamus, eras enim moriemur. Sicut enim luxuriosus in morbo Gallico, ita gulosus in phlegmonibus, vomitu et sordibus suis putrescit. Et sic accipi potest versio Chaldæi: Computruerunt dolia vini, id est, ebriosi et gulosi ventripotentes, utpote quorum venter dolium est; ita Delrio adagio 967.

DEMOLITA SUNT (vastata vel combusta a Chaldæis) HORREA.

DISSIPATÆ SUNT APOTHECÆ.) q. d. Apothecæ in quibus grana et annona recondebantur, eversæ sunt ab hoste, vel collapsæ ex incuria colonorum, eo quod non haberent frumenta quæ in illis reponerent, ac consequenter nec sumptus ad earum sarta tecta restauranda: quoniam confusum est (exaruit, perit, ut dixi v. 10.) triticum.

QUA NON EST PASCUA EIS.) Veteres Latini usurparunt pascuum in genere neutro, et in plurali pascua substantive; sed adiective vocabant sylvam, vel regionem pa-

Vers. 18.



seuam, æque ac agrum pascuum, et rura pasena. Hinc vox pasena uidectiva, scilicet regio, vel terra, transit in substantivum. Script. enim tam usurpat pasena pasena in singulari, quam pasena pasuorum in plurali, ut Ps. 22. 2. *In loco pasuæ ibi me collocavit.* Iob 39. 11. *Montes pasuæ suæ.* 1. Paral. 4. 40. *Invenieruntque pasuas uberrimas.* Psal. 78. 13. *Oves pasuæ tuæ.* Isaïæ 37. 27. *Gramen pasuæ.* Ezech. 38. 18. *Reliquias pasuarum.* Denique Anton. Nebrissensis in Dictionario, notat tam dici pasena pasuæ, quam pasena pasuorum. Desinat ergo Novantes nostrum Interpretem quasi illatum suggillare, eique barbarissimum impingere.

Vers. 19. **AD TE DOMINE CLAMABO.** ) In tantis tamque immedicabilibus malis unum superest confugium, ut scilicet tuam, o Domine, opem imptorem: tu enim solus potes et soles extremis malis mederi, eum a tuis toto corde invocaris.

**QUA IGNI succensus ab homine COMEDIT SPECIOSA DESERTI.** ) q. d. Chaldæi succenderunt speciosas villas, hortos, arbores, segetes, etc. Iudæorum; ita S. Hier. Theod. Ribera et alii.

Causam doloris et plactus, ait Hugo de S. Victor. *subdit magna detrimenta. Detrimta vero sunt hæc putredo foetida iumentorum, anxietas animalium, interitus pecorum, demolitio horreorum, apothecarum dissipatio, pasuæ inanitio; quorum causa hæc est, speciosorum combustio, lignorum succensio, fontium exsiccatio.*

Mystice idem: quatuor sunt *speciosa deserti*, puta bona spiritalia Ecclesiæ, et animæ sanetæ, quæ ipsa peccando perdidit, scilicet *præcepta, exercitia, virtutes, chari-*

*smata. Præcepta sunt ad sanitatem: exercitia ad fortitudinem: virtutes ad formam: charismata ad audaciam. Lætitia est de transitoriiis: exultatio de æternis. Hæc autem alimenta, quæ sunt exultatio et lætitia, perierunt de domo Dei, id est, de Ecclesia: quia præcepta calcantur, virtutes contemnantur, exercitia perierunt, charismata recesserunt.*

**SED ET BESTIÆ AGRI.** ) q. d. Non solus ego, nec soli homines, sed et bestię esurientes et sitientes, uti solet area sicca imbrem sitire, v. g. oves suo balatu, boves et vaccæ mugitu, asini ruditu, etc. ad te, o Domine, suscipiunt et vociferantur, diversis, ait Rullin. faucium sonis, velut dissona consonantia, et musico concentu, tacite opem tuam implorant, postulantes a te in tanta fame et siti pabulum et potum: fontes enim *exsiccati sunt* a Chaldæis, qui eos vel obturaverunt, vel rivos eorum interruperunt et averterunt, ne in urbem influerent; ita S. Hieron. Theodoret. Lyran.

Tropol. Rupert. Homines, ait, brutis similes sunt, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, et solum esse miserum sive dolendum reputantes, si ventri quidpiam desit.

Rursum Hugo de S. Victore: *Iumenta, ait, sunt luxuriosi: armenta, curiosi: pecora, gulosi: animalia, petulantia et cupidi: bestię, simplices et idiota: horrea, authentica eloquia: apothecæ, expositorum volumina: pasuæ, passionum sanctorum et gesta: stercorea, sunt vitia et peccata: fontes aquarum, doctores populorum: ignis, cupiditas: flamma, luxuria.*

## C A P U T S E C U N D U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Pergit horrorem diei excidii Ierusalem per Chaldæos, et sub eius typo allegorice horrorem diei iudicii describere et comminari. Inde vers. 12. hortatur omnes ad pœnitentiam et planctum, ut Deum sibi reconcilient, itaque has eius minas evadant. Tertio, vers. 18. pœnitentibus promittit salutem per Cyrum, et multo magis per Christum Doctorem iustitiæ, per quem effundet Spiritum sanctum in fideles. Denique vers. 50. dat signa prævia iudicio et Iudici Christo.*

1. **C**ANITE tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini, quia prope est. 2. Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis: quasi mane expansum super montes populus multus et fortis: similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. 3. Ante faciem eius ignis vorans et post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. 4. Quasi aspectus equorum, aspectus eorum: et quasi equites sic current. 5. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. 6. A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam. 7. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, et non declinabunt a semitis suis. 8. Unusquisque fratrem suum non coaretabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed et per fenestras cadent, et non demolientur. 9. Urbem ingredientur, in muro current: domos consendent, per fenestras intrabunt quasi fur. 10. A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. 11. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia et facientia verbum eius: magnus enim dies Domini, et terribilis valde: et quis sustinebit eum? 12. Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu. 13. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. 14. Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo vestro? 15. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, 16. Congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera: egrediatu sponso de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. 17. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce Domine, parce populo tuo: et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes: quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum? 18. Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo: 19. Et respondit Dominus, et dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis: et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. 20. Et eum qui ab aquilone est, procul faciam a vobis: et expellam eum in terram iniviam et desertam: faciem eius contra mare orientale, et extremum eius ad mare novissimum: et ascendet fœtor eius, et ascendet putredo eius, quia superbe egit. 21. Noli timere terra, exulta et lætare: quoniam magnificavit Dominus ut faceret. 22. Nolite timere animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. 23. Et filii Sion exultate, et lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, et descendere faciet ad

vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio. 24. Et implebuntur aræ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. 25. Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos. 26. Et comedetis vescentes, et salurabimini: et laudabit nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: et non confundetur populus meus in sempiternum. 27. Et sciatis quia in medio Israel ego sum: et ego Dominus Deus vester, et non est amplius: et non confundetur populus meus in æternum. 28. Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filia vestra: senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. 29. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. 30. Et dabo prodigia in cælo, et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. 31. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. 32. Et erit: omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit: quia in monte Sion, et in Ierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis, quos Dominus vocaverit.

**VERS. 1.** **TUBILATE.**) Non tam voce, quam buccina: Hebr. enim **A** **U** est תריצן *tariu*, id est, *taratantara insonate*; Tigurina, *classicum canite*, scilicet triste et horronum, quale solet cani in adventu hostium in prælio, in strage et excidio, q. d. En adventat hostis, adest Chaldæus, instat urbi obsidio et vastitas: personate ergo tubis, tum ut ad arma, tum potius ut ad Deum in templum omnes confugiant, Deique opem implorent et impetrent; ac ibi habeant aut asylum, aut sepulcrum.

**IN MONTE SANCTO DEO.**) In templo et arce montis Sion.

**CONTURBENTUR** (Tigurina, *contremiscant*) **OMNES HABITATORES TERRÆ.**) Nostræ, puta Iudææ; ac tremuli et consternati Dei auxilium unanimes una voce omnes inelament.

**VERS. 1.** **QUIA VENIT DIES DOMINI,** puta dies iudicii et vindictæ **B** Domini, quam Dominus in Iudæos exercerebit per Chaldæos. Unde hæc dies a Ioele mox vocatur **DIES TENEBRARUM ET CALIGINIS, DIES NUBIS ET TURBINIS.**) Id est, summe fuusta, tristis, nubila et calamitosa, in qua præmerore Iudæi caligabunt oculis, ut videatur meridies eis esse caligo, omniaque videantur sibi videre tenebrosa et atra. Sicut enim lux est symbolum, et causa lætitiæ et prosperitatis; ita tenebræ sunt symbolum tristitiæ, adversitatis, et carceris ac captivitatis. Ad litteram ergo loquitur de die excidii Ierusalem: tropol. de die mortis, iudicii et excidii orbis, cum Archangelus canet tuba novissima, 1. Cor. 15. 52. ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Arias, Ribera et alii.

**QUASI MANE.**) q. d. Uti mane quaquaversum se spargit aurora, et prima lux solis, qui statim ut oritur omnia suis radiis illustrat, omniaque sua luce occupat; ita populus multus et fortis, nimirum locustæ siæ, de quibus dixi c. 1. 4. puta Chaldæorum agmina, celerime omnes Iudææ montes occupabunt. Persistit enim in parabola et allegoria locustarum. **Hoc autem,** inquit S. Hieron. *de locustis dicitur, ut de hostibus intelligatur; ut dum locustas legimus, Babylonios cogitemus;* ita et Theod. Remig. Hugo, Clarius et alii, et patet ex sequent. ubi eos comparat equis et equitibus. Hæc enim similes sunt locustæ, non Chaldæi, qui non similes, sed ipsimet erant equites.

Aliter Arias, q. d. Sicut mane luce oriente et occupante montes, tenebræ coguntur in vales; ita venientibus Chaldæis montesque occupantibus, tenebræ calamitatis et vastitatis coguntur in Iudæam et in Ierusalem. Illi ergo erit *dies tenebrarum et caliginis,* ut præcessit; cum Chaldæis, aliisque Gentibus erit mane Iudeum, lætum et felix.

**SIMILIS EI NON FUIT A PRINCIPIO, ET POST EUM NON ERIT USQUE AD ANNOS GENERATIONIS ET GENERATIONIS.**) q. d. Per duas, vel per multas generationes et sæcula, nullus hostis nocentior fuit, aut erit Iudææ, quam Chaldæi. Nam post plura sæcula, Romanos sub Tito et Vespasiano magis illi nocuisse, planeque eam evertisse et desolasse, liquet ex Iosepho, et ex moderna Iudæorum per totum orbem dispersione. Ita Theodor.

**VERS. 5.** **ANTE FACIEM EIUS IGNIS VORANS.**) q. d. Quidquid attingerit hic populus locustarum, puta Chaldæorum, id ipsum totum ipse quasi flamma vorax consumet, ita ut ignem manibus præferre, eoque omnia afflare et coneremare videatur, adeo ut omnia in solitudinem redigat, et post se

non nisi carbones et cineres relinquat. Ita S. Hier. Est catachresis.

Aliter Sanchez, Ignis hic, inquit, est is qui præferebatur regibus et castris Chaldæorum, quasi comes et dux viæ: ignem enim ut Deum colebant Chaldæi. Ignis ergo erat eis quasi militare signum, minans et portendens incendia, cædes et strages. Idem a Chaldæis, iis eversis, acceperunt Persarum reges, quibus prælatum fuisse ignem docet Xenophon lib. 8. Cypriædæ, Curt. lib. 3. et alii. Sic et Holoferni præferiebantur lampades ardentes et ignita, Iudith 10. 17. iuxta Septuag. Hunc ergo huius loci sensum dat: Præcedet castra hostilia in Iudæam properantia ignis vorax, proprium insigne Chaldæorum: subsequetur alius quem sparget hostis, ut Iudæam, quæ prius erat hortus voluptatis, comburat et desolet. Simili modo et causa vidit Ieremias c. 1. ollam accensam, qua portendebatur adventus Chaldæorum, qui omnia ferro et flammis erant vastaturi. S. Greg. Nazianz. orat. 15. ex Septuag. sic legit: *Anteriora eius, hortus voluptatis: posteriora autem, campus exterminii;* sicque explicat: *Ioele,* inquit, *hæc verbis deplorat terræ corruptionem, et famis cruciatum, tragice pristinae pulchritudini posteriorem deformitatem opponens,* q. d. Terra quæ prius erat florida et frugifera, postea effecta est arida et squalida, ac quasi exterminata.

**QUASI ASPECTUS EQUORUM, ASPECTUS EORUM.**) q. d. **VERS. 4.** Hæc castra locustarum, quæ representant Chaldæorum agmina, erunt similia equis et equitibus. Ita S. Hieron. Locusta enim speciem habet equi armati, et equitis cataphracti: unde Italice vocatur *cavalletta*, id est, equulus. Huc alludit S. Ioan. in suis locustis futuris sub finem mundi Apocal. 9. 7. *Similitudines, ait, locustarum similes equis paratis in prælium;* et v. 9. *Et habebant loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.*

**SICUT SONITUS** (strepitus et crepitus) **FLAMMÆ IGNIS** **VERS. 5.** **DEVORANTIS STIPULAM.**) q. d. Sicut flamma stipulam alambens et succedens strepit et crepat, sic strepit hæc locustæ, id est, Chaldæi, cum arva Iudææ instar stipularum arrodent et adarent.

**OMNES VULTUS REDIGENTUR IN OLLAM.**) Chald. *nigrescent quasi ollæ,* scilicet præ timore et pavore. Timor enim sanguinem reducit ad eor, ut illi quasi arcu in periculo consulat; unde extremæ partes velut exanimæ et exsanguæ pallescent, mox metu ingravescente nigrescent. Levis enim metus, pallorem; gravis, uti est mortis, nigredinem inducit, ut facies, inquit Rufinus, *future mortis lurido vestiantur: hinc non solum pallescent, sed etiam penitus atrabuntur* (sic enim lego cum Delrio adagio 969. non *attrahentur.*) Sic Isaias c. 13. 6. de Babyloniorum clade ait: *Facies combustæ facies eorum,* id est, nigrescent pavore et mærore: sicut enim lætitia vultus fit serenus et splendidus, ita tristitia et metu fascatur et obnubilatur, ait S. Hier. et Theoph. Secundo, Theodor. hæc refert ad famem, quasi ad causam, q. d. Præ fame fient luridi et atri: item solis ardore, cum in Chaldæa quasi mancipia cogentur laborare in luto, et aliis sordidis ministeriis, ait Sanchez, præsertim cum fient ollarii, cæcarii, ferrarii, furnarii, carbonarii: qui quam atri sint, videre est in fodinis Leodiensibus.

Tropolog. hic est typus, hic color decolor, hæc spe-

cies, hæc facies peccatorum omnium coram Deo et angelis eius.

Vers. 7.

ASCENDENT MURUM.) Chaldæi. Nota. In parabolis miscetur res cum parabola; unde quædam dicuntur in iis quæ magis proprie rei quam parabolæ ipsi conveniunt. Tale est hic, ascendere muros Ierusalem, et per eos in urbem obsessam irrumperere, quod magis Chaldæis, quam locustis eorum antitypis, convenit. Talia sunt et quæ sequuntur: *Urbem ingredientur, in muro current, in domos conscendent*; et v. 11. *Multa sunt nimis castra eius, quia fortia: viri in viis suis gradientur. Viri*, id est, singuli quasi viri fortes more exercitus, in acie et ordine suo procedent. Hebr. enim *vir* duo significat: primo *vir*, id est, unusquisque; secundo, *vir*, id est, fortis et virilis.

Ita locusta egreditur universa per turmas suas, ait Sapiens Prov. 30. 27. *Hoc nuper, inquit S. Hieron. in hac provincia (Iudea) vidimus. Cum enim locustarum agmina venerint, et aerem qui inter cælum et terram esse occupant, tanto ordine et dispositione iubentis Dei volitant, ut instar tessellarum, quæ in pavementis artificis figuntur manu, suum locum teneant, et ne puncto quidem, ut ita dicam, ungue transverso declinent ad alteram.* Hoc est quod subdit Iocel: *Unusquisque fratrem suum non coaretabit, singuli in calle suo ambulabunt*; Syrus, *singuli in semita sua ibunt, de pondere (gravitate) iudicii sui cadent, et non ascendent ad summum.* Per has locustarum acies, ordinatam Chaldæorum aciem intellige.

Vers. 8.

SED ET PER FENESTRAS CADENT.) *Nil enim locustis in vitum est, cum et agros, et sata, et urbes, et domos, et cubiculorum secreta penetrent*, ait S. Hieron. uti fecerunt locustæ a Mose immissæ in Pharaonem et Ægyptios, Exodi 10. 14. Notat Chaldæorum impetum, impudentiam et audaciam; quod quasi locustæ per fenestras portis clausis in domos Iudæorum irruturi sint.

ET NON DEMOLIENTUR.) *Passive, id est, non lædentur, non sauciabunt se in hoc saltu per fenestras, q. d. Molem corporis sui armis gravati ad humum non allident, de mole et robore suo nihil hoc casu decerpent.* Hoc signo notat eorum dexteritatem, et exercitationem in pugnando, saltando, etc. æque ac audaciam, qua in ipsos hostium gladios intrepidi irrudent; quin et illæsi, ex usu et habitu saliendi et digladiandi. Ita Sanchez. Posset quis suspicari, pro *demolientur*, legendum esse *demorientur*, id est, vulnerabuntur adeo ut moriantur. Hoc enim significat Hebr. *יבצעו* *ibtsau*. Verum codices Latini, etiam antiquissimi, quos Romæ inspexi, constanter legunt *demolientur*, id est, destruantur, et, ut Septuag. apud S. Hieron. *consumentur*; idque Latinum est, non barbarum. Veteres enim active dicebant demolio, demolivi, pro destruo, destruxi; ac consequenter passive demolior, demolitus sum, pro destruo, destructus sum. Sic e. 1. 17. dicitur: *Demolita, id est, destructa, sunt horrea.* Ita Alphenus in l. *Qui insulam*, in prin. ff. *Dominus, ait, insula, quia ædificia vitium facere diceret, demolierat eam.* Et Ulpianus in l. *Quid tamen*, §. 1. ff. *Quibus modis ususfructus amittit. Si demolitis, ait, ædibus testator alias novas restituerit.* Et, *ædificium demolitum*, in l. *Qui insulam*, in prin. ff. locat. Sensus ergo est, q. d. Audaces Chaldæi prædæ avidi, clausis ostiis per fenestras irrumperunt in domos, et non demolientur, id est, non concidentur, non lædentur, vel a se suisque armis in hoc saltu, vel ab incolarum, puta Iudæorum, se suasque domos defendentium, gladiis: tam enim fortes et dexteri erunt, ut saliendo in arma sua non impingant; tam terribiles, ut Iudæi eos invadere non audeant, sed in latebras se abdant.

Nota. Pro *fenestras* hebr. est *חלון* *scelach*, id est, immissio et emissio, puta fenestra, per quam lux et aer in domum immittitur, sordes vero in plateam emittuntur et eiiciuntur. Rursum, *scelach* significat missile, puta telum, vel iaculum. Unde Septuag. vertunt, *in iaculis cadent, et non consumentur*; Pagnin. et Vatabl. *super gladium deiicient se, et non sauciabuntur*, q. d. Chaldæi irrudent in gladios Iudæorum, iisque non lædentur, sed eos sternent, suisque ipsorum gladiis eos confodient. Rur-

sum, pro *demolientur* hebr. est *יבצעו* *ibtsau*, quod significat vulnerare, item esse avarum, ambire pecuniam. Unde Chal. vertit, *ad locum ad quem missi sunt vadunt trucidantes, et non recipient pecuniam*, q. d. Chaldæi vitam Iudæis eripient, nec aurum ab eis pro lytro oblatum recipient. Arias et Tigurina vertunt, *lucro non inhiant*. Sic et tropol. demones animas quaerunt, non aurum. Denique discit hic avaritiam apposite hebr. vocari *בצע* *betsa*, id est, vulnus: quia lædit et vulnerat proximum per usuras, fraudes, iniquos contractus, etc. Nam, ut ait Philosophus, *Pecunia est anima et sanguis mortalibus.*

Vers. 10.

A FACIE EIUS (populi, de quo v. 2.) CONTREMUIT TERRA, MOTI SUNT CÆLI.) Est poetica hyperbole, in qua partim alludit Propheta ad locustas, partim ad Chaldæos, per eas significatos, q. d. Tanta, tamque numerosa et densa erit hæc locusta, id est, exercitus Chaldæorum: tantus pariter erit eius horror et pavor in Iudæis, ut ipsis hoc metu percussis et attonitis, per locustas hæc quasi nubes, perque pulverem ab eis excitatum, sol et luna obvelari et obtenebrari videantur (solent enim agmina locustarum ita densari subinde, ut dum volant expansis alis, solem cælumque obtegant;) quin et præ horrono tubarum clangore, tympanorum et tormentorum sonitu, equorum fremitu et cursu, ungarum ad saxa collisione, militum clamore, et furore, *cælum ruere, terra fluctuare videatur*, ait S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Ribera et alii. Simili modo Isaias cap. 13. 10. et 13. ait in excidio Babylonis solem, lunam et stellas retraxisse suum lumen, cælum fuisse turbatum, et terram motam de loco suo. Sic Psaltes Ps. 17. poetice pingit Deum descendentem ad vindictam impiorum, quasi cælos, æra, terram, totamque mundi machinam quatientem, et, ut Poeta ait, *qui nutu conevulit orbem.* Vide can. 32. in Prophet. maiores.

Secundo, Theodor. et Arias hæc non hyperbolice, sed proprie accipiunt; censent enim Deum ante exercitum Chaldæorum præmississe procellas, fulgura, et tonitrua ad perecellendum Iudæos. Hæc enim cælum, id est, aer totus, æque ac terra commovetur et quatitur, iuxta illud Virgilii, *Æneid. 4.*

*Tonitru cælum omne ciebo.*

Rursum procellis hæc sol cælumque obducitur et obtenebratur. Unde sequitur:

ET STELLÆ RETRAXERUNT SPLENDOREM SUUM.) Syrus, et Arabicus uterque, *occidit lumen (fulgor) stellarum.*

ET, id est, quia, DOMINUS DEDIT VOCEM ANTE FACIEM EXERCITUS SUI.) Id est, ante exercitum suum, puta ante Chaldæos. Vox enim Dei est tonitru, ut patet ps. 28. 2. et seq. Alludit ad vocem ducis, qui suos milites ad instans prælium ingenti animo et voce cohortatur et acuit, q. d. Deus quasi dux belli milites suos, puta Chaldæos venientes in Iudæam, per tonitru animabit ad bellum; Iudæos vero per idem percellet et perterrefaciet, quia eius benignam vocem et invitationem ad poenitentiam audire noluerunt, eiusque legatos, puta Prophetas, contempserunt: tonitrua ergo Dei audient et sentient qui eius blandiloquia audierunt et spreverunt. Nota. Chaldæi hic vocantur milites et exercitus Dei: quia quasi victores fuerunt institiæ et vindictæ divinæ exercite in Iudæos, aliasque gentes. Licet enim ipsi dominandi libidine, et spoliis ditandi se cupidine Iudæos Gentesque tyrannice invaserint, ac proinde ad hoc directe a Deo excitari et positive immitti non potuerint: Deus tamen hanc eorum tyrannidem, libidinem et cupidinem directe permittere decrevit, roque ipsa permisit ad hoc, ut per eam Iudæorum Gentiumque luxum, idololatriam, aliaque peccata castigaret. Vide can. 36. in maiores Prophetas.

Allegorice, hæc veriora et maiora erunt in die mortis, et magis in die iudicii, cuius hic viva imago datur in excidio Hierosolymæ per Chaldæos. Itaque hæc dies erit tenebrarum et caliginis, qua locustæ, id est, demones innumeri armati peccatis nostris quæ in vita commisimus, animam invadent, percellent, lancinabunt, et in extremas anxietates redigent, ut terra, aer ac cælum nimis ei angustum videatur.

Vers. 12.

**CONVERTIMINI AD ME**, qui aversi eratis a me, et conversi ad varias illicitesque vestras cupidines: **CONVERTIMINI**, inquam, **IN TOTO CORDE.**) Tota mente, tota anima, toto spiritu, toto affectu. Ego enim cordis et mentis sum creator et dominus, ideoque totum illud mihi dedi, imo reddi volo, nec patior ex eo partem aliquam quæ idolis, veneri aut ventri detur, mihi suffurari. Vide S. Gregor. lib. 7. Moral. e. 12. ad illud Iobi: *Involute sunt semitæ gressuum eorum*: ubi docet peccatores sæpe facere bona proposita, sed occurrente tentatione illico ad sua vitia relabi, quia cor non mutant, nec serio et ex toto corde se ad Deum convertunt. *Esse quippe humiles, inquit, sed tamen sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt: cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quam exhibere belli certamina in campo nesciunt, et triumphare in uribus de bello concupiscunt?* Cum ex adverso, ut ait S. Bernard. humiliatio sit via ad humilitatem, passio ad patientiam, mortificatio ad castitatem, ieiunium ad abstinentiam. Vera ergo conversio fit per solidum, serium et efficaax voluntatis propositum de mutanda vita, si illud crebro innovetur, et in opus conferatur. *Aversio a Deo, inquit Hugo de S. Victor. fit tribus modis, vanitate mundi, voluptate sui, curiositate proximi. At conversio fit confessione oris, compunctione mentis, mortificatione carnis; ut scilicet in ore veritas, in mente puritas, in carne pudica sit sobrietas.* Porro internam hanc cordis conversionem, et compunctionem ostendite in ieiunio, quo puniatis peccata carnis et gulæ, et in fletu et in planctu: quo non tantum lacrymis profusis desleatis, sed et cum gemitibus, suspiriis, tunsione pectoris, complosione manuum, etc. ploretis et plangatis pristina scelera et cæcitate vestram, ac ingratitude et iniurias mihi illatas.

Recte enim Tertul. lib. de Pœnit. e. 9. pœnitentibus hosce actus et gestus ex prisco Ecelesjæ more præscribit: *Exomologesis, inquit, prosternendi, et humilificandi hominis disciplina est, conversionem iniungens misericordix illicem. De ipso quoque habitu ac victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare: cæteram pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero ieiunius preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum.* Idem lib. 3. contra Marc. e. 18. ait allictos in rebus altionitis, genibus positos, et manibus cædentibus pectus, et facie humi volutante orationem commendare debere.

*Convertimini ergo ad me in toto corde, ut scilicet omnes affectiones in unum Deum referatis.* Audi S. Bernard. serm. 2. de Quadrag. *Attende solerter quid diligas, quid metuas: unde gaudeas, aut contristeris: et sub habitu religionis animum secularium, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, et de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum, sic et gaudium tuum et tristitia æque convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fit, si non nisi secundum eum doleas, aut heteris.*

Vers. 13.

**SCINDITE CORDA VESTRA.**) Solebant enim Iudæi in blasphemia et simili atroci scelere, æque ac in gravi luctu scindere vestimenta a capite usque ad pectus, ait Arias, ut hac seissione ostenderent internam animi dolorem et displicentiam. Sed in multis hæc seissio erat mera cæremonia, hærens tantum in veste, nec ex corde promanans. lubet ergo Deus hic cor scindi, potius quam vestem.

**QUIA BENIGNUS.**) Quinque epitheta declarat immensam Dei pietatem et clementiam erga peccatores pœnitentes. Primum est, quod in eos sit *benignus*, hebraice **חַנּוּן** *channun*, id est, misericors, gratosus, benignus. Secundum est, quod in eos sit *misericors*, hebr. **רַחוּם**

**rachum**, id est, miserator visceralis, sive commiserans ex intimis visceribus. Tertium est, quod sit *patientis*, hebr. **אֵיטוּם** *erech appaim*, hoc est *longis*, id est, latis *naribus*, hoc est longanimis, patients, tardus ad vindictam, facilis ad veniam. Qui enim latis habent nares, tarde irascuntur, et cito placantur, quia iræ fumos naribus efflant: ex adverso **קָצָר אֵפִים** *ketsar appaim*, id est, *angustis naribus*, significat faciem ad iram, et tardum ad veniam: quia inæ spiritus et fumos efflare nequit, sed reservat, et in corde menteque continet, uti dixi Exodi 31. 6. Quartum est, *multæ misericordix*, hebr. est *multus pietate et bonitate*. Quantum, *præstabilis*, id est placabilis et pœnitens, *super malitia*, id est, afflictione et punitione, quam comminatus est peccatoribus, ut scilicet pœnitente homine pœniteat et Deum, nec minarum decreta iis intelligat, sed ea revocet et aboleat; ita Hebr. Chald. S. Hierou. et alii. Hebr. enim est **נִחָם** *nicham*, id est, *pœnitens super malitia*, ut vertunt Septuag. et Vatabl. *Deus*, ait Hugo Victor. *benignus est, quia iram inimicorum vertit in mansuetudinem: misericors, quia sæcietiam in pietatem: patientis, quia contemptum in compunctionem: multus misericordix, quia odium in dilectionem: præstabilis super malitia, quia barathrum desperationis in gratiam provehit contemplationis.* Unde Arabicus vertit, *multæ misericordix potentia eius, et gratia eius, et avertens malum; Syrus, convertens malitiam.*

Nota hic rursus latinatam, imo elegantiam nostri interpretis. Nam *præstabilis super malitia* latine ad verbum idem est, quod *præstans*, vel qui *præstat*, excellit et eminet malitiæ, hoc est iræ et vindictæ; qui maior et melior est malitia, nec sinit se ab ea vinci aut regi, sed eam ipse ut dominus vincit et regit; ita Ribera, Ira enim est quasi fera tigris, et quasi indomabilis læna: quis enim hominum furens ira et cholera, eam domet et regat? Ira ergo dominatur irato, eique habenas rationis et imperii executit, imo vero eam quasi mancipium sibi servire et obsequi facit. Unde Poeta:

*Ira furor brevis est.*

Et Cicero Tuscul. 4. An, ait, *est quidquam similis insanix, quam ira? Quam bene Ennius initium dixit insanix, color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum, quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homericæ fœdius? Quid Agamemnone in iurgio? nam Aiaccum quidem ira ad furorem mortemque perduxit.* Deus autem tam potens, tam sanctus, tam mansuetus est, ut iræ et vindictæ suæ ad nutum imperet: tam præstans et excellens est eius bonitas, ut omnem malitiam tam culpæ, quam pœnæ peccatoribus decretæ, omnem vindictæ cupidinem, omnem puniendi sententiam in eus latam, si pœniteant, mox revocet et deleat. Unde Hebr. *nicham*, verti potest *consolabilis super malitia*, q. d. Deus malitiam, id est, iram et vindictam, quantumvis trucem, amarissimam et acerbissimam consolari, flectere et dulcorare potest, imo ipsam iram vertere in consolationem et benevolentiam summam. Quanta esset vis et dulcedo mellis, quod fel, imo mare felleum dulcoraret? Longe maior est vis bonitatis Dei, dulcorantis omnem malitiam et amaritudinem. Hanc sibi proponant irati, in eaque quasi abysso iras suas mergant et sepeliant.

Porro *præstabilis* Latinis idem esse quod *præstans*, excellens, eximium, patet ex Cicerone lib. de Amicitia, ubi ait: *Nihil amicitia præstabilius esse putetis.* Et lib. 2. de Natura deorum: *Nil melius mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius.* Et l. 2. de Orat. *Summx autem res (oratori) erunt aut magnitudine præstabiles, aut novitate primæ, aut genere ipso singulares. Neque enim parvæ, neque usitatæ, neque vulgares admiratione, aut omnino laude dignæ videri solent.* Et Gellius: *Chilo, ait, præstabilis homo sapientix.* Sic Deus *præstabilis*, id est, præcellentis, eminentis et transcendentis, est misericordix, quæ oritur partim ex eius celsitudine et magnitudine animi immensa. Verum enim est illud Ovidii lib. 3. Tristium eleg. 5.

*Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ,  
Et faciles motus mens generosa capit.*

Quinque epitheta clementis Dei.

Præstabilis, id est placabilis, cur?

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,  
Pugna suum finem, cum facit hostis, habet.  
At lupus, et turpes instant morientibus ursi,  
Et quæcumque minor nobilitate feru est.*

Partim ex eius infinita bonitate. Boni enim viri proprium est, ait Plato, opus suum non destruere, sed perficere: perlicetur autem penitentia ex parte destructi, et remissione ex parte Dei. Quod videns Moses inter alia arcana sibi ostensa in Sina, dum Deum corpore vestitum a tergo intueretur, exclamavit: *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multe miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia*, id est, in mille generationes, etc. *qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam generationem*. Quantum ergo mille excedit quatuor, tantum bonitas et clementia Dei excedit iustitiam. Hoc est quod Ecclesia prolietur dicens: *Deus cui proprium est misereri semper et parcere*. Vide dicta Exodi 34. 6.

Moral de imitando et per Christum recreatus est, attributa iugiter consideret, eaque imitari, induere, et moribus exprimere studeat. Scripsit S. Thomas hac de re opuse. 62. quod inscribitur, *De divinis moribus*, quod docet quomodo quindecim attributa Dei æmulari debeamus, itaque fieri divini.

1. Primum, inquit, est immutabilitas. *Apud Deum enim non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio, lac. 3* et ideo immutabilia sunt opera eius secundum essentiam, scilicet angelus, anima, cælum, et quatuor elementa; mutat quidem multa in mundo, sed omnis hæc mutatio est in creaturis, non in creatore, sæculares assidue mutantur, et constantes sunt in sua inconstantia; sancti vero tendunt iugiter ad mentis constantiam, ut nec adversis fracti, nec prosperis illecti a via recta deflectant; in soper eundem semper in statu, incessu, omnique conversatione vitæ piæ tenorem servant. Secundum, omne bonum Deo placet, omne malum displicet: ita et sanctis placet omne bonum semper et ubique, et in qualibet creatura, omnibusque bonum, id est, gloriam Dei et salutem proximi impugnantibus fortiter resistunt, multo magis, omni malo, id est, peccato.
2. Tertium, Deus prævidet et providet omnia: ita sancti prævident tentationes, contra easque se muniunt; item novissima, puta mortem, iudicium, itaque suis rebus et salutis aeternæ prospiciunt. Quartum, Deus patiens est, quin et solem suum oriri facit super bonos et malos, ac pluit super iustos et iniustos: ita et sanctorum propria virtus est patientia, qua inimicos non tantum tolerant, sed et amant, eosque benefactis obruere et amicos reddere student. Rursum, patienter sustinent tot scelera, tot rapinas, tot oppressiones, tot strages et elades, publicas et privatas, quæ in hoc mundo fiunt; sicut Deus eadem sustinet. Hoc enim commendat omnipotentiam Dei: non enim est magnæ potentie iniquum in foveam inferni demergere; sed misericordiam suam parcendo maxime, et miserendo manifestare. Quintum, Deus est iustus, adeo ut quantum est ex parte ipsius, nullus ex alterius malitia recipiat detrimentum. Nihil enim nocet S. Michaeli casus Luciferi, nec Iudæ malitia Petri charitatem imminuit: secus faciunt mundani, qui unius, v. g. Religiosi aut clerici peccatum, in totum Ordinem et statum Ecclesiasticum refundunt: at sancti Dei iustitiam imitantur. Sextum, Deus est rectus, nihil facit ex privato amore vel odio, nunquam propter iustitiam misericordiam deserit, nec propter misericordiam iustitiam derelinquit: idem facere student sancti. Septimum, Deus est liberalis, et communicat ex suo quicquid communicabile est, etiam iis qui id non petunt, imo negligunt et contemnunt. Ita angelis communicavit suam beatitudinem, Apostolis suam potestatem ligandi et solvendi, Prophetis suam præscientiam, Doctoribus suam sapientiam, Martyribus suam fortitudinem, Confessoribus suam constantiam inter læta et tristia, virginibus suam puritatem: ac speciatim Mosi suam mansuetudinem, Iosepho suam providentiam, Eliæ suum zelum, Samsoni suum robur, Salomoni suam prudentiam, Davidi suam misericordiam, B. Petro suam charitatem,

**A** S. Iohanni suam castitatem, S. Paulo suam magnanimitatem: sic et sancti oculos habent ad videndum pro aliis, aures ad audiendum confessiones, os ad prædicandum, pedes ad ambulandum, cor ad meditandum pro aliorum salute. Octavum, Deus est placabilis: nam penitentibus ita offensas etiam gravissimas, condonat, ut nunquam illarum recordetur, eosque ita diligit, imo magis, quam ante: ita et sancti iniuriæ obliviscuntur, familiaritatem suam lædentibus non subtrahunt, imo omnia probra condonant, et pro exprobrantibus orant. Nonum, Deus est benignus iis qui eum gravissime offenderunt, imo suis irrisoribus et crucifixoribus, quos gratia sua prævenit, vocavitque ad penitentiam, gratiam et gloriam: ita nihil facit Deo sic similem, ait S. Chrysost. atque malignis et lædentibus esse benignum et elementem, cum sit cumulus perfectionis inimicos diligere, et pro ipsis orare, uti fecit Christus in cruce. Rursum, Deus a nemine exigit quidquam supra vires in pœnitentiis, ieiuniis, orationibus, e-leemosynis, omnique disciplina, sed paucis lacrymis et gemitu, imo corde dolente et contrito contentus, omnia scelera indulget: sic sanctus neminem gravat supra vires, sed tantum exigit id, quod facile præstare potest. Decimum, Deus est verax in dictis et promissis, ut patet in oraculis hisce Prophetarum: ita sanctus verax et fidelis est, tum Deo in fide, cultu, obedientia ac votis; tum proximo in omnibus dictis et factis: quia *qui veritatem odit, odit Christum*; et ut ait S. Chrys. *Veritatis proditor est non tantum ille qui mentitur, sed etiam qui libere veritatem non pronunciat aut defendit, cum opus est*. Undecimum, Deus non est acceptor personarum, ut divites et potentes præferat pauperibus et miseris, imo hos illis anteponit et evexit, uti evexit Davidem, Saulem, Gedeonem, Iosue, etc. ad regnum et principatum, et in donis gratiæ non respicit naturæ dotes: atque in donis gloriæ nil nisi merita intuetur; denique æqualis est ei cura de omnibus: ita et sanctus tam amat et curat pauperes quam divites, tam peregrinos quam cives, tam imo magis afflictos quam felices: nam æque omnes iuvare, et ad salutem dirigere satagit. Duodecimum, Deus nulla re turbatur, sed in omnibus rebus et eventis est æquanimis: ita sanctus vitat omnem turbationem; quia modica, vel potius nulla gratia quiescere potest in anima turbata. Hinc maledicta et malefacta proximorum, dissimulat, et cum Davide quasi surdus ea non audit, et quasi eceus ea non videt: quia totus in Deo, Deique voluntate et dilectione defixus est et conquiescit. Decimumtertium, Deus non quærit commodum suum, sed in omni opere creationis, conservationis, gubernationis, redemptionis, etc. spectat bonum hominum et creaturarum: sic et sanctus non quærit quæ sua sunt, sed poro Dei gloriam, et proximorum utilitatem in omnibus actibus suis procurat: quia quanto magis et purius Deum respicimus, et quanto minus nostram, magisque proximi utilitatem attendimus, tanto acceptabilius est Deo, et tanto universitati fructuosius est opus nostrum. Decimumquartum, Deus omnia bene et perfecte facit in operibus naturæ, æque ac gratiæ, sive sit ventus, sive pluvia, sive calor, sive frigus, sive sterilitas, sive ubertas, etc. pro illo tempore nil melius fieri potest: quia immensa sua sapientia singula perfecte suo tempore operatur: sic et sanctus studet esse in singulis operibus suis perfectus, quia tota salus eius, et omnis laus Dei, ac universitatis utilitas ex uno opere penderet; et quasi nunquam ad illud esset reversurus, neque illud opus incepturus; unde in eo conquiescit, donec illud absolvat et compleat. Qui enim cupit avetque absolvere, ideoque festinat, ut ad aliud se transferat, minuit affectum, et conatum operis lassescit, et facile ab incepto desistit. Decimumquintum, Deus non punnit his idipsum: idem facit sanctus, qui in hoc, et in reliquis universis studet se per omnia conformare sanctissimæ Dei voluntati. Hæc summam, quæ fusa D. Thomas opuse. 62.

**QUIS SCIT SI CONVERTATUR?** Ha vertunt et Septuag. vers. 14. Vatabl. et alii passim; licet enim *το si* non sit in Hebræo, tamen de more ex phrasi Hebræa subintelligitur. Vox *si*

significat dubitationem Prophetæ de venia Iudæis, etiam A vel trium sanctorum pio consensui, omnia quæ poposecrit, Dominus prestanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exequenti et per unum spiritum concorditer supplicanti? Et Tertull. in Apologetico: Publica, ait, omnium oratione, quasi manu facta expostulamus, et vim facimus Deo. Sed hæc vis grata est Deo.

significat dubitationem Prophetæ de venia Iudæis, etiam pœnitentibus apud Deum impetranda: licet enim certo sciret Deum pœnitentibus semper remittere offensam, id est, culpam et pœnam æternam; tamen sciebat pariter Deum non semper pœnitentibus remittere pœnam temporalem, qualis hic erat excidium Iudææ per Chaldæos a se decretum et comminatum. De illa ergo dubitans Propheta, ait: *Quis scilicet si convertatur, et ignoscat?* id est, an forte ignoscat, q. d. Spero eum ignosciturum, at asserere et promittere non audeo. Simili modo Deus Davidi pœnitenti culpam homicidii et adulterii remisit, non pœnam: nam eum punivit morte filii, et privatione regni in persecutione Absalonis, 2. Reg. 12. 10. ita S. Hieron. Theod. Rufin. Rupert. et alii. Chald. ex Hebræo, omisso si verit asseritive, et paraphrasticè hoc modo: *Qui scit apud se esse peccata, discedat ab eis, et misericordia applicabitur ei, et quicumque pœnitentiam egerit, remittentur ei peccata sua, et recipiet benedictiones ac consolationes, et erit eius oratio sicut viri qui offert oblationes, et libamina in domo sanctuarii Domini.*

ET IGNOSCAT. ) **וְנָחַם** *venicham*, id est, et pœniteat, hoc est, revocet sententiam, non vastando Iudæam per Chaldæos, uti decreverat.

ET RELINQUAT POST SE BENEDICTIONEM. ) Est propositio: loquitur enim de Deo, quasi de homine offenso, qui pœnitentia amici a quo offensus est placatus, iram et offensam ponens, ad amicum redit blandus et serenus, imo cum munusculis et donis, quæ deinde abiens illi relinquit, tamquam symbola amicitie redintegratæ, q. d. Simili modo Deus vobis, o Iudæi, relinquet benedictionem, id est, frugum et honorum omnium copiam, ex qua illi in gratiarum actionem *sacrificium et libamen* crebro et large offerre possitis. Paulo aliter *post se* explicat Christoph. a Castro, q. d. Post suam vindictam, puta post 70. annos captivitatis Babylonice.

Vers. 15. CANITE TUBA IN SION. ) Ut sono tubæ omnes convocatis ad publicam supplicationem et litaniam ad tantam cladem avertendam. Iudæi enim ad populum convocandum utebantur tubis, ex præscripto Dei Num. 10. 1. non campanis: hæ enim propriæ sunt Christianorum: et initio quidem fuerunt minores, sed pace Ecclesiæ reddita per Constantinum paulatim grandiores factæ, nomen autem campanarum acceperunt a loco, ubi primo maiores factæ sunt, nempe a civitate Nola in Campania; unde et minores campanulæ, dicuntur Nolæ. Ita Ration. divin. offic. lib. 1. c. 4. n. 1. Cardinal. Baron. tom. 1. anno Christi 57. Iudocus Lorichius in Thesaurio Theolog. verbo *Campana*.

Moral de publicis litiis.

Ex hoc loco refellitur Lutherus, et eum secuti Magdeburgenses centuria 3. c. 10. in Tertull. qui processiones et litanias publicas referunt ad Montani hæretici ceremonias, et Tertulliani errores. Nam illas hoc loco Deus iudici iubet per Prophetam, uti et Iosue e. 6. v. 4. ubi per illas corruerunt muri Iericho. Eadem indixit David 1. Paral. 13. 2. et Iosaphat 2. Paral. 20. 21. imo eas sanxit Christus suo facto et exemplo, dum publica populi processione ingressus est Hierosolymam in die palmarum, Matth. 21. 8. Ita Gregor. magnus in publica lue et peste publicas litanias indixit, quibus aversa est ira Dei et plaga, ut ipse testatur lib. 11. Epist. 2. Et Carolus Magnus Imp. lib. 6. legum c. 74. *Litania*, inquit, *maior more Romano septimo Calend. Maii celebretur.* Eadem sanxit Concilium Moguntinum habitum anno Christi 813. cap. 33. Ita an. 36. imperii Theodosii Imp. cum Constantinopolis terræ motu quateretur, totus populus supplicans inclamavit *Kyrie eleison*, ac puer raptus in cælum iussus est Episcopo et populo nunciare, ut litanias facerent, dicerentque: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserece nobis.* Proclus ergo Episcopus hæc suscepta litania præcepit populo sic facere, et statim terræ motus cessavit, inquit Paulus Diaconus lib. 44. Var. hist. Plura vide apud Iudocum Cocceium in Thesaurio Cathol. p. 2. l. 3. a. 7. Vere S. Leo serm. 3. de ieiunio septimi mensis c. 3. *Plenisima*, ait, *peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio, et una confessio: si enim duorum*

vers. 16. **SANCTIFICATE IEIUNIUM**, indicite sanctum ieiunium. V. de dicta cap. 1. v. 14. **VOCATE COETUM.** ) Mystice S. Bernard. serm. 4. de ieiunio Quadrage. *Sint*, ait, *ieiunio nostro, ut facile cælos penetret, duæ alæ, orationis scilicet et iustitiæ, ut reddas fratri unitatem et pacem, quam debes; unde ait: Vocate cælum. Quid est enim cælum vocare? Unitatem servare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Phariseus ieiunium habuit, ieiunium sanctificavit, qui nimirum et ieiunavit bis in Sabbato, et gratias egit Deo: sed non vocavit cælum, dicens: Non sum sicut ceteri hominum, ideoque ala una nitens ieiunium eius, non pervenit in cælum. Vos ergo charissimi lavate manus vestras in sanguine peccatoris, et omnino solliciti estote, ut alas duas habeat ieiunium vestrum, sanctimoniam scilicet, et pacem, sine qua nemo videbit Deum: sanctificate ieiunium, ut pura intentio et devota oratio divinæ illud offerat Maiestati. Vocate cælum, ut congruat unitati; laudate Dominum in tympano et choro, ut concors sit mortificatio carnis.*

**SANCTIFICATE ECCLESIAM.** ) q. d. Facite qua monendo, qua exhortando, qua minando, qua sanctæ vitæ exemplo præcundo, ut totus ecclesiæ populus se Deo suo sanctum præstet, itaque eius offensam placet, eumque sibi reconciliet; ita S. Hieron.

**COADUNATE SENES.** ) q. d. Congregate omnis ætatis, ordinis et sexus homines, ut omnes clamant in cælum, flagitentque misericordiam, eamque communi omnium voce, quasi armata manu, a Deo extorqueant. Nominat præ cæteris *senes*, quia hi effæta ætate solent esse puriores a vitiis carnis, et ob affectum debilemque valetudinem promiores ad preces et vota. Item *parvulos et sugentes ubera*, ut hi innocentes suo miserabili vagitu aures Dei pulsent, flectantque ad misericordiam. Sic de parvulis ab Herode occisis ait S. August. serm. 1. de Innocentibus: *Miserabatur lamentatio matrum, et ad cælum transibat oblatio parvulorum, Deum concilians matribus totique Iudææ. Sic pullos corvorum lamentabili crocitate, quasi naturali prece, poscere cibum a Deo, docet Psaltes ps. 146. 9. Qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Et leuculos suo rugitu: Catuli leonum, inquit, rugientes ut rapiant, et quarant a Deo escam sibi, ps. 103. 21. Et v. 27. de omnibus animalibus ait: Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Hæ enim sunt quasi naturales animalium obsecrationes, quibus tacite ab auctore naturæ postulant cibum et potum sibi congruum. Unde Deus illorum conditor eas audit et exaudit, dum cuique escam providet et largitur. Adde, parvulos hos suo ploratu excitare parentes et vicinos, ut ferventius orent et plorent.*

**EGREDIATUR SPONSUS.** ) q. d. Sponsi et sponsæ complexibus et voluptate thalami abstineant, ac dent se pœnitentiæ et lacrymis, adeantque ecclesiam, ut una voce omnes vociferentur in cælum, flagitantes veniam. Docet hic Propheta, tempore publicæ calamitatis, pœnitentiæ, et supplicationis coniugibus abstinentium coniugio, ut melius se dent orationi: quod et docet Apostol. 1. Cor. 7. 5. Et Rituale Romanum iubet, ut Pastores hæc de re moneant coniuges, dum eos matrimonio coniungunt. Ita Nicolaus I. in respons. ad quæst. Bulgar. cap. 50. scribit ut toto tempore Quadragesimæ, utpote orationis et ieiunii, usu coniugii abstineant. Ita Noc eo abstinnit toto tempore diluvii degens in arca, idque volente Deo, uti ex S. Ambros. dixi Gen. 8. 16.

**EGREDIATUR SPONSUS.** ) q. d. Sponsi et sponsæ complexibus et voluptate thalami abstineant, ac dent se pœnitentiæ et lacrymis, adeantque ecclesiam, ut una voce omnes vociferentur in cælum, flagitantes veniam. Docet hic Propheta, tempore publicæ calamitatis, pœnitentiæ, et supplicationis coniugibus abstinentium coniugio, ut melius se dent orationi: quod et docet Apostol. 1. Cor. 7. 5. Et Rituale Romanum iubet, ut Pastores hæc de re moneant coniuges, dum eos matrimonio coniungunt. Ita Nicolaus I. in respons. ad quæst. Bulgar. cap. 50. scribit ut toto tempore Quadragesimæ, utpote orationis et ieiunii, usu coniugii abstineant. Ita Noc eo abstinnit toto tempore diluvii degens in arca, idque volente Deo, uti ex S. Ambros. dixi Gen. 8. 16.

**EGREDIATUR SPONSUS.** ) q. d. Sponsi et sponsæ complexibus et voluptate thalami abstineant, ac dent se pœnitentiæ et lacrymis, adeantque ecclesiam, ut una voce omnes vociferentur in cælum, flagitantes veniam. Docet hic Propheta, tempore publicæ calamitatis, pœnitentiæ, et supplicationis coniugibus abstinentium coniugio, ut melius se dent orationi: quod et docet Apostol. 1. Cor. 7. 5. Et Rituale Romanum iubet, ut Pastores hæc de re moneant coniuges, dum eos matrimonio coniungunt. Ita Nicolaus I. in respons. ad quæst. Bulgar. cap. 50. scribit ut toto tempore Quadragesimæ, utpote orationis et ieiunii, usu coniugii abstineant. Ita Noc eo abstinnit toto tempore diluvii degens in arca, idque volente Deo, uti ex S. Ambros. dixi Gen. 8. 16.

Symbol. Hugo Victor. *Sponsus*, inquit, id est, sapiens, *egredietur de cubili suo, id est, de studio sapientiæ; et sponsa de thalamo suo, id est, de privilegio descendat contemplatiæ gratiæ; et id est, de squalorem subeant pœnitentiæ, obtentu querendæ veniæ.*

Vers. 17. **INTER VESTIBULUM ET ALTARE.**) Nota ex I. 3. Reg. 6. templum Iudeorum proprie tantum duas continuisse partes, scilicet Sanctum, et Sanctum sanctorum; sed ante se habuisse vestibulum, sive porticum, quam Aquila vertit, *προδρόμον*, quasi præviam templo. Hebraice vocatur *שַׁלְשֵׁל* *ulam*, id est, colligatum et connexum templo; Symmach. vertit *προπύλαιος*, q. d. *Antefores, proforium*, idque duplici de causa; prior, ad dignitatem basilicæ, et ad maiestatem incolarum. Hæc enim de causa palatium addi solent vestibula, ut docet Vitruvius lib. 6. c. 8. sic Romæ ante basilicam S. Petri, S. Laurentii, S. Clementis, S. Crucis, etc. videmus vestibula, sive porticus suis columnis subnixas. Posterior, ad adventantium stationem. Unde Macrobius lib. 6. c. 8. *vestibulum* dici putat quasi *ve stabulum*, vel *ve statio*: *ve* autem tum intensionem significat, tum munitionem. Nam *vetus* dicitur ab ætatis magnitudine, quasi *ve*, id est, magna ætas: *vehemens* quasi vi mentis instructum. *Vectors* autem et *resanus* privationem significant sanitatis et cordis. Ergo locum ante fores relictum dici putant vestibulum a stationis excessu: quia in eo diu stabant adventantes, domus dominum salutaturi, expectantes audientiam. Et Gellius lib. 16. cap. 1. Vestibulum dici putat quasi venientium statio: Servius vero, quod januam vestiatur, vel quod Vestæ consecratum esset. Unde nubentes puellæ limen non tangunt. Hinc Lucanus lib. 2.

*Translata vetuit contingere limina planta.*

Porro vestibulum hoc templi ad magnificentiam habebat in altitudine 120. cubitos, uti docet Villalpando l. 3. de Templo cap. 46. Erat ergo instar ingentis turris: unde in eius pinnaulo, hoc est culmine, statuit diabolus Christum, eum tentans et dicens: *Mitte te deorsum*, q. d. Si tu es filius Dei, ergo hoc tuum est templum: mitte ergo te deorsum, ut illesum te sisas inter vestibulum et atrium sacerdotum: illique æque ac laici, hoc miraculum videntes, te ut templi dominum, Deique filium agnoscant et eolant; ita Franc. Lucas in Matth. 4. Nam ante hoc templi vestibulum, erat atrium sacerdotum sub dio, et in eo erat altare holocaustorum: post hoc atrium sacerdotum sequebatur atrium extimum laicorum, quod ab atrio sacerdotum dividebatur muro trium cubitorum altitudinis, teste Iosepho lib. 8. Antiqu. 2. ita ut populus spectare posset sacerdotes, holocausta, cæteraque quæ fiebant in atrio sacerdotum, non autem illud ingredi.

Iubet ergo hic Propheta sacerdotibus, ut inter templi vestibulum et altare holocaustorum, id est, in atrio suo, sed proxime ad vestibulum et templum, supplices orent et plorent: idque Primo, quia decebat eos proxime ad templum, in tanta populi necessitate supplicare. Secundo, ut populus eos spectare posset, et eorum exemplo accendi ad communes preces et complorationes; ita S. Hieron. Lyran. Ribera, a Castro, Vilalpando et alii. Tertio, quia sacerdotes prius sacrificabant, et per victimas pro peccato, et holocausta parabant sibi aditum ad Deum, ut deinde accedentes ad vestibulum templi, sua vota precesque Deo supplices offerrent. Qua re tropol. significabatur, accedenti ad orationem præmittendam esse mortificationem: altare enim holocaustorum symbolum erat mortificationis, templum orationis.

Denique in hoc loco a Ioele hic designato occisus est et Martyr occubuit Zacharias Propheta, de quo Christus Matth. 23. v. 23. ait: *Usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachæ, quem occidistis inter templum et altare*: quod hic dicitur, *Inter vestibulum et altare*. Vestibulum enim templo erat connexum, et quasi pars extrema templi: quare nomine templi comprehendit illud Christus. *Plorabunt*, id est, prostrati, cinereque et sacco operiti plorent et dicant: *Parce Domine*. Hebræi enim sæpe futuram capiunt pro imperativo vel subiunctivo: ita S. Hieron.

Nota hic sacerdotum esse flere et plorare peccata populi. Ita olim pii sacerdotes flebant lacrymis in sacrificio. Hæc de causa sudario utebantur, uti etiamnum utuntur. Audi Amalarium lib. 3. de Eccl. offic. c. 24. *Propter effusionem lacrymarum tergendam fertur sudarium, ut*

**A** *in Martyrologio Bedæ legitur 19. Iulii, quod Pater noster Arsenius propter redundationem lacrymarum tergendam, semper sudarium in sinu vel in manu habuerit. In manu sinistra portatur ut ostendatur in temporali vita, ludium nos pati superflui humoris, hoc est, carnalis delectationis.* Porro Beda in Collectan. agens de vestibus sacerdotum tom. 3. hoc sudarium vocat mappulam, sive amapham, ita dictam a mundaudo sudore et humore; camque ait sacerdotem gestare in sinistra. Unde videtur, quod mappula hæc fuerit manipulus: nam et manipulus videtur dici quasi manus mappula: quodque in locum mappulae, deficiente devotione et lacrymis sacerdotum, successerit noster manipulus. Quocirca Amalarium inter vestes sacerdotis non nominat manipulum, sed eius loco ponit sudarium. Hinc et sacerdos induens manipulum ait: *Merced Domine portare manipulum stetus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Manipulus ergo cum moneat compunctionis, devotionis et lacrymarum priscorum sacerdotum.

**B** **NE DES HÆREDITATEM TUAM** (populum tuum, de quo dixisti: *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*, Deuter. 32. 9. Et, *Eritis mihi in peculium de cunctis populis*, Exodi 19. vers. 5.) **IN OPPROBRIUM, UT DOMINENTUR EIS NATIONES.**) Chaldaei.

**QUARE DICUNT** (id est, dicent; Septuag. *ne dicant*) **UBI EST DEUS EORUM?**) q. d. Si nos tradis Chaldæis, Gentem et nos, et te, o Domine subannabunt et blasphemabunt dicentes: *Deus Hebræorum suos Iudæos deseruit, quia infirmus eos contra Chaldæos tutari non valuit; aut, si valuit, immisericors et crudelis noluit. Averte hæc probra a te, a nomine tuo glorioso.*

**ZELATUS EST** (zelabitur, id est, amore et zelo prosequetur) **DOMINUS TERRAM SUAM**, Iudæam: **ET PEPERCIT**, id est, parcat, **POPULO SUO.**) Cum Cyrum leetet, ut eos e Babylone in Iudæam liberos dimittat, scilicet postquam eos captivitate septuaginta annorum punierit, in eaque contritos, pœnitentes sibi supplicantes, uti præcessit, audierit. Consolatur de more Propheta suos post minas et supplicia; vide canon. 12. ita S. Hieron. et alii passim. Unde Arabicus vertit, *zelatus est Dominus terræ, et pepercit populo suo.*

Tropolog. vide hic fructum contritionis et pœnitentiæ, quæ Deum non tantum ad misericordiam et amorem, sed et ad zelum parendi, et tuendi pœnitentes excitat et accendit. Quare merito exclamat hic Hugo Victor. *O fructuosa et virilis pœnitentia! O virago amplectenda, mediatrix peccatorum fidissima! O secunda naufragii tabula! O refugium pauperum, miserorum auxilium! exulum spes, debiliu fomes, lumen excorum, petulantium virga, vilitorum sera, virtutum apotheca! que sola iudicem flectis, conditorem arguis, Omnipotentem sternis, dum vinceres vincis, dum cruciatis crucias, dum vulneras sanas, dum salubriter succumbis gloriose triumphas. Tu sola cæteris silentibus, thronum gratiæ audacter conscendis. Probat id et illustrat exemplis: David, inquit, manu duccens reconcilias, Petrum restituis, Paulum illuminas, Publicanum sumptum de telonio Apostolorum fidenter inseris choro: Mariam de prostibulo teras in æthera, et iungis Christo: Latronem affixum patibulo adhuc vernantem sanguine inseris paradiso. Quid plura? Tui iuris est celestis curia. (Et mox per antitheta, mala culpæ inlieta c. 1. 10. bonis (quæ sequuntur v. 22.) pœnitentiæ opponens, et emendans: *Contra terræ vastitatem, inquit, ipsius opponit ubertatem: contra famem saturitatem: contra opprobrium gloriæ, securitatem: contra crudelitatem et incursionem hostium, ipsorum fetorem et interitum: contra sterilitatem fructuum et arborum ariditatem, ipsorum germina et ubertatem: contra famem verbi et silim doctrinæ fontem vitæ inducit, et doctorem iustitiæ: contra tristitia gaudium: contra confusionem solatium: contra convivium gloriam: contra mortem vitam: contra cinerem coronam.**

**RESPONDIT DOMINUS**, per me Ioelem hoc loco; **ECCE** **EGO MITTAM VOBIS FRUMENTUM**) Quod abstuli per erucam, locustam, bruchum et rubiginem, c. 1. 4.

Vestibulum, quod eius est. mon.

Manipuli sacerdotis origo et usus.

Vers. 18.

Elogia pœnitentiæ.

Vers. 13.

ET NON DABO VOS ULTRA OPPROBRIUM.) *Ultra*, id est, A in longum tempus. puta hoc sæculo, vel quamdiu durabit vestri memoria. Sic τὸ *non ultra*, non perpetuum, sed longum, et immemorabile tempus significat, 3. Reg. 10. 10. 4. Reg. 6. 23. et alibi.

Vers 20.  
Veniens  
ab Aquilone  
quis?

ET EUM QUI AB AQUILONE EST (Aquilonarem tyrannum) PROCUL FACIAM A VOBIS.)

Quæres, quisnam hic Aquilonaris? S. Hieron. Theodor. Remigius, Albertus et Hugo accipiunt Sennacherib, quem Dominus longe fecit a Ierusalem: quia dum eam obsideret, angelus Domini una nocte percussit centum octoginta quinque millia militum, itaque eum fugere compulit, 4. Reg. 19. 35.

Verum Ioelem tota prophetia agit de vastitate Iudæis imminente, non a Sennacherib, sed a Nabuchodonosor et Chaldeis, uti iam sæpius dixi. Hic enim veniens ab Aquilone, id est, e Chaldæa, cepit et vastavit Ierusalem, ac Iudæos in captivitatem Babylonem abduxit. Unde Ierem. cap. 1. 14. comminans eius cladem, eundem vocat Aquilonem: *Ab Aquilone*, inquit, *proculdetur malum super omnes habitatores terræ*. Hunc Deus procul fecit et abegit a Iudæis, dum eius filium, vel nepotem Balsasarem eum urbe Babylone, totoque regno per Cyrum evertit. Quocirca Chaldæi, qui tum in Iudæa degebant, illique præsidebant, ut patet Ierem. 40. 10. audita hæc Balsasaris domini sui clade, perterriti fugerunt in invias solitudines, partim versus mare mortuum, situm ad Orientem Iudææ; partim versus mare Mediterraneum situm ad Occidentem eiusdem, multique ex illis a Iudæis et Persis cæsi sunt, ita ut occisorum fætor et putredo aerem completeret, sique punia est eorum superbia et tyrannis, qua populum Dei superbe opprimebant: ita Theodor. et a Castro.

Est Ho-  
lofernes.

Secundo, S. Hier. et alii multi mox citandi, per hunc venientem ab Aquilone, melius et plenius intelligunt Holofernem, qui missu alterius Nabuchodonosoris regnantis in Ninive, Iudæos Babylone reversos invasit, sed eversus et cæsus est a Iudith. De eo enim dicitur: *Venit Assur ex montibus ab Aquilone, in multitudine fortitudinis suæ*, Iudith 16. 5. Cæso enim Holoferne, milites Assyrii fugerunt in invia, dispersique sunt versus mare Occidentale et Orientale. Iudæa enim ab Occasu habet mare Mediterraneum, quod hic novissimum dicitur, ab Oriente vero habet mare Galilææ, quod et Genezareth et Tiberiadis dicitur; e regione cuius erat Bethulia, ubi fugati sunt Assyrii, q. d. Exercentium immensum Holofernis, qui videbatur pertingere a mari Galilææ usque ad mare Mediterraneum, quaquaversum in omnem mundi plagam dispergam. Probatur hæc explicatio ex eo, quod post reditum populi e Babylone in Iudæam, in eaque pacem et copiam frugum, Deus promittit hanc de tyranno ab Aquilone venturo victoriam: at nec in Scriptura, nec apud Iosephum, alium tunc ex Aquilone venisse legimus, nisi Holofernem. Adde, huic magis congruit, quod hic dicitur de fuga militum ad mare Galilææ et Mediterraneum, quam Nabuchodonosori et Chaldæis: ita Ribera. Licet enim Pererius in cap. 1. Danielis, Genebr. lib. 2. Chronol. Canus l. II. de Locis cap. 6. a Castro hic, Serarius in cap. 1. Iudith, et nonnulli alii putent historiam Iudith contigisse ante captivitatem Babylonicam sub Manasse rege Iuda; tamen Suidas v. *Iudith*, et Iulius Africanus apud eundem, S. August. l. 18. de Civit. 26. Euseb. in Chron. Beda de Tempor. Rabanus, Hugo Card. Dion. in Iudith e. 1. Gerardus Mercator in Chron. Ribera et alii multi putant post eam contigisse, regnante vel Cambyse, vel Dario Hystaspis, vel eius filio Xerxe, de quo plura dixi in libro Iudith.

Christus  
est Au-  
ster, dia-  
bolus est  
Aquilone

Alleg. Aquilonaris hic tyrannus est diabolus, qui quasi Boreas frigus, id est, aecidiam et torporem, mentibus hominum immittit, hiememque virtutum et bonorum operum inducit: sed hunc fugavit Christus, qui quasi Auster, ealorem et fervorem mentibus Apostolorum et fidelium aspiravit. Unde de eo dicitur Cant. 4. 16. *Surge* (transi, abi) *Aquilo, et veni Auster: perfla hortum meum, et fluant aromata illius*, puta aromata virtutum, ait ibidem Theodor. et Nyssenus. Unde Richard. de S. Victore ibidem ad-

dit: *Per Aquilonem enim colliguntur aquæ ne fluant; inde dictus est Aquilo quasi aquas ligans*. Hinc et Deus ab Austro veniet, ait Habacuc cap. 3. 3. Porro Hugo Victor. singula ita adaptat: Is qui ab Aquilone est *apostata angelus, qui per incarnationem Christi, per verbum fidei, per gratiam baptismi expulsi sunt in terram invidiam, id est, in ariditatem Gentilis et Iudaici populi*. Unde Christus: *Cum, ait, immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem*, Matth. 12. 43. Pergit Hugo: *Mare Orientale sunt electi, novissimum reprobi, facies intentio, extremum inclusio, vel mare Orientale sunt primitivæ electionis Gentium, novissimum crudelitas Iudæorum: fætor eius est mors Antichristi: putredo super eum, sententia iudicii*. Unde de his ait Isaias cap. ult. v. ult. *Egredientur (beati) et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*. Vide ibi dicta. Arabieus uterque vertit: *Occidentalem (vel Occidentem) expellam a vobis*. Sub Aquilone enim intelligitur ei vicinus Occidens, in quem tendunt reprobi: diabolus enim eos trahit in oceanum; sicut sub Austro intelligitur ei vicinus Oriens, in quem tendunt sancti et Beati.

Moraliter: *Terra est reproba anima; in via est, quia sine visitatione angelorum: deserta, quia sine fructu virtutum, et semine morum: demonis exclusio est peccati confessio: mare Occidentale, est mens per compunctionem amara, per devotionem contemplationis Oriens facta: mare novissimum, est mens factore conscientie amara, desperatione venie absorta: facies eius, astuta intentio nocendi: extremum eius, furor et insania triumphandi: fætor est odium peccati, putredo contemptus mundi*. Huc usque Hugo.

MARE ORIENTALE.) *Mare Orientale* est mare Galilææ, vel potius mare mortuum, sive lacus Asphaltites, in quem versa est Sodoma et Pentapolis, dum ælesti igne conflavit, quod proinde vocatur mare salissimum, et ponitur limes Iudææ, sive terræ Iudæis promissæ ab Oriente, Num. 34. 3. Sicut ibid. v. 9. limes eiusdem ab Occidente ponitur mare magnum, sive Mediterraneum: ita S. Hieron. Albert. Lyran. Minus recte ergo aliqui per *Mare Orientale* accipiunt Oceanum. Hic enim non tangit Iudæam, atque tam versus Meridiem aliasque mundi plagas, quam versus Orientem porrigitur.

Loquitur hic iugiter Propheta de exercitu Assyriorum, vel Chaldæorum sub allegoria locustarum, atque alludit ad plagam locustarum, Agypto a Mose inflictam. Has enim orante Pharaone tollens Moses, induxit ventum occidentalem, puta Zephyrum, qui *arrepam locustam proiecit in mare rubrum*, Exodi 10. 19. Simili enim modo Deus Assyrios dispersit ex Iudæa, ut fugerent versus eius limites, puta versus mare mortuum, et ad mare Mediterraneum in exterarum regiones.

ASCENDET PUTREDO EIUS.) Hebr. צחנתו *tsachanato*, quod S. Hieron. Tigr. et alii vertunt, *putredo eius*; Septuag. vertunt βρομοσ αωσθ, quod Romani vertunt pariter *putredo eius*. Sed Compl. vertunt, *sonitus eius*: quia βρομοσ et putredinem sive fetorem putidum, et sonitum sive crepitem, fremitum et mugitum significat. Hic tamen potius putredinem et fetorem veritas: hunc enim significat hebr. *tsachanato*, ut vertit S. Hieron. Tigr. et alii.

NOLI TIMERE TERRA.) Iudæa scilicet, Iudæa enim, id est, eius incolis, puta Iudæis post reditum e Babylone promittit bona quælibet temporalia, eaque per antithesin malis singulis, quæ iisdem comminatus est cap. 1. v. 4. et sequ. opponit: ita S. Hier. Theodor. Hugo et alii. Mystice sub hisce temporalibus intelligit bona spiritualia per Christum danda, ad quæ sensim assurgit: *Omnibus*, ait S. Hieron. *quibus supra comminatus fuerat, nunc contraria pollicetur, et latis tristitia mitgat, et lacrymas vertit in risum*.

QUONIAM MAGNIFICAVIT DOMINUS UT FACERET.) Hoc est, maguilice Deus tecum fecit, id est faciet: maguilice tecum facturus est, magna tua rerum damna maiore copia et maguilicentia sareiet, imo obruet. Est hebraismus:



reperitur enim *ut faceret*, quod continetur in voce *magistravit*.

Vers. 22. **NOLITE TIMERE ANIMALIA REGIONIS**, præ fame et defectu pascuorum squalentia et tabescentia, ut dixit e. I. vers. ult. **QUONIAM GERMINAVERUNT SPECIOSA DESERTI.** q. d. Post reditum e Babylone faciam ut germinent loca amœna, antea desolata et deserta, faciam ut prata, imo et steriles ericæ proférant pingua pascua, et agri lætas segetes, quibus vos, o animalia, pascamini et impinguemini.

**FIGUS ET VINEA DEDERUNT VIRTUTEM SUAM.** Id est, fructum vigoris sui, ait Chald. puta vigorosas, sapidas et succulentas uvas et ficus. Est metonymia: ponitur enim causa pro effectu, *virtus*, sive vigor pro fructu vegeto et vigoroso.

Vers. 23. **ET FILII SION EXULTATE ET LÆTAMINI IN DOMINO DEO VESTRO.** Qui licet omnium sit communis Dominus, tamen proprie se vestrum dumtaxat Deum ostendit, dando vobis tanta et tam magnifica dona, ac si vester tantum esset pater, provisor et procurator; cæteras vero gentes præ vobis negligeret. Porro *Sion*, non carnalem, sed spiritualem hic accipit. *Filii ergo Sion*, sunt omnes filii Ecclesiæ Christi, omnes fideles et Christiani. Ad Christum enim salit et avolat Propheta: hic enim est Doctor iustitiæ, ut iam dicam. Solent enim Prophete a solutione captivitatis Babylonicæ, et libertate data per Cyrum quasi a typo salire ad antitypum, puta ad solutionem captivitatis humanæ e potestate diaboli; et libertatem filiorum Dei datam per Christum.

**QUIA DEDIT VOBIS DOCTOREM IUSTITIÆ.** Pro *doctorem* hebr. est *מורה* *more*, quod aliqui vertunt pluviam, sicque hunc locum transferunt, *quia dedit vobis pluviam propter iustitiam*. Unde apposite sequitur: *Et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum*. Favet versio Septuag. *quoniam dedit vobis escas* (triticum ex pluvia recundante agros) *in iustitiam*, q. d. Post reditum e Babylone dabit vobis Deus pluviam, indeque messem et annonam copiosam, in præmium vestræ pietatis et iustitiæ, utque studiosius ei serviat in iustitia: ita S. Hier. et Theodor. Hinc et Syrus, et Arabicus uterque vertit, *dedit vobis cibum iustitiæ*.

Verum melius *more* vertas *doctorem*. Primo, qui ita vertit S. Hieron. Chald. Vatabl. Clarius, Arias et passim alii. Secundo, quia de pluvia mox subdit: *Et descendere faciet ad vos imbrem*: ergo hic *more* non imbrem, sed doctorem significat: alioqui esset tautologia, et idem bis diceretur. Tertio, quia hebr. est, *Dedit vobis more ad iustitiam*, quod proprie de doctore accipi debet, non de pluvia: nec enim pluvia, sed doctor datur ad docendam iustitiam. Quarto, quia *more* semper alibi a Nostro, Sept. et aliis vertitur doctor, aut legislator: pluvia enim hebr. non *more*, sed *יורה* *iore* vocatur. Ita psal. 83. 8. *Etenim benedictionem dabit legislator*, hebr. *more*; licet R. David ibi vertat, *piscinas operiet pluvia*. I-saiæ 30. 20. *Et non faciet avolare doctorem tuum*, hebr. *מורה* *morecha*. Et alibi passim. Unde a *more* dicitur Syrus *mara* (unde *maranata*, id est, *Dominus noster venit*) Arabicum *mir*, id est magister, dominus: unde *maria* idem est quod *magistra*, *domina*. Alludit tamen *more* ad *תורה* *tora*, id est lex, et ad *יורה* *iore* id est pluvia: quia Hebræi doctrinam vocant rorem vel pluviam, eo quod illam doctor instar pluvix suaviter, sensim et guttatim instillet auribus et mentibus discipulorum, easque sapientia irriget, lætificet et fecundet. Unde Moses Deuter. 32. 2. *Concreseat*, ait, *ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super graminu*. Quocirca in Hebr. hic est *pulebra* paronomasia inter *more*, id est doctorem, *iore*, id est pluviam, et *יורה* *iored*, id est descendere faciet, q. d. Deus dabit vobis *more*, id est doctorem, qui *iored*, id est descendere faciet, et quasi e caelo stillabit in vos *iore*, id est, pluviam cælestis doctrinæ. Sic Isaias Christum comparat rori et caelis descendenti et terram irroranti e. 45. 8. *Korate*, ait, *cæli desuper, et nubes pluant iustum*. Vide ibi dicta.

Quæres, quisnam hic *doctor iustitiæ*? Rabbini, quos

A sequitur Rufinus, asserunt esse Ezechiam regem qui postulum excitavit ad pietatem Dei que cultum 2. Paral. 30. Ideoque Jerusalem ab obsidione Sennacherib liberavit. Alii volunt esse Iosiam, piam pariter regem, qui aras idolorum evertit. Verum hic non agitur de Sennacherib, sed de Nabuchodonosor, vel Holoferne: hunc enim doctorem promittit post captivitatem Babylonicam, ut dixi v. 20. Adde, hic augustus titulus *Doctor iustitiæ*, in Scripturis non datur Ezechie, Iosie aut Prophetis, sed soli Messie, ut patet Isaiæ 30. 20. et cap. 53. 4. *Ecce testem populis dedit eum, ducem ac præceptorem gentibus*, quo hic alludit Ioelem, præsertim quia hic doctor in Hebræo habet articulum, et vocatur *המורה* *hammore*, id est, ille eximius et singularis orbis doctor, puta Doctor doctorum et Prophetarum omnium, quem singuli avide expectamus, utpote a Prophetis omnibus promissum. Unde Ieremias e. 23. 6. loquens de Messia: *Hoc*, ait, *est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*. Et Daniel e. 9. 24. *Ut adducatur iustitia sempiterna, et ungetur Sanctus sanctorum*, puta Christus. Tertio, quia sequentia v. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri: et dabo prodigia in caelo, etc. Sol convertetur in tenebras: et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, ad nullum nisi ad Christum pertinent.

Iisdem rationibus confutatur sententia recentiorum Rabinorum, quos sequuntur Lyran. Hugo, et Dionys. qui per *doctorem* accipiunt doctores, id est, Prophetas Iudæoram post captivitatem Babylonicam, quales fuerunt Zacharias, Aggæus et Malachias: fateor tamen ad eos alludi, eosque quasi obiter perstringi (alludit enim Ioelem ad felicitatem populi Babylone redeuntis, cui dedit Deus frugum copiam. Unde subdit: *Et implebuntur aræ frumento. Et reddam vobis annos quos comedit locusta*: ) sed ita, ut acies Prophetæ primario et directe figatur, finiat et expleatur in Christo: sicut Moses Deuter. 18. 18. promisit post se Prophetam, id est, Prophetas, et inter eos unum eximium et singularem, puta Christum. Christus enim est unus noster Magister et Rabbi per excellentiam, ut ipse ait Matth. 23. 8. ita Remig. Rupert. Haymo, Albert. Arias, Vatabl. Ribera, a Castro et alii.

**ET DESCENDERE FACIET DOMINUS AD VOS IMBREM MATUTINUM ET SEROTINUM.** Apud Prophetas *imber matutinus* vocatur, qui in autumno depluit, cum sementis fit in Iudæa, ut illius grana solvantur, et radices figant in terra. *Serotinus*, qui maturescente segete descendit in Aprili aut Martio: ita Chaldæus, Rabbini, et passim Interpretes. In Iudæa enim calida et sicca regione, tota æstate, id est, a Maio usque ad Octobrem, per quinque menses non pluit, sed sudum iugiter et serenum est cælum, tam nocte quam die: unde noctu in tectis sub dio dormiunt, uti a viris gravibus qui ibi habitantur accipi. Quocirca duplex ibidem est tempus pluvix, prius post æstatem cum iaciuntur semina, illudque dicitur mane, sive matutinum respectu segetis, quæ tunc e terra erumpit, uti mane in aurora exurgit sol: posterius, ante æstatem, quod segetes incrassat et maturat, illudque dicitur serotinum respectu matutini iam dieti. Segetes enim suum quasi habent diem, cuius aurora est germen et germinatio: vespere, seges et messis, cum seicet in horrea conduntur.

Nota. Per hunc imbrem significat messem, et fruges temporales copiose dandas Iudæis post reditum e Babylone: ita S. Hier. Theodor. Remig. Albert. Hugo et Lyran. Verum sub his tropice et metaphoricè, longe magis intendit significare fruges, et bona spiritualia danda per Christum, q. d. Christus doctor iustitiæ talem vobis doctriam, et tantam ubertatem honorum spiritualium dabit, qualis et quanta olim in veteri testamento, imbre illo matutino et serotino adumbrabatur: ita Rupert. Haymo, Arias, Ribera, a Castro et alii. Id ita esse patet ex rationibus paulo ante allatis, et ex eo quod hæc bona promittat in æternum; æterna autem sunt bona spiritualia Christi, non temporalia Iudæorum. Quocirca imber matutinus, est prædicatio prima, sive doctrina, illustratio et gratia

Do-  
tor  
iustitiæ  
quis?

Imber  
matuti-  
nus et  
seroti-  
nus quis?

præveniens, quæ primo peccalorem convertit, facitque iustum: serotinus, est illustratio, et gratia consequens, quæ iustum in iustitia promovet, et ad perfectionem deducit, æ præsertim est donum perseverantiæ; hoc enim iustum ad gratiam consummatam, id est, ad gloriam et beatitudinem cælestem perducit: ita S. Hieron. Arias, a Castro et alii.

Symbol. imber matutinus fuit vetus testamentum, quod prima pietatis semina pullulare fecit: serotinus est novum, quod veteris semina maturavit, et ad messem virtutum perduxit: ita S. Hieron. et Haymo.

Rursum Rupert. Matutinus, ait, imber fuit prædicatio Evangelii facta Iudæis a Christo et Apostolis: serotinus erit, quæ fiet ab Elia et Henoch in fine mundi, eum omnis Israel salvus fiet.

Vers. 24.

**ET IMPLEBUNTUR AREÆ FRUMENTO.**) Perstringit obiter fertilitatem Iudææ post reditum e Babylone, sed per hanc intelligit præcipue copiam charismatum et virtutum datam agris. et areis, æ olivetis et vinetis, id est, Ecclesiis particularibus per Christum. Porro *toreularia*, in quibus exprimitur vinum et oleum, sunt tum gymnasia, monasteria, collegia, aliaque asceteria: tum perseutiones et tribulationes, quibus vinum sapientiæ et fortitudinis; æ oleum consolationis divinæ exprimitur et hauritur.

Toreularia est cor pressum.

Tropolog. *Toreularia*, ait Hugo Victor. *sunt ipsa corda inter spem et timorem posita, constantiam superius, patientiam inferius habentia: constantiam in tentatione, patientiam in tribulatione. Constantia siquidem premit, et desuper areet; patientia inferius iacet, et pondus sustinet. Inter hæc duo mens saneta quasi in toreulari posita premitur, defæcatur, eliquatur. Premitur flagellis, defæcatur vitiiis, eliquatur ab oliis. Premitur a calamitate, defæcatur ab iniquitate, eliquatur a vanitate. Hinc namque elicitur gemitus puræ confessionis: hinc fluunt lacrymæ anxie compunctionis: hinc manant suspiria iucundæ devotionis: hinc liquefiunt desideria suavissimæ dilectionis: hinc eliciuntur stillicidia limpidissimæ contemplationis. Frumentum est perfectio iustitiæ; vinum claritas spiritualis intelligentiæ: oleum suavitas purissimæ consuetudinæ.*

Vers. 25.

**ET REDDAM VOBIS ANNOS QUOS COMEDIT LOCUSTA, BRUCHUS, etc.)** q. d. Præteritam inopiam, quam vobis intulerunt Chaldæi, tum litterales, tum potius mystici, id est, dæmones et vitia, compensabo gratiarum et opum cælestium ubertate. Unde Chald. vertit, *reddam vobis annos bonos pro annis quibus vexarunt vos populi, gentes et reges; Chaldæi enim fuerunt fortitudo mea magna; Hebr. et Chald. exercitus meus robustus.* Alludit ad id quod de locustis significantibus castra Chaldæorum dixit v. 11. *Dominus dedit vocem ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, et facientia verbum eius.*

Porro per locustas et Chaldæos, intelligit exercitum spiritualium hostium, q. d. Ego Deus tentationes, peccata, dæmones, carnem et mundum, quasi hostes et prædones vestros immisi in vos (eo sensu et modo quo dixi ean. 27. in Prophetas maiores) ad puniendam vestram superbiam, aliaque peccata priora. Hi vastarunt agros Ecclesiarum et animarum vestrarum, æ depasti sunt omne germen virtutum et bonorum operum. At iam idem ego placatus et reconciliatus vobis, omnia hæc damna sarciam, vobisque pristinam bonorum cælestium copiam restitvam, imo maiori fenore eumulabo, ut dicatis eum Psal. psal. 89. 15. *Latati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

Tropol. significatur hic vis penitentia, quæ lapsos sed penitenti, omnes priores virtutes, omnia priora merita restituit, ut docet S. Hieron. hic ac S. Thom. et Theologi tract. de penitentia, ideoque facit ut homo lapsus semper ad maiorem gratiam resurgat: præter enim gratiam præteritam, quam omnem reducit, addit insuper propriam, tum virtuti, tum Sacramento penitentia commensam. Vide Franc. Suar. opusc. 5. de Reditu bonorum operum, ubi disp. 2. sect. 3. eum Ioan. Maiore, Gabriele, Oekam, Medina et Henrico a Gandavo docet, hunc reditum fieri

vi penitentia non in altera vita, uti censuit Scotus et Durandus; sed in præsentia, adeoque in eodem penitentia instanti; nec tantum per actus penitentia prioribus virtutum actibus intensiores, uti censuit D. Thomas et Paludanus, sed etiam per actus eiusdem remissiones.

Symbol. Hugo Victor. *In adventu*, ait, *Christi redduntur nobis anni quos præfata pestis devoraverat; quia in co nobis contra locustam veram, id est, contra fastum, dedit humilitatem, dicens: Discite a me quia mitis sum et humilis corde: contra bruchum, id est gulam, perfectam sobrietatem, dicens: Videte ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate, et curis huius vitæ: contra rubiginem, id est, iram, perfectam patientiam, dicens: Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram: contra erucam, id est, luxuriam, perfectam castitatem, dicens: Sint lumbi vestri præcineti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Locustam igitur exterminavit, dicens: Beati pauperes spiritu: beati qui lugent. Bruchum, dicens: Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam: beati misericordes. Rubiginem, dicens: Beati pacifici: beati mites. Erucam, dicens: Beati mundo corde. Vides hic quatuor hæc animalia et pestes octo beatitudines depasci, easque reduci per Christum et per penitentiam.*

**ET COMEDETIS VESCENTES, ET SATURABIMINI: ET LAUDABITIS NOMEN DOMINI.**) Ille enim dedit vobis escam, eamque talem, tamque succulentam et copiosam, ut vos abunde saturaret, fortesque, vegetos et alacres efficeret.

Vers. 26.

Moral. discite hic fruges, escas, omniaque bona naturalia, et multo magis supernaturalia, esse dona Dei, eorumque laudem et gloriam non nostro labori, sed Deo, eiusque beneficentiæ ascribendam. Qui secus facit, Deo quod suum est suffuratur, et se Dei donis indignum facit, isque spoliari meretur. Deus enim est zelotes suæ gloria, utpote quæ ei omni iure debetur; unde ait ipse: *Gloriam meam alteri non dabo.* Isaia 48. 11. Quocirca S. Franciscus hoc mire suis inculcabat, æ inter alia illud documentum dabat: *Quando, inquit, servus Dei orans, visitatur, divinitus dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cælo misisti Domine, et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem, dum eius laudem et gloriam tibi suffuror, et mihi ascribo: ita S. Bonav. in eius Vita cap. 10.*

**ET ERIT POST HÆC: EFFUNDAM SPIRITUM.**) Hebræi hinc inchoant novum eaput. Iam iidem, et ex iis Ruffinus, sicut per doctorem iustitiæ v. 23. acceperunt Ezechiam; ita spiritum a Deo effusum censent in eius nuncios, quos ipse misit per totam Iudæam, ut omnes ad avitam fidem, Deique cultum revocaret; S. Petrum vero in concione sua Actor. 2. tantum hæc accommodasse temporis, eo quod illi quoque congruerent; æ Ruffinus audaces vocat eos qui contrarium censent. Sed audacior est hæc eius censura, utpote repugnans SS. Patribus et interpretibus penne omnibus, ipsique S. Petro Act. 2. 17.

Vers. 28.

Alii sicut per doctorem accipiunt doctores, puta Prophetas qui fuerunt post reditum e Babylone, v. g. Aggæum, Zachariam, Malachiam; ita per eosdem ardentem concionantes, putant effusum spiritum pietatis in populum. Verum eum superius probatum sit, doctorem iustitiæ intelligi Christum, sequitur ad illius tempora hæc pertinere, præsertim quia nunquam alias effusum Spiritum sanctorum legimus. Adde, pro *Et erit post hæc*, S. Petrus Act. 2. vertit, *Et erit in diebus novissimis*, puta in diebus Messia. Illius enim ætas, lex et tempus in Script. vocatur *novissimum*: quia illi nulla alia lex, religio, vel Ecclesia succedet. De fide ergo est, hæc ad litteram non de Ezechia, Aggæo, aut quovis alio, sed de Christo esse intelligenda. Ita enim definit Vigilii Papa in Concil. Romano contra Theodor. Mopsuestenum, ut dixi in præmio.

Ait ergo et promittit dicens: *Post hæc*, id est, post Christum doctorem, eiusque mortem, et ascensum in cælum, ego Deus effundam Spiritum sanctum in Pentecoste, æ deinceps, primo Ecclesie sæculo visibiliter in Apostolos, et Christi discipulos; sequentibus vero sæculis, invisibiliter eundem effundam in omnes, quotquot per baptismum

in Christo renascentur, eiusque Ecclesie incorporabuntur. De Pentecoste enim hunc locum explicat S. Petrus Actor. 2. 17. quem sequuntur omnes Patres, et Interpretes orthodoxi, ut S. Hieron. Cyrill. Theodor. Remig. Rupert. Albert. Haymo, Lyran. Hugo uterque, scilicet Cardinalis, et Victorinus, Dionys. Vatabl. Arias, Clarius, Ribera, a Castro hic, Chrysost. Occum. et alii in Act. 2. Didymus et Ambros. 1. 1. de Spiritu sancto c. 7. Justin. contra Tryph. Hilar. 1. 8. de Trinit. et alii. Quin et Rabhini, ut Chald. R. Salomon, R. David, R. Iesua apud Lyran. et Galat. lib. 8. c. ult. et alii hanc missionem Spiritus sancti ad tempus Messie referunt. Porro cum ait *Effundam*, loquitur idem qui dixit, *Mittam doctorem iustitie*, scilicet Deus Pater; esto ipse simul cum Filio ut spirat, ita et mittat Spiritum sanctum; ita Chrysostom. in Actor. 2. Hinc Cyril. Hierosol. catech. 17. censuit hic loqui Christum, cui, inquit, Pater omnia dedit in manus, ac potestatem dandi Spiritum sanctum quem non ad mensuram accepit.

Nota. Vox *effundam* significat ubertatem et copiam donorum Spiritus sancti, tum gratum facientium, ut gratiae, charitatis, fortitudinis, aliarumque virtutum; tum gratis datorum, ut prophetiae, etc. effundendam in Apostolos et fideles. Unde in Scriptura haec ellusio vocatur baptismus, ut Matth. 3. 11. ait Ioannes Baptista de Christo: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni*, q. d. Ipse vos replebit Spiritu sancto, in eumque eiusque ignem quasi immerget, ut homo immergitur in aquam dum baptizatur. Et Christus ascensus in caelum Act. 1. 5. ait: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies*. Quocirca pro *effundam*, Arabicus Antioch. vertit, *inundare faciam spiritum meum super universos homines*; et Arabicus Alexandr. *inundabo de spiritu meo super omnes homines*. Sicut ergo flumen, vel mare turgidum exundat in agros, ita Spiritus sanctus in homines: ita S. Chrysost. et Theoph. Act. 2. Audi Hugonem Viet. *Christus*, ait, *spiritum suum effudit, non Mosi abstulit, nec Elia rapuit, sed suum largiter distribuit*.

Nota  $\tau\omicron$  effudit. Primo enim fudit, secundo infudit, tertio effudit. Fudit in paradiso, infudit in deserto, effudit in caenaculo. In paradiso legem dando naturae: in deserto praeccepta et caeremonias legis scriptae: in caenaculo plenitudinem gratiae. Fudit ergo primo, rigando arcam naturae: secundo, infudit torrentem doctrinae: tertio, effudit fluvium gratiae, q. d. In exordio mundi rigavi aridam naturam: in squalore deserti Mosi in sinum stillavi legis doctrinam: in plenitudine temporis ubertatem gratiae effundam. Et paulo post necessariam docet fuisse hanc effusionem: *Tria namque, inquit, erant hominis mala: ignorantia boni, concupiscentia mali, malitia impoenitendi. Venit ergo Filius, Sapientia Dei et virtus; missus est Paracletus, benignitas ipsius. Sapientia fusa nexum sustulit ignorantiae: virtus infusa sordes purgavit concupiscentiae: effusio Spiritus mundavit faeces malitiae, siquidem sapientia illuminavit, virtus sanavit, benignitas sedavit. Quod Psalmista praevidens ait: Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me Domine ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, q. d. Dele fundendo, lava infundendo, munda effundendo: fundendo sapientiam ab oculis dele ignorantiam: infundendo virtutem ab intimis lava concupiscentiam: effundendo benignitatem a toto corpore extermina malitiam.*

Nota secundo. Pro *effundam spiritum meum*, S. Petrus Actor. 2. 17. ait: *Effundam de spiritu meo*, ubi particula, *de*, significat hanc communicationem gratiae, et donorum Dei provenire a Spiritu sancto, tanquam patre luminum. Rursum Spiritum sanctum partiri inter lideles sua dona, ut uni det gratiam docendi, alteri exhortandi, alteri miraculorum, etc. uti docet Apostolus Rom. 12. 6.

Nota tertio. Didymus et S. Ambros. libr. de Spiritu sancto, ex hoc loco probant Spiritum sanctum esse Deum: quia, inquit, non dicitur effundi a Deo, nisi quod de ipso participabile est. Angelus enim non dicitur effundi:

quia cum sit creatura, non est participabilis. Licet enim charitas, donaque Spiritus sancti, dicantur effundi quoque a Deo: tamen nulla substantia, vel persona (qualis est Spiritus sanctus) dicitur effundi in animam, mentemque, ita ut eam possideat, illuminet, sanctificet, satiet et impleat, nisi Deus: solus enim Deus menti illabi potest, eamque docere, ignire, implere, flectere et movere quomunque vult: hoc enim nequit angelus. Ubi nota: cum anima sit ista et sancta, aut iustior et sanctior, non tantum gratia et charitas, vel eius incrementum, sed ipse Spiritus sanctus, adeoque tota Trinitas realiter per sanctificationem menti nostrae illabitur, in eaque inhabitat quasi in throno, et templo suo: perinde ac Verbum assumens humanam naturam, eidem illapsam esse personaliter, ita ut in illa habitaret plenitudo divinitatis corporaliter, ut ait Apost. Coloss. 2. 9. Hoc est quod ait Christus Ioannis 14. 23. *Si quis diligit me sermones meos servabit, et Pater meus diligit eum: et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Sicut ergo Beatis Deus realiter est praesens, cum illis suam essentiam per visionem beatificam, et lumen gloriae ostendit, eamque eis fruendam et possidendam communicat; sic et idem ipse est in anima sancta, ac proinde in ea suam gratiam, charitatem, aliaque dona divina diffundit: perinde ac sol ubi oritur, mox suam lucem, radios et calorem spargit. Posita ergo ultima dispositione ad iustitiam, v. g. contritione, statim subintrat in animam quasi in templum suum, Spiritus sanctus totaque SS. Trinitas, eam sanctificans, sibi que quasi dedicans et consecrans; ac deinde eodem instanti temporis, sed posterius natura, eidem suam charitatem et gratiam communicat. Hoc significat  $\tau\omicron$  *ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Est enim haec summa Dei unio cum anima sancta, qua nulla pure creature maior dari potest; nam per eam finis divinae consortes naturae, ut ait S. Petrus epist. 2. cap. 1. 4. Vide hic, o Christiane, dignitatem sanctitatis ad quam vocatus es, eamque omni studio consecrare, conserva et

Spiritus sanctus realiter illabitur anime sanctae.

Cadauge.

Denique Nazianzen. orat. 49. sub finem, probat Spiritum sanctum mitti a Filio de propria ipsius substantia, ex hoc loco: *Effundam de spiritu meo*; et ex illo Ioan. 16. *De meo accipiet et annunciet vobis; Ex eo utique, inquit, quod est Filius, quia et filius de eo, quod Pater, est, q. d. Spiritus ex eo quod a Filio accipit, annunciet; sicut Filius annunciet Spiritui sancto, ex eo quod accepit a Patre.*

SUPER OMNEM CARNEM.) Id est, super omnem hominem; per synecdochen enim pars capitur pro toto, caro pro homine, ut eum dicitur: *Verbum caro factum est*; caro, id est, homo: poterat dicere pariter, Verbum anima, id est, animatus homo factum est; sed maluit dicere, caro: tum ut significaret summam dignationem Verbi, qua, ut ait S. Augustin. epist. 120. cap. 4. se humiliavit ad nostram carnem, quae inter omnes animalium carnes miserima est et infirmissima: tum quia morbus noster, puta concupiscentia, residet in carne; hanc autem curare venit caelestis Medicus, puta Christus, aequae ac Spiritus sanctus; unde Graecis  $\sigma\alpha\rho\kappa\omega\sigma\iota\varsigma$  vocatur incarnatio, et, ut Tertull. ait 1. de Carne Christi c. 1. incorporatio, id est, vivificatio carnis corruptae, ait S. Thom. tum denique, quia per eam pro corde lapideo et duro, accepimus cor carneum, id est, molle, flexile, obediens, 2. Corinth. 3. 3. Sensus ergo est, q. d. Super omnem hominem Christo credentem, cuiuscumque aetatis, sexus et status sit, effundam Spiritum sanctum in Pentecoste, et deinceps. Simpliciter itaque et plane capitur vox *omnem*: loquitur enim de fidelibus tantum, credentibus et obedientibus Christo. Quocirca aetius nonnulli vocem *omnem* accipiunt, non pro singulis generum, q. d. Effundam spiritum super omne hominum genus, puta super aliquos viros, aliquas feminas; aliquos iuvenes, aliquos senes; aliquos servos, aliquos nobiles; non autem super omnes, id est, singulos. Nam super singulos discipulos suos effudit, et effudit iugiter Christus Spiritum sanctum.

Nota. Sicut Ioelem et Prophetae solis Iudaeis proprie et directe promittunt doctorem iustitiae, puta Messiam, ita iisdem solis Ioelem hic promittit Spiritum sanctum: ita S. Chrysost. Actor. 2. Unde sequitur: *Et prophetabunt filii vestri*. Verum quia ex misericordia Dei Gentes a seipsum sunt per fidem in familiam Abrahamae, puta in Ecclesiam et congregationem fidelium; hinc pariter benedictionum et promissionum Abrahamae a Deo factarum (inter quas prima est effusio Spiritus sancti, iustificatio et adoptio) sunt participes et haeredes, uti docet Apostolus Rom. 9. 10. et 11. Et hoc significat  $\tau\omega$  *super omnem carnem*. Quocirca in Cornelium Centurionem, aliosque credentes ex Gentibus effusus est Spiritus sanctus specie visibili, aequae ac in Apostolos et Iudaeos, ut patet Act. 10. 44. ita S. Hieron. Theodor. Albert. Lyran. et alii passim.

Moral. Spiritus sanctus ostendit suam munificentiam animumque regum, dum in omnes indifferenter beneficis et liberalis est, nec privatos habet amores et amicitias, sicutque omnem excludit aemulationem et invidiam, ait Chrys. in Actor. 2.

ET PROPHETABUNT FILII VESTRI. ) Tum proprie futura praedicando, uti fecerunt Apostoli, B. Virgo Luc. 1. 46. Zacharias, Anna et Elisabeth Luc. 2. 38. Philippus Actor. 21. 9. Agabus ibid. v. 10. S. Ioan. in Apocalypsi, et alii in primitiva Ecclesia. Vide Bozium lib. 6. de signis Ecclesiae c. 12. tum ex Spiritu sancti afflatu loquendo, et celebrando variis linguis Deum, quod Actor. 2. 11. dicitur: *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei*. Prophetare enim in Script. ample capitur pro docere, exhortari, orare, canere Dei laudes, miracula facere, etc. uti dixi 1. Cor. 14. initio capituli. Sub prophetia ergo hic donum linguarum, aliaque Spiritus sancti charismata intellige.

SENEs VESTRI SOMNIA SOMNIABUNT, ET IUVENES VESTRI VISIONES VIDEBUNT. ) *Somnia* intellige divina et a Deo immissa, ideoque rerum arcanarum, vel futurarum praesaga, qualia fuerunt Pharaonis Gen. c. 40. et 41. et Nabueodonosoris Daniel. cap. 2. et 4. Pari modo *visiones* accipe divinas et propheticas. Apposite senibus aetate fessis, et in somnum propensis tribuit somnia; iuvenibus vero excitatis et vigilibus visiones, quae in vigilia hominibus a Deo immittuntur. Deus enim saepe se suaque oracula attemperat conditioni hominum, et cuique pro suo statu et gradu accommode et opportune apparet; alioqui et senex Ioannes in Apocalypsi multas habuit visiones, et Paulus iuvenis somnia, ut patet Actor. 16. 9. Per *visiones* ergo et *somnia*, quaslibet revelationes et prophetias accipe. Addit D. Thom. 2. 2. qn. 174 a. 3. quod, licet visio quae fit vigilianti, in se sit perfectior somnio, quod fit dormienti; tamen quando in visione solum videtur species et imago prognostica futurorum, nec auditur vox aut verbum illam explicans, quae audiri solet in somnio (iuxta illud Moysi Num. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*) tunc somnium divinum est perfectius quam visio. Unde Moral. aliqui per *filios* ac *filias*, accipiunt incipientes in fide et virtute: per *ivenes*, proficientes: per *senes*, perfectos. Primi prophetant, dum bona indole dant spem frugis; secundi vident, dum meditando et orando clarius divina hauriunt: tertii somniant, ob passiones sedatas, mentemque pacatam. Hos tres gradus distinguit S. Ioan. ep. 1. cap. 2. 12. primisque assignat econdonationem peccatorum, secundis victoriam in agone, tertiis Dei cognitionem. *Scribo*, ait, *vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius: scribo vobis adolescentes et ivenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis: scribo vobis, quoniam cognovistis eum qui ab initio est*. De visione plura dixi can. 1. in Prophet. maior. De somnio Gen. 40. et Dan. 2.

Vers. 29.

SED ET SUPER SERVOS MEOS ET ANCILLAS, etc. EFFUNDAM SPIRITUM MEUM. ) Hebr. Chald. et Septuag. et etiam *super servos et ancillas effundam de spiritu meo*, q. d. Non tantum super vos, o Iudaei, sed et super servos et ancillas vestras, aequae ac meas, effundam spiritum meum.

A Ne quis enim putet solos heros et dominos Spiritum sanctum accepturos, addit illius participes fore quoque servos et ancillas. Nullum enim quantumvis vilem et abiectum aspernatur Spiritus sanctus, non enim est personarum acceptio apud Deum, Rom. 2. sed omnes promissive ad gratiam et salutem vocat, omnibus enim dedit animam aequae nobilem, puta rationalem ad imaginem sui creatam, eamque ad suam gratiam, gloriam, et felicitatem ab aeterno destinavit: ita Hebraei, Cyrill. Hierosol. catechesi 17. Rufinus, et a Castro. Alii per servos et ancillas, accipiunt gentes: Iudaei enim in lege veteri erant quasi filii Dei. Gentes quasi servi; sed per Christum in filios sunt adoptati: ita Rupert. Ribera et alii.

Moral. Illustris et perhonorificus titulus est, *Servus Dei*; servire enim Deo regnare est. Hinc Psaltes ps. 113. 16. *O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillae tuae*. Sic Abraham Genes. 26. 24. vocat se servum Dei. Ita vocatur et Moses Num. 12. 7. Iob c. 1. 8. Quin et Christus Isaiae c. 48. 3. Sic *Abdias* hebr. idem est quod *servus Dei*, quo nomine vocatur unus e duodecim Prophetis. Sic Paulus initio epistolarum hoc titulo gloriatur: *Paulus servus Iesu Christi*. Sic B. Virgo vocat se ancillam Dei: *Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Luc. 1. Et B. Agatha Praesidi sibi obiectanti, Cur tu cum sis nobilis, servilem vivis Christianorum vitam? respondit: *Christianorum humilitas et servitus longe praestat regum opibus et superbia*. Denique B. Damasus ep. 2. ad Stephanum, S. Gregorius, et alii deinceps Pontifices hoc titulo: *Servus servorum Dei*, humilitatem, imo dignitatem suam significant.

ET DABO PRODIGIA. ) Prodigium est id, quod porro dicit, id est futura praedicit, ait Cicero l. 1. de Divin. et ex eo S. August. lib. 21. Civitat. 8. *Signum quo significatur aliud: illudque in magnis est, et in caelo; hoc in parvis, et in terris*, ait Hugo Card. Origenes vero in Ioan.  $\tau\epsilon\rho\rho\rho$ , ait, id est prodigia, vocantur, quae prae opinionem sunt, et humanam consuetudinem excedunt:  $\sigma\alpha\mu\epsilon\iota\alpha$ , id est, signa, quae aliquid significant, et, ut Ammon. ait in Cate-na Graec. in Ioannem, *quando non fit aliquid prae naturam*. Verum saepe haec duo confunduntur, idemque significant. Iam quoad sensum, Rabbini, qui haec referunt ad Ezechiam, censent prodigia haec revera uti sonant accidisse in caelo et terra, cum angelus percussit castra Sennacherib, etsi in libris Regum id non narretur. Verum haec prodigia sunt Iudaeorum commenta et figmenta: nec enim Script. nec Iosephus, nec Iosippus, nec quis alius, tunc prodigia aliqua in caelo extitisse commemorat.

Vers. 30.

Secundo, Catholici nonnulli putant haec prodigia contigisse, Primo, in Christi nativitate, cum stella apparuit Magis, et angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo*. Secundo, in Christi resurrectione, cum angeli fulgurantes perculerunt milites custodes sepulchri Christi, ac consolati sunt Magdalenam eiusque comites. Tertio, in passione Christi, cum sol universali eclipsi toto orbe obscuratus est, terra contremuit, lapides scissi sunt, monumenta aperta, etc. tunc enim e latere Christi mortui, lancea militis aperto, exivit sanguis et aqua, quae ignem charitatis in discipulis et fidelibus accenderunt, idque ante diem resurrectionis Christi, qui Iudaeis fuit horribilis: ita S. Hieron. Remig. Hugo. Quarto, in Pentecoste: tunc enim Spiritus sanctus in igne et linguis igneis apparuit et insedit Apostolis: ita S. Hieron. Et videtur favere S. Petrus Actor. 2. 17. ubi agens de missione Spiritus sancti in Pentecoste, allegat haec prodigia Ioelem; ergo illa circa tempus Pentecostes videntur edita, puta tempore passionis et resurrectionis Christi. Haec expositio probabilis est, sed incompleta, tunc enim ceperunt haec prodigia, sed complebuntur sub diem iudicii, uti mox dicam.

Tertio, S. Chrysost. et Oeum. haec prodigia patrata putant paulo ante excidium Hierosolymae per Titum: hic enim dies fuit Iudaeis horribilis. Tunc enim plurimus Iudaeorum fusus est sanguis, urbs et templum igne combusta in fumum et vaporem abierunt. Et P. Prado in Ezech. 10. 2. *Dabo*, inquit, *Hierosolymae tria supplicia*, scilicet

Prodi-gia haec quando accide-riunt.

sanguinem, et ignem, et vaporem fumi, id est, caedem civium, et ædificiorum incendium, et quod gravius est, veritatis ignorationem, exæccationemque oculorum, quæ eadem tria in Psal. 68. 25. Iudæis ratiocinatus est Christus: Furor iræ lux comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, obscurent oculi eorum ne videant. Hanc autem cladem soli Christiani evaserunt, invocantes nomen Domini: qui divinitus præmoniti de urbe excludenda, ex illa fuga se proripuerunt in alias regiones et arbes, uti docet Euseb. l. 3. hist. c. 5.

Quarto et genuine, certum est hic agi de signis et prodigiis quæ præbunt diem iudicii extremi: hic enim erit dies magnus et horribilis. Et de eo hic agi patet ex sequentibus initio e. 3. cui hæc connectenda sunt (imo Hebræi hæc referunt ad caput 3. ut dixi v. 28.) *Quia ecce in diebus illis, etc. congregabo omnes gentes, et deducam illas in vallem Iosaphat, et disciplabo cum eis.* Hoc autem fiet in die iudicii. Porro ante diem iudicii prodigia existent quæ prædixit Christus Matt. 24. 29. et Lucæ 21. 25. dicens: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis: nam sol obscurebitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de caelo.* Rursum luna videbitur sanguinea, Isaïæ 24. 23. item mare videbitur sanguineum, Apoc. 8. 8. multus etiam fidelium ab Antichristo, et tandem ipsius Antichristi, eiusque exercitus Gog et Magog sanguis effundetur. Ignis erit fulgurum et stellarum cadentium de caelo: rursum ignis conflagrationis mundi, quo omnia mundana in fumum et vaporem abibunt. Unde Syrus et Arabicus fumum a vapore distinguunt, et quatuor prodigia assignant; vertunt enim, *dabo sanguinem, et ignem, et vaporem et fumum.* Vapor enim est exhalatio subtilior et albior, fumus vero densior et nigrior. Hæc signa prædicta sunt a S. Iohanne Apocal. cap. 8. et 9. ita Theodor. Rupert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, a Castro hie, S. Chrysost. et Oëcum. in Actor. 2. Tertul. lib. 4. contra Marc. 39. Origen. traet. 30. in Matt. S. Thom. in c. 24. Matt. et alii passim. Quin et S. Hieron. huc tandem inclinatur, censetque hæc signa magis ad diem iudicii, quam ad passionem Christi esse referenda. Causam horum signorum dat S. Chrysostom. in Matth. 24. *Moriens, ait, patrefamilias domus turbatur, familia plangit, et nigris se vestimentis induit: sic humano genere, propter quod facta sunt, circa finem constituto, cæli mysteria lugent, et candoreposito tenebris induuntur.*

Dies, Quomodo ergo S. Petrus hæc prodigia refert ad Pentecosten Act. 2. Resp. S. Petrus recenset ea, non quasi tunc contigerint, sed hoc sensu, q. d. Ne miremini, o Iudæi, hæc Spiritus sancti et linguarum ignearum prodigia, quæ cernitis in hac Pentecoste: videbitis enim maiora dari a Christo in vindictam infidelium in fine mundi, q. d. Aut ergo nunc in Christum credite, aut terribilem eius manum et vindictam tunc expectate. Ideo enim Propheta post doctorem Christum, et effusionem Spiritus sancti, statim subiungit hæc prodigia futura in fine mundi, ut significet post Christi legem, nullam aliam esse expectandam, ideoque illam ab omnibus qui salvi esse velint, capessendam: ita Ribera. Adde, hæc prodigia inchoari cepisse tempore Christi: nam in eius passione obscuretatur est sol et luna, in Pentecoste et deinceps Spiritus sancti in specie ignis apparuit, etc. perfecte vero et complete fient in fine mundi, q. d. Ioele: O Iudæi eam veniet Christus, licet humilis et pauper, eum recipite: quia ipse effundet Spiritum sanctum in vos, dabitque prodigia benefica credentibus, malefica et horrifera incredulis, eaque inchoabit vivens, sed perficiet in fine mundi, quando pro igne Spiritus sancti, quem increduli respuerunt, dabit eis ignem conflagrationis mundi, indeque flammam gehennæ. Simili modo Iacob benedicens filiis suis ante mortem Genes. 49. quædam prædicat quæ paulo post, quædam quæ post longum tempus sub Christo evenerunt, quædam in fine mundi eventura.

Symbol. prodigia. Symbol. Hugo Vietor. *Sol, ait, est Christus, Luna Ecclesia: Sol in tenebras versus, Christus cruci affixus. Unde cæcitate Iudæorum Ieremias loquens Thren. 3. Dabis,*

A inquit, *eis Domine scutum cordis laborem tuum. Luna versa in sanguinem, Ecclesia est Christi imitans passionem. Sanguis professionem designat Martyrum: ignis chorum virginum ardore dilectionis æstuantium. Vapor est frequens et devota compunctio continentium. Dies magnus et horribilis, dies est passionis et resurrectionis: magnus fidelibus, horribilis non credentibus, horribilis iis qui dixerunt, Sanguis eius super nos et super filios nostros: magnus iis qui dixerunt, Vere filius Dei erat hic. Miser: Sol in tenebras versus, Christus est in cordibus electorum in articulo mortis obscuretatur. Unde et dixerunt: Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Luna in sanguinem versa, Synagoga est Christi passione excusa. Deinde per sanguinem accipit Iudæorum stragem sub Tito: per ignem, incendium urbis et templi: per vaporem, Iudæorum per maria et insulas relegationem.*

Tropolog. *Visio est propria cognitio sui, somnium excessus animi, prophetia contemplatio sponsi, cælum animus, terra caro: vel cælum contemplativi, terra activi: vapor compunctio mentis, sanguis mortificatio carnis, ignis fervor dilectionis. Sol versus in tenebras, animus est in sui confusus cognitione: Luna in sanguinem, caro in sui mortificationem. Huc usque Hugo. Et inferius: Post data in cælo prodigia, post lucem propriæ cognitionis, post funem devotæ compunctionis, post sanguinem iustæ mortificationis, post ignem perfectæ dilectionis, sola restat suavitas contemplationis. Hæc est invocatio nominis Dei, de qua sequitur, Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit: hæc Hugo.*

ANTEQUAM VENIAT DIES DOMINI.) Dies huius vitæ sunt nostri, quibus agimus quod lubet: ille dies erit Domini, id est, iudicii, quo aliorum dierum nostrorum omnium rationes exiget, iuxta illud Ps. 74. 3. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Sic dies singuli hebdomadæ sunt scholarium, sed sabbatum est dies magistri, quo rationem profectus et modestiæ a singulis exiget, et negligentes petulantesque flagellat.

MAGNUS.) Magnus erit dies iudicii, quia Primo, finem dabit orbi, sceleri, merito et demerito. Secundo, quia erit horizon temporis et æternitatis: hanc enim ab illo dividet et disterminabit. Nam hic dies erit ultimus temporis, et primus æternitatis. Tertio, quia magna in eo lient, nimirum Christus cum omnibus angelis descendet in vallem Iosaphat, ibique in magnifico throno sedebit iudex: omnes homines qui unquam fuerunt, sunt et erunt, eorum eo iudicandi sustentur: omnium cogitata, dicta et facta exactissime discutientur: de omnibus feretur sententia absoluta, et irrevocabilis per omnem æternitatem: sancti cælo, impii inferno addicentur: statuatur chaos magnum et medium, quod in æternum hos ab illis secludet, ut impii nunquam Sanctos, nunquam cælum, nunquam Deum visuri sint; sed carcere æterno conclusi igni cremabuntur, quamdiu cælum erit cælum, quamdiu Deus erit Deus. Sic Osee 1. 4. vocatur *magnus dies Iezrahel.* Sic apud Romanos *magnus dies* vocabatur, qui dabat victoriam, belloque aut gravibus malis finem imponebat, ut docet Corn. Tacitus in vita Agricolæ, et Turnebus l. 1. Advers. c. 24.

ET HORRIBILIS.) Hebr. est נורא *nora*, quod primo proprie deductum a radice ירא *iare*, id est, timuit, significat tremendum, terribilem; et per catachresin mirabilem, gloriosum, augustum et reverendum ob summam potestatem, aequitatem, maiestatem et gloriam. Hinc Chald. vertit דחילה *dechila*, id est, formidabilis. Secundo, *nora*, deduci potest a ראה *raa*, id est, vidit, ut *raa* mutuetur tempora a *iara*: sæpe enim ordines verborum imperfectorum apud Hebræos inter se commutantur, ut unus ab alio suam inflexionem desumat, et tunc *nora* significat illustrem et manifestum. Unde Septuag. vertunt επωφανης, id est, clarus, conspicuus. Eos sequitur S. Petrus Actor. 2. dicens: *Antequam veniat dies Domini magnus et manifestus.* Erit enim in die illa lux magna, et magna claritas Christi gloriosi, omniumque eius angelorum et Sanctorum. Et: *Ignis in conspectu eius exardescet,*

Ps. 49. 2. quæ omnia reis et damnandis extremum horrorem incutient. Videbunt enim se suaque in tanta luce latere non posse: videbunt se oculos et manus Iudicis nusquam evasuros: videbunt excusationi, simulationi, fraudi, appellationi nullum fore locum: videbunt gehennæ incendia flammantia sibi parata et decreta in æternum, seque certissime in illa præcipitandos.

Moral de  
horrore  
diei iu-  
dicii.

Patheticæ S. Basil. in illud psal. 33. *Venite filii, timorem Domini docebo vos, horrorem huius diei describit, aitque: Cum te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud et intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit iudex in alto et excelso throno, astabit autem omnis creatura ad gloriosum eius conspectum contremiscens. Adduendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam et deformes assistant angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes, noctique vultu similes, propter mærorem et odium in humanum genus. Ad hæc cogita profundum barathrum, et intricabiles tenebras, et ignem carentem splendore, urendique vim habentem, sed privatum lumine; deinde vermium genus venenum emittens, et carnem vorans, inexplebiliter esuriens, neque unquam saturitatem sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infgens. Postremo, quod supplicium omnium gravissimum est, considera opprobrium illud et confusionem sempiternam. Hæc time, et hoc timore instructus, animam a peccatorum concupiscentia, tamquam fræno quodam reprime.*

Exem-  
plum U  
donis.

Huius horribilis diei schema, et vivam hypotyposin dedit Deus in iudicio Udonis, Antistitis Magdeburgensis. Cum enim ille impure et scandalose viveret, cælitus ad eum missa est vox:

*Da finem ludo, quia lusisti satis Udo.*

Eaque tertio ab eo audita. Verum cum ille, licet ad horam percussus, mox ad suas veneres rediret, citatus est ad tribunal Dei. Nam S. Mauricius eraginatam tenens gladium, in Ecclesia sua (cuius Udo erat Antistes) valenter exclamavit: *Omnes sancti quorum reliquæ hic habentur, surgite, et venite ad iudicium Dei.* Mox maxima et præfulgida apparuit utriusque sexus multitudo: Christus sole splendidior, stipatus B. Virgine, et duodecim Apostolis, regali solio consedit, iussitque Udonem adduci. Raptus ille et lecto adductus est. Accusavit eum S. Mauricius, conelamarunt omnes: *Reus est mortis.* Tulit ergo Christus in eum sententiam mortis, quam executus S. Mauricius eum decollavit. Vidit hæc Canonicus quidam: simulque alius conspexit animam eius a dæmonibus ad gehennæ incendia abripi, ibique maledicere diei natalitatis suæ, suisque amasis; ac mane clericis venientibus ad Ecclesiam, Udonem in suo sanguine tabefactum ostendit. Porro eror Udonis etiamnum adeo indelebiter adheret pavimento, ut quasi de essentia marmoris esse videatur. Cumque creantur novi Antistites, ibidem oraturi prosternunt se, ut videntes Udonis sanguinem, sibi caveant, ne forte pereant sicut ille. Rem gestam fuse et graphice narrant Nauclerus vol. 2. gener. 34. noster Canisius lib. 5. Marial. cap. 20. Fulgos. lib. 9. cap. 12. et alii.

Chry-  
saorii.

Mauricii.

Petri Te-  
louarii.

S. Hier.

Simile iudicii schema, imò exemplum reale extat in Chrysaorio, cuius horribilem iudicii sui visionem et mortem enarrat S. Gregor. hom. 12. in Evang. et in Aulico Coenredi regis Merciorum, apud Bedam lib. 5. Hist. Angl. c. 14. et in visione Mauricii Imper. qui ob peccata citatus ad Dei tribunal, petiit in hac vita potius puniri, quam in futura, idque obtinuit: nnde a Phœca et imperio et vita cum uxore et prolibus est spoliatus, uti narrat Eutropius lib. 17. Zonaras lib. 3. Nicephor. l. 18. c. 40. Et in visione Petri Telonarii, qui avarus et immisericors, vidit se sisti iudicii Christo, omniaque peccata in unam lancem reponi, in alteram vero unam dumtaxat eleemosynam suam, qua a manibus dæmonum liberatus, audivit: *Recedens adde huic pani, et operare.* Quare vitam et mores mutans, totum se dedit operibus misericordiæ et eharitatis, uti narratur in vita S. Ioannis Eleemosynarii. Quin et S. Hieron. raptus ad tribunal Christi, audivit: *Cicero-*

*nianus es, non Christianus; ideoque acriter vapulavit, uti ipse refert epist. ad Eustochium, quæ incipit, Audi filia. Ecce ut vita Sanctorum est commentarius legis scriptæ, imò ipsa est lex viva, suis moribus edicens quid formidare et fugere, quid amare et prosequi debeamus. Graphice quoque hunc iudicii diem describit Daniel c. 7. et S. Ioan. Apoc. 1. et Christus Matth. cap. 24. et 25. et S. Petrus epist. 1. cap. 3.*

Patheticæ etiam S. Hieronym. ad Heliodor. *Tunc, ait, ad vocem tubæ pavebit terra cum populis, tu gaudebis. Iudicatur Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitant. Adducetur cum suis stultus Plato discipulis: Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exultabis, et dices: Ecce iudex, qui involutus pannis in præsepio, vagiit, etc. S. Chrysostom. in c. 24. et 25. Matth. In illo, ait, die, nihil est quod respondeamus: ubi cælum, terra, aer, aqua et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum: et si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, et ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros nos ante Deum accusantes.*

S. Bernard. serm. de Virginibus: *Merito, ait, dies illa dies iræ, dies calamitatis et miseræ, dies tenebrarum et caliginis prædicatur, in qua*

*Iudicii signum tellus sudore madescet:*

*Decidet e cælis ignisque et sulphuris amnis,*

*Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.*

*Ignis enim ante Dominum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius, quos tunc instar Sodomitarum inveniet nudos et intectos. Et paulo ante: Canet tuba, ad cuius clangorem timebit mundus. Fragar igitur tubæ illius, dum tubabit angelus, dum expergiscerent homines, tartara etiam tenebrosa concutiet. Audient miseri qui ibi sunt, audient tunc qui nunc audiunt et facere nolunt: Exite obviam ei: quando Dominus advocabit cælum desursum, et terram discernere volens populum suum ante se, et prudentes virgines ab infatuatis separare. Advocabit cælum desursum, ut virtutes illæ cælorum de suis sedibus moveantur, et omnes angeli cum eo ad iudicandum congregentur. Tunc plangent se omnes tribus terræ. Tunc dicent montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Idem in Cant. Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quam astuta verba, conscientia bona, quam marsupia plena: quoniam quidem iudex non falletur verbis, nec flectetur donis.*

S. Anselm. l. de Similitud. *A dextris, ait, erunt peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia, subtilis horrendum chaos inferni, desuper iudex iratus, foris murus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix iustus salvabitur. Heu miser peccator sic deprehensus quo fugies? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile. Quam sapiunt, qui hunc diem semper præ oculis habent, et ad illum se suasque actiones componunt, ut nihil dicant vel faciant, quod in illo die eis periculum salutis creare possit, quodque iustam Dei censuram et vindictam subeat! Nil, ait S. Ambros. in Offic. est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus cum iudicem futurum, quem et occulta non fallunt, et indecora offendunt, et honesta delectant. Ita S. Hieronym. Sive comedo, inquit, sive bibo, sive quid aliud facio, semper tubi illa insonat auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Hoc est quod Christus serio præmonuit, Lucæ 21. 36. *Figilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt (in die iudicii) et stare ante filium hominis.* Hæc de causa indietæ fuerunt olim nocturnæ vigiliæ et preces, quod Christus ad iudicium media nocte venturus crederetur, iuxta illud Matth. 25. 6. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei, inquit S. Hier. et Hilarius ibidem, et Lactant. lib. 7. c. 19. vide dieta Apoc. 6. in fine. Quocirea S. Bern. ep. ultima hanc regulam vitæ sanctæ præfigit: Talis studeas vivere, qualis affectus in extremo iudicio inveniri.**

ET ERIT: QUICUMQUE INVOCaverit NOMEN DOMINI, SAL- vers. 52.

VUS ERIT.) q. d. In die iudicii, ab hoc eius terrore, et horribili tot reorum et damnandorum sententia, liberabuntur, evadent (hoc enim significat Hebr. פלט *palat*) et salvabuntur veri Dei cultores, qui scilicet in hac vita Deum puro corde, in vera fide, spe et charitate coluerint, invocaverint, prædicaverint et celebraverint. Hæc enim omnia significat vox *vocare*, vel *invocare* apud Hebræos, nimirum omnem tam internum, quam externum Dei cultum, publicamque veræ fidei et religionis professionem in eius Ecclesia. Ecclesia enim dicta est hebr. מקרא *mikra*, a קרא *kara*, id est, vocavit: græce ἐκκλησία, ab ἐκκλέω, id est, a vocando et invocando; quod a Deo vocata sit ad sincerum et publicum eius cultum et invocationem. Unde de ea subdit: *Quia in monte Sion*, etc. Porro nomen Domini est ipse Dominus, quem per nomen invocamus. Rursum, est ipse Christus, qui est nomen, id est, notio et definitio, Patris, ait Cyrill. lib. 11. in Ioann. c. 20.

Symbol. nomen Dei est eius virtus, gloria, potentia omnisque perfectio. Hinc psal. 8. 2. dicitur: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum*, id est, tua sapientia, potentia, elementia, etc. *in universa terra!* et B. Virgo canit: *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius*: in incarnatione enim Verbi omnis Dei sanctitas, virtus et perfectio eluxit.

Moral. discit hic quam Deo grata sit sui invocatio, quamque invocantibus adsit, opem et salutem afferat. Causa est, quod invocans Deum fateatur suam miseriam et impotentiam, Dei vero gloriam et omnipotentiam, utpote a qua auxilium sperat et flagitat. Sibi ergo honori ducit Deus, quod quis ad se in tribulatione confugiat, et sua magis uti velit, quam aliena ope et misericordia, iuxta illud ps. 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me*: quia qui Deum invocat, fidem et spem in eo collocat, eumque quasi facit Deum suum. Unde Martialis l. 8. epigram. 24. docet Deos non tam fieri ab idoloplastis, quam a cultoribus eos invocantibus:

*Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,  
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.*

Hinc passim in Psalmis Psaltes Deum invocat, eumque in afflictione invocari iubet. Nam Deus ipse promittit Ierem. 33. 3. *Clama ad me, et exaudiam te.*

QUIA IN MONTE SION ET IN IERUSALEM ERIT SALVA-

tio.) Per *Sion* et *Ierusalem* intelligit Ecclesiam, quam Christus primo erexit in Sion et Ierusalem, q. d. Qui fidem et pietatem Ecclesiæ, quam Christus docuit in Iudæa et Ierusalem, sectati fuerint, hi salvabuntur; ita S. Hier. Theodoret. Rupert. Lyran. Arias et alii. Alludit ad Isaïæ 4. 3. *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis scriptus ad vitam in Ierusalem*; vide ibi dicta. Unde subdit Ioele: *Sicut dixit Dominus*, scilicet tum mihi hic, tum Isaïæ cap. 4. et cap. 2. 2. tum aliis Prophetis.

ET IN RESIDUIS.) Repete, *erit salvatio*, q. d. In die iudicii soli salvabuntur qui in Sion, id est, in Ecclesia, Deum invocaverint, sancteque coluerint, item *residui*, id est, reliquæ Iudæorum, quæ in fine mundi a Deo vocatæ et electæ, Christo et Ecclesiæ aggregabuntur, itaque salvæ fient, uti docet Apostolus Rom. 11. 26. Secundo, a Castro explicat, q. d. Qui superioribus sæculis Deum invocantes in Christi gratia obierint, hi in die iudicii salvabuntur: in super residui, id est, ii qui in persecutione Antichristi cæteris cadentibus, fortes steterint in fide et professione Christi, itaque superstites remanserint tantæ fidelium cladi et ruinæ.

Nota. Pro *residuis* hebr. est בשרידים *basseridim*, quod Rabbini nonnulli, teste S. Hier. putant esse nomen loci, puta montis vel urbis, q. d. Cladem istius diei effugient qui profugerunt in Sion, in Ierusalem, aut in Scridim. Septuag. legerunt בשורים *bassurim*, id est, *evangelizati*, quos Dominus vocavit, uti legunt codices Romani: licet Theodor. legat *evangelizantes*, vel *annuncians* active, et S. Hieron. *evangelizans*, vel *annuncians* in singulari, quod sic explicat: *Hos residuos Dominus vocavit, sive evangelizavit eos quos vocavit: sic enim Septuag. interpretati sunt.* Omnes enim salvandi vel sunt evangelizantes, vel evangelizati; nemoque nisi per Evangelium Christi salvatur. Hoc enim *virtus Dei est in salutem omni credenti*, ut ait Apost. Rom. 1. 16.

Simile huic loco est, quod patheticè proclamat Isaïas cap. 4. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen (residuos et reliquias aliquas, qui proseminerent et propagarent stirpem Israel) quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorrha similes essemus*; ita S. Hieron.

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Describit diem iudicii, pœnam reproborum, et gloriam electorum. Primo ergo docet, Christum in valle Iosaphat iudicaturum Tyrios, Sidonios, aliasque gentes, quæ Iudæos et fideles afflicerunt, impieque vixerunt. Secundo, v. 13. mittit Christus angelos cum falcibus, qui demetant omnes gentes, easque adducant in vallem concisionis, ubi Christo contra eas irato et rugiente, sol, luna et stellæ obscurabuntur, ac cæli et terra movebuntur. Tertio, v. 17. docet Ierusalem caelestem tunc fore sanctam, felicem et gloriosam in æternum: Stillabunt, inquit, montes dulcedinem, et colles fluent lacte, etc. Ita passim interpretes. Quare minus recte Mariana in fine capituli, suspicatur hoc capite describi ad litteram stragem castrorum Sennacherib factam ab angelo 4. Reg. 19. 35. hanc enim factam esse prope Ierusalem in valle Iosaphat, ac sub eius typo depingi cladem impiorum in die iudicii. Fateor tamen ad stragem Sennacherib hic alludi, eamque allusive perstringi.

1. **Q**UIA ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Iuda et Ierusalem: 2. Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat: et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam dividerunt. 3. Et super populum meum miserunt sortem: et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino ut biberent. 4. Verum quid mihi, et vobis Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæsthorum? nunquid ullionem vos reddetis mihi? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. 5. Argentum enim meum et aurum tulistis: et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delobra vestra: 6. Et filios Iuda, et filios Ierusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis. 7. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum. 8. Et vendam filios vestros, et filias vestras in manibus filiorum Iuda, et venundabunt eos Sabæis genti longinque, quia Dominus locutus est. 9. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscite robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores. 10. Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas. Infirmitas dicat: Quia fortis ego sum. 11. Erumpite, et venite omnes gentes de circuito, et congregamini: ibi occumbere faciet Dominus ro-

Invocavit  
nomen  
Dei  
quid?

Deus  
semper  
invocan-  
dus.

bustos tuos. 12. Consurgant, et ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes in circuitu. 13. Mittite falces, quoniam maturavit messis: venite, et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum. 14. Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis. 15. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suam. 16. Et Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam: et movebuntur cæli, et terra: et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel. 17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo: et erit Ierusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. 18. Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte: et per omnes rivus Iuda ibunt aquæ: et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. 19. Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis: pro eo quod inique egerint in filios Iuda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua. 20. Et Iudæa in æternum habitabitur, et Ierusalem in generationem et generationem. 21. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram: et Dominus commorabitur in Sion.

Vers. 1. **QUIA ECCE IN DIEBUS ILLIS.**) In die extremi iudicii, de quo præcessit in fine c. præced. *Cum convertero captivitatem Iuda, non Babylonicam, sed ea longe acerbiorem, eaque tantum adumbratam, scilicet captivitatem peccati et cæcitatibus, qua Iudæi tenentur captivi, et obcæcati sub iugo legis Mosaicæ, quam pertinacissime retinent; quod fiet in fine mundi, q. d. Postquam Iudæos in fine mundi a iudaismo convertero ad christianismum, et a servitute Iudaica traduxero ad libertatem Evangelii, ad sortem, inquam, et gloriam filiorum Dei, congregabo omnes gentes ad iudicium extremum; ita S. Hieron. Rupert. et alii mox citandi.*

Vers. 2. Quando gentes hæc iudicandæ?

**ET DEDUCAM EAS IN VALLEM IOSAPHAT.**) Quæres primo: Quando, et ubi id factum? Primo, aliqui Rabbini censent hic significari victoriam, quam Iosaphat rex Iuda consecutus est de Ammonitis, Moabitibus et Idumæis, cum illi ipsi mutua se cæde trucidarent; idque in valle Iosaphat, id est, iudicii et vindictæ divinæ, quam poposeit Iosaphat 2. Paral. 20. 12. dicens: *Ergo non iudicabis eos?* Verum hæc vallis longe distabat a Ierusalem, eratque in Asanonthamar, quæ est Engaddi, ut ibi dicitur vers. 3. Et licet v. 26. vocetur vallis illa benedictionis, nusquam tamen ab historicis, vel chorographis vocatur vallis Iosaphat. Adde, hæc victoria diu præcessit tempora Ioelem, qui de futuro tempore vaticinatur hic contra Tyrios, Sidonios et Ægyptios, non contra Ammonitas, Moabitas et Idumæos. Insuper sub Iosaphat nulla fuit captivitas Iuda, imo Iuda tunc erat hostibus suis dominans, et formidabilis. Hisdem rationibus refelluntur alii, qui hæc intelligunt de clade Sennacherib, cum angelus cecidit in eius castris 183. millia, 4. Reg. 19. Fateor tamen hic alludi ad hanc vallem et victoriam Iosaphat, q. d. Impii iudicabuntur et damnabuntur a Christo et Sanctis eius in valle Iosaphat, sicut Moabitæ cæsi sunt a Iosaphat in sua valle, huius antitypa. Unde et in valle Iosaphat, alias amœnissima. erat Tophet et gehenna, ubi eremabant filios idolo Moloch: quæ proinde erat viva imago inferni, et damnatorum qui igne aeterno cruciantur, ad quem a Christo in eadem valle damnabuntur; ita Sanchez.

Secundo, Cyril. et Theodor. hæc referunt ad tempora Esdræ et Nehemiæ: tunc enim Iudæi redierunt e captivitate Babylonica. Verum tunc nullæ gentes hostiles a Iudæis cæsæ sunt in valle Iosaphat. Porro toto cælo errant Iudæi moderni, qui hæc accipiunt de captivitate et clade Romana, qua ipsi a Tito et Vespasiano vastati sunt, quasi hic eis promittatur eius solutio et liberatio, cæsis Romanis, Gog et Magog in valle Iosaphat. Nam hæc non fuit captivitas, sed excidium gentis, durabitque usque ad finem mundi, ut prædixit Daniel cap. 9. 26. Unde ipsi eandem nunc patiuntur per 1600. annos, nec allulget, vel nunquam affulsit eis ulla spes restorationis. Adde, nullam hic Romanorum fieri mentionem, sed Tyri, Sidonis et Ægypti.

Tertio, Christiani aliqui hæc referunt ad tempora persecutorum Ecclesiæ, puta Neronis, Decii, Diocletiani, etc. a quibus liberavit eos Christus per Constantinum. Verum tunc gentes omnes congregatas in vallem Iosaphat, ibique cæsas nusquam legimus.

Dico ergo, certum est hæc spectare ad diem iudicii. De

eo enim egit in fine cap. præced. cui hæc proxime subiicit Propheta, dicens: *Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, utique iam paulo ante a me designato, puta iudicii extremi. Tunc enim omnes omnino gentes congregabit Deus, et iudicabit in valle Iosaphat: nunquam enim alias Deus congregavit omnes gentes toto orbe dispersas: ita S. Hieron. Rupert. Remigius, Haymo, Lyran. Vatabl. Clarius, Ribera, a Castro et alii passim; quin et veteres Hebræi. quos citat S. Hier. et Galat. 1. 12. e. 1.*

Quæres secundo: Quænam, et ubinam sit vallis Iosaphat, in quam congregabuntur omnes homines, et ad quam e cælo descendet Christus iudex, ut in eo omnium iudicium peragat? Aliqui censent nomen *Iosaphat*, hic non esse proprium, sed appellativum significans *Domini iudicium*; ac proinde non designare certum locum aut vallem, sed indelinite significare locum iudicii, quisque ille sit futurus. Unde vers. 14. vocatur hæc vallis *concisionis*, quod in ea Deus concidet gentes; ita Chaldæus, vertit enim, *congregabo omnes gentes in vallem divisionis iudicii*. Et S. Hieron. hic, et ep. 142. ad Damasum, ait gentes congregandas ad vallem iudicii Domini, hoc est in iudicium Domini profundum: Græcum enim *λατταζω* idem est, quod *deorsum ducam*. S. Hieronymum sequuntur Haymo et Albertus. Alii censent vallem Iosaphat certam esse vallem, sed adhuc innominatam et incognitam, quæ ab eventu, puta a iudicio Christi in ea peragendo, nominanda sit vallis Iosaphat, id est, iudicii Dei: Iosaphat enim idem est quod *יהיה שפט* *ihie sciaphat*, id est, *erit iudicium*, scilicet tali loco quem Deus novit et decrevit. Sic locus in quo sedebit Antichristus, vocatur, id est vocabitur, *Apadno*, id est, palatium regale, Daniel. 11. 45. Sic locus in quo cædentur reges sub finem mundi, Apocal. 16. 16. vocatur, id est, vocandus dicitur, *Armagedon*, id est, anathema excidii, sive plenum excidium. Sic locus in quo cædetur Gog Ezech. 39. 11. nominatur, id est, nominandus prædicitur, Polyandrium, *vel vallis multitudinis Gog*. Ita Rupert. Arias et Clarius.

Verum melius, magisque genuinæ cum Syro, Arabico utroque, et aliis, nomen Iosaphat hic accipias ut proprium. Est enim vallis Iosaphat sita inter Ierusalem et montem Oliveti, quam perluit torrens Cedron: *ubi hortus erat, in quo Iudas proditor tradidit Salvatorem*, ait S. Hieronym. in Ieremiæ 31. ita V. Beda, Borchardus, Saligniacus, Adrichomius, et alii in Descriptione terræ sanctæ. *Vallis Iosaphat*, ait Adrichom. *quæ et vallis Cedron, et vallis montium vocatur, vallis est lata et profunda, inter Ierusalem et montem Oliveti interiecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens Cedron transiens suis aquis cregie fecundat. In hac valle pii ac religiosi reges Iuda, Asa, Ezechias et Iosias templi combusserunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron proiecerunt. Hæc vallis communis totius civitatis erat cæmeterium, ubi vulgus et ignobiles sepeliebantur: extra urbem enim Iudæis sepeliri mos erat: ibique nunc Turæi sepeliuntur. In hac quoque valle die illa eunetis mortalibus tremenda omnes undique homines ad extremum iudicium sunt congregandi, ut a Christo iudice recipiant debita pro meritis præmia quisque suis. Unde et vallis concisionis appellatur, quod ibi mali a bonis separabuntur. Tempore quo Christiani Pa-*



*læstina poliebantur, erat hic Abbatia quædam, in qua Domina Melisendis regina Ierusalem sepulta est.* In valle ergo Iosaphat erat villa Gethsemani, et hortus, in quo Christus orans sudansque sanguinem, proditus a Iuda, captus est a Iudæis, et in eadem sepulta est B. Virgo Maria, ut notat Adrichom. Porro vallis hæc nomen accepit a Iosaphat rege, quod eam ipse insigni titulo et fabrica, v.g. arcu triumphali post victoriam de Ammonitis et Idumæis, ornarit: vel quod in ea mausoleum illi erectum sit, pulchra pyramide insignitum, ut tradunt Beda et Saligniacus: licet enim Iosaphat sepultus sit in Sion, ut dicitur 2. Paral. 21. 1. tamen mausoleum illi erigi potuit in hac valle, in quod forte eius ossa translata sunt.

Hæc sententia probatur Primo, ex eo quod Sept. Noster, et alii retinent nomen Hebræum *Iosaphat* quasi proprium. Et sane qui hebraice sciunt, ex ipsa compositione et terminatione norunt Iosaphat esse nomen proprium, æque ac Iosias, Ioannes, Iosue, etc. Secundo, quia in hac valle Iosaphat, Ezechias et Iosias idololatrias et idola combusserunt, in typum, quod Christus in eadem iudicaturus esset infideles et impios, eosque in ignem gehennæ detrusurus. Tertio, quia in eadem valle erat cæmeterium Ierusalem: ergo par est, ut ibidem resurgant Hierosolymitæ, id est, fideles Ecclesiæ civis iudicandi a Christo. Rarum in valle Iosaphat erat gehenna, in qua eremabant infantes idolo Moloch: ergo par est ut illi ibidem a Christo damnentur ad gehennam ignis æterni. Addit S. Thomas in Is. 30. 33. Hebræos opinari ibidem esse fauces inferni sive quædam infernalis incendii spiracula, qualia nonnulli opinantur esse in Ætna, olla Voleania, Vesuvio, Hecla et similibus montibus qui flammam vomunt. Indiciam afferunt, quod ibi duæ palmæ iugiter fument, uti famat Ætna. Verum huius rei fides sit penes ipsos: apud Latinos enim nil tale legi. Quarto, quia vallem Iosaphat esse iuxta Ierusalem, patet ex eo, quod v. 16. subdit Ioelem: *Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam.* Confirmatur, quia Ierusalem censetur esse medium terræ, in quo Deus, ut ait Psaltes psal. 73. 12. salutem operatus est per passionem, mortem et ascensionem Christi: ergo decet ut ibidem Sancti fructum sanguinis et passionis eius, ac gloriam ascensionis participant. Quinto, quia Christus Hierosolymis vixit, docuit, miracula fecit, iudicatus et occisus est: ac in monte Oliveti, qui huic valli imminet, gloriam et maiestatem suam ascendens in cælum ostendit, ibique angeli eum rediturum ad iudicium prædixerunt Actor. 1. 11. dicentes: *Hic Iesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Ergo decet et convenit, ut in eadem iudicet incredulos et inobedientes sibi, qui tantæ eius charitati, redemptioni, doctrinæ et miraculis, quibus doctrinam suam cælestem esse, sequæ a Deo missum Messiam et Salvatorem probavit, credere et obedire noluerunt. Iustum enim est, ut ibi Christus suæ gloriæ maiestatem ostendat, ubi summam ignominiam sustinuit; utque ibi iudicet, ubi iudicatus est, et vindictamumat de suis persecutoribus, aliisque omnibus qui suo sanguine uti noluerunt. Ita S. Hilar. can. 25. in Matth. *Congregantibus*, ait, *angelis conventum futurum in loco passionis ostendit: et digne illie claritatis adventus expectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est: ita et Remigius, Lyran. Vatabl. Emmanuel, Mariana hic, D. Thomas et Albert. in cap. 24. et 25. Matth. D. Soto, Paludanus, et passim alii Scholastici in 4. d. 47. aut 48. ac nominatim Suarez 3. p. q. 57. a. 6. disp. 53. sect. 3.*

Porro Christus index non descendet in ipsam vallem Iosaphat: sic enim a tot hominum millionibus iudicandis videri non posset, sed in aerem huic valli et monti Oliveti incumbentem, et vicinam. Sedebit enim in nube lucida et gloriosa. Assidebit ei Virgo Mater, quæ in hac valle sepulta est et resurrexit: item Apostoli et viri Apostolici. In valle vero, locisque ei vicinis consistent homines iudicandi, circumstantibus angelis; sed electi et beati rapientur in nubibus obviam Christo in aera, ut ait Apost. 2. Thessal. 4. 16.

ET DISCEPTABO CUM EIS (IBI.) Hebr. *et iudicabor*, id est, *iudicio contendam cum eis*, ut vertit Syrus; Arabice, *et diiudicabo eas ibi pro populo meo.* Alludit per patronomasiam in voce *אִשְׁפָּתִי אִשְׁפָּתִי* *ispatti*, id est *iudicabor*, hoc est, *disceptabo*, ad nomen *Iosaphat*, quod hebr. significat *Domini iudicium*, q. d. In valle Iosaphat, id est, iudicii Domini, ego Christus, quasi Deus et iudex, iudicia contendam cum omnibus gentibus, omnesque infideles et impios secleris convincam et condemnabo, quod scilicet meam redemptionem vel non crediderint, vel neglexerint, et aspernati sint. Atque inter cætera argumenta hoc proferam: Ecce ego resurgens a morte ex hoc monte Oliveti, publice coram Apostolis, plurimisque discipulis in cælum conscendi, ut ostenderem me e cælis venisse, indeque a Patre æterno missum, eius legem et doctrinam cælestem vobis tradidisse, ac per vera miracula confirmasse: ideoque eo me, peracto legationis et redemptionis officio, a Patre revocari, et regredi, ac consequenter vitam meam fuisse innocentem et cælestem, nec mortem crucis me meis peccatis promeritam, sed pro vestris eandem amplexum sponte subiisse. Cur ergo mihi non credidistis? cur meam redemptionem et salutem non acceptastis? cur meæ legi non parvistis? Sane nihil habetis causæ, quod vestræ incredulitati et inobedientiæ prætentatis, inexcusabiles estis: convincit vos vestra ipsorum mens et ratio, indicat et condemnat vos vestrum ipsorum iudicium, vestra ipsorum sententia, vestra conscientia vos reos et ingratos, mortem et gehennam promeritos; me vero æquum, misericordem et piæ esse proclamat. Christus ergo supra vallem Iosaphat in throno iudiciario considens disceptabit, et indignans rugiensque dicet impiis in valle consistentibus, et pavidis: Ecce ego in hoc ipso loco pro vobis laboravi, et atrociam passus sum: ecce hic in Gethsemani pro vobis sudavi aquam et sanguinem, proditus et captus sum, ligatus quasi latro, tractusque per Cedron in urbem: ecce iuxta hanc vallem in domo Caiphæ, ac mox in domo Pilati, pro vobis iudicatus et damnatus ad mortem, flagellatus, spinis coronatus, colaphis cæsus, irrisus et consputus sum: ecce hic totam urbem circumductus crucem hauriens tandem in Calvariæ monte pro vobis crucifixus sum: ecce hic nudus inter cælum et terram suspensus, distensis manibus, pedibus, totoque corpore memetipsum pro vobis in victimam Deo Patri obtuli. Testis es Pilate, testis Anna, testis Caipha, testis Iuda, testes pontifices, testes Iudæi, qui hoc ipso loco contra me contentis vocibus clamastis: *Reus est mortis: crucifigatur, crucifigatur.* Meministi Pilate, quod quasi reus hic steterim coram tuo tribunali, et sententiam mortis a te acceperim; cum tamen tu innocentem me ferres, dicesque: *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Meministi Caipha; meministi pontifices, quod in concilio a vobis adinratus: *Dic nobis, si tu es Christus filius Dei vivi*, responderim: *Tu dixisti: verumtamen dico vobis: Amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli.* Mihi tamen non credidistis, imo subsannastis, et quasi blasphemum condemnastis et crucifixistis. Ecce nunc dies illa quam vobis prædixi, et intentavi: ecce nunc sors mea cum vestra commutata: iudices sedistis, steti ego reus: nunc rei vos, iudex ego. Nunc videtis me eum esse quem dixi, Messiam filium Dei, orbis dominum et iudicem: quomodo vos in me secleratas manus immittere, quomodo sacrilege filium Dei blasphemare et occidere ausi fuistis? Cernite manus quas fodistis, pedes quos perforastis: cernite sacra stigmata, quæ corpori meo impressistis. Hæc vos iudicant, hæc contra vos clamant, hæc condemnant. Itæ ergo sacrilegi, itæ deicidæ cum Lucifero in ignem æternum: Et vos, o infideles, o Turcæ, o pravi Christiani, hæc scivistis, vel scire potuistis et debuistis: et tamen neglexistis, sprevestis meos labores, sudores, dolores: sanguinem testamenti pollutum duxistis: maluistis sequi vestras concupiscentias, quam me, meamque doctrinam et legem: delicias, opes, honores momentaneos æternæ salutis a me promissæ prætulistis, gehennæ incendia minitantem me contempnistis. Ecce nunc videtis quem

contempseritis: nunc cernitis minas meas non fuisse vanas, sed veras: promissa mea non vana, sed certa: nunc cernitis vanas et fallaces fuisse vestras amasias, divitias, dignitates: nunc cernitis vos in earum amore fuisse stultos et insensatos: nunc gemitis et plangitis, nunc pectora tunditis: sed sero et frustra. Itē ergo improbi, itē ingrati, itē increduli, itē insensati, itē maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius a constitutione mundi.

Vos vero, o Apostoli, qui me hoc in loco damnari, flagellari, crucifigi, occidi vidistis, et tamen in me ereditistis, me secuti estis usque ad mortem et cruceem: vos pariter, o viri Religiosi et Apostolici, qui meam paupertatem, humilitatem, mundi contemptum et cruceem amplexi estis; quique meam fidem, doctrinam et religionem toto orbe propagastis: vos denique, o fideles, qui me redemptorem vestrum credidistis, sperastis, amastis, coluistis, qui per omnia meae legi paruistis, qui Christianam, meque dignam vitam egistis; qui sobrie, pie et iuste in hoc saeculo vivistis expectantes beatam spem, et hunc menm adventum gloriæ magni Dei: Venite o dilecti et electi, venite o benedicti Patris mei, possidete regnum caelorum vobis paratum ante saecula, ab omni aeternitate. Et ibunt illi in ignem aeternum, iusti autem in vitam aeternam. Beatus qui hæc iugiter cogitat, prævidet et providet. Similem exprobrationem Christi iudeis ad impios habet S. August. serm. 67. de Temp. qui est de die iudicii.

Exempl. S. Pelagii. Hæc cogitabat S. Pelagia pœnitentem, quæ a vanitate mundi conversa per B. Nonnum Episcopum Heliopoleos, perpetuæ pœnitentiæ se addixit, ad eamque delegit hunc locum. Nam in monte Oliveti tugurium erexit, ex quo in vallem Iosaphat despectus est, ut iugem Christi patientis, æque ac iudeis venturi imaginem sibi ob oculos poneret. Ita habet eius Vita S. Octob. et Adrichom. in Descript. terræ sanctæ.

B. Xaverii. Ab hanc quoque vallem B. Xaverius citavit Præfectum Malacæ, qui cupidine auri vietus, iter eius in Sinas, ac consequenter Sinarum conversionem impediēbat: *Ego, inquit, nunquam posthac illum, neque ille me visurus est in hac vita, nisi cum apud summum illum Iudicem in valle Iosaphat eum accusaturus sum, quod improbissima turpissimaque cupiditate occæcatus, tantam animarum impediēdit messem.* Ita Tursell. in eius Vita lib. 5. cap. 7. Ad eandem nos oraculo Ioelem eitat hic Deus, reipsa citaturus per archangelum, eum ille tubali voce omnes e monumentis evocabit ad tribunal Christi.

Patheticæ S. Cyrillus orat. de animæ excessu, quam fuisse recitat noster Raderus in Viridario Sanctorum pag. 186. *Metuo, inquit, mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quoniam æterna est. Metuo tartarum (ita vocat gehennam frigoris et glaciæ, qua æque ac igne torqueri damnatos in inferno multi censent, moti illo Iobi e. 24. v. 19. Ad nihilum calorem transeat ab aquis nivium. Ita ibidem Philippus presbyter, S. Thomas, Titelm. Stunica et alii) quoniam nihil habet caloris. Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus est. Metuo angelos iudicio præficiēdos, quoniam immisericordes sunt. Metuo cum cogito illius diei terribile, et muneribus incæpugnabile concilium, tribunal horribile, iudicium incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimaque flamma torrens, et acutos enses. Metuo severissimas pœnas. Metuo supplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracla vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem. Metuo incrivitabiles probationes. Nihil enim accusationibus eget iudex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus, sed quæcumque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium adfert ob oculos nocentium. Tum nullus est qui ad-ill et panis eripiat, non pater, non mater, non filius, non filia, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non dicitiarum abundantia, non potentie fastus: quia hæc omnia cineris ritu in pulverem abeunt, solusque reus ex suis factis absolventem aut condemnantem sustinet sententiam. Et inferius: Tunc ubi huius mundi*

*di iactantia? ubi inanis gloria? ubi apparatus? ubi reges? ubi ornatus? ubi pecunia? ubi nobilitas? ubi delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa et inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc vestimentorum comptus? ubi qui eum tympanis et cithara vinum potant? ubi theatra? ubi venationes? Et post nonnulla: Acerbum est in igne esse, et clamare, neque subveniri. Insuperabiles fauces, immensus gurgis, ubi inclusus quis et detentus evadere aut aufugere nequeat: insuperabilis custodiæ murus, immites custodes, tenebricosus carcer, tetri Æthiopes, infraeta vincula, inconvulsæ catenæ, diri ferique flammæ illius ministri, graves illæ qua ad supplicium adhibentur scuticæ, firmi ungues et infracti, duri nervi, turpida pax atque torrens, fetens sulphur, ignea illa cubicula: inextincta pyra, putidus virosusque vermis: inexorabile concilium, invictus gratia iudex, inexcusabilis defensio: notis compuncti magnatum vultus, exoleti optimates, mendicæ reges, imperiti sapientes, fatui oratores, dementes divites: non auditæ falsæ scribentium assentationes: manifestæ multiorum versutiæ, perspicuæ fraudatorum calliditates: vix improbis. Profani, seclerati et impuri sunt in conspectu Dei: vix contumacibus, contentiosis et turbulentis: vix peruriis: vix helluonibus, quorum Deus venter est.*

SUPER POPULO MEO ET HÆREDITATE MEA ISRAEL.) Populum suum, sive Israel, vocat suos fideles et sanctos. Horum enim typus erat populus Israel, olim a Deo electus, fidelis et sanctus: illicque in eius a Deo et Christo apostatantis locum subrogati et adoptati sunt, ut docet Apost. Rom. 9. 8. nam, ut idem ait Galat. 6. 16. *Quicumque hanc regulam (Christi et Evangelii quod ego prædico) secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Pax et significat, id est, q. d. Pax sit super illos, id est, super Israelitas: quia illi sunt veri Israelitæ, non carne, sed fide et spiritu: sequuntur enim fidem et virtutem Israelis, Isaaci et Abrahæ. Horum ergo dispersionem, id est, persecutiones et exilia se vindicaturum hic dicit Deus. Sensus ergo est, q. d. In valle Iosaphat disceptabo cum infidelibus et impiis, qui populum meum Israel, id est, fideles meos, et pios, verosque Dei cultores afflixerunt, eosque condemnabo et puoniam æternam morte.

ET TERRAM MEAM (populi mei, ideoque meam, illo eiecio, inter se) DIVISERUNT.) Persistit in typo et allegoria vastationis et excidii Iudææ per Chaldaeos; sed per hoc intelligit expilationes et iniurias fidelibus irrogatas. Sic enim Turcæ Christianorum prædia et provinciæ invaserunt, occuparunt, diviserunt: sic Angli etiamnum Orthodoxorum bona confiscant, et per multas exhauriunt, uti olim fecerunt Nero, Decius, Diocletianus, etc. quibus recte competit id quod sequitur:

ET SUPER POPULUM MEUM MISERUNT SORTEM.) Sortito inter se dispartientes tam ipsum, quam ipsius bona, uti milites Christi crucifixi vestimenta eo inspectante sortito inter se diviserunt: quæ ingens fuit contumelia et afflictio. Alludit ad sortem quam iecit Aman super Iudæos de die et mense, quo eos trucidare destinabat, Esther 3. 7. Arguit Gentium turbam super tribus, ait Hugo Vietor. *De avaritia, de luxuria, de gula. De avaritia, quia super populum Domini sortem misit. De luxuria, quia puerum prostituit. De gula, quia pro vino puellam vendidit.*

Tropol. *Dæmones terram Domini, id est, fidelem animam, vitii dividunt; superque populum virtutum, peccatorum sortem mittunt. Tunc puerum, id est, puritatem mentis, prostituunt illicitis desideriis. Tunc puellam, id est, cordis innocentiam, vendunt pro vino, id est, luttitia temporalis et terreno delectamento. Huc usque Hugo.*

ET POSUERUNT PUERUM IN PROSTITULO.) q. d. Pueros populi mei posuerunt in lupanari, ut scilicet ex eorum corpore exposito pæderastis ad innaturalem et execrandam libidinem, luerum et quæstum facerent; sic et puellas venderunt partim ad libidinem, partim ad servitium, ut ex earum pretio vinum emerent, eoque gulam suam explerent. Unde Hebræa ad verbum habent, *dederunt puerum in meretricem, vel pro meretrice, quam S. Hier. ver-*

tere et vocare solet *prostibulum*. Unde in comment. hic ait: *Posuerunt puerum in prostibulum*, hoc est, prostituunt puerum lenonibus quasi scortum masculum, *ut eum virilem cogere mutare naturam*, ut fecit Iason 2. Machab. 4. 9. Sic et Theodor. Remig. Rupert. Hugo et Vatabl. Quocirea Arabicus uterque vertit, *commutaverunt pueros in mercedem meretricum*, scilicet meretricibus substituendo pueros meritorios, ex quibus captarent turpem mercedem, qualis solet dari meretricibus. Syrus vero vertit, *dederunt pueros in mercedem adulterarum*, ut eis servirent quasi famuli. Noster recte vertit, *in prostibulum*. *Prostibulum* enim latine non tantum lupanar, sed et meretricem significat. Audi Plantum in Aulul. *Bellum et pudicum vero prostibulum populi*. Eadem dicebatur prostibula feminine. Audi Festum: *Alicurix meretrices appellabantur, in campis solitæ ante pistrina alicuriorum versari quæstus gratia; sicut hæ quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibula*.

Secundo, Septuag. vertunt, *puerum dederunt meretricibus*; scilicet pro pretio corporis earum sibi prostituti, q. d. Tam vili aestimarunt pueros Iudæorum, ut eos loco pretii darent meretricibus pro usu corporis earum, sive pro mercede meretricandi. Ita Chald. Lyran. Vatabl. Pagn. Clarius, Arias et a Castro. Hinc sensui max. hebr. *בזונה* *bazzona*, id est, pro meretrice, sicut mox de puellis ait, eas venditas *בין* *beiuin*, id est, *pro vino*; utrobique enim est *beth* pretii.

Tertio, Hieron. Prado in Ezech. 16. 15. *Posuerunt puerum in prostibulo*, hoc est, inquit, ad edulia in caupona prostituta, ut vendantur hospitibus, emenda et comparanda, q. d. Dederunt in pretium esulentorum puerum Iudæum captivum, æque ac pro vino dederunt in pretium puellam Iudæam. Hebr. enim *זונה* *zona*, id est, prostibulum, significat proprie cauponam, quæ prostituit edulia, vel merces, vel operas suas, vel etiam corpus, et tum vocatur meretrix. Verum Latinum *prostibulum* numquam cauponam, nec esculenta venum prostituta significat. Primus ergo sensus est genuinus, eumque exigit nostra versio Latina: deinde secundus, qui valde congruit textui Hebræo. Pauca hic, sed enormia in innocentes pueros et puellas scelera, in die iudicii indicanda et punienda recenset Propheta, atque per synecdochen sub his quævis alia subintelligit. Ita Lyran.

Vers. 4. VERUM QUID MIHI ET VOBIS TYRUS ET SIDON, ET OMNIS TERMINUS PALÆSTINORUM?) Phrasis illa, *Quid mihi et vobis est?* aversantis, indignantis, abiicientis, reprobantis et condemnantis est, quod adversus ipsum Deum bella movere, odiaque et simultates exercere præsumpserint, cum populum Dei persequantur. Nam, ut ait S. Hieron. *qui populum Dei persequitur, ipsum Deum persequitur, cuius est populus*. Unde Christus Saulo ait: *Quid me persequeris? Ego sum Iesus, quem tu persequeris*, Actor. 9. 4. Iam Haymo, Rupert. Arias, Vatabl. et Ribera censent Tyrum, Sidonem et Palæstinos hic ad litteram capi metaphorice, pro quibusvis impiis: ac vice versa per Iudæos, significari omnes pios et sanctos. *Tyrus* enim hebr. idem est quod coarctatio, et Tyrii idem quod coarctantes, angustiantes, affligentes: Sidonii, idem quod venantes, scilicet ad mortem: Philisthini, idem quod conspergentes cinere, id est, luctum afferentes, ut notat. S. Hieron. Alii, et melius, hæc proprie accipiunt: sicut enim Iael ex multis sceleribus in die iudicii iudicandis, pauca tantum per modum exempli paulo ante recensuit, ex his cætera omnia synecdochie subintelligens, ita et hic ex omnibus gentibus tum iudicandis per modum exempli producit paucas et fama et vicinia et scelere apud Iudæos insigniores, atque ex his cæteras omnes partim per synecdochen, partim per metaphoram intelligendas relinquit. Tyrii enim, Sidonii et Philisthini fuere aeres, et pene perpetui, populi Dei, puta Iudæorum, hostes, in eosque sæpe crudeliter desævierunt spoliando, occidendo et vendendo eos Græcis, id est gentibus Asianis. Unde contra eos tonant Propheta uno ore, et excidium per Chaldæos eis intentant, ut Isaias cap. 14. 29. et toto cap. 23.

A Ieremias toto cap. 47. Ezechiel toto cap. 27. et 28. Eadem de causa Iael hic eisdem idem per Chaldæos temporale excidium (sed obiter perstringendo id tantum) ac multo magis æternum in die iudicii, puta condemnationem et gehennam, intentat. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. Ribera et alii. Miscet ergo Iael litteram allegorix: quia mistim loquitur de hostibus Iudæorum sui temporis, et de hostibus fidelium et sanctorum quovis ævo. Sic Isaias c. 14. miscet casum Balthasarum cum casu Luciferi; et Ezech. c. 28. miscet casum regis Tyri cum casu Cherubini. Vide can. 4. et 52. in Prophetas maiores.

Quare minus recte aliqui hæc referunt ad Tyrios, Sidonios et Palæstinos, qui tempore Titi et Romanorum Iudæos afflixerant. Alii ad eos, qui Christianos et nascentem Ecclesiam Christi in Iudæa persecuti sunt: præsertim cum non legamus Tyrios, sed Iudæos ipsos persecutos fuisse Christum et Christianos. Sensus ergo est ad litteram, q. d. Quid mihi vobiscum est, o Tyrii, Sidonii et Palæstini, qui acerbi et continni fuistis hostes populi mei (Iudæorum) ac consequenter mei ipsius, qui populi huius mei tutor sum et Deus? Num ultionem de me, quod sæpe per Iudæos vos occiderim, sumere vultis hoc ipso, quod cum me non possitis, populum meum opprimitis, eiusque aurum et opes diripitis; templum meum spoliatis, ut delubra Beli et idolorum vestrorum ornatis, ac Iudæos quasi mancipia venditis Græcis, id est gentibus, uti fecit Nicanor 2. Machab. 8. 14. Sed agite, ecce ego vicissim ulciscar me, et hæcæ populi mei iniurias, ac talionem vobis rependam: suscitabo enim et liberabo populum meum de manu vestra, faciamque ut ille vestri dominetur, et vicissim filios vestros vendat Sabæis, qui sunt prædones notissimi, ut patet Iob. 1. 15. licet enim hoc reipsa factum alibi non narret Script. hic tamen futurum prædicat, unde factum esse, non dubium: sic enim multa a Prophetis prædicta, facta non legimus, et tamen facta non dubitamus. Credimus enim oracula eorum fuisse vera, ac proinde reipsa impleta. Vide can. 41. in Prophetas maiores. Ita Theodor. Remig. Lyran.

Hic est sensus primus et quasi fundamentalis, sed sub hoc alium magis præcipuum intendit Propheta: nimirum per hæc Tyriorum, Sidoniorum et Palæstinatorum scelera, et eorumdem punitionem, significat similia crimina tum Turcarum et Saracenorum in Christianos, tum quorumvis impiorum qui pios persequuntur, quos Deus in die iudicii, cum suos fideles et pios a morte suscitabit ad vitam, et in libertatem gloriæ filiorum Dei asseret, puniet, et vendet Sabæis, id est, tradet erociandis dæmonibus. Hisce enim Sabæi moribus et nomine erant similes. Sabæi enim per *sein* significat hebr. captivitatem, uti vertunt hic Septuag. et captivantes, quales sunt dæmones. Unde et Arabicus Alexand. vertit, *venundabunt eos in captivitate, captivitatem* (captivos abducendos) *ad gentem remotam*. Ita Rupert. Clarius, Arias, Vatabl. Ribera et a Castro. Rursum Sabæi per *sin* hebr. significat epulantes, saturos, a rad. *שבע* *saba*, id est saturatus est; vel potantes, et ebrios, a rad. *שׂיב* *seiab*, id est potavit, ut sit metathe-sis. Dæmones enim laniabunt impios in gehenna, eorumque carnibus, sanguine et pœnis se pascent, et quasi inebriabunt. De iudicio enim extremo agit hic Propheta in præcedentibus, æque ac in sequentibus: unde symbolice per Tyrios, Sidonios et Palæstinos notantur hic tres, id est omnes, classes impiorum. Tyrus enim superba, et instar Tyrii sunt superbi, Sidon mercaturæ dedita, venasque opes, notat avaros: Palæstini, id est cadentes, notant carnales, qui quasi porci corruunt in ventrem et venerem, ac volutantur in cæno gulæ et libidinis. Nam, ut ait S. Ioan. epist. 1. cap. 2. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum* (avaritia, sive cupiditas auri et argenti) *et superbia vitæ*. Has Deus, eiusque Sancti iudicabunt et damnabunt in die iudicii, iuxta illud psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria etc. gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles*

Sabæi e-  
tymon.

Tyrii  
sunt su-  
perbi, Si-  
donii a-  
vari, Pa-  
lestini  
gulosi.

eorum in manibus ferreis, ut faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis eius.

ET OMNIS TERMINUS PALÆSTINORUM.) Ita et Tigurina, et alii passim, q. d. Et omnes fines omnesque regiones Palæstinorum. Verum Septuag. Hebr. גלילית *ghelilot* retinuerunt quasi nomen proprium, verteruntque: et omnis Galilæa alienigenarum, id est, Philistinorum. Mirum hoc: nam nulla Galilæa fuit in Philisthæa: unde in Hebræo non est alienigenarum, sed Palæstinorum. Audi S. Hieron. *Pro Galilæa in Hebræo scriptum est ghelilot, quod Aquila, Συμαχος; Symmachus, terminos transtulit: Συμαχος autem, id est, tumultum arenarum, referamus ad littora Palæstinæ, non ad Galilæam Philisthæam, quæ omnino nulla est.* Quare credo Septuag. qui id sciebant, voluisse retinere Hebr. nomen *ghelilot*, ut Galilæa sit nomen appellativum, non proprium, significans fines, terminos: hi enim hebr. vocantur *ghelilot*, indeque regio Galilæa nomen accepit, puta a revolutionibus et molibus arenarum, quibus disterminatur; quia enim mari adiacet, hinc ab eo se dividit, et tutatur congestis in littore arenarum tumulis: radix enim גלגל *galal* significat volvere, convolvere. Ita Andreas Masius in Iosue 13. vers. 2. Ubi pariter Noster vertit, *omnis Galilæa Philisthæam et Gessuri: Septuag. vero, Chald. et Rabbinii vertunt, omnes limites vel littora Philistinorum et Gessuri.*

Vers. 8.  
Sabæi  
qui et  
ubi.

SABÆIS.) Sic et Aquila, et Symmachus: licet Septuag. vertant, *in captivitate*; שבבי *seebi* enim hebr. est captivitas. Sabæi autem sunt vel Ethiopes, vel Arabes Arabiæ Felicis, de quibus Poeta: *Centumque Sabæo thure ealent aræ.* Duplex enim est Saba, una in Æthiopia, altera in Arabia: utraque longinqua, longeque distans a Iudæa, uti docte docet P. Pineda lib. 5. de Rebus Salomon. c. 6. num. 3. et 4. unde Prætor Ioannes Imperator Abyssinorum hoc titulo gloriatur: *Dominus Sabæim* (id est utriusque Sabææ, et utrorumque Sabæorum) *et successor Reginæ Saba*, quæ cum muneribus venit ad Salomonem 3. Reg. 10. Porro Iudæi, inquit S. Hieron. *promittunt sibi, imo somniant, quod in ultimo tempore congregentur a Domino, et reducantur in Ierusalem. Nec hac felicitate contenti, ipsum Deum suis manibus Romanorum filios et filias asserunt tradituros, ut vendant eos Iudæi non Persis, et Æthiopicis, et cæteris nationibus, quæ vicinæ sunt; sed Sabæis, genti longissimæ: quia Dominus locutus sit, ut populi sui ulciscatur iniuriam. Hæc illi, et nostri iudicantes (Chilistæ) qui mille annorum regnum in Iudæa sibi finibus pollicentur, et auream Ierusalem et victinarum sanguinem, et filios ac nepotes et delicias incredibiles, et portas gemmarum varietate distinctas (de quibus Apoc. c. 21.) Nos autem dicamus, quod et suscitavit Dominus post adventum suum et quotidie suscitavit, et suscitaturus est eos, quos variis error eduxerat de finibus suis: pulehæque: Suscitabo, ait, quasi iacentes et corruentes, ut qui iacebant in hæresi, stent in Ecclesia, reddens hæreticis quod fecerant, ut filios eorum et filias, quos in mysticis et carnalibus erudierant, tradat in manus filiorum Iuda, id est, in manibus eorum qui Ecclesiarum principes extiterunt, ut ad meliora conversi, Ecclesiasticis dogmatibus incipient esse subiecti.* Hoc tropologicum est: nam ad litteram agit Ioele de impiis, quos in die iudicii æternæ servituti et carceri Deus mancipabit.

Vers. 9.

CLAMATE HÆC IN GENTIBUS, proclamate hæc voce præconis apud Gentes: SANCTIFICATE: Tigurina, *indieite*; Chald. *preparate*, BELLUM.) Est catachresis: quia enim festa futura solebant apud Iudæos sanctificari, id est, iudici et præconis voce publicari, ut ad ea quasi sancta populus se sancte compararet, hinc sanctificare idem est quod indieere et proclamare. Vide dicta Ieremiæ 6. 4. unde Theodor. *Sanctificate bellum*, hoc est, inquit, *exertate pugnatorem et segregate ad bellum: quoniam enim sanctus seipsum a sceleribus segregat, hinc omne quod segregatur ad aliquid, vocat sanctificare.*

Tropol. Hugo, Victor. *Sanctificare bellum, est bellum sanitate donare; nonne bellum sanctificatur, ubi virtus triumphat, et vitium necatur?*

Nota hæc per ironiam dici, q. d. Defendite vos, o Tyrri, aliæque quælibet Gentes, quantum potestis; at non evadetis iudicium meum, manum meam, vindictam meam, quam exercebo in vos tum per Chaldæos, tum potius per Christum et angelos in die iudicii. Ita S. Hieron. Lyran. Clarius et Vatabl. Addit Arias, omnes impios quasi classico evocatos, ruituros in bellum contra Christum et Sanctos, ac properaturos in vallem Iosaphat, itaque instar furentium ruituros in suum exitum, quod ibidem eis inferet Christus. Verum hoc parum est verisimile: nam morientur omnes ante iudicium, ac classicum archangeli audient: *Surgite mortui, venite ad iudicium*; scient ergo se evocari ad iudicium, non ad bellum. Minus etiam verisimile est quod censent Rupert. et Hugo, hæc dici conacionatoribus, ut bellum indicant peccatis et peccatoribus; aut viris sanctis, ut contra impios parent arma, de iisque se ulciscantur. Patet enim ex seq. hæc ad impios in fine mundi ironice dici. Unde sequitur:

ASCENDANT.) Prodeant in prælium, acies suas explacent, arma viresque suas ostendent.

CONCIDITE ARATRA VESTRA IN GLADIOS. Hæc phras. vers. 10. significat bellandi cupidinem, æque ac necessitatem extremam, tantam scilicet, ut opus sit ex aratris fabricare gladios, quibus pro vita pugnetur, etiam a languidis et infirmis. Hoc est enim quod subdit: INFIRMUS DICAT: QUIA FORTIS EGO SUM.) q. d. Infirmus in tanta necessitate infirmitatem excutiat, vires et arma suscitet; agitur enim de eius et omnium aliorum capite et salute. Ex adverso Isaias c. 2. 4. significans pacem summam a Christo nascente orbi afferendam, ait: *Constabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in fulees.* Simili phrasi tempus belli exprimit Virgil. 1. Georg.

*Et curvæ rigidum fulees curvantur in ensem.*

Et Ovidius lib. 1. Pastor.

*Sarcula cessabant, versique in pila ligones:*

*Factaque de rastro pondere cussis erat.*

Et Martialis lib. 14. epigr. 34. cuius titulus: *Falx exense:*

*Pax me certa iuvis placidos constavit in usus.*

*Agricolæ nunc sum, militis ante fui.*

Sic S. Paulum gladium persecutionis vertisse in vomerem Evangelii, cum ex lupo factus est agnus, docet Tertull. contra Gnosticos c. 13. *Paulus Apostolus, inquit, de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, et convertens macharam in aratrum: lupus rapax Benjamin, deinde afferens etiam ipse eseam.*

Tropol. Hugo Victor. *Quid, ait, sunt aratra, nisi membra mortificata? Quid est aratra in gladios concidere, nisi membra mortificata pro cura fidei, pro virtute verbi neci frequenter opponere? Ligones sunt varix mentis compunctiones: lanceæ sunt severæ comminationes. Quid est autem ligones in lanceas concidere, nisi e varia mentis compunctione ardorem fidei, virtutem verbi, vim sententiarum concipere? Gladius est, de presentis virilis conceptio: lancea, de futuris salubris comminatio.* Unde sequitur:

IBI OCCUMBERE FACIET DOMINUS ROBUSTOS TUOS.) q. vers. 11.

d. Quantumcumque, o Gentes, sitis armatæ, quantumlibet fortes et pugnaces, tamen in valle Iosaphat cademini a Domino, occumbetis, et in tartara detrudemini. Dicit *robustos tuos*, non vestros, quia loquitur collective toti gentium populo, tamquam uni. Omnes enim hi Dei hostes et impii, unus censentur reproborum cœtus, unus damnatorum populus. Sic sæpe alibi Script. de iisdem loquitur nunc in plurali, respiciens singulos, qui sunt plures; nunc in singulari respiciens populum, qui est unus.

Pro *occumbere faciet* hebr. est הנחת *hanchat*, id est, descendere fecit, hoc est, faciet; prophetice enim præteritum capitur per futuro. Unde Tigurina versio habet, *ibi sternet Dominus heroes tuos.* Sic et Chald. et Pagninus. Rursum *hanchat*, potest accipi ut Imperativus. Unde Vatabl. vertit, et explicat: *Descendere fac, o Domine, fortes tuos, ut scilicet contra gentes pro Ecclesia tua dimicent: vel descendere facies e caelis angelos tuos fortes, iuxta illud Iudic. 5. 20. De caelis dimicatum est contra eos.*

Septuag. aliter hæc accipiunt: vertunt enim *mansuetus sit pugnator*, q. d. Fac o Domine, ut tui bellatores descendant de sua ferocia, ponant animos et iras, sintque mansueti, ut vindictam elementia temperent: forte etiam pro *hanchat* legerunt הענה *haane*, id est, humilia, humiles fac et mites.

Nota. Loquitur Ioele et Prophetae de die iudicii quasi de die prælii, quo Christus colliget et proteret reprobos, utpote hostes suos, calcans eos quasi in torculari, et concidens eos in valle concisionis. Idem Christi prælium describitur Apoc. 19. v. 14. Sapient. 5. 18. Isaiaë 66. vers. 13. et 24.

Vers 12. **CONSURGANT ET ASCENDANT GENTES IN VALLEM IOSAPHAT.**) Sunt verba Christi omnes gentes evocantis et citantis ad suum tribunal, q. d. Gentes ubilibet mortuæ et sepultæ, a morte et e sepulchro resurgant, pergantque in vallem Iosaphat: *Quia ibi sedebit ut iudicem omnes gentes.* Ita S. Hieron. Rupert. Remig. Lyran. Hugo, Vatabl. et alii. Dicit *ascendant*: Primo, quia ascendere Hebræis idem est quod ire, pergere. Secundo, quia Ierusalem sita est loco alto, ut aliunde venientes eo scandere oporteat: alioqui ex ipsa Ierusalem in vallem Iosaphat descenditur, non ascenditur. Tertio, quia tribunalia iudicum solent esse loco sublimi et conspicio, ut eo euntibus scandendum sit: sic Christi tribunal erit loco edito super vallem Iosaphat, ut gentes ad illud euntes, recte ascendere dicantur. Quarto, ascendere Hebræis est verbum militare et forense. Milites enim dicuntur ascendere in prælium, cum pergunt contra hostem, eum eoque colligunt; ascendere enim significat aggredi rem arduam, ad quam animos erigere, viresque excitare et æuere opus: tale autem est prælium, vel militare, vel iudiciale, puta quo reus cum testibus, et iudice disceptat, et quasi colligit pro se suoque capite.

Vers 15. **MITTITE FALCES.**) Loquitur hic Christus ad Apostolos aliosque qui secum sessuri sunt iudices in die iudicii, ut impios condemnent. Ita S. Hieron. et Remig. vel potius ad angelos, qui demetent homines in fine mundi, ac mox eosdem resuscitabunt, et ducent ad tribunal Christi, ab eoque damnatos detrudent in tartara, q. d. Vos o angeli, demetite omnes homines viventes, ut moriantur: *quoniam maturavit*, id est matura est, *messis*, id est, quia completus est electorum omniumque hominum numerus, ac mundi sæcula a Deo præstituta iam evoluta sunt; ac proinde Deus illis finem imponere decrevit. Ita Rupert. Haymo, Lyran. et Vatabl. Proprie autem impiorum maturitas significat tempus eorum post felicem vitam decursam, cum nimirum illa in omni voluptate et turpitudine usque ad maturam ætatem est transacta: tunc enim maturitas est tam ætatis quam iniquitatis, quasi segetis quæ poscit manum et falcem messoris, ut in tartaro, velut horreo condantur. Huc allasit Christus Matth. 13. 39. *Messis*, ait, *consummatio sæculi est: messores autem angeli sunt.* Et mox v. 41. *Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.* Huc quoque allusit S. Iohannes Apoc. 14. 15. ubi vidit tres angelos cum falcibus demetentes messem, et vindemiantes botros terræ. Ibidem P. Aleazar censet, primum angelum, qui vers. 15. dicit: *Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ*, ad litteram esse Ioelem, qui hic idem dicit quod angelus ille Iohannis; secundum, qui v. 17. vindemiat botros terræ, esse Moysen, qui est typus sapientiæ; tertium v. 18. qui secundum admonet ut botros vindemiet, esse Eliam, qui est typus zeli: hæc enim demessio et vindemia terræ, erit opus summæ Dei sapientiæ, æque ac zeli.

Porro addit Aleazar, Ioelem, æque ac Iohannem, messi iungere vindemiam hoc sensu, q. d. Vos o messorum, id est, prædicatores Evangelici, strenue prædicando insistite messi Dei colligendæ; neque enim vobis laborantibus et sudantibus deerit vini copia et alluentia, quæ vos reficiat et soletur. Nam cum vos totos in messem Domini impendetis, Dominus vicissim vindemiæ curam suscipiet,

imo messem vestram illico in vineam maturam convertet, et ex ea exprimet mustum delicatissimum. Nihil enim est quod prædicatores ita recreet, nullum vinum sapidius, quam copiosa seges et fructus prædicationis ipsorum. Dum enim videt tot converti, adeo sanctos evadere, imo Martyres fieri, bibunt vinum consolationis suavissimum. Verum hic sensus nec est literalis, ut patet, sed potius literali, qui est de damnatione reproborum, adversus et oppositus: ac consequenter nec est mysticus. Hic enim fundari debet in literali, eique congrue et ex æquo respondere, ut ei naturaliter insertus, et quasi innatus videatur.

**VENITE ET DESCENDITE, QUIA PLENUM EST TORCULAR.)** Botris et uvis: in illud ergo vos, o angeli, descendite, ut hæcæ uvæ prematis et calcetis, uti habent Septuag. Torcular hoc, sive prælium plenum uvis, id est, impiis, premendis et conculcandis, erit gehenna, sive infernus. Unde Chald. vertit, *conculcate interfectos.* Nota metaphoram: *calcere enim torcular*, in Scriptura significat ulcisci, et acres pœnas de reo sumere: quia sicuti torculari vinum, ita vindicta et supplicio sanguis, anima et vita exprimitur. Sic Thren. 1. v. 15. dicitur: *Torcular calcavit Dominus virgini filie Iudæ.* Et Isaiaë 63. 3. *Torcular calcavi solus*, etc. *calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* Et Apoc. 19. 15. *Ipse, Christus, reget eas (gentes infideles et impias) in virga ferrea, et ipse calcet torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Vide ibi dicta.

**POPULI POPULI:** hoc est plurimi populi, scilicet erunt, **IN VALLE CONCISIONIS.**) Id est, Iosaphat, ubi concidentur, id est, perdentur impii, iuxta illud ps. 128. *Dominus iustus coneidet cervicem peccatorum.* Ita S. Hieron. q. d. O quot populi, quot turbæ, o quot gentes concidentur in valle Iosaphat! ita Vatabl. Unde Septuag. vertunt, *sonitus auditi sunt in valle iudicii.* Hebr. enim המונים *hamonim* significat tumultus et strepitus turbarum et populi multi. Unde Syrus vertit, *murmur* (fremitus) *clamoris in profundo caelum* (in valle congregationis populi;) Arabieus, *hic est tumultus casuum, quorum incursus in valle Iosaphat.*

Nota. Hebr. חרופ *charuts*, Primo, verti potest *concisionis*: ita vertunt Aquila, Symmach. V. editio et Noster. Secundo, *charuts* verti potest, *tribulationis, triturationis*, vel tribulæ, sive trahæ ferratæ et dentatæ, instar serræ ad serrandum, qua grana ex aristis quasi serrando exeuntur, triturantur et a paleis separantur. Unde Tigurina vertunt, *turbæ, turbæ convenient in valle excusionis*; alii, *in valle serrationis*; Chald. *in valle divisionis iudicii*; alii, *in valle concisionis*, id est, *separationis*, in qua scilicet boni a malis, triticum a palea, agni ab hædis separantur. Ita Remigius, et Lyran. Ubi Nota. Congruè respondet hæc tribula passiva impiorum tribulæ activæ eorundem, qua ipsi tribularunt in hac vita pios et iustos. Iustum est enim, ut tribulationem iniustam, quam aliis intulerunt, ipsi sentiant et subeant. Rursum, tribula hæc apte respondet torculari, de quo præcessit. Tunc enim exeutienda est, æque ac exprimenda omnis impiorum felicitas, et humor pristinæ felicitatis, ait P. Pineda in Iob 24. v. 24.

Tertio, Vatabl. vallis, ait, dicitur *charuts*, id est, *concisionis*, vel *decisionis*, id est, *iudicii definiti, determinati, et concisi.* Unde Septuag. et Theodotion vertunt, *δραγς και τας κρισεις*, id est, *causæ et iudicii.* Rursum vallis *concisionis*, id est, decurtationis et abbreviationis, ut vertit Syrus hic et Noster Isaiaë 10. v. 23. est vallis in qua concisus, eurtus, brevis et exiguus conflabitur Beatorum numerus. Ubi Nota. Palehra est antithesis inter gentium omnium immensam multitudinem, et concisionem sive abbreviationem: amputatis enim, collectis et reiectis impiis, quorum infinitus est numerus, colliget Deus brevem quandam iustorum et electorum summam et numerum, iuxta illud Isaiaë 10. v. 23. *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ: sicut in tritura reiectis paleis, pauca restant triticeæ grana.*

Quarto, vallis, *charuts* verti potest, *vallis excisionis*, A damnationis a Christo accipient. *consumptionis, excidii*, scilicet impiorum.

Quinto, *charuts* significat aurum concisum, vel contusum, aut potius præcisum, discretum et separatum, id est, expurgatissimum, quod obrizum vocant. Sicut ergo Romæ Vaticanus vocatur mons aureus, quia in eo crucifixus est S. Petrus Apostolorum princeps: ita vallis Iosaphat vocari potest vallis aurea, tum quia sanctis et electis erit aurea et felicissima, æque ac reprobis ferrea et infelicissima: tum quia excocis in iudicio sordibus peccatorum, purum aurum remanebit, inquit ex Hebræis S. Hieron. tum quia in iudicio, Christi iustitia, et Sanctorum charitas et gloria fulgebunt ut aurum.

Sexto, *charuts*, id est, concisus, vel præcisus vocatur vir acutus, sollicitus, acer, et strenuus. Vallis ergo *charuts*, verti potest Primo, *vallis acuta* vel aspera, nimirum reprobis, uti apud Lovanium est *Asper collis*, ita dictus ab ascensu arduo olim et prærupto, in quo visitur imago miraculosa B. Virginis, quæ inde Aspericollensis nuncupatur. Secundo, *vallis sollicitorum et anxiorum*, ubi scilicet impii dicent montibus: *Cadite super nos; et collibus: Operite nos*. Tertio, *vallis acrium, fortium et strenuorum*: ubi scilicet sancti Apostoli, virgines et Martyres, qui fortiter usque ad mortem pro virtute laborarunt et certarunt, a Christo iudice coronabuntur. Ita P. Pineda in Salom. prævio lib. 4. c. 18. Ubi Nota. Hebræi non habent verba composita, sed ea per simplex significant, v. g. *צָרַח* *charats* significat cedere cum suis compositis, puta concidere, excidere, præcidere, succidere, etc. Hinc tanta ex Hebræo sensuum varietas, et versionum multiplicitas, quæ magnam conceptuum verumque copiam concionatoribus subministrat, uti patet hic in *charuts*.

Vers. 15. SOL ET LUNA OTTENERATI SUNT.) In die iudicii tam calamitosa et horribili: non enim agit hic de signis iudicii præviis: de his enim egit c. 2. 30. sed de ipso iudicio, cum ad illud omnes cogentur in vallem Iosaphat. Nota hyperbolicam hypallagen erebram apud Prophetas, qua dicunt, solem, lunam et stellas obscurandas esse, cum significare volunt magnitudinem et atrocitatem afflictionis, timoris et horrois, q. d. Dies ille (iudicii) tantæ calamitatis erit, ut hominibus ex illa attonitis et consternatis, ac ad vultum irati iudicis expavescentibus, sol, luna et stellæ deficere et obscurari videantur. Mæstis enim et pavidis omnia videntur tristia, mæsta et atra. Similis phrasus est Isaïæ 13. 10. Amos 8. 9. et alibi. Vide can. 32. in Isaïam. Ita S. Hieron. Remig. et Rupert.

Addunt aliqui, revera in die iudicii obscurandum esse solem, lunam et stellas, ut iudici creatori suo se conforment, eiusque iram et indignationem partim induant, partim excipiant, eo quod impiis in suis sceleribus luxerint et servierint, ideoque verecundentur, et quasi sibi timentes a vultu irati iudicis se abscondant. Ita S. Hieronym. Aut quia tanta erit claritas Christi aliorumque corporum beatorum, ut suo fulgore offuscent lucem solis et stellarum. Ita Remig. et Lyran.

Alii apud Origen. tract. 30. in Matth. censent solem et stellas obscurandas a fumo, qui prohibet ex igne conflagrationis mundi. Alii ex defectu nutrimenti: censent enim sicut lucerna alitur oleo, sic et solem et stellas vapore, similive re ali, eoque deficiente extingui, sed hoc refellunt Physici.

Symbol. tenebrae solis. Symbol. Origen. ibidem: *Sicut, inquit, in dispensatione crucis (dum Christus in cruce penderet) sole deficiente tenebræ factæ sunt super universam terram; sic signo (crucis) filii hominis apparente in cælo in die iudicii, deficiet solis lumen, et lunæ, et stellarum, quasi consumptum a multa virtute signi illius.*

Allegor. Allegor. Haymo: Sol, ait, est Christus, luna B. Virgo, stellæ Sancti, qui lucem, id est, serenitatem et favorem vultus sui, retrahunt a reprobis. Ex adverso Origen. Ioele citato: Sol, ait, mundi huius est diabolus, luna est Ecclesia malignantium, stellæ sunt pseudoprophetae et hæretici, qui quasi stellæ cadent de cælo, id est, de sua dignitate et gradu excident in die iudicii, quando sententiam

Tropol. Hugo Victor. Sol, ait, est mundi Philosophia: luna sæcularis potentia: stellæ ceteræ potestates subditæ. Sol ergo et luna in Iosaphat, id est, in humilitate iudicii obtenerati sunt: quia ex quo sapientes huius mundi, potentes huius sæculi ad fidei claritatem accesserunt, statim sui erroris tenebras agnoverunt. Stellæ vero retraxerunt splendorem suum: quia dum discipulos Christi in causa fidei contemptum arripere mundi, et abiectionem sui, agonemque sitire martyrii; dum eos fulgentes signis, ornatos prodigiis, gloriosos miraculis prospexerunt, mox ab elatione conversi, a dignitate terrena prostrati, humilitatem Christi sectati, colla fidei subdiderunt.

DOMINUS DE SION RUGIET.) Christus iudex impiis terribilis, tanquam leo de tribu Iuda Apoc. 5. 5. rugiet de Sion, uti leo rugit cum e specula speculatur et prospicit hostem, q. d. Christus iudex sedens in acre super vallem Iosaphat, et supra Sion et Ierusalem (hæc enim vicina sunt et contigua) spirans iras et ignes in impios quasi leo, fulmen, id est, sententiam æternæ damnationis, horribili voce, et quasi rugitu in eosdem pronuntiabit et intorquebit, adeo ut hac voce cæli et terra concuti et tremere videantur, sicut ad rugitum leonis tremit tota domus. Est hyperbole. Ita Lyran.

Mystice Rupert. de Sion et de Ierusalem, id est, inquit, de medio angelorum et hominum beatorum, quibus in die iudicii cingetur, Christus rugiet in impios. Miuus recte Arias vertit, *pro Sion et pro Ierusalem*, id est, pro vindicanda Ecclesia sua suisque electis rugiet Christus contra sceleratos, qui eam afflixerunt.

ET MOVEBUNTUR CÆLI ET TERRA.) Censent aliqui cælos et terram, totumque orbem quasi conturbatum, et indignantem ad passionem sui creatoris, in Christi cruce et morte fuisse concussum, et e suo centro convulsam, parique modo concutiendum et convellendum cum Christo iudex eius sedebit in valle Iosaphat. Pugnabit enim cum illo orbis terrarum contra insensatos, Sapient. 5. 21. Prius probant ex Matth. 27. v. 51. ubi dicitur, quod Christo pendente in cruce, non tantum petra scissæ, et monumenta aperta, sed et terra (utique tota, puta globus ipse terræ) mota sit. Terra enim suo motu, et quasi sensu significabat, Christum qui patiebatur esse Deum, eumque terram conquassare; terramque ob tantum scelus in Dominum suum admissum hominibus quasi indignari, in eosque vindicem insurgere.

Mystice significabatur nova terra et novus mundus fidelium, per Christum instituendus. Insuper commovenda fure per hanc Christi necem, terrea et saxea hominum corda ad pœnitentiam. Utrumque probant ex illo Iob 9. 6. *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ eius concutiuntur*. Ita censet Dydimus in catena Græcorum Iob 1. 9. et favet ibidem Philippus Presbyter, et Hugo Victor. hic, qui ait: *Vox Christi tam excelsa erit atque terribilis, ut calorum cardines et terrarum fundamenta quatiantur*.

Secundo, movebitur terra, quia dehiscet et absorbebit reprobos, mittetque in tartara: movebitur et cælum, quia sinu suo excipiet Beatos, eisque quasi applaudet. Ita Lyranus.

Tertio, *movebuntur cæli*, id est, cælites, puta Beati, ad exultandum et iubilandum, cum a Christo iudice audient: *Venite benedicti patris mei: et terra*, id est, reprobi terrigenæ et terræ filii, ad tundendum pectora, vellendum crines, complodendum manus et brachia, cum ab eodem rugiente audient: *Ite maledicti in ignem æternum*. Ita Remigius et Haymo.

ET DOMINUS SPES POPULI SCI.) q. d. In illa die (iudicii) rugiente Christo contremisceat cæli et terra: populus autem eius, puta verus Israel, non carnalis, sed spiritualis, hoc est, fideles et sancti, securi et confideutes stabunt: nam confident in Deo suo, ab eoque sperabunt salutem, gloriam et regnum æternum: sperabunt, et obtinebunt. Deus enim erit spes, id est, complementum spei, sive adimpleus et complens spem ipsorum. Idem erit eis *fortitudo*, corroborans eorum mentes et corpora, faciensque ea

immortalia, æterna et gloriosa. Hoc est quod ait Sapiens **A** cap. 5. 1. *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se unguaverunt.*

Vers. 17. **ET SCIETIS QUIA ERGO DOMINUS DEUS VESTER, HABITANS IN SION.** ) Promittit hic Deus Sioni et Hierosolymæ ingentia, et multiplicia bona, quæ Iudæi carnales carnalia expectant in adventu sui Messie. Accedunt iudaizantes Chiliasthæ, qui ex hoc loco, et ex Apoc. 20. 4. putarunt post resurrectionem et diem iudicii, sanctos hic in terra, puta in Ierusalem, cum Christo victuros in omnibus carnis deliciis, et in omni felicitate terrena per mille annos, quibus exactis eos rapiendos in cælum ad æternam gloriam, uti dixi Apoc. 20. Verum hic agi de Sione spirituali, non carnali, id est, de Ecclesia et electis Dei, non de Synagoga et Iudæis, deque spiritualibus eius bonis, non carnalibus, patet Primo ex eo, quod hæc futura sint in fine mundi, cum scilicet Christus in valle Iosaphat iudicabit omnes omnium sæculorum gentes, uti dixit v. 1. 2. 12. Unde v. 13. iubet mitti falces, quibus omnes gentes demantur. Quocirca, ut ait, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum, et movebuntur cæli et terra. Quæ omnia significant hæc futura in fine, commotione et mutatione totius mundi. Frustra ergo Iudæi hæc in hoc mundo, et in hac vita expectant.

Secundo, quia Dan. c. 9. 26. prædixit eversionem Hierosolymæ et templi factam a Tito et Romanis fore perpetuam, et duraturam usque ad finem mundi; ergo hæc non spectant ad Sionis et Ierusalem terrestres restorationem.

Tertio, quia certum est multa hic non posse, nisi absurdissime, ad litteram carnaliter, uti sonant, accipi, sed accipienda esse mystice. Talia sunt v. 18. *Stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Iuda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum, etc.*

Quarto, quia v. 20. ait: *Iudæa in æternum habitabitur, et Ierusalem in generatione et generationem:* ergo agit de Iudæa et Ierusalem cælesti, non terrestri: illa enim æterna erit, cum hæc sit temporalis.

Secunda sententia est S. Hier. Remig. Rupert. Hugon. et Vatabli, qui hæc omnia usque ad finem capitis referunt ad primitivam Ecclesiam, et ad eharismata Spiritus sancti in Pentecoste, de qua dixit c. 2. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem. Montes ergo, inquit Vatabl. sunt Apostoli eorumque successores: mustum, verbum Dei et doctrina Evangelica: iidem et lac: sed vinum robustis, lac parvulis datur, q. d. Apostoli assidue docebunt Evangelium. Alvei et rivi, sunt Ecclesie particulares: aqua viva, verbum Dei: fons aquæ vivæ, copia prædicationis Evangelicæ et inexhausta illa doctrina Evangelii, unde animæ fidelium irrigantur: domus Dei Ecclesia. Egredietur autem opera prædicatorum. Torrentis, Ecclesia: settim, genus cedri electi, quod ut cedrus nescit corruptionem: ita fideles vivent vita æterna. Ægyptus et Idumæa, omnes nationes quæ non receperunt Christum, quæ gratis illis erunt vacuæ: Iuda et Ierusalem, Ecclesia militans, in qua fideles sunt viri Iudæi vere confitentis Deum, q. d. Licet Ecclesia a multis opprimatur, tamen manebit invicta. Et mundabo fonte baptismatis, vel sanguine Christi, sanguinem electorum, quem non mundaveram ante passionem Christi.*

Verum etsi hæc inchoate facta sint, et fiant in Ecclesia militante, tamen plene et perfecte fient in triumphante; de ea enim proprie agit Propheta. Omnia enim hæc consequenter et connexa erunt cum die iudicii, quod fiet in valle Iosaphat, de quo egit toto e. huc usque. Subiungit ergo congruo ordine, iudicio et damnationi impiorum gloriam piorum et electorum, quam ipsi a Christo iudice in illa die accipient, eiusque copiam et magnificentiam per varias metaphoras describit. Idem rursus confirmatur ex eo, quod S. Ioannes alludens, imo citans et interpretans Ioelem, iisdem pene verbis describat cælestem Ierusalem c. 21. uti patebit ex parallelis utriusque, quæ mox combinabo. Ita explicant Remigius, Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Ribera, a Castro et alii.

De hac ergo cælesti Ierusalem, sive cælu Beatorum triumphante dicit Ioelem Primo, quod eius civis, puta beati, scient, id est, sentient, videbunt et gustabunt, quod in ea, et in illis ipsis, habitet Deus per gratiam et gloriam, illisque ibidem suas opes, felicitatem et magnificentiam ostendat et communique, itaque eos beel, et ineffabili gaudio repleat. Hoc est quod huc alludens, totidem, imo pluribus verbis de eadem ait S. Ioannes Apoc. 21. 3. *Eccc tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

Secundo, quod sit mons sanctus: quia sublimis est eius felicitas, æque ac sanetitas, quod S. Ioannes Apocal. 21. 10. ait: *Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum.*

Tertio, quod sit Ierusalem sancta; quod S. Ioannes ibidem ait: *Et ostendit mihi civitatem sanctam, Ierusalem descendentem de cælo a Deo. Dicitur Ierusalem, id est, visio pacis: quia in visione Dei Beati fruuntur pace summa, amplissima et æterna, puta bonorum omnium affluentia, hæc enim Hebræis significat pax. Dicitur sancta, quia in cælesti Ecclesia non est macula vel ruga, ut ait Apostol. Ephes. 5. 27. sed plena puritas, plena integritas, perfecta sanetitas. Unde de ea subdit: *Et alieni non transibunt per eam amplius.* Alludit ad alienigenas, puta Tyrios, Sidonios, Philisthæos, Chaldæos, Romanos, qui profanarunt et vastarunt Ierusalem, q. d. Pari modo Ecclesiam militantem polluerunt, vexarunt et afflixerunt Pagani, Saraceni, hæretici, impii; sed eam translata in cælum, et triumphantem non polluent, nec affligent amplius. Huic parallelum est quod ait Ioannes Apoc. 21. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* Tropol. Hugo Victor. *Ierusalem, ait, id est Ecclesia, est sancta in Sacramentis, in præceptis, in iudiciis, in consiliis, in promissis. Sacramenta siquidem eius sunt sine fæce: præcepta sine mole: iudicia sine lite: consilia sine zelo: promissa sine fuce fallaciæ, sine zelo invidia, sine lite controversiæ, sine mole angariæ, sine fæce concupiscentiæ. Est ergo sancta, cuius est contemplativus intellectus, cælestis affectus, spiritualis sensus, angelicus actus.**

Quarto, quod in ea stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Iuda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. Huic respondet quod ait Ioannes Apocal. 22. 1. *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendendum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et agni; et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.*

Quinto, *Et Iudæa in æternum habitabitur, et Ierusalem in generatione et generationem.* Huic æquipollet id quod ait Ioannes cap. 21. 16. *Civitas in quadro posita est. Et v. 18. Et erat structura muri eius ex lapide iaspide. Et c. 22. 5. Nox ultra non erit, etc. quoniam Dominus illuminabit eam, et regnabunt in sæcula sæculorum.*

**STILLABUNT MONTES DULCEDINEM.** ) q. d. Tunc in montibus illis cælestibus, puta in Sione cælesti, quæ sita est et fundata in montibus tum cæli empyrei, tum æternitatis et divinitatis SS. Trinitatis, implebitur illud toties de terra sancta lacte et melle mauante promissum, ac decantatum; hoc est, tunc Beatis in cælo vita erit iucundissima, omnibus bonis et deliciis affluens: et omnes rivi Iuda, id est, omnes potentia, omnes vires, omnes sensus, omnia ora, omnes lingua Sanctorum Deo confitentium et laudantium ( hos enim hebr. significat Iuda ) manabunt, scilicet perennibus aquis laudis, gratiarum ætionis et iubili, æque ac voluptatum et bonorum omnium.

Symbolice, a Castro per montes accipit tres personas divinas, quæ creatis omnibus totoque mundo eminent, quasi divini montes. Ex his enim omne genus sanavitatis prodeat in terram illam viventium, qua inebriabuntur omnes Beati: et colles beatorum spirituum fluent candidissimum lac cognitionis, et puritatis angelicæ: atque per omnes rivos, puta per cæteros beatos homines, fluent a-

Ierusalem cælestis e-logia. 1.

11.

111.

1V.

V.

Vers. 18.

quæ gaudiorum : quia omnes affluent Dei possessione, et fruitione. Hoc est quod ait Psaltes ps. 33. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente* ( non scypho, non poculo, sed torrente ) *voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens, ait ibidem S. Augustin. tum impetum, tum copiam voluptatis significat. *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.*

Tropol. Hugo Victor. *Montes, ait, sunt contemplationum sublimia: colles innocentie opera: rivi penitentiae exercitia: dulcedo est perfecta dilectio: lac est sancta devotio: aqua devota compunctio: in illa ergo die, hoc est, in illa unionis felicitate, sponsa per gaudium contemplationis dulcedinem accipit perfectæ dilectionis: a qua descendens, et ad seipsam rediens affluit lacte devotionis: unde sese præ amore supernorum crucians, immergitur aquis compunctionis, indeque egrediens per penitentiam exercetum asperam. Post hæc ad innocentie trahitur opera: demum ad contemplationis avolat fastigia, dicens: Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram?*

**ET FONDS DE DOMO DOMINI** ( de throno Dei ) **EGREDIETUR.** ) Fons hic, sive, ut S. Ioann. Apocal. 22. 1. vocat, fluvius procedens de sede Dei et agni. est profluvium bonorum, quod Deus emanat et effundit in Beatos per sui visionem beatificam, uti dixi Apoc. 22.

**ET IRRIGABIT TORRENTEM SPINARUM.** ) Nota Primo. Pro *torrentem* hebr. est נַחַל *nachal*, quod significat valem angustam, indeque torrentem qui per eam decurrere solet. Unde *torrens* hic metonymice pro valle tali capitur: et Symmach. vertit. *vallem*; sed maluit Interpres vertere *torrentem* quam *vallem*, ut persistat in metaphora fontis, et eius exuberantiam ostendat. Nam, ut ait S. Bernard. in Meditat. cap. 4. *In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, et superabundans letitia.*

Secundo, pro *spinarum* hebr. et Chald. est *Settim*, illudque quasi nomen proprium in Latina versione retinent Lyran. et Vatabl. item Syrus, et Arabicus uterque: sed Theodot. Symmach. et Noster vertunt, *spinarum*; Sept. *funiculorum*; Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma. *iunctorum.* Audi S. Hieron. *Septuag. transtulerunt torrentem funiculorum, id est, χειμαρροσφορῶν τῶν χειμῶν, quod aut funiculum significat, aut iuxta Ægyptios mensuram certi itineris. In Nilo enim solent naves funibus trahere certa habentes spatia, quæ appellant funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.* Torrens ergo funiculorum, est torrens hæreditarius, quem scilicet funiculis dimetiuntur, et inter hæredes, puta cæli cives, dividunt. Porro *Settim* locus est trans lacum Asphaltitem in Moab, sex miliaribus distans a Livade urbe, ubi filii Israel fornicati sunt, colueruntque Beelphegor, ideoque a Deo cæsi sunt, Num. 25. 1. Ibi arbores nascentes, a loco dictæ sunt *settim*: erantque hæc ligna *settim* impubribilia, et, ut vertunt Septuag. Exodi 25. 3. ἀστραγάλου. Unde Hebræi censent ea fuisse optimum cedrorum genus. Erant enim levissima, fortissima, solidissima, pulcherrima, et tam graves arbores, ut latissima ex illis tabulata cæderentur, ait S. Hier. quocirca ex illis facta erat area testamenti, tabernaculum, eiusque vasa, uti dixi Exod. 25. 3. Noster hic, et Isaia 41. 10. *settim* vertit *spinam*, non quod spina sit, sed quod spinæ albæ colore et foliis sit similis. Minus ergo verisimile est quod censet Lyran. *Settim* esse *Cettim*, id est Græciam, unde egressus dicitur Alexander Magnus I. Machab. 1. 1. nam *Settim* per *sanceh*, *Cettim* per *caph* scribitur, et longissime distat a Ierusalem. Nec placet quod ex R. Saadia scribit Arias, torrentem *Settim* esse torrentem qui in Iordanem influit iuxta urbem *Settim*. Nemo enim chorographorum huius torrentis, vel urbis meminit.

Ex dictis patet, hæc omnia non carnaliter, ut sonant, sed mystice esse accipienda: nec enim ullus unquam fuit, vel erit fons, qui de Ierusalem egrediatur, et tantorum tractu transmissio effundat se in campestria Moab, ubi est torrens et vallis *Settim*. Vallis ergo *Settim*, æque ac area et tabernaculum, facta ex lignis *Settim*, signifi-

cant locum Beatorum in cælo empyreo, quem Deus in sua amœnitate, deliciis et pulchritudine in æternum conservabit: quia iugiter velut fons perennis in illum, æque ac in incolas eius, puta in Beatorum animas et corpora, inluet perpetuum virorem omnis gratiæ et gloriæ, ut fiant *settim*, id est immortalia et impubribilia, ac candicantia ut spinæ; instar fluvii irrigantis et fecundantis paradisi, qui perennem ei virorem et fructus amœnissimos allerebat, Gen. 2. 6. ita Rupert. Lyran. Ribera, Emmanuel et alii. Vide dicta Apoc. 22. 1. et 2.

Alleg. S. Hieron. in apolog. ad Pammachium pro libr. adversus Iovin. in fine: *Christus, inquit, virgo, mater virginis nostri, virgo perpetua, mater et virgo, etc. Hortus conclusus, fons signatus, de quo fonte ille fluvius manat iuxta Ioelem, qui irrigat torrentem vel funium, vel spinarum; funium peccatorum, quibus ante alligabamur; spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias.* B. Virgo ergo est fons, ex quo manavit fluvius, id est, Christus irrigans torrentem funium et spinarum, id est, peccatorum et vitiorum nostrorum.

Hinc mystice Nazianz. loco citato, per hunc fontem accipit baptismum: S. Hieron. hic, gratiam Spiritus sancti, quæ a Deo promanans, ex terra cordis spinas vitiorum evellit, et pro eis virtutes quasi arbores fructiferas inserit, ut spinas nostras, ait S. Hier. *Et vitia atque peccata quæ nullam frugem habuere iustitiæ, commutent in Domini novalia, et ariditatem nostram rigent aquis largissimis, et pro spinis et vepribus flores virtutum multiplices germinemus: et in eo loco ubi quondam fornicatus est Israel, et initiatus est Beelphegor ( deo obscœnitatis ) litia castitatis, et rosa pudoris ac virginitatis exuberent.* Sic et Remigius, Hugo, Arias.

Unde Hugo Viet. Torrens, ait, spinarum, est impetus, fervor et crudelitas gentium. Porro fons de domo egressus torrentem spinarum rigavit, quando per Apostolos et eorum successores, Evangelica doctrina Gentilem populum a crudelitate convertit, fide initiavit, et ad baptismi gratiam perduxit.

Quæres, cur *Settim* significet locum Beatorum? Resp. *Settim* fuit ty-  
pus cæli  
ob se-  
ptem a-  
nalogias. I.

Secundo, quia in *Settim*, ut patet Numer. 23. 1. Israel benedictus fuit a Deo per Balaam, magnificis multisque benedictionibus, quæ recensentur Numer. 23. et 24. qui fuit typus, simili modo Sanctos in cælis benedicendos a Deo omni benedictione cælesti.

Tertio, quia Balaam Num. 24. 3. inter alias benedictiones, quas Deo afflatus Israeli imprecatur, assert hanc: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israel, ut valles nemorosæ, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas! Fluct aqua de situla eius, et semen illius erit in aquas multas.* II.

Quæ optime conveniunt mystico Israeli et *Settim*, id est cælitibus et cælo, eoque videtur hic alludere Ioelem, dum ait: *Per omnes rivos Iudæe ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum,* hebr. *settim.* S. Gregentius Archiepisc. Thephrensus disputat. cum Herbano Iudæo, tom. 4. Biblioth. Ss. Patrum legit *torrentem iunctorum*; et per fontem hunc accipit *incarnabile illud gaudium et letitiam inexplicabilem, et fruitionem, et odoris suavitatem Spiritus sancti, quæ ex ipso præpotente Deo ineffabiliter et perenniter manat, et rigabit sanctorum agmina, et cor ipsorum tremenda illa et incomparabili suavitate implebit.* Hæc comparantur iunco; quia sicut iunci, utpote siccæ et fungosi, sitiunt et bibunt aquam copiosam; ita Sancti sitiunt et bibunt pelagus divinæ voluptatis. iuxta illud: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* III.

Quarto, ligna *settim* impubribilia, significant corpora Beatorum impassibilia. Rursum, sicut area et tabernaculum compacta erant ex tabulis *settim*, sic Ecclesia cæle-

Settim  
et tor-  
rens spi-  
narum  
quis?



stis compaginabitur ex sanctis et electis Dei: arca enim existens in Sancto sanctorum, habens super se propitiatorum quasi thronum Dei, et utrimque Cherubinos, Ecclesiae caelestis tyrum gessit.

V. Quinto, in Settım Phinees suo zelo occidens fornicantes, placavit Deum, expiavit scelus populi, et maledictionem plagamque ei a Deo immissam vertit in benedictionem, Num. 25. 7. Ita Christi zelus, quo abolevit peccatum, et ab eo suos expiavit, in caelo settım, id est spinas mortalitatis, et maledictionem laborum et dolorum, a Deo Adae et posteris inlicitam Gen. 3. 18. convertet in benedictionem gaudiorum et bonorum omnium.

VI. Sexto, in Settım Balaam dixit et praedixit de Israele: *Orietur stella ex Jacob.* Stella est Christus, qui licet corporaliter ortus et natus sit ex Iacobaeis sive Israelitis in Bethlehem, tamen spiritaliter et gloriose orietur ex eis, imo praee eis post resurrectionem, quasi sol in caelo, illuminans et heans omnes veros Israelitas: stellae enim proprius locus est caelum non terra.

VII. Denique iuxta Settım, puta in Cades, Moses e petra elieuit fontem aquarum decurrentem per solitudinem, et forte per Settım, Numer. 20. 11. Rursum, Num. 21. 16. Deus dedit Mosis et Hebraeis puteum aquarum, cui ipsi accinuerunt: *Ascendat puteus, puteus quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datore legis et in baculis suis.* Ad haec loca, et aquas haec videtur alludere hic Ioelem in hisce rivis Iudae, et fonte Dei irrigante Settım; praesertim quia Chaldaeus, et alii censent, petram illam Mosis, eiusque fontem aquarum comitam fuisse Hebraeos per Settım, aliaque deserti loca, illudque velle Apostolum I. Cor. 10. 4. cum ait: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.* Vide dicta Num. 21. v. 19. Pari enim modo fons ille aquarum viventium ubique comitabitur Beatos in caelo empyreo.

Vers. 19. AEGYPTUS IN DESOLATIONEM ERIT: ET IDUMAEA IN DESERTUM PERDITIONIS. Nominat *Aegyptum*, quia ipsa superstitionis et idololatriae fuit inventrix et magistra, ideoque Iudaeis et animo infesta, et exemplo ac vicinia sua noxia, utpote pelliciens eos ad suum Apim: hunc enim Ieroboam expressit vitulis aureis, quos in Dan et Bethel erexit, populoque quasi numina adorandos proposuit. Nominat *Idumaeam*, quia perpetuo fuit aemula et hostis populi Dei, scilicet Iudaeorum. Unde Edom vel Idumaea hebr. idem est quod terrena et eruenta: Misraim, id est, Aegyptus, idem est quod angustians, coarctans, tribulans, ait S. Hieronymus sed sub his per synecdochen caeteras gentes idololatrias, infideles et impias intelligit, q. d. Aegyptii, Idumaei, et eis in impietate similes caeterae gentes perdentur, earumque regiones tot peccatis pollutae desolabuntur, atque ipsi ibunt in tartara in die iudicii, cum Iudaei, id est, fideles confitentes et laudantes Deum, salvabuntur ibuntque in Sion caelestem.

Vers. 20. IUDAEA IN AETERNUM HABITABITUR. Patet hoc de terrena Iudaea, ut volunt Iudaei, non intelligi. Nam haec in fine mundi pariter suum habebit finem: et quia S. Script. promittit Iudaeis, aequae ac aliis gentibus, post hanc vitam, et post resurrectionem in fine mundi regnum aeternum et gloriosum in caelis. Ergo necesse est haec accipere de Iudaea et Ierusalem caelesti, uti pluribus ostendi v. 17. Caelum ergo empyreum dicitur Iudaea, id est, confessio et laus Dei: quia in eo iugiter Sancti Deum laudant, laudabuntque in aeternum; et ut ait Tobias e. 13. vers. 22. *Per vicus eius alleluia cantabitur.* Et Psaltes ps. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Hoc enim est otiosum eorum negotium, et negotiosum otium.

Idem caelum, vel potius pars et civitas caeli, in qua simul quasi cives degent Beati, fruentes Deo et Christo, vocatur Ierusalem, id est, visio pacis, id est, possessio bonorum omnium, totiusque aeternitatis, quin et ipsius Dei ac SS. Trinitatis: haec enim erit sors et haereditas aeterna Sanctorum. Ibi enim Deus erit omnia in omnibus, iuxta illud Sapientis:

*Te cernere finis,*

A *Principium, rector, dux, semita, terminus idem.*  
Tropol. Hugo Viet. *Iudaea, inquit, et Ierusalem in aeternum habebuntur: Iudaea confessio, Ierusalem dicitur Tropol. pacis visio. Mens enim devota et perfecta, vel ad sui descendens cognitionem delicta confitetur Deo per humilitatem compunctionis: vel ad Dei ascendens cognitionem, per gratiam contemplationis sublimatur ad visionem pacis; et tunc in voce exultationis et confessionis sonus in ea fit e-pulantis: nunquam fidelis anima deserit Iudaeam: quia vel compuncta confitetur scelera, vel devota gratias agit propter gratiae munera, vel sublimata eructat hymnum recipiens praemia.*

ET MUNDABO SANGUINEM EORUM, QUEM (male Comment. vers. 21. pluteni. legunt quos) NON MUNDABERAM.) Rabbini, ut R. Abraham et R. Kimchi, ex Hebraeo sic vertunt et explicant, et *mundabo*, id est, spoliabo Aegyptios suis opibus, easque dabo Iudaeis in adventu Messiae: at *sanguinem eorum* (ab eis iniuste in Iudaea effusum) *non mundabo*, q. d. Non condonabo eis eades et strages Iudaeis illatas, sed ob eas illos morte puniam. Verum hinc et torta est haec versio et explicatio. Nam *eo sanguinem eorum*, pertinet ad *mundabo*, quod praecessit, non ad *non mundabo*, quod sequitur. Ergo supplendum est in Hebr. de more relativum *וְאֵם* *ascer*, id est, quem, sicque cum nostro vertendum, et *mundabo sanguinem eorum*, (puta Iudaeorum et Hierosolymitanorum, de quibus proxime fuit sermo, id est, fidelium et electorum meorum) *quem non mundavi.*

Iam tripliciter id exponi potest. Primo, q. d. Sanguinem, id est, homicidia, et quaevis alia scelera (horum enim symbolum in Script. est sanguis) quae ante passionem Christi, et ante adventum Spiritus sancti non mundavi, eo adveniente in Pentecoste emundabo: lustrationes enim et caeremoniae veteris testamenti corpus tantum abluebant, et conscientiam non emundabant, Hebr. 9. 9. ita S. Hieron. et Arias, qui putant Ioelem redire ad effusionem Spiritus sancti, de qua dixit cap. 2. 28. aut, ut Haymo, q. d. Peccata quae electi in hac vita perpetrarunt, nec plene emendarunt, ego in morte, vel post mortem in Purgatorio expiabo, ut mandati caelum ingredi possint. Aut, ut Ribera, q. d. Auferam peccata, et poenam sanguinis Christi et Apostolorum a Iudaeis, quem ipsi olim sibi imprecari sunt, dicentes: *Sanguis eius super nos, et super filios nostros*: nam sub diem iudicii convertentur Iudaei ad Christum.

Secundo, et melius Lyran. et Dionys. *mundabo*, id est, mundum declarabo sanguinem servorum meorum, ab Aegyptiis et Idumaeis, aliisque tyrannis quasi immundum, et reum damnatum et effusum, quod antea non declaravi. Hebr. enim *נִקָּה* *nika*, significat mundare, innocenter declarare, absolvere et eximere. Unde Marinus in Mexico hunc locum ita vertit, *absolvam sanguinem quem non absolveram*; Syrus et Arabicus uterque, *ulciscar sanguinem eorum, et non parciam*: qui enim non absolvit reum, ei non pareit, si sit iudex, uti hic est.


Tertio et genuine, q. d. In die iudicii *mundabo*, id est, ulciscar sanguinem fidelium meorum, iniuste ab Aegyptiis aliisque impiis effusum, quem antea non sum ultus: quo facto *Dominus*, Christus, *commorabitur*, et gloriose cum suis fidelibus regnabit perpetui in Sion caelesti. Unde Chal. Septuag. Syrus, et Arabicus uterque pro *mundabo* vertunt, *vindicabo*. Hanc enim vindictam petunt animae Sanctorum dicentes: *Usquequo Domine sanctus et verus, non iudicas et vindicas sanguinem nostrum?* Apoc. 6. 10. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et a Castro. Plane enim respicit ad sanguinem de quo paulo ante dixit: *Pro eo quod inique egerint (Aegyptii et Idumaei) in filios Iudae, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua.* Nec mireris *mundare sanguinem* significare vindicare sanguinem. Nam phrasi Script. terra recipiens sanguinem innocentem et iniuste effusum, eo ipso censetur pollui fierique immunda, a qua pollutione et immunditie mundatur et expiatur, dum a iudice et vindice puniuntur et plectuntur homicidae qui eum effuderunt, ut patet Ps. 103. 39. *Infecta est terra in sanguinibus.* Ierem. 2. 24. *In alis tuis*

*inventus est sanguis animarum pauperum, q. d. Ob sanguinem fustum immunda es: ergo per vindictam emundabo te. Sic Salomon ait Banaia 3. Reg. 2. 31. Amovebis sanguinem innocentem qui effusus est a Ioab, a me, et a domo patris mei: amovebis, vindicando eius homicidia, quibus occidit Abner et Amasam, eumque pari modo occidendo. Ezech. 7. 23. Terra plena est iudicio, id est, reatu, sanguinum. Isaia 26. 2. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terrae contra eum, et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos: ad quem locum videtur alludere hic Ioe: idem enim dicit. Hac de causa iubebat Deus Iudæis, ut invento cadavere alicuius occisi, magistratus urbis vicinæ pro expiatione terræ offerret vitulam, Deuter. 21. 3. Vide ibi dicta. Clarissime vero Ezech. c. 24. 6. Væ, ait, civitati sanguinum, etc. Sanguis enim eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum, etc. ut superinducere indignationem meam, et vindicta ulcisceretur, dedi sanguinem eius super petram limpidissimam, ne operiretur. Quod explicans v. 13. Immunditia, ait, tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis; sed nec mundaberis prius, donec scilicet vindictam exeram iu te: vindicta ergo sanguinis et scelerum, est eorundem emundatio et expurgatio.*

Dices, Hoc sensu potius mundatur terra, quam sanguis innocentium in terram effusus. Resp. utrumque mundari. Nam sicut terra excipiens sanguinem iniuste effusum censetur polluta, ita pariter sanguis ipse, iniusta et impia hac sui effusione censetur violatus, maculatus et pollutus: tum quia vis ei facta est, et iniuria ac læsio illata: tum quia maculam nominis et famæ apud hominis incurrit; damnatus enim et effusus est quasi noxius et reus: unde talem eum homines æstimarunt. Iam per vindictam utraque hæc macula tollitur: nam et iniuria talione sarcitur, et infamia tollitur vindicta, qua declaratur eius innocentia hoc ipso, quo Deus iuste eum vindicat. Hac enim vindicta Deus declarat nocentes esse eos qui eum ef-

fuderunt, ac consequenter ipsum fuisse innocentem, et iniuste ab eis effusum.

Notent hoc principes et iudices, scilicet, se dum puniunt homicidas et sotes, emundare sanguinem innocentium qui clamat vindictam in cælum, ac simul expiare terram suam eo pollutam, eiusque vindictam divinam a suo capite et domo avertere. Ad hæc, se innocentibus occisis, quasi Manibus iusta persolvere et parentare; ac divinæ iustitiæ et vindictæ placabilem et gratissimam hostiam offerre. Denique se imitari, imo prævenire iudicium rigidum Christi, quo omnes omnino sotes plectet in valle Iosaphat. Porro cogitent se non tantum sanguinem fustum, sed et fundendum emundare: dum enim homicidas plectunt, terrent maleficos, eorumque audaciam, iras et rixas frænant, itaque multas multorum cædes inhibent. Nam, ut ait Apostolus, *Magistratus non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*, Rom. 13. 4. Meminerint oraculi divini intentati Achab regi: *Quia dimisisti virum dignum morte* (Benadad regem Syriæ, homicidam et hostem Israelis) *de manu tua, erit anima tua pro anima eius, et populus tuus pro populo eius*, 3. Reg. 20. 42. Quippe, ut ait Seneca, *delictorum impunitas homines audacios facit ad malum*: et ut Cicero lib. 3. Offic. *impunitas peccandi maxima est illecebra*, veterem enim ferendo iniuriam, invitas novam. Quocirca Socrates apud Platonem l. 2. de Legibus asserit, *civitates optime gubernari, cum iniusti dant pœnas*. Idem dixit Solon teste Cicerone ad Brutum. Theophrastus apud Stobæum c. 41. rogatus quidnam vitam humanam conservaret? respondit, *Beneficentia, honor, et pœna*. Lycurgus apud Ciceronem loco citato, censet Spartam omnesque resp. stare pœna et præmio. Quin et Democritus duos tantum Deos credit, pœnam et beneficium, ait Plinius l. 2. c. 17. Modestius Pius IV. Pontif. emblema habuit laurum et virgam, hoc lemmate: *Pœna et præmium*. Denique Sapiens c. 14. 7. *Benedictum, ait, est lignum, per quod fit iustitia*.



## COMMENTARIA

IN

## AMOS PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

Amos  
qualis et  
cuius  
fuerit.

**S** Epiph. in vita Amos, et Clemens Alexand. l. 1. Strom. censent Amos fuisse patrem Isaiaë: ipse enim c. 1. 1. vocat se filium Amos. Verum hunc Amos alium esse ab Amos patre Isaiaë, docent S. Hier. S. Basilius in c. 1. Isaiaë, S. August. 18. Civit. c. 27. Isidorus in vita Amos, et alii. *Amos Propheta*, inquit S. Hier. non est ipse, quem patrem Isaiaë Prophetæ legimus. Ille enim אֲמוֹס *Amos* scribitur per primam litteram aleph et ultimam tsade, et interpretatur fortis atque robustus: hic vero אֲמוֹס *amos* per ain et samech, et interpretatur populus avulsus. Et mox: *Fuit de oppido Thecue, quod sex millibus ad Meridianam plagam abest a sancta Bethlechem, quæ mundi genuit salvatorem: et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare Rubrum, Persarumque et Æthiopum, atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum et Amos Propheta fuit, imperitus sermone, sed non sapientia. Idem enim qui per omnes Prophetas, in eo Spiritus sanctus loquebatur:* ita S. Hieronym. De solo arido dissentit S. Cyrill. qui censet Thecue fuisse irriguam, ideoque compascuam: *In qua*, ait, *gentes quamplurimæ paseunt pecudes: est enim propter amplitudinem, irrigationem, herbarumque diversitatem, ad ovium greges alendos percommoda.* Fuit ergo Amos rusticus et armentarius, indeque a Spiritu sancto qui humiles exaltat, evectus ad prophetiam, æque ac David, et alii quos recenset Nazianz. orat. 25. et S. Greg. hom. 30. in Evang. Hinc crebro sumit similitudines a rure. Fabulantur R. Salomon et R. David, terram Thecue, utpote olivarum fertilem, progenuisse viros sapientes: regiones enim oleis abundantes gignere viros sapientes, ideoque Amos locum originis nominare Thecue, ut inde liqueat eius sapientia. Verum hæc eorum de more fabella est, forte a Gentilibus hausta, qui Minervam, quæ Dea est sapientiæ, faciunt olivæ inventricem, iuxta illud Virgil. Georg. 1.

*Adsis o Tegæ pater, oleæque Minerva  
Inventrix.*

In hoc deserto Thecue, ubi vixit Amos, vitam egerunt postmodum multi miræ sanctitatis monachi, qui a Sarcenicis sunt interfecti, uti narrat Cassian. collat. 6. c. 1.

Amos apud Septuag. et in codice Vaticano secundus est inter duodecim minores Prophetas, et proxime sequitur Osee: illi enim fuit coævus, cum eoque prophetavit: cepit enim prophetare anno 25. Oziaë, uti ostendam c. 1. vers. 1. Verum Hebræi, æque ac Latini, ponunt tertium; secundum enim colloant Ioel.

Thecue  
ubi?

**A** Argumentum Amos est: directe prophetat ad Israel, id est, ad decem tribus; sed obiter quoque ad Iudam, aliasque gentes: utriusque captivitatem prænunciat, Israeli Assyriacam, Iudæ Babylonicam. Incusat Israelis scelera, ac nominatim admisericordiam, quod fratres egenos ope et opibus non adiuverit, sed vendiderit et oppresserit: ac tandem more Prophetarum læta tristibus subiungens, promissione Messiaë, qui libertatem, pacem, felicitatem, et quasi aureum sæculum sit allaturus, Israelitas consolatur.

Prophetam Amos luculenter citat S. Stephanus disputans contra Iudæos Actor. 7. 42. Isidorus in vita Amos scribit eum prophetasse sub Amasia rege Iuda, ab eoque percussus, et ab eius filio Ozia vecte transfixus et occisus. Verum lapsus est memoria, et deceptus identitate nominum Amasiaë et Oziaë. Nam hic Amasias percussor Amos, non fuit rex, sed sacerdos idolorum in Bethel, ut patet Amos 7. 10. Idipsum patet ex chronologia: Amos enim cepit prophetare, non sub Amasia rege, sed sub filio eius Ozia, ut ipse ait c. 1. 1. ita Epiph. in vita Amos, Rom. Martyrol. 31. Martii, Torniiellus in Annal. anno mundi 3208. et alii passim. Amos, inquit Adrichom. in Descriptione terræ sanctæ, in Bethel prophetans contra Israeliam, vecte per tempora transfixus, in Thecua ex dolore expiravit, cuius sepulchrum ibi adhuc ostendebatur ætate S. Hieron. uti ipse scribit hic c. 1. et in Ierem. c. 6. et in Locis Hebr. Sed audi ipsum S. Hierou. *Amos aliquantulum exorsus est prophetare antequam Isaiaë* (unde et Eusebius in Chronico, Amos æque ac Osee, præponit Isaiaë) *maxime autem contra decem tribus locutus est, paucæ de duabus interserens. Hunc ablatum de numero pastorum misit Dominus, ut in Samaria prophetaret, quem Amasias sacerdos (vitulorum in Bethel) frequenter plagis afflicto; tandem filius eius Osee vecte per tempora transfixit. Post hæc semivivus in terram suam devectus, post aliquot dies dolore vulneris expiravit, sepultusque est eum patribus suis.*

Eadem habentur in Romano Martyrol. 31. Martii, ubi Amos Sanctorum catalogo quasi Martyr ascriptus legitur, Thecuaëque sepultus dicitur. Eadem habent Isidorus, Dorotheus, ac Epiph. in vita Amos, qui et causam martyrii addit, *quod ipsum (Osee) de insidiis duarum iuvenearum ex auro suggillasset*, puta, quod eum ob cultum vitulorum aureorum, quibus seducebat populum, increpasset. Arias censet Amos per biennium dumtaxat prophetasse, scilicet quod præcessit terræ motum, et lepram Oziaë regis, ob quam regno est amotus, de quo c. 1. v. 1. idque valde probabile esse censet Sanchez. Verum incertum est an illi duo anni c. 1. v. 1. tantum initium prophetiæ Amos, an totam eius prophetiam spectent.

Argu-  
mentum  
Amos.Marty-  
rium.

## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Damasco ob tria et quatuor scelera, præsertim eo quod sævierit in Iudæos, excidium intentat. Idem facit Gazæ v. 6. et Tyro v. 9. et Idumææ v. 11. et Ammonitis v. 15.

1. **V**ERBA AMOS, qui fuit in pastoribus de Thecæ: quæ vidit super Israel in diebus Ozæ regis Iudæ, et in diebus Ieroboam filii Ioas regis Israel, ante duos annos terræmotus. 2. Et dixit: Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam: et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli.
3. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum: eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad. 4. Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benadad. 5. Et conteram vectem Damasci: et disperdam habitorem de campo idoli, et tenentem sceptrum de domo voluptalis: et transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus. 6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum: eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa.
7. Et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes eius. 8. Et disperdam habitorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone: et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philistinorum, dicit Dominus Deus. 9. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum: eo quod concluderint captivitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati fœderis fratrum. 10. Et mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes eius. 11. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam eius, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem: 12. Mittam ignem in Theman: et devorabit ædes Bosræ. 13. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum: eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum. 14. Et succendam ignem in muro Rabba: et devorabit ædes eius in ululatu in die belli, et in turbine in die commotionis. 15. Et ibit Melchom in captivitatem, ipse, et principes eius simul, dicit Dominus.

Vers 1. **I**N PASTORIBUS.) Ita legunt Rom. Chald. Symmach. et

IV. editio, q. d. Amos fuit unus e pastoribus Thecæ. Minus recte Aquila vertit, *ἐν ποιμαίνουσιν*, id est, in pastoralibus (et ita legunt Biblia Plantini, ac textus S. Hier. in comment.) quia tunc subaudire, et supplere oportet substantivum *locis*, vel *opilionibus*. Septuag. retineat nomen Hebraicum, quasi proprium loci, vertuntque, *qui facti sunt in Accarim*, quia pro *א* legerunt *א*, puta pro *נקדים* *nokedim*, *נקרים* *nakarim*. Unde in Septuag. pro *Accarim* legendum videtur *naccarim*. Quare perperam Theodot. et alii legunt *Cariathiarim*; Complut. *Accarpi*. Putant aliqui Amos non fuisse pastorem, sed mercatorem gregibus divitem, qui sub se plures haberet suorum gregum pastores, qualis fuit Abraham, Iob, et Mesa rex Moab 4. Reg. 3. 4. qui in Hebræo vocatur *נֹקֵד* *noked*, æque ac vocatur Amos hoc loco. Verum idipsum refellit Amos e. 7. 14. dicens: *Armentarius ego sum vellicans suamoros, et tulit me Dominus eum sequeretur gregem*: fuit ergo Amos bubulcus, vel, ut S. Hieron. ait, opilio. Uterque hebr. vocatur *noked* (unde *nekoda* Esdræ e. 2. v. 48. id est, *Nicodemus*, ait Marinus in Lexico) id est, punctator, inustus, hoc est, armentarius et pastor, qui pecudes suas propriis notis, punctis vel maculis inurit, ut eas ab alienis secernat, omnibusque constet eas esse suas. Radix enim *נֹקֵד* *nakod*, significat punctum, stigma, maculam, quæ pecudi inurit vel imprimitur. Unde S. Isidorus in vita Amos: *Amos inquit, pastor et rusticus*, etc.

Moral. discere hie, quod infirma mundi eligat Deus, ut confundat fortia; virtus enim Dei in nostra infirmitate perficitur, 1. Cor. 12. 9: Spiritus enim sanctus tam potens est, ut inopes, ignorantes et miseros evehat ad summam scientiam, dignitatem et gradum. Audi S. Gregor. hom. 30. in Evang. *Ecce, ait, David, Amos, Daniëlem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, et sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharædum puerum, et psalmistam facit. Implet iastorem armentarium sycomoros vellcantem, et Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, et iudicem senum facit. Implet piscatorem, et prædicatorem facit. Implet persecutorem, et doctorem Gentium facit. Implet publicanum, et Evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! nulla ad descendum mora agit in omne quod voluerit. Mox enim ut te-*

Moral.  
quod  
Deus e-  
vehat et  
eligat  
abiectos.

**A** tigerit mentem, docet; solvanque teligisse docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat: abnegat hoc repente quod erat, et habet repente quod non erat.

**DE THECÆ.**) Urbs erat Iudææ, ex qua oriunda fuit mulier sapiens et diserta, quam Iob misit ad Davidem, ut Absalon reditum ab exilio impetraret, quæ inde dicta est Thecunitis, 2. Reg. 14. 4. *Thecua*, inquit Adrichom. in Descript. terræ sanctæ, *civitas est in monte sita: uberimis abundat pascuis; distat a Bethlehem milliarius* (leucis, quarum quæque continet tria millia passuum: distabat enim a Bethlehem sex millibus passuum, uti initio dixi ex S. Hieron.) *duobus. Hanc Roboam munivit ædificiis: de hac fuit Amos pastor.* Ait Guit. Tyrius l. 8. Belli sacri e. 1. et 15. *etiam fuisse domicilium Prophetæ Habacuc.* Est autem nunc Thecu vicus, ait S. Hieronym. in nono ab Ælia milliario. *contra Meridionalem plagam.*

**B** Mystice, Thecua hebr. idem est quod clangor tubæ, vel buccinæ: quia, ut ait S. Hieronym. *verba Amos, quo tempore populus Israel avulsus erat a Domino, et aureis vitulis serviebat, sive avulsus a regno stirpis David, clara voce cœcinerunt instar elegantis tubæ.* Amos enim hic classicum canit Chaldæis ad invadendum, et puniendum Israel: unde et nomine suo prophetat. Amos enim idem est quod populus avulsus, ut quoties Israelitæ cum nominarent, meminissent se esse Amos, id est, populum a Deo et a Davidis domo avulsum.

**QUÆ VIDIT** (quæ revelatione divina accepit: hæc enim revelatio et prophetia vocatur *visio*, vel verbum Domini, de quo plura Isaïæ 1. 1.) **SUPER ISRAEL.**) Potest verti *contra Israel*; sed melius *super Israel*: quia Amos non tantum adversa, sed et prospera Israeli prænuñciat. *Primus Osee*, ait S. Hieron. *prophetat ad decem tribus, quæ appellantur Ephraim, Samaria, domus Ioseph, et Israel.* *Secundus Iel ad Ierusalem et duas tribus, nullam omnino Israelis faciens mentionem.* *Tertius Amos nequaquam ad Ierusalem, quæ regebatur a tribu Iuda, sed ad Israel et in Samaria prædicat.* Idipsum patet ex cap. 7. 10. ubi dicitur: *Misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel, non potest terra sustinere universos sermones eius. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides gradere fuge in terram Iuda, et comede*

*ibi panem, et prophetabis ibi: et in Bethel non adificies ultra ut prophetes.* Obiter tamen Amos etiam de aliis gentibus, ac de Iuda quasi per contentionem, et oppositionem prophetat: cum illis enim confert, componit, et opponit Israellem.

**IN DIEBUS OZIAE REGIS IUDA.)** Qui alio nomine Azarias dicitur: *Quando, inquit S. Hieron. apud Assyrios regnabat Sardanapalus, de quo insignis orator: Turpior, ait, vitii quam nomine: et apud Latinos Procas Sylvius, cui Amulius expulso Numitore germano successit in regnum: quo interfecto, congregata pastorum et latronum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem.* Ergo sub initia Romæ prophetavit hæc Amos. Porro Ozias dictus est Azarias, id est, auxilium Dei: quia adiuvit eum Deus, ut occiso a rebellibus patre, regnum paternum occuparet, et victorias illustres contra Philisthinos, Arabes et Ammonitas obtineret, uti narratur 2. Paral. 26. v. 7. et 16. Dicitur est Ozias, id est, fortitudo Dei, eadem de causa: vel quia, ut ait S. Hieron. fortitudine Dei percussus fuit lepra, eum usurpans sacerdotium obtulit incensum.

**ET IN DIEBUS IEROBOAM.)** Hic Ieroboam non est filius Nabath, qui peccare fecit Israel erectis vitulis aureis; sed filius Ioas, filii Ioathan, filii Iehu, ac consequenter pronepos eiusdem Iehu, sub quo prophetarunt Osee, Ioel et Amos, ait S. Hieron.

**Synchronismus annorum Ozia et Ieroboam.** Nota ex 3. Reg. 14. 23. Ieroboam cœpit regnare anno 15. Amasiae patris Ozia, et regnavit 41. annis, Amasia vero regnavit 29. annis: desiit ergo Amasia regnare et vivere anno 15. Ieroboam. Successit Amasiae filius Ozias: sed quia puer erat triam dumtaxat annorum, per tutores administratum est regnum per 13. annos, usque ad annum 27. Ieroboam: illo enim anno per se regnare cœpit Ozias, vel Azarias, cum iam 16. esset annorum, et regnavit deinceps 52. annis, uti dicitur 4. Reg. 15. 1. unde sequitur, ultimis 14. annis quibus in Israel regnavit Ieroboam, regnasse in Iuda Oziam; sic ut ultimi anni 14. Ieroboam coincident cum annis primis 14. regni Ozia, quibus necesse est prophetasse Amos. Ita Arias et Ribera hic. Melius alii, ut Tornielus in Annal. Caiet. in 4. Reg. 15. et a Castro hic, negant hoc interregnum inter Amasiam et Oziam, censentque eundem annum Ieroboam nunc vocari 15. nunc 27. quia scilicet annus hic erat decimus quintus ab eo tempore, quo ipse post mortem patris solus regnavit: idem erat vigesimus septimus, sed ab eo tempore, quo vivente adhuc patre ab eo creatus rex, cum eo regnare cœperat: quo fit ut hi 27. anni inchoant sint ab anno 4. Ioas, patris Ieroboam, quo ipse a patre regni consors factus, cum eo regnavit 41. annis. Ex qua sententia sequitur, Ieroboam cum Ozia regnasse non tantum 14. sed 27. annis, uti fusius dixi Isaia 7. 8. unde et Amos regnantibus Ozia et Ieroboam, prophetavit hoc anno 25. Ozia, puta duobus annis ante terræ motum, qui contigit anno 27. Ozia, uti iam ostendam. Favet Eusebius in Chronico, dum ad annum 17. Ozia, et sequentes annotat: *Prophetabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias, Ioel et Ionas Propheta.*

**ANTE DLOS ANNOS TERRÆ MOTUS.)** Huius terræ motus meminit et Zachar. c. 14. 5. dicens: *Fugietis sicut fugistis a facie terræ motus in diebus Ozia regis Iuda.*

**Terræ motus Amos quando** Quæres, quis, quando, et qua de causa fuit hic terræ motus? Primo, Lyran. secutus R. Salomonem, et Arias censent esse illum, de quo in visione Isaia c. 6. cum scilicet ipse vidit Deum sedentem in throno, et Seraphinos illi acclamantes *Sanctus, dicitur: Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantium, et domus repleta est fumo.* Verum obstat Primo, quod hæc fuerit visio imaginaria, Isaia menti obiecta, non autem realis terræ motus. Secundo, quod hæc fuerit imaginaria concussio templi, et caeli (in templo enim caelesti residebat Deus) non terræ. Tertio, quod illa visio contigerit anno quinquagesimo secundo Ozia, quo ipse mortuus est, ut ait Isaia: tunc autem non regnabat, nec vivebat Ieroboam, utpote qui mortuus sit anno 14. vel potius 27. Ozia, uti paulo ante ostendi. Respondet Lyran. visionem illam Isaia con-

**A**tigisse eo anno quo mortuus est Ozias morte, non naturali, sed civili, scilicet cum percussus lepra ob usurpatum officium sacerdotale, templo, et hominum convictum regnoque eiectus est, ac pro eo filius eius Ioathan regni administrationem suscepit. Unde Chald. vertit, *in anno quo percussus est Ozias.* Verum *eo mortuus*, ad litteram mortem naturalem non civilem significat, uti ceteri omnes Interpretes docent; qui prouide communiter censent, visionem illam Isaia exhibitam fuisse anno 52. et ultimo Ozia.

**B**Dico ergo, hunc terræ motum contigisse anno 27. Ozia, ac consequenter Amos hæc prophetantem biennio ante terræ motum, prophetasse ea anno 25. Ozia. Unde ab hoc anno 25. Ozia, et ab hac prophetia Amos, Isaia c. 7. 8. computat 65. annos, post quos regnum Israelis evertendum prædicit. Nam præcise 65. anni fluxerunt ab anno 25. Ozia, usque ad annum 6. Ezechia, quo ab Assyriis eversa est Samaria et regnum Israel, uti ostendi Isaia 7. 8. Hæc sententia est communis Doctorum, et Interpretum, puta Hebræorum, S. Hieronymi, Cyrilli, Remigii, Procopii, Ruperti, Hugonis, Lyran. Clarii et aliorum. Accedit fere Tornielus, et alii Chronologi, qui hunc terræ motum censent contigisse anno 25. Ozia, ac consequenter Amos biennio ante, puta anno 23. Ozia, cœpisse prophetare.

**C**Porro idem omnes, excepto Torniello, et uno alterove, secuti Iosephum l. 9. Antiq. 11. addunt, hunc terræ motum contigisse ob fastum Ozia regis, quo ipse victoriis et secundis rebus inflatus, arrogavit sibi munus sacerdotale, obtulitque incensum in altari thymiamatis. Hunc enim regis fastum Deus tribus plagis, æque ac portentis punivit, ait Iosephus. Nam Primo, mox ut rex sacerdotibus, prohibentibus eum aditu altaris, minatus est mortem, *ecce ibi terra vehementer concutitur.* Secundo, *fisso superne templo, radiis solis os regis ferit, quod e vestigio lepra contactum est.* Tertio, *eadem terræ motu ante urbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsam, per quatuor stadia uolutum, obiectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, et oppressis ruina hortis regis.* Hæc Iosephus, et alii iam citati ex ipso. Vide hic obiter, quam acriter Deus superbos, præsertim sacrilegos et sacra invadentes, puniat. Accessit quarta plaga, quod rex lepra tactus templo et regno eiectus, usque ad mortem vitam privatam et separatam, iuxta legem egerit: quocirca regnum administravit filius eius Ioathan. Hæc Script. et Iosephus.

**Q**uatuor plagæ Ozia. Censent ergo Auctores citati anno 27. Ozia cum adlevissse incensum, ideoque percussum lepra, et terræ motu percussum, e templo et regia recessisse, ac vixisse privatam per annos 25. puta ad annum 52. quo mortuus est, unde sequitur, Ioathan natum esse eodem anno 27. quo Ozias pater percussus est lepra. Quare necesse est dicere, Oziam per optimates deinceps regnum administrasse, donec Ioathan adolesceret et regeret: quod quia nusquam legitur, hinc aliqui de tota hac re dubitant, putantque hunc terræ motum ad peccatum et lepram Ozia non pertinere, sed alio tempore, aliaque de causa accidisse, præsertim quia Iosephus loco citato innuit Oziam pauco dumtaxat tempore fuisse leprosum. Ait enim: *Et cum aliquamdiu privatam extra urbem vixisset, filio Ioatham temp. administrante, marore tandem confectus obiit anno ætatis scægesimo tertio, regni quinquagesimo secundo.* Unde Tornielus in Ann. censet, Oziam lepra percussum anno 48. regni sui, cum iam Ioathan filius eius 16. esset annorum, ut pro eo regnum administrare posset. Favet tamen prior sententia tot Auctorum iam dictæ, quod ipsa apposite combinet et conciliet Amos cum Isaia cap. 7. 8. ex eaque liquet Amos hæc prophetasse 65. annis ante excidium Samariae, puta anno 25. Ozia. Favet etiam quod Script. 2. Paral. 26. v. 16. et 21. indicet Oziam citius lepra percussum, longiore tempore leprosum vixisse. Ait enim v. 16. *Cum roboratus esset* (quod factum est victoriis, quas contra Philisthinos, Arabes et Ammonitas primis viginti quin-

que, ut videtur, annis regni obtinuit, ut ibidem dicitur **A** v. 6. et seq.) *elevatum est cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum, ingressusque templum Domini adolere voluit incensum.* Et v. 21. *Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini: ubi verba usque ad diem mortis; et, habitavit; et, eiectus fuerat,* indicant diutinam fuisse eius lepram, et separationem. Favet tertio quod videatur Deus insolentem iam Oziam voluisse præmonere per Isaiam et Amos, ne imitaretur scelera et sacrilegia regum Israel, qui per se, et sacerdotes a se constitutos offerebant incensum suis diis, puta vitulis aureis in Dan et Bethel, 3. Reg. 13. 1. et 33. alioqui sciret se regno eiiciendum, sicut ob idem peccatum post 65. annos exsiccandum erat regnum Israel cum suo rege. Vicissim, ut reges Israel visa post biennium punitione et eiectioe Ozia ob usurpatum sacerdotium, conicerent sibi idem eventurum, verasque esse prophetias et comminationes excidii, quas Amos et Isaias eis intenterunt. Atque hæc videtur esse causa, cur Amos et Isaias tam præcise tempus suæ prophetiæ consignent; Amos dicendo: *Ante duos annos terræ motus; Isaias: Adhuc sexaginta anni, et desinet Ephraim esse populus.* Favet quarto, quod de alio terræ motu, et diverso ab hoc Ozia, nec in Script. nec apud Iosephum, Iosippum, Eusebium, aliosque Historicos quidquam legamus. Ergo non videtur fuisse alius quam hic Ozia.

Denique Amos, uti nomine suo (Amos enim hebr. idem est quod *populus avulsus*, ut dixi) ita et hoc terræ motu significat motum animorum Israelis, quo ipse avellens se a Deo et a regno David, schisma et divorcium fecerat, erigens colensque vitulos aureos, eaque de causa, tunc, uti et alias sæpe, hunc terræ motum Deus immisit, ut simul minaretur terræ et populo, eiusque exilium et excidium portenderet. Ita anno Domini 458. Antiochia, cum Nestorii schisma et hæresim amplexa est, ingenti terræ motu conquassata est, uti narrat ex Marcellino Baronius. Eodem Pontica regio ob Entyehetis hæresim concussa est anno Domini 499. ut idem narrat ex Theodoro Collectan. l. 2. Ob eandem hæresim anno Domini 518. in Dardania assiduo terræ motu viginti quatuor castella uno momento collapsa sunt, et ex iis duo eum omnibus, alia cum multis habitatoribus demersa; ac paulo post eodem anno Anastasius Imp. Entyehianus fulmine a Deo ictus interiit: ita Marcellin. in chronico. Ita cum S. Ioannes Chrys. in exilium pulsus est, Constantinopolis terræ motu contremuit, quo cubilis imperatorii pars collapsa est. Unde terribitus Imperator misso notario eum revocavit ut plane constiterit *propter iustum suum Dominum commovisse terram*, ait Pallad. in Dial. et Theodoretus l. 5. c. 33. Huc usque titulus Prophetæ, nunc orditur suam prophetiam, atque:

**DE SION RUGIET.**) q. d. Deus verus, cuius in Sione (non autem in Dan et Bethel, uti vos o Israelitæ, imo idololatræ, falso præsumitis) est templum, solium et oraculum ex propitiatorio a Cherubinis sustentato; hic, inquam, Deus potens et acer sui templi, cultusque et sanctitatis vindex, per me, perque Osee, Isaiam, aliosque Prophetas, ex Sione et Iudæa a se missos, iustarum leonum rugiet, dum horribilem vastationis et excidii sententiam contra impios Israelitas, aliasque vicinas gentes, ob varia earum scelera per nos proferet et proclamabit. Simili sensu ait Is. c. 31. v. 4. *Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, etc. sic descendet Dominus excidium ut prælietur super montem Sion.* Et vers. 9. *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et eaminus eius in Ierusalem,* q. d. Deus qui in Sione residet, ibique igne sacro et sacrificiis colitur, inde quasi leo rugiens exiliet gravis ultor in hostes suos, puta in impios, qui eius cultum et nomen vel idololatria, vel aliis sceleribus violarunt. Ita S. Hieron.

**LUXERUNT** (id est lugebunt) **SPECIOSA PASTORUM.**) Scilicet pascua: per quæ metaphorice intelligit speciosas urbes et palatia, æque ac agros et prata Iudææ, q. d. Si-

cut leone rugiente aufugiunt pastores cum gregibus, ideoque pascua deserta ac desolata lugere et squalere videntur; ita Deo rugiente, et per Chaldaeos sæviente contra Israelitas aliasque gentes, omnes eorum speciosæ urbes et domus, æque ac agri et campi vastabuntur et desolabuntur, cæsis, vel abductis eorum incolis et cultoribus, ita ut mæcere et lugere videantur. Sicut enim metaphorice agri et prata ridere dicuntur, dum florent; ita et lugere, eum desolantur: ita Remig. Hugo, et Vatablus, ac S. Hieronymus. qui notat Amos, utpote pastorem, apposite uti metaphoris desumptis a piscuis. *Naturale est, inquit, ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, et unusquisque in quo trivit ætatem, illius similitudinem proferat, v. g. qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum, prosperitatem et lætitiæ auram placidissimam et secundos nominat ventos, tranquilla maria et æquora. E regione miles quidquid dixerit, scutum, gladium, loriceam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus et victoriam sonat. In ore Philosophorum semper Socrates, Plato et Aristoteles, Oratores, Græchos et Catones, Tullios et Hortensios in calum laudibus ferunt, etc. Sic et Amos qui pastor fuit, non in locis cultis, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum ferocitas, et interfectio pecorum, artilis suæ usus est sermonibus; ut vocem Domini terribilem, rugitum leonum et fremitum nominaret, eversionem Israeliticarum urbium pastorum solitudini, et ariditati montium comparans. Hoc est quod vulgo dicitur:*

*Navita de ventis, de bobus narrat arator.*

Et Eccl. 38. 26. *Qui tenet aratrum, et qui gloriatur in iaculo, stimulo boves agit, et conversatur in operibus eorum, et enarratio eius in filiis taurorum, etc.* Denique Arabicus Antioch. vertit, *contristati sunt pastores gregum; Arabicus Alexandr. lugent pascua pastores, quia exsiccatum est caput Carmeli.*

**EXSICCATUS EST VERTEX CARMELI.**) Duo, ait S. Hieronymus. **Carmeli** sunt montes hoc nomine. Alter, in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail ad Australem plagam, 1. Regum 25. Alter iuxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur Aho, mari imminens, in quo Elias Propheta flexis genibus pluvias impetravit. Si ergo de Carmelo dicit in quo habitavit Nabal, magis pastorum gregibus convenit: quia est iuxta solitudinem. Sin autem de illo qui vicinus est littori, ad reges, et ad superbiam pertinet regni Israel, quos imminente captivitate instar montium desertorum dicit esse vastandos. Uterlibet ergo Carmelus hic accipi potest, et uterque fertilis in proverbium abiit, estque symbolum fertilitatis, abundantiæ et lætitiæ. Unde lingua Punica, sive Arabica, quæ Hebrææ vicina est, adhuc hodie in Bætica, amœnissimæ et pulcherrimæ villæ vocantur *Carmenes*, ait Delrio adagio 970. Commodius tamen accipias de priore, qui pascuorum et pastorum erat: ab eo enim Amos, utpote pastor, pastoritiam duxit similitudinem. Sensus ergo est, q. d. Israelis, et vicinarum gentium Carmeli, id est, villæ, agri, vineæ, pascua, opes, copia et gaudium disperdentur per Chaldaeos. Rursum, in voce *vertex* notantur reges, regumque arces, palatia, horti et villæ; et symbolice potentia, imperium et gloria destruenda a Babiloniis. Unde Chald. *desolabuntur habitacula regum, et desertum fiet presidium arcium illorum.* Accedit Theodor. qui per *verticem* accepit tum Ierusalem, quæ erat caput et vertex Indææ; tum Samariam, quæ erat vertex Israelis, sive decem tribuum, Isaia 7. 8. et 9. Denique Albert. et Hugo censent, hic ad litteram prædici siccitatem, sterilitatem, et famem Israeli et gentibus impiis immittendam et infligendam a Deo.

Porro *Carmelus* hic non tantum notat agros et opes Indææ, sed et aliarum gentium: omnis enim ager et locus fertilis, dives et speciosus, proverbialiter vocatur *Carmelus*. Id ita esse patet ex sequentibus: nam hanc propositionem, *Dominus de Sion rugiet, etc. et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli*, initio quasi thema propositum, sic in sequentibus explicat, de Da-

Terræ motus sunt poenæ schismatis: hoc enim indicat et puniit scissio terræ.

maseo v. 4. dicens, *Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benadad.* Speciosa ergo pastorum, et vertex Carmeli Damasci, sunt domus Azael et Benadad. Et de Gaza v. 7. *Mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit aedes eius.* Speciosa ergo pastorum, et vertex Carmeli Gazæ, sunt murus et aedes eius. Et de Tyro v. 10. *Mittam ignem in murum Tyri, et devorabit aedes eius.* Speciosa ergo et Carmelus Tyri, sunt murus et aedes eius. Idem de Idumaea dicit v. 12. et de Ammon v. 14. et de Moab e. 2. v. 2. et de Iuda e. 2. v. 5. et de Israel e. 2. v. 6. 13. et 15.

Vers. 3. **HÆC DICIT DOMINUS: SUPER TRIBUS SCELERIBUS** (perperam Arabicus Antioch. vertit *regionibus, vel climatibus*) **DAMASCI, ET SUPER QUATUOR NON CONVERTAM EUM.** Incipit Amos a minis, quas Deus gentibus Israel inimicis intentat, eo quod Israellem afflixerint. Primo, ut ex hostium suorum vindicta sciat Israel, se Deo suo curæ et cordi esse. Secundo, ut ex pœna infidelium, puta Damascenorum, Tyriorum, Idumæorum, Ammonitarum et Moabitarum, suam, puta fidelium, aestimet. *Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* ait Christus Lucæ 23. 31.

Quæres primo, quid sibi vult *τὸ super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor?*

Tria et quatuor scelera Damasci quæ, et quot.

Vatablus, Clarius, Emmanuel et Mariana per tria et quatuor accipiunt septem, id est, plurima scelera Damasci, q. d. Damascus nullum facit finem peccandi, sed iugiter scelera sceleribus accumulatur: si tantum bis aut ter peccasset, pepercisset illi; nunc quia non cessat, sed alia aliis iugiter addit, non parcam ei. Septenarius enim in Script. symbolum est multitudinis et universitatis, ex eo quod septem diebus Deus omnia creavit, Genes. 1. et septem diebus hebdomadæ iugiter recurrentibus decurrant omnes dies, omniaque tempora. Sic dicitur Ecclesiastæ 11. 2. *Da partem septem, nec non et octo,* id est, omnibus indigentibus distribue partes panum et eleemosynarum. Prov. 24. 46. *Septies, id est, frequenter, in die cadit iustus.* Zachar. 3. 9. *Super lapidem unum septem oculi,* id est, multæ exubiæ. 1. Reg. 2. 5. *Donec sterilis peperit septem,* id est, multos filios. Psal. 118. 164. *Septies in die laudem dixi tibi.* Hic sensus videtur planus: tria enim et quatuor faciunt septem, præsertim quia repetit *τὸ super,* dicens, *et super quatuor:* ergo hæc quatuor scelera alia sunt a tribus quæ præcesserunt: si alia, ergo iuncta tribus prioribus faciunt septem. Melius alii censent, hic quatuor tantum Damasci scelera denotari: *τὸ enim quatuor* idem est quod *quartum,* ut vertit Syrus et Arabicus: Hebræi enim sæpe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. Exempla sunt in hac eadem voce Prov. 30. 15. *Tria sunt insaturabilia, et quartum* (hebr. *רֵאֲבָעָה* *reaba,* id est, *et quatuor*) *quod nunquam dicit: Sufficit.* Et v. 18. *Tria sunt difficilia mihi, et quartum* (hebr. *רֵאֲבָעָה*, id est, *et quatuor*) *penitus ignoro.* Similia sunt v. 21. et 29. Porro hæc phrasi utuntur ad auxesin, ut significant quarti eminentiam super tribus quæ præcesserunt: ita S. Hieron. Theod. Remig. Haymo, Hugo, Lyran. et alii. Simile est illud Virgiliti ecloga 3.

*Triste lupus stabulis, maturis frugibus imber, Arboribus venti, nobis Amaryllidis ira.*

q. d. Quartum et ultimum, puta iræ Amaryllidis nobis sunt tristissimæ. Et Theocritus idyl. 8. ex quo more suo id mutuatus est Virgil. *Arboribus metuendum malum tempestas, aquis cœnum, avibus laqueus, feris agrestibus relia; viro autem teneræ virginis amor,* q. d. Virginiis amor præ cæteris omnibus viro metuendus est: quia illi eripit cor et mentem. Tale est illud Prov. 30. *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod nunquam dicit: Sufficit: infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua; ignis vero nunquam dicit: Sufficit,* q. d. Ignis omnium maxime est insaturabilis. Et Prov. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima eius, puta eum qui seminat inter fratres discordias,* q. d. Hunc maxime odit Deus.

Tria sunt omnia, cur?

Sensus ergo est, q. d. Super tribus sceleribus Damasci, et maxime super quarto trascor, nec parcam, sed puniam

illam: quodnam sit hoc quartum explicat dicens: *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* Similiter explicat quartum scelus Gazæ v. 6. et quartum Tyri v. 9. et quartum Idumææ v. 11. et quartum Ammon v. 13. et quartum Moab e. 21.

Quæres secundo, quænam sint hæc quatuor scelera Damasci? Rursum. An hic numerus scelerum sumendus sit definite, an indefinite? Definite accipiunt Rupertus, Albertus, Lyranus, Dionys. Palæcius, et Arias, qui censent tria scelera esse idololatriam, incestum, homicidium: Albertus vero, esse rapinam, mulctam et gladium, quibus Damasceni persecuti sunt et afflixerunt Israelitas. Quartum vero exprimit Propheta dicens: *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* Verum tria priora non exprimit Propheta: quocirca illa ex cerebro Interpretum conficta videntur.

Dico ergo, tria et quatuor hic indefinite sumi, et significare plurima scelera Damascenorum, quæ ipsi perpetrarunt sub Asael rege, tum contra Hebræos, tum contra alias gentes, 4. Regum 8. Ternarius enim familiaris est S. Scripturæ, et primus est numerus multitudinis: hinc eius est symbolum: *Tria enim sunt omnia, et ipsum ter in omnem partem se effundit,* ait Aristot. lib. 1. de Cælo e. 1. *Intellige omnia,* non sola, ait prima: nec enim unitas, nec duo, faciunt omnia, sed mox ut sunt tria, si ea singula adsint, dicimus adesse omnia. Unde S. Chrysostom. hom. 41. in Matth. explicans illud cap. 13. 33. *In farina satis tribus:* Tria, inquit, sata, sunt multa. Quando vero ternario unitas additur, ut fiat quaternarius, tunc maxima multitudo, quæ communem et ordinariam superat, significatur. Sic Virgil.

*O terque quaterque beati,*

id est, plurimum beati, imo beatissimi. Et Seneca in Hippolyto: *O terque quaterque prospero fato dati.* Hinc et Deus vocatur *ter maximus, ter felix, ter sanctus.* Causa et origo huius rei et phrasis est, increatus ternarius, puta ipsa Sanctissima Trinitas; hæc enim est sanctissima, felicissima, maxima, ac omnia, imo infinita bona in se completitur, eaque ternariis a se creatis communicat, ideoque mentibus hominum, etiam Gentilium SS. Trinitatem ignorantium, inseruit hanc augustam de ternario opinionem, ut cum Aristot. lib. 1. de Cælo e. 1. ceuserent ternarium esse principium multitudinis, eoque in arcanis uterentur, quasi sacratiore, quod vehementior atque efficacior ad omnia putaretur, ut ait Plin. l. 18. e. 3. et Macr. l. 1. Saturn. cap. 6. Hinc prisceis ternio, absolutissimus et sacer erat, adeo ut quidquid ter dictum aut factum esset, id ratum et efficax haberetur. Hinc et Galli per tres, id est, ter, significant superlativum, puta summum et maximum in suo genere, ut tres-bon, id est, optimus, tres-sage, id est, sapientissimus, tres-riche, id est, ditissimus, etc. Insuper ternarius ad quascumque controversias dirimendas maxime idoneus est, ut qui principium, medium et finem in se continet, ait Dionys. Halicæ. lib. 3. Quocirca Plutarch. tractat. de Pythag. discip. tradit unitatem a Pythagoreis Apollinem nuncupari, dyada (id est, dualitatem) Item et audaciam, triada institiæ et virtutem, quæ est medium duorum vitiorum. In ternario enim, aiebant, ipsum unum est medium, quasi centrum et nomen, quo æqua distributio regitur, et ad quod quasi finem refertur; hinc ternarius est quasi circulus, et complexio omnium: in ternario enim est principium, medium et finis: unde et tria sunt omnia. Et priscei Theologi ut designarent principium, medium et finem referenda esse in Deum, tria in sacrificiis offerebant. Et tria posita sunt a Philosophis in cultu Dei; adoratio propter reverentiam; thus ob distributionem suavissimæ cognitionis divinæ, et cælestium ac terrestrium virtutum; hymnus secundum Pythagoram, propter concentum cæli. Hinc Nicomachus: *Ter, ait, libant, et ter sacrificant, qui vota sua petunt a Deo consummari.* Theocritus idyl. 2.

*Ter libo, ter et hæc pronuncio mystica verba.*

Virgil. 4. Georg. de sacrif. Oceani:

*Ter liquido ardentem perfudit neetare Vestam:*

*Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.*  
Ovid. 3. Fast.

*Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.*  
Idem dicunt alii passim. Seraphini ter clamant, *Sanctus, sanctus, sanctus*, Isaïæ 6.

Ternarium  
Deus cui  
que rei  
inseruit.

Tres sunt virtutes Theologicæ, quibus Deum colimus, fides, spes, charitas. Tres partes pœnitentiæ, quibus eum conciliamus, contritio, confessio, satisfactio. Tria opera bona, quibus eum demeremur, oratio, ieiunium, elemosyna. Arithmetica docet ternarium in qualibet re inveniri. Mundus enim est triplex, scilicet angelicus, corporeus, humanus. Anima tres habet potentias, intellectum, memoriam, voluntatem. Tres sunt angelorum hierarchie, et in singulis tres ordines. Tria eorum officia, purgare, illuminare, perficere. Triplex eorum cognitio: matutina, quæ est in Verbo: vespertina, quæ est rerum in se: meridiana, quæ est aperta Dei visio. Castitas triplex, virginalis, vidualis, coniugalis. Cælum triplex, empyreum, sidereum, aerium. In sole sunt tria, substantia, radius et lumen: sic in Deo, qui est Sol increatus, sunt tres personæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus. In omni re sunt tria, essentia, virtus, operatio; vel entitas, species, ordo. In compositis est materia, forma et unio. Tres sunt aeris regiones, infima, media, summa. In arbore et planta sunt tria, folia, flores, fructus. Ita in rebus omnibus SS. Trinitas sui vestigia posuit, ex quibus eam agnosceremus et contemplaremur. Tres in homine sunt spiritus: animalis, vitalis, naturalis. Tres animæ vegetativæ operationes: nutritio, augmentatio, generatio. Bonum est triplex: utile, delectabile, honestum. Tres rerum sunt ordines: naturæ, gratiæ, gloriæ. Tres præcipuæ corporis partes: venter, cor, cerebrum. Tres causæ artificiales et artificum: efficiens, formalis, finalis. Philosophia triplex; Ethica, Physica, Mathematica. Syllogismi tres sunt propositiones: Maior, Minor, Conclusio. Triplex lex: naturæ, Mosis, Christi. Tres temporis differentie et partes: præteritum, præsens, futurum. Locus triplex: summus, medius, infimus. Triangulus tres habet angulos, æque ac lineas. Anguli sunt tres: rectus, acutus, obtusus. Quantitas corporis trina est: longitudo, latitudo, crassities. Denique omnia in ternario, puta in mensura, numero et pondere creavit et disposuit Deus, Sap. 11. v. 21. Hæc et plura Petrus Bongus lib. de Num. mysteriis, in ternario. Hiscæ ergo de causis ternarius symbolum est multitudinis, plenitudinis, perfectionis, universitatis.

Itaque sensus huius loci est, ait S. Hieronym. q. d. *Expectari multo tempore, ut Damasceni de suis sceleribus agerent pœnitentiam, et ideo nolui punire peccantes, ut aliquando conversi reciperent sanitatem: verum quia tertio et quarto eadem faciunt, eorum mutare sententiam, et plagis corrigere delinquentes.* Sic et Theodor. Quod vero, inquit, *super tribus et super quatuor, multitudinem significat, hoc est, ut subdit, infinitas iniquitates.* Sic et Ribera, Delrio adagio 971. aliique supra citati. Hic sensus appositus est, planeque genuinus videretur, si Propheta dixisset (*super tribus et quatuor sceleribus*) sic enim dicimus: *O terque quaterque beati.* Verum quia tribus non iungit quatuor, sed potius quatuor a tribus separat et disiungit, dicens: *Et super quatuor;* hinc magis genuinus videtur sensus, quem quæst. 1. indicavi, nimirum ut *quatuor* sumatur pro *quarto*, sensusque sit: Quia Damascus tria, id est plurima, perpetravit scelera, nec his contenta addidit quartum, præ cæteris omnibus insigne et enorme, hæc de causa indigna plane est venia, ideoque non paream, sed plectam eam. Aut ut a Castro, q. d. Cum semel, iterum et tertio pepercerim Damascenis, quarto enormi sceleri, quod cæteris addiderunt, nequaquam paream, sed puniam. Quartum hoc scelus est, quod subdit: *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* Cur enim inter tot scelera hoc unum exprimit et subdit Propheta, nisi quia hoc quartum erat, et enorme? Idem facit, idemque ut quartum scelus Gaze, Tyri, Edom, Ammon et Moab nominat et taxat v. 6. 9. 11. 13. et c. 2. 1. Cum enim post *quatuor*, id est, quartum scelus, hoc unum subiiciat, pla-

**A** ne significat illud ipsum esse quartum. Omnino enim enorme, cæteraque omnia superans erat hoc scelus, quod inaudita crudelitate plaustris ferreis triturarent Israelitas, puta Galaaditas.

Tropol. S. Hieron. *Primum, ait, peccatum est, cogitasse quæ mala sunt: secundum, cogitationibus perversis acquiescisse: tertium, quod mente deereveris, opere complexisse: quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, et in suo sibi complacere delicto. Hoc faciunt omnes hæretici, qui non solum cogitant et faciunt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiunt, et in morem Damascenorum, qui interpretantur sanguinem bibentes, eorum quos deeeperint sanguinem bibunt.* Et Rupert. *Primum, ait, scelus est voluntas perversa, et tunc peccator moritur interius. Secundum, voluntatem opere complexisse, et hoc facto mortuus est peccator, et foras elatus; sed adhuc suscitari potest, sicut illum iuvenem Dominus suscitavit, qui per portam civitatis mortuus efferebatur. Tertium scelus est, opus in consuetudinem vertisse: et tunc peccator mortuus et sepultus est; sed adhuc ad vitam suscitari potest, sicut Lazarum sepultum iam quatruiduanum et fetentem Dominus suscitavit. Quartum scelus est, in suo sibi peccato complacere, Deoque ad pœnitentiam revocanti, et legi eius redarguenti superbiæ spiritu resistere. Hoc scelus diabolicum est, est enim eorum impœnitens, et rebellio, ac defensio scelerum, ideoque plane venia indignum, et pene irremissibile.*

Denique Hebræi nonnulli, quos sequitur Georgius Vernetus in probl. S. Scriptur. tom. 5. n. 114. censent Amos hic significare, quod difficile convertantur ii, qui quater vel pluries in idem peccatum corruunt, q. d. Super tribus sceleribus convertam eos, super quarto autem non convertam; sed ipsos sibi suisque sceleribus et consuetudini voluntariæ derelinquam. Hoc tropologicum pariter est, non litterale, ut ipsi censent.

**NON CONVERTAM EUM.** Aliqui codices legunt *eam*, scilicet Damascum: sed Romana, Hebr. et Interpretes passim legunt *eum*, scilicet populum; hunc enim Damascus significat: metonymice enim ponitur continens pro contento, civitas pro civibus et incolis. Hebraice est אֲשֶׁר לְבָנָי לֹא אֲשִׁיבֵנּוּ *lo ascebennu*, id est, non faciam reverti eum, non reducam eum; Vatabl. *non revocabo eum*, scilicet furorem meum, sed effundam et complebo eum in Damasco; Septuaginta, *non aversabor eos*, id est, non avertam faciem meam, inquit Theodor. a Damascenis, sed iratus firmiter illam convertam ad eos, ut iras meas in eos effundam. Unde Arabicus subinde vertit, *non revertar ab eis*. Cum enim Deus scelera alicuius ulciscitur, dicitur firmare in eum vultum suum: ex adverso David petens veniam et gratiam Dei, ait: *Averte faciem tuam a peccatis meis*, ps. 50. 11. Verum quia nulla furoris, nec faciei Dei præcessit mentio, hinc secundo et genuine, *non convertam eum* (Damascum, id est, Damasci populum) scilicet ad me, seu ad veniam et misericordiam meam; sed eum in suis sceleribus, æque ac ira et vindicta mea, derelinquam. Unde Chald. et Pagninus vertunt, *non paream ei*, sed acrius puniam: ita S. Hier. Albert. et Hugo. Hinc Syrus vertit, *non retraham, non reverti faciem ab eis*; Arabicus Antioch. *non ero pœnitens super eo*: vel, *non convertam eum in locum suum*, q. d. E captivitate non reducam eum in solum patrium. Huc pertinet expositio Sanchez, q. d. *Non convertam eum*, id est, non revocabo eum a morte, quæ ex iudicio et decreto Dei tam certo ei eveniet, ut iudicari debeat iam advenisse. Videtur ergo iam esse mortuus, quia certæ morti destinatus: ab hac ego eum non convertam, id est, non reducam, non liberabo.

Tertio, Arias. *ascebennu* vertit *retribuam ei*, hoc est, scelera eius ulciscar, sicque per interrogationem legit, et explicat: Numquid ob tria et quatuor, id est, plurima, scelera non retribuam ei? omnino retribuam, et plectam eum. Arabicus Alexandrinus vertit nove, *super tribus et super quatuor sceleribus Damasci non sum tristitia affectus*, q. d. Peccata me non affligunt, sed ipsum peccantem. Melius idem c. 2. 1. *Non differam, non prolongabo*, scilicet vindictam.



Impertinens est Ruperti expositio: *non convertam eum*, scilicet verticem Carmeli, ad pristinum suum virorem et fertilitatem. Erronea est R. Salomonis, qui ex hoc loco contendit tribus tantum vicibus peccatorem penitentem a Deo recipi, quarto non recipi. Quin et Theologi nonnulli, peccatorem quandoque adeo graviter et saepe peccare censent, ut in penam Deus deneget illi auxilium sufficiens ad penitendum: quo sit ut penitere et converti nequeat. Id autem fieri, cum implevit mensuram peccatorum a Deo determinatam, de qua accipiunt illud Matth. 23. 22. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*. Verum hoc de copioso et efficaci auxilio verum est, de sufficienti falsum: sic enim peccator non esset amplius viator, sed cum damnatis quasi damnatus, utpote privatus auxilio necessario ad salutem, sine quo impossibile est eum salvari, et necesse damnari.

Impunitas est ingens flagellum.

Moraliter discite hic gravem Dei esse punitionem, cum ipse peccatorem non convertit, nec a peccatis revocat, sed in iis derelinquit et obdurat, uti obduravit Pharaonem: tunc enim ruunt in interitum presentem, et aeternum, uti contigit Pharaoni Exodi 7. 3. Vide ibi dicta. *Impunitas incuriae soboles, insolentiae mater, radice impudentiae, transgressionum nutritrix*, ait S. Bernard. l. 3. de Consid. cap. 3.

EO QUOD TRITURABUNT IN PLAUSTRIS FERREIS GALAAD.) Quatum et summum hoc est scelus Damasci, ideoque irremissibile quoad vindictam: ob hoc enim Deus Damascum destinavit gladio et excidio Assyriorum, q. d. Damascus tria, id est, plurima, scelera perpetravit: ea dissimulavi, hisque adhuc pepercisse. Verum quia quantum addidit, tam crudele et horrendum; hinc ulterius non parcam, sed ultor exurgam, in eumque deserviam, uti ipse servavit in Israel. Certa ergo cum manet ultio, certum excidium. Nota. Perpetua a tempore Iosue fuere bella inter Syros, quorum caput erat Damascus, et Israelitas: tum ob viciniam, tum ob disparitatem fidei et morum Syri ergo saepe afflixerunt Israel, dissimulante Deo; sed intoleranda fuit afflictio, qua eos plaustris ferreis triturrunt, quam proinde Deus dissimulare et decoquere non potuit. Haec afflictio contigit sub Azael rege Syriae, illamque ei flens praedixit Elisaeus, cum ei regnum promitteret: *Scio, inquit, quae facturus sis filii Israel mala: civitates eorum munitas igne succendes, et iuvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et praegnantas divides*, 4. Reg. 8. 12. itaque factum esse patet ibid. e. 13. v. 3. *Attriverat, inquit, eos rex Syriae*. Et v. 7. *Interfecerat eos rex Syriae, et redegerat quasi pulverem in triturrant arae*. Unde perspicuum est, ait Theod. *quod Damasceni in arcam quamdam mulieres Israelitides proicientes, rotis ferratis tamquam spicas crudeliter triturrabant*.

IN PLAUSTRIS FERREIS.) Hebr. חררין charutis significat traham, sive tribulam, qua super segetem circumnata grana ex ea exeuntur, teruntur et triturrantur; unde et tribula a terendo dicta videtur. Radix enim חררין charutis significat stringere, excutere, concidere, excidere. Hebraei enim triturrabant plaustris ferratis et dentatis, quasi tribulis. Hoc, ait S. Hier. est genus plaustris, quod rotis subter ferreis atque dentatis volvitur, ut excussis frumentis, stipulam in arca conterat et comminuat. Unde Septuag. vertunt, *securerunt in serris ferreis*; Symmach. *in rotis ferreis*; Tigurina, *in rastris ferreis*; alii, *in carpentis ferratis*, Vatabl. *in tribulis ferreis*.

Aliqui haec metaphorice accipiunt, ut hac phrasi tantum significetur acerbitas afflictionis, qua Azael afflixit Israelitas, ut eos *instar tribularum frumentum in aris triturrantium, in gularet atque contereret*, inquit S. Hier. et Clarius. Verum alii passim id ipsum proprie accipiunt: tum quia id ipsum Azael praedixit Elisaeus loco citato: tum quia enormis hic saevitia significatur, et punitur, tum quia olim victores victos, praesertim infideles, saevos et barbaros ita muletabant. Sic David Ammonitas, eo quod legatos a se missos violassent et subsannassent, *serravit, et circumnegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum*, 2. Regum 12. 13.

Moral. discite hic, quam crudelitas Deo et hominibus sit

exosa, quamque Deus par pari referat, ut crudelis sit in crudelibus, imo eos simili quod aliis intulerunt, tormento occumbere cogat: quia crudelitas haec iustitia est, iustaque vindicta. Haec de causa hic per Amos, aequae ac per Isaiam e. 14. 29. et seq. Ieremiam e. 47. et seq. Ezech. cap. 25. et seq. aliosque Prophetas Philistinis, Idumaeis, Tyris, aliisque gentibus acerrima supplicia intentat, eo quod saevierint in Israel, populum Dei. Quocirca Aristoteles ad Alexand. hoc ei dat documentum: *Parce, effunde humanum sanguinem: quia hoc illius est, qui novit secreta cordium*. Periander Apud Auson.

Multis terribilis caveo multos.

Cassiodor. in Psal. 10. *Quid prodest crudelibus persequi, quos vident persecutionibus semper augeri?* Exosa et exposita fuit uxor Hannibalis, ipseque Hannibal, qui inspecta humani sanguinis fossa, pulchrum in ea spectaculum dixerunt: ita Fulg. l. 9. e. 11. Crudei Sylke dixit Q. Catulus: *Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace incrimos occidimus?* ita Eutrop. in Sylla. Augustus Caesar audito Herodis infanticidio: *Mullem, ait, Herodis porcus esse quam filius*; porcos enim non maetabant Iudaei: ita Macrobi. lib. 2. Saturn. cap. 4. Neroniana vox est: *Me mortuo terra misceatur incendio*: ita Dion. Nicaeus in vita Neronis. Quocirca mater Neronis Agrippina, cum eius uxor occideretur, Centurioni ferrum strigenti ventrem ostendens, clamabat: *Hunc percutite: hic est ferro fodendus, qui portentum istud genuit*: ita Sueton. in Nerone. Hi sunt Phalarides, Mezentii, Maximini, Timones, Diocletiani. C. Caligula frequenter exclamare solebat: *Utinam univrsus populus Rom. unicam cervicem haberet*, scilicet ad eam uno ictu amputandam: ita Eutrop. Eiusdem fuit haec vox: *Mementote mihi omnia in omnes licere*. Vitellius ucciso Othone cum suis, dum eius assecte tabem cadaverum abhorrent, dixit, *optime ole-re occisum hostem, et melius eicem*. Sed hic tandem religatis post tergum manibus, iniecito cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus inter ludibria,

tandem apud scalas Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, confectusque est, indeque unco in Tiberim tractus: ita Fulg. l. 9. e. 11. Sic misere perit Deo vindice, imo se occidit Nero. Sic et misere perierunt Caligula, Maximianus, Diocletianus, Hannibal, Herodes. Vere Thales Milesius, rogatus quid difficile nunquam vidisset, respondit, tyrannum senem. Quocirca Phalaris tyrannus dicere solebat: *Ego qui expertus utrumque sum, tyrannidi malim subesse quam praesesse. Subditus enim aliorum malorum securus, unum tyrannum metuit: tyrannus autem et eos qui foris insidiantur, et illos per quos servatur*. Ita Stobaeus serm. 47. Quidam tyrannicidam optans, Bruti statuæ subscripsit: *Utinam viveres!* quod opus Bruti Tarquinii ex urbe pulsus esset, et Caesaris statuæ hos verus subscripserunt.

Brutus quia reges eiecit, primus consul factus est:

Hic quia consules eiecit, rex postremus factus est.

Nec multo post Caesar a senatoribus viginti tribus vulnerebus in curia confossus est. Mithridates una epistola octoginta millia Romanorum in Asia, per urbes negotiandi causa dispersa, interemit; tantamque provinciam iniusto, sed non inulto, sanguine respersit. Nam a Romanis in eas angustias redactus est, ut veneno mortem sibi conseverit. Quocirca ipse eum maximo cruciatu, veneno repugnante (ex longo eius usu) spiritum suum tandem succumbente coegit. S. Cyprianus tract. de Oration. Domin. ait, homines superare bestias crudelitate: leones enim pepercuerunt Danieli in laeu, in quem eum coniecerant Medii: et cum Achab persequeretur Eliam, pavent eum corvi, 3. Reg. 17. *O humanæ malitiae, ait, detestanda crudelitas! feræ paucunt, aves paucunt, et homines insidiantur et scriunt*. Item ad Demetrium sub Decio, et eum Decio ac Valeriano, persecutorem Christianorum: *Innoxios, ait, iustos, Deo charos domo prietas, patrimonio spoliatis, calcnis prenis, carere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici ac veloci brevitate panurum, ubino-*

ves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia; nec feritas, neque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis: excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas. Quæ hæc est insatiabilis carnificinæ rabies? quæ incæptibilis libido sæviendi? Sed et Decio vires rependit Deus, effecitque ut a Gothis acie victus, fugiens cum equo in paludem incidere, a qua absorptus numquam postea comparuit. Valerianum vero Sapor Persarum regi captivum tradidit, qui consensurus equum eo pro scabello utebatur. Denique septem illi Machabæi fratres, crudeliter ab Antiocho ex-cruciatii et frixi, eidem quasi leones insultarunt, et crudeliter æque necem ei quasi Prophetæ intenterunt, 2. Machab. 7. inter quos minimus natu v. 31. Tu vero, ait, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Et mox: Tu autem, o sceleste, et omnium hominum flagitiosissime, noli extolli vanis spebus, in servos eius inflammatas: nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis iudicium effugisti: nam fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt; tu vero iudicio Dei iustus superbiæ tuæ pœnas exsolves. Verus fuit vates: nam Antiochus paulo post acerrimo viscerum dolore, et fetore intolerabili exerceatus, corrosus a vermibus, blasphemam animam dæmoni exhalavit, 2. Machab. 9.

Vers. 4. ET MITTAM IGNEM IN DOMUM AZAEL. ) Puta in familiam et posteros Azael. Iam enim Azael mortuus erat, et regnabat filius eius Benadad, de quo sequitur, ut patet 4. Reg. 13. 22. et seq. Ignem intellige, tum proprie dictum; solent enim victores dum urbes rebelles capiunt et ex-scindunt, ferro flammaque in eas grassari: tum aeres pœnas et efficaces strages, ac excidium gentis et regni. Hoc enim in Script. per catachresin significat ignis, quia omnia depascitur et in cineres redigit. Porro hæc strages Damasci facta est a Teglatphalasar rege Assyriorum, qui vocatus ab Aehaz rege Iuda, presso et pene oppresso a Rasin rege Syriæ, et a Phacee rege Israel, in auxilium, Damascum obsedit, cœpit, excidit. Rasin occidit, Damasci cives transtulit Cyrenem, ut patet 4. Regum 15. 3. ita S. Hier. Theod. Remig. Lyran. Arias et alii. Nominat Azael, quia is vixit, et afflixit Israelum paulo ante tempora Amos, puta sub Ioaahas, avo Ieroboam sub quo propheta-vit Amos. Porro Deus non punivit Damascum et Azaelem statim, sed de more expectavit, ut posterius implerent mensuram peccatorum a se vindictæ præstitutam, quod factum est tempore Rasin: unde tunc et filios, et patres in filiis punivit, et evertit.

Vers. 5. ET DEVORABIT DOMOS (palatia) BENADAD. ) Benadad hic fuit filius Azaelis, 4. Reg. 13. 24. ac proinde diversus a Benadad, qui pugnavit contra Samariam tempore Achab 3. Reg. 20. 1. illum enim occidit Azael, eiusque regnum occupavit 4. Reg. 8. 7. et seq. Porro illo tempore multi reges Syriæ vocati sunt Benadad. Adad enim, sive Adarezer fuit primus rex Syriæ, quem devicit David 2. Reg. 8. ab hoc successores dicti sunt Benadad, id est filius, vel hæres et successor Adad. Iam strages hæc facta est, non sub Benadad filio Azaelis, sed sub nepote eius Rasin, ut iam dixi.

ET CONTERAM VECTEM DAMASCI. ) Vectem, id est, portas: hæ enim vectibus obserari solent. Rursum vectem, id est robur, ut vertit Chald. (robore enim portarum est in vectibus: hinc vectis typus est roboris) puta duces, milites, arma, animos, munitiones, annonam, quibus quasi vectibus se communiarant, et invictos putabant Damasceni: sed nil horum Deo, per Assyrios oppugnanti eos, resistere valuit, imo omnia ab eo contrita, illico prolapsa corruerunt.

ET DISPERDAM HABITATOREM DE CAMPO IDOLI. ) Damascus, eique adiacens planities, vocatur hic campus, isque idoli: quia idolis abundans, iisque addictissima, inquit S. Hieron. et Theodor. Tigurina et Arias vertunt, de valle vanitatis. Talis et fuit Damascus: quæ vanitati dedita, ideoque Deo puniente excisa et evanescens, toti orbi vanitatis speculum dedit. Septuag. et Theodor. retinent vo-

cem Hebræam, vertuntque, de domo On; Symmach. et V. editio, de domo iniquitatis; Aquila, de domo inutili. Eadem Damascus mox vocatur domus voluptatis, id est, deliciis affluens: in qua seeptrum tenebat rex Rasin, quando ea, illo occiso, ab Assyriis eversa est. Pro voluptatis hebr. est קִיר eden: unde Græcum εδονα, id est, voluptas. Hinc pro eden Septuag. vertere solent εδονα, hoc tamen loco vertunt Charran: quia Eden regio, in qua situs erat paradisi terrestris, fuit in Mesopotamia, et locis vicinis, in quibus sunt Charræ urbs Parthorum, ubi cæsus est Crasus Romanus, ut ostendi Gen. 2. v. 8. Porro Theodor. id ipsum sic exponit, q. d. Non solum Damascum, sed et accolos omnes, et eos qui ex Charran eo habitatum commigrarunt, captivos efficiam. Complut. retinent Eden, sed corrupte legunt Adan; vel, ut Villalpando in cap. 27. Ezech. 23. legit, Adam; eo quod Eden fuerit locus Adami: ipse enim a Deo in Eden collocatus est. Hinc et Syrus vertit, in domo Adon. Porro Damasci regio et ditio non longe abest a Mesopotamia, in qua fuit Eden et paradisi terrestris. Rursum ipsa Damascus urbs et regio amœna est et fertilis: quocirca et ipsa suam habuit Eden urbem, vel regionem, ad quam hic alludit Amos. Unde de hac Damascena Eden loqui Ezech. c. 27. 23. et Isaiam c. 37. 41. censet Marinus in Lexico, et alii nonnulli. Alludit ergo Amos ad Eden paradisi, et ad Adam, quem nonnulli a Deo creatum censent in Damasceno agro, ex terra rubea, indeque dictum Adam. Adam enim, vel Edom, hebr. idem est quod rubeus, vel rufus, de quo dixi Genes. 2. v. 7. q. d. Sicut Adamum ob peccata expulsi ex Eden paradisi, sic Damascenos ob scelera expellam ex sua Eden, id est, loco voluptatis. Addunt alii, in Damaseo occisum esse Abelem a Cain, indeque nomen accepisse: Damascus enim hebr. idem est quod sanguinem bibens (ait S. Hier. in c. 27. Ezech.) scilicet Abelis: ita Sanchez. Sic etiamnum hodie Deus gentes suis regionibus, et privatos suis ditionibus opulentis, et viridariis, ac paradisis deliciis expellit ob eorum crimina, præsertim illis ipsis locis commissa, uti vidimus in Belgio. Denique Arabieus vertit, et coneidam elationem (fastium) de virtute (robore) eius.

ET TRANSFERETUR POPULUS SYRIÆ CYRENEM. ) Duæ urbes dictæ fuerunt hebr. קִיר kir, et latine Cyrene. Prima fuit in Lybia, a qua denominata est regio Cyrenaica, ait S. Hieron. et Strabo lib. 17. de hac ait Lucas Actor. 2. 10. Et partes Lybiæ quæ est circa Cyrenem. Secunda fuit in Media. Hic agitur non de prima, ut censuit S. Hieron. Remig. et Hugo, sed de secunda; hæc enim Assyriis erat subiecta et vicina: unde eo Syros expugnata Damasco transtulerunt Assyrii, 4. Reg. 16. 9. idque diserte asserit Ioseph, dicens lib. 9. 13. Teglatphalasar Damascenos (a se victos et expugnatos) in superiorem Mediam destinavit.

Dicta est Cyrene ab Hebræo, et Chaldæo (lingua enim Assyria et Chaldæa vicinæ sunt, et dialecti dumtaxat linguæ Hebrææ) kir, id est paries, murus; quod egregie murata et munita esset quasi arx et propugnaculum regionis. Id ita esse patet ex Isaiæ 16. 7. ubi tertia kir, sive Cyrene in Moab, hebr. vocatur קִיר חֲרֵשֶׁת kir charescet, id est, habens muros lateritios. Unde Noster vertit, muros cocti lateris: vide ibi dicta. Septuag. pro Cyrene vertunt επιδαρυος, id est nominatus: Transferetur, inquit, populus Syriæ nominatus: quia hebr. קִיר kir, id est Cyrenem, acceperunt non ut proprium urbis, sed ut appellativum: rursum kir censuerunt idem esse quod קִירָה kira per atoph, id est vocatio, nominatio. Ita S. Hier. Verum kira est fœmininum, non masculinum. Melius ergo Noster et alii vertunt ut proprium, Cyrenem.

SUPER TRIBUS SCALERIBUS GAZE. ) A minis et onere Vers. 6. Damasci transit ad minas et onus Gazæ et Philistinorum, ob tria, id est plurima, eorum scelera, et quatuor, id est quartum, scilicet, quod transtulerint captivitatem perfectam, de quo mox. Phrasim hanc iam explicui in onere Damasci v. 3. Porro Philisthæa quinque habuit urbes et satrapias, totidem satrapis, sive principibus subiectas. Urbium nomina sunt, Geth, ex qua natus est Goliath, quem occidit David; Accaron, Azotus, Ascalon et Gaza, quæ Iu-

dæis fuerunt infensissimæ, et perenne cum eis bellum gesserunt. Dicitur *Gaza* hebr. גַּזָּא *hazza*, vel *Gaza* (Hebræum enim *ain* quia gutturale, imo pectorale, solet sæpe verti per g. ut patet in Gomor, Gomorra, Phegor, in quibus pro g. hebr. est *ain*) id est, fortis a munitione: ita S. Hier. et alii. Errat ergo Pomponius Mela lib. 1. de Situ orbis cap. 11. dum ait, huic urbi inditum esse nomen Persicum, dicique Gazam, id est ærarium: *gaza* enim persice pecuniam opesque significat, eo quod Cambyses, inquit, eum Ægyptum invaderet et spoliaret, in Gazam belli opes contulerit. Nam tempore Amos, imo Mosis et Abrahamæ, qui longe præcesserunt Cambysen, hæc urbs vocabatur *Gaza*, ut patet Gen. 10. 19. et Deut. 2. 23. Illud ergo etymon *Gazæ* quod affert Mela, verum esse potest de *Gaza* Mediæ (hæc enim Persis erat vicina) de qua Ptolem. lib. 6. cap. 2. aut Æthiopiæ, de qua Ptolem. lib. 4. cap. 7. non Palestinæ, ut ipse habet. *Gaza* postea dicta est *Gazara*.

Contra Gazam et Philisthæos prophetat quoque Ieremias cap. 47. eisque excidium per Chaldæos intentat. Vide ibi dicta.

Tropol.

Tropol. S. Hieron. *Gaza*, inquit, hebr. idem est quod fortitudo, vel imperium. *Edom* est rufus, sanguinarius et terrenus. *Azotus*, vel, ut hebr. *asod*, idem est quod ignis uberis, sive patrum. *Asealon* idem est quod ignis homicida, sive appensa et ponderata. *Accaron* idem est quod ερως, id est sterilitas; et ερηξωσις, id est eradicatio. Hisce omnibus significatur Iudæi (æque ac hæretici) qui persecuti sunt fideles. Hi enim dieuntur *Gazæi*: quia fortitudinem scientiæ suæ, et imperium sibi repromittunt. Vocantur *Azotus*: quia ubera Synagogæ iam non lacte, sed igne sunt plena; et quæ mentitur ignem habere se patrum, eius universa generatio ignibus deputanda est. Vocantur *Asealon*: sicut enim ignis Domini salvos faciet eos, quorum corda penetraverit; sic ignis iste qui de caelo decedit quasi fulgur, qui succendit diaboli sagittas, quoscumque afflaverit interficiet. Vocantur *Accaron*: quia steriles sunt et eradicati, iuxta illud Osee 9. *Quid dabis eis? Da eis vulvæm sterilem, et ubera arenia.* Vocantur *Geth*, id est, toreular, scilicet diaboli. Vocantur *Philisthiim*, id est, cadentes populi: cum enim inebriati fuerint corruent, et in suo vomitu volutabuntur. Huc usque S. Hier. Presius Rupert. *Gaza*, ait, sonat fortitudinem, et *Iudæorum* designat rebellionem adversus vitalitatem. *Azotus* interpretatur ignis uberis, sive patrum; et ardentem in illis significat invidiam patris eorum diaboli, quæ exuberat in eis. *Asealon* interpretatur ignis homicida, et homicidiam illorum furorem designat. *Accaron*, sterilitas, et inopiam illorum, quia fructum spiritus fugiunt, et paleam litteræ sectantur, significat. *Philisthiim*, potione cadentes, et illorum vere ebriosum hoc nomine intelligimus scandalum, iuxta illud psalm. 68. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum: Obscurentur oculi eorum ne videant, etc.*

EO QUOD TRANSTULERINT (Gazenses et Philisthæi) CAPTIVITATEM PERFECTAM, id est, plenam et absolutam, ita ut vix unum Iudæum reliquerint, quem non captivum abduxerint; UT CONCLUDERENT EAM IN IDUMÆA. Vatabl. et tradiderint eam ipsi Edom, q. d. Philisthini omnes pene Iudæos abduxerunt, eosque vendiderunt Idumæis infensissimis Iudæorum hostibus, ut ibi velut æterno carcere clauderentur; sine ulla spe liberationis et libertatis, ibique agerent vitam servilem et asperam in sordidis, duris et continuis laboribus, seminudi, famelici, allici, oppressi: hæc enim est perfecta captivitas: ita S. Hieron. Theod. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Ribera, Sanchez et alii. Quando hanc captivitatem ex Iudæa abduxerint Philisthæi, nec ex Script. nec ex Iosepho liquet. Nam quod Remigius et Hugo putant, eam contigisse in excidio Samaritæ et decem tribuum: alii, in excidio Ierusalem et Iudææ per Chaldæos: alii, tempore Achaz 2. Paral. 28. v. 17. et 18. falluntur. Hæc enim omnia contigerunt post tempora Amos: ipse enim prophetavit sub Ozia, qui fuit avus Achaz: captivitas autem hæc eius prophetiam ante-

cessit, eratque iam præterita, uti ipse hic ait. Pro *perfectam* hebr. est שְׁלֵמָה *selema*, id est, perfecta, ut vertunt Noster, Aquila, Symmach. et Theodor. Verum Septuag. aliis punctis legentes שְׁלֵמָה *seleomo*, vertunt *Satomonis*. Iam captivitas Salomonis, est captivitas Iudæorum, qui fuerunt populus et posterum Salomonis: a rege enim tam præclaro et illustri, splendorem et claritatem populi demonstrat, inquit Theod.

ET MITTAM IGNEM IN MURUM GAZÆ. Ignem, id est, eladem et stragem, vel etiam ignem proprie dictum. Minatur *Gazæ* et Philisthinis excidium per Nabuchodonosor. Hic enim Philisthæos vastavit, ut patet Ierem. 25. 20. et c. 47. v. 4. vide dicta illis locis.

SUPER TRIBUS SCELERIBUS TYRI. A Philisthæis transit ad Tyros, etisque præter tria, id est, plurima, scelera, idem quartum de Iudæis in captivitatem abductis obiicit, pœnamque eandem subiicit et intentat: NON CONVERTAM EUM. Scilicet ad gratiam et veniam, q. d. Non parcam Tyro, sed mittam ignem in eam. Eadem scelera, idemque excidium per Chaldæos intentat Tyro Isaias c. 23. Ezechiel c. 27. Ieremias c. 47. 4. vide dicta illis locis.

EO QUOD CONCLUSERINT CAPTIVITATEM PERFECTAM IN IDUMÆA. Hebr. לְעֵדוּם *leedom*, id est, ipsi Edom, q. d. Quia captivarunt omnes Iudæos, eosque vendiderunt Idumæis, qui nati sunt hostes Iudæorum, æque ac Philisthini; cum quibus aliisque vicinis gentibus conspirarunt in excidium Israelitarum, iuxta illud psal. 82. 2. *Adversus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ, Gebal, et Ammon, et Amalec, et alienigenæ (Philisthini) cum habitantibus Tyrum*: ita S. Hieron. Theod. Lyran. Hugo et alii. Porro quando hanc captivitatem intulerunt Iudæis Tyrii, ignoratur, uti de Philisthinis dixi v. 6. Albert. et Vatabl. censent enim illis intulisse, quando illi fugientes e Iudæa, ob invasionem Assyriorum et Chaldæorum, in Tyrum, quasi in asylum, a Tyriis capti et venditi sunt Idumæis. Remigius vero et Arias censent, Iudæos mercium causa venientes Tyrum a Tyriis comprehensos venditosque fuisse. Theod. autem: *Externi, inquit, Iudæi tribui vicini, continenter eum hæc bellum gerentes, quos capiebant non aliis quam Idumæis vendebant, qui illorum inimici, et maximi hostes erant.*

ET NON SINT RECORDATI FOEDERIS FRATRUM. Quod scilicet Hiram rex Tyri pepigit eum Salomone rege Iudæorum: illud enim tantum tamque æretum fuit, ut se invicem fratres nominarent, ut patet 3. Reg. c. 5. et 9. ita S. Hieron. Theodor. Hugo, et Lyran.

Aliter Vatabl. *foederis fratrum*, id est, quod debuerat esse inter fratres, puta inter Iacob et Esau, eorumque posterorum Israelitas et Idumæos, q. d. Tyrii inter fratres excitarunt odia, nimirum Idumæos concitarunt contra Iudæos, dum eis Iudæos quasi servos vendiderunt. Hoc seculus est ingens, mihi que displicens: ideoque excidio Tyri illud puniam et vindicabo.

MITTAM IGNEM IN MURUM TYRI. Ignis synecdochice, vel catachresticos quamvis pœnam, stragem et calamitatem significat, ut dixi v. 4. Hæc vastatio Tyri facta est per Nabuchodonosorem, qui post tredecim annorum obsidionem, eam expugnavit et vastavit, uti docet Ezech. c. 29. 18. et Ieremias c. 27. 3. et c. 47. 4. vide ibi dicta; ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran, et alii passim.

SUPER TRIBUS SCELERIBUS EDM. A Tyriis transit ad Idumæos, idemque scelus persecutionis Iudæorum in iis culpatur et plectitur. Cæpit enim hoc dissidium ab ipso Esau, qui ob erepta sibi primogenita a Iacobo, eum interneccio odio persecutus est: unde factum, ut odium fratrum servaretur in posteris, ait S. Hieron. nam illud eum semine propagarunt, non tam ipse, quam nepotes eius in posteris: quod tam ære et continuum fuit, ut Ps. 136. 7. Num. 20. 18. et alibi, acerbe de eo querantur propheta. Porro, quam hoc scelus Deo displicuerit, declarat hic ipse dicens: *Quod persecutus sit in gladio fratrem suum* (alludit ad Gen. 24. 41. et magis ad Num. 20. 18. ubi Idumæi armati Israelitas ex Ægypto tendentes in Chanaan, transitu prohibuerunt) *et violaverit misericordiam eius;*

Figurina, *corruptis visceribus miserationis suae*, quibus scilicet debebat fratrem suum prosequi, eiusque afflicti misereri. Septuag. *quod violaverit*  $\mu\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$  id est, *matricem*, sive vulvam matris (Hebr. enim  $\text{רַחֵם}$  *rechem*, et vulvam, et misericordiam significat, ait S. Hieron.) *in terris*. Iacob enim et Esau fuerunt gemini, et ex eadem Rebeccae matrice eodem tempore prodierunt: unde inter se dissidentes, videntur vulvam matris, ipsamque matrem violasse et lacerasse. Quocirca Romana editio Septuag. habet, *quod violaverit*  $\mu\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$  id est, *matrem*; et Symmachus, *quod violaverit viscera propria*, ut *oblivisceretur germanitatis, et obduraret viscera misericordiae, fratremque se esse nesciret, et contemneret vulvam Rebeccae, quae uno partu geminos edidisset infantes*, ait S. Hieron. Et mox tropologicè Idumaeos, id est, terrenos et sanguinarios, ait esse Iudaeos, qui persecuti sunt fratres, id est, Christum, Apostolos et Christianos. *Illi enim violaverunt misericordiam ac iura naturae, oblitique sunt matris suae Rebeccae, quae interpretatur patientia, et simul eos generavit in Christo, et dummodo nos interficiant, volunt igne comburi*. Denique Arabicus vertit, *et esurire fecerunt anxios in terra eorum, et furtim rapuerunt testimonium debitum animis eorum*.

Moral. de  
fratrum  
discordia.

Moral. Nota hic, quam displiceat Deo fratrum discordia, lites et bella, quamque severe illa puniat et vindicet. Arctissima enim in fratribus sanguinis coniunctio, iure naturae, divino et humano, summam postulat concordiam et amorem. *Frater enim dicitur, quasi fere alter*, ait Gellius l. 13. et Cic. l. 3. epist. 7. *Fratris*, ait, *officium est, erga fratrem ceu fere alterum affici*. Hinc Sallustius in Iugurtha: *Quis, ait, amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidem invenies, si tuis hostis fueris?* Quocirca Antisthenes, *fratres concordēs dicebat omni pariete esse fortiores*: ita Laert. l. 6. c. 1. Et Sapiens Prov. 18. 19. *Frater*, inquit, *qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma*. Cain fratrem Abel occidens, a Deo maledictus, tremulus, vagus fuit et profugus, Gen. 4. 14. Et Ismael, quia persecutus est fratrem Isaac, iussu Dei ab Abrahamo domo pulsus, et exheredatus est. *Ismael*, ait S. Aug. lib. 1. de Unico baptismo, et habetur dist. 56. ean. *Ismael, ut separaretur a populo Dei, non obtulit mater ancilla, Agar; sed fraterna discordia*. Pygmalion rex Tyri, quia Sichæum patruem occidit, ut eius opibus potiretur, orbis fuit probrum, de quo Virgil. 1. Aeneid.

*Pygmalion scelere ante alias immanior omnes,  
Quos inter mediis venit furor. Ille Sichæum  
Impius ante aras, atque auri caecus amore,  
Clam ferro incautum superat.*

Romulus Remum fratrem occidit, itaque, ut ait Lucan. 1. Pharsal.

*Fraterno primum maduerunt sanguine muri.*

Quocirca Horat. Epod. 7.

*Acerba, ait, fata Romanos agunt,  
Scelusque fraternæ necis,  
Ut immerentis fluxit in terram Remi,  
Sacer nepotibus cruor.*

Antiochus Epiphanes Demetrium fratris Seleuci filium, regno paterno exclusit: hinc inter utriusque posteros, continua per ducentos annos fuerunt bella, altero alterum vicissim obruncante, et pro eo regnante. Audi Plutarch. tract. de Fraterno amore: *Antiochi, Seleuci, Gryphi, Cyziceni, cum non didicissent secundo a fratribus esse loco, sed purpuras ac diademata appetere, seipsos invicem, ipsamque adeo Græciam multis calamitatibus oppleverunt*.

Iugurtha rex Numidarum, perfide fratres regno spoliavit, ideoque a Mario Consule cæsus, captusque Romæ in carcere necatus est, ut patet ex Sallustio in bello Iugurthino.

Vere Petrarca Dial. 83. *Ut ferme nullus amor æquior fraterno, sic nullum, ubi inceperit, iniquius odium, nulla acrior invidia. Sic paritas incitat animos, atque incendit, cum cedendi pudor, et amor excellentiæ ardentior, quo incubulorum recordatio, et quæcumque benevolentiam paritura viderentur, ubi semel a recto calle deflexum est, o-*

*diu et contemptum pariunt*. Et Arist. l. 7. Polit. 7. *Fratrum contentiones et iræ sunt acerbissimæ, et qui se nimium amant, hi se nimium oderunt*. Caracalla Imp. occidit fratrem Getam: ad mitigandam invidiam paritricidii, suasit ei Bassianus præfectus, ut fratrem Getam appellaret divum: *Sit, inquit, divus, dum non sit vivus*: et sic fratrem in divos retulit. *Ita regnandi cupiditas nescit iura pietatis*, inquit Spartian. Quocirca Deo vindicæ parimodo a Martiali Tribuno Caracalla obruncatus est. cum paulo ante ei in somnis apparuisset pater cum gladio, dicens: *Ut tu fratrem tuum interfecisti, ita ego te interficiam*: ita Dionys. Cassius l. 78. Histor. Romanæ.

Ex adverso amor fraternus, Dei et hominum gratiam conciliat. Cyrus apud Xenophont. lib. 8. *Qui, inquit, ex eodem semine sunt orti, et nutriti ab eadem matre, et in eadem domo adoleverunt, ab eisdem parentibus amati, eandem matrem, eundemque patrem appellant; quomodo hi non sint omnium inter se coniunctissimi?* Tales inter Ethnicos fuere Agamemnon et Menelaus, Eumenes et Atalalus, Ariamenes et Xerxes, Craterus et Antigonus, Cassander et Pirilaus, Castor et Pollux, ait Plutarch. loco citato. *Dulcior*, ait S. Chrysost. *ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat*.

Hierocles lib. de Fraternali amore: *Sicut oculi, inquit, manusque si animæ et mentis per se compotes fierent, reliquas partes omni studio curarent, propter intercedentem ipsis communionem: quoniam ne ipsæ quidem functionem suam recte administrare possunt citra præsentiam aliarum partium; ita nobis etiam qui homines sumus, et animam nos habere fatemur, omnibus viribus annitendum est, ut fratribus decenter utamur. Magis enim quam partes corporis, ad auxilium mutuum fratres compositi esse videntur, q. d. Fratres quodammodo corporis tui partes sunt, sicut oculi tui pedes, manus, etc. eos ergo dilige et iuva, uti pes iuvat manum, manus pedem. Intaphernis uxor Dario permittente ut unum ex suis eligeret, cuius vitam sibi deposceret, fratrem elegit. Rege admirante, et causam seiscitante: *Alius, inquit, maritus, alii liberi, si Deus volet, possunt contingere; alium fratrem parentibus vita functis, non est quod sperem*: ita Plutarch. loco citato, qui et addit: *Sicut, inquit, minores numeri additi maioribus, eos multiplicant, et vicissim multiplicantur ipsi; sic frater obsequens fratri cuncto ad honores, auget illius dignitatem, et vicissim ornatur illius splendore*.*

Porro Ioseph Abbas apud Cassian. collat. 16. cap. 6. *Amoris Fraternali, ait, amoris primum fundamentum est, super-*

*biam mundi contemptui habere: iniustum enim est, ut supellex vilissima pretiosissimæ rei, puta dilectioni fratris preferatur. Secundum, ut unusquisque suas rescet voluntates, ne se sapientem et consultum esse iudicans, suis malit, quam fratris definitionibus obedire. Tertium, ut sciat omnia, etiam quæ utilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis et pacis. Quartum, ut credat nec iustis, nec iniustis de causis penitus irascendum.*

Quintum, ut adversus se iracundiam fratris, etiam siue ratione conceptam, eo modo quo suam, curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam esse alterius tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam quantum in se est, de fratris etiam mente depulerit. Ita Pimenius Abbas in Vitis Patr. lib. 7. cap. 42. iussit fratribus, ut idolum lacerarent iniuriis: eumque idololum nulla iniuria moveretur: ait: *Fratres ecce septem sumus: si vultis ergo pariter manere, ut lucrum animæ faciamus, sit idolum istud nobis in exemplum, ne quando iniuriatur aliquis, irascatur: ne, quando ab eo venia petitur, gloriatur aut extollatur, quod si non ita vultis, unusquisque vadat quo vult*. Præclare S. Hier. lib. 1. in Thren. c. 3. *Ille vere et non ex parte perfectus est, qui et in eremo squalorem solitudinis, et in cænobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. Fratrum ergo et sororum concordia suavissimum edit concentum in auribus Dei et hominum, adeoque sorores concordēs sunt quasi Musæ. Nam ob benevolentiam et amorem sororium, Musæ quasi  $\mu\upsilon\sigma\epsilon\tau\alpha\iota$ , Musæ.*

Fratrum  
amor  
quantum  
bonum.

Amoris  
fraternali  
bases  
quæque.

Sorores  
concordēs  
sunt  
Musæ.

id est, simul semper degentes, nuncupantur, ait Plutarch. loco citato.

Tales Musæ divini consensus et concentus fuerunt SS. Fides, Spes et Charitas, tres filię S. Sophiæ: quæ tam sanguine, quam sanctitate ac martyrio sorores, sicut in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separatæ, quam gloriosam pro Christo obierunt die prima Augusti. Tales SS. Rufina et Secunda die 10. Iulii: tales SS. Nymphodora, Menodora et Metrodora sorores, virgines et Martyres sub Maximiano 10. Septembris: tales S. Tarsilla et Æmiliana materteræ S. Gregor. de quibus ipse hom. 28. in Evang. Tales S. Pulcheria, Placilla, Arcadia et Marina, sorores Theodosii Imp. quas S. Pulcheria in aula quasi in cœnobio educavit, secumque virginitatem Deo consecrare docuit. Ita Cedrenus, Zonaras et alii, atque ex his noster Raderus in aula Theodosii: ut merito Patres omnes in Cone. Calcedonensi, Pulcheriæ iam Augustæ, uno ore acclamarint: *Nova Helena, munimen orthodoxorum, et gloria Ecclesiarum!* Tales Musæ et Musici cælestes, fuere S. Ioannes et Paulus sub Iuliano Apostata, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos: tales S. Basilius et S. Gregor. Nyssenus: tales S. Gregorius Thaumaturgus et Athenagoras: tales S. Gregorius Nazianzenus et Cæsarius cum S. Gorgonia: tales septem fratres Machabæi 2. Machab. 7. tales septem filii S. Felicitatis, et totidem S. Symphorose, quos ardens charitas et in vita et in morte coniunxit, ac simul omnes eadem martyrii laurea decoravit: tales Godefridus Ballonius et Baldwinus eius frater, qui coniunctis animis et armis terram sanctam recuperarunt, primique Hierosolymæ reges coronati sunt: tales Iudas, Ionathas et Simon Machabæi, qui conspirantes, paucis copiis, sed unitis, numerosos Antiochi exercitus profligarunt. Funiculus triplex difficile rumpitur. Nota est Selluri historia.

**ET TENUERIT ULTRA FUREM SUUM.** ) Hebr. יטרופ *itroph*, id est, *et rapuerit*, id est, instar animalis rapacis sævierit, ait Vatabl. Septuag. vertunt, *et rapuit in testimonium horrorem suum, et impetum suum custodivit in victoriam*, id est, ut S. Hieron. legit, *in æternum*: Hebr. enim לנצח *lanetsach*, id est, *in victoriam*, idem est quod *in finem*, ut patet in inscriptione Psal. 4. 5. 6. 8. Complut. legunt εἰς νικησιον, id est, *in contemtionem*, pro εἰς νικησιον, id est, *in victoriam*. Rursum pro לעד *laed*, id est, *ultra*, vel *in sæcula*, ut vertit Syrus, vel *in æternum*, Septuag. et Arabicus legerunt לעד *laed*, id est, *in testimonium*. Noster optime *itroph* vertit, *tenuerit*; quia rapere ultra furem suum, Hebræis idem est, quod eum servare et retinere, nimirum ex furore rapere, sævire et lacerare prædam, vel hostem: vel rapere furem ultra metas humanitatis, et inhumaniter sævire. Unde Marinus in Lexico vertit, *eo quod laceravit in æternum furore suo*. Denique Hebr. אפו *appo*, et furem, ut vertit noster, et horrorem, ut vertunt Septuag. significat: atque עברה *ebra*, tam indignationem, ut vertit Noster, quam impetum, ut vertunt Septuag. denotat. Ita S. Hieron.

Vers. 12. **MITTAM IGNEM.** ) Per Chaldaeos et Nabuchodonosorem, ut patet Jerem. c. 23. 27. et Ezech. 27.

**THEMAN.** ) Urbs est et regio Idumææ, cuius rex fuit Eliphaz amicus Iob, qui inde dietus est Themanites: distat a Petra urbe Arabiæ quinque millibus passuum. In hac urbe vixit studium sapientiæ, ut patet Baruch 3. 22. Tempore S. Hieronymi villa erat. Ita ipse in Locis Hebr. Borchardus, Bredemb. et alii in Descript. terræ sanctæ.

**BOSRA.** ) Urbs est in Idumæa, non longe a Theman, ita dicta a firmissima munitione, vel arce. *Bosra* enim hebr. idem est quod *munita*. Est alia Bosra in Arabia, et tertia in Moab. Est synecdoche: a parte enim præcipua, totam Idumæam intelligit.

Vers. 15. **SUPER TRIBUS SCELERIBUS FILIORUM AMMON.** ) Ab Idumæis transit ad Ammonitas, eodem stylo et censura. Ammon fuit filius Loth, nolius ex eius incestu cum filia: inde prognati dieti sunt filii Ammon, vel Ammonitæ: habitarunt in Arabia: metropolis eorum erat Rabba, quæ postea dicta est Philadelpchia: ita S. Hier. et Theodor.

**A** **EO QUOD DISSECUERIT PRÆGNANTES** (Syrus et Arabicus, *ventres prægnantium*; Arabicus vero Antioch. *quia scriis ferreis secabant prægnantes*) GALAAD. ) Ne scilicet ex matribus prævidis filii nascerentur, qui terram occuparent: sed hæredibus et incolis deficientibus, ipsi terrarum invaderent et occuparent. Unde sequitur: *Ad dilatandum terminos suos*. Idem avaritiæ crimen et cupidinem dilatandi suos terminos, obiicit Ammonitis Jeremias c. 49. 1. *Numquid, ait, non filii sunt Israel, aut hæres non est ei? cur igitur hæreditate possedit rex eorum Gad, et populus eius in urbibus eius habitavit?* ita Theod. Remig. Hugo, et Liran. ac S. Hieron. qui censet Ammonitas dissecuisse prægnantes Israel eo tempore, quo regnabat Saul, cum scilicet Naas rex Ammon vastavit Iabes Galaad, 1. Reg. 11. licet ibi dissectionis prægnantium non fiat mentio. Nota. Pro *prægnantes*, hebr. est הררת *harot*, quod si ab הררה *hara*, id est, *concepit*, deducas, significat *prægnantes*; si ab הר *har*, id est, *mons*, significat *montes*. Unde Arias, Vatabl. et Pagnin. vertunt, *eo quod dissecuerunt montes Galaad*, ut scilicet ditiohem tramontanam Galaaditarum suæ coniungerent: verum Septuag. Chald. Noster. Tigurina et alii iam citati, vertunt *prægnantes*. Hoc enim est quartum enorme scelus, ob quod Ammonitæ a Deo excidio destinantur. Dividere autem montes non est enorme scelus; sed dividere, sive secare prægnantes, nisi fecit Azael rex Syriæ Israelitis gravidis, 4. Reg. 15. 16.

Symbol. Vallalpando in Ezech. 24. 14. *Prægnantes, ait, vocantur civitates munitæ et populosæ; has enim merito prægnantibus compares, utpote populis plenas.*

Tropolog. S. Gregor. 3. p. Pastor. c. 23. *Galaad, inquit, id est, acervus testimonii, est Ecclesia, quæ ore eunctorum fidelium de Deo, quæ vera sunt testatur. Prægnantes autem Galaad vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, et si ad perfectum tempus veniant, ante partum animæ intelligentiam, boni operis ostensione parituræ sunt. Terminum vero suum dilatare, est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum: quia nimirum hæretici mentes fidelium, quæ iam aliquid de veritate intellectu conceperant, perversa prædicatione perimunt, et scientiæ sibi nomen extendunt: parvulorum quippe corda iam de verbi conceptione gravida, erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi nomen faciunt.* Sic et S. Hieronymus: *Prægnantes, ait, sunt animæ credentes, quæ in principio fidei possunt dicere: A timore tuo Domine concepimus, et parturivimus, etc.* Notent hæc illi, qui pusillos scandalizant, atque eos qui parturiunt meliorem vitam, seducunt, et partum spirituales impediunt. Hi enim sunt homicidæ, non corporum, sed animarum, ac ut tales horrende a Deo punientur, qui hanc animarum a se creaturarum et redemptarum ruinam ita sentit, sicut sentit mater dolorem, cum eius disrumpuntur viscera, ut fœtus tradatur lacerandus canibus. Ipse enim de suis ait: *Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, Isaie 46. 3.*

**D** **IN ULULATU IN DIE BELLI.** Ululatum tum tubarum, tum militum confligentium, ac victorum et occisorum, acque ac vincientium intellige. Hinc Tigurina vertit, *in classico in die belli*; Vatabl. *in vociferatione*, quæ scilicet fit sub conflictum. **ET IN TURBINE.** ) Tigur. *in tempestate*, id est, in valido impetu, in horribili incursu hostium. Hunc enim comparat turbini, qui rapit et ventilat paleas, acque ac hostes hi ventilatori erant Ammonitas. Hostes hi fuere Chaldaei, ut patet Ezech. 21. 20. Jerem. 27. 6. Ita S. Hieron. Theod. Remig. Hugo et alii. Postea rursum vastati sunt Ammonitæ sub Antiocho a Iuda Machabæo, 1. Machab. 5. 6.

Ubi Nota ex Iosepho. Nabuchodonosor anno 28. regni sui, qui fuit undecimus Sedeciæ regis Iuda, cepit et vastavit Ierusalem: deinde quinto anno post, puta anno regni sui 23. vastavit Ammonitas, Moabitas, Idumæos, cepitque obsidere Tyrum, quam post 13. annos expugnavit, anno regni sui 35. uti ostendi Daniel. c. 2. initio.

**ET IBIT MELCHOM IN CAPTIVITATEM.** ) Melchom, sive

Melech, vel Moloch, erat idolum Ammonitarum, speciem habens regis, puta Iovis. Unde *Melchom* hebr. idem est quod *rex eorum*, ut vertit Chald. et Vatabl. Quis fuerit Melchom, an Iupiter, an Saturnus, dixi Levit. 18. 21. Septuag. in Vaticano, et apud S. Hieron. habent: *Et ibunt reges eorum in captivitate, principes eorum, et sacerdotes eorum simul*. Hæc de littera: nunc tropologiam totius capituli accipe.

Tropol. totius capituli.  
Per hæc septem gentes, quæ persecutæ sunt Iudam, id est, animam et populum fidelem, significantur septem vitia capitalia, puta Primo, per Damaseum (quæ hebr. idem est quod sanguinis saccus, vel sanguinem potans) gula et gulosi, qui toti in carne et sanguine volutantur. Secundo, per Gazam avaritia et avari, quorum totum robur est in gaza, id est, in auro et argento. Idem significat *Ascalon*, id est, ut vertit S. Hieron. in Nomin. Hebr. in Acta, *ignis insanus*, ubi corrige, *ignis infamis*: *Ux* enim est *ignis*, קלון *kalon* est *infamia*. Idem significat *Accaron*, id est, *sterilitas* (hanc enim parit avaritia) vel *eradicatio* (male in S. Hieron. in Nom. Hebr. in Iosue legitur *eruditio*) *tristitiæ*, ait S. Hieron. hic. Tertio, per Tyrum superbia et superbi: Tyrus enim superba in mari eminebat quasi arx. Quarto, per Edom, id est, sanguin-

arium, ira et iracundi, qui in verba, verbera et cædes prorumpunt. Quinto, per Ammon, libido et libidinosi: Ammon enim ex incestu Loth cum filia natus est. Sexto, per Moab, de quo cap. sequenti v. 1. invidia et invidi: Moab enim idem est quod *de patre*: quia ipse patris sui ex filia fuit filius, simul et nepos; ac consequenter Loth ei fuit tam avus, quam pater. Sic invidi fratres excludunt, eorumque locum, opes et nomen sibi arrogat, periude ac nepotes non raro excludunt patruos, imo fratres et parentes suos ab avita hæreditate. Septimo, Israel sunt acedia et acedi, qui ex pigritia ad paupertatem redacti, vendunt pro argento iustum, et pauperem pro calceamentis, uti de iis dicitur c. 2. v. 6.

Cuiusque horum quatuor scelera sunt, quatuor gradus vitii cuiusque: scilicet primus est, peccatum voluntatis; secundus, operationis; tertius, consuetudinis; quartus, gloriationis, uti dixi vers. 3. ex S. Hieronymo et Ruperto. Hosce omnes Deus disperdet in die iudicii, mittetque in ignem gehennæ, eo quod pios persecuti sint, et sedus fratrum ruperint, suscitando bellum inter carnem et spiritum, imo faciendo ut caro incarceraret et opprimeret spiritum, cui quasi frater, imo quasi servus obsequi et servire debuerat.

## C A P U T S E C U N D U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Ob tria et quatuor scelera Moab v. 4. et Iudæ v. 4. et Israelis v. 6. cladem et excidium intentat, ac deinceps Israeli pergit exprobrare ingratitude, eo quod cum Chananæam, expulsis Chananæis, dono a Deo accepit, insuper Prophetas et Nazaræos, iis tamen ingrate contra Deum, Deique iussum abusus sit. Unde minans subdit vers. 15. Ecce ego stridebo subter vos, etc.*

1. **H**ÆC dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum: eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem. 2. Et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth: et morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ: 3. Et disperdam iudicem de medio eius, et omnes principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus. 4. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Iuda, et super quatuor non convertam eum: eo quod abiecerit legem Domini, et mandata eius non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum. 5. Et mittam ignem in Iuda, et devorabit ædes Ierusalem. 6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento iustum, et pauperem pro calceamentis. 7. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant: et filius æ pater eius ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. 8. Et super vestimentis pignoris accubuerunt iuxta omne altare: et vinum damnatorum bibebat in domo Dei sui. 9. Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, et fortis ipse quasi quercus: et contrivi fructum eius desuper, et radices eius subter. 10. Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi. 11. Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de iuvenibus vestris Nazaræos: numquid non ita est lili Israel, dicit Dominus? 12. Et propinabitis Nazaræis vinum: et prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis. 13. Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plastrum onustum fœno. 14. Et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam: 15. Et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam: 16. Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.

Vers. 1. **SUPER TRIBUS SCELERIBUS MOAB.**) Cap. 1. quatuor gentium quatuor scelera arguit, eisque punitionem meritam intentavit; nunc hoc capite tres alias gentes subnequit, puta Moab, Israel et Iuda, iisque singulis eodem schemate tutidem scelera obiicit, et similem pœnam comminatur.

**EO QUOD INCENDERIT (MOAB) OSSA REGIS IDUMÆÆ**) R. David, Clarius, et Arias censent, hunc regem fuisse filium regis Idumææ, qui a Mesa rege Moab in conflictu captus eo tempore, quo Mesa pugnabat contra Iosaphat regem Iuda, et contra regem Edom regemque Israel; quem tandem Mesa a tribus hisce regibus obsessus, et ad extrema redactus, ex ira et desperatione maectavit et obtulit diis suis, eumque quasi catharma et piaculum cum ossibus coneremavit, et in cineres redegit in conspectu patris urbem obsidentis: quo facto pater, puta rex Edom, indignans regi Israel, quod eum ad hoc bellum excitasset, quo in conspectu suo filius maectabatur et ere-

mabatur, fœdus abruptit, et domum rediit, idque censent significari illis verbis 4. Reg. 3. 27. *Accipiensque (rex Moab) filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, ubi et filium suum, exponunt filium eius, scilicet regis Edom*: Hebr. enim *vau*, quæ est nota pronominis affixi, tam cum, quam suum significat. Verum Septuag. Chald. Hebræi, S. Hieron. Ruffin. Rupert. Lyran. Abulensis, Burgensis, Caietan. Vatabl. Pagnin. quin et Philo Biblius, vetus Phœnicum historicus apud Euseb. l. 4. Præpar. Evang. ac Iosephus l. 9. Antiq. e. 3. tradunt regem Moab 4. Reg. 3. immolasse filium suum, id est, proprium, non alienum, puta regis Edom. Cur id fecerit, varias causas afferunt Abul. 4. Reg. 3. et Perer. tom. 3. in Genes. c. 22. n. 98. Melius ergo Hebræi, S. Hieron. Rullinus, Remigius, Albert. Hugo, Lyran. et Pererius loco iam citato, Ribera et a Castro censent, hunc fuisse summum regem Idumææ, qui cum Iosaphat et Ioram pugnavit, contra Moabitas, cosque ob-

sidens in tantam desperationem cogit, ut rex Moab filium proprium diis suis immolaret, ut eorum opem in tanta necessitate imploraret et impetraret. Quocirca Moabitas tanto in regem Idumæe odio exarsisse, ut eius postea mortui et sepulti ossa effoderint, cremarint et redegerint in cineres. Addunt aliqui, Moabitas ex his cineribus calcem fecisse, eaque domos suas oblinivisse, ut perenne odium in regem Edom testarentur. Unde Chald. vertit, *eo quod combusserit ossa regis Idumæe, et obtinierit eis quasi calcem domum suam.* Et Hebr. נָשִׂיד *lassid*, tam in calcem, quam in cineres, verti potest. Unde et Syrus vertit, *eo quod incenderit ossa regis Idumæe usque ad calcem, vel cinerem.* Quo præcise tempore et anno id fecerint Moabitæ, non narrat Scriptura, nec Iosephus: sufficit ex hoc loco Amos constare, id contigisse, et tempore Amos fuisse rem omnibus notam et celebrem: erant enim crebra bella inter regem Moab et Edom, ob viciniam et confinia: et in aliquo horum victor Moab hanc iniuriam et ignominiam intulit regi Edom.

Porro minatur hic Deus, se Moabitarum odia et crudelitatem in ossa regis Edom exercitum puniturum, ut ostendat se non tantum Iudæorum, sed et aliarum gentium esse Deum creatorem, provisorem et vindicem, ut quasi talis ab omnibus agnoscat, timeatur et colatur. Porro inhumanum est et probrosum valde exhumare mortuos, et illorum insultare cineribus: tum quia honor sepulcri sunt ultima iusta naturæ, quæ defunctis decrevit volorum pietas apud omnes pene gentes: tum quia hoc est cum mortuis dimicare, et eos rursus quasi interficere: tum quia animæ fit iniuria cum eius corpus inhonoratur. Unde Gentiles sepulera dicabant et sæpe inscribebant *Diis manibus.* Hinc pessime apud omnes audivit Cambyzes teste Herodoto lib. 3. qui Amasis regis Ægypti iam defuncti effodit cadaver, illudque flagris cædi, vellicari, et stimulis pungi iussit. Crudelis Sylla C. Marii ossa effossa dispersit; quod ne sibi iure talionis fieret, iussit se post mortem cremari. Idem eandem ob causam secuti sunt Romani, ut docet Plin. lib. 7. c. 43. Quin et Scythæ cætera despicientes, cum Darius eis metum vel inertiam exprobraret, quod bellum declinarent, responderunt ipsum cogniturum animos et vires Scytharum, cum ad parentum suorum sepulera venissent: pro iis enim se usque ad mortem præliaturos: ita Valer. l. 3. c. 4. Hæc de causa Deus impio Ieroboam, aliisque regibus Israel idololatris, quasi pœnam extremam minatur, quod ossa eorum sepulcri eruta proicienda sint canibus, Ier. 8. 1. et Baruc. 2. 24.

Hinc moraliter discere, quantum nefas sit mortuorum famam lacerare: fama enim pluris est quam ossa: ossa laniant canes, famam detractores: canini ergo sunt, et crudeliores canibus: ita Sanchez.

Vers. 2. **MITTAM IGNEM IN MOAB.** ) Per Nabuchodonosorem, qui quasi flagellum gentium omnium in manu Dei, quinto anno post excisam Hierosolymam percussit et vastavit tam Moabitas, quam Ammonitas, teste Iosepho libr. 10. Antiq. c. 11.

**ET DEVORABIT ÆDES CARIOTH.** ) Aliqui *Carioth* accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, vertuntque, *urbes*; קריה *kiria* enim in singulari est urbs: inde *carioth* in plurali vocantur urbes. Unde Sept. vertunt, *fundamenta urbium suarum disperdet*; sic et Chaldæus.

Melius Noster, *Tigurina* et alii, *Carioth* accipiunt ut nomen proprium urbis et metropolis Moab. Sic enim accipit Ieremias cap. 48. 21. Forte urbs hæc ab amplitudine dicta est *Carioth*, eo quod urbes plures in se complecteretur, uti Praga, Craecovia, Leodium, Parisii, tres imo plures urbes in se continent.

**ET MORIETUR IN SONITU MOAB.** ) *Tigurina*, in *fremitu*, q. d. In strepitu horrono expugnationis urbis *Carioth*, et cæterarum Moabitarum occidentur et morientur Moabitæ: ita Vatabl. unde explicans addit: *In clangore tubæ*, q. d. Tubis clangentibus, armis personantibus, et hostilibus vociferantibus cædentur Moabitæ, magno terrore et horrore.

Vers. 4. **SUPER TRIBUS SCELERIBUS IUDÆ.** ) A Gentibus transit

A ad Iudam ( id est, ad duas tribus, Iudam et Benjamin ) qui gentium idololatriam et scelera imitatus est, imo superavit, ideoque ei excidium per eundem Nabuchodonosorem et Chaldæos comminatur.

Tropol. S. Hieron. *Avarus*, inquit, *aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem et Beelphegor colit: lasciva mulier, quæ cum sit in deliciis, mortua est, adorat veneras voluptates.* Hæc sunt idola Iudæ, id est, fidelium et Christianorum.

**SUPER TRIBUS SCELERIBUS ISRAEL.** ) A Iuda transit ad Vers. 6. Israel, id est, ad decem reliquas tribus, quarum caput erat Samaria; easque pariter arguit et plectit ob tria, id est, multa scelera, et ob quatuor, id est, quartum, quod est crudelitas et oppressio pauperum, nimirum, *eo quod vendiderit pro argento iustum et pauperem.*

R. Samuel Marochianus tract. de Adventu Messie c. 6. et ex eo Galatin. l. 4. c. 24. et Adrianus Finus l. 6. Flagelli Iudæorum c. 47. censent quartum scelus fuisse, quod Christum, qui iustus fuit per excellentiam et antonomasiam, vendiderint triginta argenteis. Primum, inquit, scelus fuit, quod vendiderint Ioseph, Genes. 37. 28. propter quod puniti sunt captivitate Ægyptiaca. Secundum, quod Davidem, et in eo Christum spreverint, dicentes: *Nou est nobis pars in David*: atque adoraverint vitulos aureos, propter quod puniti sunt captivitate Assyriaca. Tertium, quod filios suos immolarint Moloch et idolis, ac Prophetas eos arguentes occiderint, propter quod puniti sunt captivitate Babyloica. Quartum, quod Christum vendiderint et occiderint, propter quod plane excisi, et desolatione semper duratura vastati sunt a Tito et Romanis. Verum obstat, quod Christus non ab Israele, utpote iam abducto in Assyriam, sed a Iuda venditus, et occisus sit, quocirca potius Iudæ, quam Israeli, hoc scelus ascribendum fuisset. Adde, quod tempore Christi nec Iudæi, nec Israelitæ coluerunt idola, quæ hic v. 4. in Iuda arguit Propheta. Ad litteram ergo loquitur de quolibet iusto et paupere, ab Israelitis iniuste vendito et oppresso: sed quia inter hos excelluit Christus, quem Prophetae habent pro scopo, hinc ad Christum quoque videtur acies Prophetae finaliter dirigi. Primo enim Prophetae taxant scelera sui sæculi, deinde sub iis taxant similia posterorum erimina, maxime committenda tempore Christi contra ipsum Christum: Prophetae enim omnibus temporibus scripserunt hæc oracula. Unde et inter septem gentium scelera, Amos hoc ponit ultimum, quasi maximum: tale enim est venditio et occisio Christi; præsertim quia non legimus Israelitas alio tempore quam Christi, vendidisse iustum et pauperem vere et proprie. Porro hoc fuit scelus tam Israelis, quam Iudæ: quia post vastatam ab Assyriis Samariam, Israelitæ cladi superstites fugerunt Hierosolymam, et cum Iuda commisti coaluerunt in unam gentem. Nam ab olim, puta a Patriarcha Iacob, Israel et Iuda, id est, decem tribus et duæ, fuerunt quasi fratres: quocirca scelera hic Israeli ascripta, ad Iudam quoque pertinent. Quartum enim scelus Damasci, et cæterarum gentium, hic assignatur crudelitas: ergo eadem Iudæ quoque assignanda videbitur: cumque in oraculo Iudæ v. 4. illa non inveniatur, ex onere Israelis hoc versu mutuanda est. Id clarius patebit cap. 3. v. 1. ubi S. Hieron. et alii passim, per filios Israel intelligunt tam duas, quam decem tribus: Israeli tamen potius, quam Iudæ ascribit eam Amos: quia ipse directe et proprie a Deo missus fuit ad Israellem, non ad Iudam, ac prophetavit in Samaria et Bethel, non in Iudæa et Hierosolyma; unde in sequentibus pergit prophetare contra Israellem. Israelis ergo onus ultimo ponit, illudque aggravat, ut de eo continua serie prophetet.

Sensus ergo est, q. d. Quartum et gravissimum scelus Israelis est, *quod vendiderit pro argento iustum*, id est, iustum iustorum, puta pauperum innocentiam, causam et substantiam, ut eam in iudicio adiudicaret divitibus, propter pecunias et munera accepta ab eis, qui illos illo-rumque bona iniuste invadebant, et a iudice sibi dari deposebant. Venditio ergo hæc iustorum tempore Amos, non fuit ipsorummet iustorum, ut censuit Bemig. hoc e-

nim eos fecisse nusquam legimus, sed prædiorum et opum eorumdem, qua scilicet donis iudici oblati pervertebant iudicium, ac emebant ab eo sententiam iniustam, per quam ipse eis adiudicabat bona pauperum: ita Chald. S. Hieron. Albert. Lyran. Clarius, Arias, Vatabl. Ribera et a Castro. Proprie vero quartum hoc seclus Iudæ et Israelis est, quod vendiderit, id est, venditurus sit pro argento, puta pro triginta argenteis, iustum, scilicet Christum, qui antonomastice est iustus, quia Sanctus sanctorum. Christo enim proprie singula hæc verba competunt, et non alteri; et ad Christum, quasi ad scopum et amorem suum, data vel levi occasione et similitudine, subito avolare solent Prophetæ. Est ergo hic duplex sensus isque litteralis; vel potius prior de iustis quibuslibet tempore Amos litteralis, posterior de Christo allegoricus. Denique Arabicus vertit, *co quod posuerunt contra veritatem pro argento et vestimentis*, q. d. Quia veritatem et iustitiam vendiderunt argento, et calceamentis, hoc est, vilissimo pretio.

**ET PAUPEREM PRO CALCEAMENTIS.** ) Hebr. est duale **נָחָלַיִם** *nahalaim*, id est, pro duobus calceis, sive pro pari calceorum. Perperam R. Salomon, et ex eo Lyran. vertit, *pro clausuris*, q. d. Sepem qua pauper claudebat agrum, cogebat dives dirui; ut eius agrum invaderet, et suo qui vicinus erat, copularet. Nam Septuag. Chald. et alii passim, *nahalaim* vertunt calceos: Remigius proprie id accipit, censetque Israelitis vendidisse pauperes in servos vicinis gentibus, vel ipsis etiam Israelitis, idque vilissimo pretio, puta pro pari calceamentorum. Hoc seclus in Iure vocatur *plagium*, quo scilicet homo liber rapitur venditurque in mancipium; quod proinde lege divina morte punitur, Exodi 21. 15. *Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.* Lege vero civili, puta lege Flavia, punitur verberibus et plagis, a quibus reus dictus est plagarius, et crimen plagium. Verum hoc iam refutari, neque verisimile est hominem liberum ab eis tam vili pretio, puta duobus calceis, venditum fuisse.

Melius ergo alii censent, pauperem hic dici venditum, eo quod eius ius, causa et substantia sit vendita. Sic enim vulgo dicimus hominem vendi, dum in iudicio, vel extra iudicium eius status vel iura venduntur: ita S. Hieronym. Clarius, Vatabl. Arias, et alii paulo ante citati. Nota adagium, *pro calceamentis*, id est, exiguo et vili pretio. Sic vulgo etiamnum dicitur: Non plus eum facio quam meos calceos: tanti eum æstimo, quanti veteres calceos: pro calceis istud dabo: ita S. Hieron. Sic Christus a Iudæis venditus est vili pretio, puta triginta argenteis, qui totidem florenos Brabanticos, ut aliqui; vel, ut alii, dimidiam eorum partem, puta quindecim flor. Brabant. conficiunt: florenus Brabantiensis continet quatuor Julios: quindecim ergo floreni faciunt sexaginta Julios, puta quinque aureos. Annon hoc vile pretium, quo Dominus universorum æstimatus et venditus est? Minus recte Theodor. sic exponit, q. d. Iudices, Advocati et Procuratores, ita affligebant pauperes causam suam agentes, ut cum non haberent quod pro stipendio eis solverent, sordida avaritia et tyrannide calceos eis exuerent, et raperent. Et Clarius, q. d. Dives invadens agrum pauperis, cogebat illum renunciare iuri suo extracto calceo, iuxta morem Israelitarum, qui narratur Ruth 4. 7. Denique Arabicus vertit, *fecerunt pauperem loco calceamentorum*, hoc est, vili æstimarunt, non plus fecerunt quam veteres calceos, ut vulgo dicitur.

Vers. 7. **QUI CONTERUNT SUPER PULVEREM TERRÆ CAPITA PAUPERUM.** ) q. d. Deprimunt pauperes in iudicio, ut causa cadant; quin et extra iudicium eosdem deiciunt et conculcant, æque ac conculcatur mancipium, vel bestia, quæ in pulverem deficitur, ibique caput et capillos opplet luto et pulvere, ut videatur tota esse pulverulenta: ita S. Hieron. Notat divitum fastum et sævitiam in pauperes. Nam ut recte advertit P. Pineda l. 6. de Rebus Salomon. c. 20. numer. 14. apud insolentissimos divites Israelis res non erat insolens, ut obvios pauperes pro libidine pessumda-

rent, et iniecto opprimerent pede, ac tantum non suffocarent, animamque extorquerent. Unde Septuag. vertunt, *conculcabant super pulverem terræ, et pugnis percutiebant in capite mendicium*: Vatabl. vero et Tigurina, *anhebant super pulverem terræ in caput tenuium*, q. d. Desiderant opprimere pauperes, quos libenter vident proici in terram et luto oppleri; Chald. *qui contemunt quasi pulverem terræ caput mendicorum*; alii, *qui absorbent quasi pulverem terræ caput pauperum*. Hebr. enim **פָּשַׁע** *sciaph* significat respirare, attrahere, anhelare, optare, inhiare, absorbere: ita Pagnin. Marinus, Forsterus, et alii in Lexicis.

**ET VIAM HUMILIUM DECLINANT.** ) q. d. *Viam*, id est, ius, rem et causam pauperum in iudicio ob munera subvertunt, litemque et victoriam diviti muneris danti trahebunt: ita Theodor. Vatabl. et Arias. Unde Chald. vertit, *et ius obscuriorum pervertunt*. Secundo, generalius, q. d. *Viam*, id est, consilia, instituta, conatus pauperum subvertunt, eosque cogunt in cæpto desistere, illisque sua potentia et iniquitate omnis boui aditum et viam præcludunt. Tertio, simplicius, et magis connexe ad præcedentia: *viam humilium*, id est, humiles et pauperes viatores, ut sit hypallage, *declinant*, id est, deiciunt, et in terram prosternunt, ac conculcant. Hoc enim apte respondet priori hemistichio, quo dixit: *Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum*. Solent enim Hebræi, in rhythmis præsertim et carminibus, posteriori hemistichio idem aut quasi idem dicere, quod dixerant priori. Simile est Job 24. 3. *Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ.* Ubi vide P. Pinedam, qui decem expositiones illius æque ac huius loci affert. Aliter S. Hier. q. d. *In tantum elevantur superbia, ut nolint cum humilibus ambulare vel agere*; et Lyranus, q. d. Cum in via occurrunt pauperi, ex fastu cogunt eum sibi cedere, et de via declinare. Mystice Albertus, q. d. Pauperum bona diripiunt, itaque cogunt eos vel per impatientiam, vel per indigentiam a via virtutis et iustitiæ declinare ad furta, Caliaque scelera, ut victum sibi comparent. Primus sensus est litteralis et genuinus: *viam* enim in Script. sæpe rem, negotium, ius et causam significat.

Notent hæc iudices et advocati, qui pauperes opprimunt, **Moral. ad** eum ex iuramento eos tueri, imo ex officio causam eorum **Advoca-** gratis agere teneantur. Audiant fulmen Dei Deut. 27. 19. **Advoca-** *Maledictus qui pervertit iudicium advenæ, et pupilli, et tos iura* **perver-** *viduæ. Et dicit omnis populus: Amen.* Recte S. Ambros. **perver-** *in sermon. Iuste Advocato dicitur: Redde quod accepisti, quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuiti, iudicem fefellisti, iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* Cassiod. in psal. 73. *Hi, ait, sunt in convivii scurræ, in exactionibus harpyiæ, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Hi sunt, quorum si naves afflaverit cuiusquam rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic oculos Argi, et manus Briarei, et Sphyngarum unguis, et perinuria Laomedontis, Ulyssis argutias, Sinonius fallacias, fidem Polymnestoris, et pictatem pigri Leonis adhiberi.* Et Alanus lib. de Conquestione naturæ: *Si quis armatus est pecunia, tanquam loriceis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgur incursus Hectori, robur virtutis Herculeæ, versipelles Ulyssis vilipendit astutias. In tantum enim habendi fames incanduit, ut Dialecticæ muta sit subtilitas, Alletoricæ languescat civilitas, ubi nummorum perorat pluralitas. Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universis.* Hæc de rabulis litigiosis, avaris et iniquis: veri enim Advocati Iuris tutores, pauperum patroni, novi Ivores sunt.

**ET FILIUS, AC PATEH EIUS IERUNT AD PUELLAM,** eandem, ut habent Sept. Notat Israelitarum incestum, quod filius soerum, id est, uxore patris, vel potius pater nuru, id est uxore filii abuteretur, inquit S. Hier. Remig. Hugo et Lyran. Aut certe eandem puellam et meretricem haberet uterque pro concubina: itaque **VIOLARE NOMEN SANCTUM DEI.** ) Exponendo illud infamiae et ludibrio Gentibus, dicentibus: Ecce quam spurci et obsceni sunt Israelitæ; quam spurca ergo eorum fides et religio sit oportet.



let: et qualis eorum Deus, qui ista tolerat, nec punit! Huius blasphemie causam dabant suo incestu Israelitæ.

Vers. 8.

ET SUPER VESTIMENTIS PIGNORATIS ACCUBUERUNT IUXTA OMNE ALTARE. ) Israelitæ cenaturi, vel convivatori non sedebant ad mensam, sed iuxta eam discumbebant, id est, facebant in lectulis, qui inde cenatorii dicebantur. Ita discubuit in lectulo Christus in domo Simonis leprosi, cum a tergo ei Magdalena pedes lacrymis suis lavit. Taxat ergo eos quod immolantes victimas vitulis aureis in Dan et Bethel, ex iisque deinde iuxta altare epulantes, discumberent in lectulis et vectibus, quas a pauperibus præsertim nolentibus edere vitulos, vi extorserant, quasi pignora pro debitis: aut quod iis divenditis ex pretio victimam et epulum instruerent: unde ad illud accumbentes, censebantur ad vestes pauperum pignoras discumbere, et super iis epulari; eum tamen Deus inisset pignus pauperi ante noctem reddi, Deuteron. 24. 12. ita Hebræi, et ex eis S. Hieronym. Lyran. et Vatabl. Peccabant ergo dupliciter. Primo, quod has vestes eriperent pauperi; secundo, quod iis colerent idola: B

Aliter Septuag. qui per accubitum intelligunt concubitum: Vestimenta, inquit, eorum ligantes funibus, περιεπιετασματα, id est, velamina, faciebant adhaerentia altari, ut nemo eos ibi in idolo concumbentes et fornicantes videret. Sic enim Beelphegor colebat fornicando iuxta eius idolum et altare, ut patet Num. 25. 1. ita Sept. explicat S. Hieron. et Theodor. Unde Syrus et Arabicus vertunt, colligaverunt vestimenta sua funibus, et fecerunt inaccessus coram templo meo, et biberunt vinum cum lusu in domo decorum suorum.

Denique Clarius censet, eos dormiendo in vestibus hisce in pignus acceptis captasse oraculum, uti Graeci dormientes in pelle arietis Iovi immolati, captabant eius responsum, teste Herodoto l. 8. Talia fuerant lectisternia Gentilium in fano Serapidis, Æsculapii, Podalyrii et aliorum, quibus incumbentes somnia captabant, de quibus P. Delrio Disquisit. Magic. lib. 4. c. 3. q. 6. Huc accedit explicatio Martini de Roa l. 2. Singul. cap. 9. qui per vestes pignoras accipit sacras, quibus se suis diis devovebant et consecrabant. Erant hæ vestes, inquit, quæ quasi pignus devotionis, aut initiationis, diis consecrabantur; aut quæ ipsi initiati devotique tamquam insigne eius numinis, cui sese dicaverant, gestabant. Sic ait Cicero Philipp. 14. Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet, id est, tamquam suum, sibi que devotum et debitum usurpare. Et Svelon. in Claudio c. 10. Primus Caesarum, inquit, fidem militis etiam præmio pigneratus, id est, quasi pignore sibi obligans. Et Seneca lib. 3. de Benef. cap. 4. Nemo non victurum in animo suo memoriam dixit, nemo non deditum se et devotum professus est, et si quod aliud humiliter verbum, quo se oppigneraret, invenit, id est, quo se illi consecratum aut devotum significaret. Simili modo erant hæ vestes diis eorum oppigneratæ, per easque se ipsos diis suis oppignerabant et devovebant. Subdit tamen Roa, pignora hic potius iudicialia significari, quæ iuris peritis ea dicuntur, in quorum possessionem quis a iudice mittitur: sive quæ aliquo iure cuiuspiam adiudicata attributaque sunt, esto iniuste, uti hic fiebat. Ergo vestis pignorata non est aliud quam vestis damnatorum, ut vinum etiam damnatorum, de quo sequitur.

ET VINUM DAMNATORUM ( quos per calumniam et vim damnarant ad spoliū, vel ad mortem. Unde Sept. vertunt, vinum de calumniis bibebant; Chald. bibebant vinum rapinæ, utique expressum ex oppressione et conculcatione pauperum ) BIBEBANT IN DOMO DEI SUI. ) q. d. Pauperes, præsertim Dei veri cultores, nec in Dan et Bethel, sed in Jerusalem sacrificantes, calumniis et falsis testibus circumventos damnabant, bonisque mulctabant, ex quibus instituebant symposia, seque inebriabant in suis idoliis, quasi hæ idololatria, calumnia, rapina et ebrietate deos suos honoraturi, et Deum verum Iudæorum offensuri: ita S. Hieron. Theodor. Lyran. et Vatabl. Paulo aliter P. Prado in Ezech. 23. 31. Bibebant, ait, vinum damna-

torum, id est, vinum generosum, delicatum, pretiosum, quale propinquant solet domesticis a familiaribus et amicis, ut animosius tolerent cruciatos, et supremum mortis agonem; quasi sola gula et ebrietas hic eis improprietur. Verum prior sensus simplicior, plenior et nervosior est. Simile seclis impiis improprietur Iob c. 21. 6. Agrum, ait, non suum demelunt, et vineam eius quem vi oppresserunt vindemiant, uti fecit Achab in agro Naboth, 3. Reg. 21. Porro ex damnatorum bonis olim diis sacrificari consuevisse, docet Servius in illud Æneid. 4.

Simul Divum templis indicit honorem.

Indici, inquit, dicuntur, quia paupertas maiorum ex colatione sacrificabat, aut certe de bonis damnatorum: unde et supplicia dicuntur. Ac D. Isidorus l. 6. ex Festo: Supplicationes, ait, quæ sunt de bonis passorum supplicia. Hinc etiam sacer homo, sacra bona, et sacrum pro execrando sumptum, quia sacræ res de bonis execrandorum fiebant. Audi rursus Isidorum, et ex eo Martinum de Roa lib. 2. Singular. cap. 9. Supplicium proprie dicitur, non qui quoquo modo punitur, sed ita damnatur, ut bona eius consecrentur, et in publicum redigantur. Nam supplicia dicebantur supplicamenta, et supplicium dicitur de cuius damnatione delibatur aliquid Deo: unde et supplicare. Vinum ergo damnatorum est, quod ex damnatorum mulcta et supplicio comparabatur; ex quo diis sacrificare, ac proinde convivari etiam peracto sacrificio veteres consuevere.

EGO AUTEM EXTERMINAVI AMORRHÆUM. ) q. d. Ego Vers. 9. duce Iosue Chanaanæ expulsi Amorrhæos, aliasque sex gentes eius incolas, eamque dedi vobis, o Israelitæ: hæcine ergo mihi rependitis? Recenset beneficia eis præstita, ut eorum ingratitude et apostasiam acrius arguat. Nominat Amorrhæos præ cæteris: quia hi tam statura et robore, quam sævitiâ et scelere superabant cæteros Chanaanæos: inde dicti sunt Amorrhæi hebr. id est, loquentes, sive famosi et frequenti sermone celebrati, ait S. Hieron. Unde subdit:

CUIUS ALTITUDO, CEDRORUM ALTITUDO EIUS. ) q. d. Amorrhæi alti et proceri erant instar cedri, q. d. Erant gigantes. Est hyperbole: et hebraismo redundat pronomen eius. Simile est illud Virgil.

Abictibus iuvenes patriis et montibus æquos.

ET FORTIS IPSE ( populus Amorrhæus ) QUASI QUERCUS. ) De qua Seneca in Here. OEtæo.

Gemit illa multo vulnere impresso minax,

Frangitque cuneos, resilit excussus chalybs:

Vulnusque ferrum patitur, et truncum fugit.

Sic Lucan. l. 1. Pompeium assimilat quereui: hæc enim est fortitudinis symbolum, ait Pierius hierogl. 51. Sic et Philo, ait S. Hier. Esau vocat δερων, id est, quercium, roborem, quasi ex quereu excisum: imo Festus a robore, id est quereu, robur dictum putat. Sensus ergo est, ait Rufinus, q. d. Sylvam Gentium longa iam ætate prævalidam, ita celsis verticibus comminantem, et profundis radicibus innitentem, sedulus quasi castrorum metator excidi, ne habitationis lævæ saltem impedimenta sentirent. Quidquid ergo roboris fuerat, stirpibus amputari.

ET CONTRIVI FRUCTUM EIUS DESUPER, ET RADICES EIUS SUBTER. ) q. d. Penitus hunc populum everti, instar cedri, cuius tam sursum rami quam deorsum radices succiduntur. Perstat enim in metaphora et similitudine cedri. Porro per ramos et radices accipi possunt filii et patres. Deus enim volens gentem et stirpem tam impiam radicibus delere, iusserat Mosi et Iosue, ut Chanaanæos omnes, etiam pueros et infantes, occiderent, itaque omne eorum semen abolerent, Deuteron. 7. 2. Iosue 6. 21. Sapient. 12. 11. ubi Chanaanæi vocantur semen maledictum: ita Theodor. Remig. et Arias.

ET SUSCITAVI DE FILIIS VESTRIS IN PROPHETAS. ) q. Vers. 11. q. Filios vestros implevi spiritu prophetiæ, fecique Prophetas, eaque ratione tam filios vestros, quam vos in filiis evexi et honoravi.

ET DE IUVENIBUS VESTRIS NAZARÆOS. ) Repete suscitavi. Nazaræi erant quasi Religiosi legis veteris, qui ut

Deo melius vacarent, ex voto abstinebant vino, et gestabant cæsariem intonsam, ideoque dicti sunt Nazaræi, id est, separati a mundo, et addicti Deo. Unde et Nazianz. orat. in laudem S. Basilii, Religiosos nostros vocat Nazaræos. Vide dicta Num. 6. Nota hic Nazaræatum, id est, statum Religionis, et vocationem ad eam, vitamque in ea, esse opus Dei, quod nec nisi Deo auctore suscipi, nec nisi eo adiutore retineri potest. Insuper eandem esse magnum Dei donum quo Deus honorat familias, eisque benedicit dum filios earum in eum sibi, quasi in suam familiam, adsciscit, eosque facit quasi aulicos aulae suæ celestis; ut merito parentes hoc Dei donum in filiis impedire et evertere non debeant, nisi Deo ingrati esse, eique resistere velint; sed potius de eo sibi gratulari, Deoque gratias agere, ac filios eo impellere, eosque Deo eorum creatori offerre, imo reddere, uti docent S. Basil. in Aseet. S. Chrys. l. 3. Contra vituper. vitæ monast. S. Ambr. l. 1. de Virg. S. Bern. epist. 111. Vide P. Platum l. 3. de Bono status Religiosi cap. 35. et lib. 2. cap. 12. 13. 14. 15. 16. et 19.

Vers. 12. **ET PROPINABATIS EIS VINUM.**) Ita legunt omnes Codices Latini, Græci et Hebræi, in præterito. Unde in Romanis vitio typographico irrepsisse videtur, *Propinabitis et mandabitis*, in futuro. Taxat enim præterita eorum scelera, nimirum quod Nazaræi contra votum et professionem eorum, propinabant vinum, et Prophetis a Deo missis ad prophetandum mandarint, dixerintque, *Ne prophetetis*, itaque Nazaræis et Prophetis, ipsique Deo eorum datori non tantum ingrati, sed et hostiliter obluetati fuerint. Qua de causa iratus eis vindictam et excidium horribile comminatur. Notent hæc ii qui Clericos et Religiosos ad sua vota et instituta violanda invitant et sollicitant. Audiant fulmen Dei quod sequitur: *Ecce ego stridebo*, etc.

Ex hoc loco, ait S. Hieronym. *hæresin suam Tatianus Enekratitarum princeps statuere nititur, vinum asserens non bibendum; cum et lege præceptum sit ne Nazaræi bibant vinum; et nunc accusentur a Propheta, qui propinent Nazaræis vinum.* Eandem ante sexennium renovavit fanaticus quidam in Hollandia, docens Christianis abstinendum esse vino et carne, quod hisce vesens nequeat servare castitatem: sed explosos ab ænopolis et lanionibus, ac a magistratu flagellatus, et in exilium pulsus, insaniam suæ pœnas dedit.

Vers. 15. **ECCE EGO STRIDEBO SUBTER** (male quidam codices legunt *super*: hebr. enim est תחת *tachat*, id est, *subter*; et græce ὑποκρυπτῶς, id est, *subtus*) vos.) Pro *stridebo* hebr. est מַעֲיֵק *meik*, quod Primo, Chald. vertit active, *ecce ego adduco super vos angustiam, et angustias afficiet vos in loco vestro, sicut angustias premitur plaustrum onustum manipulis*; dum scilicet manipuli fœni vel segetum laxi, ab auriga comprimuntur et stringuntur, ut currus capiat multos, itaque iustum onus suscipiat. Verum Hebr. Græci, et Latini codices legunt, *subter vos*, non, *super vos*, ut dixi. Secundo ergo, alii sic vertunt, *coarctationem, vel, compressionem facio subter vos*, id est, *coarctabo et angustabo vos undique, subtus et supra, sicut auriga densat et coarctat manipulos in curru, tam inferiores, quam superiores, q. d. Multiplicabo et densabo angustias vobis circumquaque, sicut stringuntur et densantur segetes in curru, præsertim imæ, quæ subtus sunt, ut aliis fiat locus, pluresque super eas possint iniiei.* Unde Emmanuel et Mariana ex Chald. sic exponunt: *Stridebo*, id est, *obsidione vos premam, sicut plaustrum premitur et coarctatur plenum manipulis.* Hinc et Arabieus Alexand. vertit: *Ego devolvam vos ut plaustrum volvens.* Tertio et optime, vertit Noster, cui consentit Figurina, quæ sic habet, *cu ego onustus nimirum premor, strideoque sub vobis, perinde ac plaustrum onustum manipulis premitur ac gemit, quod explicans Vatabl. Conqueritur, inquit, Deus de Israelitis, quod cum onerent peccatis et sceleribus suis: hinc sequitur quod et Deus eos in angustias ducturus sit e quibus eluctari non possint.* Et R. Abraham: *Non est robur, ut feram vos: sed gemo sub onere, iuxta illud Isaïæ c. 1. 14. Laborari sustinens.* Et e. 43. 24. *Servire me*

*A fecisti in peccatis tuis, præbuisisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Optime S. Hieronym. *Ideirco, inquit, sicut plaustrum stipulæ, vel fœni onere prægravatum, stridore et sonitu longe exululat, sic ego peccata vestra ultra non sustinens, et quasi stipulam tradens incendio, clamabo et dicam: Peribit fuga a veloce, etc.* Hinc Syrus vertit: *Ecce ego anxius (compressus) sum (ero) subter vos, uti comprimitur (angitur) plaustrum plenum spicis.* Et Arabieus Antioch. *Ego deflectar ne sim vester iudex, eo modo quo volvitur plaustrum plenum arundinibus.*

Vox ergo *stridebo* tria significat. Primo, Deum quasi gravatum mole peccatorum Israelitarum sub iis gemere: uude ait: *subter vos.* Secundo, indignari et stridere, ac diras omnes impiis eum excidio intendere: stridor enim est is qui sequitur: *Peribit fuga a veloce, etc.* Tertio, *stridebo*, id est, stridere faciam, premam, et affligam vos ut strideatis. Hebr. enim מַעֲיֵק *meik*, est coniugationis *hiphil*, ac proinde plane activum. Unde Chald. et alii vertunt, *coarctabo vos*, nimirum per Salmanasar et Assyrios, qui obsidebunt et vastabunt Samariam. Quocirea Ribera recte sic exponit: *Stridebo subter vos, id est, in terra vestra audiri faciam magnum stridorem, et molestissimum auribus vestris sonum, puta clamorem hostium vincentium et exultantiam, ululatum vero vestrorum civium occumbentium, vel captivorum.* Ergo *stridebo*, non tam est vox et stridor Dei sub onere gementis, quam indignantis, vindicantis et punientis. Gemitus enim in Deo non est signum animi fracti, aut imbecilli; sed infensi, sese intendentis, et excitantis ad plagam. Aliter enim gemit qui gravius portat onus quam vires ferant; aliter gladiator aut lignator, qui tunc gemunt, cum se ad firmitatem et conatum intendunt: ille ut hostem feriat, hic ut quercum securi deiciat. Sed in Deo videre est utrumque, et gemitum ac stridorem ex fastidio, et ex offensione suspirium, quo se Dominus excitat ad anhelantem plagam, ait Sanchez. Rursum *stridebo* significat Deum hic comparari plaustrum, non tam quatenus ipse hostes instar plaustrum onusti premit et caleat, uti putant Aben Ezra, Lyran. et Palacius, quam quatenus instar plaustrum fœno onusti, quod ex fœni levitate nunc in hauc, nunc in illam partem inclinando conquassatur, fremit et stridet. Ubi Nota, strepitum hostium, armorum, præliorum et bellicæ vastitatis, recte comparari stridori plaustrum, quod re levi, puta fœno, vel stipula onustum magis stridet, quam si lapidibus oneretur: lapides enim magis premunt, stringunt, onerant, ideoque firmiter degravant plaustrum, eiusque succussionem et stridorem impediunt: contrarium per omnia facit fœnum. Simul appositæ voluptates peccatorum recte comparantur rebus levibus et vilibus, puta fœno et stipulæ, quæ statim marcescunt, arescunt, a vento rapiuntur, igne consumuntur: pari enim modo voluptates transennt, marcescunt, et igne gehennæ comburuntur. Rursum pro fœno hebr. est עֲמִיר *amir*, id est, manipulus, id est manipuli, quibus significatur multitudo peccatorum. *Hoc est fœnum*, ait, S. Hieronymus, *de quo Propheta Psalm. 128. Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priusquam evellatur exaruit. Et, Omnis caro fœnum: stipula autem illa est, super cuius incendio flebiliter Propheta Mich. cap. 7. complorat dicens: Heu mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, etc. Hoc est fœnum, et stipula, de quo et Apostolus loquitur 1. Cor. 3. Ligna, fœnum, stipula, uniuscuiusque opus manifestum fiet: quoniam in die Domini in igne revelabitur. Quocirea alii apud Vatabl. sic vertunt, *ecce ego gemere faciam (vos) sub vobis, id est, in locis vestris, vel stridere vos faciam, scilicet sub onere tribulationum.* *Meik* enim significat ita aliquid premere, arcere, gravare tot ponderibus et angustias, ut res pressa et oppressa sub iis gemat, et strideat instar plaustrum nimis onusti. Et *stridebo*, vel *subter vos*, Hebræis idem est quod *in loco vestro*, ut patet Exodi 16. 29. Habacæ 3. 16. et alibi: ita S. Hieronym. Remig. Hugo, Lyran. et alii. Consentunt Septuag. qui vertunt, *ecce ego volvo* (angustias et tribulationes) *subter**

vos (in loco vestro) sicut voluitur plaustrum plenum stipula; ita ut eas fugere et effugere non possitis. Unde subdit: *Et peribit fuga a veloce*, etc. ita Theodor. et S. Hieronym. *Volvere*, inquit, *se subter eos sicut plaustrum comminatur Deus. feno vel stipula pregravatum, ut quia frumentum non habent quod in horrea condatur, fennum eorum et stipula incendio concremetur.* Simili modo stridula plaustra dixit Ovid. l. 3. Trist. eleg. 12. et Virgil. lib. 8. *Aeneid. Striduntque caminis structure chalybum.* Et 4. Georg.

*Stridere apes utero et ruptis effervere costis.*  
Et *Aeneid. 1.*

— *Cardo foribus stridebat ahenis.*

Moral. S. Greg. lib. 32. Moral. c. 6. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum feno: quia enim fennum est vita carnalium, sicut scriptum est: Omnis caro fennum; in eo quod Dominus vilam carnalium patitur, more plaustrum fennum se portare testatur. Cui sub feni onere stridere, est pondera et iniquitates peccantium cum querela tolerare.* Addit Rullinus: *Queritur, ait, Dens, quia diu peccantem populum sustinebat, se oneratum instar plaustrum, sed cui onus vilis materie contigisset, q. d. Si plaustrum onustum haberet aliquam discernendi facultatem, indignantius sine dubio strideret si vilia, quum si pretiosa portare: sic et Deus noster maiorem se sarcinam pronunciat experiri, eorum peccata tolerando, in quibus nihil queat de pretiosis studiis reperire, sed qui omnes ad vile fennum, quod facile ignibus consumitur, accesserunt.* Et Rupert. *Fœni, ait, similitudine utitur, quia plaustrum feni tardius progreditur, et ideo velocius comprehenditur ab insequente, et celerrime incendio absumitur.*

Allegor. Christus stridebit contra reprobos in die iudicii dicens: *Ite maledicti in ignem æternum: ibique instar ferri in igne, iugi folium flatu succenso, stridentis, stridere eos faciet: nam, ut ait Matth. 8. 12. Ibi erit fletus, et stridor dentium.*

Vers. 14. **ET PERIBIT FUGA A VELOCE.**) Hæc verba accipi possunt dupliciter: Primo, quasi pendentia a verbo *stridebo*, quod præcessit, quasi stridor, vox et rugitus Dei contra impios Israelitis, sit hic: *Peribit (percat) fuga a veloce.* Secundo, quasi non pendeant a verbo *stridebo*, sed huius stridoris Dei sint fructus et effectus, q. d. Cum stridebit Deus contra Israel, omnes communi elade involvet, a qua proinde velox eripere se non poterit velocitate sua, nec miles fortis bellica sua fortitudine, vel agilitate, etc. ut vitam suam teneat et servet. Id ita accidisse Israeli et

Samarie, cum eam vastavit Salmanasar, patet 1. Reg. 17. et 18. et 2. Paral. 3. Porro S. Hieron. (et ex eo Remig. Albert, et Hugo) scribit Rabbinos singula hæc adaptare singulis regibus Israel, a primo Ieroboam usque ad ultimum Osee, hæc modo: *Peribit*, inquit, *fuga a veloce, quem Hebræi Ieroboam filium Nabath intelligunt, qui prius in Ægyptum fugerat, persequente eum Salomone 3. Regum 11. Et fortis non obtinebit virtutem suam, fortem Baasam interp. etantur, qui fuit ad bella promptissimus. Et robustus non salvabit animam suam, hunc Amri sentiunt. Et tenens arcum non stabit, sive sustinebit, de Iehu filio Namsi, qui Ioram regem Israel sagitta percussit, dictum putant. Et velox pedibus suis non salvabitur, Manahem intelligunt, qui frustra festinans, regi Assyriorum dona direxit. Et ascensor equi non salvabit animam suam, hunc Phacee filium Romelie interpretantur, qui iuncto Aram, id est, Syro, sub rege Achaz, Iudææ multa vastavit. Et robustus corde, nudus fugiet in die illa: solus Osee, qui ultimus rex decem tribuum fuit, et errantem populum ad Dei cultum revocare conatus est, quasi nudus egreditur de incendio: nudum autem vocat, quia sub ipso decem tribus captæ sunt: ita Hebræi apud S. Hieron.*

Verum priora ex his iam erant præterita: hic autem intentatur Israeli futura elades extrema, eiusque excidium, quod cœpit a Phul tempore Manahem, ac perfectum est a Salmanasar tempore Osee 4. Reg. 15. 19. et 4. Reg. 18. 9.

**TENENS ARCUM NON STABIT.**) q. d. Sagittarii Israelitarum, qui eminens iaciendo sagittas pugnant, non consistent contra adversarios, puta Assyrios: ita Vatabl. Vers. 15.

**ROBUSTUS CORDE INTER FORTES NUDUS FUGIET.**) Tigurina, qui inter heroes magnanimus est, nudus aufugiet in die illa, puta proiecto clypeo et ense, inermis, q. d. Viri fortes tam corpore, quam animo, non sustinebunt impetum Assyriorum, sed cadent animis, et projectis armis terga vertentes aufugient. Hinc Sept. vertunt, *fortis non inveniet cor suum in potentatibus; S. Hieronym. legit, inter potentes nudus fugiet.* Ad litteram agitur de Israelitis fugientibus Assyrios, ut patet ex præcedent. Quare minus recte Isidor. Pelus. l. 1. ep. 53. ad litteram censet hic agi de passione Christi, et per nudum intelligi adolescentem, qui *sindone coopertus ad nudum, carnificum Domini scivitiam, relicta ipsis sindone, effugit.* Mystice censet notari hic viros Religiosos, qui se terrenis nudant, ut leves et expediti a mortalium fœce, ad eam vitam que ab interitu remota est, quasi additis alis evolent. Vers. 16.

## C A P U T T E R T I U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Prophetat Israellem Assyriis, et Deo, quasi leoni rugienti, et aucupi in prædam dandum. Secundo, v. 9. advocat Philistinios et Ægyptios, ut videant scelera, indeque stragem Israelis, que tanta erit, ut ex ea vix duo vel tres, iique miseri et agrè evadant; sed tam ipse, quam eius idola et aræ, ac palatium domusque eburneæ diruantur.*

1. **A**UDITE verbum, quod locutus est Dominus super vos, filii Israel: super omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens: 2. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. 3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis? 4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? 5. Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit? 6. Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? 7. Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. 8. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? 9. Auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti: et dicite: Congregamini super montes Samariæ, et videte insanias multas in medio eius, et calumniam patientes in penatralibus eius. 10. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in ædibus suis. 11. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur, et circuietur terra: et detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur ædes tuæ. 12. Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo erura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato. 13. Audite, et contestamini in domo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum. 14. Quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel, super eum visitabo, et super altaria Bethel: et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram. 15. Et percutiam domum hiemalem eum domo æstiva: et peribunt domus eburneæ, et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

Vers. 1. **FILII ISRAEL.**) S. Hieronym. Remig. Hugo, Lyran, et alii, per filios Israel accipiunt omnes duodecim tribus, ac consequenter et Iudam, eo quod sequatur: *Super omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti.* Verum ex seq. v. 12. et 14. liquet, Prophetam proprie loqui Israeli, id est, Samaritæ et decem tribubus, ita tamen, ut sermonem mox dilatet et extendat quoque ad Iudam, q. d. Vos o Israelitæ, quin et tu o Iuda, adeoque omnes quos Deus eduxit ex Ægypto, qui cognati estis, uti sanguine, ita et seclere, futuri et similes in pœna strageque, audite ex ore meo Dei iras, minas et onus, quod vobis imponit: ita Theodor. Albert. Arias et alii.

Vers. 2. **TANTUMMODO VOS COGNOVI EX OMNIBUS COGNATIONIBUS TERRÆ.**) q. d. Vos, o Israelitæ, solos ex omnibus gentibus elegi, ut vertit Chald. mihi in populum, in familiares, et amicos, imo in filios, ut vos quasi pater alerem, tuerer, proveherem et exaltarem. Subaudi cum Chal. Vatabl. et aliis: Cur ergo a me ad vitulos aureos defecistis? *Ideireo visitabo (puniam) super vos omnes iniquitates vestras.*

Secundo, *cognovi*, id est, curavi, et curo vos, resque vestras per peculiarem providentiam, qua vobis legem dedi, tot miracula et bona contuli, pœnas et præmia proposui, rexi et direxi, imo rego et dirigo, ideoque bene agentibus mihiq; obedientibus prospera omnia, male vero facientibus adversa immitto, ut vos quasi pater castigem, eoque quasi fræno vos infrænem, et per viam virtutis ad me reducam, cum alias gentes præ vobis non cognoscere, id est, non curare et negligere videar, easque ut alienas a me, dimittam sequi desideria cordis sui, in futuro acerrima et æterna pœna eas puniturus. Magnum enim indicium animi vere paterni, et de filiorum commodis solliciti est, admovent aut ægotanti cauterium, aut pigritanti aculeos, aut erranti flagellum, ait Sanchez.

Vers. 3. **NUMQUID AMBULABANT DUO PARITER, NISI CONVENERIT EIS.**) Septuag. *nisi cognoverint se*; Aquila, *nisi constituerint inter se.* Quæres, quorsum dicitur, et quid significat hoc adagium, et quinque quæ sequuntur usque ad v. 6. Et quinam sunt duo simul ambulantes: Respondit Primo Theodor. Remig. et a Castro in paraphrasi, hosce duos esse Deum et Assyrios, q. d. Deus et Assyrii pariter ambulant, perguntque ad vestrum exidium, o Israelitæ; Deus enim est qui Assyrios in vos immittit, ut seclera vestra puniat. Idem censet significari sequentibus quinque adagiis: putant enim omnia eo spectare, ut significant nonnisi Deo vindicante hostes immitti, sicut duo non ambulant simul, nisi prius inter eos convenerit, et sicut leo non rugit, nisi capta præda, et sicut auceps non aufert laqueum, nisi capta ave, et ita de cæteris: nihil enim eorum fit, nisi posita conditione; sic nihil fit in cladibus et exidiis, nisi annuente et puniente Deo. Probant, quia Deus hæc adagia concludens, eorumque seopum et sententiam indicans, subdit v. 6. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* q. d. Hæc duo pariter parique passu ambulant, Dominus et malum, sive numen et providentia, Deus et vindicta, puta castigatio impiorum: quia nec est Deus sine providentia, sive numen sine vindicta impiorum: nec aliqua eorum vindicta exercetur, sine Deo et numine. Hic sensus sublimis est, et moribus congruens.

Secundo, Arias censet hos duos esse Iuda et Israel, sive duas tribus et decem. Rursum, esse Nabueodonosor et Salmanasar, q. d. Iuda et Israel schismate a se videntur divisi, sed tamen in idololatria et seclere consentiunt, et pariter ambulat ad eolenda eadem idola. Ideireo pariter contra eos ambulabunt Nabueodonosor et Salmanasar: ille ut Iudam, hic ut Israel em puniat et perdat. Deus enim utrumque immittet, et diriget ad idem utriusque exidium.

Tertio, Hugo, Lyranus et Vatabl. per duos hos simul ambulantes, accipiunt Deum et Prophetam, v. g. Amos q. d. ait Vatabl. *Sicut duo nunquam aliquo simul proficisci solent ob aliquod negotium, nisi prius de eo conveniat inter ipsos; sic Prophetæ per quos prædicam me visitatu-*

*rum iniquitates vestras, uti iam dixi, non accedent ad vos, ut hæc annuncient, nisi maxime illis mecum conveniat, ut de hoc vos admoncant. Hæc enim similitudine voluit ostendere præstantiam prophetiæ, magnumque esse inter Deum et Prophetas consensum. Unde paulo post v. 7. seipsum declarat his verbis: Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.*

Quarto et congruentius, magisque genuine Rupertus, Clarius et Ribera censent, hos duos simul ambulantes esse Deum et populum Israel, q. d. Ego Deus ambulavi simul cum Israele, olim pio et obsequente, cum scilicet eum quasi manu tenens eduxi ex Ægypto, et per desertum perduxi in Chanaan; quia tunc ipse mecum conveniebat, sinebat se a me regi, meumque ductum et legem libens sequebatur. At nunc me relicto ambulat cum diis alienis. Quocirea ego pariter non ambulabo cum eo: quod ipse eum idolis convenit, non mecum; sed potius contra eum ut hostis incedam, uti minatus sum Levit. 26. 24. puta ambulabo eum eo, uti carnifex eum reo, quem ducit ad fuream; sicut leo ambulat eum præda quam discerpit; auceps eum ave quam cepit; venator instructus laqueo eum fera quam illaqueavit. Rugiam enim in eum quasi in prædam meam, et per Amos aliosque Prophetas, certum et inevitabile ei per Assyrios exitum prædicam et intentabo.

Ut hæc expositio explicetur et probetur, suppono, quod, <sup>Tres partes parabola.</sup> sicut in fabulis et apologis (v. g. Æsopi) sunt tres partes, scilicet *ἡ ἀρχή, ἡ μέση, et ἡ ἐπίλογος*, id est, fabula, profabulatio et affabulatio: profabulatio est ipsa prælibatio et quasi prologus, significans in quos et quorsum dicatur fabula: affabulatio est epilogus fabulæ, significans quid ex ea discere, quem fructum capere debeamus: ita pariter in adagiis, ænigmatibus et parabolis sint tres partes, puta parabola ipsa, proparabola et postparabola. Proparabola est ipse prologus parabola, indicans eius finem et seopum, qualis est illa Lucæ 14. 7. *Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent*, q. d. Scopus Christi in parabola sequenti, quæ est de invitatis, est, taxare ambitiosos, qui, primas cathedras et discubitus primos ambiunt. Postparabola est conclusio parabola, significans eius usum et fructum, qualis est ibidem v. 11. *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.*

Hoc supposito dico, horum sex adagiorum sive parabolarum sensum venandum esse ex proparabola, sive prologo qui immediate præcessit; et ex postparabola, quæ immediate postea subiungitur. Prologus autem hic est: *Audite verbum quod locutus est Dominus super vos filii Israel, super omnem cognationem quam eduxi de terra Ægypti, dicens: Tantummmodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: et maxime id quod mox sequitur et immediate adagia hæc præcedit, nimirum: Ideireo visitabo super vos omnes iniquitates vestras, q. d. Puniam vestra in me seclera, eo quod cum ego eduxerim vos ex Ægypto, et vobiscum iugiter quasi pater ambulaverim, vos tamen superbe et ingrâte vertentes mihi dorsum, me spreto ambulaveritis, eum idolis et vitulis aureis. Postparabola est v. 6. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? quia non facit Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit?* q. d. Uti in proparabola dixi, ita in postparabola dieo et repeto, me, non alium, mala et clades vobis intentare per Prophetas, eaque mox reipsa per Assyrios inflieturum, ut in vos rugiam et sæviam, sicut leo in prædam, eo quod tamquam hostes contra me incesseritis, ambulantes eum idolis, qui sunt iurati mihi inimiei. Ecce hic videmus clare tam prologum, quam conclusionem parabola significare, eo spectare parabolas hæc, ut per eas indieet Deus, se olim cum Israele ambulasse quasi patrem eum filio, eo quod recte illi eum eo conveniret: at iam post eius apostasiam, schisma et idololatriam, se amicam illam præsentiam, et paternam curam opemque ab eo ablaturum, et*

contra cum incessurum, ac per Prophetas suos, strages et exitum ei intentaturum, illudque mox illaturum per Assyrios. Ergo hic est horum sex adagiorum et parabolarum scopus et sensus.

Ubi Nota. Duo hic in postparabola significat Deus: prius, nihil mali immitti civitati, v. g. Samariæ, nisi a Deo. Secundum, illud ipsum malum se ei non intelligere, nisi prius ipsam de eo præmoneat per Prophetas, ut vitam corrigat et malum evadat; utque sciat malum, cum id ei obvenerit, non aliunde quam a Deo vindicæ, qui illud ei per Prophetas comminatus est, obvenerit. Propheta enim hic vult fidem et auctoritatem, æque ac certitudinem conciliare suæ prophetiæ ac minis, quæ ex Deo Israeli intentabit; auctoritatem, dicendo, Deum non facturum quidpiam mali Samariæ, nisi illud prius sibi revelarit, et per se prænunderit: certitudinem, dicendo, hæc sua minaciæ oracula esse sibi a Deo revelata, esseque minas et verba ipsius Dei, qui est prima veritas, fallique aut fallere nequit. Credant ergo Israelitæ, has non esse minas verbales et inanes, sed reales et efficaes, utpote Dei irati et sævientis instar leonis. Quocirca hic se Propheta non constituit alterum, vel secundum a Deo, sed quasi eundem cum Deo, scilicet ut Dei os et tubam, quæ clangat et rugiat contra Israel, qui est alter, vel secundus a Deo. Duo ergo ambulantes hic sunt, Deus per Prophetam minans, et Israel minas hæc Dei excipiens. Iam secundum hæc, reliqua quinque adagia sigillatim explicanda et adaptanda sunt. Secundum ergo est, quod sequitur: *Numquid rugiet leo*, etc. ita S. Hieron. Emman. Mariana et alii.

Allegor. S. Hieron. non possunt duo, puta Gentiles et Iudæi, ambulare simul, nisi convenerint in una fide, unoque capite Christo. Quod si discordia separentur, statim eos leo rugiens, et anceps diabolus invadet et capiet.

Tropol. Rupert. Non potest Deus ambulare cum peccatore, si ille peccatum defendat: *Nos duo sumus*, inquit, *ego qui arguo, vel corripio, Deus, et Israel qui corripitur; nimirum non convenit nobis, quia me corripientem Deum correptus Israel non audit. In hoc nobis animus disconvenit: quia ego arguo, ille se defendit.* Et S. August. in psal. 57. *Quamdiu, inquit, non confiteris peccata tua, quodammodo rixaris eum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet laudas? Psalmi vox est dicentis: Incipite Domino in confessione. Quid est: Incipite Domino in confessione? Incipite adiungi Deo. Quomodo? Ut hoc vobis displiceat, quod et illi displicet. Displicet illi vita tua mala: si placeat tibi, disiungeris ab illo; si displicet tibi, per confessionem illi coniungeris.*

Vers. 1

NUMQUID RUGIET LEO IN SALTU, NISI HABUERIT PRÆDAM?) Leo est Deus, præda est Israel, rugitus sunt minæ Prophetarum, Israeli excidium per Assyrios ex Dei iussu intentantium, q. d. Sicut leo famelicus rugit, dum in unguibus, vel etiam in oculis habet prædam: rugit, inquam, ut iras et animos excitet, ad feram quam prædari vult invadendam; aut si eam ceperit, ad eam contra lupos, ursos, aliasque feras et homines tutandam, ne sibi eripiat: ita Deus rugit, indignatur et minatur per me aliosque Prophetas, vobis, o Israelitæ, quos iam invadit per Assyrios, quosque quasi iam captos in manu habet, et proximæ cladis et captivitatis destinat. Sicut enim leo numquam rugit, quin prædam capiat, lacret et devoret: ita Deus non minatur obstinatis pœnas, quin protinus illas eis infligat, eosque cædat et mactet, uti vos o Israelitæ, mactabit per Salmanasar. Nota ex Arist. Plinio et aliis mox citandis. Leo solet rugire his: primo, cum famel, et quærit videtque prædam: secundo, cum eam capit: tum enim partim ira ne sibi eripiat, partim fame et ingluvie frendens et murmurans rugit. Leo enim gulosus est et belluatur, ita ut partes integras ossaque deglutiat, antequam dentibus ea comminuat. Unde ita se infarcit, ut repletus ad biduum vel triduum non esuriat, nec comedat ordinarie nisi alternis diebus, puta semel in biduo, uti docet Aristot. lib. 8. Hist. anim. c. 5. Plinius lib. 8. c. 16. et Alian. lib. 4. Hist. anim. c. 33. Hinc et ex ingluvie hæc, halitus eius gravis est et fœtet. *Animæ*

Leo rugit bis, cur?

*leonis virus grare*, ait Plinius lib. 11. c. 33. Simili modo rugit Deus tum ante excidium Israelis, per prophetas ei minando: tum in excidio Israelis per Assyrios coincidendo, nec permittendo ut Egyptii, aliæque cum sibi eriperent. Magis tamen hic Propheta loqui videtur de rugitu leonis ante prædam: suas enim prophetias minaces per Amos, Osce et alios editas de futuro et instante excidio, Deus hic comparat rugitui leonis. Adde, maior et horribilior est rugitus leonis cum videt hostem, ut cum invadat et prædetur, quam dum eum capit et devorat. Porro dicitur tunc eam habere, tum quia eam habet oculis suis propositam, tum quia in spe certa eam habet. Sequitur tertium adagium secundo simile.

NUMQUID DABIT CATULUS LEONIS VOCEM DE CUBILI Vers. 3.

SUO, NISI ALIQUID APPREHENDERIT?) Tigurina, *num catulus leonis vocem suam edit egressus de lustris, cum nihil præda cepit?* Repetitione hæc Propheta Dei potentiam et oraculi certitudinem astruit, q. d. Si præda salvari nequit a leone, et a catulo leonis rugiente, quis vestrum, o Israelitæ, evadet manus Dei irati? Leoni subiungit catulos: quia hi, utpote petulci et latrante semper stomacho famelici rugiunt magis, iuxta illud ps. 103. 2. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi.* Unde in Script. ira Dei æque ac hostium acer insultus, comparatur rugitui leonculorum, ut Isaia 31. 4. *Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, etc. sic descendet Dominus et prædicetur.*

NUMQUID CADET AVIS IN LAQUEUM TERRÆ ABSQUE AUCEPE.) Qui avi laqueum posuit; q. d. Non: sicut ergo avis non capitur laqueo nisi ab aucupe, ita et vos capiemini ab Assyriis, non alio id agente, quam Deo, qui Assyrios quasi laqueum vobis posuit. Hebr. מוקש *mokes* significat illaqueatorem, puta aucupem, ut vertunt Sept. Noster et alii. Potest Secundo, cum Vatablo verti *offendiculum*, q. d. Sicut avis non cadit in laqueum sine offendiculo, id est, quin eo capiatur et stranguletur: sic nec vos cadetis in manus Dei et Assyriorum, quin ab eis capiamini et strangulemini. Verum quia illud significatur proxima parabola, hinc ut sit gradatio, simplicius Noster et Sept. vertunt *absque aucupe*. Sequitur ergo quartum adagium tertio connexum.

NUMQUID AUFERETUR LAQUEUS DE TERRA ANTEQUAM QUID CEPERIT?) q. d. Sicut laqueus a venatore non tollitur, nisi eo avem vel feram illaqueaverit et ceperit, sic nec ego tollam expansum rete meum, puta Assyrios e Samaria, donec eam ceperint et vastarint, sed quasi aucups continuo assistam et intendam iis, quasi meis laqueis, nec desistam donec vos capiant et ingulgent. Excludit omnia effugia impiorum et incredulorum, qui hæc eius oracula vel elevabant, vel eludebant dicendo: Minæ hæc sunt solitæ Prophetarum, sed minæ dumtaxat, sicut parentes pueris ostentant virgam, non ut feriant, sed ut minis eos percellant: veniet Assyrius, ostentabit se Samariæ, sed non audebit urbem tam potentem et munitam aggredi: nobis ergo intactis et illæsis domum redibit. Hæc effugia, et has elusiones minarum et oraculorum suorum succidit hic Deus, certoque denunciatur Assyrium non necessarium a Samaria, donec eam capiat, sicut venator non tollit laqueum, donec eo avem constrinxerit. Nota minas Prophetarum et prædicatorum hic comparari rugitui leonis, reli aucupis et clangori tubæ v. 6. Vere Nicetas in vita Alexii Comn. *Laqueos, ait, et retia divinæ providentiæ nemo evadere potest, uti eosdem evadere nequivit Pharaon, Dioeletianus, Maximianus, Iulianus Apostata, Valens Imp. aliique similes. Similem laqueum Iudæis intentat David psal. 68. 23. Fuit mens coram coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.* Hæc est divinæ iustitiæ venatio: sicut enim principes viri apros luposque, ita Dei vindicta venatur tyrannos et impios. Sic de Sedecia ait Deus Ezech. 12. v. 13. *Extendam rete meum super eum, et capietur in sagena mea*, per Chaldæos. Sequitur adagium quintum.

SI CLANGET TUBA IN CIVITATE, ET POPULUS NON EX- Vers. 6.  
PAVESCAT?) q. d. Sicut tuba tempore belli personante, et

classico perstreperente, ac significante hostem adesse, paranda esse arma et aciem, fieri nequit quin populus metu hostis et cladis, ac horrore clangoris bellicei percullatur; sic multo magis vos, o Israelitæ, deberetis pavere et percelli ad voces hæsee meas, quibus ex Deo classicum cano, ac hostem, ignem et flammam vobis prædico et intento. Clangor ergo tubæ, est prophetia: elangeus est Deus: tuba est os Prophetæ: hostis est Assyrus: civitas, Samaria: populus, Israelitæ metu percullendi et exanimandi.

SI ERIT MALUM IN CIVITATE QUOD DOMINUS NON FECERIT? Hic est post parabola, sive conclusio et applicatio parabolarum præcedentium, q. d. Quinque parabolæ quas iam recensui, significant malum, id est, afflictionem et eladem extremam asserendam Samariæ per Assyrus, non ab alio, quam a Deo a apostatarunt, quemque irritarunt, præponendo ei vitulos aureos. Cum ergo hæc elades vobis o Israelitæ advenerit, certo scitote a me illam vobis inferri: ideo enim ego solus illam per Prophetas vobis prædico et comminor, quia solus illam vobis intelligam, non Baal, non Chamos, non quis alius inanum deorum. Unde explicans subdit: *Quia non facit Dominus, etc.*

Moral.  
nil mali,  
nisi a  
Deo infli-  
git.

Moral. disce hic, rapinarum, incendiorum, stragum et calamitatum omnium, tum publicarum, tum privatarum, quæ impiis et peccatoribus infliguntur, Deum esse auctorem: Deus enim gubernator universi, iudex est et vindex omnium. Recte Plutareh. in Moral. *Ut amnes, ait, quidam repente se condunt sub terram, nihilominus eo perferuntur quo tendunt: ita numinum iræ, licet occultæ, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes, etiam dum non cogitant ultorem post caput esse Deum.* Et Horat.

*Raro antecedentem scelestum  
Deseruit pede pœna claudo.*

Et Ierem. Thren. 3. 37. *Quis est qui dixit ut fieret, Domino non iubente? Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? vide ibi dicta. Et c. 18. 11. Ecce ego fingo contra vos malum. Et Isaiæ c. 45. 7. Ego Dominus, et non est alter formans lucem et creans tenebras: faciens pacem et creans malum. Vide S. Basil. hom. Quod Deus non est auctor malorum, ubi ostendit proprie nihil malum esse nisi peccatum, cuius auctor est voluntas creata, non Deus: cætera vero mala pœnæ, quæ vocantur, bona esse, non mala, præsertim quia per ea Deus interficit peccatum, et vivere facit iustitiam; aut potius facit hominem mori peccato, ut vivat iustitiæ. Quantum enim, ait, exterior homo noster corrumpitur, tantum interior renovatur. Non igitur alium interficit, et alium vivificat; sed eundem per ea quæ interficit vivificat. Caro igitur pereunt, ut anima sanetur. Peccatum perimitur, ut iustitia vivat.*

Vers. 7.

QUIA NON FACIT DOMINUS DEUS VERBUM, NISI REVELAVERIT SECRETUM SUUM AD SERVOS SUOS PROPHETAS.) *Id quia potest accipi pro verumtamen, efficacius tamen accipias proprie, ut causale eius quod præcessit, q. d. Non est malum in civitate quod non faciat Dominus: quia ipse omnia mala civitati eventura prius revelat Prophetis, et per eos illa se civitati mox inliciturum comminatur: ergo cum mox illa civitati infligantur, ipse est, non alius, qui ea civitati quasi iudex et ultor intelligit, uti comminatus est. Porro Deus hanc eladem civitati Samariæ non inferet, nisi vobis, o Samaritæ, per Prophetas præmonitis, idque duas ob causas. Prior est, ne causari possitis vos nunquam fuisse reprehensos. Posterior, ut certi sitis eam ob scelera vestra vobis infligi, Deumque eorum vindicem esse auctorem. Qua re Propheta declarat tum dignitatem, tum necessitatem sui muneris, puta prophetiæ, utpote a Deo accepti, ut scilicet ipse esset quasi legatus Dei ad Israel, et inter eos internuncius, sequester et mediator: tum misericors Dei consilium, uti nox ostendam.*

Quoeirea Nota. *Verbum* metonymice significat rem, puta eladem verbo significatam et prædictam. Unde mox idem vocat *secretum suum*, et ut Theodot. *consilium suum*, puta areanum eius decretum de elade hac inferenda. Se-

ptuag. vertunt, *παιδεία*, id est, eruditionem, vel potius, ut S. Hieron. vertit *correctionem suam*: quo significatur minas et plagas Dei non proficisci ex odio, sed ex amore paterno erga homines. Sicut enim pater corripit et castigat filium quem diligit, ut eum erudiat, sic et Deus peccatorem. Quapropter castigationem hanc invitus, et quasi coactus infert, ideoque ut eam pœnitendo evadant homines, prius per Prophetas et prædicatores eam comminatur et prænunciat, quæ omnia miram Dei elementiam significiant, ait S. Hieron. Ita ante diluvium præmonuit peccatores per Noe, qui ea de causa centum annis aream fabricavit ut per centum annos homines seiscitantes fabricæ huius causam, monerentur de instante diluvio, illudque pœnitendo averterent et evaderent, uti exedim evaserunt Ninivite præmoniti a Iona. Sic per Mosen nullam Ægypto plagam inflixit, nisi prius per eumdem de ea Pharaonem et Ægyptios præmoneret, ut patet Exodi c. 7. 8. et 9. Sic elades per Syros, Ammonitas, Madianitas et Philisthæos, quæ narrantur in libris Iudicum, Hebræis non intulit, nisi iis præmonitis per Iosue c. 24. perque Deborah Iudic. 4. 4. et alios Prophetas. Sic exedim per Titum et Romanos Iudæis non irrogavit, nisi iis præmonitis per Christum Lucæ 19. 42. et Apostolos. Sic eladem extremam orbi non inferet, nisi præmissis Prophetis et Angelis, qui septem tubis insonantes eandem toto orbe proclamabunt, Apoc. c. 16. v. 1.

LEO RUGIET, QUIS NON TIMEBIT? q. d. Quanto magis, Deus rugiens et comminans ab omnibus timendus est? Vers. 8.

Unde partim explicans, partim inferens subiungit: **DEUS LOCUTUS EST, QUIS NON PROPHETABIT?** Hæc enim propositio prioris est parallela partim explicatio, partim illatio et conclusio, q. d. Si leone rugiente omnes timent; ergo multo magis Deo fremente omnes timeant oportet; ac in primis nos Prophetæ, qui primi lune Dei in nobis loquentis rugitum audimus, illius metu percullimur, ideoque trepidi tacere non possumus, sed prophetamus et inelamamus omnibus, ut sibi caveant et prospiciant, ne eius præda fiant et ab eo discerpantur, præsertim quia ideo in nobis loquitur et rugit, ut nos eumdem rugitum prophetando aliis promamus et exprimamus, q. d. Cum Deus nos Prophetas mittat, iubeatque prophetare, silere non possumus; ita S. Hier. Emanuel, Mariana et alii. Amolitur aliud incredulorum Israelitarum effugium, vel potius improprium. Improperabant enim iugiter Prophetis, quod ipsi tristia semper prophetantes Israeli, viderentur de eius clade gaudere, eique insultare. Respondet Amos, se invitum hæc prophetare, cogique a Deo, nec posse se illi resistere. Deo enim loquente, mandante, et mittente Prophetam, quis non prophetet; quis silere, quis Dei imperium detrectare audeat? Deus enim est quasi leo rugiens, qui Prophetam inobedientem, æque ac populum rebellem discerpit: sicut per leonem discersit Prophetam illum in re modica inobedientem, scilicet quod contra iussum Dei cibum sumpsisset in Bethel, deceptus licet ab alio Propheta, qui Deum iussum suum revocasse asserbat, 3. Reg. 13. 24. Sensus ergo est, q. d. Minæ meæ non sunt meæ, sed Dei: rugitus meus non est meus, sed Dei: Deus enim quasi leo rugit in mente nostra, et inde in ore nostro, ut vos percullat: ne ergo nobis hæc tristia oracula imputetis. Deo enim loquente per mentem et os nostrum, tacere non audemus, nec possumus. Rursum si leo fame, vel cautulis raptis fremens et rugiens e saltu incurrat in urbem, quis eum minus videns, non inelamet omnibus: Fugite, leo fremens imminet, prospicite vobis? quin ergo ego Amos videns Deum iratum in Samariam iocurrere, ut eam disperdat, omnibus inelamem, ut sibi caveant? Hoc est quod Deus Ezechieli edixit c. 3. 27. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, etc. si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaris ei, etc. sanguinem eius de manu tua requiram.*

Simile fuit responsum S. Aphraatis Eremitæ. Cum enim ipse egressus eremo Arrianis grassantibus resisteret, ac Valentem Imp. de arrianismo et persecutione Orthodoxorum increparet, Valens autem ei obiiceret: Quid tu

monache, qui vitam solitariam proferis, silentio et quiete relicta, urbem et forum ingrederis? respondit: Si virgo in thalamo abscondita, videret quempiam facies domini iniicientem, nonne a domo prosiliret, et inlamareret: Incendum, incendium, ut se suosque ab eo liberaret? ne ergo me reprehendas, qui quietem reliquerim; sed te ipsum reprehende, qui hanc flammam in domum Dei iniiceris, et non me, qui conor extinguere, ideoque omnibus inelamo, ut caveant a te, et a tua heresi, qua quasi igne Ecclesiam Dei succendere conaris: ita refert Theodor. in Philotheo cap. 8. Pari modo Amos obstrepentibus sibi Israelitis: Quid tu minaris nobis? armentarius es, non Propheta: quid nos flagellas? vade ad tua pascua, flagellato nos boves, respondet: *Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit?* Hoc est quod in eadem causa Iudæis respondit Ierem. c. 9. v. 20. *Factus est, ait, mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die. Et mox: Et factus est in corde meo quasi ignis exarsuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens.* Et cap. 6. 10. *Cui loquar? Et quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, etc. Idecirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.*

**QUIS NON TIMEBIT.**) Vere S. August. in Sententiis numer. 77. *Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur: Deus sic timentus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur, scilicet ab ipso irato ad ipsum elementem et placidum.*

**AUDITUM FACITE IN AEDIBUS AZOTI.**) Advocat Deus vicinas gentes, puta Azotios et Ægyptios, in Samariam. Primo, ut, visis eorum sceleribus ac punitione, testes sint, uti beneficiorum multiplicium et insignium Israelitis, tum in exitu ex Ægypto, tum in deserto, tum in Chanaanæ a Deo collatorum; ita et vindictæ mox ab eodem exercendæ in eundem, utpote ingratum. Secundo, ut magis doleant Israelitæ, videntes se gentibus hostilibus in probrum et ludibrium exponi, quodque hostes elades ipsorum videant et rideant, gaudeantque de eorum strage et excidio, iuxta illud psal. 136. 7. *Memor esto Domine filiorum Edom in die (excidii) Jerusalem: qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Porro hoc schemate et artificio conatur Deus Israelitas ad se revocare, dum oculis eorum obiicit infamiam et probra, quæ laturus sunt a gentibus, si in apostasia pergant, ideoque a Dea per Assyrios vastentur.

Per Azotios, cæteros Philistinios accipe. Est synecdoche: ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Arias et alii. Miratur, et merito, S. Hieron. apud Septuag. pro Azotiis legi in Assyriis: videtur mendum librariorum.

**SUPER MONTES SAMARIE.**) Hi montes imminet Samariæ, quæ fuit urbs ab Amri rege edificata in monte Somer, indeque et urbs, et ab ea, utpote metropoli, tota regio dicta est Samaria: cam postea Herodes Ascalonita nominavit Sebasten, id est, Augustam, in honorem Augusti Cæsaris: perinde ut nunc vocatur Augusta Vindelicorum, Augusta Trevirorum, etc. Herodes enim eam a fundamentis instaurans, firmissimo muro per viginti stadia circumdedit, et in eius medio templum maximum sequistadii magnitudine, modis omnibus ornatissimum Augusto Cæsari dedicavit, et Sebasten nuncupavit. Ita Ioseph. lib. 15. Antiq. cap. 10. et ex eo Adrichom. in Samaria.

**ET VIDETE INSANIAS MULTAS IN MEDIO EIUS.**) Hebr. *מהומות mehumot*, id est, *tumultus*, et conturbationes ingentes, ut vertit Chald. Hinc Septuag. vertunt, *admirationabilia*, quæ scilicet admiraturi erant Philistinii et Ægyptii, ad spectaculum hoc a Deo evocati.

Iam per *tumultus*, Arias accipit tumultus civium Samariæ, cum ea capta ab Assyriis, cives turmatim fugientes se invicem obtriverunt, et ab instantibus Assyriis obtriti sunt. Melius de culpa quam de pœna hæc accipias. Unde Noster vertit *insanias*, scilicet in colendis vitulis aureis, ait S. Hieron. Rupert. Hugo et Lyran. aut *insanias*, id est, insanos tumultus et seditiones, quibus se invicem obturcarunt: ita Theodor. Unde Vatabl. vertit, *confractioes nullas*: has enim significat Hebr. *mehumot*. Hinc et

sequitur: *Et calumniam patientes*, vel, ut Vatabl. *oppressos per vim et calumniam*, supple et repete, *videte*.

Tropol. Insanias sunt fragmenta hereticorum, ait S. Hieron. *dum unusquisque fingit quod voluerit, et adorat fragmentum suum: ut Marcion bonum Deum et otiosum: ut Valentinus *αωωωω* triginta, et extremam Christum, quem appellat *επιτομης*, id est abortivum: ut Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat *ελεφεζης*, et eundem secundum Græcas litteras, et unius cursus numerum, dicit in solis circulo contineri.* Talia sunt hodie Calvinii et Lutheri placita; hominem carere libero arbitrio; opera bona nil mereri; fidem solam iustificare; omnia opera sanctorum esse concupiscentia et peccato contaminata; Deum esse auctorem omnium operum, tam malorum, quam bonorum; Christum in cruce quasi desperasse, et pertulisse pœnas damnatorum; vota castitatis Deo nuncupata esse impossibilia, nec servanda; Deum præcepisse legem impossibilem. An non hæc insanias lymphaticorum, quibus nihil insanius vidit hæc ætas?

**THESAURIZANTES INIQUITATEM.**) Iniquas opes, scilicet partas per vim, calumniam, furta, etc. Unde Vatabl. vertit, *hi sunt qui thesaurizant rapinam, et prædant in palatiis suis*, congregant opes per fas et nefas, ut dicitur.

**ET RAPINAS.**) Septuag. *et miseriam*; Syrus, *et pressuram*, angustiam. Unde videntur ipsi hæc de pœna Samariæ accipere, cum potius de culpa accipienda videantur, uti dixi.

**PROPTEREA HÆC DICIT DOMINUS PUNIENS TUAS RAPINAS ET SCELERA: TRIBULABITUR ET CIRCVIETUR** (id est, einge-tur obsidione, et circumeirca obsidebitur ab Assyriis) **TERRA.**) Ne quis effugiat. Tigurina vertit, *angustia tibi erunt, idque undique in terra*: quod explicans Vatabl. *Hostis, ait, venturus est, et in circuitu terræ huius castra metabitur, ne quis possit effugere.* Loquitur hic Propheta tamquam attentus magnitudine tribulationis et stragis futuræ, quam quasi præsentem spiritu prophetico intuebatur: propterea utitur locutionibus concisis, multaque subiect et subaudit, ut admirationem et terrorem incutiat audientibus. Mirum est Septuag. hæc de Tyro accipere, eo quod Hebr. *צור tsor* significet angustias, et petram angustam, indeque Tyrum in petra conditam. Vertunt enim, *Tyrus, et in circuitu terra tua deserta erit.* Agitur enim hic de clade Samariæ, non Tyri. Melius ergo Symmach. *tsor* vertit *πελοριαν*, id est, obsidionem; et Theodotion, *fortitudinem*.

**DETRAHETUR EX TE FORTITUDO TUA.**) Tigurina, *deiciet a te robur tuum, et diripientur palatia tua*: Vatabl. *hostis auferet tibi opes tuas, in quibus tuum belli robur consistit*, q. d. Assyrii rapiunt tuas opes, quas per vim, dolum et calumniam commaxisti.

**QUOMODO SI ERUAT PASTOR DE ORE LEONIS DUO CRURA,** etc.) Per *pastorem*, Deum; per *leonem*, hostem; per *crura* et extremum auriculæ, paucitatem Israelis ab hoste servandam intellige, q. d. Sicut pastor leoni rapienti et discerpenti ovem, aut bovem, aliquam ex eo partem, sed parvam et ad esum inutilem, v. g. duo crura, quæ leo non curat, eripit; sic aliqui Israelitæ, sed pauci, lique infirmi, pauperes et viles ab hæc eorum strage et captivitate eruentur, ii scilicet, quos Assyrii contemnent, et ut quisquillas fæcesque plebis relinquent in Samaria ad colendum agros et vineas; ita Theodor. Clarius, Arias et Vatabl. Ecce Amos, utpote pastor, crebro a re pastoritia sibi familiari petit similitudines.

Aliter, imo contrarie S. Hieron. censet enim hæc ironice per sarcasum dici, q. d. Israelitæ præfisi robori Samariæ, et auxiliis Damasci, id est Syrorum, putant quod eruent et expedient se de manibus Assyriorum, sicut pastor ope canum de ore leonis extorquet et eripit duo crura, etc. sed errant et falluntur. Verum prior sensus, uti communior, ita simplicior est et verior: Deus enim post commendatam iustitiam, commendat hic suam misericordiam, eaque illam temperat, q. d. Non omnes omnino peribunt: nam aliqui servabuntur, licet pauci. Porro per crura et ossa significat eos nudos ac spoliatos, vilitate vix salva, stragi communi eripiendos.

Vers. 9.

Vers. 10.

Vers. 11.

Vers. 12.

Rursum censet Theodoretus duo hæc crura a pastore eripi, ut iis fidem faciat hero, pecus a leone esse laniatum, non a se venditum, aut furto sublatum.

Symbolice notat Rupert. duo crura et extremum auriculæ ad hoc reservari, ut ex iis constet quale fuerit pecus devoratum, an ovis, an bos, an equus; sic videlicet ex parvis Iudæorum reliquiis, colligi quales fuerint ipsi ante peccatum, et ante Christum, atque illas ipsas fidem Christianorum confirmare, dum testimonium legis et Prophetarum nobis circumferunt, ex quibus Christum salutis auctorem cognoscimus eundemque Gentilibus demonstramus per Iudæorum, fidei nostræ hostium, libros et monumenta.

Tropol. S. Hieron. hæc applicat doctoribus et prædicatoribus: *In crure, ait, via ostenditur doctrinarum, in aure sacramenta dictorum. Unde Apostoli absque calcamentis et ulla mortui animalis pellieula iubentur incedere, Matth. 10. Et ad credentes dicitur: Qui habet aures audiendi audiat, Lucæ 8. In corporis ergo totius strage auris eripienda est, qua monita salutis audiamus; et crura, quibus in illis et iuxta illa ambulemus et conversemur. Unde Stephanus Cantuariensis in Sylva allegor. per duo crura accipit continentiam mentis et corporis, per extremum vero auriculæ perseverantiam in obedientia: crura vero restringit et applicat Prælati. Sic enim, inquit, cum multi sint Prælati, maior pars peribit, et consumetur a leone, scilicet diabolo, et parvæ reliquæ salvæ fient per illum pastorem qui dicit: Ego sum pastor bonus.*

**IN PLAGA LECTULI.** Id est, in latere vel angulo lecti. Sic enim quatuor plagæ mundi vocantur quatuor eius latera. Nam hebr. est פֶּאֶת מִטָּה *peat mita*, id est, in angulo, latere, vel extremitate lecti: in angulo enim utrinque corpus fulcitur; hine melius et plenius in eo quiescit. Huc facit illud Thomæ a Kempis: *In omnibus requiem quæsi, et non inveni, nisi in angello cum libello.* Porro plaga vox est desumpta a Græcis: hi enim πλάγας, vocant latera et angulos transversos. Rursum plagæ et plagulæ tapetes græcos dicuntur, latine stragula. Unde Varro de Vita populi Rom. *Eburneis lectis et plagis sigillatis.* Et Livius l. 9. in bello Maced. *Luxuriæ, ait, peregrinæ origo ab exercitu Asiatico advecta in urbem: ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia, etc. Romam adveherunt.* Nec hoc longe abit ab Hebræo *pea*, id est, angulus, extremitas: stragula enim sunt angulata, et in angulis signata et plagulis insignita. Sensus est, q. d. Pauci Israelitæ, ut dixi, habitantes in Samaria, in caque secure quasi in suavi lecti stragulo, vel angulo quiescentes eruentur a clade Assyriorum. Samaritam vocat plagam, vel angulum lectuli, eo quod iustar lecti elevata esset et montosa, æque ac mollis, deliciosa, opulenta, indeque culta et populosa, ut videretur esse angulus et arx decem tribuum. Unde in ea fidenter quasi in lectulo quiescebant, non timentes Assyrios; ita S. Hier. et alii. Adde, per *plagam* accipi potest clima, situs et regio Samariæ: hæc enim Hebræi vocant *pea*, id est, angulum terræ. Rursum, proprie Samaria sita erat in angulo respectu Iudææ, et montium Samariæ urbi imminenti, ut patet in tabula eius chorographica, quam exhibet Adrichomius post paginam 24.

Iam Primo, Chald. sic vertit et explicat: *Erventur qui habitant in Samaria, in fortitudine potestatis, et in Damasco innitentes, q. d. Erventur qui confidunt Samariam munitiori, et opi Damascenorum ac Syrorum, in qua pariter quasi in grabato quiescunt et securi dormiunt.*

Secundo, Lyran. per *plagam lectuli* accipit Ierusalem, in qua erat templum, in quo quasi in lecto quiescebat Deus, q. d. Salvabuntur pauci ex Israel, scilicet ii, qui profugerint in Ierusalem ad alas Dei et Ezechiæ regis, vel in Damascum ad alas Syrorum.

Tertio, Vatabl. q. d. Cladem Assyriacam pauci effugient, scilicet ii dumtaxat, qui post lectum in angulo se absconderint: aut ægroti, qui in lectis decumbentes sua abegritudine movebunt Assyrios, ut iis pareant, q. d. Assyrii parcent solis miseris, qui adeo pauperes erunt, ut bini vel ter-

ni in lecto, aut non tam in lecto, quam in parte et angulo lecti quiescere cogantur.

Quarto, Septuag. pro, *In plaga lecti et Damasci grabato, vertunt, contra tribum et in Damasco, ut iuxta tropologiam referamus tribum* (Hebr. enim מִטָּה *mita* lectum, sed, si legas alio puncto מִטָּה *matte*, virgam et tribum significat) *ad Iudam, et Damascum ad vocationem Gentium, de quibus unus grex factus est Domini: cuius sæpe oves leonum feritas laniat, de quorum faucibus vix duo crura, aut extremum aufertur auriculæ, ait S. Hier.*

Quinto, probabiliter P. Prado in Ezech. 24. 40. hæc accipit de lectulis mensalibus, q. d. Qui habitant (quiescunt) in Samaria in plaga lectuli, id est, qui primos habent discubitus in lectis stratisque inter convivas. Nam pro *plaga* hebr. est *in angulo lecti*, id est, in capite, in loco primario. De quibus rursum dicit e. 6. 4. *Qui dormitis (cubatis) in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.*

Ex his omnibus maxime genuina videtur tertia explicatio: tum quia vox *plaga*, vel angulus *lectuli*, ac vox *grabato*, significant hæc ad pauperes et ægros pertinere. Hi enim iacent in grabatis et angulis: tum quia hi recte comparantur cum duobus cruribus, et extrema auriculæ, leoni ereptis; alioqui enim non constabit similitudo Prophetæ, eiusque vis et nervus, nisi his duo crura et extremum auriculæ adaptes. Sensus ergo totius huius versiculi est hic: Sicut pastor de vervece aut vitulo a leone devorato eripit, servatque duo crura, aut extremum auriculæ, ab illo carnibus iam satiato, utpote ossea et insipida neglecta, ut ea ad herum deferat, quo demonstret vitulum non a se subductum, sed a leone laniatum: ita ex tota Samaria quasi e corpore politico, duo vel tres, id est, pauci dumtaxat eladi illius eripientur, ique viles et inutilis, puta pauperes macie confecti, ut sola crura ossea habere videantur; et ægri, qui bini vel terni in eiusdem lecti et grabati lateribus decumbant, sive in Samaria, sive in Damasco: ita a Castro. Quocirca forte idecirco Interpretes pro Hebr. *pea*, id est, angulus, vertit *plaga*, quæ et latus, et vulnus morbumque significat, ut innoeret eos in latere lectuli decumbere ex vulnere et morbo, q. d. Salvabuntur ii, qui ex plaga vulneris et morbi decumbunt in plaga, id est, in latere et angulo, lectuli. Proprie plagæ, vel plagulæ sunt commissuræ, sive assumenta, quæ tapetibus, casulis, stragulis, lectis, vestibus attextuntur vel assuntur; pretiosæ (uti sunt effigies aureæ et gemmæ in casulis) a divitibus ornatus et splendoris ergo; rudes et viles a pauperibus necessitatis causa. Laceris enim stragulis, lectis et vestibus pauperes assunt partes, puta plagulas, ut rapturam sarciant, præsertim ad angulos: ibi enim facilius ob adfrictum parietis, aliarumque rerum, frauguntur. Plaga ergo lectuli est angulus lectuli pauperis, assumento resarciti, et, ut S. Franciscus dicere solet, rappeccati. Pauperes enim lectos habent non integros, sed plagulis tum maioribus, tum minoribus consarcinatos instar centonum. Quare dormire in plaga lectuli, idem est quod dormire in centone, aut potius in assumento et latere centonis, ita ut in altero lecti latere dormiat alius, vel plures. Sensus ergo est, q. d. In Samariæ excidio salvabuntur soli pauperes et miseri, qui in centonibus gregatim ob paupertatem dormiunt.

**ET IN DAMASCI GRABATO.** Sicut Samaritam lectum, sic Damascum vocat grabatum: quia Israelitæ vexati ab Assyriis, miseri et afflicti confugiebant Damascum, ibique quasi ægri in lecto secure quiescebant, seque reereabant. Damascus ergo iis afflictis, fessis et ægris erat quasi lectus: ita S. Hier. Rupert. Remig. Hugo et alii. *Ut quomodo qui fessus est refocillatur in lectulo, sic illi fractas rires vicinæ gentis (Damasci) auxilio roborarent, ait S. Hieron.*

Perperam Recentiores, ut R. David, Pagnia, et alii, Hebr. דַּמְשֶׁק *dammeseek*, id est, Damasci, accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum: quasi compositum ex דָּ *de*, et מֶשֶׁק *mesek*: *mesek* autem significat tibiam vel crus. Unde vertunt, *in crure*, id est, pede vel sponda le-



eti; aut, ut Arias, *in lecto mobili et agitabili*, ut eius agitatione ægro somnus concilietur, uti matres agitant cunas infantium, ut hoc motu ipsi somnum concipiant. Unde ipse exponit, q. d. Assyrii iis solis parent, qui ex gravi longaque infirmitate decumbentes in lectulis, seipsos movere, et ab una parte in aliam convertere non poterunt, sed instar puerorum moveri, et converti ab aliis debeant. Perperam inquam: nam hebr. non est *meseck*, sed *damneseck*, quod non aliud quam Damascum significat, uti vertunt Septuag. Chald. Noster et alii. Adde 7 de Hebrais non esse articulum, nec solere præligi nominibus.

Tropol. lectus avari est mammona, lectus superbi honor, lectus gulosi mensa opipara, lectus luxuriosi cubilia et impudicitia, lectus acredi torpor et somnus. Nam *sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo*, Proverb. 26. 14. Hi lecti varios habent angulos et stragula mollia, quæ quisque sibi fingit, captat et adaptat.

Vers. 15. **AUDITE.**) Vos o populi, ait S. Hieron. vel potius, vos o Prophete, eadem ad quam non ego, sed Deus per os meum destinat domum Iacob, id est, posteros Iacobi sive Israelis, puta decem tribus earumque aras et delubra, in quibus colunt vitulos aureos in Dan et Bethel; ita Albert. Hugo, Arias et Vatabl. Unde Septuag. habent, *Sacerdotes audite*. Sed recte notat S. Hieron. *Pulo*, inquit, *Septuag. ipsum verbum posuisse, quod quidam non intelligentes, pro אֱרֵץ ares legerunt* εἶμας, *id est, sacerdotes. Ares enim noster Interpres, et alii ad versum præcedentem referunt, vertuntque lectulum; sed Septuag. huc referunt, retinentque ut nomen proprium.*

**A ET CONTESTAMINI.**) Id est, contestando Deum, eumque in testem vocando prædicite et prædicite instans eis exitium, nisi ab idolis et sceleribus respiscant.

**ET PERCUTIAM DOMUM HIEMALEM CUM DOMO ÆSTIVÆ.** Vers. 15. Ita et Aquila, Symmach. et Theodor. Verum Sept. vertunt, *domum pinnatam, eo quod ostiola habeat per fenestras, et quasi pinnas ad magistatium frigiditatis repellendum*, ait S. Hieron. qui hac re significari putat, *Israelitas deliciosos tantarum fuisse opum, ut duplices haberent domos, hiemales et æstivas, quarum aliæ (hiemales) versæ essent ad Aquilonem, aliæ (æstivæ) ad Austrum, ut pro varietate temporum, frigiditatis et caloris æstivæ temperiem providerent*. Sic Ierem. 36. 22. Ioachim dicitur fuisse in domo hiemali mense nouo. Ita in Belgio domos æstivas in villis ad delicias comparatas, ob luxum in iis admissum, per bella hæc destruxit et rasis Deus.

**B** Mystice idem S. Hieron. *Domus*, ait, *hiemalis erat regnum Israel, in qua frigus erat religionis et cultus Dei, varietate ventorum turbine et sæva tempestas: et domus æstiva, Iuda et Ierusalem, in qua erat templum, et offerbantur holocausta mane et vespere, et vigebat calor religionis.*

**ET PERIBUNT DOMUS EBURNEÆ.**) *Legimus Ahab regem Israel tantis fluxisse deliciis, ut domum sibi eburneam fecerit*, 3. Reg. 22. 39. ait S. Hieron. non quod fecerit eam ex ebore solido: nuda enim tantum eboris habuisset? sed quod illam ebore incrustavit: hæc enim vocatur *domus eburnea*, teste Plinio lib. 16. 43. vide Sanchez.

## C A P U T Q U A R T U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Minatur Deus Israelitis, quod Assyrii levabunt eos in contis, et reliquias eorum in ollis ferventibus. Deinde ob impura et sacrilega eorum sacrificia ait se eos percussisse sex plagis, scilicet fame, siccitate, vento urente, aurugine, eruca, peste: denique pene eos subvertisse sicut Sodomam, eos tamen hisce plagis nihil meliores effectos, nec rediisse ad se. Quocirca dira et extrema quæque illis intentat, additque: Præparare in occursum Dei tui, qui creat montes, ventos, nebulas, etc.*

1. **AUDITE** verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte, et bibemus. 2. Iuravit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus. 3. Et per aperturas exhibitis altera contra alteram, et proficiemini in Armon, dicit Dominus. 4. Venite ad Bethel, et impie agite: ad Galgalam, et multiplicare prævaricationem: et afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras. 5. Et sacrificate de fermentato laudem: et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate: sic enim voluistis filii Israel, dicit Dominus Deus. 6. Unde et ego dedi vobis stoporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris: et non estis reversi ad me, dicit Dominus. 7. Ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem: et plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui: pars una completa est: et pars super quam non plui, aruit. 8. Et venerunt duæ et tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, et non sunt satiatæ: et non redistis ad me, dicit Dominus. 9. Percussi vos in vento urente, et in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, et vinearum vestrarum: oliveta vestra, et ficeta vestra comedit eruca: et non redistis ad me, dicit Dominus. 10. Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio iuvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum: et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in naves vestras: et non redistis ad me: dicit Dominus. 11. Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrhā, et facti estis quasi torris raptus ab incendio: et non redistis ad me, dicit Dominus. 12. Quapropter hæc faciam tibi Israel: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel. 13. Quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen eius.

Vers. 1. **AUDITE VERBUM HOC VACCÆ PINGUES.**) Hebr. *vaccæ Basan*: ita Septuag. Theodot. Aquila et Hebræi passim. Verum quia regio Basan pasens opima, pingues alebat boves et vaccas, ut patet Deuter. 32. 14. hinc recte vertit Noster, *vaccæ pingues*; et Symmach. *boves saginatae*; alii, *vaccæ lascivientes*. Iam Theodor. per *vaccas* accepit mulieres Samariæ lascivas, rapaces et imperiosas. *Vaccas*, inquit, *Basanitides, mulieres vocat luxu et voluptatibus diffuentes. Eiusmodi enim erant vaccæ Basanitides, ob pabuli copiam exultantes. Unde fiebat, ut bona te-*

*nulorum in rem suam converterent* (uti vaccæ depasebantur prata Basan) *atque viris, quibus ex divina lege subditi erant, imperare non vererentur, in ordinemque eos reddigi iuberent: qualis fuit Iezabel, viro (Ahab) tantquam mancipio utens*. Sic et Lyran. Arias et Vatabl. Est enim vacca, muliebris ingenii, petulantia et salacitatis symbolum. Unde Alianus lib. 4. 45. scribit in Ægypto vaccam, simul et Venerem religiose coli, eo quod vacca infirmitatem et convenientiam eum dea habere existimetur: quin et vacca Veneri in Ægypto immolabatur, ait Girald.

in Syntag. nam, ut ait Columella lib. 6. 4. vaccae post vernam pinguedinem gestientes, et pabuli nimietate cahilaratae lascivunt. Insuper vacca quamvis plena fetu, non expletur libidine. Quocirea Amos hic describere videtur familias et domus impiorum, quae sunt sicut congregatio taurorum in vaccis populorum, psal. 67. 31.

Melius S. Hier. Ruffin. Rupert. Albertus, Glossa, Hugo, Clarius et alii, censent haec tam, imo magis ad viros, quam ad mulieres Samariae spectare: viri enim quia effeminati, lascivi et impudentes, vocantur vaccae, vel vitulae populorum, psal. 67. v. 31. Osee 10. 11. et alibi. Id patet ex sequentibus: *Ecce dies venient super vos, scilicet viri.* Hebr. enim **הם** hem masculinum, viros notat: *vacca* ergo *Basan*, vocat opulentos (unde Chald. vertit, *divites substantiarum*) et principes Samariae, qui bona pauperum depascebantur, tum quia gulae et ventri erant dediti, tum quia saginae et mactationi destinabantur. Audi S. Hier. *Loquitur ad principes Israel, et optimates quosque decem tribuum, qui deliciis ac rapinis vacabant, ut audiant sermonem Dei, et non aratores boves, sed vaccas pingues de armento se esse noverint, sive quae nutriantur in pascuis Basan, quae sunt loca herbarum fertilissima, ac per hoc significat eos non agriculturæ, sed immolationi et esui præparatos.*

Porro, cur hi vocentur *vacca Basan*, tres causas adfert Ruffinus. Prima, quod gloria ipsorum in ignominia erat terminanda. *Basan* enim hebr. confusionem et ignominiam significat. Secunda, quod vox eorum humana in vacinam, puta in mugitum, præ dolore erat commutanda. Tertia, quia Deus eorum erat venter, ac iugibus vacabant convivis et symposiis, ideoque, ut ait Psaltes, *prodiit quasi ex adipè iniquitas eorum.* Quartam adde, quod vaccae, puta vitulos aureos, quasi deos coluerint. Unde Rupert. per *vacca Basan* accipit sacerdotes Bethel, qui visibiliter substrati vitulis quos colebant, erant instar vaccarum; invisibiliter vero suas animas tauris infernalibus, id est, dæmonibus, prostituiebant. Hi enim dicebant principibus: *Date nobis victimas et oblationes, quas comedamus et bibamus; nos vicissim vos vestraque peccata expiabimus apud Deum, et excusabimus apud populum.*

Tropol. S. Hieron. *vacca Basan* sunt hæretici veneri et gulae addicti, uti fuit Lutherus, Calvinus, Bucerus, etc. Item divites et nobiles insolentes et rapaces, qui ex aliorum, præsertim pauperum bonis se ditant, iisque luxuriantur.

**QUÆ DICITIS DOMINIS (puta regibus et principibus) VESTRIS: AFFERTE, ET BIBEMUS.**) q. d. Afferite spolia pauperum, ut inde vobiscum epulemur, et compotemus; vel, ut S. Hieron. *Date nobis, et bibemus, id est, iubete tantum, et nos cuncta vastabimus, id est, diripiemus, inquit Chald. ut lictores, vel ut ebrii absorbebimus. Nam voce, Bibemus, ebrietatem eorum significat in vino atque luxuria, quæ statum mentis evertunt, ait S. Hieron.*

Tropol. idem dicunt iniqui Advocati et Procuratores Iudicibus; Consiliarii, Seabini et Prætores Principibus et Magistratibus, æque impiis. Hi enim quasi barpyiæ inhiant bonis populi, in eaque involantes illa inter se distribuunt, atque ex iis opipara convivia et symposia instruunt. Hoc scelus enorme, uti rempubl. evertit, ita horrendam certamque Dei iram et vindictam provocat. Unde subdit:

**IURAVIT DOMINUS DEUS IN SANCTO SUO.**) Hebr. **בְּקִדְשׁוֹ** *bekodsio*, id est, *in sanctitate sua*, hoc est, per sanctitatem suam: Hebr. enim *beth*, id est, *in*, est nota iurantis: ita Chald. Symmaeh, et passim Hebræi, q. d. Iuravit Deus per semetipsum: ipse enim est summa et increata iustitia et sanctitas, quam vos, o iudices et principes, in terra imitari et tueri debebatis, nunc autem eandem violastis et evertistis. Quocirea hæc Dei sanctitas iurat, se huius violationis, et ut ita dicam sacrilegii, acerrimum fore vindicem: ita S. Hieron. Remig. Rupert. et alii, qui ius super tres alios asserunt sensus. Primus est, iuravit Deus per sanctitatem, id est, per sanctum templum suum. Secundus, per filium suum sanctum. Tertius, per sanctos Prophetas. Unde Septuag. vertunt, *iuravit Dominus per*

*sanctos suos.* Verum quod initio dixi, litterale est et genuinum.

**QUIA ECCE DIES VENIENT SUPER VOS, ET LEVABUNT VOS IN CONTIS.**) Septuag. Syrus et Arabicus, *in armis*; Symmach. *in clypeis*; melius Theodot. *in hastis*, q. d. Instant dies, quibus Assyrii vos, o Samaritæ, contis et hastis suis configent. Unde Tigurina vertit, *auferet vos lanceis.* Servet *vaccarum metaphoram*, ait S. Hier. *ut quas esse pingues dixerat vaccas, carum carnes narret in contis, vel scutis esse portandas.* Forte etiam alludit ad morem militum, puta ad feros sævosque victores, qui capita cæsorum in lanceis gestant quasi in triumphum, uti faciunt Turcæ. Contus enim vocatur sudes et hasta longior, vel pertica oblonga nautarum, qua ipsi navem protrudunt et dirigunt: unde Virgil. 5. Æneid.

*Et acula cuspide conti:*

**ET RELIQUIAS VESTRAS IN OLLIS FERVENTIBUS.**) Arabicus, *in ollis ardentibus*; Syrus, *in olla venatoris*; Hebr. **בְּסִירוֹת דֹּגָה** *besirot duga*, id est, in ollis piscium, quas scilicet piscatores servant plenas ferventi aqua, ut pisces recentes, quos e mari extrahunt illico coquantur, q. d. *Sicut lebes ferventissimus minutos pisces pariter involvit, ita et vacca Basan absque ullo ordine captivitatis miseris opprimuntur,* ait S. Hieron. Aut pressius et concinnius, q. d. Sicut laniones capita boum et vaccarum a se mactatarum, longis contis et perticis ostentant, ut inde populus cognoscat qualis quantaque vacca sit mactata, et ad eius carnes emendum accurat; reliquias vero, puta hepar, stomachum, intestina coniecit coquitque in ollis ferventibus: ita et milites Assyrii capita, id est, optimates Samariae a se occisos, vel captos ostentabunt, ut ex iis aliæ gentes conieciant, qualis quantusque fuerit Samariae populus, quantaque de iis strages et victoria: reliquias vero, puta milites civesque, qui in arees, urbes, domosque munitas, aut in caveas et speluncas confugient, in illis ipsis quasi pisces in ollis ferventibus comburent: ita Lyran. et Dionys. *Sicut enim Ierusalem,* ait S. Hieron. *habens clausos populos et obsessos, assimilatur olla ferventi et plenæ carniū,* Ezech. 24. 3. *sic et urbes Samariae ollis ferventibus comparantur, quæ fame et pestilentia clausos populos exire compellant, et ire in captivitatem.* Addi a Castro, q. d. Corpora eorum dilacerata, et in frusta concisa in ferventes ollas iniiciunt, uti fecit Antiochus Epiphanes Machabæis, 2. Machab. 7.

Aliter Rupert. et Remig. q. d. Assyrii Samaritas confuse sine ullo ordine in Assyriacam captivitatem quasi in ollam conieciunt.

Secundo, Hebr. *besirot duga*, Pagnin. Vatabl. et Clarius exponunt, *in hamis piscatoriis*, q. d. Sicut piscatores hamis pisces extrahunt ex mari, ita Assyrii suis armis vos extrahent ex Samaria, abducentque in Assyriam.

Tertio, Chald. vertit, *elevabunt vos in clypeis, et filias vestras in scaphis*, vel navibus piscatoriis, q. d. Per naves quæ excavantur et orbiculantur instar clypeorum, e Samaria avehent et ablegabunt vos in Cyprum, aliasque remotas insulas.

Quarto, R. Abraham et R. David pro *ollis* vertunt *spinis*: has enim quoque significat Hebr. *sivot*. Iam *spinis*, id est, hamis; vel *spinis*, id est, contis et lanceis acutis instar spinarum, ut more Hebræo idem dicat hemistichio posteriore quod dixit priore, vel *spinis*, id est, flagellis: ex spinis enim tyranni faciebant flagella, quæ quia suis aculeis carnes pungebant, lacerabant et discerpebant, vocabantur scorpiones, quos Roboam tyrannus minatus est populo dicens: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus*, 3. Reg. 12. 14.

Quinto, Arias pro *in contis*, vertit, *in frigidibus*, sensumque dat, q. d. Assyrii vos, o Samaritæ, quasi vaccas æstate lascivientes transferent in regiones frigidas et algentes, ubi pro cibis non aliud habeatis quam viles pisciculos, qui olim mancipiis dabantur in escam.

Denique Septuag. vertunt, *tollent vos in armis, et eos qui vobiscum sunt in ollas ferventes pestilentes*: *εμπροσθεν* enim ferventes significat; pro quo aliqui legunt *εμπροσθεν*, id

est, desolati, vel desolatores; Complut. *εμπροσθε*, id est, **A** re Deo vero Hierosolymis, nunc vitulatores illud ipsum mane offerre vitulis vestris: ita Clarius, Arias, Vatabl. et alii. Quodnam et quale fuerit hoc iuge sacrificium, dixi Exodi 29. 38. Secundo, S. Hieron. putat per *mane* significari aviditatem, celeritatem et multitudinem sacrificiorum, q. d. Agite quod agitis, pergite summo mane ex ardore idololatrandi offerre victimas, ut aliis et aliis supervenientibus ante vesperam omnia absolvere possitis, ne dies citius vos deficiat quam sacrificia et scelera vestra. Addit S. Hieron. *mane* notare victimas pridie immolatas, et contra legem servatas in posteram mane, q. d. Vos ex lege Levit. 7. 15. debebatis victimas eodem die comedere quo eas immolastis; at nunc contra legem vel ex avaritia, vel ex crapula, quia scilicet tot victimas eodem die vorare non potestis, servatis multas eorum reliquias in mane sequentis diei: nam et mox taxat eos, quod contra legem fermentum offerrent in sacrificio.

Vers. 3

**ET PER APERTURAS** (muri Samariæ, qui ab Assyriis eam obsidentibus arietibus diruetur et aperietur) **EXIBITIS ALTERA CONTRA ALTERAM.**) Id est, una cum altera, vel una post alteram, hoc est singuli, vel simul bini et terni, vel vicissim et ordine suo exhibent captivi abducti ab Assyriis: ita S. Hier. Unde Chald. vertit, *confringent super vos muros, et educent vos quasi mulieres, singuli ante se.* Dicit, *altera contra alteram*, id est, alter contra alterum: quia persistit in nomenclatura vaccarum, qua eos vocavit v. 1. solent enim vacca gregalim educi per portas, ita ut binæ, ternæ et quaternæ, simul egrediantur, aliæ pari ordine et turba sequantur. Aliter alii, q. d. *Alteru*, scilicet *vacca*, *egredietur contra alteram*, scilicet aperturam muri, q. d. Quælibet egredietur per aperturam sibi oppositam, quo significat multas fore muri rapturas; sicuti de muris Iericho circumeira corruentibus, ait Iusue c. 6. 5. *Muri funditus corruent, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.* Unde Vatabl. vertit, *egrediemini unaquæque ante se, id est, per rapturam quæ prima vobis occurret.* Sic et Clarius et Arias.

**ET PROICIEMINI IN ARMOM.**) q. d. Assyrii abducent vos in Armeniam, quæ adiacet Assyriæ: ita S. Hieron. Chaldeus, Symmach. Remig. Rupert. Hugo et Clarius. Hebr. est *ההרמונה* *haharmona*, quod Primo, Noster et alii iam dicti vertunt, *in Armon*, vel *in Armenium*. Hæc enim ab Aram filio *Sem*, primo incolæ, dicta est *Aram*, vel *Harmon*: littera enim *aleph* sæpe cum *he* commutatur.

Secundo, alii, *Harmona* per diastolen dividunt: unde Theodotion vertit *in montem* (*hor* enim hebr. significat montem) *Mona*; Aquila, Syrus et Arabicus *in montem Armona*; Septuag. *in montem Remnam*, vel, ut Theodor. legit, *Armana*, q. d. Abducentur in montes Armeniæ, hæc enim montosa est: unde in eius montibus primum quievit et subsedit area Noë, Genes. 8. 4. imo a montibus dictam esse hebraice *Aram*, sive Armeniam, q. d. Altam, excelsam, censent viri docti; eo quod cæteris provinciis omnibus excelsior et montosior sit. V. editio vertit, *in montem excelsum.*

Tertio, Recentiores, R. David, Vatabl. Arias, a Castro, Marinus et Pagnin. Harmon, vel Armon accipiunt ut nomen non proprium, sed appellativum, significans palatium, domum excelsam, arcem: Hebr. enim *רם* *ram*, altum, celsum significat: unde Abram vocatus est, quasi *Ab*, id est, pater, *ram*, id est, excelsus. Sensus ergo est, q. d. Assyrii Samariam expugnando, obviosque trucidando, vel capiendo, reliquos vestrum stringet et coget confugere, et conicere se in arces munitas; sed frustra: nam et illas expugnabit, vosque capiet et trucidabit. Aliter Pagnin. vertit enim: *Deicietis palatium*, scilicet regis muro adherens, ut per illud manus instantis Assyrii effugialis.

Tropolog. Vaccaë Basan, id est, hæretici proiciuntur a dæmone in montes Armeniæ, id est, superbiæ: omnis enim hæreticus est superbus, quia suum iudicium præfert toti Ecclesiæ. Hinc Remnam, idem est quod visio alicuius, ait S. Hieron. quia hæretici non omnia Ecclesiæ dogmata carpunt, *sed partis alicuius scientiam sibi promittunt, ut proiciantur, eo quod scire se credunt*: sui enim ingenii et iudicii lima politula limare volunt fidem et Ecclesiam.

Vers. 4.

**VENITE.**) Est sarcasmus, id est, hostilis irrisio, q. d. Agite sacrilegi, vitulami cum vitulis vestris in Bethel, cum idolis in Galgalis; satiate vos eorum victimis, ingurgitate vos vestris idolothytis: at scitote vos ibidem ab Assyriis maectandos, quasi victimas Deo ulti. Ita S. Hieron. Quocirca hunc sarcasum candide explicant Chald. et Septuag. dum assertive et increpando vertunt, *ingressi estis in Bethel, et inique egistis in Galgala, multiplicastis impie agere.*

**AFFERTE MANE VICTIMAS VESTRAS.**) q. d. Iuge sacrificium agni, quod ex lege solebatur mane et vespere offer-

re Deo vero Hierosolymis, nunc vitulatores illud ipsum mane offerre vitulis vestris: ita Clarius, Arias, Vatabl. et alii. Quodnam et quale fuerit hoc iuge sacrificium, dixi Exodi 29. 38. Secundo, S. Hieron. putat per *mane* significari aviditatem, celeritatem et multitudinem sacrificiorum, q. d. Agite quod agitis, pergite summo mane ex ardore idololatrandi offerre victimas, ut aliis et aliis supervenientibus ante vesperam omnia absolvere possitis, ne dies citius vos deficiat quam sacrificia et scelera vestra. Addit S. Hieron. *mane* notare victimas pridie immolatas, et contra legem servatas in posteram mane, q. d. Vos ex lege Levit. 7. 15. debebatis victimas eodem die comedere quo eas immolastis; at nunc contra legem vel ex avaritia, vel ex crapula, quia scilicet tot victimas eodem die vorare non potestis, servatis multas eorum reliquias in mane sequentis diei: nam et mox taxat eos, quod contra legem fermentum offerrent in sacrificio.

**TRIBUS DIEBUS DECIMAS VESTRAS.**) Sept. *tertio die*, vel, ut habet codex Vatican. *in triduum decimas vestras.* q. d. Vos contra legem Levit. 7. 17. servatis victimas in tertium diem: ita S. Hieron. Remig. et Hugo. Verum lex illa Levit. vetat tantum victimas servari, non decimas, de quibus hic agitur.

Secundo, Arias, Vatabl. et Pagnin. vertunt, *afferte ad tertium dierum*, id est, tertio die, hoc est, tertio anno decimas idolis vestris, iuxta legem Deuteronom. 14. 29. Nam *dies* apud Hebr. sæpe significat annum, ut Genes. 24. 1. *Erat Abraham senex, dierumque* (id est, annorum) *multorum.* Verum illa lex Deuter. non iubet offerri ad templum, sed tantum domi suæ servari decimas, easque tertio anno distribui in Levitas, peregrinos, pupillos et viduas, uti fecit Tobias c. 1. 7. *Ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.*

Dico ergo, proprie hic tres dies accipi. Iusserat enim Deus Hebræis Exod. 23. v. 14. et 19. ut tribus diebus, sive festis præcipuis per annum, puta in die Paschatis, Pentecostes et festi tabernaculorum, adirent templum sacrificii et orationis causa: et tunc partim ad iter, partim ad oblationes et epulum sacrum (quo cum Levitis ex victimis suis pacificis epulaturi erant coram Domino, id est, in templo coram area et Sancto sanctorum in quo residebat Deus) ferebant secum unam decimam suarum frugum et opum, quam ad hoc separare iubent Deut. 14. 22. itaque fecit Tobias, ut patet c. 1. 6. et 7. Idem fecisse Israelitas in Bethel, quasi simias Iudæorum, docet hic Propheta, q. d. Agite, ter in anno, sive tribus præcipue festis afferite decimas in Bethel vitulis, quas olim afferre solebat Deo in Ierusalem; ita Rupert. Lyran. a Castro et alii.

**ET SACRIFICATE DE FERMENTATO LAUDEM.**) *Laudem*, id est, *sacrificium laudis*, ut vertit Tigurina, seu *gratiarum actionis*. Unde Aquila vertit, *eucharistiam*; hoc enim a fine vocatur hebr. *תודה* *toda*, id est, confessio, laus, gratiarum actio. Est ironia et sarcasmus; irridet enim eorum sacrificia fermentata, ideoque impura: nam Iudæorum erant azyma et pura, idque ex præscripto Dei Levit. 2. 11. et cap. 7. 12. et ita S. Hieron. Rupert. Lyran. et Hugo. Quare imperite Græci nonnulli hunc locum citant, ut contra Latinos probent Eucharistiam celebrandam esse in pane fermentato, non azymo. Nam Amos non laudat, sed culpat et damnat hic sacrificium fermentatum.

Nota. Nihil fermentatum inferri poterat altari; poterant tamen panes fermentati offerri tamquam donaria pro sacerdotibus, ut ipsi illis vincerentur, uti ostendi Levit. 7. 13. Quare minus recte Vatabl. et Arias censent in sacrificio laudis potuisse offerri fermentum: hoc enim discretè vetatur Levit. 2. 11.

Mystice fermentum est symbolum corruptionis et malitiæ, 1. Corinth. 5. v. 6. unde Chaldeus vertit, *colligunt ex rapina sacrificium laudis. Quia de fermentato laudem immolat, qui Deo de rapina sacrificium parat*, ait S. Gregor. hom. 22. in Evang.

**ET VOCATE**, celebrate, proclamate, et deprædicate vestras victimas, quasi liberales, spontaneas et **VOLUNTARIAS OBLATIONES.**) Sed frustra. Nam Deus eas, uti im-

Vers. 5.

puras et idololatricas, abominatur: ita S. Hier. Rupert. Remig. et Hugo. Secundo, *vocate*, id est, ut Vatabl. *indicite*, *voluntaria sacrificia* et oblationes, æque ac festa vitulorum, atque in iis convocato populum, ut voluntarias oblationes iis offerat, ut fecit Aaron in fabricatione et dedicatione vituli aurei, Exodi 32. 2. *Tollite*, ait, *inaures aureas de uxorum, filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Fecitque populus quod iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset*, etc. *fecit ex eis vitulum aureum*. Ita homines in rebus divinis parei et avari sunt, sed in iis quæ spectant pompam, aut ventrem, puta in obsequio mundi et diaboli, profusi sunt, suasque opes libenter et liberaliter exhauriunt: unde Arias vertit, *vota nuncupate*; Pagninus, *vocate ad solemnitatem, voluntaria congregari facile*: nam a קריא *kiru* id est, *vocate*, dicta est מקרא *mikra*, id est, convocatio, et cætus populi, indeque solemnitas et festum. In festo enim convocabant *mikra*, id est, Ecclesiam et cætum populi, ad celebrandam solemnitatem, et ad offerendum victimas ac alias quaslibet oblationes.

Vers. 6.

**UNDE ET EGO DEDI VOBIS STUPOREM DENTIUM** (perperam Arabicus vertit, *benedictionem*) **IN CUNCTIS URBIBUS VESTRIS.**) Ita et Chald. et Septuag. *Stuporem dentium*, intellige ex fame: subdit enim quasi explicando: *Et indigentiam panum in omnibus locis vestris*: nam longa fames, uti hebetat sopitque appetitum, ita pariter contrahit gingivas, itaque hebetat, et stupefacit dentes: ita Rufinus. Unde Hebr. נִכְיוֹן *nikion*, significat vacuitatem (ut dentes vacui sint a cibo) et *munditiam dentium*, uti vertunt Aquila, Symmach. Theodotion, S. Hieron. Arias, Vatabl. Pagn. Marinus et alii. Cum enim in fame et penuria dentes non habent quod mordeant et mandant, innocentes sunt et mundi, indeque arecentibus et contractibus se gingivis et nervis hebetantur, constipantur et obstupescunt, æque ac oculi deficientibus spiritibus caligant et obstupescunt: ideoque Noster, et Sept. vertunt, *stuporem dentium*. Est metalepsis, nisi malis esse onomatopœiam, ut vox *nikion* suo sono representet sonum et stridorem dentium stupentium. Sensus est, q. d. Quia vos me privatis sacrificiis mihi debitis, ego pariter privabo vos pane et cibo necessario ad vitam, faciamque ut dentes vestri ex fame, et ex comestione fructuum immaturorum, qui acerbi sunt et pontici, obstupescant. Nota, *dedi*, scilicet proprie in præterito, sæpius enim Deus per Eliam et Elisæum Israelitis, ob idola et scelera intentavit et induxit siccitatem, indeque famem, ut patet 3. Reg. 17. et 4. Regum 6. 25. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo et Lyran. licet Vatabl. et Clarius prophetice accipiant *dedi pro dabo*, quasi Deus hic comminetur famem futuram. Plenus foret sensus, si *dedi* ample acciperes pro *do, dedi et dabo*, q. d. Ob idola et scelera vestra sæpius vobis induxi famem, et etiamnum induco, ac in posterum inducam, tum per me cohibendo pluvias, tum per hostes, præsertim Assyrios, populando urbes et agros Samariæ. Verum primum sensum exposcit id, quod post hanc plagam aliasque quatuor sequentes singulis versibus subdit, *Et non redistis ad me*. Et illud v. 12. *Quapropter hæc faciam tibi Israel*: quæ

verba significant famem hanc aliasque plagas fuisse præteritas, non futuras.

Nota, quod ait, *stuporem dentium in eunctis urbibus*, significat communem et publicam fore hanc cladem et famem, ut non tam singuli, quam urbes integræ a se alienari et obstupescere videantur. Est enim stupor alienatio quædam vel mentis, vel sensuum, quod scilicet sensus constipentur. Sic ait Livius l. 3. *Privatos deinde luctus stupefecit publicus pavor, postquam hostes adesse nuntiatum est*.

Vers. 7.

**EGO QUOQUE PROHIBUI A VOBIS IMBREM, CUM ADHUC TRES MENSES SUPERESSENT.**) Extraordinaria et miraculosa fuit hæc siccitatis et sterilitatis plaga, utpote qua una pars urbis innocens et pia fuerit compluta, non altera, quæ erat nocens et impia. Similiter ager heri iusti fuerit complutus, cum vicinus heri iniusti pluviam non senserit, idque ad hoc ut omnibus manifesto pateret, hoc dis-

**A**crimen Dei vindicis esse opus. Sic discriminavit Deus agros Gessen, ubi erant Hebræi, ut non sentirent plagas, quas cæteris agris Ægypti infligebat Moses, Exodi 8. v. 22. Simile contigisse Græci per merita et preces S. Francisci, in eius Vita c. 8. commemorat S. Bonavent. Cum enim lupi et grandines agros vastarent, S. Franciscus dixit ad indigenas: *Ad honorem et laudem omnipotentis Dei fideiubeo vobis, quod pestilentia hæc omnis abscedet, et respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes, misereamini vestri, ut vestra confessione præmissa, dignos faciatis penitentiae fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quod si beneficiis ingrati ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, maiori in vos ira deserviet. Ab illa utique hora, penitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt elades. Imo quod maius est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Porro in Palæstina tantus est ardor et siccitas, ut, si desit pluvia, hominibus et bestiis siti percundum sit. In his locis, ait S. Hier. præter parvos fontes omnes cisternarum aquæ sunt; et si imbres divina ira suspendit, maius sitis quam famis periculum est.*

Quando hæc sterilitas Amos contigerit, ignoratur. Nam quod alii ad famem quæ contigit tempore Eliæ, alii ad eam quæ tempore Elisæi, hæc referunt, non satis congrue id fieri videtur: nam illa siccitas et fames Eliæ, uti et illa Elisæi, fuit universalis et æqua omnibus, sine discriminatione nocentum et innocentum; hæc autem discrimina- bat noxios ab innocis. Rursum illa Eliæ fuit trimum annorum, Elisæi etiam diutina extitit; hæc vero Amos fuit trium dumtaxat mensium, illorum scilicet, qui præbant messem. Cæpit ergo hæc siccitas in fine Aprilis, quando incipere solebat in Indæa pluvia serotina, maxime necessaria. Hæc enim faciebat, ut germina crederent, et culmi evaderent in spicas, spicæque turgentes conciperent grana, et parerent triticum, quod sine hæc pluvia exaruisset, et in fronde sola, sive granis et fructu desiisset. Erat ergo hæc pluvia serotina in Aprile, messis; sicut matutina in Octobri, erat seminis, scilicet ad semina sataque riganda, ut radices figerent in terra: ita S. Hieron.

Notent hic agrorum domini et coloni, siccitatem et sterilitatem agris immitti peculiari Dei providentia et vindicta. Cum ergo eam sentiunt, ad Deum per penitentiam precesque recurrant, uti faciunt coloni Hispani, qui tempore siccitatis publicas processiones et diverberationes agricoliarum indicunt, itaque sæpe pluviam a Deo reconciliato eliciunt, imo quasi vi facta extorquent.

Tropol. S. Greg. hom. 40. in Ezech. Dominus, ait, pluit super unam civitatis partem, non super aliam, enim facit ut una pars populi, prædicationis verbique Dei semina excipiat, non alia. Rursum pars una eiusdem agri compluitur, non alia, cum aliqui unum vitium edomant, non aliud, v. g. gulam, sed non iram; aut patientes sunt, sed avari remanent, aut easti sunt, sed superbi, etc.

**PERCUSSI VOS IN VENTO URENTE.**) Tres hic nominat agrorum plagas, ventum urentem, auruginem, et erucam germina depascentem, quæ æque ut siccitas, sterilitatem et famem afferunt. Ventus urens, vel uredo, est Eurus æstuans, qui suo æstu, omnem succum aristarum et germinum desiccat et adurit: vel Boreas qui suo acerrimo frigore, nebula et pruina pariter segetes adurit et arefacit. Unde dicitur frigus urens. Audi Poetam:

*Illigat æquoreum immodici vis frigoris undam,  
Et prata argenti mordet adusta gelu.*

Quocirca Theodot. Symmach. et Aquila vertunt ἀνεμοφθο- Ventus  
ρίζων, id est, corruptionem a vento, vel aerem corruptum: urens, a Plinio lib. 18. c. 28. vocatur carbunculus in vitibus, eo quod ille urendinis quasi carbone exustæ videantur: in segetibus ab eodem vocatur rubigo, a rubore quem culmis indit: a Theophrasto lib. 4. dicitur ærugo. quod colorem quasi æneum segetibus afflet. Pagnin. et Vatabl. vertunt *ariditas*, ab effectu, quem segeti inducit. Secunda plaga est arugo, quæ proprie vitium est, et quasi morbus re-

Vers. 9.

gius segetum, cum scilicet culmi ex nimio humore (unde hebr. vocatur יִרְקוֹן *irakon*, quasi virescens) marcescunt, et pallescunt in modum auri vel aeris; unde et ærugo ac rubigo dicitur: marcidæ vero areseunt et evanescent. Hinc a Theodotione vocatur ωζυριστις, id est, pallor: ab Aquila, Symmecho, et Septuag. ἐπιρροος, id est, morbus regius: hic enim color est in ietericis. Unde vice versa, morbus regius, vel ietericus, a Cornelio Celso et Apuleio vocatur *aurugo*, a colore auri quem in homine producit. Et quia idem color ex timore oritur, hinc Jerem. 30. 6. dicitur: *Conversa sunt universa facies* (Israelitarum ex nimio pavore) *in auruginem*. Ubi Nota, *irakon*, id est, aurugo, vel ærugo, aut rubigo proprie oritur ex humore, quo marcescunt segetes: quia tamen idem color, eademque corruptio et arefactio segetum oritur ex uredine et æstu (licet Plinius loco citato contendat ex solo frigore oriri) hinc pariter uredo interdum vocatur aurugo, ærugo et rubigo, uti paulo ante dixi. Tertia plaga est crucea, de qua dixi Ioelis 1. 4.

Vers. 10. **MISI IN VOS MORTEM IN VIA ÆGYPTI.** Quinta est hæc plaga, sed hominibus inflicta, scilicet *pestis*, ut habent Hebr. et Chald. quam Noster vocat mortem, quia pestis certam mortem affert. Adde, Hebr. דֵּבַר *deber*, id est, pestis, per catachresin significare famem, gladium, et quidquid instar pestis exitiale est et mortiferum.

Quæres, quænam et quando contigit hæc plaga? S. Hieron. Theodor. Rupertus, Hugo, Lyran. et alii, putant contigisse Israelitis illis qui mittebantur ad Ægyptios, ut ab eis posecerent opem contra Assyrios; Vatabl. et Arias illis, qui cum milite præsiario ibant in Ægyptum, ut ibi coemerent frumenta ad levandam famem Samariæ. Hos enim in itinere partim peste, partim a latronibus occisos, ac cadavera eorum insepulta et putida fetorem exhalasse, qui post longam priorum moram, aliorum in eorum locum submissorum nares offenderit. Verisimilius Ribera, et a Castro hæc referunt ad cladem quam Ioachaz rex Israel accepit a rege Syriæ, quæ tanta fuit, ut ex toto Israelis exercitu non superfuerint nisi quinquaginta equites, 4. Reg. 13. 7. Tunc enim partim aer corruptus et æstuans, partim ex tot cæsorum cadaveribus orta putredo, fetorem et pestem superstitionibus afflavit.

Dices, Hæc clades contigit in Samaria, non in via Ægypti. Respond. Verum id est; quocirca subintelligenda videtur more Hebræo particula *sicut*, sicque vertendum cum Chaldæo, *misi in vos pestilentiam* (Arabicus, *percussit vos febribus, et malis insipientibus, incognitis*) *sicut in via Ægypti*; scilicet cum in deserto patres vestros ex Ægypto tendentes in Chanaan, ob eorum murmura, peste, aliisque plagis punivi et occidi, v. g. cum misi serpentes ignitos, qui ardorem pestiferum morsu suo eis inferrent, Numer. 21. 6. Adde, forte hoc prælium et hæc stragem contigisse in via, qua ex Samaria tendebant in Ægyptum; sicut enim nunc strata et trita est via Romana, via Mediolanensis, via Parisina; sic tunc celebris et publica erat via Ægypti, ut patet Jerem. 2. v. 18. Isaia 10. 24. unde eam in tabulis chorographicis terræ sanctæ depingit Adrichom. et alii.

Denique per hebraismum בְּדֶרֶךְ *bederech*, id est, *in via*, exponi potest per כְּדֶרֶךְ *chederech*, id est, *instar viæ, secundum viam*, hoc est secundum rationem, modum et morem Ægypti, q. d. Puniam te peste ea ratione et acerbitate, qua punivi Ægyptios per Mozen: quinta enim plaga Ægypti fuit pestis adeo gravis, ut per eam occisi sint omnes equi, asini, camelii, omniaque animantia quæ erant in tota Ægypto, ut patet Exodi 9. v. 3. et 6. Sic *bederech*, id est, *in via*, accipitur pro *chederech* id est, *secundum viam*, id est, *morem*, Isaia 10. v. 25. et 26. *Suscitabit*, ait, *super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in Petra Oreb, et virgam suam super mare, et levabit eam in via Ægypti*, id est, *secundum viam Ægypti*, hoc est, *secundum modum quo per virgam Moisis percussit Ægyptum*, eique decem plagas inflixit, simili modo percussit Sennacherib et Assyrios, per Angelum occidens una nocte 185. millia in eorum castris.

**A** USQUE AD CAPTIVITATEM (Chald. et Septuag. *cum captivitate*) EQUORUM VESTRORUM.) Videtur, ut dixi, alludere ad tempora Ioachaz, quando Israelite a Syris ita attriti sunt, ut solum eis superessent quinquaginta equites, 4. Reg. 13.

ASCENDERE FECI PUTREDINEM.) Hebraice enim בָּאֵשׁ *beas* significat putredinem et fetorem: sed Septuag. aliis punctis legentes בָּאֵשׁ *beas*, id est, *in igne*, vertunt, *adduxi in igne castra vestra*: ita Complut. licet Romana legant *eduxi*.

SUBVERTI VOS.) Primo, per Tegllathphalasar regem Assyriorum, inquit Arias, qui cepit et evertit omnes urbes Israelis, una excepta Samaria, 4. Reg. 15. 29. Id enim factum est sub annum 52. Ozia, sive Azariae regis Iuda, ut dicitur ibid. v. 27. Amos autem cepit prophetare anno 25. Ozia, uti dixi in præmio: facile ergo fieri potuit, ut idem superstes sub annum 52. Ozia, post cladem Israel a Tegllathphalasar illatam, hæc proloqueretur: Prophetæ enim per plurimos annos prophetarunt, ut Isaia annos 96. Jeremias annos 45. Daniel annos 76.

Secundo, per Syros, qui tum alias, tum maxime tempore Ioachaz, uti iam dixi, ita attriverunt Israel, ut pene evertit eum instar Sodomæ, paucis dumtaxat evadentibus et reliquis. Id ita esse patet ex prophetia Ionæ, quæ refertur 4. Reg. 14. v. 26. *Vidit*, ait, *Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israeli. Nec locutus est Dominus, ut deleter nomen Israel de sub caelo, sed salvavit eos in manu Ieroboam filii Ioas, qui restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis.* Quod enim hæc prophetia Ionæ ad tempora Ioachaz maxime spectet, non ad alia aliorum regum, ut voluit aliqui, patet ex serie et gestis regum Israel. Nam Ichu, qui regnum Israel familiæ Achab ademit, et ad se transtulit, fuit bello potens et felix, sub eoque floruit regnum Israel. Successit ei Ioachaz, sub quo a Syris attritum est, ut dixi. Ioachaz successit filius Ioas, cui Elisæus per trinam sagittæ percussionem prædixit trinam victoriam contra Syros, quam re ipsa Ioas adeptus est, ut patet 4. Reg. 13. v. 18. et 25. Sub Ioas ergo floruit pariter regnum Israel. Ioas successit filius Ieroboam, qui cepit regnare ante Oziam regem Iuda, et cum eo regnavit 14. ultimis vitæ suæ annis, de quo prædicit Ionas, quod ipse restituet collapsum statum Israel cunctis diebus Ioachaz, idque diserte ait Script. 4. Reg. 13. 22. *Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Ioachaz.*

Denique Albertus hæc accipit propheticæ de futuro, q. d. *Subverti*, id est, *subvertam Israel per Salmanasar*: hic enim anno sexto Ezechiæ cepit Samariam, et regnum Israel plane evertit. Sic et Rupert. qui accipit hæc de excidio Ierusalem, tum per Chaldæos, tum per Titum et Romanos. Verum patet ex dictis, hæc proprie pertinere ad Israel, id est, ad decem tribus; posse tamen extendi ad Iudam et Ierusalem non nego. Prophetæ enim qui Iudæ prophetarunt directe, indirecte quoque respexerunt Israel, et vice versa. Rursum hæc non ad futurum, sed ad præteritum tempus spectare, patet ex eo quod subdit Amos: *Et non redistis ad me. Quapropter hæc faciam tibi Israel.* Quod enim Rupert. respondet, hæc omnia præterita exponenda esse in actu inchoato, vel destinato, hoc modo: *Percussi, misi in vos mortem, subverti*, etc. hoc est, *percutere, mittere in mortem, subvertere vos decrevi, et per Prophetas comminatus sum; sed tamen vos has minas non curastis, nec redistis ad me, quocirca hæc faciam tibi Israel.* Hæc, inquam, expositio dura et contorta videtur in tam multis præteritis, quæ omnia actionem realem, non destinationem, vel minas significant. Quapropter S. Hier. Remig. Lyran. Clarius, Dionys. Ribera, a Castro, et alii passim, hæc præterita proprie ut sonant accipiunt.

SICUT SUBVERTIT DEUS SODOMAM.) q. d. Sicut ego subverti Sodomam. Loquitur Deus more Hebræo de seipso in tertia persona honoris causa, uti faciunt Germani. Sic dicitur Gen. 19. 24. *Pluit Dominus a Domino sulphur et ignem super Sodomam*, id est, *pluit a seipso: li-*

cet Euseb. l. 3. Demonstr. c. 23. censeat Patrem hic loqui de Filio, q. d. Ego Pater subverti Israel, sicut Filius meus subvertit Sodomam. Sic multi exponunt illud Genes. 19. *Pluit Dominus a Domino*, q. d. Pluit Filius a Patre: vide ibi dicta.

QUASI TORRIS.) q. d. Pene eversi et ad interneccionem consumpti estis, instar Sodomæ; sed Deus miserens vestri, volensque servare reliquias seminis et gentis vestræ, manum suam hostesque cohibuit, et paucos hæc clade eripuit, sicut ex incendio eripitur torris aliquis ambustus et fumigans.

Vers. 12. QUAPROPTER, quia scilicet sex plagis iam recensitis, puta fame, siccitate, vento urente, aurugine, eruea, peste, quas tibi inflixi, non resipuisti, nec redisti ad me; sed iis instar Pharaonis magis obduruisti: **HÆC FACIAM TIBI ISRAEL.**) Hæc, scilicet, quæ initio capitis comminatus sum, nimirum, *Levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus, et proiciemini in Armon*: ita a Castro. Verum hæc minora videntur plagis quas iam inflixit, dicens: *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam*, etc. Hic autem graviorem plagam se inflicturum minatur, eo quod præteritas omnes contempserint. Quocirca nervosius et efficacius alii: hæc, inquit, scilicet dirissima et atrocissima quæ indignans mente concepi, nec eloqui præ horrore possum. Loquitur enim anthropopaths, et ad pathos per aposiopesin verba miuasque incidit, uti Virgil. *Æneid. 1.*

*Quos ego, scilicet acerrime puniam; sed nunc motos præstat componere fluctus.*

Ita solent Hebræi in iuramentis, maxime comminatoriis et execratoriis, uti hæc formula: *Hæc faciat mihi Deus, et hæc mihi addat*, nec expriment quænam sibi addi vel fieri imprecantur, quasi non audeant illa nominare præ timore et detestatione, utpote mala horrenda et atrocita. Simili euphemismo, id est, bona ominatione, maledictionem et blasphemiam significant voce contraria, eamque vocant benedictionem, ut Iob 2. 9. et 3. Reg. 21. 10.

POSTQUAM AUTEM HÆC (has atroces plagas quas mente concepi) FECERO (facere et infligere cœpero: significatur enim hic actus inchoatus) TIBI PRÆPARARE IN OCCURSUM DEI TUI ISRAEL.) q. d. Si præteritæ plagæ tibi leves videntur, si hos contemnis satellites, si cum peditibus pugnare dedignaris; en ego formans montes et creans ventos, etc. te invadam quasi eques cataphractus, vires exeram, hastas telaque mea omnia in te contorquebo: obfirmam pectus, clypeum apta, oppone te mihi, mecum manus consere, ictum dexteræ meæ declina aut sustine, si potes. Est sarcasmus. Unde Symmach. et Aquila vertunt, *cum hoc fecero præparare ut adverteris Deo tuo*: ita Albertus, Arias, a Castro et Prado in Ezechiel. c. 5. v. 8.

Ita suo Iovi occurrit reors C. Caligula Imp. qui iratus cælo, quod turbidius suis pantomimis et spectaculis officeret, Iovem ad pugnam provocavit, imo ad duellum interneccinum, illud Homeri exclamans: *Aut tolle me, aut ego te.*

Secundo, alii, iique plurimi contrarie hæc accipiunt, quasi Deus hic Israelẽm eversum, ne plane desperet, consoletur invitæque ut per pœnitentiam et conversionem se præparet ad Deum (Deique clementiam et gratiam) præsertim post aliquot sæcula nasciturum in Bethlehem: eo enim censent assurgere Amos more prophetico. Unde in sequentibus Dei omnipotentiam et magnificentiam graphice describit, ne eius in carne paupertatem et humilitatem despiciat Israel, uti fecit. Quocirca Septuag. Syrus et Arabicus uterque vertunt, *verumtamen quia sic faciam, præparare ut invoces Deum tuum Israel.* Et in sequentibus, pro *Annuntians homini eloquium suum*, vertunt, *annuntians in homines Christum suum*; et Chald. *præpara, ait, te ut suscipias doctrinam legis Dei tui Israel*, q. d. Præpara te, ut Deum carnem factum, in assumpta humanitate venientem toto mentis affectu excipias: ita S. Hier. Remig. Hugo, Vatabl. et Lyran. qui putant hanc prophetiam complendam in fine mundi: tunc enim omnis Israel convertetur ad Christum, et salvus fiet, ut

ait Apost. Rom. 11. *Perperam ergo Theodor. hæc refert ad Cyrum, qui Iudæos Babylone liberavit. Agitur enim hic non de Iudæis, sed de Israelitis in Assyriam abductis, quos inde nec Cyrus, nec quis alius unquam liberavit. Prior sensus videtur litteralis et genuinus: posterior, quia plurimorum, probabilis et accommodus est, ac vel ut litteralis, vel ut mysticus admittendus est, uti mox ostendam; ut sit antiphrasis, q. d. Occurre et resiste Deo irato et vindicæ, si vales; sed quia id non vales, occorre ei ut Salvatore humili et mansueto, venienti in carnem ut te redimat et salvet. Aut, ut S. Hieron. q. d. *Fecit ut te corrigerem quæ præteritus sermo descripsit: et quia noluisti reverti ad me, faciam tibi quæ meo continentur arcano. Occidisti servos meos quos ad te miseram, mittam novissime filium meum: tu autem iuxta consuetudinem tuam, qua semper voluntati Dei restitisti, præpara te ut contradicas et adverteris Deo tuo, iuxta illud quod scriptum est: Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur. Loquitur non præcipiendo, sed prædicendo, quasi arguens et increpans, ut saltem correptus non faciat quod prædictum est. Huic sententiæ favet vox postquam, pro qua hebr. est עָקַב ekeb, id est, finis, vel merces: merces enim est finis operis et operantis. Unde ex Hebræo sic vertas, in fine, vel, ut Aquila. *postea*, vel, ut Theodot. *novissime occorre ei.* In fine enim sæculorum incarnatus est Christus, et in fine mundi eidem occurret Israel. Aut sic: *pro mercede*, quia ego te ut filium flagellavi, totque flagellis conatus sum te ad me reducere, pro hæc, inquam, mea in te paterna cura, loco mercedis hoc saltem mihi da, ut, cum in carnem veniam, mihi occurras, meque ut tuum Messiam recipias. Unde Ecclesia in officio Eclesiastico hæc Amos verbis suos excitat, ut Christo occurrant. Causam subdit Propheta, immensam eius maiestatem et potestatem: *Quia, inquit, ecce ipse est formans montes, etc. Quod tropolog. exponens S. Hieron. *Excelsus, ait, in excelsis est Dominus, et non habitat in humilibus qui excelsus est; sed creator montium ascendit in montes, in his qui municipatum habent in caelestibus, et in carne ambulantes non vivunt secundum carnem, sed secundum spiritum.* Septuag. vertunt, *firmans tonitruum*, ne scilicet orbem conquasset, uti suo fragore minari videtur.***

CREANS VENTUM.) Hebr. רוּחַ ruach, significat spiritum, animam, ventum. Unde Primo, Chald. Septuag. et S. Hier. in comment. vertunt, *creans spiritum*, quod Macedoniani hæretici negantes divinitatem Spiritus sancti avide arripiebant, indeque probant Spiritum sanctum non esse Deum, sed creaturam Dei: quos refutant S. Athanas. epist. ad Serapionem, S. Basil. l. 3. contra Eunomium, S. Hier. hic, et S. Ambros. l. 2. de Spiritu sancto cap. 7. non enim agitur hic de Spiritu sancto et cælesti, sed de spiritu sublunari et corporeo: iungitur enim nebulae, montibus, etc. Secundo, S. Hieron. Rupert. et Remig. vertunt, *creans animam*; vel, ut Arias, *creans spiritus* et animos militares, id est, indens militibus audaciam et virtutem bellicam. Tertio, Arabicus Alexandr. vertit, *ego sum qui formavi tonitruum, et creavi spiritum*; Arabicus vero Antiochen. *et reduco in homines spiritum, halitum.*

Verum optime Noster et Tertull. libr. contra Hermog. cap. 32. ac Clarius, Vatabl. Pagnin. alique Recentiores vertunt, *creans ventum*. Recte enim venti iunguntur montibus, nebulis, etc. alisque creatis sublunariis, quæ cum homini obviæ sint et admirabiles, ostendunt ei Dei creatoris potentiam et magnificentiam, præsertim venti, qui, cum eorum natura sit invisibilis, et tamen sensibilis, origo incognita, motum item varius, sed status et pro loco ac tempore fixus, recte demonstrant se a Deo creari, regi, mutari ad eius nutum. Unde Deus dicitur insidere et inequitare ventis ps. 17. 11. *Ascendit super Cherubim, et volavit super pennas ventorum.* Et ventus turbinis vehebat Deum sedentem in solio cherubico Ezech. 1. 4. Quocirca a angeli comparantur ventis psalm. 103. 4. *Qui facis angelos tuos spiritus* (subtiles, celeres et fortes ut ven-

Vers. 15.

Venti ostendant Dei magnificentiam.

tos) et ministros tuos ignem urentem. Hinc et Deus dicitur ventos educere de thesauris suis Ierem. 10. 12. ac proinde ex iis Iob c. 28. v. 25. ostendit Dei potentiam: Qui, inquit, fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. Hinc et Sancti invitant ventos, ut opus magnificentum Dei, ad laudandum creatorem suum tam potentem, ut Psaltes ps. 148. 8. *Laudate Dominum de caelis, etc. Ignis, grandis, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius.* Nam, ut ait Seneca libr. 5. Natur. quest. cap. 18. *Inter cetera providentiae opera, hoc quoque aliquis ut dignum admiratione suspenderit. Non enim ex una causa ventos aut invenit, aut per diversa disposuit. Primum, ut aera non sicerent pigrescere, sed assidua vexatione utilem redderet, vitalemque terris. Deinde ut imbres terris subministrarent, utilemque nimios compescerent. Nam modo adducunt nubes, modo deducunt, ut per totum orbem pluviae dividi possent. In Italiam Auster impellit, Aquilo in Africam reicit. Etesiae non patiuntur apud nos nubes consistere: iidem totam Indiam et Aethiopiam continuas per id tempus aquis irrigant.* Et Plinius l. 2. cap. 37. *Omnes venti vicibus suis spirant maiori ex parte, aut ut contrarius desinenti incipiat, etc. Sol et auget et comprimit flatus, auget exoriens occidensque, comprimit meridians zesticis temporibus. Itaque medio diei aut noctis plerumque sopiuntur: quia aut nimio frigore aut aestu solvuntur, etc.*

ANNUNCIANS HOMINI ELOQUIUM SUUM.) Hebr. מה שיחו *ma sicho*, id est, quænam sit meditatio, cogitatio, consilium, eloquium, opus suum: שיח *siach* enim significat meditationem, et rem meditalam, gravem et seriam, quam ore proloquimur et opere perficimus: ita vertunt Aquila, Symmach. Theodot. Chaldaeus et passim Hebraei. Soli Septuag. verbi similitudine et ambiguitate decepti, ait S. Hier. nimirum pro מה שיחו *ma sicho*, legentes משיחו *mescicho*, id est, Messiam vel Christum eius verterunt, *annuncians in homines Christum suum*: per quem licet Theodotion, accipiat Cyrum, omnes tamen alii accipiunt Christum Dominum. Ita S. Athanas. lib. de Fide unit. et Trinit. Didymus l. 2. de Spiritu sancto, Tertull. loco citato, Basil. iib. 4. contra Eunom. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto c. 7. August. lib. 18. Civit. 2. imo Coucil. Sardicense apud Socrat. lib. 2. c. 20. Quare non est credibile Septuag. hic esse deceptos, sed consilio ita vertisse; vel quia in Codicibus Hebraeis tunc erat duplex lectio, una *mescicho*, altera *ma sicho*; vel quia per *ma sicho*, intellexerunt significari *mescicho*. Messias enim, sive Christum est Patris meditatio, conceptio, dictio, eloquium et opus summum, immensum, increatum ac divinum.

Est hic ergo duplex versio, est et duplex sensus; sed prior posteriori subordinatus. Prior *annuncians homini eloquium suum*, q. d. Deus per Prophetas annunciat hominibus sua consilia decreta et eloquia. Ita S. Hier. Remig. Rupert. Hugo et Lyran. Quocirca Syrus vertit, *ostendens hominibus quid sit gloria (laus) sua*; et Arabicus, *mittens laudantem (praecipientem) in hominibus*. Quis enim Dei consilia, et gloriam agnitam non laudet?

Possent quoque verti, ait S. Hieron. *annuncians homini eloquium eius* (quia Hebraei idem habent pronomen reciprocum et absolutum. Nam per *vau* cum *cholem* significat tam *eius*, quam *suum*) q. d. Deus novit secretas hominis cogitationes, quid scilicet animo meditetur et destinet, imo illas ipsi, si bonæ sint vel indifferentes, ingerit et suggerit, easque ipsi per internam inspirationem, vel aliis per Prophetas enunciare et eloqui potest. Ita Arias et Vatabl.

Posterior est, *annuncians homini eloquium suum*, puta Christum, qui est unicus Patris conceptus, unicum verbum, quo omnia dicit, creat, mandat et gubernat: hoc enim Dei verbum et eloquium cetera omnia complectitur. Simile est Deuter. 18. 18. ubi Moses Prophetam, id est, Prophetas alios post se a Deo dandos promittit, sed inter eos unum eximum et principem, qui antonomastice vocetur Propheta, puta Christus. Sensus ergo est, q. d. Deus Pater annunciat per nos Prophetas, se ad homines missurum in carnem Verbum suum, ut hominibus eius volun-

latem, legem, salutem, gratiam et gloriam revelet, eamque illis reipsa conferat et impertiat. Quocirca vos, o Israelitæ, huic Messiae vestro venienti occurrite, in eum credite, sperate, illum amate, colite, sectamini; ipsi obedite: ita ipse vos ab ira Dei, a peccato, a morte, a gehennâ, ab omni hoste liberabit. Ipse vos Dei amicos, filios et heredes, ac beatos in aeternum elliciet. Solent enim Propheta omnium captivitatum et miseriarum finem et liberatorem statuere Christum. Unde eum multas elades multaque tristia praedixerunt, omnia hæc mitigant et dulcorant promittendo Christum: Christus enim est finis et scopus legis et Prophetarum. Confirmatur, quia pro *eloquium suum*, Aquila vertit, τὸν ὁμιλῶν λόγον, Symmach. τὸ ῥηθὴρ λόγον, Theodot. τὸν λόγον λόγον, id est, sermonem et verbum eius. Atque ex hoc loco et similibus videtur S. Iohannes sumpsisse nomen *λόγος*, quo iugiter vocat Christum, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ubi pro *Verbum*, græce est *λόγος*: non quod vocem *λόγος* S. Iohannes acceperit a Theodotione, qui duobus sæculis S. Iohanne fuit posterior: sed quod Hebr. משיח *siach*, idem sit quod *λόγος*, ideoque Theodot. vertit *λόγος*. Denique Theophanes Nicænus in Symbolo novi et veteris Testamenti, quem citat Turrianus lib. 2. de Hierar. ordin. cap. 1. ex versione Septuag. censet hic esse prophetiam de Transfiguratione Christi. *Eccc, inquit Amos, firmans tonitru* (id est, creans nubem, ex cuius collisu erumpit tonitru) *et creans spiritum, sive ventum, ex cuius verberatione, cum intentione significandi, existit vox de qua subdit: Et annuncians hominibus Christum suum, scilicet cum vox Patris de nube intonuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, Matth. 17. 5.

FACIENS MATUTINAM NEBULAM.) Ita proprie sonant Hebraea, quæ tamen alii varie vertunt. Primo, Septuag. *adcentes et, vertunt, faciens mane et nebulam*; secundo, Pagnin. *qui facit auroram et tenebras*, id est, diem et noctem, læta et tristia; tertio, Tigurina, *qui auroram facit caliginem*; quarto, Clarius, *qui facit auroram ex caligine*, id est, ex tenebris noctis, ut scilicet nocti succedat aurora et dies; quinto alii ex adverso, *qui facit ex aurora caliginem*, id est, diem mutat in noctem, prospera in adversa; sexto, Arabicus vertit, *creari abyssum primo, et ascendi super altitudinem terræ, et mittens laudantem (praecipientem) in hominibus*; septimo, mystice Chaldaeus, *qui praeparat lumen iustis quasi lumen auroræ, et praeparat tenebras impiis*. Porro matutina nebula ostendit magnam Dei potentiam et sapientiam. Primo, quia hæc nebula post noctes serenas subito in aurora producit per solem orientem, qui vapores et exhalationes e terra educens et elevans, iis quasi nebula legit aerem. Secundo, quia mane nebula maxima est et latissima, velatque, vestit et ornat totum horizontem instar tapetis. Tertio, quia hæc nebula cingit et fasciat solem orientem, uti infans dum oritur et nascitur, fasciatur linteolis. Sic enim de prima nebula, primisque tenebris recens creatum mundum et mare involventibus, loquitur Iob 38. 9. *Cum ponerem nubem vestimentum eius, et caligine illud quasi pannis infantis involverem.* Ubi auctor Catenæ: *Sicut, ait, infanti panni sunt perquam commodi, sic etiam mari nubes ac nebulae.* Quarto, quia hæc nebula Deum, quasi cum sole mane orientem, velat, ut homines eum intueri nequeant: sed eum ut invisibilem suspiciant et revereantur. Sic Virgil. l. 1. Æneid. ait de Ænea et Achate heroibus:

*At Venus obscuro gradientes aere sepsit,  
Et multo nebulæ circum Dea fudit arietu.*

Quinto, quia hæc nebula est roscida et fecunda. Producit enim manna et rorem, quo herbae et sata irrorantur et impinguantur. Insuper calorem et halitum vitalem terræ, et terrestribus omnibus affert. Hinc experimur *nebulas nec aestate, nec maximo frigore existere: rores neque gelu, neque ardoribus, neque ventis, nisi serena nocte*, ait Plin. l. 2. c. 60. Quocirca ex nebula Dei magnificentiam celebrat Ierem. cap. 10. 13. *Elevat, ait, nebulas ab extremitatibus terræ.* Psal. 147. 26. *Qui dat nivem sicut lanam,*

Nebulae commoda quæque.

*nebulam sicut cinerem spargit. Eccl. 24. 6. Ego (Sapientia) sicut nebula texi omnem terram. Et c. 43. 13. Aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulae sicut aves. Et c. 30. 6. de Simone pontif. dicitur: Quasi stella matutina in medio nebulæ.*

**GRADIENS SUPER EXCELSA TERRE.**) Puta super montes altissimos, et petras rupesque hominibus invias et inaccessas, q. d. Deus omnia terrena, quantumvis celsa et inaccessa maiestate sua pervadit et transcendit, suaque providentia continet et gubernat, ita ut ventos et turbines ciere, nebulas hostibus suis superbis et impiis offundere, montes transferre, et in valles deicere possit, q. d. Deus est qui montes, ventos, fulgura, tonitrua, omnesque res sublunares, æque ac cælestes producit, temperat, regit. Unde omnes creaturæ sunt exercitus Dei, qui illi ad nutum obediunt, semperque ei præsto sunt, ut ad eius nutum ferantur, eiusque inimicos et impios invadant et sternant. Ita S. Hier. Albertus, Clarius, et alii. Audi S. Hieron. *Præparare, ait, in occursum Dei tui, ut venientem ad te Dominum tota aviditate suscipias. Iste est qui firmat tonitruum, sive montes confirmat: ad cuius vocem calororum cardines, et terræ fundamenta qualiuntur. Iste est qui creat spiritum.* Quocirca Timæus Pythagoricus Deum vocat *mundum exemplarem.* Sicut enim mundus suo complexu omnia cingit et stringit, sic et Deus. Ipse enim est maxima universalisque natura, ubique præsens, omnia videns audiensque, cuncta continens, nullius vero ambitu contenta. Ipse est mundus increatus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum, causa, fons, creator et rector cælorum omnium. Quocirca Ægyptii, ait Eusebius l. 3. de Præpar. Evangel. c. 3. Deum, quem ipsi *Eneph* vocant, pingunt humana forma, colore caruleo, zonam tenentem et sceptrum, ac pennam gerentem in capite, ovum insuper ab ore producentem. Testa enim ovi, cæli omnia cingentis imaginem exhibet: vitellus, ignis: spiritus qui sunt in ovo, aeris: albumen, aquæ: terræ porro symbolum sunt partes magis coneretæ. Addit

Hierogl.  
Dei.

1.

2.

**Euseb. aliud Dei hieroglyphicum.** Illud est, homo complicatos habens pedes, vestem talarem, eamque auream, pilam capite sustinens, quo mundi forma, immobilis constitutus, rotunditas, et stellarum varietas significatur, eaque omnia regi a Deo sustentarique, et in Dei cognitionem mentes hominum perducere. Nam ex ventis, nebulis, montibus, aliisque creatis Deus agnoscitur; quasi ex ungue leo, quasi ex linea Apelles, quasi ex voce choraules, quasi ex carmine poeta. Unde S. August. epist. 28. docet mundum hunc esse Dei carmen et canticum. *Si homo, ait, carminis artifex novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur succedentibus ac decedentibus sonis, pulcherrime currat ac transcat: quanto magis Deus, nulla in naturis nascentibus et occidentibus temporum spatia, quæ tamquam syllabæ ac verba ad particulas huius sæculi pertinent, in hoc labentium rerum quasi mirabili cantico, vel brevius, vel productius quam modulatio præcognita et præfinita deposcit, præterire permittit?* Insuper S. Dion. Cælest. hier. cap. 13. docet, Deum designari per ventum, propter naturalem vim movendi atque animandi, et celerem insuperabilemque discessum, ac nobilium principiorum et finium incognitas et invisibiles latebras. Pari modo Euseb. loco citato docet, Ægyptios, ut Dei providentiam significarent, pinxisse solem radiis circumfusum in navi, quæ adverso flumine rapiebatur remis velisque incitata, ac deportabatur a substernente se crocodilo. Sic enim Deus quasi gubernator regit hanc mundi navim, omniaque in eo animalia et inanima, quantumvis fera, horrenda et vasta, edomat ac regit. Rursum Deus princeps temporum est, quasi sol, qui, ut ait Lucan. lib. 12.

*Tempora dividit ævi,*

*Mulat nocte diem, radiisque potentibus astra  
Ire velat, cursusque vagos statione moratur.*

Denique S. Paulinus natali 9. S. Felicis.

*Est naturæ opifex Deus omnis et artis; in omni  
Fons opere, et finis, faciens bona, factaque servans.*

## C A P U T Q U I N T U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Prædicat et plangit Samariæ vastitatem extremam et æternam, infligendam a Deo terribili, qui facit Arcturum et Orionem, ac subridet vastitatem super robustum, ob eius scelera, præsertim ob rapinas et oppressiones pauperum. Deinde v. 14. hortatur eam ad penitentiam. Nam v. 24. asserit se eius victimas et cæremonias externas non curare, imo detestari.*

1. **A**UDITE verbum istud, quod ego levo super vos planctum. Domus Israel cecidit, et non adiiciet ut resurgat. 2. Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. 3. Quia hæc dicit Dominus Deus: Urbs de qua egrediebantur mille, relinquuntur in ea centum: et de qua egrediebantur centum, relinquuntur in ea decem in domo Israel. 4. Quia hæc dicit Dominus domui Israel: Quærite me, et vivetis. 5. Et nolite quærere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, et in Bersabee non transibitis: quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis. 6. Quærite Dominum, et vivite: ne forte comburatur ut ignis domus Ioseph, et devorabit, et non erit qui extinguat Bethel. 7. Qui convertitis in absinthium iudicium, et iustitiam in terra relinquitis. 8. Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem: qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen est eius. 9. Qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert. 10. Odio habuerunt corripientem in porta: et loquentem perfecte abominati sunt. 11. Idcirco, pro eo quod diripiebatis pauperem et prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. 12. Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra: hostes iusti accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta. 13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. 14. Quærite bonum, et non malum, ut vivatis: et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis: 15. Odite malum, et diligite bonum, et constituite in porta iudicium: si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Ioseph. 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator, in omnibus plateis planctus: et in cunctis, quæ foris sunt, dicetur vae vae: et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere. 17. Et in omnibus vineis erit planctus: quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus. 18. Vae desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, et non lux. 19. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus: et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber. 20. Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux: et caligo, et non splendor in ea? 21. Odi, et projecit festivitates ve-



stras: et non capiam odorem cœlium vestrorum. 22. Quod si obtuleritis mihi holocaustata, et munera vestra, non suscipiam: et vota pinguium vestrorum non respiciam. 23. Aufer a me tumultum carminum tuorum: et cantica lyræ tuæ non audiam. 24. Et revelabitur quasi aqua iudicium, et iustitia quasi torrens fortis. 25. Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? 26. Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. 27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen eius.

Vers. 1. **AUDITE VERBUM ISTUD, QUOD EGO LEVO SUPER VOS** (Chald. et Sept. *assumo contra vos*) **PLANCTUM.** Est appositio, q. d. Audite verbum, id est, planctum et lamentum, sive lugubre carmen, quod ego pango et plango de instante excidio vestro, o cives Samariæ. Unde Tigurina clare vertit, *audite sermonem istum, o domus Israel, quem de vobis sumo, lugubre scilicet carmen*; alii, *audite verbum quod ego levo super vos in planctum et lamentum*. Propheta ergo prævidens suorum cladem, commiserans et ingemiscens edit hoc lugubre carmen, quo publice miseram Samariæ sortem iam imminuentem deplorat. Simile carmen et lamentum de Tyro, eiusque rege et civibus excisis canit Ezechiel c. 27. 2. et de Ægypto ac Pharaone eversis c. 32. v. 2. ac de Babylone et Balsasare a Cyro vastatis Isaias c. 14. 4. ac de Hierosolymis excidio Ieremias in Threnis. Porro lugubre hoc carmen, et quasi epitaphium Samariæ, est id quod mox subdit Propheta dicens: *Domus Israel cecidit*, etc.

**DOMUS ISRAEL CECIDIT.**) Ita et Septuag. S. Hieron. in comment. Remig. Lyran. et alii. Licet enim Hebr. בית *bet*, id est, domus, sit masculinum; נפלה *naphela* vero, id est, *cecidit*, sit femininum, tamen in re et sensu est concordantia: nam per *beth*, id est, domum Israel, intelligit *עדה* *eda*, id est, synagogam, et congregationem populi, quæ est feminini generis, et recte concordat cum feminino *naphela*, id est, *cecidit*. Comparat enim hic domum, id est, populum Israel, femininæ, puta virgini afflictae et prostratæ. Immerito ergo Masoretæ et Chaldæus. Hebræa aliter dispungentes, nimirum ponentes hypocoelon post *o domus Israel*, ita legunt: *Audite verbum istud, quod ego levo super vos, planctum domus Israel: Cecidit, et non adiciet ut resurgat virgo Israel*. Sed quomocumque dispungas et legas, eodem redit sensus.

**CECIDIT.**) Id est, cadet prostrata in terra sua ab Assiriis Samaria eiusque regnum, adeo ut nunquam resurgat et reflorescat. Decem enim tribus, quarum fuit hoc regnum, abductæ in Assyriam, nunquam inde redierunt.

Vers. 2. **VIRGO ISRAEL.**) Solent Hebræi urbes et regna, ob speciem, opes et gloriam vocare virgines. Hinc Ierusalem vocatur *virgo filia Sion*, et de Babylone ait Isaias c. 47. v. 1. *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon*. Sic Ægyptus vocatur *virgo* et *filia*, Ierem. 46. 11. Virgo ergo Israel, est Samaria, eiusque regnum speciosum et opimum, quod deloratum et vastatum ab Assiriis, simile fuit virgini reginæ olim ornatae, nunc spoliatae, violatae, prostratæ et conculcatae. Secundo, vocatur *virgo*, quia intacta a iugo hostis: nunquam enim antea Samaria ab Assiriis, aliisque gentibus subacta fuerat; sed eius regnum et republ. instar virginis, liberum et illibatam efflorescebat. Ita Rullinus, Clarius et Arias.

Addit S. Hieron. et Theodor. Samaritam olim fuisse virginem, id est, puram in cultu Dei, cum in suis patribus Deum verum coluit. Sed hoc accipi debet de prisciis patribus, qui schisma, quo divisum et erectum est regnum Israel, præcesserunt. Nam cum schismate, adeoque cum regno Israel cœpit eius impietas et idololatria vitulorum aureorum, quos erexit primus Israelis rex Ieroboam.

**PROIECTA EST IN TERRAM SUAM.**) Hebr. נטשה *niltescia*, quod Tigurina vertit, *afflicta est ad terram suam*; Vatabl. *derelinquetur in terra sua*; Pagnin. et alii proprie, *dimissa est in terra sua*, q. d. Cecidit virgo Israel, tamque valido ictu ab Assiriis prostrata est, non qualiterumque, sed usque in imam terram, ut iaceat humi toto corpore prona, plane afflicta, proiecta est quasi desperata, ab omnibus derelicta dimissaque, sine ulla ope et spe resurgendi: quia nec ipsa, utpote conquassata et

confracta, se erigere poterit; nec rex Ægypti, ait Theod. aut quis alius tanta est eius elades, adeo attrita, membris laxata, et diffracta est, ut nemo eam sibi restituere possit: perinde ac olla testacea allisa ad petram, dissilit et diffringitur, ut a nullo sigulo redintegrari queat. Unde sequitur:

**NON EST QUI SUSCITET EAM.**) Alludit ad medicos, qui videntes quem ex turri lapsum et omnibus membris confractum, ut curari et sibi restitui nequeat, cum ut desperatum humi iacentem dimittunt et derelinquant. Physice alludit ad virginem, quæ si lapsa et corrupta libidine virginitatem amisit, suscitari nequit, ut decus virginitatis recuperet. Unde S. Hieron. ad Eustoch. de custodia virginis. *Cave, ait, quæso, nequando de te dicat Deus: Virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam. Audenter loquar. Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam*. Rursum *o suam*, auget cladem, et movet commiserationem, q. d. Proiecta est, et afflicta in terra, non aliena et hostili, quod minus mirum et miserandum est; sed in sua, quam unice amabat, et a qua vicissim quasi a matre et nutrice amabatur et alebatur: sienti res miseranda est, si tilia occidatur in sinu matris.

**URBS, DE QUAE EGREDIEBANTUR MILLE, RELINQUENTUR IN EA CENTUM.**) q. d. Tot cladibus allicientur Israelitæ ab Assiriis, tum in obsidione triennali Samariæ 4. Reg. 18. 10. tum ante et post eam, ut gladio, fame et peste plerique omnes absumantur, ita ut mille redigantur ad centum, et centum ad decem, adeoque ex tanto Israelitarum numero vix decimus quisque tantæ stragi superstes sit. Ita Remigius, Hugo, Arias et alii. Idem Iudæa comminatur Isaias c. 6. 11. *Et dixi, ait, usquequo Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, etc. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur*, id est, rursus erit in deprædationem et ostensionem, uti ibidem explicat S. Hieron.

Tropolog. ex Origen. homil. 8. in Iosue, Ribera: Urbs, ait, est cuiusque anima, quæ ædificatur a Domino ex lapidibus vivis, id est, ex virtutibus variis, de qua quisque Sanctus pugnando eicit peccatores, id est, cogitationes et cupiditates pravæ: ac contra eas sanctificat bellum, hoc est, iis sancto sui odio mortificatis, sanctum se efficit corpore et spiritu, ut mereatur venire in conspectum Dei viventis, et pro palma victoriæ virtutis merito coronari a Christo. Egrediebantur olim ex anima hæc fervida, quæ Deo adhærebat, mille, id est, omnium, virtutum opera, quasi militis strenui cum diabolo et vitiiis pugnaturi: at postea, cum cupiditate rerum terrenarum capta, fervorem hunc remittit, profert centum, numerum decuplo minorem; et si prius centum ednebat, decem in ea relinquuntur: quia hæc remissio et declinatio animæ, non unius alienius, sed omnium virtutum opera minuit, et omnibus modis efficit imperfectiora, idque sensim magis et magis, ut tandem plane ab iis cesset, totaque in dæmone et vitiiis opprimatur et possideatur, itaque in extremam ruinam et interitum abeat.

**IN DOMO ISRAEL.**) *Domum* vocat familiam, id est temp. et Synagogam Israel, in qua multæ erant urbes, oppida et pagi.

**QUIA HÆC DICIT DOMINUS: QUÆRITE ME, ET VIVETIS.**) *Quia* ponitur pro *igitur*, q. d. Hoc quod iam dictum est, accidet domui Israel propter idololatriam: agite igitur pœnitentiam, relinquitte idola, et quærite Dominum. Nam hebr. חי *chi*, id est, *quia*, ponitur pro *igitur*, *quocirca*, vel *verum enimvero*: *chi* enim Hebræis sæpe tantum est initium et exordium orationis. Post minas enim Deus

Vers. 5.

Tropol. de fabrica et ruina animæ.

Vers. 4.

hic invitat Israellem ad pœnitentiam, ut minis territus resipiscat. Paulo aliter Vatabl. nam pro *quia*, vertit, *sic enim* dixit Dominus (querite me) volens scilicet revocare ab idololatria, propter quam multa mala illi eventura erant, nisi resipisceret et quæreret Dominum.

Vers. 5. **NOLITE QUÆRERE BETHEL.**) Ut colatis vitulos aureos, quos in Bethel erexit Ieroboam.

**ET IN BERSABEE NON TRANSIBITIS.**) *Bersabee* urbs erat ultima terræ sanctæ, eiusque terminus ad Meridiem, sicut Dan erat eiusdem terminus ad Septemtrionem (unde de tota terra sancta dicitur, *A Dan usque ad Bersabee*) Ita dicta a iuramento et sædere, quod ibidem iuxta puteum Abraham inivit cum Abimelech, dando ei septem agnas: **באר** beer enim hebr. est puteus; **שבע** sciaba per seim iuramentum, aut septem significat. *Bersabee* ergo idem est quod puteus iuramenti, vel puteus septem, scilicet agnarum. Vide dicta Gen. 21. 31.

Pertinebat hæc urbs ad tribum Simeonis, sed quia Simeonis sors erat exigua, eaque intra sortem tribus Iudæ continebatur, hinc Iosue 15. 28. *Bersabee* ponitur inter urbes Iuda. Hic multo tempore habitaverunt Abraham, Isaac et Iacob: unde et vocatur oppidum Isaac. Tempore S. Hieron. erat vicus grandis, in eoque erat præsidium Romanorum, et Vicus salutaris vocabatur: nunc Gibelina nuncupatur. Ita Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Porro in *Bersabee* posita erant idola, æque ac in Bethel et Galgalis, ut patet 4. Reg. 23. 8. Unde iubet hic Propheta, ne eo transeant, ad colenda scilicet idola. Quia enim Abraham in *Bersabee* oratorium Deo statuerat, in quo eum invocaverat, Genes. 21. 33. hinc posterius eius ibidem altare statuerunt, at non Deo, sed suis idolis. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. et alii. Unus Arias aliter explicat, q. d. Ne colatis idola in Bethel et Galgalis: ita fiet, ut non abducamini in captivitatem, nec per *Bersabee* transeat in Assyriam. Verum sic potius dixisset, *Et in Dan non transibitis*; nam per Dan, utpote Aquilonarem, ibatur in Assyriam; per *Bersabee* vero, utpote Meridionalem, ibatur in Ægyptum.

**QUIA GALGALA CAPTIVA DUCETUR.**) *Galgala* erat civitas duarum tribuum, puta sortis Iuda; sed vicina decem tribubus, et cum iis excisa. In Hebræo est elegans agnominatio: *Galgala galo iigale*, id est, volubilitas volvendo volvetur, vel rota rotando rotabitur, vel migratio migrando migrabit. *Galgala* enim dicitur a **גלגל** galal, id est, volvit, devolvit, migravit. Unde Tigurina vertit, *Galgala transmigrans transmigrabit*; Paguin. *Gilgal demigrando demigrabit*.

**ET BETHEL ERIT INUTILIS.**) Sept. et Syrus, *Bethel erit quasi non sit*; Hebr. *Bethel erit in Aven*, q. d. *Bethel fiet Bethaven*, id est, domus fortis fiet domus vanitatis, inanitatis (*inanis et vacua*, ut vertit Arabicus) et nihili, vel domus Dei fiet domus iniquitatis, et doloris luctusque.

Tropol. per peccatum anima quæ erat Bethel, id est, domus et templum Dei, fit Bethaven, id est, domus scelerum et diaboli. Rursum, domus cæli fit domus gehennæ, ut in ea ardeat in æternum. Hoc videt et sentit anima peccatrix in hora mortis, quando opes, honores et delicie, quibus illecta Deum offendit, vertentur ei in nauseam, opprobrium, miseriam, et tormentum æternum.

Vers. 6. **QUÆRITE DOMINUM, ET VIVITE.**) Id est, et vivetis, vel ut vivatis. Ita Vatabl. et Pagnin.

**NE FORTE COMBURATUR,** id est, ardeat et deslagret, **UT IGNIS DOMUS IOSEPH, ET DEVORABIT VICINA, ET NON ERIT QUI EXTINGUAT BETHEL.**) Hoc est, ignem immisum a Deo in Bethel, ut patet ex Hebræo et Græco. Pagnin. et Vatabl. vertunt, *ne forte diffundat ut ignis domum Ioseph*: diffundat, inquit Vatabl. id est, perrumpat et disperdat. Ignis enim validissima quæque perrumpit et consumit. Per *Ioseph* intelligit Ephraim, qui fuit filius Ioseph, per Ephraim autem intelligit decem tribus: quia Ieroboam primus eorum rex, et regni conditor, fuit ex tribu Ephraim. Ita S. Hieronymus. Remig. Albert. Hugo et Vatabl. Israel ergo nunc vocatur Ephraim, nunc Ioseph, nunc Iacob, nunc Samaria.

**QUI CONVERTITIS IN ABSINTHIUM IUDICIUM.**) Cohærent hæc cum initio versus præcedentis, q. d. Querite Dominum vos, o Israelitæ, qui ab eo aversi convertitis iudicium, eiusque suavitatem et dulcedinem in absinthii amaritudinem. Ita Rupert. Aliter Vatabl. connectit enim hæc cum verbo *devorabit*, q. d. Ignis hic devorabit vos, qui convertitis iudicium in absinthium. Iam *iudicium* primo, accipe proprie dictum. Sæpe enim Propheta culpant Israellem, quod perverteret iudicium adiudicando causam nocentibus, utpote amicis, vel divitibus et dantibus muneribus; atque innocentes, quia pauperes vel inimici, condemnando, quibus proinde æquitas et consolatio, quam quærebant ex iudicio, vertebatur in amaritudinem iniustitiæ et condemnationis, quæ illis acerba et amara erat instar absinthii. Ita Rupert. Hugo et Lyran. Unde explicando subdit Amos: *Et iustitiam in terra relinquitis*; Tigurina, *iustitiam in terra affligitis*; Vatabl. *in terra iace-re similis*.

Secundo, S. Hieron. *iudicium* generatim accipit pro iustitia et sanctitate, puta pro debito et officio virtutis, quod quisque Deo et proximo præstare debet. Sic sæpe Psaltes Psal. 118. ait, se fecisse iudicium, id est, quod æquum est, debitum et gratum Deo, q. d. Vos qui convertitis virtutem in vitium, iustam et sanctam vitam in peccati amaritudinem, eaque quasi absinthio potatis Deum. Hinc peccata in Scriptura vocantur amaritudines, quia amarificant, exacerbant, offendunt et ad iram concitant Deum. Ita ait Osce c. 12. 44. *Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis*. Rursum peccatum per catachresin vocatur, fel, toxicum, absinthium: Primo, quia animam vellicat, lædit, occidit. Secundo, quia qui peccat, Deo quasi fel propinat. Tertio, quia medicum mel et voluptas peccati æternum fel et dolores amarissimos peccatori accersit. Hinc ait Moses Deuter. 32. 32. *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile*. Et S. Petrus ad Simonem Magum, Actor. 8. 23. *in felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse*.

Huc pertinet expositio Ariæ, qui per iudicium accipit legem Dei. Hæc enim Psal. 118. et alibi sæpe vocatur *iudicium*, quia secundum eam iudicandum est quid sit bonum, quid malum, q. d. Vos legem Dei, quæ suavior est melle et favo Psal. 18. 41. ob vestras pravas concupiscentias et consuetudines, abominamini, quia aestimatis eam amaram ut absinthium, illamque ut talem apud alios depingitis et traducitis, itaque eos ab illa ad scelera vestra abducitis.

Tertio, Septuag. hæc referunt ad Deum, sic enim vertunt: *Querite Dominum, et vivite, etc. qui facit in excelso iudicium, et iustitiam in terra posuit*, q. d. Querite Deum, timentes iustum æque ac rigidum eius, utpote acerimi vindicis, iudicium. Et Arabicus, *Dominus faciens iudicium in altissimis, et ipse est qui fundavit iustitiam in terra, et operatur omne, et parat illud*.

**ET IUSTITIAM IN TERRA RELINQUITIS.**) *Iustitia* idem est quod *iudicium*, de quo iam dixi: Hebræi enim versus posteriore explicant priorem. Aliter S. Hieron. Lyran. et Ribera. Hi enim per *iustitiam* accipiunt Deum, qui est iustitia essentialis et increata, q. d. Vos adoratis iniusta et sordida idola, relinquitis vero, imo in terra quasi iacentem contemnitis et conculcatis ipsam iustitiam, id est, Deum iustissimum et omnipotentem, utpote *facientem Arcturum et Orionem*, etc. unde et Chald. vertit, *desierunt timere a facie Domini, qui facit Arcturum, etc.* Sed prior sensus, uti simplicior et communior, ita germanior est.

**FACIENTEM ARCTURUM.**) Ribera ex Remigio hæc connectit cum verbo *relinquitis*: illud enim hic repetit, q. d. Relinquitis iustitiam, quin et ipsum Deum facientem Arcturum. Unde Syrus vertit, *dereliquerunt illum qui facit Arcturum et Orionem*. Rursum plane hæc referas ad v. 6. *Querite Dominum*, q. d. Querite Deum creatorem, gubernatorem, iudicem et vindicem, æque ac remuneratorem omnium; utpote qui facit Arcturum, Orionem, etc. cætera enim hic intermedia, quasi per parenthesis inter-

Vers. 7.

Peccatum est absinthium, cur?

Vers. 8

ficiuntur. Sensus est, q. d. Querite Deum, non idola: solus enim Deus creat, gubernat, iudicat, vindicat, præmiat universa, non idola. Unde Septuag. vertunt, *qui facit omnia et transformat*. Ita S. Hieron. Vatabl. et Lyran. Quocirca si illum quæsieritis, vivetis etiam in mediis periculis et hostibus, securi et incolomes: ille enim potens est dare suis vitam, salutem et omne bonum: sin autem, moriemini, et ab hoste Assyrio excindemini: Deus enim immittet ignem in domum Ioseph, ut dixit v. 6. ipse enim facit Arcturum, Orionem, cælum et terram, et omnia quæ in eis sunt et fiunt.

ARCTURUM.) Ita Hebr. *כימה* *chima* Arcturum vertunt Septuag. Iob c. 9. 9. Pagnin. Vatabl. Arias hic. Secundo, Symmach. et Theodotion vertunt *Pleiadas*, sive *Vergilias*, quæ sunt septem stellæ in cauda Arietis, aut potius in Tauro; et ita vertit Noster Iob 38. 31. Tertio, Tigurina vertit *Cynosuram*, id est, ursam minorem. Quarto, Arabiens et alii vertunt, *succulas*, quæ sunt in capite Tauri, et a Græcis vocantur hyadæ ab *υαδ*, id est, plueri, eo quod pluvias concitent. Alii aliter vertunt: Hebræa enim nomina arborum, animalium, stellarum plures earum species significant. Porro *Arcturus* est ursa minor, puta septem stellæ quæ sitæ sunt iuxta polum Arcticum, ideoque circa eas volvitur axis cæli, nobisque semper apparent et nunquam occidunt, inquit Albertus. Verius Arcturus est stella ingens in sidere Bootæ, sive bubulei post caudam maioris ursæ, indeque vocatur Arcturus, q. d. Ursæ cauda: *αρκτος* enim est ursa, *αρξ* cauda. Oritur Arcturus die 5. Septembris, ait Columella lib. 2. cap. 4. suoque ortu, æque ac occasu, grandines et procellas ingentes concitat; ait Plinius lib. 2. c. 39. Unde Virgil. 1. Æneid.

Unde imber, et ignes,

Arcturum, pluviasque Hyadas geminosque Triones. Et Horat. lib. 3. Carm.

Stella micans radiis Arcturus nomine claro.

Et Cicero lib. 2. de Natura deorum ait, eam sitam subter præcordia Bootis, qui et Arctophylax, id est, custos ursæ dicitur, quia eam sequitur quasi custos. Unde Cicero ibid.

Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes,

Quod quasi temone adiunctam præ se quatit Arctum.

Et Ovid. 3. Fast.

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes.

Horum omnium situs clare patet insipienti globum astronomicum: in eo enim pingitur Arcturus ut clara stella inter femora Bootis, sive Arctophylacis, qui sequitur ursam maiorem, sive plastrum, ut vulgus vocat, eo quod septem eius stellæ formam plastrum vel currus exhibeant. Porro Arcturus acer est et vehemens in eiendis procellis. Unde Plautus iu Rudent.

Arcturus signum sum omnium quam acerrimum:

Vehemens sum exoriens, occidens vehementior.

Quocirca Plinius vim ordinaria maiorem, et quasi divinam in concitandis tempestatibus in Arcturo agnoscit lib. 18. 28. Et hoc innuit hic Propheta dicens: Deus est qui facit Arcturum, hoc est, qui vim tantam iaculandi nimbos, grandines, fulgetra ei indit, quantam quotannis cernimus et experimur. Iampridem enim Deus fecit, id est, creavit, Arcturum, puta ab origine mundi: quare Propheta cum ait hic, *facientem Arcturum* in præsentia, non videtur de præterita eius creatione loqui.

ET ORIONA.) Sic et Syrus et alii passim. Arabicus vero vertit, *Geminos*. Orion sidus est Meridionale ante taurum constans 28. stellis, et pingitur in globo astronomico quasi vir pede insistens lepori, inter Hyades et Syrium, sive eanem maiorem. Dicitur est græce Orion, *απο τῆς ορι-υαδ*, id est, turbare, eo quod eius ortu oritur pariter hiems, et quia oriens nimbis et procellis aerem terramque turbat. Inde Hebr. dicitur *כסיל* *chesil*, id est, inconstans, eo quod inconstans sit in micando, et inconstantiam auræ, puta serenitatis et tempestatum adducat: nascitur nono mense, puta Novembri, qui inde hebr. dicitur *kaslev*. In Novembri enim magna est cæli inconstantia et intem-

peries, quam significat et inducit *chesil*, id est, Orion. Unde Virgil. 1. Æneid.

Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

Hinc Poetæ fabulati sunt, Orionem, vel Urionem filium esse Neptuni, itaque dictum ab urina Iovis. Plautus Iugulum vocat, quod sit quasi armatorum gladius, stellarum fulgore (unde Noster Isaia 13. 10. Hebr. *chesil* vertit *splendor*) terribilis. Ideo ab Ovidio 1. 4. Pastor. Orion vocatur ensifer. Hic si fulget, serenitatem; si obscuratur, tempestatem denotat. Quocirca Horat. lib. 1. Carm.

Notus, inquit, *deveri rapidus comes Orionis*.

Devebum vocat, quia in dexera cæli parte, id est, in occasu positus: comitem vero eius Notum facit, quia tempestatem et ventos secum fert Orion.

Sub Arcturo et Orione per synecdochen, reliquas stellas et astra omnia accipe. Unde Symmach. pro *Orione* vertit, *stellas*; Theodotion, *vesperum*, qui secum stellas omnes abducat, ut idem hic dicatur quod Psal. 146. 4. *Qui facit multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat*. Quamobrem Septuag. hic vertunt, *omnia faciens et fabricans*.

Quæres, cur hæc duo astra præ cæteris nominat Propheta? Resp. Primo, S. Hieron. quia hæc duo sunt celebriora et nobis notiora. Secundo, quia grandines, procellæ, etc. ab horridis sideribus exeunt, velut Arcturo, Orione et Hædis, ait Plinius 1. 18. 28. Hæc ergo sidera cientia tempestates, iræ Dei sunt symbola: iram autem et vindictam hic Israelitis minatur Deus. Ita Ribera et Pineda in Iob 9. 9. quæ sane ratio huic loco valde congruit. Tertio, quia Orion præcipuum est sidus Meridionale, Arcturus præcipuum Septentrionale: sub his ergo duobus omnia, puta tam Meridionalia, quam Septentrionalia comprehendit.

Addunt aliqui, hæc duo iuvare ad producendos flores et fructus vernos. Unde Iob. 38. v. 31. pro eo quod nos legimus: *Numquid coniungere valebis micantes stellas pleiadas* (hebr. *chima*) *aut gyrum Arcturi* (hebr. *chesil*) *poteris dissipare?* sic transfert. Pagninus, *numquid ligare poteris manibus tuis fructus delicatos Vergiliarum, vel serotinos fructus Orionis aperire facies?* et Tigurina, *num prohibebis delicias pleiadum, aut contractiones Orionis aperies?*

Quarto, Christ. a Castro: Videntur, inquit, posse his duobus præcipuis sideribus æstatis, et hiemis, significari quatuor anni tempora: nam ver æstati adiungitur, hiemi autumnus, q. d. Qui facit quatuor anni tempora: sicut mox adicit: *Qui facit noctem et hiemem*. Qui enim adeo facile tempora commutat ex ortu siderum, æque facile e periculis cruet, et sortes infestas in felices faustasque commutabit, et captivitatem instantem avertet.

Tropolog. S. Gregor. lib. 9. Moral. c. 6. *Arcturus*, ait, *semper versatur, et nunquam mergitur: sic et Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus dum versatur, erigitur: quia tunc S. Ecclesia valentius in veritate reseritur, cum ardentius pro veritate fatigatur. Quid post Arcturum per Oriones, nisi Martyres designantur? Ex Orionibus igitur hiems inhorruit, quia clariscente sanctorum constantia, frigida mens infidelium aut tempestatem se persecutionis excitavit. Orionas ergo cælum edidit, eum S. Ecclesia Martyres misit. Qui dum loqui rudibus vult ausi sunt, omne pondus ex frigoris adversitate pertulerunt*. Subdit deinde: Post Oriones sequuntur Hyades, id est, doctores, qui post Martyres doctrinæ suæ pluvia rigarunt Ecclesiam: nam post tria sæcula Martyrum, sub Constantino cœpit quartum sæculum Doctorum.

CONVERTENTEM IN MANE TENEBRAS.) q. d. Qui tenebras noctis convertit in mane et lucem auroræ, qua noctem convertit in diem, ac vicissim diem in noctem mutat. Unde Pagnin. vertit. *est qui convertit in mane umbram mortis, et diem in noctem tenebrescere facit*: Tigurina, *qui tenebras mortis, id est, mortiferas, convertit in lucem matutinam, et diem nocte obtenebrat*. Nota. Tene-

Arcturus qui?

C

D

Oriones sunt Martyres.

Orion quis?

bræ noctis hebr. vocantur צלמות *tsalmavet*, Id est, umbra mortis, hoc est, maximæ et densissimæ, æque ac horribiles, uti est umbra mortis, in sepulcris, et in inferno. Syrus, *convertit in mane umbras mortis*, id est, umbras tristissimas, et tenebras densissimas.

Porro hæc umbra et tenebræ symbolice denotant ingenita pericula, ait Theodor. elades et ærumnas, q. d. Deus consolationem in desolationem, risum in luctum, prospera in adversa, securitatem in timores, plausum in planctum commutat, et vice versa desolationem in consolationem, etc. prout ei libuerit, et prout merentur vel demerentur homines. Ita Chæremon Abbas apud Cassian. collat. 12. cap. 12. hunc Amos locum explicat de mira mutatione cordium, quam facit sua gratia potens æque ac misericors Deus. *Quis, ait, plane non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu: Quia ego cognovi quod magnus est Dominus; cum se vel alium quæpiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumque perspexerit, et egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntarie perfruentem? Istæ sunt prodigia quæ posuit Deus super terram, quæ Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens: Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ: arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. Quod enim maius potest esse prodigium, quam sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Evangelii prædicatores patientissimos reddi, ita ut eam quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent? Istæ sunt opera Dei quæ se quotidie una cum Patre operari Filius protestatur, dicens: Pater meus usque modo operatur, et ego operor, Ioan. 5. De istis operibus B. David in spiritu canens: Benedictus, inquit, Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, Psal. 71. De istis et Amos Propheta: Qui facit, inquit, omnia, et convertit ea, et transmutat in matutinum umbram mortis. Hæc nempe est mutatio dexteræ exelsi.*

Rursum Cassianus collat. 15. c. 8. hasce mutationes mentium miraculis præfert, dicens: *Et revera maius miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis. Et magnificentius signum est, virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quam aeris potestatibus imperare: plusque est exclusisse edacissimos de corde proprio tristiciæ morbos, quam valetudines alterius febresque corporales expulisse. Postremo multis modis præclarior virtus, sublimiorque profectus est, animæ propriæ curare languores, quam corporis alieni. Causam dat. Quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior eius est salus; quantoque pretiosioris excellentiorisque est substantia, tanto gravioris ac perniciosioris est et ruinæ. Notent hoc qui in animabus convertendis desudant: sciant se tot miracula patrare quot animas convertunt, imo quot vitia extirpant; eaque non corporalia et transitoria, sed spiritualia et in omne ævum in cælis ad perenne trophæum mansura.*

QUI VOCAT AQUAS MARIS, q. d. Qui calore solis evocat et attollit in aerem vapores ex aquis maris, eosque resolvit in pluviam; itaque EFFUNDIT EAS (aquas) SUPER FACIEM TERRÆ: DOMINUS NOMEN EIUS. ) Pro Dominus hebr. est *Iehova*, id est, qui est, vel *יהוה*, qui est ipsum esse, tum suum formale, tum causale rerum omnium, puta qui est plenitudo, universitas et complexus entis, essentiæ et existentia; qui est Oceanus essendi, et immensum pelagus existendi. Suspicatur Sanchez, Amos, utpote rusticum, alludere ad rusticorum opinionem, licet falsam, quæ censet iridem bibere et haurire aquas e mari, de qua Rhodigin. lib. 22. c. 29.

Tropol. S. Paulus, ait S. Hieron. *quasi turbo violentus, et sæva tempestas, et lumentis maris gurges persequebatur et opprimere nitebatur Ecclesiam Dei. Qui vocatus a Domino, effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Hierosolymis usque ad Illyricum, etc. ut usque ad Hispanias tenderet, et a mari rubro, imo*

Qui vi-  
tias sanat,  
noctem  
in diem  
conver-  
tit.

ab Oceano usque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, et solem, de quo legimus: A summo cælo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius; ut ante eum deficeret terra, quam studium prædicandi.

QUI SUBRIDET VASTITATEM SUPER ROBUSTUM. ) Hebr. Vers. 9. est מבלִיג *mbellig*, quod primo, Septuagid. vertunt, qui dividit contritionem super fortitudinem, id est, qui varias contritiones quasi divisas et dissectas iaculatur in fortes et potentes, ut eos sternat; quique, ut explicat Theodor. facile infirmos corroborat, et robustos infirmat et conterit: secundo, Chald. Vatabl. et Arias, qui fortificat debiles, eosque facit prævalere robustis et fortibus; tertio Lyran. qui contemnit vastationem a robusto factam, et depopulationem, id est, populi stragem, et abductionem e regno potenti facit; quarto, Pagninus, qui roborat vastatorem super populum robustum; quinto, Tigurina, qui contemnit vastatorem super fortem; sexto, Arabicus, exaltans humilem super fortem, et infirmum super magnificantem se; et Syrus, qui præficit vilem (abiectum) forti et humilem super excelsum (elevatum) elevat. Hæc omnes interpretationes eodem tendunt, scilicet significant, Deum esse qui dat robur et victoriam cui vult, ac sæpe infirmos roborare, ut prævaleant fortibus. Sic tropologice ait S. Hieron. *Fortitudo corporis imbecillitas animæ est: rursus animæ fortitudo imbecillitas corporis est.*

Noster eodem fere sensu, sed nervosius magisque proprie, cum Aquila vertit, qui subridet, id est, subridendo comminatur et immitit vastitatem. Iræ enim magnitudo subinde subridendo ostenditur, aut potius ab heroibus per risum dissimulatur, uti patet ex illo Virgil. Æneid. 10.

Ad quem subridens mista Mezentius ira:

Nunc morere.

Ita Deus omnem humanam potentiam sibi adversam subridet, id est, subridendo despicit, deridet et sternit. Risu ergo ostendit eam minorem esse sua ira, et indignam cui succenseat et irascatur; uti leo canes, lupos, ursos non dignatur sua ira; sed si ei obsistant, quasi ludens et ridens eos discerpit. Sic Deus ludens in orbe terrarum, deridet fastum homuncionum, et subridens maectat impios; cum per homines debiles et infirmos, resque viles eos contundit, uti Pharaonem contudit per ranas, locustas, ciniphes et muscas. Hic est ludus, hic risus Dei omnipotentis. Hinc a Castro ita explicat: *Qui subridet, etc. id est, qui solet quasi per risum exstimulare debilem quemque in robustissimum, ut eum devastet. Et Mariana: Deus, ait, subridet, id est, videtur ludere in nostris malis. Et Emmanuel: Subridet, id est, ridendo, vel deridendo facile immitit vastitatem. Sic de struthione ait Iob c. 39. 18. Deridet equum et ascensorem eius. Et de Leviathan cap. 41. 20. Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. Et Psaltes de Deo ait Psal. 2. 4. Qui habitat in cælis irridebit eos. Et Psal. 36. 13. Dominus autem irridebit eum. Et Prov. 1. 26. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Pulchre vero Sapiens c. 12. 25. cum dixisset impios Chanaanæos impie et insipienter instar infantium insensatorum vixisse, subdit: Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti, q. d. Velut puerilibus et ridiculis pœnis (puta per vespas et crabrones) eos quasi pueros, graviter tamen et acriter punivisti: ubi in Græco pulchra est paronomasia inter παισιν et εμπαρῆμοι, q. d. Ridiculos ridicule irrisisti, pueros pueriliter lusisti et castigasti. Hoc est quod ait Claud. 2. in Eutrop. Subrisit crudele pater. Sic felis subridet murem quem cepit, id est, subridens devorat: nam antequam devoret, cum eo quasi ridens gesticulatur et ludit. Sic est risus Sardonicus, risus equivus, risus caninus: equi enim et canes dum ringunt et mordere parant, dentes nudant quasi ridentes. Sic Iupiter, inquit Hesiodus, iratus Prometheo, quod ignem e cælo furatus in terram detulisset, risit risum subamarulentum. Dioscorides lib. 6. inter venena prodidit herbam, quæ latine ranuncul, græce batrachion dicitur, et a regione in qua copiosius provenit, Sardoia, vel Sardoniam nuncupatur, si potetur, vel comedatur, mentem adimere, labiisque contractis risus speciem*

Subrisus  
signum  
iræ do-  
spicien-  
tis ad-  
versa-  
rium.

præbere. Atque inde proverbium de Sardonio risu. Strabo l. 11. Geographice scribit, in Cambysene, quæ flumen Alazonium accolit, arancærum genus quoddam nasci, quod alios ridendo cogit emori, alios flendo, desiderio suorum. Quia et Aristot. lib. 3. de Partibus animalium, ait, icu etiam trajecta præcordia in preliis, risum attulisse subinde, idque accidere calore quem moveat vulnus. Iam vero ridere de hoste risus est suavissimus, ait Sophocles in tragædia cui titulus, *Aiux flagellifer*. Ita lætatur non tantum Deus, sed et iustus, cum videt vindictam peccatorum.

Porro hebr. מבלִיג *mabliq* significare qui subridet, patet ex Aquila, qui vertit μεδωω, id est, subridens; et ex S. Hier. dum ait: *Proprie μεδωω, dicitur, quod nos subri- sionem possumus appellare, quando quis irascitur, et a- pertis paululum labiis subridere se simulat, ut ira osten- dat magnitudinem.* Idem in caput Jeremi. 8. v. 18. hebr. ait, מבלִיגית *mablightit est μεδωω, quod nos interpretari possumus rictum oris dolore contracti, et habentis risus similitudinem, qualis est risus caninus et Sardonius.* Iam quis non videt magis credendum Aquilæ et S. Hieron. quam modernis indoctis et infidelibus Rabbiniis?

Vers. 10. **ODIO HABUERUNT CORRIPIENTEM (Prophetam) IN PORTA.**) Prophetæ enim prædicabant in publicis plateis, et magis in portis, tum ob confluum hominum, tum quia in portis sedebant Iudices, Procuratores et Advocati iniqui, pervertentes iudicia et causas pauperum, quos redarguebat Amos aliique Prophetæ. Iudæi enim sua tribu- nalia et iudicia exercebant in portis, quia ad eos libere et facile convenire et confluere poterant, tam alienigenæ quam indigenæ, tam coloni quam cives. Ita sanxit Moses Deuter. 21. 19. *Ducunt, ait, eum ad seniores civitatis et ad portam iudicii.* Ita in portis prophetavit et prædicavit Ieremias c. 17. 17. et Esdras l. 2. c. 8. v. 2. ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Vatabl. et alii passim. In portis ergo erat quasi forum, tum civile rerum venalium, tum iudiciali- le causarum forensium. Unde Tigurina vertit, *in foro.* Audi S. Gregor. 21. Moral. 15. *Mos apud veteres fuit, ut ad portam sederent seniores, qui certantium iurgia iudiciali examinatione discernent; quatenus urbem in qua concorditer oportet vivere, discordes minime intrarent. Unde et per Prophetam dicitur: Constituite in porta iudicium.* Quocirca subdit, portam subinde capi pro iudicio quod exercebatur in porta, ut cum Iob ait: *Cum viderem me in porta superiorem: in porta, id est, in iudicio.*

**LOQUENTEM PERFECTE ADOMINATI SUNT.)** *Perfecte, id est, perfectum et sanctum sermonem, ut vertunt Septuag. et Symmach. ac immaeulatum, ut vertit Theodotius; Tigurina, loquentem integra.* Est periphrasis Prophetæ.

Vers. 11. **DIRIPIEBATIS PAUPEREM.)** Septuag. *pugno percutebatis pauperem;* alii, *sprevistis, confudistis et pudore affectistis;* Pagn. *onerastis pauperem;* proprie Tigurina, *conculcastis tenuem,* ut scilicet diriperetis et spoliaretis. Hebr. enim בושׁם *bosees*, potest deduci a rad. בושׁ *bos*, id est, confundere, pudefacere; et a rad. בוס *bos* per *samech*, id est, spernere, calcare, conculcare, polluere, inquinare, diripere. Porro *bos*, vicinum est alluditque ad בז *baz*, id est, spoliare, prædari, diripere.

**ET PRÆDAM ELECTAM.)** Septuag. *munera electa, q. d. Iudices aliique potentes extorquebant a pauperibus dona, non vulgaria, sed selecta et pretiosa.* Clarius, Pagnin. Vatabl. Arias et R. David vertunt, *et onus frumenti ab eo accepistis,* puta vi aut dolo extorsistis: onus intellige equi, vel hominis, quantum scilicet equus vel homo baiulus portare potest. Hebr. enim בר *bar*, et *electum, et frumentum* significat. Hinc iustam et congruam eius pœnam subiungit dicens:

**DOMOS QUADRO LAPIDE ÆDIFICABITIS, ET NON HABITABITIS IN HIS: VINEAS PLANTABITIS AMANTISSIMAS, ET NON BIBETIS VINUM EABUM.)** Iusta enim vindicta est, ut qui rapuit aliena, perdat sua. Æquum est, ut qui ex rapina domos et vineas comparat vel acquirat, eas non possideat, iis non gaudeat, earum usu et gustu non fruatur, uti sæpe raptoribus et iniustus iusto Dei iudicio accidere videmus.

**A QUIA COGNOVI MULTA SCELERA VESTRA, ET FORTIA PECCATA VESTRA.)** *Fortia, id est, gravia, grandia, crudelia, adeo ut meam clementiam vincant, ligent, et quasi obruant, illique iustam vindictam et flagellum e manu extorqueant.*

**HOSTES IUSTI, id est, iustorum, supple eratis; Tigurina, constringentes (Vatabl. affligentes iustum) ACCIPIENTES MUNUS, ut reum nocentem ad munera absolveretis, et innocentem impotentem ad ea dandum condemnaretis.** Pro *munus*, Septuag. Symmach. et Theodor. vertunt, ἀλλομετρα, id est, commutationes. Porro ἀλλομετρα, iuxta idioma Scripturæ pretium dicitur, ait S. Hieron. **ET PAUPERES DEPRIMENTES (Septuag. declinantes; Symmachus, opprimentes) IN PORTA.)** Id est, in iudicio quod fiebat in portis.

**IDEO PRUDENS IN TEMPORE ILLO TACEBIT, QUIA TEM- PUS MALUM EST.)** Tigurina, *idcirco prudens hoc tempore silere cogitur; quandoquidem periculosum est, q. d. Propter iniustitiam iudicium, et imprudentiam hominum huius temporis odientium veritatem, tacent tum ipsi oppressi, seruntque in silentio suas iniurias, et rapinas; ne si elament aut conquærantur, gravius affligantur, inquit Arias: tum Prophetæ: irridunt enim eorum minæ et monita, nec illa monitio cederet ad emendationem, sed ad incrementum rapinarum et peccatorum.* Ita Remig. Albert. Lyran. et Vatabl. Ita V. Beda l. 3. Hist. Anglic. c. 19. narrat S. Furseum raptum ad tribunal Christi, accusatum a demonibus, inter alia dicentibus: Scriptum est: *Nisi annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius requiram de manu tua. Hic non annuntiavit digne peccantibus pœnitentiam.* Verum Angelum sanctum pro eo respondisse: *De hoc tempore scriptum est: Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus pessimum est: quando enim auditores despiciunt verbum, lingua etiam doctoris præpeditur, dum videt quod audita prædicatio despiciatur.* Subdit Beda: *In omni contradictione dæmonum prævalida nimis extitit pugna, donec iudice Domino, triumphantibus eius angelis, contritis devictisque adversariis, immensa claritate vir sanctus circumfusus est, sanctorum angelorum choris concinentibus: Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur.*

Secundo, magisque apposite S. Hieron. et Theodor. q. d. Idcirco, scilicet ob tot rapinas et scelera quæ iam recensui, prudens in tempore illo captivitatis Assyriacæ, videns Israelitas adeo horrendè a Deo puniri, non conquæretur, quia tempus malum est, quo scilicet Deus decrevit impios plectere et perdere; sed tacebit, probans et laudans iustum Dei iudicium, et impiorum supplicium; de hoc enim agit, ut patet ex præcedentibus. Nam alioqui Amos aliique Prophetæ non tacebant, sed acriter reprehendebant sceleratos, eisque dira quæque minabantur; esto scelesti ea contemnerent et riderent.

Tertio, nove Ioannes Alba Electorum c. 23. sic explicat: *In tempore illo prudens tacebit, q. d. Sapientes et principes populi ad silentium rediguntur, et obmutescunt, ac præ malorum pondere profunda silentia servabunt.* Sic dicitur 1. Reg. 2. 9. *Impii in tenebris contiescent,* hoc est, præ malis obmutescunt. Et de Tyro evertenda ait Ezech. c. 27. 32. *Quæ est ut Tyrus quæ obmutuit?* id est obmutescet. Et Sap. 10. 21. *Sapientia aperuit os mutorum.* Mutos vocat allictos Hebræos, et ob Ægyptiam servitutem obmutescentes: vehementer enim dolor loquelam adimit. Horum Deus ora aperuit, cum dolorem ademit; et illos exhilaravit liberando ex Ægypto: tunc enim eruperunt in hymnos laudesque Dei, ac cecinerunt: *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est: equum et a- sensorem protecit in mare, Exod. 15.*

**SICUT DIXISTIS.)** Scilicet apud vos ipsos, id est, sicut desiderastis. Nil enim aliud optabant, quam Deum manere secum in terra, quam eis dederat: eo enim manente, mansuri erant et ipsi; eo abeunte, ipsi quoque abituri erant in captivitatem. Ita Lyran. et Clarius. Secundo, q. d. Præstate quod promisistis, scilicet vos quæsiturus bonum, non malum, ad hoc, ut Dominus sit vobiscum: a-

gite quæ dixistis, et facta verbis consentiant, ut mores malos in bonos convertatis, quibus Deum vobis conciliatis. Ita Theodor. Prior sensus simplicior, secundus plenior est.

Vers. 15. **CONSTITUITE IN PORTA IUDICIUM.**) Scilicet iustum, hoc est, iustos iudices, qui munera non accipiant, sed pauperes et innocentes tueantur.

**SI FORTE MISEREATUR DOMINUS RELIQUIIS IOSEPH**) Id est, regno Israel, cuius institutor fuit Ieroboam, ortus ex Ephraim filio Ioseph.

Vers. 16. **IN OMNIBUS PLATEIS ERIT PLANCTUS, ET IN CUNCTIS QUÆ FORIS SUNT** (puta in cunctis vicis, ut vertit Vatabl. et Arias, pagis et villis) **DICETUR: VÆ VÆ.**) Hebr. **וַיְהִי הוֹ הוֹ**, id est, heu heu, quæ vox est gementis et plangentis stragem Samariæ. Ita S. Hieron.

**VOCABUNT AGRICOLAM AD LUCTUM, ET AD PLANCTUM EOS QUI SCIUNT PLANGERE.**) Puta planctores, et planctrices, sive præficas, qui ad funus mortui vocabantur, ut eum voce, et gestu, et tibie sonitu plangerent, de quibus dixi Ierem. 9. 11. q. d. Tanta erit clades, ut omnes plangent, et urbani et rustici: hi naturaliter more rusticano, illi ex arte et usu civili.

Vers. 17. **QUIA TRANSIRO IN MEDIO TUI.**) Quasi fulgur momento omnia pervadens, percelsens et sternens. Unde Aquila vertit, **αυτοπροβηστω**, quasi citam et curationis minime capacitam calamitatem, ait S. Hieron.

Vers. 18. **VÆ DESIDERANTIBUS DIEM DOMINI.**) S. Hieron. Rupert. et Hugo hæc intelligunt de Iudæis, æque ac Israelitis: Arias de solis Iudæis. Nam c. seq. v. 1. nominat Sionem, quæ erat urbs et arx Iudæorum, ac hic vers. 22. agit de victimis Deo vero oblati: hæc autem offerebantur in Iudæa, non in Israele. Sensus ergo est, ait S. Hieron. q. d. Dicunt impudentes Iudæi et Samaritæ: Veniat dies prædicta a Prophetis, veniat intentata captivitas, dummodo quod promittitur per Prophetas, etiam restitutionis tempus consequatur. Non est enim tantum mali in captivitate iniuria, quantum boni in his quæ post captivitatem Dominus pollicetur. Quibus Propheta respondet, eos falli et falsa præstolari. Nam post 70. annos captivitatis graviores clades eis obventuras. Cum enim iugum Chaldæorum evaseritis, inquit, incidetis in ursum, id est, Cyrum et Darium, a quo eruti occurretis colubro, id est, Alexandro Magno, et Antiocho Epiphani. Verum ad Israelitas solos hactenus fuit sermo, hique vocantur v. 15. reliquie Ioseph: hi etiam habuerunt sua altaria Deo vero dicata, quæ destruxit Achab et Iezabel, uti plangit Elias 3. Reg. 19. 10. Loquitur ergo Israelitis, qui irridebant minas captivitatis et excidii, quas eis intuebantur Prophete, dicentes: *Manda, remanda; expecta, reexpecta*, Isaie 28. 10. Sensus ergo est, q. d. Vos, o Israelitæ, irridetis nostra oracula, et irrisorie dicitis: Ubi est dies Domini? ubi est dies vindictæ et excidii, quam ad ravim inelamant et intentant nobis Prophete? veniat, veniat. Nam ad hanc diem et vocem iam pridem occalluerunt aures nostræ: dies enim illa semper nobis obicitur, et nunquam venit. Quare minas hæc ut inanes spernimus; diem illum venturum non credimus, nec timemus. Et si veniat, non adeo horribilis erit, atque abibit uti venit: nec Deus populum suum derelinquet, sed paulo post restituet et restaurabit, uti vos, o Prophete promittitis. Quibus respondet Propheta, diem Domini fore terribilem, foreque diem nubis, caliginis et tenebrarum, id est, plenam miseriarum, tristitiæ et ærumnarum, ac omnia infansta et acerba allaturam. Ita Theodor. Lyran. et Vatabl.

Vers. 19. **QUOMODO SI FUGIAT VIR A FACIE LEONIS.**) Sensus est, Dies illa periculum ex periculo, cladem ex clade feret, perinde ac si quis leonem fugiens incidat in ursum; et ursum fugiens in domum, ibi mordeatur a colubro, q. d. In die illa omnia ubique erunt plena periculis et stragibus: nec foris, nec domi quis tutus erit: foris enim grassantur leones et ursi, domi in parietinis et foraminibus latent angues. Rursum, minori periculo et malo succedet maius, sicut sævior est ursus leone: leo enim supplicibus pareit et mortuis, ursus nulli, quin et cadavera invadit et la-

niat. Addit a Castro, per leonem intelligi Teglatphalasar, cui successit ursus sævior, scilicet Salmanasar, excurrrens et populans agros Samariæ: ursum excepit nocentior coluber, id est, idem Salmanasar Samariam everrens, regnumque Israel excidens.

Allegor. Rupert. hæc refert ad duplicem Christi adventum: Leo, inquit, est Christus resurgens ut leo de tribu Iuda, a cuius facie fugerunt Iudæi: sed in eundem incident quasi in ursum, cum secundo veniet ut iudex orbis, quando Iudæi conabuntur se fieri, et abscondere in maceria et parietinis, hoc est, in lege Mosis iam pridem ruen-te et abolita: sed ibi comprehendet eos coluber, id est, Antichristus tyrannorum omnium sævissimus, de quo dixit Iacob Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*. Sic enim de Deo ait Ierem. Thren. 3. 10. *Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis*.

Tropolog. S. Hieron. Diabolus, ait, est leo, ursus, coluber: puta leo in hac vita, ursus in morte, coluber in gehenna: ibi enim damnatos mordet et cruciat ut aspis. Rursum Clarius: Væ, ait, illis qui desiderant diem Domini, id est, diem mortis, ut præsentis vitæ mala evadant, nam incident in ursum, id est, in terribile Christi iudicium; et in colubrum, id est, in gehennam; ubi ab uno dæmone et tortore incident in alium et alium iugiter.

Denique hæc recte Epicuræis, politicis et atheis adaptes, qui hic voluptuantur, ventrique et veneri indulgent, ideoque sibi persuadere conantur animam hominis esse mortalem, et in morte cum corpore interituram. Hi enim non timent mortem, sed saturi et oppleti eam optant, ut in ea quiescant. Verum in morte incident in ursum et colubrum, id est, in dæmones, qui ostendent eis animam esse immortalem, dum eam rapiunt ad æterna tormenta. Ibi agnoscent suam stoliditatem, cum dæmones eis obiciant testimonium ipsius animæ, dicentque: Si nolebas credere S. Script. Ecclesiæ, consensui SS. Patrum et Sapientum, qui omnes uno ore credunt et docent animam esse immortalem, debebas saltem credere animæ tuæ, quæ testatur se liberam, rationalem, creatam ad imaginem Dei, Deumque fore suum iudicem et vindicem, præsertim iis, qui omnem hanc vitam in voluptatibus et sceleribus transegerunt. Ubi? nisi in altera vita, eaque æterna. Id clamavit, id iugiter ocllamavit tibi conscientia tua. Clamorem eius surditate tua sopire voluisti, at extinguere non potuisti: semper tibi hæsit scrupulus, semper dubitatio, semper metus. Quid si anima sit immortalis? quid mihi post hanc vitam accidet? quas scelerum pœnas dabo? Stolide, in dubio tanto, ex quo sciebas æternitatem tuam pendere, eamque vel beatissimam, vel miserissimam, cur non tutiorem, cur non securiorem partem elegisti? Si dubites an via sit obsessa latronibus, aliam capeassis, licet longiorem et difficiliorem. Cur idem non fecisti in hoc cæco animæ bivio? Hoc dilemma (quo nuper politicus quidam moriens convictus et conversus est) te sapientiam et prudentiam docere debebat: Vel est numen, et vindex Deus post hanc vitam, vel non est. Si non est, attamen si id credidero, non mihi nocebit, imo proderit: inducet enim me ad vitam honestam et homine dignam: si est, et ego illud non credidero, imo negavero, quas eius iras, quæ tormenta ab eo ob hanc perfidiam et blasphemiam et expectare me oportet? Potius ergo illud credam et confitebor, cum illud credere nocere nequeat; non credere autem gravissimos cruciatus mihi accersere possit. Rursum, vel sunt præmia bonorum et supplicia malorum, uti ipsa ratio dicit, post hanc vitam, vel non sunt. Si non sunt, ea tamen credere, sperare et timere non obeerit, imo proderit ad omnem virtutem: si sunt, et ego ea non credens turpiter et scelerate vixerim, utique supplicii hisce æternis mancipabor; longe ergo satius et prudentius est, ea credere, quam non credere. Vide Tertull. lib. de Testimonio anime.

**NEMQUID NON TENEBRÆ DIEM DOMINI, ET NON LUX?**) Vers. 20. Tenebræ symbolam sunt adversitatis, calamitatis et mœroris: lux vero prosperitatis, felicitatis et gaudii, q. d. Ut quid contemnitis, imo irridendo provocatis et deside-

ratis diem vindictæ Domini? nescitis illam diem vobis fore tenebrosam, id est, aerumnosam maxime et luctuosam, in qua bonis, libertate et vita spoliabimini? in qua occidet vobis sol huius lucis, omnisque consolationis et boni, ac nox una perpetua vobis erit dormienda, in qua nullus erit splendor, sed umbra mortis, et æterna caligo, mæror et desolatio.

Vers. 21. **ODI ET PROIECI FESTIVITATES VESTRAS.**) Est prolepsis. Occurrit enim tacite obiectioni, q. d. Vos confidentes in templo eiusque sacrificiis, dicitis et ingeminatis: Templum Domini, templum Domini est apud nos. Deus non sinet suum templum ab hostibus everti, nec populum se tot victimis colentem, ab iisdem capi et trucidari. Quibus Deus respondet: Frustra hæc iactatis, frustra in hisce confiditis. Nam ego odi sacrificia et festa vestra; odore et nidore eorum, dum cremantur, æque ac thymiamatis incensique vestri, non capior, imo offendor: quia ab hostibus meis, impiis et secleratis mihi offeruntur, iuxta illud Isaia 1. 13. *Incensum abominatio est mihi: calendæ vestras, et solemnitates vestras odit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Illa enim sacrificia valebant tantum et placebant Deo ex opere operantis, non ex opere operato, uti placet sacrificium legis novæ. Vide ibi dicta.

Vers. 22. **ET VOTA.**) Septuag. vertunt, et salutare, scilicet hostias, puta pacificas, quæ pro pace et salute domus vel populi offerebantur, vel sponte, vel ex voto. Unde Noster vertit, *vota pinguium vestrorum.* Hoc significat Hebraice **מריאכם** *meriechem*: sed Septuag. legentes aliis punctis **מריאכם** *marechem*, vertunt *επιπροσευχας*, id est, apparitionis, vel præsentia vestra, q. d. Hostias ad quas offerendas vos Deo præsentis in templo sistitis, non respiciam.

Vers. 23. **AUFER A ME TUMULTUM (Septuag. sonitum; S. Justin. contra Tryphon. multitudinem) CARMINUM TUORUM.**) Canebant Iudæi Psalmos Davidis et cantica in templo in laudem Dei: sed Deus ea hie fastidit, vocatque *tumultum carminum*: Primo, quia eadem caneant idolis. Secundo, quia non prodibant ex interna devotione, sed ex usu et vanitate. Tertio, quia erant hominum impiorum. Ita S. Hier. Quarto, quia inconditis et confusis vocibus tumultuarie boabant, vel ululabant. Unde Syrus vertit, *transfer a me vocem iubilationis tue.*

**CANTICA LYRÆ TUE NON AUDIAM.**) Septuag. *Psalmum organorum tuorum non audiam.* Psalmos enim et cantica partim caneant voce, partim instrumentis musicis, puta lyra, psalterio, organo, etc. Putabant erassi Iudæi, se sua deliria lyrando tegere, se suavi concentu aures Dei irati mulcere, eumque quasi incantare, uti incantantur cervi et serpentes. Hinc Ægyptii hominem adolatione deceptum, significabant per cervum eum tibicine, ait Horus lib. 2. hierogl. 87. Huius enim concentu capitur cervus, et facile in venatorum manus incidit. Simili modo Ciree voluptuaria incantavit socios Ulyssis, eosque in porcos et bestias convertit, uti fabulantur Poetæ: sed Ulyssos iis aures clausit, inde incantari non potuit. Verum errabant: Deus enim cautis cordis, non oris capitur.

Videant hic choraules et cantores Christiani, ne in psalmodia ex festinatione versus præcipitent, præmordeant, cum altero choro commisceant et confundant, ne audiant a Deo: *Aufer a me tumultum carminum tuorum.* Videant pariter, ne totam psallendi devotionem colloent in voce canora, in subtilitate modulandi, in agilitate tonos minuendi, etc. dum instar avium minuriunt, ut curiosorum aures titillent, ad se rapiant, et ab oratione avocent; ne audiant a Deo: *Cantica lyræ tuæ non audiam;* pro quo Arabicus vertit, *ne distinctionem (varietatem flexus et gyros) faciatis mihi in vocibus laudum vestrarum.* Quocirca disceant illud Apostoli: *Psallam spiritu, psallam et mente.* Et illud S. Augustini, et S. Athanasii quem citat S. Aug. lib. 10. Confess. c. 32. *Tullius, ait, mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare tectorem psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.* Et mox: *Commoveor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantan-*

Moral de cantu, ut is gravis sit.

**A** tur, majorem instituti huius utilitatem agnosco, ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit, ut me amplius eantus, quam res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. Idem in Psal. 30. concione, initio docet psallenti induendos esse psalmi cuiusque affectus. *Si orat psalmus, ait, orate: et si gemit, gemite: et si gratulatur, gaudete: et si timet, time.* Omnia enim quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. Idem in Ps. 42. initio: *Eius (Christi) vocem in omnibus psalmis, vel psallentem, vel gementem, vel lætantem in spe, cæl suspirantem in re, notissimum iam et familiarissimum habere debemus, tanquam nostram.* Idem in Psal. 119. *Quam multi, ait, sonant voce, et corde multi sunt? Et quam multi tacent labiis, et clamant affecta? quia ad cor hominis aures Dei: sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus, et dicere: Multum pœnirinata est anima mea: cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Hoc est quod Psaltes ait Psalm. 46. v. 2. et 7. Iubilate, ait, Deo in voce exultationis. Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter. S. August. legit, psallite intelligenter. Quod explicans S. Bern. serm. 7. in Cant. Attendite, ait, principes vestros (angelos) cum stalis ad orandum vel psallendum, et stete cum reverentia et disciplina; et gloriamini, quia angeli vestri quotidie vident faciem Patris. Usurpemus officium, quorum sortimur consortium. Dicamus eis: Psallite Deo nostro, psallite, atque audiamus eos vicissim respondententes: Psallite regi nostro, psallite. Laudem ergo cum cæli cantoribus in commune dicentes, utpote cives sanctorum et domestici Dei, psallite sapienter. Cibis in ore, psalmus in corde sapit, etc. Mel in cera, devotio in littera est. Alioquin littera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas et mente, cognosces et tu de illius veritate sermonis, quem dixit Iesus: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Idem de Modo bene vivendi ad sororem cap. 52. Hoc, ait, tracta in mente, quod cantas in voce. Mens tua cum voce concordet, non aliud cogites, aliud cantes. Et mox: Psalmorum decantatio significat perpetuam laudem Dei in æterna gaudia, sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Quicumque fideliter et intenta mente psalmos decantat, quodammodo angelis Dei sociatur. Quomodo? Quia homo illum pro modulo suo laudat in terris, quem angeli sine intermissione adorant et glorificant in cælis. Et inferius: Sacrificium laudis honorificabit me, inquit, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Ac si apertius diceret: In psalmis est iter laudis, quo ad æternam laudem pervenire possis.*

**B** **ET REVELABITUR QUASI AQUA IUDICIUM.**) Et, id est, idcirco, scilicet ob seclera vestra iam recensita, impiaque vestra sacrificia et carmina, revelabitur et proluet a Deo iudicium, id est, supplicium, quod ipse ex improvviso in vos immittet, sicut revelatur et proluit aqua e fonte ocelluso et obturato, si is aperiat, et multo magis ex torrente in valle aggeribus coartato, si is increseat et exundet: tunc enim prata et campos obruit et sepelit.

Pro revelabitur hebr. est **יגג** *iggat*: quod si a radice **גגג** *gala* deducatur, ut sit futurum niphil per apocopen, *iggat* pro **יגג** *iggat*, tunc significat revelabitur: sin autem deducas a rad. **גג** *galat*, et per erasin **גג** *gal*, tunc significat volvet, convolvit, obruet. Unde Sept. vertunt, *volvetur sicut aqua iudicium, et iustitia sicut torrens inivis*; Pagninus, *volvet se sicut aqua iudicium*, etc. R. David, *iudicium ultionis meæ quasi moles aquarum inundantium affluet, et revolvetur ad vos*, q. d. Ira et vindicta mea instar torrentis furioso impetu exundantis vos involvet, obruet et auferet. Secundo, Tigurina, Arias et Vatabl. vertunt per optativum, *vocemque et capient ad-versative pro, sed.* Unde sic vertunt, *sed profluet, vel devolvat se, utque instar, iudicium, et iustitia ceu torrens ve-*

Vers 24

*hemens*, q. d. Corrigit vestra iudicia iniqua et oppressiones pauperum, quas paulo ante reprehendi v. 7. neque iis amplius indulgete, sed ex adverso colite iudicium et iustitiam, pauperes et innocentes protegendo: quod si feceritis, me vobis reconciliabitis, minasque a me intentatas evadetis. Verum priorem sensum exigit versio nostra, Septuag. et Chaldaei: omnia enim hæc pœnam et vindictam ineuleant.

Vers. 25. NUMQUID HOSTIAS ET SACRIFICIUM OBTULISTIS MIHI IN DESERTO QUADRAGINTA ANNIS? Quibus peregrinati estis in deserto, q. d. Non.

Quæres, quomodo hoc sit verum? Respondent S. Hieron. Albert. Rupert. Hugo hic, et S. Chrysost. et Beda in Actor. 7. Iudeos primo anno quo in paschate, puta in Martio, egressi sunt ex Ægypto, adorasse vitulum aureum 4. mense, puta 24. die Junii: et ab illo tempore non sacrificasse Deo vero sponte sua, sed coactos a Deo et Mose. Verum obstat, quod mox eos adorationis vituli pœnituerit, Deoque reconciliati sint; unde Deus cum eis fœdus iniit, ac tabernaculum sibi dedicari iussit anno 2. ab exitu ex Ægypto, mense 1. in qua dedicatione Hebraei multas victimas sponte obtulerunt Deo, ut patet Exodi 40. Levit. 9. et 10. Num. 7. Secundo, ergo melius respondent alii, Hebræos post hanc dedicationem tabernaculi, et consecrationem Aaronis et filiorum eius in sacerdotes, nunquam, vel raro obtulisse Deo solemne sacrificium in deserto, sicut in eodem non fuerunt circummeisi, ut patet Iosue 5. 7. quia versabantur in continua peregrinatione, nec certi erant de statione ad unum diem: quia mox ut movebatur ab Angelo columna nubis incubans tabernaculo, debebant movere castra et proficisci: unde deinceps post cap. 10. Levitici, toto reliquo Levitico, Numeris et Deuteronomio nusquam legimus eos sacrificasse; ita Lyran. Vatabl. Arias et alii. Adde, Hebræos in deserto proclives fuisse in murmura, ac crebro contra Deum et Mosem rebellasse, atque ad idola quæ recenter in Ægypto coluerant, rediisse.

Nota. Vocantur hic quadraginta anni, cum fuerint tantum 38. et aliquot menses. Nam 2. anno ab egressu ex Ægypto erectum est tabernaculum, et in eo obtulerunt victimas; deinceps vero nullas, vel raras: hi ergo duo anni ex quadraginta subtrahendi sunt. Solet enim Script. integros numeros consignare, etiamsi illis aliquid desit, vel supersit. Sic vocantur septuaginta discipuli Christi, cum fuerint 72. Sic Iudæ. 9. 5. dicitur Abimelech occidisse septuaginta fratres, filios Gedeonis, cum fuerint tantum sexaginta novem; nam unus, puta Ioathan, fuga elapsus evasit.

Vers. 26. ET PORTASTIS TABERNACULUM MOLOCH (Deo, uti aliqui codices legunt) VESTRO.) Hebr. נְשֵׂאתֶם *nesatem*, id est, elevastis, erexistis, sustulistis in humeros vestros: S. Stephan. Actor. 7. legit, *suscipistis*. Pro *tabernaculum* hebr. est כְּבוֹת *sicut*, quod Chald. et Vatabl. censent esse nomen idoli; unde vertunt, *portastis Sicut regem vestrum*; Arias vero ex R. Iona, *portastis*, vel *sustinuistis auscultationem regis vestri*; Theodotion vertit, *visionem*. Verum *sicut* incognitum est nomen, nec alibi reperitur. Pro *sicut* ergo alio pueto legendum כְּבוֹת *sucot*, id est, tabernacula. Ita Septuag. Symmach. Noster, Tigurina, et Aquila, quia vertit σκηνώματα, id est, umbracula. Quin et S. Stephanus Actor. 7. 43. legit *tabernaculum*. Denique pro *Moloch* hebr. est מַלְכֶּכֶם *malchechem*, id est, regis vestri, vel regi vestro, ut vertunt Symmach. Theodotion et Tigurina, puta *Moloch*. *Moloch* enim idem erat qui *Melchom*, ut vertit hic Aquila, et *Melch*, id est, rex summus hominumque Deumque, puta Iupiter, sive Deus Ammonitarum. Quis fuerit *Moloch*, dixi Levit. 18. 21.

Quæres, quando Israelitæ portarunt tabernaculum *Moloch*, eumque coluerunt? Lyran. Vatabl. Arias et a Castro, hæc prophetice accipiunt quasi futura: *portastis*, inquit, id est, *portabilis*, q. d. Transferam vos trans Damascum in Assyriam, ibique Assyrii cogent vos captivos humeris portare *Moloch*, aliaque idola vestra per ludibrium, quod illi dii vani sint, qui vos a clade Assyrio-

*rum* tutari non potuerint. Aut *portastis*, id est, portabitis et luctis supplicium exidii et captivitatis, propter tabernaculum et idolum *Moloch* quod erexistis. Verum hic sensus durus est: tam enim Hebræa quam Septuag. Chald. et alii omnes vertunt, *portastis* in præterito: τὸ enim *portastis* pertinet ad 40. annos in deserto, qui præcesserunt, q. d. Quadraginta annis in deserto sacrificastis, non mihi, sed *Moloch* et idolis. Ita explicat S. Stephan. Actor. 7. 41. *Et vitulum*, ait, *fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, etc. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiæ cæti* (stellis) *sicut scriptum est in libro Prophetarum* (in Amos hoc loco): *Numquid victimas et hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch*. Ubi *cola et*, adversativa est, capiturque pro *sed*, q. d. Non meum, sed *Moloch* tabernaculum et cultum suscepistis. Alii, ut Lyran. censent Hebræos coluisse *Moloch*, non in deserto, sed in terra sancta, uti fecit Salomon 3. Reg. 11.

5. Verum hoc huic loco non convenire, patet iisdem rationibus iam allatis. Quare alii passim, ut S. Hier. Theodor. Remig. Rupert. et alii censent, Hebræos in deserto coluisse *Moloch*. Oëumen. in Actor. 7. putat eos coluisse *Moloch* tunc, quando Moses cum Deo agebat in monte Sina: tunc enim collarunt vitulum aureum, Exodi 32. Verum quia id accidit paulo post egressum ex Ægypto, cum needum attigerant fines Ammonitarum, quorum Deus et idolum erat *Moloch*; hinc verius videtur quod ait Ribera, id eos fecisse Num. 25. 1. dum fornicantes cum filiabus Moab coluerunt *Beelphegor*; nam Iosephus lib. 4. Antiq. 6. ait eos tunc non unum, sed multos deos coluisse: et Ammonitæ vicini erant et cognati Moabitibus: quocirca hi ab illis acceperunt idolum et cultum *Moloch*. Nec Moses id impedire potuit, sicut impedire non valuit cultum *Beelphegor* in populo furente, et principibus populo consentientibus, imo illi in scelere præeuntibus, ut habetur Numer. 25. 4. Licet ergo id Moses in Pentateucho non scripserit, tamen id revera contigisse patet ex Amos, et ex S. Stephano, qui vel traditione maiorum, vel revelatione Dei id acceperunt.

Sensus ergo est, q. d. Iam inde ab initio synagogæ vos o Israelitæ, coluistis idola in deserto et exinde nunquam ab eorum cultu plane recessistis. Ergo ego Deus detestor sacrificia vestra, etiam mihi oblata: quia me cum *Moloch* et idolis componitis et colitis. Quare excindam vos, uti minatus sum v. 1. traducamque per Damascum in Assyriam. Nota τὸ *portastis*, Iudei enim more Gentium solemnè pompa in tabernaculo secum circumferebant *Moloch* Deum suum, religionis et protectionis ergo, quasi viæ suæ comitem et ducem; sicut per desertum portarunt arcam et propitiatorium, in quo quasi throno residebat Deus. Sic Gentes per viam secum duxisse tutelares deos docet Servius in illud Æneid. 6.

*Errantesque Deos agitataque numina Troiæ.*

Sic Rachel furata idola patris sui, ea secum duxit in Chanaan, Genes. 31 34. Iacob vero de Deo ait, *Socius fuit itineris mei*, Genes. 35. 3.

1) ET IMAGINEM IDOLORUM VESTRORUM.) Pro *imaginem* hebr. est כִּיּוֹן *chion*, quod retinuerunt in sua versione Aquila, Symmach. et Chaldaeus. Quin et Syrus, *portastis*, ait, *tabernaculum Malchum et Kevon similitudinem* (imaginem, simulacrum, idolum) *vestram, sidus quod fecistis vobis Deum*. R. David, Pagnin. et Vatabl. vertunt, *placentiam*, quam suis idolis offerbant; Theodotion vertit, αμυραντισμῶν, id est, obscuritatem; Noster recte vertit, *imaginem*, vel statuam affabre apparatus, concinnatam et erectam ad cultum. Radix enim כָּן *cun*, significat parere, concinnare, firmare, erigere. Septuag. vertunt, *sidus Dei vestri Rempham*, vel potius, ut Romani codices legunt, *Rephan*. Septuag. sequitur S. Stephanus Actor. 7.

Quæres, unde Sept. acceperunt τὸ *Rephan*, quod non est in Hebræo, nec in ullo interprete? Theodor. Ribera et a Castro censent, eos τὸ *Rephan* de suo addidisse, ut nomen idoli exprimerent. Verum dico Septuag. Hebræum *chion* vertisse *Rephan*. Id enim expresse asserit S. Hieron. *Pro*

Rempham vel Rephan quid?



eo, ait, quod in Septuag. legitur Παρρυ, Aquila et Symmach. ipsum Hebraicum transferentes, posuerunt χιουν. Et patet; nam Hebraeo χιουν, apud Septuag. non est vox alia quae respondeat, nisi *Rephan*. Ubi adverte, Septuag. et ex eis. S. Stephanum legisse Hebraeos voces inverso ordine, ac nonnullas transposuisse, sic enim legerunt: *Cocab clohechem χιουν tsalmechem ascer asilem*, id est, *sidus Dei vestri Chium* (pro quo ipsi vertunt *Rephan*) *figuras eorum quas fecistis*. Iam vero in Hebraeo legitur: *χιουν tsalmechem cocab clohechem ascer asilem*, id est, *χιουν* (quod Noster vertit *imaginem*) *figurarum, vel idolorum vestrorum, sidus deorum vestrorum, quos, vel quae fecistis*. Sed qua ratione Septuag. pro *χιουν* verterunt *Rephan*? Respond. Primo, Christ. a Castro, id eos fecisse quia idolum et sidus quod hebr. vocabatur *χιουν* graece vocabatur *παρρυ*, a *παρρυσσω*, id est, pure et caste vivo, eo quod pure lucret; sive a *παρρ*, id est, sutura, eo quod sidus hoc positum esset in idoli calvaria, ea parte, qua ipsa suturam habet et commissuram: aut vocari *παρρυ* a *παρρος*, id est, rostrum aut os, eo quod sidus hoc in ore idoli positum esset. Verum obstat, quod *Repha*, vel *Rempham* non videatur esse Graeca vox, sed Hebraea, aut Arabica, vel Persica. Nam S. Stephanus loquens Hebraeis hebraice, non graece, Actor. 7. vocat illud *Rephan*, aut potius significat, ab illis ipsis vocari et invocari *Rephan*. Ait enim: *Sidus Dei vestri Rephan*, q. d. Vos Deum vestrum vocatis *Rephan*. Illi autem loquebantur hebraice, non graece; nec cum Graecis ullam adhuc communicationem habuerant.

Secundo, ergo verisimilius nonnulli Hebraice periti respondent, *χιουν* idem esse quod *Rephan*: Septuag. enim pro *כיון χιουν*, aliis punetis legisse *כֶּבְּוֹן chevan*: et deinde mutatione unius litterae similis in similem, puta *כ* in *ר*, pro *chevan* legisse *Rephan*: aut certe errore librariorum et descriptorum id factum esse, ut pro *ch* scriperiat *r*. Ita Auctor. Thesauri Hebraici, Drusus et Forsterus in Lexico, et aliqui similes, in fide licet heterodoxi. Favet huic coniecturae, quod simili modo Nahum I. 6. pro eadem littera *כ* Sept. legerunt *ר*, nimirum pro *כַּאֵס caes*, id est, sicut ignis, alio puncto legerunt *כַּאֵר ros*, id est, caput princeps, unde vertunt *αρωγς*, id est principatus. Sic pro Aelian legunt Achar, pro Abimelech Achimelech, pro Chasdin Chaldæi, ubi litteram *s* in *l* transmutant, perinde ac Latini, dum pro *σδυσσευς*, vertunt dicuntque Ulysses. Sic alibi crebrae sunt similes litterarum metatheses. Sic hoc loco pro *Rephan*, Arabicus Alexandr. vertit, *Bacham simulaerum quod fecistis vobis*. Verum obstat huic sententiae, quod omnes codices Hebraei habeant *Chiun*, non *Rephan*; ex adverso omnes codices Graeci et Latini Actor. 7. constanter habeant *Rephan*, non *Chevan*, aut *Chiun*. Non ergo est verisimile, solos Septuag. legisse in uno Hebraeo codice *Rephan* pro *Chevan*; aut descriptores pro *Chevan* in Sept. descripsisse *Rephan*, praesertim cum tota Ecclesia in Vulgata editione Actor. 7. constanter legat *Rephan*, quasi haec vera et genuina sit lectio. Accedit, quod in Hebraeo apud Amos hoc loco non sit *Chevan*, sed *Chiun*, uti legit S. Hieron. Aquila, Symmach. et alii passim; *Chiun* autem procul abest a *Rephan*.

Dico ergo cum Leone Castrio Apologet. I. 6. *Chiun* et *Chevan* idem esse quod *Rephan*, eo quod hoc idolum primitus nominatum et cultum ab Ismaelitis et Persis (uti passim Interpretes confitentur, et Rabbinii tradunt) eorum lingua dictum sit *Chivan*, vel *Chevan*, quam vocem ut barbaram cum non intelligerent Hebraei, levi unius litterae commutatione, sua lingua vocarunt illud *Rephan*, id est, gigantem: quomodo Syri Deum vocant gigantem saeculorum, quia ipse ut gigas omnia mundi, aequae ac temporum spatia, sua immensitate et aeternitate ambit et complectitur: aut certe *Rephan*, id est, sanatorem, q. d. Hic est qui nos sanat et salvat, unde ab eadem Hebraea radice vocatur angelus Raphael, q. d. Medicina, vel sanatio Dei. Aliqui codices pro *Rephan* legunt *Rompha*, quod hebr. dicitur *רומפה rumphe*, idemque est quod *celtudo oris*: forte idolum hoc habebat magnum altumque os, uti habent pleraque idola prisca quae dabant oracula. Talia e-

nim vidi in Vaticano, ac tale est celebre illud quod iuxta ecclesiam S. Mariae in Schola Graeca, sive in Cosmedin, Romae visitur, et vulgo vocatur *Bocca della verita*, id est, os, vel oraculum veritatis. Porro licet vulgus Hebraicorum nomen barbarum *Chevan* verterit vocarique hebraice *Rephan*, *Rempham* et *Rompha*, doctiores tamen Hebraei retinuerunt originale *Chevan* quoad litteras, et levi punctatione sive vocalium mutatione, Hebraea voce vocarunt illud *Chiun*: ita enim habet hic Amos, Aquila et Symmachus. Nam *Chiun* deducitur a radice *כון chun*, quod significat paravit, aptavit, reclus fuit, direxit, verificavit, certificavit, firmavit, perfecit, decrevit. Unde *Chiun* idem est quod paratus, aptatus, erectus, perfectus, dans vera, certa et firma oracula ac decreta.

Quaeres Secundo: Quis fuit hic *Rephan*? Girald. in Syntagmat. I. de Hercule, censet *Repham* significare gigantem, ab Hebr. *Rapha*, qui fuit pater gigantum: unde hebr. gigantes dicti sunt *Raphaim*: *Repham* ergo esse nomen Herentis; qui etiam a Gentilibus dictus sit hebraea voce *Con*, vel *Conen*, id est, stator, vel erectus, excelsus; ita ut Hercules dictus sit *Con*, vel *Chiun*, et *Rapha*, sicut Iupiter dictus est stator. Secundo Hebraei recentiores censent esse Saturnum: quia is ab Arabibus et Persis vocatur *Chivan*, quod idem videtur esse cum *Chevan* et *Rephan*. Tertio, Ribera censet fuisse Iovem, qui habuerit stellam in vertice. Quarto, alii volunt fuisse Martem. Quinto, verisimilius S. Hier. Remig. Albert. Beda, Lyan. et alii censent esse stellam Veneris, quae mane praecens Solem vocatur Lucifer, vespere sequens Solem vocatur Hesperus. Probat ur idipsum ex eo quod hanc stellam quasi caeli reginam coluerint olim Syri, teste S. Hieron. in vita S. Hilario nis, et etiamnum colunt Saraceni: quin et Giraldus Syntagm. 13. ex Aeliano et aliis doct., Venerem Uraniam, id est caelestem, quae non videtur alia esse quam Lucifer, cultam fuisse ab Aegyptiis, Phoenicibus et Assyriis. Huc eos pellexit splendor et fulgor Luciferi, quem ita depingit Ovidius:

*Ecce vigil nilido patefecit ab ortu  
Purpureas aurora fuces, et plena rosarum  
Atria, diffugiunt stellae, quarum agmina cogit  
Lucifer, et caeli statione novissimus exit.*  
Porro Lucifer dictus videtur *Chiun*, vel *Chevan*, a rad. *כה cava*, id est, ardere, urere: quia habet speciem ignis. Unde Poeta:

*Hespero, qui lucet caelo incundior ignis.*  
Unde pro *chevan*, Arabicus vertit, *bacham*, quod est nomen arboris cortice rubeo, quale est lignum quod vulgo Brasilicum dicitur, quasi ex ea fabricarint idolum. Color enim rubeus est ardens et igneus, ideoque refert ardorem stellae Veneris. Aut dicitur *chiun*, a radice *כון cun*, id est, dirigere, praeparare; quod Solem vesperi sequens, mane vero praecedens, illum quasi dirigat, illique viam praeparet. Luciferum ergo videntur coluisse Hebraei peregrinantes in deserto, tamquam duces itineris, instar columnae ignis et nubis: quia Lucifer aurorae, Solis et dici dux est: Solem enim adducit, Theodotion, et ex eo Oecumen. Actor. 7. *chevan*, vel *Rephan* vertit *obscuritatem*, q. d. Vos o Hebraei lucem a stella hac Luciferi, quasi a Deo et idolo vestro, petitis, qui non est lux, sed tenebrosus et nocturnus ipsaque obscuritas; ac proinde lumine suo ad viam vobis praere nequit; sed vos obscurat et excecat, et in avia inviaque abducit. Porro verisimile est, idololatrias hosce Luciferum figurasse quasi hominem excelsum et fulgidum, eique affixisse in fronte aut vertice stellam Luciferi; sicuti Romani statuae Iulii Caesaris stellam in vertice appingebant, teste Svetonio in vita eius c. 88. et Plinio lib. 2. 25. Unde Horat. lib. 1. Ode 12,

*Micat inter omnes  
Iulium sidus, velut inter ignes  
Luna minores.*  
Et Virgil. eclog. 9.  
*Ecce Dionæi processit Caesaris astrum,  
Astrum quo segetes gauderent frugibus.*  
Hinc patet *Rephan*, vel *Rempham* alium fuisse a Moloch:

Rephan est Lucifer.

nam Lucifer, sive sidus Veneris, aliud fuit a Moloch: uterque ergo fuit Deus Gentium et Hebræorum, uti hic dicitur. Quare minus recte censent aliqui, ut Beda, Lyran. et Glossa, Rempham fuisse sidus, et stellam quæ affixa fuerit fronti, vel vertici Moloch. Non improbabilius tamen Sanchez hic et Actor. 7. censet Moloch esse Solem, Rempham Luciferum. Hinc stella, ait, Luciferi posita erat in fronte Moloch; quia Lucifer Solem orientem antecedit: Sol enim est Moloch, id est, rex stellarum. Hinc et Iudæi cum Moloch filios suos consecrarent, eos per ignem traducebant, quia Solis igneam esse naturam putabant. Quocirca reges Persarum censentes Solem esse Deum, Solis nomen sibi aut imaginem assumebant, quasi dii quidam terrestres. Ita Sapor, ut tradit Marcellinus lib. 7. scripsit ad Constantium Imp. *Rex regum Sapor, particeps siderum, et frater Solis et Lunæ, Constantio fratri salutem.* Hac quoque de causa ignem sibi præferri curabant, cuius speciem habet stella Luciferi. Ita Q. Curtius l. 3. et Rhodiginus lib. 8. c. 2. tradunt in castris regum Persarum, super tabernaculum regis conspicuam omnibus promicare Solis imaginem crystallino inclusam globo, et illi ignem præluere: quia enim Solem Persæ et Chaldæi colebant, hinc et ignem pro Deo coluere, utpote qui viva sit Solis imago. Hæc Sanchez.

Rem-  
pham  
colunt  
superbi.

Tropol. Rempham, id est, Luciferum, colunt superbi, qui excellere, suamque lucem, id est, doctrinam et sapientiam, ostentare satagunt, qui ambiunt honores et prælaturas mox perituras. Hi enim Luciferiani ex Lucifero fient Hesperii, ex ortu ibunt in occasum, ex summo inimum, a luce in tenebras, uti facit stella quæ vocatur Lucifer; atque a cælo in gehennam, sicuti contigit Lucifero angelo superbo. Hinc Lucifer variæ fortunæ et sortis, ac inconstantia, æque ac calamitatis est symbolum, uti dixi Isaïæ 14. 12. ad illa verba: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Omnis ergo mundi honor et gloria, est stella cadens: splendet enim ad modicum ut Lucifer, sed mox occidit ut Hesperus, idque occasu æterno, et in omne ævum duraturo. Vere S. Augustin. in illud Psal. 89. *Dies nostri sicut aranea meditabuntur; Aranea,*

**A** ait, *tegit tota die, et labor grandis est, sed effectus nullus, sic et vita hominum: possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, in regna sustollimur, et omnia facimus; et non intelligimus quod araneæ telam teximus, et interim æternæ felicitatis, ad quam creati et vocati sumus, obliviscimur.* Ita Heliogabalus Imper. ait Lamprid. in eius vita iubebat sibi deferri millena pondo araneorum, proposito præmio, diciturque collegisse decem millia pondo, dicens, et hinc coniciendum, quam magna esset Roma. Quam multi hodie sunt Heliogabali, quam multi araneorum venatores, qui non aliud quam opes et honores, id est arancarum telas, aucupantur!

**ET MIGRARE VOS FACIAM TRANS DAMASCUM.**) In Assyriam: eo enim ab Assiriis ex Samaria traductæ sunt decem tribus, ut patet 4. Reg. 17. 6. Ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Hugo, Arias et alii.

Diets, quomodo S. Stephanus Actor. 7. 43. citans hunc locum, ait: *Et transferam vos trans Babylonem?* alia enim est Babylon, alia Damascus. Respondet ibidem Oëcumen. et Caietan. Damascus hic sumi non pro urbe, sed pro regione et ditioe Damascena, quæ se extendebat usque ad Babylonem. Verum hoc non videtur verum: quia circum Babylonem quaquaversum late dominabantur Babylonii Monarchæ, non Damasceni. Rursum S. Stephanus non ait, *Transferam vos Babylonem, sed trans Babylonem:* Damasceni autem nunquam trans Babylonem dominati sunt. Resp. ergo S. Stephanum citare Amos non quoad verba, sed quoad sensum et rem. Nam reipsa decem tribus abductæ trans Damascum in Babylonem; etiam trans Babylonem in Mediam, Persiam, aliasque regiones traductæ et dispersæ sunt. Salmanasar enim *transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala et in Habor, iuxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum,* 4. Reg. 17. 6. Unde Tobias cap. 1. v. 16. inuisit suos contribules captivos in Rages, civitate Medorum. Idem docet Ioseph. l. 9. Antiq. c. ult. et lib. 11. c. 3. Ita S. Hieron. Beda, Rupert. Ribera, a Castro et alii. Porro S. Stephanus id ex se, non ex Septuag. dixit: Septuag. enim hic habent ut Noster, *trans Damascum, non trans Babylonem.*

## C A P U T S E X T U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Carpit Deus optimates, qui ex rapinis pauperum lasciviebant in stratis, bibebant vinum in phialis, etc. et nihil patiebantur super contritione Ioseph (populi.) Quocirca v. 8. iurat per animam suam, quod illos funditus perdet et mactabit.*

1. **V**E qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. 2. Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam: et descendite in Geth Palæsthorum, et ad optima quæque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est. 3. Qui separati estis in diem malum: et appropinquatis solio iniquitatis. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. 5. Qui canitis ad vocem psalterii: sicut David putaverunt se habere vasa cantici. 6. Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti: et nihil patiebantur super contritione Ioseph. 7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: et auferetur factio lascivientium. 8. Iuravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum. Detestor ego superbiam Iacob, et domos eius odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. 9. Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur. 10. Et tollet eum propinquus suus, et comburet eum, ut efferat ossa de domo, et dicet ei, qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te? 11. Et respondit: Finis est. Et dicet ei: Tace, et non recorderis nominis Domini. 12. Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum maiorem ruinis, et domum minorem scissionibus. 13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam convertistis in amaritudinem iudicium, et fructum iustitiæ in absinthium? 14. Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? 15. Ecce enim suscitabo super vos domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: et conteret vos ab introitu Emath, usque ad torrentem deserti.

Vers. 1. **V**E QUI OPULENTI ESTIS IN SION.) Hinc Arias putat, C quod huc usque intentavi Samaritis. Vox enim, et, quando duo similia nectit et iungit, est nota comparationis, idemque valet quod *sicut*, ut patet in Proverbiis, singularis sæpe versibus.

Ex adverso Theodor. ex Septuag. putat, hic sermonem

esse ad solos Samaritas. Sic enim vertunt Septuag. *ex spernentibus Sion*, id est, Samaritis, qui despiciunt templum Dei in Sion, ut extollant sua fana in Dan et Bethel. Verum media hic via incedendum, ut utrumque iungamus. Propheta enim hic directe et primario pergit, uti cepit, loqui Samaritis; secundo tamen compellat quoque Sionitas et Iudæos. Id enim clare significat, cum ait: *Væ qui opulenti estis in Sion, et confidentibus in monte Samarie.* Et quia v. 6. et 8. vocat eos Ioseph et Iacob, quibus nominibus proprie significantur Samaritæ. Denique clare v. 13. *Ecce*, inquit, *suscitabo super vos domus Israel, etc.* Proprie ergo Israël, id est, Samaritas, hæc spectant, comitantur tamen ad Iudæos quoque qui Israelis erant fratres tam scelere, quam sanguine, ideoque fratres pariter futuri in pœna et excidio, minas suas extendit Propheta, ut illos ab idololatria Israelis, per eius cladem et stragem imminenter avertat. Unde Chald. v. 12. sic habet: *Percutiet regnum magnum Israel percussione forti, et regnum minus Iuda plaga remissiori.* Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyranus et Vatablus.

Nota. Pro *opulenti*, hebr. est **השעיאננים** *haseiaananim*, id est, fertiles, divites, abundantes, securi. Unde S. Iustinus contra Tryph. vertit, *væ qui deliciis affluitis in Sion*; Pagnin. *væ quietis in Sion*; Vatabl. *væ tranquillis*, id est, vitam degentibus in summo otio. Radix enim **שעיאנ** *sciaan*, videtur conflata ex **שעין** *secan*, id est, *qui nihil*, scilicet timent, nihil erant, nihil agunt. Rursum, quibus nihil deest, sed in summa pace et rerum affluentia securam, tranquillam, otiosam et delicatam agunt vitam. Unde R. David vertit, *væ divitibus qui sunt quieti, qui fidunt quod nihil eis mali continget.* *Sciaanan* ergo est dives, qui secure et deliciose quiescit in suis opibus. Alii, *væ insolentibus*: ex divitiis enim et deliciis homines insolent, instar vitulorum in pascuis lascivientium. Hoc spectasse videntur Septuag. Syrus et Arabicus, qui vertunt *ex spernentibus*: insolentes enim fastum induunt, aliosque spernunt. Aut certe Hebr. *haseiaananim* derivarunt a rad. **אין** *ain*, et per erasin *en*, id est *non*, *nihil*, ut littera *scin* non sit radicalis, sed servilis, idem valens quod **אשר** *ascer*, id est, *qui*, quasi *haseiaananim* sint *annihilantes*, id est, nihili facientes, qui non æstimant et nihil faciunt suos vicinos et fratres. Hoc enim innuit Græcum **εξουθενω**, quod pariter ab **ουθεν**, id est, *nullus, nihil*, derivatur, q. d. Qui alios annullant, nullos putant, nihil pendunt. Nisi quis suspicietur Septuag. pro duplici *nun*, legisse litteram *tet*, cuius character est quasi duplex *nun*, puta pro **השעיאננים** *haseiaananim*, legisse **השעיאננים** *haseioalim*, id est, spernentes. Radix enim **שעיאנ** *sciaal*, proprie significat, spernere, despiciere, contemnerè, diripere.

Hæc alludit Christus Lucæ 6. 24. dicens: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.*

**OPTIMATES.** ) Hebr. **נקובי** *nekube*, id est, *perforati*, hoc est, nominati, famosi, celebres, quos vulgo dicimus currere per linguas et ora hominum, uti sunt optimates et principes.

**CAPITA POPULORUM.** ) Hebr. **ראשית** *rescit* significat principium, primitiva, primitias, præcipua, id est, duces et capita gentium, id est, populorum, puta decem tribuum Israel, q. d. Ad vos, o optimates, qui estis capita Israelis, mihi est sermo. Ita S. Hieron. Aut *Gentium*, id est, Gentilium, quia inter eos eminebat Israel, eiusque optimates, tamquam populus a Deo electus, Deique quasi primogenitus. Unde Arias vertit, *notatissimi primitivæ gentium*: Tigurina, *celebratissimi primitivarum gentium*. Alii hæc referunt non ad optimates, sed ad montes Sionis et Samarie, q. d. Væ opulentis habitantibus in montibus Sionis et Samarie, qui montes nominati et famosi fuerunt ab olim, puta *ab initio gentium*, ut vertit Pagnin. vel, ut Vatablus, *a primitiis gentium*, q. d. Montes isti nominati sunt a gentibus nobilissimis: in Sion enim et in Samaria habitabant Chanaanæi, Amorrhæi, Iebusæi, aliæque gentes usque ad septem, antiquitate et robore celebres, q. d. Ego Deus dedi vobis o Hebræi, montes hosce inelytos, expulque

A propter vos priores incolas robustos et celebres; cur ergo nis contra me ad luxum, lasciviam et idololatriam superbe et ingrante abusi estis? Huic sensui favent sequentia, ubi Sion et Samariam confert et præfert Chalanne, Emath, Geth, aliisque insignibus Gentium urbibus.

Tertio, Chald. vertit, *væ opulentis, etc. qui imponunt nomen filii suis secundum nomen filiorum gentium*, quasi hic taxentur Iudæi, quod filiis suis imponant nomina Gentilia gentium vicinarum, puta Ægyptiorum, Tyriorum, Moabitarum, etc. cum quibus commercia et fœdera inibant. Quod nolent Christiani, qui suis filiis malunt Gentilium, quam Christianorum nomina indere. Quarto, Syrus vertit, *sciancti* (designati) *sunt in capita gentium*: Arabicus Antioch. *depasti sunt cum capitibus populorum*; Arabiens Alexand. *dilexerunt capita populorum; capita*, id est, primas dignitates et officia. Quinto, nove vertunt Septuag. in codice Complut. *vindemiavi principatus*, vel *principes gentium*, q. d. Sustuli principes Chananæos ex Sion et Samaria, ut vos, o optimates Hebræorum, iis rogarem. Unde in codice Romano, et apud Iustin. contra Tryphon. legitur: *Vindemiarunt Israelitæ primitias*, vel *principatus*, id est, principes *Gentium*, et ingressi sunt ipsi, supple in eorum locum et gradum: forte pro **נקובי** *nekube*, legerunt **נקבתי** *nakabti*, id est, perforavi, gladio traieci, occidi; vel **נקמתי** *nakamti*, id est, vindicavi, punivi; pro quo Septuag. vertunt, *vindemiavi*, eo quod agatur hic de montibus Sion et Samarie vitiferis, in quorum vindemia hi principes opulenti luxuriabantur, q. d. Vindemiabo vos, sicut vos vindemiastis vineas Samarie, in iisque vino et ventri indulstis. *Et confiditis in monte Samarie.* Ita Hebræa, Syrus et alii passim. Quare male vertit Arabicus, *qui confidunt in sideribus cæli.*

**INGREDIENTES POMPATICE DOMUM ISRAEL.** ) Domum vocat cœtum, congregationem, sive populum Israel adunatum. Pro *pompaticæ* hebr. est **לחם** *lachen*, id est, sibi, vel ad seipos. Tanto enim satellitio et pompa incedebant, tanto fastu et ostentatione pedes figebant, tanto studio per famulos turbam submovebant, solique cum suis plateas occupabant, ut reliquis contemptis viderentur sibi soli ingredi et incedere; uti videmus et hodie nonnullos potentes, et nonnullas matronas etiam vulgares, ita pompaticæ tanto syrmate incedere, ut ipsæ solæ pompæ, imo pavones et pappi esse videantur. Hinc vocavit eos *capita gentium*, quod Gentilium principum quibus successerant, fastum, præsertim in incesso, imitarentur et referrent. Ita Remig. Rupert. et S. Hieron. qui et addit: *Ut tumorem animi corpus ostendat, et pomparum fœculis similes esse videantur*, de quibus ita præcipit Cicero lib. 1. Ollie. *Cavendum est, ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum fœculis similes esse videamur.* Recentiores vertunt, *et ingressa est ad eos domus Israel.* Ita Pagnin. Tigurina, Vatabl. Rursus Chald. *quibus innittitur domus Israel*; aut, *et putant quod iungatur ad eos domus Israel*: Arabicus, *ingressi sunt eum parte* (secta) *Israelis*; Syrus, *captiverunt sibi filios Israel.* Verum nostra versio, uti clarior et simplicior, ita germanior et nervosior est.

D Nam idem in incesso pompaticæ vitium apud Israelitas et Israelitides, taxat Isaias c. 3. 16. *Pro eo*, ait, *quod elevatae sunt filix Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant; decalcabit Dominus verticem filiarum Sion, etc.* vide ibi dicta. Præclare Solon diebat, *magnam curam incesso habendum.* Ex incesso enim colligitur animus: præceps arguit præcipitem, nimium lentus ignavum, pompaticus arrogantem. Ita Laert. lib. 1. c. 4. Imo Sapiens Eccli. 19. 27. tres indices animi assignat, vestitum, risum, et incessum. *Amictus corporis, ait, et risus dentium, et ingressus hominis enunciant de illo.* Quocirca Maximus Tyrius oratione 4. ita virtutem pingit: *Decora, ait, aspectu, incesso quietæ, sermone musica, oculis placidis et elementibus.*

**TRANSITE** (perperam Arias vertit, *transibitis*) **IN CHALANNE.** ) Id est, in Babyloniam captivi, et in Antiochiam, et in Geth urbem Pæstiniorum. Nusquam enim Iudæos

Incessus cura.

Antiochiam, vel Geth abductos legimus. Chalanne autem celeberrima potensque fuit civitas iuxta Babylonem, condita a Nemrod Gen. 10. 10. quæ postea aueta a Parthis, ad exhaustam Babylonem et Seleuciam, dicta est Ctesiphon, factaque regni metropolis. Vide Plinium l. 6. c. 26. Sensus est, q. d. Transite, o Hebræi, in Chalanne, Emath et Geth, urbes maximas et potentissimas, atque videbitis quod ipse non sint maiores, fertiliores et meliores terminis et regione vestra, quam ex meo dono possidetis. Advertite ergo, quam me spernendo, et idola colendo, ac peccata peccatis cumulando, in me ingrati et inhumani sitis, qui vobis dedi terram hanc, qua nulla est feracior nec præstantior. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Vatabl. et alii.

IN EMATH MAGNA. ) *Emath*, quæ et Hemath, Amath, Hammath, hebr. *Chamath* dicitur, civitas fuit potens, ita dicta, ait Ioseph. 1. Antiqu. c. 7. a conditore Amath, vel Amathæo, qui hebr. *Chamath* vocatur, fuitque filius Chanaan, filii Cham, Gen. 10. 18. Porro duplex erat Emath, ait S. Hier. Ribera et alii: una maior, quæ hic vocatur Magna, atque ab Antiocho conditore dicta est Antiochia, fuitque caput Syriæ. Altera minor, quæ ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania, et Reblata, iuxta Emesam, ubi a Nabuchodonosore excæcatus fuit Sedecias, 4. Reg. 25. 6. Unde Epiphaniam inter Apamiam et Palmyram, versus Mesopotamiam ponit Ortelius in Theatro orbis. *Hemath magna*, ait S. Hier. *quæ nunc Antiochia nominatur. Magnam autem vocat ad distinctionem minoris Hemath, quæ appellatur Epiphania. Unde usque hodie pergentibus Mesopotamiam prima mansio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinens: cuius regio appellatur Reblata, in qua præsentem Nabuchodonosor regis Iudææ Sedeciam interfecit sunt filii, et oculi illius excæcati. Et in locis Hebr. Emath, ait, Damasci civitas, quam oppugnavit rex Assyriorum, etc. Diximus de hac et supra, quod nobis videretur hanc esse Epiphaniam iuxta Emesam, quæ usque hodie Syro sermone sic dicitur. Nota quod ait, nobis videretur: non ergo certo id asserit, sed dubitanter et coniectando. Favet huic opinioni, quod etiamnum extet urbs insignis nomine Emath, inter Tripolim et Aleppo, uti Romæ accepi a Reverendissimo D. Archiepiscopo Damasceno Maronita, et aliis qui recentem Syriam perlustrarunt, quæ sane Emath eodem pene sita est loco, quo fuit veterum Epiphania, ut patet ex tabulis cosmographicis.*

II.

Secundo, alii ex adverso probabilius censent, Script. tantum unam ponere Emath, scilicet Antiochiam, sitam post Libanum, ad Orontem fluvium in Syria Damasci (unde nunquam nominat Emath minorem) in qua primum S. Petrus Cathedralam collocavit, atque discipuli primitus vocati sunt Christiani. Hæc ab Amos, volente ex eius magnitudine ostendere magnitudinem Ierosolymæ et Samariæ, dicta est *magna*, non respectu alterius minoris, sed quia amplissima fuit, adeo ut Strabo l. 16. tradat eam fuisse tetrapolim, hoc est suo ambitu complexam quatuor civitates. Primam, inquit, Antigonus filius Philippi construxerat: alteram multitudo habitatorum: tertiam Seleucus Callinicus: quartam Antiochus Epiphanes, a quo Epiphania, sicut et Antiochia dicta est. Unde liquet eandem civitatem nunc vocari Antiochiam, nunc Epiphaniam, nunc Reblata. Hinc Aquila hic vertit, *Epiphaniam*. Sic et Ioseph. 1. Antiq. 7. et a Castro hic. Quin et S. Hier. in Locis Hebr. videtur dicere Rabbath magnam, id est, Antiochiam, esse Epiphaniam, quamquam concise et confuse loquitur. Iuxta hanc sententiam, omnia quæ in Script. de Emath dicuntur accipienda sunt de Antiochia. Antiochia igitur fuit terminus terræ sanctæ ad Septentrionem: unde eius longitudo in Script. ab introitu Emath (Antiochiæ) usque ad torrentem, seu rivum Ægypti censetur. Hinc eo usque pervenerunt exploratores terræ sanctæ missi a Mose, Num. 13. 22. Insuper Thou rex Emath, missis muneribus pacem a Davide petiit et impetravit, 2. Reg. 8. 9. sed Salomon Emath, id est, Antiochiam, expugnavit, et ecclesis inde Chanauais restauravit, valideque communivit, 2. Paral. 8. 3. Obtinuerunt deinde eam Syri: sed Icroboam rex Israel tempore Amasiæ regis Iuda, Ionæ Prophetæ verbis excitatus, eam-

Emath  
quæ et  
quotu-  
plex?  
I.  
Senten-  
tia.

dem recuperavit et Israeli restituit. Deinde expugnavit eam Sennachrib, 4. Reg. 18. v. 24. Hinc eius mentio crebra fit in Isaia, Ieremia, Ezechiele et Zacharia. Tenuit eam Nabuchodonosor, in eaque resedit dum castra eius obsideret Hierosolymam, 4. Reg. 23. 33. et cap. 25. 21. Postea ab Alexandro Magna occupata, et ab Antiocho illustrata sedesque regni facta dicta est Antiochia. Ibidem Ionathas Machabæus contra Demetrium castrametatus fuit, 1. Machab. 12. 25. Demum Romani, ac tandem Saraceni eandem sui iuris fecerunt, uti etiamnum Turcis subiacet.

III.

Obiicit huic sententiæ Andreas Masius, exactus locorum terræ sanctæ indagator, scribens in Iosue 19. 35. quod Emath a Zacharia c. 9. 2. et Ieremia c. 49. 23. ponatur intra ditionem et terminos Damasci: Antiochia autem duobus gradibus cum dimidio, Epiphania vero sesquigradu altior Damasco collocetur a Ptolemæo; quousque non videtur se extendisse ditio et regnum Damasci: ergo Emath non videtur esse Antiochia, nec Epiphania, sed tertia aliqua urbs post Sephaniam infra Iordanis ortum. Nam ibi ponitur Rebla (quæ dicitur fuisse in Emath Ieremiæ 39. 5.) Num. 34. 11. eaque vicina erat Nephthalitis, quibus in sortem cecidit Emath Iosue 19. vers. 35. Huic opinioni favet Ortelius, qui in prisca Chananæe descriptione ponit Chamath, sive Emath, iuxta Libanum et Sephaniam, inter Tyrum et Cæsaream Philippi: idem facit Adrichom. in descript. terræ sanctæ. Videtur id valde probabile: nam Emath hæc fuit in tribu Nephthalim, cuius sors non videtur se extendisse usque ad Antiochiam. Unde Marinus in Lexico, Emath Nephthaliam diversam ponit ab Emath vulgata et communi, ex eaque prognalios dicit Cinæos, ut liquet 2. Paral. 2. 55. ubi dicitur, *hi sunt Cinæi qui venerunt de calore patris, Hebr. de Chamath, vel Emath*. Verum Masii ratio non plane convincit: nam ditio Damasci, æque ac Israelis, primitus longe admodum sese extendit, scilicet usque ad Euphratem, ut patet Iosue 14. Deuter. 11. 24. Imo non desunt qui censent Damasci fines se extendisse usque ad Babylonem, ideoque pro eo quod ait Amos c. 5. 27. *Transferam vos trans Damascum*, S. Stephanus Actor. 7. dum citat verba Amos, dicere, *Transferam vos trans Babylonem*. Damascus enim lotius Syriæ erat caput et domina. Magis urget ratio Marini, quod sors Nephthalim non videatur se extendisse usque ad Antiochiam. Sic enim longe superasset sortes aliarum tribuum. Rursum, quod ex Stephano libr. de Urbibus, constat plures urbes (facile decem) dictas esse Antiochias, quatuor vero Epiphantias, sed in diversis provinciis. Ergo pariter plures videntur fuisse Emath. Denique maxime urget quod Iosue 1. v. 4. Deuter. 12. 24. pro Emath, terminus terræ sanctæ ponatur Libanus, imo, ut Sept. vertunt, Autilibanus, a quo ulterius progrediendo Antiochia distat itinere quinque dierum: quis credat ultra Libanum tanta spatio se extendisse fines Israelis, imo unius tribus Nephthalim? huic enim Emath attribuitur Iosue 19. 35. Quocirca nulli chorographi terræ sanctæ, in eius descriptione ponunt Antiochiam quasi eius terminum, sed Libanum, et iuxta eum Emath, ut patet ex tabulis Adrichonii, Ortelii et aliorum. Emath ergo, quæ ponitur terminus terræ sanctæ ad Aquilonem, fuit vicina Libano, nec longe a Damasco: cui ex adverso ad Meridiem, terminus eiusdem terræ sanctæ ponitur desertum, scilicet Arabia, per quod transierunt Hebræi venientes ex Ægypto in Chanaan, ac præcisè torrens Rinocoloræ: sicut ad Orientem terminus eiusdem ponitur Euphrates: ad Occidentem mare Mediterraneum. Tertia ergo hæc sententia chorographorum valde probabilis est. Sed quidquid de ea sit, consentiunt omnes, hic apud Amos per Emath magnam intelligi Antiochiam ad Orontem, illustrem et potentem Syriæ urbem, quæ et Epidaphnis dicta est, a suburbano et vicino fonte Daphnes, lauris et amœnitate incho. Hæc dicta est hebr. *Chamat*, et *Channa*, id est, sol, quod quasi sol inter urbes Orientis effulgeret, uti postea effulsit in Christianismo, cum S. Petrus in eadem prima cathedralam Pontificiam collocavit.

ET AD OPTIMA QUÆQUE REGNA HORUM. ) Septuag. et

ad optimas, scilicet civitates, de regnis istis, q. d. Itc et lustrate optimas urbes Syriæ, et videbitis Samariam et Sion iis præstare. Unde Arias, Pagn. et Vatabl. vertunt, *si melioru sunt regna horum regnis vestris?*

Moral de finibus piorum et impiorum.

Mystice, Israel sunt fideles et sancti: hi præ cæteris gentibus latiores habent terminos, eosque optimos: quia non exigui temporis limitibus, terræque puncto, ut impii et mundani, sed immensis æternitatis cælique spatiis spes suas finesque felicitatis suæ, metiuntur, ita ut fidenter impii dicere possint: *Si terminus vester latior termino nostro est: Et illud Zach. 4. 10. Quis vestrum despexit dies parvos huius ævi momentanei? Et illud Job 24. v. 24. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur.* Et illud Psal. 36. 35. *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cetros Libani: et transivi, et ecce non erat: et quæsi eum, et non est inventus locus eius.* Impii vero regeant piis et sanctis illud Baruch 3. 24. *O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius! Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus.* Ipsi vero gementes suam sortem defleant, eo quod stulte parva magnis, breviam æternis, terrena cælestibus prætulērunt, dicantque illud Sap. 5. 8. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iucundia quid contulit nobis? Transierunt enim omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuncijs præcurrens, et tamquam navis, etc.* Quam sapit qui cum Magdalena audit illud Christi: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.*

Vers. 5.

**QUI SEPARATI ESTIS IN DIEM MALUM.**) Scilicet captivitatis et excidii, q. d. A Deo ob scelera vestra, quasi anathemata separati, et dicati estis maectationi et excidio. Secundo, efficacijs Hebr. מַנְדִּים *menaddim*, veritas active, *separantes* vos ad diem malum, q. d. Ipsimet vos separatis, et devovetis excidio, dum minas Prophetarum contemnitis, et ultro in scelera ruitis, ob quæ quasi oves a Deo maectabimini: unde Sept. vertunt, *venientes*, vel *qui venitis ad diem malum.* Ita S. Hieron. Albert. Hugo et alii. Tertio, Chald. Clarius, Vatablus et Rabbini vertunt, *separantes diem malum*, id est, qui a vobis separatis, et amoliri conamini diem excidii, quem Prophetae intentant, ut liberius peccetis, dicentes illos falli, vel de futuris et longinquis sæculis loqui. Unde Tigurina vertit, *qui in longinquum revieitis diem malum;* Pagn. *qui longinquum putant diem malum.* Nam ut ait Aristot. 2. Rhetor. c. 5. *Quæ longinqua sunt, non metuuntur: sciunt enim omnes fore ut moriantur, sed quia id prope esse non putant, ideo nullam curam suscipiunt.*

**ET APPROPINQUATIS SOLIO INIQUITATIS.**) *Solium iniquitatis*, quod inducet Israelitis diem malum, est regnum, tyrannis et solium imperii Assyriorum, quæ Israelitas iudicabant, id est, vindicabant, capient et punient, quasi submissi iudices et vindices a Deo ad ulciscendam idololatricam aliaque scelera in Deum commissa, q. d. Vestris continuis scelerebus accersitis Assyrios, et acceleratis vestrum excidium. Sic tropologicè peccatores qui peccata peccatis emulant, appropinquant solio Luciferi et inferno. Ita S. Hieron. Albert. Hugo, Lyran. et S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. c. 7. ubi ex hoc loco Amos ostendit, quanta in S. Script. sit eloquentia, nervus et vis dicendi.

Secundo, Chald. Rabbini, Pagnin. Clarius et Vatablus, iam citati sic vertunt et exponunt per antithesin: Separatis et amovetis a vobis diem malum excidii, solium autem violentiæ et iniustitiæ (quo iniuste iudicatis, pauperesque opprimitis et spoliatis) prope adducitis, q. d. Vultis amovere a vobis pœnam, et interim acceditis ad culpam; cum non possitis a vobis amoliri pœnam, nisi prius amoliamini culpam.

Tertio, alii moraliter sic exponunt: Separatis a vobis diem malum, puta diem laboris, ideoque accersitis solium iniquitatis, q. d. Non vultis laborare, otiosi estis et pigri, ideoque vos ditare vultis ex iniquitate, iniustitia et rapina pauperum, ut eorum bonis otiose lascivitis et luxuriemini, ut sequitur.

Vers. 4.

**QUI DORMITIS IN LECTIS EBURNEIS, ET LASCIVITIS IN**  
**VOL. VII.**

**A STRATIS VESTRIS.**) Ad lasciviam libidinis hæc referunt S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. et S. August. l. 4. de Doctr. Christ. c. 7. q. d. *Vae vobis lascivi et libidinosi: unde pro lascivitis, Vatabl. et Pagnin. vertunt, indecore se distendentes in stratis suis; Chald. qui submergunt se in stratis suis.* Secundo et aptius ad tricliniorum et mensarum luxum, puta ad pretiosos tapetes et stragula, quibus vestiebant cubicula et triclinia, et ad pretiosos toros et lectulos, in quibus molliter iacentes more gentis accumbentibus mensæ, hæc referunt R. David, Arias, a Castro et Prado in Ezech. c. 23. 41. *Taxantur enim hic optimates et iudices Israelis, quod ex rapinis pauperum luxu diffunderent, ac splendida et opipara instruerent convivia.* Unde sequitur: *Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii, etc. bibentes vinum in phialis.* Epulæ enim et cantilenæ triclinio et mensæ adhibentur, non ebulli et veneri. Quocirca Septuag. hic vertunt, *qui affluitis deliciis in stratis vestris.*

**B** Ex Hebræo sic veritas, *qui cubatis in toris ebore, et superfluitis in lectulis vestris,* q. d. Qui superbo et superfluo apparatu et ornato condecoratis lectulos vestros. Rursum, superfluis ferulis et deliciis instruitis mensas, iisque distenditis ventres vestros: quod est peccatum luxus et gula, æque ac lasciviæ. Unde Noster vertit, *lascivitis:* sicut enim vituli bene pasti sunt petulei, et lascivunt saltitando, cornutando, erecta cauda cursitando: ita et conviviæ bene saginati petulantes sunt; et quasi asoti lascivunt indecoris verbis et gestibus. Unde Apostolus Ephes. 5. v. 18. *Nolite, ait, inebriari vino in quo est luxuria,* græce *αρωτη*, id est, lascivia, qualis exerceatur in saltationibus, choreis, psalteriis, etc. item in pretiosis unguentis, coronis, balneis, tum præviis convivio, tum illud comitantibus et sequentibus. Uterque hic sensus huic loco congruit, et posterior priori subordinatur, in eumque desinit: nam ex mensis itur ad cubilia, ex gula in venerem: venter enim mero æstuans despumat in libidinem.

Porro lecti mensales dicti sunt lecti, a legendis herbis et stramentis, ex quibus olim fiebant, ait Varro. Idem dicti sunt tori a tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponebantur, ait Isidor. libr. 2. Etymol. et Servius in illud lib. 5. Æneid.

*Proximus ut viridante toro considerat herbæ.*

Inde triclinium dictum a tribus lectis, in quibus veteres epulabantur. Insuper triclinia fieri, insterni, et ornari solita ebore, auro et argento, docet illud libr. Esther c. 1. v. 6. in convivio Assuæri: *Lectuli quoque aurei et argentei super pavementum, smaragdino et pario stratum lapide, dispositi erant.* Idem docet Plinius lib. 33. cap. 11. et Varro lib. 8. et Horat. lib. 2. satyr. 6. dum ita canit:

— *Rubro ubi cocco*

*Tineta super lectos eanderet vestis eburnos.*

**QUI COMEDITIS AGNUM DE GREGE.**) De grege selectum, ut pinguiorem et meliorem cæteris.

**ET VITULOS DE MEDIO ARMENTI.**) Selectum, pinguem et saginatum. Hebr. *et vitulum de medio saginari*, id est, de loco saginæ, in quo saginantur et impinguantur.

**D** Is locus vitulis grandioribus sunt pascua: unde Noster l. Reg. 28. 24. vertit, *vitulum pascualem.* Vitulus vero tenerioribus est stabulum, in quo, utpote loco obscuro et quieto (tam enim quies quam obscuritas facit ad confectionem, ruminationem et impinguationem animalium) lacte, præsertim materno, saginantur et incrassantur.

**QUI CANITIS AD VOCEM PSALTERII.**) Septuag. *επιχορηγοῦντες*, id est, *prævalentes* (S. Hier. legit *επιχορηγοῦντες*, id est, *concrepantes*) *ad vocem organorum;* Hebr. *הפריטים* *happoretim*, id est, qui *particularizant ad os nabli*, id est, qui propria et particularia cantica concinunt, eaque varia iuxta varium concentum nabli. Ita Pagnin. et Vatabl. Vel, ut R. David, et a Castro, qui vocem variis incisionibus, minutionibus, tonis, inflexionibus et modulationibus incidunt, et variant instar philomelæ, minurientes. Taxat nimiam mollitiem et deliciis mases in conviviis optimatum Israelis, qui huic suæ musicæ prætexebant exemplum David. Unde subdit:

Vers. 5.

**SICUT DAVID PUTAVERUNT SE HABERE VASA CANTICI.)** A Id est, instrumentata musica, q. d. Luxum suæ musicæ convivalis excusant exemplo Davidis; sed perperam; nam ille eam adhibuit ad Dei laudes, eamque gravem; hi vero ea molli et lasciva abutuntur ad gulam et luxuriam. Ita S. Hieron. Mirum est Septuag. vertere, *sicut stantia putaverunt, et non sicut fugientia*, q. d. Putarunt has delicias fore stabiles, cum sint fugaces et evanidæ. Aurea est hæc gnome, quam urgens et exaggerans S. Chrysost. homil. 1. in Genes. *Et hæc, ait, cum experientia didicerint, quasi stantia arbitrati sunt et manentia, et non quasi fugientia, hoc est, avolantia, et ne ad momentum quidem permanentia. Talia enim sunt humana omnia, et carnalia, nondum recte advenorunt et avolarunt: tale quiddam sunt delictæ; et tale quiddam humana gloria et potentia; tale quiddam divitiæ; tale quiddam universa huius vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum; sed magis quam fluminum fluentia prætercurrit, nudosque ac solos relinquit eos qui illis inhiant. Atqui spiritualia sunt firma, immobilia, vicissitudinem non accipientia, ad omne sæculum se extendentia. Quantæ igitur fuerit dementia nutantia cum immobilibus commutare, temporaria cum his quæ in sæculum duratura sunt, perpetua manentia cum his quæ avolant; et ea quæ nobis illic grave supplicium paritura sunt, cum his quæ in futuro sæculo felicitatem summam afferunt?*

Musica veterum in conviviis.

Nota. Veteres Hebræos et Gentiles in conviviis ad recreationem convivarum adhibebant musicam, et vocum et instrumentorum, quam si moderata sit et honesta, laudat Eccles. c. 32. v. 1. 2. 4. loquens enim de symposiarcha, sive moderatore convivii: *Non impedias, ait, musicam. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et* (sic est, sic ornat convivium) *comparatio, id est, concertus, musicorum in convicio vini. Sicut in fabricatione auri* (in aureo annulo v. g.) *signum, id est, sigillum, et pala, est smaragdus: sic numerus, id est, numerosa harmonia, musicorum in iucundo et moderato vino. Et c. 40. 20. Vinum et musica lætificant cor, et super utraque dilectio sapientia. Tibia et psalterium suavem faciunt melodiam? super utraque lingua suavis. Idem usus fuit tempore Christi, unde Lucæ 15. 25. senior filius audivit symphoniam et chorum, quibus pater celebrabat convivium ob filii iunioris reditum. Verum Prophetæ subinde hæc musicam carpunt, vel ob excessum, vel ob intemperantiam, vel quod canerent cantica inhonesta vel irrisoria: aut quod ita iis vacarent, ut negligerent curam reipubl. et iustitiæ, imo ea adornarent et instruerent ex rapinis pauperum. Ita Isaïas c. 3. 11. *Væ, ait, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, etc. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris: ut suavius et plenius vos inebrietis. Psal. 68. 13. In me psallebant qui bibebant vinum, id est, in me dictabant carmina: ego eram eorum cantilena, risus et fabula. Quocirca Apostolus Christianos monet de sua agape et convivio Eucharistico: Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in hymnis et canticis spiritualibus, Ephes. 3. 18. Idem mos apud Gentiles. Unde Athen. lib. 14. de Cœnis sapientum, docet lege et more maiorum sancitum esse, ut in conviviis canerentur deorum hymni, idque voce communi, omnibus pœana canentibus, ait Clemens l. 2. Pædag. 4. Quin et convivis tradebatur lyra, quam iuxta propinationes resignabant alternatim et transverse: unde ob obliquam et transversam hæc lyræ circumlationem, carmina illa dicebatur *σχιζα*, id est, obliqua, de quibus Athenæus lib. 8. et lib. 15.**

Vers. 6.

**BIBENTES VINUM IN PHIALIS.)** Septuag. *vinum defecatum.* Hoc enim bibitur ab opulentis in phialis aureis, aut vitreis, ut præstans et limpidum; Tigrina, qui bibunt vinum in pateris; Vatabl. *in vasis amplis et magnis*, q. d. Vinipotentibus, qui ingentes pateras et crateres exhauriunt.

Linguenta in conviviis, cur?

**ET OPTIMO UNGUENTO DELIBUTI.)** Chald. *excellentia pretiosorum unguentorum unguuntur;* hebraice est, *capite unguentorum*, id est, præcipuo aromate et unguento, v. g. balsamo, de quo Iuvenal. satyra 2.

*Hirsuto spirant opobalsama collo.*

Ex capite enim desuebant in faciem et collum. Veteres in conviviis adhibebant unguenta, tum ad voluptatem, tum ad sanitatem; eo quod cerebrum natura frigidum et concretum, suo fragranti odore, calore et lenitate resolvant et recreent, inquit ex Aristot. Plutarch. lib. de Iside, et Massarius apud Athenæum: *O felix, ait, an non nosti sensus nostros qui sunt in cerebro, excitari suavibus odoribus, et puriores suavioresque effici, sicut Alexis ait: sunitatis maximam partem bonos odores cerebro conciliare? Hinc illud Psal. 103. 13. Ut exhilaret faciem in oleo. Et Psal. 22. 5. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum. Ita Magdalena effudit unguentum super caput Christi discumbentis Matth. 26. 7. Et Christus Matth. 6. 17. Tu autem, ait, cum ieiunus, unge caput tuum, et faciem tuam lava, q. q. Ut tuum ieiunium dissimules et tegas, adhibe unctionem et lotionem in convivio adhiberi solitam, quasi ex eo prodeas. Denique Ecclesiastes c. 9. 8. Omnia, ait, tempore sint vestimenta tua candida: et oleum de capite tuo non deficiat, q. d. Indulge balneis et conviviis: nam vestes candidæ et oleum symbola sunt balnearum et comotationum, eo quod a balneis exeuntes albis vestibus iuduebantur, quas cœnatorias Romani vocabant, quod cum ipsis in cœna mensæ accumberent. Ita Philo lib. de Vita ruretica, tradit Iudæos in festis convivia albatos celebrare solitos. Idem de Romanis tradit Horat. l. 2. satyr. 2.*

*Ille repotia, natales, altiosve dierum*

*Festos albatos celebrat.*

Iisdem de causis coronabant capita convivarum coronis rosaceis, myrteis, aliisque floribus et herbis odoriferis, simul ad hoc, ut cerebrum iis confortatum minus læderetur vino, magisque resisteret ebrietati. Ita Ovid. Fast. lib. 5.

*Tempora subtilibus pinguntur tecta coronis,*

*Et latet iniecta splendida mensa rosa.*

Rosa enim odoris sui prodiga, citissime evaporatur: emittit enim odoris fluxum, indeque rosa a Græcis *ρόδος* vocatur, q. d. Fluens odor, ait Plutarch. lib. 3. Sympos. cap. 3. qui et addit: *Quo fit ut etiam celerrime marcescat: naturalem enim habet vim refrigerandi, aspectu igneum aliquid ostentans. Nam in superficie eius tenuis efflorescit calor, eo a frigore expulsus. Hic calor profusi odoris est causa. Unde voluptuarii dicunt Sapient. 2. 7. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant.* Vide Plutarch. 3. Sympos. probl. 1. Athen. l. 5. Plinium l. 21. c. 3. Merito nimias in hisce deliciis carpit hic Propheta: quia effluunt animos viriles, adiguntque ad dolos, rapinas, aliaque scelera. Quocirca Epaminondas dux Thebanorum, a quodam ad cœnam invitatus, cum bellariorum, obsoniorum et unguentorum mirum apparatus invenisset, subito recessit dicens: *Ego te sacrificare, non lascivire putabam.* Ita Brusson. lib. 2. cap. 2. Et Cicero in Pisonem, de Gabinio: *Erant compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ.* Et Tibullus lib. 3. eleg. 7. *Iam dudum Syrio madefactus temporu nardo.* Hinc videtur quod Hebræi, æque ac Romani, incesserint nudo capite; alioqui enim indecore illud perfusur. fuisset unguento. Ita Sanchez.

**ET NIHIL PATIEBANTUR SUPER CONTRITIONE IOSEPH.)** Tigrina, neque illis dolet quod Ioseph, id est, regnum Israel, atteritur, q. d. Non compatiebantur calamitati et paupertati multorum popularium suorum inter decem tribus, quæ hic a suorum regum patre et patriarcha vocantur Ioseph: nimirum hi optimates Israel ex rapinis pauperum se ditantes, convivantes, et lascivientes, ærumnas populi tum privatas, tum publicas non curabant, ac præsertim instans illi Dei iudicium et exeidium, Assyriorum, per sana consilia, per pœnitentiam et emendationem vitæ, per preces, per leges pias et sanctas non conabantur ab eo avertere et amoliri. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Emmanuel, Mariana et Vatabl. Addit S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. c. 7. *Ioseph pro quovis fratre et proxi-*

mo hic ponit: quia in fratribus, inquit, Ioseph est celebris, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit.

Moralit. hic inuicitur, quod voluptatis filia propria et genuina sit immiseriordia, iuxta illud Prov. 12. v. 10. *Novit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Ita Sodomite ex deliciis erudeles evaserunt, iuxta illud Ezech. 16. 49. *Eecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, etc. superbia, saturitas panis, et abundantia, et olium ipsius et filiarum eius: et (unde) manum egeno et pauperi non porrigebant;* quia putabant suo ventri, id est, gurgiti voluptatum, defuturum id, quod in eos expendissent. Ex adverso piorum et Sanctorum nota et virtus est misericordia. Unde Sanctus hebr. vocatur **חֲסִיד** *chasil*, id est, misericors; et eleemosyna solet vocari iustitia, id est, sanctitas, ut Psal. 111. v. 9. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia* (id est, misericordia, eleemosyna) *eius manet in sæculum sæculi.* Vide S. Chrysost. concione 1. de Lazaro.

Ita videmus id quod deplorat hic Amos, etiamnum subinde fieri, nimirum optimates et magistratus qui sua quærent, suo genio indulgent, suis commodis student, ærarium in convivia expendunt, dies in epulis transigunt, rem pauperum et populi negligere, iura habere venalia, muneribus iustitiam vendere, pauperes opprimere, atque, ut verbo dicam, remp. perdere, imo hosti, si is eam emere velit, prodere. Ita olim de Roma luxu diffluente dixit fugurtha, ait Brusson. lib. 1. cap. 1. *O urbem venalem, et cito perituram, si emptorem invenerit!* Nam ut ait Pythagoras apud Laert. lib. 7. 1. in civitates primo deliciæ irrepunt, mox saturitas, deinde violentia, denique excidium. Quocirca Sapiens Prov. 31. 4. *Noli, ait, regibus o Iamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; et ne forte bibant, et obliviscantur iudiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* Et Eccles. 10. 16. *Væ tibi terra cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est, et cuius principes veseuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.* Huic enim dediti, tam temperantiam et castitatem, quam famam perdunt, vitamque abbreviant, et mortem accelerant.

Vers. 7. **QUAPROPTER MIGRABUNT IN CAPITE TRANSMIGRANTIAM.** q. d. Optimates Israel inter primos capientur ab Assyriis, ipsi quasi hirei gregis duces, ducent agmen captivorum euntium in Assyriam. Ita S. Hieron.

**ET AUFERETUR FACTIO LASCIVIENTIUM.** Factionem vocat cœtum optimatum, qui in scelere, puta in rapinis, conviviis, luxu et lascivia, simul convivantes et compotantes conspirabant, q. d. Ipsi factiones et symposia instituunt; sed ego Deus illas dissolvam et dissipabo. Sept. vertunt, *hinnitum*: *Et auferetur, inquit, hinnitus ex Ephraim.* Est metaphorâ ab equis: sicut enim equi avena bene pasti et saginati hionunt et lasciviant, ita et hi optimates. Hebr. est **מִרְסָח** *mirsach*, quod proprie significat convivium funebre in exequiis mortui, q. d. Vestra convivia sunt funebria: quia ex rapinis pauperum quos emaciat, itaque occiditis, ea instituitis. Unde Tigurina vertit, *tunc recedet convivium luxuriosorum*; Syrus, *auferetur gaudium a principibus eorum*; Arabicus, *auferetur varietas* (ornatus et variegatæ vestes) *ab equitibus*; Vatabl. et Pagnin. *tunc appropinquabit luctus extensorum*, id est, eorum qui se extendere solebant in lectis eburneis, ut dixit v. 4. Hebr. enim **סַר** *sur* significat et recedere, et accedere. Hebraei enim verbum simplex usurpant pro omnibus compositis, eo quod iis careant.

Factio tollenda sublato capite.

Politice hic Nota: ut factio et rebellio gentis tollatur, tollendos esse optimates: hi enim factionis sunt capita et duces. Id probe norat Tarquinius Superbus, qui nuncio dubiæ fidei ad filium nullas dedit litteras, sed eo in hortum adducto summa papaverum capita baculo decussit: quo facto nuncio filius intellexit quid pater vellet, nimirum præcipi sibi, ut capita et optimates Gabinorum sibi resistentium demeteret, hoc est, vel occideret, vel in exilium relegaret. Ita refert Livius decad. 1. l. 1. Valer. Maxim. lib. 7. c. 4. Plinius l. 17. c. 4. et 8. Idem suasit

A Thrasybulus Milesiorum tyrannus Perianthro Corinthiorum tyranno, qui eum per nuncium rogavit, quid facto opus esset ut securus regnaret? Respondit enim ipso facto: nam nuncio in messem maturam adducto, summas frumenti aristas baculo decussit: ex quo cognovit Perianther principum capita tollenda, si tyrannide potiri vellet. Ita narrat Arist. l. 3. Polit. c. 9. et l. 5. c. 10. et Laertius in Perianthro.

**IURAVIT DOMINUS DEUS IN ANIMA SUA.** Per animam Vers. 8. et vitam suam, dicendo: *Vivo-ego*, id est, iuro per vitam meam.

**DETESTOR EGO SUPERBIAM IACOB (Israelis) ET DOMOS EIUS ODI.** Doms, scilicet magnificas et superbas, quas ex usuris et rapinis edificavit, cum patres eius, Abraham, Isaac et Iacob in casis et tentoriis habitarent, quasi exules et peregrini in terra, ac cives caeli. Unde hebr. est **אַרְמֹנֹת** *armenot*, id est, palatia. Ita Chaldaeus. Ita Deus superbas domos Ioakim regis detestatur Jerem. 22. 13. dicens: *Væ qui edificat domum suam in iniustitia, et cœnacula sua non in iudicio. Qui dicit: Aedificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina; pingitque sinopide. Hinc ei pœnam intentans v. 19. Sepultura, ait, asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem.* Et Isaias cap. 5. 8. *Væ qui coniungitis domum ad domum: numquid vos soli habitabitis in medio terræ?* vide ibi dicta.

**ET TRADAM CIVITATEM CUM HABITATORIBUS SUIS.** Hebr. *tradam urbem et plenitudinem eius*, hoc est, Assyriis tradam Samariam et incolas eius. Hi enim vocantur eius plenitudo, quia eam suo numero et turba implent et replent. Per civitatem enim intelligi Samariam probat Theodor. ex eo, quod agat de decem tribubus: has enim vocat Ephraim, Iacob et Ioseph: harum autem caput et metropolis erat Samaria. Ita et S. Hieron. Remig. et Hugo, qui tamen Secundo, per civitatem accipiunt Ierusalem, quæ erat caput Iacob, id est, duodecim, et postea duarum tribuum. Censent ergo excidium Ierusalem per Chaldaeos, ac deinde per Titum et Romanos hic denotari. Utramque expositionem coueiliabis si eum Lyrano dicas, per civitatem syneodochie hic accipi civitates quaslibet Hebræorum. Porro directe loquitur Propheta de Samaria et decem tribubus, indirecte et comitanter de Ierusalem et Iudæis, uti dixi initio capituli.

**QUOD SI RELIQUI FUERINT DECEM VIRI IN DOMO UNA, ET IPSI MORIENTUR.** q. d. Si qui Israelitæ in domo aliqua absconditi manus Assyriorum effugerint, aut ab eis ut pauperes, viles vel ægri derelicti fuerint, hi quoque in eadem domo peste aut fame morientur.

**ET TOLLET EUM,** id est, unumquemque eorum (ita Septuag.) qui scilicet peste et fame mortui sunt, **PROPINQUUS** (Pagnin. et Vatabl. *patruus*) **SCUS.** Ut comburat nepotis vel cognati sui cadaver, ossaque reliqua sepeliat. Hæc enim erant iusta funebria, quæ propinqui cognatus defunctis persolvebant, tam apud Hebræos, quam apud Romanos.

**ET COMBURET EUM.** Hebr. **וּמְסַרְפוֹ** *umsarepho*, id est, *vers 10* *et comburens eum*: *saraph* enim sive per *samech*, sive per *sin* scribatur (hæc enim duæ litteræ æquipollent) significat comburere. Unde angeli vocantur Seraphim, id est, incendentes: quia Dei amore ardent, aliosque accendunt. Hinc Tigurina vertit, *vespillo*: huius enim erat cadaver curare, et more gentis comburere ac tumulare. Et Chald. *tollit eum ab incendio propinquus eius ad esseendum.* Imperite ergo Rabbini recentiores, quos sequitur Pagnin. et Vatabl. vertunt, *avunculus eius*. Porro combusta fuisse mortuorum Israelitarum cadavera, patet ex eo quod subdit, *Ut effret ossa reliqua ex combustionem cadaveris*: ex quo patet Israelitas ad vitandum cadaverum foetorem, putrefactionem, tabem et luem, ne scilicet illa pestem vivis afflarent, ea combussisse. Idem fecisse Romanos norunt qui Romam viderunt: Romæ enim in prisca sepulcris passim ingentes urnas testaceas conspicimus, in quibus cadaverum combustorum cineres servabantur. Græcos quoque cremasse defunctorum cadavera docet Thuey-

Hebræi, Græci et Romani cadavera comburebant.

āides l. 2. et Lucianus lib. de Luctu: *Græcus*, ait, *exuril, Persa defodit*. Porro fuerunt hac de re diversæ sapientum sententiæ. Nam ut ait Servius in l. 11. *Æneid. Heraclitus qui vult omnia igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi: Thales vero qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora ut possint humore resolvi*. Rursum Varro lib. de Sepultura: *Heraclides*, ait, *Ponticus plus sapit, qui præcepit ut comburent, quam Democritus, qui ut melle scrvarent (quasi resurrectora et rursum victura;) quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possemus*. Insuper Servius in l. 3. *Æneid*. Romanos crematione funerum usos esse docet: *Romani*, ait, *contra faciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam*. Et Ovid. l. 1. *Trist. eleg. 4.*

*Spiritus hic vacuus prius extenuandus in auras*

*Ibit, et in tepido deseret ossa rogo.*

Et Silius Italic. l. 10. in funere Pauli, ubi et causam assignat:

*Hæc Lybis: atque recens crepitantibus undique flammis, Æthereas anima exultans evasit in auras.*

Causam aliam dat Quintilian. declam. 10. *Dixerunt*, ait, *animam flammei vigoris impetum perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera volant, et quo sacri torquentur axes, inde venire, unde omnium rerum auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affiei fato, sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, et exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra*. Christiani hanc cremationem sustulerunt, tum ut Dei sententiæ in Adam eiusque posteris latæ Gen. 3. magis se conformarent, *Pulvis es, et in pulverem revertaris*: tum ut naturam sequerentur, quæ sponte corpora defuncta in elementa sua resolvit: tum maxime ut fidem et spem resurrectionis superstitibus ingererent. Ideo enim cadavera terræ commendabant quasi in depositum, quod in die resurrectionis ea repetiturus sit Deus, ut resuscitet et vivificet. Idem fecisse Indæos fideles verique Dei cultores, patet Genes. 50. v. 3. et 25. Iosue 8. 29. 3. Reg. 13. 22. Tobie l. 22. Ioan. 29. 43. Excipio funera regum, quæ publica pompa cum aromatibus honoris causa cremabantur. Israelitæ vero etiam plebeiorum ossa cremabant, vel quia idololatræ gentium idololatrarum ritus sequebantur: vel quia in communi lue et peste, eandem reprimere igneque purgare, ne in superstites proserperet, conabantur. Cadavera ergo cum tabe et peste comburebant. Post cremationem faciebant ossilegium: cognati enim et amici ossa cremati colligebant, et in æneam, auream, argenteam vel marmoream urnam recondabant magna cura et cæremonia. Docet hoc Virgil. *Æneid. 6.*

*Ossaque lecta cado textit Corinæus aheni.*

Quin et suorum coniugum, fratrum, filiorum, parentum, si alibi defuncti essent, ossa in patriam revehebant. Unde Ovid. in Scythia moriturus, ita de suis ossibus præcipit l. 3. *Trist. eleg. 3.*

*Ossa tamen facito parva referantur in urna:*

*Sic ego non etiam mortuus exul ero.*

Ritum huius ossilegii describit Tibullus lib. 3. *eleg. 20.* Primo enim, docet lecta fuisse ab amicis et propinquis.

*Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram, etc.*

*Morcat hæc genero, luceat illa viro.*

*Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa,*

*Incinetæ nigra candida veste legant.*

Ubi Secundo docet, collectores ossium fuisse incinetos, id est, soluta fluxaque veste more mulierum; et atratos, hoc est, nigra veste indutos. Insuper prius manus abluisset, dum ait:

*Perfuseque piæ ante liquore manus,*

Tertio, in ossa collecta lac et vinum infudisse, ac deinde in linteo ea ventilasse, ut humor vini infusi exurgeretur. Subdit enim:

*Et primum annoso spargant collecta Lyxo:*

*Mox etiam niveo fundere lacte parent.*

(ut aptentur circulo lacteo, ad quem heroum animas

post mortem deduci censebant Romani, teste Cicero. in *Sonn. Scip.*)

*Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,*

*Atque in marmorea ponere sicca domo.*

Quarto, in ossa immisisse odores et aromata, ac denique lacrymas:

*Illic quas mittit dives Panchaia merces,*

*Eoque Arabes, dives et Assyria.*

*Et nostri memores lacrymæ fundantur codem.*

*Sic ego componi versus in ossa velim.*

Sexto, matres et cognatæ ossa prius in sinum colligebant, quam ea in urnam inferrent. Docet id Tibullus lib. 1. *eleg. 3.*

*Abslineas mors atra precor: non hic mihi mater,*

*Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus.*

Et Seneca Consol. ad Helviam c. 11. *Modo in eundem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recipisti.*

Porro Augusti ossa, ait Sueton. in eius vita c. 100. legerunt primores equestris ordinis, tunicati et discincti, pedibusque nudis. Hoc ultimum reverentiæ Augusti datum; nam nudipedes fuisse aliorum ossium collectores, non legimus. Hæc Gentiles Gentilibus, quid iam faciant Christiani Christianorum, imo Sanctorum et Martyrum, ossibus et reliquiis? quo honore ea consequentur?

ET DICET, scilicet propinquo, qui quasi vespillo, sive vers. 10. pollinetor e domo mortuaria sibi cognatorum extulit ossa et 11.

ad sepulturam: *dicet*, inquam, cum a sepultura redierit, **ET QUI IN PENETRALIBUS**, id est, incolæ domus mortuariæ suos defunctos lugenti: **NUMQUID ADHUC EST PENES TE**, aliquis mortuus, cuius ossa esseram et sepeliam? **ET RESPONDEBIT** incolæ domus: **FINIS EST.** q. d. Omnes mortui elati sunt, nemo restat præter me, qui meam orbitatem et solitudinem lugeo. Unde Syrus vertit, *et dicet illi: Non est, quoniam perierunt, pro eo quod recordationem non facerent in nomine Domini.*

ET DICET EI: **TACE, ET NON RECORDERIS NOMINIS DOMINI.** Quæres, quis dicet? an incolæ domus, an propinquus vespillo? Et cur? Primo, Chald. *Dicet*, inquit, propinquus, incolæ domus lamentanti suos defunctos, *Tace*, noli flere: defunctus enim tuus iuste a Deo morte punitus est, quia Deum non colebat, Deique nominis oblitus, eum non invocabat. Sic enim vertit, *remove lacrymas et lamenta, quia dum vita fruebatur (cognatus tuus defunctus) non fundebat preces in nomine Domini.* Secundo, S. Hieron. et Vatabl. Solebant, inquit, in lamentis et ærumnis, v. g. in funeribus nominare et invocare nomen Domini: Israelitæ vero adeo erant idolis addicti, ut nec in funere vellent Deum verum nominare et invocare. Tertio, Lyran. Sanchez et Ribera censent esse verba incolæ domus, qui ex impatientia dicat propinquo eum solanti, et ut Dei opem invoceat suadenti: *Noli mihi reficere nomen Domini, ipse enim horum funerum et malorum omnium mihi est auctor. Ita ex impatientia delirant impii, eum, si saperent in tribulatione ad Deum recurrerent, et omne suum refugium in eo collocarent. Imo Gentiles in afflictione suis diis, quasi eius auctoribus maledicebant, uti etiamnum faciunt Sinae et Iapones, qui deos suos flagellant. Sic Æneas ob mortuam uxorem Æneid. 2.*

*Quem non incesavi amens hominumque Dcumque?*

Sapienter enim Seneca l. 8. declamat. *Diligentius*, ait, *dii coluntur irati.* Ita sapuit Iob a Deo tot flagellis exercitus, eum dixit c. 23. 3. *Quis mihi tribuat, ut cognoseam et inveniam illum, et veniam usque ad solium eius?* Quarto, alii censent ex desperatione dici, q. d. Ne mihi nomines Deum, eumque invocare suadeas: perimus enim, actum est de nobis, nec ipsa salus si velit, nos servare possit. Quinto, Ruffinus censet dici ex omine et terrore. Adeo enim malis a Deo iudictis perculti erant, ut vel Deum nominare non auderent, formidantes, ne, si vel eum nominarent, novam ab eo cladem et quasi novum fulmen ex-ciperent. Unde Arabicus vertit, *lacte, ut non nominetis in nomine (nomen) Domini.* Sexto, Arias et a Castro censent esse verba Amos, qui hoc epiphonemate ærumnas



hæc extremas concludat, q. d. Dicit propinquus incolæ domus lugenti suorum funera: Tace, ne flexeris: *Et ne recorderis*, id est, nam tunc recordari non licet, *nomini Domini*. Tunc enim tanta omnes obruet calamitas, et allicio, ut non lubeat, nec liceat Deum nominare et invocare. Sic sæpe iusto Dei iudicio accidit peccatoribus, qui vitam in deliciis transigunt, et penitentiam in mortem differunt, ut in morte tot curis, doloribus et angoribus opprimantur, ut Dei et salutis suæ obliviscantur. Omnes pene hi sensus probabiles sunt: secundus tamen, tertius et quartus planiores sunt. Porro contrarie vertit Pagnin. *nos enim sumus assueti commemorare nomen Domini*, q. d. Vespillo solabitur incolam domus dicendo: Noli flere, sed de more invoca nomen Domini.

Vers. 12. **QUA ECCE DOMINUS MANDAVIT** (id est, ordinavit, disposuit, decrevit, ac sicut decrevit, sic et exequetur, atque) **PERCUTIET DOMUM MAIOREM RUINIS, ET DOMUM MINOREM SCISSIONIBUS.** To *quia* recte coheret cum sensu tertio Lyranus iam dato. Verum generalius referri potest ad omnia præcedentia, q. d. Tantæ clades et strages imminet tam Sioni, quam Samariæ, quas a v. 1. huc usque recensui, quia Dominus iustus iniuriarum suarum vindex *percutiet domum maiorem*, id est, regnum decem tribuum ac Samariam *ruinis*, id est, pleno interitu et perpetua captivitate, ut plane corrual et pereat regnum Israel instar testæ casu distractæ, quæ reparari et redintegrari nequit. *Domum minorem* vero, id est, regnum Sionis et Iudæ, *percutiet scissionibus*, id est, rupturas et scissuras ex eo auferet; partem eius scilicet occidendo, partem captivando; sed has scissuras sareiet et restituet per Esdraum et Nehemiam, cum annuente Cyro captivos ex Babylone in Iudæam remittet. Ita S. Hieron. Chald. Remig. Rupertus, Hugo, Lyranus, Ribera et alii. Unde Chald. vertit, *et percutiet regnum magnum percussione forti, regnum vero minus plaga remissiori*.

Nota. Pro *ruinis* Pagnin. et Vatabl. vertunt, *rimis*, vel *fissuris*, quasi hic Deus minetur Samariæ terræ motum, quo domus tam magnæ quam parvæ findendæ, et rimas acturæ sint. Hebr. est רִסְסִים *resisim*, quod Marinus, Forsterus et a Castro vertunt, *stillis*, vel *distillationibus*, quæ causant rimas et fissuras in domo, iuxta illud Cant. 5.2. *Caput meum plenum est rore, et cinerum mei resisim*, id est, distillationibus, et *guttis noctium*. Sensus est, ait a Castro, q. d. Deus per Assyrios percutiet et subvertet omnes domos Samariæ, tam maiores, quæ multis constant habitatoribus, sigillatim illos interimendo, quam minores, quæ minus possunt resistere, simul et semel eas confringendo. Verum primus sensus iam datus, uti communior, ita verior et certior est. Unde hebr. *resisim* non tantum complutiones et distillationes, sed et fracturas et contritiones validas significat. ita enim vertunt Septuag. Chald. et Noster. Alludit enim רִסְסִים *resisim* per *samech*, ad רִצִּים *retsitim* per *tsale*, quod proprie fracturas et contritiones significat, omnium Hebræorum consensu. Adde, hic non agi de unius Samariæ et decem tribuum, sed et de duarum, id est, omnium duodecim, tribuum excidio. Hoc enim significant illa verba v. 15. *Et contereit vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti*. Hic enim limes et terminus ponitur non decem, sed duodecim tribuum: adeoque totius terræ promissæ, uti dixi v. 2. Ita S. Hier. Porro causam tanti utriusque gentis excidii subdit, eius scelera, quod scilicet iustitiæ, reumque naturam et ordinem perverterit et subverterit: ideo enim lege talionis mereri, ut et ipsa utraque subvertatur et intereat. Ait ergo:

Vers. 15. **NUMQUID CURRERE QUEUNT IN PETRIS EQUI, AUT ARARI POTEST IN BUBALIS?** Hebr. est, *num current in petra equi? num arabit (arator) in bobus?* scilicet feris et indomitis, puta bubalis, ursis, bisontibus: unde Noster vertit, *in bubalis*. Nam aliis bobus cicuribus et domesticis tam aratur, quam equis. Porro bubali olim tempore Amos, præsertim in Iudæa, feri erant et indomiti, ut iugum et aratrum exercentur. Unde Martial. lib. 1.

*Illi cessit atrox bubalus atque bison.*

**A** lam vero in Italia videmus eos eatenus cicurari, ut subiugales fiant, iugumque currus admittant, et aratris serviant. Sensus est q. d. Sicut impossibile est, ut in petris currant equi, et arant iugumque suscipiant bubali indomiti: ita impossibile est vos currere in via mandatorum Domini, quæ vobis dura et saxea videtur; aut subire iugum legis Dei: quia vos estis quasi bubali indomiti, iugum omne excutientes. Ita libertas libertate perit. Qui enim renuit servire Deo, cui servire regnare est, serviet suis concupiscentiis, suæque perfractæ voluntati et diabolo, quæ gravissima est servitus. Quocirca Christus repudiatis Iudæis, ingi Evangelicæ impatientibus, quasi bubalis, elegit Gentes quasi boves cicures et domitos, dixitque illis: *Tollite iugum meum super vos*; qui proinde vomere Evangelicæ doctrinæ et vitæ terram infidelium proscindentes, fructum regno Dei operati sunt, magnamque animarum messem collegerunt. Ita Rupert. qui putat ab Amos hic prædici Iudæorum, quasi bubalorum, reprobationem: Gentium vero, quasi cicurum electionem.

**B** Secundo, recentiores passim repetunt *in petris*, sicque facile ad quosvis boves hæc adaptant, hoc modo: *Numquid current in petra equi? numquid arabit arans bobus in petra?* q. d. Vos o Israelitæ perinde agitis, ac si in rupe quis equum ad cursum, aut bubalum vel bovem ad arandum incitaret, hoc est, agitis omnia ordine inverso et præpostero. Sicut enim ista naturæ repugnant, ita vos agitis repugnantia naturæ, rationi et Deo: quia iudicium, id est, iustitiam, quæ naturæ, Deo et rationi consona, dulcis est, et placet, vertistis in peccati absinthium et amaritudinem, quæ naturæ, Deo et rationi dissona, amara est et execranda. Ita Pagnin. et Vatabl. Rursum, *sicut non solent equi currere in petris, neque agricolæ arare in petrosos locis, cum nullus inde fructus sit sperandus: sic ex tam impenitenti vita vestra, nequaquam felicitas erit speranda*, inquit Clarius. Unde Syrus vertit, *numquid currunt supra petram equi, aut trahunt in ea aratrum, vel vomerem?*

**C** Insuper contra naturam est equi, inquit Palacius, *currere super rupe, et contra naturam bovis est arare super eadem rupe; itidem contra naturam iudicis est currere, et arare super iniustitia*. Si enim velint bos aut equus currere, vel arare super petra, frangent crura, et pectora lacerabunt. Parcemia hæc ergo tria significat. Primo, Israelitas in sua iniusta et prava vita præpostere laborare. Secundo, inutilem laborem eamque molestum suscipere, ac rem impossibilem tentare. Sic ait Poeta:

*Non profecturis littora bobus aras.*

Tertio, laborem hunc non tantum fore inutilem eis, sed et noxium ac exitialem. Hic sensus facilis est et planus, ac valde Hebræo consonat. Simile proverbium est: *Fron-ti ocream, tibix galeam applicas*.

Hæc pertinet expositio Sanchez, qui censet esse amplificationem ab impossibili. Cum enim quid inexpectatum aut valde absurdum fieri videmus, dicimus in rerum natura nihil fore iam impossibile factu, q. d. Cum video quod Israel Deum dulcissimum amaricarit, et converterit in fel et absynthium, quod videbatur impossibile, dico iam naturam rerum inverti, ut deinceps equi cursuri sint in petris, bubali araturi, quod hætenus credebam esse impossibile. Sic Ovidius videns se proditum ab amico intimo, quod putabat esse impossibile, ait, iam nihil impossibile esse iudicandum. Sic enim cauit lib. 1. Trist. eleg. 7.

*Terra feret stellas, æchum findetur aratro,  
Unda dabit flammæ, et dabit ignis aquas.*

*Omnia naturæ præpostera legibus ibunt,*

*Parsque suum mundi nulla tenebit iter.*

*Omnia iam fient, fieri quæ posse negabam;*

*Et nihil est, de quo non sit habenda fides.*

*Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,*

*Laturum misero quem mihi rebar opem.*

Et pastor ille videns Nisam nympham speciosam nupsisse Mopso stolido, apud Virgil. eelog. 8.

*Mopso Nisa datur; quid non speremus amantes?*

*Iungentur iam gryphes equis, ævoque sequenti  
Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.*

Porro idem pressius hæc applicat Israeli, q. d. Non est o Israelitæ, quod putetis civitates vestras esse inexpugnabiles ab hoste, sicut petrae sunt inarabiles ab equis et bubalis: quia cum vos sceleribus vestris naturam immutaveritis, et Deum suavissimum in fel converteritis; pariter ipse soli locique vestri naturam immutabit, facietque ut equi hostiles in petris vestris currere, easque subiugare, ac in iis bubali arare possint. Hæc expositio videtur concinna et plausibilis.

Tertio, S. Hieron. quem sequuntur Remig. Albert. et Hugo, censent Israellem ruinis, Iudam scissionibus comparari, quia scissa domus sarciri potest, ruinæ vero debent reædificari, restaurari nequeunt: ruinas Israelis comparari equis, qui nequeunt in petris currere; scissiones Iudæ comparari bubalis, qui sylvestres boves sunt, et tam indomiti, ut iugum cervicibus non recipiant, et propter feritatem nolint arare, q. d. Vos o Israelitæ stolidiores, duriores et deteriores estis equis et bubalis. **B** *Cum enim hi naturam suam mutare non possint, vos mutastis naturam Dei, ut dulcem amaram faceretis, et fructum iustitiæ eius in absinthium verteretis, quæ est herba amarissima.* Hæc expositio mutationem naturæ et repugnantiam non in Israelitis eorumque moribus, sed in Deo constituit, quod scilicet Israelitæ suis sceleribus irritando Dei naturam, quæ est ipsa clementia, eam quasi commutarint in severitatem et vindictam acerrimam.

Quarto, Ruffinus: Certum est, inquit, quod nec bubalus iuga portet, nec per saxa equus sponte incedat: vos autem, qui vos et iuga discussisse, et fræna rupisse gaudentes, videbami vobis esse equi in luxuria, in virtute et libertate bubali, rebus probate quod spebus hausistis, id est, quod nullis subiaceatis imperiis. Quod cum utique in contrarium cadit, atque ad arbitrium hostium, perque itinera asperissima ingredimini, ac graves labores confracta cervice toleratis, confiteamini necesse, nec equos vos esse, nec bubalos, nec quidquam præsidii ac virium ad opes vestras comparasse. Sensus ergo Ruffini hic est: O Israelitæ iactabatis vos esse liberos, quasi equos salaces et effrænes, qui non in petris, sed in campis quo volunt currunt: et bubalos indomitos, qui iugum aratri exeunt. At ego iugum captivitatis per Assyrios vestro collo imposui, cogoque incedere et currere per petras et rupes, quasi mancipia in Babylonem. Ergo non estis equi effrænes, sed frænati: non bubali indomiti, sed domiti et capistrati. Verum hæc expositio multa subaudit et supplet, quæ in textu non habentur. Quocirca prima et secunda expositio magis planæ sunt et genuinæ.

Quinto, Septuag. hæc omnia de equis, non de bubalis accipiunt. Vertunt enim, *si persequentur in petris equi, si tacebunt ad fœminas?* Hebr. enim יַחַרֹּשׁ יַחַרֹּשׁ iacharos, et arare, ut vertit Noster; et tacere, ut vertunt Septuag. significat. Rursum ipsi pro בְּנִקְבִים tabbekarim, id est, in bobus, videntur legisse בְּנִקְבִים bannekebim, id est, in fœminis, ad fœminas: utrobique enim Hebraicæ litteræ sunt similes. Alludunt ad id quod v. 7. verterunt, *auferetur hinnitus equorum ex Ephraim*, pro quo Noster vertit, *auferetur factio lascivientium*. Porro versionis Septuag. hunc sensum dat Theodoret. Sicut equi ad equas quas prospexerunt non tacent, sed adhinniunt: sic hostes Assyrii in vos, o Israelitæ, expeditissimo impetu et clamore, quasi hinnientes ad prædam, irruent et grassabuntur. Tropol. S. Hieron. per equos accipit dæmones, qui formidant viros, insaniunt in fœminas, id est, homines molles et effeminatos. *Quando, ait, virilem viderint animum et Dei fortitudinē roboratum, non audent accedere, quando vero effœminatam mentem, unguentis ac deliciis enervatam, et in muliebrem versam mollitiem, statim insaniunt, et se tenere non possunt, et gestunt ad libidinem.* Unde Arabicus vertit, *qui currere nimis faciunt equos in tædio, ut sileant (quiescant) a fœminis.*

**CONVERTISTIS IN AMARITUDINEM IUDICIUM, ET FRUCTUM IUSTITIÆ IN ABSINTHIUM.** *Judicium et iustitia, Pri-*

**A** mo, hic proprie accipi possunt, q. d. Pervertitis iura et iustitiam in iudiciis, absolvendo divites nocentes ob muneram, et pauperes innocentes condemnando. Hoc enim taxavit c. 4. 1. Secundo, generatim pro eo quod æquum et iustum est, q. d. Pro æquo facitis iniqua, pro iusto iniusta et impia, pro honesto inhonesta, puta pro virtute vitia et scelera.

**QUI LÆTAMINI IN NIHILLO.** Hebr. *in non verbo*, id est, *in non re*, in nihilo, *in eo quod non est aliquid*, ut vertit Pagnin. Sed Symmach. ἀλλοτρίως, id est, frustra, absque ratione et causa, q. d. Qui exultatis in vestris idolis, quæ sunt res nihili, aut in vanis fluxisque opibus et voluptatibus, ac præsertim in potentia huius sæculi vestroque robore ac viribus, dicentes:

**NUMQUID NON IN FORTITUDINE NOSTRA ASSUMPSIMUS NOBIS CORNUA?** Id est, vires, animos et robur, quibus remp. tueamur et hostes invadamus. Ita superbi vires, quas a Deo acceperunt, imo quas non habent, sibi arrogant. Humilius et verius Psaltes psal. 43. 6. *In te, ait, inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* in nos. Est metaphora a tauris, quorum audacia et robur est in cornibus. Unde tauro rhinocerotem comparans Martial. in Amphith. sic ait:

*Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,  
Laetatur ut impositas taurus ad astra pilas.*

Sic Horatius ait vinum addere cornua, id est, animos viresque, timido et pauperi. Nam lib. 3. ode 21. alloquens amphoram:

*Tu, ait, spem reducis mentibus anxii  
Viresque et addis cornua pauperi.*

Sic Plautus, ait, *Cornutam bestiam pelis*, id est, lacessis animosum et paratum ulcisci. Et Moses Deuter. 33. 17. de Ioseph ait, *Cornua rhinocerotis cornua illius: in illis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Porro, quia opes dant animos viresque, suntque quasi cornua divitum; hinc per *cornua* aliqui cum Chaldæo hic intelligunt substantiam et divitias.

Tropol. peccator lætatur in nihilo, id est, in rebus frivolis et evanidis. Hinc peccatum vocatur nihil: Primo, quia ipsum est res nihili, id est, vana, et nullius pretii vel momenti. Secundo, quia cito voluptas eius transit et evanescit. Unde Psaltes psalm. 75. 6. *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Tertio, quia peccatum peccatorem ducit ad nihil, id est, ad interitum et mortem, tum præsentem, tum æternam. Quarto, peccatum est nihil in genere moris et virtutis, quod est bonum morale: peccatum enim non est bonum, sed malum morale. Quinto, quia peccatum est privatio boni: privatio autem non est eus positivum, sed negativum, puta nihil. Sexto, quia peccatum privat Deo. qui est omnia et omnium opifex. sine quo factum est nihil: eum ergo peccatum et peccator sit sine Deo, sequitur ipsum esse nihil in genere moris. Audi S. August. in Soliloq. c. 3. et 4. *Nihil est mors: nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et iuste quidem hoc Domine: nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus tamquam aqua decurrens: quia sine te factum est nihil, et nos faciendo nihil, facti sumus nihil: quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil. Væ mihi misero toties annihilato: quia tu verbum per quod facta sunt omnia, et ego sine te, sine quo factum est nihil. Et c. 5. Miser factus est, et ad nihilum redactus sum, et nescivi: quia tu es veritas, et ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me iniquitates: quia tu es Verbum per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil: et ideo sine te factus sum nihil: quia est nihil, quod ad nihilum ducit. Quæcumque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt? quia omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quia nihil bonum sine summo bono est; sed malum est, ubi non est illud bonum quod utique nihil est: quia nihil aliud est malum, quam privatio boni: sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis. Malum ergo nihil est: quia factum non est: sed qualiter malum est, si factum non est? Quia malum*

Vers. 14.

Moral. peccator lætatur in nihilo ob seipsum rationes.

privatio boni est, per quod factum bonum est: esse ergo sine Verbo, malum est: quod esse non est: quia sine ipso nihil est. Separari ergo a Verbo, est esse sine via, sine certitudine, sine vita; et ideo sine ipso nihil, et ideo malum quia separatur a Verbo, per quod facta sunt omnia valde bona. Separari autem a Verbo per quod omnia facta sunt, nihil aliud est, quam defecere, et a facto transire in defectum: quia sine ipso est nihil. Quoties ergo a bono devias, a Verbo te separas: quia ipsum est bonum: et ideo nihil effeceris, quia sine verbo es, sine quo factum est nihil. Et paulo post: Si ergo nihil fui cum sine te fui, quasi nihil fui, et velut idolum quod nihil est, quod quidem aures habet, et non audit; nares habet, et non odoratur; oculos habet, et non videt. Sic Ezechiel de Tyro peccatrice ait cap. 36. Ad nihilum deducta es, et non eris in perpetuum. Et de eius rege superbo cap. 28. 20. Nihil factus es, et non eris in perpetuum. Et Apost. Galat. 6. 3. Si quis, ait, existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Septimo, proprie et physice peccatum est nihil, quia adhæret et lætatur in creaturis, easque opponit et anteponit Creatori: creature autem si cum Creatore comparentur, sunt umbræ rerum, non veræ res, ideoque sunt nihil. Dei enim essentia et nomen est, Ego sum qui sum, q. d. Ego sum qui solus habeo verum, plenum, solidum, æternum et immensum esse: creaturæ vero a me participant umbram tantum huius veri esse, quia esse ipsarum tam est exile, diminutum, breve, fugax, instabile et caducum, ut si cum meo esse comparentur, potius dicendæ sint non esse, quam esse. Consequenter creaturæ sicut non habent verum esse, sic nec habent verum bonum, sed umbram tantum boni: ens enim et bonum convertuntur: quale ergo et quantum est esse, tale et tantum est bonum, quod intima entis est proprietas. Hinc Christus: Quid, inquit, me dicis bonum: nemo bonus nisi solus Deus, Luc. 18. 19. q. d. Tu ceuses me esse merum hominem, non Deum: noli ergo me vocare bonum; quia vera bonitas, sicut et vera entitas, non homini, sed soli competit Deo. Hinc et Philosophi docent, Deum in nullo esse prædicamento: quia prædicamenta sunt series rerum dumtaxat creatarum. Deus ergo hæc omnia transcendens, solus unum verumque substantiæ rerumque omnium prædicamentum constituit, cuius respectu nostra prædicamenta, omnesque res eis contentæ, sunt tantum umbræ, imo nihil. Quod dixi de bono, idem dico de veritate, sapientia, potentia, iustitia, sanctitate, aliisque attributis. Hæc enim in Deo habent verum esse, in creaturis umbram essendi dumtaxat. Quocirca Deus in Script. vocatur solus sapiens, Rom. 16. 17. solus potens, 1. Timoth. 6. 15. solus immortalis, ibidem v. 16. solus Dominus, Isaia 37. 20. solus bonus, solus præstans, solus iustus, 2. Machab. 1. 24. solus plus Apoc. 15. 4. solus gloriosus, 1. Corinth. 1. 17. quia ipse solus habet veram, plebam, iucreatam et immensam sapientiam, potentiam, bonitatem, etc. Peccator ergo, quia in creaturis delectatur, non in Creatore, hinc delectatur in umbra, in nihilo, non in ente vero: sed quia hæc umbræ creatura-

Solus Deus est, creaturæ sunt umbræ rerum.

rum in huius vite caligine homini cæco magnæ apparent, perinde ut occidente sole magnæ atque cadunt de montibus umbræ; hinc umbras hæc ipse admiratur et sectatur instar canis Æsopici, qui visa umbra carnis in aqua, eam invasit (utpote quæ maior carne apparebat in aqua) itaque carnem amisit, nec umbram obtinuit. Eia Domine, aspiret dies tuæ claritatis æternæ, et inclinentur umbræ huius caliginis, vanitatis et mortalitatis. Eia Domine, dispelle tenebras nostras, illumina oculos nostros, ut non umbras honorum, opum et deliciarum, quæ quasi præstigiæ in terra aciem mentis nostræ præstringunt, sed ipsos veros honores, opes et delicias, quas in celis diligentibus te abscondisti et præparasti ab æterno, fixo obtutu intueamur, amemus et ambiamus. Amen.

Nota. Peccatum hebr. vocatur אָעֵן *aven*, quod multa significat, scilicet mendacium, vanitatem, iniquitatem, laborem, fatigationem, afflictionem, idolum, nihil et nihilum. Hæc enim omnia in se revera habet, imo reipsa est peccatum. Rursum אָעֵן *aven* per erasin est אָעֵן *on*, id est, dolor, nimirum peccatum in se contrahit paritque omnem dolorem. Insuper אָעֵן *aven* per erasin est אָעֵן vel אָעֵן, id est, *en vel ain*, hoc est *non*, sive negatio entis omnisque boni. Hoc enim est peccatum, uti iam ostendi. *Aven* ergo est *benoni*, hoc est, peccatum est filius, imo et pater doloris.

GENTEM.) Assyrios, qui vastent Samariam; et Chaldeos, qui vastent Ierusalem, itaque totam Chanaanæam. huius enim terminus Aquilonaris est Emath, Meridionalis est torrens Ægypti, puta rivus ex Nilo derivatus de eremo veniens, qui Iudæam dividit ab Ægypto, et inter Rinocoluram et Pelusium in mare iulluit. Unde alibi saepe vocatur torrens Ægypti, aliquando torrens deserti, aliquando fluvius turbidus, id est, Nilus, quia ex eo oritur et profluit; ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et Arias. Alii tamen, ut Theodor. Vatabl. a Castro per gentes solos Assyrios accipiunt: censent enim hic agi tantum de Samariæ et decem tribuum excidio, atque alludi ad robur et potentiam Ieroboam regis Israel, sub quo prophetavit Amos. Hisc enim verbis obterit eius animos et vires, de quibus dicitur 4. Regum 14. 28. *Reliqua autem sermonum Ieroboam, et fortitudo eius qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath Iudæ in Israel, nonne hæc scripta sunt.* etc. Et v. 25. *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis.* Huic præfidentia et robori Ieroboam et Israelis opponit se Deus per Amos, dicens totidem verbis, sed antistrophis: Ecce ego adducam Assyrios qui vastent Israel, ab Emath usque ad mare solitudinis, imo ulterius usque ad rivum Ægypti, et tunc videbunt quam infirma fuerit eorum firmitas, quam inane robur, quam vana et falsa præfidentia, eum eorum virtus in debilitatem, gloria in contumeliam, iactantia in gemitus et lamenta transibit. Utraque sententia ita concilianda est, ut dicamus Prophetam primario agere contra Samariam et decem tribus, secundario contra Ierusalem et Iudæos, uti initio capituli ostendi. Quænam sit Emath dixi v. 2.

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos Primo, locustam depascentem terram Israel. Secundo, ignem in illam immitti, sed utramque plagam deprecans precibus suis avertit. Videt Tertio, Deum deponere trullam suæ curæ et providentiæ, qui incrustare et conservare solebat murum Israelis, indeque Israellem ruere in interitum. Rursum v. 40. Amasias accusat Amos apud Ieroboam, quasi seditiosum, eique suadet ut in Bethel non prophetet; sed redeat in Ierusalem. Cui respondet Amos, se non esse Prophetam, sed armentarium, a Deo tamen iussum prophetare in Bethel: quod cum impedire velit Amasias, ex Deo intentat illi uxoris stuprum, liberorum necem, expilationem, exitium, totique Israeli captivitatem et excidium.

1. **H**ÆC ostendit mihi Dominus Deus: et ecce fletor locustæ in principio germinantium serotini imbris. et ecce serotinus post tonsionem regis. 2. Et factum est: cum consummasset comedere herbam terræ. dixi: Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia parvulus est? 3. Misertus est Dominus super hoc: Non erit, dixit Dominus. 4. Hæc ostendit mihi Dominus Deus: et ecce vocabat iudicium ad

ignem Dominus Deus: et devoravit abyssum multam, et comedit simul partem. 5. Et dixi: Domine Deus quiesce, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia parvulus est? 6. Misertus est Dominus super hoc: Sed et istud non erit, dixit Dominus Deus. 7. Hæc ostendit mihi Dominus: et ecce Dominus stans super murum litum, et in manu eius trulla cæmentarii. 8. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adiciam ultra superinducere eum. 9. Et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur: et consurgam super domum Ieroboam in gladio. 10. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel: non poterit terra sustinere universos sermones eius. 11. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. 12. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: et comede ibi panem, et prophetabis ibi. 13. Et in Bethel non adicies ultra ut prophetes: quia sanctificatio regis est, et domus regni est. 14. Responditque Amos, et dixit ad Amasiam: Non sum propheta, et non sum filius prophetæ: sed armentarius ego sum vellicans sycomoros. 15. Et tulit me Dominus cum sequerer gregem: et dixit Dominus ad me: Vade propheta ad populum meum Israel. 16. Et nunc audi verbum Domini: Tu dicis: Non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli. 17. Propter hoc hæc dicit Dominus: Uxor tua in civitate fornicabitur: et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur: et tu in terra polluta morieris, et Israel captivus migrabit de terra sua.

Vers. 1.

**E**CCĒ FICTOR LOCUSTÆ.) *Fictor*, id est, figulus, plastes et formator locustarum: hoc enim significat Hebraicæ יצר *iotser*. Alii legerunt aliis punctis יצר *ietser*, id est, figmentum, plasma. Unde Chald. vertit, *ecce creatio locustarum*; Septuag. *ecce factus locustarum*; Tigurina, *ecce examen locustarum*, q. d. Vidi Deum quasi platen, fingere et formare ingens examen locustarum, ipsumque examen ab eo iam formatum et productum invadere terram Israel. Solus Arias vertit, *fingens exactores*.

Porro Hebr. גבאי *gobai* significat locustas, eo quod elevat et exaltant pedes, a rad. גבה *gaba*, id est, exaltavit: *gobai* ergo, q. d. Gibbosi (et, ut Itali dicunt *gobi*) cruribus. Iam *gobin* plurale, in regimine habet *gobe*. Est enim hic quasi regimen genitivi, nimirum, *locustæ in principio*, id est, locustæ principii, hoc est, primi temporis germinantis; tunc enim locustæ teneram herbam et germen, quo mire delectantur, depascentes, ingens satis campisque damnum inferunt. Nota. Prophete non tantum per verba, puta per locutionem internam, excipiebant et audiebant oracula Dei, sed subinde etiam videbant ideas, vel species quasdam oculis, aut potius imaginationi suæ obiectas, per quas quasi per symbola edocebantur a Deo de futuris rerum eventis. Hæc enim species significabant, et symbolice representabant res futuras, vel arcanas. Sic Ieremias c. 1. 11. et 13. vidit virgam vigilantem, et ollam succensam, per quæ significabatur Nabuehodonosor, qui quasi virga percussurus, et quasi olla accensa combusturus erat Hierosolymam. Sic Ezechiel cap. 1. vidit currum cherubicum, quasi solium gloriosum iudicis et vindicis Dei. Sic Isaias cap. 7. 20. vidit novaculam acutam, quæ representabat Assyrios, qui quasi novacula rasuri erant terram Israel. Pari modo Amos hic vidit fietorem quemdam et platen, qui agmina locustarum fingeret et formaret, uti figulus fingit vasa vel animalia ex luto. Iam fictor hic est Deus, qui omnium animalium rerumque est creator et plasmator: hoc enim significat Hebr. יצר *iotser*. Hic ergo examina locustarum, id est, innumeros milites Assyrios, producit, et per turmas educit, ut terram decem tribuum depaseantur et devastent. Locusta enim habet speciem militis armati; volentis insilire in hostem. Similes locustas vidit Ios. c. 1. 4. et 5. Ioannes Apoc. c. 9. 1. et 2. ubi multa de iis dixi, quæ proinde hic non repetam. Porro Lyran. Clarius, Vatabl. et Arias, locustas hic proprie accipiunt, quasi Deus famem et sterilitatem, ex frumenti corrosione futura a locustis, minetur Israeli, hoc non est improbable: sub his tamen potius symbolice intelligit Assyrios, qui populum corrosurunt, id est, occiderunt, vel captivarunt. Unde Propheta eius elade ingemiscens, ait vers. 2. *Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia parvulus est?* id est, ad paucitatem redactus; ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Haymo, Dion. et alii passim.

Moral. Nota *ecce fictor*, significare Deum artem et curam suam intendere in locustis efformandis, sicut figulus omnem cogitationem et industriam adhibet in excogitando

A et effingendo vase figulino. In hisce enim animaculis elucet ars et potentia divina, *hec in ullo magis quam in his tota natura est*, ait Plinius lib. 11. c. 2. Nimirum locusta, apis, musca etc. si naturam, organa, membraque omnia species, magnum mirumque est Dei opus et artificium: sin usum consideres, multo est maius. Nam Deus quasi mirus artifex, locustas et muscas ita fingit et format, ut per eas domet tyrannos et reges potentissimos (uti Pharaonem) ac gravissima eis inferat supplicia. Hoc est quod ait per Ieremiam c. 18. 11. *Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem: fingo*, id est, excogito et formo ita apposite, ut malum et pœna ad amissim culpæ vestræ respondeat, eamque suo modo et modulo adæquet: sicut iudex excogitat supplicium sceleri latronis congruum et commensum. Vide Tertull. lib. 2. contra Marc. c. 24. Sciant ergo coloni, sciant cives, cum grando uvas percussit, cum aurugo segetes afflat, cum tonitru et fulmen agros siderant, cum locustæ, cruceæ, bruchi, etc. sata depaseuntur, ea a Deo immitti: Deus enim horum omnium est factor et fictor. Quocirca ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum eius, ut ad eius nuntium feriant peccatores. Itaque procellis hisce et creaturis non indignentur mortales uti faciunt stolidi canes, qui lapidem quo appetiti sunt insectantur et mordent, non hominem iacentem: sed ad creatorem et vindicem, qui eas fingit et format, oculos convertant: ab eo veniam et indulgentiam scelerum humiliter confessione efflagitent. Qui enim ipsi obstrepit et obmurmurat, maiorem in se eius iram provocat. *Nam cum culpa sua feriri se denegat, quid aliud quam iustitiam ferientis accusat?* ait S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 5. Cogitet ergo illud S. Pauli Rom. 9. 20. *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic?*

C **IN PRINCIPIO GERMINANTIUM SEROTINI IMBRIS.**) Id est, in principio veris, cum omnia germinare solent per imbrem serotinum, id est, vernum. Hebr. est, *in principio cum ascendet serotinus*, scilicet imber vernus, qui prima educit et crescere facit germina. Martinus enim imber Hebræis est, qui mane, id est, tempore sementis, depluit in Octobri, ut semina riget, solvat et radieet in terra. Serotinus est, qui sero, id est, tempore aristarum et messis, depluit in vere ut aristas granis impleat, fecundet et maturet. Aut potius, hunc serotinum explicat, dum subdit: *Et ecce serotinus post tonsionem regis*, q. d. Serotinum imbrem intelligo eum, qui postquam prima herba et gramina luxuriantia detonsa essent pro fœno, ad alendos equos regios, depluit, facitque ut detonsa herba repullularet et recresceret, ac in eulmos spicasque evaderet. Sensus est, q. d. Deus has locustas, id est, Assyrios, finxit et emisit in terram Israel tempore verni, id est, illo quo res Israeliticæ a eladibus respirare, vernare, prosperari, et in segetem ingentem crescere incipiebant, adeo ut Israelitæ regi Assyriorum monarchæ tam potenti rebelare auderent: ita S. Hier. Pro *serotinus* hebr. est לקש *lakes* quod proprie significat imbrem serotinum: hunc e-

Moral.  
Deus fingit potestatem  
commensam  
culpam.

nim significat מלקח *malcos*, uti omnes Hebraei fatentur, quod ab eadem radice descendit, imo idem est cum *lekes*. Pagnin. tamen *lekes* vertit, *herba serotina*. Tigurina, *herba renascens et repullulans*: per quam Vatabl. accipit fenum autumnale, sive *cordum*, puta herbam quae in pratis, postquam illa faece demessa sunt, succrescere solet, estque apprime commoda ovibus; sicut vice versa fenum vernum commodum est equis, q. d. Locusta haec involavit in fenum autumnale quo pasci solent oves, illudque depasta magnam famem et eladem intulit ovibus. Alii, ut Clarius, melius per herbam serotinam accipiunt, non autumnalem, sed vernam; eam nimirum, quae post primam graminis luxuriam et copiam resecta ad alimentum equorum regionum mox repullulavit, ac in spicas et culmos succrevit: et sic haec versio cum nostra in idem redit. Sensus enim est, q. d. Deus finxit locustas in principio germinationis, quae post demessionem in pabulum equorum regionum factam, rursus imbre serotino repullulavit in culmos; ac tunc illam invadens locusta radicitus depasta est.

Allegor. S. Cyrill. in Zachar. cap. 10, et S. Hieron. in Job 28. pluvia matutina fuit lex vetus data per Moysen, qua semina iacta per patres legis naturae germinabant: serotina vero est lex nova data per Christum, qua semina legis veteris germinantia maturaverunt, et ad perfectionem perduca sunt.

ET ECCE SEROTINUS POST TONSIONEM REGIS. Ita legendum cum Romanis, non, *post tonsorem gregis*, uti legunt nonnulli: sicque explicant, q. d. Locustae hae de more eo tempore enatae sunt, quo depluente imbre serotino segetes (quas depascuntur) succreverunt, et quo pariter tonderi solent oves, scilicet sub aequinoctium vernum, in quo oves neque frigus, si lanam detraxeris; neque aestum, si nondum detonderis, sentiant, ait Columella lib. 7. c. 4. Verum legendum est, *post tonsionem regis*, non *gregis*. Hoc enim significat Hebr. אחר גזי המלך *achar ghizzi hammelech*. Secundo, Septuag. pro ג legentes affine ג, scilicet pro גזי *ghizzi* גג *gog*, vertunt, et ecce bruchus unus *Gog rex*, vel, ut Complut. in *Gog regem*; nam pro אחר *achar*, id est, *post*, legerunt אחד *achad*, id est, *unus*, atque *lekes*, quod prius verterant *serotinus*, aequae ac Noster et alii, hic vertunt *bruchus*: forte pro *lekes*, legerunt לקק *lekek*, id est, *ligurio*, qui omnia lambit et lingit, qualis est bruchus. Videntur ergo Septuag. bruchi innumerabilem multitudinem, *Gog* genti saevissimae comparasse, quae totam Iudaeam vastatura describitur, ait S. Hieron. Septuag. sequitur Arabicus Antioch. qui vertit: *Ostendit mihi Dominus, et (quod) ipse veniens cum pullis (parvulis) locustae, adveniens, eurrens. Et haec est quae ivit in terram Og regis Basan, ad comedendum herbam eius*. Et vicinius Arabicus Alexand. *Locusta congregata est, et effervet (ebullit) de valle prima in principio hiemis, et ignis venit in fine aestatis: et ipse est Gog rex*. Tertio, Aquila pro *ghizzi* perperam legens גזי *aza*, id est, *Gaza*, vertit, *ecce serotinus post Gaza regem*. Quarto, S. Hieron. in comment vertit, *ecce post serotinum tonsor (sive tonsura) regis*, sicque explicat: *Ostendit, inquit, Dominus Sennacherib regem Assyriorum cum infinita exercitus multitudine, instar locustae universa tondentis, esse venturum in principio imbris serotini, quando cuncta virent, et cunctarum rerum abundantiam pollicentur. Has autem locustas, quae primo vere volitabant, bruchus innumerabilis sequebatur, qui veniebat post imbrem serotinum, et appellabatur tonsor, vel tonsura regis, eo quod universa vastaverit. Hunc tonsorem Isaias cap. 7. 20. acutam novaculam vocat: et statim explicat vocatque regem Assyriorum: novacula igitur et tonsor regis, exercitus Chaldaeorum est, qui in modum bruchi universa populatus est*. Locusta ergo est Sennacherib cum suis agminibus: post quem sequitur bruchus, id est, Nabuchodonosor cum suis, qui relicta a Sennacherib vastavit; ita et Theodor. Remigius, Haymo, Albert. et Hugo. Aliter Rupert. et Ribera: *Locusta, aiunt, est Salmanasar, qui decem tribus vastavit: bruchus est Sennacherib, qui duas tribus allixit; sed orante Ezechia*

regi, per angelum caesa sunt eius castra.

Verum haec omnia proprie ad decem, non ad duas tribus spectare, colligitur. Primo, ex eo, quod in Bethel, quae erat decem tribuum, prophetabat Amos. Unde v. 13. ab Amasia inde iubetur egredi, et pergere ad duas tribus. Secundo, quia v. 9 in tertia plaga comminatur regi Ieroboam et Israeli excidium: ergo prima vel secunda plaga nequeunt referri ad Sennacherib, qui duas tribus post excidium Ieroboam et Israelis allixit. Tertio, quia duas priores haec plagas a se intentatas Deus placatus precibus Amos suspendit et remisit. Constat autem eadem a Salmanasar et Nabuchodonosor reipsa Iudaeis fuisse inflictam, non autem suspensam, eamque fuisse integram et extremam; nam Salmanasar decem tribus, Nabuchodonosor, duas evertit et abduxit. Denique in Hebr. et Latinis codicibus non habetur: *Et ecce post serotinum tonsor regis*, ut legit S. Hieron. sed vice versa τὸ post trasponitur, diciturque: *Et ecce serotinus post tonsionem regis*. Quae verba sensum S. Hieron. non admittunt, sed elidunt: significant enim serotinum imbrem non ante, sed post detonsam et demessam a ministris regis, pro eius equis herbam, eam fecisse repullulare, ac tum in eam involasse locustam, ut eam depasceret, eo sensu quem iam subiungo.

Dico ergo, haec tantum ad decem tribus spectare: illarum enim tres elades ab Assyriis inflictas, sibi ordine succedentes, totidem visionibus praevidit ac praedicat hic Propheta. Unde ter repetit: *Haec ostendit mihi Dominus*. Prima, quam hic describit, inflicta fuit a Phul, qui primus e regibus Assyriorum Israelem invasit. Huic ergo singulae huius prophetiae et visionis partes ex aequo respondent. Propheta eas concise enarrat, aut potius convolvit. Accipe eas explicatas et adaptatas. Vidit Amos Primo, herbam primo germinantem et luxuriantem: illa significabat res Israelis efflorescentes. Secundo, vidit eam tonderi et demitti a rege: hic est Benadad rex Syriae, qui valde allixit Israel, eiusque opes totondit et demessuit. Tertio, vidit serotinum post tonsionem regis, hoc est, vidit herbam a rege Benadad demessam, per imbrem serotinum, id est, subsequenter, repullulare et retlorescere. Id factum tempore Amos per Ieroboam filium loas regem Israel, qui suo robore et armis res Israelis afflictas restituit, ut patet 4. Regum 14. 25. Inde Quarto, vidit Amos in herbam repullulantem involare locustas a Deo formatas, eamque depasci. Id factum per Phul regem Assyriorum, qui regnum Israelis restauratum et restitutum a Ieroboam, invasit magno exercitu, regnante in Israele Manahem, sub finem regni Oziae regis Iuda. Quinto, Amos praevidens hanc locustarum, id est, Assyriorum, irruptionem, precatur Deum, ut eladem hanc ab Israele avertat: precatur Deum, *Miserere enim Dominus super hoc, dixit: Non erit*. Id ita contigisse patet: nam Manahem ex tributo quinquaginta siclorum singulis capitibus indicto, dedit Phul mille talenta argenti, quibus acceptis Phul reversus est, nec moratus in terra, ut dicitur 4. Reg. 15. 20. ita a Castro quoad rem, licet in modo non tam explicite, nec tam adequate.

ET FACTUM EST CUM CONSUMMASSET (locusta) COMEDERE HERBAM TERRAE. Cum consummasset, id est, coepisset consummare: significatur enim actus inchoatus, non perfectus. Sic dicitur Luc. c. 2. 21. *Postquam consummavisti (id est, coepti sunt consummari) dies octo, id est, die octavo*. Sensus est, q. d. Cum in visione vidissem locustarum agmen incipere depascere terram Israel, adeo ut videretur eam omnino depasturum, et intellexissem a Deo per hoc significari, quod exercitus Phul et Assyriorum plane expilaturus et vastaturus esset terram Israel, dixi ego Amos, tantam Israelis vastitatem futuram praevidens, et ingemiscens: DOMINE DEUS PROPITIUS ESTO, OBSECO, miserere Israelis tui ita attingendi, et atterendi, eiusque expilationem et stragem tantam averte. Causam subdit: QUIS SUSCITABIT IACOB, QUIA PARVULUS EST? Parvulus, scilicet primo, numero, id est, paucus; secundo, robore, quia infirmus et invalidus; tertio, opibus, quia pauper et miser. Sensus est: Quis eriget Iacob, id est, Israel, si permittas Phul cum atterere, exhaurire et accidere? q. d. Ni-

si avertas o Domine hasce strages Phul, populus Israel ab eo ita accidetur et minuetur, ita fiet parvulus, id est, paucus, et modicus, ut instaurari nequeat, sed intereat et pereat. Ita S. Hieron. Dicit, *parvulus est*, non quod iam esset: nam iam Israel per vires et arma Ieroboam recreverat; sed *est*, ponitur pro *erit*. Dicit tamen *est*, quia in symbolo locustarum terram depascentium, iam eum parvulum, id est, certo expilandum et atterendum videbat Amos.

Vers. 5. MISERTUS DOMINUS, DIXIT: NON ERIT.) Hæc plaga locustarum quam vidisti, q. d. Ego exoratus tuis et aliorum Prophetarum precibus, plagam hanc a me comminatum revoco, faciamque ut non veniat locusta, id est, Phul, qui vastet terram Israel. Ita contigit: quia vastationem imminem avertit et redemit Manahem rex Israel, dando Phul mille talenta argenti, uti superius dixi. Hic verum est illud Themistocles apud Plutarch. in Apophtheg. *Periissemus pueri, nisi perissemus*. Perditus enim ad Deum confugiens, ab eo salutem et omne bonum impetrat; uti impetravit Themistocles exul et profugus a Nerxe rege Persarum, nuper hoste suo, cum eis opem implorans, ab eo magnis donis ornatus et ditatus est. Ita hic perditio Israelis prævisa a Propheta movit eum ad ardentem precem, quibus illi veniam opemque ac dona Dei conciliavit.

Vers. 4. HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS. Hæc est secunda ostensio Dei, et visio Prophetæ, qua vidit Deum iudicem mittere ignem in terram Israel, qui prius abyssum, id est, molem magnam aquarum, absumpsit; deinde partem terræ selectam; ac pari modo reliqua omnia combussisset, nisi Amos precibus suis iram ignemque Dei stitisset et repressisset. Hoc est enim quod ait: ET ECCE VOCABAT IUDICIUM AD IGNEM DOMINUS.) Arabicus, *vocavit in iustitia ignem*; Syrus, *vocavit ad iudicandum in igne*, per ignem. Sic et Septuag. Est prosopopœia; tribuit enim Deus hic iudicio personam quasi iudicis, aut lictoris, q. d. Deus iudicium, id est, sententiam suæ condemnationis et ultionis quasi iustum vindicem mittet ad ignem, quasi ad tormentum, ut scilicet ignem excitet, eoque consumat terram Israel; et devoret abyssum multam; Tigurina, *abyssum profundam*; Pagnin. *voraginem magnam*, id est, populi, domorum et opum immensitatem; et partem, id est, portionem selectam et hereditariam: unde et Chald. vertit, *hereditatem*, q. d. Deus sæpius variis suppliciis corripuit Israelitas, at eum vidit illos non respicere, decrevit tandem rem ad ignem reducere, et obduratos concremare. Ita Emmanuel, Mariana et alii.

Secundo, Hebr. לריב לרית, sic verti potest eum Tigrina et Aria, *et ecce vocans ad litem*, vel *ad iurgium in igne Dominus*, q. d. Deus iudicem citavit, et in ius ad suum tribunal vocavit terram Israel, provocans ad ignem; atque illi litem intendit, ut ageret eam ream ignis, et ad incendium damnet. Tertio, Vatab. vertit, *et ecce vocabat Dominus ad litigandum eum igne*, q. d. Vocabat Dominus ad sese angelos ministros iustitiæ suæ, ut iudicio suo damnatos plecterent igne, hoc est incendio magno abyssum multam, id est, multam terræ regionem, et partem, scilicet regionum pratorum, absumerent.

Quæres, quodnam fuit hoc iudicium ignis? Resp. Lyran. et Vatabl. Deum immisisse in terram Israel ignem proprie dictum, aut, ut alii, ingentem solis ardorem: qui abyssum, id est, mare Galilææ siccaret, ac magnam frugum fructuumque partem torreret et perderet. Tale fuit incendium quod sub Phaethonte rege contigit tempore Moysis, uti notat Enseb. in Chron. de quo multa fingunt et fabulantur Poetæ.

Audi Ciceronem libr. 2. Officior. *Phaethonti*, inquit, *filio Sol facturum se esse dixit quidquid optasset, optavit ut in currum patris tolleretur: sublatus est; atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagavit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum? Hinc dicitur est Phaethon 270 78 285, id est, a luce, et ab eo, id est, urō, ait Servius in illud Æneid. 5.*

*Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant.*

Et Ovid. 2. Metamorph. fuse fabulam enarrans ait:

*Tunc vero Phaeton cunctis e partibus orbem  
Aspicit accensum, nec tantos sustinet æstus:  
Et mox arbitrio volucrum raptatur equorum.  
Sanguine tum credunt in corpora summa vocato  
Æthiopa populos nigrum traxisse colorem.  
Tum facta est Libye raptis humoribus æstu  
Arida.*

*Arsit et Euphrates, Babylonius arsit Orontes.*

*Æstuat Alphæus, ripæ Sperchiades ardent:*

*Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.*

Et inferius Iovem fulmine afflantem Phaethontem ita pingit:

*Intonat, et dextra libratum fulmen ab aure*

*Misit in aurigam, pariterque animaque rotisque*

*Exiit, et sævis compescuit ignibus ignes.*

*At Phaethon rutilos flamma populante capillos*

*Volvitur in præceps, longoque per æra tractu*

*Fertur.*

Hoc est quod pater ei prædixerat;

*Phaethon pœnam pro munere possis.*

Secundo, Arias per ignem accipit pestem, quam ait Deum immisisse Israeli, quæ abyssum, id est, magnam populi multitudinem, et partem optimatum et principum absumperit.

Tertio, S. Hier. Remig. Rupert. Hugo et Ribera, censent post cladem decem tribuum prima visione Amos præsignificatam, hæc secunda eius visione præsignificari cladem duarum tribuum, et excidium ac incendium Hierosolymæ infligendum a Nabuchodonosor et Chaldæis: nam c. præced. v. 1. et 12. significavit Amos, se non tantum contra Samariam et decem tribus, sed etiam contra Sionem et duas tribus prophetare. Hæc enim devorantur abyssum, id est, ingentem populi multitudinem et opum, quæ erat Hierosolymæ (ipsa enim erat quasi abyssus et oceanus hominum) ac partem, id est, templum: hoc enim erat pars et hæreditas Dei, æque ac urbis sanctæ. Sed huic expositioni obstat. Primo, quod hoc capite directe contra decem tribus, non contra duas vaticinetur Amos, uti ostendi v. 1. Secundo, quod Amos orans hanc cladem precibus suis averterit: constat autem eum non avertisse excidium Hierosolymæ. Hoc enim de facto contigit, urbiq; ipsa inflicium est. Diees, Amos suis precibus impetravit, ut hoc excidium sarciretur, scilicet ut Iudæi post 70. annos Babylone redeuntes restaurarent Ierusalem. Resp. id non sufficit. Nam Deus flexus precibus Amos, dixit: *Sed et istud non erit*; quæ verba significant plagæ non restorationem, sed omnimodam cessationem et revocationem, q. d. Plaga hæc a me comminata non eveniet, retinebo eam, ignem quem comminatus sum, non immittam.

Quarto ergo et genuine, iudicium hoc ignis in Israel exercuit Deus per Theglathalasar regem Assyriorum, qui post Phul quasi ignis ingenti ardore et ferocia invasit Israelitas, atque abyssum multam, id est, innumeram turbam populi, puta tribus Ruben, et Gad, ac dimidiam tribum Manasse humiliore loco trans Iordanem, quasi in abysso sitas, insuper partem illam insignem Israelis eis Iordanem positam, puta tribus Nephthalim, Aser et Zabulon, abduxit in Assyriam, 4. Reg. 15. 29. qui reliquas omnes pariter abduxisset, ac Samariam cum regno Israel evertisset, ni Deus flexus precibus Amos eius ardorem inhibuisset, ac reliquias Israelis conservasset: ita a Castro.

Mystice, Christus iudex vocabit iudicium ad ignem, id est, ignem ad iudicium per hypallagen, ut ignis quasi lictor ipsi in die iudicii assistat, et damnatos ab ipso comprehendat, et convolvat in tartara, iuxta illud psal. 96. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius*. Et psal. 49. 3. *Ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas valida*.

Audi S. Gregor. 33. Moral. cap. 6. *Iudicium*, ait, *ad ignem vocatur, cum iustitiæ sententia ad pœnam iam æternæ condemnationis ostenditur. Et multam abyssum devorat, quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub signorum*

*miraculis occultant. Pars autem domus Domini comeditur, quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur.*

Vers 7.

**HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS.**) Est hæc tertia huius capituli visio, qua propheta videt Deum quasi cæmentarium stare eum trulla in manu, qua murum Israelis oblinere et inerustare solebat, pertæsum iam scelerum Israelis, deponere trullam, ut significet se eam et tutelam Israelis, qua eum suis legibus, fide et cultu quasi muris, quos sua ope et defensione quasi trulla et calce oblinere et roborare solebat, ob eiusdem idololatriam et erimina deponere et abicere; itaque eum resignare, et tradere Assiriis, qui eum ferro flammaque vastent: ita S. Hieron. Remig. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera, Fernandus in vision. c. 32. et alii. Ubi Nota, maxime Dei iræ pœnæque signum esse, eum ipse a republ. vel ab anima cuiusque abit, eam deserit et derelinquit: hoc enim ipso tradit eam hostibus, utpote quibus illa sine Dei auxilio resistere nequit.

**SUPER MURUM LITUM.**) Ideoque pulchrum aspectu, et firmum robore. Hinc et Aquila, ait S. Hieron. vertit ἀνερωσις, id est, stagnaturam, vel inunctionem, aut illituram, qua murus stagnatur, id est, inungitur, illinitur, inerustatur a cæmentario per trullam. Theodotion vertit, τερρομένης, id est, tabescentem. Hinc et Rupertus putat, Amos hic prædicere excidium Hierosolymæ per Titum et Romanos. Verum obstat quod sequitur: *Et demolientur excelsa idoli.* Tempore enim Titi Iudæi non coluerunt idola. Agit ergo Amos de exidio Samariæ, post quinquaginta circiter annos futuro sub Osce, anno sexto Exechiæ regis Iuda.

Nota. Murus litus est qui calce illinitur et inerustatur, non tantum ut sit elegantior, sed etiam, idque magis, ut perseveret firmior contra nimbos et procellas. Muri enim male illiti procellis quassantur, funduntur, et tandem in ruinam eunt, iuxta illud Ezech. 13. 11. *Die ad eos qui linunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans.* Trulla est instrumentum quo fabri lapides in fabrica componunt, ac calcem e vase hauriunt, et muro iniiciunt illinuntque. Murus ergo illitus trulla Dei, significat Israelæm dum a Deo oblinebatur et inerustabatur, id est, tegebatur, roborabatur et protegebatur, stetit integrum et invictum contra omnes hostium insultus. Porro trulla in manu Dei stantis super, id est, iuxta, prope (sic enim dicitur Lucæ 4. 38. *Stans super,* id est iuxta, illam, imperavit febrî) murum, significat pervigilem iugemque Dei in tuendo Israele eamque ac providentiam. Sicut enim cæmentarius eum trulla astat parieti, ex quo pluvia calcem deiecit, ut damna ruinasque omnes impacta trulla sarciat: ita pariter Israeli ab olim huc usque astitit Deus; sed iam offensus, et quasi desperans de restauratione tam ruinosi muri, id est, Israelis, ponit abiecitque trullam suæ eamque et protectionis, sinisque eum ruere in interitum. Unde ait, *Non adiciam ultra superinducere,* superlinere trulla et inerustare. Hebr. *non adiciam ut pertranseam eum,* scilicet eum oblinendo, sarciendo et roborando, q. d. Non pertransibo illum impune, sed puniam et occidam eum. Sic enim ait cap. 8. 5. *Non adiciam ultra ut pertranseam eum.* Deus enim sua clementia, condonatione et gratia, quasi calce oblinet tegitque peccata, iuxta illud psal. 31. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecla sunt peccata;* hebr. *Beati dimissi pravariatione, et tecti, vel operati peccato.* Cum vero Deus calcem et trullam ponit, sinit peccata eum peccatoribus quasi aperta et hiantia, ut pateant pluriæ et nimbis, id est, divinæ vindictæ ac hostibus, a quibus deieciuntur et aguntur in ruinam. Ita hic Deus ponens trullam Israelis, hoc ipso eum tradidit Assiriis. Significatur ergo hæc depositione trullæ, ultima Israelis derelictio et strages; ac extremum excidium illi infligendum a Salmanasar anno 6. Exechiæ regis Iuda. Unde symbolice Clarius, per trullam et calcem accepit flagella et clades Israeli impactas a Deo, ut respisceret, et rectus in fide cultuque Dei consisteret. Has iam deponit Deus, quia eum ob-

duratum et impenitentem statuit omnino deserere, et hostili ferro ignique tradere et resignare.

Secundo, pro trulla hebr. est אַנַּח anach, quod hic tantum reperitur. Rabini et hebraizantes moderni vertunt, *perpendicularum plumbeum,* vel stanneum, aut *normam* et *amussin,* ad quam fabri edificare solent, ut recta, æqualis et commensa sit fabrica et muri: ita R. David, Lyran. Pagnin. Arias, Vatabl. unde vertunt, *ecce Dominus stans super murum perpendiculari, et in manu eius perpendicularum;* vel, ut Tigurina, *ecce Dominus constitit super murum ad normam extractum, et habebat normam in manu sua.* Quod eodem sensu, quem iam de trulla dedi, accipi potest, q. d. Dominus ponit, id est, deponit, perpendicularum, ad quod edificare et restaurare solebat murum Israelis, hoc est, Dominus deponit reip. et regni Israelis eam, sinisque illud ruere. Alii tamen, ut Vatabl. et Arias, per perpendicularum accipiunt Dei iudicium, et iustitiæ vindictæ mensuram, q. d. Deus pro circulo et curvatura suæ misericordiæ, applicuit Israeli perpendicularum suæ iustitiæ, ut eum ex æquo pro sceleribus puniat, ut deinceps non misericorditer ei pareat, sed iuste eum plectat. Unde Chald. vertit: *Ecce Dominus consistit super murum iudicet, et coram illo erat iudicium. Et dixit Dominus: Quid tu vides Amos? et respondi, iudicium. Dixit ergo Dominus ad me: Ecce ego iudicium exercebo in medio populi mei Israel, non addam ultra ut dimittam eis.*

Tertio, Symmach. Syrus et Septuag. pro trulla hebr. anach, vertunt, *adamantem,* Aiant enim, et stabat super murum adamantinum, et in manu eius adamas. Et dixit Dominus ad me: *Ecce ego impono adamantem in medio populi mei Israel.* Hebr. enim anach nonnulli deducunt a radice אָנַח naacha, id est, percussit, ut anach sit idem quod percussor, qui scilicet alia omnia percutit et confringit, ac a nullo alio percutitur et confringitur, qualis est adamas. Hinc adamas symbolum est duri iudicii, ac rigidæ, irrevocabilis et inevitabilis vindictæ, æque ac perpendicularum, de quo iam dixi. Idem significat sartago ferrea, quam vidit Ezechiel c. 4. 3. scilicet firmum Dei decretum evertendi Ierusalem. Hoc enim opponit hic Israeli in sceleribus suis obfirmato et obdurato. Unde Arabicus Alexandrinus vertit. *Ostendit quasi hominem stantem super arcem de lapide adamantino, et in manu eius lapis ex eo; et ego proieci hunc lapidem in medio populi mei Israel, et non addam requirere eum et peribit subsannatio.* Quare mirum est Arabicum Antiochenum pro adamaute vertere legem, sensumque dare contrarium. Sic enim vertit: *Et ecce ipse murus stans super respicientes. Et dixit mihi Dominus: Quid est hoc quod vidisti? Et dixi: Est lex. Et dixit Dominus mihi: Ecce ego confirmo legem in medio populi Israel, et non adiciam declinare ab eo.*

Adamas symbol. est Dei decretum rigidum.

Sensus ergo est, q. d. Etiamsi animus, æque ac murus Israelis et Samariæ, sit durissimus et adamantinus, ego tamen ut adamas longe durior et fortior, eum confringam et conteram. Significat ergo adamas, cuilibet potentiae etiam adamantinæ oppositam Dei omnipotentiam et vindictam quovis adamante fortiorem, iuxta illud Zachar. 7. 12. *Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba, etc. et facta est indignatio magna a Domino exercituum, etc. Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, et terra desolata est:* ita Fernandez in Vision. cap. 33. Simili modo Ezechiel cap. 3. 7. eum audisset a Deo: *Domus Israel attrita fronte et duro corde est, audit illio: Ecce dedi faciem tuam valentiorē faciebus eorum, et frontem tuam duriorē frontibus eorum: ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam.* Malo enim nodo malus quærendus est cuneus, et mens ac facies adamantino malleo contuendenda est: ita Theodor. Rursum, adamas significat rigidus, et ad misericordiam inflexiles sævosque Assyrios: hos enim imposuit Deus Israeli quasi malleos adamantinos, ut eum contunderent. Sic Ovidius l. 4. Metamorph. dicit inferni aditus clausos esse adamante, vel, ut Virgil. 6. Æneid. columnis adamantinis: et Statius l. 7. regias Martis fores obserat adamantem: ac Horatius Marti dat loriceam adamantinam, id est.

invictam et omnia vincentem. Vide quæ de adamante dixi Ezech. 3. 9.

Audi et S. Hieron. hic ex Xenocrate: *Adamus, ait, sui nominis lapis est, quem nos indomitum possimus oppellare, eo quod Primo, nulli cedat materia, ne ferro quidem. Nam si ponatur super incudem, et gravi ictu feriat mallei, antea incus et malleus vulnus accipiunt, quam adamus conteratur. Secundo, Cum ignis omnia domet, et universa metalla consumat, reddit adamantem duriores, ut ne parvulum quidem angulum vis nimii ardoris obtundat. Tertio, Vidi et in auro adamantem magnitudine milii, cumque vicinum consumatur aurum longo usu ac nimia vetustate, solus adamus non atteritur. Quarto, Nulla lima immitti potest, sed e contrario limam terit, et quidquid atterit lineis sulcat. Quinto, Hic lapis durissimus et indomabilis, solo hircorum cruore dissolvitur, et missus in calidum sanguinem perdit fortitudinem suam (hoc tamen alii negant, ut dixi Ezech. 3.) Sexto, Est autem parvus et indecorus, ferrugineum habens colorem, et splendorem crystalli. Septimo, Quatuor adamantis genera describuntur: primus est Indicus: secundus Arabicus: tertius Macedonicus: quartus Cyprius, pro qualitate regionum plus vel minus duritiam possidentes. Octavo, Dicitur quoque in electri similitudinem venena deprehendere, et maleficis resistere artibus. Deinde hæc symbolice applicans Christo: *Talis, ait, est Dominus et Salvator, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, etc. factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. De quo Isaïas scribit c. 53. Non est species illi, neque decore: vidimus eum, et non erat pulchritudo: despectum et novissimum hominum, virum dolorum, et scientem ferre infirmitatem. Hic stat super murum adamantinum, id est, super Sanctos et Apostolos suos, quibus donavit ut et ipsi adamantes vocarentur, et a nullo superati dicerent: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Petrus quoque qui erat fortissimus adamus, portæ inferorum non prævalerunt adversus eum (hæc de causa Pontifices Romani gestant crucem ex adamantem, ut moneantur crucis Christi et S. Petri, ac utriusque fortitudinis adamantinæ, eamque imitentur) Hic vir et Dominus qui stat super murum adamantinum, habet in manu sua adamantem, quia nisi Dei teneatur manu, et illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Evang. Ioan. 10. Nemo potest rapere de manu patris mei. Et in tantum robustus est, ut dicatur ad eum: Si transieris per ignem, flamma non comburet te, Isaïæ 45. quantoque magis tentationibus exditur, tanto fortior sit, et pro nomine Salvatoris inter flagella laturus. Cumque a nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissolvitur. Hæc enim sanguinis hircorum et ipsius hirci dicitur esse natura, ut sit ad libidinem calidissimus, et quod ignis edomare nequeat, solus illius dissolvat cruor. Ponit ergo Dominus huiusmodi adamantem in medio populi sui Israel, etc. ut omnia hæreticorum mysteria, domumque Ieroboam, qui primus populum Dei separavit, percussit gladio atque subvertat.**

Hactenus S. Hieron. quem secutus Viegas in c. 12. Apoc. comment. 1. seet. 2. Adamus, ait, est Christus in manu Patris: murus adamantinus est Ecclesia, super quam est Christus. Pater ergo Christum quasi adamantem in medio Gentium ac principum misit, quem tamen nulla potentia frangere unquam potuit, quam invictam fortitudinem ipse muro adamantino, id est, Ecclesiæ suæ communicavit, dicens S. Petro Ecclesiæ capiti: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. 18.*

Vers. 9. **ET DEMOLIENTUR,** (passive, et active, id est, destruentur et destruent, Assyrii,) **EXCELSA IDOLI.** ) *Excelsa, in-*

**A** tellige sana, et altaria idolis dicata, in quibus iis sacrificabant, Hebr. *excelsa Isaac; Isaac*, id est, Israelis, sive populi Israel, qui ab Isaac et Iacob, prognatus est: ita Vatabl. vel, ut Clarius et R. David, dicuntur *excelsa Isaac*, quod in iis ad similitudinem et inemtorum Isaac a patre Abrahamo immolati, filios suos idolis, uti Moloch immolarent et coneremarent. Melius Septuag. Arabicus, et Syrus *excelsa Isaac*, vertunt, *altaria risus*, vel derisionis (Isaac enim hebr. risum significat, et a risu nomen accepit: quia nascens risum et gaudium ingens sterilibus parentibus attulit) id est, ridicula et deridenda, hoc est, *excelsa idoli*, ut vertit Noster. Idola enim hebr. vocantur *aven*, id est, res vanæ, leviculæ, ludicræ; et *clilim* id est, deiculi, sive dii leviculi et ridiculi. Sic Jerem. c. 10. 15. *idolum vocat opus risu dignum. Et c. 51. 18. Vana, ait, sunt opera (sculptilia idolorum) et risu digna. Quid enim magis ridiculum, quam inanime idolum ex ligno, ære vel auro manu hominis efformatum, æstimare et colere ut Deum, ut Numen, quod omnia cognoscat, creet, gubernet?* vide Baruch toto c. 6. Aliter Theodor. censet enim *aras risus* dici, quod idololatræ apud eas conviviis, hilaritati, risibus, cantibus et lusibus vacarent, iuxta illud Exodi 32. 6. *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.*

**B** **ET SANCTIFICATIONES ISRAEL DESOLABUNTUR.** ) *Sanctificationes*, hebr. *מִקְדָּשׁ mikdesce*, id est, *sanctuaria*, puta templa vitulis aureis in Dan et Bethel, aliisque urbibus consecrata: quæ enim paulo ante vocavit *excelsa idoli* ab obiecto, hic a subiecto vocat *sanctuaria Israel*: ita Lyran. Vatabl. Arias et alii: licet Septuag. vertant, *sacrificia*, Chald. *sacra*: Remig. Hugo et a Castro intelligunt ipsa idola, puta ipsos vitulos aureos. Verum Hebr. *mikdesce* proprie significat *sanctuaria*, id est, templa. Significat ergo, Assyrios combusturos templa vitulorum et idolorum Israelis, in quibus Deum ad iram et æmulationem provocaverat.

**C** **ET CONSURGAM SUPER DOMUM IEROBOAM IN GLADIO.** ) q. d. Trucidabo posteros Ieroboam, eiusque stirpem regiam excindam. Ieroboam hic non est filius Nabat, auctor regni, schismatis et idololatriæ: sed alter eodem nomine, filius Ioas, nepos Iehu, pater Zachariæ. Id ita contigisse, patet; nam Zachariæ filius Ieroboam, occisus est a Sellum, qui regnum ab eius familia ad suam transtulit, 4. Regum 15. 13. uti Iehu eius proavo interminatus erat Deus, 4. Reg. 10. 30. ita S. Hier. Remig. Albert. Lyran. et alii. Quare minus recte, et nimis ample Theodor. per *domum Ieroboam* accipit totum regnum Israel, q. d. Regnum Israel cum suo rege Osce excindam per Salmanasar, anno 6. Ezechîæ regis Iuda. Nam Osee ultimus rex Israel, non fuit e domo et stirpe Ieroboam. Hæc enim iam succisa erat in ultimo ex ea rege Zacharia.

**D** **ET MISIT AMASIAS SACERDOS BETHEL AD IEROBOAM.** ) Vers. 10. Amasias pontifex idolorum, puta vitulorum aureorum in Bethel, timens ne populus Israel oraculis et minis Amos percussus idola abiceret, et cultum veri Dei amplecteretur, itaque sibi oblationes et victimæ vitulis offerri solitæ decederent, ipseque pontificatu, forte etiam vita, privaretur; tamquam pseudopontifex et pseudopropheta: hæc de causa accusat Prophetam Amos apud Ieroboam regem, tamquam seditiosum et regni perturbatorem, quasi qui populum a Ieroboam avocare, et ad sceptrum Iuda traducere et revocare moliretur. Ita faciunt hodie hæretici, et politici in Anglia, Hollandia, Bohemia, etc. qui Catholicos et sacerdotes insectantur, eosque apud Magistratus accusant et calumniantur, reosque perduellios agunt, quasi qui prætexta religionis reges et principes solio suo deturbare, aliosque reges et principes Catholicos inducere moliantur, et ad id plebem sollicitent. *Rebellavit, inquit, contra te, novus hic Amos, et ut Septuag. συνέστασεν, id est, congregationes et coniurationes facit contra te: omnes enim congregationes ad verbum Dei, et ad Missæ sacrificium, æstimant esse coniurationes contra magistratum et statum politicum.*

**HÆC ENIM DICIT AMOS: IN GLADIO MORIETUR IERO-** Vers. 11.



BOAM.) Mentitur pseudopropheta. Non enim dixerat Amos: *In gladio morietur Ieroboam*: sed, *Consurgam super domum Ieroboam in gladio*, scilicet occidendo, non ipsum Ieroboam, sed eius filium Zachariam, ut dixi v. 9

Vers. 12

ET DIXIT AMASIAS AD AMOS.) Cum videret Amasias pseudopropheta, regem Ieroboam suis criminationibus contra Amos non moveri, eumque ut Prophetam habere ac revereri, aggreditur ipsummet Amos, leni oratione et adulatione suadens ei, ut relicta Bethel transeat in Iudam: Noli, ait, mihi hanc facere iniuriam, cum ego tibi non sim iniurius: noli invadere parochiam et diocesim meam, ego non invado tuam: noli populum meum a me avocare, ego non avoco tuum. Ego Pontifex et Propheta sum in Israel et Bethel: tu ex Theeva urbe Iudæ oriundus Iudæus es; vade ergo ad tuos Thecuitas, age Prophetam in Iuda: nil tibi cum meis Bethelitis. Hoc est quod sequitur:

QUI VIDES, id est, o videns, o Propheta Amos, FUGE IN TERRAM IUDA.) q. d. Ego tamquam amicus tibi amico suadeo fugam, quia in Bethel et Israel, utpote urbe et regione idolorum, rex ipse, cæterique omnes idololatræ tibi parant insidias, necemque machinantur. In Iuda vero securus eris, ac in pretio et honore habebis, utpote Propheta Domini.

COMEDE ERGO IBI PANEM.) Id est, ibi exerce munus prædicandi, ex coque alimoniam et lnerum capta, uti ego capto in Bethel, q. d. Quiete et laute ibi vive ex tua prophetia, ac sine me pariter in Bethel pacifice et splendide vivere ex meo sacerdotio, oblationibus et victimis idolorum; nec mihi hanc ollam tam pinguem e faucibus cripias: ita S. Hieron. Remig. et Lyran. Addit Arias, q. d. Fuge in terram Iuda, ut ibi habeas panem, ac evadas famem quam Israeli obventuram vaticinatus est.

Vers. 13.

ET IN BETHEL NON ADICIES ULTRA UT PROPHEETES, QUIA SANCTIFICATIO, hebr. מִקְדָּשׁ *mikdas*, id est, sanctuarium, REGIS EST, ET DOMUS REGNI EST.) q. d. Bethel est locus sanctus dicatus vitulis aureis, in quo rex habet suum palatium, æque ac templum et basilicam, in quo eodem colit, quod est quasi domus sacra et fanum totius regni, ad quod orationis et sacrificii causa confluant omnes Israelite ex toto regno decem tribuum. Bethel ergo est locus sacer, quem rex suis idolis sibi que segregavit et sanctificavit. Si igitur videat ipse et populus te contra illud illiusque Deos vaticinari, plane metuendum est, ne capiat et occidat te. Quare consule tibi, et migra ex Bethel in Iudam: ita Remig. Albertus et Arias. Nota. Tempa a regibus in palatio, vel iuxta palatium, aut alibi, pro toto regno regio sumptu et magnificentia ædificata, diætæ sunt basilicæ, q. d. Regales, scilicet domus et delubra; βασιλικὸς enim Græcis est rex. Ita Constantinus Romæ palatium suum Lateranum in templum convertit, indeque vocata est Basilica Lateranensis, et Constantiiana.

Secundo, Bethel erat sanctuarium regis: quia a Ieroboam filio Nabat, primo rege Israel, in Bethel erecti sunt vituli aurei, cisque templum erectum 3. Reg. 12. 32. ita Lyran. et Arias.

Aliter S. Hieron. per regem enim accipit Deum, puta Baal, sive Iovem, qui est *Rex hominumque Deumque*, q. d. Bethel regi, id est, Baal, est sacra et dicata, ne ergo in illam Deum Iuda, utpote alienum et contrarium, coucionando inducas.

Vers. 14.

RESPONDITQUE AMOS, etc. NON SUM PROPHETA.) Septuag. *non eram Propheta*, scilicet ex arte, instituto et professione mea, q. d. Officium meum non est prophetare, sed pascere armenta: Dominus tamen ab iis me abripuit, ut hæc vobis prophetem et annunciem, quo peracto rursum rediturus sum ad mea armenta. Alii enim Prophetæ, sive prædicatores, a puero vel a Deo, vel a parentibus, vel ab aliis Prophetis et prædicatoribus instituebantur et docebantur prophetare, id est, prædicare. Amos vero a nullo fuerat institutus, nullas eiusmodi scholas frequentarat, sed ab armentis subito raptus est a Deo, factusque Propheta: ita S. Hieron. Albert. et Arias. Aliter S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 41. Remigius et Hugo: pu-

tant enim eo tempore quo dixit hæc Amos, recessisse ab eo spiritum prophetiæ, ut vere dixerit Amos, *Non sum Propheta*, id est, nunc non habeo, non sentio spiritum prophetiæ. Hic enim spiritus per intervalla Prophetiæ corripiebat, docebat, movebatque ad prophetandum; non enim erat permanens et stabilis, sed transiens et abiens. Verum de hoc non agitur hic: nec enim Amasias postulabat ab Amos, ne hoc instanti, sed ut deinceps nunquam amplius prophetaret in Bethel contra vitulos aureos. Prior ergo sensus genuinus est, cui adde Secundo: *Non sum Propheta*, q. d. Ex arte prophetandi non vivo, non aucupor lucram, ut tu facis Amasia, quia vivo ex meis armentis: ita Sanchez. Tertio, alii, q. d. *Non sum Propheta*, vestitu et habitu, quia vestitum memi rusticianum ut rusticus retineo. Prophetæ enim proprium habebant habitum, puta saccum et cilicium, Zachar. 13. 4.

SED ARMENTARIUS EGO SUM.) Puta pastor boum, camelorum, mulorum, equorum, et similibus maiorum animalium. Hæc enim vocantur armenta, quia idonea sunt ad opus armorum, ait Festus: vel, ut valla, ab arando, quasi aramenta, indeque per erasin armenta. Unde Aquila, Symmachus, et Theodotus vertunt, βροτοίς, id est, ut Arias, *bubuleus*, unde Bucolica vocantur carmina ruralia pastorum apud Virgilium. Hoc enim proprie significat Hebr. בֹּקֵר *boker*, a rad. בָּקַר *bakar*, id est, bos, q. d. Boum custos. Secundo, Septuag. vertunt, αιπόλιος, id est, *caprarius*, sive pastor caprarum: S. Hier. *opilio*, id est, *pastor ovium*, ut vertit Arabicus, qui addit, *et agricola*. Nam mox ait Amos: *Et tulit me Dominus eum sequerem gregem*, hebr. הִצִּינֵנִי *hatson*, id est, oves, vel capras. Grex enim proprie est ovium, caprarum, porcorum, et similibus minorum animalium: ita S. Cyrill. præfat. in Amos: *Amos*, ait, *fuit opilio, pastoritis moribus, et institutis educatus*. Et Nazianzen. orat. 25. *Quid ait Amos: nonne caprarius erat, morosque carpebat, eum Prophetæ illi delegatum est munus? Hinc patet Amos et bubuleum fuisse, et caprarium, et opilioacem*. Nec id mirum: solent enim bobus et vaccis immisceri capræ et oves, cum iisque ire ad campos pabulatum. Unde Ovid. 4. Metam.

*Mille greges illie, totidemque armenta per herbas Pascabant.*

Et Virgil. 3. Georg.

*Hæc satis armentis; superat pars altera curæ, Lanigeros agitare greges, hirtasque capellas.*

Porro officio Amos apte respondet eius nomen: radix enim אָמַם *amas*, significat onerare: inde Amos, ait S. Hieron. epist. ad Paulinum, idem est quod *onustus*, scilicet gregibus; vel *onerans* et exonerans, scilicet boves et armenta.

Moral. discere hic, Deum eligere infirma et stulta mundi, ut in eis ostendat suam sapientiam et potentiam, ac per ea confundat sapientes et potentes mundi. Ita elegit pauperes, rudes et viles Apostolos, per quos fidei suæ totum subegit orbem. Ita S. Ioannes Baptista secutus humilitatem et verba Amos, negavit se esse Prophetam, dicens se meram esse vocem: *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*, Matth. 3. 3. Quocirca a Christo meruit vocari plusquam Propheta, lucerna ardens et lucens, hominibus maior, par angelis, imo angelus, Matthæi 11. v. 9. 10. 11.

Pulchre S. August. serm. 59. de Verbis Domini: *Veni, ait, tu pauper, nihil habes, nihil nosti? sequere me, tam largo fonti vas inane admovendum est*. Et S. Hier. Quia, ait, Amos humiliavit se dicens, *Non sum Propheta*, sed armentarius, hinc meruit illico spiritu prophetico donari contra ipsum Amasiam, cui dura ex Deo supplicia libere intentavit. Hic verum est istud psal. 8. 3. *Ex ore infantium et lactentium (rusticorum et rudium instar infantium) perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem*.

VELLICANS SYCOMOROS.) Sic et Theodot. et Septuag. Id tripliciter accipi potest. Primo, q. d. *Vellicans*, id est, vellendo evellens et decerpens folia sycomororum, easque defrondans, ut earum frondibus pascam mea pecora: ita

Amos fuit armentarius et opilio.

Remig. Albert. et Hugo. Tria, inquit Servius in 1. Aeneid. sunt frondatorum genera: *Frondator*, qui arbores amputat, et qui e frondibus manipulos facit hiemis tempore, animalibus ad pastum offerendos: et qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat. Secundo, *vellicans*, id est, avellens et colligens ipsos fructus sycomororum, puta ipsa sycomora, ut iis vescar: ita Paguin. et Tigur. Unde aliqui Hebr. בולם *boles*, vertunt *comportator*, collector sycomororum, quasi *boles* per metathesin idem sit quod סובל *sobel*, id est, portans, comportans. Hinc Aquila vertit, ερευνων σικκομορος, id est, scrutans sycomoros; Symmach. ελω σικκομορος, id est, sycamina, vel sycomoros. Tertio et proprie, *vellicans*, id est, unguibus ferreis incidens et scalpens sycomora, et, ut Hesychius ait, *pungens*, ut matura fiant: sycomora enim, quia dura æque ac amara admodum sunt, incidi scalpique solent, ut a sole penetrentur, maturescant et dulcescant, teste Theophrasto, Athenæo et Dioscoride lib. 1. c. 144. alioqui a culcibus corrumpuntur, ait S. Hieron. idque ad hoc, ut iis vescantur tum boves mei, inquit Vatabl. tum ego ipse, q. d. Ego non propheto spe panis et lucri, ut tu facis o Amasia, sed sycomoros agrestibus contentus victito. Hæc mihi ad victum sufficiunt: quocirea mensis et bursis alienis non inhio, ut tu.

**SYCOMOROS.** ) *Sycomorus*, vel inverse *morosycus*, aut fœminine *sycomorea*, diæta est a σικκ, id est, ficus, et μορος, id est, morus, eo quod arbor hæc ficui similis sit fructu, moro vero foliis: aut a μορος per ωmega, id est, fatuus, q. d. Ficus fatua, quod insipidi et fatui saporis sit. A Plinio l. 13. 7. vocatur *ficus Ægyptia*, quod in Ægypto sola reperitur, inquit ipse, sed fallitur. Nam, ut alia taceam, frequens erat hæc arbor in Iudæa, ut patet ex hoc loco et aliis; erebra enim huius mentio est in Script. Porre sycomororum ex Galeno, Dioscoride. Theophrasto, Celso, Plinio, ita describit Ruellius lib. 4. de Stirpib. c. 79. *Est arbor amplissima ficus similitudine, largo succo, foliis moro quam proximis. Fructus ex argumnto gustus ignavi cognominis, ternos aut quaternos anno fundit, eosque non ramis ut ficus, sed caudice ipso gerit, similes caprificis, dulcioresque grossulis, hoc est, primitivis in fico pomis, sine granis interioribus. Nec maturescunt aliter quam scalpendo ferreis unguibus, magno procentu eorum in Caria et Rhodo. locisque prorsus parum tritici feracibus, populis in annonæ caritate pro pane frumentoque satisfaciunt. Tam restibilis pomi eius ubertas et copia est. Pomum ventri quidem amicum, sed minimam præbet alimoniam.* Hebraice vocatur שקק *seckem*, in plurali *seckamin*: inde Septuag. et Theodot. vertunt σικκομορος, et Latini sycaminus. Porro S. Hier. censet per *seckem* hoc loco Amos non significare sycomororum, sed mora quæ in rubis crescit: *Nobis*, ait. *(quia solitudo in qua morabatur Amos, Thecæ, nullam huiuscemodi gignit arborem) magis videtur rubos dicere, qui afferunt mora, ac pastorum famem et penuriam consolantur.* Verum omnes alii, quin et ipse S. Hier. alibi passim, Hebr. *seckem* vertit morum, vel sycomororum. Videtur ergo, quod Thecæ tempore Amos abundarit sycomoros, sed iis vel excisis, vel arefactis earuerit tempore S. Hieronymi. Sic regionum natura et feracitas variis temporum mutationibus, aut culturæ defectu perit et immutatur. Olim Libanus cedris abundabat, nunc iis pene caret. Olim Iudæa erat terra lacte et melle manans, nunc lapidosa est et sterilis. Asia minor olim paradisi erat, nunc sub Turea multis in locis iuculta squalet; quinimo vulgare dictum est: Quocumque pedem infert Turea, eodem sterilitatem inducit, utpote agricolis ob eius tyrannidem diffugientibus.

Porro sycomorum, vel sycaminum Syriae, ita mihi Romæ descripsit Illustriss. Dominus Sergius Risius, Archiepisc. Damascenus, oculatus testis: Arbor, inquit, hæc in Syria frequens, magna est et lata, sed moderatæ altitudinis, iustar nucis non nimis altæ, dissimilis tamen foliis et cortice. Nam folia habet parva et rotunda; corticem planum et pene expositum, in album colorem vergentem: fructus fert plurimos quidem, sed admodum parvos, qui

mespilum forma et magnitudine referunt, verguntque in rubedinem: dulces sunt, sed non adeo ut ficus. Dicitur autem hæc arbor *gemmayz*, indigna quæ in vineis aut hortis inter cæteras habeatur, eo quod ingratos et insuaves fructus producens, inutiliter sua magitudine terram meliorem feracem occupet: quare in plateis ut plurimum, vel ad viam consistere solet, vulgo subiecta, ut quisque ex eius fructibus, utpote abiectis, et nullius decoris, saporis aut pretii colligat quantum libuerit. Hinc in proverbium abiit, ut de arbore, æque ac homine inutili, vel non in loco, qui ei convenit, commorante dicatur: *Est ut gemmayz in horto*: rhamnus inter quercus: anser inter olores. Hac de causa qui eius fructus colligunt, tenues, egei et viles habentur. Quocirea paupertatem suam, humilemque conditionem et statum sponte confitetur hic humilis, sanctus et a Deo electus Propheta, dicendo se ex eorum numero et ordine esse, qui sycomoros colligunt, iisque victitant, ut inde eluceat mira Dei opt. max. qui ignobilia et infirma mundi eligit, ut confundat gloriosa et fortia, bonitas et magnificentia, quæ eum ex imo in summum evehit, et ex pastore ac bubulo Prophetam illustrem efficit.

Ex dictis liquet, Primo, sycomororum aliam esse arborem a caprifico: distinguit enim eas Dioscorides et Ruellius verbis iam citatis: illa tamen huic est similis: unde Theophyl. et Euthym. Luc. 19. 1. pro sycomoro legunt caprificum. Secundo, sycomororum in penultima scribi tam per omicron, quam per ωmega, ideoque eam habere in carmine communem, id est, brevem et longam: brevem, quia morus arbor a Græcis plerisque scribitur per omicron: longam, tum quia μορος, id est, fatuus, scribitur per ωmega; tum quia morus arbor græcæ scribitur quoque per ωmega in lexicis Hesychii, Henrici Stephani, Ioannis Scapulae, æque ac a S. Luca e. 19. 1. unde Poeta:

*Cornaque et in duris hærcntia mora rubetis.*

Et patet ex etymo; diæta est enim arbor morus per antiphrasin, quasi minime μορος, id est, fatua; nam ut ait Plinius lib. 16. 23. morus arborum est prudentissima, quia lædi se a frigore non sinit: unde non nisi plane exacto frigore germen emittit, sed cum germinare incipit, in tantum germinatio erumpit, ut una nocte peragat etiam cum strepitu. Alii sycomororum diætam volunt a ficu et mora, eo quod si unum pomum ex ea decerpas, illico alterum sine mora protuberet: tantæ enim est fœcunditatis, ut uno anno septies fructus ferat. Verum hoc etymon Latinum est, nec convenit Græco μορος, vel μορος.

Symbolicæ, sycomorus est crux Christi, eiusque doctrina, quæ gentibus et terrenis hominibus videtur fatua: sycomorus enim respondet arbori scientiæ boni et mali Adamo vetitæ: hæc enim a multis putatur fuisse σικκ, id est, ficus: ita Theoph. et Beda in Luc. 19. 1. Porro Amos et viri sancti hanc sycomororum, id est, cruceem, crucisque doctrinam vellicare, id est, mente et meditatione scalpere, et profunde expendere, ruminare et penetrare debent: quo magis id faciunt, eo magis eius dulcedinem et arcana mysteria penetrant et gustant; præsertim cum simul vellicant affines sycomoros, id est, expendunt et minutim inspicunt corpora Martyrum a tyrannis vellicata, id est, scalpris, pectinibus, cultris incisa, laniata et lancinata. Huius rei symbolo Zachæus cupiens videre Christum ascendit in arborem sycomororum, Luc. 19. 1. ut ibidem notat Ambr.

**NON STILLABIS SUPER DOMUM IDOLI.** ) q. d. Ne o Amos prophetes amplius in et contra Bethel, quæ olim fuit Bethel, id est, domus Dei nunc a regibus nostris facta est Bethaven ( ut tu o Amos eam nuncupas ) id est, domus idoli, puta vitulorum aureorum. Nota: vox *stillare* Prophetis est frequens, et metaphoricè significat effundere sensum, sive verba, sive res, easque vel bonas et beneficas, vel malas et pœnosas. Doctor enim et concionator, quando cum rudibus vel duris agit, debet stillare, non profundere suum sermonem: si enim profundat, perdet: si stillet, sensim eos imbuet et emolliet. Verum est illud vulgi:

*Stillæ cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo: Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpe studendo.*

Sycomorus quid?

Sycomorus est crux, cur?

Vers. 16.

Stillare quid?

Id sciebat Moses, qui docens rudes et duros Hebræos Deuter. 32. 2. *Concresecat, ait, ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stilla super gramina.* Id imitantur sapientes ludimagistri, qui pueros sensim lenteque docent: sicut enim visa angustiori oris stillando sensim implentur, effundendo vero parum vel nihil liquoris hauriunt, ita et ingenia puerorum.

Huc spectat exemplum memorabile S. Isidori Hispalensis Archiepiscopi, qui floruit tempore S. Gregorii Magni Rom. Pontificis, fuitque frater S. Leandri (cui S. Greg. libros Moralium dedicavit) ipsique in Archiepiscopatu Hispalensi successit. Hic enim in iuventute a parentibus applicitus studiis, cum ingenio tardiore parum in iis proficeret, etsi ingenti labore iis innumeret, cogitavit iis relictis alteri rei se dedere. Cumque hæc cogitans staret iuxta puteum, vidit et consideravit in eius limbo, licet lapideo, sulcos, quos funes sitularum, longo earum attractu, in lapide sensim effecerant. Idipsum sibi applicans: Si funes, inquit, longo usu possunt excavare lapidem, quidni longo studio potero duritiem ingenii emollire, illique scientiam et docterinam imprimere? Resumptis ergo ingenti animo libris, continua lectione et meditatione tantum in iis profecit, ut sui sæculi vir doctissimus in sacris æque ac profanis literis, quin et in linguis, Latina, Græca et Hebraica evaserit, nec illo ævo haberet sibi parem; cui prorsus Hispania et doctrinam, et seminaria, in quibus S. Hdephonus, S. Branlius, aliique Prælati sancti æque ac eruditi, fuerunt et educati et instructi, debet. Ita habet eius Vita apud P. Ribadeneiram et alios, die 4. Aprilis.

Secundo, vox *stilla* significat minas et pœnas præsentis, quas intentant sceleratis Israelitis Prophetæ, esse tantum guttam si comparentur cum pœnis inferni, ubi imber est et torrens, imo Oceanus ignis ardentis picæ et sulphure, qui iugiter cremat, volvit et revolvit damnatos, iuxta illud Job 26. 14. *Cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Hic ergo est stilla et sibilus, in inferno erit mare et tonitru iræ Dei.

Vers. 17. PROPTER HOC HÆC DICIT DOMINUS: UXOR TUA IN CI-

VITATE FORNICABITUR.) q. d. Quia tu o Amasia, ob questum et lucra tua populum ad fornicationem spiritalem, id est, ad idololatriam, impellis, mihi que eam impugnanti resistis, ideo congrue et iuste punieris hac ignominia et indignatione, licet fremens, licet frendens, uxorem tuam in civitate te relicto fornicari et adulterari, vel cum amasiis suis, ut vult Arias; vel cum hostibus tuis, puta Assyriis, a quibus capta urbe violabitur: ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Hugo. Unde S. Hier. ex Symmacho vertit, *πορνειοποιεσαι*, id est, *sustinebil fornicationem.*

Hæc prima Amasie est pœna, de qua S. Hieron. *Grandis, ait, dolor incredibilisque ignominia, quando maritus in meliù civitate uxoris inturiam prohibere non potest. Non est tantus dolor in filia constuprata, quantum in uxore polluta: maritus enim libentius audit uxorem interfici, quam pollui.* Secunda est filiorum strages: *Filii tui, ait, et filix tuæ in gladio cadent.* Tertia est, spoliatio et bonorum privatio: *Humus, ait, tua funiculo metietur*, q. d. Assyrii et Cuthæi invadentes et occupantes Samariam et Bethel, tuos fundos agrosque funiculo inter se dimetiuntur, et dividunt. Olim enim funiculis pro virgis mensuris utebantur, ad mensurandam et dividendam terram. Hinc funiculus in Scriptur. significat sortem hæreditariam sive portionem quæ cuique in hæreditatis divisione sortito obtingit, ut psal. 15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, quod more suo, posteriore hemistichio explicat dicens: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Deuter. 32. 9. *Iacob funiculus hæreditatis eius*, q. d. Iacobæi, sive Israelitæ sunt sors et hæreditas Domini. Iosue 17. 5. *Ceciderunt funiculi* (id est, sortes) *Manasse decem.* Et v. 14. *Dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius.* Et c. 19. v. 9. *In possessione et funiculo Iuda.* Et v. 29. *De funiculo Achizibæ.* Quarta est: *Tu in terra polluta* (idololatria, infidelitate et sceleribus, puta in Assyria, ad quam captivus duceris) *morieberis.* Quinta, non tantum tu, sed et totus Israel, quem tu decipis, et in idololatriam sceleraque adigis, *captivus migrabit de terra sua* in Assyriam: ita S. Hieronym. Cyrillus, Theodoret. Remig. Rupertus, Haymo, Hugo, et alii.

## CAPUT OCTAVUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Videt Amos uncinum pomorum, ut significet, quod, sicut uncinò poma ex arbore carpuntur, ita Israelitas ab Assyriis fore carpandos, et abducendos in Assyriam. Causam dat vers. 4. quod pauperes opprresserint, eisquè ninis care et fraudulenter frumenta vendiderint, utentes mensuris dolosis. Unde vers. 9. tam atrocè eorum fore excidium prædicit, ut sol obtenebrescat, omnesque saccum et calvitium sibi inducant. Denique v. 11. famem extremam tum corporalem, tum spiritalem eis intentat.*

1. **H**ÆC ostendit mihi Dominus Deus: et ecce uncinus pomorum. 2. Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: venit finis super populum meum Israel: non adiciam ultra ut pertranseam eum. 3. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur: in omni loco proicietur silentium. 4. Audite hoc qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, 5. Dicentes: Quando transibit mensis, et venundabimus merces: et sabbatum, et aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas, 6. Ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calcamentis, et quisquilias frumenti vendamus? 7. Iuravit Dominus in superbiam Iacob: Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. 8. Numquid super islo non commovebitur terra, et lugebit omnis habitator eius: et ascendet quasi fluvius universus, et efficietur, et defluet quasi rivus Ægypti? 9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis: 10. Et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum: et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium: et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima eius quasi diem amarum. 11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. 12. Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem: circumibunt quærentes verbum Domini, et non invenient. 13. In die illa deficient virgines pulchræ, et adolescentes in siti. 14. Qui iurant in delicto Samariæ, et dicunt: Vivit Deus tuus Dan: et vivit via Bersabce: et cadent, et non resurgent ultra.

Vers. 1. **H**ÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS.) q. d. Post tot visiones et minas, Deus hanc quoque uncini pomorum addidit, ut tot comminationibus quasi ictibus repetitis dura Hebræorum eorda molliret et fleeteret. Sic de Pharaone et Ægyptiis quos obduratos Deus mersit in mari rubro, ait Psaltes ps. 17. 15. *Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.*

Uncinus pomorum quid?

ECCE UNCINUS POMORUM. ) Hebr. **כלוב קיץ** *chelub kaitz*, quod Chald. Rabbin. Pagnin. et Tigurina vertunt, *canistrum*, vel *corbæ æstatis*, hoc est *fructuum æstivorum*, qui scilicet in æstate maturantur et maturi colliguntur. Syrus, *ecce signum finis*; legit enim **קץ** *kets*, id est, *finis*; Arabicus vertit, *vasa venationis*, et mox, *sagittam venationis*, vel *capturæ*.

Melius Noster vertit, *uncinum pomorum*. Primo, quia agitur hic de instrumento quo poma attrahuntur et capiuntur: hoc autem est uncinus, non corbis: per uncinum enim significatur hastæ et arma Assyriorum. Secundo, quia Hebr. *chelub* significat instrumentum venatorium et attrahitorium: deducitur enim a **כלב** *cheleb*, id est, canis: quia sicut canis venatur et capit leporem aliasque feras, sic *chelub* venatur capitque poma: uterque enim longus est, gracilis, et acuto rostro rietuque. Tertio, quia Septuag. vertunt *vas*, id est instrumentum, *aucupis*. Et Ier. 5. v. 27. tam Sept. quam Noster vertunt *decipulam*, qua decipiuntur et capiuntur aves. Quarto, quia uncinus pomorum multis in locis comprehendit et includit corbæ, non vero e contra corbis comprehendit uncinum. *Uncinus enim pomorum* est uncus, puta fustis ab uno latere incurvus et hamatus, alligatus, vel appensus corbi, quo hortulani attrahunt ramos, ut poma decerpant et iniciant in corbæ; aut quo corbæ ad ramos suspendunt ut ex iis leeta poma in illum inferant. Vidit ergo Amos uncinum, eique adiunctum corbæ, ad colligendum poma. Per poma intellige quoque ficus, pyra, cerasa, pruna: omnes enim fructus, præsertim qui molliori sunt cortice, vocantur poma. Quinimo Pliu. libr. 15. c. 22. etiam nuces pomorum genere comprehendit.

Symbol.

Symbolice, uncinus hic significat Dei iram et vindictam, qua Deus tempus captivitatis populi Israel accelerabat, et quasi attrahebat, ut Israelitæ quasi poma ex sua regione decerperentur et caperentur ab Assyriis; quorum proude arma bellica, quibus Israelitas in potestatem redegerunt, recte quoque per uncinum intelliguntur. Unde explicans uncinum subdit: *Venit finis Israel*: ita S. Hier. *Est, ait, sensus: Sicut uncinus rami arborum detrahuntur ad poma decerpenda, ita ego proximum captivitatis tempus attraxi*. Unde Hebr. *chelub*, per metathesin alludit ad **כלל** *chebel*, id est, compes vel eatena ferrea, qua Israelitæ captivi constringendi erant. Poma enim in æstate matura, symbolum sunt captivitatis opportunæ, et punitionis tempestivæ, q. d. Iam arbor Israelitica maturos dat fructus, scilicet ficus pessimas (quales vidit Ieremias in Iuda c. 24. l.) restat ergo ut colligantur et conterantur. Sic Apoc. 14. 15. ait angelus unus alteri: *Mitte falcem tuam, quoniam aruit messis terræ*, id est, quoniam adest tempus maturum et opportunum puniendi impios, utpote cum ipsi mensuram peccatorum suorum iam impleverint. Hoc est quod ait Ezechiel c. 7. 6. *Venit finis: evigilavit adversum te*, id est, maturo et opportuno tempore surrexit: quasi fructus æstivi, qui in æstate maturi sunt, sic maturavit tuum exitium, sic finis adest tibi: colliges enim fructum arboris quam plantasti, et frugem quam seminasti metes.

Uncus reorum qualis.

Alludit uncinus ad uncum, quo olim vincti trahabantur, vel etiam feriebantur rei, et hostes prælio victi captique. Unde Iuvenalis de Seiano a Tiberio Imp. capitis damnato satyr. 10. ait:

*Impactus Seianus ducitur unco.*

Et Cicero, Philip. 1. *Uncus impactus est fugitivo illi, qui C. Marii nomen invaserat*. Idem pro C. Rabirio: *Nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terroribus neque res gesta, neque acta ætas, neque nostri honores vindicabant*. Et Horat. l. 1. Carm. ode 35. ad Fortunam:

*Te semper antequam saxa necessitas,*

*Clavos trabales, et cuneos manu*

*Gestans aliena, nec severus*

*Unceus abest, liquidumque plumbum.*

Lampridius in Commodus, scribit ipsi mortuo acclamatum a populo: *Qui senatum occidit, et templa spoliavit, unco trahatur*. Et Suetonius in Vitellio, scribit eum post mortem unco tractum in Tiberim: hoc summum erat probum.

A Insuper unco suspendebantur reorum, æque ac Martyrum, corpora, uti in Actis S. Sebastiani legimus, corpus eius inventum in cloaca pendens ex unco. Ad hæc Martyres uncois perinde ac unguibus lacerabantur, uti legimus in Actis S. Platonis et Pontiani Martyrum: vide Gallonium de cruciatibus Martyrum. Significat ergo uncinus, quod Israelitæ quasi captivi et damuati, unco ab Assyriis trahendi sint vel ad necem, vel in captivitatem. Secundo, uncinus solent colligi pauca poma, quæ in arbore post excussionem sunt reliqua in ramis altioribus: uncinus ergo significat hic, Israelitas post varias elades et strages Syrorum et Assyriorum reliquos, ad extremum ultimo plenoque exitio urbis et gentis vastandos, etiam illos qui in locis editis, munitis vel abstrusis, remotis et inaccessis degebant, a Salmanasar anno sexto Ezech. ita Lyran. Emmanuel, Mariana et alii: unde Chald. vertit, *ecce vas plenum extremis æstatis fructibus*, q. d. Sicut collectis uvis extremisque agri vel vineæ fructibus, deseritur ager, vel vinea, fructusque in vase collecti domum asportantur; ita desolabitur Samaria, civesque eius universi in Assyriam abducentur.

Idem significant Septuag. sed alia metaphora, cavæ scilicet, vel retis et aucupis: vertunt enim, *ecce vas*, id est, instrumentum, *aucupis*, puta rete, cavea, vel bacilli visco infecti, ut ei se implicent aves. Aucups est Salmanasar, rete sunt eius castra et arma, quibus illaqueavit, cepit et abduxit Israelitas. Audi Theodoretum: *Visio, ait, hæc celerem et expeditam venationem Israel significat: sicut enim visco facile capiuntur, sic ab Assyriis populus apprehendetur*.

Tropolog. Rupert. Uncinus, inquit, est, avaritia: rami et poma sunt divites, eorumque opes: pomum quippe res levis est, maximeque pueros mulcet: viris autem et maxime sanis, pro minimo est. Sic nimis bona præsentis sæculi levia sunt, et eos quidem qui sensu parvuli sunt nimis oblectant; sapientibus autem qui cælestia sapiunt, contemptibilia sunt. Hinc primus homo cupiditatis crimen per quod periit, non per aurum, neque per argentum, sed per exiguum pomum commisit. Addit Rupert. Sicut hortulanus uncinis sensim sine strepitu, ramum quo vult erubro motu contorquet donec poma decerpant; sic avarus, sur et fraudulentus mille habet capiendi et attrahendi artes, quibus iunctit et aduneat opes aliorum, adeo occulte et dolose, ut ipsi sua damna nisi depauperati, seroque gementes, non sentiant: iuxta illud psal. 10. 9. *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua: insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se et cadet, cum dominatus fuerit pauperum*.

Mystice Ribera: Uncinus, inquit, est mors, quæ ramos et poma, id est, omnes hominis dotes, virtutes et vitia, quamvis recondita attrahit, ut a Deo earpantur, et suis locis singula collocentur. Distinctius Fernandus visione 28. Mors, inquit, variis uncinis, id est, variis morborum et casuum generibus, attrahit ramos, in quibus plura sunt poma, id est, familias in quibus plura sunt capita, eaque robusta et valentia, quæ a morte videntur remotissima.

Vita enim humana recte comparatur pomis. Primo, Vita hominis sicut poma cito in gemmas erumpunt, creseunt, matureseunt, earpantur: ita et homines. Secundo, sicut e pomis alia matura, alia immatura sponte decidunt, alia in arbore putrescunt, alia rubent; sed si aperias, vermibus plena et corrosa invenies: alia manu carpuntur, alia baculo et vi decutiuntur: ita hominum alii in ætate virili, alii in juvenili naturali morte decedunt, alii in patri senectute; alii exteriori rubent ut rosæ, sed intus sordibus et morbis secent; alii in lecto, alii in bello, pugna, etc. violenta morte occumbunt. Hinc ait S. Iob 9. 26. *Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes: hæ enim naves celeris aguntur cæteris, ne poma quæ cito putrescunt, corrumpantur antequam ad portum, ubi vendenda sunt, appellentur: ita celerrime transit ævum nostrum*.

Tertio, Varro lib. 1. de Re rustica cap. 35. pomum di-

etum esse censet eo quod potu indigeat: *Poma*, inquit, *quæ insitu erunt siccitatibus, aquam addi quotidie vesperi: a quo, quod indigent potu, poma dicta esse possunt.* Ita vita hominum potu non tantum indiget, sed et abundat, ac deliciatur maxime.

Quarto, pomum Persicum in Perside, ob frigus veneni vim habere dicitur, eaque de causa in Italiam transmissum, ut incolis noceret; verum mutato solo mutavit naturam, et salubre repertum est, ut ait Columella:

*Pomis quæ barbara Persis*

*Miserat, ut fama est, patriis armata venenis:*

*At nunc expositi parvo discrimine lethi,*

*Ambrosios præbent succos oblita nocendi.*

Ita voluptas vitæ humanæ in se, et in solo quasi nativo, venenata est: at, si solum mutet, et in campum virtutis transplantetur, vitium ponit, et pro morte vitam et salutem affert.

Quinto, pomum rotundum gerit speciem orbis, qui rotundus est; et vitæ humanæ, quæ gyrat et in orbem semper recurrit. Quocirca anno Domini 1013. cum Henriens Imper. recens creatus Romam ingrederetur, Benedictus Papa cum Clero et Senatu ei obviam processit, eique insigne Imperii obtulit: pomum id erat aureum, circumcirca pretiosissimis gemmis distinctum, aurea cruce desuper eminente, ut dum illud respiceret, cogitaret, se sic debere imperare in mundo, ut illum crucis Christi vexillo subderet. Accepit pomum Imperator, ac manu tractans: *Nullis*, ait, *melius hoc pomum cernere et possidere congruit, quam illis qui pompis mundi calcatis crucem Christi sequuntur:* ac proinde illico misit illud ad Cluniacense monasterium in Gallia: ita Glaber, et Baron. an. Christi 1013. Sic in bulla aurea Caroli V. cap. 22. traditur et sancitur, ut in processione solemnī, postquam creatus est Imperator, aut illum deferat ense Dux Saxonie, sceptrum Marchio Brandenburgensis, pomum Comes Palatinus; pomum, quia sphericum, repræsentat orbem. Unde Chronicon Hirsaug. in inauguratione Comitum Hollandie, tradit Imperatori inaugurato globum aureum in manum dari his verbis, quæ profert Palatinus Rheni: *Accipe globum sphericum, ut omnes nationes Romano Imperio subiciat, et Augustus gloriosus appellari valeas.* Se ergo, suumque cor in manu Dei statuatur Imperator, ut cum mundo gestet, regatque illum Deus: ac simul meminerit orbis imperium parvum esse et exile instar pomi et globi, si cum cælesti regno comparetur. Ad illud ergo anhelet, seque et suos omnes transferre satagat. Sapienter S. Franciscus Xaverius libr. 2. epist. 5. Ioanni III. Lusitanie regi (ac in eo cæteris Principibus et Prælatibus) hoc saluberrimum dat consilium, ut quotidie per quadrantem horæ divinam illam sententiam meditando: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* germanam eius intelligentiam a Deo pelat, cum sensu animi interiore coniunctam; et simul omnium suarum precationum illam vellet esse clausulam: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur,* etc. Quoniam propius, inquit, quam ille existimat, adest hora, qua illum Rex regum, et Dominus dominantium ad rationem reddendam evocaturus est, illud intonans: *Redde rationem velticationis tuæ.* Verus fuit vates: nam paulo post rex vita functus est.

Sexto, pomo sæpe venenum homini propinatur, aut alio modo mors afferitur. Mirum hæc de re exemplum narrat Cardan. de Rerum variet. lib. 12. c. 56. Cum, inquit, Kemethus rex Scotorum, Eruthlinthm Fenellæ filium occidisset, tum etiam Malconum Druffum regem et affinem Fenellæ, illa statuam mira arte fabricari iussit, in cuius manu pomum aureum gemmis refertum erat; quod quicumque tetigisset, statim multis iaculis e pomo prosilientibus confodiebatur: eo regem nihil suspicantem invitatum in Festicarii oppido occidit. Ita voluptas huius vitæ blandum est, sed exitiale pomum, quod inani quodam fulgore perstringit et illectat eorum oculos quos decepturum et necaturum est: *Equo ne ereditæ Teucris:* ita Nicol. Causinus lib. 11. Parab. histor. c. 5. Rursus si offeras puero

VOL. VII.

A pomum et simul aureum, puer pomum eliget præ aureo; quia pomi specie capitur, auri pretium non novit. Annon ergo his pueri senes, qui voluptatem virtuti, id est, mala bonis, terrena cælestibus, caduca æternis, fallacia veris anteponunt? Vere pomum hoc illecebrosum est, diciturque malum. Quamobrem apud Martial. lib. 13. nuces pineæ ita viatorem affantur:

*Poma sumus Cybeles, procul hinc discede viator,*

*Ne cadat in miserum nostra ruina caput.*

Præclare S. Bernard tract. de Gradib. humilit. *Serpens Evæ*, ait, *porrigit pomum, et surripit paradisum. Hauris virus peritura, et perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur, ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri. Propterea grave iugum super omnes filios tuos usque in hodiernum diem.*

Septimo, est et alia pomi cum homine analogia, consideratione et commiseratione digna. Vides arborem florentem et floribus comptam, imo onustam; advertet, ex quinquaginta floribus quibuslibet, vix unus in pomum maturum evadet: antequam enim gemmescant, plurimi vel vento decussi, vel æstu arefacti, vel a veribus arrosi, vel humore deficiente marcescentes decident: ex iis vero qui gemmescant, plurimi pariter antequam in poma maturent, similibus casibus in terram corruent. Ita prorsus ex quinquaginta infantibus qui nascuntur, vix unus in virum evadit, sed alii in infantia, alii in pueritia, alii in adolescentia moriuntur. Quis non lugeat, quis non gemat miseram hanc hominum sortem? Sapienter Philosphus ille: *Brevis*, ait, *vita prohibet suscipere longas spes, vel ad eas aspirare.*

Octavo, inter arbores infirmissima est malus, maximeque quæ dulcis est, ait Plinius lib. 17. 24. qui et addit: *Ægrolant aliquando et poma ipsa per se sine arbore, si necessarii temporibus imbres, aut tepores, vel afflatus defuere, aut contra abundavere: decidunt enim, aut deteriora fiunt.* Idem lib. 17. c. 2. *Si, ait, cum deflorare prolinus sequantur imbres, in totum poma deperunt, adeo ut amygdala et pyri, etiam si omnino nubulum austrinusve flatus, amittant fetus.* Pari modo quid inter animalia infirmius homine? qui catharro, id est, guttula aquæ, suffocatur, æstu uritur, aura infecta pestem haurit, qui plurimis, imo innumerabilibus, et sæpe novis, ac medicis ignotis morbis laborat. In solo hominis oculo morbos centum numerat et nominat Galenus lib. qui inscribitur *introductio*, seu *Medicus*, cap. de Oculorum affectibus cap. 14. 1. *Homo*, ait, *natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Flos pomi mox ut effloruit, flavescit; pomum si decortices, aut scindas, antequam illud ori admoveas, illico cultrum nigrore inficit, vigorem perdit, marcescere incipit: ita et juvenis ætate florenti et vultu roseo, mox deflorescit, pallescit, senescit. *Quasi uvæ in deserto invenit Israel, quasi prima poma ficulnæ in cacumine eius vidi patres eorum,* ait Deus Osce 9. 10. Annon ergo cæcus hominum est uncinus et corbis pomorum? Quotidie ex arbore aliqua aut cadunt, aut leguntur poma, donec omnia in corbem inferantur: quotidie aliqui hominum vita hæc deeedunt, et in cœtum mortuorum transcribuntur, donec omnes ad unum sensim, sed brevi temporis spatio, in eundem transferantur. Quocirca Cæsar a Ripa in Iconographia, mortem pingit cum falce, et uncino pomorum, ex hoc loco Amos: quia sicut falce omnia demetit, ita uncino omnia carpit, instar pomilegi et pomicarpi. Itē nunc iuvenes, florete, gaudete, exultate, dicite: Nos poma natamus, eras mergendi, eras morituri.

Hæc considerans Cicero, Gentilis licet, sapienter censet animum ab omni voluptate caduca et terrena avocandum, atque in stabili et cælesti defigendum. *Alte*, inquit ipse in Somn. Scipion. *spectare si voles, atque hanc sedem et æternam domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris oportet ipsa Virtus trahat ad re-*

rum decus. *Vestra quæ dicitur vita, mors est.* Idem Quæst. A  
4. *Academ. Cogitantes superiora atque caelestia, hæc nostra ut exigua et minima contemnamus.* Et Tuscul. 1. *Confer nostram longissimam ætatem eum æternitate, et brevissima reperietur: tunc erimus beati, cum corporibus relictis cupiditatum et æmulationum erimus expertes.* Et in Catone Maiore: *Ex ipsa vita discedimus tamquam ex hospitio, non tanquam ex domo: commemorandi enim nobis natura diversorium, non habitandi, dedit. Quis est, quamvis sit adoleseens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? O dii boni, quid est in hominis vita diu? Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit, tum illud quod præterit, effluxit, tantum remanet quod virtute et recte factis sis consecutus. Horæ quidem eedunt et dies, et menses, et anni, nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur seiri potest.* Rursum Tusculan. 1. *Dux sunt via, ut ait Socrates, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminarunt, et se totos libidinibus dediderunt, iis demum quoddam iter est seclusum a concilio Deorum: qui autem se integros castosque servarunt, quibusque fuit minima eum corporibus contagio, suntque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos a quibus sunt profecti, facilis patet reditus.* Quid iam dicat, quid faciat Christianus?

Vers. 2.

VENIT FINIS SUPER POPULUM MEUM ISRAEL. ) *Finis*, id est, excidium Israeli a me decretum et præfinitum. In Hebræo pulchra est paronomasia inter קַיִץ *kais*, id est, poma æstatis, et קֵץ *kets*, id est, finis. Radix enim est קוץ *kots*, quæ significat compungi, angustiari, alligi: inde קוץ *kots*, significat spinam pungentem; et קַיִץ *kais*, significat æstatem, qua sol pungit, urit et maturat fructus, q. d. Uncinus hic *kais*, id est, pomorum æstivorum, uret te, o Israel, ut sol æstivus; et punget te ut *kets*, id est, spina; ac denique tibi *kets*, in est, finem et exitium, adducet. Quocirca הִקִּיץ *hekits*, id est, evigilavit et maturavit parvum tuum *kais*, id est, pomum æstivum; et tua *kots*, id est, spina; et tuus *kets*, id est, finis, ut ait Ezech. c. 7. 6.

NON ADICIAM ULTRA UT PERTRANSEAM EUM. ) Ut dissimulem peccata eius, ut eum sontem præteream et impunitum relinquam, uti pertransit prætor, cum sceleris et sceleratos videns præterit et dissimulat, q. d. Tanta sunt crimina Israelis, ut non possim ulterius connivere, non possim tacere et parere: sed illa sui enormitate et multitudine, quasi clamore iugi et valido cogant me ad ea vindicandum: ita S. Hieron. Theodor. Rupert. et alij.

Vers. 5.

STRIDEBUNT CARDINES TEMPLI IN DIE ILLA. ) Ita vertunt quoque Tigurina et Pagn. q. d. Stridebunt cardines templi, cum hostes vi ianuas eius perrumpent, ut illud spolient et vastent. Rursum stridebunt ex crepitu postium conflagrantium, cum templum ab hostibus incendetur. Ita Theodor. Arabiens, *eadent ultaria templi in die illa: quia scilicet Israelitæ templum idolis et sceleribus contaminarunt.* Stridebunt ergo eius cardines, cum illos illis aries, aut mallei hostiles frangent, aut revellent; cumque per illos agmina hostium in templum irrumpent. Aliter quoque Sanchez: Signum, ait, belli prisce erat, templi portas perfringere, iuxta illud Æneid. 7.

*Sunt geminæ belli portæ, formidine Martis.*

*Has ubi certa sedet patribus sententia pugnæ, etc.*

*Insignis reserat stridentia limina consul.*

Verum hic mos fuit Romanorum, non Hebræorum. Adde agi hic de excidio urbis et templi, non de belli siguo. Ad verbum Hebræa vertas, *ululabunt cantica templi*, id est, cantica templi vertentur in ululatus: Syrus, *corruent laudationes* (cantica, fama et gloria) *templi.* Secundo, Lyran. vertit, *stridebunt cardines palatii*, scilicet regis et optimalium, cum hostes illorum palatia irrumpent. Tertio, Chald. vertit, *ululabunt vice canticorum carmina palatii*, sive palatiorum, in quibus festivæ cantiones et musica instrumenta persouare solebant; et Vatabl. *ululabunt cantica palatii.* Per *cantica* lætitiarum intelligit, q. d. Cantica principum et potentum vertentur in ululatum et mæro-

rum. Noster. cum Septuag. et aliis iam citatis, melius vertit, *cardines templi*: quia Hebr. הֶחָל *hechal*, proprie augustum et potens templum, sive basilicam significat, a rad. יָחַל *iachol*, id est, potuit, prævaluit, q. d. Basilica potens, cæterisque sua magnificentia prævalens. Quarto, Septuag. vertunt, *ululabunt laquearia templi*, q. d. Tantis erit clamor hostium, et cæsorum ab iis in templo, ut totum templum ululatu compleatur, ipsaque laquearia voces ululantium instar echo reverberantia, ululare videantur. Sic et nostram versionem explicat, et cum Septuag. conciliat S. Hier. *Stridebunt, ait, cardines templi, sive laquearia. Hoc autem περιεχόμενος accipiendum est, quod tam grave malorum pondus incumbat, ut ipsi quoque portarum cardines et excelsa laquearia ululent, et ineredibilem sentiant vastitatem.* Unde patet, licet Hebraice שִׁירוֹת *seirots* passim alibi significet *cantica*, hic tamen significare *cardines* et *laquearia* (ita enim vertunt Sept. et S. Hieron. qui Hebraice linguæ erant peritissimi) forte per onomatopœiam: vox enim *seirots*, refert et exprimit sonum cardinum stridentium, qui ipsorum quasi est cantus. Adde a rad. שָׁרַר *seirur*, quæ recta intendere, extendere, canere, multaque alia significat, deducitur nomen שִׁירוֹת *seirots*, id est, murus, et ædificium ex quo prospicitur, vel quod proeurrit et foras extenditur: inde *seirots* vocantur laquearia, quæ per totum templum superne extenduntur, quæque in totum templum prospiciunt.

Quæres, de quo templo loquatur hic Amos? an de Hierosolymitano Dei, an de Bethelino idolorum? De Hierosolymitano accipiunt S. Hieron. Theodoret. et Rupert. Alii et planius, accipiunt de eo quod erat in Bethel dictum vitulis aureis. In Bethel enim degebat et propheta-bat contra vitulos aureos Amos, ut patet cap. 7. v. 13. unde hic v. 2. celerem ei finem minatur, qui et ei evenit; cum Ierusalem multo tardius vastata sit. Sicut ergo Iudæi suum templum in Ierusalem vocabant *hechal*, id est, basilicam: ita eorum æmuli Samaritæ suum fanum in Bethel pariter nuncupabant *hechal*. Id ita esse patet ex v. 7. *Iuravit Dominus in superbiâ Iacob.* Iacob enim vocatur decem tribus, non duæ. Et ex v. 14. *Qui iurant in delicto Samariæ, et dicunt: Vivit Deus tuus Dan.* Unde liquet hæc dici contra Samaritas, eorumque deos collocatos in terminis regni, puta in Dan et Bethel; ita Rufinus, Lyran. Clarius, Arias et a Castro.

MULTI MORIENTUR. ) Hebr. *multiplicabitur eadaver*, id est, multa erant cadavera, multi occidentur, *in omni loco proiciet tace*, id est, silentium, q. d. *Multi morientur, et captis habitatoribus vel occisis, in omni loco proicietur silentium*, ait S. Hier. hoc est, summam vastitatem inducam, omniaque plena populo redigam in solitudinem. Est metalepsis: silentium enim ponitur pro strage et desolatione: ex occisione enim et strage sequetur desolatio, ex desolatione solitudo, ex solitudine silentium. Unde Septuag. vertunt, *in omni loco iniciam silentium.* Sic modo ait S. Hieronymus. *In toto orbe terrarum procectum est silentium Iudæorum: ubicumque fuerint, mussitant potius quam loquuntur: oppressi licet, mutire, et hiscere non audent.* Secundo, contrarie vertit et explicat Lyran. nimirum accipiendo *beth*, id est, *in*, pro *min*, id est, *a*, *ab*, sic vertit, *ab omni loco proicietur silentium*, quia in omni loco erit clamor, tam hostium occidentium, quam incolarum occisorum. Tertio, Vatabl. sic vertit, *multiplicabitur eadaver in omni loco* (qui) *proiciet* (dicit) *tace*, q. d. Pollinctor qui curam habet proiciendi cadavera in sepulchrum, agnoscendo iustam Dei vindictam in tanta Israelitarum strage, dicet socio suo: Tace, noli conqueri de Domino Deo, quod tot nobis det funera: quia iuste hæc patimur propter idololatram et peccata nostra. Verum hic multa supplenda sunt, quæ non habentur in textu. Quarto, Tigurina vertit, *multa cadavera* (hostis) *prosterne in omni loco, idque silentio.* Quinto, Arias hæc aliter dispungens, et ad Amasiam sacerdotem idolorum referens, sic vertit et explicat: Adeo multa erunt cadavera, ut in omni loco proiciantur insepulta: at tu, o Amasia, quia hisce meis oraculis et minis non credis, tace, et ta-

ens exspecta rei eventum: videbis enim hæc omnia compleri, et tunc sero credes vel invitus. Verum primus sensus planus et genuinus est. Simili modo regio umbræ mortis, id est, status et locus defunctorum, in quo summa est vastitas et horror, vocatur *terra silentium*, et hebr. *duma*, id est, *silentium*. Nam, ut ait Ovid. 5. Pastor.

*Mox etiam lemures animas dicere silentium.*

Et Virgil. 6. *Æneid.*

*Dii quibus imperium est animarum, umbræque silentes, Et Chaos, et Phlegeton, loca nocte silentia late.*

Et inferius:

*Quæsitur Minos urnam movet, ille silentium Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.*

Moral. strepitus peena est silentium.

Moral. disce hic, strepitum et tumultum Israelitarum congrue puniri contrario, solitudine et silentio. Sicut enim medicorum in morbis axioma et praxis est, contraria contrariis curari, ita et iudex Deus contraria seclera contrariis suppliciis curat, nimirum superbiam depressione, gulam fame, libidinem morbis et doloribus, acediam laboribus et sudoribus, tumultum desolatione. Quia enim Israelitæ magno strepitu, pompa, turba et tumultu celebrabant festa idolorum, puta vitulorum aureorum, eodemque invadebant et vastabant bona pauperum, ut dicitur v. 4. et 5. hinc pariter Deus congrue mulctat eos omnium rerum spoliatione, strage et vastitate. Simili modo apud Christianos, urbes et provincias in quibus magnus fuit rerum hominumque luxus, merciumque, usurarum et fraudum turba, punit deprædatione et desolatione. Pari ratione et iure monasteria et Ordines, in quibus abiecto silentio, viguit dissolutio, garrulitas, detractio, murmuratio, invidia, etc. punit silentio, sinendo ea ab hæreticis vastari, comburi et redigi in solitudinem. Exempla sunt in Gallia, Germania, Belgio, Anglia, in qua sola sub Henrico VIII. teste Sanderò,

*Millia dena unus templorum sustulit annus.*

In cæteris provinciis similiter plurima monasteria funditus eversa videmus, atque in nonnullis causa publica fuit omnibusque nota, nimirum silentii et disciplinæ Religiosæ abiectio, vitæque Monachorum licentiosa, et plusquam sæcularis. Dicat ergo talibus Deus: Quia vos proiecistis disciplinam et silentium, ego silentio, quod vim a vobis patitur, succurram, illudque in omni loco restituum, imo proiciam, redigendo omnia in cineres camposque silentes.

Vers. 5

**QUANDO TRANSIBIT MENSIS**, ita Roman. Hebr. et Septuag. male ergo Remig. Rupertus, Hugo et Lyranus legunt *messis*, **ET VENUNDABIMUS MERCES** (Sept. et *negotiamur*) **ET quando transibit** (ita Syrius) **SABBATUM, ET APERIEMUS FRUMENTUM.**) Syrus, *horrea. Mensis et sabbatum* tripliciter accipi possunt. Primo syncedochice pro quolibet tempore generatim. Hebræi enim tempus omne mensurabant et dividebant per menses et sabbata. Secundo, magis particulatim mensis, hebr. *chodes*, vocabatur neomenia, id est, prima dies cuiuslibet mensis: et sabbatum proprie erat septima dies hebdomadæ. Tertio, specialissime, mensis sacer erat mensis septimus, puta September, quo post collectas fruges totum pene mensem sacrum festumque agebant, uti dixi Levit. 23. 23. et sequent. ac proinde idem mensis erat sabbatum, non dierum, sed mensium: quia erat septimus mensis, isquo festus. Iuxta primam mensis et sabbati acceptionem, primus huius loci sensus erit hic: Quolibet mense et sabbato, id est, quolibet tempore, quo vos, o avari frumentipolæ, videtis frumentum vilis esse pretii, illud reconditis, ut tempus hoc transeat, et succedat post tempus copię tempus inopiæ, quo illud carius vendatis: ita a Castro et Vatabl.

Triplicis mensis et sabbatum.

Iuxta secundam acceptionem sensus secundus erit hic: Ita inhiatis lucro, ut doleatis advenire festum neomeniæ et sabbati, ac optetis illa cito transire, ut illis transactis illico ad mercimoniam et lucra vestra redeatis, ac de more vestro care vendatis frumentum: ita S. Hieronym. Theodor. Rullin. Remig. Lyran. et Ribera. Ubi Nota avarorum mercatorum vota, qui nil nisi merces, mercatus et lucra somniant, quibus proinde omnis res divina est longa, adeo-

que Missa dimidiæ horæ sæpe nimis est proluxa. Addit Sanchez: Calendas, inquit, sive primum mensis diem a vide expectabant avari mercatores: quia tunc pecunias dabant fenori, et fenebres exigebant usuras, ut patet ex Plutarcho lib. de Non fenerando, et ex Horatio l. 1. satyra 3. unde tunc debitorum, qui fenusolvere non poterant, pignora vendebant, vel bona invadebant. Huc refertur expositio Chaldæi et Pauli Burgensis, qui per mensem accipiunt non quemvis, sed embolismalem, qui scilicet tertio quoque anno quasi decimus tertius, aliis duodecim anni mensibus addebatur ab Hebræis ad hoc, ut annum suum lunarem æquarent solari, ut dixi Exodi 12. v. 2. q. d. Quando transierit annus ille tertius longior, post quem ob additum mensem solet citius frumentum deficere, et carius vendi, nos illud care vendemus. Rursum Chald. Burgensis, Albert. et Arias sabbatum accipiunt non dierum, nec mensium, sed annorum, puta annum septimum remissionis, qui lotus erat sacer et sabbatum, id est, festus, q. d. Quando transierit annus septimus quo serere non licet, unde sequetur frumenti penuria, tunc care illud vendemus; quasi hoc Propheta dixerit instante vel presente anno septimo et sabbatico, taxans abusus avarorum, qui illo abutebantur ad turpia sua lucra.

Iuxta tertiam acceptionem tertius sensus erit hic: Quando transierit tempus messis, quo ob copiam vilis solet esse frumentum; pariter et mensis septimus, quo feriantur Iudæi, ac liberaliter fruges suas consumunt, mense octavo et sequentibus, cum frumentum iam deficere incipit, nos illud pretio caro ad libitum vendemus. Hunc sensum afferunt quoque Remig. Albert. Rupert. Lyran. et Hugo. Favet huic expositioni articulus Hebræicus *he* additus voci *chodes*, qui certum mensem, cumque cæteris illustriorem significat, qui sane alius esse nequit quam mensis septimus. Rursum favet rei natura: post mensem enim septimum carius erat frumentum, idque ordinarie quolibet anno. Non enim videtur loqui Propheta de anno

septimo, vel simili extraordinario et rarius occurrente. Denique posset quis opinari, per mensem hic significari mensem messis, quo scilicet metebant novas fruges, puta Maium, vel Iunium: ac per sabbatum significari festum Pentecostes, quo ex messe primos panes quasi primitias Deo offerebant. Sabbatum enim Hebræis erat quintuplex. Primum dierum, puta septima dies hebdomadæ. Secundum hebdomadam, puta septem hebdomades numeratæ a Paschate, quæ conlieunt quadragintanovem dies, quibus expletis sequens dies quinquagesima erat Pentecoste. Tertium mensium, puta septimus mensis, de quo iam dixi. Quartum, annorum, puta annus septimus remissionis, qui proinde vocabatur sabbaticus, eratque festus. Quintum, hebdomadis annorum: septem enim hebdomades, sive septenarii annorum, faciunt quadraginta novem annos, post quos annus sequens quinquagesimus erat iubilæus, et totus sabbatum, id est, festum. Verum quia statim a messe et Pentecoste erat copia frumenti, ac proinde illud vilis erat pretii, hinc aliud tempus hi avari mercatores hic notare videntur, videlicet post septimum mensem, quando iam illud deficere, eiusque pretium carius ellici incipiebat.

**ET APERIEMUS FRUMENTUM.**) Aperiemus granaria tempore copię clausa, ut tempore penuriæ promamus, careque pro libito nostro vendamus frumentum. Porro quam hoc Deo sit invisum, docet ipse hoc loco, dum mox multas gravesque talibus pœnas intentat. Deum imitentur principes et magistratus, ut hosce monopolas, quasi mures tritici corrososores, imo corrososores, famem publicam afferentes capiant et plectant. Ita fecit B. Carolus Comes Flandriæ: cum enim Lambertus Stratensis, frater Bertoldi Præpositi S. Donatiani, decimas in multos annos reddisset, plenaque horrea haberet, atque ingruente annonæ caritate ea egenis communicare nollet, iussit B. Carolus eius horrea effringi, triticique vim ingentem egenibus gratis admitti. Qua de causa a monopolis ei in templo oranti sacrilege mors violenta illata est, ipseque in-

Moral. in monopolis frummenti.

Exemplum B. Caroli

stitiæ æque ac annonæ publicæ tutor pro muneris sui fortiter obiti merito martyrii palmam tulit: ita habet eius Vita nuper a Belgis edita, et Æmil. l. 5. Celebris et sancta huius facti memoria etiamnum Brugis Flandrorum perdurat, ubi locus, in quo Comes occisus, mihi olim ostensus est.

Narrat Procopius lib. 3. Ioannem præfectum prætorio Belisarii, bello Wandalico nauticum panem ne bis coctus pondere levior redderetur, adhuc erudam ad publici balnei fornacem assari fecisse, ne quid ponderi decederet: at vix Methonem pervenisse, cum panes dissolvi cœpere, et militibus per modios distributi gravissimos morbos invexere. Ita unius avaritia totum exercitum afflixit, et pene perdidit. Ad hosce avaros Tantali fabulam ingeniose transfert Horat. lib. 1. Serm. satyra 1. qui

*Congestis undique saccis*

*Indormit inhians. et tamquam parcere sacris*

*Cogitur, aut pietis tamquam gaudere tabellis.*

Porro Deus iusto iudicio avaros penuria punit, facitque ut frumentum quod avare asservant, a moribus corrodat, vel tempestate aut naufragio mergatur vel ab hostibus diripiatur, vel alio casu pereat.

Memorable est quod in vita S. Paulini legimus, eum Christi imitatione et amore opes amplissimas in pauperes erogasse, et ex ditissimo factum pauperrimum. Cum quadam die pauper ab eo stipem peteret, dixit B. Terasiæ olim coniugi, nunc sorori suæ (cum ea enim vivebat in continentia) ut eam illi daret. Respondit Terasia, se non habere nisi unicum panem. Iussit tamen Paulinus illum dari. Terasia timens ne in prandio non haberet quod apponeret Paulino, panem non dedit, sed servavit. *Interea*, inquit Gregor. Turon. lib. de Gloria Confess. c. 107. *adventerunt quidam dicentes se missos a dominis suis, ut illi annonæ ac vini deferrent speciem; sed pro hoc se moratos, quod orta tempestas unam eis cum tritico abstulerit navim. Tunc vir Dei conversus ad mulierem ait: Intellige te illi pauperi unum panem fuisse furatam, et ideo hanc navim esse mersam.* Ex adverso dum idem Paulinus iam Nolæ Episcopus, adeo liberalis esset, ut cum fruges omnes erogasset in pauperes, tandem seipsum pro filio viduæ redimendo servituti manciparet, paulo post Dei nutu a rege Wandalarum agnitus cum suis civibus omnibus, atque onustis frumento navibus Nolam est remissus; *sicque factum est, ut qui se in servitium solum tradiderat, eum multis a servitio ad libertatem rediret, illum videlicet imitatus, qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset post modum liber cum multis*, ait S. Gregorius lib. 3. Dialog. 1.

Simile est quod narrat Leontius in Vita S. Ioannis Eleemosynarii, de mercatore quodam opulento, cuius fruges et merces naufragio perierunt, qui cum hoc summ infortunium lamentans narraret S. Ioanni, audivit ab eo: *Scias, hoc tibi nulla alia de causa accidisse, nisi quod hæc navis non iuste, non honeste a te esset acquisita.* Iussit ergo ei dari unam ex navibus Ecclesiæ, onustam viginti millibus modiorum frumenti: eum qua felicissime navigans mercator, appulit in Britanniam fame tunc laborantem, ubi moderato pretio vendens frumentum, Britannorum indigentia dum consulit, ipse ditatus est. Hoc est quod ait Sapiens Prov. 11. 24. *Alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur, et qui inebriat, ipse inebriabitur. Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Et S. Paulus 2. Corinth. 9. v. 6. *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus (beneficæ, largiter, copiose) de benedictionibus et metet.* Vide ibi dicta.

Quocirca graviter et acriter monopolas insectans S. Ambros. libr. 3. Offic. cap. 6. *Cur, ait, ad fraudem conversus naturæ indulgentiam, quæ copiosas dat fruges? Cur invides visibus hominum publicos partus? Cur populis minus abundantiam? Cur affectus inopiam? Cur optari facis a pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant be-*

*nefcia fecunditatis, te auctonante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quam te de fame publica negotiari.* Et mox: *Latrocinium hoc, an fœnus appellent? Captantur tamquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus iasidarius obrepas. Lucrum tuum damnatum publicum est. Ioseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit. Recte Salomon (Prov. 11.) Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus: quoniam avaritix emolumentum ad successorum iura non pervenit. Quod non legitime acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur.*

UT IMMINUAMUS MENSURAM, ET AUGEAMUS SICLUM.)

Pro mensuram hebr. est *epha*, quæ erat certa, usitata et communis mensura, sub qua omnes alias per synecdochem intelligit. Porro *epha* erat decima pars eori: eorus autem continebat 30. modios Italicos: ergo *epha* continebat tres modios Italicos, et sex Hispanicos (modius enim Italicus duplex est ad Hispanicum.) Quocirca *epha* Hebræum idem erat quod *medimnum* Atticum, teste Iosepho lib. 10. Antiq. 12. Rursum satum erat tertia pars *epha*, puta modius unus Italicus. Vide ea quæ dixi de mensuris in fine Pentateuchi. Notat non tantum avaritiam, qua carissime vendebant, sed etiam dolum et fraudem mcreatorum, quo in vendendo mensuram minuebant, id est, mensura æquo minori rem quam vendebant emptoribus admeticbantur; e contrario vero augebant *siclum*, supponendo scilicet stateras dolosas, ut sequitur, quarum videlicet Ianx altera in qua appendendus erat siclus (ut videretur an iusti esset ponderis) quem ementes pro merce empta solvebant, esset depressior et gravior, ita ut siclus alioqui iusti ponderis, his dolosis stateris appensus, iusto levior videretur, ac per consequens illi drachmas aliquas argenti vel auri, ementes adiciere deberent: ita Clarius, Ribera, Arias et a Castro. Olim enim omnis pecunia, præsertim cum rudis esset, nec signata, semper ponderabatur, et ad pondus annumerabatur, atque pro pondere maiori vel minori suum habebat pretium maius vel minus, ut patet Genes. 23. 16. Jerem. 32. 9. Isaia 55. 2.

Secundo, S. Hieron. et Vatabl. per *siclum* accipiunt, non monetam, sed pondus. Siclus enim hebr. idem est quod pondus, q. d. *Augeamus siclum*, hoc est, eum ememus merces, maiori æquo siclo, id est, pondere, eas ponderemus; eum vero easdem aliis vendemus, minori æquo pondere easdem appendamus. Unde Vatabl. vertit, *diminuamus modium, et augeamus pondus, et pervertamus bilanciæ dolosam*, huncque dat sensum: *Vendamus triticum nostrum mensura æquo minori, et pervertendo supponamus bilanciæ dolosam, q. d. In his quæ mensura vendi solent, ut modio, utemur mensura æquo minori: in his vero quæ accipiemus, maiori æquo pondere utemur.*

Tertio, Remig. et Lyran. sic exponunt: *Augeamus siclum*, id est, augeamus pretium frumenti, q. d. Conspiremus in pretium iusto maius, ut nemo nostrum infra illud minoris vendat, ita ut cogantur emptores omnes pretio illo iniusto a nobis taxato merces nostras emere, quod vitium vocatur monopolium, de quo vide P. Lessium de Iustitia et iure l. 2. cap. 21. de emptione dub. 21.

Quarto, Mariana explicat, q. d. Post venditum frumentum et receptam pecuniam augeamus siclum, id est, sicli pretium, ut sic crescat pretium pecuniæ, opesque nostre.

Nota. *Siclus*, hebr. idem est quod pondus, a rad. שקל *sciakal*, id est, appendit, ponderavit. Sic græcè siclus dicitur *σακκος* *σακος*, id est, libra, pondus, statera. Siclus enim erat nummus vulgaris, communis et usitatus, pondere quatuor drachmarum, sive semunciæ, quo non tantum pecunia, sed et metalla, adeoque res quaslibet ponderabant. Valebat ergo siclus quatuor Iulios, sive quatuor regales Hispanicos: Iulius enim æque ac regalis, pendit drachmam argenti. Erat et siclus æreus ac aureus, eiusdem ponderis, sed pro materia maioris vel minoris pretii. Vide quæ de siclo dixi Exodi 30. 13.

UT POSSIDEAMUS IN ARGENTO (id est, argento, pretio Vers. 6.



argenti. Hebr. enim *beth*, id est, *in*, est nota pretii) EGREGIOS, ET PAUPERES PRO CALCEAMENTIS.) q. d. Et hisce nostris artibus et fraudibus redigamur pauperes ad extremam inopiam, qua cogantur se vendere nobis in mancipia, itaque possideamus eos, ut nobis quasi iumenta seruiant, idque parvo pretio, imo pro pari calceamentorum.

ET QUISQUILIAS FRUMENTI VENDAMUS.) Pro puro frumento. Nota hic avarorum mercatorum varias artes et dolos, quibus alios expilant et se ditant. Primus est, quod carissime merces suas dividant. Secundus, quod minuunt mensuras. Tertius, quod augeant sictum, id est, pondus. Quartus, quod supponant stateras dolosas. Quintus, quod cogant pauperes non tantum sua, sed et seipsos vendere pro calceamentis. Sextus, quod frumentum mistum paleis, cicere, avena, arena, etc. vendant pro puro frumento. Unde Arabicus vertit, *vendemus vasorum purgationes*, id est, quod post sublatum frumentum scopis aream purgando, convertitur et congeritur. Hinc ira Dei excita detonat in eos, atque:

Vers. 7.

IURAVIT DOMINUS IN SUPERBIAM IACOB.) Id est, contra superbiam Israelis, qua superbe dominatur pauperibus, eosque deprædatur: ita Septuag. S. Hier. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. et alii. Hebr. pro *superbiam* est *גָּבוּהוֹן* *gheon*, id est, magnificentia, celsitudo, arrogantia. Unde Chald. vertit, *iuravit Dominus qui dedit magnitudinem Iacob*; Pagnin. *iuravit Dominus per celsitudinem suam notam in Iacob*; Arias et Tigur. *iuravit Dominus per excellentiam ipsum Iacob*, q. d. Iuravit per templum, quod erat gloria, præstantia, magnificentia, et quasi superbia Iacob. Sic ait Isaias c. 60. 13. *Ponam te in superbiam*, id est, in magnificentiam et gloria, sæculorum: ita Vatabl. et Prado in Ezech. e. 7. v. 24. explicans illud: *Et quiescere faciam superbiam potentium*. Templum, inquit, vocat superbiam potentium, id est, arcem potentissimam, superbissimam, magnificentissimam et celsissimam. Prima versio et sensus nostri Interpretis, uti Hebræo congruentior, ita et nervosior est.

SI OBLITUS FUERO.) Vox *si* est nota iurantis, et signum iuramenti execeratorii apud Hebræos, q. d. Iuravit Deus dicens: Iuro per me, meamque veritatem, quod non obliviscar hæc opera et scelera Israelis, sed ea acriter puniam, adeo ut si eorum oblitus fuero, non habeat verax, non habeat Deus. Vox ergo *si* in iuramento vel improprie capitur pro *non*, vel proprie si subaudias execrationem, v. g. hanc, Non habeat Deus. Hanc enim Hebræi per euphemismum tam horroris, quam boni omnis causa subicit, et subaudiendam relinquunt.

Vers. 8.

USQUE AD FINEM.) In perpetuum. NUNQUID SUPER ISTO NON COMMOVEBITUR TERRA.) Scilicet vastitate, ut diripiatur et vastetur. Unde Chald. vertit, *desolabitur terra*. Secundo, hebr. est *תִּרְגַּז* *tirgaz*, id est, *contremisect*, ut vertit Tigurina; Pagnin. *movebit se*, q. d. Tanta sunt scelera Israelis, tantæque ob ea illi clades imminant, ut merito terra hæc audiens, sustinens et sentiens, quasi terrore et stupore percussa contremisere, omnesque incolæ plangere et eiulare debeant. Est prosopopœia: ad pathos enim terre insensili sensum, indignationem, horrorem et tremorem attribuit. Omnes enim creature sensu naturali sentiunt vocem et nutum sui creatoris, multoque magis eiusdem offensam et iram.

ET ASCENDET QUASI FLUVIUS UNIVERSUS, ET DEFLUET QUASI RIVUS ÆGYPTI.) Aliqui, ut a Castro, per rivum accipiunt torrentem deserti, qui Iudæam disternit a deserto et ab Ægypto, de quo dixi e. 6. v. 15. q. d. Sicut hic torrens in mare defluit, et amplius non apparet, aquis eius a mari haustis; ita Israelitæ haurientur ab Assyriis, ab eisque abducentur et dispergentur, ut amplius non appareant: ita a Castro, qui et citat pro hac expositione S. Hieron. et alios: sed in S. Hieron. idipsum non reperiri: atque ille torrens deserti, torrens est et vocatur, non fluvius. Adde, rivus Ægypti non alius est quam Nilus, vel rivus Nili: unde Septuag. pro *rivus*, vertunt *fluvius Ægypti*.

Melius ergo Clarius, Arias, Vatabl. et alii passim, per

*fluvium* intelligunt Nilum: hic enim paulo post vocatur rivus Ægypti, præsertim quia Nilus in septem rivos se dividit, quibus per totidem ostia in mare defluit. Apposite autem adducit Nilum, potius quam alios fluvios: quia Nilus quotannis exundans, et restagnans, oblimat fertilemque facit Ægyptum (non enim pluit in Ægypto, sed vice pluvie est Nilus exestuans.) Unde messis Ægypti dicitur esse in Nilo, quasi in causa, iuxta illud Isaiæ 23. v. 3. *In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius, et facta est negotiatio gentium*. Adde, Israelitæ mercatores frumentum emebant ex Ægypto: Ægyptus enim ita fertilis erat, ut esset horreum Romanorum, imo totius Orientis, q. d. Quia vos, o Israelitæ, frumentum Niliacum in Ægypto vili pretio emptum reconditis, ut care vendatis, quin et illud mistis quisquiliis vitiatiss, et iniustis mensuris dolose dividitis; hæc de causa ego adducam exercitum Assyrionum, qui instar Nili copia sua inundabit Israel, eamque cum suo frumento et opibus evertet et transferet in Assyriam. Alludit ergo ad ascensum, id est, incrementum Nili intumescens et exundantis, qui deinde statim detumescit et subsidit, ac partim absorbetur a terra, partim refluit in suum alveum, et ex eo in mare delabitur, q. d. Pari modo ascendente exercitu Assyrionum in terram Israel, vos pariter ascendetis, et ab eis in magnam turbam conglobabimini, et conglobati turmatim expellemini in Assyrios, ibique dispergemini et absorbebimini, ut inter numerosissimam gentem dispersi, vix ulli esse appareatis. Unde Chald. vertit, *irruet in eam rex cum exercitu suo maximo sicut aquæ fluvii, et eluet eam omnem, expelletque habitatores eius ut fluvius Ægypti*; alii active vertunt, *et transcendit (Assyrius) sicut fluvius universam illam (terram Israel) et deprimentur tanquam fluvio Ægypti*, q. d. Sicut terra Ægypti obruitur Nilo, sic terra Israel, obruetur et opprimetur ab Assyriis. Rursum, sicut Nilus exundans everrit totam Ægyptum, sic Assyrîi everrent omnes fruges et opes Israel. Secundo, Vatabl. vertit, *et ascendet tanquam amnis universa ipsa (terra Israel) et pelletur (loco suo) et absorbebitur sicut fluvius Ægypti*, sicque explicat, q. d. Terra Israel tota operietur aquis, et vertetur tota quasi in amnem: per aquam et amnem significat omnes clades et calamitates quibus illa quasi aquis obruenda erat ab ira et vindicta divina.

B

Tertio, Clarius explicat, q. d. Sicut Nilus evomit ea quæ ipsi innatant, sic terra Israel evomet ex se Israelitas, proicietque eos in Assyriam. Nota *ascendet*, scilicet non *habitor*, sed *terra*: Hebr. enim *עֹלֵת* *aleta*, cum sit fœmininum, respicit terram: terra ergo Israel ascendet, efficietur et defluet: *terra*, id est, incolæ, fruges et opes terræ ascendent, id est, in cumulum redigentur, ut auferantur ab Assyriis hostibus et prædatoribus.

C

Hinc consequenter *ascendet quasi flumen consummatio*, supple non *habitor*, sed *fluvius*, q. d. Sicut fluvius universus, id est, totus, in Ægypto collectus ascendit et in altum assurgit, ita pariter totus cumulus Israelis abducenti ab Assyriis ingens erit, et in magnam summam ascendet. Jam in Hebr. legitur *כֻּלָּהּ* *culla*, id est, *omnis illa*, scilicet terra Israel, ascendet: sed noster Interpres aliis punctis legit *עֹלֵת* *ealla*, id est, completus, perfectus, universus, scilicet fluvius ascendet. Sic etiam legerunt Septuag. vertunt enim, *et ascendet quasi flumen consummatio, et descendet quasi fluvius Ægypti, consummatio*, id est, tota et consummata multitudo, æque ac substantia Israelis, quod mystice, vel potius accommodatitè electis et reprobis adaptat S. Hieronymus. *ut qui egerit, inquit, penitentiam, ascendat cum fluvio scandente; qui autem perseveraverit in delictis, descendat sicut fluvius Ægypti, et ingressus mare absorbeatur, ac per hoc ostendit superbiam Iacob, contra quam iuravit Dominus, æternis suppliciis devorandam*.

D

Denique pro *defluet* hebr. est *נִשְׁקָה* *niskea*, id est, demergatur in profundum, absorbeatur, eat in abyssum. Ubi Nota, pro *נִשְׁקָה* legendum *נִשְׁקָעָה* uti legendum docent Masoretæ; littera ergo *ain* suppressa est vel vitio scriptorum, vel studio ab ipso Propheta, ut omnimodam demer-

sionem inueneret, inquit Marinus in Lexico. Radix enim est שקה per *ain*, id est, profundari, demergi, ad ima trahi; non שקע per *he*, id est, irrigari, potari: sic enim dicendum fuisset נשקה נשקה in genere fœminino, eo quod ארץ *erets*, id est, terra, sit nomen fœmininum. Israel ergo ibit in abyssum perinde ac Babylon, de qua dicit Ieremias cap. 51. v. 63. et ex eo S. Ioannes Apocal. 18. 21. *Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, et ultra iam non inuenietur.* Postremo Syrus hoc loco vertit: *Ascendet quasi fluvius finis eius, et repellet (opprimet) et descendet sicut fluvius Ægypti;* Arabicus Alexandr. *Ascendet quasi fluvius, et descendet quasi Nilus Ægypti;* Arabicus Antiochen. *Et adueniet finis eius quasi fluvius, et defluet et eiicietur quasi fluvius Ægypti.*

Vers. 9.

**OCCIDET SOL IN MERIDIE.**) Non quod reuera sol Israelitis occidet et abscondetur; sed quod dimio pavore et mœrore consternatis occidere et abscondi videatur. Pavor enim et mœror caliginem oculis, æque ac menti inducit, ut nœrentes in meridie videantur sibi versari in tenebris; nec lucem solis conspiciere. Hoc est enim quod explicans subdit: *Et tenebrescere faciam terram in die luminis;* ita S. Hieron. Theodoret. et S. Chrys. hom. 2. ad populum, ubi idipsum Antiochenis suo illo tempore contigisse asseverat, eo quod ipsi ob violatam Theodosii Imper. imaginem pavidi et anxii, in horas singulas ab eius ira laqueos, furcas et ignes expectarent.

Secundo, symbolice, *occidet sol in meridie*, id est, in summa prosperitate et felicitate Israelis maxima ei accidet calamitas et captivitas; ut sit parabola catachresis: sol enim et lux sunt causa et symbolum lætitiæ et prosperitatis, æque ac tenebræ calamitatis et tristitiæ. Ita Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et S. Greg. lib. 3. Moral. c. 1. Rursum sol, id est, mens et ratio, occidit irato et peccatori: quia tenebræ iræ et perturbationum animam eius oecipant, ut velut in nocte caeca positus, non videat quid agere debeat. Ita Cassianus l. 8. de Institutis renune. c. 9.

Allegor. hæc de oecasu et eclipsi solis, quæ per miraculum facta est in passione Christi, qua sol quasi pullatus inessit, et lux necem sui creatoris, exponunt S. Hieron. Ruffin. Rupert. hic, et Euseb. lib. 10. de Demonstr. e. 6. S. August. lib. 1. quæst. ex utroque Testamento quæst. 13. Cyrillus cateches. 13. Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 42. S. Cypr. lib. 2. ad Quirinum e. 23. Isidor. lib. de Passione Domini e. 45.

Vers. 10.

**ET INDUCAM SUPER OMNE DORSUM VESTRUM SACCUM** etc.) Efficiam ut omnes Israelitæ induant saccum, et capita radant, eaque decalvent: saccus enim et calvitium apud Iudæos signa erant lugentium, et luctus maximi, ut patet Ierem. 6. 26.

**ET PONAM EAM QUASI LUCTUM UNIGENITI.**) q. d. Affligam terram Israel gravissime, itaque faciam ut acerbissime lugeat: mortuo enim filio unigenito parentes, et maxime mater lugeat inconsolabiliter.

**ET NOVISSIMA EIUS (PONAM) QUASI DIEM AMARUM.**) q. d. Efficiam ut novissima et ultima Israelis sint luctuosissima et amarissima. Tropol. cogitet hoc peccator dum voluptuatur, quod scilicet Deus in hora mortis omnes delicias in dolores et angores convertet. Vere Pythagoras: *Omnium, ait, malorum maximum est voluptas, qua tamquam clavo ac fibula anima necitur.*

Vers. 11.

**MITTAM FAMEM IN TERRAM, NON FAMEM PANIS, NEQUE SITIM AQUÆ, SED AUDIENDI VERBUM DOMINI.**) q. d. Efficiam ut tempore obsidionis et expugnationis Samariæ, ita affligantur, angantur, inopesque sint mentis et consilii Israelitæ, ut prophetas quos iam contemnunt, toto orbe perquirant, ut ex iis seiscitentur et audiant tum oracula de obsidionis exitu, tum consilia ad eam evadendam: an videlicet, quando et quomodo sint liberandi.

Tropolog. S. Basil. homil. de Laudibus ieiunii in fine, citans hæc Amos verba, *Non famem panis, sed famem audiendi verbum Dei*, subdit: *Quam ideo inmisit iustus iudex, quod perspiceret eorum mentem verorum dogmatum*

**A penuria macrescere, externum vero hominem supra modum pinguescere, et obesum fieri.** Sepe enim Deus divites et gulosos punit fame et penuria cibi spiritualis, ut qui pinguescunt corpore, macrescant et emoriantur in spiritu; sicut ex adverso pauperes et abstinentes ditat et impinguat sua doctrina et gratia. Rursum hinc docet S. Gregor. 30. Moral. 35. *Sepe, inquit, doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, et saepe propter culpam auditoris subtrahitur sermo doctori, ut Ezechieli, cui ait Deus cap. 3. 26. Linguam tuam faciam adhærere palato tuo, et eris mutus, quia domus exasperans est.*

**ET COMMOVEBUNTUR A MARI, etc.)** q. d. Calamitate iam dicta, et fame, id est, desiderio audiendi oracula commoti Israelitæ, vel mittent legatos in omnes terræ angulos, ut a mari Galilææ usque ad mare Mediterraneum Prophetam aliquem perquirant, qui hæc eis enunciet: fiet enim eis iuxta illud psal. 73. 9. *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, et nos non cognosceat amplius;* ita Chald. Lyran. et alii. Secundo S. Hieron. Remig. Hugo et Arias, hæc sensu vel litterali, vel allegorico extendunt ad desolationem extremam Iudæorum, quam etiamnum ob oecisum Christum patiuntur, et patientur usque ad finem mundi. Amos enim licet directe prophetet contra decem tribus, indirecte tamen et comitanter prophetat quoque contra duas, puta contra Iudam et Benjamin. Sicut enim Iudas in seclere, sic et in vastitate similis fuit Israeli fratri suo. Huius ergo exedim illius fuit typus et præambulum.

Audi S. Hieron. totum hunc locum Christo et Iudæis adaptantem: *Possimus hunc locum et in Domini passione intelligere, quando sol hora scata retraxit radios suos, et pendente in cruce Dominum suum spectare non ausus est: quando tenebris euncta complentibus, festivitatis eorum et cantica, Vespasiano Titoque superantibus, in planetum luctuque mutata sunt; quando lacrynarum, et pœnitentiæ, et ciliciorum repleta sunt omnia; et capita habere calvitium, quæ prius nazaræorum decorata casarie comam Domino nutricabant. Tunc primogenitus filius Dei populus Israel, qui in unigenitum et vere filium Dei miserat manum, æterno luctui traditus est. Nunc ergo illis habentibus tenebras qui repulerunt solem iustitiæ, nos qui sedebamus in tenebris et in umbra mortis, vidimus lucem magnam, et illorum universa festivitas ad Ecclesiæ translata est mysteria. Et post pauca: Illi dormierunt in meretricis Synagoga: genibus, et diabolo tondente decasi, virtutem capitis perdididerunt, amittentes eum robore oculos, instar Samsonis. Et inferius: Ablata est ab eis lex, et Prophetæ æterno continere silentio: moventur a mari ad mare, et ab Oceano Britannico usque ad Oceanum Atlanticum, id est, ab Occidente ad Meridiem, et ab Aquilone usque ad Orientem toto orbe peregrini (et vagi) verbum Dei non valent invenire. Et mox famem verbi Dei explicans: Quibus, ait, ingerimus famem esse prædictam intelligentiæ spiritualis, in qua Christus cernitur, passio Domini et resurrectio reperitur. Circumeunt orbem, et quærunt verbum Domini, et non inveniunt: quia Verbum Domini negaverunt, quod factum est in manibus omnium Prophetarum, quod in principio apud Patrem erat, quod caro factum est et habitavit in nobis.*

**IN DIE ILLA DEFICIENT VIRGINES PULCHRÆ, ET ADULESCENTES IN SITI.**) q. d. Non tantum spiritualis, sed et corporalis fames et sitis eis obvenerit: hac enim tabescent virginis inuptæ, æque ac iuvenes, ita ut iis eneclis nulla posteritatis sit spes, sed tota quasi gens intereat. Unde Chald. vertit, *In illo tempore deliquim patietur cæcus Israel.* Ita Theodor. Albert. Lyran. et Clarius.

Mystice, S. Hieronym. *Deficient, ait, virginis, quia verbum Domini non inveniunt. Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesia, perire pudicitiam, castitatem mori, abire virtutes: quia non comederunt verbum Domini, quod qui comederit, saginatus eius cibo audiet per Salomonem: Iustus comedens saturat animam suam, anime autem impiorum esurient, Prov. 13.*

**QUI IURANT IN DELICTO SAMARIÆ.**) q. d. Ideo virgines, adulescentes et Israelitæ omnes punientur fame, siti et morte, quia adorant, colunt et iurant per vitalum au-

reum, quem Ieroboam erexit, et collocavit in Dan quasi Deum Samarie, eumque opponunt et anteponunt Dei verbo.

ET VIVIT VIA BERSABEE. ) Nota, Israelitas non tantum per vitulos suos in Bersabee erectos iurasse, sed etiam per viam qua ad eos ibatur in Bersabee, quasi hæc sancta esset a sancto idolo, q. d. Punientur qui iurant per vitam viam, qua itur in Bersabee. Non quod via hæc viveret, sed vitam vel metaphoricam, vel metonymicam intelligunt. Metaphoricam, q. d. Vivat, id est, floreat, teratur et frequentetur iugiter via Bersabee. Sic enim ex adverso viæ dicuntur mortuæ, vel lugere, cum neglectæ et deserte iacent, iuxta illud Thren. I. 4. *Vix Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Metonymicam, q. d. Vivat vitulus aureus Deus noster, ad quem ducit via tendens in Bersabee: vivat vitulus, cuius colendi causa tam longam inimus viam, ut a domo nostra camus ad fines Israelis: ibi enim sita erat Bersabee: ita Albertus et Lyran. Iurant per hanc viam, quia in illa multa erant sacella et aræ idolis erecta (eo quod illis in locis diu versatus fuis-

set Abraham Patriarcha) quæ peregrinantes adibant. Id patet I. Reg. 23, v. 8. ubi Iosias dicitur contaminasse *excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes de Gabaa usque Bersabee.* Addit Vatabl. significari hic idololatrarum studium, qui sanctitatem constituebant in longitudine itineris, ideoque ab uno termino Iudæe peregrinabantur usque ad alterum, puta a Dan usque in Bersabee. q. d. Vivit vigetque peregrinatio quæ incipit a Bersabee, et desinit in Dan. In Dan enim et Bersabee quasi in duobus regni sui limitibus vitulos aureos collocavit Ieroboam, quasi tutelares Israelis Deos. Arabicus vertit: *Iurant in indulgentia Samarie, et dicunt, quod Dan est Deus tuus et Bersabee.* Vide hic insanum idololatræ studium, quo non tantum idolo, vel templo, sed et viæ bene precantur, imo per illam quasi numen iurant.

CADENT (ob hanc idololatriam) ET NON RESURGENT ULTRA. q. d. Omnino et irreparabiliter corruent et peribunt. Ita contigit: nam decem tribus excisa Samaria abductæ in Assyrios nunquam inde redierunt.

## C A P U T N O N U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

Videt Amos Deum stantem super altare, et iubentem angelo, ut percusso cardine illud evertat, ob avaritiam et scelera populi, quem se perquisiturum et perditurum assertit, etiamsi is se in caelo, abyso, vel inferno absconderet. Secundo, v. 7. comparat Israelitas Æthiopicis, Syris et Palæstinis, tam in culpa, quam in pœna excidii et dispersionis. Tertio, v. 11. se eos per Christum restauraturum promittit, daturumque copiam frumenti et vini, adeo ut montes stillent dulcedinem.

1. **V**IDI Dominum stantem super altare, et dixit: Percute cardinem, et commoveantur superliminaria: avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit. 2. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: et si ascenderint usque in cælum, inde detraham eos. 3. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos. 4. Et si abierint in captivitatem eorum inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos: et ponam oculos super eos in malum, et non in bonum. 5. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet: et legent omnes habitantes in ea: et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti. 6. Qui ædificat in caelo ascensionem suam et fasciculum suum super terram fundavit: qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius. 7. Numquid non ut filii Æthiopicum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus? numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti: et Palæstinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene? 8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ: verumtamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus. 9. Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro: et non cadet lapillus super terram. 10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt: Non appropinquabit, et non veniet super nos malum. 11. In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: et reædificabo aperturas murorum eius, et ea quæ corruerant instaurabo: et reædificabo illud sicut in diebus antiquis. 12. Ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens hæc. 13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen: et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt. 14. Et convertam captivitatem populi mei Israel: et ædificabunt civitates desertas, et inhabitabunt: et plantabunt vineas, et bibent vinum earum: et facient hortos, et comedent fructus eorum. 15. Et plantabo eos super humum suam: et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

VERB. 1. **V**IDI DOMINUM STANTEM SUPER ALTARE. ) S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. et Ribera censent, Amos hic prophetare excidium duarum tribuum, et templi Hierosolymitani per Chaldæos. Probant, quia eius restitutio, quæ facta est per Esdram et Nehemiam, promittitur v. 11. Favet Chald. qui non verbo tenens, sed paraphrastico ita vertit: *Vidi gloriam Domini conscendentis a Cherub, qui mansit super altare: nisi populus domus Israel convertatur ad legem, extinguetur candelabrum, occidetur rex Iosias, et destruetur domus Dei, puta templum, et dissipabuntur atria, et vasa domus sanctuarii in captivitatem ibunt.*

Probabilius est quod censent Rufinus, Clarius et a Castro, Prophetam hic pergere prophetare contra decem tribus, ac consequenter hic prædicere excidium altaris et templi idololatriæ, quod ipsæ sibi crexerant in Bethel.

**B** Probatur Primo, quia ad decem tribus proprie missus fuit Amos in Bethel, ut patet c. 7. 13. Secundo, quia cap. 8. egit contra decem tribus: ergo et hoc cap. 9. Nam nihil est quod significet eum divertere sermonem a decem tribus ad duas; imo eum continuare sermonem ad decem tribus, patet ex v. 5. qui idem est cum v. 8. cap. 8. Tertio, quia v. 8. et 9. ait se loqui de domo Iacob et Israel: sic autem post schisma Ieroboam vocantur decem tribus, non duæ, præsertim quia addit: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* Hoc autem verum est de decem tribus, non de duabus. Decem enim traductæ in Assyriam, Mediam et Persidem, inde per omnes gentes sparsæ sunt, teste Iosepho: duæ autem traductæ in Babylonem. ibi manserunt, indeque post septuaginta annos sub Cyro reductæ sunt in Iudæam. Ad argumentum prioris sententiæ respondebitur v. 11.

Quæres, quomodo vidit hæc Amos, an oculis corporis, A an mentis? Corpoream fuisse visionem censent Albert. Arias et Euseb. 1. de Demonstr. c. 18. ac proinde censent angelum in corpore assumpto reipsa concussisse cardines templi, idque oculis corporeis vidisse Prophetam.

Verius est hanc visionem fuisse imaginariam, non corpoream, tum quia tales fuerunt communiter visiones Prophetarum: tum quia si visio hæc spectat templum Hierosolymitanum, ut multi volunt, non potuit hæc oculis corporeis videre Amos, utpote qui longe ab eo aberat, agebatque in Bethel: tum quia non est verisimile Deum hic assumpsisse corpus humanum, in eoque visum ab Amos, præsertim cum id non fecerit Isaia c. 6. 1. ubi visus fuit ab Isaia oculis mentis, non corporis, sedere in throno excelso; nec Ezech. c. 1. 26. ubi visus fuit ab Ezechiele oculis pariter mentis insidere curru cherubico. Sane si Deus voluisset videri oculis corporeis, id potius concessisset Isaia et Ezechieli, quorum visiones fuerunt augustissimæ, quam Amos Prophetæ rusticano.

**SUPER ALTARE.**) Vel thymiamatis, quod erat in Sancto sanctorum, ubi erat sedes et thronus Dei, ut vult Arias: vel holocaustorum, quod erat in atrio ante Sanctum, ut volunt Lyran. et Vatabl. Samaritæ enim æmuli Iudæorum, templum simile Hierosolymitano, ac consequenter simile atrium, Sanctum et Sanctum sanctorum, atque similia altaria thymiamatis et holocaustorum in Samaria, Dan et Bethel exercebant. Porro de altari Bethel potius, quam Dan aut Samariæ, hic agi, liquet ex eo, quod in Bethel vaticinabatur Amos, utpote loco Samaritis sacratissimo; tum quod Iacob Patriarcha in eodem sacrificasset, et vidisset Deum scalæ innixum, ideoque locum vocasset Bethel, id est, domus Dei: tum quod Ieroboam primus Israelis rex, schismatis et novæ religionis auctor, in Bethel non tantum altare vitulis aureis dedicasset, sed et ipse sua manu iisdem in eodem sacerdotis officio functus incensum adolevisset, ut patet 3. Reg. 11. 33. tum quod Iacobi et Ieroboami æmuli et asseclæ posterorum, reges Israelis, in Bethel sacrificantes, ibi quasi commune regni sui fanum statuissent: unde ab eis Bethel vocabatur *sanctificatio regis, et domus regni*, uti dixi c. 7. 18. In Bethel ergo, quasi in publico Israelis idolio, visus est Prophetæ Deus templo et altari ultor insistere, ac iubere illud excindi, una cum idololatria et idololatræ Israelis regno. Unde apposite visus est hic Deus stans, quasi instans operi, scilicet subversioni altaris et templi.

**ET DIXIT Dominus, vel Prophetæ Amos, ut opinatur S. Hieron. et Remig. vel potius angelo sibi assistenti, quasi voluntatis et operis sui administro, ut censet idem S. Hieron. Remigius, Rufinus Theodoret. et alii. Per Angelos enim solet Deus ulisei et plectere hostes suos. Angelo ergo dixit: PERCUTE CARDINEM.)** Scilicet templi, ut hæc percussione symbolica et imaginaria menti obiecta, representes et significes, quod Assyrii templum a cardine et ab imis fundamentis convulsuri, et subversuri sint, una cum impio eius cultu et cultoribus Israelitis: ita S. Hier. Emmanuel, Mariana, et alii iam citati. Unde Septuag. vertunt, *percutite propitiatorium*; Arabicus Antioch. *percutite pavimentum*; Arabicus Alexand. *percutite rationale pontificis*; Hebr. est *percutite הכפתור haccaphthor*, quod Tigurina vertit, *limen*; Pagnin. et Vatabl. *superliminare*, scilicet portæ templi. Proprie *capthor* significat pommum (ut vertit Syrus) et sphaerulam: et quia hæc sculpti solebant in liminibus, hinc significat limen. Noster hic vertit *cardinem* non limen, vel superliminare, quia ab eo distinguitur. Sequitur enim: *Et commoveantur superliminaria*, hæc enim commoveri nequeunt, nisi commoto cardine æque ac limine, cui superne quasi insistant. Cardio ergo dicitur *capthor*, quia habet figuram sphaerulæ, et quia sua vertebra tegitur. Radix enim כפר *caphar* significat tegere, involvere, operire. Inbet ergo Deus Angelo, ut percutiat tam limen portæ templi, quam cardinem liminis in quo ostiumolvebatur, id est, aperiebatur et claudebatur, ut significet portam templi, ipsumque templum, ac ingredientibus in illud percutiendos et subvertendos ab As-

syriis. Cardio enim est basis et fulcrum rei quam sustinet: unde cardio dicitur quasi cor ianuæ, quo scilicet illa movetur, ait Servius in illud Æneid. 1.

*Foribus cardio stridebat ahenis.*

Hinc Romani coluerunt deam Cardineam, quæ cardinibus præesset. Ita Seneca in Hippol. Iovi ait: *Celerique polum cardine versas.* Verius S. Anna mater Samuelis 1. Reg. 2. 8. *Domini, ait, sunt cardines terræ.* Et Sapiens Prov. 8. 26. *Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ.* Porro in cardine notatur stridor et horror convulsi et ruentis templi, iuxta illud Statii Thebaid. 1.

*Venti transversa frementes*

*Confligunt axemque emoto a cardine vellunt.*

Et Virgil. Æneid. 6.

*Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ Panduntur portæ.*

Ita in passione Christi terram universali terræ motu concussam, et e cardinibus fuisse convulsam censent Didymus in Catena Græcorum in Iob c. 9. et alii. Pari modo multi censent, totum orbem in die iudicii concutiendum et e cardinibus convellendum, idque significari illis verbis Christi Matth. 24. 29. *Et virtutes cælorum commovebuntur.* Et Iob 9. 6. *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ eius concutiuntur.* Vide dicta Apoc. 6. in fine.

**ET COMMOVEANTUR SUPERLIMINARIA.)** Syrus, *limina.* Hebr. ספיס *sippim*, quod R. David, et ex eo Pagnin. vertit, et *contremiscent postes*; Tigurina, et *commoveantur postes*, puta laterales, quos architecti vocant antas. Sed eodem redit sensus: concusso enim et convulso limine et cardine ab Angelo, necesse erat tam postes quam superliminaria quæ postibus incumbebant, conculi et commoveri, imo ruere. Significatur enim hic ruina portæ et templi. Unde Arabicus vertit, *commovebuntur portæ extrinsecæ.* Angelus enim tam valide quassavit cardines et portam, ut totus murus, ac consequenter totum templum illi incumbens ruere videretur. Arias et Euseb. lib. 1. de Demonstr. cap. 18. censent hæc realiter esse peracta, ac realem fuisse hunc terræ motum, esseque illum cuius meminit Amos c. 1. 1. ubi ex eo numerat et consignat annum suæ prophetiæ. Verum ex dictis liquet, aliam fuisse hanc concussionem ab illo terræ motu: ille enim fuit realis, hæc vero fuit imaginaria.

**AVARITIA (Syrus, dolus) IN CAPITE OMNIUM.)** Causam excidii templi, urbis et totius Israelis assignat avaritiam. Pro *avaritia* hebr. est בצעם *betsaam*, id est, *avaritia eorum.* Radix בצע *batsa* proprie significat lædere et vulnerare. Hebræi enim usuram et avaritiam vocant vulnus: quia tamquam gladius hominem vulnerat, et ipsius sanguinem exugit. Pari modo usuram vocant נשע *nescech*, id est, morsum, quia mordet et lædit proximum: sicut Latini fœnus vocant quasi funus. Hinc Secundo, Septuag. Hebr. *betsaam* accipientes non ut nomen, sed ut verbum Imperativi *kal*, vertunt *disseca in capita omnium.* *Disseca*, scilicet tum gladio hostili, tum frustis postium et superliminarium ex percussione angeli dissilientibus; unde alii legunt *disiice*, q. d. Dissilientia frusta postium dissiice in capita eorum, iisque ea disseca. Quocirca Tigurina vertit, *universorum capitibus vulnus inflige*; Arias accipit ut nomen, sed pari modo vertit, *concisio eorum in capite omnium.* Tertio, Vatabl. *betsaam* accipiens ut verbum præteriti temporis, vertit, *in frusta concidit eos* (nempe qui sunt) *in capite omnium*, id est, qui præsent alii omnibus. Hoc pertinet ad sacerdotes et magistratus: hos enim concidet Deus, vel angelus vice Dei: loquitur enim Deus, vel angelus de se in tertia persona. Hinc Pagninus pro *betsaam* legens in Benoni בצעם *betsaam*, vertit in prima persona, *in frusta concidam eos, in capite omnes ipsos.* Hic sensus priori subordinatur hoc modo, q. d. Quia ipsi sua avaritia, puta suis usuris et fraudibus vulnerarunt et conciderunt pauperes, ideoque pariter ipsis vulnerabuntur et concidentur ab hostibus. Hinc alii vertunt, *avaritia in capita omnium*, scilicet recidet, meritaque ab eis supplicia exiget: quæ versio valde consonat cum verbis præcedentibus et sequentibus. Unde Arabicus vertit, *percutite ca-*

put uniuersusque, et reliqui eorum gladio interficientur.

Porro avaritia dicitur esse *in capite omnium*, quia omnibus dominatur, omnes possidet: omnes enim caput, sensus, curasque omnes eo intendunt, ut iniquis lucris se dident, iuxta illud Ierem. 6. 13. *A minore usque ad maiorem omnes avaritiæ student.* Avarus enim dicitur quasi avidus, quod immensas opes aveat. Unde P. Nigidius apud Gellium lib. 10. cap. 5. *Avarus*, inquit, *appellatur, qui viduus aris est: sicut in ea copula, E, littera detritu est.* Item *locupletem ait dictum, qui pleraque loca, hoc est, qui multas possessiones tenet.* Sic Threnor. cap. 1. 5. dicitur: *Facti sunt hostes eius in capite*, id est, hostes dominati sunt Hierosolymæ. Avaritia ergo est *in capite*, non in calce; quia caput, id est, phantasiam animumque occupat, itaque illi est infixata ut vix evelli possit; quia tenet arcem mentis, indeque quasi regina, imo quasi dea omnibus cogitationibus, sensibus, potentiis, membris et actibus imperat tamquam mancipiis, cogitque ea sibi servire, suum regnum propagare, lucra ubique captare, opes sine termino coacervare. Hinc rursus ipsa est *in capite*, id est, est capitalis, et quasi caput avari, illi per omnia dominans, sicut caput dominatur toti corpori. Quocirca S. Paulus avaritiam nuncupat idolorum servitutem, id est, idololatriam, Ephes. 5. 3. Avarus enim in mente gerit idolum quod adorat, scilicet pecuniam et plutum. Hoc idolum est ipsi numen et Deus, cui se substernit totumque se mancipat. Ita videmus avaros nil somnare, nil cogitare, nil loqui, nil tractare nisi lucra, nisi *affer, affer*, Proverb. 30. 13. Annon ergo avaritia est in capite avari? Secundo, Lyran. Avaritia, ait, est in capite, id est, in regibus, ducebus et sacerdotibus populi. Quam enim hi dediti fuerint avaritiæ, patet tum ex Prophetis, tum ex Christo Matth. 13. 5. et e. 23. v. 14. et 23. qui acriter eorum avaritiam incusant; sic et modernos Iudæos quoslibet totos usuris et lucris intentos videmus. Porro sacerdotum avaritiam hic proprie taxari patet ex v. 1. *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit: Percute cardinem.*

Notat fontem omnis mali, scilicet avaritiam, indeque manantes fraudes et dolos. Nam, ut ait Apost. 1. Timoth. 6. 10. *radix omnium malorum est cupiditas.* Unde Sapiens Eccl. 10. *Avaro*, inquit, *nil est scelestius.* Porro hæc avaritia a summis manabat ad infimos; periude ut vitia principum et Prælatorum manantur ad subditos. Simili modo B. Petrus Damiani lib. 2. epist. 2. ad S. R. E. Cardinales, et S. Bernard. de Consid. ad Eugenium Pontif. et in Declamationibus, docent omnia mala Ecclesiæ provenire ex avaritia; hancque valde foveri et augeri cupiditate Ecclesiasticorum et Prælatorum. Idque verum esse luce clarius vidi, dum agerem in provinciis transalpinis. Quis enim laicus eredit Pastori ex Evangelio concionanti bona terrena esse contemnenda, et cælestia ambienda, si terrena ab eodem aliisque Prælatibus ita appeti, tam studiose congeri et conservari cernat? Qua fronte Prælati audebit suos hortari ad liberalitatem et eleemosynam, si ipse avare suas opes recondat, et in pauperes sit immitis et immisericors? Quis non inhiat divitiis, prædiis, officiis congerendis, si Ecclesiasticos videat beneficiis, pensionibus, redditibus, domibus, prædiis coacervandis totos intendere? Clericus est, cur sortem non in cælo, sed in terra quaeris? quo ore impudenter et mendaciter quotidie Deo, qui cor tuum avaram et terræ inhians intuetur, dicis: *Dominus pars hereditatis meæ, et calceis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi?* Annon merito obiicit laicus Ecclesiastico, Deus Levitis voluit esse sors et hereditas, terram vero inter laicos, puta inter cæteras undecim tribus, distribuit. Nostra ergo est terra, tu cælum et Deum quaere: nobis laborandum est, ut opes comparemus, quibus nos, uxores, filios, filias, famulos et ancillas alamus; tu qui solus es, cuius Deus est sors, eaque sufficiens et liberalis, cur plura semper appetis? ut quid studeas ditandis adeo nepotibus et cognatis ex patrimonio Christi? Itane res sacras Ecclesiæ adimis, easque laicis tibi propinquis, carnalis et infidelis Domini dispensator impendis? Annon hoc furtum, imo sacrilegium? ait S. Bern. Sunxit olim S.

A Urban. Pontifex et Martyr anno Domini 233. qui S. Cæciliam, pluresque alios docuit, et animavit ad martyrium, ne bona Ecclesiæ in laicorum usus impendantur, idque sub gravi pena: *Quia*, inquit, *hæc bona sunt oblationes fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum*, ut habetur cap. 17. q. 4. c. *Attendendum.* Idem sanxerunt alii Pontifices. Unde S. Hier. ad Pammach. *Pars*, inquit, *sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus.* Res enim pauperum sunt res et bona Christi crucifixi. Quocirca omnes Doctores censent esse peccatum mortale, si quis Ecclesiasticus opes, quas ex beneficio suo percepit, reliquat cognatis laicis, iisque eos locupletet. Cur ergo tu immodice, ait Doctor sapiens, beneficia beneficiis accumulans, pensiones pensionibus, itaque Ecclesiam ministris suis defraudas, ut paucos, eosque indignos habeat? cur patrimonium pauperum devoras, ut amicos ditescas? Itane demens es, ut animam tuam propter amicos damnare, et æternis gehennæ incendiis addicere velis? stulte hac nocte animam tuam demones repetent a te, et quæ parasti cuius erunt? Amici quos ditasti te ex inferno non liberabunt: imo pro gratis sannas et maledictiones tibi in inferno rependent, quod eis per opes lucris causa luxus, scelerum, indeque damnationis eiusdem. Evigilate Prælati, aperite oculos Ecclesiastici: Ne vos amor stolidus cognatorum infatuat ut sero gematis in æternum, dicatisque: Heu, quam fui fatuus, quam insensatus, qui non pro me, sed pro alio ditando, animam meam vendidi, occidi, perdidit. Heu me! nepotes mei, cognati mei traxerunt me ad tartara. *Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem pro anima sua.* Deo nemo lucum suis rationibus efficit. Quo maior es, eo maius das scandalum: quo potentior, eo potentius tormenta patieris: quia hereditate possidisti sanctuarium Dei; imo fecisti ut gentes, ut laici venirent in hereditatem Dei, et hereditate possiderent sanctuarium eius: ideoque tam Catholicos, quam hæreticos a fide et salute avertisti, eosque sanctum Christi et Ecclesiæ eius Christianæ nomen blasphemare fecisti. Aspice ex alto sponsam tuam, o Christe; maculam hanc e veste eius, imo tua, emunda. Utinam vel sanguine meo illam eluas! quam libens occumbam, ut ipsa suo nitore et decori cælesti restitatur! Mitte e cælis angelum qui rursus perecutiat cardines templi. Mitte novum Ieremiam qui iterum intonet illud e. 6. 12. *Extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe usque ad maiorem omnes student avaritiæ: et a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.*

Moral. discite quantum malum sit avaritia, quæ cum omnibus dominetur, omnes vulnerat, atque tam animæ avari, quam corpori proximi lethale sæpe vulnus infligit. Narrat Sabellicus lib. 7. Enneade 9. Calipham Mahometanorum pontificem, inter auri acervos volutatum fame interisse. Cum enim Halao Tartarorum regis frater occupasset Babylonem, omnemque populum trucidasset, Caliphas, qui magnam thesaurum congenerat, comprehensus, cumulo auri sui impositus, et per multos dies asservatus, inedia, vel sane pretiosa fame consumptus est. Sic et C. Caligulam pecuniæ avidissimum, inter immensos aureorum thesauros volutari solitum scribit Sveton. in eius vita cap. 43. qui iis non diu gavisus, paulo post miserabili nece occubuit. Avaritiæ symbolum est serpens græce dictus dipsas, quod inextinguibilem sitim morsu suo excitet. Dipsas, ait Lucian. l. de Dipsade, est serpens non adeo magnus viperæ similis, violento ictu, veneno erasso, qui dolore inducit intolerabiles. Ardore enim immittit inextinguibiles, et putredines, ac totum corpus adurit incendio. Insuper qui ab illa icti fuerint, clamant perinde atque illi, qui in ignem coniecti sunt: quo plus bibunt, eo plus sitiunt; nec sitim extinxeris, etiamsi totum Nilum aut Danubium epotandum præstiteris. Ita et Elian. l. 6. de Animal. c. 51. Dipsas est avaritia, quæ inexplebili opum siti, æque ac curis, doloribus, periculis et caedibus avaros incendit. Nam

*Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Multo concitator est avaritia in magnarum opum congestu*

Moral de Avaritia.

collocata, ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit, ait Seneca lib. 2. de Benef. cap. 27. Tales fuerunt Aeneas, qui ex oraculo persuadebant fore ut patriam terram amitterent, si particulam aliquam largirentur, ut ait Plutarch. in Quæst. Græcan. c. 14. Et illi de quibus Arnobius lib. 2. Contra Gentes: *Exercerent, ait, avidum atque iniustissimum fœnus, et e miserorum sanguine supputandi se augent insaniam: millibus possessionum semper producunt fines, et quamvis provincias totas rus faciant unum, pro arbore una, pro sulco forum litibus terunt: cum amicis, cum fratribus inexpiabiles suscipiunt simullatas. Vere Cyprian. ep. 2. Nec intelligit miser avarus, ait, speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, possideri magis, quam possidere divitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, et cupiditatis insanæ profunda caligo! cum exonerare se possit et levare ponderibus, pergit magis fortunæ argentibus incubare, pergit cumulis pertinaciter adhxerere.*

S. Aug.  
septem  
axiomata  
de avaritia

Quocirca Patres omnes acriter avaritiam et avaros insectantur, ac in primis S. Aug. cuius hæc de ea sunt axiomata. Primum: Avaritia duriora iubet quam Christus. Quid vis, ait, in Psal. 12. 8. ab avaritia possideri? dura iubet, levia iubeo: onus eius grave, sarcina mea levis est. Iubet avaritia ut mare transeas, et obtemperas. Iubet ut te ventis procellisque committas. Iubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transcendendum mare: quia avaritia imperat, servis; quia Deus iubet, odisti. Secundum in Psalm. 30. conc. 3. Dico avaro, quare invocas Deum? ut det tibi lucrum. Lucrum ergo invocas, non Deum. Ministrum lucri tui facis Deum. Voluit tibi Deus. Deus si ad te veniat sine auro et argento, non vis illum. Quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? Tertium in Psalm. 38. Vide o avarum, ne forte dum colligis, colligaris: ne forte cum vis esse præda minoris, sis præda maioris. Non enim sentis te esse in mari, nec cernis minores pisces a maioribus devorari. Dic mihi, thesaurizans, cui congregabis ea? Dicturus es: Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis. Servas transiturus transituris, imo vero transiens transeuntibus. Scis cum possessurum cui servas, aut si nondum natus est, scis nasciturum? Servas filiis, incertum est, an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum ubi reponendus est. Theaurizate vobis thesaurum in cælo. Quartum in Psal. 137. Avaris etiam ipsa fœcunditas filiorum (quæ cæteris felicior est) molesta est. Timent enim ne pauperes relinquuntur, qui multi nasci potuerunt. Quintum, Auctor serm. ad Fratres in eremo, qui extat tomo 10. S. Aug. serm. 48. O homo, ait, an ignoras quod radix omnium malorum avaritia est, et servitus idololatriæ, mater usuræ, genitrix simoniæ, fomes culpæ, æternæ pænæ via, nutritrix gehennæ? O avaritia abyssus insatiabilis! Omnia in homine senescunt vitia, sola avaritia juvenescit. Deinde subdit, quam fatuum sit filii vel nepotibus thesaurizate, qui eos in morte deserunt. O admirabilis infidelitas! ecce maritus dilectus ab uxore dilecta relinquitur, filius a matre proicitur, et pater a filiis, et filii a patre sub terra reconduntur. Solus ille dimittitur, et quilibet ad propria revertitur, et cito oblivioni traditus tanquam mortuus a corde. Et sub finem: Memorare novissima tua, quia conceptus es in culpa, natus in pœna, vivens in miseria, et necessario morieris in angustia. Sextum lib. de Conflictu virtut. et vitior. c. 16. Avaritiæ morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine fine meditatur, cum qualis post modicum in sepulcro futurus sit homo considerat. Hoc certe fixum manebat in illius (Iob c. 13.) corde qui dicebat: Homo putredo, et filius hominis vermis. Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Et Apostolus: Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus. Septimum lib. de Salutar. documen. c. 30. Avarus vir inferno est similis. Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit: Satis est; sic etsi omnes thesauri confluerunt in avarum, nunquam satiabitur.

S. Ambrosii hæc de avaritia axiomata sunt. Primum l. S. Ambrosii sex axiomata de eadem. 1. in Lucam sub finem: *Est ærugo mentis, cum sæcularium sordibus cupiditatum religiosæ acies intentionis obducitur, aut fideli puritas decoloratur nube perfidiæ.* Secundum lib. 2. Offic. c. 21. *Avaritia est veluti quædam bonorum ariditas officiorum.* Tertium serm. in Domin. 8. post Pentec. docet avarum esse similem insanienti, eumque semper avarum cogitare, omniaque in aurum convertere, ac gratus aurum intueri quam solem. Unde concludit: *Caveamus exemplum divitis istius, qui dum præsentis divitiis concludit, et de futuris sollicitudinem gerit, divitiis pariter abreptus et vita protrahitur ad tribunal horrificum, in quo accusatrix quidem eius assistit ipsa illa, quæ et totius eius vitæ comes extitit, avaritia, defensor vero et intercessor nusquam ullus apparet.* Quartum serm. 13. *Qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. Avaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis: non videt quæ divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt.* Quintum in Psal. 38. *Fides militat Deo, avaritia tentatori (diabolo) Sextum l. 1. Offic. c. 49. Sæpe quod avarus summa congesterit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus, et diu quæsita turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quædam absorbet voragine.*

Ut cæteros præteream, S. Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi discipulus, monachorum Pelusiaci montis in Ægypto Abbas, doctrina et sanctitate illustris, sub Theodosio Iulio anno Domini 440. epistola 233. egregie docet, quantum vulnus capiti totique homini infligat avaritia, dum cum tantum non mutilat, et truncat oculis, auribus, pedibus, etc. Primo enim graphice eam comparat hydræ, quæ ventrem habet inexplebilem, et Briareo centum manibus armato, ac Scyllæ, quæ omnia sorbet. Deinde fœminæ, belluina, ait, forma præditæ, ignemque spirant, ac sexcentas viperas crinium loco in capite habenti, perpetuo sibilantes, ac mortiferum venenum ecomentes: sexcentis item manus unguibus abundantes, quarum opera alios lacerat, alios sagittis impetit, ab aliis pecunias extorquet. Ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur dumtaxat, aut calumnias struit; verum etiam adulatur, ac servilem in modum alloquitur, et peccat, turpisque quæstus causa innumeras occasiones excogitat. Mox eius oculos depingit: Oculos habet, non ut naturæ consentaneum est cernentes, aut quemquam verentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem: verum asperum quiddam et acre, atque crudele, et inhumanum, igneumque obtuentes. Paulo post aures et pedes ita describit: Aures usque adeo septas et obturatas habet, ut nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat. Tantum vero abest ut pennas habeat (quæ saturitatem designant) ut ne pedes quidem ipsi vir ullus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, atque ab eo qui captus est secedere potest, verum manus in omnes innittens, ferro quovis ac plumbo gravior insidet, ut omnia accipiat et omnes expilet, nunquam autem expleatur: verum eorum quæ accipit multitudinem, fomitis et incitamenti materiam habet, verumque acceptarum finem accipiendarum initium efficiat. Unde concludit: *Ecquis igitur accerrimo huiusmodi et inexplebili furore, atque innumera peccata, et maledicta, et dedecora, et intemperantias ac petulantias nobis constante capitur? Ecquis animum inducat, tum in hac vita misere vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam lacretur, nec requiem ullam aut somnum sentiat; et in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere. Quid autem initium dico? Hic enim eos quos cepit, tyranno quovis acerbius torquet et excruciat, imo graviozem eis pœnam infert quam ii luant, qui ad metallâ damnati sunt: nam illis confecto opere, somno ac quiete frui licet; his autem ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens, noctu quoque sæva illa et inhumana edicta proponit. Est ergo bellua tetra, ignem spirans, oculis auribusque capta, execranda, Deo invisâ, implacabilis et crudelis.*

**ET NOVISSIMUM EORUM IN GLADIO INTERFICIAM.**) *No-*  
*vissimum*, id est, ultimum, aut abiectissimum et vilissi-  
mum, q. d. Omnes Israelitas usque ad ultimum et vilissi-  
mum gladio occidam. Loquitur enim de infinita multi-  
tudine que in Samaria, vel, ut alii volunt, in Jerusalem  
obsessa, et paulo post expugnanda, erat trucidanda. Est  
hyperbole: *Omnes*, id est, plerisque omnes: nonnullos eni-  
m evasisse, et cladi fuisse superstitibus constat; sed in re-  
spectu cæcorum fuere pauci.

Vers. 2. **SI DESCENDERINT USQUE AD INFERNUM, INDE MANUS**  
**MEA EDUCET EOS.)** Pro *descenderint*. Hebr. est יַחְתֶּרֶן  
*iachteru*, quod Septuag. passive vertunt, *si defodiantur*  
*in infernum*; Pagnin. et Vatabl. active, *si foderint in in-*  
*ferno*, q. d. Si Israelitæ scrobem aut foveam foderint in  
inferno, ut in ea se abscondant a conspectu meo, inde ex-  
traham eos ad supplicium. Similiter, *Si ascenderint usque*  
*in cælum, inde detraham eos*. Est hyperbole: per foveam  
enim inferni accipit foveam profundissimam, adeo ut vi-  
deatur usque ad infernum descendere: per cælum intel-  
ligit montes altissimos, qui suo vertice cælum tangere vi-  
dentur. Ita S. Hieron. Chald. Lyran. et Arias. Aut certe  
proprie accipit cælum et infernum, q. d. Si fieri posset  
ut in infernum descenderent, aut in cælum ascenderent,  
inde tamen per Assyrios detraham eos. Ita Vatabl. Simili  
modo S. Iob immensitatem et omnipotentiam Dei quam  
nemo evadere potest, describit c. 11. 8. *Excelsior*, ait, *cæ-*  
*lo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cogno-*  
*sces? Longior terra mensura eius, et latior mari*. Et Psal-  
tes psal. 138. 7. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua*  
*fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero*  
*in infernum, ades: si sumpsero pennas meas dilueulo, et*  
*habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua de-*  
*ducet me*. Ita manu sua claudit homines et creaturas om-  
nes, qui tribus digitis appendit molem terræ, et mon-  
tes palmo ponderat.

Vers. 3. **ET SI ABSCONDITI FUERINT IN VERTICE CARMELI.)**  
Duo erant Carmeli montes: unus in Iudæa, ubi versati  
sunt Nabal et David, 1. Reg. 25. 2. alter in Israel, immi-  
nens mari Mediterraneo, ubi versatus est, et latuit fugiens  
a facie Iezabel Elias, Elisæus, et filii Prophetarum. De  
eo videtur hic agi: quia fit hic mentio maris, et quia in  
Israel et contra Israel vaticinatur Amos.

**ET SI CELAVERINT,** id est, celare conati fuerint (re-  
vera enim nemo celari potest) **SE AB OCULIS MEIS IN PRO-**  
**FUNDO MARIS,** in insulis maris Mediterranei, **IBI MANDA-**  
**BO SERPENTI.)** Id est, hominibus feris et serpentinis, ut  
eos trucident, inquit Chald. et Arias. Sic Attila Hunno-  
rum rege vastante Italiam, directisque Aquileia, Ticino  
et Mediolano, eum infestus pergeret Romam, quam uti-  
que cepisset, nisi occurrens S. Leo cum avertisset, multi  
ex Italia ut Hunnorum manus evaderent, profugerunt ad  
mare, puta ad insulas et æstuaria barbaris inaccessa, ibi-  
que urbem adventantium, puta Venetorum, considerunt  
anno Domini 452. qui fuit Leonis Pontif. primi 13. Va-  
lentiniani Imper. 28. Marciani 3. Atque hæc est nobilis  
Venetiarum urbis et Reipubl. origo. Ita Baron. anno Chri-  
sti 452.

Secundo, simplicius S. Hieron. Theodor. Albert. et a-  
lii, proprie accipiunt hic profundum maris pro ipso fundo  
maris, ut vertit Vatabl. Quamobrem Pagnin. transfert,  
*in pavimento maris*; hoc enim proprie hebr. significat  
קַרְקַע *karka*, scilicet pavementum, fundum solum: dedu-  
citur enim per metathesin a ראָקַע *raka*, id est, firma-  
vit, extendit, solidavit. Unde *rakia* vocatur firmamentum.  
Quocirca Septu. vertunt, *si mersi fuerint ex oculis meis*  
*in fundamenta maris*, q. d. Etiam si se mergant in fundum  
maris, ut ibi ab oculis et ira mea se abscondant, ibi ta-  
men videbo eos. Est hyperbole.

**ET MANDABO SERPENTI.)** Septuag. *draconi*, hoc est  
pisci alicui ingenti et horrido, v. g. celo, ut mordeat et  
devoret eum: *mandabo*, id est, dabo illi hunc instinctum,  
et hanc phantasia mordendi et devorandi: bruta enim  
hunc phantasia instinctum sequuntur quasi legem natu-  
ræ sibi a Deo inditam. Sic celo dedit instinctum ut ab-

**A** sorberet Ionam c. 2. vers. 1. ad quem hic alludi censet  
S. Hieron. Simili modo Deus dicitur mandare pesti, fami,  
gladio, cum ea exerit et immittit provinciis vel urbibus.

Tropol. S. Gregor. in Psal. 7. *Pœnitent. Quid est, ait,*  
*celari in profundo maris, nisi in altitudine delitescere de-*  
*sperationis? Celat vero se qui non confitetur peccata sua:*  
*non confitetur autem qui desperat de misericordia Dei, vel*  
*certe ille se ab oculis Dei celat, qui a mandatis eius aver-*  
*titur. Oculi enim Domini spiritus Dei, qui legem, id est,*  
*mandata, dedit. Qui ergo se ab oculis Dei in profundo de-*  
*sperationis celaverint, potestatem accipit diabolus ut eos*  
*mordeat, et ut in ventrem eos suæ malitiæ inducat. Ipse*  
*est enim serpens cui dictum est: Terram comedes omnibus*  
*diebus vitæ tuæ.*

**ET SI ABIERINT IN CAPTIVITATEM CORAM INIMICIS SUIS,** Vers. 4.  
**IBI MANDABO GLADIO, ET OCCIDET EOS.)** q. d. Quod si  
non fuerint occisi in Samaria, faciam ut occidantur in As-  
syria a suis hostibus, puta ab Assyriis. Sic Romani cap-  
tivos aliarum gentium, quos Romam ducebant in trium-  
phum, post triumphum iugulabant. Secundo, Arias et a  
Castro *gladium* per catachresin accipiunt pro misera et  
ærumnosa vita et servitute, quam acturi erant Israelitæ  
in Assyria: servitus enim in lure æquiparatur morti, vo-  
caturque mors civilis. Nam Israelitas in Assyria occisos  
non legimus. Verum multa a Prophetis prædicta sunt,  
quæ expleta non dubitamus, etsi in historiis id scriptum  
non legamus. Prior ergo sensus uti litteralior, ita genui-  
nior et communior est, puta S. Hieron. Remig. Albert.  
Lyran. et Vatabl.

**ET PONAM OCULOS MEOS SUPER EOS IN MALUM, ET**  
**NON IN BONUM.)** q. d. Ubique eis malefaciam, ubique af-  
fligam et puniam, donec perdam eos. Ita Vatabl. Nota:  
negatio illa, *et non in bonum*, magnam auxesim continet,  
q. d. Nil boni, sed omne malum eis asseram et infligam.

**ET DOMINUS DEUS EXERCITUM QUI TANGIT TERRAM,** Vers. 5.  
**ET TABESCET.)** Arias, *et sterilesceit*, sive fit sterilis; Tigur.  
*et liquescit*; Pagnin. *et defluit*; Sept. *et commovet eam*:

quia, ut ait S. Hier. concutit fundamenta terræ. Hebr.  
תַּמּוֹג *tamog* proprie significat *resolvi, liquescere*, uti ce-  
ra ad ignem, nix ad solem in aquam resolvitur et lique-  
scit, q. d. Ne vanas Dei minas putetis, scitote eum tam  
esse terribilem, quam omnipotentem: ipse enim solo at-  
tactu virtutis suæ, imo solo nutu facere potest, facilitate  
interdum ut terra tabescat et consumatur, uti dum dedit  
legem in Sina, mons Sina fumo et igne tabescere videba-  
tur, Exodi c. 19. et 20. iuxta illud: *Qui tangit montes, et*  
*fumigant*; aut facit ut terra in aquam mergatur vel ver-  
tatur et diffluat, uti fecit in diluvio tempore Noe, et in ma-  
ri rubro, dum per illud sicco alveo traduxit Hebræos, in-  
sequentem vero Pharaonem et Ægyptios redeuntibus a-  
quis involvit et obruit. Sic sæpe insulas, et continentem  
mari mergit, et in mare convertit. Simili modo, esto non  
codem, Samariam per Assyrios vastabit, consumet, et  
quasi tabescere faciet. Hoc est quod dicitur Psalm. 17.  
8. *Commota est et contremuit terra: fundamenta montium*  
*conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.*

**D** Et v. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum, revelata sunt*  
*fundamenta orbis terrarum ab increpatione tua Domine,*  
*ab inspiratione spiritus iræ tuæ.* Et Isaia 64. 1. *Utinam*  
*dirumperes cælos, et descenderes! a facie tua montes deflue-*  
*rent, sicut cæustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni.*

**ET ASCENDET SICUT RIVUS.)** Hunc versum iterat et re-  
petit ex c. 8. 22. ubi eum explicuit.

**QUI ÆDIFICAT IN CÆLO ASCENSIONEM SUAM.)** Hebr. Vers. 6.  
מַעְלוֹתַי *maalotai*, id est, *ascensiones* (ita Syrus) *suas*;  
Vatabl. *gradus suos*, q. d. Qui fecit cælum quod multis  
sphaeris constat, quæ certum ordinem habent inter se, ac  
velut gradus, per quos ascenditur gradatim usque ad cælum  
summum et empyreum. Probat omnipotentiam et sapientiam  
Dei ex rebus creatis, ac præsertim ex cælis. Unde Pagnin.  
*qui ædificat in cælo sphaeras eius, et elementa*  
*tria eius super terram fundavit*; Arabiens Alexandrinus,  
*qui ædificavit cælum et superiora, qui firmavit pactum*  
*suum super terram.* Secundo, ascensio, vel ascensiones,

vocatur altissimum Dei palatium in caelo, ad quod multis ascensionibus scandendum est. Unde Chald. vertit, *qui collocavit in excelso maiestatem gloriae suae*. Ita Theodoret. Lyran. Arias, Mariana et alii. Hinc et Arabicus Antiochen. vertit, *qui aedificat caelum quasi tabernaculum, et praeparatio eius in terra dirigitur*. Est metonymia: ponitur enim ascensio pro sui termino, puta caelo, in quod ascenditur. Sic saepe actio capitur pro loco, in quo actio exercetur; ut oratio pro oratorio, in quo oratur; coenatio pro coenaculo, in quo coenatur; deambulatio pro ambulacro, in quo ambulatur. Sic congregatio, quies, Ecclesia, mansio, habitatio locum significant illis actionibus destinatum. Ita Sanchez.

Mystice, R. Haccados apud Galatin. lib. 7. c. 15. *Via, ait, aquila in caelis, est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in caelum, sicut dictum est Amos c. 9. Qui aedificat in caelo ascensionem suam*. Unde et Tertoll. lib. 4. contra Marc. c. 34. sic legit et explicat: *Ad quam (resurrectionis promissionem) ascensum suum Christus aedificat in caelum, secundum Amos: utique suis: ubi est et locus aeternus, de quo Isaias: Quis annuntiabit vobis locum aeternum, nisi scilicet Christus incedens in iustitia?* Is. 33.

Tropolog. S. Hieron. Remig. et Hugo, per ascensiones accipiunt viros sanctos, quorum conversatio in caelis est, quique eo ascensiones in corde suo disponunt, ut ait Psaltes psal. 83. v. 6. euntque de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion. Deus, ait S. Hier. *quotidie credentes de terris ad caelum levat, ut in illis conscendat: Ascendit Dominus in caelum cum Enoch: ascendit cum Elia: ascendit cum Mose, cuius sepulturae locus, quia in caelum ascenderat, in terris non potuit inveniri: ascendit cum Paulo in tertium caelum*.

ET FASCICULUM (Syrus vertit, *promissionem*; Arabicus Alexand. *paetum*; Arab. Antioch. *praeparationem*) SUM SUPER TERRAM FUNDAVIT.) Primo, Lyran. Clarius et Vatabl. *Fasciculum*, inquit, vocat colligationem trium elementorum, puta ignis, aeris et aquae, quae in terra quasi basi et centro fundata sunt. Unde Pagnin. vertit, *et elementa tria eius super terram fundavit*. Haec enim opponit ascensionibus, id est, sphaeris caelestibus, q. d. Sicut Deus aedificavit magnas multasque, et tot stellis illustres sphaeras in caelo, ita pariter in terra fundavit tria rerum omnium sublunarium elementa, ex quibus caetera omnia fabricavit, eaque apta serie, ordine et nexu compaginavit et quasi in unum fasciculum colligavit. Hic sensus videtur genuinus: celebrat enim Dei magnificentiam ex fabrica caeli et terrae. Unde et sequitur: *Qui vocat aquas maris, et effundit eas* (vel per exundationem ex hoc suo alveo, vel per pluviam ex nubium fasciculo) *super faciem terrae*. Ipse enim *ligat aquas in nubibus suis*, quasi in fasciculo, *ut non erumpant pariter deorsum*, Iob 26. 8. Secundo, Sanchez per *fasciculum* intelligit scabellum: in scabello enim est colligatio, vel lignorum et asserum, vel torquentorum et pannorum, puta cum scabellum est pulvinar, quod pedibus principum substerni solet instar scabelli, q. d. Dei sedes et thronus est caelum, scabellum vero est terra, et omnia quae super eam sunt.

Tertio, alii per *fasciculum* intelligunt legem multiplicem, qua Deus homines quasi colligat et coercet; ac, si eam violent, in ergastulo alligat et constringit.

Globus terrae est fasciculus sextupliciter.

Verum primus sensus est genuinus. Hebr. enim אגדה *agudda* proprie significat aggregationem, turbam, turmam, congregationem, colligationem, fascem, conglobationem, globum, ut patet 2. Regum 2. 25. quod ultimum huic loco optime congruit. Mundum enim sublunarem vocat conglobationem, vel globum elementarem, sicut a Mathematicis idem vocatur globus vel sphaera terrestris. Hic ergo globus vocatur fasciculus. Primo, ob rerum aggregationem: quia sicut fasciculus ex multis lignis, floribus, vel herbis componitur; ita et globus hic terrestris ex multis elementis, mistis et compositis conflatur. In eo enim sunt variae species herbarum, arborum, plantarum, animalium, avium, piscium, lapidum, gemmarum, etc. mistorum enim innumeræ sunt species. Simili

A modo de damnatis ait Isaias cap. 24. 22. *Congregabuntur in congregatione unius fascis (instar fascis) in lacum*. Secundo, globus hic vocatur *fasciculus*, ob rerum tam variarum, tam disparium, tam inaequalium, tam contrariorum et inter se pugnantium coniunctionem, et amicam consociationem. Deus enim sphaeram hanc ex tam variis et contrariis apte colligavit, sicut fascis ex lignis tortuosis, rubis et spinis a perito baiulo apte colligatur. Tertio, fasciculus significat unam esse mundi inferioris congregationem et rempubl. in qua res diversissimæ et plurimæ quasi in fasciculo alligatae et coegregatae sunt a Deo. Unde rursus fasciculus significat Dei providentiam et curam, qua mundum hunc quasi suum fasciculum in hac unione et colligatione tuetur et conservat, ne elementum unum destruat contrarium, ne lupi devorent omnes oves, ne ignis omnia comburat, etc. Quarto, vocatur diminutive *fasciculus*, non *fascis*: quia in manibus Dei, qui, ut ait Isaias, tribus digitis appendit molem terrae, est instar exigui fasciculi. Quinto, quia ob sui elegantiam, in oculis et naribus Dei est quasi fasciculus aromatum vel florum.

Unde fasciculus subinde idem est quod olfactoriolum: ita Cicero 3. Tuscul. *Fasciculum*, ait, *ad nares admovebis, incendes odores, et sertis redimiri iubebis et rosa*. Et sponsa Cant. 1. *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi*. Sexto, fasciculus significat singularum rerum et specierum inter se aptum ordinem et collocationem, ut quasi in fascie unaquaque suo loco apposite et congrue ordinata et collocata esse videatur; in hoc enim ordine elucet mira Dei ordinatoris sapientia et providentia. Narrat Gellius l. 5. c. 3. Protagoram ex baiulo per fasciculum factum esse philosophum. Cum enim ipse in agro caudices ligni plurimos valde concinne colligasset in unum fasciculum, eumque humeris portaret, occurrit ei Democritus philosophus: *Videt eum cum illo genere oneris tam impedito, ac tam incohibili facile atque expedite incedentem. Et prope accedit, et iuncturam posituramque ligni seite periteque factam considerat: petitque ut paulum acquiescat. Quod ubi Protagoras, uti erat petitum fecit; atque itidem Democritus acervum illum et quasi orbem caudicum brevi vinculo compressum ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit, interrogavit, quis id lignum ita composuisset. Et cum ille a se compositum dixisset, desideravit uti solveret, ac denuo in modum eundem collocaret. At postquam ille solvit, ac similiter composuit, tum Democritus animi aciem, solertiamque hominis non docti demiratus: Mi adolescens, inquit, cum ingenium bene facienti habeas, sunt maiora melioraque quae facere necum possis. Abluxitque eum statim, secumque habuit, et sumptum ministravit, et philosophias docuit, et esse eum fecit, quantum postea fuit. Si in Protagoræ fasciculo coordinationem lignorum, concinnitatem et ingenium mirabatur Democritus, quis non miretur in hoc Dei fasciculo, et globo sublunari adeo concinnam et sapientem tot generum, tot specierum, tot individuorum diversissimorum, imo inter se pugnantium dispositionem, connexionem et ordinem? Quis non exclamet eum Sapiente cap. 11. 21. et cum Apostolo Rom. 11. *O altitudo divitarum sapientiae et scientiae Dei! quam apposite omnia in mensura, numero et pondere disposuisti!* imo in uno quasi fasciculo colligasti!*

Mystice, *fasciculus* hic est Ecclesia cœtusque fidelium Israelitarum, quos Deus fasciculo legis, aequae ac providentiae suae fortiter colligatos, in terra Chanaan collocavit, et formavit, uti pepigit et promisit. Unde Chald. vertit, *et Ecclesiam suam in terra decoravit*: ita Ruffin. Hugo et Dionys.

Anagog. *fasciculus* hic est Sanctorum et electorum, vinculo charitatis in terra, et vinculo praedestinationis in mente Dei colligatus, de quo in Evangelio: *Ne timeas grex parvule, quia complacuit patri meo habitare in te*, inquit S. Hieron. qui et de eo ita loqui pergit: *Fasciculus una Domini religione constrictus est: unde et ipsa religio a religando, et in fascem Domini vinciendo nomen accepit*. Septuag. vertunt, *repromissionem suam fundat super terram, ut omnes illius repromissiones, quas (de Chri-*

Fasciculus est Ecclesia.

Fasciculus electorum cœtus.



sto et Christianis) SS. *Propheta suo ore cecinerunt, fundentur in terra, etc. ut quotidie peccato mortui, et vitiorum funibus alligati* (instar Lazari a Christo suscitati) *de sepulero seclerum suorum iubeantur exire: quotidie sanguinis opera constringantur, etc.* Sic I. Reg. 25. 29. Abigail ait David: *Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium: porro inimicorum tuorum anima rotabitur in impetu et circulo fundæ*, q. d. Dintissime et securissime vives: hostes vero tui ruent in interitum: nam res recandita in ligamine, qua ligantur vitæ, seu vivi, ad hoc recanditur, ut servetur inter vivos: quod vero ponitur in fundæ, ad hoc ponitur, ut fundæ illud eiaceatur, ait ibidem Caietan. Anagogice id ipsum de electis et reprobis exponunt ibidem Eucherius et Angelomus: Fasciculus, inquit, viventium est numerus prædestinatorum, idque Primo, quia, ut ait Eucher. fasciculus astringitur ut conservetur, pari modo electi afflictionibus constringuntur, ut Deo fidem servant: reprobi vero, quia laxius vivunt, quasi lapides fundæ a Deo abiiciuntur. Secundo, quia, ut ait idem Eucher. sicut fasciculus vinculo colligatur, ita sanctorum cætus eadem fide et spe, eodemque charitatis nexu constringitur, et uno eodemque Dei præsidio undique vallatur. Tertio, quia, sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur, ita electos omnes Deus in manu sua gestat, et virtutum odore qui ex illis continuo efflatur, mire delectatur. Quarto, quia sicut fasciculus non nisi ex certis iisque selectis floribus conficitur; ita electorum numerus ex certis, iisque selectis, ac charitate omnique virtute præstantibus constituitur.

QUI VOCAT AQUAS MARIS.) Tigurina, *qui evocat ad se aquas maris*, scilicet resolvendo aquas per calorem solis in vaporem, eumque ad se sursum elevando in mediam acris regionem: ubi facit eum concreescere in nubem, et nubem vi solis resolvit pluviam, quam effundit super terram: ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Lyran. et Vatabl. Solus Arias hæc accipit de exundatione maris, qua vicinam terram obruit. Symbolice Chald. per aquas accipit turmas Assyriorum, quasi Deus hic Israeli minetur eorum adventum.

Vers. 7. NUMQUID NON UT FILII ÆTHIOPUM VOS ESTIS MIHI FILII ISRAEL? ) Primo, Chald. vertit, *numquid non ut filii dilecti reputati estis vos eorum me?* Videntur enim Æthiopes Iudeis ob coloris differentiam et singularitatem, quasi quid rarum et mirabile, fuisse in pretio et in deliciis, uti etiamnum principes in suis aulis alunt Æthiopem, vel Pygmæum ad delicias, et ad ostentationem. Unde et Numer. 11. 1. uxor Mosis Æthiopiissa, a Chaldæo vocatur uxor pulchra: nisi dicas esse antiphrasin, pulchra, id est, atra et deformis. Et vice versa, Æthiops, id est, minime Æthiops et niger, sed candidus et speciosus. Unde sic ex Hebræo vertas, *numquid sicut filii Æthiopum vos mihi estis o filii Israel?* q. d. Minime: nam Æthiopes sunt atrii, deformes, invisii, vos vero mihi estis candidi, formosi, gratiosi et dilecti. Porro hanc dilectionem, æque ac verum sic explicat Arias, q. d. Æthiopes sunt symbolum servitutis: ab olim enim a Noe servituti sunt addicti, cum dixit Genes. 9. 25. *Maledictus puer Chanaan, servus servorum erit fratribus suis:* a Cham enim ortus est Chanaan, et frater eius Chus, qui fuit pater Æthiopum, qui inde hebr. vocantur *Chusim* Genes. 10. 6. Vos ergo, o Israelitæ, fustis quasi Æthiopes, cum ab Ægyptiis, aliisque gentibus dura servitute premere mini, sed ego vos diligens ea vos liberavi, mihi que aseivi. Equum ergo est ut me redamatis, mihi que quasi liberatori et Domino vestro serviat.

Secundo et aptius, Syrus et Arabicus hæc assertive accipiunt, q. d. Vos o Israelitæ similes estis Æthiopicibus; quia sicut Æthiopes ex Ægypto traduxi in Æthiopiam (hæc enim sita est ultra Ægyptum, illique adiacens et quasi subiecta est) ita et vos ex Ægypto traduxi in Chanaan. Unde explicans mox subdit: *Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti?* Huic etiam consonat quod præcessit: *Et fasciculum suum super terram fundavit, q.*

d. Deus Israeliam quasi suum fasciculum et peculium ex Ægypto traduxit in Chanaan, ibique eum stabilivit et fundavit. Item illud vers. 5. *Et defluet sicut fluvius Ægypti.* Persistit enim in comparatione Nili et Ægypti: q. d. Nolite gloriari quod patrem habeatis Abraham, qui proximiores parentes habetis Ægyptios. Ibi enim nati sunt Moses eiusque cœvi patres vestri, quos ex Ægypto traduxi in Chanaan, perinde ac Æthiopes ex eadem traduxi in Æthiopiam: vos ergo estis congeneres, et quasi fratres Æthiopicum, tum origine et genere, tum moribus. Estis enim atrii, deformes, indurati, et immutabiles in sceleribus vestris, ut non tam Abraham, quam Æthiopicum fratres et filii esse videamini, ideoque vos a me abiiciam tradamque Assyriis. Simili modo ait Ierem. cap. 13. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis beneficere cum didiceritis male.* Et Ezech. 16. v. 3. *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Unde S. Hieron. *In omnibus*, ait, *Script. Æthiopes dicuntur qui pernit in vitia demersi sunt:* ita S. Chrysost. homil. 11. in Matth. Lyran. Pagnin. Vatabl. et Ribera. Huc spectant vulgata adagia: *Æthiops latus*, id est, tentas rem frustraneam et impossibilem: Æthiops enim quantavis lotionem, quantavis lixivio non albescit. *Æthiopicum ex vultu iudico:* Æthiops enim nigrore vultus, intortis capillis, labris tumentibus, dentium candore præ se fert patriam suam; nam vestem mutare potest Æthiops, faciem non potest. Hinc epigramma Luciani:

*Abluis Æthiopicum frustra, quin desinis artem?*

*Haud unquam efficies nox sit ut atra dies.*

Monebat Pythagoras, ne gustarem de his quibus nigra est cauda, quo vetabat eum iis versari, qui nigri essent morum improbitate. Thren. 4. v. 4. *Candidiores nazaraei eius nive, candidiores lacte*, nimirum eum pure vivebant, cum caste Deum colebant; at cum impure et inceste, *denigrata est super carbones facies eorum.* Porro licet quævis improbitas vocetur nigredo, tamen proprie ita vocatur detractio, qua quis alienam famam, et suam conscientiam deuigrat: quocirca *niger* vocatur invidus, detractor, calumniator. Ita in titulo psalm. 7. Saul Davidis insectator vocatur Chus, id est Æthiops. Et Horat. satyra 4. lib. 1.

—— *Absentem qui rodit amicum, etc.*

*Hic niger est, hunc tu Romane caveo.*

Hinc vulgare proverbium: *Albus, an ater sis nescio: Et: Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Candor enim candidi animi, nigror maligni est symbolum. Addit S. Hieron. Remig. Rupert. et a Castro, Deum hic significare suam potestatem et ultionem in gentibus transferendis et evertendis, q. d. Vos, o Israelitæ, non superiores, ut iactatis, sed pares per omnia estis aliis gentibus. Nam æque ac Æthiopes, Palæstini et Syri a me creati, pari iure mihi subditi estis. Unde pari providentia, qua illas gentes in suis provinciis collocavi, collocavi et vos in Chanaanæa: atque pari iustitia, qua illas ex iisdem ob scelera expuli et contrivi, etiam vos e Samaria expellam et conteram. Unde subdit: *Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ.* Porro quomodo et quando Æthiopes a Deo expulsi aut contriti sint, non liquet. Aliqui referunt hoc ad bellum quod Moses nomine Pharaonis gessit contra Æthiopes, quo eos subegit, uti narrat Ioseph. lib. 2. Antiqu. e. 5. Verum historia hæc dubia est, quæ solo nititur Iosepho: atque idem addit, illo bello Mosen non contrivisse Æthiopes, sed ad pacem coegisse, ac ducta regis Æthiopicum filia in uxorem, amicum, imo generum ex ea recessisse.

Alii probabilius id referunt ad Asa regem Iuda, qui militionem Æthiopicum cum suo duce Zara occidit, 2. Paralip. 14. v. 9. et 13. Verum hi cæsi sunt extra Æthiopiam, nec Asa Æthiopes coegit mutare sedes, aut ex Æthiopia in aliam regionem traduxit. Hæc ergo historia notæ erant tempore Amos: unde ipse de iis quasi tunc publicis loquitur; forte etiam conscriptæ fuerunt in Chronicis illius ævi, quæ iam non extant. Nam multi libri sacri, æque ac profani per tot annorum centurias, totque urbium et bi-

bibliothecarum exustiones aut vastationes, perierunt.

ET PALÆSTINOS DE CAPPADOCIA.) Cappadoces, hebr. כַּפְּתָרִים *caphtorim*, occuparunt Palestinam, exclusis ab ea Hevæis primis incolis, uti narratur Deuter. 2. 19. et Jerem. 47. 7. vide ea quæ utrobique dixi. ET SYROS DE CYRENE.) q. d. Cyrenenses venientes ex *Kir*, urbe et regione Assyriæ (uti dixi cap. 1. v. 5. male ergo Theodor. censet *Kir* esse Haran, sive Charras urbem Parthorum, in quam ex Ur, urbe Chaldæorum, Dens traduxit Abraham cum Thare, Genes. 11. 27.) transtuli in Syriam Damasci, quæ prius ab Aram filio Sem, vocabatur *Aram*, a novis vero hisce incolis venientibus ex *Kir*, dicta est *Kyria*, indeque, ut nonnulli putant, euphoniæ causa *Syria*, sicut postea vice versa, cum Teglatphalasar expugnavit Damascum, ex ea rursum transtulit Syros in Mediam et Assyriam, puta in *Kir*, ex qua olim venerant. Sensus est, q. d. Ne blandiamini vobis, o Israelitæ, de mea in vos cura et providentia, qua vos olim eduxi de Ægypto et collocaui in Chanaan. Nam pari modo Cappadoces collocavi in Palestina, Kirenses in Syria; et tamen illos ob sua scelera Palæstina per vos expuli, hos Syria per Teglatphalasar expellam. Scitote ergo me idem vobis facturum, ni scelera vestra castigetis, vitamque et mores emendetis. Nominat Palæstinos et Syros, quia his contermini tam situ, quam moribus erant Israelitæ: unde tacite eos taxat: Syri enim male audiebant olim ob morum mollitiem. Unde proverbium: *Cum non sis Syrus, ne syrissa*, id est, ne sumas personam parum decoram; aut, cum sis ingenuus, ne moribus agas servum et barbarum. Est acutus locus ex amphibolia verbi *συσσίζω*, quod significat et syrissare, et fistula canere. Et Cicero l. 2. ad Q. fratrem: *Nos, ait, ita philologi sumus, ut vel cum fabris habitare possimus. Habemus hanc Philosophiam non ab Hymetto, sed ab area* (aliqui legunt hara) *Syria*, id est, a rusticana simplicitate.

Vers. 8. VERUMTAMEN CONTERENS NON CONTERAM.) q. d. Plane et omnino non conteram Israellem, sed reliquias ex eo servabo et salvabo.

Vers. 9. SICUT CONCUTITUR TRITICUM IN CRIBRO.) Romæ enim, et alibi in Italia cribrant frumentum, cribroque pro vano utuntur. Idem videntur fecisse Israelitæ, uti hic indicat Amos, q. d. Sicut cum frumenta ventilantur in vanno, ut vertit Tigurina, vel eribrantur in cribro, paleæ vel avolant, vel per foramina cribri decidunt in pavementum, lapilli vero et grana remanent in cribro; ita electi et probi ex Israel servabuntur, cæteri improbi peribunt. Unde Theodor. *Nec vero secus, ait, quam agricola a quisquiliis et purgamentis frumentum secernit, ego etiam salute dignos servabo, reliquos necandos tradam.* Metaphora cribri, ait S. Hieronym. significatur ipsa terra Israel, cuius margines Deus magnitudine sua utraque manu tenens, quasi cribrum huc illicque concutiet, ut paleis ac sordibus peccatorum concussis, id est, labore et calamitate exagitatis, et in terram cadentibus, ac gladio morientibus, purum frumentum remaneat, quod in horrea condatur. Quocirca cum subdit Amos:

ET NON CADET LAPILLUS SUPER TERRAM.) Per lapillum intelligit *granum*, ut vertunt alii: quia granum est durum instar serupoli et lapilli. Est catachresis: unde hebr. *צֶרֶר* *tsorer* significat fasciculum, et sacculum; ac metonymice res quæ in fasciculum colligi, aut, in sacculum colligari solent, qualia sunt grana, item lapilli pretiosi aut pulchri, margaritæ, nummi aurei, argentei, etc. Radix enim *צֶרֶר* *tsarar* significat stringere, aretare, premere. Unde *tsorer* est res areta, stricta, pressa, quæ in sacco vel loculo stringi, densari et aretari solet, qualis est triticum. Unde Septuag. vertunt *συσσίζω*, id est, convolutio, globus, coagmentum, compactile, puta *granum* maiusculum conglobatum et compactum, ut vertit interpres Complut.

Alii tamen *lapillum* hic proprie capiunt; idque varie. Primo, Rupert. censet hic agi de cribro, non frumentario, sed murario, quo lapides a pulveribus secernuntur: hoc refellit Ribera. Secundo, Palacius lapillis censet significari improbos, qui per cribri foramina nequeant eva-

dere manum et vindictam Dei, et ideo manu eiusdem sint e cribro eiiciendi, id est, ab hostibus occidendi, vel captivandi; ac consequenter per triticum significari probos. Sed hoc recte refellit Delrio adagio 981. Nam triticum per foramina cribri descendere, et secerni non solet; nisi per triticum non grana, sed farinam accipias: hæc enim a suis folliculis et glumis cribro transmissa secernitur. Tertio, Rufinus censet purgantes triticum illi iungere lapillos in cribro. *Ad hoc, inquit, ut vim concussui addant marginibus illisi, et nihil de quisquiliis remanere patiantur.* Symbolice vero, nomine lapillorum eorum indicat firmitatem, qui malis haud facile corrumpantur exemplis, ut illis temporibus Prophetas, et alios iustos fuisse legimus, qui cum reliquum vulgus, ne ligna ac stipulæ deperirent, illi velut solidi, perque hoc pretiosi lapides, remanebant, super quos merito Ecclesia fundaretur: ita et Sanchez. Quarto, Ribera putat Prophetam de more hie duas metaphoras iungere, scilicet unam tritici, alteram lapillorum, atque a cribri et frumenti similitudine transire ad rem significatam, puta ad domum Israel, de qua immediate ante dixit: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel*: ideoque nominare lapillos: lapides enim apti, imo necessarii sunt ad domum Israel reedificandam. Verum primus sensus quem dedi uti simplicior, ita germanior est, eumque exigit versio Sept. Aliter Ioannes Alba Electorum c. 61. Lapilli, inquit, sive lapides parvi sunt infimæ sortis homines, pauperes, plebei, totumque ignobile vulgus; q. d. Universus populus ducetur captivus; ac proinde non in terra sua, sed in captivitate morietur. Solet enim inter homines loco infelicitatis haberi, quod quis extra patriam moriatur, præsertim in captivitate. Explicat enim id quod præcessit: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* Verum hæc phrasim nusquam eo sensu sumitur, præsertim quia Amos non ait, Super terram suam, vel super terram Israel, sed absolute *super terram*, quod tam de terra Assyriæ, quam Israelis accipi potest. Constat autem Israellem in terra Assyriæ cecidisse et mortuum esse.

Vers. 11. IN DIE ILLA (Chald. *in tempore illo*) SUSCITABO (Sept. *resuscitabo*; S. Iacobus Act. 15. *reedificabo*; Syrus, *erigam*, scilicet firmiter et stabiliter) TABERNACULUM DAVID, QUOD CECIDIT.) Aliqui hanc suscitationem factam esse censent ab Ezechia, qui post abductas ab Assyriis decem tribus anno sexto regni sui, earum reliquias profugas excepit, et in veri Dei cultu veraque Ecclesia confirmavit, 4. Reg. 18. et 19. Alii, ut Ruffin. et Chrysost. homil. 33. in Acta, eam factam censent esse ab Esdra et Zorobabel, qui Cyro annuente Iudæos et Babylone reduxerunt in Ierusalem, ibique eorum Remp. et Ecclesiam restituerunt. Verum hi a vero sensu aberrant: nam exilis fuit utraque hæc suscitatio; ea autem quæ hic promittitur, ampla fuit et augusta. Ait enim: *Reedificabo illud sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Iudææ, et omnes nationes.* Quando, quæso, Ezechias, aut Zorobabel possedit omnes nationes? Rursum, quando factum est illud: *Et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt?* Adde, Zorobabelem tantum reduxisse duas tribus, æque ac Ezechias duabus fere tantum imperavit: hic autem promittitur Israelis, id est, decem tribuum, instauratio. Respondeo ergo; hanc promissionem ad Christum spectare, per eumque expletam esse. Id ita esse clare patet ex oratione S. Iacobi, qui Actor. 15. 16. in Concil. Hierosol. hæc verba Amos de Christo et Gentium ad Christum conversione interpretatur. S. Iacobum sequuntur omnes Interpretes Orthodoxi. Quocirca idipsum sub anathemate definivit Vigilus Papa. Cum enim hæc Amos verba Theodorus Mopsuestenus sic explicaret: *Hoc loco, inquit, reditum e Babylone prædicit, quando Zorobabel ex stirpe David regem habuerunt: Iacobus vero in Actis Apostol. hunc locum ad Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta*; hanc eius explicationem sub anathemate damnavit Vigilus Papa in Concil. Romano; quod habetur in Bibliotheca Vaticana, et ex ea transcripsit P. Turrianus super l. 2. Const. Apost. c. 5.

eo quod locum, qui primario et in sensu litterali seu historico in Actis exponitur de Christo, asserat intelligendum esse in primo et litterali sensu de Zorobabele; in secundo, et per translationem de Christo. Ubi, ut alia omit- tam, manifeste Theodorus errat, cum Zorobabel facit regem, qui tantum dux fuit populi ex Babylone redeuntis. Pari modo idem Theodorus censebat, oracula omnia quæ ad litteram de Christo edita sunt, historice ad Davidem, Ezechiam, Zorobabelem et Iudæos spectare; sed ex accommodatione, et ex rei eventu ab Apostolis et Evangelistis dumtaxat adaptari Christo. Hoc est quod sub anathemate damnat Vigilius, et ante eum damnarat Synodus generalis quinta, quæ fuit Constantinopolitana secunda, ut patet ex eius actione quinta, et ex Leontio, qui vixit tempore Iustiniani Imp. et Theodori errores recenset. Vide dicta in proœmio notat. 5. Propheta ergo hic de more, post expositam Dei ultionem, et desolationem Israelis, eius restorationem, et consolationem per Christum allerendam subiungit.

Tabernaculum David est regnum Christi, puta Ecclesia.

Tabernaculum ergo Davidis, proprie et formaliter non significat Ecclesiam (nec enim David fuit Ecclesiæ sacerdos, aut pontifex) sed regnum Davidis, puta domum eius regiam, palatium et thronum regium. Orientales enim olim in tabernaculis ex ramis, corio aut tabulis constructis degebant; inde quævis domus aut palatium vocatur tabernaculum, præsertim quia Hebr. סכּה *succa*, ad verbum idem est quod opertorium, velamentum, tegumentum, lectum; a rad. סכּך *sacach*, id est, velavit, operuit, textit; quod tam domui et palatio, quam tabernaculo congruit. Tabernaculum vero proprie hebr. dicitur אהל *ohel*, id est, tentorium extensum et expansum a rad. אהל *ahal*, id est, extendit, expandit. Vocat id tabernaculum, potius quam palatium, tum quia David in assiduis bellis exercitus communiter in tabernaculis castrensibus degebat: tum ut significet regnum hoc Davidis mobile fuisse et temporaneum: Christi vero regnum ei successurum fore immobile et æternum. Hoc enim promisit Angelus B. Virgini, dicens Lucæ 1. 32. *Regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis*: tum quia alludit ad tabernaculum Mosis in deserto, quod præerat, et quasi dirigebat omnia castra Hebræorum, quæ circa ipsum disposita erant: unde erat typus Ecclesiæ peregrinantis et militantis, q. d. Sicut olim tabernaculum, et cum illo Moses et Hebræi per desertum peregrinati sunt, perrexeruntque in terram promissam; ita Ecclesia Christi per desertum huius vitæ peregrinatur, tenditque in cælum. Est ergo ipsa tabernaculum Davidis, id est, Christi et Christianorum, Hebr. 13. 14.

Quocirca materialiter et reipsa regnum hoc Christi est Ecclesia: quia regnum hoc Christi spirituale est et Ecclesiasticum, quo nimirum Christus credentibus per fidem et gratiam dominatur. Itaque cum dicit: *Suscitabo tabernaculum David*, reipsa dicit, suscitabo Ecclesiam, sive cœtum populi fidelis, cui olim dominatus est David. Porro regnum hoc Davidis, æque ac Ecclesia fidelium, per varias rupturas cecidit, scilicet Primo, cum Ieroboam decem tribus a regno Davidis et ab Ecclesia cultuque Dei ad se et ad vitulos aureos traduxit. Secundo, cum Israelitæ a Syris, Philistinis, Ægyptiis, aliisque gentibus multoties fuerunt attriti. Tertio, cum decem tribus in Assyriam, duæ in Babylonem fuerunt abductæ. Quarto, cum Antiochus Epiphanes eiusque posteri, tempore Machabæorum posteros Davidis afflixerunt. Quinto, cum Herodes, sub quo natus est Christus, stirpem Davidis regiam quasi extinxit, totumque regnum ad se, puta ad alienigenam, traustulit. In die ergo illa, id est, in tempore illo, quo per tot ruinas, ac tandem per tyrannidem Herodis, regnum Davidis plane cadet et corruet, Deus, qui in rebus deploratis succurrere solet, mittet Messiam sive Christum, qui in tabernaculum hoc, quasi in propriam domum et in regnum avitum Davidis patris sui, iure hereditario succedet, illudque restituet, imo augustius reddet, non dominio et dominatione temporali, sed spiritali, quæ sublimior et diviniore est. Christus enim tam Iu-

dæos quam Israelitas in suum regnum suamque Ecclesiam ascivit et cooptavit, ac vice incredulorum, qui in illud ascribi noluerunt, surrogavit et adoptavit omnes gentes ex toto mundo, itaque fecit ut hoc regnum amplissimum totum orbem complecteretur, ut a Christo omnes vocentur Christiani, et profiteantur se Christi subditos et discipulos: Gentes ergo loco Iudæorum huic Davidis tabernaculo, quasi vivi lapides, inædificatæ sunt, et, ut ait Apostolus Rom. 11. v. 47. in hanc Davidis Deique oleam insertæ sunt. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, a Castro et alii passim.

Alleg. tabernaculum David est corpus Christi a Iudæis occisum per varias rupturas, id est, vulnera ei inlata, quod Deus tertio die a morte ad vitam gloriosum suscitavit, de quo Christus ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, Ioan. 2. v. 19. Christus enim vocatur David, quia Davidis filius et hæres. Ita Theodor. et Cyril. lib. 4. in Ioannem c. 33. imo Rabbinus apud Galat. hb. 8. c. 22. ubi R. Nabaman hunc locum sie legit: *Suscitabo casulam David delectam*, id est, corpus Christi crucifixum resuscitabo, ex eoque probat Messiam moriturum, ideoque cum ab Hebræis vocari *Barnephili*, id est, *filium caducum*, asseverat. Hinc consequenter S. Chrysost. hom. 16. in Ioannem, per tabernaculum David accipit naturam humanam peccato Adæ collapsam, quam Christus assumens reparavit et restauravit.

Ex dictis patet, peperam Iudæos hoc loco et similibus abuti, ut probent Messiam necdum venisse, sed venturum, et temporale Davidis regnum restituoat, ac Iudæos in illud quasi primores regni asciscat. Nam, ut alia taceam, Primus Amos hic proprie non agit de Iudæis, sed de Israelitis, id est, decem tribubus (has enim vers. 8. 9. et 14. vocavit domum Iacob, et domum Israel) eisque post cladem restitutionem promittit, ut regno Davidis, a quo per schisma exciderunt, rursus inserantur et uniantur. Frustra ergo hæc sibi attribuunt Iudæi moderni. Cumque constat Israellem nunquam ex captivitate Assyriaca rediisse, aut rediturum, æque ac Iudæi e captivitate Titi et Romanorum per 1600. annos nunquam redierunt, nec redibunt, sequitur hæc de mystico Israelis reditu, puta de Gentium in Christum credentium, qui sunt Israelitæ secundum spiritum, non secundum carnem, ut ait Apostol. Rom. 9. v. 8. conversione et salute intelligenda esse, uti fusius probavi Danielis c. 2. v. 44. et Daniel. 9. v. 24. Idem rursus patet ex eo quod Deus similem restorationem promittat Sodomitis, Assyriis, Ægyptiis, Ammon et Moab, qualem promittit hic et alibi Israelitis: atqui illa non fuit temporalis, sed spiritalis per Christum: ergo talis quoque fuit Israelitarum. Maior liquet Ezech. 16. v. 55. *Et soror, ait, tua Sodoma, et filii eius revertentur ad antiquitatem suam*, id est, ad antiquam suam sedem, opes et gloriam. Constat autem Sodomam et vicinas urbes cælesti incendio cum omnibus suis incolis conflagrasse. Ergo hæc Sodomæ restitutio mystice accipienda est, non ad litteram ut sonat. Idem de Samaria promittit ibidem Ezechiel: constat autem Samaritas ad litteram ex Assyriaca captivitate non rediisse: ergo Samariæ hæc restitutio spiritalis per Christum, non litteralis et temporalis accipienda est. Idem Assyriis et Ægyptiis, æque ac Israelitis promittit Isaias c. 19. 24. *In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio, benedictio in medio terræ*. Hoc ad litteram ut sonat falsum est nec admittit, aut patientur Iudæi sibi associari et æquari Ægyptios et Assyrios. Ergo mystice id accipi debet. Idem Moabitibus promittit Ieremias cap. 48. 47. *Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus*. Et Ammonitis c. 49. v. 6. *Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus*. Ad litteram autem nec Moabite, nec Ammonitæ e Babylone redierunt. Ergo reditus hic mysticus est, puta conversio ad Deum per Christum. Ergo pariter talis reditus et restauratio Israelis intelligenda est. Simile est templum quod promittit Ezechiel c. 40. et sequ. scilicet magis mysticum quam litterale. Unde cap. 47. v. 1. 8. 9. vidit ex eo egredi aquas, et sensim in fluxum ingentem

Allegor.

Refutatur Messias Iudæorum.

creescere, cuius rivulo sanabantur et duleorabantur aquæ maris mortui, quod in Scriptura vocatur salissimum, quæ omnia mystice accipienda esse manifestum est. Disce hinc canonem moremque Prophetarum; nimirum solent ipsi post tristia læta subiungere, post desolationem consolationem, post excidia et ruinas gentium, earumdem restitutionem per Christum. Ipse enim est Messias, puta salus, consolatio, gaudium et desiderium cunctarum gentium, Aggæi 2. 8.

Secundo assero, hoc Christi regnum non tantum esse spirituale, sed et temporale. Christus enim per Imperatores, Reges et Principes Christianos dominatur et imperat etiam civiliter toti orbi Christiano. Denique in die iudicii ipse hoc regnum suum tam spirituale, quam corporale perficiet facietque gloriosum, ut toti cælo et terræ cum suis fidelibus dominetur in æternum, tumque plenissime hæc et similes prophetiæ implebuntur.

**ET REEDIFICABO APERTURAS MURORUM EIUS.**) Hebr. גדרתי *gadarti*, id est, *septiam*, ut vertit Pagnin. *instaurabo*, ut Vatabl. *sepe circumdabo*, ut Tigurina, q. d. Sarciam hiatus et aperturas murorum Davidis et Israelis. Nimirum Deus instauravit ruinas Israelis, easque sarcevit multitudinem Gentium erredientium Christo, quæ in locum Iudæorum et Samaritarum incredulorum successerunt: sicut dæmonibus labentibus e cælo surrogavit homines, iisque restauravit ruinas celestis Ierusalem. De fide enim, vocatione et electione Gentium hunc locum explicat S. Iacob, Actor. 15. 16. Censet Ribera hanc prophetiam impletam esse post excidium templi et urbis Hierosolymæ factum a Tito: tunc enim Iudæis in sua cæcitate persistentibus, et per totum orbem dispersis, eorum loco Gentes in Ecclesiam esse ascitas. Verum S. Iacobus Actor. 15. suo tempore, id est, mox a passione Christi, cum Paulus et Barnabas primi evangelizantes Gentibus multos ex iis converterunt, impletam, id est, impleri cœptam, asserit. Adde, non agi hic de Iuda et Hierosolyma, templique et urbis excidio et ruina per Titum, præsertim quia Christus templum hoc, iam tum Iudaicum, sibi que e diametro oppositum et resistens, non restauravit, sed vetus Davidis regnum et Ecclesiam legitimam. Fateor tamen post excidium Hierosolymæ plenius hanc prophetiam impletam esse: tunc enim S. Ioannes, qui unus ex Apostolis superstes vivebat, ac viri Apostolice relictis Iudæis, utpote iam eversis et dispersis, converterunt se ad prædicandum Gentibus.

**SICUT IN DIEBUS ANTIQUIS.**) Sicut in diebus Davidis et Salomonis. Davidem enim nominavit paulo ante: et tunc maxime floruit, imo cœpit gloria regni Israelis. Ita Remig. Sic antiqua sæcula vocabantur aurea, in quibus cum virtute florebat resp. de quibus Virgil. 6. Æneid.

*Hic genus antiquum, Teucri pulcherrima proles,  
Magnanimi Heroes, nati melioribus annis.*

**UT POSSIDEANT RELIQUIÆ IDUMÆÆ.**) q. d. Ut, sicut David subiugavit Idumæos, cæterasque vicinas gentes 2. Reg. 8. 14. Ps. 59. v. 10. et 11. ubi dicitur: *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, possessionem capiam Idumææ: hæc enim olim capiebatur inimissione calceamenti in rem possidendam: ita Christus per Apostolos virosque Apostolicos, Episcopos et presbyteros subiuguet sibi suæque fidei, et subiugatas possideat easdem gentes, imo totum mundum. Nominat Idumæos, quia sicut Esau interuicino odio persecutus est Iacobum fratrem suum, ita et posteri eius Idumæi persecuti sunt posteros huius, puta Iacobos et Israelitas, eorumque fieri hostes iurati et infensissimi, q. d. Idumæi sub Christo et per Christum ponent hæc avita odia, et cum Israelitis conspirabunt in unum Christi ingum et regnum. Rursum nominat *reliquias Idumææ*, tum quia litteraliter David per Ioab cæcis plerisque Idumæis, eorum tantum reliquias servavit et subiugavit, ut patet 3. Reg. 11. v. 14. Ac rursum paulo ante tempora Amos, cum Idumæa Iudæis rebellaret, sibi que proprium regem constitueret, Amasias rex Iuda eandem rursum subegerat, itaque ceciderat, ut eius tantum reliquie remanerent, 4. Reg. 14. 7. Tum quia para-

bolice sicut reliquias Israelis, sic et reliquias Idumææ a liarumque gentium, puta eas quæ crediderunt prædicationi Apostolorum, servavit Christus, cæteris manentibus incredulis, et ob infidelitatem pereuntibus: paucos enim ad Christum converterunt Apostoli, si comparentur cum illis qui non fuerunt conversi, et perstiterunt in infidelitate. Ita S. Hieron. et alii. Nota. Septuag. quos sequitur S. Iacobus Aet. 15. hunc locum non verbo tenus, sed paraphrastice vertunt hoc modo: *ut quærant me reliqui hominum*. Per Idumæos enim Propheta synecdochice quaslibet gentes et homines, præsertim a Christo alienissimas intelligit. Unde se explicans addit, *Et omnes gentes*: hæc enim in regnum Christi ascitæ sunt, cum illud requisierunt: nemo enim nisi volens et postulans in regnum Christi cooptatur. Quare quærere regnum Christi, idem est quod illud possidere, et ab eo possideri. Unde ex Hebræo verti potest, *ut possideant*, scilicet regnum hoc Davidis, id est, Christi, *reliquiæ Idumææ, et omnes gentes*. Qui enim possidetur a Christo, vicissim possidet Christum, eiusque regnum. Addunt aliqui Hebr. אדום *Edom* significare Idumæam; Sept. vero aliis punctis legisse אדם *Adam*, id est, homo, ideoque vertere, *ut quærant me reliqui hominum*. Verum Sept. utpote quos sequitur S. Iacobus et S. Lucas, veram et genuinam hic secuti sunt tam lectionem, quam scriptionem. Ea autem habet *Edom*, id est, Idumæa; non *Adam*, id est, homo, præsertim quia exprimitur littera *vau*, quæ est in voce *Edom*, non vero in voce *Adam*. Propheta enim uti concionando pronuntiavit, ita concionem et prophetiam suam exarando, scripsit *Edom*, non *Adam*. Aliter Ribera: Iudæa, ait, id est, laudans et confitens olim Deum, post occisum a se Christum facta est Idumæa, id est, terrena et eruenta (Edom enim hebr. significat terrenum, ac rufum, rubrum, cruentum) sanguine Christi quem occidit; et hanc (Iudæam) per cæteros hominum significarunt Septuag. Sed hoc uti obscurius, ita et alienius acertiusque videtur, uti fatetur ipse Ribera in Abdiam num. 6. Idumæa ergo hic proprie capitur, ac præ cæteris nominatur, quia uti natura loci (utpote sita in rupe et monte) ac gentis robore erat munitissima, sic ad suscipiendum Christum, utpote e Iudæis sibi inimicissimis prognatum, erat difficillima: cuius rei typo David invasurus eam, Ps. 59. 11. ait: *Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me usque in Idumæam?* Et respondet: *Nonne tu Deus*, q. d. Non meis, sed Dei viribus id fiet. Id verius fuit in Idumæorum conversione ad Christum. Unde Amos pariter hic subdit: *Dicit Dominus faciens hæc*: Syrus, *omnia hæc*.

**EO QUOD INVOCATUM SIT NOMEN MEUM SUPER EOS.**) q. d. Eo quod vocemini populus Dei, cætus et Ecclesia Christi, puta Christiani ac vicissim Christus vocetur vester Deus, Dominus et Pater, quæ ingens est gloria, æque ac tutela et præsidium in omni re, ut merito de hoc nomine tam nobili vobis gratulari, Deo gratias agere, et apud Gentes gloriari possitis. Habetis enim nomen Dei, tamquam res propria illius, et cuius ipse proprie est dominus, quæque est eius peculium ipsique tota dicata.

Alii active exponunt, q. d. Eo quod invocetis, id est, publice colatis, celebretis, et prædicetis nomen Domini. Hic sensus sequitur ex priori: ideo enim vocantur Ecclesia Dei, quia Deum colunt et celebrant. Proprie tamen hæc phrasis priorem sensum significat, ut patet Is. 4. v. 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum dicentes: tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, q. d. Non aliud a te petimus, quam ut tu sis et voceris noster maritus, nosque simus et vocemur tuæ uxores, de cætero nos ipsæ nos alemus et vestiemus. Et Genes. 48. v. 16. ait Iacob de nepotibus suis Ephraim et Manasse: *Invocetur super eos nomen meum*, id est, vocentur filii mei, et constituentur duas tribus in Israel, uti constituunt cæteri filii mei, sicut de facto Ephraim et Manasse suam quisque tribum constituit, eamque ex nomine suo vocavit et denominavit, ut patet ex v. 5. ibid.

**ET COMPREHENDET ARATOR MESSIEM.**) q. d. Tanta erit fertilitas frugum, ut duret messis usque ad tempus

arandi, et vindemia usque ad sementem sive tempus seminandi, illudque occupet: non sulcices frugibus demetendis, sed novæ sementis tempus urgebit te manum aratro admovere, et copia uvarum ac vini adiget te uvis colligendis et prælo exprimendis vacare, etiam tunc eum premet te tempus serendi. Audi Rufinum, qui hic suum comment. in minores Prophetas: *Fragum quoque vos faciam uberlate gaudere, ita ut toto anno colligenda suppedient, et ad vindemiæ tempus messis nimium opima procedat, vindemiam sementis excipiat, secundum illud Ps. 64. 12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: coronam vocat continuationem illam fructuum toto anno, quæ annum undique quasi cingit et coronat, quæque homines continuo occupat ad eos colligendos et fruendos. Nota hæc typice et figurate diei; nam ad litteram vult dicere, tantam fore copiam honorum spiritualium tempore Evangelii, ut ea capere et explicare non possimus; tantam fore animarum conversionem, ut nullum permittant agricolis, id est, Apostolis et presbyteris quietis tempus, sed ipsi agrum hunc Domini, puta Ecclesiam, assidue excolere debeant, nunc arando, nunc metendo, nunc vindemiando spiritualiter et mystice, puta nunc docendo et monendo, nunc baptizando, nunc reconciliando, nunc perfectiori statui consecrando, etc. ita S. Hier. Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. Ribera et alii. Audi S. Hieron. Sic, inquit, sibi invicem cuncta succedent, ut nulla dies sit absque frumento, vino et gaudio. In illo tempore; lenis torcularibus uva calcabitur, et de Christi ac Martyrum sanguine rubentia musta fundentur, et huiusmodi calcator erit seminarium sermonis Dei, ut sanguis eorum magis clamet in mundo, quam clamavit sanguis Abel iusti. Quicumque autem merito virtutum suarum ad montana conscenderit, melle sudabit, imo stillabit dulcedinem sermonis Dei, de quo scriptum est: Gustate et videte quam suavis est Dominus. Et, Quam dulcia eloquia tua gutturi meo, super mel et favum ori meo. Et qui infra montes, imo secundi a montibus fuerint (quos sponsus transiit Cantie. 2. et appellat colles) consili erunt, et imitabuntur paradisum Dei, ut omnia in illis poma pendent doctrinarum.*

Idipsum clare cernere fuit, et etiamnum est in Apostolis et viris Apostolicis, ut S. Paulo, S. Vincentio Fererio, S. Antonio de Padua, S. Xaverio et aliis, qui serendo verbum Dei cum sanetitate, miraculis et efficacia concionandi ita commoverunt populos fideles et infideles, ut eum tempus adesset messis, id est, eos inserendi Ecclesiæ, puta baptizandi, confirmandi, absolvendi, etc. aliæ gentes urbesque vicinæ inaudientes de hisce viris divinis, eorumque virtute et fructu, certatim eos ambirent, eogerantque ut pari modo apud se sererent verbum salutis, illicoque ad se transirent. Perperam ergo Iudæi hæc ad litteram, ut sonant, expectant sub suo Messia. Perperam quoque Theodor. hæc plane ad litteram impleta censet in reditu e captivitate Babylonica, eum potius contrarium Iudæis tunc acciderit, puta sterilitas frumenti et vini, ut patet Aggæi I. v. 6. Adde, de Israelitis hic agi, non de Iudæis, ut ostendi initio capituli. Denique Iudæis non convenit illud v. 13. *Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua.* Nam Iudæi per Titum e Iudæa evulsi sunt, manebuntque usque ad finem mundi, uti prædixit Daniel c. 9. v. ultimo.

STILLABUNT MONTES DULCEDINEM, succum dulcem, puta mustum: hoc enim significat Hebr. אֲסִיס asis: ET OMNES COLLES CULTI ERUNT. ) Septuag. consili erunt, scilicet, vineis et oleis: nam *Bacchus amat colles.* Hebr. est תְּמוֹגַגְנָה *tilmogaghna*, liquescent, id est, præ copia diffluent oleo et vino, aut lacte et melle, ex abundantia apum et pecorum, ut videantur, ait Rufinus, effluere vina de rupibus, mella de montibus. Montes sunt Apostoli et viri Apostolici, qui stillarunt mustum dulcissimum Evangelicæ doctrinæ, gratiæ, charitatis, lætitiæ, omniumque donorum Spiritus sancti; colles sunt concionatores, qui idem mustum, aut lac, id est, suavitatem doctrinæ, effuderunt. Aut montes sunt Ecclesiæ magnæ et generales; colles, parvæ et particulares. Aut montes sunt homines gradu aut

A virtute eminentes; colles sunt parvi et plebei, q. d. Omnes tam parvi, quam magni, alluunt doctrina et gratia Evangelica. Alludit ad montes vinetis et olivetis luxuriantes olim in Iudæa, æque ac ad hortos quibus gaudebant et abundabant Syri. Syria, inquit Plinius l. 20. c. 3. *In hortis operosissima: inde quoque Græcis proverbium, Multa Syrorum olera.*

ET CONVERTAM CAPTIVITATEM. ) q. d. Reducam populum meum Israel, id est, fidelem credentem Christo, ex captivitate Salmanasar, id est, diaboli et peccati, ut edificent civitates, id est, Ecclesias, in quibus plantent vineas et hortos, id est, cœtus fidelium, ac corda piorum virtutibus et gratiis consita, quæ dabunt fructus et vinum operum suavissimorum et sanctissimorum. Hæc enim mystice debere accipi, non ad litteram patet ex eo, quod Israel, id est, decem tribus e captivitate Assyria nunquam redierint, nec reditura sint. Est ergo continua metaphora, petita ab iis qui e captivitate redeunt in patriam. Ii enim solent edificare urbes, plantare vineas et hortos.

B ET PLANTABO EOS SUPER HUMUM. ) Puta in Ecclesia, quæ fundata est super petram, et cui portæ inferi non prævalebunt, Matth. 16. 18. Plenius id fiet in Ecclesia triumphante in cælo. Ita S. Hieron. Albertus, Ribera, a Castro, et alii. Et hoc fiet, quia Dominus Deus tuus, qui est omnipotens, id dicit et promittit, cuius promissio lex naturæ est, ait S. Hier. puta firma et inviolabilis est, uti est lex naturæ.

Tropol. anima fidelis et sancta est tabernaculum Davidis, id est, domus et templum Christi, iuxta illud 2. Corinth. 6. 16. *Vos estis templum Dei vivi*, in quo pavimento est humilitas, penuriarum timor iudiciorum Dei, tetum charitas, caminus oratio, parietes quatuor virtutes cardinales, fortitudo, iustitia, temperantia et prudentia. Si tetum stillet, id est, soluta vel laxata sit charitas; si caminus, id est, oratio, corruerit; si pavimento confractum sit, id est, humilitas convulsa; si parietes, id est, virtutes cardinales, rimas vel ruinas egerint, illico singula hæc sarcienda et restauranda sunt, ne sensim crescentibus rupturis et ruinis tandem tota domus corroat, iuxta illud Sapient. 10. v. 18. *In pigriliis* (in tarda et pigra restauratione, unius tabulæ, unius tegulæ, unius clavi) *humiliabitur* (corruet) *contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.*

Secundo, anima sancta est vinea Domini, ob multas analogias quas recensui Ezech. 15. Ita S. Bern. ser. 63. in Cant. *Viro*, ait, *sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum deserturæ in se sapiens derelinquet: stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta iacentia, cuncta inculta et sordida.* Et inferius: *Bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio palme, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressiois. Vides apud sapientem vacare nihil: sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei edificatio est, et vinea Domini sabaoth?*

D Quod ergo facit vinitor in vinea, hoc faciat cultor animæ in anima. Vinitor vites plantat, aggerat, rigat, ligat, putat, sarrit, ablaqueat, defrondat, vindemiat, torculari premit ut vinum exprimat. Eadem mystice faciat, qui vineam animæ suæ vel alienæ excolit, quales omnes fideles esse debent. Hinc Christus Matth. 20. 1. singulis horis misit operarios in vineam suam. Et sponsa Cantie. 1. 3. ait: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Essentia ergo animæ est quasi vinea plantata in terra huius corporis, cuius potentiæ, puta intellectus, voluntas, memoria, etc. sunt quasi vites, quarum vinum sunt opera charitatis, misericordiæ: vites hæc alligandæ sunt palo crucis, cuius pedi foveam facimus, dum mortem instare cogitamus, et foveam sepulturæ meditamur. Servanda est hæc vinea ab apro exterminatore de sylva, Ps. 79. 14. id est, de vitio obscenæ voluptatis, quod omnia bona exterminat: et a singulari fero, id est, a vitio superbiæ, quod singularem hominem facit: et a vulpe astutiæ adulationis: et a lupo voracitatis: et a cane detractiō-

nis. Rursum rogandus est Dominus, ut mittat pluviam doctrinæ suæ, et calorem gratiæ suæ, et stercora, id est, memoriam mortis filii sui et SS. Martyrum, quibus hæc vinea ad fructum ferendum excitetur et impinguetur. Flores et folia sunt sancta desideria, et pia colloquia, ac bene ædificantur sermones, quibus anima quasi vinea revirescit, ac producit lacrymas compunctionis, et suavem virtutis odorem emittit, iuxta illud Cantic. 2. 13. *Vineæ florentes dederunt odorem suum*: ac tandem edit et producit uvas maturissimas, et dulcissimas bonorum operum et virtutum omnium. Porro notandum quod scribit S. Bernard. serm. 60. in Cant. *Aiunt, inquit, florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum. Quod volo attendant novitii nostri, et fiducialiter agant cogitantes qualem spiritum acceperint, cuius primitias demones non sustinent. Si sic novitius fervor, quid erit absoluta perfectio? Et mox: Cæterum si vineæ anima flos, opus; odor, opinio est; fructus quid? martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est martyrum.*

Flos vineæ fugat venenata.

Anima sancta est paradus dei.

Tertio, anima est hortus, imo paradus Domini, iuxta illud Cant. 4. 12. *Hortus conclusus soror mea sponsa. Emissiones tuæ, paradus malorum puniceorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, etc. Surge Aquilo, et veni Auster, et perfla hortum meum, et fluant aromata illius.* Et cap. 5. 1. *Veniat dilectus in hortum suum, et comedat*

*fructum pomorum suorum.* Et c. 6. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.* Eccli. 24. 42. ait Sapia: *Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Num. 24. 6. Balaam videns agmina Israelis exclamat: *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, tentoria tua Israel, ut valles nemorosæ, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas!* Quod ergo facit hortulanus in horto ut eum excolat, hoc fidelis faciat in anima, ut in ea plantet nardum humilitatis, lilia castitatis, malogranata charitatis, heliotropium resignationis, quo suam voluntatem cum divina conformet, cedrum spei et contemplationis, querecum constantiæ, hyacinthum cælestium cogitationum et desideriorum, amaranthum crucis, thus orationis, myrrham mortificationis, rosas odoratas bonæ ædificationis et exempli, palmam contemptus mundi, humanæ laudis et vituperii, etc. Quoties ergo elicis vel exeres actum, præsertim heroicum, humilitatis, claritatis, mortificationis, resignationis, etc. toties illustrem nardum, speciosum malogranatum, insignem myrrham, præstans heliotropium, etc. offers Deo, eoque Dei hortum et paradusum quasi nova planta, quasi illustri flore et fructu exornas, ut ei cum sponsa fidenter dicas: *In portis nostris omnia poma: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi,* Cant. 7. 13.



## COMMENTARIA

I N

## ABDIAM PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

Abdias  
an disci-  
pulus E-  
licæ?

**D**OROTHEUS Episcopus Tyri, qui sub Constantino Magno vixit, et sub Iuliano Apostata grandævus annorum 107. inter tormenta Martyr obiit, libr. de Vita et morte Prophetarum: *Abdias*, inquit, *iste ex terra Sichem agro Bethacaram, fuit discipulus Elicæ, et cum illius nomine multa passus esset, servatus est. Tertius fuerat ex quinquagenariis, cui Elias pepercerat, descenderatque ad Ochoziam; ac ministerio regis sui postea relicto, prophetiæ gratiam acquisivit, mortuusque est, ac sepultus cum patribus suis.* Eadem habet S. Epiph. in vita Abdia. Audi et S. Hier. hic: *Hunc (Abdiam) aiunt esse Hebræum, qui sub rege Samariæ Achab, et impiissima Iezabel, 3. Regum 18. 12. pavit centum Prophetas in specubus, qui non curaverunt genu Baal. Hic igitur, quia centum Prophetas abierat, accepit gratiam prophetalem, et de duce excretus fit dux Ecclesiæ.* Additque: *Sepulcrum eius usque hodie in Sebaste (ubi et Elisæus et Ioannes Baptista sepulti sunt) venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes in honorem Augusti Cæsaris, Græco sermone vocavit Sebasten, id est, Augustam.* Ubi Nota S. Hier. non dicere hoc ex se, sed ex Hebræorum sententia: ex qua sequitur, Abdiam vixisse et prophetasse tempore Eliæ, sub Achab rege Israel, et Iosaphat rege Iudæ; et fuisse primum omnium Prophetarum qui sua oracula scripserunt. Hanc Hebræorum sententiam sequuntur, vel potius citant S. Doroth. S. Epiph. S. Isidor. Euseb. in Chronico (sed mendose mendo libroriorum, ait S. Augustin. lib. 18. Civit. cap. 31.) Clemens Alexand. 1. Strom. Rupert. Hugo, Lyranus, Sanchez et a Castro in præmio lib. 4. cap. 3. Addit ex Hebræis Mariaua, Abdiam hunc esse tertium pentacontarchum, quem Ochozias misit accitum Eliam; cui supplicii Elias pepercit, 4. Reg. 1. 13. Inde enim videtur renunciasse aulæ, adhæsisse Eliæ, totumque se Deo tradidisse, ac idcirco donum prophetiæ assecutus. Imo nonnulli censent Abdiam esse Obdiam, quem Iosaphat rex misit, 2. Paral. 17. 7. eum Michæa et aliis, ut docerent in civitatibus Iudæ. Unde Sept. ibi pro *Obdiam* legunt *Abdiam*: verum ille Obdias dicitur fuisse princeps, non Propheta: unde alius fuisse videtur ab hoc nostro Abdia.

Totum ergo fundamentum huius opinionis, nimirum quod Abdias fuerit pentacontarchus Achab regis Israel, nititur traditione Hebræorum. Hæc autem traditio incerta est et dubia. Nam R. David et R. Abraham dicunt, non constare quo tempore prophetarit Abdias.

Probabilis ergo alii censent, Abdiam longe posterius vixisse et prophetasse, nimirum sub Ioathan, Achaz et Ezechiæ regibus Iudæ, ac fuisse coævum Osee, Iocli, Amos et Michæa Prophetis, uti asserit S. Hier. initio comment. in Osee, Theodor. Cyrill. hic, Ribera in præmio præluo 2. et alii. Probatur hæc sententia. Primo, quia Osee communiter ponitur primus Prophetarum, iuxta illud: *Principium loquendi Domino in Osee, c. 1. 2.* Osee autem cepit prophetare sub Ozia et Ioathan, ut ibidem dicitur.

**A** Ergo Abdias non fuit primus, nec sub Iosaphat, sed sub Ioathan prophetavit. Secundo, quia Abdias ait v. 1. *Audivimus a Domino*, scilicet, ego et Isaias c. 21. et Amos c. 1. 11. stragem Idumææ. Ergo Abdias non antecessit Isaiam et Amos, sed eis fuit contemporaneus. Tertio, si Abdias Propheta fuisset pentacontarchus Achab regis, utique hoc non tacuisset Script. nec Iosephus, dum historiam illam Achab et Abdia fuse enarrant. Quarto, si Abdias sub Iosaphat prophetasset, prædixisset cladem Idumææ viciniorem, nimirum factam ab Amasia rege Iudæ 4. Reg. 14. 17. Iam autem eam non prædicit, sed illam dumtaxat quæ facta est a Chaldæis. Ergo post Amasiam, sub Ioathan prophetavit, præsertim cum non multo ante tempora Iosaphat, Idumæi vastati et subacti sint a Davide 3. Reg. 11. 15. ut non egerint Propheta, novoque excidio. Quinto, quia prophetia Amos eadem pene est cum prophetia Jeremiæ contra Idumæos cap. 49. 24. Ergo sub tempora, non Eliæ, sed Jeremiæ prophetasse videtur. Sexto, quia a tempore Eliæ et Iosaphat usque ad excidium Iudææ et Idumææ per Chaldæos, fluxerunt 300. anni; quis eredit Abdiam omissis aliis vicinioribus cladibus, prophetasse excidium Idumææ post trecentos annos futurum? Deus ergo videtur Idumæos per Davidem, Amasiam et alios castigare voluisse: verum cum eos hisce flagellis emendari non videret, per Abdiam intentavit eis plenum ultimumque per Chaldæos excidium. Porro causam exidii assignat eandem quam Amos et Jeremias, nimirum odium inveteratum et internecinum Idumæorum contra Iudæos, adeo ut ab hostibus profugos occiderint, vel spoliarent, imo Chaldæos in expugnatione Hierosolymæ opibus armisque adiuverint. Quocirca eis idem ab eisdem Chaldæis exitium iure talionis intentat: Iudæis vero reditum e Babylone, et felicitatem tum temporalem, tum spirituales sub Christo pollicetur. Ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Rupertus, Albert. Vatablus, Hugo et alii. Id ita accidisse patet: nam Nabuchodonosor anno quinto post excisam Ierusalem, qui fuit annus regni eius 23. invasit et vastavit Idumæam, uti narrat Iosephus lib. 10. Antiqu. c. 14. Rursum Idumæos adiuvisse Chaldæos in excidio Ierusalem, ideoque excisos esse patet 3. Esdræ 4. 45. *Et tu, ait, vovisti edificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa a Chaldæis.* Et Psal. 136. 7. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite usque ad fundamentum in ea.* Addit R. Salomon Abdiam fuisse Idumæum, ideoque ad Idumæos missum, ut scelera suæ gentis liberius argueret. *Dicunt, ait, Rabbini, Abdiam proselytum esse Idumæum. Dixit ergo Dominus: Ex ipsis adducam adversus eos. Veniet Abdias, qui vixit inter duos impios, Achab et Iezabel, neque imitatus est mores eorum, et sumet penas de impio Esau, qui vixit inter duos iustos, Isaac et Rebeccam, et non est imitatus opera eorum.* Idem tradit R. David hic, qui proinde Abdia applicat illud Hebræorum adagium: *Ipsummet cochleare*

quod artifex exsculpsit, comburit os ipsius acri sinapi; quod dicere solent in artifices, qui ex opere suo damnium aut molestiam capiunt. Sic enim Abdias cum esset Idumæus et Propheta, tamen Idumæorum, hoc est gentis suæ, prædixit excidium, unde ex suo artificio, puta ex prophætia, videtur damnium passus.

Verum S. Dorotheus, Epiphan. et alii initio citati, tradunt Abdiam fuisse Iudæum, puta Sichimitam, sicut et cæteri Prophætæ fuere Iudæi. Scribit S. Hieron. in epitaphio S. Paulæ, ipsam in Samaria, sive Sebaste visisse sepulcrum Elisæi, Abdïæ et Ioannis Baptistæ: *Ubi multis, ait, intremuit consternata mirabilibus: namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, et ante sepulcrum sanctorum ululare homines more luporum* (notent hoc nostri Hagiomachi) *vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, et post tergum terram vertice tangere, suspensisque pelle feminis vestes defluere in faciem*. Ascriptus est Abdias catalogo Sanctorum die 19. Novemb.

Abdias  
typus  
Christi.

Porro Abdias hebr. idem est quod *servus Dei*, ut nomine representet Christum, qui formam servi induit. Deique servus vocatur Is. 42. 1. ait S. Hier. Qui et in præmio asserit, se iuvenem ante triginta annos scripsisse in Abdiam, eumque mystice exposuisse; quod redarguit, eo quod primo tradi debeat sensus litteralis Prophætæ, eique deinde congrue inædificari sensum mysticus: *Infans, ait, eram, necdum scribere noveram, titubabat manus, tremebant articuli. Nunc ut nihil aliud profecerim, sultem Socraticum illud habeo: Scio quod nescio. Et mox: Libere profitebor, et illud fuis e puerilis ingenii, et hoc maturæ senectutis.*

Rursum omnium Prophetarum brevissimus est Abdias et minimus, *versuum supputatione, non sensuum*, ait S.

Hieron. et ex eo Ribera. Homines, ait, pusilli ita ingenio et arte præstant, ut locus proverbio datus sit, *αὐτὸς ὁ μακροῦς, id est, amens qui longus*. Aristotel. in Physiognom. *Parvi valde acuti sunt, ait, motu enim sanguinis parvum locum continente, motiones quoque valde velociter accedunt ad sapere. Qui autem sunt valde magni, tardi: motu enim sanguinis magnum locum continente, motus tarde accedunt ad sapere. Ex quo recte Eccles. c. 11. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est avis, et initium dulcoris habet fructus illius. Quid de bombycibus, quid de museis et apibus dicam? Sane S. August. lib. de Duabus animabus contra Manichæos c. 3. et 4. non dubitat asserere, muscam præstantiorem esse sole: quia animam, vitam, motum, organaque omnia viventium habet, quibus caret sol. Ita res parvæ plus vitæ et vigoris habent quam magnæ. Quid remoram recenseam, qui cum sit parvus pisciculus, ingentes naves valido vento actas sistit et remoratur, si se eis applicet et affligat? Ita Deus excelsus in rebus parvis suam virtutem, sapientiam et magnitudinem ostendit. Abdias, inquit Hugo de S. Victore (qui in Abdiam scripsit more suo acute et argute, sed mystice) *sermone simplex, et sensu multiplex: rarus in verbis, sed copiosus in sententiis, iuxta illud Eccli. 20. Sapiens verbis innotescit paucis. Prophetiam suam litteraliter adversus Idumæam dirigit, allegorice contra mundum, tropologicè contra carnem stylum suum acuit. Salvatoris typum gerens, ipsius adventum subtiliter introducit, per quem mundus destruitur, per quem caro atteritur, per quem libertas redditur*. Quocirca merito Isidor. libr. Allegor. S. Script. Abdias, ait, *id est, servus Domini, inter omnes Prophetas brevior, numero verborum, sed gratia mysteriorum æqualis*. Unde Abdiam ad verbum pene imitatur Ieremias cap. 49. 21. et sequentibus.*

## CAPUT UNICUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Idumæorum superbiam arguit, quod in rupe siti putarent se invincibiles: unde ex ea se illos per Chaldæos detraheturum minatur. Secundo, v. 10. excidii eius causam assignat, quod in fratres suos Iudæos ab hostibus afflictos, inhumani fuerint et crudeles. Tertio, v. 17. Sionidis, id est, Iudæis, e Babylone reditum et imperium pollicetur, nimirum quod per Machabæos Idumæis, Philisthæis, vicinisque gentibus, ac multo magis per Christum iisdem, totique Australi plagæ dominabuntur.*

1. **W**ISTO Abdïæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit: Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. 2. Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde. 3. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? 4. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. 5. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisse? nonne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racement reliquissent tibi? 6. Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita eius? 7. Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: invaluerunt adversum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo. 8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau? 9. Et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de monte Esau. 10. Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, et peribis in æternum. 11. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, et extranei ingrediebantur portas eius, et super Ierusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis. 12. Et non despicias in die fratris tui, in die peregrinationis eius: et non lætaberis super filios Iuda in die perditionis eorum: et non magnificabis os tuum in die angustiarum. 13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque despicias et tu in malis eius in die vastitatis illius: et non emitteris adversus exercitum eius in die vastitatis illius. 14. Neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint: et non concludes reliquos eius in die tribulationis. 15. Quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum. 16. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes iugiter: et bibent, et absorbebut, et erunt quasi non sint. 17. Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus: et possidebit domus Iacob eos qui se possederant. 18. Et erit domus Iacob ignis, et domus Ioseph flamma, et domus Esau, stipula: et succedentur in eis, et devorabunt eos: et non erunt reliquiarum domus Esau, quia Dominus locutus est. 19. Et hæreditabit hi qui ad austrum sunt, montem Esau, et qui in campibus Philisthæum: et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ: et Benjamin possidebit Galaad. 20. Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam: et transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri. 21. Et ascendent salvatores in montem Sion iudicare montem Esau: et erit Domino regnum.



Vers. 1.

Iudæi censent Idumæos esse Romanos, cur?

Mystice Idumæi sunt Iudæi.

Tropol. Idumæa est caro.

**VISIO ABDEE.**) *Visio* vocatur prophetia, *videns* Prophetia. Eandem mox vocat *auditum*. Causas dedit Is. 1. 1. **HÆC DICIT DOMINUS DEUS AD EDOM.**) Hebr. *leedom*, id est, *de Edom*, vel *ad Edom*. Esau, frater Iacobi gemellus, dictus est Edom, quia rufus; et Seir, quia pilosus: hinc posteri eius, puta populus Idumæus ab eo prognatus, vocatur pariter Edom, et Seir. Porro Hebræi tam antiqui, teste S. Hieronymo, quam moderni, ut R. David, R. Salomon, et similes constanter asseverant, Idumæos esse Romanos. Primo, quia *Edom*, et per aphæresim *Duma*, est Roma, si litteram *h* in vicinam *r* commutes. Secundo, quia tradunt ipsi, hoc est fingunt, Iulium Cæsarem primum Rom. Imper. fuisse Idumæum. Addunt alii Æneam fuisse Idumæum, atque ex Idumæa venisse in Ægyptum, inde in Libyam, inde Carthaginem, inde in Italiam, ibique Albam, ex qua prognata est Roma, condidisse. Ita refert Arias. Origo huius opinionis, id est, fabulæ, fuisse videtur excidium, quod Iudæi passi sunt a Tito et Romanis: inde enim Romanos quasi hostes infensissimos vocarunt novos Idumæos. Consequenter, cum fideles et Christiani vocentur Romani, a suo capite Romano Pontifice et Romana Ecclesia, quæ matrix est omnium Ecclesiarum: hinc Iudæi per Idumæos accipiunt Christianos, quos ex odio Christi infensissimos pariter hostes suos æstimant. Quare quæcumque contra Idumæos ab Abdia aliisque Prophetis dicuntur, censent dici contra Christianos, ac proinde expectant summum Messiam, qui hoc imperium Romanorum, id est, Christi et Christianorum, evertat, ac Iudaismum restituat, Iudæosque opibus et honoribus quasi alter Salomon ditet et exaltet. Ita refert Burgensis hic, et Galatin. lib. 4. cap. 18. Atque hæc est causa immanis odii in Christianos, quod eis quasi innatum videtur. Verum hoc eorum somnium (uti vocat S. Hier.) confutant omnes historię Græcorum, Latinorum, et omnium Gentium, quæ Romam a Romulo Italo et Albano conditam, Iulium Cæsarem ex familia Iulia Romana prognatum, Æneam Troianum fuisse, non Idumæum, asserunt. Porro quantum Alba et Roma distent ab Idumæa, sciunt omnes. Ridiculum vero est, quod *Duma* transformet in *Roma*. Litteræ enim *resc* et *dulch*, licet caractere sint similes, sono tamen et sensu sunt dissimillimæ. Perinde ergo faciunt, atque si *Cyrum* transformes in *Irum*, *medicum* in *mendicum*, *mares* in *mares*, ac (quod in metathesi earundem litterarum *r* et *d* plane simile est) si *Medam* in *merum*, *modum* in *morum*, *sedes* in *seres* transmutes. Longe facilius et pronius Idumæos transformes in Iudæos, præsertim cum hi illorum sint fratres, utriusque enim prognati ex Iacob et Esau fratribus, atque sede et regione sint vicinissimi. Quocirca Iudæos mystice vere esse Idumæos, iam ostendam.

Ad litteram ergo hic, non Romanos, non Italos, sed Idumæos, id est, posteros Esau, degentes in montibus Idumææ iuxta Iudæam, Ammonitidem et Moabitidem, accipe.

Mystice, Idumæi sunt infideles hostes populi fidelis, puta Iudæi, Pagani, hæretici. Sicut enim Iacob fidelium, sic Esau et Idumæi infidelium sunt typus, uti docet Apostolus Rom. 9. 7. et 13. Ita Euseb. l. 5. Demonstr. c. 24. Theod. Rupert. S. Hieron. qui et ex etymo nominis analogiam affert: *Idumæa*, inquit, *terrena interpretatur, et propter colorem rubrum, cruenta quoque intelligi potest. Idcirco Salvator reportans ad Patrem de mundo victorian, quando angeli conclamabant: Aperite portas principes vestras, et introibit rex gloriæ: et in Isaia stupentes interrogabant: Quis est iste qui ascendit de Edom fulgida veste de Bosra? hic formosus in stola candida, etc. ipse loquitur in triumpho, exponens palmas crucis suæ; Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.*

Tropol. idem S. Hieron. *Sunt, ait, qui Idumæam ad carnem referunt, et adversus illius pugnam animam æstimant provocari, ut mortificantes membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, æternam in Christo victoriam consequamur. Nam fratres Iacob et Esau assidue inter se luctantes, sunt anima et caro. Caro*

enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, Galat. 5. 17.

Rursum Hugo de S. Viet. *Edom, ait, est terrenus, Esau sanguineus, Seir pilosus: sanguineus peccatis, pilosus negotiis, terrenus curis: sanguineus mundus atque in idololatris, pilosus in hæreticis, terrenus in carnalibus et pseudochristianis.* Et inferius ad v. 17. *Iacob ter luctatus est cum Esau fratre suo, semel cum angelo. Primo in utero, secundo de lentis edulio, tertio de benedictionis paternæ oraculo. Noster Iacob, id est, luctator Christus, ter iam luctatus dicitur contra diabolum, quarto luctaturus pro certo creditur. Primo in utero, secundo in patibulo, tertio in sepulchro, quarto in extremo iudicio contra aquen luxuriosorum et semen pessimum. In utero immunitate peccati, in patibulo acquisitione gloriæ et honore regni, in sepulchro immortalitate vitæ et gloria triumphi, in iudicio iure victoriæ et rigore iustitiæ. Et mox: Primo luctatus est pro te, ut tu diaboli fastum et eius regna vinceret: secundo, ut mundi luxum et gloriæ supereros: tertio, ut carnis concupiscentiam et petulantiam sensuum expelleret: ultimam vero faciet luctam, ut præfatis omnibus spretis, victor possideas gloriæ coronam.*

**AUDITUM.**) Nota Primo, hæc esse verba non Dei, sed Prophetæ, ut patet Ierem. 49. 14. ubi eadem verba ex Amos usurpat, sibi que applicat. Unde sequitur, hic esse hyperbaton, id est, inversum ordinem. Nec enim hæc verba cohærent cum proxime præcedentibus. Sic ergo totus hic versus ordinandus est: *Visio Abdeæ ad Edom. Auditum audivimus, et legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce parvulum dedi te in gentibus, etc.* Verba enim Dei sunt hæc: *Ecce parvulum dedi te.* Verba autem Prophetæ sunt: *Auditum audivimus, etc.* Aut certe hæc verba, *Auditum audivimus, etc.* parentesi intercipienda sunt, q. d. *Hæc dicit Dominus*, idque scimus, quia *auditum audivimus* ab eo. Ita Vatabl. idque expeditius et planius videtur. Secundo, *auditum* metonymice ponitur pro re audita. Unde Chald. vertit, *nuncium*; Tigurina, *rumorem*; Vatabl. *famam*. Tertio, non dicit, *Audivi*, sed *audivimus*, q. d. Non ego solus, sed multi Prophetæ mecum hæc Dei contra Idumæos decreta audiverunt, vel mox audient, puta Isaias c. 21. 11. Amos c. 1. 11. Joel c. 3. 19. Ierem. c. 49. 7. Ezechiel c. 25. 13. Ita S. Hier. Remig. Albert. Hugo, Lyran. Clarius et Arias. Septuag. tamen vertunt in singulari, *auditum audivi a Domino*. Et sic habet Ierem. c. 49. 14. Unde Hugo putat, *audivimus* plurale, poni pro singulari *audivi*. Sensus, est q. d. *Audivimus a Deo hoc nuncium, vel Deus nobis annuntiavit se misisse legatum ad gentes, qui eis diceret: Surgite, armate vos ad bellum, ut coniunctis viribus et armis Idumæos invadamus et vastemus: τὸ enim surgite, non est vox gentium se invicem excitantium ad bellum, uti voluit Arias et Vatabl. sed est vox legati, sive Dei, qui per legatum gentes excitat, ut secum consurgant in prælium contra Idumæos. Ita S. Hier. Theod. Remig. et Lyran. idque patet ex ipsa serie narrationis et verborum contextu.*

**LEGATUM AD GENTES MISIT.**) Quæres quis hic legatus? Albertus et Arias censent fuisse legatos quos Nabueodonosor misit ad gentes vicinas sibi que subditas, ut coniunctis armis invaderent Idumæam. Secundo, Hugo, Dionys. et a Castro, censent fuisse angelum, sive bonum, sive malum, a Deo missum ad Chaldæos, ut eos concitaret ad excidium Idumæorum, iuxta illud Psal. 77. 49. *Immissiones per angelos malos*. Tertio, simpliciter et planius dicemus esse catachresin, qua ipsa motio et concitatio Dei vocetur legatus, q. d. Deus concitavit Chaldæos ad bellum Idumæis inferendum, perinde ac si legatum ad eos misisset. Ita Lyran. Ribera et alii. Id ita esse colligitur ex simili loco Isaiæ 5. 26. *Et elevabit, ait, signum in nationibus, et sibilabit ad eum de finibus terræ: et ecce festinus velociter veniet.* Etc. 7. v. 18. *Sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et apî quæ est in terra Assur.* Ubi hæc evocatio Dei, et concitatio Ægyptiorum et Assy-

riorum ad bellum vocatur sibilus. quo evocantur et concitantur museæ et apes. Vide ibi dieta. Verum quia hic sibilus, hæc motio et concitatio Dei fieri solet per angelos, hinc non male per legatum accipies angelos, iuxta secundam expositionem. Pari modo Nisus pugnaudi aridus dixit ad Euryalum:

*Dîne hunc ardorem mentibus induunt*

*Euryale, an sua cuique Deus sit dira cupido?*

Porro qua ratione Deus concitet reges, etiam tyrannos ad bellum, ut vindictam suam per eos, licet iniustos, in gentes impias exerceat, dixi canone 36. et 37. quos præfixi Isaiaæ.

Allegor. hic legatus est Christus, magni consilii angelus, qui prælio vicit Edom, id est, mundum, carnem, diabolum: et ad se, æque ac ad hocce suum bellum, vocavit Gentes. Unde de vocatione gentium hunc locum accipit Euseb. l. 5. Demonstr. 24. ita quoque S. Hier. Remig. Rupert. Hugo Cardin. et Hugo Victor. *Legatus iste, ait Hugo Victor. tria secum attulit: lucem, unguentum, panem. Lucem ex eis, unguentum ægrotis, panem famelicis. Lucem exposuit in monte, panem in cœnaculo, unguentum in crucis patibulo. Christus namque mundum illuminavit pulsa ignorantia: ipse cum satiavit ordinata concupiscentia: idem ipsum in melius commutavit exterminata miseria. Unde ipse in Evangelio: Ego sum, ait, via, veritas et vita: via illuminando, veritas sanando, vita felicitando: primum contra ignorantiam, secundum contra concupiscentiam, tertium contra miseriam. Et inferius docet legatum hunc loqui cæteris personis SS. Trinitatis, ac dicere: Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium, q. d. Surgat Pater hostem Filio potenter prosternendo, ego surgam sapienter nescium docendo. Pater vincula solvat humanæ captivitatis: Filius tenebras illustret humanæ excitatis: Spiritus munera suggerat et desideria charitatis.*

Vers. 2

ECCE PARVULUM DEDI TE. Hæc verba pertinent ad, Hæc dicit Dominus Deus ad Edom. Hic enim incipit prophetia et vox Dei contra Edom, uti paulo ante ostendi. Vatablus, Lyranus et Hugo, præteritum dedit exponunt prophetie per futurum dabo, q. d. Ob superbiam puniam te o Edom, teque de fastigio gloriae et magnitudinis tuæ deiciam, faciamque parvulum. Verum melius S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Arias, Pagninus et alii. proprie accipiunt *dedi*. Exaggerat enim fastum Idumææ: quod eum parvulus formatus sit a Deo, caput usque ad sidera erigere velit, q. d. Feci te parvulum, tum numero, id est, paucum: tum opibus, id est, pauperem: tum robore, id est, invalidum et infirmum, ut vertit Chaldæus. Idumæi enim erant sicuti nostri Alpini, habitantes in monte et petra Seir: quare exigui erant, inopes et imbecilles. Unde sequitur:

CONTEMPTIBILIS TU ES VALDE. Septuag. *inhonoratus tu valde*: Figurina, *vehementer despectus*, id est, despiciabilis, *es tu*: Arabicus, *ecce parvulus appares in gentibus, et tu vilis es valde*.

Vers. 5.

SUPERBIA CORDIS TUI EXTULIT TE. Chaldæus, Figurina et alii vertunt, *superbia cordis tui decipit te*: et sic vertit noster Ierem. 46. v. 16. quia Hebr. *נָסָה* *nasa*, si punctum ponas in dextro cornu *וּ*, significat decipere: si in sinistro, significat efferre, extollere. Utrumque verum: nam superbia extulit, et pariter decipit eum: sperantem enim sublimia duxit ad præcipitia. Porro superbiæ causa erat quam subdit: *Habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solum tuum*. q. d. Superbis, o Edom, de tuo robore, quia habitas in rupe prærupta et inaccessible, quasi ob eam sis tutus ab hostium inursu et inexpugnabilis: sed erras; Chaldæi enim Deo duce in rupem hanc conseendunt, teque inde deficient. Pro *in scissuris*, hebr. est *בְּחַגְוֵי* *bechagve*, quod Septuag. vertunt, *in foraminibus*. Pagnin. *in munitionibus*; Figurina, *in cavernis*: R. David, *in gyro et circulo*, puta in vertice rupis, eiusque rotunda circumferentia: *chagve* enim potest deduci a *חֶגְוֵי* *chug*, id est, eirculus. Rursum pro *exaltantem*, hebr. est *מְרִימֵ* *merom*, id est, *eelsitudine habitationis tuæ*, ut vertit Pagnin. Septuag. tamen vertunt ut

A Noster, *exaltantem*. Unde videntur legisse *מְרִימֵ merim*, quod est *benoni hiphil*. Sensus est, q. d. Habitas o Edom in locis abruptis, editis et inaccessibleibus, ibique exaltas solum, id est, sedem, vel, ut Chald. et Septuag. *habitaculum tuum*; ideoque superbis, putans te esse invictum et insuperabilem. Ita S. Hieron. Simili modo superbiebat Arimazes, qui in Sogdiana regione rupem invaccessam cum triginta armatorum millibus insidens, rogatus ab Alexandro Magno ut sese dederet, eum irrisit, rogavitque: *An Alexander volare posset? Cui Alexander: Faciam*, inquit, *proxima nocte ut credas Macedones volare posse*. Igitur trecentos iuvenes fortissimos ingentibus promissis excitato, noctu per prærupta saxa et invia a tergo rupis verticem elam incredibili nisu ausuque conscendit iussit, ac per eos inseis hostibus rupem occupavit, et Arimazem cruci affixit. Ita Q. Curtius lib. 7. de gestis Alexandri.

SI EXALTATUS FUERIS UT AQUILA. Syrus, *si te exaltaveris ut aquila*: Arabicus, *si exaltatus fueris ad aquilam*, quæ in altissimis et inaccessibleibus rupibus montibusque nidificat, iuxta illud Iob e. 39. v. 28. *Elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum: in petris manet, et in præruptis silicibus commoratur*. Plinius lib. 10. c. 3. hanc aquilæ speciem vocat melanaeton, magnitudine miniam, colore nigricantem, viribus præcipuam. Sola, ait, sine clangore, sine murmuratione conversatur in montibus. Sunt enim aliæ aquilarum species, quæ amant sylvas et littora locaque plana, ibique nidolantur, teste Aristotel. l. 9. de Animal. cap. 32. Hinc Pindarus aquilam vocat reginam volucrum, delphinum piseium. Et Athenienses, ait Aristoph. acceperunt oraculum, se fore aquilas urbium.

Mysticæ aquilæ, inquit Hugo Victor. sunt Philosophi et Sophistæ, dum cordis oculos ad solem iustitiæ erigunt, dum aciem mentis in ipsum veritatis radium irreverberate figunt. Sed aquila inde statim retrahitur, quia post acceptam veritatis insitam notitiam, elationis merito Philosophus et Sophista ad errorum ealiginem revertuntur. Hinc Apostolus Roman. 1. *Qui eum cognovissent, ait, Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis*. Ita et hodie aquilas, id est, viros doctos et sapientes ob superbiam e cælo, id est, ex Ecclesia, vel certe e statu perfectionis, detrahi videmus, et ruere in abyssum. Utinam docti illud doctoris Gentium intimis medullis infigant: *Scientia inflat, charitas ædificat*. Et illud: *Noli altum sapere, sed time*. Parvus enim, imo nullus, coram Deo est vir doctus sed superbus. Magnus, imo maximus, coram Deo est, qui tam humilis est quam doctus, in quo humilitas cum doctrina certat, quales fuerunt S. August. S. Thomas, S. Bonaventura, et alii.

ET SI INTER SIDERA POSUERIS NIDUM TUUM, INDE DETRAHAM TE, DICIT DOMINUS. Est hyperbole, q. d. Etiam si, o Edom, in altissimis montibus, uti sunt Olympus, Atlas, etc. imo in ipso cælo sedem figas, aut figure tibi videare, inde detraham te.

Nota. Apposite urbes rupibus impositas vocat nidos. Sic Paulus Æmilius dixit, *arcæ esse nidos tyrannorum*: unde ipse illas e Græcia sustulit. Sic Cicero 1. de Orat. Ithacam in seopulis quasi nidum affixam dixit.

Symbol. Rupertus hæc adaptat iis, qui stemmatibus maiorum quasi petris, unde excisi sunt, gloriantur. Hi enim et similes videntur sibi cæteros homines longe superare, et inter sidera habitare. Talis fuit demens iactantia Thraonis illius, Lysimachi inquam, qui cum loca ad Thraciam vergentia obtinisset, ingenti fastu dixit: *Nunc demum Byzantii ad me veniunt, postquam lancea cælum attigi*. Ibi hominem false irridens Pasides Byzantius: *Recedamus*, ait, *ne ille lanceæ muerone cælum perforet*; uti refert Plutarch. in Fortun. Alexand. l. 2. Sic fastu turbulentus Atreus in Thyeste apud Senecam intonat:

*Æqualis astris gradior, et cunctos super,*

*Altum superbo vertice attingens polum.*

*Dimitto superos, summa votorum attigi.*

*O me cœlitum excelsissimum,*

Vers. 4

Aquilæ sunt sapientes superbi.

Superbi astris se æquant. Exempla.

*Regumque regem, vota transcendere mea.*  
Eadem phrasi utitur Ovidius:

*Quo coniuge felix,  
Et diis clara ferar, et sidera vertice tangam,*  
Et Horat. lib. 1. Carm.  
*Quod si me lyricis ratibus inseris,  
Sublimi fertiam sidera vertice.*

Moral. de fastu.

Moral. Nota, quantum sit superbiæ et superbiorum fastus, nimirum ut putent se in cælum in solium Dei posse conscendere, illudque invadere. Idcirco Deo, quasi rivales et æmuli gloriæ eius, maxime sunt exosi et invisi. Hinc de iis ait Iob c. 20. 6. *Si ascenderit usque ad cælum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur.* Ita supremus angelus, eiusque antitypus Nabuchodonosor, vel Balsasar rex Babylonis, superbiens dixit: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum;* sed illico audivit: *Detraeta est ad inferos superbia tua: subtus te sternetur linea, et operimentum tuum erunt vermes.* Isaïæ 14. 11. et 13. Vide ibi dicta.

An non Origenes, Tertullianus, Pelagius, etc. fuerunt quasi stellæ Ecclesiæ, et astra cæli, et tamen ob superbiam ceciderunt in abyssum? quis non expavescat, quis non in imam se abiciat et humiliet? Hoc est quod in fine mundi circa insignes viros diabolus per Antiechristum facturum prædicat S. Ioannes Apocal. 12. 4. dum ait: *Cauda eius (draconis) trahebat tertiam partem stellarum,* id est, illustrium Sanctorum. Et Apoc. 8. 10. *Cecidit de cælo stella magna ardens velut facula.* Quod Ticonius apud S. Aug. tom. 9. mystice exponens sic ait: *De Ecclesia dicit cecidisse homines superbos et impios: Magnam vero stellam dixit, quia personæ malorum, et potestatem vel divitias habentium.* Nam, ut ait S. Aug. in Psal. 146. (explicans illum v. *Qui numerat multitudinem stellarum*) *Sunt stellæ quædam luminaria in Ecclesia consolantia noctem nostram, de quibus Apostolus dicit Philip. 2. In quibus apparetis tanquam luminaria in mundo: illas stellas numerat Deus; omnes secum regnatos, etc. numeratos habet.* Idem in Soliloquiis tom. 9. c. 28. electos et impios ob sua scelera reprobandos comparat stellis, illos fixis, hos cadentibus, de iisque ait: *Attamen mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos, antequam faceres cælum et terram, secundum abyssum multam iudiciorum tuorum occulorum, semper autem iustorum, præscivisti ad mortem, æternam: quorum dinumeratio nominum et meritum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, et dimensus es profundum abyssi: quos reliquisti in immunditiis suis, quibus omnia cooperantur in malum, et ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, ut si etiam usque ad cælum ascenderint, et caput eorum nubes tetigerit, et inter sidera cæli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinum in fine perdetur.* Unde exclamat: *Magna sunt hæc iudicia tua Domine Deus,* etc. quod eum considero, contremiscunt omnia ossa mea: quoniam non securatur homo vivens super terram; ut servianus tibi pie et caste cunctis diebus vitæ nostræ in timore, et exultemus tibi cum tremore. Causam subdit: *Vidimus enim multos ascendisse primitus quodammodo usque ad cælum, et inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse.* *Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, et eos qui iacebant in pulvere terræ, a facie sublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter ascendisse.* *Vidimus vivos morientes, et mortuos a morte surgentes, et eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse.* Radicem tanti mali subdit: *Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem primus ascendit angelus, et descendit diabolus?* Mos enim est Dei, ut quo quis altius se erigit, eo profundius eum deprimat, quia superbiam exceratur, iuxta illud Isaïæ 23. v. 9. *Domini exercituum cogitavit hoc, ut detraheret omnem superbiam, et in ignominiam deduceret omnes inclitos terræ.* Et, *Deposuit potentes de sede,* Luc. 1. 52. Viderunt idipsum Gentiles: unde Æsopus rogatus, quid faceret

A Deus? *Superbos, inquit, humiliat, et humiles exultat;* quasi hoc unum proprium sit Dei opus. Et Seneca in Hercule Furent.

*Domnare tumidas, spiritus altos gere,  
Sequitur superbos ultor a tergo Deus.*

Idem in Thyeste:

*Vos quibus rector maris atque terræ,  
Ius dedit magnum necis atque vitæ,  
Ponite inflatos tumidosque vultus,  
Quidquid a vobis minor extimescit,  
Maior hoc vobis dominus minatur.  
Omne sub regno graviore regnum est.  
Quem dies vidit veniens superbum,  
Hunc dies vidit fugiens iacentem.  
Nemo confidat nimium secundis.*

Quocirca sapienter Artabanus monet Xerxem regem apud Herod. l. 7. *Vides, ait, ut animalia prægrandia fulmine ferit, neque cogitationibus inolescere sinit Deus; quæ vero parvula sunt, ne tantillum quidem vellicat? Vides at in maxima ædificia et arbores eiusmodi semper telu contorqueat? Amat enim Deus incidere omnia quæ eminent. Neminem enim sinit magni quidpiam de se sentire præter seipsum.* Denique S. Hier. ad Eustochemum de eustodia virgin. *Cecidit, ait, Lucifer, qui mane oriebatur, et ille qui in paradiso deliciarum nutritus est, meruit audire: Si exaltatus fueris ut aquila, inde detraham te, dicit Dominus. Dixerat enim in corde suo: Super sidera cæli ponam sedem meam, et similis ero Altissimo. Unde quotidie ad eos, qui per scalam Iacob somniantis descendunt, loquitur Deus: Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et tanquam unus de principibus cadetis.*

Mystice R. Hæcados apud Galatin. l. 7. c. 15. *Via, ait, aquilæ in cælis est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cælum, sicut dictum est Amos c. 9. Qui ædificat in cælo ascensionem suam.*

SI FURES INTROISSENT AD TE, SI LATRONES PER NOCTEM, QUOMODO CONTICUISSES.) Pro conticuisisses, hebr. est נִדְמֵתָ *nidmeta*, a rad. דָּמָה *dama*, quod tria significat, scilicet assimilari, succidi, et conticescere. Unde Primo, Arias vertit, *quomodo assimilatus esses*, hoc est, cui similis relictus esses? utique viro dispoliato et depauperato. Secundo Pagnin. et Figurin. vertunt, *quomodo esses excisus?* Septuag. *ubi proicetus esses?* q. d. Quomodo tuis rebus et opibus privatus esses? Aliter a Castro, contrarie enim exponit hoc modo: *Anne omnino excisus esses? minime: nam fures hi tantum sufficientia sibi furati essent, cætera tibi reliquissent. Tertio, Noster vertit, quomodo conticuisisses?* et Chaldæus, *quomodo soporatus esses?* id est, instar soporati, vel soporem fingentis præ metu conticesisses? Sensus est, si fures, vel latrones nocturni magna manu invasissent tuas aedes, omnino conticuisisses. Ita enim solent timidi, vel viribus impares tacere præ metu, ne, si elament, a furibus et latronibus occidantur, q. d. Quanto magis conticesces et obtutesces ex pavore, cum te Chaldæi numerosissimi, validissimi et infensissimi invadent et spoliant; nec tantum opes, sed et vitam auferent. Ita S. Hieron.

Physice hic Nota: metus, quia spiritus et sanguinem revocat ad cor in pavore confirmandum, hinc et pallorem extimis partibus, linguæque silentium inducit. Ita Aristot. in Physiognomic. docet vocem fortem signum esse fortis, remissam autem et imbecillum timidi. Idem lib. 4. Ethic. c. 3. *Magnanimi, ait, motus tardus esse deest, et vox gravis, et locutio tarda: contraria sunt in pusillanimitate et timido.* Metus enim acuit, stringit ligatque os, linguam, mentem, memoriam, animam totumque hominem. *Metus,* inquit Solinus Polyhist. c. 7. *memoriam perimit.* Id videmus in scrupulosos, qui umbras peccatorum timent, atque ex hoc timore fluctuante imaginatione et memoria saepe non meminerunt eorum quæ egerunt, vel confessi sunt, imo obliviscuntur se esse confessos; nec recordantur circumstantiarum, quæ eos in opere perpetrato vel in totum, vel ex parte maiori a peccato excusabant: quia peccatum et

peccati metum dumtaxat prae oculis habent, qui metus apprehensionem ita validam vivamque efficit, ut videantur se peccatum videre ubi non est, sequi illud perpetrasse quod nunquam cogitarunt. Ut ergo scrupulos superent, securim ponant ad radicem, ac metum per contrariam audaciam ex consilio viri prudentis succidant.

Secundo, in furibus notat elanculariam et timidam rapinam, q. d. Fures elanculum insecios et imparatos invadunt et diripiunt; at Chaldaei non ita, palam et aperto Marte te invadent o Edom: praescies eorum adventum, parabis te, adventantes et insipientes videbis et senties, nec poteris iis resistere, imo nec fuga elabi vel evadere. Ita Vatablus.

**NONNE FURATI ESSENT SUFFICIENTIA SIRI?)** Est nova antithesis, q. d. Fures non omnia rapiunt, sed ea dumtaxat quae sibi sufficiunt, caetera suis heris et locis relinquunt: at Chaldaei omnia tua abripiunt. Id declarat alia similitudine, vel potius antithesi vindemiatorum dicens:

**SI VINDEMIATORES INTROISSENT AD TE, NUMQUID SALTEM RACEMUM RELIQUISSENT TIBI?)** Utique sub foliis latentibus hinc inde racemos plures de more reliquissent: at Chaldaei scrutabuntur et diripient omnes et omnia, nihil relinquent. Est hyperbole: *Nihil*, id est, paucissima, vix quidquam. Erunt ergo exactissimi racematores, aequae vindemiatores tui, o Edom. Unde sequitur:

**QUOMODO SCRUTATI SUNT ESAU, INVESTIGAVERUNT ARCONDITA EIUS?)** q. d. Quam operose et exacte Chaldaei scrutabuntur omnia arcana et thesauros Idumaeorum, eaque diripient? Pagnin. et Tigurina vertunt, *quomodo pervestigata sunt ea quae sunt Esau, et thesauri eius perquisiti?* q. d. Hoc factum est non tam humana solertia et voluntate, quam divina, ut scilicet omnia quae erant Idumaeorum, etiam thesauri quos absconderant, exactissimo scrutinio a Chaldaeis perquisiti et inventa sint. Ostendit Chaldaeos non fortuito, non sua sponte et matu proprio, sed Dei voluntate venturos, et de Idumaeis vindictam sumpturos, ideoque exactam et aequam fore hanc vindictam, utpote divinam potius quam humanam.

**USQUE AD TERMINUM EMISERUNT TE OMNES VIRI FORDERIS TUI.)** q. d. Non tantum Chaldaei hostes tui te vastabunt, sed et gentes vicinae tibi amicae et confederatae, v. g. Ammonitae, Moabitae, etc. se iungent eum Chaldaeis hostibus tuis, tibi que illudent, ac te e terra tua eiecunt usque ad fines eiusdem, imo usque in terram Chaldaeorum. Ita Chaldaeus, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Vatabl. Clarius et alii passim, q. d. O Idumaei, prodemini ab amicis vestris.

Aliter a Castro: censet enim haec ad tempora Iosaphat regis Iuda, sub quo vixisse putat Abdiam, pertinere, quando nimirum Ammonitae et Moabitae confederati Idumaeis invaserunt Iosaphat et Iudam. sed Deo pro Iosaphat et Iuda pugnante, ac vertente insidias eorum in ipsosmet, Ammonitae et Moabitae insurgentes in Idumaeos eos considerunt, ac deinde versi in seipsos mutuis concidere vulneribus, uti narratur 2. Paral. 20. q. d. Si, o Idumaei, vestra prudentia non potuistis avertere insidias Ammon et Moab amicorum vestrorum, quomodo avertetis extremam hostium stragem? Verum in proemio docui Abdiam diu post Iosaphat vixisse et prophetasse: non ergo agit de clade illius temporis; eo tamen alludit, illamque Idumaeis refricat, q. d. Mementote, o Idumaei, quid vobis fecerint Ammon et Moab amiei vestri eum quibus pacem et foedus sanciebatis tempore Iosaphat: idem enim vobis facient tempore Chaldaeorum, cum iisque vos vastabunt et illudent.

**ILLUSERUNT TIBI.)** Septuag. *restitulerunt tibi*; Pagnin. Tigurina et Vatablus, *seducunt te, et pravalebunt contra te viri pacis tuae, id est, qui tecum pacem inierant.*

**QUI COMEDUNT TECUM, PONENT INSIDIAS SUBTER TE.)** Sic et Septuag. sed Pagnin. vertit, *panem tuum comedentes ponent languorem subter te*; Tigurina, *panis tuus sub te vulnus ponet*, hoc est, ut Vatabl. *viri panis tui inflaverunt vulnus clam te*, id est, tibi imprudenti, nihil tale cogitanti, eo quod existimares illos esse fideles, q. d. Qui tecum panem edebant domestici et familiares, sive stipen-

darii tui, fraudulenter et proditorie inflixerunt tibi vulnus.

**NON EST PRUDENTIA IN EO.)** Scilicet populo Idumaeae. Est enallage personae Hebraica: transit enim a secunda ad tertiam. Dicit enim *in eo*, pro *in te*, q. d. Nescis, o Edom, cavere tua pericula, nescis tibi consulere: quocirca venies in potestatem hostium prodicione amicorum, tuaque improvidentia, aequae ac pravis consiliis. Ita Vatablus. Sic Deus infatuavit consilium Achitophel 2. Reg. 17. 14. Est enim consilium et prudentia, eiusque intellectus et acceptatio, ingens donum Dei.

**NUMQUID NON IN DIE ILLA, DICIT DOMINUS, PERDAM SAPIENTES DE IDUMAEA?)** q. d. Adimam illis consilium et mentem, privabo eos ratione et prudentia, ut nec imminentes hostes praesentiant aut praevaleant, nec praesentes avertere aut effugere possint, sed in eorum manus incidant. Apud Idumaeos enim olim viguit sapientia, ut patet ex Eliphaz Themanite, et aliis amicis Iob, qui fuerunt Idumaei: Theman enim fuit primaria urbs Idumaeae, ita dicta a Theman filio Eliphaz, filii Esau, Genes. 36. 11.

**ET TIMEBUNT FORTES TUI A MERIDIE** (Chald. *habitantes ad Meridiem*, ideoque remotiores a Chaldaeis, qui venient ex adversa plaga, scilicet ex Aquilone, q. d. Timebunt fortes tui, etiam ii qui remotissimi sunt ab hoste) **UT INTEREAT VIR**, id est multitudo virorum fortium, **DE MONTE ESAU.)** Id est, de Idumaea quae in montibus sita est, quam primus parens tuus Esau incoluit.

Ex Hebraeo verti potest ad litteram eum Septuag. *pavebunt bellatores tui de Theman; et cum Pagnino et Tigurina, formidabunt fortes tui, o Theman urbs Idumaeae, eo quod occasione exsindetur quisque e monte Esau.* Verum quia *Theman* Hebraeis et proprium est nomen, significans urbem, et appellativum significans Austrum et Meridiem, hinc Nuster et Chald. vertunt, *timebunt fortes tui a Meridie*, quod tamen eodem redit: nam urbs Theman sita erat ad Meridiem. Nota hic modum quo Deus evertit reges, regna, resp. et urbes, cum eas punire vult: nimirum auferit a regibus et magistratibus prudentiam; a civibus et militibus animos, audaciam et robur ad resistendum; utroque enim pollebant Idumaei, aequae ac pater Esau: utrumque eis abstulit Deus veniente hoste Chaldaeo. Hoc est quod Isaias comminatur Hierosolymae c. 3. 1. *Dominus exercituum auferet a Ierusalem et a Iuda validum, et fortem, etc. consiliarium et sapientem.*

**PROPTER INTERFECTIONEM, ET PROPTER INIQUITATEM IN FRATREM TUUM IACOB.)** Tigurina, *propter vim et iniuriam* (haec enim significat Hebr.  $\text{צחן}$  *chamas*) *qua affecisti fratrem tuum Iacob* (Iacobaeos, puta Iudaeos) *obteget te pudor.* Vim et interfectionem intelligit, speciatim eam, qua Idumaei iunxerunt se Chaldaeis, cum eisque expugnarent et vastarunt Ierusalem, ut dixi in proemio.

**OPERIET TE CONFUSIO)** Cum te videbis ab iisdem Chaldaeis, quos adiuveras, pari modo vastari, nudari, spoliari, occidi: vox *operiet*, significat Idumaeos plane et circumquaque confusione quasi veste eingendos et operiendos, iuxta illud Psal. 108. 49. *Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut dipteroide confusione sua.* Est metalepsis: ponitur enim confusio pro exicidio: ex exicidio enim secuta est spoliatio, ex spoliatioe nuditas, ex nuditate opprobrium et irrisio hostium, ex opprobrio confusio. Hoc est quod Idumaeis intentat Ierem. c. 25. 9. *Ponam eos in stuporem, et in sibilum, et in solitudines sempiternas.*

**ET PERIBIS IN AETERNUM.)** Hoc est quod iisdem ait Ezechiel c. 35. 9. *In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuae non habitabuntur.* Est hyperbole: aeternum enim vocat longum et immemorabile tempus. Nam Idumaeos vastatos a Chaldaeis non plane, nec in omne aevum perisse, patet v. 18. ubi Iudaei dicuntur combusturi Idumaeos; et ex 2. Machab. 10. v. 16. ubi Iudas Machabaeus dicitur subegisse Idumaeos; ac postea Tito obsidente Ierusalem, Idumaei tolerunt opem Iudaeis, teste Iosepho l. 7. Belli c. 15. Denique Daniel. c. 11. 41. dicitur, quod Edom evadat manus Antichristi: durabit ergo usque ad Antichristum et finem mundi.

Vers 6.

Vers 7.

Vers. 8.

Vers. 9.

Vers. 10.

Vers. 11. **IN DIE CUM STARES ADVERSUS EUM**, cum o Edom, stares armatus contra Ierusalem et Ierusalem, QUANDO CAPIEBANT ALIENI (Chaldæi) EXERCITUM EIUS, ET EXTRA NEI INGREDEBANTUR PORTAS EIUS (capta Hierosolyma) ET SUPER IERUSALEM (id est, super spoliis et civibus quos ceperant in Ierusalem) MITTEBANT SORTEM: TU QUOQUE ERAS QUASI UNUS EX EIS.) q. d. Tu pari modo quo Chaldæi invadebas, spoliabas, capiebas, vastabas Iudeos et cives Hierosolymæ. Nota. Hæc præterita accipienda sunt prophetice pro futuris: stares pro stabis: capiebant pro capient: ingrediebantur pro ingredientur: mittebant pro mittent: eras pro eris. Abdias enim præcessit excidium Ierusalem, illudque hic prædicit, quodque in eo Idumæi adiuturi sint Chaldeos.

Vers. 12. **ET NON DESPICIES IN DIE FRATRIS TUI.**) Septuag. omnia hæc futura usque ad vers. 15. vertunt per imperativum: *Et non despicias diem fratris tui in die alienorum, et non læteris super filios Iuda in die perditionis eorum, et non magna loquaris in die angustie eorum, etc. neque stabis in egressibus eorum, ut perdas qui salvantur ex eis, neque concludes fugientes ex eis in die tribulationis.* Quæ verba clara sunt: inbent enim Idumæis, ut more suo Iudæis amplius non adversentur, nec insidiantur, nec de eorum clade gaudeant, nec iis insultent. Sic et S. Cyrillus, et Tigurina. Hoc est quod monet Sapiens Prov. 24. 28. *Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, et in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus et displiceat ei, et auferat ab illo iram suam.*

Secundo, alii hæc futura vertunt per præteritum, non despicias, id est, despiciere non debueras: non lætaberis, id est, lætari non debueras: non magnificabis, id est, magnificare os tuum non debueras, etc. contra fratres tuos Iudæos. Hic sensus valde congruit Hebræis, et hebraismo: Hebræi enim futurum sepe per debitum exponunt, ut Genes. 20. 9. dicit Abimelech Abrahæ in Hebræo: *quæ non fecit*, id est, quæ fieri non debent, *fecisti nobis.* Rursum hic sensus apte congruit præcedentibus: præcedit enim, *Tu quoque eras quasi unus ex eis*, cui recte subnectit, *Et non despicias*, id est, eum tamen fratrem tuum despiciere non debuisses, etc. ita Pagnin. Arias, Vatabl. et Prado in Ezech. 25. v. 13. Idipsum voluit Chaldæus, qui licet verbotenus contrarie vertat, nimirum affirmative, cum Hebræa et Noster legant negative, tamen reipsa eumdem sensum reddit. Sic enim habet: *Et quia vidisti diem fratris tui, diem confractionis eius, et quia lætatus es super filios Iuda in die interitus eorum,* etc. q. d. Videre cum voluptate diem excidii Hierosolymæ, in eaque lætari non debueras, et tamen vidisti, et lætatus es: idcirco pariter et tu punieris et excinderis.

Tertio, propriissime et planissime hæc omnia futura quasi minas et oracula, uti sonant, accipias: toto enim hoc cap. Abdias minatur excidium Idumæis. Quocirca hæc verba, *Et non despicias*, etc. non connectuntur proxime præcedentibus, sed paulo remotioribus, nimirum iis, *Peribis in æternum*, q. d. Excinderis et peribis, o Idumæe, tuncque amplius non despicias, ut soles, Iudæos, nec in eorum clade lætaberis, sed tui ipsius clade occupatus et obrutus eiulabis, et ingebis inconsolabiliter. Ita S. Hier. Theod. Rupert. Hugo, Lyran. et a Castro. Hunc sensum exigit versio Latina, quæ omnia hæc per futurum vertit, non per præteritum, et sequentia. Sequitur enim: *Quoniam iuxta est dies Domini: sicut fecisti fiet tibi*, q. d. Vastaberis, nec amplius Iudeorum, sed tuis ipsius malis occupaberis et ingemisces: quia instat tibi dies Domini, puta dies ultionis et excidii per Chaldæos. Nota, enim ait, *non despicias*, despiciere hic non significat contemnere, sed deorsum aspiciere. Hebr. enim est *אל תרא אל תע* *al tere*, id est, non inspicies, non aspicias eum voluptate et gaudio, q. d. Cum eris excisa et prostrata, o Idumæa, non amplius e rupe tua cum voluptate despicias humi iacentem Ierusalem, uti antea eandem despiciebas. Sic consistens in vertice montis despicit in valles, ait Ovidius II. *Metamorph.* Et Cicero de Arusp. resp. *Tollam altius tectum, non ut ego te despiciam, sed ne tu aspicias urbem quam delere voluisti.* Et Plautus in Cistel. *Ad terram*

A *aspice et despice, oculis investiga.* Et in Milit. *Me despexisse ad te per impluvium tuum fateor.* Sic Deus ex alto despiciet agones et acrimnas nostras, dum nostri misereatur et succurrat.

**IN DIE PEREGRINATIONIS EIUS.**) Quo scilicet Iudas excisus et exul peregrinari cepit apud externos et alienos. Unde Septuag. vertunt, *in die alienorum*; Tigurina, *in die quo alieni ei acciderunt*; Pagnin. *in die qua alienatus est.* Hebr. enim *נכרו נכרו* *nochro* proprie idem est quod *in die alienationis*, id est, exilii et peregrinationis, eius.

**NON MAGNICABIS OS TUUM.**) q. d. Excisa non amplius magna, id est, superba, arrogantia et acerba loqueris Iudæis, non amplius arroganter eis insultabis, dicendo: *Exinanite, exinanite Ierusalem, usque ad fundamentum in ea*, Ps. 136. Sic magnificare sumitur pro insultare, Ps. 11. v. 4. et 5. et Ps. 54. 13. solent enim insultantes magnificare, id est, dilatare os, diducere labra, quin et linguam exerere.

**NEQUE INGREDIERIS PORTAM.**) Ut eum Chaldæis spoliis et occidas cives Ierusalem.

**NEQUE DESPICIES ET TU IN MALIS EIUS.**) Id est, non aspicias eum voluptate malum et calamitatem Iudææ: ita Vatablus, et Pagnin. Est hebraismus, puta *beth* contactus. Hebræi enim dicunt *aspicere in malis*, pro *aspicere malu.*

**ET NON EMITTERIS.**) Scilicet a Chaldæis, ut partem exercitus Iudæorum, vel venientem Hierosolymæ in subsidium, vel ex ea iam capta fugientem persequareis et comprehendas: ita Septuag. Aliter vertit Chald. scilicet, *non emittes*, vel non extends, *Manum tuam ad eius opes in die excidii eius*, ut eas rapias. Sic et Pagnin. et Vatabl.

**NEQUE STABIS IN EXITIBUS.**) Scilicet in diverticulis viarum, id est, ut Chald. Vatabl. et Pagnin. *in bivio*, q. d. Deinceps non stabis in angulis et diverticulis, ut interficias Iudæos stragem hostium fugientes; non operieris eos amplius in biviiis, ut interimas residuos qui ex ipsis manus Chaldæorum evaserint, uti faciunt latrones.

**ET NON CONCLUDES RELIQUOS.**) Residuos afflictos et anxios non capies, non aretabis amplius, uti olim fecisti. Pagnin. et Vatabl. *non trades hosti superstites eius in die afflictionis.*

**QUONIAM IUXTA EST DIES DOMINI SUPER OMNES GENTES.**) S. Dorotheus in vita Abdias, citans hæc eius verba, sic exponit: *Dictum hoc est, ait, superficie tenus (ad litteram) contra Scythas, id est, contra Gog et Magog; certius autem et magis proprie Domino Christo convenit; nam paulo post subiungit: Erit autem salus in monte Sion.* Verum nulla hic Scytharum, Gog, vel Magog est mentio; nec hi everterunt Idumæam; imo Idumæa eorum manus evadet tempore Antichristi, ut ait Daniel c. 11. 41. Ad litteram ergo *diem Domini* vocat, diem vindictæ et excidii Idumæis, aliisque gentibus, Iudæorum hostibus, a Deo per Chaldæos intelligendi, ut patet Ierem. c. 25. 15. et c. 27. v. 6. ita S. Hieron. Cyrillus, Theodor. Hugo, Lyranus, et alii passim. Allegor. dies Domini est dies iudicii, quo Christus Idumæos, id est, impios, mundanos et carnales damnabit et detruet in tartara.

**SICUT FECISTI, FIET TIBI:** sicut afflixisti Iudæos, ita affligeris et vastaberis tu a Chaldæis: **RETRIBUTIONEM TUAM**, quod Iudæis fratribus tuis retribuisti, scilicet, pro amore odium, cædes et spoliationem, retribuam tibi, et **CONVERTAM IN CAPUT TUUM.**) Iustum enim est, ait Rhadamantus apud Aristot. 5. Ethic. ut quod quis iniuste aliis intulit, idem subeat et patiat, iuxta illud Ps. 136. v. 8. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Nota hebraismum, convertere vel retribuere retributionem, idem est quod retribuere talionem, reddere par pari. Addit *in caput*, quia sicut caput est causa culpæ, ita et *noxa caput sequitur*: caput enim, utpote in quo vigent omnes sensus, mens et tota anima, maxime sentit totius corporis noxam et pœnam. Rursum, quia maxima pœna est quæ capiti ipsi tam sensibili infligitur. Insuper ait: *Sicut fecisti fiet tibi*, pro, *Sicut fecistis sic fiet vobis*, scilicet, o gentes universæ, uti præcessit: tum quia tritum tunc erat proverbium, *Sicut fecisti fiet tibi*,

quod tam singulis in singulari, quam multis et omnibus in plurali applicari et explicari potest, tum quia inter gentes hostiles quæ afflixerunt Iudæos, prima et acerbissima fuit Idumæa: Ad illam ergo dirigit sermonem, sed sub ea quasi sub capite cæteras intelligit: ita S. Hieron. Unde explicans subdit:

Vers. 16. **QUOMODO ENIM BIBISTIS** (ita legendum cum Hebr. et Roma, licet Sept. et quidam Latini legant, *bibisti*) **SUPER MONTEM SANCTUM MEUM, BIBENT OMNES GENTES IUGITER.**) *Bibere* in Script. dupliciter, id est, contrarie sumitur. Primo enim bibitur calix vini suavis, cum quis exultat, convivatur, et dies festos agit. Secundo, bibitur calix vini amari, aut fellis et iræ Dei, cum quis ob scelera a Deo ærumnis et supplicis afficitur. Sic dicuntur peccatores bibere calicem furoris Dei. Iam Primo, aliqui, tam *bibistis*, quam *bibent*, in malum accipiunt. Unde Tigurina sic vertit, *sicut vos qui estis in monte sancto meo bibistis, sic bibent omnes gentes*, q. d. Sicut vos, o Iudæi, bibistis calicem iræ Dei, sic bibent omnes gentes, ut vastentur a Nabuchodonosor, sicut vos ab eodem vastati estis; quod Rupert. tropologice applicans probis et improbis, fidelibus et infidelibus, sic explicat, q. d. Sicut pii bibunt calicem tribulationis, sic multo magis bibent impii eundem sibi propinatum a Deo, præsertim in die iudicii. Simili modo explicat Theod. sed de Idumæis, non de Iudæis, q. d. Sicut vos, o Idumæi, bibistis calicem afflictionis propinatum a Deo per Chaldæos, *super*, id est, propter, *montem sanctum meum*, quia scilicet Sionem vastastis, et Iudæos affixistis, sic pariter eundem bibent cæteræ gentes, quæ pari modo quo vos, Iudæos afflixerunt.

Secundo, alii tam *bibistis*, quam *bibent*, in bonum, scilicet ut lætitiā significant, accipiunt, q. d. Sicut vos, o Idumæi, bibistis, id est, bibendo, convivia et festa agitando, lætati estis super, id est, propter expugnatum a Chaldæis montem Sion: sic super vos bibent, id est, bibendo exultabunt omnes gentes quæ erunt in Chaldæorum exercitu, cum iisque vos spoliabunt, vestrasque opes devorabunt, et absorbebunt sanguinem vestrum, atque *ad extremum in cunctos veniente cruciatus ipsæ quoque erunt quasi non sint*, ait S. Hieron. Chald. Cyril. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Explicat enim illud quod dixit: *Sicut fecisti fet tibi*: idque iugiter, scilicet, donec penitus te absorbeant et consumant. Idumæi enim primo vastati sunt a Chaldæis, deinde a Iuda Machabæo 2. Machab. 10. 16. iterum omnino domiti sunt ab Hyrcano Simonis (qui fuit Iudæ Machabæi frater) filio, teste Iosepho l. 11. Antiq. 17. idque usque ad Iudæorum excidium per Titum, quando Idumæi iunxerunt se Romanis, et more suo se ultri vastarunt Iudæos, teste Iosippo Gorionide lib. 4. Hist. c. 4. Demum ab aliis et aliis principibus ita attriti sunt, ut iam ne Idumæorum quidem nomen supersit.

Tertio, alii aptius *bibistis* in bonum, *bibent* vero in malum accipiunt, q. d. Sicut vos, o Idumæi, bibistis, id est, bibendo et epulando exultastis cum Chaldæis aliisque gentibus super clade Sionis, sic pariter omnes gentes, inter quas vos eritis primi et præcipui, bibent et absorbebunt tum calicem iræ Dei, eis propinatum a Deo, tum calicem sanguinis mutui. Invicem enim se trucidabunt, donec omnes pereant, ita ut non sint amplius: nam Idumæos succiderunt Chaldæi, Chaldæos Persæ, Persas Græci, Græcos Romani. Et sic in omnibus verum erit vulgare proverbium: *Sicut fecisti fet tibi*. Ita quoque S. Hier. Remig. Haymo, Hugo et alii. Favent sequentia: Gentibus enim excindendis opponit Iudæos ab iis afflictos, iisque promittit restorationem et salutem, dicens: *Et in Sion erit salvatio*. Nam *bibent* non in bonum, uti censet secunda expositio, sed in malum accipi, patet ex eo quod subdit: *Bibent et absorbebunt, et erunt quasi non sint*, q. d. Bibent calicem iræ Dei, quo consumentur ita ut non sint. Unde Septuag. Complut. habent *absorbebuntur*, licet alii codices, ut S. Hieron. habeant *absorbebunt*; alii, *ascendent*; alii, *descendent*, et erunt sicut non existentes. Denique sic Abdiam explicat Ierem. c. 23. 13. *Sume*, ait, *calicem vini furoris huius de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus: et bibent et turbabuntur, et insanient a facie gla-*

**A** *di*. Et c. 49. v. 12. agens de his ipsis Idumæis, et calice ab eis bibendo: *Ecce, ait, quibus non erat iudicium ut bibent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes*. Ludit in voce bibendi, ob causam moralem, quam innox afferam; sicut ludit Apostolus in voce peccatum, dicens: *De peccato damnavit peccatum*, Rom. 8. 3. et 2. Corinth. 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Rursum, per enallagen mutat personam secundam in tertiam, puta *bibistis* in *bibent*, ut significet Idumæos præcipue bibisse, sed tamen cum eis bibituras omnes gentes, uti initio thematis proposuit v. 15.

Moralit. discite hic, peccatorem qui bibit calicem voluptatis, bibiturum calicem afflictionis et ultionis Dei. Idem enim calix voluptatis et mellis, in faces fellis et tribulationis desinit, iuxta illud Psal. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fax eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ*. Scribit Herodot. l. 4. et Athen. l. 11. fluvium Hypanim e fontibus, quinque dierum via exillem profluere ac dulce: deinde post aliorum quatuor dierum iter, perquam amarum. Talis est voluptas, tale eius *ἡδονή*, id est, *dulce-amarum*. *Amores et deliciae celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est*, ait Cicero pro Cælio. Et Boetius l. 3. metro 7.

*Habet omnis hoc voluptas,  
Stimulis agit fruentes,  
Apiumque par volantum,  
Ubi grata mella fudit,  
Fugit, et nimis tenaci  
Ferit icta corda morsu.*

Ita lege Dei æterna sancitum est, ut illicita voluptas pariat tædia, angores, fastidia, et ultricis conscientiae furias, quasi præclarum sui relinquat auctoramentum: in super supplicia et flagella, quibus eam Deus castigat in hoc sæculo, et in futuro, iuxta illud Apoc. 18. 7. *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. Vide ibi dicta. Ita Venus venusta apparet oculis, sed venenat animus: virtus vero quo mius carnes captat oculos, hoc magis animis est illex, sed sapiens, sincera et sancta.

**ERUNT QUASI NON SINT.**) Quasi non fuerint. Unde Pagnin. et Tigurina. clarius vertunt, *erunt quasi non fuissent*, ac si nunquam in rerum natura extitissent.

**ET IN MONTE SION ERIT SALVATIO.**) Est hic usque ad finem capitis duplex expositio extrema; una alteri ex diametro opposita. Prior hæc omnia ad litteram accipit de felicitate temporali Iudæorum e Babylone redeuntium, eaque partim sub Zorobabel et Esdra, partim sub Machabæis per quingentos annos, qui ab hoc reditu usque ad Christum interfluxerunt, impleta esse censet. Ita S. Cyril. Remig. Hugo et alii. Accedunt Chald. R. Salomon, et R. David, qui hæc ad litteram corporaliter implenda esse censent a suo Messia venturo in fine mundi. Posterior ex adverso, hæc temporaliter in Iudæis adimpleta esse negat: quare hæc omnia accipit Symbolice et parabolice de redemptione et felicitate spiritali quam attulit Christus. Ita S. August. l. 18. Civit. 31. Rupert. Lyran. Clarius, Arias et Vatabl. Verum media sententia, quæ utramque extremam iam dictam conciliat, unit et includit, vera est, nimirum hæc ad litteram accipienda esse de sospitate et prosperitate quæ Iudæis a Deo obtigit post reditum e Babylone. Idipsum enim sequentia fuse et plane exigunt: tunc enim inchoata est hæc Iudæorum de Moabitibus, Ammonitis et Idumæis victoria. Mystice vero et plene per hanc prosperitatem temporalem, adumbrari et significari Christi et Evangelii victoriam, qua Ammonitas, Moabitibus, Idumæos, omnesque gentes sibi ac Deo subiecit: tunc enim plena fuit hæc victoria, planeque adimpleta quæ hic prædicantur. Solent enim Prophetæ a typo ad antitypum avolare, puta a Zorobabel ad Christum, in eumque desinere; ac in eo, felici vaticinio et quasi Evangelio prophetias suas terminare. Ita S. Hieron. Theod. Rupert. Haymo, Lyran. Burg. Hugo et alii passim. Vide can. 5.

Voluptas  
post mel  
fundit  
fel.

Vers. 17.

et 6. quos prefixi Isaie.

Anagog. significatur hic salus, felicitas, gloria et triumphus danda electis in Sione caelesti. Ait ergo Abdias: *Et in monte Sion*; Sept. *in monte uitem Sion erit saluatio*; Tigur. et Vatabl. *at in monte Sion erit euasio*, id est, reliquiae evadent et servabuntur, q. d. Cum Idumaei aliaeque gentes bibent calicem irae Dei, et a Chaldaeis plane vastabuntur, tunc ex adverso populus Dei, puta Iudaei et Sionitae; qui eundem calicem gustarunt, sed non exhausserunt usque ad faeces, salvabuntur. Nam e Babylone post 70. annorum captivitatis rednees patriae, pristinae libertati et felicitati a Deo restituentur.

Mystice vero et plene, iidem in Sion praedicante e captivitate minori, puta peccati, diaboli et inferni, liberabuntur, omniique gratia et gloria donabuntur. Ita Auctores iam citati. Christus enim in Sion Ecclesiam novam instituit, ad eamque vocavit omnes gentes, mitteus ad eos Apostolos, qui eos fidei, gratiae, et salutis a se partae participes effecerunt.

Vers. 18. **ET ERIT SANCTUS.**) Scilicet mons Sion, ob templum in eo reaedificandum: vel *sanctus*, scilicet Deus, erit habitans in monte et templo Sion. Hebr. est, *et in monte Sion erit euasio*, id est, salus, et *sanctitas*. Iam *sanctitas* vel proprie accipi potest, vel figurate pro templo: templum enim Hebr. vocant קודש *kodes*, id est, sanctitas, quia sanctissimum est, utpote in quo Dei sanctitas habitat, et collitur per sancta sacrificia, Sacramenta, vota, preces, etc. Unde Septuag. vertunt *et erit sanctum*. Hinc prior pars templi vocabatur Sanctum, posterior Sanctum sanctorum. Sensus ergo est, q. d. Mons Sion erit primo, sanctus ob sanctum templum cultumque Dei in eo restaurandum a Zorobabel et Esdra; secundo, sanctorum erit cum Christus in eo praedicabit; tertio, sanctissimus erit cum Christus in eo effundet Spiritum sanctum in Apostolos, qui hanc sanctitatem transfundent in totum orbem, ait Theod.

**ET POSSEDEBIT DOMUS IACOB EOS QUI SE POSSEDEBANT.**) *Domus Iacob* sunt familia, stirps et posterii Iacob, puta duae tribus Babylone redeuntis. Rursum hebraice מורשעהם *moresechem*, Primo, significat *haereditates suas*, q. d. Iudaei redibunt ad suas possessiones quas ante captivitatem habuerant in Iudaea: ita Pagnin. et Vatabl. Secundo, significat *possessores suos*, id est, *eos qui se possederant*. Ita Noster, Septuag. et Chald. q. d. Iudaei possessiones suas, quas Idumaei aliaeque gentes invaserant et occuparant, dum ipsi abducerentur in Babylonem, recipient exclusis Idumaeis aliisque invasoribus et iniustus possessoribus. Ita narrat Ioseph. l. II. Ant. 4. Darius Hystaspis, qui Cambysi filio Cyri in regno Persarum successit, dedisse Iudaeis facultatem reaedificandi templi, ac mandasse Idumaeis, Samaritis et Syris, ut agros Iudaeorum quos occuparant, ipsis, quasi avitis possessoribus restituerent. Nec tantum Iudaei sua receperunt, sed et aliena, puta ditiones Idumaeorum et vicinarum gentium, hostium suorum, invaserunt et occuparunt. Qui enim invadit aliena, meretur perdere sua. Id factum a Iuda Machabaeo 2. Machab. 10. 16. et ab eius nepote Hyreano, qui Idumaeos omnino perdomuit et subiugavit. Ita S. Hieron. Theod. Remig. et alii. Mystice, plenius et perfectius id factum a Christo et Apostolis, qui e Sione egressi Idumaeos omnesque gentes verae Sioni, id est, Ecclesiae et Christo, subiecerunt. Ita Lyran. Arias, Vatabl.

**ET ERIT DOMUS IACOB IGNIS, ET DOMUS IOSEPH FLAMMA, ET DOMUS ESAU STIPULA.**) *Domus Iacob* sunt duae tribus, uti dixi: *domus Ioseph* sunt decem tribus Israel: harum enim caput fuit Ephraim prognatus ex Ioseph, q. d. Duae tribus, puta Iuda et Benjamin, cum illis qui e decem tribubus vel ante captivitatem, vel post eam se Iudae iunxerunt, et in eandem rempub. ac Ecclesiam cum eo in Ierusalem et Iudaea conspirarunt, invadent Idumaeam, eamque succendent, aut sibi subdent, sicut ignis sibi subdit stipulam. Factum id litteraliter a Iuda Machabaeo, et Hyreano, qui Idumaeos ad circumcissionem compulsi, fecitque Iudaeis, teste Iosepho l. 13. Antiq. c. 17. Unde obsessa Ierusalem a Tito, viginti millia Idumaeorum in Iudaeorum auxilium venerunt, ait Ioseph. l. 4. Belli c. 6.

**A** Ita S. Hieron. Theodor. Remig. et alii. Mystice, id factum ab Apostolis, qui igne charitatis Christi combusserunt infidelitatem, vitia et idola Idumaeorum, ut peccati mortui, iustitiae et Deo viverent. Ita Lyran. Arias, Vatabl. et alii.

**ET SUCCENDENTUR (domus Esau, id est Idumaei) IN RIS,** puta per flammam Ioseph et ignem Iacob: **ET DEVORABUNT Iacobitae et Iosephitae, eos.**) Scilicet Esauitas et Idumaeos.

**ET NON ERUNT RELIQUAE** (id est, *residuus*, ut vertunt Aquila et Theodot. vel *effugiens*, ut Symmach.) **DOMUS ESAU.**) Septuag. vertunt, *non erit πυρρορος domui Esau: πυρρορος*, id est, frumentarius, qui frumenta suggerat, qui habeat curam annonae advehendae et admetiendae: unde Lucilius, qui Magui Pompeii magnus fuit avunculus, lib. 9. Satyr.

*Frumentarius est, modium hic secum atque rutellum Una adfert.*

Rutellum vel rutrum dicitur a radendo, ait Nonius, quod frumentum modium superans, abradat. Alii, ait S. Hier. legunt πυρρορος, id est, ignifer, qui gestare possit igniculum, idque longe verius est. Alludit enim ad id quod praecessit: *Erit domus Iacob ignis*, q. d. Domus Esau non feret, non sustinebit ignem domus Iacob; sed ei succumbet et comburetur.

Quaeres Primo, quis sit hic πυρρορος, vel πυρορος (haec ignifer enim duo idem sunt) id est ignifer? Primo, aliqui πυρο-quis? ρορος accipiunt pro milite valido qui ignes spirat, et ignes tebris hostium iniicit. Ignis nomine, ait Theodor. vis ac robur intelligitur, q. d. Nulla vis Idumaeis relinquetur.

Secundo, a Castro sic exponit, *non erit ignifer*, id est, superstes Idumaeae, qui posteris vitae generisque lampada tradat. In Script. enim generis propagatio vocatur Lucerna: quia sicut lucerna ignem et lumen, sic generatio familiam conservat. Unde istud, *ut remaneat lucerna* (id est, posteritas) David, 3. Reg. 11. 36. Ubi est elegans allusio ad priseum ritum λαμπαδουρζειν, quo solebant in Promethei (hunc enim dictitant ignem e caelis suffuratum, eundem in terras detulisse) ludis cursores defatigati, lampadem recentibus sibi vicissim succedentibus in manus dare, quasi symbolum humanae propagationis, iuxta illud Lucretii:

*Et quasi cursores vitae lampada tradunt.*

Quod imitatus Plato lib. 6. de Legibus, scribit cives oportere liberis generandis atque educandis operam dare, ut vitam quam ipsi a maioribus acceperunt, vicissim quasi tadam ardentem posteris tradant. Quare Graeci forte a Prometheo hoc proverbium sumpserunt: *Non est pyrophorus*, id est, nullus est superstes, ne Prometheus quidem ignifer. Pyrophorus enim est Prometheus, qui solus diluvium Deucalionis evasit, ideoque igne caelesti genus humanum quasi alter Noe restaurasse fertur, vel potius fingitur. Si enim hic pyrophorus periisset, periisset plane genus humanum.

Tertio et genuine, Luisius Legionensis, et ex eo Del-ignifer quasi pracli per 1-ignifer. rio adagio 984. per pyrophorum accipiunt priseum antesignanum et legatum castrorum, quem ita depingit Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. c. 3. *Pravaluit Graecorum mos, ut quoties provinciae acies congregi parant, ante prima signa staret vates laureos ferens ramos et corollas; cui Pyrophoro dixere nomen, quoniam lampada praferret, quem violare summum habebatur nefas, quod legati munereungeret.* Accepit hoc Alex. a Suida voce πυρρορος, qui et addit, vates hosce πυρρορος, fuisse sacerdotes, ideoque inviolabiles, indeque manasse proverbium: *Ne πυρρορος*, id est *ignifer*, quidem *superfuit*, quo utebantur Graeci aequae ac Latini, dum erudelem aliquam stragem, in qua omnes ad unum casu essent, significare vellet: ita et Pollux, et Hesychius: *Pyrophorus*, ait, *qui fert ignem, et solus servabatur in bello*. Quin et Philo Iudaeus lib. 1. de Vita Mosis, tantam Aegyptiorum in mari rubro fuisse stragem ait, *ut nec reliquus esset cladi vel ignifer, qui eam nunciaret*. Huc accedit S. Hier. qui πυρρορος interpretatur *frumentarius*. *Eos enim*, inquit, *quos nunc agentes in rebus vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant*, q. d. Ne πυρρορος, id est frumentarius, puta veredarius, hoc est nun-

Idumæi  
quando  
perie-  
runt?

cuius, tantæ Idumæorum eladi supererit. Nam is vel ab hoste dedita opera relinqui solet ad eam nunciandam. Quocumque alludatur, certum est per *קנאקקקקקק* significari residuum et superstitem, ut notat Theodor. quia id significat Hebr. *שריד* *sarid*, itaque vertunt Aquila, Symmach. Theod. omnesque Interpretes.

Quæres Secundo, an, quando et quomodo reliquiæ omnes Idumæorum perierunt? Respondent aliqui, sensim omnes periisse, licet quando perierint non constet. Periisse enim liquet ex eo, quod iam ne Idumæorum quidem nomen supersit: gens ergo periiit, licet ex ea pauci aliqui, iique pauperes et imbecilles, remanserint. Verum obstat, quod Abdias significet, a Iudæis perdendos esse Idumæos, ita ut ne unus quidem eorum supersit. Hoc autem falsum esse videtur: nam cum Iudæi excisi sunt a Tito, supererant Idumæi, imo venerunt in auxilium Iudæorum, uti paulo ante dixi. Postquam autem Iudæi excisi sunt a Tito, non potuerunt delere Idumæos. Resp. ergo, reliquias Idumæorum periisse, quia Idumæi subacti ab Hyrcano ad unum omnes circumcisi sunt; itaque desierunt esse Idumæi, et cœperunt esse Iudæi. Hoc est quod paulo ante dixit: *Possidebit domus Iacob eos qui se possederant: et vers. 21. Et ascendent salvatores in montem Sion iudicare domum Esau: et erit Domino regnum.* Ubi plane significat non perituros posteros Esau, sed iudicandos, id est regendos, a Sionitis et Iudæis, ita ut fiant Iudæi et regnum Dei. Mystice vero, Idumæi conversi ab Apostolis et viris Apostolicis desierunt esse Idumæi, et cœperunt esse Christiani. Denique si qui noluerint, vel adhuc nolint converti, hi aut perierunt, aut peribunt in die iudicii, cum Christus omnes infideles exterminabit et relegabit ad tartara.

Dices, Daniel cap. 11. 41. asserit Idumæos fore tempore Antichristi, et ab eius tyrannide fore immunes. Resp. Idumæos vocat incolas eius montis et rupis quem olim incoluerunt Idumæi, qui iam sunt alia gens, aliudque nomen obtinent. Hi enim ob rupes et montes inaccessi, evadent castra et furorem Antichristi.

Vers. 19. ET HÆREDITABUNT III, puta domus Iacob et Ioseph, id est Iudæi, EOS QUI AD AUSTRUM SUNT, puta MONTEM ESAU, etc.) Unde clare vertit Tigurina et Vatabl. *occupabunt domus Iacob et Ioseph, Austrum, nempe montem Esau.* Nam Iudæa ad Austrum habet Idumæam, ad Occidentem Philisthæam: ad Aquilonem Samariam et Galilæam; ad Orientem Galaad, Moab et Ammou. Unde vers. 20. de Ierusalem dicitur: *Possidebit civitates austri.* Verum melius cum Nostro, Pagnino et Septuag. vertas, *Auster*, id est, *qui ad austrum sunt, possidebunt montem Esau: et campestria*, id est, *qui in campestribus habitant, possidebunt Philistinos.* Hunc esse sensum patet, si quis intueatur Hebræa. *Sepheta* enim est nomen proprium regionis campestris Iudææ, ut patet ex tabulis Adrichom. quam recte Campaniam verteris. Unde et Tigurina posteriori parte huc inflectit; vertit enim, *et declives campi* (id est campestria) possidebunt *Palæstinos.* Rursum hunc sensum exigit id quod sequitur: *Et Benjamin possidebit Galaad.* Ergo Auster, vel ad Austrum, non sunt Idumæi, sed Iudæi. Hi dicuntur esse ad Austrum, non respectu Idumæorum: horum enim respectu sunt ad Aquilonem; sed respectu Benjamin et aliorum Iudæorum. Sensus ergo est, q. d. Iudæi illi qui præ aliis magis ad Austrum vergunt, ideoque eorum respectu Australes vocari possunt, hi possidebunt Idumæam, utpote Australem pariter, ideoque sibi viciniorem: Iudæi vero qui Sepheta, id est, campestrem regionem incolunt, puta eam quæ est circa Eleutheropolim, vel eam quæ est circa Lyddam et Emaus, id est, circa Disopolim et Nicopolim, possidebunt urbes et agros Philisthinorum: utpote sibi viciniore, puta Gazam, Ascalonem, Accaron, Geth et Azotum: insuper tribum Ephraim, et reliquam Samariam, quæ illis ab Oriente vicina sunt. Tribus vero *Beniamin possidebit Galaad*: illi enim vicina est Galaaditis. Ita S. Hieron. Ribera et alii. Sensus ergo est, q. d. Iudæi redeuntes e Babylone possidebunt circumcirea ad quatuor mundi plagas regiones vicinas hostium suorum, easque inter se congrue

A pro situ et vicinitate loci distribuent: unde et Ezechiel eisdem illas distribuit e. 47. Id ex parte et inchoate impletum est per Machabæos, Iudam, Simonem, Ionatham, Hyrcanum, et Alexandrum Hyrcani filium. Hi enim subegerunt Idumæos, item Philistinos, puta Azotum, et Gazam, sive Gadaram, 1. Machab. 5. 65. et 68. et 2. Machab. 10. 16. 32. et seq. Item sortem tribus Ephraim, adeoque totam Samariam, quam Hyrcanus Simonis filius omnino subegit, exciso templo in monte Garizim Hierosolymæ æmulo, teste Iosepho l. 13. Antiq. c. 17. et 18. Item Galaaditem, 1. Machab. 5. 36. item omnes ditiones Chananæorum usque ad Sareptam, quæ est inter Tyrum et Sidonem, hoc est, urbes omnes maritimas Palæstinorum usque ad Sidonem, nimirum Iamoiam, Ioppen, Dor, Cæsaream, Ptolemaida, Tyrum ipsamque Sareptam, ut patet ex Iosepho 13. Antiq. 23. et ex Iosippo l. 4. 12. Unde et postea Augustus Cæsar occupata Iudæa, hæc omnia tamquam Iudææ subiecta dedit Herodi Ascalonitæ, eoque mortuo illa in quatuor tetrarchias divisit, tradiditque filiis eius, quos tetrarchas constituit, Luc. 3. 1. Verum quia Machabæi hæc loca subiecerunt quidem, sed non occuparunt (nec enim in his locis habitarunt Iudæi, sed Philistæi, Samaritæ, Idumæi, etc.) quod tamen fore hic significat Abdias, dicens: *Et hæreditabunt et possidebunt;* hinc Secundo, plenius id impletum est mystice ab Apostolis, qui fundata Ecclesia in Iudæa, inde exeuntes ad vicinos Samaritas, Idumæos, Philisthæos aliosque populos, omnes illi subiecerunt. Ita Lyran. Arias, Vatabl. et a Castro in paraphrasi: Apostoli, inquit, virique Apostolicei distribuunt sibi omnem circum regionem, quam Evangelico bello Christo subiiciant, et qui ad Meridiam exierint, perustrabunt Idumæam; qui ad Occidentem, terram omnem Philisthæorum; qui ad Septemtrionem, Galilæam et Samariam; at qui ad Ortum, possidebunt Christo Galaaditas et Arabes: nominatim vero *Beniamin*, id est, S. Paulus ortus ex tribu Benjamin, *possidebit Galaad*: quia ipse convertit Arabiam, cuius pars est Galaad: nam, ut ipse ait Galat. 1. 17. *Abii in Arabiam*, ut ibi ex vocatione et officio meo de more prædicarem, Arabesque facerem Christianos.

C TRANSMIGRATIO EXERCITUS HUIUS FILIORUM ISRAEL, Vers. 20. q. d. Exercitus, vel turma et multitudo hæc Israelitarum transmigrans, hoc est quæ olim e Iudæa captiva a Chaldæis abducta trasmigravit in Babylonem, tandem inde feliciter et gloriose rediens, possidebit OMNIA LOCA CHANANÆORUM, puta totam illam plagam maritimam quæ excurrit USQUE AD SAREPTAM.) Sidoniorum: quare plura possidebit post captivitatem quam ante eam possederat. Ita S. Hieron. Cyril. Theodor. Haymo et Hugo. Pro *Sareptam* hebr. est צרפת *Tsarephat*, per quod Hebræi, R. David, Lyran. Clarius, Pagnin. Arias, Vatabl. et alii accipiunt Franciam: hæc enim esse Sareptam Galliarum, sicut illa Iudaica, in qua vixit Elias, dicta fuit Sarepta Sidoniorum, quia erat prope Sidonem; forte ex eo, quod hi Sareptani ex se coloniam duxerunt in Galliam, sicut Tyrii duxerunt Carthaginem et Tartessum in Hispaniam; aut ex sylvis et officinis conlactoriis æris, ferri, laterum, etc. quibus Gallia abundavit. Inde enim dictam volunt Sareptam Sidoniorum: radix enim צרף *tsaraph* significat accendere, conflare: aut aliunde. Nil enim certi hæc de re afferri potest. Sic per Chananæos R. David, Arias et alii accipiunt Alemannos: Chananæos enim postquam ex Chananæa per Iosue et Israelitas eiecti, per varias gentes, puta Africanam, Illyricum et Germaniam dispersi sunt, dictos esse Alemannos. Alemannos enim germanice idem est quod omnis vir, omnis gens, q. d. Prædicatores Evangelici Christo subiicient Africanam, Illyricum, Germaniam, omnesque Chananæos, id est gentes idololatræ et impias, usque ad Gallias, ad quas venit S. Magdalena, Martha, Lazarus, Maximinus, Martialis et alii, qui eas ad Christum converterunt. Perperam Iudæi hæc expectant corporaliter a suo Messia, nimirum, ut omnes hæc regiones eis subiiciat, quin et Galliam et Hispaniam, adeo ut Iudæi loti pene orbi dominantur.

ET TRANSMIGRATIO IERUSALEM QUÆ IN BOSPHORO EST,



Bosphorus quis?

POSSIDEBIT CIVITATES AUSTRI.) q. d. Hierosolymitani qui e Iudæa transmigrarunt in Bosphorum, reversi in patriam possidebunt urbes Australes, puta civitates suas, nimirum Iudææ, quæ respectu Babylonis et vicinarum regionum est Australis. Nota, Pro *Bosphoro* hebr. est ספּרד *Sepharad*, quod ut nomen proprium retinuerunt Aquila, Symmach. et Theodot. et, ut videtur, Septuag. vertunt enim *Ephrata*. Suspicio cum Ribera in Septuag. legendum *Sephrata*: sic enim habent Hebræa, et sic verterunt alii iam citati. Lyran. vult esse locum in Babylonia. Noster autem Hebræus, ait S. Hieron. dixit Bosphorum vocari *Sepharad*, forte a סוף *soph*, id est terminus, et רד *rad*, id est descensus, vel ארץ *erets*, id est terræ. Bosphorus enim est terminus Græciæ, Traciæ, aliarumque terrarum. Aut certe a *soph*, id est terminus, *peret*, id est, divisionis quia dividit duo maria et duas continentes oppositas, adeoque Asiam ab Europa discludit. Unde et S. Hieron. addit: *Sepharad* assyriacè significare universaliter terminum. Adde, Hebr. בספּרד *bispharad*, sive consonantes spectes, idem pene est quod *Bosphorus*. Nam *beth* in *bispharad*, potest accipi ut radicale, non ut servile significans *in*. Hinc et chaldaicè *sephara* idem est quod terminus, limes, portus, statio; arabice vero est transitus sive traiectus: ספּר *saphar* enim arabice idem est quod transit, traiecit, navigavit. Unde et Melitenses (qui multas habent voces mutuatas a Syris et Arabibus) *sepharad* vocant traiectum sive tranationem boum; et *sepharbeim* vocant tranationem animalium: indeque nonnulli viri docti putant *Sepharvain* fuisse urbem iuxta Bosphorum, ita dictam a tranatione animalium per illas maris angustias, quam expugnavit Sennacherib, Isaïæ 36. 19. Porro Bosphorus est angustum mare, quod a bobus tranari potest, ait Plinius l. 6. c. 1. Ita dictus, quod sit τῶν βοῶν πορθεῖα, id est, bovis iter et via. Bosphorus est duplex, unus in Propontide, qui Chalcedonem a Constantinopoli brevi freto dividit: hic Thracius cognominatur. Alter in introitu Mæotidis paludis, qui a populis accolis Cimmerius dicitur, de quo Ovid.

*Bosphorus et Tanais superant Scythiæque paludes.*  
De Thracio hic agi videtur, eoque enim relegatos et dispersos fuisse Iudæorum captivos in captivitate Babylonica, docet S. Hieron. hic, et in Zachar. c. 10. Hebræi, Emmanuel, et Mariana, qui tamen censet Iudæos in Bosphorum relegatos ab Adriano Imp. non a Chaldæis. Alii tamen viri docti censent hic agi de Bosphoro Cimmerio; in eo enim dominabantur Assyrii, indeque colligebant milites. Pontici enim et Cimmerii ex climate frigido et aspero, erant homines duri et asperi, ideoque in bellis sævi et acres. Unde Diodorus Siculus lib. 3. cap. 7. ait Sardanapalum prævidentem excidium ex oraculo dicente, Niuven tunc capiendam cum fluvius urbi hostis fieret (tunc enim Tigris imbribus exerescens muros Ninives deiecerat ad stadia viginti) tres filios amandasse cum magna auri copia in Paphlagoniam ad Cottum Præsidem, ducum omnium sibi acceptissimum. Paphlagonia autem vergit ad Bosphorum et Pontum: quocirca Strabo hoc regnum vocat Bosphoranum. Eo ergo multos Iudæorum ab Assyriis et Babylonis relegatos censent, qui in aspera regione ab asperis incolis dura patiebantur. Ibi enim est Cerberion mons et oppidum, Coeytus, Phlegethon et Tartarus: quocirca Homerus, inferni sedem collocat apud Cimmerios, sive ob perpetuas tenebras, sive ob metallorum frequentes fodinas, sive ob valles opacissimas et hiberno soli inaccessas: adeo ut Gentiles censent illic esse inferni ostium. Sicque accipiunt illud Isaïæ 28. 13. *Perussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum*, puta cum Cimmeriis et regno Bosphorano, scilicet cum Assyriis regnantibus in Ponto et Bosphoro. A tam sæva ergo et horrida captivitate Iudæos liberandos prædicit Abdias; ac per hoc repræsentat, a morte et inferno nos liberandos per Christum: ut, sicut Iudæi ab Aquilone rigidissimo translati sunt ad Austrum calore suavissimum; ita a peccato, aecidia et vitiiis per Christum transferamur ad auram et flatum suavissimum Spiritus sancti, quæ nos

A amore Dei et virtutis faciat ardentis. Hac facit illud Tibulli l. 3. eleg. 3.

*Elysios olim liceat cognoscere campos,*

*Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus,*

infernos scilicet et caliginosos. Et istud Lucani:

*Sic stat incers Scythicus astringens Bosphorus undas.*

Porro Plinius l. 2. 15. asserit Bosphori Cimmerii latitudinem esse mille quingentorum passuum. Regni Bosphorani rex postmodum fuit Mithridates, eo spoliatus a Romanis.

Sensus ergo est, Iudæi qui in captivitate Babylonica in Bosphorum translati sunt, inde cum cæteris Iudæis et Babylone redeuntibus revertentur, et possidebunt civitates Austri, puta Iudææ patriæ suæ, quæ Australis est.

Porro Hebræi, Chald. Syrus, Arabicus uterque, Iosippus filius Gorionis lib. 3. Hist. c. 15. et lib. 5. c. 25. R. Salomon R. David, Lyran. Clar. Pagn. Arias, Vatabl. Burgensis, a Castro, Emmanuel, Mariana, et alii multi per *Sepharad* accipiunt Hispaniam: et ita Rabbini ubiqueque sint, Hispaniam vocant *Sepharad*. Hispania enim a Geographis et Poetis præcisè ponitur ultima pars orbis: unde iuxta Compostellam locus est, qui dicitur *finis terræ*. Bosphorus ergo Hispanicus sunt Gades, sive fretum Herculeum, vulgo *strictum Gibraltar*, ubi sunt columnæ Herculis, qui eas ibi posuit quasi fines suæ protectionis suarumque victoriarum: unde eas superans Carolus V. mittendò classes in Americam, hoc sibi symbolum sumpsit, *Plus ultra*, q. d. Superavi Herculeum eiusque columnas et terminos. Accedit, quod multi censent Hispanos oriundos ex Thubal et Ibelis, vel Iberis habitantibus iuxta Bosphorum et Pontum Euxinum, indeque vocatos Iberos, uti dixi Genes. 10. 2. Favet nomen *Sperida*, quo Græci, ait Arias, Hispaniam appellant: *Sperida* enim, si litteras consonantes, quas solas considerant Hebræi, spectes, idem est quod *Sepharad*; licet Græci Hispaniam vocent *σπερδα* et Hesperiam, eo quod Occidentalis sit regio; forte a Græco *σπερδα* Hebræi Hispaniam vocant *Sepharad*: Græcis enim vicini erant Phœnices et Iudæi. Audi rem miram ex Iosepho lib. 1. contra Appion. Nam Gallos et Hispanos usque adeo ignorarunt scriptores, etc. ut Hispanos qui tantam occidentis terræ partem incolunt, urbem unam esse putaverint, eo quod illæ gentes nullum haberent cum cæteris commercium. Rursum favet huic sententiæ quod Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 11. ex Megasthene asserit, Nabuchodonosorem post excisam Ierusalem subiugasse Hispaniam; videtur ergo plures Iudæorum eo transtulisse. Iuxta hanc sententiam sensus erit, q. d. Iudæi in Hispaniam traducti, inde cum cæteris Babylone redeuntibus sub Cyro revertentur in civitates Austri, puta in Iudæam.

Mysticæ, q. d. Apostoli e Iudæa in Hispaniam excurrent, atque ab Australi regione Gadum et provinciæ Bæticæ, in alias Hispaniæ provincias, indeque in Africam, imo in Brasiliam, Americam, Æthiopiæ (hæ enim omnes sunt ad Austrum) traiecient, eosque omnes Christo subiciant, uti fecit S. Iacobus, S. Paulus eorumque successores. Magna enim gloria Ecclesiæ, æque ac Hispanorum et Lusitanorum est, novi orbis, puta Indiarum Occidentalium et Orientalium, subiugatio et conversio. Ita præter alios Acosta l. 1. Iudicæ Histor. c. 15. ubi ait, decere ut in Script. tantæ rei, puta Americæ, conversio extet.

Impugnant hanc sententiam fuse Sanchez et Ribera (licet qui huius compendium confecit, eam tueatur.) Primo, quia recentiores Hebræi tantum Hispaniam vocant *Sepharad*. Responderi potest, Chaldæum Interpretem esse veterem, item Iosippum, eosque a veterioribus id accepisse. Secundo, quia S. Hier. *Sepharad* vertit Bosphorum, non Hispaniam, non Gades. Respond. Bosphorus græcè nomen commune est, et in genere maris angustias quæ a bobus tranari possunt significat: latine maris angustia inter duas continentes vocantur Porthmos, sicut ex adverso terra angusta inter duo maria, vocatur Isthmus. Sicut ergo est Bosphorus Thracius, et alter Cimmerius, ita est et Hispanicus, puta Gades, æque ac Indicus in freto Magellanico, et Arabicus et Persicus in sinu Arabico

et Persico. Rursum Hebr. *Sepharad* assyriace teste S. Hieron. in genere terminum significat: fieri autem potest in hoc nomen generieum appropriatum sit Hispaniæ, quia ipsa ab Occidente est finis et limes Europæ: post illam enim, adeoque post Gades sequitur Oceanus. Sensus ergo est, q. d. Iudæi qui per omnes terminos, adeoque usque ad Bosphorum dispersi sunt, ad Austrum, id est in Iudæam, redibunt. Ita S. Hieron.

Mystice, Apostoli et viri Apostolici in terminis regionum, ut in Bosphoro Thracio, Cimmerico, Hispanico, etc. constituti, inde pergunt ad provincias Australes, easque nomine Christi possidebunt. Christi enim salus et Evangelium a Chanaanæ per meridiem cæterasque plagas usque in Galliam, Germaniam, Hispaniam, Africam, Americam transmigravit, totumque orbem pervasit.

Porro *Sepharad* peregrinum, puta Assyriacum, esse nomen inde colligi potest, quod Hebrææ radices sint trilitteræ; quadrilitteræ ergo, uti est *Sepharad*, sunt peregrinæ et ex alia lingua ascitæ; vel certe ex duabus radicibus Hebræis conflatæ sunt et compositæ. Id notant peritiores Hebræi. Rursum Hebræa nomina sunt communia multis, et plura significant. *Sepharad* ergo Bosphorum Thracium, Cimmericum, Magellanicum, et Gaditanum, indeque Hispaniam significat. Ipsa enim est terminus (quem significat *Sepharad*) continentis: quia maiori parte mari, tum Mediterraneo, tum Oceano cingitur. Et esto, post tempora Abdiam ac Christi Hispania a Iudæis vocata esset *Sepharad*, tamen quia ab omnibus omnino Iudæis præteritorum sæculorum (quos novimus) ita vocatur, credendum est ad eam quoque respexisse Abdiam; quia non tantum hominibus sui ævi, sed et nostri, sua scripsit oracula. Sic Isaias e. 49. 12. prædixit conversionem Sinarum, eosque hebraice vocat *Sinim*, esto ævo Isaiæ non haberent hoc nomen, sed nostro, quo eius prophetiam expleri cernimus, ut ibi dixi.

Dices, Abdias prophetat hic de solis Iudæi: illi autem in Hispania pauci numero ad Christum fuerunt conversi: reliqui in Iudaismo manserunt: unde a Ferdinando et Isabella Hispania excedere sunt iussi. Resp. ad litteram permulti Iudæi per vastationem Iudææ in Hispanias aliasque oras dispersi, sub Cyro et Machabæis in Iudæam redierunt. Mystice multi quoque ex iis ad Christum sunt conversi. Multi enim ab Adriano Imp. Iudæa expulsi profugerunt in Hispanias. Imo Lucius Dexter, cui S. Hier. inseribit tractat. de Scriptor Eccles. in Chronico nuper edito tradit, Iudæos Hispanos cum inaudissent de prodigiis Christi et Apostolorum, misisse legatum ad eos, qui aliquos ex iis in Hispaniam mitti deposceret: unde mox missum esse S. Iacobum, quem solis Iudæis in Hispania prædicasse censet quoque Baron. et alii: qua de re plura dicam Act. 12. Denique Iudæi et Israelitæ non carnales, sed spirituales hic intelliguntur, puta credentes in Christum. Hi enim sunt veri Israelitæ, filii Abrahamæ, et promissorum Dei hæredes, ut docet Apostol. Roman. 9. 6. et sequ.

Tropolog. Hugo de S. Victore per septem hasce gentes accipit septem vitia capitalia, quæ Iacob, id est fidelis luctator, habitans in Sion, id est, in specula mentis, supplantat tum in se, tum in aliis per septem virtutes contrarias, et per septem dona Spiritus sancti, ac per septem petitiones orationis Dominicæ, septemque primas beatitudines. Primo, ergo Esau et Idumæi odio Iudæorum flagrant, denotant iram. Hanc supplantant ii qui ad Austrum sunt, puta qui vento calido et spiritu charitatis dilatati et accensi, omnes angustias omneque frigus odii et iracundiæ suffocant. Secundo, Philistiim, id est, conspersi cinere, vel ruentes potu (a radice נפל *naphal*, id est, cecidit, et a שתי *scitai*, id est, bibit, teste Pagnino in Interpr. nom. Hebr.) denotant gulam et gulosos. Hanc supplantant qui in campestribus frugalitatis, temperantiæ et continentie degunt, ac oleribus et leguminibus campestribus potius, quam carnibus et deliciis urbanis vescuntur. Idem tertio, subigunt et possident *Ephraim*, id est superbiam; et quarto, *Samaritaniam*, id est, invidiam: E-

Septem  
gentes  
septem  
vitiis

Aphraim enim dedit reges superbos Israeli; Samaritanæ invidi fuerunt et æmuli Iudæorum. Quinto *Beniamin*, id est filius dexteræ, puta strenuitas, diligentia et fortitudo, possidebit *Galaad*, id est, subigabit aediam: Galaad enim idem est quod acervus testimonii, ubi et Laban fessus destitit persequi filias suas, ac recessit a Iacob. Sexto, *transmigratio Israel*, id est fideles, qui in terra peregrinos se æstimant, ac migrant in cælum ut videant Deum, eique dominantur, possident omnia loca Chanaanæorum et Sareptæ, id est, omnes avaritiæ artes et species subigunt. Chanaanæus enim idem est quod mercator, cuius propria est avaritia: Sarepta idem est quod conflatorium, in quo scilicet conflatur aurum et argentum. Septimo, *transmigratio Ierusalem*, quæ est in Sepharad, sive Bosphoro, id est, fideles, qui debellatis animi perturbationibus ad visionem pacis aspirant et transmigrant, ideoque a carnis deliciis longissime recedunt, sensusque omnes coarctant, et per bovinos labores edomant, hi, inquam, possidebunt civitates Austri, id est, omnes libidinis et carnalis concupiscentiæ æstus suppriment et extinguunt: itaque quasi salvatores, victores et triumphatores de Idumæis cæterisque hostibus devictis, gloriose ascendunt in montem Sion, id est, in cælum, ibique cum Deo regnum felicitatis æternæ inibunt, quod hic per gratiam, suique et vitiorum victoriam inchoarunt. Nota vocem *exercitus*, eum ait, *Transmigratio exercitus huius filiorum Israel*; exercitus enim dicitur multitudo militum, eo quod exerecdo fit melior. Ita Vegetius l. 2. de Re milit. Numerus, ait, *militum exercitatur: unde et re ipsa ab opere exercitus nomen accepit, ut ei nunquam liceret oblivisci quod vocabatur*. Ita olim Romani (uti etiamnum strenui duces) milites suos, præsertim tirones, perpetuo in armis omnique labore et austeritate eastrensi exerebant. Audi Cicer. Tuscul. 2. *Nostri exercitus primum unde nomen habent vides; deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum: nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quam humeros, lacertos, manus: arma enim membra militis esse dicunt, quæ quidem ita geruntur apte, ut, si usus foret, abieceris oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus? clamor quanti laboris est? Ex hoc ille animus in præliis paratus ad vulnera. Adduc pari modo in exercituum militem, mulier videbitur*. Exerecitas hosee imitentur milites et pugiles Christi, ut non uno die, mense, vel anno, sed iugiter per omnem vitam arma traectent, corpus duris vigiliis, ieiuniis, laboribus; animus piis orationibus, meditationibus, studiis, lectionibus exereant. Ita fient fortes et invicti; ita adversarios superabunt; ita adversa omnia sibi subdent et servire cogent. Hoc unum faciebant olim Anachoretæ, qui inde Aseetæ, id est, exerecitate, sunt appellati. Idem faciunt nunc Cœnobitæ et Religiosi.

Rursum exercitus significat multitudinem. *Exercitum*, inquit Ulpianus, *dicimus non unam cohortem, neque unam aliam, sed numeros multos militum*. Unde Virgil. *Æneid. lib. 11.*  
*Iam omnis campis exercitus ibat apertis  
Dives equum, dives pictæ vestis et auri.*  
Ita miles Christi omnes sensus, omnes animæ potentias, omnes mentis dotes et vires in aciem educat, eosque numerosissimis hostibus opponat. *Quoniam non est nobis coluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in cælestibus. State ergo succineti lumbos vestros in veritate, et induti loriceam rusticitæ, etc.* Ephes. 6. 12. Vide quæ ibidem de panoplia militis Christiani annotavi.

ASCENDENT, q. d. Exurgent et venient in Sion, puta in Ierusalem, SALVATORES, id est, propugnatores, Iudæorum, quales erant Othoniel, Gedeon, Samson tempore Iudicum, IUDICARE, ut iudicent, id est, coercent et subiciant, MONTEM ESAU.) Puta Idumæam. Tales fuere Iudas, Simon, Hyrcanus, Alexander, Aristobulus Assamouæi,

Exercitus  
dictus  
ab exer-  
cendo.

Vers. 21.

ut superius dixi. *Iudicare* enim sæpe idem est quod vindicare. Hinc in libr. Iudicum Iudices vocantur vindices populi Israel.

Mystice, salvatores sunt Christus et Apostoli, qui Israelis hostes, puta Idumæos, aliasque gentes expugnata idololatria et infidelitate subegerunt Christo, et Sioni, id est, Ecclesie Christianæ: ita Clarius, Vatabl. et alii, ac S. August. l. 18. de Civit. c. 31. Ili exierunt de Sion, id est, de specula, orationis scilicet, in qua spiritu Dei animati, igneis verbis quasi telis sauciariunt, ac Dei amore accenderunt horridos Esauitas, id est, infideles et peccatores.

**ET TUNC ERIT DOMINO REGNUM.)** q. d. Tunc Dominus in hoc suo populo, et per eum aliis omnibus imperabit, atque ab eis subditis vicissim agnosceatur et coletur. Hoc inchoate verum fuit in Machabæis, plene in Ecclesia Christi militante, plenissimum erit in triumphante: *Cum subiecta fuerint illi (Christo) omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit Patri, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*, ait Apostolus 1. Corinth. 15. 28. ita S. Hieronym. et Hugo. Minus recte Septuag. Aquila, et Theodot. pro *salvatores* vertunt, *salvati*. Hebr. enim מושעים *mosceim*, est activum, et significat salvatores, non salvatos: illorum enim est iudicare, non horum.

Moral de clementia.

Moral. disce hic Primo, Deum semper vindictam elementia temperare, imo superare, ac in eam desinere: hanc enim ostendit in Idumæos hostes suos, dum eos facit suum populum et regnum. Idem imitentur reges et principes. Huius rei hieroglyphicum in Antonini Pii priscis nummis videre est, fulmen in thoro collocatum. Inveniuntur alii, in quibus aquila fulmini insidet, eni ramus olive est additus. Hoc in suo symbolo Carolus V. Imper. usurpavit. Aquila signal imperium, fulmen vindictam, oliva clementiam: ut significet Imperatorem vindictam clementia et ratione moderari debere, nec nisi consulto eam torquere. Quærit Seneca Natur. quæst. 1. 2. c. 63. *Quære, ait, id fulmen quod solus Iupiter mittit placabile est; perniciosum vero id de quo deliberavit, et quod aliis quoque diis auctoribus misit?* ac respondet: *Quia Iovem, id est, regem, prodesse solum oportet, nocere autem non nisi cum pluribus visum est.* Disceant hoc Prælati et Principes, ut fulmen non suo animo indulgentes, sed prudentiam consilio obsequentes, ac pene inviti vibrent in noxios.

Regni Dei excellentia ex qua tuor capitibus.

Rursum disce hic summam felicitatem hominis esse, si fiat Dei regnum, si Deus in eo eiusque anima regnet, idque Primo, quia Deus est rex æquissimus et benignissimus, ac proinde summa æquitate et suavitate imperat; secus est de tyrannis, quales sunt dæmon, mundus, et caro, qui iniqua et durissima imperiose et tyrannice iubent animæ quam possident. De dæmone patet in magis et sagis, quibus imperat neces suorum vicinorum, cognatorum et parentum, ac ni pareant, verberat eos maleque muletat, et tractat ut sua mancipia. De mundo liquet: quid enim non imperat mundus ambizioso, ut honores; avaro, ut opes consequatur? quas adulationes, quæ obsequia, quas vigilias, quas curas, quos metus, quas invidias, quas simonias, quas fraudes, quas usuras? De carne manifestum est in gulosis et libidinosis, quibus caro fœdissima quæque imperat, quibus sæpe febres, lucem venerem, morbosque et cruciatu acerbissimos, ipsamque mortem sibi conciliant. Ex adverso de Dei et Christi regno cecinit Psaltes psal. 44. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis*; et vers. 5. *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna*; et v. 7. *Virga directionis (recta, æqua) virga regni tui: dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem.* Et ps. 71. 2. *Iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam*, etc. Et Isaias c. 14. 4. *Iudicabit in iustitia pauperes, et arguet pro mansuetis terræ.* Et c. 42. 3. *Calamum quassatum non contereit, et linum fumigans non extinguet, in veritate educet iudicium.* Secundo, quia regnum hoc Dei consistit in gratia et virtutibus, puta fide, spe, charitate, etc. quæ sunt dona nobilissima animæ a Deo commu-

nica, ut iis dirigatur ad Dei obsequium summamque suum bonum. Regit enim mentem Deus, cum ei inspirat sui, id est, summi boni, cognitionem, amorem, desiderium, cultum, unionem, etc. Iam quid melius quam cogoscere primam veritatem, quid beatius quam amare summam bonitatem, quid dignius quam colere immensam maiestatem? Tertio, quia hoc regnum dirigitur non ad Dei regentis, sed ad animæ quæ regitur utilitatem, eamque maximam, nimirum, ut sancte pieque vivendo mereatur gloriam et regnum cælesti, in quo Deum omninque Dei bona possideat in æternum. Hinc Apostolus Coloss. 1. 12. *Gratias, ait, agentes Deo, qui dignus nos fecit in partem sortis sanctorum, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Quarto, quia regnum hoc subditos non facit viles, sed nobiles, imo reges, iuxta illud Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum (reges) et sacerdotes, et regnabimus super terram*; et 1. Petr. 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* An non rex est, qui suis cupiditatibus et passionibus per Dei gratiam imperat? qui superbiam humilitate, avaritiam liberalitate, iram clementia, gulam temperantia, libidinem castitate coerec, frænat, regit? Annon rex est, qui per rationem, prudentiam, continentiam memoriæ, voluntati, appetitui concupiscibili et irascibili, phantasie, oculis, auribus, linguæ, ori, cæterisque potentiis et membris sapienter æque ac fortiter dominatur? Quare merito quotidie a Christo iubemur orare, *Adveniat regnum tuum.* Ubi vere S. Cyprian. *Qui, inquit, renunciavit iam sæculo, maior est et honoribus eius et regno: et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat, imo Deum ipsum, quia in illo regnaturi sumus.* Et S. Ambros. lib. 6. de Sacram. cap. 5. *Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpam non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio.* Ergo o Domine esto rex noster, legifer noster, regna in nobis, offerimus tibi animas nostras, omnesque eius potentias, dotes et limites, nos ipsi eas regere non possumus; ut eas tyranni mundus, caro, et dæmon regant, non volumus: tu, qui eas creasti, et tuo sanguine redemisti, illas ipsas ut tuum peculium, ut tuum regnum rege, qui solus regis sapienter, elementer, potenter æque ac utiliter et feliciter. Sensit hoc rex ille inelytus, qui dicebat psal. 22. 1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Et Apostolus, qui suis hoc unum apprecatur: *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate et patientia Christi,* 2. Thess. 3. 5. Eia Domine rege cor nostrum, ut nemini obsequatur, nulli se tradat nisi tibi, ut a nemine nisi a te, tuaque charitate et patientia nobis aspirata dirigatur ad ardua quæque tui amore suscipienda, et dura omnia constanter toleranda. Rege pariter linguam nostram, ut non nisi tuas laudes loquatur: rege manus, ut quæcumque tibi placita sunt tractent et peragant: rege pedes, ut inoffenso gressu ad omne bonum ferantur. Ad te cum sponsa in Canticis suspiramus et clamamus: *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. Ego dilecto meo, et ait me conversio eius. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Hoc unicum est animæ nostra desiderium, hæc summa votorum nostrorum, ut regnes in nobis per gratiam, et facias nos venire ad regnum tuum cælesti, ubi est visio tui manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fructio sempiterna; ut in ultimo illo et decretorio mundi die, qui erit horizon æternitatis beatæ et miseræ, dispescens electos a reprobis in omne ævum, a te exultantes audire mereamur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, in quo nobis obtinget certa securitas, segura tranquillitas, tranquilla incunctitas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus*, ait S. August. in Meditat. cap. ult.

## COMMENTARIA

IN

## IONAM PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

**S**ANCTUS Hieron. epistol. ad Paulinum : *Jonas, ait, columna pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad penitentiam revocat: et sub nomine Ninive Gentibus salutem nunciat.* Quæres, quis, qualis et quando fuit Jonas? Hebræi nonnulli, quos sequitur S. Dorotheus in vita Ionæ, asserunt Ionam esse filium viduæ, quem mortuum Elias vitæ restituit, qui factus Propheta missusque in Niniven. postea assumpta matre fugit in Assyriam; cogitabat enim: Hoc pacto tollam probrum meum quod falso contra Niniven prophetando acquisivi. *Dedit prodigia super Ierusalem ac totam terram, lapidem videlicet miserabiliter clamantem quod finis appropinquet, et quando ab omnibus gentibus Ierusalem calcaretur, quod tunc civitas illa abolenda esset.* Huc usque Dorotheus. Idem per omnia, excepto lapide clamante, habet S. Epiphanius in vita Ionæ. Audi et S. Isidorus in Iona: *Jonas columna et dolens, filius Anathi de Geth civitate ad Gentium præconium mittitur, missus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit, propter quem periclitabatur navis, sed sors dormientem reperit. Tradunt Hebræi hunc esse filium viduæ, quem a mortuis Elias suscitavit: cuius sepulcrum in quadam urbiem Geth in viculo demonstratur, qui est in secundo milliario Sephorim, itinere quo pergitur Tyberiadem.* Addunt Hebræi in Seder olam, et ex iis Mariana, Ionam fuisse illum adolescentem, quem Elisæus misit ut ungeret Iehu in regem, 4. Regum 9. 1. quique laudavit Iehu ob exeisam domum Achab, 4. Reg. 10. 30. Adiungunt alii, patrem Ionæ fuisse Abdiam Prophetam: hunc enim fuisse maritum viduæ Sareptanæ.

Verum quod hi Auctores censent Ionam fuisse filium viduæ Sareptanæ, ac consequenter vixisse tempore Eliæ, falsum est, et iisdem rationibus refellitur, quibus initio Abdiam probavi, Abdiam non vixisse tempore Eliæ, et Achab regis Israel. Adde, Ionam hunc vixisse tempore Ieroboam, qui regnavit in Israel eo tempore, quo in Iuda regnabat Ozias, sive Azarias: sic enim habetur 4. Reg. 14. 25. *Ipse (Ieroboam) restituit terminos Israel ab introitu Emath non procul a Damasco, usque ad mare solitudinis (is est lacus Asphaltites) iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Ionam, filium Anathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Hopher.* Hunc enim Ionam esse nostrum Prophetam patet; tum quia idem utrobique nominatur eius pater Amathi, eadem patria Geth: tum quia id asserunt Ioseph. 1. 9. Antiq. cap. 11. S. Hieronymus. Theophyl. et passim alii hic. Ubi obiter Nota. Prophetas non scripsisse omnes suas prophetias, vel, si scripserint, aliquas periisse. Hæc enim prophetia Ionæ de vastatione Damasci et Emath, deque restitutione terminorum Israel facienda per Ieroboam, in libro Ionæ non exstat. Rursum ex verbis iam citatis liquet, Ionam

Jonas non fuit filius Sareptanæ, quem suscitavit Elias.

**A** oriundum fuisse ex Geth. Hæc autem Geth fuit urbs, non illa Philistinorum (Jonas enim Hebræus fuit, non Philisthæus) licet id senserint Epiphanius, Dorotheus et Rupertus. sed illa quæ est in Opher, pertinens ad tribum Zabulon, de qua S. Hieronymus in Prologo: *Geth, inquit, in secundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea, euntibus Tyberiadem haud grandis est viculus, ubi et sepulcrum eius ostenditur. Quamquam alii iuxta Diospolim, id est, Liddam, eum et natum, et conditum velint, non intelligentes, hoc quod additur Opher, ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quæ iuxta Eleutheropolim, sive Diospolim hodie quoque monstratur.* Fuit ergo Jonas Zabulonites, puta Gethæus, non Sareptanus: ergo nec filius viduæ Sareptanæ.

Geth duplex est.

Jonas itaque tempore Abdiam et præcedentium Prophetarum, scilicet Osee, Ioel et Amos sub Ieroboam, Azaria et posteris eorum prophetavit: ita tradunt Hebræi, S. Hieron. Theophyl. Eusebius in Chron. Clemens Alex. 1. Strom. S. August. 18. Civit. 27. Abulens. in lib. 4. Reg. c. 9. q. 3. et alii. Porro prophetavit Ionas non prioribus annis regni Ieroboam, quibus regnavit cum Amasia rege Iuda, uti opinatur a Castro lib. 4. Proœmii cap. 3. sed posterioribus, quibus ipse regnavit enim Azaria filio Amasie. Nam sub Ieroboam et Ozia, vel Azaria, qui quinquaginta duobus annis regnavit, cœpit prophetare Osee, ut patet Osee 1. 1. qui fuit primus omnium Prophetarum.

Hinc sequitur, Ionam prophetasse paulo ante initia urbis Romæ, puta regnante Sardanapalo, quem Gentilium Historici ponunt ultimum regem Assyriorum. Sardanapalus enim vixit tempore Ieroboam regis Israel, et Ozia regis Iudæ, quo tempore Procas Sylvius avus Romuli regnabat in Latio, teste Eusebio in Chron. S. August. lib. 18. Civit. 21. et S. Hieron. initio Comment. in Amos, de quo plura cap. 3. v. 5. Ex hac chronologia magna lux oritur prophetiæ Ionæ. Ex ea enim videmus causam, cur Deus præter morem Prophetam Hebræum miserit ad Ninivitas Gentiles, et valde remotos. Nimirum causa fuit, quod eo tempore Ninivitarum mores erant corruptissimi et flagitiosissimi, ita ut clamarent in cælum, poscerentque vindictam et fulmen, quod Deus hic eis per Ionam intentat. Id ita fuisse discimus ex eorum rege Sardanapalo: nam *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Sardanapalus enim fuit mollissimus et effœminatissimus, quem Arbaces Medis præpositus, inquit Iustinus lib. 1. *invenit inter scortorum greges purpuram colentem, et muliebri habitu, cum mollitie corporis et oculorum lascivia omnes feminas antiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis indignatus tali feminæ tantum virorum subiectum, ad socios refert quid viderit, negat se ei parere posse, qui se faminam malit esse quam virum. Fit igitur coniuratio: bel-*

Quando prophetavit Ionas missus ad Sardanapalum.

lum Sardinapalo infertur, quo ille audito non ut vir regnum defensurus, sed ut metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis et in-compositis in bellum progreditur, victus in regiam se recipit, et extructa pyra se et divitias in incendium mittit, hoc solo imitatus virum. Inde a Græcis dictus est Sardanapalus, id est morio: proprium enim eius Assyriacum nomen erat Tonoseconceleros, teste Eusebio in Chron. et aliis. Hinc et Sardanapali nomen in proverbium abiit, significantque hominem mollissimum et effeminatissimum: ita Aristophanes in Avibus: *Quis, ait, hic Sardanapalus? Moriens ipse hoc sibi epithaphium condidit:*

*Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas,*

Et:

*Cum te mortalem noris, presentibus exple  
Deliciis animum, post mortem nulla voluptas.*

Vel, ut Cic. 3. Tuscul. *Quomodo, inquit, iucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur qui incidit iussit in busto:*

*Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido  
Hæsit, at illa iacent multa et præclara relicta.*

*Quid aliud, inquit Aristot. in bovis, non in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur. Hinc Iuvenal. satyr. 3.*

*Et venere, et cænis, et plumis Sardanapali.*

Regem imitati eiyes opulenti, ventri et veneri se pariter dediderunt, indeque in omnia scelera prolapsi sunt, ut mererentur e cælo siderari, vel a terra dehiscente sorberi. Mittitur ergo a Deo clementissimo Ionas, qui scelera hæc arguat, et imminens exitum comminetur. Ionas onus hoc detrectans fugit in Tharsis: sequitur eum a tergo Deus, procellam in mari excitat: nautæ iaciunt sortes, eæ indicant Ionam fluctuum causam. Mittitur ille in mare æstuans, sorbetur a cæto; in ventre cæti Deum invocat, exauditur, liberatur, die tertio a cæto in littus evomitur. Sapit Ionas, Deo obediens vadit in Niniven, contenta voce clamat: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.* Percelluntur Ninivæ, respiscunt, pœnitentiam agunt in cinere et sacco. Placatus Deus minas revocat, urbi par-

cit. Indignatur Ionas sua oracula non impleri, sed Deus per hederam et vermem docet eum, clementiæ esse pœnitentibus parere.

Nota. Postmodum Ninivæ ad ingenium et scelera sua redierunt: unde post Ionam missus est ad eos Nahum, qui iterum excidium eis intentaret, quod reipsa eis inflictum est, uti dicam Nahum 2. Hoc est quod Tobias moriens c. 14. 12. filiis suis mandat, ut fugiant ex Ninive. *Video enim, inquit, quia iniquitas eius finem dabit ei.* Ubi Septuag. uti recitat S. Hieron. hic in prologo, vertunt, *fili ecce senui, et in eo sum ut revertar de vita mea: tolle filios tuos, et vade in Mediam, fili. Scio enim quæ locutus est Ionas Propheta de Ninive, quoniam subvertetur.* Unde patet ad pœnitentiam Ninivitarum, Dei de eorum excidio sententiam non fuisse plane abolitam, sed suspensam dumtaxat: ipsis enim ad scelera sua redentibus, Deus laxavit manum suam, sententiam revocavit, et exitum a Iona comminatum eis inflixit.

Allegor. Ionas unus ex omnibus Prophetis missus ad Gentes, atque a cæto absorptus, et tertio die restitutus, expressus fuit typus Christi Gentes vocantis, patientis et resurgentis, ut patet Matt. 12. 40. de quo plura inferius c. 2. 11. Unde S. Aug. 18. Civit. 30. *Ionas, ait, non tam sermone, quam sua quadam passione prophetavit, profecto apertius quam si eius mortem et resurrectionem voce clamaret.*

Denique Ionas vitæ sanctitate illustris, catalogo Sanctorum ascriptus est in Martyrol. die 21. Septemb. Idipsum patet ex visione, quæ præter morem Prophetarum et veteris testamenti Sanctorum, quasi Sanctus sancto monacho ex hac vita emigranti apparuit. Recenset eam S. Gregor. lib. 4. Dial. c. 34. *Quidam, ait, noster Religiosus vir vitæ valde laudabilis, eum ante hoc quadriennium moretur, etc. in hora exitus sui Ionam Prophetam, Ezechielem quoque et Danielelem cepit aspiciere, eosque dominos suos ex nomine clamare: quos dum ad se venisse diceret, et depressis luminibus eis reverentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est.* Porro Ionam cum Christo resurrexisset inter sanctos Prophetas, qui fuerunt testes resurrectionis Christi, ac cum eo in anima et corpore gloriosum ascendisse in cælum, probabiliter censent nonnulli; de quo plura c. 2. sub finem.

## C A P U T P R I M U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Deus mittit Ionam ad Ninivitas, ille fugit in Tharsis; Deus cum insequitur, ventum et procellam in mari excitat: nautæ iaciunt sortes ut causam, puta reum, deprehendant; sors indicat Ionam, ille fugæ culpam agnoscit, atque: Tollite me et mittite in mare, et cessabit mare a vobis. Mittitur in mare, et mox procella sistitur.*

1. **E**T factum est verbum Domini ad Ionam filium Amalhi, dicens: 2. Surge, et vade in Niniven civitatem grandem, et prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me. 3. Et surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Ioppen, et invenit navem euntem in Tharsis: et dedit naulum eius, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. 4. Dominus autem misit ventum magnum in mare: et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. 5. Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum: et miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis: et Ionas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. 6. Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. 7. Et dixit vir ad collegam suum: Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: et cecidit sors super Ionam. 8. Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, et quo vadis? vel ex quo populo es tu? 9. Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, et Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare et aridam. 10. Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.) 11. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis: quia mare ibat, et intumescibat. 12. Et dixit ad eos: Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. 13. Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant: quia mare ibat, et intumescibat super eos. 14. Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem, quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti. 15. Et tulerunt Ionam, et miserunt in mare: et stetit mare a fervore suo. 16. Et timuerunt viri timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

Vers. 1.

**ET FACTUM EST.**) Vocula *et* non habet hic vim copulæ; **A** nihil enim præcessit quod sequentibus copulet; sed more Hebræo dat narrationi et libro iutium, eiusque est index. Hinc Ezechiel quoque sic incipit: *Et factum est.* Vide ibi dicta.

**VERBUM.**) Chald. *verbum prophetiæ Domini.* Prophetia enim nunc dicitur *visio*, nunc *verbum Domini*, ut dixi Isaia 4. 1.

**AD IONAM FILIUM AMATHI.**) Ex hoc loco probare contendunt Hebræi, Ionam fuisse filium viduæ Sareptanæ, quia, inquit, fuit filius Amathi, id est veritatis, eo quod mater eo resuscitavit ad Eliam cum suscitantem dixerit, *Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est*, 3. Regum 17. 24. Verum hæc frivola sunt. Clarum enim est ad litteram non matrem, sed patrem Ionæ nominatum fuisse Amathi.

Alleg. Ionas est Christus, qui est filius Amathi, id est, veritatis: quia ipse Verbum est Patris et sapientia genita; Deus enim veritas est, ait S. Hieron. Huius Ionæ filius est S. Petrus (fuit enim ipse Bar-Ionæ) cuius proinde veritas et fides nunquam deficit, uti pro eo Patrem oravit et impetravit Christus, Luc. 22. 23.

Vers. 2.  
Ninives  
etymon  
et signi-  
ficatio.

**SURGE, ET VADE IN NINIVEN.**) *Ninive* Hebr. Primo, idem est quod pulchra, speciosa, a rad. נָוָה *nave*, id est, species, pulchritudo. Ita S. Hieron. et Pagnin. in Interpret. nom. Hebr. Secundo, idem est quod habitata, frequens, plena populis et domibus, a rad. נָוָה *nava*, id est, habitavit. Ita Pagnin. ibidem. Tertio, præcise et genuine Ninive dicta est quasi Nini נִינִי *nave*, id est Nini habitatio, Nini regia, Nini civitas. Ita Serarius in Iudith cap. 1. quæst. 6. Unde et Ninive quandoque vocatur *Ninus*, quandoque *Nina*. Porro Ninive fuit urbs potentissima, in qua prima Assyriorum monarchia sedem suam fixit, tenuitque mille annos et amplius. Sita est non ad Euphratem, uti scribit Diodor. lib. 2. sed ad Tigrim fluvium, uti asserit Ptolemæus lib. 6. cap. 1. Plinius lib. 6. c. 13. Herod. lib. 2. et alii passim. Conditam esse ab Assur filio Sem, filii Noe, censet Ioseph. lib. 1. Antiq. cap. 7. et S. Hier. in locis Hebr. idque probant ex illo Genes. 10. 11. *Ex illa terra egressus est Assur et ædificavit Niniven.* Verum ibidem ostendi per Assur intelligi Ninum, qui fuit conditor regni Assyriorum. Ninus ergo ædificavit, et ex nomine suo nominavit Niniven. Ita docet Euseb. in Chron. Beda in Genes. qu. 69. Strabo lib. 16. S. August. 16. Civit. 3. Diodor. lib. 2. et alii. Quanta et quam ampla fuerit Ninive ostendam c. 3. Porro mittit Deus Ionam in Ninive, ut ostendat se Deum esse non tantum Iudæorum, sed et Gentium, earumque curam habere et providentiam, etiamsi corruptissimæ sint et pessimæ. Ionas enim hic mittitur in Niniven quasi in novam Sodomam. *In condemnationem Israelis*, ait S. Hier. *Ionas ad Gentes mittitur, quod Ninive agente penitentiam illi in malitia perseverent.*

Alleg. S. Hieron. *Christus est Ionas, hoc est columba, sive dolens; vel quia Spiritus sanctus in specie columbæ descendit et mansit in eo; vel quia nostris doluit ipse vulneribus, et flevit super Ierusalem: Et livore eius sanati sumus. Vere filius veritatis mittitur ad Niniven pulchram, id est mundum, quo nihil pulchrius oculis carnis aspicimus: unde et apud Grecos κόσμος (mundus) ab ornatu nomen accepit; ut, quia Israel contempsit, totus Gentium mundus exaudiat. Et hoc propterea, quia adscenderit malitia eius coram Domino. Cum enim Deus quasi quamdam pulcherrimam domum servituro sibi homini extruxerit, depravatus est homo propria voluntate, etc, et extracta turre superbiæ, meretur ad se descendentem filium Dei; ut per penitentiam ruinam concedat ad cælum, qui per tumorem superbiæ non potuit.* Rursum Christus misit S. Petrum et Apostolos quasi suos Ionas in Mundum: sicut enim Ionas homo abiectus et ignotus convertit Niniven urbem potentissimam et maximam; ita Apostoli piscatores converterunt totum orbem.

**PRÆDICA IN EA.**) Non penitentiam, ut vult Arias, sed excidium, vimirum: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*; putabat enim Ionas hanc prophetiam esse abso-

lutam, non comminatoriam. Unde videns eam fuisse comminatoriam, Deum Ninivitis pœnitentibus parcere, indoluit cap. 4. 2.

**QUIA ASCENDIT MALITIA.**) q. d. Scelera Ninivæ tanta, tamque publica et impudentia sunt, ut vindictam clament in cælum, ut flagellum mihi extorqueant, ut silere, ut dissimulare ultra non possim. Sic dicitur Gen. 19. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis.* Ita S. Hieron. Theoph. Remig. Vatabl. et alii. Punetim, sed nervose S. Gregor. 3. part. Pastor cap. 32. *Peccatum cum voce, ait, est culpa cum actione: peccatum cum clamore, est culpa cum libertate.* Et S. August. in Euchiridio cap. 80. *Peccata, ait, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam iam prædicanda ac diffamanda videantur.*

**UT FUGERET.**)

*Quo fugis Encelade? quascumque accesseris oras  
Sub Iove semper eris.*

**B** Credidit et cecinit Ethnicus Poeta 4. Trist.

*Nil adeo validum est, adamas licet alliget illud,  
Ut mancat rapido firmius igne Iovis.*

*Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,  
Non sit ut inferius suppositumque Deo.*

Tu, o Iona fidelis, imo Propheta, idipsum ighorasti? Deine omnipotentis oculos et manus te effugere posse credidisti? non credo. Quid ergo fugis Deum? numquid non crebro in templo psallentes Levitas audisti? *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: etenim illuc munus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*, Psalm. 138. 7.

Pulchre S. Chrysost. hom. de Iona, docet Ionam fugientem esse tyrum peccatorum, qui quasi ebrî non advertunt quo eant, ubi pedem figant, sed cupiditatem sequentes propria præcipitantur insauia.

**C** Censet Naziauzen. in Apolog. et S. Hieron. causam fugæ Ionæ fuisse pietatem nimiam in gentem suam, ne ea Causa fugæ Ionæ. periret; prophetico enim spiritu Ionam cognovisse, tunc Israelitas perituros, cum Gentes credidissent; *eo quod penitentia Gentium ruina sit Iudæorum*, ait S. Hieron. *Idcirco amator patriæ suæ non tam salute invidet Ninivæ, quam non vult perire populum suum.* Et mox: *Dolet se solum electum, qui mitteretur ad Assyrios inimicos Israel, et ad civitatem hostium maximam, ubi idololatria, ubi ignoratio Dei. Et, quod his maius est, timebat ne per occasionem prædicationis suæ illis conversis ad penitentiam, Israel penitus relinqueretur.* Hinc Secundo, Lyran. et Clarius censet, Ionam extimuisse potentiam et magnificentiam urbis et regis Ninivæ, eiusque hostilitatem contra Iudæos, qualis ipse erat. Tertio, veram et genuinam fugæ suæ causam dat ipse Ionas cap. 4. 2. *Numquid, ait, non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis.* Scio enim **D** *quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia.* Fugit ergo, quia præsumebat Ninivitas ad hasce Dei minas a se proclamandas penitentiam acturos, et Deum pœnitentibus parciturum, itaque se quasi falsum prophetam irridendum fore. Ecce quibus umbris vane vanus conturbatur homo. Quid times o Iona nomen mendacis, cum Deus idipsum non timeat? In cum hoc probrum recidet, non in te: ille enim est legans, tu legatus. Mendax non est qui minatur pœnam, si per minas mutanti vitam pareat. Hæc enim conditio mutat statum rei, ideoque excipitur. Quod enim minatur Deus dicitque: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*, intellige, si in sceleribus suis persistat, si vitam non mutet. Ideo enim minatur Deus, ut peccatores minis territi vitam corrigant, itaque pœnam comminatum evadant: *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite*, Ezech. 18. 32. Ionam sequuntur concionatores, honoris sui, non divini, studiosi; qui auram

Vers. 5.

popularem aucupantur; qui ingenii sui theatrum, facundia suae laudem venantur.

**IN THARSIS.**) Nota, a Tharsis nepote Iaphet Gen. 10. 4. ortos esse Cilices, indeque Tharsus Ciliciae urbs nomen accepit. Porro quia Tharsenses et Cilices tunc maris erant domini, et navibus opibusque potentes: hinc omnia vicina loca, mareque vicinum dictum est *Tharsis*. Inde extensa vocis significatione per synecdochen, puta ex parte maris Tharsensis totum reliquum mare Mediterraneum, imo quodvis vastum mare, praesertim Carthaginiensium (qui navigatione fuerunt celebres) ac tandem ipse Oceanus dictus est *Tharsis*. Hinc et chrysolithus (gemma) quia coloris est marini, dictus est *Tharsis*, uti ex S. Hieron. Iosepho et aliis docui Isaia 1. 16.

Tharsis quid?

Quaeres, quid hic significet *Tharsis*? Primo, S. Hieron. Chald. Ribera et alii per *Tharsis* accipiunt mare. Ionas enim pavidus, fugitivus et vagus non certum locum, sed quemlibet obvium fugae suae destinabat, ideoque fugit ad mare; tantum enim faciem Domini effugere satagebat. Non, ait S. Hieron. *Propheta ad certum fugere cupiebat locum, sed mare ingrediens quocumque pergere festinabat: et magis hoc convenit fugitivo et timido, non locum fugae otiose eligere, sed primum occasionem arripere navigandi.* Et mox: *Postquam illum (Deum) sensit in fluctibus, confitetur et dicit: Hebraeus ego sum, et Dominum exli timeo, qui fecit mare et aridam. Si autem ipse fecit mare et aridam, cur aridam relinquens, arbitraris te conditorem maris in mari posse vitare?* Nimirum volebat Ionas longissime fugere a facie Domini, hinc fugit ad mare; qui enim ad mare et ad transmarinas regiones navigant, videntur caelum et terram omniaque elementa mutare, et in novum orbem, traicere. Hic sensus erat Iudaeorum: unde remotissimas regiones vocabant *mare* et *insulas*. Hinc Psalter significans remotissimas gentes venturas ad Christum dicit, *Reges Tharsis (id est maris) et insulae munera offerent*, Psal. 71. 10. et Isaia e. 66. 19. *Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, etc. ad insulas longe.* Addit S. Hieron. *Simulque instruitur (Ionas) per salutem conversionemque nautarum, etiam tantam multitudinem Ninivae simili posse conversione salvari.* Allegor. de Christo possumus dicere, quod dimiserit domum et patriam suam, et assumpta carne quodammodo de caelestibus fugerit, veneritque in *Tharsis*, id est in mare huius saeculi, secundum illud Psal. 103. *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* Anagogice idem S. Hieron. *Tharsis*, ait, interpretatur contemplatio gaudii: *veniens ad Ioppen Propheta, quae et ipsa speciosam sonat, ire festinat ad gaudium, et quietis beatitudine perfruens totum se tradere theoriae: melius esse arbitrans pulchritudine et varietate scientiae perfrui, quam per occasionem salutis gentium ceterarum, perire populum de quo Christus in carne generandus sit.*

Secundo, Theodor. et Theoph. per *Tharsis* intelligunt Carthaginem. Sic et Vatabl. per *Tharsis*, ait, intellige Tunetum, vel Carthaginem, urbes Africae. A Tuneto enim facilis est navigatio in Ioppen, et vice versa a Ioppe Tunetum. Sic et Mariana per *Tharsis* accipit Carthaginem, aut Tunetum, quae etiam arabice *Tharsis* vocatur. Rursum P. Pineda l. 4. de Rebus Salomonis cap. 15. in fine, per *Tharsis* accipit Tartessum, et Baeticam, censetque Ionam voluisse fugere in Hispaniam, idque multis coniecturis probare contendit.

Tharsis est Tharsus urbs Ciliciae.

Tertio, verius alii per *Tharsis* accipiunt Tharsum urbem Ciliciae, ipsamque Ciliciam. Unde Tigurina vertit, *Tharsum*. Probatur primo, quia *Tharsis* primo, et proprie significat Tharsum et Ciliciam, uti paulo ante dixi. Secundo, quia qui volunt transfretare mare, necessario sibi aliquem locum in confuso, quo transferantur proponunt, dicuntque sibi v. g. *Volo transfretare in Italiam, vel in Africam, vel in Indiam.* Nemo enim in mari habitare vult aut potest. Ergo et Ionas ivit ad mare, ut tenderet Tharsum, vel certe in Ciliciam in confuso, nullam certam urbem animo destinans. Tertio, id significant verba Scripturae: *Invenit navem euntem in Tharsis.* Navis enim non ibat

A ad mare, quia erat in ipso mari, sed per mare ibat in Tharsum. Rursum, *Descendit in eam ut iret cum eis* (nautis) *in Tharsis*: nautae autem in certum locum, puta Tharsum, ire et navigare destinabant, ergo et Ionas qui idem destinabat et eodem tendebat quo nautae. Quarto, quia si mare voluisset significare Propheta, clare dixisset, *Fugit Tharsis* *iamma*, id est, ad mare: *iam* enim significat proprie mare, non aliud. *Tharsis* autem ambiguum est, et proprie Tharsum, improprie mare significat. Ita censent Ioseph. lib. 9. Antiq. cap. 11. Rheticus Augustod. apud S. Hieron. epist. 134. ad Marcell. Tertull. libr. de Fuga c. 10. Abulensis, Lyran. a Castro, Villalpando in Ezech. 27. 12. et alii. Dices: Quomodo ergo v. 8. nautae rogant Ionam: *Quo vadis?* Respond. Id rogant, quia certum et ultimum terminum profectiois Ionae ab eo discere volunt, ut sciant quo et quorsum vadat; sciebant enim eum ire secum in Ciliciam, et forte Tharsum: sed nesciebant quo ultimate, et cuius rei gratia tenderet. Tantum enim quaerunt hoc, ut cognoscant viri statum, quis, qualis sit, quo tendat, quid agat, quid destinet. Id patet ex verbis nautarum: *Quod est opus tuum? quae terra tua, et quo vadis, vel ex quo populo es tu?* q. d. Quo tendis? quid in hoc itinere agere cogitas? quem scopum tibi destinans? Hoc enim in curribus et navibus a sese invicem pereunetari solent vectores.

B

A **FACIE DOMINI.**) q. d. Ut a loco ubi ei loentus erat Dominus, ubi ei suam praesentiam exhibuerat, fugeret in remotissimas regiones: non quasi putaret Ionas se ibi Deum latere posse; erat enim Propheta; sciebat ergo Deum esse ubique, et omniscium; sed quod speraret Deum se ita profugum et renitentem, ex remotissimis illis regionibus non revocaturum, nec remissurum in Niniven. Ubi Nota. Facies Dei dicitur esse ibi, ubi Deus hominibus se et suam praesentiam, vel loquendo, vel miracula faciendo, vel opera divinae vindictae aut clementiae patrando exhibet. Sic dicitur Psal. 67. 2. *Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius.* *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* Et psal. 95. 9. *Commovetur a facie eius universa terra.* Et psal. 96. 5. *Montes fluxerunt a facie Domini, eum ipse praesens eos concussit.* Et psal. 113. 7. *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Iacob, cum ipse dans legem in Sina, montem ingenti terrae motu quassavit.*

Rursum, quia Deus in templo pontifici et sacerdotibus, atque in Iudaea fidelibus, praesertim Prophetis, suam praesentiam exhibere solebat, hinc facies, id est, praesentia, Dei dicitur esse in Iudaea et in templo. Unde ait Psalter psal. 41. 3. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* in templo scilicet, ante Sanctum sanctorum, in quo super arcam, Cherubim et propitiatorium, quasi in throno residet Deus. Sic 1. Regum 1. v. 22. Anna ait Elcanæ de Samuele puero: *Non vadam ad templum donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi iugiter.* Et cap. 2. 18. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, id est, in templo ante Sanctum sanctorum.* Sic in Levitico cap. 1. 5. cap. 3. 1. cap. 4. 4. e. 6. 7. e. 8. 28. et crebro alibi dicitur, sacerdos stare, vel sacrificare *coram Domino*, hebr. *לפני* *lipne*, id est, *ante faciem Domini*, puta in altari ante Sanctum et Sanctum sanctorum: fugit ergo Ionas a *facie Domini*, id est e Iudaea in Tharsis, quia in Iudaea et templo Deus censebatur peculiari modo esse praesens per singularem sui cultum, providentiam et openi, qua gentem suam respiciebat et dirigebat; ac per oracula, quae fere dabat Prophetis in Iudaea, raro extra Iudaeam: ita Hebraei, Theodor. Lyran. Vatabl. Mariana, et alii. Addit S. Cyril. *Censebant aliqui potentiam et imperium Dei solis Iudaeae finibus circumscribi, et in ipsam quasi compactum, ab aliis regionibus excludi, etc. Opinor hunc B. Prophetam tale quiddam secum cogitantem, a Iudaea ad urbes Graeciae discessisse.* Verum quis hoc credat de fideli erudito, imo Propheta?

Moral. discite hic, eum qui fugit a facie Dei vocantis et blandientis, incidere in faciem Dei indignantis et ulciscantis.

Moral. obediendum esse Deo vocanti.

sentis: ita Ionas fugiens Deum vocantem, incidit in cœtum devorantem. *Ionas*, inquit S. Gregor. libr. 6. Moral. cap. 12. *in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, cœto sorbente repente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, et qui auctori suo obedire renititur, ad locum qui missus fuerat, suo reus carcere portatur. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando et hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod voluntas humana sibi contradicit.* Ionas sibi persuadens durum esse Dei imperium, fugit a Deo, qui sibi obedientium est tuta certa que salus, et ereditur se ventis sævientibus; mari instar Lunæ, a qua regitur, instabili; fluctibus in cælum sæpe sese attollentibus; nautis infidelibus, qui eum in mare proiecerunt; navi, quæ quatuor digitis e mari eminet, et a submersione morteque non amplius distat, iuxta illud Poætæ:

*In nunc, et ventis animam committe, dolato  
Confusus ligno, digitis a morte remotus  
Quatuor:*

tot enim limbis navis mari eminet. Idem facit stultus stolidusque peccator: relinquens enim Creatorem spes suas figit in creaturis, in quibus nil nisi inquietum, turbulendum, periculosum invenit, ac cœtos et monstra, quæ eum devorent: ita Sanchez.

Ex adverso sapienter mouet S. August. in ps. 70. *Qui vult, ait, fugere Deum iratum, fugiat ad placatum.* Ex Iona ergo docemur, quemque debere obedire Deo vocanti, eiusque vocationem capessere, idque ad quod vocatur amplecti et exequi: Dei enim est creaturas omnes, præsertim homines, regere et dirigere ad fines suos, iis viis et mediis, quibus ipsi placuerit. Deus etiam omnium est dominus, homines vero eius servi sunt; illi ergo vocanti obedire debent, multo promptius et alacrius quam famuli principi vocanti obsequuntur: si quis enim id renueret, princeps eum illico domo sua exturbaret. Quid ni idem facere iure suo possit, et de facto non raro faciat Deus? Est enim hæc fuga, inobedientia et resistentia, Dei contemptus, iniuria et vilipensio, quam ipse uleisci solet, vel in hac vita, vel in futura. Extat emblemata Aleiati ordine 17. *Qua Dii vocant eundem:*

*In trivio mons est lapidum; supereminet illi*

*Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.*

*Mercurii est igitur tumultus: suspende viator*

*Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.*

*Omnes in trivio sumus, atque hoc tramite vitæ*

*Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.*

Hinc celeberrima Biantis gnome: *Sequere Deum*, ne te persequatur Deus. Nam, ut ait Seneca in Hercule Fur.

*Sequitur superbos ultor a tergo Deus.*

Et in Thyeste:

*Res Deus nostras ceteri citatas*

*Turbine versat.*

Et Ovid. lib. 8. Metamorph.

*Immensa est, finemque potentia cæli*

*Non habet, et quidquid superi voluere, peractum est.*

Idem lib. 10.

*Cedunt Iovis omnia regno.*

Et lib. 5. Trist.

*Plus valet humanis viribus ira Dei.*

Ita Abraham Deum vocantem ex Ur Chaldæorum secutus est in Chanaan, nesciens quo iret, ideoque tot benedictiones et temporales et spirituales a Deo accepit, Gen. 12. 1. Hebr. 11. 8. Ita Moses Deum vocantem secutus, petiit a Pharaone missionem populi; ideoque tot signa et portenta patravit, ac tandem Pharaonem eum toto exercitu mercis in mari rubro. Idem fecerunt Iosue, Gedeon, Samson, David, Isaïas, Daniel, Osee, aliique Prophetæ. Ita in lege nova Christus secutus est Patrem vocantem ad prædicandum, et moriendum pro salute hominum. Ita Apostoli Christum vocantem ad labores et martyria secuti, facti sunt principes Ecclesiæ militantis et triumphantis.

Legimus in vita S. Athan. quod cum S. Alexander Episc. Alex. animam ageret, successorem declararit S. A-

thanasium. Ille hoc subodoratus fugit ut Ionas: vocavit eum Alexander aliquoties, at ille tacuit et se abscondit. Tum Alexander: *Fugis, ait, Athanasi, at non effugies.* Clerus enim et populus vim intulit S. Athanasio, eumque munus Episcopale suscipere coegit, qui videns tandem hanc Dei esse voluntatem, illi obsecutus munus suscepit, ideoque contra Arrianos columna, et hyperaspistes totius Ecclesiæ a Deo effectus est.

Tota ergo sapientia, tota felicitas, totum bonum hominis in eo situm est, ut per preces, considerationes, elemosynas, ieiunia, etc. exquirat quid Deus a se fieri velit, in quo statu, gradu, officio, opere velit sibi ab eo serviri; ac cognita Dei voluntate, illico eam exequatur, illudque unicum et evidens signum est prædestinationis divinæ, sequi Deum vocantem; sicut ex adverso signum et causa reprobationis est, nolle Deum, sed suas inclinationes, voluntates et cupidines sequi. Hoc est enim quod ait Christus Ioan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt* (ac consequenter hædi et reprobi eandem non audiunt, id est ei nou obediunt) *et ego cognosco eos, et sequuntur me: et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quocirca qui sapit, et cui sua salus curæ est, hoc iugiter optet, hoc unum oret, ut Deus eum dirigat iis viis, occupationibus, negotiis et mediis, quibus prædestinavit eum ad æternam salutem deducere, quibusque præcavit eum certo et infallibiliter ad illam perventurum. Hæ enim viæ a Deo cuilibet præparatæ et præordinatæ, securæ sunt et certæ, ac proinde nec peccati habent scandalum, nec salutis periculum, quod habent cæteræ quas homines sine duce Deo, sibi velut sapientes præscribere et inire volunt: uti Ionas hic fugiens Deum, perdidit patriam, templum, Deum, Ecclesiam et pene vitam; dum pro solida terra æstuans mare, pro altari sacro profanum Tharsis elegit et accepit. Hoc est quod de Iacob, et quolibet sequente Deum dicitur Sapient. 10. 10. *Hæc (sapientia et providentia divina) iustum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.* Et v. 17. de Hebræis quos per desertum duxit in terram promissam: *Reddidit iustus mercedem laborum suorum, et deduxit illos in viam mirabili (iter præiens per columnam ignis et nubis) et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem, transulit illos per mare rubrum, etc.*

DESCENDIT. ) Ex montibus Zabulon (erat enim Ionas Zabulonites) in quibus sita est Nazareth, de quibus Guiliel. Tyrius l. 21. Belli sacri e. 26. Inter hos montes unus est Thabor, in quo transfiguratus est Christus: vel descendit, id est abiit, profectus est, venit.

IN IOPPEN. ) Portus est celeberrimus totius Iudææ. Hebr. vocatur *Iapho* (unde hodie *Iaffa* dicitur) *ad quem*, ait, S. Hier. *Hiram rex Tyri ligna de Libano ratibus transferebat, quæ Ierusalem terreno itinere perveherentur. Hic locus est, in quo usque hodie saxa monstrantur in littore, in quibus Andromeda religata Persei quondam sit liberata præsidio.* Rursum Adrichom. in Descript. terræ sanctæ:

*Ioppe, ait, quæ Iapho dicitur, id est, pulchritudo aut decor, urbs antiquissima a Iaphet filio Noe ante diluvium condita, sita ad mare in edito promontorio (ex quo Ierusalem conspici potest) littore saxoso, alto et arduo, arce ac mœnibus munita valde. Portus autem impetuosissimus est, ob id ad excursus piraticos commodus: in quem usum tempore Machabæorum sæpe est occupatus. In hac S. Petrus Tabitam a morte suscitavit, Act. 9. 10. ibique legatos a Cornelio Centurione accepit, didicisse per visum non solis Iudæis, sed et Gentibus evangelizandam esse fidem Christi. Cinxit eam anno Domini 1250. Ludovicus Francorum rex turribus et muris, in eamque peregrinantes in terram sanctam primum appellant. Arbitratur Sanchez sane probabiliter, Poetas et Historicos Gentilium ex historia Ionæ fugientis in Ioppen, ibique a cæto sorpti, sed a Deo liberati, sumpsisse fabulam Andromedæ. Eam enim in Ioppe alligatam fuisse saxo, ut a marina bellua voraretur, sed liberatam a Perseo belluam occidente, tradit*

Fabula  
Andromedæ  
sumpta  
ex Iona.



non solum Ovidius 4. Metamorph. sed et Plinius libr. 5. cap. 13. Solinus cap. 13. Polyhist. Mela libr. 1. c. 11. et alii. Simili modo ex diluvio Noe fluxerunt diluvium Deucalionis, ait S. Iustin. in Apol. contra Gentes. Sic Herulem non alium fuisse quam Samsonem, censet S. Augustin. l. 18. Civit. 19. Hinc ille fatalis erinis, in quo regni sors et stabilitas sita erat quem filia Scylla dormienti patri Niso sustulit, et cum ea regnum ereptum patri ad Minoem patris et patriae hostem detulit. Origenes l. 4. contra Celsum, asserit Platonem fabulas suas de hortis et campis Elysiis, de formatione hominis, de serpente, quas tradit in Symposio ex Genesi Mosis mutuatum esse. Clemens Alex. lib. 2. Stromat. docet, quod Minos legislator Graecorum, quem dicunt novem annis cum Iove familiariter esse versatum, non alius sit quam Moses, qui in Sina cum Deo colloquens, ab eo legem accepit. Sic Noe fluxerunt esse Ianum bicipitem, qui duo vidit saecula, et quasi duos mundos; eodem transformatum in Bacchum, eo quod vitem et vinum invenisset. Ex Lucifero et caelis deiecto, formarunt Aten a Iove caelo depulsam, quae res humanas turbaret et everteret.

**ET DEDIT NAULUM EIUS.** ) Navis, q. d. Dedit pretium nautis pro usu navis quae vehebatur, puta solvit stipendium vecturae, quasi transfretare posset a Deo, inquit Tertull. lib. de Fuga cap. 10. ubi perperam ex fuga Ionae, e qua retraxit eum Deus probat non licere fideli fugere in persecutione. Aliud enim est fugere Deum, quod fecit Ionas; aliud fugere tyrannum et persecutorem, quod fecerunt Apostoli et Martyres.

**DOMINUS AUTEM MISIT VENTUM MAGNUM IN MARE, ET FACTA EST TEMPESTAS.** ) Ecce quomodo comprehendit Deus se fugientes in fuga, sapientes in suis consiliis, peccatores in suis conceptibus et peccatis, eosque ad se retrahit et reverti cogit. Putabat Ionas in mari invenire quietem, et ecce comprehendit eum tempestas a Deo immissa adeo valida, ut dicat Script. *Et navis periclitabatur conteri*, ex allisione ad fructus confringi, et ut Septuag. *δεδιδορυνη*, id est, *dissolvi*; Pagn. *et navis putabatur conteri*, conterenda; Tigurina, *ita ut cogitare quispiam posset navem esse conterendam*; hebr. ad verbum est, *et navis illa cogitabat conteri*, id est, qui ea nave vehebantur putabant se statim facturos naufragium. Ita Vatablus. Hue spectat illud Poeta:

*Pallus exurere classem  
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,  
Unius ob noxam, et furias Aiacis Oilei?*

**ET CLAMAVERT VIRI AD DEUM SUUM.** ) q. d. Quisque invocavit Deum suum. Erant enim in navi de more homines diversarum regionum et religionum, puta ex variis gentibus quae varios habebant deos; quisque ergo suum suaeque gentis Deum in tanto periculo inelamavit. Nota hebraismum *וַיִּקְרְאוּ*, id est, *vir*, capitur pro *quisque*, et distributionem significat.

Tropol. notat S. Hieron. non tantum Ionam puniri, sed et nautas, eo quod Ionam recepissent. Sic et hodie qui apostatas a fide vel Ordine receperunt, cum iis pariter puniuntur. Discet hic quam noxia sit peccatorum societas. Sic S. Ambros. serm. de cathedra S. Petri docet, Apostolos iactatos fuisse tempestate propter Iudam: *Tranquillitas*, ait, *est, ubi solus Petrus navigat; tempestas, ubi Iudas adiungitur: licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen eriminibus proditoris. Unius igitur delicto cunctorum merita quassabantur.* Atque hinc tam crebra sunt naufragia, ob peccata vectorum, praesertim quae in navi committuntur.

**ET MISERUNT VASA,** puta merces et onera quae erant in vasis, **IN MARE.** ) Ad navem alleviandam. Hebr. *ut alleviaretur ab eis.* Hoc est quod ait Poeta: *Decidere iactus cepit cum ventis.* Vere Chrysost. hom. 1. de Paenit. *Nautae*, ait, *iactum fecerunt, navis vero nequaquam alleviabitur.* Quare? *quia nihil tam onerosum et grave, quam peccatum et inobedientia.*

**ET IONAS DESCENDIT AD INTERIORA NAVIS,** quasi ad locum secretiorem et tutiorem: **ET DORMIEBAT SOPORE**

**GRAVI.** ) Partim ex fatigatione itineris, quod fecerat veniendo ex Zabulon in Ioppen, partim et magis ex animi deiectione et morore. Sensit enim Ionas remorsus conscientiae de fuga sua, quasi Deus illum persequeretur, puniret et comprehenderet: unde ut hos remorsus evaderet et sopiret, dedit se sopori. Mala enim conscientia parit mororem, moror somnum: somnus enim mororem sepelit, cum eius cogitationem et sensum adimit. Hinc Apostoli Christo cuncte ad passionem, praeter tristitia sopore correpti sunt, Matth. 26. ita S. Hieron. Theodor. Theoph. et Hugo. Audi S. Hier. *Conscientia erat fugae et peccati quo Domini praeccepta neglexerat, et tempestatem ignorantibus contra se sentire crenebat, ideo descendit ad interiora navis et tristis absconditur, ne quasi Dei vindices fluctus adversum se videret intumescere.* Tropol. idem: *Sopor*, ait, *Ionae gravissimus, hominem significat erroris sopore torpentem, cui non suffecerat fugere a facie Dei, nisi quadam recordia mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei, et quasi securus dormiret, et profundissimum somnum roncha mare sonaret.* Peccator ergo veterum dormit, imo lethargum: hunc enim illi peccatum inducit. Unde Christus illi inelamet oportet, *Lazare veni foras.*

Allegor. somnus Ionae representat somnum Christi in navi orta tempestate, a quo excitatus ventis imperavit et mari, Matth. 8. Ubi S. Hieron. *Huius signi typum*, ait, *in Iona legimus, quando ceteris periclitantibus ipse securus est, et dormit, et suscitatur, et imperio ac sacramento passionis suae liberat suscitantes.* Licet enim Ionas, qua homo fugiens Deum, typus esset peccatoris; tamen idem qua Propheta, tam actis quam verbis typum gerebat Christi.

**MITAMUS SORTES.** ) Notat S. Hieron. Theodor. Remig. et Lyran. nautas misisse sortes, quia videbant maris periti tantam tamque repentinam in malacia marique quieto tempestatem non esse naturalem, sed subito a Deo immissam sine praeviis signis, praeter cursum et ordinem ventorum, siderum, temporis, aliarumque causarum secundarum et naturalium; alioqui enim ad sortes non venissent, si causas naturales esse cognovissent.

Unde moraliter ex Iona hic discant nautae et vectores, procellas saepe a Deo immitti ob scelera quae in navi fiunt, aut antea facta sunt. Ita Bias, navigans eum sceleratis, dum periclitarentur in summa maris tempestate, aliis deos implorantibus, ait: *Silete, ne vos hic navigare sentiant dii,* ut refert Laert. lib. 1. c. 6. Idem cum pessimis navigans incidit in piratas. Dicentibus illis, *Peribimus, si agnoscamur.* At ego, ait, *nisi agnoscamur, peribo.* Quocirca Plato assererat, *fugendum esse mare, perinde ac improbitatis magistrum.*

Notat Secundo, S. Thom. 2. 2. qu. 95. art. 8. triplicem esse sortem. Prima est divisoria. Haec licita est, et adhibenda quotiescumque non apparet ratio, cur alter alteri in re aliqua vel utili, vel difficili debeat praferri. Sic fratres haereditates dividunt sorte, sic milites invadunt oppidum iacta sorte, quae gens vel acies primo invadere debeat. Sic princeps in rebellionem cum multi sunt rei capipitis, dat sortem, ut in quos sors ceciderit plectantur in exemplum reip. caeteris pareat. Huc spectat contractus sortium, qualis est in lusu aleae. Sic S. August. ep. 180. scribit sorte eligendum sacerdotem, qui tempore pestis vel persecutionis in urbe maneat, et fidelibus res sacras et Sacramenta conferat, scilicet si caetera sint paria, vel aliter res haec non possit commode decidi. Unde in beneficiis Ecclesiasticis illicita est sors; haec enim non sorte, sed maxime idoneis sunt danda. Similis est ratio officiorum saecularium; unde et Aristot. lib. 1. Ethicor. carpit Athenienses, eo quod magistratus sorte crearent.

Secunda est consultoria, qua per sortem inquiritur divinum consilium, ut sciatur quid in negotio obscuro sit agendum; nam si eventus a casu expectetur, sors haec divisoria erit potius, quam consultoria, uti patet in exemplis iam datis; nemo enim casum consulit. Consultoria illicita est: pertinet enim ad tentationem Dei, nisi Deus inspiret) aut aliis mediis humanis deficientibus necessitas cogat suadeatque invocato suppliciter Deo) illa utendum,

Vers. 4.

Vers. 7.

Vers. 5.

Sors triplex.

seque illam directurum, et per illam voluntatem suam declaraturum; uti factum est, cum Saul in regem sorte electus est. 1. Regum 10. 20. et Matthias in Apostolum, Actor. 4. 26. Plura vide apud P. Lessium libr. 2. c. 43. de superstitione, dub. 9. et Delrio de Magia tractat. de divinat. ex sortibus.

Tertia sors est divinatoria, qua inquiritur cognitio veritatis futuræ, vel præsentis, sed arcanae et occultæ; qualis fuit hæc, qua quærebatur causa, et reus huius procellæ et tempestatis. Hæc pariter illicita est, ni Deus inspiciat ea utendum, et per eam rem futuram vel arcanam indicare velit; uti indicavit furtum Achan per sortem, Iosue 7. 44. Unde sortes hæc, sive sortilegia, æque ac aliæ divinationes et incantationes damnantur cap. 1. de sortilegiis, et 23. quæst. 3. cap. *Sortes*. Cum enim hic occulta veritas non quæretur, nec accipiatur a Deo, sequitur eam quæri et accipi a dæmone. Ubi dupliciter peccatur: Primo, quod ineatur commercium cum dæmone, isque quasi doctor consulatur, qui mendax est et pater mendacii. Secundo, quod in futuris tributum dæmoni prænotio futurorum, quæ soli Deo est propria: unde dæmon tunc tacito quodam pacto et consensu invocatur, tum ut sortes regat, et per eas quid futurum sit præsignificet; tum ut effectum præsignatum reipsa compleri procuret. Sic apud Suetonium et alios legimus, sortes Domitiano Cæsari interitum denunciasse; Alexandro Severo autem nil tale speranti imperium: sorte enim illi hi versus Virgilio 6. *Eneid.* exierunt:

*Tu regere imperio populos Romane memento.*

Talis fuit Pythagorica sors antiquissima, per quam victoria, vita, mors, fausti infaustique eventus divinabantur per numerum nominum. Ille enim cuius nomen habebat litteras plures maiorisque numeri indices, prædicebatur fore victor; victus vero ille, cuius nomen pauciores litteras et minores numeri indices continebat. Sic Patroclum ab Hectore vincendum, et Hectorem ab Achille superandum, numeris nominibus eorum inclusis divinatum est, uti canit Terentius, immo quod mirum est, id ipsum habetur apud V. Bedam tract. de Divinat. mortis et vitæ, qui habetur in fine 2. tom. operum illius, ubi hæc de re multa et mira, non credenda, nec practicanda, utpote vana et superstitiosa, recensentur. Quare solenter advertendum est, huic tractatum non esse V. Bedæ, sed Petosyris (Gentilis astromantis ut videtur) qui eum conscripsit et misit ad Necepsum regem Ægypti, ut habet eius inscriptio: forte hic tractatus inventus fuit in serinio Bedæ, unde illi ab operum eius compilatore adscriptus et assutus est.

Nota Tertio, licet sors hæc nautarum fuerit superstitiosa, uti iam dixi, Deus tamen illam, licet malam disposuit et ordinavit in bonum; ita enim eam temperavit et direxit, ut Ionas reus deprehenderetur, et culpam agnosceret, ac ad Deum rediret. Ideo enim excitavit tempestatem, uti iacta a nautis sorte Ionas quasi eius causa et reus caperetur. Simili modo direxit sortes, vel potius omen superstitiosum, quod captabant Philisthæi 1. Reg. 6. v. 9. dicentes: Si vacæ arcam Domini vehementes ascendant contra Bethsames, Deus Hebræorum hanc morborum plagam nobis infligit; si autem minime, sciemus quia casu accidit. Fecit enim Deus ut vacæ tenderent versus Bethsames, quo facto crediderunt Philisthæi non casu, sed a Deo sibi plagam immissam. Simili modo c. 28. 13. cum Saul consuleret Pythonissam, fecit Deus ut in eius præstigiis compareret Samuel, et Sauli interitum instantem prædiceret. Causam dat S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Titum, quod Deus sortilegos et sacrilegos voluerit suis sortibus et omnibus revincere, eaque in ipsorum caput retorquere, imo ipsorum accusatores constituere. *Deus*, ait, *eos* (Philisthæos) *suo ore corripuit atque redarguit. Hoc ipsum et in Pythonissa muliere dicendum est, quia enim ei fidem adhibebat, ideoque per hanc Saul audire fecit quod se comprehensura essent mala.* Et S. Hieron. *Fugitivus* (Ionas) *sorte deprehenditur non viribus sortium et maxime sortibus Ethnicorum, sed voluntate eius qui sortes regbat incertus.*

Porro sortibus et sortilegiis etiamnum crebro utuntur nautæ infideles et Ethnici. Testimonio sit S. Franc. Xavierius, qui describens iter suum Iaponicum epist. prima quam ex Iapone dedit ad Socios Goam, anu. Domini 1548. 3. Nonas Novembris, quæ habetur l. 3. epist. eius ordine quinta: *Molestissime ferebamur, inquit, quod nauticarius et nautæ sortibus dæmonem identidem consulere, utrum ex usu esset in Iaponiam pergere, nec ne; et simul exquirerent, an secunda navigatione cursum tenere possemus, et sortes modo lætæ, modo tristes debebantur.* Ac post multa de iisdem, cum narrasset navarchi in mare iactatione navis excussam ac submersam, subdit. *Inde Barbari ad idolum sacrificiis placandum versi, diem noctemque totam maclandis avibus apponendisque idolo cupulis consumpserunt.* Disce hic sortibus iungi solere sacrificia ad conciliandum idolum, id est, dæmonem qui consulitur et rogatur ut per sortes respondeat. Pergit Xavierius: *Tum navarcho cur filia sua interisset sortibus percontanti, sors editur: si Emmanuel noster in sentina perisset, eius filiam nequaquam fuisse perituram. Videtis profecto quanto in periculo versaremur quorum vita ex diaboli sortibus penderet, eiusque satellitum voluntate.* Remediis deinde hæc usum se scribit: *Sæpius a Deo precatum sum, etc. ut communi hosti illarum superstitionum auctori graviores constitueret cruciatus, quoties navarchum ad sortes duendas atque ad se pro Deo colendum impelleret.* Et paulo post: *Certissimum præsidium est, ut contra hostem magno præsentique sis animo, tibi penitus diffidens et fretus Deo; ut videlicet in illo spes omnes ac vires tuas locatas habeas, ac nullo modo committas, ut tali ac tanto defensore ac patrono timere, aut de victoria dubitare videaris. Sæpius enim mihi minitans denunciabat venisse tempus ulciscendi doloris sui. Verum cum nihil ille nocere cuiquam possit, nisi quoad Deus ipse permittat, magis eo tempore Dei diffidentia timenda est, quam impetus inimici.* Additque Deum permittere diabolo, ut tentet timidos et diffidentes, non autem animosos et fidentes Deo, quibus omnem vim sortium et dæmonis infringit, eaque ita dirigit ut suæ gloriæ et suorum commodis serviant.

ET CECIDIT SORS SUPER IONAM.) SYRUS, et ascendit sors Ionæ, v. g. chartula nomine Ionæ inscripta primo e ducta est ex urna. Sic alleg. milites sorte dividerunt vestem Christi, ait S. Aug. lib. 4. de Symbol. ad cathedram. cap. 6.

INDICA NOBIS, CUIUS CAUSA MALUM ISTUD SIT NOBIS? Vers. 8. cur vento et procellis hæc iactemur, et tantum non obruamur? QUOD EST OPUS TUUM? QUÆ TERRA TUA? q. d. Indica nobis quid operis agas, de qua terra, de quo populo proficiscaris, quo ahire festines? *Notanda brevitas*, ait S. Hieron. *quam admirari in Virgilio solebamus: Iuvenes quæ causa subegit*

*Ignotas tentare vias? quo tenditis, inquit, Quod genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?*

*Interrogatur persona, regio, iter, civitas; ut ex his cognoscatur et causa discriminis, puta periculi.* Dicunt ergo: *Quod est opus tuum? exerceasne usuras, rapinas, magiam, aut similem artem illicitam, qua tibi nomen infestum reddideris? esne sacrilegus, atheus, magus, prædo, fenerator, etc. Quæ terra tua? unde venis? q. d. Venisne ex seclerata aliqua regione, cui dii marini ventique aut cælum ipsum, aut sidera pertinaciter infesta sint, atque ita in divino erga regionem tuam odio laboras? An populi tui fato vexaris, cui cælum adversam navigationem et difficillimas tempestates semper parat? An vero tu patriam tuam diis eharum improbe deseruisti, vel nefarie violasti, aut prodidisti, cuius secleris pœnas a te superi exigunt? Ex quo populo tu es, ut eius populi crimine, aut fortuna, aut odio tu primum, et nos deinde tui causa alligamur? Omnis enim hæc nautarum inquisitio eo spectat, ut Ionam ingenti aliquo seclere aut privato aut publico obligatum esse suspicentur; sive illud sit Ionæ, sive patriæ et populi, quod ea tempestas ulciscatur: ita Arias.*

ET DIXIT AD EOS: HEBRÆUS EGO SUM.) q. d. Genere Vers. 9.

et gente Iudæus sum, non Gentilis. Hebræi nomen, inquit Arias, impositum est familiæ suæ a Semo Noe filio, cum ipsa traiecto Euphrate fluvio novas sedes sibi quaesivit. Unde de eo dicitur Gen. 10. 21. *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber.* Secundo, alii ab Heber patre Phaleg, cuius tempore facta est divisio linguarum, eum in eius familia remansit usus linguæ Hebrææ, Hebræos dictos esse censent. Verum non omnes posterii Heber et multo minus Sem, dicti sunt Hebræi, sed tantum ii qui per Abraham descendunt. Tertio, ergo melius alii censent, Abrahamum dictum esse Hebræum, id est, transiorem; eo quod e Chaldaea transito Euphrate in Chananæam commigrarit: unde primo omnium illi hoc nomen tributum est Gen. 14. v. 13. Ab Abraham ergo posterii vocati sunt Hebræi, æque ac Abrahami. Fuit hoc nomen olim gloriosum; unde Apostolus 2. Corinth. 11. 22. *Hebræi sunt, et ego: Israelitæ sunt, et ego: semen Abraham sunt, et ego.* Christus enim fuit Hebræus, B. Virgo et Apostoli, primique Christiani fuerunt Hebræi.

Tropol. Arias, Ionas confessus est se esse Hebræum, id est, pretereuntem, id est, transgressorem legis et voluntatis divinæ. Rursum Hebræum, id est peregrinum et viatorem, qui continuo tendit ad mortem, et per mortem ad immortalitatem. Chald. et Septuag. pro ר legentes ד, puta pro עברי ibri, id est, Hebræus, legentes עבדי abdi, vertunt, *servus Domini ego sum.*

ET DOMINUM DEUM CÆLI; pro Deum hebr. est tetragrammaton *Iehova*, q. d. Ego non idola, sed ipsum verum Deum Hebræorum Hebræus TIMEO.) Id est, colo. Nota in Script. cultus Dei vocatur timor; et timere Deum, est eum colere: tum quia primus in orbe Deos fecit timor; tum quia summa Dei maiestas maxime a vobis timorem et reverentiam exigit. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi timor meus?* Malaeh. 1. 6. Timor enim non servilis, sed filialis includit amorem et reverentiam Dei, quasi summi domini et patris nostri.

QUI FECIT MARE ET ARIDAM.) Qui est Deus verus et solus, utpote universi creator, et dominus cæli, maris et terræ; qui proinde hanc tempestatem et procellam e cælo, aeri, mari et terræ induxit: potensque est nos mari mergere æque ac terra debiscente nos absorbere: eam autem induxit ob meam inobedientiam et fugam. Hanc enim eis indicasse Ionam, patet ex eo quod sequitur: *Cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugerit, quia indicaverat eis.* Illa enim verba huc spectant. Unde et sequitur:

Vers. 10. ET TIMUERUNT VIRI TIMORE MAGNO.) Tum quod Dei potentiam et vindictam a Iona expositam pertinescerent, præsertim quod quisque sibi conscius esset se eam sæpius offendisse et irritasse; tum quod non tam metuerent, quam oculis cernerent, quod Deus hic tam potens et offensus, Ionam fugientem insequeretur, eumque in navi sua comprehenderet: verebantur ergo ne et ipsi quasi receptatores Ionæ, cum eo pariter a Deo comprehenderentur, punirentur et mergerentur. Sic enim dum prætor furem et latronem insequitur, domumque quam fur ingressus est invadit, hospes et omnes qui in domo sunt metu percelluntur, ne simul cum fure a prætore quasi socii et complices capiantur et plectantur. Multo enim magis id ipsum timendum est apud Deum, qui subinde etiam in populo innoxio peccata aliquorum occulta punit et ulciscitur; uti furtum occultum Achan punivit in toto populo Hebræorum in scio et innoxio, permittens eum eadi a Chananæis, quia *anathema in medio tui est Israel* (sic et in te o navis et nautæ, puta Ionas) Iosue e. 7. v. 13. Ita S. Hier. *Historix*, ait, *ordo præposterus est. Quia enim poterat dici, Nulla causa timoris fuit ex eo quod cis confessus est dicens, Hebræus ego sum; et Dominum Deum cæli timeo, qui fecit mare et aridam; statim subnectitur, quod ideo timuerunt, quia eis indicaverat se Domini fugere conspectum, et eius non fecisse præcepta. Denique causantur, et dicunt: Quid hoc fecisti? id est, si times Deum, cur fugis? si tantæ potentix prædicus quem colis, quomodo te putas posse evadere?* Et rursum: *Timent autem timore magno, quod intelligunt*

*sanctum et sanctæ gentis virum: de Ioppe quippe solventes funem, Hebrææ gentis noverant privilegium, et tamen fugitivum celare non possunt. Magnus est qui fugit, sed maior ille qui querit: non vident tradere, celare non possunt.*

ET DIXERUNT AD EUM: QUID FACIEMUS TIBI?) *Rogant, ait, S. Hieronymus. ut ipse remedio sit, qui auctor peccati fuerat: si culpa est quod te suscepimus, quid facere possumus ne Dominus irascatur? quid faciemus tibi? hoc est, interficiemus te? sed cultorem Domini servabimus? sed Deum fugis; nostrum est præbere manus quid fieri iubeas: tum est imperare, quo facto quiescat mare, quod nunc iram suo tumore testatur.*

ET CESSABIT MARE.) Id est, ut cesset. Est hebraismus.

QUIA MARE IBAT ET INTUMESCEBAT.) *Ut ostenderet ultionem Creatoris se differre non posse, ait S. Hieron. et S. Chrysost. hom. de Iona: Sicut, inquit, servus fidelis videns mancipium fugere, insequitur, nec quiescit donec illud apprehendat, reducat, et præsentet domino: sic et mare fugientem Ionam persequitur, nec cessat donec eum capiat, et Deo dedat.*

ET DIXIT AD EOS: TOLLITE ME, ET MITTITE IN MARE.) Nota hic Primo, Ionæ charitatem magnanimam, qua, ne alii pereant; item pœnitentiam, qua ut Deo offenso satisfaciat, ipse solus perire cupit. Ita S. Hieron. Secundo, Ionam hæc dixisse ex instinctu Dei, quo sciebat Deum velle ut quasi piaculum et lustramentum mitteretur in mare; ideo enim a Deo tempestatem hanc esse excitatam. Hoc est enim quod ait: *Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc, etc.* Alioqui enim nisi Deus eum ut fugitivum ita sibi dedi poposcisset, nec nautæ potuissent eum mergere, nec ipse nautis potestatem se mergendi et occidendi dare. Porro volebat Deus Ionam in mari mergi, quia fugiens Deum ad mare confugerat: mare tibi o Iona fuit in votis, mare pariter sit tibi tortor: in quo enim quis peccat, in eo et punitur. Alleg. tamen causa potior fuit, scilicet ut repræsentaret Christi passionem et resurrectionem, de qua mox plura.

Audi S. Chrys. hom. 5. ad pop. *Ionas fugiebat terram, et Dei iram non effugiebat. Fugiebat terram, et in mare tempestatem induxit; nec tantum nullum ex fuga bonum nactus est, sed etiam eos qui se susceperant in extremum periculum adduxit: ut discas quod, sicut in peccatis viventi neque navigium prodest, sic peccato exutum neque mare perdit, neque bestix consumunt: verum et animal, et elementum incolome depositum Deo reddiderunt, et per omnia discibat Propheta esse mansuetus et humanus, et neque stultis nautis, neque seris unulis, neque bestiis crudelior esse. Rediit ergo, prædicavit, minatus est, persuasit, salvavit. Propterea ipsum non statim de navigio ad urbem perduxit, sed nautæ mari tradiderunt, mare ceto, cetus Deo, Deus Ninivitis, et per longum circuitum profugum reduxit.* Vide sequentia: ubi pulchre docet peccatori non fugiendum esse a Deo, quia effugere est impossibile, sed mutandos esse mores pravos, hi enim vulnere causam dederunt.

Hoc Ionæ exemplum imitatus est S. Gregor. Nazianz. S. Naz. cum enim in Concil. Constantinopol. orta esset dissensio Ionam imitatus. inter Episcopos Ægyptios et Orientales, illis electionem Gregorii in Patriarcham Constaut. impugnantibus, his defendentibus; ipse Synodum ingressus, cohortatus est omnes ad pacem, eiusque causa quasi alterum Ionam devovere se mari, et patriarchatui rennunciare liberaliter obtulit, quod et ingenue præstitit. Audi eum in eam. de vita sua:

*Ego vero Ionæ facinus excelsum æmulor:  
Me pro salute do lubens nostræ ratis,  
Licet excitati turbinis causa haud siem:  
Nos sorte captos inergite insano mari,  
Nos hospitalis cetus excipiet; sit hoc  
Concordiæ vobis imitium; latitudinis  
Locus hic vocetur, splendidior hic surget mihi.*

Alludit ad similem cessionem puteorum, quam Geraritis fecit Isaac Genes. 26. v. 22. qui proinde tertium puteum pacificum vocavit *latitudo*.

Alleg. S. Hieron. *Apostoli, ait, deserentes in passione Christum quodammodo in fluctus præcipitabant. Iste Ionas dicit: Scio quia propter me tempestas grandis est super vos, quia me vident venti vobiscum ire in Tharsis, id est, ad contemplationem lætitiæ navigare, ut vos perducam ad gaudium, ut ubi ego sum et Pater, ibi et vos sitis. Ideo sæviunt, idcirco mundus fremit, me cupit devorare mors, ut vos pariter occidat, et non intelligit quia velut in hamo eseam capit, ut mea morte moriatur. Tollite me et mittite in mare, tempestas quæ propter me sævit contra vos, me moriente, sedabitur.*

Vers. 13. **ET REMIGABANT VIRI, UT REVERTERENTUR AD ARIDAM.** Nota hic pietatem nautarum; nam, ne Ionam, licet id indicantem et se offerentem, mergant, petunt littus in quod eum exponant, itaque et ipsi, et sibi consulant. Propterea, ait S. Hieron. *nitebantur reverti ad terram et effugere discrimen, ne sanguinem funderent; magis volentes perire quam perdere.* Verum cum vident se fluctus obluentantes non posse vincere, sed ab iis vinci, agique rem de omnium vita, satius ducunt unum Ionam perire, quam omnes. Mittunt ergo eum in mare, sed antequam id faciant, veniam a Deo precantur. Dicunt ergo:

Vers. 14. **QUÆSUMUS DOMINE, NE PEREAMUS IN ANIMA VIRI ISTIUS, in,** id est, ut Sept. propter animam, id est, vitam, Ionæ, quem mergimus et perdimus; sed inviti, coacti, et ab ipso quem perdimus iussi. Unde explicando subdunt, **ET NE DES SUPER NOS SANGUINEM INNOCENTEM.** q. d. Ne imputes nobis quod istum innocentem coniecerimus in mare: licet enim nobis sit innocens, nostrumque neminem læserit, tibi tamen est nocuus: tu enim per sortes eum sontem declarasti.

Vers. 15. **ET TULERUNT IONAM, ET MISERUNT IN MARE.** Non dixit, inquit S. Hieron. *Arripuerunt, non ait Invaserunt; sed Tulerunt, quasi eum obsequio et honore portantes, miserunt in mare non repugnantem, sed præbentem manus ipsorum voluntati.* Addit Arias ex Eleazaro quid memorabile: *In Eleazari, inquit, antiquissimi divinarum librorum interpretis tractatu, qui circa ætatem Christi scripsisse dicitur, quantum hoc periculum a viris illis factum traditur, quo divinum de ea re consilium diligentius exquiseretur. Nam post privatas deorum invocationes, post iacturam factam, post deductas sortes, post orationem et deprecationem communiter susceptam, illud postremum sæ-*

Nota.

*pius tentaverunt, ut sublatum Ionam in mare usque ad cololum demitterent, rursusque ad sese in navim reciperent; evenisse vero ait, ut quoties demissus esset, mare conquiesceret; eum autem receptus, rursus fremere et intumescere sentiretur: quo signo divinæ voluntatis certiores facti, Ionam tantum in mare coniectum penitus demisere.* Nautarum sollicitudo in liberando Iona facit idipsum probabile et credibile.

**ET STETIT MARE A FERVORE SUO.** Cessavit a suo æstu, tumore et fluetibus: *Quia invenerat quem querebat, ait S. Hieron. velut si quis persequatur fugitivum, et concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desistit currere, et stat ac tenet quem apprehenderit: ita et mare quod absente Iona irascebatur, in visceribus suis desideratum tenens gaudet et consolet, et ex gaudio tranquillitas redit.* Sic alleg. inquit, Christo in mare passionis projecto, stetit fervor idololatriæ, omnisque erroris, rediit tranquillitas fidei, orbis pax, secura omnia et Gentium conversio ad Deum: sicut ergo Ionæ submersio, navis est relevatio; ita Christi interitus, mundi est salus.

Nota, licet cesset ventus, *sed tamen a vento qui fuit, unda furit:* ita hic post ventum furebat mare, donec iniiceretur Ionas; quo iniecto, illic quievit, ut indicaret tempestatem hanc divinitus excitatam pariter et sedatam, propter unicum Ionam.

**ET TIMEVERUNT VIRI TIME MAGNO DOMINUM.** q. d. Vers. 16. Hoc maris æstuantis et illic sedati miraculo navitæ Deum illius auctorem cognoverunt, scilicet Deum Ionæ et Hebræorum esse verum Deum, ad eiusque fidem, timorem et cultum esse conversi sunt. Ita Hugo, Lyran. et Arias.

**ET IMMOLAVERUNT HOSTIAS,** non tantum spirituales precum et gratiarum actionis, uti censet S. Hieron. sed etiam corporales: mox enim post Ionam in mare missum, appulerunt ad littus, ibique hostias Deo Hebræorum immolarunt. **INSUPER VOVERUNT VOTA.** Offerenda in templo Hebræorum Hierosolymæ, iuxta legem et ritus quos a Scribis ibidem erant perquisituri: nec enim a Iona iam misso in mare eos discere poterant. Ita Theophyl. et Hugo. Quare non dubium omnes hosce nautas hoc miraculum, Deumque eius auctorem deinceps ubivis locorum prædicasse et celebrasse. Hinc aliquis suspicari posset nautas hos Deum Hebræorum colentes suscepisse iudaismum, et factos esse proselytos.

## C A P U T S E C U N D U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Ionas missus in mare sorbetur a ceto, ibi pulchro carmine Deum invocat et laudat, cuius proinde iussu tertio die evomitur in aridam.*

1. **E**T præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Ionam: et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus. 2. Et oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis. 3. Et dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me: de ventre inferi clamavi, et exaudivisti vocem meam. 4. Et proiecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt. 5. Et ego dixi: Abiectus sum a conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. 6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. 7. Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluderunt me in æternum: et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. 8. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. 9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. 10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. 11. Et dixit Dominus pisci: et evomuit Ionam in aridam.

Vers. 1. **ET PRÆPARAVIT DOMINUS PISCEM.** q. d. Fecit Deus D Hebræi enim præceptum vocant omnem ordinationem, dispositionem, providentiam. Pulchre S. Chrysost. in Ps. 96. *Dominus regnavit, etc.* docet feras et belluas Deo et Sanctis servire, quodque Ionas existens in ventre celi eum gubernabat, ut pergeret, non quo ipse, sed quo Ionas volebat, scilicet in aridam v. 11. *Sic, inquit, Ionæ cetus triduo subiugalis fuit, et quo intus gubernans, non quo ipse volebat ducens: quis pastor ita agnas suas placavit, ut Da-*

*niel efferos teones? quis rex tam pernices Indos habet, quam Elias corvos? quis discipulum absque marmure ita hospitalitatem exercere docuit, ut Ionas ectum in mari? quorum armorum exercitus regem suum ita illasum servavit, et alienigenas ab impetu coercuit, ut Chaldaicus caminus Chaldaeos eives urbis exussit, et Hebraeos servavit?*

Cetus Ionae non fuit balæna.

PISCEM GRANDEM.) Septuag. quos sequitur S. Matth. c. 12. *ectum*. Nota: ecti nomen commune est ad balænas, physeteres, orcas, pristias, lamias, thinnos, omnesque pisces prægrandes, et cetaceos. Cetus enim, ut ex Aristot. docet Aldrovandus lib. 3. de Piscibus c. 32. proprie vocatur omne genus piscium, quod absque ovificatione vivos excludit fœtus, et vere respirat vero respirationis instrumento, pulmone inquam præditum; imo a Galeno et vulgo quilibet pisces prægrandes cetis accensentur; non quod ceti sint, sed quod ad eorum magnitudinem exerceant. Unde licet Carcharias, de quo mox, pulmonem non habeat, atque ova intra se concipiat, sed ita ut ea intra se vivificet, vivosque fœtus excludat; a Galeno tamen, Eliano et Oppiano inter cete recensetur.

Licet ergo vulgus putet piscem hunc qui glutivit Ionam fuisse balænam, negant tamen id Rondeletius lib. 13. de Piscibus c. 12. et Ulysses Aldrovandus lib. 3. de Piscibus c. 32. et ex iis Pineda l. 4. de Rebus Salom. c. 12. a Castro hic et alii; eo quod balæna arctiori sit gutture et ventriculo, nec facile hominem integrum et illasum glutire, et continere possit. Quod intellige de parvis et communibus balænis: nam maiores sunt instar montium, quæ facile homines et boves integros glutiant. Censent ergo ipsi piscem hunc fuisse illum, qui Carcharias, et Canis, atque ab Italis et Nicandro aliisque vocatur *lamia*, qui ingens est, voracissimus et antropophagus, rictumque oris et guttur habet immane, prout ea depingit, et in imagine spectanda exhibet Aldrovandus lib. 3. de Piscibus c. 32. p. 381. Carcharias enim sive Canis, est galeonum omnium maximus, magnitudine thinnos ipsos vincens, et in tantum aliquando excresecens, ait Rondeletius, ut curru impositus, vix a duobus equis vehi possit; quare evisceratus et in frustra dissectus, duobus aliquando curribus imponendus fuit. Addit Rondeletius, vidisse se mediocre, qui mille libras ponderabat: Nicenses vero sibi testatos esse refert Gillius, sese istiusmodi piscem ad quatuor millia librarum accedentem cepisse, et in eiusdem ventre solidum hominem reperisse; simileque quid Massilienses sibi narasse, comprehendisse inquam se Canem, in quo loricaum hominem invenissent. Vidit insuper Rondeletius in Santonico littore alium, cuius os et gula tanta erant vastitate, ut hominem etiam obesum commode capere potuisset: imo vero si os canis marini ita hians conservetur, reliquo corpore tacto, canes terrestres illud ingredi, et ventriculum subire ad piscium reliquias devorant. Hac de causa carcharias a nonnullis vocatur lamia *παρα τοσ λυγασ*, id est, a gula et gutture, eo quod magnum et quasi immane guttur habeat, sitque voracissimus. A qua ingluvie similiter lamiae vocantur maleficae illæ, quæ pueros et iuvenes ad se sua forma allicitur, allectosque devorant; quod, ut aiunt, Menippo Lucio contigisset, nisi gravis et prudentis viri consilium ab amore iuvenem deterruisset, dicendo, *οχι σαρπηεις και σε οφεις*, id est, *serpentem foves, et te serpens*, quod percommode de eo dicitur, qui id amat, fovet, amplectitur, quod tandem certum ei exitium est allaturum, uti non raro amasiis contingit. Hæc Rondeletius et Aldrovandus, qui proinde opinantur piscem qui Ionam devoravit, fuisse carchariam sive lamiam; qui licet proprie non sit ectus, ectum tamen dici ea phrasi qua quis vastus et immanis piscis vocatur ectus. In ea tamen dissentit Aldrovandus a Rondeletio, quod Rondeletius censeat lamiam hanc eandem esse cum lamia Aristot. lib. 5. histor. Animal. c. 5. et Plinii l. 9. c. 24. Aldrovandus vero id neget, eo quod lamiam Aristoteles et Plinius ponant planam, et planis piscibus cartilagineis annumerent, qualis non est lamia hæc vasta et immanis, quæ ab Aristotele *καρυς*, id est, canis, nuncupatur, a Theophrasto lib. 4. hist. Plant. c. 8. Columella, et aliis vocatur

Sed Carcharias.

A tur Carcharias, quod voracissimus impudensque sit fur, quodque dentibus plurimum valeat, eosque acutos et pectinatos habeat; *καρχαρος* enim acutum asperumque significat: unde *καρχαροδοντα* animalia, quibus acuti pectinatumque coniuncti dentes sunt, Aristot. nuncupantur. Verè S. Aug. ep. 49. q. 6. agens de ore ceti qui deglutivit Ionam: *Quis, inquit, non coniciat quanto hiatus patebat os illud, quod velut ianua speluncæ illius fuit?* Vide ibidem Aug. hanc Ionæ historiam defendentem contra Porphyrium, eam ut fabulosam irridentem.

Alleg. S. Ambr. in Ps. 43. Ionas, ait, est Christus, qui propterea missus est in mare, ut exciperetur et devoraretur a celo, ut intra alvum ceti positus eius interiora vacuaret, de quo celo hoc dictum sit, *audi Job dicentem c. 3. Qui habet, inquit, magnum ectum captivum reddere. Quis iste est? utique cognoscis cum legis, quod Dominus noster Iesus Christus captivam duxerit captivitatem, devicto enim adversario et inimico, nos qui captivi eramus, copimus libertatem possidere per Christum.*

B Symbol. S. Hieron. ad Heliodorum, in Epitaphio Neopotiani, hæc accommodat morti, quæ fideles absorbet quidem, sed instar Ionæ quasi vivos retinet, ob spem resurrectionis, qua brevi rediviivi surgent. *Devorasti, inquit, Ionam, sed in utero tuo vivus fuit*, iuxta illud Osee 13. 14. *Ero mors tua o mors*. Denique miraculam hoc devorationis et electionis Ionæ factum est, non tam propter Ionam, quam propter Ninivitas, ut illi per hoc miraculum Ionæ crederent: allegorice propter Christum et Christianos, de quo plura c. 3. 5.

ET ERAT IONAS IN VENTRE PISCIS ) Multa hic miracula. Primum, quod venter piscis calidissimus Ionam non consumpsit, et in chilum converterit. Secundum, quod Ionas ibidem vivere et respirare, aeremque frigidum atrahere potuerit. Tertium, quod odor, qui in ventre ceti est olidissimus et intolerabilis, Ionam non exanimavit, quin potius ipse eum commode tulerit. Quartum, quod in hoc angustissimo et incommodissimo carcere non tantum animæ, sed et mentis compos fuerit, spirituque Dei afflatus insigne et pium carmen Deo cecinerit. Dei ergo hoc fuit opus, qui simili modo conclusum in materno ventre fœtum, tot mensibus sine cibo aut potu, sine egestionis, sine frigidae respirationis usu continet. Ita Theoph. Quam rem licet frequentem merito admirans David, *In te, inquit, proiectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu*, Ps. 21. 11. Qui ergo tres pueros in fornace Babylonia illasos, idem Ionam in ventre ceti intactum servavit. Ita S. Hieron.

Quatuor miracula Ionæ in celo.

Ex Iona Gentiles videntur sumpsisse fabulam sui Herculis. Finxerunt enim quod Hercules a balæna sit devoratus, et ex ea incolumis redierit, nisi quod depilatus fuerit ob internam belluæ caliditatem: ita Theophyl. Et Lycophron in tragœdia Herculis, tradit Herculeum cum rediret ex Colehide eum Argonautis invento vellere aureo, tempestatem passum, et in mare lapsum a pisce devoratum fuisse, ac post triduum salvum ex eo in mare proiectum. Arbitror eum hoc ex Iosepho l. 9. Antiq. 11. sumpsisse, qui scribit Ionam a celo evomitum in Ponto Euxino. Hoc enim videtur Lycophron ad Herculis personam transtulisse: nam navigatio Argonautarum fuit in Ponto Euxino: ita Salmeron tom. 8. tr. 17.

Allegor. Theophyl. Ionas est Christus, navis Synagoga Indæorum, navarehus Moses, nauta Propheta, mare afflictiones nostris peccatis debitæ, sors voluntas Patris æterni, venter ceti sunt secreta mortis, sepulcri et inferni, in quibus triduo fuit Christus, et post triduum inde resurgens Gentibus penitentiam et Evangelium salutis annuntiavit per Apostolos; tunc venti, id est, inspirationes et tentationes validissimæ demonum, sedati sunt; procelle voluptatum maris, id est, sæculi huius, prostratæ sunt; pax et tranquillitas corporibus æque ac animis fidelium reddita, dicente Christo: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Hinc et Ionas hebr. idem est quod columba, vel q. d. *יְהוָה יִרְגָא יְהוָה יִרְגָא* *Iehova ione*, id est, *Deus laborans*.

Allegor. Ionas est Christus.

TRIBUS DIEBUS.) Causas huius ternarii assignavi Osee 6. 3.

Vers. 2.

ET ORAVIT IONAS AD DOMINUM.) Angustiæ Ionam ad Deum redire eumque invocare compulerunt. Ita Deus suos redigit ad arcem, ut eum invocent, et invocantibus illico adest et opitulatur. Vulgo dicitur: *Qui nescit orare, eat ad mare*, qui enim in eo navigant, dum non nisi cælum et pontum vident, ventosque et fluctus qui ad sidera videntur elevari; et mox in abyssum subsidere ut videantur iam iam mergendi, et ad ima maris descensuri, illico discunt opem numinis et cælitum omnium implorare. Præclare Nyssen. in exposit. Orat. Domin. Oratio Ionæ, inquit, cetum domum effecit, ut in ventre ceti commode quasi in domo degeret et oraret.

Miratur Tertul. lib. de Oratione c. 14. *Quomodo, inquit, oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ bestię viscera, ab ipsis abyssis, per tantam æquoris molem ad cælum potuit evadere?* Hæc nimirum est vis orationis, hæc vis Dei, qui ubique præsens audit supplicum preces.

Vers. 5.

ET DIXIT.) Est hoc Ionæ carmen lyricum, inquit Arias, tricolon tetrastrophon, simile illi Horatiano lib. 1. ode 36.

*Et thure et fidebus iuvat  
Placare, et vituli sanguine debito  
Custodes Numidæ Deos.*

Nisi quod quartus versus brevior est in hunc modum:

*Angustis nimum mihi rebus,  
Te Dominum carmine supplici  
Imis de barathris voco, et  
Audiens vocem.*

CLAMAVI DE TRIBULATIONE MEA.) Ionas cum proiiceretur in mare tanto sui periculo excitatus illico cepit orare, et clamare saltem mente ad Dominum; sed statim devoratus a ceto, vidensque se in eius ventre, multo magis clamare perrexit. Unde S. Hieron. ait, quod Ionas ex quo in mare præcipitatus vidit cetum, et tantam corporis molem, et immanes rictus aperto se ore sorbere, Domini recordatus sit, et clamaverit. Fabulatur hic more suo R. Salomon, Ionam primo devoratum a ceto mare, et quia ibi satis ample et laxè degebat, non clamasse ad Dominum; Deum ergo iussisse ceto masculo ut Ionam evomeret in cetum fœminam, puta in balenam fœtu plenam et gravidam, in qua cum Ionas arctari se sentiret, cœperit clamare. Probat idipsum, quia v. 1. piscis hic vocatur masculine דג dag: ergo erat cetus mas, v. vero 3. ubi dicitur: *Et oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis*. hebr. est fœmininum דגה daga, id est, pisces fœmina. Verum errat fabulo: nam unum et eundem fuisse piscem qui sorbuit Ionam, et in quo Ionas clamavit, et qui eum post orationem evomuit, patet ex v. ult. ubi piscis evomens Ionam in littus vocatur dag masculine, non daga fœminine. Dag ergo piscem tam fœminam, quam marem significat; perinde ut Latine voces piscis, avis, ovis, camelus, equus, asinus, bos, vitulus, etc. tam fœminam, quam marem significant: sic vicissim fœmininum daga quoslibet pisces, tam mares, quam fœminas significat, ut patet Isaiæ 50. 2. Num. 11. 5. Ezech. 29. 4. Gen. 1. 26. Exodi 7. 20. Ezech. 47. 9. Sic Latine voces simia, mustela, vulpes, aquila, pica, columba, etc. licet fœmininæ sint, tamen tam mares, quam fœminas suæ speciei significant.

Fabula  
R. Salomonis.

Tropol. S. Greg. in ps. 6. Pœnit. *De profundis clama vi ad te Domine: Clamavit, ait, Ionas ad Deum de ventre ceti; de altitudine maris, de profundo inobedientiæ; et ad aures Dei oratio illius pervenit, qui eum eruit a fluctibus, eripuit a bestia, absolvit a culpa. Clamet et peccator, quem a Deo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbit, quem præsentis sæculi fluctus involvit, agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum suum perveniat oratio.*

ET EXAUDIVIT ME.) Nota. Ionas missus in mare oransque Dominum, illico sensit præsentem eius opem, qua a mari, æque ac a ceto illæsus servabatur in eius ventre. Unde ex instinctu Dei certus de sua salute, gratias agit

Deo, carmenque hoc magis eucharisticum, quam eueheticum canit Deo liberatori.

DE VENTRE INFERI.) Puta de ventre ceti, quem hyperbolice vocat inferum, ob magnitudinem, profunditatem et obscuritatem.

IN CORDE MARIS.) In medio sive profundissimo mari; illud enim amant et incolunt ceti, utpote vastissimi: quod enim est in animali cor, hoc in mari est profunditas, in terra centrum. Unde Christus Matth. 12. 40. post mortem dicitur fuisse tribus diebus in corde terræ, id est, in limbo Patrum, qui est circa infernum, et circa centrum mundi. Ita S. Hieron. *Sicut cor, inquit, in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur.*

Vers. 4.

FLUMEN.) Septuag. *flumina*, non quod cetus hic per flumen aliquod in mare influens transierit, cuius influentis sonitum in ventre ceti audierit Ionas, ut Arias et alii volunt, sed *flumina* vocat ipsos fluctus, et aquarum affluentiam: ceto enim iam in mare se immergente, iam emergente, copia aquarum instar fluminum resonantium undique in mare influebat, audiente Iona, inquit, Theophyl. Albert. et a Castro. Ipse enim cursus et fluxus aquarum subinde vocatur flumen, ut apud Martialem l. 1.

*Et qui prima bibit depreasi flumina Nili.*

Alii per flumen accipiunt mare, ut sit miosis. Sic Aristot. in Meteor. nubes vocat flumen acreum, sive oceanum per aera fluitantem.

Nota. Hoc Ionæ carmen valde affine est verbis et sententiis Psal. 68. Davidis, et ex eo bona ex parte depreoptum videtur. Quod enim ibi dicitur v. 4. *Laboravi clamans: Ionas ait, Clamavi de tribulatione mea.* Ibi v. 2. dicitur: *Inflexus sum in limo profundi, et non est substantia: Ionas ait, Proiecasti me in profundum in corde maris.* Ibi v. 3. dicitur: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me: Ionas ait, Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt, quem versum mutatus est ex Ps. 41. 8. Ibi David dicit v. 1. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: hic Ionas ait, Circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me.* Quocirca tam David, quam Ionas typum gessit Christi patientis, eiusque angustias, preces, vota et gemitus in se expressit.

OMNES GURGITES TUI.) Pagnin. *omnes undæ tuæ*; Septuag. *omnes elevationes tuæ*; hebr. משברך misbarcha, id est, omnes contritiones tuæ, puta omnes fluctus tui, qui naves et homines in iis navigantes conterunt et confringunt. Accipe commode τὸ omnes, scilicet quos tu o Domine hic propter me excitasti; alios enim alibi excitatos non sentiebat Ionas.

EGO DIXI, ABIECTUS SUM.) q. d. In tam miserabili statu constitutus, videbar mihi initio a te derelictus, depositus et perditus: at nunc per revelationem quam mihi suggeris, nimirum quod ex alvo ceti brevi in terram salvus evadam, in spem certam erectus, animos resumo, tibi gratias quantas mens mea capere nunc potest, ago, maioresque agam in templo Hierosolymitano, ad quod me iturum eius rei gratia destino et voveo. Ita S. Hier. Remig. Hugo et Clarius. Minus recte Arias et Vatabl. per templum accipiunt cælum; hoc enim anagogicum est, non litterale: nec enim Ionas putabat se moriturum et per mortem iturum in cælum, utpote qui certus erat se salvum exiturum e ventre ceti; unde non dubium est, eum in Iudæam redisse et templum visisse, uti n eo Deo gratias ageret, pro tam miraculosa liberatione, vota que a se in ventre ceti nuncupata persolveret.

Vers. 5.

CIRCUDEDERUNT ME AQUÆ USQUE AD ANIMAM.) Septuag. *circumfusa est mihi aqua usque ad animam*, q. d. Aquæ me ita undique circumdebant, ut viderentur penetraturæ totum corpus meum et pervasuræ per oculos et nares in caput, per os in stomachum omniaque intestina, per poros in singula membra, ita ut viderentur perventuræ usque ad ipsam animam, eamque mersuræ et oppressuræ, ni Deus eas colubnisset, animamque meam servasset: cetus enim assidue hauriebat aquas, eis que implebat stomachum, quæ Ionam in eo degentem undique circum-

Vers. 6.

dabant, et tantum non submergebant. Unde Vatabl. exponit, *usque ad animam*, id est, usque ad separationem animæ, id est, *usque ad mortem*, ut vertit Chald. q. d. Periclitatus sum extreme de vita, cum essem in aquis maris; putabam enim me aquis vel mergendum, vel certe sullocandum: utpote aere ad respirandum necessario privatus in ventre ceti calidissimo, et aquis oppleto.

**ABYSSUS VALLAVIT ME.)** Pagnin. *vorago circumdedit me.* *Abyssus* enim vocatur aqua carens fundo, id est, vastissima et profundissima, quale est mare. Idem dicit, et aquarum circumdantium vastitatem aliis aliisque verbis exaggerat. Aliter a Castro: *Abyssus*, ait, est maris profundum, puta fundus, q. d. Usque ad maris pavimentum dimisit me. Verum hebr. *תְּהוֹם* *tehom* proprie significat non fundum, sed abyssum iam dictam.

**PELAGUS OPERUIT CAPUT.)** Pro *pelagus* hebr. est *סוּף* *suff*, quod proprie significat finem et terminum, inde iuncum, carieem, arundinem, algam quæ in extremitate maris et fluminum nasci solet; et quia his abundat mare rubrum, quod simul est terminus tum maris, tum Ægypti et Arabiæ, hinc illud hebr. vocatur *mare suff*. Ex triplici hoc significato triplex nascitur versio. Prima, *finis colligatus erat capiti meo*, id est, mors et exitum imminabat capiti meo. Secunda, *algæ alligata erat capiti meo*; ita Pagnin. vel *carcetum implicatum erat capiti meo*; ita Tigurina; vel *iunctum erat fascia capiti meo*; ita alii, q. d. Cetus me secum implicabat iuncis et calamis qui in summo, et algis quæ in imo maris nascuntur. Aut, cetus devorabat algam, quæ descendens in eius stomachum, me caputque meum implicabat. Plinius enim lib. 13. c. 23. docet in mari non tantum esse frutices et arbores, sed et prata ac sylvas. Tertio, Rabbini vertunt, *mare rubrum implicavit caput meum*. Unde censent ipsi Ionam qui in Ioppe devoratus fuit a ceto, ab eo veutum et eiectum fuisse in mari rubro, ad hoc ut Ionas vicinior esset Niivæ, ad quam mittebatur a Deo. Audi R. Salomonem: *Ostensus est Prophetae mare caricosum, et quomodo transissent Israelitæ per medium eius. Erant enim pisci illi septem oculi, qui Ionæ totidem fenestrarum usum præbuerunt, et per illos contemplabatur et videbat quidquid erat in mari.* Voluit enim Deus Ionam afflictum et pene desperantem hac ratione consolari, et in certam opis Dei spem erigere. Verum hæc est fabula: sic enim cetus spatio tridui (quo Ionas fuit in eius ventre) debuisset transire totum mare Mediterraneum, a Ioppe usque ad Gades, inde circumire totam Africam: inde promontorium Bonæ spei, inde Mozambiqueum, Quiloam, Melindem, Zocotoram; ac tandem tendere Adenum, ubi incipit sinus Arabicus sive mare rubrum, quod est iter dimidii anni et amplius. Respondet P. Pineda, qui sententiam Rabbiorum sequitur, et multis coniecturis tuetur lib. 4. de Rebus Salom. c. 12. pisces carcharias, sive tuberones esse velocissimos. Verum nulla velocitas est tanta, quæ tantum iter triduo conficiat. Dico ergo, mare Phœnicium et Tyrium quod est iuxta Ioppen, vocari mare *suff*, id est, rubrum sive Erythræum, quia Phœnices ipsi dicebantur Erythræi, eo quod orti et prognati essent ab accolis maris rubri, uti dixi Isaia 23. v. 16. Imo vox *Phœnices* non aliud significat quam rubros, ait Strabo. Adde, iuxta secundam expositionem, qua *suff* idem est quod *algæ*, iuncus, earectum, metonymice quodvis mare finitum et limitatum vocari *suff*, quia est algosum, iuncosum, carectosum, et quia est finitum: *suff* enim finem significat. Ita Pineda l. 3. de Rebus Salom. c. 10. et alii. Unde Chald. vertit, *mare carectosum suspensum erat capiti meo.*

Porro pro *operuit* hebr. est *חָבַשׁ* *chabus*, quod duo significat: primo, *alligatum est*, et sic proprie competit algæ vel iunco; secundo, *impositum est*, et sic proprie competit pelago. Unde Noster recte sensum expressit, dum vertit, *pelagus operuit caput meum*, q. d. Sub undis versor, undæ undique me legunt et operiunt, nec tantum undæ, sed et ipse pontus quantum quantus est, ipsum pelagus vastum et quasi immensum, capiti meo impendet, illudque tegit et operit.

**AD EXTREMA MONTIUM DESCENDI.)** Hebraice *בְּקִצְבֵי* *beqetsbe*, id est, ad fissuras, vel incisuras montium. Ita Septuag. et Tigurina, id est, ad extrema, ad fines montium. Ita Noster, Pagnin. et Vatabl. fissuræ enim montium sunt fines et extrema montium, quæ in mari promontoria vocantur, q. d. Cetus hic nataando vexit et duxit me ad rupes, montes et promontoria, eorumque fissuras et cavernas. Loca enim montosa ambiunt ceti, ibique ferre morantur, quia ibi mare est profundius. Ita Theodor. Theophyl. et Vatabl. littus enim Ioppe (unde Ionas solverat) ex utroque latere habet prominentes rupes, saxaque ingentia, quæ cum de imo mari surgant, in mare excurrunt tamen, ait Hegesippus lib. 3. Excidii Hierosol. c. 20. Hic ergo Ionas proiectus in mare descendit in abyssum, ex qua erumpunt scopuli iam dicti, qui naufragio omnem enatandi et evadendi viam præcludunt, illique vocantur hic a Iona *extrema montium*, sive rupium, ac mox *vectes*, sive repagula, tum maris, quod claudunt et quasi obserant; tum hominum, ne enatare et in terram ac libertatem exire possint. Ita Sanchez.

**TERRÆ VECTES CONCLUSERUNT ME IN ÆTERNUM.)** Quæ paulo ante vocavit *extrema montium*, hic vocat *vectes terræ*; hisce enim rupibus, montibus et cavernis velut vectibus concludebatur Ionas, ne e ceto et mari emergere posset in æternum, nisi scilicet Dei potentia inde per miraculum eum eduxisset. Unde Septuag. vertunt, *intravit caput meum in scissuras montium, descendit in terram, cuius vectes retinacula sempiterna.* Ecce quo descendit Ionas: ecce unde Dei ope ascendit. Hic verum est istud: *abyssus mei casus, descensus, miseriæ, abyssum tuæ, o Domine, sublimitatis, celsitudinis, potentiæ, misericordiæ et gloriæ invocat.* Idem dicat qui tribulationibus premitur et pene obruitur. Quo enim maior est tribulatio, eo vicinior est Deus ad liberandum si invocetur, iuxta illud Psaltis: *Tibi derelictus est pauper.* Sic Regularium claustra, ait Sanchez, quæ sæcularibus videntur esse carceres mortis, Religiosis perfugium sunt et portus, in quibus ipsi quasi in arca Noe securi, sæculares in æstu ac salo naufragantes aspiciunt.

**ET SUBLEVABIS.)** q. d. Licet ego in abyssum descenderim ibi corrupendus et moriturus, tu tamen Domine inde me educes et liberabis, faciesque ne moriar, sed salvus exurgam.

Allegorice hæc omnia verissima sunt in Christo, eique hæc omnia adaptare perfacile est. Ita S. Hieron.

**CUM ANGSTIARETUR IN ME ANIMA MEA.)** Chald. *cum* *deliquio laboraret in me anima mea.* Videtur ergo Ionæ angor et angustia tanta fuisse, ut eum ad animæ deliquium deduxerit.

Allegor. Ionas, ait S. Hieron. repræsentat hic angustias et orationem Christi in horto dum diceret, *Tristis est anima mea usque ad mortem: Pater si possibile est, transeat a me calix iste.*

**UT VENIAT AD TE ORATIO MEA AD TEMPLUM SANCTUM TUUM.)** In cælum, q. d. Admisisti orationem meam ad te in cælum, eam exaudisti; unde et me liberasti.

**QUI CUSTODIUNT VANITATES FRUSTRA, MISERICORDIAM SUAM DERELINQUUNT.)** Primo, Arias et aliqui alii pro *הַבְּלִי* *hable*, id est, *vanitates*, legentes *חֲבֵלֵי* *chable*, id est, *funes*, ac *חֶסֶד* *chesed*, quod Noster vertit, *misericiordiam*, vertentes, *pietatem* (utrumque enim significat) id est, impietatem per antiphrasin, sic transferunt: *Qui custodiunt funes vanitatis, pietatem suam sacrilegam derelinquent*, quod sic exponunt, q. d. Nautæ et Ninivitæ aliique Gentiles colentes vana idola, ubi intellexerint miraculum hoc Dei Hebræorum, quo me e ceto liberavit, relinquent suam impietatem et idololatriam, colentque Deum verum Ionæ et Hebræorum.

Secundo, Theodor. expouit, q. d. *Nautæ idololatræ misericordiæ suæ oblitæ, me in mare proiecerunt.* Verum ex dictis c. 1. liquet nautas fuisse pios et misericordes in Ionam, eumque invitos et non nisi iubente Deo et Iona misisse in mare.

Tertio, melius S. Hieron. Rupert. et Vatabl. q. d. Qui

An Ionas eiectus in mari rubro.

custodiunt vanitates, id est, qui colunt idola, *miseriordiam*, id est, Deum a quo misericordiam et omne bonum expectare debent, a se avertunt, mortemque et omne malum sibi conciliant. Unde generalius iidem per *vanitates* accipiunt vanas et illicitas cupiditates, quæ nihil habent veræ et solidæ voluptatis aut fructus, q. d. Peccatores qui vanas suas cupidias quasi res pretiosissimas adamant et colunt (hoc enim innuit vox *custodiunt*) hi *suam misericordiam derelinquunt*, id est, in se sunt immisericordes et crudeles, quia mortem et exitium sibi accersunt. Hic sensus sapidus est et appositus: videtur enim generalis esse sententia et gnome. Unde S. Hieron. *Cerne*, ait, *magnanimitatem Prophetæ in profundo maris, in ventre tantæ bestiæ æterna nocte coopertus, non cogitat de periculo suo, sed de natura rerum generali sententia philosophatur; Misericordiam, ait, suam derelinquunt. Licet offensa sit misericordia, quam nos possumus ipsum intelligere Deum (miseri-cors enim et miscrator Dominus, patiens et multæ misericordiæ) tamen eos qui custodiunt vanitates non relinquit, non detestatur, sed expectat ut redeant. Illi vero stantem misericordiam, et ultro se offerentem, sponte propria derelinquunt.* Huc accedit P. Pineda, qui lib. 8. de Rebus Salom. c. 1. n. 29. sic explicat, q. d. Ab idolorum mendacium et vanissimorum cultoribus nihil boni exspectandum, quippe postulant beneficia a mortuis, et deserunt ipsum honorum fontem et largitorem Deum.

Quarto, proprie et genuine, alludit ad nautas suos infideles, eorumque sortes et idola: eos enim post missionem Ionæ in mare, et tempestatis cessationem agnovisse Deum Hebræorum, ad eumque esse conversos ignorabat Ionas agens in ventre ceti. Unde de iis quasi in sua idololatria persistentibus, ac similibus ait: *Qui custodiunt vanitates, misericordiam suam derelinquunt*, q. d. Nautæ et similes idololatræ qui colunt vanas suas sortes et idola, liberati a tempestate et naufragio, ac misericordiam consecuti a Deo vero, illam non agnoscent, nec ei acceptam referent, aut gratias agent, sed ingrati in sua infidelitate et impietate persistent: unde gratiam et misericordiam Dei tum præsentem, tum æternam a se avertent. Ego vero iam ex Dei ope et revelatione certus de misericordia et liberatione mihi præstanda, eam agnoseo, gratias ago Deo meo, ideoque mox ut liberatus fuero, et in patriam rediero, in voce laudis immolabo illi victimas pacificas, vota que concepti illi reddam pleno mentis orisque iubilo: itaque eandem Dei misericordiam ad nova semper beneficia mihi conferenda tum in hac vita, tum in futura, alliciam et provocabo: prout nunc in ventre ceti eam invocans allexi et conciliavi. Ita Hebræi (quos sequitur Emmanuel et Mariana) ex quibus aliqui sic vertunt, *qui custodiunt vanitates, non recordantur beneficiorum tamquam ingrati*; et Chald. qui vertit, *non instar Gentium idololatrarum, quæ quo ex loco conferatur illis beneficium nesciunt: at ego in laudem confessionis offeram oblationem meam coram te.* Hinc rursus apte ex Hebræo verti potest, *qui custodiunt vanitates frustra, pietatem suam derelinquunt*, q. d. Qui suas sortes, sua idola, suas venter frustra et in vanum colunt, hi impii et ingrati sunt in Deum, a quo vitam, spiritum omneque bonum acceperunt et accipiunt. Hunc sensum postulat antithesis Ionæ, quæ sequitur:

Vers. 10.

**EGO AUTEM IN VOCE LAUDIS, id est, laudando te, IMMOLABO TIBI.** ) q. d. Idololatræ obliviscuntur Dei, a quo tot bona percipiunt; at ego non obliviscar, sed eucharisticas preces et victimas illi offeram, atque quasi naufragus, et ex horribili naufragio eiectus, *avida suspendam vestimenta* (quasi anathemata) *potenti maris Deo.*

**PRO SALUTE DOMINO.** ) Ita et Septuag. Verum Pagnin. et Vatabl. vertunt, *ipsa salus Domino*, id est, ad Dominum spectat, q. d. Nullus præter Dominum salvare potest, uti ipse solus in ventre ceti me servat et salvat.

Vers. 11. Ubi eiectus Ionas.

**ET DIXIT (mandavit, ordinavit) DOMINUS PISCI, ET EVOMUIT IONAM IN ARIDAM.** ) Censent nonnulli, ut Sulpitius lib. 1. Hist. in Iona, et insinuat S. Greg. 1. 6. Mor. c. 12. verbis citatis cap. 1. 3. cetum evomuisse Ionam ad

littora Ninivæ. Verum hoc repugnat chorographiæ, ex qua liquet Niniven abesse a mari centum leucis, et amplius. Secundo, Iosephus lib. 9. Antiq. 11. et ex eo Clarius, tradunt Ionam a ceto evomitum in Ponto Euxino, cui adiacet Constantinopolis. Verum et hoc incredibile videtur; nam spatium tridui quo Ionas fuit in ventre ceti, non potuit cetus tanta terrarum mariumque spatia peragrare. A Ioppe enim usque ad Pontum Euxinum interiacet tota Asia Minor: debuisset ergo cetus tranare totum mare Mediterraneum, inde omnes Cycladas; inde totum mare Ægæum, sive Archipelagum; inde Propontidem longam et anfractuosam; inde Bosphorum Thracium, ac sic ingredi Pontum Euxinum, quod iter nec tribus diebus, nec tribus septimanis, nec tribus mensibus confici potest. Longius abest a Ioppe mare rubrum, in quod eiectum Ionam Rabbini putant, sed falso, ut dixi v. 6.

Dico ergo, Ionam eiectum iuxta Ioppen (unde solverat) in littas Phœnicæ et Syriæ, indeque terrestri itinere rediisse in vicinam Iudæam, adiisque templum in Ierusalem, ibique gratias Deo egisse, et vota sua persolvisse. Hoc enim tantum beneficium et miraculum autè omnia fieri possebat. Rursus decebat eum ex terra sancta mitti et pergere in Niniven, non ex Ponto Euxino, ad hoc ut constaret eum esse Prophetam Dei veri, cuius solium æque ac Prophetæ erant in Ierusalem. Adde, ex Iudæa in Ninive facilius et planior erat via; sola enim Mesopotamia interiacens transeunda erat; hæc autem plana est: ex Ponto vero Euxino transeundi erant montes ardui Armeniæ et Amanus, estque iter trecentarum leucarum usque ad Niniven. Ita Mariana et alii.

Allegor. Ionas absorptus a ceto, et tertio die sibi et terræ redditus, expressius quam nullus Propheta, non verbo, sed facto representavit passionem et resurrectionem Christi. Quocirca Christus eandem probat et confirmat ex hoc Ionæ oraculo, Matth. 12. v. 40. Unde S. Hier. *Quod autem, inquit, scribitur, Evomuit εὐνοῦτερον, debemus accipere, quod ex inis vallibus mortis victrix vita processerit.*

Audi S. August. singula adaptantem l. 4. de Symbolo ad catech. c. 6. *Missus Ionas ad civitatem Niniven ut eius finem prædicaret, missus est Christus a Patre ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Ionas in Tharsis a facie Domini, fuga Ionæ velox transitus Christi, de quo dicit Propheta, Exultavit ut gigas ad currendam viam. Ascendit navem Propheta fugiens, lignum Christus ascendit per mare huius sæculi transiens. Irruit tempestas magna in mari; perturbatio maris, perfidia Iudæorum. Data est sors ut Propheta fugitivus in mare mitteretur; sors data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Proiectus est e navi in mare Ionas, mors Christi in cordibus Gentium collocata est. Susceptus est a bestia Propheta custodiendus, non comedendus; audi hic ipsius vocem Christi per sanctum David: Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestiæ marinæ positus oravit Ionas; sanctus in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die Propheta littori incolumis est redditus, die tertia Christus de sepulcro surgens super cætos est exaltatus. Ad prædicationem Ionæ Prophetæ per pœnitentiam salvata est civitas, per Christi prædicationem sancta Ierusalem redempta est civitas.*

Tota historia Ionæ applicatur Christo.

Eleganter quoque Eusebius Emissenus hom. 2. de pascha pag. 261. vel quisquis est auctor: nam homilias istas non esse Eusebii Emisseni Syri, satis liquet ex stylo, qui non Syram, sed Latinam redoleat phrasin, imo elegantiam. Baronius in annot. ad Martyr. Rom. die 16. Novemb. opinatur esse Eucherii Lugdunensis, Bellarm. 1. de Script. Ecclæ. tribuit Fausto Regiensi, alii Cæsario, alii Maximo Taurinensi; Galesinius in Martyrol. notat 24. April. ascribit Eusebio Gallo. Certe ex ipsius homiliis liquet Auctorem fuisse Gallum ex monasterio Lirinensi, qui postea videtur creatus Episcopus. Hic ergo Auctor sic ait: *Ionas iram Domini prædicaturus, ad magnam Ninivitarum destinatur urbem, dicturus: Post quadraginta dies et Nini-*



re subvertetur. Et Christus ad mundi mittitur civitatem, ut diem salutis et præfinitum iudicii tempus adveniet. Ionas narem expetit, Christus Ecclesiam. Ionas fluctibus agitatur, et Christus mundi turbinibus exercetur. Nisi Ionas perditum detur, naufragæ navis periculum non sedatur: sic et non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte salvetur. Nautæ dimissuri Ionam, tamen verentur et dicunt: Domine, ne des super nos sanguinem innocentem: nonne nobis videtur nauarum imprecatio, Pilati esse confessio, qui tradidit Christum, et tamen lavat manus suas, et dicit; Mundus ego sum a sanguine iusti huius? Quam congrue per personam Gentilem fides Gentium prædicatur! Dicit itaque Ionas in oratione sua: Tolle igitur Domine animam meam, quia melior est mihi mors quam vita. Dical hoc rebus Dominus noster Iesus Christus: Quia melior est mihi mors quam vita: id est, vivens unam ludæorum gentem utpote incredulam, salvare non potui: moriar ut universus mundus una morte salvetur. Cætera deinde accommodans ita prosequitur: Ionum cetus piscis excepit immersum, sed non contigit devoratum, et quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodivit; plenus visceribus famem patitur, et in prædam quam absorbit nil sibi licere miratur. Quis est iste, qui intra avidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est; traditur perditionis profundo, et servatur ipsius mortis obsequio. Quis est iste qui vastissimis sinus periculorum tutus ingreditur, et sub altitudine conclusus immensu atque mortifera, vitali aere pascitur, et demissus in alienum rerum naturam, in vitæ exilio cum vita peregrinatur, in absolutione et conservatione gentis unius, et in Deum reconciliatione reparandi sæculi gloriam naufragus præfert, et mortis suæ superstes, annunciat venturam mundi salutem? Puto quod hic est Dominus noster Iesus Christus, quem salva mors inexplebilis bellua in escam rapuit, et prædam suam captiva contremuit: contremuit inquam, nam etsi noverat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna, sed causa. Quasi solitum cibum perditum in mundi origine hominem devoravit: sed mirum esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognovit. Atque ideo divinus sermo commemorat: Et præcepit Dominus pisci, et evomit Ionam in aridam. Præcepit ergo bestiæ, præcepit morti semper esurienti, præcepit abyssis et inferno ut mundo restituant Salvatorem. Evomit autem hoc debemus accipere, quod ex imis visceribus mortis victrix vita remeaverit, atque eam ex imis præcordiis inferni perditio exulcerata reddiderit. Vide et Petr. Chrysol. Archiep. Ravennatem serm. 37. qui lotus est de Iona et Christo.

Tropol. qui curant animas periculis a Deo eximuntur.

Tropol. S. Chrysost. hom. 25. de amore proximi tom. 4. ex facto Ionæ docet, Prophetam, id est, prædicatorem et virum Apostolicum, non debere quærere suum honorem, suam quietem, sua commoda, sed Dei gloriam, et salutem animarum, eum suo incommodo et periculo: Deus enim illi aderit, eumque a periculo non tantum salvum, sed et gloriosum quasi multorum salvatorem, educet. Ionas enim fugiens periculum prædicationis et salutis animarum, incidit in propriæ vitæ periculum, utpote iactatus in mare. Idem vero in navî commune periculum in se suscipiens, et se et navim salvavit. Fugit ergo ut homo, periculo vero sese obtulit ut Propheta, ait Chrysost. Idem cogitavit et faciavit qui vel a Deo, vel a Superiore mittuntur ad prædicandum hæreticis, Indis, Barbaris: ad audiendum confessiones, præsertim feminarum. Qua de re extat illustre exemplum apud Palladium in Lausiaca cap. 35. de Abbate Elia, qui cum trecentis monialibus præesset, ideoque sentiret stimulum carnis, præfectora earum se abdicavit: sed a tribus angelis eum in visione castrantibus iussus eam resumere, deinceps per quadraginta annos earum curam gessit eum tanta quiete et castitate, ut nunquam libidinis tentationem senserit. Nostræ Societatis founder S. Ignatius dicebat: Si Deus mihi optionem daret vel illico moriendi, et eundi ad cælum, vel adhuc vivendi, et eius gloriam promovendi, sed cum meæ salutis incertitudine et periculo; eligerem adhuc vivere et Dei glo-

riam promovere: quia non dubito quin Deus omne hoc periculum, quod eius amore despicio, in se susciperet, illudque mihi longe magis assecuraret. S. Xaverius in Mauricæ insulas proficiscens, cum amici ei hoc iter dissuaderent, proponerentque pericula æstus, famis, barbarorum incolarum, qui ferro et veneno sæviebant, etiam in suos; respondit longe mains periculum sibi et cari, si Deo ad eas vocanti non obediret. Profectus ergo, in una urbe Tolo 25. hominum millia Christo adiunxit, tantaque animi lætitia perfruitus est, ut inde scribens dicat: Hæc omnia pericula et labores unius Dei causa sponte suscepti, thesauri sunt dicinis maximisque gaudiis refertissimi, ut hæc insula in primis apposita ad oculatorum aciem ex iucundissima lætigrarum ubertate perdendum esse videatur. Equidem nunquam me tot, tantis, ac tam continuis animi voluptatibus circumfluere memini, prorsus ut omnem laborum et ærammarum sensum obruant. Nimirum sentiebat illud Ps. 93. 22. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Et illud Ps. 22. 4. Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Ita refert in eius Vita Tursellius lib. 3. cap. 2. et 3. Ratio est prima, quia, cum Deus aliquem vocat ad officium, vel statum, cuius institutum est vacare salutis proximorum, simul dat gratiam et media ad hunc finem non tantum necessaria, sed et commoda ac opportuna. Hoc enim poscit eius providentiæ suavis et exacta dispositio. Ita sponsam, id est, Ecclesiæ viros primarios, vocat Cant. 2. Sarge, propera amica mea. Quo? haud dubie ut lucra animarum, ait S. Bern. serm. 57. et 58. in Cant. his enim sponsus dicit, id quod Absalon suis servis ait: Nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis, 2. Reg. 13. v. 28. Hoc sciebat S. Paulus, qui proinde intrepidus invadebat se periculis, dicens: Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, 2. Cor. 3. 5. Potens est enim Deus nos omni periculo eripere, uti eripuit Davidem Psal. 5. 13. Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos; et S. Paulum 2. Cor. 4. 4. et Daniele de laeu leonum; et tres pueros de fornace Babylonia; et Ionam de ventre ceti.

Secunda, quia mains a Deo iudice nobis instat periculum, si eius vocationem fugiamus, uti fecit Ionas; si eius talentis nobis conceditis ad eius voluntatem et gloriam non utamur. Nota est parabola servi defodientis talentum, qui damnatus a Domino audivit: De ore tuo te iudico serve nequam, etc. quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usaris utique exegissem illa? Luc. 19. 22. de quo vide S. Aug. lib. de fide et oper. cap. 17. Huc facit illud S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 3. Videamus ne reddamus rationem pro otioso silentio. Est enim et negotiosum silentium, uti fuit in Susanna silenter Deum invocante, Daniel. 13. 35. Est et silentium otiosum, uti est eorum qui tenentur loqui, docere, corripere, exhortari alios. Sicut ergo libertas libertate perit, quies quiete, otium otio; ita ex adverso periculum non nisi periculo propulsatur, ac pax inter hostes non nisi bello paratur, et otium negotio.

EVOMIT. ) Hæc vox significat Ionam ita gravasse, arctasse, impedisse respirationem, et allixisse ventrem ceti, ut coegerit eum evomere, sicut stomachus cibum noxium a quo lancinatur et alligitur, eum violentia reiiciens evomit. Ita Christus descendens in mortem et infernum ita ea allixit, ut non tantum coegerit ea se revomere, sed etiam ut ea occiderit, perinde ac iehneumon per os intrans in ventrem crocodili, eum erodit et occidit, teste Plinio l. 8. c. 25. Hoc est quod ait Osee 13. 14. Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero inferne.

Ex hoc loco censent nonnulli, Ionam fuisse unum e Sanctis qui resurrexerunt cum Christo, ac eum eo tam in corpore, quam in anima gloriosi ascenderunt in cælum, Matth. 27. 52. Si enim Adam, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moses, David, Iob resurrexerunt: ergo et Ionas. Nam ipse præ cæteris solus resurrectionem Christi tertio die futuram prophetavit, et reipsa representavit, dum tertio

die e ventre ceti, quasi e sepulcro redivivus surrexit. Ipse ergo aptissimus erat testis resurrectionis Christi, poteratque dicere Iudæis: ego sum Ionas, qui olim resurrectionem Christi prædixi, ac proinde missus sum a Deo, ut idipsum iam peractum esse tester. Testor itaque hunc esse Christum a me prænunciatum, eumque vere tertio die a morte suscitatum esse, sicut ego tertio die e ventre ceti suscitatus sum, ut hanc eius suscitationem præfigurarem. Ita Pineda in Iob c. 19. 26. ubi ex illis verbis Iob: *Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum*, probabiliter colligit, Iob resurrexisse cum Christo. Hic enim est Iesus, id est, Salvator, quem se visurum prædicat, ob meritum tot tantarumque afflictionum, quibus Christum patientem repræsentavit.

Ionas in-  
dex re-  
surre-  
ctionis.

Anagog. ex Iona e ceto redivivo probat resurrectionem corporum S. Irenæus lib. 5. contra hæres. c. 5. et l. 3. c. 22. ubi simul ex eodem ostendit magnificentiam Dei perfici in infirmitate et obedientia hominis. *Sicut enim, ait, patienter sustinuit absorberi Ionam a ceto, non ut absorberetur et in totum periret, sed ut evomit magis subigeretur Deo, et plus glorificaret Deum, qui insperabilem salutem ei donasset; et firmam pœnitentiam faceret inimicis, ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret a morte, contritos ab eo signo quod factum erat circa Ionam, quem admodum Script. de his dicit: Et reversi sunt unusquisque a via sua mala, etc. Sic ab initio patiens Deus hominem absorberi a magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed præstruens et præparans ad inventionem salutis, quæ facta est a Verbo per signum Ionæ his, qui eandem cum Iona de Deo sententiam habuerunt, et confessi fuerunt et dixerunt: Servus Domini ego sum, et Dominum Deum cæli ego colo; ut insperabilem homo a Deo percipiens salutem, resurgat a mortuis et cla-*

*rificet Deum, etc. Et inferius: Hæc ergo fuit magnanimitas Dei, ut per omnia pertransiens homo, et morum agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem, et experimento discens unde liberatus est, semper gratus existat Domino. Cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intelligat autem et Dominum, quoniam in tantum immortalis et potens est, ut et mortali immortalitatem, et temporali æternitatem donet. Sic et Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 58. eandem probat exemplo Ionæ, qui vixit in alvo ceti; in quo, ait, naufragia digerebantur; et trium puerorum, qui in fornace Babylonia ab igne manserunt illæsi; atque Eliæ et Henoch: Qui, ait, nedum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; et hoc ipsam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni iniuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta? Quocirca Ionæ in ceto sepulto, indeque resurgenti similis fuit S. Maternus, S. Petri discipulus, qui ab eo missus cum S. Eucherio et Valerio Treverim ad evangelizandum, in ipso itinere Helli apud Selestadium febris valida correptus defunctus est. Socii ad S. Petrum regressi ab eo baculum acceperunt, quem S. Materno quadragesimo die a morte applicantes, eum resuscitarunt; ac postea ipse totidem annis supervixit, fuitque Apostolus et Episcopus Trevirensium et Coloniensium, quot diebus iacuerat in sepulcro, puta quadraginta: ita habet eius vita, et Chronica Leodiensium, et Otho Frising. lib. 3. Chron. c. 15. qui tamen pro diebus 40. ponit 33. Sicut ergo Ionas e ceto eiectus 40. diebus Ninivitis, ita S. Maternus resurgens 40. annis prædicavit Trevirensibus, aliisque Germauis et Gallis pœnitentiam.*

Uti et E-  
lias et  
Henoch.

Et S. Ma-  
ternus?

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Jonas prædicat, Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur: Ninivite cum suo rege agunt pœnitentiam in ieiunio, cilicio, et cinere. Hinc Deus eis parcit.*

1. **E**T factum est verbum Domini ad Ionam secundo, dicens: 2. Surge, et vade in Niniven civitatem magnam: et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. 3. Et surrexit Ionas, et abiit in Niniven iuxta verbum Domini: et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. 4. Et cepit Ionas introire in civitatem itinere diei unius: et clamavit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. 5. Et crediderunt viri Ninivite in Deum: et prædicaverunt ieiunium, et vestili sunt saccis a maiore usque ad minorem. 6. Et pervenit verbum ad regem Ninive: et surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. 7. Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum eius, dicens: Homines, et iumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines, et iumenta, et elament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. 9. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus: et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? 10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

Vers. 1. **E**T FACTUM EST VERBUM DOMINI AD IONAM SECUNDO.) **C** Videtur Ionas e ceto liberatus statim adiisse Ierusalem et templum, ut vota sua Deo solveret: simul sperabat Deum hac sua pœna et pœnitentia contentum fore, nec amplius ursurum ut pergeret in Niniven: cum ecce secundo Deus cum mittit, aitque:

Vers. 2. **SURGE, ET VADE IN NINIVEN, ET PRÆDICA PRÆDICATIONEM (minas excidii) QUAM EGO LOQUOR.** ) Septuag. *locutus sum c. 1. 2.*

Allegor. sicut Ionas e ceto quasi resurgens prædicavit Ninivitis, ita Christus post resurrectionem suam per Apostolos prædicavit Gentibus: ita S. August. cuius verba recitavi c. 2. v. 11.

Vers. 3. **ET NINIVE ERAT CIVITAS MAGNA.** ) Hebr. et Septuag. *magna Deo; Chald. magna coram Domino*, id est, revera magna, et magna valde, ut vertit Pagnin. magnum enim est, non quod hominibus qui parva mirantur, sed quod

Deo opt. max. magnum videtur; ideoque Deus tanti Niniven eiusque salutem fecit, ut ea de causa eo miserit Ionam, et pœnitenti pepercit, uti ipse ait cap. 4. 11. ita Theodor. Errat Suidas verbo *Semiramis*, ubi ait Niniven eandem esse urbem cum Babylone. Ninive enim fuit regia Assyriorum, adiacens Tigri; Babylon Chaldæorum, adiacens Euphrati. S. Hier. vertit, *Ninive erat civitas magna Dei*, id est, maxima. Quæ enim Dei sunt, maxima sunt: sic vocantur cedri et montes Dei, id est, maximi et altissimi. Aliter a Castro: *Dei*, inquit, id est, divina, hoc est omnibus numeris absoluta, sicut Deo nihil deest, isque absolutus et perfectus quaquaversum est.

**ITINERE TRIUM DIERUM.** ) Ita et Syrus, et Arabicus uterque. Primo, S. Hier. Haymo et Remigius id accipiunt de circuitu Ninives. Erat enim, inquit S. Hier. *tanti ambitus ut vix trium dierum posset itinere circumiri*. Secundo, q. d. Itinere tridui opus erat ad hoc, ut quis omnes

eius vicos et plateas perambulare. Unde ex Hebr. verti potest, *Ninive erat trium dierum perambulationis*: ita Theophyl. Lyran. Vatabl. et alii. Verum hoc exilius videtur, quam ut ob id Ninive vocetur civitas magna Dei, cum etiamnum multæ sint urbes non adeo magnæ, quæ tot habent flexus et relexus; tot plateas, vicos, fora, templa, circos, montes, etc. ut si quis omnia hæc lustrare velit, facile triduum impendat.

Ninive  
quanta?

Hinc Tertio, Sanchez et alii censent Niniven, puta urbem cum suburbiis, quæ utrinque longissima esse solent in magnis urbibus, fuisse tantam, ut ad eam ab uno extremo ad aliud directa via pervadendam, opus fuerit itinere tridui. Hoc enim plane significant hæc verba: *Ninive erat civitas magna, itinere trium dierum*, scilicet eundo ab uno extremo per medium ad aliud extremum. Unde et *capit Ionas introire in civitatem itinere diei unius*. Nota  $\tau\omicron$  *capit introire*, scilicet in directum, non per flexus et reflexus viarum, multo minus per circuitum murorum; non enim in muris, sed in plateis urbis prædicabat Ionas. Fuit enim Ninive maior Babylone, cæterisque urbibus omnibus quæ ante, vel post eam conditæ sunt, ait Ptolem. et Strabo, ideoque vocatur *civitas magna Dei*. Hinc et Diodorus Sicul. l. 3. c. 1. ait eam cum a Nino primum condita est, habuisse in circuitu stadia 480. id est, miliaria 60. quæ conficiunt leucas Gallicas 20. muros altos fuisse 100. pedibus, et adeo latos, ut tres currus simul per eos incedere possent. Si tempore primæ conditionis suæ habuit in ambitu leucas viginti, quot habuit post centum, ducentos, trecentos annos, quibus semper creverit Monarchis orbis in ea residentibus? Demus habuisse viginti circiter leucas in directo transitu, habuerit iter tridui: pedestre enim iter diurnum est septem leucarum. Adde, nonnullas fuisse urbes, quæ longæ erant iter tridui: ergo magis id tribuendum Ninivæ, quæ fuit maxima. Antecedens patet Primo in Roma, *eius muros Aurelianus*, inquit Vopiscus in eius vita, *sic ampliavit ut quinquainginta prope millia murorum eius ambitus teneant*. Si circumferentia murorum Romæ erat quinquaingenta miliarium (milliare faciunt mille passus) ergo diameter, quæ est quasi tertia pars circumferentiæ, erat septemdecim circiter miliarium: ergo longitudo (hæc enim est diameter) Romæ, a porta in portam per medium urbis, erat septemdecim miliarium, id est, sex fere leucarum, quod est fere iter unius diei. Iam adde suburbia, quæ utrimque tanta, imo maiora erant, habebis Romam cum suburbiis iter tridui et amplius complexam esse. Certe Plinius de Roma ait, *expatiantia tecta multas urbes addidisse, Tybur*, (quod Roma distat pene octodecim miliaribus, id est, sex leucis) *Oriculum, Ariciam*. Rursum, *Nero*, ait Sueton. *Ostia lenus mœnia promoveri, atque inde fossa mare veteri urbi inducere* destinaret, etsi non perfectit: Ostia a Roma distat quindecim miliaribus. Insuper Dionys. de suo ævo scribit, *omnia loca circa urbem habitata sine mœnibus esse, in quæ si quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum laboraturum, et hæsarum ubi desinat urbs, ubi incipiat. Adeo suburbana*, inquit, *ipsi urbi adherent et innexa sunt, et speciem immensæ longitudo exhibent spectanti*. Sume vel suburbia via Flaminia Oriculum usque, iter est integræ diei; sume ex adversa parte via Appia versus Neapolim, tantumdem, imo amplius, (illa enim via ob Campaniæ delicias erat habitatissima, ut patet ex via Appia silice ingenti strata Neapolim usque) facile in Roma et suburbiis invenies iter tridui. Quocirca a suburbiis tam late patentibus, denominatæ videntur Suburbicariæ regiones: ita enim vocabantur omnes quæ vicinæ Romæ, intra centesimum ab ea milliare continebantur, uti erudite docet noster Sirmondus lib. de hac re p. 1. c. 5. Hinc Lucanus asserit Romam

*Populis victisque frequentem  
Gentibus, et generis, cocat si turba, capacem  
Humani.*

Et alius;

*Una domus urbs est, urbs oppida plurima claudit.*

Lampridius scribit Heliogabalum servis imperasse, ut o-

mnnes araneas colligerent in urbe, atque eos collegisse ad decem millia pondo, additque Heliogabalum subiecisse, *vel hinc intelligendum, quam magna Roma esset*. Rursum Lipsius lib. 3. de Magnit. Rom. c. 3. clare probat Romæ fuisse facile quatuor milliones hominum, ut paulatim Italia deserta esset, cum, ut queritur Varro, multi inallent *manus movere in teatro, quam in aratro*. Idem Lipsius lib. 2. c. 7. ex lapide Aneyrano docet sub Augusto censa esse *civium Romanorum capita quadragies centum millia*. id est, quatuor milliones, et insuper *sexaginta millia*. Sub Claudio vero Tacitus, et alii accensent *sexagies novies centena, et sexaginta quatuor millia*, id est, pene septem milliones. Cogita quanta fuerit urbs, quæ tot capiebat incolas, cum Mediolanum, Neapolis, Venetiæ, aliæque ample urbes vix contineant tertiam millionis partem, puta trecenta millia civium.

Secundo, urbs Tartariæ quæ *Quinzai* dicitur, completitur iter trium dierum, et multo amplius. Nam id asserit M. Paulus Venetus oculatus testis lib. 2. de Rebus Orient. c. 64. et ex eo Ortelius in Teatro orbis in Tartaria: *Scribit, ait, M. Paulus, quem circa annum Domini 1260. ibidem habitasse constat, Quinzai centena miliaria in gyros comprehendere. Idem Odericus asserit. Pontes lapideos habet duodecim millia, eosque tam altos, ut naves magnæ erecto malo subter eos transeant. Magnus Cham ibi stativum presidium triginta millium habet. Urbs admodum magnifica est, et aeterna: inde nomen quoque adepta est, cum Quinzai exli civitas interpretetur*. Idem, et ex eo Lipsius loco citato scribit Quinzai famosum continere sexcenta millia familiarum. Idem M. Paulus cap. sequenti, ait tributum quod ex regno Quinzai annuatim magno Cham peuditur, ascendere, sale tamen excepto, ad quindecim millia millium aureorum, atque sexcenta millia, quæ summa immanis est et inaudita.

Minor est Chambalu, id est, regia, vel sedes Cham, id est, principis (sic enim Tartari suum principem et Imperatorem vocant) quæ, ut scribit M. Paulus lib. 2. de Rebus Orient. c. 10. viginti quatuor miliaria Italica in ambitu habet. Alii dant ei 28. alii 32. Noster Nicol. Trigautius l. 4. de Rebus Sinar. c. 3. et l. 5. c. 12. validis coniecturis contendit Chambalu, esse Pechinum, quæ est regia regis Sinarum, et Cataium esse regnum Sinarum.

Tertio, Babylon, inquit Diodorus lib. 2. Biblioth. c. 4. in circuitu habebat stadia 360. id est miliaria Italica 45. leucas Gallicas quindecim. Altera Babylon in Ægypto, sive Memphis, quæ nunc Cayrus dicitur, Lutetiam Parisiorum quinque magnitudine superat, inquit Ortelius, et per Nili ripas latissime diffunditur, adeo, ut Selymus Turcarum Imperator eam a suis licet expugnatam anno Domini 1516. ingredi non sit ausus. De eadem scribit Arist. in Polit. l. 3. c. 2. quod, cum expugnata esset, hostesque primam urbis partem obtinerent, illi qui ex alia parte urbis habitabant, tertio die nescierint urbem esse captam.

Thebæ in Ægypto, testibus Homero, Plinio, Strabone, Pomponio et aliis, centum portas, vel, ut alii volunt, centum aulas habuerunt: totidem olim principum domos, soliteque singulæ, cum opus erat, decem armatorum militia effundere. Celebratur et Moseua a magnitudine et multitudine domorum. Sigismundus Liber scribit earum numerum fuisse 41500. Celebrantur et Parisii, ubi suburbiorum hodiernæ roinæ octo leucarum ambitum superant. In America, magnitudine excellunt urbes Temixtitan et Panama.

Quod si cui iter tridui in unius urbis Ninive diametro longitudinis nimium videtur, is adiungat aliam diametrum latitudinis, quæ priorem secat, et cum ea facit quasi cruce. Magnitudo enim urbis Romæ v. g. ex duabus lineis diametralibus sese intersecantibus petenda videtur; una esset quæ duceretur a Vaticano, et terminaretur in porta Pin. qua itur ad S. Agnetem; altera duceretur a porta *del populo*, et terminaretur in porta *Capena*, qua itur ad S. Sebastianum. Id congruentius de Ninive dicatur, eo quod ipsa non rotunda fuerit, sed quadrangula, ac proinde ex duabus diametris sese ad angulos rectos in-

Romæ  
magni-  
tudo.

Quinzai.

Chambalu.

Babylonis.

Thebæ.

tersecantibus, quarum extremæ terminantur in quatuor quadrati angulis, eius magnitudo, id est, longitudo et latitudo, dimetienda videatur. Sane Aristot. 3. Polit. c. 2. indicat aliquas urbes adeo esse magnas, ut non tam urbes, quam regiones muris circumdatæ dici debeant.

Mystice.

Mystice, Ninive continens iter trium dierum, repræsentat tres mundi partes, Asiam, Africam, Europam, quas noster Ionas, id est, Christus, per se et per Apostolos obeundo, ad pœnitentiam et salutem convertit.

Vanitas  
urium  
et mundi.

Tropol. Vide quanta sit mutabilitas et vanitas rerum humanarum. Ecce Ninive olim maxima, ditissima et superbissima urbs, iam adeo sepulta iacet, ut quærat quò loco existerit. Quare Niniven veterem vix invenies, nec nisi rura et rudera, et campos ubi Troia fuit. R. P. Ioannes Antonius Marieti, qui ante quinquennium missu Summi Pontificis Syriam et Mesopotamiam obivit, Romæ mihi narravit se fuisse in civitate adiacente Tigri, nomine *Mussul*, quam indigenæ dicebant esse Niniven, indeque non procul ostendebant sepulcrum Ionæ (quod magno Christianorum undique confluentium concursu et devotione visitari asserebant) adeo longum et latum, ut ex eo colligere liceat Ionam pene fuisse gigantem. Insuper ingentes ibi cerni murorum reliquias, veteris amplitudinis indices. Porro urbem a Christianis, Turcis atque Arabibus incoli; Armenos tamen ita ob rebellionem Turca attenuavit, ut urbs iam et mœnibus careat, et ex quinque domibus vix duæ vel tres inhabitentur. Fieri potest ut veteri Ninive diruta, iuxta eam nova sit condita, dictaque *Mussul*; uti Hierosolymæ, Tyro, Tusculo, quin et Romæ ex parte contigit, quamquam ignoremus an vetus et certa sit illa indigenarum *Mussul* traditio. Sane sepulcrum Ionæ non in Ninive, ut ipsi asserunt, sed in Palæstina exstare docent Epiphanius, Dorotheus et Isidorus. In vita Ionæ, uti dixi in præmio; nisi dicas Ninivitas hoc sepulcrum Ionæ, licet alibi defuncto et sepulto, crexisse quasi mausoleum, ad perpetuum tanti viri memoriam. Sed esto *Mussul* sit eadem urbs cum Ninive veteri, nihil illa habet veteris eius magnitudinis et magnificentiæ. Idem est de Babylone, de Tanti, de Ecbatanis, aliisque potentissimis olim urbibus. Sic transit gloria mundi, sic transeunt urbes, sic transeunt reges, sic transeunt homines. Platina in Felice II. Pontif. refert Constantium filium Constantini magni Imper. dum post susceptum imperium cum triumpho Romam aureo carpento ingrederetur, cives obviam factos veneratum esse, ac dicitasse illud Cyncæ Pyrrhi legati verum esse, *tot se videre reges in urbe Roma quot cives*: visis deinde palatiis, Pantheo, templis, columnis aqueductibus, arcibus triumphalibus, etc. obstupuisse, ac tandem dixisse, *naturam vires omnes in urbem effudisse*. Mox Hormisdam architectum suum interrogasse, quid de Roma sentiret, qui id tantum sibi placere respondit, *quod didicisset Romæ æque mori homines ac alibi*, ut Philosophum decebat locutus. Vere Seneca: *Æquat omnes civis; impares nascimur, pares morimur*. Quocirca sapienter monet S. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Hebr. in morali, ut ædes ædificemus non in terris mox easuras, sed in cælis in æternam duraturas. *Nemo, ait, in civitate que casura est sanæ mentis ædificat. Non ædificemus in hoc mundo, post paululum enim casurus est, et cuncta perditum ibunt. Et quid dico quod mundus casurus est? nos ipsi ante ruinam eius peribimus, et tormenta sæva patiemur, etc.*

Vers. 4.

COEPIT IONAS INTROIRE CIVITATEM ITINERE DIEI UNICIUS. Ionas, inquit S. Hier. præcepti et superioris naufragii memoriam trium dierum, unius diei festinatione complevit. Quod dictum S. Hier. dupliciter accipi potest. Primo, q. d. Ionas distans a Ninive itinere trium dierum, ut Deo celerime obediret, totum hoc iter uno die peregit, eodemque die quo ex loco ubi eum cetus evomuit, discessit, pervenit appulitque Niniven. Secundo, q. d. Ionas adeo festinanter obivit concionando totam Niniven, ut uno die eam peragravit, cum alii ad id exigant triduum. Verum neuter sensus huic loco congruit. Non prior, quia littus Phœnicium, ubi a ceto eiectus est Ionas, distat a Ninive trecentis leucis: quod iter est ut minimum triginta dierum.

A Si cum Iosepho dicas eum eiectum in Pontum Euxinum; perpondeo, hic Pontus a Ninive distat centum triginta leucis, idque per arduos montes: ergo ab ea distat itinere tredecim dierum ut minimum. Non posterior, tum quia dicitur, *Cœpit introire civitatem*: ergo ipse tunc vias eius non complevit, nec peragravit, sed peragraræ cœpit, tum quia iuxta illam expositionem dicendum fuisset, Ionas peragravit civitatem die uno. Iam vero non hoc, sed oppositum dicitur, scilicet, *Cœpit Ionas introire civitatem itinere diei unius*. Quocirca aliam meliorem interpretationem subdit S. Hier. dicens: *Quamquam sint qui ita simpliciter intelligant, quod in tertia tantum urbis parte prædicaverit, et ad reliquam confestim prædicationis sermo pervenerit*. Sensus ergo est, q. d. Ionas ingressus est primam urbis partem, quæ uno die poterat pertransiri: Ionas tertiam urbis partem prædicans obivit, eiusque vicus et plateas concionando lustravit: ita Remig. Albert. Hugo, Lyran. Accedunt Theodor. Vatabl. Arias et a Castro. Verum hi censent Ionam non reeta via processisse, sed per flexus platearum gyrasset, vicosque obliquos obeundo circumeire prædicasse.

B ADHUC QUADRAGINTA DIES. Ita Hebr. Chald. Aquila, Symmach. et Theodot. Quare versio Septuag. quos sequitur Origen. Chrysost. et alii Græci, atque Arabicus Alexandrinus, depravata est. Habet enim, *Adhuc tres dies*: forte librarii  $\tau\epsilon\tau\tau\alpha\beta\alpha\tau\alpha\tau\alpha$ , id est, quadraginta, scripserunt per abbreviationem; unde alii describentes legerunt scripseruntque  $\tau\epsilon\tau\tau\epsilon$ , id est, tres. Aut per eiphras, puta per litteras, scripserunt  $\mu$ , quæ index est quadraginta, et eroso, vel minus apparente altero eius apiculo, pro  $\mu$  legerunt  $\gamma$  gamma, quæ index est trium: præsertim quia præcessit mentio trium dierum (hoc enim erat iter Ninive) quos confusione specierum, vel traiectione oculorum putarunt descriptores esse eosdem cum hisce diebus prædicationis Ionæ. Magna enim scriptorum aliquorum est ignorantia, magna aliorum oseitantia, magna aliorum in tantis voluminibus describendis fatigatio, ut facile unum pro alio supponant et scribant, uti egomet in dies experior. Aliqui censent Ionam per singulos dies minuisse numerum; nimirum primo die prædicationis suæ dixisse, *Adhuc quadraginta dies*: secundo, *Adhuc triginta novem dies*; tertio, *Adhuc triginta octo dies*, et ita consequenter, donec perveniret ad tres ultimos, tuncque dixisse: *Adhuc tres dies*, etc. scilicet *expectabo vos, num sitis pœnitentiam acturi*, ait Isidor. Pelus. l. 4. epist. 149. Idque ex traditione scivisse Septuag. et hic exprimere voluisse. Verum hæc coniectura dissonat a textu, qui constanter habet, *Adhuc quadraginta dies*; et incerta est, nec admodum probabilis. Non enim videntur Ninivitæ usque ad ultimos tres dies distulisse pœnitentiam. Quocirca prudenter Theodor. *Credibile est, inquit, etiam Septuag. concordem aliis posuisse numerum (quadraginta) sed qui initio scripserunt errasse in hoc: ac deinceps in omnia exemplaria permanasse errorem*. Porro S. August. lib. 18. de Civit. cap. 44. ceuset genuinam lectionem esse, *adhuc quadraginta dies*; Septuaginta vero vertisse, *adhuc tres dies*, ut mysterium quod hic latet de Christo significarent: *Sive, inquit, per quadraginta dies, sive per triduum, idem ipse significatus est Christus, per quadraginta scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem suam, et ascendit in cælum: per triduum vero, quia die tertio resurrexit, q. d. In quadraginta diebus ipsum quære, in quo et triduum poteris invenire: illud in ascensione, hoc in eius resurrectione reperies: quorum unum per Ionam Prophetam, alterum per Septuaginta interpretum prophetiam, tamen unus atque idem Spiritus dixit*. Hæc forte de causa S. Iust. contra Tryph. utramque lectionem iunxit et commiscuit. Legit enim: *Adhuc quadraginta tres dies*, etc.

Allegor. Ionas est Christus, Ninivitæ sunt Iudæi, Ninive est Ierusalem, quæ quadragesimo anno a prædicatione Christi eversa est a Tito et Romanis: ita Eusebius in Chron.

Mystice, numerus quadragenarius est symbolum pœnitentiæ, de quo subtiliter philosophatur S. August. lib. 2.

Moral de  
pœnitentia  
pública.

do Doctr. Christ. c. 16. Ilmo S. Gregor. in Inguinaria lue et mortalitate Romana, qua extinctus est Pelagius Papa, eni Gregorius in Pontificatu successit, hortatus est populum ad penitentiam exemplo Ionæ et Ninivitarum, publicasque litanias, easque septemplex indixit, quibus placatus Deus pestem stilit. Angelus enim stans in mole Adriani (ubi etiamnum eius locus et imago visitur, indeque moles hæc vocatur castellum S. Angeli) evaginatum gladium, quo eives feriebat, visus est in vaginam recondere, ac quaecumque in processione inferebatur imago B. Virginis, aer erassus, pestilens et flammens videbatur dissipari, purgari et serenari. Exhortationes eius ad verbum refert Ioannes Diaconus in eius vita l. 1. c. 40. ubi inter multa ait: *Veternas namque Ninivitarum culpas tridua-na penitentia abstersit. Mutemus igitur corda; citius ad preces iudex flectitur, si a pravitate sua petitor corrigatur. Proinde cum contritione et correctis operibus erastina die ad septiformem litaniam devota cum lacrymis mente venimus; qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala quæ fecimus deploremus, ut districtus iudex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse a sententia proposito damnationis parcat.* Rursum S. Petrus ex Ordine S. Dominici eminens prædicator et Martyr an. Domini 1252. Aprilis die vigesima nona, qua Ecclesia in officio divino eius festum celebrat, in suis concionibus iugiter hoc thema proponbat: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur:* iisque tanto ardore et spiritu populum incendebat, ut omnes passim penitentiam agerent, eamque publicam. Dicebat enim: Tu o Mediolanum, tu o Parma, tu o Cremona es altera Ninive; si non agas penitentiam tuorum scelerum, illico videbis tuam ruinam: flagellum Dei imminet tibi: converte te ad Deum, et age penitentiam. Docet ergo hic Ionas, et ex eo S. Greg. et S. Petrus Martyr, concionatores populo debere proponere minas et terrores iræ Dei, mortis, iudicii, gehennæ, iisque acriter urgere peccatores ad penitentiam et odium peccati, ut eas evadant, Deumque sibi concilient. Hi enim sunt mallei conterentes petras. Alii oratores sunt quasi musici, quia aures dumtaxat mulcent et scalpunt.

**ET NINIVE SUBVERTETUR.** ) Cum regno et monarchia Assyriorum, quæ transferetur ad Nabuchodonosor et Assuerum, ut habent Sept. Tobix 14. 3. id est, ad Babylo-nios et Medos, uti patebit Nahum 2. 8. unde Ioseph. l. 9. Antiq. 11. *Jonas, ait, in medio civitatis prædicavit, quia post brevissimum tempus Asia principatum perderent.* Nota. Hæc Ionæ prophetia fuit comminatoria et conditionata, q. d. Ninive subvertetur, nisi penitentiam egerit, nisi mutet mores, itaque impetret a Deo hanc excidii sententiam tolli aut suspendi; sicut de facto eius non sublacionem, sed suspensionem impetravit, uti dixi in præmio: ita Orig. hom. l. de pœnitent. S. Hier. hic, S. Greg. 19. Moral. 18. S. Thom. 1. p. q. 19. art. 7. et alii. Aliter respondet S. Gaudentius tract. 3. ad Neophytos: *Adhuc triduum, et Ninive evertetur.* Verum, ait, prædixit: *nam eversa est iniquitas eius, quia pœnituit. Sicut distat exitum a terra, dicit Deus hominibus, illa distant sensus mei a sensibus vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris,* Isaia 55. Sensus ergo est, Ninive, non urbs, sed eius iniquitas subvertetur, ut sit alia piæque Ninive. Verum hoc tropologicum est, non litterale. Sic anno Domini 396. Arcadio Imp. ait S. August. de Excidio urbis e. 6. *Constantinopoli volens Deus terrere civitatem, et terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, servo cuidam suo fideli viro militari venit in revelatione, et dixit ei, civitatem venturo de cæto igne perituram, eumque admonuit ut Episcopo diceret; dictum est, non contempsit Episcopos, et allocutus est populum. Conversa est civitas in luctum pœnitentiæ, quemadmodum quondam illa antiqua Ninive, etc.* Narrat deinde quomodo per pœnitentiam hæc minas evaserit.

**ET CREDIDERUNT VIRI NINIVITÆ IN DEUM.** ) Id est, Deo. Nota. Hebræis credere in Deo, vel credere in Deum, idem est quod credere Deo: uti recte observavit Ribera. Unde Hebr. יַאֲמִינוּ בֵּאלֹהִים *iaminu belohim*, tribus

modis, sed idem significantibus vertas; scilicet, primo, *crediderunt in Deum*; secundo, *crediderunt in Deo*; tertio, *crediderunt Deo*. Est enim *bet* contactus, quo utuntur Hebræi, ut dicant tangere in manu, id est, tangere manum: Credere in Deo, vel Deum, id est, credere Deo. Latinis tamen credere in Deum efficacius est, et plus significat, quam credere Deo: nimirum non tantum fidem, sed et spem ac fiduciam omnem cum amore coniunctam collocare in Deo; se resque suas curæ Dei committere, sua omnia in fidem Dei resignare, salutem suam Deo credere. Ita hic Ninivitæ credentes prædicationi Ionæ, crediderunt per fidem Deum Hebræorum, quem prædicabat Ionas, esse verum Deum, ac proinde vera esse hæc Ionæ oracula, vereque everendam Niniven, nisi pœnitentiam agerent. Consequenter sperarunt in Deum, quod eos ad penitentiam admitteret, et pœnitentibus parceret, eosque in gratiam reciperet; nisi enim hanc spem habuissent, nunquam tam arduam pœnitentiam suscepissent.

**Quæres, quo argumento moti sunt Ninivitæ ut crederent Ionæ?** Imprudens enim et temerarius est, qui sine ratione et fundamento credit aliquem esse Prophetam, vel hoc illudve esse oraculum Dei, præsertim in re tam gravi et inaudita, qualis erat excidium Ninive urbis et monarchiæ: unde Apostoli fecerunt miracula aliaque signa, sine quibus Gentes non tenebantur, imo prudenter non potuissent eis credere. Resp. Ninivitæ moti sunt ad credendum Ionæ per miraculum devorationis et liberationis e ventre ceti, quod Ionas eis proposuit, quodque per navitas iam sparsum erat per totum Orientem. Hoc est quod ait Christus Luc. 11. 30. *Sicut fuit Ionas signum Ninivitis, ita erit et filius hominis generationi isti.* Hoc enim signum clare eis demonstrabat Ionam a Deo ad eos mitti, simulque monebat et terrebat eos, ne, si Ionæ non crederent, æque, imo magis punirentur quam Ionas, atque ab aqua vel terra absorberentur. Accessit interna Dei illuminatio et inspiratio, quæ animos illorum commovit ad credendum. Inuit gravitas, prudentia, pietas, abstinentia et sanctitas Ionæ, quæ plane ostendebant Ionam non esse factum, non levem, non mendacem; sed virum serium, prudentem, piæ ac fide dignum.

**ET PRÆDICAVERUNT (INDIXERUNT) IEIUNIUM.** ) Per magistratum, imo per regem, ut videtur: rex enim hoc ieiunium Ninivæ indixit v. 7. nec alius toti Ninivæ hoc indicare poterat nisi rex. Est ergo hic hysterologia. Prius enim pervenit oraculum hoc Ionæ ad regem, uti sequitur v. 6. quam indictum sit ieiunium, uti ait hic v. 5. sed voluit Scriptur. prædicationi Ionæ subnectere obedientiam, totumque opus Ninivitarum, scilicet quod crediderint et pœnitentiam egerint in ieiunio et cilicio; ac deinde pergere ad regem, et enarrare eius sensum et gesta, de quo subdit:

**ET PERVERNIT.** ) Id est, quia pervenerat: dat enim causam publici ieiunii et pœnitentiæ Ninivitarum, quod nimirum rex inaudiens oraculum minax Ionæ, edictum ieiunii et pœnitentiæ proposuerit et promulgarit per totam urbem. Vers. 6.

**Quæres, quis fuit hic rex?** Respondeo, Probabile est fuisse Sardanapalum, quem Diodorus, Iustinus, et alii Gentiles Historici ponunt ultimum monarcham Assyriorum, a quo monarchia translata sit ad Medos per Arbæem Mediæ Præfectum: ita a Castro et Tornielus in Annalibus, anno mundi 3215. et alii. Favet S. Hier. in e. 1. Amos v. 1. ubi explicans titulum Amos, quo se dicit prophetasse in diebus Ozix regis Iuda, et Ieroboam regis Israel, quando, ait, apud Assyrios urbesque Ciliciæ regnabat Sardanapalus, de quo insignis Orator: *Turpior, inquit, viliis quam nomine: et apud Latinos Procas Silvius, cui Anulius expulso Nunitore successit in regnum: quo interfecto, congregata pastorum manu Romulus sui nominis condidit civitatem.* Ergo Amos, ac consequenter Ionas (fuerunt enim coavi) prophetavit tempore Ozix, Ieroboam, et Sardanapali (hi enim fuerunt pariter coavi.) Rursum Ionam prophetasse tempore Ieroboam, ac consequenter Sardanapali, clare dicitur 4. Reg. 14. 25. Favet et S. August. lib. 18. Civit. 27. ubi docet prophetasse Io-

nam, Amos, et Osee sub finem imperii Assyriorum, scilicet eo ruente, cum Roma condici inciperet, quia eorum prophetiæ de Christo patiente, et resuscitato, Romanis et Gentibus ad Christum convertendis scribebantur. Favet et Euseb. in Chronico, qui Ionam consignat sub tempus Sardanapali. Dices, Eusebius, dicit Sardanapalum regnasse 20. annis, et vigesimum ultimumque eius annum consignat anno sexto Ozia regis Iuda, qui fuit annus 18. Ieroboam regis Israel; postea vero anno 17. Ozia qui fuit 29. Ieroboam, Arbacis vero in Media regnantis 11. ita scribit: *Prophetabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias, et Ionas Prophetæ.* Ergo 11. annis post mortem Sardanapali prophetavit Ionas; non ergo prophetavit Sardanapalo regnante. Resp. nego consequentiam. Nam *prophetabant*, non significat initium prophetiæ, (non enim hi quatuor cæperunt eodem anno, puta 17. Ozia prophetare) sed confuse tempus quo florebat hi Prophetæ, q. d. Sub hoc tempus, puta ante et post annum 17. Ozia, prophetarunt Osee, Amos, Isaias et Ionas. Cum enim constet eos multis annis prophetasse, et de anno certo quo singuli cæperint non constet, recte Eusebius in genere et confuse ait hoc tempore eos prophetasse, id est, floruisse. Cum enim in chronologia consignatur tempus quo quis Propheta, Doctor vel Episcopus floruit, non consignatur annus primus quo cæpit, vel ultimus quo finiit; sed potius medius: in medio enim ætatis, prophetiæ et doctoratus solent florere homines, tum gratia, tum sapientia, tum auctoritate.

Confirmatur hæc sententia Primo, quia passim Chronologi Sardanapalum dicunt fuisse cœvum Ieroboam, sub quo prophetavit Ionas. Excipio unum Genebrardum, qui censet Sardanapalum fuisse eum, qui in Scriptura vocatur *Asarhaddon*, fuitque filius Sennacherib, post quem in Scriptura nemo ponitur rex Assyriorum. Asarhaddon enim regnavit diu post Oziam et Ieroboam, sub Ezechia et Manasse. Verum hæc sententia Genebrardi ab aliis Chronologis passim reicitur. Secundo, quia iidem consentiunt in Sardanapalo periisse monarchiam Ninives et Assyriorum, et post eam ponunt regnum Arbacis et Medorum; Ionas autem missus fuit in Niniven, cum illa opibus et regno floreret: ergo non post Sardanapalum, sed eo regnante. Tertio, quia Sardanapalus fuit luxuriosissimus, et distulxit luxu ac vitiis; regem suum secuta est Ninive, hæc ergo sunt vitia ob quæ excidium ei intentat Ionas. Quarto, quia licet paulo post Sardanapalum ex Scriptura constet Ninivæ restitutum fuisse regnum; ac in ea regnasse Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon; tamen hi non regnarunt cum Ozia et Ieroboam, sub quibus prophetavit Ionas; sed post eos. Rursum in strage Sardanapali et translatione monarchiæ, sat videtur fuisse punita Ninive, ut non opus fuerit post illam eo mittere Ionam. Insuper Ionam missum esse ante eius stragem, patet, quia missus est ut eam comminaretur et prædiceret quasi futuram. Ex dietis colligitur, quod Sardanapalus audiens Ionæ oracula et minas, conversus sit, egeritque pœnitentiam cum suis Ninivitis, sed eo redeunte paulo post ad solitas delicias et vitia, ad eadem redierint et Ninivitæ, uti facere solent concubinarij alijque vitiis assueti. Unde tunc Deus excitavit Arbacem, qui Sardanapalum et Niniven invaderet, eumque egeret ad palatii sui incendium, ac monarchiam transferret ad Medos, de quo dixi in proœmio.

**ET SURREXIT** (rex, puta Sardanapalus) **DE SOLIO SUO, ET ABIECIT VESTIMENTUM SUUM A SE** (Tigurina, *paludamentum*, puta vestem imperatoriam, diadema, sceptrum, aliaque insignia regalia) **ET INDUTUS EST SACCO** (cilicio,) **ET SEDIT IN CINERE.** Nota hic pœnitentiæ habitum et opera non esse nudam respicientiam, ut vult Calvinus, sed gemitum, sacco, cinerem, ieiunium: ita Tertull. Cyprian. Chrysost. S. August. Pacianus tractat. de Pœnitentia.

Præclare S. Ambros. enarrans hanc Ionæ historiam in fine tom. 2. *Rex Ninives*, inquit, *hostes virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens inquam rex, qui pro salute civium peccatorem se magis confitetur esse quam*

**A** *regem. Obliviscitur enim se regem esse, ubi Deum regem omnium pertimescit: nec potentia suæ meminit, ubi potentiam divinitatis agnoscit. Mira res: dum se regem hominum esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutavit. Principatum enim ante militaris disciplinæ tenuit, nunc castitium disciplinarum obtinet principatum. Et inferius: Ut tota civitas ieiunaret, famem sibi rex primus indixit: et solus omnium causa prior cæpit esurire quam miles. Necessè enim erat ut qui potentior cunctis fuerat, devotior fieret universis.*

**ET CLAMAVIT ET DIXIT**, supple præco: ita Vatabl. vel *clamavit et dixit*, id est, proclamari fecit et edici, **EX ORE REGIS.** Id est, suo. Est hebraismus. Unde Chald. vertit, *atque per præconem proclamare iussit, ac dicere per Niniven ex regis et principum eius decreto.* Sic et Pagnin.

**HOMINES, ET IUMENTA, ET BOVES, ET PECORA NON GUSTENT QUIDQUAM.** Causam dat S. Chrysost. hom. 3. ad pop. *Et bruta ieiunant, et equi, et muli sacco vestiuntur? Etiam, inquit: sicut enim divite aliquo mortuo, non servos solos et ancillas, sed et equos domestici sacco vestientes, et agasonibus tradentes ad sepulcrum sequi iubent, calamitatis magnitudinem ostentantes, et omnes ad misericordiam allicientes; sic et in civitate illa (Niniva) mori periclitante, et brutam naturam sacco circumtæxerunt, et ieiunii iugo subiecerunt. Non licet brutis sermone Dei iram discere, discant famis quæ a Deo instigatur plaga; etenim si dirueretur, ait, civitas, non tantum nostri inhabitantium, sed et horum una esset sepultura. Pœnæ igitur partem habere debentia, et ieiunii partem capiant. Alteram deinde dat causam: Cum, inquit, essent confusione pleni, nec quidquam haberent excusationis, ad bruta confugiunt, et illorum mortem deplorantes, ex his supplicationem faciunt miserabilem et luctuosam, ipsorum perditionem proponentes.* Et S. Ambros. sub finem tom. 2. *Non enim, ait, sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata parvulorum innocentia deploraret, et fletibus alienis delicta sua inventus ablucet.*

Nota. Verisimile est hoc rigidum ieiunium Ninivitarum, ad aliquot dies, v. g. tres, ut sentit S. Chrysost. hom. 1. de pœnitentia, durasse, ita ut per triduum nec homo, nec pecus quidquam cibi aut potus gustaret, deinde continuarent hoc ieiunium ad quadraginta dies, sed ita ut suo tempore, v. g. vespere, aliquid panis et aquæ sumerent ad sustentandam naturam; alioqui enim non potuissent naturaliter sine cibo et potu prorogare vitam ad quadraginta dies; sacco vero, clamor, et preces eorum perennarunt ad quadraginta dies.

Simili modo anno Domini 1124. Christiani in terra Sancta a Saracenis circumsessi, exemplo Ninivitarum ieiunium solenne etiam pueris infantibus et pecoribus indixerunt, itaque miraculosam a Deo de iis adepti sunt victoriam. Nam cum tria Christianorum millia, Patriarcha præferente crucem, et Abbate Cluniacensi lanceam qua transflixum est latus Christi, in aciem prodirent contra 40. Saracenorum millia; splendor de cælo in Saracenos illapsus eos ita enervavit, ut passim fugientes cæderentur, non solum a viris, sed etiam a pueris et feminis. Perierunt in prælio septem millia, submersi in aquis quinque millia: omnes vero Christiani incolumes reversi, epinicius Deo cecinerunt. Ita ex Roberto Sigeberti Cardin. Baron. anno 1124.

**ET CLAMENT IN FORTITUDE.** Fortiter, contenta voce, Misericordia, misericordia, miserere nostri Deus secundum magnam misericordiam tuam. Ita clamabant homines. Iumenta vero præ fame boabant, mugiebant, resonabant quisque sua voce in cælum. Hæc communis hominum et iumentorum comploratio Dei iram stitit, et ad misericordiam inflexit. Graphice eam depingit S. Basil. homil. 8. in avaris quæ inscribitur, *in fame et squalore*; et hom. 4. de pœnit. Sic Virgil. ecloga 5. ait in morte Iulii Cæsaris quem Daphnim vocat, ieiunasse oves, boves, cæteraque animalia, ac lugubri eiulatu eius necem plorasse, quin et addit:

*Daphni, tuum Pænos etiam ingemuisse leones  
Interitum montesque feri sylvestre loquantur.*

Simili modo Alexandrum laxasse mortem Hephæstionis, et Thebanos mortem Pelopidæ, tradit Plutarchus in eius vita.

ET CONVERTATUR VIR A VIA SUA MALA. ) S. Chrysost. hom. 3. ad pop. *Videamus, ait, quid inexcitabilem illam iram solverit; num ieiunium solum et saccus? nequaquam: sed totius vite mutatio: quoniam conversus est quisque a viis suis malis, penituit mali quod dixerat facere ipsis Dominus. Honor enim ieiunii non ciborum est abstinentia, sed peccatorum fuga. Ieiunas? Demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquis, opera? Si pauperem videris, misere: si inimicum videris, conciliare: si amicum laudabiliter agentem videris, ne invidias: si mulierem videris speciosam: prætercas. Non enim os tantum ieiunet, sed et oculus, et auditus, et pedes, et manus, et omnia corporis nostri membra. Ieiunet manus, a rapina et auaritia munda: ieiunet pedes, ad illicita spectacula cursum reprimentes: ieiunet oculi, discentes numquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiose pulchritudines spectare; cibus enim oculorum, est spectatio; ieiunet et auris, aurium autem ieiunium est detractiones et calumnias non suscipere: ieiunet quoque os a verbis turpibus, et convicio. Quæ enim utilitas, cum avibus quidem et piscibus abstinemus, fratres vero mordeamus et comedamus? detrahens, fraternas carnes comedit, etc.*

Ninivitas fuerunt iustificati.

Ex hoc loco videtur quod Ninivite (saltem multi) vere fuerint contriti, ideoque hæc pœnitentia iustificati, et salvati, quicumque in iustitia usque ad finem vite perstiterunt. Nam crediderunt in Deum verum, elicerunt actus spei, timoris, doloris: austeram et inauditam, camque publicam egerunt pœnitentiam; imo primus rex ipse, posita regia veste, saccum induit, et cinere se conspersit; quæ ntique ingentis interni doloris et contritionis erant indicia, et, quod maximum est pœnitentiæ signum, actusque nobilissimus, conversi sunt a vita pristina lasciva et scelerata, ad castam et sanctam. Unde Deus hæc eorum pœnitentiæ opera probavit, et accepavit; eisque pœnam condonavit, simul et culpam, ut videtur. Ita S. Chrysost. hom. Quod nemo læditur nisi a seipso: *Ninivite, ait, conversi sunt ad timorem Dei, abiectisque continuo prioris vite malis, ad virtutem se et iustitiam per pœnitentiam contulerunt, tam fideli satisfactione, ut divinitus iam promulgatam sententiam revocarent.* Et lib. 1. de Orando Deum: *Primi, ait, occurrunt Ninivite, quos clarum est depræcationis præsidio plurimorum scelerum, quibus divinam iram in se provocarant, remissionem accepisse. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium, iustos reddidit; ac civitatem, quæ iam assueverat lascivæ militiæ, breviter, vitam ex legem et impium vivere, statim correxit: nimirum potentius diutina peccandi consuetudine, cum civitatem illam celestibus legibus implesset, pariter secum traherat temperantiam, mansuetudinem, humanitatem, curamque pauperum. Sane si quis tunc ingressus fuisset civitatem Ninivitarum, qui prius eandem probe novisset, nequaquam agnovisset eam: adeo repente a turpissima vita, ad pietatem resiliat.* Quare licet aliqui opinentur Ninivitas fuisse tantum attritos, tamen contrarium verius est, fuisse etiam contritos; nec tantam ex timore pœnæ, sed etiam ex amore iustitiæ hanc pœnitentiam subisse. Idem confirmatur ex eo, quod Scriptura et Patres, maxime S. Chrysost. passim peccatoribus proponunt exemplum Ninivitarum, tamquam illustrissimum speculum pœnitentiæ. Unde Christus Matth. 12. 41. *Viri Ninivite, ait, surgent in iudicio cum generatione ista, et contemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hic.* Hinc S. Gregor. in Psal. 7. penit. *Pœnitentia, ait, est unum de perfectis donis descendentibus a patre luminum.* Et Tertull. lib. contra Psychic. c. 16. celebrat *Niniviticam iustitiam: quamquam verior lectio Paummelii habeat, Niniviticum iustitium, id est, cessationem ab omni cibi et potus genere cum Ethnicis, qui, uti antea dixit, annuo ritu saccis velantur, et cinere conspergi-*

**A** tantur. Idem docet S. Ambros. serm. 28. qui habitus est in Dominica 1. Quadragesimæ, et S. Ephrem serm. de Iona. Idem diserte docet Andreas Vega l. 13. de Iustific. cap. 5. *Ninive, ait, ut verisimile est, multos habuit qui ab accepta gratia aliquando exciderunt, et tamen subito ad prædicationem Ionæ Deum agnovit, et per pœnitentiam non solum interminatæ mortis periculum evasit, sed et, ut Chrysost. asserit, vite incognitæ coronam accepit, faciliusque est, ut August. ait (1. de Pœnit. med. c. 5.) evacuata comminatio Prophetæ, quam humiliatio pœnitentiæ.* Idem docent alii, et insinuat S. Thom. 3. p. q. 81. art. 7. ad 1. Favet Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. cum enim agens de Attritione dixisset: *Et quamvis sine Sacramento per se ad iustitiam perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit; mox idipsum probat exemplo Ninivitarum, aitque: Hoc enim timore utiliter concussi Ninivite, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, et misericordiam a Deo impetrarunt, scilicet Dei gratiam per pœnitentiam, sive contritionem: nec enim tunc institutum erat Sacramentum pœnitentiæ, quod postea in lege nova Christus instituit, q. d. Sicut Ninivite per timorem disposerunt se ad virtutem pœnitentiæ et contritionis, qua Dei misericordiam et gratiam impetrarunt, ita Christiani peccatores per timorem et attritionem se disponunt ad Sacramentum pœnitentiæ quo peccatorum veniam et Dei gratiam consequuntur.*

Ex dictis Nota, quanta sit vis pœnitentiæ, quæ tantæ <sup>Moral. de</sup> urbis tot tantaque scelera abolevit, Dei iram placavit, <sup>efficacia</sup> flagellum ei extorsit, imo eius gratiam et iustitiam impetra- <sup>peniten-</sup> vit, atque Ninivitas ex filii gehennæ, fecit filios cæli; ex mancipiis diaboli, fecit amicos Dei; ex iniustus, impiis, infidelibus, sceleratis, fecit iustos, pios, fideles, sauetos. Ita S. Chrysost. Tertull. Ambros. August. et alii tract. de pœnit. Audi S. Ambr. lib. de Pœnit. c. 6. *Ninivite indicunt sibi necessarium perituri ieiunium, in ipsis corporibus animas humilitatis flagello castigant, induunt pro veste cilicium, et pro unguentis cinere se uspergant, ac prostrati humo pulverem lambunt. Mortem suam lacrymis funerant, et vitam plangimoniis prosequantur: reatum suum gemitibus publicant, et actuum suorum pundunt arcana facinora. Omnis ætas et sexus indiserete lugubribus se aptat officiis, depositus omnis cultus, deiectus ornatus, negula quoque sunt ipsis alimenta lactentibus: et ætas necdum propriis peccatis infecta, onera sustinuit aliena; eubum suum mutum pecus esurivit. Unus audiebatur per mœnia civitatis ciulatus disparium naturarum, et per omnia tecta flebilis resonabant lamenta plangentium, et. ut semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat, sed et astra ipsa voce pœnitentiæ personabant. Impletum est quod scriptum est Eccl. 35. 21. Oratio humiliantis se nubes penetravit: denique sic pleræque offensum Deum, semitem fecit rigidum, sic demulsit iratum, etc.* Præclare S. Bernard. serm. de S. Andrea, pœnitentiam vocat *ultricem vitiorum, altricem virtutum.* Idem serm. 71. in Cant. *Cibus eius (Christi) pœnitentia mea, et cibus eius salus mea, cibus ego ipse. Mandor cum arguor, glutior cum institutor, decoquor cum immutor, digeror cum transformor, unior cum conformor.* Idem serm. 2. in Vigil. Nativit. *Exultare fecimus angelos quando conversi sumus ad pœnitentiam. Currite fratres, currite: non soli angeli, sed et ipse angelorum vos creator expectat.* Idem serm. 30. in Cant. *Lacrymæ pœnitentium, vinum sunt angelorum.* Plura si cupis, vide quæ annotavi 2. Corinth. 7. 11.

**Q**UIS SCIT SI CONVERTATUR. ) *T*o si non est in Hebræo, Vers. 9. sed subintelligitur: unde eo omisso Chald. et Arias sic vertunt, *qui scit quod in manibus suis culpæ sint, convertatur ab eis, et miserum erit super eum u facie Domini: quasi hic pœnitenti certa spes detur veniæ, imo certitudo misericordiæ consequendæ. Verum melius Noster, Sept. Pagnin. Vatabl. et alii subaudiunt si, quasi Ninivite incerti sint de veniæ, de eaque dubitent, et hærent inter spem et metum suspensi; planius enim et usitatius est in Hebræo ad illud, *Quis scit, subaudire et supplere unam**

voculam *si*, quam multas hæc: *Quod in manibus suis A culpæ sint.* Adde, Hebr. *מי*, esse interrogativum, et significare *quis*, non *qui*: *qui enim significatur per he demonstrativum.*

Dubitant Ninivitæ de remissione, non culpæ, sed pœnæ, q. d. Quis scit si per pœnitentiam nostram Deus placeat, revocetque sententiam de evertenda Ninive? Simili modo Deus condonavit adulterium Davidi, sed punivit eum morte filii ex eo geniti, 2. Reg. 12. 19. Unde Franc. Suarez tom. 4. de pœnit. disp. 37. sect. 9. ex his Ionæ verbis et similibus Joel. 2. 14. docet neminem, quantumvis instans sit, posse satisfacere de condigno pro pœna accidentali seu extraordinaria, qualis erat hic eversio Ninive; imo nec posse aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remissionem consequatur. Unde S. August. in psal. 50. *De incerto*, ait, *pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt.* Et S. Hieron. *Ideo*, ait, *ambiguum ponitur, ut, dum homines dubii sunt de salute, fortius pœnitentiam agant, et magis ad misericordiam provocent Dominum.*

Secundo, alii hanc dubitationem extendunt ad remissionem culpæ: licet enim certissimæ sint promissiones Dei, quibus pœnitentibus promisit veniam; tamen incertum est an homo impleat conditionem, quam exigit promissio: puta, quod sit sufficienter dispositus ad gratiam; nimirum quod sit vere contritus ex amore Dei non attritus tantum ex timore pœnarum: ita Gregor. de Valentia 2. 2. tract. de Gratia disp. 8. q. 4. et Card. Bellarm. 1. 3. de Iustific. c. 6.

ET IGNOSCAT DEUS.) Hebr. *et pœnitentiam agat*; vel, *pœnitentia ducatur Deus*: ita Septuag. Pagnin. et Vatablus. Hinc veteres hæretici, ut Marcion, Manes, et alii ceusebant Deum veteris testamenti non fuisse verum, nec perfectum, utpote in quem cadat dolor et pœnitentia. Obiciebat ergo Marcion: *Culpandus est Deus, qui iustitiæ utique non pœnitentia pœnitentiam gessit.* Resp. Tertull. 1. 2. contra Marc. c. 24. *aliam esse pœnitentiam hominum, aliam Dei. In Deo enim nihil aliud intelligitur quam conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione possit admitti in homine, nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa, quam pro rerum variantium se occur-*

*su fieri ostendimus.*

Pulehre S. Chrysost. hom. 1. de pœnitentia, docet in Deo vere non esse pœnitentiam, quia non vult, nec optat nobis malum; sed tantum minatur, ne cogatur illud infligere: *Cuius, inquit, rei gratia quæ facturus es mala prædicis? Ut non faciam quæ prædico. Propterea et gehennam minatus est, quo gehennam non inducat. Terrant vos verba, ne facta conturbent.* Ibidem ostendit quanta fuerit vis fervoris pœnitentiæ Ninivitarum: *Qui, inquit, tribus diebus tantam peccatorum iram solvere valuerunt; et quanta clementia Dei, trium dierum pœnitentiæ contenti pro tot peccatis. Qui enim proposito excitato fervet, atque multa cum solertia pœnitentiam ostendit, brevi temporis momento longævi temporis peccata delere poterit.* Ubi advertit, Chrysost. opinari Ninivitas statim ad prædicationem Ionæ pœnitentiam egisse. Cum ergo Ionas prædicaret: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, sequitur eos per 40. dies pœnitentiam egisse. Verum quia Chrysost. legit: *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur*; hinc censet eos tantum per tres dies pœnituisse. Idem hom. in psal. 7. Homines, inquit, puta hostes, minantur supplicium et reipsa infligunt: *At non sic Deus, sed contra omnino, et prædicat, et differt, et verbis terret, et nihil non facit, ut quæ minatur non afferat. Hoc etiam fecit in Ninivitis. Nam ille quoque arcum tetendit, et gladium vibravit, et iacula paravit, et ictum non infligit. An non tibi videntur Prophetæ verba esse arcus, et telum, et gladius acutus, quando dicit: Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur? sed telum non emisit: non ideo enim erat aptatum ut emitteretur, sed ut reponeretur.*

ET MISERTUS EST DEUS SUPER MALITIAM.) *Malitiam, Vers. 10.* id est, afflictionem; Hebr. *pœnituit eum super malo quod illis inferre decreverat*, q. d. Revocavit sententiam punitionis et excidii latam in eos; quia videns pœnitentiam, eorum misertus est. Tropol. Abbas Ioseph apud Cassianum collat. 17. c. 25. Hoc exemplo Dei, inquit, *edocemur, non debere nos obstinate in nostris definitionibus perdurare, sed comminationem ex necessitate propositam clementi miseratione mollire.* Et subditis peccantibus, si culpam agnoscant, et veniam petant, parcamus; sicut Ninivitis peperit Deus.

## C A P U T Q U A R T U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Dolet Ionas Ninivitis contra oraculum suum parci: hinc Deus eum per umbram hederæ vermemque eam corrodentem, corripit et erudit.*

1. **E**T afflictus est Ionas afflictione magna, et iratus est: 2. Et oravit ad Dominum, et dixit: Obsecro Domine numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. 3. Et nunc Domine, tolle quæso animam meam a me: quia melior est mihi mors quam vita. 4. Et dixit Dominus: Putasne bene irasceris tu? 5. Et egressus est Ionas de civitate, et sedit contra orientem civitatis: et fecit sibi umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. 6. Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Ionæ, ut esset umbra super caput eius. et protegeret eum: laboraverat enim: et lætatus est Ionas super hederam, lætitia magna. 7. Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: et percussit hederam, et exaruit. 8. Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti: et percussit sol super caput Ionæ, et æstuabat: et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit: Melius est mihi mori, quam vivere. 9. Et dixit Dominus ad Ionam: Putasne bene irasceris tu super hederam? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem. 10. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret: quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit. 11. Et ego non parciam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et iumenta multa?

Vers. 1. **E**T AFFLICUS EST IONAS.) Cum elapsis quadraginta diebus vidit oraculum suum frustrari, et Niniven non subverti, ut ipse prædixerat. Afflictionis causam varii variam dant: Primo, S. Hieron. et Remig. censent eum afflictum ex amore populi sui, eo quod sciret Gentium salutem fore ruinam Israël. Cum ergo Deum videret misericordiam exhibere Ninivitis, censebat eam subtrahendam a Iudæis, iramque Dei illis imminere; et ea de causa tantopere indoluit. Secundo, Arias censet eum indoluisse paritum Assyriis, eo quod sciret per eos puniendos et vastandos Israelitas. Verum hoc gratis dicitur. Tertio, Vatabl. censet eum doluisse, quod Iudæi incitati tot minis Prophetarum, tam duri essent ad pœnitentiam, cum Ninivitis ad eam tam essent faciles, ut uno eius oraculo com-



puneti, totos sese dederent ieiunio, sacco et cineri. Verum aliam causam dat Ionas.

Dico ergo cum afflictum fuisse, eo quod videret Deum purgere Ninivitis pœnitentibus, ac consequenter suum oraculum, quo eam evertendam prædixerat, reddi vanum et falsum, ideoque timeret se irridendum, et habendum falsum Prophetam. Nimius ergo et indiscretus amor honoris proprii, fuit causa huius afflictionis, impatientiæ, et iræ Ionæ. Unde optat mori potius, quam cum ignominia vivere, inquit Theodor. Ita et Theoph. Albertus, Clarius, Dionys. et alii. Ita et S Ephrem serm. de Iona, qui Ninivitas ita Ionam consolantes inducit: *Noli contristari o Iona, sed gaude: quia novam vitam agimus: per te enim bona invenimus, per te universorum Deum agnovimus. Non es mentitus, ne timeas: subversa enim nostra est malitia, et exallata fides in manu tua. Nam angelos in excelis gaudio perfundens, merito ipse super terram in eo gloriari et exultare debes: quia Deus de nobis gaudet in caelis.*

Nota. Optat Ionas rem iustam, unde non peccat mortaliter: optat enim ut Ninivita ob peccata præterita puniantur, utque sententia Dei in eos lata non revocetur, esto pœniteant; sic enim iudex Iatronem ob facta suspendit, esto cum pœniteat. Sed quia id optat indiscretum zelo, et vano fine; mirum ut honori suo consulat eum tanto Ninivitarum damno, peccat venialiter. Hæc ita se habere, patet ex verbis Ionæ, et ex verbis Dei eum redarguentis, vers. 11. cum ait: *Et ego non paream Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum.*

Moral. de zelo indi secreto.

Moraliter discere, quam perversus sit zelus indiscretus, quamque displiceat Deo. Ionas enim cogitare debebat, seque consolari quod magis hic ageretur honor Dei, qui miserat Ionam, quam suus; ac Deo curæ fore honorem suum, ne haberetur mendax. Rursum cogitare debebat oracula Dei minacia solere esse conditionata, ideoque præmitti a Deo, ut homines inducant ad pœnitentiam, itaque eis pareat. Mutatis enim rebus et personis, mutatur decretum et sententia Dei. Quocirca hæc mutatio non est in Deo, Dei que decreto; sed in ipsis reis et peccatoribus; sententia enim Dei est hæc: Moriatur peccator, si videlicet in peccato persistat; quod si non persistat, sed pœniteat, non moriatur, sed vivat, Ezech. 18. 32. Discretius et pius Michæas cap. 2.11. cum certum exitium prædiceret impiis, indolens, eorumque vitam suo honori præponens: *Utinam, ait, non essem vir habens spiritum (propheticum) et mendacium potius loquerer.* Verum Ionas passione actus, hæc non considerabat; sed uni honori suo intentus, uti solent homines sui nominis studiosi: *Numquid non hoc est verbum meum, inquit, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Thursis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia; Chald. sententiam revocans, quo minus malum infligas.* Seis hoc o Iona? cur ergo idem non facis? cur iram elementia non temperas? cur Deum tuum non imitaris? cur clemens, id est, divinus esse non vis? Hinc liquet Ionam et Prophetas non habuisse spiritum propheticum, quasi habitum permanentem; sed subinde ab eo deserto fuisse, sibi que relictos, ut pateret eos esse homines cæteris similes; tumque actos spiritu naturali et humano, non divino, quædam egisse et dixisse a charitate, æquitate et veritate aliena, uti fecit hic Ionas.

Simili indiscreto zelo laborabant Iacobus et Ioannes Apostoli, Luc. 9. 54. cum Samaritis indignantes, eo quod repulissent Christum, dixerunt: *Domine vis dicimus ut ignis descendat de cælo, et consumat illos?* Quocirca reprimens eos Christus: *Nescitis, ait, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Simili zelo laborabat S. Carpus, cuius hæc de re visionem longam sed memorabilem recenset S. Dionys. epist. 8. ad Demophilum. Simili laborabat Acacius Episcopus in Cone. Nicæno, qui eum duriores se præberet in recipiendis ad pœnitentiam iis qui a fide aberraverant, audivit a Constantino Imp. *O Acaci scalam a terra in cælum constituc, so-*

*lusque per illam in cælum conscende.* Ita refert Histor. Eccles. p. 2. c. 4. Alius in casu simili a viro sancto audivit: *Si hic errans tibi stetit tuo sanguine, uti stetit Christo, reciperes eum et colligeres, nec sineres eum extra Ecclesie caulam luporum prædæ exponi.* Sauiorem magisque discretum et pium zelum habuit Apostolus erga Iudeos persecutores suos, dum pro iis optabat fieri anathema a Christo, Rom. 9. 1. Et Moses orans pro populo qui vitulum aureum adoraverat, dicensque: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti,* Exodi 32. 32. Et Ioseph fratres a quibus venditus erat, cum lacrymis deosculans, alensque per omnem vitam, Genes. 45. 1.

**ET EGRESSUS EST IONAS.**) Putat a Castro esse hystero- Vers. 5.  
logiam, hæcque verba ponenda recto ordine cap. 3. ante v. 6. Censet enim Ionam finita prædicatione quasi obita legatione, illuc egressum de civitate, ac in tugurio expectasse quadagesimum diem, ut spectaret rei exitum, uti hic dicitur. Ita et Theodoret. Lyran. et Dionys. Verum dieo nullam esse hic hystero-logiam; Ionamque non ante, sed post quadagesimum diem post continuam pœnitentiam Ninivitarum, allietum et dolentem, eo quod oraculum suum de eversione Ninives non completeretur, egressum urbe, ibique plenioris rei exitum expectasse; ut videret an omnino, an ex parte tantum sententiam suam revocaret Deus: sperabat enim Deum saltem aliquam eadem eis inflieturum. Verum cum vidit omnino Deum eis parcere, murmurans fecit, dixit, et audivit ea, quæ hic enarrantur. Patent hæc ex ipso contextu, et serie narrationis, et ex v. 10. ubi reprehenditur Ionas a Deo, eo quod doleret Deum parcere urbi: ergo egressus est post quadagesimum diem, cum videret Deum urbi non intelligere mala, quæ comminatus erat, non ante; nam ante nesciebat an Deus parceretur esset urbi, imo putabat eum non parcereturum.

**HEDERAM.**) Quæ umbraculo a Iona erecto se copularet, Vers. 6.  
eique umbram novam et maiorem adderet. Adde, hederam non solum adversus selis æstum umbraculum præbere, sed et capitis gravedinem ex æstu et lassitudine contractam (unde ait, *Laboraverat enim*) discutiendi vim habere, qua de causa et convivæ vino æstuantes olim hedera coronabantur, ut capitis gravedinem, soporem, æstimumque discuterent. Hinc apud Gentiles hedera sacra erat Baccho, ut patet 2. Machab. 6. 7. Septuag. Syrus, Arabicus uterque et Pagn. vertunt, *cucurbitam*: cucurbita enim quia frigida est, et ampla habet folia, magnam facit umbram, eamque frigidam. Quocirca cum S. Hieron. vertente, *hederam*, expostulavit S. August. epist. 10. ad S. Hieron. eo quod nonnulli ob novationem hanc obstreperant, et in Ecclesia tumultuantur; imo Calvinus S. Hieronymum infidæ versionis et imposturæ palam arguit; et *Cantabellus*, ait S. Hieron. *dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro cucurbita hederam transtulerim.* Resp. S. Hier. Aquilam quoque, Symmachum et Theodot. vertisse, *hederam*. Nam hebr. esse *kikaion*, quæ syre et punice *hikeia*, et *elkerou*, (unde et Talmudici, teste R. David, *kikaion* dicunt esse id, quod arabice vocatur *alckerou*) dicitur, estque genus virgulti in Palæstina. lata habens folia in modum pampini, et umbram densissimam, quod suo trunco se sustinet et eitissime sese dilatat, præsertim in locis arenosis, mirumque in modum, si sementem in terram ieceris, cito confotum crescit in arborem, et intra paucos dies quam herbam videras, arbuseulum suspicis. Hoc cum græce et latine nomen non habeat, Nos, ait S. Hieron. Symmachum, Aquilam et Theodot. secuti, novo nomen vertimus *hederam* (ne, si hebræum nomen *kikaion* postuissemus, lector bestias Indiæ, vel montes Bæotios, uti nescio quid monstri et portentis imaginaretur) idque congrue: quia *kikaion* celerrime proserpit atque obtegit et obumbrat, uti hedera. Adde, ex Theophrasto lib. 3. c. 18. et ex Mathiolo in Dioscor. lib. 2. c. 175. hedera species unam esse maiori folio, quæ non serpit, sed per se consistit, crescitque in arborem; uti facit *kikaion*. Sic pisces vocatus lupos, canes, equos marinos: quia lupis,

Kikaion quid?

eanibus, equis terrestribus sunt similes. Eadem de causa Septuag. *kikaion* verterunt *cucurbitam*, novum ei inde nomen; quia proserpit, et obumbrat, et sana est ut cucurbita; de qua vulgare est proverbium, *Sanior est cucurbita*; esto vere *kikaion* non sit cucurbita, nec hedera nostra. Quare divinant, vel potius errant, R. David, et ex eo Arias et Rabbizantes, qui *kikaion* censent esse id, quod Græci *kiki* vocant, nos ricinum, sive palmam vel manum Christi, ob foliorum articulationem, quæ foliis latis est, et ad umbram appositis. Ricinum enim est herba venenata, consequenter et umbra eius. Quis credat Deum Prophetæ suo præparasse ad umbram herbam venenatam, cum ei ad manum essent tot aliæ salutiferæ? Denique nomina herbarum, lapidum, arborum, animalium apud Hebræos communia sunt diversis multisque speciebus. Quare *kikaion*, ait Ribera et Sanchez, commune est arbutis quæ brevi cresunt, et frondes produunt accommodas ad faciendam umbram: unde Nosler vertit, *hederam*; Sept. *cucurbitam*; alii, *cucumerem*; alii, *platanum*, etc.

Hedera  
symbolam  
vanitatis  
mundi.

Symbolice, hedera symbolum est vanitatis mundi, omnisque rei et spei mandanæ. De hac enim hedera v. 10. in Hebr. dicitur: *Filia noctis erat, et filia noctis periit*, id est, una nocte nata est, una etiam nocte periit. Annon filia noctis est honor, pompa, delicia et divitiæ mundi, quæ una nocte obveniunt, una nocte durant; imo sæpe eadem nocte transeunt et pereunt? sicut vermis hederam subito erodit, sic sæpe morbus, mors, odia, calumniæ, rapinæ, etc. bona mundi auferunt. Putas te quiescere secure in tuis opibus? falleris: sub umbra hederæ quiescis, vermis adversæ fortunæ hederam hanc erodet; et tua umbra, tua spes vana et umbratica evanescent. Hinc Deus ut Ionæ; ita et divitibus, honoratis, etc. sæpe hanc umbram subducit et auferit; ut videant homines spes omnes esse inanes, quas extra Deum in bonis hisce suis collocaunt. Vide quæ de pomo et verme ei innascente dixi Amos 8. 4.

Rursum hedera proprie diæta, acerrimo complexu arbores sibi implicat et vincit, ac vinciendo enecat: hoc idem faciunt amantibus voluptates, et sæpe amasiæ. Quocirca olim Romæ Flamini Diali nefas erat tangere hederam, atque adeo ne nominare quidem fas erat: ut significarent quanta puritas et castitas, æque ac libertas deceat sacerdotem. Nam amare, æque ac rebus terrenis animum implicare, mera servitus est. Inde Proverbium: *Lascivus hederis ambitiosior*. Hinc et hedera dicitur quod hæreat, quodque sequatur quidquid proximum est. Hedera, ait Festus, diæta quod hæreat, vel quod edita petat, vel quia id cui adhæserit edat, quæ in tutela Liberi patris putabatur esse: quia ut ille invenis semper, ita hæc viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum illicat. Vinum ergo, honor et cupiditæ, quæ mentem illicat, sunt hedera, ideoque inimica homini: sicut *Hedera*, inquit Plinius lib. 16. cap. 34. *inimica est arbori, satisque omnibus, sepulcraque ac muros rumpens, serpentium frigori gratissima, ut mirum sit ullum honorem habitum ei*.

Simile est de cucurbita, ut vertunt Septuag. eiusque umbra, de qua audi Theophyl. *Cucurbita*, ait, *umbra est gloria huius mundi: quæ quasi flos fœni nos refrigerat in afflictionum æstu, ideoque a nobis expetitur: sed ferit cum vernis matutinus, scilicet conscientia nostra remordens. et peccatorum nobis sensum exhibens. Ipsa enim quasi sensibilis linea ossium cordisque ob oculos nobis ponens scelera, docensque nos gravibus pœnis dignos, ferit cupiditatem gloriæ, illudque Prophetæ persuadet: Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ipsi. Et paulo post: Eo quod peccavi, flagris cæsus sum.*

LABORAYERAT ENIM.) Ionas æstu corporis, circumdando et prædicando ardente sole, et magis æstu ac dolore animi, quod videret suum oraculum irritari.

Vers. 7.

PARAVIT DEUS VERMEM.) Syrus et Arabicus uterque, præcepit Deus vermi; præcepit, id est, ordinavit, disposuit, incitavit, impulsit: instinctus enim naturalis in Script. vocatur præceptum. Per *vermem* accipe vel erucam, ut Theophyl. vel teredinem, ut Arias; vel potius aliquem alium extraordinarium, nostris mordaciorum et voraciorum.

Nam hunc vermem non fuisse ordinarium, patet ex eo, quod subito hederam erodit in aurora, ita ut illa exaruerit et deciderit, antequam sol incalesceret, et feriret caput Ionæ: hoc autem facere tam cito nequit vermis unus naturalis et ordinarius. Ubi Nota. Pro *ascensu diluculo*, Chald. clare vertit, *sub ascensum auroræ*, scilicet diei sequentis diem præcedentem eiusque noctem, qua nata erat hedera.

Allegor. S. Hieron. et S. August. epist. 49. qu. 6. Ionas, id est, vetus testamentum, habuit umbraculum hederæ, id est, promissiones terrenas, quæ erant umbræ futurorum in lege nova; has succedit Christus, qui est ipsa veritas, atque absque ullo semine oritur, et dicit: *Ego sum vermis, et non homo*, Psalm. 21. qui inscribitur, *Pro susceptione matulina*. *Vermis*, inquit S. August. est Christus propter humilitatem carnis, fortassis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacumque re terrena sine ullo concubitu nascitur. *Matulinus est, quia diluculo resurrexit*. Ionas succisa hedera dolet, sic Iudæi succisa lege Mosis lugent, imo Christo et Christianis indignantur.

Rursum Symbolice, S. Hieron. Sunt, inquit, qui vermem et ventum urentem Romanos intelligant duces, qui post resurrectionem Christi, Israel penitus deleverunt.

PRÆCEPIT POMINUS VENTO CALIDO.) Heb. *vento קדים* Vers. 8. *kadim*, id est, Orientali; puta Euro, qui calidus est, urens et torrens. Ita Pagnin. et Tigurina.

ET ÆSTUABAT.) Tigurina. *et pene exanimatus est æstu*: ingens enim æstus fuerit oportet, qui cum impulerit petere ut moreretur. Unde Septuag. vertunt, *et angustabatur et relinquebatur anima sua*, uti habent Complut. et Regia; licet Romana habeant, et *angustiabatur, et tæduit eum animæ suæ*; Chald. *et erat deliquium animi patiens*. Tropol. sicut hedera quæ umbram faciebat Ionæ, corrosa a verme, sol æstuans percussit caput Ionæ; ita et tuis o homo viribus a morbo aut senio arrosis, mors te percutiet.

BENE IRASCOR EGO USQUE AD MORTEM.) Bene, id est, Vers. 9. *valde*; aut potius, *iuste et merito*. Unde vertit Pagnin. *vehemens mihi ira est usque ad mortem*; Tigurina, *iusta est ira mea, ut etiam mori cupiam*; Septuag. *valde contristatus sum ego usque ad mortem*. Sicut enim vehemens tristitia Christum adegit, ut diceret, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, q. d. Tristitia tanta est, ut pene me exanimet et vitam mihi adimat: sic et vehemens ira hominis adigit, ut optent amentque mori; præsertim si eis obstitatur, ut difficultatem ob quam irascuntur amoliri non possint: tunc enim vehemens ira vehementem parit tristitiam, mœrorem et desperationem.

Dolet Ionas de umbra hederæ, sic multi dolent et contendant *de umbra asini*, ut vulgo dicitur, id est, de re parvi vel nullius momenti. Fabulam ex qua natum est hoc proverbium, narrat Aristophanes in *Vespis*, et Plutarch. in vita Demosthenis. Meminit et Apuleius lib. de Asino aureo. Demosthenes, inquiunt, cum iudices parum haberet attentos, ut eos attentos redderet, narravit fabulam dicens: Quidam conduxerat asinum, quo Athenis veneretur Megaram; in itinere ardente sole meridie non habens aliud umbraculum, depositis elitellis sub asino sedens, eius umbra semet obtegebat. Caterum id agaso non sinebat: hominem inde depellens, clamansque asinum esse locatum, non asini umbram. Alter item ex adverso tendebat, asseverans etiam asini umbram conductam esse. A rixa ventum ad verbera, inde ad ius et tribunal. Hæc locutus Demosthenes, repente descendit, et discessit. Revocatus a iudicibus ut reliquum fabulæ enarraret, ait: *Hanc de asini umbra libet audire, viri vero de vita periclitantis causam audire gravamini?*

TU DOLES SUPER HEDERAM, IN QUA NON LABORASTI.) Vers. 10. q. d. Si adeo doles ob hederam vilem herbam, quæ cito nascitur, et cito perit, succisam; quanto magis una mecum dolere et poenitere debes de interitu tantæ urbis, totque centenorum millium animarum, quot sunt in Ninive, eisque poenitentibus misereri, et parcere? Sic hodie non desunt nobiles, qui magis dolent in morte equi, quam fa-

muli; imo qui famulos euecant in eultura agrorum, ovium, avium; maluntque perdere hominem, quam falconem, equum, vel accipitrem.

Pulehre S. Ephrem serm. de Iona: *Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam et prudentiam addidisse, ac quanta sit vis divinæ clementiæ. Tu pareis cucurbitæ, et ego civitati. Tugurium tuum sit speculum civitatis. Tugurium abiectum quaris, et urbem funditus evertis? ubi rectum iudicium tuum o Iona? cucurbitam civitate potterem ducis? Saper vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, et in civitatem durissimum ac severissimum te exhibes? Et paulo post historiam Ionæ ita prosequitur: Congregatique respicientes adorabant eum, ac munera cum decimis suis offerbant. Aperuit rex thesaurus, et obtulit ipsi dona valde honorifica; uno omnium ore celebratus est Ionas, ingressusque in curru regio concessit. Deinde subdit, regem misisse viros qui Ionam in Ierusalem honorifice reducerent, et per hospitia commode tractarent, quos ipse appropinquans Ierusalem, osculo et amplexu salutans, dataque illis benedictione, domum remisit: noluisse enim permittere, ut ipsi licet multum rogantes, urbem sanctam ingrederentur, ne viderent idola et scandala gentis suæ.*

QUÆ SUB UNA NOCTE NATA EST, ET SUB UNA NOCTE PERIIT.) Hebr. *quæ filia noctis erat, et filia noctis periit*, id est, quæ una nocte orta est, et una nocte periit. Ita Vatabl. et Pagnin. Clare Chald. *quæ in hac nocte fuit, sed nocte altera periit*. Prima enim nocte nata fuit hedera, quæ sequente die cum arderet sol, Ionam ab æstu sua umbra protexit; sequenti nocte finiente, puta in aurera, vermis iussu Dei erosit hedera; unde sol oriens afflixit Ionam, ut æstualet, cuperetque mori. Bidui ergo spatium hæc peracta sunt.

VERS. 11. CENTUM VIGINTI MILLIA HOMINUM.) Hebr. *duodecim ribbo*, id est, *dena millia*, id est, 120. millia: duodecies enim decem faciunt centum viginli. Ita Septuag. Pagnin. Tigurina, quæ vertit, *duodecim myriades*: myriades enim continet decem millia: alioqui si sumas myriadem pro millioe, falsum erit. Quis enim credat in Niivive fuisse duodecim milliones infantium? millio enim continet decies centena millia.

QUI NESCIUNT QUID SIT INTER DEXTERAM ET SINISTRAM.) Id est, bonum et malum. Est proverbium. Phrasis hæc petita est a pueris, *qui nesciunt utrum dextera an sinistra valentior, et usui cuiuslibet aptior sit: quia nondum experti sunt, æqualiter enim adhuc pro tempore, quia nuper de vulva prodierunt, utrumque brachiolum, utraque manus omnino imbecillis est*, ait Rupert. qui mystice id adaptat iis, qui nesciunt quid iuter Dei veritatem, et hominum mendacium intersit.

Ex hoc loco Theologi, ac nominatim Gabriel Vasquez 3. p. q. 68. a 8. disp. 234. c. 3. recte confutat Lutheranos, qui docent nos iustificari præcise per fidem ex opere operantis, non per Sacramenta ex opere operato: Sacramenta ergo ad hoc tantum adhiberi, ut fidem recipientis excitent, qua iustificetur: ac proinde parvulos, qui in baptismo purgantur a peccato originali ac iustificentur, elicere actum fidei qua iustificentur, sicut elicit S. Ioannes Baptista in utero matris, Luc. 1. 44. Hæc enim dogma non tantum est contra omnem experientiam, sed etiam contra Scripturam hoc loco, quæ docet parvulos nescire quid sit inter dexteram et sinistram, id est, non discernere inter bonum et malum. Si enim haberent fidem, utique discernent inter bonum et malum. Fides enim discernit virtutes a vitiis, æterna a temporalibus, Deum a creaturis. Nam ut ait Apostolus Hebr. 11. 1. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Quocirca hoc Lutheri dogma adeo stolidum visum fuit Anabaptistis, ut ipsi maluerint docere parvulos non esse baptizandos: sed exspectandum dum adolescant, et rationis compotes, actum fidei qua iustificentur, eliciant, potius quam admitterent parvulos ratione uti. Ecce in quæ angustias, in quæ absurda hæresis agit Novantes. Quare S. August. lib. 1. de Pec. mer. cap. 33. ridet quosdam

Pelagianos, qui in infantibus actualia peccata esse dicebant. Experimur enim, inquit, eos adeo usu mentis destitutos esse, ut nec ubi sint sentiant, et iuxta se iacentibus mammis, magis possint esurientes flere quam sugere: quippe qui nec mammam quidem ipsas, nec aliud aliquid norint. Quomodo Deum agnoscant, qui nec mammam, nec matrem agnoscunt?

Moral. discere hic, quam Deus clementior sit homine etiam sancto, quamque satius sit confugere ad Dei, quam ad hominum tribunal. Si Ionas in causa Niivitarum fuisset iudex, tulisset in omnes licet pœnitentes, ob præterita scelera sententiam mortis; eo quod hanc tulisset Deus ante eorum pœnitentiam; verum Deus contrariam fert sententiam, qua eos ob pœnitentiam a morte absolvit. Ita David proposita ei a Nathan optione gladii, famis et pestis, elegit pestem dicens: *Melius est ut incidam in manus Domini (nullæ enim misericordiæ eius san) quam in manus hominum*, 2. Reg. 24. 14. Errat ergo Seneca lib. 2. de Clementia c. 5. dicens, *misericordiam vitium esse pusillitanti*, ut speciem alienorum malorum succulentis. Verius Arist. lib. 2. Rhetoric. cap. 8. *Sapientis, ait, misericors est, insipiens immiseriçors et invereçundus*. Hoc est quod profitetur Ecclesia in Collecta Dominicæ decimæ post Pentecosten: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes, celestium bonorum facias esse consortes*. Unde Biblia Gothica hic in fine Ionæ addunt, eumque hac sententia concludunt: *Sed paream et miserebor eis, quoniam magnum est nomen meum*.

Rursum Deus hic docet Ionam nosque omnes, conformare nos voluntati divinæ per omnia, ut cum opus aliud iubet, illico alaeriter et fortiter illud inehoemus et prosequamur; cum vero ab eo cessare iubet, vel illud fructu et effectu suo frustratur, illico tranquilla mente cessemus, et patienter feramus opus et laborem nostrum suo destituti fine et fructu. Quid enim querimus, nisi facere voluntatem Dei, eique per omnia nos conformare? At voluntas Dei iam est, ut opus inchoatum relinquas, imo destruas; ergo illi acquiesce: alioqui non Dei voluntati, sed tuæ phantasie et cupiditati servis. Atque hæc in re consistit animæ sanctæ perfectio, ut in omnibus actibus et eventibus, tam adversis quam prosperis, plena resignatione humillime et integerrime quisque se Deo resiguel, ac quidquid evenerit acquiescat, et tranquilla, imo iucunda mente de Dei manu accipiat: denique gaudeat hac in re Dei voluntatem impleri, dicatque cum S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*. Ita Abraham iussus immolare filium, strinxit in eum gladium; at ubi sensit se revocari ab angelo iussu Dei, illico gladium in vaginam reposuit: ac sicut non fuit contristatus, cum accepit a Deo mandatum immolandi filium; sic nec gavisus est, cum Deum hoc mandatum revocantem, et filio parentem audivit: quorum utrumque fuit actus magni et heroici animi, totum se Deo tradentis, ideoque ad omnia indifferentis et parati. Sic S. Ludovicus inspiratione Dei traiecit in terram sanctam, ut illam Deo et Ecclesie restitueret: at omni hoc sui conatus fructu frustratus, imo captus, tranquille conquievit in Dei beneplacito. Utique hæc tranquillitas acquiescendi par, imo maior fuit magnanimitate tanti operis et expeditionis. S. Franciscus Dei instinctu profectus in Ægyptum ut Soldanum converteret, aut ab eo martyrii laurea donaretur, cum neutrum succederet, tranquillus rediit, totum se Dei voluntati resignans. Idem fecere alii Sancti. Quocirca S. Ignatius fundator Societatis nostræ, ita suam in Dei voluntatem transtulerat, ut diceret: *Si casu aliquo Societas a me inchoatu, et tantis laboribus promotam dissolueretur aut interiret, post mediam horam in oratione positam, nullam ex illa re, qua nulla mihi tristior accidere posset, molestiam, Deo adiuvante, caperem*. Sancti ergo sinunt se gyryari et regyryari a voluntate Dei, sicut equus gyryatur et regyryatur a sessore.

# COMMENTARIA

IN

# MICHAEAM PROPHE TAM

## ARGUMENTUM.

**M**ICHÆAS, ait S. Hier. ad Paulinum, de Morasthi, *A* cohæres Christi, vastationem annunciat filix la-tronis, et obsidionem ponit contra eam, quia ma-xillam percusserit iudicis Israel. De eodem sic scribit Epi-phan. in eius vita: *Michæas Marathides Propheta, de tribu Ephraim oriundus, cum plurima designasset Achab regi Iuda, ab eiusdem filio cui nomen Ioram, præcipitatus occu-buit; eo quod de iniquitatibus suis progenitorumque suo-rum quas perpetraverant, redarguisset. Is mortis carcere liberatus, in Marathi propria terra plane solitarius tumu-lum iuxta polyandrium sortitus est. Est quidem monumen-tum ipsius usque in hodiernum tempus nobilissimum. Ea-dem habet Dorotheus in Vita Michææ. Sentiunt ergo hi Au-ctores, Michæam hunc vixisse tempore Achab et Iezabelis.*

Michææ  
duo.

Verum Nota Primo, alius est hic Michæas a Michæa filio Iemla, qui prædixit stragem et necem Achab, 3. Re-gum 21. 14. quem Euseb. in Chron. ait cœpisse prophe-tare anno quinto Iosaphat (licet aliqui in Eusebio pro *Mi-chæas*, censeant legendum *Elias*) nam ille vixit sub Achab et Iosaphat, hic vero noster sub Ioathan et Achaz: hic ergo illo fuit posterior ducentis, vel centum quinquagin-ta annis. Rursum ille in Israel, hic in Iuda vitam egit. Prophetavit Michæas sub Ioathan, Achaz et Ezechia, ut ipse ait c. 1. 1. ergo non sub Iosia, ut habet Isidorus: nam inter Ioathan et Iosiam fluxerunt anni centum viginti.

Michæas  
Propheta  
fuit Mo-  
rasthi-  
tes.

Nota Secundo, hic Michæas oriundus fuit de Morasthi, qui fuit viculus in tribu Iuda iuxta Eleutheropolim, ad Orientem eius. Chaldæus, Clarius, Arias, et Vatabl. pu-tant esse eundem cum Maresa. A Maresa enim vel Mo-reset deductum videtur Hebræum nomen patronymicum Morasthi, id est, Morasthites, quod hic Michææ attribui-tur. Verum S. Hieron. docet, Morasthi nomen esse loci distincti a Maresa. Unde ipse in Epitaphio Paulæ scribit suo tempore ibidem extitisse sepulcrum Michææ, illud-que conversum fuisse in ecclesiam, quam S. Paula inuisit religionis ergo: sic et Adrichomius, et alii in Descriptio-ne terræ sanctæ; sic et Remigius, Haymo, Rupertus, Hu-go et Lyranus hic. Fuit ergo Michæas oriundus ex tribu Iuda, non Ephraim, uti censuit Epiphau. Isidorus et Do-rotheus in Synopsi: unde c. 1. 9. ait, *Venit usque ad Iu-dam, tetigit portam populi mei usque ad Ierusalem.* De

Maresa vero quasi de peregrina dicit v. 15. *Adhuc hære-dem adducam tibi, quæ habitas in Maresa.*

Michæas Martyr occubuit occisus gladio, ait Theoph. unde Sanctorum catalogo ascriptus in Martyrologio lo-gitur die 15. Ianuarii. Ibi enim sic legimus: *In Iudæa SS. Habacuc et Michææ Prophetarum, quorum corpora sub Theodosio Seniore divina revelatione reperta sunt.* Revelationem hanc narrat Sozomenus lib. 7. c. ult. Cas-siodor. in Hist. Tripart. l. 1. c. 49. Nicephor. l. 12. c. 48. Audi Sozomenum: *Atqui non sola hæc religionem cohæne-stabant, verum et Habacuc, et post eum non longo inter-vallo, Michæas, inter Prophetas primi, circa hoc tempus apparuerunt. Amborum autem corpora per divinam in so-mnis visionem indicata sunt Sebanno, tum temporis Eleu-theropolis Episcopo. Erat autem nomen eius civitatis Ca-la, quæ antea Cila vocabatur, in quæ repertus fuit Haba-cuc. At Baratsatia locus est circiter decem stadiis ab ea civitate distans, in quo Michææ sepulcrum erat, quod monumentum fidele vocabant indigenæ, ignari quid dice-rent, *Nephasa neemana*, (id est, animam fidelem, vel cor-pus fidele: anima eum metonymice sumitur pro corpore, etiam mortuo, puta pro cadavere; ut in Levit. ostendi) lingua patria appellantes.*

Argumentum Michææ est, taxare idololatriam, vitiaque ex ea nata, ac præsertim oppressionem pauperum tam Samariæ, quam Ierusalem; puta tam decem tribuum, quam duarum. Et quia Samaria idololatriæ vitiorum initium dedit, eamque communicavit Iudæ sub Achaz impio rege, hinc primo excidium Samariæ per Assyrios, deinde exci-dium Hierosolymæ per Chaldæos comminatur, stragem-que et captivitatem populi, præsertim principum tam lai-corum quam Ecclesiasticorum, qui in scelere duces fuere populo, prænunciat: post hæc tristitia, de more læta subiungit, eodemque consolatur, promittens lætum reditum e Babylone per Cyrum, et lætorem ex peccato, morte et gehenna regressum ad gratiam, vitam et Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem per Christum, quem in Bethlehem nasciturum prædicit. Nota. Michæas in stylo et spiritu similis est Isaïæ eiusque quasi æmulus, unde et eundem subinde ad verbum citat, ut patebit c. 4. 4. et c. 5. 1. Vide can. 6. in præmio.

Argu-  
mentum  
Michææ.

## C A P U T P R I M U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Denunciat excidium primo, Samariæ, quia illa fuit prima et princeps idololatriæ, cuius opes quasi mercedes me-retricis, id est idololatriæ, ad meretrices, id est, ad Assyrios pariter idololatrias, reversuras, prædicit. Nomi-nat autem aliquot eius urbes, scilicet Aphra, Sappir, Saanan, cum ea vastandas, in quarum etymo eleganter ludit, uti ostendam v. 10. et seqq. Deinde v. 12. idem excidium prædicit Iudæ, quæ in idololatria imitata est Samariam; ac nominatim Lachis, quæ prima urbium Iuda, suscepit idola Israel, ac Bethaetsel, Maroth, Maresa et Odollam.*

1. **V**ERBUM Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Ioathan, Achaz et Ezechia, regum Iuda: quod vidit super Samariam, et Ierusalem. 2. Audite populi omnes, et attendat terra, et plenitudo eius: et sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo. 3. Quia ecce Dominus egre-

dietur de loco suo: et descendet et calcabit super excelsa terra. 4. Et consumerunt montes subtus eum: et valles scinduntur sicut cera a facie ignis, et sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. 5. In scelere Iacob omne istud, et in peccatis domus Israel: quod scelus Iacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Iudæ? nonne Ierusalem? 6. Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinca: et detraham in vallem lapides eius, et fundamenta eius revelabo: 7. Et omnia sculptilia eius concidentur, et omnes mercedes eius comburentur igne, et omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur. 8. Super hoc plangam, et ululabo: vadam spoliatus et nudus: faciam planetum velut draconum, et luctum quasi struthionum. 9. Quia desperata est plaga eius, quia venit usque ad Iudam, tetigit portam populi mei usque ad Ierusalem. 10. In Geth nolite annuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo pulveris pulvere vos conspergite. 11. Et transite vobis habitatio Pulchra, confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: planetum domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. 12. Quia infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum a Domino in portam Ierusalem. 13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel. 14. Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth: domus mendacii in deceptionem regibus Israel. 15. Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa: usque ad Odollam veniet gloria Israel. 16. Decalvare, et tondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila: quoniam captivi ducti sunt ex te.

Vers. 1.  
Michæam  
etymon.

**AD MICHÆAM.**) Michæas hebraice dicitur *Micha*, id est, *pauper*, quia pauperem Christum rure in Bethlehchem naseiturum prædixit et adumbravit. Verum quia *Micha* per crasin idem esse potest quod *Michahu* (ut patet 2. Paralip. c. 18. 8.) id est, *quis sicut ille*? ac idem quod *Michaia*, et *Michaiahu* ( ut patet 2. Regum 22. 12. Iudic. 17. 1. et 2. Paral. 13. 2. in Hebræo ) ut significet idem quod *Michael*, id est, *quis sicut Deus*? Morasthi, id est, *hæreditas mea*. Hinc Noster, Septuag. et alii eum vocant non *Micha*. sed Michæam. Quocirca S. Ambros. enarrat. 1. in Michæam, quæ exstat in fin. tom. 2. operum eius: *Michæas*, ait, *significat quis a Deo? vel, ut alibi invenimus, quis iste? Morasthi filius, hæres. Quis autem hæres, nisi filius Dei, qui ait: Omnia mihi tradita sunt a Patre. Et eum ipse esset hæres, voluit nos esse coheredes. Merito quis iste? non e populo unus, sed electus ad gratiam Dei, in quo loquitur Spiritus sanctus.*

**IN DIEBUS IOATHAN, ACHAZ, ET EZECHIE.**) Hinc patet Michæam paulo post Osee, Ioel, Abdiam et Ionam cœpisse prophetare; sed eum iis perrexisse obire idem munus. Nam illi cœperunt sub Ozia, qui fuit pater Ioathan, Ioathan fuit pius rex æque ac Ezechias; impius vero et idololatra fuit Achaz. Quocirca Michæam reveritus est, eiusque oraculis licet liberis et minacibus compunctus fuit Ezechias, uti narrat Jeremias cap. 26. 47. et seq. Ioathan regnavit annis 16. totidem Achaz, Ezechias vero annis 29. Quare si omnibus hisce annis prophetavit Michæas, sequitur eum prophetasse annos 61. Verum ignoratur an cœperit primo anno Ioathan, et an finierit ultimo Ezechie. Hinc utrinque demendo aliquot annos, coniectat Arias eum quinquaginta plus minus annis prophetasse.

**QUOD VIDIT.**) Quod, scilicet *verbum*. Prophetia enim nunc vocatur *visio*, nunc *verbum*: quia Prophetæ eam oculis mentis videbant, et auribus mentis eandem a Deo loquente audiebant. Mens enim suas habet aures et oculos, sed mentales, non corporales. Quocirca in mente idem est audire, quod videre, scilicet cognoscere et intelligere: hinc prophetia mentalis nunc vocatur *verbum*, nunc *visio*, nunc dicitur audiri, nunc videri: de quo plura dixi Isaïæ 1. 1.

Vers. 2.

**AUDITE POPULI OMNES, ET ATTENDAT TERRA.**) Hebræorum scilicet. Hisce enim solis loquitur. Imitatur Isaïam, qui simili modo et patho orditur: *Audite cæli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.* Pari modo stilus Michææ similis est stylo Isaïæ: uterque enim elegans est, acer, concisus, patheticus. *Terra, id est, terra* huius incolæ. Unde explicans subdit:

**ET PLENITUDO EIUS.**) Et significat, id est, *plenitudo* sunt eives et indigenæ: hi enim urbes et pagos terræ implent, unde Septuag. vertunt, et omnes qui in ea.

**ET SIT DOMINUS DEUS VOBIS IN TESTEM.**) q. d. Dominus sit testis, quod scilicet ego secundum officium et munus prophetiæ et prædicationis mihi a Deo commissum, vos moneam et exortipiam de vestris idolis et sceleribus, elademque et excidium nomine Dei prædicam et in-

tentem, q. d. Si superbi, rebelles et obstinati non parca- tis hisce meis monitis et minis, ideoque perca- tis Deum, me vos hac de re præmonuisse, ac proinde vos non mea, sed vestra culpa et obstinatione inexcusabiles perire; ut non mihi, sed vobis excidium vestrum ascribere debeatis. Hinc Chald. vertit, *sit verbum Domini Dei contra vos in testem.*

Aliter S. Hieron. Theodor. Haymo, et Lyran, q. d. Testor Deum, hanc meam prophetiam non esse meam, sed Dei; quod scilicet ego hæc non fingam, sed a Deo audierim. Aliter quoque Rupert. q. d. Testis sit Deus, quod ipse sua pacta vobiscum iniata servarit, vos vero eadem violaveritis; itaque culpa perditionis vestræ non Deo, sed vobis sit ascribenda. Verum prima expositio est genuina, ut patet consideranti antecedente et sequentia. Ante enim citavit populum, ad audiendam Dei de ipsorum sceleribus sententiam: hic ergo Deum in testem vocat, quod illam sententiam eis indicarit et prænucciarit, ne causentur se non fuisse præmonitis. Sententiam Dei subdit dicens: *quia ecce Dominus egredietur etc. et calcabit super excelsa terra, etc.*

**DOMINUS DE TEMPLO SANCTO SUO.**) q. d. Dominus qui in cælo quasi in templo suo augustus, omni- que cultu adorandus residet, indeque contempletur terram, omniaque hominum opera; ipse sit vobis mihi- que testis, quod hæc eius oracula et decreta vobis enunciarim.

**QUIA ECCE DOMINUS EGREDIETUR DE LOCO SUO.**) Hic incipit sententia et oraculum Dei, editum per Michæam. Anthropopathice dicitur Deus egredi et descendere de cælo, eum in aere vel terra suum brachium et potentiam ostendit, ac mira nova- que operatur: Deus enim quoad substantiam invisibilis est, tantumque videtur per operationem. Sicut ergo angelus dicitur egredi aliquo, eum ibi operatur (imo S. Thom. censet angelos non esse in loco, nisi per operationem, quod tamen alii merito, et eum ratione negant: angelus enim etiamsi nihil operetur, est in certo et definito loco per substantiam suam) sic et Deus. Præsertim vero dicitur egredi, quasi iudex et vindex ad cognoscenda, iudicanda et puni- enda gentium hominumque scelera: et quasi dux et antesignanus Assyriorum et Chaldæorum, similiumque Gentium, quas Iudæis aliisque populis immittit, ad hanc suam sententiam et vindictam exequendam. Graphice hunc Dei quasi bellatoris in aciem contra hostes egressum poetica hypotyposi depingit Psaltes ps. 17. 10. *Inclinavit, inquit, cælos, et descendit, et caligo sub pedibus eius. Et ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum. Et intonuit de cælo Dominus, etc. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos; fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Hinc Ezech. c. 1. vidit Deum eum- que ventum, et stipatum Cherubinis ad bellum procedere, puta ad excidium Ierusalem.

Aliter Rupert. *Egredietur, ait, Dominus de loco suo: quia relinquet templum, et Iudæam, eamque cedet Chaldæis.* Sic Ezechiel vidit eundem templo egredi cap. 3.

12. et in templo paulo ante adventum Titi audita est vox: *Migremus hinc*, teste Iosepho lib. 7. Belli c. 12. Sic Gentiles, obsidentes urbem aliquam, ex ea certo carmine evocabant Deos tutelares, ut ad se transirent, credentes alioqui urbem capi non posse, teste Macrobio lib. 3. c. 9. Hinc Virgil.

*Excessere omnes adytis, arisque relictis*

*Dii, quibus imperium hoc steterat:*

significans iam actum esse de Troia, Æneid. 2. Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum.

Dei proprium opus est beneficere, alienum punire.

Symbolice S. Hieron. Hugo et Lyran. Deus, inquit, egreditur de loco suo, cum punit et castigat: Dei enim proprium est misereri et parcere. Locus ergo et solium Dei est clementia. Cum ergo peccatis irascitur et flagellat, videtur de loco suo egredi, ac personam clementiæ deponere; imo naturam suam benignam exuere, et alienam, puta rigidam et sævam, induere. Hoc est quod de Deo ait Isaias c. 28. 21. *Sicut in valle quæ est in Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus eius: ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo*, q. d. Opus vindictæ est peregrinum et alienum a Dei natura, quæ est ipsa benignitas et clementia, sed ad hoc opus quasi cogunt Deum impii per sua scelera.

ET CALCABIT SUPER EXCELSA TERRÆ. Hoc est, calcabit excelsos et potentes, puta optimates Israel; hi enim metaphoricè vocantur *excelsa terræ et montes*; sicut ex adverso plebem vocat *valles*, dicens:

Vers. 4.

ET CONSUMENTUR (hebr. נאמסו *namassu*, id est, colliquescent et dissolventur: ita Tigurina et Pagnin.) MONTES SUBTUS EUM, Deum scilicet, q. d. Deo calcante montes, id est, potentes, illi sub eo instar montium fulmine ictorum liquescent, dissolventur et consumentur. ET VALLES, id est, plebei, SCINDENTUR (Pagn. *scindent se*; Septuag. *tabescunt*, id est, liquescent et consumentur) Sicut CERA scinditur et finditur, tabescit et liquescit, A FACIE, ab ardore, IGNIS; ET SICUT AQUÆ QUÆ DECURRUNT IN PRÆCEPS.) Ita tam divites et potentes, quam pauperes et plebei in Israel defluent, transibunt, et ibunt in ruinam, iuxta illud 2. Reg. 14. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur*. Est hæc sententia, ratio mulieris Thecnitis, qua persuadet Davidi, ut Absaloni condonet eadem occisi fratris Amnon, q. d. Vita hominum fluxa est: Amnon esto non esset occisus, sed vivus, æque debuisset brevi mori; et Absalon brevi morietur: noli ergo o David exigere vindictam, quam natura ipsa brevi illi irrogabit. Quam enim o rex de filio tuo ultionem quæris? mortemne? At iam moritur: omnes enim quotquot homines sumus, quasi flumina præcipiti cursu devolvimur in mare mortis, quæ nobis est domus æternitatis. Aut potius, quasi pluvia dilabimur in terram, ab eaque sorbemur, ut nil ex ea remaneat, quod redire aut colligi possit; scilicet naturaliter. Comparat enim vitam nostram aquæ, non luminis pertranseuntis, sed pluviae dilabentis et evanescentis in terram.

Tropol. cum Deus suæ gratiæ, illuminationis et amoris illapsu descendit in animam, illico ipsa instar ceræ liquefactæ resolvitur, lacrymatur, inardescit, mansuescit, totamque se Deo resignat. Tunc consumuntur montes superbiæ, ambitionis, omnisque vanitatis, æque ac valles pusillanimitatis, timoris, torporis, accediæ. Ita David ps. 21. *Factum est, inquit, cor meum tanquam cera liquecens*. Et Isaias cap. 64. 1. *Utinam, ait, dirumperes caelos, et descenderes: a facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent*. Pulchre S. Greg. in illud Cant. 1. *Osculetur me osculo*. Cum, ait, eius (sponsi) osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in eius similitudinem illico liquefacta transformor.

Vers. 5  
Jacob et Israel  
qui?

IN SCELERE (ob scelus) JACOB, id est, Jacobæorum, puta Iudæorum, OMNE ISTUD exitium quod iam dixi, eis irrogabitur; ET IN PECCATIS, id est ob peccata, DOMUS ISRAEL.) Nonnulli censent *Jacob* hic idem esse quod *Israel*; *Jacob* enim patriarcha luctans cum angelo, eique prævalens, vocatus est *Israel*, id est, *prævalens Deo*, puta angelo, *Dei vicario*. Ad rhythmum ergo, et ad elegantiam

carminis, æque ac ad auxesin, idem aliis verbis, inquit, Michæas nomine Dei repetit et inculcat, q. d. Scelera hæc Iudæorum me exacerbant et provocant ad vindictam, quia sunt scelera *Jacob*, id est, posterorum *Jacob*, quem ita extuli, ut cum esset junior, Esau vero frater eius esset senior, ipsum tamen seniori prætulerim et præelegerim, eiusque familiam mihi in populum et Ecclesiam asciverim. Nec tantum sunt scelera *Jacob*, sed et *Israel*, id est, posterorum *Israelis*, quem hac gratia dignatus sum, ut in lucta cum angelo, ipsum angelo potentior effecerim; ideoque vocarim eum *Israel*, id est, dominantem Deo. Hæc enim beneficia *Jacobo* patriarchæ collata, valde adaugent posterorum eius a Deo apostasiam et ingratitude. *Jacob* ergo et *Israel* significat hic de more decem tribus a *Jacobo* prognatas et proseminatas, quæ idololatriæ fuere duces: ita Remig. Lyran. et Vatabl. aut certe, ut Albert. et Arias. *Jacob* sunt duodecim tribus, *Israel* decem, q. d. Omnes duodecim tribus peccarunt idololatriam, sed maxime decem, quæ duas reliquas iusserunt: illas ergo primo, deinde duas puniam. Secundo, et aptius, *Jacob* hic significat decem tribus, *Israel* duas: *Jacob* enim prius et commune fuit nomen primi patriarchæ decem tribuum: *Israel* vero posterius et excellentius eiusdem fuit nomen, quod ab Angelo, dum eum vinceret, adeptus est. *Israel* enim idem est quod dominans Deo: hinc significat duas tribus, quæ habebant urbem sanctam, templum et cultum Dei, ipsumque Deum intra se; unde ei quasi dominari videbantur. Sensus ergo est, q. d. Non tantum *Jacob*, id est, decem tribus, sed et *Israel*, id est, duæ, puta *Iuda* et *Beniamin*, quibus me meaque in peculium et quasi in dominium tradidi, a me desciverunt: ergo tam has, quam illas puniam. Id ita esse, patet ex explicatione quam subdit Propheta, dicens: *Quod scelus Jacob*, id est, decem tribuum? *nonne Samaria*? q. d. Samaria quæ est metropolis decem tribuum, fuit origo et causa sceleris, id est, idololatriæ, cæteris urbibus decem tribuum, et quæ excelsa *Iuda*, id est, duarum tribuum? *nonne Ierusalem*? Ecce quos immediate ante vocavit *Israel*, hic vocat *Iudam*: *Iudas* autem significat duas tribus: illæ ergo hic vocantur *Israel*, et opponuntur *Jacob*, id est, Samaritæ et decem tribibus, q. d. *Ierusalem* quæ erat sedes regis, templi et Dei, eo derelicto, in excelsis montibus ædificavit altaria et sacella idolorum (quæ proinde pariter *Excelsa* vocantur) eoque ad sacrificia cultumque idolorum invitavit omnes populares suos Iudæos, quod indignissimum est, summeque mihi iniurium, ac longe magis quam idololatria Samaritæ; utpote quæ carebat templo et Deo: ita Theodor. Rupert. Ribera, a Castro et alii.

QUOD SCELUS JACOB, etc.) Hebr. pro quod est נאמי *mi*, id est, *quis*. Unde Vatabl. Arias. Clarius et Pagn. vertunt, *quis fuit causa transgressionis Jacob? nonne Someron*, id est, Samaria? *Et quis fuit causa excelsorum Iuda? nonne Ierusalem?* Vox *quis* notat reges et principes tam decem quam duarum tribuum, toti populo fuisse causam idololatriæ. Sic enim *Ieroboam* primus rex decem tribuum, easdem idola, puta vitulos aureos, colere compulit. Sic et duas tribus ad eadem colenda induxit *Achaz*, *Manasses*, et ante eos *Salomon*, q. d. Reges et principes, qui debebant populo esse duces religionis et sanctitatis, eidem se duces præbuerunt idololatriæ et impietatis, dum in urbe regia, quo totus populus confluebat, erexerunt idola, eaque publice coluerunt, et populum ad eadem colenda verbo et exemplo pellexerunt. Unde Chald. vertit. *ubinam scelus patrarunt domus Jacob? nonne in Samaria? et ubi peccaverunt domus Iuda? nonne in Ierusalem?*

Ita hoc sæculo in Anglia, Transylvania, Dania, Svecia, aliisque regnis et rebuspub. vidimus causam schismatis et hæresis totius regni fuisse ipsos reges et principes a fide apostatantes, et hæresim profitentes. Ex adverso Italiam, Hispaniam, Franciam etc. in vera fide persistere, quia semper principes habuerunt Catholicos et orthodoxos. A rege ergo pendet regni fides, vel infidelitas, pietas vel impietas, salus vel damnatio. Notent hoc principes, scientque pii se magnam in cælis gloriam et coronam, eo et salus.

quod suis subditis causa fuerint salutis, adepturos; impii vero in gehenna se non tantum sua, sed et omnia subditorum scelera, quorum causa extiterunt, luituros. Hoc est quod graviter iisdem inculcat Sapiens c. 6. *Horrende, et cito apparebit vobis ( Deus iudex et vindex ) quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur, etc. fortioribus autem fortior instat cruciatio.*

Vers 6

**ET PONAM SAMARIAM QUASI ACERVUM LAPIDUM, etc.)** Primo, Samariæ, utpote idololatriæ principi, penam intendat; deinde Ierusalem, quæ Samaritam in seclere secuta est. Dicit ergo se Samariam urbem muris, domibus et palatiis magnificam, iis succensis et deicetis redacturam quoad domos quidem et palatia in acervum lapidum; urbem vero ipsam in agrum sive campum, e quo colliguntur lapides in acervum, ut in eo plantari possit vinea. Cum enim aliquo in loco vinea plantatur, prius ex eodem lapides elapidari, id est, eiici et extra eum in eumulum colligi, solent, ne vites et vitium germinationem impediant. Apposite Samariam dicit vertendam in vineam, quia ipsa sita erat in monte vitifero, ac antequam ædificaretur in urbem, fuerat vinea: in montibus enim ob reverberationem radiorum solis plantari solent vineæ, iuxta illud: *Bacchus amat colles*. Sensus ergo est, q. d. Evertam Samariam adeo, ut ipse locus sive mons vitibus conseratur, fiatque vinea; ipsa vero superba Samariæ ædificia et muros per Chaldaeos detrahant, et evertant usque ad fundamenta, adeo ut eorum lapides deiiciantur et devolvantur in vallem subiectam, ibique in acervum accumulentur: ita Theod. Chald. Vatabl. Arias et alii. Simili modo de Ierusalem, sed plana et campestri a Chaldaeis evertenda, ait Michæas cap. 3. 12. *Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.*

Duo ergo hic significat Propheta. Primo, Samariam diruendam usque ad lapidum acervum. Deinde secundo, hos lapides deiiciendos in convallem urbi subiectam, ut in ipsa urbe et monte iam elapidato plantentur vineæ. Id ita esse patet ex Hebræo textu, qui sic habet: *Et ponam Samariam in acervum agri, in plantationem vineæ, et impellam in vallem lapides eius, q. d. Efficiam ut ædes Samariæ corruant, fiantque acervus lapidum, qui eiiciantur in vallem, ad hoc ut vineæ plantentur in loco et monte, ubi nunc est Samaria: ita Pagnin. Vatabl. Arias et alii; quin et Septuag. *Ponam, inquit, Samariam in pomorum custodiam, in agro et plantatione vineæ; et Chald. *Ponam Samariam in acervos agrorum, domum desertam, in plantationes vineæ.* Id ita factum esse ex hoc loco liquet, licet id in libris Regum non enarretur; insinuat tamen. Nam 4. Reg. 17. 24. dicitur quod rex Assyriorum de Babylone traduxerit Cuthæos: *Et collocavit eos, ait, in civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus eius.* Ubi Nota. Non dicit, *Habitaverunt* in civitate, sed, *In civitatibus Samariæ, et, possederunt Samariam, q. d. Cuthæi non tam habitaverunt in urbe Samariæ, utpote iam eversa, et in agrum redacta, quam in civitatibus ei olim subiectis. Fateor tamen aliquos vel ut cives, vel ut colonos habitasse in loco urbis: nam et postea urbs ipsa reædificata est, utpote quam Hyrcanus postea diu obsedit, et tandem expugnavit, soloque æquavit, teste Iosepho lib. 13. Antiq. 17.***

Secundo, alii præcise sumentes verba nostræ Latine versionis, putant Prophetam his verbis non duo iam dicta, sed unum dumtaxat; prius scilicet, quod Samaria redigenda sit in acervum lapidum, significare, ut sensus sit, q. d. Efficiam ut ex tanta urbe non maneat nisi acervus lapidum, similis illi qui fit ex vinea elapidata: nam cum plantatur vinea, locum elapidatum, et lapides extra illum in locum aliquem eiicimus, et eoacervamus temere congestos, quæ structura ( ut ait Rupert. ) cum cemento et calce careat, infirma est; nec lapis hæret lapidi: quare convenit optime Samariæ, quæ semper dissensit a Sione, et ipsa quoque intestinis dissidiis æstuans, gaudebat mutatione, et intersectione regum suorum, inquit Delrio adagio 986. Sic fere et S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Ri-

bera. Hic sensus verus est, sed partialis tantum: prior ergo plenus est et perfectus, eumque exigunt Hebræa, Chald. et Septuag. quibus facile est Latinam versionem, exponendo eo modo quem paulo ante recensui, adaptare.

Nota. Pro *acervum lapidum*, Septuag. vertunt *πωροφυλακίον*, id est, pomorum custodiam: *Ponam, inquit, Samariam in pomorum custodiam*, id est, redigam eam in tugurium, quod in pomariis ex arundinibus vel stramine aut sarmentis erigi solet, ut in eo custos vigilet et excubet, ne fures poma fructosque furentur; quod proinde fructibus collectis, evertitur vel comburitur, q. d. Pari modo per Assyrios Samariam magnificam et splendidam, redigam quasi in antrum custodie, ut de amplissima urbe parvum tuguriolum vix remaneat, ait S. Hieron. ad Suniam et Fretellam in correct. Psalorum, quod deinde omnibus civibus et spoliis collectis et eductis, per eosdem evertam et comburam.

**FUNDAMENTA EIUS REVELABO. )** Diruendo scilicet muros et ædes Samariæ usque ad fundamenta: tunc enim necesse est fundamenta detegi et revelari. Est metalepsis.

**ET OMNIA SCULPTILIA ( idola quæ nunc lingi, nunc dolari, nunc malleari, malleoque efformari, nunc fundi, nunc pingi, nunc sculpti solebant, idque sæpius: unde vocantur sculptilia ) EIUS CONCIDENTUR. )** Ab Assyriis, tum ut rapiant aurum, argentum, æs, etc. ex quo conflata vel sculpta sunt idola: tum quia gentiles hostium suorum Deos, pariter hostes suos æstimabant, et ut hostes concidebant.

**ET OMNES MERCEDES EIUS COMBURENT IGNE. )** Nota. Idololatriam vocat, fornicationem; idololatræ, meretrices; amasios, ipsa idola; merces seu quæstus ex meretricio sunt fruges, opes et commoda; puta copia tritici, vini, lactis, mellis, etc. quæ Samaritæ alique idololatræ se a suis idolis percipere iactabant, aut quæ ex commercio et amicitia Chaldaeorum, et aliarum gentium idololatrarum percipiebant, iuxta illud Osee 2. v. 4. *Vulvam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam, etc. Ety. 12. Corrumpam vineam eius, et ficum eius, de quibus dixit: Mercedes hæc meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Sensus ergo est, q. d. Omnes, id est, pleræque omnes ( nam aliquæ igui superstites remanserunt ) mercedes, id est, fruges et opes quas vel ab idolis, vel ab idololatræ recipiebat meretrix, id est, idolorum cultrix Samaria, comburentur ab eius hostibus Assyriis: ita S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. Rursum *comburentur igne*, partim proprio, partim metapharico, hoc est, diripientur, auferentur, perdentur. Igne enim in Script. significatur omnis vasitas, et supplicii acerbitas. Unde sequitur: *Ad mercedes meretricis revertentur.* Ita Sanchez.

Vers. 7.

Mnus congrue Theodoret. Vatabl. Arias et Clarius, per mercedes accipiunt oblationes, et dona ab idololatræ oblata idolis, ad ea vel fabricanda, vel vestienda et ornanda. Mercedes enim solent dari meretricibus ab amasiis, non vice versa amasiis a meretricibus. Meretrices autem hic sunt idololatræ, amasii vero ipsa idola; nisi quis dicat tantam fuisse impudicitiam harum meretricum, ut ipsæ pretium sceleris amasiis darent, non acciperent. Hoc est enim quod Hierosolymæ improperat Ezechiel c. 16. 33. *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et dona donabas eis; ut intrarent ad te undique ad fornicandum; id est, idololatræ, tecum. Verum hoc inusitatum fuit et insolitum, ideoque illud exprimit Ezechiel; hic vero cum id non exprimat Michæas, locum habere non videtur: Mercedes ergo solitas ipse intelligit, quas scilicet meretrices accipiunt ab amasiis, id est, idololatræ a suis idolis; non vero eas, quas iis dant.*

**QUIA DE MERCEDIBUS MERETRICIS CONGREGATA SUNT ( non idola, sed bona et opes Samariæ. Unde Hebr. Septuag. Pagn. et Vatabl. habent, *quia de mercede meretricis congregavit ea quæ habet*, puta suas opes ) ET, id est, ideo ad MERCEDEM MERETRICIS REVERTENTUR. )** q. d. Quia Samaria meretrix, id est, cultrix idolorum, putat se ab iis pro hocce suo cultu recepisse suas fruges et opes, ideo efficiam ut illæ pariter ad meretrices, id est, ad

Assyrios idolorum cultores, ut vertit Chaldæus, qui vastabunt Samariam, transferantur et redeant, qui eas uti idololatriæ mercedes, suis idolis acceptas referant et consecrent.

Alludit Primo, ad prisceas meretrices, quæ primitias turpis sui lucri Veneri, meretricum deæ et principi consecrabant, uti de Babyloniis docet Herod. lib. 1. et Clemens Alex. Adhort. ad Gentes; de Cypriis Arnobius lib. 5. contra Gentes; de Phœnicibus S. Aug. lib. 3. de Civit. e. 10. *Tres, ait, Veneres: una virginum, quæ etiam Vesta est: alia coniugarum: alia meretricum, cui etiam Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam iungerent eas viris.* Idem docet Baruch e. 6. v. 42. et 43. Rursum olim deorum et templorum donaria meretricibus fuisse data, docet ibidem Baruch, v. 10. *Dant, inquit, et ex ipso (auro Deorum) prostitulis, et meretrices ornant: et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos.* Idem docet Ezechiel e. 23. 42. *Posuerunt, ait, armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum.* Idem testatur Athenæus lib. 13. cap. 28. Porro non solum mercedes meretricum olim Diis oblatas fuisse, sed etiam ex iis idola Deosque esse fabricatos testatur Arnobius lib. 6. contra Gentes. Vide hic idololatrarum et dæmonum obscenitatem et turpitudinem. Recte enim Tertul. lib. de Habitu mulieris: *Nullius, ait, rei turpis merces decora est.*

Alludit Secundo, ad opes meretricum ex meretricatu collectas, ex quibus illæ numquam ditescent, sed semper manent misellæ et pauperes; vel quia sunt prodigæ in epulis et vestitu, resque suas turpiter partas in luxu consumunt; vel quia illas iisdem spoliatis amasii, vel aliæ meretrices; omnes enim sua quærunt lucra, idque subinde per fas et nefas; præsertim luxuriosi, qui iam iustitiam et conscientiam prodegerunt; vel quia morientes suis filiabus, aut cognatis quasi hæredibus, quæ pariter meretrices sunt, bona turpiter parta relinquunt. Dicit ergo, sicut bona meretricum vadunt ad meretrices: ita bona Samariæ meretricis, id est, idololatræ, ibunt ad meretricem Niniven; quia Assyrii idololatræ spoliabunt Samaritas pariter idololatræ suis bonis.

Hinc verum est proverbium: *Male parta, male dilabuntur.* Et illud: *Salis onus unde venerat, illuc abiit;* quod adagium natum est ab eventu. Negotiator enim quidam navem onustam sale vehebat: nautis dormientibus influxu aquæ marinæ sentina vehementer adæueta, et sælem universum solvit ac corripit, et navem ipsam demersit; itaque sal quod ex aqua marina natum fuerat, in eandem denuo liquefactum rediit. Vere Hesiodus monet: *Nè male lucretis, mala lucra æqualia damnis.* Discant hoc ab Ethnico Christiani, lucrum non esse quod iactura bonæ mentis comparatur; neque quidquam esse utile, quod non sit honestum: *dispendio enim est fraude quæsitum lucrum.* Et turpe lucrum adducit infortunium. Atque ut ait Pindarus in Isthmiis: *Quod præter iustum dulce est, exitum habet amarissimum.*

Rursum *ad mercedem meretricis revertentur*, duo significat: Primum, turpia lucra lucrantibus esse inutilia, et ab iis ad alios transire. Secundum, eadem carere omni decore et dignitate, nec ad usum honestos impendi, sed a turpibus ad æque turpes et infames, puta a meretricibus ad meretrices, traduci.

Quocirca hæc lucra a suo templo eiusque oblationibus quasi eo indigna, repulit Deus Deut. 23. 18. *Non offeres, inquit, mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.* Idem fuit sensus Gentilium Romanorum. Cum enim Flora (ex cuius nomine etiam Romæ campus Floræ nuncupatur) nobilis meretrix ex arte meretricia magnas opes comparasset, ac populum Romanum scripsisset hæredem ea lege, ut eius dies natalis quotannis celebraretur editioe ludorum, quos appellant Floralia, Senatui id turpe et flagitiosum visum est. Quocirca ut pudendæ rei quædam dignitas quasi velum daretur, fixerunt Floram esse deam quæ floribus præsit, eamque

oportere placari, ut arbores, vites, frugesque bene prospereque florescerent. Ita Varro l. 1. de Re rustica e. 23. et Plinius lib. 18. e. 29.

**SUPER HOC PLANGAM ET ULULABO, VADAM SPOLIATUS, ET NUDUS.** Ut hoc habitu lamentabili et desperabundo, tum tester intimum dolorem animi quem concipio ex vastatione Samariæ; tum reipsa significem et præsentem; quod Samaritæ simili modo ab hostibus Assyriis spoliandi sint, ac nudi vel seminudi ducendi sint in captivitatem. Eadem de causa Isaias incessit nudus et discalceatus per Ierusalem, uti dixi Isaiæ e. 20. tum denique ut indicem plagam Samariæ fore maximam, quæ usque ad portas Ierusalem perveniat, uti mox dicam. Quocirca Septuag. et Chald. hæc vertentes per tertiam personam, ipsi Samariæ attribuunt: quia eius personam induit hic Propheta. Sic enim habent Septuag. *Propter hoc planget (Samaria) et lamentabitur, ibit discalceata et nuda: faciet planctum quasi draconum, et luctum quasi filiarum Sirenum:* ita S. Hier. Remig. Albert. Lyran. Arias, Vatabl. et alii. Addunt aliqui, *spoliatus*, scilicet tam mente quam veste, q. d. Tanta erit elades Samariæ, tantumque eam apprehendo et pondero, ut videar emotæ mentis, et mente captus; ideoque veste me spolio, et quasi insanus huc illicque discurreo plorans et eiulans. Denique S. Hieron. putat hæc dici ex persona Dei; quasi eius vicem hic subbeat Propheta, ostendatque quam Deus doleat de populi sui clade, quamque invitum eam immittat vel permittat, quod sane miram Dei elementiam et charitatem anthropopathos significat et commendat. Verum verius et magis genuinum est, hæc ex ipsius Michææ persona dici; uti paulo ante explicui.

**NUDUS.** Puta discissis vestibus, uti fiebat in luctu, lacer, posita veste extima et honorata. Sic pannosum et lacerum, vocamus nudum per auxinem, quia est seminudus.

**FIAM PLANCTUM VELUT DRACONUM.** Tradunt Physici, ait S. Hieron. dracones certare, et duellare eum elephantis, et, si ab iis vincantur, terribili sono personare. **D** Draco enim cum sit calidissimus, sicut elephantis sanguinem qui frigidissimus est, soletque æstu torrente, cum tanta sit magnitudinis, totum eius sanguinem ebibere, si eum vineat: unde fit elephantis ab eis ebibi, siccatosque concidere; qui ruentes dracones sanguine iam ebrios et turgidos, mole sua opprimunt, cognuntque hostes suos seculo emori, tumque dracones magnas et lamentabiles voces emittunt: ita Solin. e. 38. Polyhist. et Plinius lib. 8. e. 11. Et hoc est quod ait hic Propheta: *Faciam planctum quasi draconum:* ita S. Hieron. Remig. et Rupert. Addit Rupertus, hæc phrasi significari planctum inutilem, quem scilicet etsi Samaritæ audiant, nemo tamen misericordia tangatur; sicut nullus condolet draconi plangenti. Ex adverso Palacius citans Albertum, Solinum et Plinium, scribit voces has draconum tantas esse, tamque vicinos consternare, ut qui illas audiunt, emorianentur. Verum hoc fabulosum videtur.

**ET LUCTUM QUASI STRUTHIONUM.** Hebr. *quasi filiarum struthionis;* struthiones enim feminæ magis quam mares elamosæ, magis quoque lugubrem edunt vocem, præsertim eum pullos alunt et perdunt. Tigurina, *ut invenies struthiones.* Pulli enim struthionum quasi a parente derelicti, imo contempti, ut ait Iob e. 39. 14. et Ieremias Thr. 4. 3. miserabiliter eulant, uti faciunt et pulli corvorum a parentibus nido eieci, de quibus psal. 146. 9. *Qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Rursum scribit Ælianus l. 24. e. 7. 19. et 20. struthionem feminam valde amantem esse pullorum, ac habere carnes præ mare gustui suaviores; quocirca venatores, ut eam capiant, solere circa nidum ferrea hastilia defigere, quibus in nidum transilire volens, mater sese induit, occiditur et capitur; tumque flebiliter stridet et luget: unde struthio hebr. vocatur יאנא *iaana* a luctu, a rad. ינא *ana*, id est, afflicus est, oppressus est, iudoluit, ingemuit.

Dices: Si struthio est adeo filiorum amans, quomodo ergo hic, et Thren. 4. 3. vocatur in eos crudelis? Respon-

Moral.  
turpi lu-  
cro ne-  
mo dita-  
tur.

Draconis  
cum ele-  
phante  
pugna et  
planctus.

Turpe lu-  
crum  
non ad-  
mittit  
tem-  
plum.



dent aliqui patrem esse crudelem, matrem vero benignam in filios. Melius alii respondent, matrem vocari crudelem. Primo, quod ova quæ posuit, incubando non fovet; tum quia, ut ait Plinius lib. 10. cap. 54. in pectore et ventre calva est, et implumis: sine plumis autem nequit fovere, enefacere et vivificare ova; ergo ea soli et arenæ calcificanda relinquit; unde Dei providentia in calidissimis tantum regionibus, Syria scilicet et Arabia, struthiones invocantur. Tum ne mole corporis ova frangat: est enim magnitudine cameli, atque altitudine, collo et cruribus camelum refert; unde struthio camelus vocatur, inquit Diodorus Siculus lib. 3. Secundo, quia pullos non pascit, eo quod natura aliter providerit: id enim expresse ait Iob 39. 14. et Thren. c. 4. 3. alia tamen amoris materni signa plumbi exhibet: ita ex Æliano, Plinio, Oppiano, Olymiodoro, et aliis, Pineda in Iob c. 39. Denique Frane. Valesius Sacræ philos. cap. 55. asserit illa quæ Ælianus et alii Gentiles scribunt de struthionum amore erga pullos, esse fabulosa et falsa; quia repugnant S. Scripturæ locis iam citatis, quibus in eos dicitur esse crudelis.

Perperam R. David vertit, *faciam luctum quasi filiarum ulularum*. Hebr. enim *ענה* *iaana* nusquam ululas, sed struthiones significat. Septuag. vertunt, *faciam luctum quasi filiarum Sirenium*. Alludunt ad fabulam Sirenium, ait Theod. Fingunt eum Poetæ Sirenes partim virgines fuisse, partim volucres, Acheloi fluminis et Calliopes Musæ filias. Harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat: et primo iuxta Pelorum, postea in Caphareis insulis habitaverunt, quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundum veritatem meretrices fuerunt, quæ transientes illiciebant ad sui amorem, et amore captos spoliabant: unde fietæ sunt illis inferre naufragium, quia eos deducebant ad egestatem, ut bonorum, et sanitatis, sæpe etiam vitæ, naufragium facerent: has Ulysses contemneado, et aures obturando ne eorum cantu illiceretur, deduxit ad mortem: ita Servius in illud Æneid. 5.

*Iamque adeo seopulos Sirenium advecta subibat.*

*Difficiles quondam multorumque ossibus albos.*

Unde Siren vel Sirena diæta est ab *επειν*, quod comedere et retinere significat; vel a *σειρα*, id est catena, eo quod Sirenes fuerint vinculum et catena libidinis. Quocirca S. Hier. mystice per Sirenes, earumque cantum accipit hæreticos, eorumque eloquia: *Duleia enim sunt*, ait, *hæreticorum carmina, et dulci voce populum decipientia: nec potest eorum cantica præterire, nisi qui obturaverit aurem suam, et quasi surdus evaserit, uti fecit sapiens Ulysses.*

Dices, hic erat cantus Sirenium, non luctus. Resp. Sirenes, æque ac præficæ, uti sciebant canere, ita sciebant et lugere et plangere: sicut etiam meretrices norunt artem utramque, et amasios subinde magis plangendo, quam canendo detinent, ne se deserant, et amores inchoatos abruptant. Propheta ergo ex affectu in cives suos, se quasi transformat in Sirenem; ut eis nunc blandiendo, et suavissime concinendo; nunc miserabiliter lugendo et lamentando in animos eorum influat, eosque moveat ad pœnitentiam. Qui enim animas vult convertere, Siren sit oportet instar S. Pauli dicentis: *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis: vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis*, Galat. 4. 19. Aliter S. Cyrillus: ipse enim per Sirenes accipit passeris marinos, vel philomelas, quæ raptis ovis vel pullis lugubre melos fundunt, cum alias suavissime canant instar Sirenium.

Vers. 9. **QUIA DESPERATA EST PLAGA EIUS:** Samariæ (*plagam* vocat stragem illatam ab Assyriis, indeque nascentem famem et pestilentiam) **QUIA VENIT USQUE AD IUDAM, TETIGIT PORTAM POPULI MEI USQUE AD IERUSALEM.**) Nam excisa Samaria anno 6. Ezechiae a Salmanasar rege Assyriorum, mox anno 14. Ezechiae, Sennacherib qui successit Salmanasari, ut proserpens et ulterius progrediens, venit in Iudæam, multasque urbes cepit, ipsamque Ierusalem obsedit, sed ibidem ab angelo cæsus est, 4. Reg. 18. et 19. ita S. Hieron. et Theodor.

Vers. 10. **IN GETH NOLITE ANNUNCIARE, LACRYNIS NE PLORE-**

**ATIS.**) Ne scilicet Gethæi, aliique Philisthini hostes vestri videant vestram eladem et dolorem; indeque lætentur et exultent. Sic David occiso Saul ait: *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in campis Ascalonis; ne forte lætentur filie Philisthinum, ne exultent filie incircumcisorum*, 2. Reg. 1. v. 20. Septuag. vertunt: *Qui in Geth, nolite magnificari: qui in Bachim, nolite reedificare ex domo derisum*. Retinent enim Hebr. *Bachim*, quasi nomen proprium; quod cæteri omnes interpretes transferunt *stetum*, ait S. Hier. Pro *Bachim* perperam, ut videtur, Theodor. et alii legunt *Enakim*, quasi Gethæi ex Enac gigante sint procreati: unde Goliath quem occidit David, gigas fuit et Gethæus.

**IN DOMO PULVERIS PULVERE VOS CONSPERGITE.**) Pro *pulveris*, hebr. est *עפרה* *aphra*, quod dupliciter potest accipi: Primo, ut appellativum significans pulverem: secundo, ut proprium nomen orbis in tribu Benjamin, Iosue 18. v. 23. vel alterius in tribu Manasse, quæ latine dicitur *Ephra* (Hebr. enim *Ephra* idem est quod *Aphra*) fuitque civitas Gedeonis, in qua ipse habitavit et sepultus est, ubi et accepit signum victoriae contra Madian in velere, Iudic. 6. 11. Utroque modo hic accipi potest: Primo, appellative, q. d. O Samaria cum urbibus tibi subiectis, tu iam non tam Samaria, id est, custodia, vocanda es, quam *Aphra*, id est, pulvis; quia brevi ab Assyriis in cinerem et pulverem redigeris: luge ergo, et pulvere te consperge. Ecce in spiritu video te in pulverem redactam, inter ruinas ergo pulveris pulvere te involve: vos ergo o Samariæ, nolite plangere vestram eladem apud Gethæos, aliosque Philistinos, qui vos irridebunt, sed domi privatim pulvere domorum vestrarum in pulverem redactarum vos aspergite, quia reipsa vel inviti earum pulvere dum deiciuntur, mox aspergemini: ita ex Sept. et Chaldæo S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. Lyranus, Emmanuel et alii: unde Septuag. vertunt, *terra aspergite derisum vestrum*, licet alii legant, *in derisum*; Syrus, *in domibus collectionis residui* (id est, in areis, ubi residuum tritici cum paleis et terræ pulvere miscetur) *conspergite vos pulvere*, q. d. In areis arenis vos conspergite.

Secundo, *Aphra*, id est, pulvis, hic ut nomen urbis Samariæ subiectæ proprium accipiunt Hebræi, S. Hieron. in textu Commentarii, Arias, Clarius, Vatabl. Mariaua et Pagnin. qui vertunt, *propter domos Aphra in pulvere voluta, vel involve teipsam*. Hebr. enim *palas* significat volutare, involvere. Unde et Biblia Latina Rom. 70 *Pulveris*, uti et sequens, *Pulehra*, scribunt littera mainsecula, quasi nomen proprium; ut sensus sit, q. d. Non est o Samariæ, quod in Geth ad plangendum abeatis, ite potius ad vestram urbem *Aphra*: illa iuxta nomen suum monebit vos luctus et pulveris, eumque vobis suggeret, ut illo vos conspergatis. In *Aphra* ergo *aphra*, id est, pulverem, vobis iniicit; imo pulvere vos obruite, quia *Aphra* æque ac Samaria pulvere ab hostibus obruenda, imo in pulverem convertenda est. Simili paronomasia apposite quis diceret: O Lutetia, ob peccata tua et elades tibi imminentes, luto te asperge. O Lima in America, limo te consperge. O Sinæ, cinere vos opplete. O Africa, in arena arenam tuam tibi affrica. Nota. Pro *consperge* in Hebr. est duplex lectio. Alii enim legunt *התפלטי hitpallasci*, id est, conspergere, vel consperge te. Alii legunt *התפלסתי hitpallasti*, id est, conspersi me, involvi me pulvere, ut Propheta sustineat hic typum Christi, qui in domo pulveris, id est, utero Virginis, pulveri nostro se involvit, ait Mariana. Unde

Allegorice, Christus in domo pulveris, puta in terra in utero Virginis, pulvere mortalitatis nostræ se conspersit; imo pulverem hunc induit, quasi pœnitentiam pro peccatis nostris acturus. Nam domus pulveris est terra, in qua ob peccatum Adæ ad mortem damnati degimus: item corpus hoc mortale, eadem de causa brevi in pulverem redigendum. Ad hæc Ecclesia, quæ quasi domus pœnitentiæ in die Cinerum pulvere nos aspergit, ut nos nostræ sortis et mortis memores reddat, et a carnalibus deliciis avocatos ad ecclesia transferat. Tunc ergo recte dicat conciu-

Sirenium fabula quid significet?

nator fidelibus: In die et in domo cineris et pulveris, cinere et pulvere vos aspergite. Hinc

Tropolog. o Adam adama, id est, o homo humo, in aphra, id est, in terra, ob peccata te asperge: nam terra et humus es, et in terram reverteris. Pulvis et umbra sumus. Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Quia ergo in terra et pulvere degis, ubi, ut ait S. Leo serm. 4 de Quadrag. *neesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere*; hinc in Quadrag. imo singulis hebdomadis, imo quotidie vespere dum vadis cubitum in incertum, nesciens an sequens mane sis visurus, sed ipsa nocte suffocandus et moriturus, uti multis contigit, et etiamnum contingit, consensientiam examinans, quasi coram iudice illa nocte compariturus, pulvere te consperge. Imitare Davidem dicentem: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*, psal. 66. Et: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam, a facie iræ et indignationis lux, quia elevans allisisti me*, ps. 101. 10. Imitare amicos Iob, qui videntes eius afflictionem, *exclamantes ploraverunt, scissisque vestibis sparserunt pulverem super caput suum in cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, et septem noctibus*, Iob 2. v. 12. Imitare Ieremiam dicentem Thren. 3. v. 16. *Fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere*: et v. 29. *Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes*. Et cap. 2. 10. *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiarum Sion, consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem*.

Vers. 11. **ET TRANSITE VOBIS** (hebr. *transi vobis*, id est, tibi, tuisque civibus, id est, vobis. Est enallage numeri: et *transi vobis* vel elegantiae, vel emphasis causa ad maius pathos additur) **HABITATIO PULCHRA.** ) Hebr. *habitatrix Sappir*. To *Sappir*, æque ut Aphra, accipi potest dupliciter: Primo, quasi appellativum, significans pulchra; ut sit epitheton Samariæ. Hæc enim in amœno monte sita, exterius pulcherrimos hortos et campos, interius pulcherrima palatia, domos, turres, plateas et muros suos, uti caudam suam ocellatam circumspicit pavo, circumspiciebat, q. d. Vos o Samaritæ transite (id est, brevi transibitis) captivi in terram hostilem; vos inquam, o habitatrix Sappir, id est, pulchræ; hoc est, vos o incolæ pulchræ et elegantis Samariæ: ita S. Hier. Theod. Remigius, Rupert, et alii. Unde Chaldæus vertit: *Transite vobis qui habitatis in pulchritudine, discooperitis verendis nudi et pudefacti; Arabiens, fac tibi habitationem pulchram; Syrus, fac tibi habitatrix, quod pulchrum est, quod sit pulchrum*.

II. Secundo, *Sappir*, ut nomen proprium urbis accipiunt Clarius, Pagn. Mariana et Vatabl. unde vertunt, *transi*, id est, abi cum tua metropoli in captivitatem, *quæ habitas in Sappir*, iam non *sappir*, id est, pulchra, sed fœda et nuda, ideoque *confusa ignominia*, q. d. lactabas o urbs Sappir te pulchram et Sappirinam; et ecce tota conspurcata es, et lutea: sic ex adverso gloriabatur Augustus Cæsar, teste Svetonio, *quod invenisset Romam lateritiam et relinqueret marmoream*. Sic primariis Italiæ urbibus singulis singula hæc dantur elogia: *Fiorenza bella, Venezia ricea, Napoli gentile, Milano grande, Bologna grassa, Ferrara civile, Genova altiera, Perugia sanguigna, Mantova gloriosa, Rimini buona, Lucca industriosa, Roma sancta*. Florentia ergo est *Sappir*, id est, bella et pulchra. Sic Carolus V. de Belgio dicere solebat, opes suas esse in Flandria, delicias in Brabantia, nobilitatem in Hannouia, vires in Arthesia. Et de Brabantia urbibus: *Mechlinia pulchra, Antuerpia dives, Lovanium sapiens, Bruxella nobilis*. *Sappir* ergo idem significat quod Ninive, id est, speciosa et pulchra. Sic in Belgio, et alibi sunt urbes, quæ vocantur Bella. Dicas ergo, o Sappir iam cum tuis sororibus, id est, Samariæ civitatibus, vastata ab Assyriis, cum Noemi illa olim pulchra: *Ne vocelis me Noemi, id est, pulchram; sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*, Ruth. 1. 20. Idem dicat Belgium, Hungaria, Bohemia, etc. Idem dicat anima olim casta et templum Dei, nunc incesta et prosti-

bulum diaboli. Porro sicut filia Sion dicitur ipsa arx et urbs Sion, ob pulchritudinem; ita habitatrix Sappir, vocatur ipsa urbs Sappir, puta populus et resp. habitans in Sappir; de populo enim ob pulchritudinem loquitur Propheta quasi de fœmina.

Quæres, quænam urbs est *Sappir*? nam hoc nomen alibi non invenitur. Resp. *Sappir* (ut patet ex radice et scriptura Hebraica) idem esse quod Saphora, vel Saphorne, vel Sephoris, vel Sephoron (hæc enim omnia sunt idem) quæ Hegesippo et S. Hieron. est Diocæsarea, de qua sic Adrichom. in descript. terræ sauctæ: *Urbs est opulenta et totius Galilææ maxima, in medietate regionis tutissimo loco sita; arce, portis, mœnibus, murisque firmissimis munita, et habens circa se vicus plurimos*. (Annon hæc erat Sappir pulchra?) *Natalis, ut putatur, locus B. Joachim atque Annæ, Deiparæ Virginis parentum. Hanc Gabinius unam ex Iudæorum curiis esse voluit: eandem Varus cepit, et venditis sub hasta ineolis, incendio absumpsit: Herodes autem totius gentis caput et defensaculum fecit. Videtur quondam cathedralem habuisse Ecclesiam. Nam Tyrius in Catalogo Pontificum Suffraganeorum Antiochenæ Ecclesiæ, inter Episcopatus Seleuciæ Diocæsaream secundo nominat loco*.

**NON EST EGRESSA QUÆ HABITAT IN EXITU.** ) Hebr. Saanan duplex. 1. *quæ habitat in Saanan*. Rursum Saanan accipi potest vel ut nomen proprium urbis, ut sit eadem cum Sannan, quæ fuit urbs tribus Iudæ, Iosue c. 45. 37. vel potius eadem cum Sennim, vel Saananim, vel Sanuauim, quæ fuit urbs in tribu Nephthalim, subiecta Samariæ, ut patet Iosue 19. 33. Iudic. 4. 11. ita Septuag. Chald. Vatablus, Pagn. Emmanuel, Mariana et Clarius. Unde et Biblia Plantin. To *In exitu* scribunt maiuscula I. quasi sit nomen proprium, vel ut appellativum. Saanan enim hebr. significat exitum, a rad. *סאן* *sals*, id est, exivit; vel a radice *צאן* *tsaan*, id est, translatus est: litteræ enim *cin* et *aleph* quia gutturales, subinde commutantur. Symmachus vertit, abundantiam: sic enim habet, *Non est egressa in captivitatem, quæ habitat in abundantia*, quasi *צאן* *tsaan* per *tsade*, sit idem quod *צאן* *sciaan* per *scin*. Unde interpretes utrumque vertunt Saanan; nam *tsade* et *scin* sunt litteræ commutabiles. Unde *צחק* *tsachak* idem est quod *צחק* *sacak*, id est, risit. Septuag. pro Saanan, habent Sennaar, mendose ut videtur; nisi dicas Sennaar, id est, Babylonem, ab eis vocari Saanan, quia opibus, luxu et pompis abundabat. Si accipias Saanan ut appellativum sensus erit: o Samaria, quæ habitas in saanan, id est, in rerum omnium copia et abundantia, ideoque insoleseis et protervis. Rursum in saanan, id est, in exitu, id est, in fine terræ sanctæ, q. d. Quæ es limes Chanaanæ, proxima hostibus, primaque Assyriis venientibus occurris; repete verbum *transite* quod præcessit, vel, ut hebr. est, *transi*, q. d. Transi in captivitatem, tam tu o habitatio Sappir, id est, pulchra, quam tu o habitatio Saanan, id est, in exitu, quæ hactenus non est egressa, nec transiit in captivitatem: sed iam eo egredietur et transibit, vel certe, ut S. Hieron. *Non est*, inquit, *egressa, quæ habitat in exitu vel in abundantia* (puta Samaria) *propria voluntate, sed vi ducta est in Assyrios*. Sensus est, ne putes o Samaria te captam a Teglatphalasar, qui 4. Reg. 45. 29. aliquos ex te cepit, quasi tunc omnem pœnam tuis scelcribus debitam persolveris, nihilque amplius tibi luendum restet. Si id putas, falleris: nam ille te tantum rasit superficie tenus, non vero te abduxit: necdum ergo egressa es; egredi debes, et abducenda es in Assyrios tota, ita ut nemo ex te, vel vix ullus in Samaria supersit: ita S. Hier. Remig. et Lyran. Aliter Rupertus et Arias: ipsi enim hæc accipiunt de Ierusalem, non de Samaria, q. d. O Ierusalem, quæ habitas in saanan, id est, in copia et luxu rerum omnium, ita segura ut etiam visa clade vicinæ Samariæ, ad eam vel levandam vel plangendam, vel consolandam non exieris, sed domi voluptatibus iudulgens et immersa manseris, putas eas tibi fore firmas et perpetuas, nec aliquem te ab iis posse abducere et avellere: tu inquam, o Ierusalem, egredere

C

D

pariter in Babylonem, ac disce tuam copiam non fuisse *saanan*, id est, securam et firmam, sed te habitasse in *saanan*, id est, in exitu, id est, in via qua abduceris in Babylonem vicinam hosti, vicinam captivitati.

Si secundo, *Saanan* accipias ut nomen proprium, similis erit sensus illi, quem iam dedi, q. d. O *Saanan*, civitas felix, haecenus fuisti *saanan*, id est, abundans opibus et luxu, sed non fuisti *saanan*, id est, egressa: iam quasi *Saanan* egredieris cum tua matre et metropoli Samaria, ex patria in exilium, ex libertate in servitute, ex copia ad inopiam, ex vita ad mortem. Unde Chald. vertit, *non exierunt salvi de habitatoribus Saanan*. Perperam Syrus pro *Saanan*, legit *Tancoos*: unde vertit, *confusa non fuisti habitatrix Tancoos*, id est, Ægypti, cuius olim metropolis erat Tanis, psal. 77. 12. Porro Pagnin. Vatabl. et alii, hæc referunt ad sequentia, vertuntque hoc modo, *non est egressa habitatrix Saanan ad planctum Bethaetsel urbis vicinæ, sed iam egredietur ad captivitatem et ad planctum non alienum, sed suum*. Melius Noster et Septuag. et Chald. hæc dividunt, et media hypocoelo dispungunt. Unde sequitur:

Bethaetsel duplex. I.

**PLANCTUM DOMUS VICINA** ( ita Romana: male ergo aliqui legunt *vicinæ* ) **ACCIPIET EX VOBIS, QUÆ** ( male aliqui legunt, *qui* ) **STETIT SIBIMET.** ) Pro *domus vicina* hebr. est *Bethaetsel*, quod æque ut precedentia accipi potest dupliciter: Primo, ut nomen proprium loci, qui videtur vicinus fuisse urbi *Saanan*, iam dictæ, uti censent Theodor. Pagnin. Vatablus, Arias, Mariana et alii. Sensus est, q. d. Urbs *Bethaetsel*, quæ est vicina urbi *Saanan*, ex eius vastatione planctum accipiet, quia mox et ipsa vastabitur; ipsa inquam, quæ *stetit sibi*, vel in seipsa, id est, confidens suæ munitioni, suisque viribus, diutius restitit hosti eam obsidenti: unde hostis eam capiens gravius eam affliget, ut damna tam longæ obsidionis sarciat et compenset. Est synecdoche: ex parte enim intelligit totum, puta ex una urbe *Bethaetsel* totam provinciam Iudææ. Unde

II. Secundo, *Bethaetsel* accipi potest ut appellativum, significans idem quod *domus vicina*, et sic per eam intelligi potest Iudæa, sive duæ tribus, præsertim Ierusalem, q. d. Iudæa et Ierusalem, quæ est domus vicina Samariæ, uti ex Samaria ob vicinitatem accepit idololatriam et culpam, ita et pœnam ac excidium ab eadem accipiet. Ierusalem inquam, quæ paulo ante *stetit sibi*, hebr. **עמדתו emdato**, id est, in subsistentia sua, q. d. Quæ in suo statu et robore, et, ut Chald. vertit, *elegantia stetit integra et intacta* ab Assyriis, constans et invicta dum verum Deum colebat, ab eoque protegatur, cum tu, o Samaria declinans ad idola, excidisti a tuo statu, et abducta es ab Assyriis. Hoc est quod dixit v. 9. *Desperata est plaga eius, Samariæ, quia venit usque ad Iudam;* et rursus dicit v. 12. *Descendit malum a Domino in portam Ierusalem:* ita S. Hieron. cum suis sequacibus, Ribera et alii. Transit enim Propheta a clade Samariæ, ad cladem Ierusalem, quæ Samariæ erat vicina et affinis, ac quasi soror. Aliter recentiores, qui novam eudunt versionem; et varii varie; uti fit, dum a Vulgata recedunt, ut lector in iis nil certi et solidi inveniat, sed animo semper vegetet et floctuet. Porro planctus et stragis huius causam assignat Chald. dum paraphrasticae ita vertit: *Planctum vobis edite cum amaritudine, ob interfectos fortium vestrorum in domo profunda, propter domos desiderabiles vestras, quas violenter abstulistis, hæc ad illam adiungentes: ileo elegantia terræ vestræ tolletur a vobis.* Vide Isaïæ 5. 8.

Vers. 12. **QUIA INFIRMATA EST IN BONUM.** Id est, ad bonum, scilicet tam pietatis et virtutis, tum inde consequentis prosperitatis et præmii, q. d. Privata est bonis tam gratiæ, quam naturæ et facultatum.

**QUÆ HABITAT IN AMARITUDINIBUS.** ) Septuag. *quæ habitat in doloribus.* Hebr. *quæ habitat in Maroth.* *Maroth* est nomen urbis in Iudæa, teste S. Hieron. Forte illa quæ in tribu Iuda ponitur Iosue 15. v. 58. et *Mareth* vocatur. Fuit et alia urbs *Mara* in tribu Manasse, apud quam Damasceni quondam castra metati sunt, de qua Tyrius l.

Maroth duplex. I.

15. Belli sacri cap. 8. et Adrichom. in Manasse. Rursus *Maroth* hebr. significat *amaritudines*. Unde Noster vertit, *In amaritudinibus manserunt*. ut significaret esse nomen proprium; sed ita ut eius vis et energia consistat in appellativo, quod significat amaritudines: perinde ac Leodii celebris est pons *Amaricour*, id est, amari cordis, ita dictus quod in eo cæsi sint cives a Carolo Audace, cum ipse per illum in urbem irrumpens, eam ferro flammaque vastavit, hic ergo est Eburonum *Maroth*. Itaque sensus est, q. d. Tu o *Maroth* urbs, et tu o Iuda *Maroth* urbis possessor et dominus, qui sub Ezechia rege pio, in bono pietatis æque ac prosperitatis, puta in pace et rerum omnium affluentia felix letusque vivebas, inde sensim ad vitia et idola dilapsus, amisisti cum bono pietatis, bonum prosperitatis; et acquisivisti malum amaritudinis et adversitatis. (Hinc Theodor. legit, *quis caput afferre dolores ei, quæ habitare solita est in bonis?*) Quocirca iure vocari potes *habitans in Maroth*, id est, in amaritudinibus, hoc est in peccatis, quibus Deum et conscientiam amaricasti (unde Symmach. vertit, *habitatio ad amaritudinem provocans*) atque in pœnis et suppliciis, quæ corpus animumque tum alligant et amaricant.

Ex dictis patet Primo, Prophetam per elegantiam alludere ad urbes Iudææ dictas *Maroth* et *Bethaetsel*, æque ac paulo ante alludit ad *Aphra*, *Sappir* et *Saanan* urbes Samariæ: hæc enim cum sua metropoli passæ et vastatæ sunt, sed per illas intelligere totam provinciam, per synecdochen. Simili enim modo Isaïas cap. 15. 2. et seq. describens vastationem provincie Moab, dicit vastatas esse *Medaba*, *Luith*, *Eleale*, *Segor*, *Nemrim*, *Gallim*, *Dibon*, etc. quæ sunt urbes Moab. Sic Ieremias cap. 46. 14. prædicens vastationem Ægypti, dicit vastandam *Memphim*, *Taphnim*, *Magdalum*, aliasque urbes Ægypti.

Patet Secundo, hæc nomina *Aphra*, *Sappir*, *Saanan*, *Bethaetsel*, *Maroth*, esse propria urbium, sed Prophetam urgere horum nominum significata ad elegantiam et energiam. Rursus hæc nomina propria urbium adaptari toti provincie in qua sunt, puta Samariæ, vel Iudææ, sive Ierusalem. Sensus ergo plenus totius huius loci a v. 11. usque ad v. 13. hic est, q. d. Tu o urbs quæ vocaris *Aphra*, id est, pulvis, iuxta nomen tuum pulvere te conserge: tu o urbs quæ vocaris *Sappir*, id est, pulchra, transi ad squalorem captivitatis: tu o urbs quæ vocaris *Saanan*, id est, abundans vel egrediens, egredere in captivitatem. Pari modo tu o Samaria regio, quæ hæec et plures urbes complecteris, tu inquam, es *Aphra*, id est, pulvis; quia in pulverem mox ab Assyriis redigenda, in pulvere ergo te voluta: tu pariter o Samaria es *Sappir*, id est, pulchra; sed deformanda et captivanda ab hoste: tu denique es *Saanan*, id est, abundans et egressura ad hostes. Hæc de Samaria, sequentia spectant Iudæam et Ierusalem. Tu ergo o urbs quæ vocaris *Bethaetsel*, id est, domus vicina urbi *Saanan*, planctum ex eius vastatione accipies; nam tua res agitur paries cum proximus ardet. Tu quoque o urbs quæ vocaris *Maroth*, id est, amaritudines, dira et amara patieris ab hoste; quia ipse te tuaque omnia enervabit et infirmabit. Pari modo o Iudæa et Ierusalem, quæ hæec urbes *Bethaetsel* et *Maroth* sub tuo dominio complecteris, tu es *Bethaetsel*, id est, domus vicina Samariæ; unde ex eius vastatione vastationem et planctum accipies. Insuper tu es *Maroth*, quia amaras infirmitates et strages experieris. Summa ergo omnium sit, q. d. Tu o Samaria cum tuis urbibus, ac deinde tu Iudæa cum tuis ab hoste vastabimini: elades enim Samariæ ad vicinam Iudæam dimauiabit. Patet ex sequentibus.

Tropol. *Aphra* est mors, quæ nos in pulverem resolvit; *Saanan*, id est exitus, est iudicium, quod nos egredi facit, vel ad *Maroth*, id est, amaram gehennam, vel ad *Sappir*, id est, pulchrum caelum, vel ad *Bethaetsel*, id est, Purgatorium: hoc enim est domus vicina quoad locum gehennæ, quoad statum et merita cælo. Hæc sunt quinque novissima cuique iugiter meditanda, quæ proinde Propheta hic cuique ob oculos ponit, cuius verba facile est singulis applicare.

Complexio totius orationis prophetice.

Tropol. *Aphra*, est mors, *Saanan*, iudicium, *Maroth*, gehenna, *Bethaetsel*, purgatorium, *Sappir*, caelum.

QUIA DESCENDIT MALUM A DOMINO IN PORTAM IERUSALEM.) Nam, ut ait S. Hieron. Sennacherib Assyrius vastata Samaria, venit etiam ad Ierusalem, misitque Rabsacen qui Hierosolymitis insultaret, 4. Reg. 18. 17. Is. 36. 2. **TUMULTUS QUADRIGÆ STUPORIS HABITANTI LACHIS.**) q. d. Quadrigæ Sennacherib suo numero, cursu, strepitu, ac armorum, rotarum, unghularum et equorum collisione tumultuantes, primo invadent Lachis urbem Iudææ, eiusque habitatores; ac eis stuporem ob nimium timorem et terrorem incutient. Causa est, quod Lachis fuerit principium; Septuag. *princeps peccati filix Sion*: id est, quod Lachis prima in Iuda suscepit cultum Baalim, id est, idololatriam Israelis, id est, decem tributum, cæteraque Iudææ urbes eadem infecerit et corruperit. Hinc et prima pœnas dabit, primaque capiatur a Sennacherib. Id ita factum esse liquet 4. Reg. 18. ubi Sennacherib dicitur ex Lachis, quasi iam a se occupata, misisse Rabsacem in Ierusalem ut eius deditionem peteret.

Aliter vertunt Chald. Pagnin. Vatabl. et Arias, nimirum, *iunge currum ad equos velocissimos* (vel *ad dromades*, qui sunt cameli velocissimi, indeque græce dicti sunt dromades, id est, cursores) *habitatrix Lachis*, q. d. Fuga vobis consulite, fugite velocissime quadrigis vestris velocissimis, o habitatores Lachis: quia instat vobis hostis Senuacherib. Lachis enim erat urbs florentissima, equorum atque curruum copia et exercitatione nobilis, in quam ob vicinitatem et commercium, atque exercitationis stadium, idololatriæ cultus primum ab Israelitis delatus, inde totam Iudæam corruerat. Est ironia et tacita irrisio, q. d. Tu, o Lachis, maxima et celeberrima equorum et quadrigarum frequentia, tua illa admiranda et stupenda exercitatio, et in arte equos quadrigasque agitandi dexteritas, nil tibi proderit ad hoc ut Assyrio resistas: quare suadeo ut ea utaris ad fugam, sed nec hæc tibi proderit: non enim effugies; nam Assyrius te, licet velocissime fugientem, comprehendet. Unde Chald. vertit, *apte quadrigas, proiicite vos super veredos, qui habitatis Lachis.*

In Hebræo est pulchra paronomasia inter רכב *recheb*, id est, quadriga, et רכש *rechesh*, id est, *dromedaris*, quod Noster vertit, *stuporis*; et *Lachis*, id est, ambulans ad Æthiopem, q. d. Tu o Lachis, iuxta nomen tuum ambulas ad Æthiopes, id est, ad idola fuliginosa et atra, atroscque demones quos colis; ambulas, inquam, placido et lento gressu: ideo iam non eris *Lachis*, sed *rachis* sive *reches*, id est, dromas stupende velox; et *recheb*, id est, quadriga: quia instar quadrigæ et dromadis velocissime conaberis fugere Assyrium; sed egeris captiva celerrime currere in Assyriam.

Sic tropol. qui lenti perstant in peccatis, cogentur præcipientes abire in supplicium et in gehennam, ait a Castro. **PROPTEREA DABIT EMISSARIOS** (Chald. et Vatabl. vertunt, *munera*) **SUPER HÆREDITATEM GETH.**) Hoc loco significari videtur (licet id alibi non legamus) quod eives Lachis adventante Sennacherib, timentes eius obsidionem et excidium, eoacti miserint emissarios, id est, legatos, cum militum comitatu et muneribus, ad Geth urbem Philistinorum potentem, alias hostilem, qui ab ea peterent opem, sed frustra. Nam, ut sequitur, Maresa et Geth sunt *domus Aczib*, id est, *mendacii in deceptionem regibus Israel*: quia nimirum utraque mendaciter promittens opem, eamque promissam non præstans, sed fallens, decepit, uti alias sæpe reges Israel, ita nunc Iudæos et eives Lachis.

Nota. Pro *super hæreditatem Geth*, hebraice est *super*, vel *ad Maresa Geth*. Unde videtur, quod *Maresa* fuerit nomen proprium urbis subiectæ Geth et Gethæis: ita R. David, Pagninus, et Vatablus; nam de ea subdit: *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa*: et quia *Maresa* hebr. significat hæreditatem, hinc Noster vertit *hæreditatem*, ob allusionem quam mox explicabo. Urbs enim *Maresa* pertinebat ad Geth, eiusque erat quasi hæreditas. Sensus ergo est, q. d. Lachis mittet legatos ad sibi vicinam Maresa, quæ est hæreditas et civitas Geth, ut ab ea opem petat contra Sennacherib.

Secundo et melius S. Hieron. et Ribera, q. d. Sennacherib ex Lachis mittet emissarios, id est, milites volentes et velites, in Maresa, id est, in hæreditates, agros et oppida Geth, ut ea depopulentur; eo quod ipsi nunc, uti alias sæpe instigarunt Israelitas, et eives Lachis, ad resistendum Assyriis, promittendo eis opem, quam non præstiterunt: ideoque fuerunt, et sunt *domus mendacii*. Unde sequitur:

**DOMUS** (hebr. ביתי *batte*, id est, *domus* in plurali: unde Plantin. legunt *domos* in accusativo, ut sit appositio, q. d. Super Maresa et Geth, super domos inquam mendacii: tales enim sunt Maresa et Geth) **MENDACII IN DECEPTIONEM FILII ISRAEL.**) Scilicet fuerunt urbs Maresa et Geth, uti iam exposui. Hebr. est, *domus, אכזיב לאכזב aczib leaczab*, id est, *domus mendacii ad mendacium, id est, deceptionem regibus Israel.*

Nota. *Aczib* fuit nomen proprium urbis in tribu Iuda, Iosue 15. 44. unde de ea hic agi putant Chald. Vatabl. et Pagnin. Sic enim vertit Chald. *domus Aczib tradentur populis propter peccata, quibus venerati sunt idola reges Israel*; Pagnin. *domus Aczib erunt in mendacium regibus Israel*; quod Vatabl. sic exponit, q. d. *Ædes urbis munitionissimæ, quæ erat in tribu Iuda, nomine Aczib, quæ erant instar arcium, fallent reges Israel et frustrabuntur spe sua, q. d. Reges Israel, id est, reges Iuda, frustrabuntur spe sua, cum descendant in Aczib, ut illie siut tuti contra hostes: quia civitas illa non poterit resistere hostibus; sed Aczib vere erit Aczib, id est, mendacium, et mendax præsidium. Fuit et alia urbs nomine Achseph, vel Acziba, postea Ecdippa dicta, maritima et potens, non longe a Tyro, quam initio filii Aser expugnare non potuerunt, ut patet Iudic. 1. 31. Verum melius S. Hier. et alii censent Maresa et Geth hic vocari *domus Aczib*, id est, *mendacii*, quia fidem datam Israelitis fefellerunt; cum allusione tamen Aczib urbis, quæ vere hoc nomine extabat in Iuda, q. d. *Domus Aczib, id est, mendacii, hoc est mendax et fallax, non iam erit urbs Iudæ, quæ vocatur Aczib*, sed erit Maresa et Geth. Sic Isaias Ierusalem vocat Sodomam, ob mores Sodomiteos, cap. 4. 10. *Audite*, ait, *verbum Domini principes Sodomorum*, etc. Sic sæpe Ezechiel et Prophetæ Iudæos vocant Gethæos, Chananæos, Amorrhæos, etc. De Maresa enim hic agi, patet ex eo quod mox sequitur. Unde Syrus vertit, *domus vanitatis factæ sunt in vanitatem regibus Israel*; Arabicus, *domus deceptionis* (erroris) *factæ sunt deceptio regibus Israel.**

**ADHUC HÆREM ADDUCAM TIBI QUÆ HABITAS IN MARESA.**) Michæas hoc cap. plenus est allusionibus: in nominibus enim urbium propriis, elegantur, salse et acute alludit ad eorum significationes: quæ de causa Noster non ipsa nomina propria Hebraica, sed eorum significata ponit. Sensus ergo est, q. d. Tu o Maresa urbs, iuxta nomen tuum fuisti hæreditas dives tua, æque ac Gethæorum principium tuorum. At nunc alium hæredem tibi adducam, qui tua occupet et hæreditet, scilicet hostem Assyrium; ut iam sis Maresa, id est, hæreditas, non tua, nec Gethæorum, sed Assyriorum; eo quod tu Israelitis incitaveris, et vana spe lactaveris ad resistendum Assyriis. In Hebræo pulchra est paronomasia: *adducam מרשה לורש iores lemarseia*, id est, *adducam hæredem ad suam hæreditatem*. Porro Maresa hæc non fuit Michææ patria, uti aliqui opinantur: nam Maresa hæc fuit in Geth Philistinorum, Michæas autem fuit Iudæus: nisi dicas hanc Maresa esse illam, quæ tribui Iudæ fuit assignata a Iosue cap. 15. v. 44. sed quam Gethæi per vim possederint, et Iudæ eripuerint. Verum S. Hieron. et alii dicunt patriam Michææ fuisse Morasthi, distinctam a Maresa, uti dixi in præmio. Ludit Michæas in voce, æque ac in re Maresa, id est, hæreditas: sicut in eadem Iudit Horatius l. 2. satyr. 2.

Nos expulit ille:

Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris;

Postremum expellet certe vivacior hæres.

Unde Tropol. *domus Aczib, id est, mendacii*, est mundus, et omnis mundana hæreditas, præsertim inique, vel

Tropol.  
mundus  
est Aczib,  
id est  
menda-  
cium.

per vim, aut fraudem acquisita: hæc enim est Maresa Geth, id est, hæreditas toreularis, quo scilicet potentes premunt et opprimunt plebem et pauperes, sed postea sentient eam esse Aczib, id est, domum mendacii. Quibus merito innotat Psaltes: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium?* Ita hæretici pressi a Catholicis, implorant opem Turcarum, sed postea sentiant eam esse Aczib, id est mendacium; quia post victoriam Turca eos sibi subigit, eisque iugum Turcicum imponit; uti Budæ et Hungariæ avorum memoria accidisse scimus. Ita sagæ, magi, aliique desperatæ fortunæ dæmonem invocant, sed invocant Aczib, id est, mendacium. Nam dæmon ab eis animam et corpus extorquet, eosque in solidum mancipat. Ita multi sectantur anam, ut honores et opes assequantur, sed post multos labores spe sua frustrati, deplorant se servisse tot annis in vanum domui Aczib. Filii hominum ut quid toties hoc mendacium experti, non sapitis? *Ut quid adhuc diligitis vanitatem, et queritis mendacium?* Spes omnes tuas reponis in Principe, in Prælato, in amico; moritur ille, vel tibi offenditur ob rem levem, ecce spes tua effusa in terram: ecce spes tua est Aczib, id est, mendacium. Confidis in filiis, quod familiæ tuæ erunt bases et columnæ; sed mox hunc rapit bellum, illum pestis, tertium furca, quartum hospitale, quintus degener est et rebellis: ecce confisus es in domo Aczib. Iuvenis es in flore ætatis, superbis, robor tuum perenne putas, spondes tibi annos Nestoreos; sed inopinato febris te invadit, debilitat, decolorat, ut fias imago mortis: ecce inventus tua, robor tuum est Aczib, et mendacium. Abundans opibus, dicisque cum divite illo Evangelico: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare,* sed audi vocem Altitonantis: *Stulte, hæc nocte animum tuum repetunt a te; quæ autem parasti cuius erunt?* Luc. 12. vers. 19. An non hæc sunt opes, hæc domus Aczib? An non hæc est hæreditas mendacii? Vere Sapiens Eccli. 34. 1. *Vana spes, et mendacium viro insensato, et somnia extollunt imprudentes.* Quid enim sunt omnes res et spes mortalium, nisi somnia vigilantium? ut ait ex Platone Philo: *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum; sic et qui attendit ad visa mendacia.* Et psaltes Psalm. 61. 10. *Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum, q. d. Ipsi sunt quasi filii vanitatis, et per consequens sunt vanitas in idipsum, id est, omnes simul.* Unde Hebr. et Chaldæus habent, *filii hominum in statera si ascendant, ipsi pariter leviores sunt statera*; S. Hieron. vertit, *veruntamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri, in stateris dolosis fraudulenter agunt simul*; Theodotion, *vapor sunt filii hominum, mendacium filii viri, ut momentum stateræ, quod mox sursum, mox deorsum inclinatur et fertur,* ait Theodor. q. d. Ita nihil stabile est in rebus humanis, sed omnia instabilia et pendula, perpetua agitatione motuque librantur: promittunt quidem stabilitatem et constantiam, sed mentiuntur: *Omnis enim homo mendax, omnis pariter res et spes humana est mendax.*

Vere S. Aug. 1. de Cognitione veræ vitæ e. 25. t. 9. *Totus, ait, hic mundus instar brevissimi puncti, intra Deum collocatur: serenissima autem lux maiestatis eius extra undique versum in immensum diffunditur.* Idem in Ps. 36. conc. 1. *Molendinum, inquit, puto dictum mundum istum: quia rota quadam temporum volvitur, et amatores suos conterit.* Sapienter vero æque ac pathetice Auctor serm. ad Fratres in eremo serm. 31. *O munde proditor, ait, cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers: promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mærorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito vaneſcit; promittis stare, sed cito recedis.* Et paulo ante: *Væ, qui tibi credit; beatus qui tibi resistit; sed beatior qui a te illæsus recedit.* Et inferius: *Dicant omnes, loquantur cuncti, surgat venerabilis pater Adam cum omnibus filiis suis, et uno ore loquantur, utrum in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine do-*

*lore, risum sine fletu.* Et mox: *O munde immunde, in te habitare, et non dolere, impossibile est. In te sperare, et non timere, vanum est. In te tua amare, et non periclitari, vanum est. O fratres mei, nolite ergo eum diligere, quoniam transit, et concupiscentia eius. Sed ecce mundus transit, et nos turbat et amatur: fallit, et fidelis reputatur: occidit, et velut vita desideratur. O munde immunde, mella tua et dulcedo tua asperitatem habent, iudicantem falsam, certum dolorem, incertam lætitiā, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miserix, et spem beatitudinis inunem.* Annon ergo mundus est domus Aczib, sedes mendacii? Annon ipse reipsa, clamat אַצִּיב *aczib*, id est, mentior et mentiar, decipio et decipiam? Ut quid ergo mendaci, et talem se profitenti creditis et fiditis?

USQUE AD ODOLLAM VENIET GLORIA ISRAEL ) *Odollam* quæ et *Adullam* et *Adollam* dicitur, urbs fuit antiqua, magna et regia, cuius regem occidit Iosue c. 12. 15. Hanc postea ædificiis munivit Ionathas, atque in hæc sabbatum egit Iudas Machabæus, 2. Machab. 12. Est, ait S. Hieron. in Locis Hebr. usque hodie vicus parvus ad Orientem Eleutheropoleos. Iuxta urbem est spelunca Odollam, in qua latuit David fugiens Saulem, ibique collegit quadringentos viros, quorum factus est princeps, 1. Reg. 22. 1. et 2. Reg. 23. 13. Ita Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Iam sensus a variis hic varius datur. Primo, q. d. Assyrius vastabit capietque omnia, usque ad Odollam, quæ est urbs magnifica, et quasi gloria Israel. Sic Judith victrici, ob occisum ab ea Holofernem, acclamavit pontifex et populus: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri,* Judith 15. 10. Secundo, alii per *gloriam Israel*, intelligunt Assyrium, qui Israelis opes et gloriam occupavit et hæreditavit: sicut enim eum paulo ante ironice vocavit hæredem Maresa, sic eundem nunc vocat gloriam Israel. Unde Pagnin. et Vatabl. sic vertunt, *hæres gloriæ Israel* (puta Assyrius) *veniet usque ad Odollam.* Tertio, S. Hier. cum suis *gloriam* accipit per antiphrasin et sarcasum, pro dedecore, q. d. *Dedecus Israelis, quod illi inferet Assyrius vastator, perveniet usque ad Odollam.* Quarto, Hebr. חָבוֹד *chabod* non tantum gloriam significat, sed et gravitatem. Unde verti potest, *gravitas*, id est, gravis afflictio, *Israelis perveniet usque ad Odollam.* Ita Lyran. et Arias. Quinto, planius proprie potest capi *gloria Israel*, q. d. Assyrius sensim progrediendo capiet omnes pene urbes Israelis et Iudæ, ita ut perveniat ad Odollam, quæ erat in sinibus Iudæ, et consequenter regnum, ditio et gloria Israel quasi propulsa et fugata ab Assyrio, perveniet sistetque in Odollam urbe olim gloriosa: quare illa ab eodem capta, quasi extinguetur et corruet gloria Israel, iuxta illud Poætæ:

*Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens Gloria Teucrorum.*

Hinc cæso Israele et capta area, uxor Phinees pontificis gravida, ex dolore enixa filium, vocavit eum *Ichabod*, id est, ubi gloria? dicens: *Translata est gloria de Israel, quia capta est area Dei,* 1. Reg. 4. v. 20. Ita Propheta hic per vastitatem urbis magnificæ Odollam, quæ pene erat extrema in Iudæa, cæterarum omnium præcedentium, et interiacentium urbium vastitatem significat; ita ut in Odollam statura et casura sit ditio et gloria Israelis. Alludit ad etymon *Odollam*, vel, ut hebr. est, *Hadullam*. *Hadullam* enim hebr. significat, *ornamentum usque ad eos*, scilicet perveniet: vel *transitus* aut *præda*, scilicet Assyriorum, *usque ad eos*, scilicet perveniet: ita Pagnin. in interpret. nomin. Hebr. Denique perperam pro *Odollam* legit *olam*, id est, sæculum; unde vertit, *usque in sæculum effertur gloria Israelis*; et Arabicus, *in sæculum exaltabitur gloria Israelis.*

DECALVARE. ) Non tu, o Ierusalem, ut vult Theodor. vers. 16. hanc enim capere nequivit Sennacherib de quo hic agitur, imo ipse ibidem cæsus est ab angelo; sed vel tu, o Odollam, et tu o Maresa, ut censet Vatabl. vel tu, o Israel, ut censet Arias; vel potius tu, o Samaria, quæ uti sceleris, ita et excidii Iudæ fuisti dux et charagus, uti hoc capite docui: *decalvare* enim in Hebr. est feminini gene-

ris, ergo fœmininum nomen Samariæ, non masculinum Israelis respicit. Ita S. Hieron. et Rupert. unde Septuag. aliter hæc disponentes, clare vertunt gloria filix Israel decalvare et detondere super filios delicatos tuos. Hoc est quod dixit initio cap. v. 5. Quod scelus Iacob, nonne Samaria? Sicut ergo cepit hoc caput in Samaria, ita et in eadem claudit. Dicit ergo, Tu o Samaria, et consequenter tu o Iudæa, decalvare et tondere in signum extremi luctus; huius enim apud Iudæos, et etiam apud Gentiles signum erat calvitium et depilatio. Sic enim Iob afflictus caput totondit cap. 1. 20. Idem patet Ierem. 7. 29. et cap. 47. v. 5. et Ezech. 27. 31. Nam, ut ait Ovidius:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,  
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Decalvare ergo, o Samaria, in signum insignis mœroris, desolationis, excidii, et, ut Theodor. ait, reiectionis, qua Deus reiiciet et reprobabit filios deliciarum tuarum, id est, filios qui tibi sunt in deliciis, et, ut Septuag. vertunt, filios delicatos tuos, eosque tradet hosti Assyrio vel occidendos, vel captivandos: ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Clarius et Palacius. Unde Secundo, consequenter innuit ipsos filios, puta Israelitas et Iudæos, ab Assyriis decalvandos et detondendos quasi mancipia. Hoc enim bello captis et servis facere solent victores et domini. Unde de Scipionibus dictum: Sub quorum titulis Africa tonsa iacet. Quocirea Chald. vertit: Evelle tibi capillos, et proiice super filios deliciarum tuarum: sicut aquila, cuius alæ delapsæ sunt, sic adauge calvitium in capite tuo causa filiorum tuorum, q. d. Fac tibi magnum calvitium, sicut aquila dum senescit plane deglabratur; ut ostendas ingentem luctum et mœrorem.

Aquila toto corpore decalvatur.

DILATA CALVITIUM TUUM SICUT AQUILA; Syrus et Arabicus, multiplica calvitium tuum sicut aquila: quia sicut aquila plumas, ita tu populum filiosque tuos amittes; unde sequitur: QUONIAM CAPTIVI DUCTI SUNT EX TE.) Tertio, Theodor. aquila, inquit, non tantum decor, sed et celeritas ac robor consistit in pennis: cum enim ei desuunt pennæ, adeo infirma est et timida, ut sese abscondat, nec venari possit vel audeat, sed aliorum potius prædæ sit exposita. Sic ergo et Samaria nuda armis et militibus, quasi implumis aquila, quæ neque robor habet, neque effugium, Assyriorum prædæ exponitur. Quarto, Sanchez censet hic alludi ad Gentilium, quos secuti sunt Israelitæ, morem, qui solebant in suorum funere cæsariem tondere, eamque in defuncti sepulchrum inferre, itaque ei parentare. Sic Homerus Iliade 23. ait, ab Achille comam in Patrocli rogum coniectam. Et Catullus in Argonautis:

In cinerem canos solvent a vertice crines,  
Et Seneca in Phædra actu 5. scena 1.

Placens umbras; capitibus exuvias cape,  
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

Idem diserte docet Dionys. Halicarn. in funere Virginie. Sensus ergo est, q. d. Omnes tui cives et filii, o Samaria, evellentur aut a natali, aut a vitali solo; omnes morientur vel civiliter, vel naturaliter, hoc est, omnes vel interibunt, vel capientur ab Assyriis. Illis ergo parenta, tuosque crines in eorum rogum iniice. Verum cum illi sint innumeri, et tui capilli pauci, ut singulis hoc ritu parentes, oportet ut quiddam in toto corpore capillorum est, ad ipsas usque radices evellas; sicut quiddam est in aquila plumarum, cum ipsis etiam radicibus effluit, dum illarum profluvium et calvitium subit. Huc accedunt alii, qui censent hic notari et puniri idololatriam erinium, q. d. Tu o Maresa tuos, tuorumque filiorum et filiarum capillos idolis obtulisti, ideirco decalvaberis; ut in quo peccasti, in eo et puniaris. Idololatræ enim capillos capitis et barbæ resectos consecrasse suis diis, docet Alexander ab Alexand. l. 5. Genial. cap. 18. et ibi Tiraquellus. Et de Ægyptiis testatur Diodorus Siculus lib. 2. c. 4. pro pueris morbo affectis vota concepissee, ut si Deus voto adesset, desectum capillum dedicarent. Et Virgil. 4. Æneid.

Hunc ego Diti

Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.  
Sic ait, et dextra crinem secat.

Et Euripides in Bacchidib. Sacer capillus est, Deo ipsum nutrio. Et Papin. lib. 1. Virgineas libare comas. Idem testatur Tertull. libr. de Anima, et Censorinus lib. de Die natali, in præmio. Plutarchus in Theseo narrat eum ex more recepto, cum ex pueris excessisset, Delphos abiisse, ut comæ primitias Apollini sacraret. Svetonius in Nerone cap. 12. ait Nerone ex aurea pyxide barbam consecrasse Iovi Capitolino. Gentiles velut simiæ hoc, ut et multa alia, acceperunt a Iudæis, quorum Nazaræi crinem suum vovebant, sacrabant et comburebant Deo, uti dixi Num. 6.

Primus sensus uti plauior, ita et germanior est. Comparat Israelæm aquilæ potius quam aliis avibus: quia cum homo solo capite decalvetur, aquila toto corpore depilatur cum senescit: unde tunc iuvenescit rursum, cum novæ ei plumæ pro veteribus succrescunt; de qua re multa dixi Isaia 40. 31. Audi S. Gregor. hom. 18. in Ezech. in fine. Contigit, ait, ei (Romæ a Longobardis tempore S. Gregorii obsessæ) quod de Iudæa novimus per Prophetam prædictum: Dilata calvitium tuum sicut aquila. Calvitium quippe homini in solo capite fieri solet, calvitium vero aquilæ in toto corpore: quia cum valde senuerit, plumæ eius ac pennæ ex omnibus membris illius eadunt. Calvitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidit quæ populum amisit. Alarum quoque pennæ ceciderunt, cum quibus ad prædæ volare consueverat: quia omnes potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hæc autem quæ de Romanæ urbis contritione dicimus, in cunctis facta mundi civitatibus scimus. Alia enim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terræ hiatibus absorpta. Despiciamus ergo ex toto animo hoc præsens sæculum, vel extinctum: finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine. Imitemur bonorum facta, quæ possumus. Quidam apud Clarium vertit, proiice in altum abrasos capillos tuos, quantum subvolare solet aquila, id est, maxime et acerbissime luge. Sed Hebr. vox חרף carach significat decalvare, non proiicere in altum.

Alii censent aquilam, uti et hominem, solo capite decalvari: calvitium enim proprie est capitis, depilatio vero corporis. Cum enim aquila senescit, plumas tam in capite, quam in corpore amittit: unde tunc in capite decalvatur, in corpore depilatur. Verum de calvitio capitis aquilæ, nihil præ aliis avibus singulare apud Plinium, Ælianum, Aristot. Aldrovandum et alios legimus; sed depilationem totius corporis aquilæ celebrant omnes. Decalvare ergo hic idem est quod depilare. Unde ait, Dilata calvitium tuum, ut scilicet a capite per totum corpus extendatur.

Tropol. aquila pennas veteres dimittens, seque decalvans et depilans, et mox novas assumens, symbolum est penitentia et penitentium, qui calvitium penitentia, id est, luctum, signaque luctus assumunt, ac veteres pravos mores deponunt, novamque virtutis vitam incunt: ita ex S. Hieron. Aldrovandus in Aquila pag. 69. imo Psaltes ps. 102. 5. Renovabitur ut aquilæ iuventus tua, nimirum veterem hominem deponens, novum autem qui in Creatoris agnitionem renovatur, assumens, ait Ibidem S. Chrys. Sicut enim aquila omnes pennas veteres deponit, totoque corpore se deplumat, ut ubique novas assumat, totumque corpus renovet; ita peccator et penitens omnes mores pristinos deponere, novosque assumere debet, ut fiat alter novusque homo. Hoc verum, sed rarum penitentia est schema.

Aquila se depilans et renovans schema est penitentis.

Symbol. Samaria, et quis peccator per peccatum decalvatur, id est, omni decore et gloria virtutum et gratiarum spoliatur: ita S. Hieron. Unde perdit Odollam, id est, ornamentum eorum; et Maresa, id est hereditatem gratia Dei et regni caelestis; et Samariam, id est custodiam angelorum; et qui antea erat Israel, id est dominans Dei, fit mancipium diaboli.

Et peccatoris.

Anagog. Rupert. Hac, ait, similitudine aquilæ depulmantis se, ut novas pennas assumat, continetur tacita promissio alterius sobolis melioris; Samariæ quidem ad litteram, fidelium vero et sanctorum mystice, præsertim per resurrectionem et gloriam caelestem.

Anagog. resurgentium ad gloriam.

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Recenset oppressiones pauperum, aliasque iniurias proximis illatas ab Israelitis: ideoque eis captivitatem comminatur, non ex odio, sed ex amore et compassione. Unde v. 11. Utinam, ait, non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer. Quocirca v. 12. tristibus leta subiungens, promittit Christum, qui eos e captivitate in unum Ecclesie ovile, quasi pastor colligat.

Theodor. putat Prophetam hic vaticinari duabus tantum tribubus: Rupertus vero, Vatabl. et a Castro, decem duntaxat. Verius est eum primo decem, deinde duabus tribubus hæc edicere, uti censet Arias. Probatur Primo, quia caput hoc simile est priori, et ab eo continuo filo deducitur, connectitur, et pendet. Ergo sicut ibi primo egit contra decem, deinde consequenter vel comitanter contra duas tribus; ita agit et hic. Secundo, quia v. 12. et cap. 5. 4. alloquitur tam Iacob, quam Israel. Ergo sicut cap. 4. 5. per Iacob intellexit decem tribus, per Israel duas, ita et hic. Tertio quia vers. 12. ait Christum congregaturum in suum ovile tam Iacob, quam Israel. Atqui Christus congregavit tam decem tribus, quam duas; ergo. Quarto, quia non tantum hic agi de decem tribubus, sed et de duabus, patet clare c. 5. 10. ubi ait: Qui ædificabis Sion in sanguinibus, et Ierusalem in iniquitate. Et vers. 12. Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit.

1. **V**æ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. 2. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et rapuerunt domos: et calumniabantur virum, et domum eius: virum et hæreditatem eius: 3. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum: unde non auferetis colla vestra, et non ambulabit superbi, quoniam tempus pessimum est. 4. In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate, dicentium: Depopulatione vastati sumus: pars populi mei commutata est: quomodo recedet a me, cum revortatur, qui regiones nostras dividat? 5. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cætu Domini. 6. Ne loquamini loquentes: Non stillabit super istos, non comprehendet confusio. 7. Dicit domus Iacob: Numquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes eius? Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? 8. Et e contrario populus meus in adversarium consurrexit: desuper tunica pallium sustulistis: et eos, qui transibant simpliciter, convertistis in bellum. 9. Mulieres populi mei eiecitistis de domo deliciarum suarum: a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. 10. Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem: propter immunditiam eius corruptetur putredine pessima. 11. Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum, et in ebrietatem: et erit super quem stillatur populus iste. 12. Congregatione congregabo Iacob totum te: in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur a multitudine hominum. 13. Ascendet enim pandens iter ante eos: dividet, et transibunt portam, et ingredientur per eam: et transibit rex eorum coram eis: et Dominus in capite eorum.

Vers. 1.

**V**Æ QUI COGITATIS INUTILE.) Hebr. אָנָּן *aven*, id est, *vanitatem*, vel *iniquitatem*: ita Pagnin. et Vatabl. Chald. *rapinam*; Syrus, *fraudem*; Arabicus, *ignorantiam*, insipientiam. Agit enim de iniuriis proximo illatis. Sicut enim cap. 1. descripsit peccata Israel in Deum, ita hic eiusdem scelera in proximum commissa recenset. Est Liptote sive Imminutio, figura Rhetorica, qua modestiæ causa minus dicitur, et minus intelligitur; ut eum ait Poeta: *Quem non virtutis egentem* (id est, quem virtute pollentem et abundantem) *abstulit atra dies*. Sic idola in Scriptura vocantur vana, quia in se vana falsaque sunt numina; ad nou vanam, sed veram asserunt noxam: puta culpam et pœnam. Septuag. pro אָנָּן *hoi*, id est, *væ*, aliis punctis, et per metathesin litteræ *vau* cum *iud*, legerunt אָנָּן *haviu*, id est, *facti sunt cogitantes labores*, id est, peccata et scelera: peccatum enim parit laborem et dolorem tam præsentem, quam futurum.

**ET OPERAMINI MALUM IN CUBILIBUS VESTRIS**, q. d. Noctu in lectis excogitatis et machinamini scelera, puta fraudes et oppressiones pauperum, quæ summo mane ayide et festinanter expletis. Hoc est enim quod sequitur, **IN LUCE MATUTINA FACIUNT ILLUD.**) *Faciunt*, id est, *facitis*. Est enallage personæ: sed ait *faciunt*, quasi ob rei indignitatem avertens faciem et sermonem ab eis: unde de eis quasi alienis et hostibus, in tertia persona loquitur.

**QUONIAM CONTRA DEUM EST MANUS EORUM.**) *Manus*, id est, consilium, machinatio, operatio, et executio quæ sit manu. Nota. Hebr. אָנָּן et significat fortitudinem, et inde Deum, quia ipse est fortissimus. Unde ex Hebræo sic verti potest, *quoniam ad fortitudinem manus eorum*, id est, quia manus eorum sunt fortes, sive *qui viribus pollent*, ut vertit

Figurina; atque *quia facullas in manibus eorum ad opprimendum*, ut vertit Pagnin. Sic et Chald. Clarius et Arias, q. d. Machinantur iniurias proximis, easque reipsa inferunt quia sunt potentes, nec quis valet eis resistere. Unde S. Hieron. *Non consideratis*, ait, *quod adversus Dominum fortis est manus vestra?* Tertio, Septuag. totum hunc locum se transferunt, *facti sunt cogitantes labores, et operantes mala in cubilibus suis, et simul cum die* (mox ut dies illucescebat) *consummabant ea, quia non levaverunt ad Dominum manus suas*.

Ubi nota, quanta sit vis orationis, et quanta mala ex eius omissione et neglectu sequantur. Hi enim Israelitæ omnes fraudes et rapinas machinabantur et perliciebant, eo quod non levarent manus suas ad Dominum, ut vertunt Septuag. si enim eas levassent, partim recordatione Dei et iudiciorum eius deterriti, a seclerum molitione destitissent, partim Deus ab eis invocatus gratia sua eos prævenisset qua eos avocasset a malo, et incitasset ad bonum. Idem reipsa experimur in magnis peccatoribus; scilicet eos oblivisci orationis et Dei, uti de senibus illis Susannæ pudicitia insidiantibus dicitur Daniel 13. 9. *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent exitum, neque recordarentur iudiciorum iustorum*. Et Psaltes psal. 13. cum v. 1. dixisset de impiis: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis, etc. omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum etc. contritio et infelicitas in viis eorum, etc.* Causam horum omnium malorum et seclerum subdit v. 5. dicens: *Dominum non invocaverunt*. Ex adverso ipse Psaltes iugiter orat Deum, ut ab eo in suis cogitationibus et operibus dirigatur, ne in aliquod peccatum labatur.

Moral.  
quanta  
sit vis o-  
rationis  
factæ vel  
negle-  
ctæ.

tur. *Perfice, inquit, gressus meos, ut non moveantur vestigia mea, psal. 16. 5. Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus, psal. 24. 4. Legem pone mihi Domine in via tua, et dirige me in scimitam rectam, propter inimicos meos, psal. 26. 11. Idipsum facit sæpe alibi, et toto Psal. 118. qui est de custodia legis Dei. Et S. Paulus 2. Corinth. 13. 7. Oramus, ait, Deum, ut nihil mali faciatis. Scribit Cassianus collat. 10. c. 9. servos Dei in initio cuiusque operis solere implorare opem Dei, ut illud recte, sine peccato, et cum virtute obeant, ac dicere, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuandum me festina; prout Ecclesia orat initio Horarum singularum; quæ et ad Primam initio diei ita precatur: Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Experientia docuit, Confessores pro fide Christi captos a tyrannis, in ea fortes perstitisse, factosque Martyres, quotquot iugi orationi se dediderunt: cecidisse vero eos, qui orare, et Dei opem invocare neglexerunt. Idem vidimus et videmus in aliis tentationibus quibuslibet. Idem experimur in nobis ipsis. Huius rei symbolo legitur in libris Machab. quod Iudas Machabæus, qui tot tamque nobiles victorias de Antiocho obtinuit, semper ante singula prælia ferventes ad Deum preces fuderit, excepto ultimo in quo confossus occubuit, quia tunc orasse non legitur. Quotidie ergo oremus cum S. Ambrosio et S. Augustino in hymno: Te Deum laudamus: Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.*

Vers. 2. **RAPUERUNT DOMOS.**) Concupierunt domos æque ac agros proximi, easque rapuerunt vi vel fraude, ut concupiscentiam suam explerent.

**ET CALUMNIABANTUR VIRUM.**) Per calumniam opprimebant, accusantes enim falso, ut ei bona, vel etiam vitam eriperent: hoc enim est Hebr. פִּשְׁי אַשְׂיָא. Unde Tigurina vertit, *vim inferunt cuique*; Pagnin. *oppresserunt virum; Septuag. diriperunt virum.*

Vers. 3. **ET NON AMBULABITIS SUPERBI.**) Chald. et Septuag. *erecti*, q. d. Deprimam erectam et superbam eorum cervicem, reddam eos humiles et deictos, ut colla tumida submittant, cervices altas inclinent.

**QUONIAM TEMPUS PESSIMUM, id est, maxime calamitosum, EST.**) Id est, erit, q. d. Inducam eis maximas clades, quæ cervices eorum superbas contendant et frangent. Sic dicitur Matth. 6. 34. *Sufficit dici malitia, id est, afflictio et calamitas, sua.* Sic ex adverso Hebræi vocant bonum, id quod prosperum est et iueundum: ut, *Ecce quam bonum et quam iueundum habitare fratres in unum*, Psal. 132. v. 1. Ad hunc Michææ locum alludit Apostolus Ephes. 5. 16. dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

Vers. 4. **IN DIE ILLA SUMETUR SUPER VOS PARABOLA.**) Puta nœnia, id est, lamentum funebre, et carmen lugubre, vulgo et passim cantandum: sic parabola vel lamentum vocatur nœnia excidii Babylonis, Isaia 14. 4. et Tyri, Ezech. 27. 2. et Ægypti, Ezech. 32. 2. Ratio est, quia uti parabola, ita et nœnia adhiberi solent similitudines, gnoma, metaphora, similesque figuræ et schemata, quæ in carmine adhibentur. Ad hæc sunt res trita, quæ vulgo in omnium ore versantur, hæ enim Hebræis vocantur parabola, vel proverbialia.

**ET CANTABITUR CANTICUM CUM SUAUVITATE.**) Hebr. et lamentabitur lamentum lamenti, id est, lamentum summum, sive iocissime lugubre. Ita Pagnin. Vatabl. et alii. Dices, Cur ergo Noster et Septuag. vertunt, *canticum cum suavitate*; et Arias, *lamentum cum solamine*? Resp. quia quando Hebræi idem nomen iterant in genitivo, significant quid in eo genere eximum, pulcherrimum et summum, ut, Rex regum, id est, summus rex: Canticum canticorum, id est, canticum pulcherrimum. Sic hic lamentum lamenti, est eximum et pulcherrimum lamentum: præsertim quia omnis cantus, etiamsi lugubris et lamen-

tabilis, hoc ipso quo cantus, suavis est, auresque et mentem delectat: quinimo non tantum melancholici, sed et viri pii compunctioni dediti magis delectantur carmine et musica funebri, quam festiva et exultante. Hac de causa veteres in funere adhibebant lamentatores et lamentatrices, canentes tibiis, ut tibiæ sono et voce, licet lugubri, lenirent dolorem parentum et cognatorum, qui proinde ita voces suas frangebant et flecebant, ut modulatione sua lenirent mœrorem. Ita et hoc lamento insigni lenitur mœror Hierosolymæ vastata, eique licet mœrenti, suavitatem aliquam præfica ingerit, eamque consolatione tali loco congrua demulcet.

Aliter Ribera: hebr. inquit, נְהִיָּה נִיְהִיָּה, id est, lamenti vel lamentationis, a rad. נָהַה *naha*, id est, lamentatus est, deduci potest a rad. הָוָה *hava*, quod significat frangere, conterere, q. d. Frangetur, id est, fracta, iuncta et molli voce, hoc est cum suavitate, canetur hoc lamentum. Melius *nihiā*, deducas ab הָיָה *haia*, id est, fuit: ut *nihiā* idem sit quod factum, completum, cunctinuum, elegans, ideoque demulcens, delectans, et suave.

Aliter Remig. Albert. Lyraus et Hugo. Censent enim hoc lamentum assumendum non ab ipsis Israelitis, sed ab eorum hostibus Assyriis, qui imitantes et replicantes hoc Israelitarum lamentum, canent pro irrisionem cum suavitate idipsum, quod Israelitæ canent cum luctu. Verum alii simplicius censent Prophetam hoc lamentum assignare non Assyriis, sed ipsis Israelitis vastatis; puta canendum ab eorum præficiis et lamentatoribus publicis, qui lamentis præerant, ad publicum civium in tanta clade solamen. Hoc enim significant ipsa verba lamenti, quæ sunt primæ personæ: *Depopulatione vastati sumus.*

**DEPOPULATIONE VASTATI SUMUS; Hebr. vastando vastati sumus, id est, ut Pagn. penitus vastati sumus, PARS POPULI MEI COMMUTATA EST.**) Sunt verba Synagogæ, puta Samariæ et Hierosolymæ, q. d. Pars populi Israelitici translata est a Salmanasar in Assyriam, æque ac pars populi Iudaici translata est a Nabuchodonosor in Babylonem. Secundo *pars*, id est, sors et hæreditas populi mei, puta agri Samariæ, ab Israelitis translata sunt ad Cuthæos et Assyrios, æque ac agri Iudææ occupati sunt a Chaldæis, 4. Reg. 17. et c. 23.

**QUOMODO RECEDET A ME, CUM REVERTATUR QUI REGIONES NOSTRAS DIVIDAT?**) q. d. Persuadebant nobis pseudoprophetae et adultores, nosque credebamus, quod, cum Salmanasar populatus esset agros Samariæ paucis abductis, nosque illi promitteremus tributum, amplius ad nos non rediret, foretque nobis pax: sed ecce redit, et obsidet Samariam, eamque caput, omnesque Israelitas adducit, ac in eorum locum ex Assyria in Samariam adducit Cuthæos, qui agros eorum possideant, quasi incolæ perpetui futuri, ut nulla nobis ad nostra redeundi supersit spes. Idem dicunt Iudæi de Nabuchodonosor: sperabamus eum occiso Ioakim, et capto Ioachim, indictoque nobis tributo, non rediturum; sed ecce redit, capit Ierusalem, excæcat Sedeciam, filios eius obrutcat, cives omnes abducit, agros nostros alienis distribuit: nihil ergo spei nobis superest. Huc accedit expositio S. Hieron. Remigii, Haymonis, et aliorum, qui hæc de Sennacherib exponunt, q. d. Cum Sennacherib recederet ab obsidione Ierusalem, ut occurreret Tharaeæ regi Æthiopum, nos Iudæi sperabamus eum amplius non rediturum; sed ecce redit, Ierusalem obsidet, agrosque nostros suis dividit.

Paulo aliter vertit Pagnin. *quomodo, inquit, removit a nobis, quos sperabamus nobis restitui? agros nostros hostis divisit sibi; et Vatabl. quomodo abstulit a me, cum restitutus videretur (nobis) agros nostros? divisit*, supple nostros agros aliis, q. d. Fallimur spe nostra, sperabamus agros nostros nobis restituendos, et ecce in eos hostes nostri possessores inducuntur.

**PROPTER HOC NON ERIT TIBI.**) Verba sunt Prophetæ ad Samariam; vel potius Samariæ et Iudææ ad seipsam. Sic enim lugentes ex patho seipsos subinde quasi alienos alloquuntur, q. d. Posthac terram tuam, o Samaria et Iudæa, inter tuos cives funiculo non divides, uti antea fa-



cere solebas : quia scilicet privaberis omni tua possessione ; hoc est, posthac ego Samaria et Iudæa meis filiis terram non dividam, quia ea omnino privabor. Hic finitur lamentum et uenia.

Vers. 6. **NE LOQUAMINI LOQUENTES, etc.** ) Hebr. *ne stilletis, stillabunt*, quod Vatabl. sic vertit, *ne stilletis his qui stillare solent*, id est, Prophetis, propterea non stillabunt posthac istis : sicque exponit, Dicere solent Prophetis : Ne loquamini, hoc est, nolite prophetare et vaticinari nobis, q. d. Vos veris Prophetis silentium imponitis, et propterea privabimini Prophetis et prophetia. Verum melius Noster, Symmach. et alii veteres vertunt, *ne stilletis stillantes*, vel stillando. Nam futurum Hebræi subinde usurpant pro participio, ut Osee 12. 11. hebr. est, *si Galaad idolum, ergo frustra fuerunt in Galgal, bobus immolaverunt*, id est, immolantes, ut vertit Noster et alii. Et cap. 13. 3. *Immolate homines, vitulos adorabunt*, id est, adorantes, ut vertunt Septuag. Noster et alii. Iam per *stillare* Septuag. intelligunt plorare et lacrymari : oculorum enim stille sunt lacrymæ. Unde vertunt, *ne lacrymemini lacrymas*. Verum apud Hebræos, præsertim Prophetas, *stillare* idem est quod loqui, prophetare, concionari; uti sæpe monui. Nam ut ait S. Hieron. *eloquium ab eo quod fluit, et ad aures perveniat audientium in similitudinem pluvie descendentes, stillationem vocat*; præsertim quia grave est, minax et onerosum : stillæ enim eum pondere, impetu, nimbo et grandine sæpe decidunt. S. Hieron. Remig. et alii censent hæc esse verba Prophete ad populum, q. d. Nolite dicere o Iudæi, id quod soletis; Prophetæ prædicunt et comminantur nobis mala, at nos eis non credimus : non enim stillabit, id est, non ruet super nos calamitas ista.

Verum, quia non ait : *Non stillabit super nos*, sed *super istos*, hinc alii probabilis censent esse verba alterius Prophetæ vel viri sapientis, ad Michæam, similesque Prophetas, q. d. Nolite, o Michæa, o Amos, o Ioel, etc. prophetare Israelitis, quia ipsi non credunt : unde vestrum eloquium non stillabit super istos, id est, non instillabit illis pia monita : non enim *comprehendet* illos confusio, dolor aut pœnitentia, q. d. Sunt obstinati et incorrigibiles. Quocirca Chald. vertit, *ne prophetetis prophetiam, neque doceatis populum istum : nam non admittunt confusionem*, q. d. Frustra eos monetis; nam perfreuerunt frontem, et in suis sceleribus sunt impudentes. Unde sequitur :

Vers. 7. **DICIT DOMUS IACOB.** Pro *dicat* hebr. est *האמר* *heamur*, id est, *hoc est dictum domus Iacob* : he enim demonstrativum significat *hoc* : ita Noster. Nam dum Prophetæ eis exitium minantur, obstrepunt dicuntque : **NUMQUID ABBREVIATUS EST SPIRITUS DOMINI?** q. d. Numquid arctatus et angustatus ( hoc enim significat Hebr. *קצר katsar* ) est spiritus misericordie Dei, ut nos qui sumus populus eius perdere velit? **NUMQUID TALES SUNT COGITATIONES EIUS.** ) Quales enunciant nobis Prophetæ, tristes scilicet et exitiales, et non potius benigne et pacificæ? iuxta illud quod ipse ait per Ieremiam cap. 29. 11. *Cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis* : ita S. Hieron. Haymo, Remig. et alii.

Secundo, alii *he in heamur*, accipiunt non ut demonstrativum, sed ut interrogativum vel admirativum. Unde vertunt, *o dicta domus Iacob!* ita Pagnin. vel, *annon dictum est a domo Iacob?* ita Tigrina, q. d. Itane o Iacobitæ, id est, Israelitæ, dicitis Prophetis, Ne stilletis, id est, prophetetis nobis mala, uti præcessit? *Annon abbreviatus est spiritus Domini?* q. d. Etiamsi illis Prophetis claudatis ora, et silentium imponatis, annon possum alios aciores eorum loco suscitare et submittere, qui duriora nuncient? *Annon hæc sunt opera eius?* q. d. Nonne hæc oracula minacia non sunt Prophetarum, sed ipsius spiritus Domini, qui per os eorum loquitur? q. d. Contenditis et pugnatis o Israelitæ, non contra Prophetas, sed contra Deum, novam gigantomachiam contra Deum instituitis : videte ergo, ne ut gigantes a Deo fulmine adigamini in abyssum; durum enim est vobis contra stimulum calcitrare : ita Vatablus. Verum prior sensus est genuinus. Nam *τὸ dicat domus Iacob*, non ad præcedentia,

sed ad sequentia spectat. Quæ ergo sequuntur : *Numquid abbreviatus est spiritus Domini?* sunt verba non Dei, sed populi Israel, cui respondet Deus dicens :

**NONNE VERBA MEA BONA SUNT CUM EO, QUI RECTE GRADITUR** ) Sunt verba et responsio Dei. Nota *bona*, id est, benigna, clementia, incunda. Sic dicitur psal. 7. 21. *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde bonus*, id est, suavis et beneficus; et Michæa 7. 4. *Qui optimus, id est, benignissimus et mansuetissimus, in eis est, quasi paliurus, et qui rectus* ( id est, placens, gratus, iucundus, placidus ) *quasi spina de sepe*. Israelitæ Prophetis minantibus Dei vindictam obstrepabant et obiciebant Dei clementiam et bonitatem erga populum suum. Hæc respondet hic Deus, se bonum et clementem esse, sed bonis et rectis; malum vero et rigidum malis et impiis, quales erant Israelitæ, q. d. Vos a me et Prophetis exposcitis verba bona, id est, oracula fausta et laeta : sed respondeo, hæc a me dari bonis, mihi que obedientibus, his enim ea ex promisso meo debentur. Vos autem pravi estis, mihi que rebelles; ergo non nisi oracula rebellibus digna, puta tristia et minacia, a me expectate. Unde subdit :

**ET E CONTRARIO POPULUS MEUS IN ADVERSARIUM CONSURREXIT.** ) Pro *e contrario* hebr. est *אתמר* *etmul*, quod Primo, significat, *heri, paulo ante*. Unde Septuag. Symmach. Pagn. Vatabl. Clarius et alii vertunt, *heri*, vel ante *unum diem*, id est, paulo ante, iam recenter, *populus meus hostis in morem insurrexit*, tum contra me, meamque legem : tum contra proximum. Unde Pagnin. vertit, *quasi inimicus alter contra alterum stetit*, scilicet cum tunica et pallio spolians, ut sequitur, q. d. Qui heri erat populus meus, hodie mihi rebellis, contra me æque ac contra proximum suum consurgit : ita Vatabl.

Secundo, *etmul* potest esse conflatum ex *et*, id est *ex*, et *מל* *mul*, id est, *contra*, q. d. E contra ex adverso, ut sit sensus, q. d. Ego bonus sum bonis et rectis, mihi que consentientibus : vos vero Israelitæ, non estis tales : sed contra me et proximos vestros quasi hostes consurgitis. Quid mirum ergo si vos mali malum, id est, maleficum, me, non bonum et beneficium experiamini? ita S. Hieronym. Remig. Hugo, et alii. Quocirca Septuag. vertunt, *et antea populus meus in inimicitia restitit contra pacem suam* Pax enim omne bonum significat et complectitur.

**IN ADVERSARIUM CONSURREXIT.** ) S. Hieron. *tyrannica adversum me arma corripuit*. Idololatæ ergo et peccatores sunt tyranni et rebelles qui contra Deum pugnant.

**DESUPER TUNICA PALLIUM SUSTULISTIS.** ) Primo, Chald. aliter hæc accipit, scilicet ut significant non culpam, sed pœnam Israelis. Sic enim totum hunc locum vertit, *ob scelera hosti traditi sunt, e regione eorum populi stantes possident eos : pecuniam eorum pretiosam ab eis tollunt, transcurrentes per terram eorum confidenter convertuntur in eos, velut bello contractos*. Secundo, Arias, q. d. Heri populus meus mihi fidelis et obediens, in hostes suos potens insurrexit, eosque protrivit : at nunc, cum a me ad idola et scelera descivit, mea ope et robore destitutus, factus est ignavissimus, timidissimus et imbecillissimus; adeo ut, si prospiciat vestem e regione, quam viator quispiam baculo ( ut fit ) suspensam ferat, ex vano hostium metu militare id signum esse putans, trepide fugiat, etiam abiecto pallio, ut celerius fugam capessat. Verum planus est sensus quem reddidit Noster, q. d. Vos o Israelitæ, adeo rapinis fuistis addicti, ut obvio viatori raperetis pallium, id est, extimam vestem, cum intimam tunicam corpori eius nimis astrictam rapere non possentis : itaque eoegistis cum publice seminudum, ut rusticanum hominem indecore incedere. Idecirco spoliabunt et nudabunt vos Assyrii, tum quia vos spoliastis alios, tum quia opes vestrae non sunt vestrae, sed prædæ et rapinae pauperum : a vobis ergo quasi iniustis possessoribus, avolabunt ad Assyrios.

Tropol. S. Hieron. hæc refert ad eos qui simplices pervertunt, eosque Dei gratia et virtutibus despoliant, pelliciendo eos in hæresim, libidinem, farta, etc.

**ET EOS QUI TRANSIBANT SIMPLICITER, INNOXIE, et con-**

sequenter fidentes, et nihil mali timentes, ut habent Hebræa: hos inquam, **CONVERTISTIS IN BELLUM.**) Id est, bello et rapina appetistis, quasi hostes invasistis, pugnis contudistis, contumeliis vexastis, vestibus rebusque suis spoliastis quasi prædones et grassatores viarum publicarum.

Vers. 9.

**MULIERES POPULI MEI EIECISTIS DE DOMO DELICIA-  
RUM SUARUM.**) Primo, q. d. Occidistis, vel expulistis, vel in carcerem trusistis maritos populi mei, id est, plebeiorum et pauperum: nec hoc contenti, uxores eorum expulistis suis aedibus, in quibus cum maritis in amore, pace et suavitate coniugali, quasi in domo deliciarum vivebant, ut aedes earum et prædia occuparetis: ita Lyran. Arias et Vatablus. Porro pauperes vocat *populum suum*, quia, ut ait Psaltes psal. 9. 35. *Tibi derelictus est pauper, orphanus tu eris adiutor.* Et Christus Matth. 23. 40. *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sic Achab occiso Naboth, invasit vineam Naboth, ex eaque uxorem eius iam viduam exturbavit, 3. Reg. 21. 16.

Aliter S. Hieron. q. d. Vestris sceleribus causa fuistis, cur matronæ honestæ et divites domibus suis, in quibus delicate vivebant, extractæ, ab Assiriis ducerentur in captivitatem. Aliter et Vatabl. q. d. Sollicitando uxores ad adulterium, vel de eo illas calumniando, aut suspectas faciendo, concitastis maritos, ut eas quasi adulteras domo expellerent, itaque a parvulis earum abstulistis laudem, id est, deus et gloriam: quia fecistis, ut filii earum essent viles et abiecti, aut nothi et spurii: coegistis enim illas a maritis expulsas, alias domos et viros adire, hoc est, ut verbo dicam, coegistis illas adulterari. Nota. Pro *tulistis laudem meam in perpetuum*, S. Gregorius Nazianz. orat. 7. ex Septuag. ( qui pro *הדררי hadarrai* legerunt *הרי hare*, id est, montes ) legit, *appropinquate montibus aternis*, sicque explicat: Iubet, inquit, ut pastores gregem ad montes et edita loca impellant, ut scilicet fidelibus ostendant viam arduæ virtutis et perfectionis. Unde Syrus vertit, *et a parvulis eorum accipietis gloriam in seculum*; Arabicus, *induentur gloria in æternum.*

**A PARVULIS EARUM TULISTIS LAUDEM MEAM IN PERPETUUM.**) Laudassent enim me parvuli, si a parentibus in coniugali amore honeste fuissent educati, eorumque hæredes effecti. At a vobis et parentibus orbi, et bonis spoliati, gemunt, fremunt, vobis maledicunt, clamantque vindictam in cælum: ita Albert. et Arias. Secundo, tulistis ab eis meam laudem, tum quia eos a matribus avulsos, honesta piaque educatione privastis, et in idololatria vestra educastis; tum quia eos ad paupertatem adegistis, ob quam ad omnia scelera, vestramque voluntatem et libidinem eos inflexistis. Tertio, *laudem* id est, gloriam; et Tigurina, honorem, q. d. Fecistis eos mihi et sibi viles et inglorios, separando eos a parentibus, et matres a patribus: bona enim matrimonii quibus Deus glorificatur, olim erant duo, scilicet proles et fides coniugalis; nunc in lege nova sunt tria, scilicet proles, fides et Sacramentum. Vos hæc omnia hæc separatione evertistis: evertistis ergo omnem meam in matrimonio gloriam, præsertim quia spoliando filios bonis paternis, fecistis ne ipsi matrimonium inire, et stirpem paternam propagare possent. Hæc enim fuisset mea, æque ac ipsorum laus et gloria; unde Chal. vertit, *ab ipsis filios tollentes, translata est gloria eorum, quam dixerunt in æternum permansuram.*

Vers. 10.

**SURGITE ET ITE**, q. d. Ob has rapinas et scelera vestra, o Israelitæ, abite in captivitatem Assyriacam, et vos o Iudæi in Babyloniam: **QUIA NON HABETIS HIC QUIETEM**, q. d. Vos inquieti et turbulenti terram hanc, id est, terræ incolæ, vexatis; hinc pariter non habebitis in ea quietem, sed Assirius vexabit vos, et abducat: **PROPTER IMMUNDITIAM EIUS**; scilicet terræ, qua vos eam polluistis, **CORRUMPETUR PUTREDINE PESSIMA.**) Id est, sanguine et labe cadaverum vestrorum inficietur, et vastitate extrema vastabitur, q. d. Quia vos terram hanc vestris sordibus et sceleribus fœdastis, hinc illa evomet vos, tradetque vos maclandos Assiriis, ut vestro sanguine imbuta, per iustam vindictam quasi eluat sordes, quibus illam contaminastis, eique quasi vim intulistis. Terra

anem hæc sancta non potest sustinere vos tam pollutos et inultos. Unde Pagnin. vertit, *surgite et ite, quia non est hæc civitas requies; et quia est immunda, corrumpet eam, et corruptione valde forti*; et Chald. *surgite et migrate, siquidem non est hæc terra domus requie impiorum, ut eam pollutatis, perditæ agitis, ut eam efficiatis immundam, contra eam consociamini.* Hebr. enim *חבל chabal* significat et corrumpi, et colligari, indeque consociari. Unde et Tigurina pro *corruptione valde forti*, vertit, *et funis ninium intentus*: *חבל chebel* enim est funis, quo res colligamus et consociamus.

**UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM, ET MENDACIUM POTIUS LOQUERER.**) Ex Hebræo varie verti potest. Primo, Tigurina, *si vir essem spiritum* ( ventum, vanitatem ) *sequens, et mendacium concinnans, prophetaremque tibi de vino et sicera, Propheta essem pro hoc populo*, q. d. Si loquerer placencia et voluptuaria de indulgendo genio, ventri et veueri, uti fecit Lutherus eiusque asseclæ, essem Propheta gratus huic populo. Huc accedit Chald. *pro eo quod aberrarunt post pseudopphetas, qui eis spiritu mendaci prophetabant, quique illos vino et ebrietati assuefaciebant, erit profecto sicut didicerunt post pseudopphetas aberrare, sic exultabit in terram mendaciorum populus istius generationis.* Respicit ad v. 6. q. d. Populus iste deliciis assuetus odit veros Prophetas qui severa edicunt: amat falsos, qui epicurea vaticinaunt, quia ergo amat mendaces et mendacia, eat in Assyriam, quæ est terra mendaciorum, id est, idolorum et falsorum prophetarum, ibique mendaciis suis, uti chamæleon vento, se pascat.

Vers. 11.

Secundo, Pagnin. *si fuerit quispiam qui ambulet per viam venti, et mendacium mentitus fuerit, dicendo, Stillabo tibi pro vino et sechar*, q. d. Si quis surgat pseudoppheta, qui non populi, sed suum quærat lucrum; stillans, id est, docens, ut vinum et sicera pro mercede doctrinæ suæ conquirat; hic nimirum a populo isto stolido acceptabitur et coletur ut Propheta.

Tertio, et genuine vertit Noster, *utinam non essem vir habens spiritum*, etc. q. d. Utinam non haberem spiritum propheticum: utinam, quæ prophetizo de elade et exitio Israelis, non sint prophetiæ a Deo revelatæ; sed mendacia mihi a vano timoris et pusillanimitatis spiritu metuque suggesta. Sic vulgo dicimus, *Utinam decipiar, utinam sim falsus vates.* Sic ait Lucanus:

*Dii facta secudent,  
Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis  
Finxerit ista Tages.*

Nota. Non optat Michæas formaliter mentiri; hoc enim optare, est peccatum; sed materialiter tantum, hoc est, optat dumtaxat ut mendacium, id est, falsum, sit, seu ut reipsa non eveniat id quod prædicit; ac consequenter ut id quod prædicit, non prædicat ex spiritu Dei, sed ex spiritu suo, puta humano vani timoris. Id dicit ex amore, quia optat suas cives perdurare, et non excindi, nec perdi ab Assiriis; quod tamen ipsi ex Deo eis comminabatur.

Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Hugo et Lyran. Nota. Pro *vir habens spiritum*, hebr. est *vir vadens spiritu*, id est, qui agit vertigine, qui non habet spiritum stabilem et certum, sed vagum, mobilem, incertum, inconstantem. ut modo verum videat; modo falsum, etiam circa unum idemque: quo fit, ut quod asseruit, illico revocet et neget, q. d. Utinam hæc in re actus spiritu vago et erratico, vagarer, deciperer, et errarem, mihi que liceret revocare oraculum excidii Israelis, quod edidi. Posset verti, *utinam essem vir vadens vento*; vel, ut Pagn. et Tigur. *ambulans per viam venti*, id est, impulsus vento vanitatis, vanique timoris, erroris et mendacii ( sic Flandri de iactabundo et mendace dicunt, Ventosus est, spirat ventum ) ut vano timore actus metuam, augurer et enunciem excidium Israelis, quod re ipsa non eveniet. Sic enim melancholici, pusillanimes et timidi omnia tristia de se et aliis suspiciantur et ominantur. Tales enim tristes cogitationes, suspiciones et metus parit humor melancholicus, frigidus et ater: sicut ex adverso complexio sanguinea, calida et

spiritosa parit cogitationes et ominations bonas, letas, animosas, uti videre est in iis qui sanguinei et ioviales sunt.

**STILLABO TIBI IN VINUM, ET IN EBRIETATEM.)** Id est, in vinum inebrians; est hendyadis. Sensus est, q. d. Vellem non habere spiritum prophetiæ, tibi o Israel minacem et tristem: sed tamen eo vel invitus corripior, cogorque verum stillare, id est, enunciare, scilicet imminencia tibi plurima mala, et clades acerbissimas, quæ instar vini te mebrabant et implebunt usque ad guttur. Alludit ad symposiarcham, sive prefectum convivii, qui cuique convivio suum admiciebatur et miscibat calicem, stillans in eum tantum vini et tantum aquæ, quantum eius ætati, complexioni et stomacho congruere videbat, q. d. Ego Michæas tibi o Israel, sum quasi symposiarcha, aut potius symposiarchæ, id est, Dei minister et pincerna. Paro ergo tibi calicem iræ et furoris, in eumque stillo vinum acre et merum, puta strages et funera, ut eum tibi iussu Dei hauriendum et ebibeudum propinem. Ecce hæc omnia unico verbo complectitur Propheta, quia concisus est, et plenus affectibus. Pathos ergo animi, eiusque alternans affectus, concise et hiulce exprimit; uti solent facere vehementer dolentes, amantes, vel irascentes, qui nunc sperant, nunc desperant; nunc blandiuntur, nunc minantur; nunc lugent, nunc rident; nunc verba incidunt, nunc supprimunt; nunc ex hoc in aliud, sine ordine et conexione saliant.

**ET ERIT SUPER QUEM STILLATUR POPULUS ISTE.)** q. d. In hunc populum Israelis cadent hæc Dei mæque stillæ; puta hæc minarum prophetiæ. Israel est cui vinum hoc furoris stillo et instillo; ipse est qui calicem hunc stillarum, id est, pœnarum, Dei exhauriet, eoque inebriabitur, usque ad stuporem et amentiam.

**CONGREGATIONE CONGREGABO IACOB TOTUM TE.)** Variarum sunt huius loci expositiones. Primo, Theodor. et Vatabl. ut hæc connectant præcedentibus, dicunt hic exponi calicem et vinum iræ Dei, quod stillandum in Israelitas, iam dixit: calicem enim hunc esse obsidionem et excidium Samariæ, et Hierosolymæ, q. d. Efficiam ut cogente hoste Assyrio et Chaldæo, quasi oves congregemini in urbes vestras munitas, quas ille obsessurus est: ibi præ multitudine, pavore et angustia tumultuabimini. Capiant Assyrii Samariam, Chaldæi Ierusalem: fugiet primus rex Sedecias, perrumpens murum horti regii, sequentur eum sui, sed Dominus imminet capiti eorum, ut eos tradat Chaldæis. Vide historiam 4. Reg. 25. Imbellem ergo Israelem comparat ovibus, urbes obsessas caulibus ovium, strepitum obsessorum strepitui ovium inclusarum; hostes opponuntur pastoribus, hostes includunt Israelem in uribus obsessis. Verum obstat quod Propheta verba non tristitia sint, sed læta, promittantque Israelis e captivitate liberationem, congregatiouem et instaurationem.

Secundo, melius alii hæc referunt ad Ezechiam obsessum in Ierusalem a Sennacherib. Tunc enim omnes Iudæi in urbem confugerunt, et congregati sunt quasi oves magna trepidatione et tumultu; sed Angelus percutiens castra Sennacherib, ascendit ante eos iter pandens: nam mox apertis portis Iudæi egressi sunt, et ante eos Ezechias Deo duce, ut viderent stragem Assyriorum, eorumque spolia diriperent, ac Deum gratiarum actione et laudibus celebrarent.

Tertio, optime hæc accipias de reditu Iudæorum e Babylone. Paulo ante enim prædixit excidium et captivitatem eorum: nunc de more tristibus læta subiungens, dicit se eos inde liberaturum, q. d. Post 70. annos Iudæos quasi oves in unum collectas, reducam in suam ovile, puta in Iudæam, magno eorum concursu, et consequenter tumultu. Pastor earum, dux, et quasi rex Zorobabel pandet iter ante eos, ducetque eos per portam Babylonis in Ierusalem: ac Dominus in capite omnium quasi ductor præbit. Verum quia tunc soli Iudæi, non Israelitæ, nisi perpauci; rursus non omnes Iudæi congregati sunt, nec redierunt, sed multi manserunt in Babylone, et alii per varias regiones dispersi vagabantur: insuper quia Zoro-

babel non fuit rex, hinc inchoata et imperfecta dumtaxat fuit hæc Israelis liberatio et congregatio.

Quocirea cogimur dicere, hæc plane et plene referenda esse ad Christum. Licet enim alludat ad Zorobabel et Iudæos illius ævi, eosque obiter quasi perstringat, tamen mens et scopus Prophetæ ulterius porrigitur, altius assurgit, ac fertur in Christum, per quem hæc prophetia perfecte adimpleta est: in Christum enim oracula sua terminare solent Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Ne nimis vos deiciam tot minis et cladibus, quas vobis intento o Israelitæ, agite, sperate quandoque meliora. Nam Deus post vindictam promittit suam misericordiam, vosque Babylone reducet, et congregabit per Zorobabel; ac multo magis vos, puta veros Israelitas non tantum carne, sed et fide ac spiritu, ut ait Apostol. Rom. 9. 8. congregabit per Christum, qui Evangelium prædicans, multos et vobis convertet, ac quasi oves in suam Ecclesiam congregabit; atque in fine mundi totum Israelem, omnesque Iudæos magno concursu, strepitu et tumultu convertet: tuncque B ex Iudæis et Gentibus omnibus fiet unum ovile, et unus pastor; puta una Ecclesia, sub uno pastore Christo. Ita S. Hier. Remig. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. Clarius, Arias, Ribera et alii. Christus enim quasi dux et rex ascendit, ante eos pandens iter, et aperiens portas tum carceris, tum urbis: ex carcere enim nos educit, et inducit in urbem, puta Ecclesiam, per baptismum et gratiam suam; ac ipse Deus in capite omnium præcedens tam Christi, quam agminis huius totius fuit choragus et ductor.

Anagog. Lyran. et veteres Hebræi apud Galatin. 1. 8. de Arcan. fidei c. 23. hæc referunt ad regressum Christi e limbo. Christus enim resurgens secum eduxit animas Patrum, quasi gregem selectum, quæ in limbo quasi oves in caula detinebantur. Ipse ergo ei pandit iter, et aperuit ianuas mortis et inferni, cum eas ad vitam et naturæ et gloriæ, in terram, et inde in cælum, gradiens ante eos quasi triumphator, traduxit. Idem faciet omnibus electis in die iudicii, cum e valle Iosaphat eos quasi antesignanus secum ducet in cælum, quasi in ovile Dei: ubi omnes magnis vocibus, instar turbæ magnæ gloriose et canore perstreptentis et tumultuantis, Deum laudabunt in omnes æternitates, uti docet S. Ioan. Apoc. 7. 9. Ita S. Hieron. Remig. et Haymo.

**PONAM ILLUM QUASI GREGEM IN OVILI.)** Heb. in **בצרה** *botsra*, quæ erat metropolis Idumææ, abundans ovibus: ita Pagnin. et Vatabl. Porro *Botsra* hebr. id est, munita, idem est quod Græcum *ποσειδων*, et Latinum Valentia. Significat ergo Romam, inquit Arias, quæ primitus latine vocata est *Valentia*, a valore et robore, uti testatur Solinus Polyhist. cap. 2. quasi prædicat Michæas, Romanam Ecclesiam fore commune ovile ovium Christi, puta fidelium, ac in ea sedem fore Summi Pastoris, scilicet Pontificis. Verum Sept. Chaldæus et Noster aliis punctis legerunt **בצרה** *batsara*, id est, *in tribulatione*, ut vertunt Sept. ut sciant fideles se vocatos esse ad ovile Christi, quasi ad domum tribulationis et crucis. Melius Chald. et Noster vertunt, *in ovili*: Hebr. enim **צרה** *tsara* significat septum arcum et angustum, in quo greges ovium densantur et coarctantur. Unde explicans subdit, *Quasi pecus in medio caulurum*. Nota, *caulas* vocat particulares Ecclesias, in quibus a *multitudine*, id est, ob nimiam multitudinem et turbam fidelium, ait fore strepitum et tumultum. Hic enim in multitudine ex copia nasci solet.

**ASCENDET ENIM PANDENS ITER ANTE EOS,** quia ut se- Vers. 15. quitur: *Transibit rex eorum coram eis*, scilicet quasi antesignanus et ductor. Pro *pandens* hebr. est **פורץ** *polets*, id est, *fractor*; ita Pagnin. et *perruptor*; ita Tigurina; qui scilicet portas serasque carceris perrumpat, perfringat et aperiat, itaque incarcerationis paudat iter ad egressum, qui suum hanc *polets*, id est, primum perfractorem carceris, sequentes, pariter eundem **DIVIDENT**, hebr. **פורצו** *poletsu*, id est, perrumpunt et perfringunt, itaque **TRANSIBUNT PORTAM** carceris, **ET INGREDIENTUR PER EAM.** In Sion; puta in communem fidelium urbem ac libertatem: unde

hebr. est *egredientur per eam*, et ita legunt Biblia Regia Latina. Alludit enim ad captivitatem et carcerem Babilonicum, q. d. Zorobabel perfringet carcerem Babilonicum, vosque eum sequentes pariter eundem perfringetis, et ex eo læti exhibitis in Sion; multo verius antitypus Zorobabel, id est, Christus, e captivitate et carcere diaboli, infidelitatis et peccati vos liberans vi meritoque crucis suæ, eundem perfringet, vosque per gratiam eius corroborati et evocati eundem perfringetis, et gratulabundi exhibitis in Sion spiritualem, id est, in Ecclesiam, quæ est civitas libera, sancta et felix Dei viventis. Verissime autem et plenissime Christus e terra primus ascendet in cælum, indeque mittet Spiritum sanctum qui fideles suos in cælum vocet, dirigat et deducat: qua vocazione et spe excitati multi ad ipsum convertentur, ut præcessit: hinc consequenter fideles patriarchæ in limbo, quasi in carcere conclusi et detenti, a Christo visitati et evocati, eo præcænte murum et portam limbi et inferorum perfringentes, in Ierusalem, ac deinde in cælum evadent. Denique fideles et sancti omnes in morte et resurrectione, Christo duce, perfringentes corporis et mortalitatis huius carcerem, in die iudicii cum Christo et post Christum in cælum ascendent. Ipse enim quasi rex transibit et præibit ante eos, et Dominus Deus erit in capite eorum, id est, erit omnium primus, dux et princeps, omnesque adiuva-bit, roborabit et elevabit, ut secum ad astra in cælum empyreum conscendant.

Moral.  
via in  
cælum  
obstru-  
eta vi  
perfrin-  
genda.

Moral. vox *portis*, id est, effractor, significat viam in Ecclesiam et cælum esse clausam et multis scris et obstaculis obstructam, eaque ascendenti esse perfringenda, iuxta illud Christi: *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 12. Et, *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem, et filiam adversus matrem suam*, etc. Matth. 10. 34. Et, *Si quis non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*, Lucæ 14. 26. Verum Christus primus effractor, iter præit, sternit seras, panditque viam, ac suis asseclis vires easdem effringendi, pervadendi et evadendi subministrat; ut nemo animo cadere, sed in certam spem libertatis et salutis assurgere debeat, modo Christum sequi velit. Hoc est quod gratulans et exultans canit Habacuc cap. 3. 19. *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor, in psalmis canentem*. Et Isaïas c. 49. 8. *Dedit te in fœdus populi mei, etc. ut diceret his qui vincti sunt, Exite: et his qui in tenebris, Revelamini*. Et Psaltes psalm. 115. 17. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*.

Volenti ergo e carcere peccati et diaboli, in libertatem filiorum Dei egredi, rumpendæ sunt seræ carnis et mundi, frangendæ catenæ et fues malarum passionum et

consuetudinum, quibus quasi vineulis peccatores colligantur et constringuntur. Ligabat S. Paulum amor legis patriæ et iudaismi, sed Christo illucescente, hoc ligamen quasi stramineum rupit et dissolvit. Ligabat S. Magdalenam amor mundi, sed ieta amore Christi, illum ut lixi stupam discussit. Ligabat S. Augustinum amasia, sed Christo aspirante, quasi telam aranæ hanc catenam dirupit. Audi eum l. 9. Confess. c. 1. *Quam suave, inquit, mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eieciabas enim eas a me, vera ta et summa suavitas, eieciabas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi, atque scalpendi scabiei libidinum, et garriebam tibi claritati meæ, et divitiis meis, et saluti meæ Domino Deo meo*.

Qui ergo a malis habitibus, ab amicis, a sociis, a carne ligari te sentis, esto *portis*, esto effractor, difficultates ne metuas; Christus seras perfringet; viam complanabit, iter pandet: perinde ac Angelus S. Petro in carcerem ab Herode compacto aperiens portas, et seras diffringens, iter pandit ad exitum, ut Petro nil aliud faciendum fuerit, quam Angelum sequi, Aetorum 12. 9. ita et tibi nil aliud faciendum, quam ut Christum invoces assidue, eumque ducem animose sequare. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Tibi a Deo diei puta, quod Cyro dicit Isaïa 45. 1. *Subiticiam ante faciem eius gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo ianuas, et portæ non cludentur. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram; et velles ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum*. Talis *portis*, id est perfractor, fuit S. Paulus, qui ubique obices Evangelii fortiter disiecit, ac Gentium omnium antesignans, eis iter ad Ecclesiam pandit. Unde ipse gloriatur 2. Cor. 10. 4. *Arma, ait, militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Tales *portisim* fuere omnes Apostoli, omnes prisci monachi et Anachoretæ, quorum totum studium erat edomare animi passiones, corpusque inedie, frigori, æstui, omnique labori et pœnitentiæ assuefacere: unde Ascetæ, id est, Excreitatores, sunt nuncupati. Tales fuere fundatores Ordinum, S. Antonius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Dominicus Loricatus, et ex nostris S. Ignatius et S. Franciscus Xaverius, qui mira spiritus vi orbem divino igne accenderunt, eoque obstacula omnia straverunt, ut suis asseclis, cæterisque cunctis iter in cælum panderent et præirent.

## C A P U T T E R T I U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Pergit prophetare contra Israelitas et Iudæos, imo a vers. 10. et deinceps dumtaxat contra Iudam et Ierusalem prophetat. Ait enim v. 10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Ierusalem in iniquitate. Et vers. 12. Sion quasi ager arabitor, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit. Vide dicta initio cap. 2. et dicenda v. 12. Primo, ergo taxat optimates, tam laicos, quam Ecclesiasticos; puta principes sacerdotum, quod iura pervertant, et plebem opprimant. Deinde v. 5. incusat pseudopphetas, qui adulabantur populo, et vaticinabantur falsa, sed falsa, quæstus causa. Idcirco ego, ait, repletus sum fortitudine spiritus Domini, ut annunciem Iacob scelus suum, et Israel peccatum suum, ac tandem Hierosolymæ et templo excidium comminatur.*

1. **E**t dixi: Audite principes Iacob, et duces domus Israel: Numquid non vestrum est scire iudicium, 2. Qui odio habetis bonum, et diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper excoriarunt: et ossa eorum confregerunt et conciderunt sicut in lebetis, et quasi carnem in medio ollæ. 3. Tunc clamabant ad Dominum, et non exaudiet eos: et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adventionibus suis. 4. Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent

dentibus suis, et prædicant pacem: et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. 6. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebra: vobis pro divinatione: et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies. 7. Et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini: et operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei. 8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio et virtute, ut annuntiem Iacob scelus suum, et Israel peccatum suum. 9. Audite hoc principes domus Iacob, et iudices domus Israel: quia abominamini iudicium, et omnia recta pervertitis. 10. Qui edificatis Sion in sanguinibus, et Ierusalem in iniquitate. 11. Principes eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et prophetæ eius in pecunia divinabant: et super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. 12. Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.

Vers. 1. **AUDITE PRINCIPES IACOB, ET DUCES DOMUS ISRAEL.**) **A**ud est, principes decem, et duces duarum tribuum: per Iacob enim decem tribus, per Israel Iudam et Benjamin significat, uti dixi e. 2. initio. Septuag. pro *principes* vertunt, *αρχη*, quod Vaticana vertunt, *principia*; melius Regia, *principalus*.

**NUMQUID NON VESTRUM EST SCIRE IUDICIUM?**) *Scire* tum speculative, tum potius practice, ut reipsa facias iudicium, id est, id quod iustum est, ac lege Dei præscriptum et præceptum; præsertim circa iustitiam, et iura proximis debita, ut v. g. cuique tribuatis quod suum est, pauperes non opprimatis, et eos qui opprimunt, castigetis. Ita Theodor. Lyran. Arias et alii.

Vers. 2. **QUI ODIU HABETIS BONUM, ET DILIGITIS MALUM.**) **V**oces *bonum* et *malum*, tam in genere masculino, quam neutro accipi possunt: quia enim hi principes diligebant malitiam, et odiebant bonitatem; hinc consequenter diligebant malos, et odiebant bonos viros et cives. Simile enim amat sibi simile, et odit dissimile. Rursum virtus vel vitium non amantur in abstracto, sed in concreto; puta in suo subiecto, scilicet in homine bono vel malo. Vere S. Prosper epigram. 32.

*Impia pars mundi parti est infesta piorum,  
Nec tolerare potest dissimiles animos.*

*Ridens nolentes opibus præsentibus uti, etc.*

Hoc est quod vulgo dicitur: *Asinus asino pulcher, et sua sui; graculus assidet graculo, et garrulus garrulo; cicada cicadæ chara, formica formicæ; fur furem cognoscit, ut lupus lupum.* Ita hodie videmus multos odisse viros religiosos, quia ipsi irreligiosi sunt, et occulte impudica aliaque scelera perpetrant, quæ naturaliter in ipsis generant antipathiam et aversionem a viris castis et sanctis; præsertim qui eadem carpunt et insectantur. Huius rei magnam in multis habeo experientiam.

**QUI VIOLENTER TOLLITIS PELLIS EORUM** (scilicet Iacob et Israel, quos nominavit, v. 1. id est, Samaritarum et Iudeorum) **DESUPER EIS, ET CARNEM EORUM DESUPER OSSIBUS EORUM.**) Est hic metaphora continua, sive allegoria. Reges enim et principes in Scriptura vocantur Pastores, sicut Homerus Agamemnona regem Græcorum, passim vocat *ποιμηνὸν λαῶν*, id est, pastorem populorum: quia quod pastor præstat ovibus, hoc rex præstare debet subditis; scilicet pascere, dirigere, tueri a feris et lupis, ac vivere ex lacte et lana ovium. Nam ut Tiberius Cæsar, teste Svetonio in eius vita, aiebat: *Boni pastoris est pecus tondere non deglubere, non carnem et ossa concidere: quia scilicet principes non debent subditos expilare, nec eorum bona diripere, aut nimis tributis et oneribus, quasi sanguisugæ exsugere, ut eos ad maciem et paupertatem redigant.* Sic enim non tantum subditis nocent, sed et sibi ipsis. Macies enim ovis, est macies pastoris; et paupertas subditi, est paupertas principis. Merito ergo idipsum principibus Israel et Iuda impropert hic Michæas. Unde Chald. clare tropum hunc explicans, ita vertit: *Rapientes facultates populi mei, et pecuniam coram pretiosam auferentes, et reliquias eorum consumentes, et comminuentes sicut comminuantur membra intra ollam, et particule carniæ intra lebetem.*

Per *pellem* ergo, *carnem* et *ossa* significat substantiam, id est, facultates plebis, quas diripiebant, et inter se dividebant optimates, ut eas in pompis, luxu, epulis et conviviis prodigiè absumerent. Hoc enim significat id quod

**A** subdit: *Et conciderunt sicut in lebetem, et quasi carnem in medio ollæ.* Quare minus genuinum, et magis symbolicum videtur, quod S. Hieron. Haymo, Remigius et Hugo per *ollam* et *lebetem* accipiunt Ierusalem, in qua pauperes quasi in olla a potentioribus concidebantur et coquebantur. Olla enim, quod est instrumentum culinæ, significat epulas et convivia, quæ in ollis coquantur et apparantur. Nota catachresin, qua facultates vocat *pellem, carnem, et ossa*; quia, sicut ex his constat et vivit homo, sic et ex facultatibus suis. Ex his enim victum, id est, cibum, et consequenter sanguinem, carnem, pellem, et ossa sibi comparat homo. Unde Græcis *ψωρ*; vocatur tam victus, quam vita; quia ex victu vita subsistit. *Pecunia*, inquit Ethicus, *est hominis anima, sanguis et vita*: qui ergo eam auferit pauperi, vitam auferit. Rursum in pelle, carne et ossibus est elimax, sive gradatio: minus enim est hominem excoiriæ, plus eius carnem reseccare et comedere, plurimum et maximum eum usque ad ossa vorare; imo exossare, et ossa comminuerè, ut medullam exsugas. Sensus ergo est, q. d. Optimates Israelis et Iudæ bona eius rapiunt adeo avare et rapaciter, ut non tantum eum excoiriæ, sed et exearnificare, imo usque ad ossa devorare, quin et exossare videantur. Hoc est quod iisdem exprimat Ezechiel e. 34. 2. *Væ pastoribus Israel etc. lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascabatis.*

Tropolog. hæretici et seductores qui alios pellicunt ad hæresim, libidinem, furta, homicidia, aliaque scelera, eosdem pelle sua excoirant, carne spoliant et exossant. *Pellis* enim est exterior virtus, et decus in compositione vultus, inaccessus, motuumque et membrorum: breviter, *pellis* est modestia. Item cæremonia externa, quas damnant et extirpant hæretici. *Carnes* sunt virtutes internæ, sed teneiores et molliores, ut eleemosyna, temperantia, iustitia. *Ossa* sunt virtutes duriores ac fortiores, ut pœnitentia, mortificatio, contemptus mundi, martyrium; ita S. Gregor. in psalm. 1. penitent. explicans v. 2. *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*, id est, inquit, *virtutes animæ obscuratæ sunt, et extenuatæ virtutes simul conturbatæ sunt* (per peccatum, ad quod illicet tentator et seductor;) *charitas enim confunditur, humilitas impingitur, fortitudo deicitur, castitas impugnatur. Per ossa virtutes accipimus, per quas nimirum animam sustentamus: sicut enim in ossibus est fortitudo corporum, ita in virtutibus robur invenitur animarum.* Qui ergo hæc virtutes proximo eripit, qui v. g. eum ad peccatum inmodestie inducit, eum excoiriat: qui vero eum ad gulam etavaritiam pertrahit, eum exearnificat: qui denique virum sanctum et Religiosum pellicit ad violationem votorum, ad abrogationem suæ professionis, vel etiam fidei, hic eum exossat.

**TUNC** (cum scilicet ultio Dei, quam ego hic eis continue intento, eos invadet) **CLAMABUNT AD DOMINUM**, sed frustra; nam **NON EXAUDIET EOS.**) Quia ipsi eum per hæc præmonentem, audire noluerunt.

**ET ABSCONDET FACIEM SUAM AB EIS.**) *Faciem*, id est, favorem, curam, providentiam, opem, præsentiam et beneficentiam suam (horum enim symbolum est facies) eis subtrahet. Sicut enim peccator avertit faciem suam a Deo, illique inobediens et rebellis tergum obvertit: ita vicissim Deus illi allieto, et se invocanti, faciem, id est, gratiam et auxilium suum, subtrahit; ac dorsum derelictionis, o-



ineulasse. Sensus ergo est, q. d. Vos o Iudæi, magnificas domos et palatia in Ierusalem extruitis, et omni suppellectile pretiosa instruitis, exurgendo facultates, labores, et sanguinem pauperum per iniqua tributa, iudicia, usuras, fraudes, oppressiones, etc. iuxta illud Eccles. 34. 24. *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui auferit in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Ita S. Hier. Remig. Albert. Haymo et alii. Nam sic iniique spoliati, non raro fame et miseriis, aut mæore et indignatione moriuntur. Unde Chald. vertit, *condentes domos suas in Sion cum sanguine effuso.* Tales sunt qui bona hospitalium, orphanorum, viduarum, monachorum, aliaque quibus pupilli, senes, ægroti, pauperes, etc. ali debebant, in suos usus convertunt; qui, ut hic dicitur non tantum fures sunt, sed et latrones hæc homicidæ pauperum. Hoc est quod in Ioakim rege Iuda redarguit Ieremias cap. 22. 13. *Væ, ait, qui ædificat domum suam in iniustitia, et cœnaculu sua non in iudicio: animum suum opprimet frustra, et mercedem eius non reddet ei.* Vide ibi dicta.

Nota. Hæc prophetia, ut patet Ierem. 26. 18. edita est a Michæa sub Ezechia rege, qui contra Assyrios munivit muros Ierusalem, ideoque domos muris vicinas, quæ solent esse pauperum, destruxit, ne hostis eas occuparet, et ut ex earum lapidibus et materia muros instauraret. Hoc est enim quod ait Isaias cap. 22. 10. *Et destruxistis domos ad muniendum murum.* Unde suspicatur Sanchez hic taxari Ezechia principes, et præfectos publicorum operum, quod domos hæc pauperum destruxerint, nec eis pretium ex publico arario persolverint. Alias enim imminente obsidione, domos muris vicinas, quæ urbi periculum ereant, demoliri licet.

Moral. tyranni ditones, dominia et regna sua ædificant et adagent per caedes, rapinas et bella iniusta: ita Theophyl. in Habacuc 2. 12. Rursum tales sunt principes, qui lisei redditus per iniqua vectigalia, quasi per rapinas amplificant. Quocirca B. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 37. hæc Michæa verba recte adaptat et intorquet Eusebio Episcopo, qui Ecclesiam in Pelusio ex oppressionibus pauperum ædificabat. Tertio, tales sunt iudices, qui ex iaiquis muletis mœnia et ædificia publica construunt, qui corrupti muneribus reos absolunt, et innocentes condemnant. Quarto, qui officia et beneficia in consanguineos indignos, aut in peccatorum communiione coniunctos, et administratos libidinum et cupiditatum, conferunt. Ita Adrianus VI. Pont. neminem ex cognatis honoribus vel opibus extulit, dictitans: *Nolle se ædificare Sion in sanguinibus;* quo dicto factoque magnam sibi sanctitatis opinionem conciliavit, præsertim accedente mira animi humilis modestia et continentia. Qua de causa eius sepulcro Romæ inscriptum legimus: *Adrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicis in vita, quam quod imperaret, duxit.* Quocirca, inquit Onuphrius, *patruelis sui filium, Senæ Etruscæ in gymnasio litteris operam navantem, quod Romanæ nequaquam voculus, intermissis studiis repente venerat, confestim meritorio æquo impositum remisit; animi levitatem identidem obiectans, et severe admonens, ut ab se modestiæ et temperantiæ exemplum opportune sumeret. Alios quoque, nec remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe fortunæ celsioris e Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpavit, donatisque singulis sagis lancis et frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire iussit. Quorum rerum testimonio superiorum Pontificum aliquorum profusam erga propinquos liberalitatem, uti gravem et Reipub. perniciosam, detestari erat solitus. Simile quiddam fertur etiam de Clemente Pontifice eius nominis quarto, qui et ipse interpellatus ab amicis, ut consanguineo cuidam sua tria habenti beneficia, plura adhuc tribueret, respondens: Non inquit, carni et sanguini obtemperabo, sed potius Deo: nec dignus Petri successor est, qui plus cognationi, quam Christo tribuit.* Huc usque Onuphrius in vita Adriani VI. Quinto, qui quasi spiritualis lucri gratia, in suspectas domos ingrederentur, aut liberius cum impudicis loquerentur. Sexto, qui religionis prætextu parentes extrema la-

borantes indigentia desererent, quibus usui esse possent. aut filiis suaderent, ut eleemosynas quibus egeni parentes iuvandi erant, in templa potius materialia, et in sacerdotes converterent; quos Christus reprehendit Matth. 45. 5. ita Delrio adagio 993.

PRINCIPES EIUS IN MUNERIBUS (id est, pro muneribus, Vers. 11. propter munera) IUDICABANT, ET SACERDOTES EIUS IN (id est, pro) MERCEDE DOCEBANT, ET PROPHETÆ EIUS IN (id est, pro) PECUNIA DIVINABANT. Pro in enim hebr. est *both* pretii, significans pro, propter. Carpit principes quod in iudicio duplicem iniustitiam committerent. Primo, vendendo sententiam; secundo, pervertendo eam, et sentem absolvendo, insentem damnando propter munera. Secundo carpit doctores legis, quod sacram doctrinam legis divinæ venderent pecunia, quod est simonia: uti docent Theologi, ac nominatim noster Lessius tract. de simonia dubit. 2. initio, et dubit. 13. dicto 3. et 4. Tertio, carpit pseudopphetas, quod oracula venderent auro, quod pariter erat simonia, non in reipsa (quia hæc oracula non erant sacra, imo nec vera; quia non suggesta a Deo, sed ficta ex cerebro) sed in ipsorum opinione, et æstimatione vulgi, qui hæc oracula vera et divina esse censebant. Ecce, hisce modis ædificabant Sion in sanguinibus, et Ierusalem in iniquitate, uti præcessit. Hæc enim verba illa priora, quasi thesin per hypothesin, et per exempla explicant.

ET SUPER DOMINUM REQUIESCEBANT. Hebr. *יָצְוּ יִשְׂרָאֵל* *isciaenu*, id est, Domino innitebantur, sicut æger vel senex innititur et incumbit baculo suo: ita Chald. Pagnin. et Tigurin. q. d. Hi pseudopphetæ cum sint seductores, et pleni sceleribus, tamen quasi pii et sancti essent, secure quiescunt in Dei cura et providentia, dicentes: Ierusalem est urbs sancta, nos sumus populus Dei, iuxta illud Ierem. 7. 4. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Ergo Deus noster nos tuebitur, nec sinet urbem et templum suum everti, ac populum suum tradi hostibus: ita S. Hieron. Cyrill. Theodoret. Lyran. Clarius et alii. Ingens hæc est impiorum impudentia et præsumptio, quod cum Deum gravissime offendant, sperent tamen, imo non dubitent se ab eo, imminente hoste vel periculo, protectum iri.

PROPTER HOC, CAUSA VESTRI (quia scilicet vos ædificatis Sion in sanguinibus, et Ierusalem in iniquitate, uti dixi v. 10. Hinc ut in eo puniamini, in quo peccastis, atque ut pœna sternat culpam) SION QUASI AGER ARABITUR, ET IERUSALEM QUASI ACERVUS LAPIDUM ERIT. q. d. Chaldæi diruent magnificas domos, quas in Ierusalem ex rapinis pauperum ædificastis, ita ut ex iis non supersint nisi rudera et acervi lapidum, atque urbs ipsa desoletur et complanetur, fiatque æger aratro arabilis. Sion proprie significat superiorem urbis partem, in qua erat templum, et arx David: Ierusalem vero erat inferior, et maior pars urbis, monti et arci Sion subiecta; sæpe tamen per synecdochen tota urbs Ierusalem, vocatur Sion.

ARABITUR. q. d. Sion a Chaldæis funditus vastabitur, ac disiectis muris et domibus, fiet quasi campus et ager arabilis. Nota. Sicut moris erat apud veteres ut urbem ædificaturi, eius ambitum circumducto aratro sulcando delinearent et circumsciberent, ibique eam muro et fossa cingent et communirent; unde locum ex quo terram foderant, fossam vocabant. Hinc Virgilius:

*Interea Æneas urbem designat aratro.*

Ita vicissim hostes captam a se urbem plane eversuri et annihilaturi, eversis muris et ædibus aratrum urbi inducebant: hoc enim erat ex urbe pagum et agrum ellicere. Hinc Modestinus in lib. *Si usus fructus*, 21. ff. quibus modis usus fructus amittatur: *Si, ait, usus fructus civitati legetur, et aratrum in ea ducatur, ut passa est Carthago, civitas esse desinit: ideoque quasi morte desinit habere usum fructum.* Et Horat. lib. 1. ode. 16.

*Imprimeretque muris*

*Hostile aratrum exercitus insolens.*

Et Virgil.

*Et campos ubi Troia fuit.*

Urbis condendæ et diruendæ ritus per aratrum.

Urbis e-  
tymon.

Et Isidor. lib. 75. cap. 4. *Urbs*, ait, *aratro conditur, aratro vertitur*. Hinc urbs dieta est ab urvo, id est, ab aratri curvatura, quam urbi circumducebant: unde urvare vel urbare, idem erat quod aratro definire, ait Pompon. Turecons. Primitus enim locis editis fossam ducere, et vallo circumdare ad sui tutelam cœperunt, et sic urbes oppidaque inchoarunt. Hinc Varro ait urbem dici, quod aratro sit præfinita, et mœnia quasi munia; et murum a munitione; et oppidum, quod muniatur opis causa. Antiqui enim iunctis bobus, tauro et vacca Hetrusco ritu, in condendis urbibus interiore aratro circumagebant sulcum, intra quem urbem ædificarent. Hoc faciebant religionis causa die auspiciato, ut urbs fossa muroque muuita felix esset. Hinc Poeta:

*Apta dies legitur qua mœnia signet aratro.*

ET MONS TEMPLI IN EXCELSA SYLVARUM.) q. d. Mons Sion in quo ædificatum est templum, eo cæterisque ædificum incensis ita desolabitur, ut videatur esse quasi rupes ruderum; sicut in sylvis montium in vertice eminent iuga et rupes, quasi excelsa et culmen sylvæ: ita S. Hieron. Chald. Remig. et Arias. Secundo, q. d. In monte Sion everso templo, succrescent arbores, ut mons sylvescat, fiatque sylvæ; ita Theod. Lyran. et Vatabl.

Nota. Hæc Michææ prophetia a senibus Israel citatur Ieremiæ 26. 18. ut ea defendant Ieremiam similia prophetantem, cumque a morte liberent. Ibidem illa dicitur edita sub Ezechia rege, scilicet postquam decem tribus anno sexto eiusdem abductæ sunt in Assyriam. Unde omnia Samaria, utpote iam eversa, solam Ierusalem hic et deinceps usque ad finem prophetiæ compellat et alloquitur Michæas. Porro ibidem iidem senes dicunt hanc Michææ prophetiam non esse adimpletam, eo quod populus ea perculsus, penitentiam egerit, atque impetravit a Deo veniam, et sententiæ de excludenda urbe abolitionem. Ita putabant ipsi, sed falso. Nam sententia hæc Dei non fuit abolita, sed suspensa dumtaxat, et dilata usque ad tempora Ieremiæ, qui rursus eandem revocavit et renovavit cap. 25. 11. dicens: *Erit universa terra hæc in solitudinem, et in stuporem, et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Et cap. 26. 9. Sicut Silo erit domus hæc, et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator. Itaque factum est anno 11. Sedeciæ, quo Nabueho-*

Adonator regnum Iuda cum urbe et templo evertit. Michæam enim miuari ad litteram excidium Chaldæorum, non Romanorum (uti censuit Euseb. lib. 8. Demonst. c. 8. motus ea ratione, quod tunc tantum eversa sit Ierusalem, eo quod ædificata sit in sanguinibus, uti ait hic Michæas v. 10. puta in sanguine et nece Christi, sed perperam. Nam ob sanguinem Christi non ædificata, sed destructa est Ierusalem a Tito) patet tum ex Ieremia locis iam citatis, tum ex eo quod Michææ tempore instabat Iudæis elades per Chaldæos, non per Romanos. Typice tamen et allegorice hæc spectant ad eorum excidium per Titum et Romanos: horum enim prodromi, et quasi antitypi fuere Chaldæi: Romani enim perfecerunt id quod inchoarunt Chaldæi, dum plenum et extremum exitium Hierosolymæ et reipubl. Iudæorum intulerunt.

Tropolog. Ierusalem est anima sancta, et Deo per gratiam dicata et consecrata: hæc evertitur per peccatum mortale, fitque acervus lapidum et ruderum, id est, passio- nis et vitiatorum omnium indigesta congeries, quæ antea fuerat constructa ex gemmis, iisque circumdata et quasi coronata, de quibus Apocal. 21. 9. Gemmæ sunt dotes et virtutes, Sion est mens et ratio (quæ in homine est id quod

in urbe est arx, quodque in Ierusalem erat Sion, id est, specula) quæ antea providebat et disponebat opera virtutum, iam post peccatum quasi ager aratur a diabolo, ut ferat zizania, vepres, aconita et venena peccatorum et scandalorum; templum est spiritus, qui antea Deo adhærens iuges ipsi orationis, meditationis et laudis offerebat hostias, iam post peccatum fit sylvæ densa inutilibus et noxiis arboribus, id est, cogitationibus et curis, in qua versantur feræ, id est, dæmones, qui ibidem bestiales et ferinos suos mores introducunt, imo ex homine bestiam, ex templo idolum, ex angelo dæmonem efficiunt. Hanc animæ tristem commutationem et eladem, totis Threnis describit et plangit Ieremias; ubi inter cætera ait cap. 2. v. 5. et 6. *Præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia eius, dissipavit munitiones eius. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, etc. Et Psaltes psalm. 78. 1. Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam. polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum eustodiam. Similia habet Isaïas cap. 1. 7. et seq.*

## C A P U T Q U A R T U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Prædixit Michæas cap. præcedenti v. ultimo, montem Sion et templum vastandum a Chaldæis; nunc ut de more tristibus læta subiungat, ut suos consoletur, docet eundem restituendum, imo super omnes montes erigendum per Christum, quia scilicet in Sion Christus inchoabit Ecclesiam suam divinam et cælestem, ad quam velut arcem et speculam excelsam ex toto orbe confluent turmatim omnes gentes, quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. Porro in Ecclesia non fore bellum, sed summam pacem prænunciat. Et regnabit, inquit, Dominus in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum; Et veniet potestas prima regnum filiæ Ierusalem. Hinc Secundo, v. 10. consolatur Iudæos, qui captivi ituri erant in Babylonem, quod brevi inde sint liberandi a Deo, qui hostes eorum Chaldæos conteret, et Sioni robur pristinum restituet.*

Nota. Priorem et maiorem huius capituli partem mutuatus videtur Michæas ex Isaïa cap. 2. ubi eadem pene ad verbum habentur. Nam Isaïas facile quadraginta annis ante Michæam idipsum prædixisse videtur. Id colligimus ex eo, quod priora quinque capita Isaïas dictasse videtur sub Ozia rege. Nam 6. cap. sic incipit: In anno quo mortuus est Ozias. Cum ergo visionem sexti capituli habuerit anno ultimo Ozia, videtur visiones præcedentium capitulum quinque, sub prioribus eiusdem regis annis a Deo accepisse; Michæas autem hæc prophetavit sub Ezechia, qui fuit pronepos Ozia, uti dixi cap. præced. v. ultimo. Nam inter Oziam et Ezechiam intercesserunt Ioathan, qui 16. annis; et Achaz, qui totidem regnavit. Adde aliquot annos Ozia et Ezechia (Michæas enim post excidium Samariæ, quod anno 6. Ezechia contigit, hæc vaticinatus est) habebis annos 40. et amplius, quibus Isaïas hoc suum cap. 2. oraculum ante hocce Michææ accepit et edidit. Quia ergo hæc explicui Isaïæ cap. 2. ea hic non repetam, sed breviter caput hoc percurram. Lector consulat ea quæ notavi in Isaïa.

Michæas  
Isaïæ as-  
secta.

1. **E**rit: In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi. 2. Et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Ierusalem. 3. Et iudicabit inter populos multos, et corripiet gen-



tes fortes usque in longinquum; et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium: et non discent ultra belligerare. 4. Et sedebit vir subtus vitem suam, et subtilis licum suam, et non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est. 5. Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in aeternum et ultra. 6. In die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem: et eam quam eieceram, colligam, et quam allixeram: 7. Et ponam claudicantem in reliquias: et eam, quæ laboraverat, in gentem robustam: et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in aeternum. 8. Et tu turris grægis nebulosa filiæ Sion usque ad te veniet: et veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem. 9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? 10. Dole et satage filia Sion quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem: ibi liberaberis: ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. 11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur: et aspiciat in Sion oculus noster. 12. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium eius: quia congregavit eos quasi fœnum aræ. 13. Surge et tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam aræas: et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.

Vers. 1.

**ET ERIT, IN NOVISSIMO DIERUM.**) Dixi Isaïæ 2. ex communi Patrum sententia, tempus Messiae vocari novissimum, hebr. אַחֲרֵיט *acharit*, id est, sequens, posterum, consequens, succedens; quia illi nulla alia lex, nulla alia Ecclesia, nulla alia religio, sacrificia et Sacramenta succedent, sicut illud successit veteri legi et Synagogæ, Sacramentis et sacrificiis Mosaicis: hæc successerunt legi et statui naturæ. Rursum idem Messiae tempus Sioni et Iudæis est novissimum, quia cœpit in eorum excidio, cum ipsi a Tito et Romanis plane excisi et eversi sunt: quod excidium durabit usque ad finem mundi, uti prædixit Daniel cap. 9. v. ult. Perperam ergo Iudæi ex hoc loco expectant suum Messiam, qui in fine mundi, quasi alter Salomou, ipsis Ierusalem, templum et regnum pristinum restitutus sit.

Perperam quoque nonnulli Catholici apud Theodoret. hæc adimpleta censent in reditu Iudæorum e Babylone. Alii sub Ezechia rege pio, qui restituit et auxil cultum Dei in Sion, mittens legatos per totam Iudæam, qui dicerent: *Venite ad sanctuarium Domini, quod præparavit in aeternum*, 2. Paral. c. 30. v. 8. Nam quæ hic dicuntur longe augustiora sunt, quam ut convenient Ezechiae, Cyro, Esdræ, etc. Adde; Ezechias legatos istos misit anno primo regni sui, ut patet 2. Paral. 29. et ex Iosepho l. 9. Antiqu. c. 3. Michæas autem hæc prædixit post annum sextum Ezechiae, uti dixi cap. præced. v. ult. non prædicit autem id quod iam factum, sed quod adhuc futurum erat. De fide ergo est, hunc locum ad litteram intelligendum esse de tempore Christi, et Ecclesiae ac legis Evangelicæ. Ita enim interpretantur omnes Patres, quos citavi Isaïæ 2. et fuse citat hic Christ. a Castro.

**ERIT MONS DOMUS DOMINI.**) Id est, domus Domini in monte ædificata; quæ non est alia quam Ecclesia Christi, inchoata et fundata in monte Sion. Est hypallage, sic enim mons templi, vocatur templum montis Sion, Isaïæ 30. 29. *Qui pergit, inquit, cum tibia, ut intret in montem*, id est, in templum, Domini, ad fortem Israel. Similia sunt psalm. 47. 2. ps. 73. 2. et alibi. Secundo, proprie, *mons domus Domini* est ipse mons Sion, in quo uti olim Salomon corporale templum, ita Christus suum spirituale et antitypum, puta Ecclesiam, inchoavit et ædificavit. Promittit enim Propbeta montis et templi per Chaldaeos eversi, restitutionem et restaurationem per Christum. Hic sensus cum priore concurrat, et eodem redit.

**PRÆPARATUS.**) Hebr. נָכֹח *nachon*, id est, Primo, fundatus, firmatus, solidatus, ut nullæ vires, imo nec inferorum portæ eum evertere possint. Secundo, *nachon*, id est, verus et certus; quia Ecclesia nil docet falsum, sed est firmamentum et columna veritatis. 1. Timoth. 3. 15. Tertio, *nachon*, id est, rectus, erectus, qui nihil habet curvi et torti: Ecclesia enim rectam virtutis et salutis viam docet, mentemque recta in cælum ad Deum erigit et dirigit. Quarto, *nachon*, id est, præparatus, dispositus, ordinatus; quia in Ecclesia omnia sunt rite et decenter ordinata, atque per Ecclesiam militantem fideles præparantur et ordinantur ad triumphantem; puta a gratia

Nachon quintuplex.

**A** ad gloriam, a terra ad cælum, a merito ad præmium. Denique *nachon*, idem est quod integer, perfectus, directus ordinatus, ideoque incedens prospere, felix et fortunatus.

**IN VERTICE MONTIUM.**) q. d. Mons hic, puta Ecclesia Christi, transcendet omnes leges, scholas, doctrinas, institutiones, religiones, Synagogas Iudæorum et Philosophorum, quæ inter homines videbantur eminere quasi montes, adeoque quidquid sub sole celsum est et sublime, superabit; imo calcabit, et subiiciet sibi. Mons hic notat arduum et cælestem esse doctrinam et vitam Christi et Ecclesiae.

**ET FLUENT AD EUM POPULI.**) Turmatim instar fluvii. Unde Iustin. contra Tryphon. legit, *et flumen ponent in eo populi*, q. d. Ad Ecclesiam concurrent omnes gentes, passibus non corporis, sed mentis et spiritus. Miraculum est si aquæ e valle ascendant, et fluant in montem: ita miraculum est, quod gentes terrenæ ascendant in Ecclesiam, cuius doctrina et vita montosa est, ardua et cælestis: nimirum id efficit gratia Christi potens et alta, ut pote e cælo demissa. Sicut ergo aquæ e fontibus deductæ per canales in vallem, in valle exiliunt et ascendunt pene ad altitudinem suæ originis: ita aquæ hæc cælestis gratiæ derivatæ in valles, id est, in corda hominum, ea secum exilire faciunt in cælum, vitamque cælestem inire et amplecti. Huc spectat illud Euripidis in Medea: *Sursum sacrorum fluviorum feruntur fontes*.

**ET DICENT: VENITE ASCENDAMUS AD MONTEM DOMINI,** q. d. Gentes visis et auditis miraculis, innocentia, sanctitate et doctrina cælesti Apostolorum et fidelium, hortabuntur se invicem dicendo: *Eia ascendamus ad Ecclesiam, illi ascribamur; ipsa enim est mons, et Sion templumque Dei, ibi nos docebit de viis suis*, id est, vias suas (est hebraismus) **ET IBIMUS**, id est, ambulabimus gressibus mentis, non corporis, **IN SEMITIS EIUS.**) q. d. Deus in Ecclesia docebit nos voluntatem suam, suasque leges; dabitque gratiam, ut eas voluntate et opere expleamus, hoc enim est ire vel ambulare in viis et semitis Dei. Unde Septuag. apud S. Hieron. vertunt, *ostendet nobis viam suam*; S. Iust. contra Tryphon. *illuminabunt nos*, scilicet gentes et populi multi.

**QUIA DE SION EGREDIETUR LEX.**) Puta lex gratiæ et Evangelii Christi: Apostoli enim recepto Spiritu sancto in Sion die Pentecostes, inde egressi in varias provincias, legem Christi omnibus gentibus prædicarunt. Hæc verba possunt accipi, vel ut gentium se invicem adhortantium ad Ecclesiam, q. d. Ascendamus ad Sion, id est, ad Ecclesiam natam in Sion; quia inde prodit, et prodebit lex gratiæ et salutis, vel ut Prophætæ Michææ, q. d. ideo fluent omnes gentes ad Sion, quia videbunt non aliam esse legem et fidem veram, quam eam quæ prodit ex Sion, quæ scilicet annuncietur ab Apostolis prodeuntibus ex Sion, uti ego Michæas prædico et assevero: ita Lyranus et Arias.

**ET IUDICABIT.**) Scilicet verbum Domini, vel potius (quod tamen eodem redit) ipse Deus Iacob, de quo v. 2. per verbum et Evangelium suum, q. d. Deus per Evau-

Vers. 2.

Vers. 3.

gelium populos inter se antea dissidentes componet, eis ius dicet, lites omnes dirimet, ut positus odiis et dissensionibus, omnes in eadem Ecclesia, communi spiritu fidei et charitatis conspirant, habitent, vivantque concorditer et iucunde quasi fratres. Secundo, aliter Vatabl. q. d. *Iudicabit*, scilicet mons domus Domini, id est, Ecclesia, q. d. Si quando aliquid dubium in fide, vel difficultas in religione acciderit, Ecclesia ea solvet et componet: utpote quæ a Spiritu sancto recta, falli non potest. Tertio, a Castro, q. d. *Iudicabit*, id est, verbum et Evangelium Dei iudicium exercebit inter multas opiniones, quas habent omnes populi de vita bene et beate instituenda: nimirum damnando et reprobando falsas et stultas, quales sunt de sectanda avaritia, gloria, ambitione, ultione sui, deliciis ac pompis huius vitæ; ac veras eruendo, probando, et docendo de modestia, humilitate, concordia, charitate mutua, pace, paupertate, et similibus, easque hominum mentibus ingerendo et instillando.

USQUE IN LONGINQUUM.) q. d. Iudicabit populos longe lateque toto orbe dispersos; et ut Tigurina vertit, *procul dissitos*; aliter Chald. *in longinquum*, scilicet tempus, puta in perpetuum.

ET CONCIDENT GLADIOS SUOS IN VOMERES.) q. d. Deus per Christum et Apostolos iudicabit et componet omnes lites, inducetque legem pacis, concordie, amoris: itaque quantum est ex parte sua, vi gratiæ et Evangelii sui, tollet omnia dissidia et bella; ut gentes arma bellica depellant, imo mutant in instrumenta pacis; puta in aratra et ligones, quibus in pace colitur terra. Atque ut hoc ortu suo portenderet, natus est Christus sub Augusto Cæsare, cum domitis vel occisis tyrannis omnibus, sub eo iam monareha, Iano clauso, mundus plena pace frueretur: ita S. Cyril. Clar. Arias et alii. Vide dicta Isai. 2. 4 et Joel. 3. 10.

Vers. 4.

SEDEBIT VIR SUBTUS VINEAM SUAM, ET SUBTUS FICUM SUAM.) Est Hebræa phrasis, parabolice significans quietissimam securitatem, quam attulit lex Christi, utpote lex charitatis, concordie et pacis, ita ut secure et iucunde sine hostis metu in suis domibus et prædiis fideles degerent, suisque rebus, ficibus et uvis frui possint; quasi sedentes sub arbore otiose, sicut et fructus in os cadentes exiperent.

Vers. 5.

QUIA OMNES POPULI AMBULABUNT, UNUSQUISQUE IN NOMINE DEI SUI: NOS AUTEM AMBULABIMUS IN NOMINE DOMINI IN ÆTERNUM ET ULTRA.) q. d. Licet cæteri populi infideles colant suos deos, varii varios; fideles tamen et Christiani, qualis sum ego Michæas, meique similes, unanimiter et constanter unum verum Deum ac Dominum colimus, ipsi soli serviemus toto corde et mente; ipsi qui solus salvare potest confusi, secure vivemus in pace, sine metu hostium etiam, et in æternum, et ultra, id est, in omnem omnino æternitatem. Est hyperbole: æternitas enim quia immensa, superat omnem hominis conceptum, ideo addit *et ultra*, q. d. Durabit hæc pax per omnia sæcula, per omnem æternitatem, quam mente concepere possumus; et ultra, si quid ultra sit: sicut revera ultra conceptum nostrum quem formamus de æternitate, supersunt immensa sæcula. Nos enim concepimus æternitatem, quasi millia et milliones annorum plurimos: at post hos superest æternitas. Nota *et nos*: Michæas enim licet Iudæus, et filius veteris testamenti, tamen prævisione sua, fide, spe, animo et voto iungit se filiis novi testamenti et Christianis, quasi fratribus suis, ex eodem parente Christo, ac fide gratiaque Christi genitis; eum tamen non visurus esset Christum et Christianos, nec eorum tempore vieturus. Sancti enim veteris testamenti, ob fidem in Christum venturum, pertinuerunt ad novum testamentum: quia ab eo, puta a Christo, in præscientia et prædestinatione Dei futuro, omnem suam gratiam et iustitiam hauserunt, uti docte docet S. August. l. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 4. *Hi* (Christiani servili metu legem servantes) ait, *ad vetus pertinent testamentum, quod in servitutem generat; quia facit eos carnalis timor et cupiditas servos, non Evangelica fides, spes et charitas liberos: sub gratia vero positi, quos vivificat spiritus, et fide*

*ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in spe bonorum non temporalium, sed æternorum, præcipue credentes in mediatorem, per quem sibi non dubitant et spiritum gratiæ subministrari, ut bene ista faciant, et ignosci posse cum peccant. Hi pertinent ad testamentum novum, filii promissionis et regenerati a Deo patre, et libera matre. Huius generis fuerunt antiqui omnes iusti, et ipse Moses testamenti minister veteris, hæres novi; quia ex fide qua nos vivimus, una eademque vixerunt; incarnationem, passionem, resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam.*

IN DIE ILLA.) Messiæ, Ecclesiæ, Evangelii, gratiæ, et novi testamenti. De illa enim egit ab initio capitis huc usque: ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii passim.

Vers. 6.

CONGREGABO CLAUDICANTEM, ET EAM QUAM EIECERAM COLLIGAM.) Theodor. per claudicantem et eiectam, accipit gentilitatem, q. d. Per Christum colligam populum Gentilem, huc usque a Deo neglectum, abiectum, et claudicantem in fide et religione: quia nunc instinctu naturæ coluit unum Deum creatorem cæli et terræ, nunc vana superstitione et traditione avorum coluit idola. Verum de Gentium vocatione egit Propheta vers. 2. Hic ergo suam gentem consolatur, agitque de vocatione Synagogæ et Iudæorum, quorum rex constitutus est Christus, regnare incipientes in monte Sion.

Dico ergo claudicantem et eiectam vocari hic Synagoga Iudæorum; tum quia illa claudicavit in fide, modo colendo Deum, modo idola, iuxta illud Eliæ ad eiusdem filios: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum*, 3. Reg. 18. 21. Eo enim alludit Michæas; tum quia claudicavit præ fatigatione itineris eundo in captivitatem nunc Babylonicam, nunc Persicam, nunc Græcam sub Antiocho. Unde vocatur eiecta, dispersa et vagabunda per omnes gentes; ita Vatabl. Claudicans ergo per metalepsin idem est quod fatigata, dolens, ærumnosa, afflicta. Unde explicans subdit: *Et quam afflixeram, consolabor*. Ita Chald. vertit enim: *congregabo translatos, et dispersos colligam, et illos quibus malefeci propter peccata populi mei*. Hæc ergo propheta cæpta est impleri tempore Christi, qui e Iudæis Apostolos, primosque fideles in Ecclesiam suam collegit: in dies autem perfectius impletur, dum variis in locis plures Iudæi in Ecclesiam congregantur: perfectissime autem implebitur in fine mundi, cum omnis Israel salvus fiet, uti intellexit S. Iustin. dialogo contra Tryphonem.

ET PONAM CLAUDICANTEM IN RELIQUIAS.) Id est, in posteritatem, q. d. Faciam ut Synagoga conversa ad Christum, factaque fidelis, sit sæcunda, et multos producat Deo filios, et magnum sobolem. Unde explicans subdit:

ET EAM QUÆ LABORAVÉRAT, EUNDO IN CAPTIVITATEM ET DISPERSIONEM (id est, ut Tigurina, *et procul propulsam*) IN GENTEM ROBUSTAM.) Tum numero, tum fortitudine. Tales fuerunt Apostoli e Iudæis prognati, alique similes viri Apostolici, orbis doctores et domitores: ita Vatabl. Arias et alii. Hinc sequitur:

ET REGNABIT DOMINUS (Christus) SUPER EOS IN MONTE SION.) Puta in Ecclesia, quæ cæpit in Sion: Ecclesia inquam, tum militante, tum triumphante, *ex hoc nunc, et usque in æternum*. Audi S. Hieron. *In gentem robustam, in nomen videlicet Christianum, quod non gladius, non ignes, non tormenta superabunt. Vide fidem et passionem Martyrum, et de robusta gente non ambiges.*

ET TU TURRIS GREGIS NEBULOSA FILIÆ SION USQUE AD TE VENIET: ET VENIET POTESTAS PRIMA.) Nota Primo, *Turris gregis* in Scriptura vocatur locus ille in quo Iacob pavit greges, Gen. 31. 21. nec enim alium locum hoc nomine appellatum in Script. vel apud Iosephum, aut chorographos terræ sanctæ legimus: ita S. Hieron. Remig. Haymo, Rupert. Lyran. et alii passim. Audi ex iis Adrichomium in Descriptione terræ sanctæ: *Turris gregis hebr. ader, sive eder, campus est uberrimus pascuis et grandibus olivis refertus: distat passibus fere mille a Beth-*

Vers. 8.  
Turris gregis, quæ?

*lehem, ubi Iacob patriarcha fixit tabernaculum, et pavit greges suos: ibique eo habitante, Ruben patris thorum violavit. Atque hoc ipso in loco pastores, ut prædixerat Propheta Michaas, nocte vigilantes super gregem suum, viderunt et audiverunt angelos canentes: Gloria in excelsis Deo. Ubi postea templum erectum est SS. Angelorum a B. Helena. Atque ulco sacellum hic erectum est in tantæ rei memoriam medio in agro. Addunt Haymo, Remigius, et Beda lib. de Locis sanctis e. 8. pastores hosce numero fuisse tres.*

Quare licet Hebræi, teste S. Hier. in Tradition. Hebr. in Genes. c. 35. opinentur turrim gregis fuisse in Ierusalem, eo loco in quo postea ædificatum est templum; tamen ipse S. Hieron. ibidem, et in Epitaphio S. Paulæ, et in Locis Hebr. et alibi, ac passim Interpretes et Chorographi docent turrim gregis fuisse iuxta Bethlehem, ibique angelos pastoribus gregem suum pascentibus nunciasse Christi ortum. Dieta est *gregis*, inquit S. Hieron. in Tradit. Gen. 35. *ubi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit; vel Iacob pecora sua pavit, loco nomen imponens; vel, quod verius est, quodam valicinio futurum iam mysterium monstrabatur*, quod scilicet Angelus ibidem pastoribus gregem pascentibus evangelizaret Christi natiuitatem. Ad litteram turris hæc dieta est *gregis*, ante Iacob, ut videtur; eo quod pastores iuxta illam, utpote loco compascuo, solerent pascere greges, atque noctu ad caulas quæ in turri, vel iuxta turrim erant, sese cum gregibus stabulatum recipere; uti notarunt P. Salmeron. et Barradius in Lucæ c. 2.

Ophel turris quæ?

Secundo, pro *nebulosa* hebr. est *Ophel*, quæ erat turris excelsa in Sion, iuxta atrium templi quam ita ex Iosepho describit Adrichom. *Ophel, quam Iosephus Ophlam nominat, erat turris enormi altitudine, quasi nubi caput inserens; atque arx munita firmo muro cineta, templo propinqua; extra murum tamen qui habitacionem sacerdotum claudebat. In huius muro Ioathan rex multo construxit: atque Manasses consuecque urbis muros reparavit. In hac habitabant Nathinæi. In hanc fugiens Manahem tyrannus captus est et occisus. Hanc tandem Titi milites combusserunt.*

Ab altitudine dieta est *Ophel*, id est, tenebræ, caligo, nubilum; quod usque ad nubes erigeret caput, et in contemplando eius culmine oculi caligarent: ita S. Hieron. in Isaia 32. v. 14. Quare minus recte aliqui censent turrim nebulosam vocari turrim Psephina, quæ octoangularis erat, erecta super rupem excelsam, septuaginta cubitos alta, inter Septentrionalem et Occidentalem urbis murum, ex qua sereno cælo Arabia, mare, et fines Chanaanæ conspici poterant, quam Titus expugnavit, teste Iosepho lib. 6. Belli cap. 2. 5. et 6. nam in Hebr. hic non est Psephina, sed Ophel. Denique pro *Ophel* Sept. vertunt *αυγρωδης*, quod quadrupliciter verti potest: primo, caliginosus et opacus; secundo, squalens; hæc duo habet S. Hieron. tertio, aridus; quarto, siliens vel siticulosus: quæ enim arida sunt, sunt pariter squalentia, siticulosa et opaca.

Symbol. caligo Dei est Ophel.

Symbolice, Ophel significat celsitudinem et caliginem in qua habitat Deus: ad hanc enim accedere et erigere se conatur Sion, id est, Ecclesia, et anima fidelis. Deus enim *habitat lucem inaccessibleem*, 1. Timoth. 6. 16. Præclare S. Dionys. Epist. 5. ad Dorotheum: *Caligo, ait, divina est inaccessibleis, in qua habitare dicitur Deus: hæc est invisibilis, propter eximiam claritatem; et inaccessibleis, propter immensam luminis copiam.*

Quæres, si turris Eder erat extra Ierusalem iuxta Bethlehem, Ophel vero erat in Ierusalem, quomodo una eademque turris vocatur hic *gregis*, et *nebulosa* sive *Ophel*? Resp. metaphorice et metonymice Sion, sive Ierusalem vocari hic *turrim gregis*. Ita enim vocari hic Sionem patet Primo, ex eo, quod eam nuncupans subdit: *filia Sion*. Sic enim cum Roman. Symmacho (qui elare vertit, *ipsa est filia Sion*) et Septuag. legendum in nominativo *filia*, non *filix* in genitivo. Secundo, quia in Ierusalem erat Ophel. Hæc autem turris gregis, erat turris Ophel; uti

ait Michaas. Tertio, quia in Sion erat porta (et consequenter turris super portam de more erecta) quæ vocabatur *gregis*, per quam greges ovium offerendi in templo, ex turri Eder sive gregis, ubi pabulabantur, inducebantur in Sion et templum. Unde iuxta portam gregis, erat forum pecuarium, et probatica piscina, in qua curabantur infirmi, Ioan. 5. 2. Dieta est probatica, *απο του προβατου*, id est, ab ovibus. Probatica ergo idem est quod pecuaria vel ovina, eo quod ad illam oves, quotidie mane et vespere immolandæ in templo congregabantur, in eaque abluebantur. Denique de Sione et Ierusalem hic agi, patet ex sequentibus. Ierusalem ergo vocatur *turris gregis*, tum quia vicina erat Bethlehem, et turri gregis, illique ut metropolis imperabat; tum quia alto loco in montibus sita, et ad illam confluebat grex, id est, numerositas Iudeorum ad templum; tum proprie, quia in Sion erat porta et turris gregis, obversa turri Eder, sive gregis, per quam ex Eder oves in Sion et templum inferebantur. Eadem vocatur *nebulosa*, ob altitudinem turris Ophel, aliarumque similium, quæ in sui culmine nubes et nebulas de more colligebant, atque e terra eouitibus, ob nimiam altitudinem caligantibus oculis, nebulosæ videbantur. Unde probabiliter suscipiatur Vilalpando tom. 3. p. 1. 3. cap. 7. *turrim gregis*, hic præise vocari portam gregis: portam enim vocari turrim, quia alta erat et munita, ut arx vel turris esse videretur. Porta hæc dicitur *filia Sion*, quia subiecta erat templo exstructo in monte Sion. Dicitur *gregis*, tum quod per eam greges offerendi inducebantur in templum, tum quod ante hanc portam esset vallis Iosaphat tendens ad montem Oliveti, quam, utpote pascuis uberrimam, Iacob Patriarcha suis pecoribus pascentis elegit. Hæc porta a Iosepho lib. 6. Belli e. 6. vocatur *Genat*, quam Salomon magnificentissimis ædificiis ac propugnaculis exornavit. Hæc Vilalpando, et hinc videntur voluisse Hebræi paulo ante citati, quos sequitur Emmanuel, Mariana et alii.

Quæres Secundo, quisnam huius loci sit sensus, et quando turri gregis, id est, Ierusalem, data sit potestas, sive, ut vertit Tigurina, dominium, regnum et imperium? Primo, Theodor. sic explicat, q. d. Nabuehodonosor veniet ad te o turris, id est, o templum, quod in vinea, id est, in urbe Ierusalem, quæ ob peccata est atra et nebulosa, quasi turris eminens, ut te sternat et comburat. Verum hoc triste et funestum est, non lætum et festivum oraculum, quale hic edit Michaas.

Secundo, S. Hieron. intelligit de Cyro, et reditu e Babylone, q. d. Veniet Cyrus, qui te o Ierusalem, id est, vos o Iudæi, e Babylone per Zorobabel liberet, et in patriam remittat. Verum licet eo alludat Propheta, ut patet v. 10. tamen altius et maius quid spectat.

Dico ergo, turrim gregis, et Ophel, sive Ierusalem et Sion, esse Ecclesiam Christi, quæ cœpit in Sion, in quam grex fidelium congregatur, quasi in turrim Ophel, id est, in locum altum et munitum, vergentem in cælum, ideoque obscureum et nebulosum: doctrina enim Ecclesiæ, quia cælestis est et divina, de Deo trino et uno, de Verbo incarnato, de prædestinatione et reprobatione, etc. est obscurea et nebulosa. Eadem vocatur *filia*, quia Deo dilecta ut filia; et *Sion*, id est, specula, quia nunc contemplatur Deum in enigmate per fidem et spem, brevi eundem contemplatura reipsa, facie ad faciem. Michaas ergo regiam Christi, puta Ierusalem, id est, Ecclesiam, vocat *turrim*, ob altitudinem vitæ et doctrine; atque ob munitionem, speculam et tutelam, qua suos fideles tuetur et propugnat. Vocat *gregis*, quia alludit ad Davidem, qui fuit pastor gregis, indeque primus evocatus est ad regnum Sionis: et quia eius antitypus et successor Christus, rex novæ Sionis, id est, Ecclesiæ, eiusdem potius fuit pastor, quam rex. Unde ipse nomine pastoris delectatur: *Ego, ait Ioan. 10. 11. sum pastor bonus: bonus pastor animum dat pro ovibus suis: et v. 14. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Uine vetustissimæ imagines Christi, quas etiamnum Romæ in antiquis templis videmus, Christum quasi pastorem oves pasceu-

Prophe-tica piscina, quæ?

tem, aut ovem perditam humeris baiulantem, et ad caulam reducentem depingunt.

Tropol.  
Ecclesia  
est turris  
gregis?

Tropolog. Ecclesiam vocat *turrim gregis*, ut significet, Præsules Ecclesiae, Christi vicarios, non debere ut reges dominari in cleris, sed ut pastores pascere gregem Domini. Hoc est quod ait et sancit S. Petrus, primus a Christo summusque Ecclesiae Præsul: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontaneæ secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis, ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, 1. Petri 5. 2.

Sensus ergo huius loci est, q. d. Dixi v. 7. quod Dominus regnabit super eos (Iudæos fideles) in monte Sion in æternum; quia tu o Sion, quæ es turris gregis et Ophel, id est, arx sublimis, invicta et inexpugnabilis, accipies hoc regnum: *Usque ad te veniet, et veniet potestas prima*, q. d. Veniet, veniet inquam, ad te prisca et avita potestas, et regnum quod habuisti sub Davide et Salomone: puta *regnum filie Ierusalem*, hoc est, regnum Hierosolymæ: sicut enim David gloriose et potenter regnavit in Sion; ita ibidem Christus filius Davidis et hæres, regnum idem capesset: at non temporale sed spirituale; ibique regnum Ecclesiae suæ inchoabit, quod deinde proferet et propagabit per Apostolos in universum orbem, iuxta id quod promisit Gabriel matri cum concipienti: *Dabit illi Dominus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum*, Luca 1. v. 32. Et David rex in typo et persona Christi: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*, psal. 6. 2. ita Clarius, Vatabl. Arias, Ribera, a Castro et alii. Huc accedit S. Hieron. et Lyran. qui per *turrim gregis filie Sion* (uti ipsi legunt) accipiunt templum, quo grex, id est, populus Domini confluebat, et in quo greges ovium Deo maetabantur: hoc vocatur *Ophel*, id est, nebulosum, quod ad nubes usque altitudine sua pertingeret, vel quod fumum victimarum quasi nebulam iugiter exhalaret; vel quod umbris et figuris quasi nebulis plenum esset, q. d. O turris nebulosa filie Sion, id est, o templum Hierosolymorum, usque ad te veniet, veniet inquam, prima potestas, id est, primum et avitum illud Davidis imperium; non in umbra, sed in veritate: Christus enim triumphator ingrediatur in te, qui est regum summus, cuiusque David rex umbra tantum fuit et typus. Respicit introitum solemnem Christi in Ierusalem die palmarum, quando assello vectus cum pompa et triumpho, urbem et templum quasi Messias est ingressus, et inauguratus acclamante turba: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David*, Marci 11. v. 10. Christus enim per portam gregis (quæ hic vocatur *turris* ob celsitudinem, ait Vilalpando supra) quasi agnus paschalis in paschate immolandas, invecus est in urbem, uti colligitur ex Luca cap. 19. 37. eum ait: *Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti*, etc. Ex monte ergo Oliveti per vallem Iosaphat venit ad portam gregis, eaque ingressus est in urbem. Et hoc videtur hic significare Michæas, inquit Vilalpando. Idipsum etiam significat versio Chaldaei, qui paraphrasticè per *turrim gregis* accipit Christum, qui in Ecclesia inter fideles quasi turris eminet; correlativa enim sunt et inseparabilia, pastor et grex, rex et regnum, Christus et Ecclesia. Sic ergo utrumque necens vertit: *Tu autem o Messia, vel Christe Israelis, qui absconditus es propter peccata cæcis Sion, tibi venturum est regnum, sed et dominatio prisca adveniet regno cæcis Ierusalem*. Christus enim est turris, quia Verbum Patris, de quo dicitur Sap. 18. 16. *Usque ad cælum attingebat, stans in terra*. Erat enim verus Deus æque ac homo, iugens in se deitatem humanitati, et cælum terræ, angelos hominibus. Hinc et dicitur *nebulosa*, id est, abscondita in præsepio, carne et cruce: Deus enim *posuit tenebras latibulum suum*, psal. 17. 25. Idcirco incognita fuit Iudæis. Erat *turris gregis*, quia sicut turris urbem, cives et oves, ita Christus Christianos protegit et tuctur. Ipse denique regnum suum consignavit Hierosolymæ, id

Christus  
est tur-  
ris nebu-  
losa

A est, Ecclesiae suæ. Unde et Syrus et Arabicus vertunt, *tu autem turris* (Arabicus, *arx*) *pastor nebulosæ filie Sion, tempus tuum advenit*.

Denique Haymo, Remig. Beda in Luc. 2. Baronius an. 1. Christi, et alii censent Michæam hic alludere ad pastores Eder, quibus Angelus primo nunciavit Christi ortum: ideo enim nominat *turrim Eder*, id est, gregis et pastorum. Unde id clare explicans cap. seq. v. 2. ait: *Et tu Bethlechem* (iuxta quam erat turris Eder) *Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, etc. Itaque huius loci hunc dant sensum, q. d. Tu o turris Eder, rusticana, vilis et pastoritia, caput attolle, gaude et exulta: quia primo ad te veniet nuncius cælestis, puta angelus annuncians Christi regis ortum, cuius potestas prima et regnum incipiet in Ierusalem, indeque propagabitur per totum orbem. Quocirca eris iam turris non tantum gregis, sed et Ophel, id est, celsæ caliginis: quia in te excelso Olympi vertice descendet spirituum et musicorum cælestium multitudo, concinens: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

Alludit  
ad pasto-  
res in or-  
tu Chri-  
sti.

Tropolog. *filia Sion* est anima quæ speculatur cælestia et divina: Sion enim hebr. significat speculam. Unde in ipsa est turris, id est, prudentia et providentia, æque ac robor et munimen, quibus suum gregem, id est, omnes animæ potentias, sensus et actiones, omnesque corporis motus moderatur, regit, tuctur et roborat. In ipsa est Ophel, id est, caligo, puta orationis et contemplationis, qua cum Mose Exodi 19. 9. intrat in caliginem, in qua habitat Deus; ibique cum eo colloquitur, uti solitum facere S. Bernardum legimus in eius Vita. Rursum est Ophel, id est, *αζυγος*, ut vertunt Septuag. id est, primo arida, quia humores pravos concupiscentiæ per ieiunia et mortificationes desiccet; secundo, squallens per luctum et penitentiam ob exilium in quo degit; tertio, sitiens, scilicet Deum, et aquam gratiæ salientis in vitam æternam. Complutensia legunt *αζυγος* in genitivo, id est, caliginosæ, aridæ, squalidæ et sitiens, ut referatur ad *gregis*. Iuxta quam versionem hæc quatuor simili sensu iam dicto de anima, ad potentias, sensus, motusque eiusdem (hi enim sunt eius grex) accommodari facile possunt. Ad hanc venit potestas prima, puta primum regnum filie Ierusalem. Primum enim maximumque regnum animæ est, quo in ipsa regnante Christo rege, eamque regente, ipsa pariter a Christo regnum accipit, fitque regina: nam regnat et dominatur æquo iure primo sibi, suisque potentiis et motibus, deinde rebus externis, quas omnes sibi subiicit; ac tertio, proximis, quorum cura ei commissa est. Dum enim Deo vacans primo sibi suisque actibus pie sancteque imperat, facile cæteris omnibus præesse et imperare discit. Itaque fit Ierusalem, id est, visio et possessio pacis: iugi enim pace et serenitate conscientia fruitur. Hiuc Philosophus ille, licet Gentilis: *Rex, ait, eris si teipsum rexeris. Rex eris, si cupiditatibus et passionibus tuis imperes. Rex eris, si regas iram, gulam, libidinem*. Alexander Magnus alios rexit, seipsum regere nescivit, rexit cum ira et cupido: unde non rex, sed iræ fuit servus, et mancipium ambitionis. Verius mendicus ille apud Taulerum se regem esse dixit, quod nil appeteret in hoc mundo, quodque suam voluntatem Dei voluntati in omnibus conformaret, ideoque sibi rebusque omnibus dominans, perpetua pace et lætitia animi frueretur. Historiam fuse enarravi Rom. 12. 1.

Tropol.  
anima  
sancta  
est turris  
gregis.

Rex est  
qui sibi  
imperat.

Anagog. quidam, ait S. Hieron. hæc accipiunt de Ierusalem cælesti, quæ cum sit *mater sanctorum, tamdiu quasi Ophel squalet, quamdiu filii sui non reducantur ad eam, ut rex et consiliarius non sit in ea: et dolores sicut parturientem apprehendant eam, quod frustra peperit, videns tantos filios interfectos*.

NUNC QUARE MOERORE CONTRAHERIS? Hebr. *nervosus*, *nunc quare vociferaris vociferationem?* id est, cur ingenti voce eiulas et ploras? Redit ad Sionem, id est, ad Iudæos sui temporis. Unde vocula, *nunc*, et tempus præsens significat, simulque est nota illationis, idem valens quod

Vers. 9.

ergo. Haec nunc idem est quod nunc ergo, q. d. Nunc ergo, o Sion, cur mæres ob instantem captivitatem, cum tam felix et angustum Christi regnum expectes? Esto enim eas ad modicum tempus in Babylonem, esto Sedecia rege tuo, principibus et consiliariis orberis; tamen inde brevi te reducam, faciamque ut rex tuus potentissimus, æque ac consiliarius sapientissimus, propediem tibi sit ipse Christus, Rex regum et Dominus dominantium, ipse te omni captivitate, omni mære, omni terrumna liberabit; ipse te consolabitur, ditabit, honorificabit; ut nil deinceps metuere debeas, nil amplius sperare aut desiderare possis.

Allegorice, hæc et sequentia usque ad finem capituli adaptari possunt Ecclesie primitivæ (huius enim typus fuit Synagoga Iudæorum) primitus et deinceps a tyrannide afflictæ, et pene oppressæ: imo de ea ad litteram accipiunt Rupert. Albert. Liran. et Vatabl. q. d. Post adventum Christi affligentur Christiani, unde habebunt ansam pæmendii; sed tamen sumant animos, quia non destituentur ope divina: nam rex eis aderit Christus, et consiliarius Spiritus sanctus.

Aliter, imo contrarie hæc accipit S. Hieron. et Theodoret. q. d. Qua de causa o Sion mæres? atque ob instantem captivitatem. Sed unde illa tibi obveniet? An quod destituta sis rege et consiliariis? at habes Ezechiam, Iosiam, Sedeciam, aliosque reges, eorumque principes et consiliarios. Disce ergo hoc malum non aliunde tibi accidere, sed tua culpa, tuo vitio: quia nimirum tuis idolis et sceleribus Dei iram et vindictam in te concitasti. Verum hic est sarcasmus et hostilis irrisio potius quam paterna consolatio, quam toto hoc cap. Sioni suggerit et ingerit Propheta.

Tropol. S. Ambr. hic: *Cur, ait, comprehenderunt te dolores ut parturientis, ut parturires iniquitates, et pareres iniustitias? nullus enim maior est dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina et pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit. Gravia, filii, gravia nimis delictorum sunt pondera. Denique illa in Evangelio (Lucæ 13.) mulier quæ curvata erat, speciem prætendens animæ laborantis, a Christo potuit solo erigi.*

Vers. 10.

**DOLE, ET SATAGE FILIA SION.** Satagere est anxium, anxie distorqueri difficultate alicuius rei conciliandæ, vel evadendæ. Pro *satage* hebr. est *gochi*, quod varie vertitur: Septuag. *dole et viriliter age*; Chald. *dole et contremisce*. Pagnin. *dole et ingemisce*. Tigurina, *dole et gemitum ede*, q. d. o Sion, permitto ut dolcas et ingemiscas, ac de facto dolabis et ingemiscas: habebis enim iustum argumentum et causam doloris et gemitus, scilicet excidium et captivitatem Babylonicam.

**QUIA NUNC EGREDIERIS DE CIVITATE**, de Ierusalem, **ET HABITABIS IN REGIONE**; Hebr. et Chald. *in agro*; Sept. *in campo*, q. d. Non in urbe sub tecto, sed in agro sub dio, quasi profuga et captiva deges: **ET VENIENS USQUE AD BABYLONEM.** Sed age, resume animos, spera meliora: nam post modicum tempus, puta post 70. annos, **IBI LIBERABERIS, IBI REDIMET TE DOMINUS.** Primo inchoate per Cyrum et Zorobabel; secundo, plene per Christum. Audi S. Cyrillum iuxta Septuag. *Dole igitur, et viriliter age filia Sion*, ait: *O bona filia, patiens esto ad dolores, obdura ad molestias, appropinqua ad partum. Sed enim non penitus consolatione destitutam relinquit: uldit enim, in patriam sedem iri revocatum.* Sic Aeneas socios naufragos spe melioris sortis consolatur Aeneid. 1.

*Per varios casus, per tot discrimina rerum  
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas  
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ:  
Durate, et vosmet rebus seruate secundis.*

Tropol. penitentia.

Tropol. S. Hieron. *Intelligit, inquit, animam propter peccatum de Ecclesia pulsam, et inimico et ultiori trullam in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, exire de civitate quam spiritus impetus latificat, habitare non in monte ubi prius fuerat, sed in campo in quo Assyriorum*

VQL. VII.

**A** *vagatur exercitus, et esse in confusione vitiorum suorum, et postquam habuerit compedes, et traxerit molam, et farinam Babylonis fecerit, in semet reversam dicere: Quanti mercenarii patris mei saturantur panibus, et ego hic fame pereo: et ad paternam domum postea revertentem suscipi a clementissimo patre, et redimi de manu durissimi domini.*

**ET NUNC CONGREGATÆ SUNT SUPER TE GENTES:** τὸ Vers. 11.

nunc iterum aliam et viciniorem Hierosolymæ calamitatem significat, q. d. Dixi, o Sion, te iterum in Babylonem; sed antequam eo vadas, alia tibi instat elades a Sennacherib, qui multas contra te gentes congregabit, puta 185. millia, QUÆ dicent: **LAPIDETUR**, id est, lapidibus obruetur, et **ASPICIAT IN SION OCLUS NOSTER.** Id est, oculus noster aspiciat eum voluptate Sionis ruinam, eaque se pascat, illamque irrideat et subsannet: solemus enim aspiciere et oculus intendere in ea, quæ diligimus, despiciere vero et avertere oculos ab iis, quæ odimus vel contemnimus. Unde vulgo dicitur: *Ubi oculus, ibi amor: ubi manus, ibi dolor.* Hinc *aspiciere* sumitur quandoque pro oblectari, ut psal. 65. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo:* ita S. Hieron. Remig. Haymo, et alii.

Nota: pro *lapidetur* hebr. est *techenaph*, quod Septuag. vertunt, *insultabimus*, vel, ut S. Hieron. legit, *insultemus*; alii, *insultemus et gaudeamus*; Chald. *impie age*; Pagnin. *peccavit*; Tigurina, *hypocrita fuit*, simulando se piam, cum esset impia: castam, cum esset incesta; deicolam, cum esset idololatra. Arias, *superstitiatur*, id est, ut superstitiosa, et novorum deorum cultrix puniatur, expiatur et lapidetur. Proprie *techenaph* veritas, *impia est, et ut impia plectatur.* Alludit *techenaph* per metathesin ad *תנאף tinaph*, id est, adultera est, et ut adultera puniatur et lapidetur: lapidatio enim erat pœna adulterii apud Iudæos, q. d. Sion relicto Deo sponso suo coluit idola, cum iisque fornicata et adulterata est; ergo ut adulteram eam lapidibus obruamus, demoliamur eam, et in acervum lapidum redigamus, coque illam sepeliamus.

Alleg. Nero, Decius, alique tyranni dicebant de Ecclesia Christi, *lapidetur*, id est, pereat et excindatur; sed id reipsa Deo illam tutante efficere non potuerunt: ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, et alii. Idem etiamnum dicunt hæretici de eadem. Idem de sanctis Religionibus, monasteriis, collegiis, adeoque de viris religiosiis et zelosis dicunt idem, imo et perversi Catholici, *Lapidetur*, evertatur talis Religiosorum domus, Dominicani, Franciscani, Iesuite expellantur et lapidentur; sed Deo eos tutante et consolante, fit id quod sequitur: *Congregavit eos quasi fenum areæ. Surge, et tritura filia Sion: qui cornu tuum ponam ferreum*, etc.

**IPSI AUTEM NON COGNOVERUNT COGITATIONES DOMINI.** Vers. 12.

NI.) Quibus statuit Sionem hisce persecutionibus probare, purgare et illustrare; non perdere, et evertere; persecutores vero eius, puta castra Sennacherib, cadere et dispergere.

**QUIA CONGREGAVIT EOS QUASI FOENUM AREÆ.** q. d. Congregavit eos in Iudæa, quasi frumenti manipulos in area, ut ibi ab angelo et a Iudæis triturentur, id est, cadantur, calcantur et spoliuntur. Angelus enim cecidit 185. millia ex castris Sennacherib. Nota *fenum* hic non significare herbam pratorum demessam et siccitam, quæ proprie fenum dicitur; sed capi pro frumento spicato, puta pro manipulis tritici: hoc enim solum in area trituretur, uti de hoc feno subdit dicens: *Surge, et tritura filia Sion.* Unde Septuag. vertunt, *quasi manipuli areæ*; Chald. Pagnin. et Tigurina vertunt, *quasi manipuli ad uream*, ut in ea triturentur; eorumque grana excutiantur, quæ in horrea eondantur. Hos enim significat Heb. *אמיר*.

**SURGE, ET TRITURA FILIA SION, QUIA CORNU TUUM** Vers. 13.

**PONAM FERREUM, ET UNGULAS TUAS PONAM ÆREAS, ET COMMUNES POPULOS MULTOS.** Nota. In Palestina, uti et in Italia, Canaria, aliisque multis provinciis manipuli et segetes triturentur non ligneis flagellis, nisi fit in Germania; sed unguibus boum, vel serratis carpentis, quæ super segetes circumagunt, itaque calcando eas terunt, et grana ex aristas expriment. Similia carpenta subinde su-

per hostes stratos agebant victores, eosque quasi triturabant; ut fecit David Ammonitis 2. Reg. 12. 31. Dicit ergo Deus, se *cornu et ungulas æreas*, id est, animos, robur et vires, Sioni redditurum, ut suos hostes calcet, premat et trituret. Factum hoc Primo, sub Ezechia, quando cæsis per angelum Assyrii, Iudæi eorum castra invaserunt, occuparunt et spoliarunt. Secundo, sub Iuda, Ionatha, Simone et Hyrcano Machabæis, qui quasi cornua fuerunt, quibus Iudas ventilavit omnes vicinas gentes, ut patet ex libris Machab. ut in iis impletum sit illud Deut. 33. 17. *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Ad Machabæorum enim gloriosa bella et victorias, hæc referunt Dionys. Ribera et alii. Mystice id plane adimpletum est in Christo eiusque Sione spirituali, id est, Ecclesia, quæ robore prædicationis suæ sibi subegit omnes gentes, eorumque idola et profana fana contrivit: ita S. Hieron. Reinig. Rupert. Albert. Lyran. Clarius et alii.

ET INTERFICIES DOMINO RAPINAS EORUM.) q. d. Immolabis Domino boves, aliasque victimas quas victrix ab hostibus rapuisti. Id fecisse Ezechiam et Iudæos ex spoliis Assyriorum, docet Ioseph. lib. 10. Antiq. c. 3. Idem fecisse Machabæos, liquet ex eorum actis. Idem sæculis omnibus fecit et facit Ecclesia Christi. Pro *interficiet* hebr. est *והחרמת* *vehacharamti* (Noster et Septuag. videntur legisse *והחרמת* *vehacharamta*: vertunt enim in secunda persona, et *interficiet*: sed eodem redit sensus; Deus enim per Iudæos victimas hasce interfecit) id est *faciam cherem*, id est, anathema, hoc est, *anathematizabo*, excindam et consumam, *rapinas eorum Domino*, id est, mihi q. d. Devoebo hostes tuos cum suis opibus mihi, meæque vindictæ: quasi victimas meas addicam eos neci, faciam eos anathema, partim per angelum occidentem, partim per tuos cives o Sion, præsertim Machabæos, sicut

A feci Iericho, Iosue 6. 16. Et Chananæis Numer. 21. v. 2. Vide quæ ibi dixi de voto *cherem*, sive anathematis.

Nota. Pro *rapinas eorum* hebr. est *בצעם* *bitsam*, quod Septuag. vertunt, *multitudinem eorum*; Chald. *facultates eorum*; Symmach. *lucrum eorum*; Theod. *dona vel munera eorum*; Tigurina, *opes eorum*; Pagnin. *desiderium*, id est, opes desiderabiles, *eorum*; Noster, *rapinas eorum*; quas scilicet Assyrii e Iudæa rapuerunt, tuque iterum eis eripuisti, quasi iustas et reduces iusti belli rapinas.

ET FORTITUDINEM EORUM.) Hebr. *חילם* *chelam*, id est, substantiam et opes: hæc enim sunt divitum robur et fortitudo, iuxta illud Proverb. 18. 11. *Substantia divitis, urbs roboris eius, et quasi murus validus circumdans eum.* Hæc rursum sunt nervus belli, ut ait Cicero. Alii per *fortitudinem* accipiunt milites et arma: arma enim hostium bello capta Iudæi, æque ac Christiani et Gentiles suspendere solent Deo, ut illi victoriam acceptam referant: uti David suspendit in templo gladium quo obruncavit Goliath, 1. Reg. 21. 9. Idem fecisse Gentiles docet Virgil. 7. Æneid.

*Multaque præterea sacris in postibus arma:*

*Captivi pendent currus, curvæque secures,*

*Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,*

*Spiculaque clypei que creptaque rostra carinis.*

Hoc est quod prædixit Isaias cap. 60. v. 5. *Fortitudo gentium venerit tibi.* Et vers. 11. *Ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur.*

Tropol. docemur hic omnem victoriam de hostibus tam corporalibus, quam spiritualibus, adscribendam esse Deo auctori; uti fecit Moses et Iosue victo Amalec, erigens altare hoc titulo: *Dominus exaltatio mea*, Exodi 17. v. 15. ideoque omnia desideria et desiderabilia nostra ipsi esse mactanda et offerenda.

Tropol.  
Deo tri-  
buendum  
epini-  
cium.

## C A P U T Q U I N T U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

*Vastata filia latronis, prædicat Christum nasciturum in Bethlehem, qui Israel pascet in fortitudine Domini, et magnificetur usque ad terminos terræ. Deinde v. 6. ait, quod Christus erit pax, cum venerit Assyrius in terram nostram: tunc enim eum conteret. Tertio, vers. 7. prædicat quod reliquiæ Jacob, id est, Apostoli et primi Christiani, erunt quasi ros Domini, irrigantes mentes hominum, easque efficaciter instar leonis rapientes sibi que et Deo subiugantes. Denique v. 10. asserit quod Deus tunc auferet maleficia, divinationes, lucos, omniaque arma et præsidia in quibus infideles confidebant.*

1. **N**UNC VASTABERIS FILIA LATRONIS: obsidionem posuerunt super nos, in virga percipient maxillam iudicis Israel. 2. ET TU BETHLEHEM Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus æternitatis. 3. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet: et reliquiæ fratrum eius convertentur ad filios Israel. 4. Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. 5. Et erit iste pax: cum venerit Assyrius in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris: et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines. 6. Et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis eius: et liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in finibus nostris. 7. Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, et non præstolatur filios hominum. 8. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis sylvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cum transierit, et conculcaverit, et cæperit, non est qui eruat. 9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, et disperdam quadrigas tuas. 11. Et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones tuas, et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te. 12. Et perire faciam sculptilia tua, et statuas tuas de medio tui: et non adorabis ultra opera manuum tuarum. 13. Et evellam lucos tuos de medio tui, et conteram civitates tuas. 14. Et faciam in furore et in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

Vers. 1. **N**UNC VASTABERIS FILIA LATRONIS.) Hebr. est elegans paronomasia; *hitgodedi bat ghedud*, q. d. Nunc vastaberis filia vastatoris, nunc prædaberis filia prædatoris, aut, ut alii, *nunc concideris filia concisionis*; aut, ut Tigurina, *nunc cingris turmis filia turmæ*. Nota Primo, *hitgodedi* est coniugationis *hitpacl*, quæ partim activa est, partim

passiva; et communiter significat actionem reflexam, qua agens agit in seipsum, ita ut idem sit agens et patiens, q. d. Vastabis et concides teipsam, vel vastaberis et concideris a teipsa, id est, tua culpa, tuo demerito; puta ob tua scelera peribis. Quocirca *hitgodedi* non tantum passive, uti iam vidimus, sed et active verbi potest. Unde Sy-

rus vertit, nunc exhibis cum turma filia turmarum fortium : Arabiens, nunc egredieris cum exercitibus ; Pagnin. nunc militabis filia militis : alii, nunc congregabis te per turmas filia turmæ ; alii, nunc educes exercitus filia exercitus ; alii, nunc concides filia concisionis ; Arias, collige cœtum tuum filia cœtus ; alii, Martem et Martia castra instrue filia Martis. Porro filia latronis, idem est quod latro, latrocinii dedita ; sicut filius hominis, idem est quod homo, filius ovium idem quod ovis, filia capræ idem est quod capella.

Notæ secundo, גְּדֻדִים *ghedudim* significare congregationem, cœtum, turbam, turmam, exercitum : unde in libris Regum, turmæ Syrorum excurrentes et prædautes terram Israel, vocantur *ghedudim* ; Noster vertit vocatque *latrunculos*, id est, volones, prædones, quos Belgæ vocant *urybuters* : itidem hic vertit, *filia latronis*, uti et verterunt Aquila, Symmach. Theodot. et V. editio. Hinc et Lia quintum suum filium vocavit *Gad*, quasi *ghedud*, id est, turmam filiorum, q. d. Tot iam genui filios, ut ex eis a ciem instruere possim, Genes. 30. 8. ita Chald. et Aquila ibidem. *Ghedud* ergo est turma velitum, sive excursio et irruptio militum levis armaturæ ad prædandum et latrocinandum ; item exercitus qui omnia populatur, quales fuerunt Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum : de quibus S. August. vere dixit I. de Civit. c. 4. *Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia ? quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna ?* Et pirata captus ab Alexandro Magno, rogatus cur pirateam exerceat ; respondit : Ego idem facio quod tu. *Ego sum parvus, tu magnus es orbis prædo : sed quia id ego exiguo navigio facio, Latro vocor ; quia tu magnæ classe, Imperator :* ut ibidem refert S. August. Tertio, pro iudicis Israel, uti habent Hebr. et Latina, vertunt Sept. *tribus Israel* ; Chald. *iudicium Israel*, per enallagen accipientes singulare pro plurali.

Quæres, quænam est hæc filia latronis ? sunt quatuor sententiæ. Prima est, esse Babylonem. Secunda esse Damascum. Tertia, esse Ierusalem. Quarta, esse Niniven et Assyriam. Nam Primo, de Babylone accipi potest, vel active, q. d. Congrega turmas latronum, id est, militum et prædonum tuorum o Babylon, ut obsideas nos Hierosolymitas, et pereutias maxillam iudicis, id est, regis Israel, puta Sedecia, eumque regno et oculis privas, atque excæces ; vel passive, q. d. Brevi a Cyro vastaberis o Babylon, quia fuisti filia latronis, id est, latro et latrocinii dedita, ac ut talis obsedisti et vastasti nos, atque regem nostrum Sedeciam in maxilla percussisti, imo exoculasti. Favet huic sententiæ quod c. prec. v. 10. meminerit Babylonis, eiusque prædationis. Consolans enim Iudæos a Babyloniis captivos : *Dole*, inquit, *et satage filia Sion quasi parturiens : quia nunc egredieris, etc. et venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis*, scilicet per Cyrum ; hoc est quod hic dicit : *Nunc vastaberis filia latronis*, id est, Babylonis, scilicet per Cyrum : verba ergo hæc illorum cap. 4. v. 10. videntur antistropha.

Secundo, *filia ghedud*, id est, *latronis*, accipi potest Damascus et Syria : inde enim frequentes *ghedudim*, id est, *latrunculi*, excurrerunt in terram Israel, eamque latrocinando vastarunt, ut patet ex libris Regum. Vox enim *ghedud*, id est, *latronis*, videtur respicere ad illos *ghedudim*, recensitos in libris Regum. Accedit quod Syris et Damascenis ob hæc prædationes excidium minetur Isaias c. 7. 7. atque mox subiungat lætum oraculum de Emmanuele rege Iudæis nascituro, dicens v. 14. *Eccc virgo concipiet et partiet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ad Isaiam autem de more alludit hic Michæas, qui hic videtur idem oraculum, quod Isaias c. 7. edere. Nam vastationi filia latronis subiungit lætum oraculum de Christo rege in Bethlehem nascituro ; perinde ac facit Isaias. Senus ergo est, q. d. Vastaberis o filia latronis, o Damascus latro et Prædo Israelis ; quia obsedisti Iudæos, eorumque principes sæpe in maxillam, id est, ignominiose, percussisti : vastaberis autem per Salmanasar Assyrium, quem Emmanuel vindex noster, antequam nascatur homo, in te immittet, uti prædicit Isaias loco iam citato. Ille sen-

sus accommodus videtur : Michæas enim Isaia sæpe est antistrophus. Sed obstat quod hactenus Michæas nullam Damasci fecerit mentionem ; fateor tamen ad Isaiam, et ad Isaiam hic alludi, uti mox plenius dicam.

Tertio, *filia latronis* accipi potest Ierusalem, q. d. Tu o Ierusalem, quæ mihi olim eras chara, quasi filia Sion, nunc vero facta es filia latronis, quia opprimis et expilas pauperes ; tu inquam, ob hæc latrocinia tua vastaberis a Chaldæis, qui te obsidebunt, et Sedeciam aliosque tuos indices et principes pereutient in maxilla, id est, ignominiose tractabunt et vexabunt, uti dixi c. 4. v. 10. et c. 3. v. ult. Atque hæc oppressio tua durabit usque ad Christum. Post Chaldæos enim Græci, ac præsertim Antiochus Epiphanes, post Antiochum Pompeius et Romani te pessumdabunt, donec Christus tuus rex, Messias et liberator nascatur in Bethlehem, qui te redimet, omneque iugum et hominum et dæmonum a cervicibus tuis excutiet : ita Remigius, Haymo, Albertus et Clarus.

Quarto et genuine, *filia latronis*, hebr. *ghedud*, id est, turmæ et exercitus, vocatur hic Assyria, puta cœtus Assyriorum, et castra Sennacherib, qui quasi latro populatus est Iudæam, et obsedit Ierusalem, atque ignominiose tractavit iudicem, id est principem Israel, puta regem Ezechiam, ac si eum in maxillam percussisset. Rabsaces enim missus a Sennacherib, non tantum conviciatus est Ezechia, sed et eius Deum blasphemavit, ut patet Isaia 36. Quocirca audit hic a Deo vindice, *Vastaberis* ; atque hanc vastationem mox ipsi inflixit, mittens angelum qui cecidit 485. millia militum in castris eius. Percussio enim maxillæ abiit in proverbium, nec aliud significat quam gravem ignominiam, ingensque probrum. Forte etiam revera Sennacherib legatos Ezechia, vel principes Israel a se captos percussit probrose in maxilla, esto Scriptura id non dicat : quia eos sua fecit mancipia, quibus in facie iniuri solent stigmata, tum ignominia causa, tum ut a liberis secernantur ne aufugiant. Ita fecisse Caium Imp. nobilibus Romanis, quos ad metalla, vel ad bestias damnavit ; qui proinde dicti sunt Inscripti, Litterati, Stigmati ; testis est Svetonius in vita Cæii c. 27.

Probatur hæc expositio Primo. Nam hic versus connectitur et pertinet ad caput præcedens, ut patet ex verbo *nunc*, idque docent Albertus, Lyranus, Pagninus, et alii ; imo Pagninus hunc versum ponit ultimum capitis quarti, caput vero quintum inchoat a v. sequi. *Et tu Bethlehem Ephrata*, etc. Atqui cap. præcedenti vers. 11. usque ad finem capitis egit de Sennacherib et castris Assyriorum, prædantibus Iudæam, et obsidentibus Ierusalem, deque eius cæde et spoliatione per Ezechiam et Iudæos, qui eius prædas et manubias in gratiarum actionem oblaturi erant Deo. Ergo cum hæc verba illis immediate connectantur et subiungantur, sequitur de eiusdem Sennacherib vastatione et clade hic agi. Secundo, quia alludit Michæas partim ad Isaia 7. uti dixi in expositione secunda ; sed quod Isaias dixit de Syris, hoc Michæas dicit de Assyriis ; utriusque enim erant vicini et congeneres ; utriusque prædones Israelis : partim ad Isaia 10. 5. *Væ Assur virga furoris mei*, quia scilicet ipsa est filia latronis, per quam furorem meum in Israel exercebo, eumque castigabo : sed ita ut castigatione peracta, virgam in iugum proiciam, et Assyrios simili vastationi, quam Israeli intulerunt, addicam. Et ad Isaia cap. 33. I. ubi de eodem Sennacherib eiusque castris ab angelo cædendis, simili schemate et paronomasia, imo iisdem pene verbis quibus utitur Michæas hic, ait Isaias : *Væ qui prædatis, nonne et ipse prædaberis ?* q. d. Væ tibi Sennacherib, quia, sicut prædatus es Iudæam, ita et tu præda eris Ezechia et Iudæis. *Et qui spernis non tantum Ezechiam, sed et Deum, nonne et ipse sperneris.* non tantum a Iudæis, sed et a filiis tuis, qui te obruncebunt ? *cum consummaveris de prædatione, de prædaberis : cum fatigatus desideris contemnere, contemneris.* Tertio, quia Ierusalem, etiam cum audit tristitia et minacia a Deo, solet vocari Ierusalem vel Sion, non filia latronis ; sed ita vocatur Assyria, ut patet ex verbis Isaia iam citatis. Quarto, quia de Assyriis mox subdit Michæas v. 5. *Et Eril iste*

Filia latronis quæ ? Resp. I.

II.

III.

IV. Geni-ne, esse Assyriam.

Probat.

*paax, cum venerit Assyrius in terram nostram. Et v. 6. Et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis eius: et liberabit ab Assur, eum venerit in terram nostram.* Quæ verba plane alludunt ad adventum et eladem Sennacherib, suntque antistropha et exegetica eius quod hic dicit: *Nunc vastaberis filia latronis.*

Allegor  
filia la-  
tronis est  
Ierusa-  
lem oc-  
cidents  
Chri-  
stum.

Alleg. filia latronis est Ierusalem, quæ occidit Prophe-  
tas, ipsumque Christum, eumque reipsa alapis in maxilla  
percussit: quocirca obsidebitur et vastabitur a Tito et Ro-  
manis, qui proinde talionem illi reddent, eiusque iudices  
et principes perentient in maxilla, et ignominiose quasi  
servos et mancipia tractabunt, muletabunt, vendent, occi-  
dent. Unde et Christus Ierusalem et templum vocat spe-  
luncam latronum: *Domus, ait, mea domus orationis voca-  
bitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Matth.  
21. 13. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Clari-  
us, Vatabl. et alii: imo ipsi censent hunc esse sensum  
litteralem huius loci. Audi S. Hieron. *Pollicitus quidem  
tibi sum o filia Sion, quod venturum sit tempus, quo cornu  
tuum ponam ferrum, et ungulas tuas areas, et comminuta  
dæmonum multitudine, offeras quidquid illi antea pos-  
sederant Domino universæ terræ: sed quia hoc tunc futu-  
rum est, quando subintraverit Gentium plenitudo et omnis  
Israel salvatus fuerit, nunc interim pro meritis tuis vasta-  
re, sive, ut in Hebræo habetur, concidere. Nequaquam enim  
iuxta Apostolum vocaris circumcisio, sed concisio; nec te  
appello filiam meam, sed latronis, qui hebraice dicitur ghe-  
dud, id est, diaboli ad prædandum semper accincti. Fe-  
cisti enim domum meam speluncam latronum, repugnasti  
adversum me, et filii tui obsidionem posuerunt super me,  
et super Filium et Spiritum meum. An non contumelia  
Trinitatis est, quando in virga et calamo, te faciente, per-  
cussere Romani caput iudicis Israel dicentes: Prophetiza  
nobis Christe, quis est qui te percussit? sive quando unus  
de ministris tuis percussit eum in maxillam, dicens: Sic  
respondes Pontifici? Huic expositioni favent Septuag. dum  
vertunt, nunc obstruetur filia obstructione, angustiam po-  
suit super nos: in virga percussit super maxillam tribus  
Israel.* q. d. Titus aretissime obsidebit Ierusalem, eamque  
obstruet et angustiabit, capiet, et perentient in maxilla,  
sicut ipsa percussit Christum; ita S. Hieron.

Symbolice, Arias per *filiam latronis* accipit gentilita-  
tem, puta Romam aliasque Gentilium urbes, quæ Chri-  
stum et Apostolos sub Nerone, Decio, Diocletiano, etc.  
sunt persecutæ; sed a Constantino filia latronis, id est,  
gentilitas hæc, in Christianos latrocinans, eosque martyri-  
is afficiens vastabitur et evertetur, ipsaque Roma Ethni-  
ca peribit, fietque nova Roma Christiana, imo Roma olim  
caput gentilismi fiet caput christianismi. Sic et Hebræi ac  
Vatabl. per *filiam latronis* accipiunt Romam, cuius primi  
incole fuere latrones, qui eam fecerunt maleficorum asy-  
lum. Unde Iuvenal. satyra 8.

*Ut longe repetas longeque revolvās*

*Nomen, ab infami gentem deducis asylo.*

*Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,*

*Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.*

Vers. 2.

**ET TU BETHLEHEM EPHRATA.**) Est hæc illustris pro-  
phetia de Christo. Solus enim Michæas prædixit Christum  
in Bethlehem nasciturum, ex eoque Scribæ et Magi eum  
in Bethlehem quæsiverunt, agnovērunt et adorarunt, Mat-  
thæi 2. 6. Sed quomodo a filia latronis, quasi ex abrupto  
transit Propheta ad Bethlehem? quomodo hic versus cum  
priori cohæret et connectitur? Vatabl. sic connectit, op-  
ponit, inquit, Ierusalem Bethlehem, q. d. Tu Ierusalem,  
quia filia latronis, ob latrocinia tua celebris et famosa,  
punieris et vastaberis: in Bethlehem autem viculo obscu-  
ro nasciturus est Christus. Præstantior ergo est Bethle-  
hem, quam sis tu o Ierusalem, urbs regia et superba.

Verum dico, Michæam imitari Isaiam: sicut enim Isaias  
cap. 7. prædicat Iudæos liberandos de manu latronum  
Syriæ et Assyriæ per Emmanuelem, ita idem hic di-  
cit Michæas, q. d. Vastabitur cœtus Sennacherib, puta  
castra Assyriorum; at non viribus tuis o Ierusalem, o E-  
zechia, sed viribus Christi nascituri in Bethlehem. Ita

A Theodor. quia enim Sennacherib totam Iudæam, ac conse-  
quenter ipsam Bethlehem populaturus est, solaque ro-  
stabit Ierusalem, quam obsidebit: hinc ob Christum in  
Bethlehem nasciturum, eiusque prævisa merita, Deus mit-  
tet angelum qui eum cædet, eo quod Iudæam, ac nomina-  
tim Bethlehem, quæ futura est patria Christi, violaret et  
spoliaret. Simili modo Isaias a Cyro avolat ad Christum  
c. 45. 8. dicens: *Rorate cæli desuper, et nubes pluant ius-  
tum.* Rursum sub Assyriis solet Scriptura quosvis tyran-  
nos accipere antonomastice, uti dixi Isaiæ c. 7. 17. q. d.  
Assyrii, Persæ, Græci, Romani, aliique tyranni te o Ieru-  
salem opprimunt, donec Christus nascatur in Bethlehem,  
qui ab omnibus te liberabit. Denique mystice Assyrii si-  
gnificant dæmones, q. d. Ut ab Assyriis spiritualibus, id  
est, a dæmonibus, peccatis, morte et inferno nos liberet  
Christus, nascetur in Bethlehem. Hoc est quod subdit Mi-  
chæas v. 3. *Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo  
parturiens pariet: et reliquæ fratrum eius convertentur,*  
etc. q. d. Idecirco Deus permittet Israellem affligi ab As-  
syriis, id est, tyrannis quibuslibet, donec in Bethlehem par-  
turiat Christum, quia Assyrios conteret et reliquias e cap-  
tivitate reducat, ac ad se convertat; ut in Christo ostendat  
suam misericordiam, æque ac potentiam.

Ludit per paronomasiam Michæas in vocibus *bat ghebul*,  
id est, filia latronis quæ percussit iudicem Israel בְּלַחִי  
*ballechi*, id est, in maxilla, eamque opponit בֵּית לֶחֶם *bet  
lechem*, id est, Bethlehem, quæ est domus et filia panis,  
q. d. Ninive per suos Assyrios prædans et latrocinans per-  
cussit Ezechiam et Iudæos; et allegor. Ierusalem percus-  
sit Christum et Christianos in maxilla; at Bethlehem non  
erit prædo, nec latro, sed potius benefica copiosum dabit  
panem, ac Christum ipsum, qui reget Israel non ut præ-  
do et tyrannus, sed ut rex mitis et liberalis, qui suos fi-  
deles liberabit a filia latronis, eisque dabit panem vitæ  
tam præsentis, quam æternæ.

Nota. Bethlehem hoc nomine nuncupata est partim a Bethle-  
hem, id fertilitate loci, uti dixi Gen. 35. 19. *Bethlehem* enim hebr. id  
idem est quod domus panis, id est, locus ferax frumenti, est do-  
mus pa-  
nis. Unde?

C Adrichom. in Descript. terræ sanctæ: *Bethlehem sita est  
in monte medioeriter alto, situ ipso arcto et oblongo. Ter-  
ra subiecta vcrum omnium copia multum præstat, vini po-  
tissimum, ut comparandum non sit quod ex aliis Palesti-  
næ locis affertur. Iter vero quod Hierosolyma euntibus  
Bethlehem est, usque adeo sui amœnitate, arboribus, hor-  
tis, odoratis herbis transcendens delectat, ut si ad tam præ-  
claram naturæ sueiem celestis aliqua et digna Christiano  
meditatio accedat, non iam in terris sibi esse videatur, sed  
in paradiso Christi nativitatem et incunabula præsentibus  
oculis contueri.* Partim vero dicitur Bethlehem a suo prin-  
cipe, qui vocatus est Bethlehem, nomenque summi urbi a  
se vel erectæ et conditæ, vel illustratæ aut dedit, aut da-  
tum confirmavit. Fuit enim Bethlehem filius Salma, filii  
Caleb, filii Hur, filii Iuda, ut patet 1. Paral. 2. v. 51. et  
54. et e. 4. v. 4. Ita Lyran. Dionys. Hugo et Abulens. i-  
bidem, qui in illa verba 1. Paral. 2. 51. *Salma patris Beth-  
lehem: Iste, inquit, fuit princeps urbis Bethlehem Iudæ,  
quæ prius vocabatur Ephrata*, Gens. 35. 19. et Hugo: *A  
quo, inquit, dicta est Bethlehem in tribu Iuda, e qua na-  
tus est Christus.* Sic et a Castro hic. Hinc et 1. Esdræ 2.  
21. filii Bethlehem, quasi patriarchæ, ingenti numero  
computantur, videlicet centum viginti tres: et 2. Esdræ  
7. 26. *Filii Bethlehem, inquit, et Netupha centum octo-  
ginta octo.* Quocirca tempore Mosis needum hæc urbs  
vocabatur Bethlehem, quia needum Moses, aut Bethlehem  
in eam, aut in terram sanctam erant ingressi. Quod ergo  
Genes. 35. v. 19. nominatur Bethlehem, id non a Mose  
qui auctor est Genesis, sed a viris Synagogæ, qui scripta  
Mosis digesserunt et ediderunt, factum videtur post tem-  
pora Mosis et Bethlehem. De qua re dixi plura in præ-  
mio Genesios.

Porro Bethlehem distabat a Ierusalem sex miliaribus, situs  
sive sex millibus passuum, hoc est duabus leucis Gallicis, Bethle-  
hem. ad Meridiem. A Nazareth vero, ubi nunciante Gabriele



Archangelo, conceptus et incarnatus est Christus, et ex qua B. Virgo venit in Bethlehem paritura Christum, distabat 30. leucis Gallieis, puta itinere tridui. Ita Chorographi. Scribit Ven. Beda lib. de Locis sanctis cap. 8. Borchardus, Adriehom. et alii, in Orientali angulo Bethlehem esse rupem ipsi muro adiacentem, ab hominum turba et oculis semotam, in qua quoddam velut naturale semiantrum est, quo quasi stabulo pro pecoribus utebantur, cuius exterior pars nativitate Christi specus fuisse dicitur; locus interior Domini præsepe nominatur. Unde S. Hier. Origen. et alii dicunt Christum natum in specu et spelunca; ut scilicet abditissimum mysterium abditio in loco ederetur, et ut doceret nos contemnere aulas et pompas mundi. Verum S. Helena hanc speluncam magnificentissima basilica superstructa decoravit, de qua mox plura. Ex dietis apparet speluncam hanc non in ipsa urbe Bethlehem sitam fuisse, sed foris in agro suburbano, iuxta muros urbis, idque diserte docet Euseb. lib. 7. Demonstrat. Evang. c. 5. et ex eo Baron. Unde sequitur, Christum non in urbe natum, sed rure quasi rusticum puerum, ut eo quasi suo cive gratulari sibi possint rustici, ideoque cum eo dicere:

*Nobis rura placent, Pallas quas condidit arces,  
Ipsa colat.*

Adde, Christum rure natum, hoc ipso quo in Bethlehem est natus: hæc enim respectu Ierusalem et aliarum Iudææ urbium, erat quasi ruralis vicus et pagus, uti mox ostendamus. Denique ex hac rupe miraculose scaturivisse fontem aquarum, ea ipsa nocte qua natus est Christus, eumque usque ad sua tempora perdurasse scribit Beda loco citato, et ex eo Baron.

**EPHRATA.** Bethlehem dicta est prius Ephrata, partim a fertilitate terræ iam dicta, a rad. פרה *para*, id est, fructificavit, sicut ab eadem radice Ioseph filium suum vocavit Ephraim, dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Gen. 41. 52. Partim ab Ephrata uxore Caleb, ex qua Bethlehem natus est primogenitus: nam Caleb ex aliis uxoribus alios habuit primogenitos: ita Abulens. in 1. Paral. cap. 2. et c. 4. Et patet 1. Paral. 2. 19. ubi dicitur: *Cumque mortua fuisset Azuba (uxor prior Caleb) accepit Caleb uxorem Ephrata, quæ peperit ei Hur.* Rursum v. 50. *Ili erant filii Caleb, filii Hur, primogeniti Ephrata, Sobal pater Cariathierim, Salma pater Bethlehem.* Ephrata ergo fuit avia Bethlehem; genuit enim Hur, qui fuit proavus Bethlehem. Hur enim genuit Caleb, Caleb genuit Salma, Salma genuit Bethlehem. Rabanus quem citat Hugo in 1. Paralip. c. 2. et c. 4. censet Ephratam fuisse Mariam sororem Mosis, quæ postquam percussa est lepra Num. 12. dicta sit Ephrata, id est, furorem vidit, hoc est, iram Dei experimento cognovit. Hæc, inquit, peperit Hur, qui eum Aaron sustentabat manus Mosis orantis pro victoria, pugnante Iosue contra Amalec, Exodi 17. Ex adverso S. Hier. ex Iosepho censet Caleb ex Ephrata suscepisse Hur; Hur autem fuisse maritum Mariæ sororis Mosis, ac consequenter Ephrata fuisse socrum Mariæ. Verum alii negant utrumque, censentque Mariam mansisse virginem: ita S. Ambr. Nyssenus et Apponius, quos citavi Exodi 15. 20.

Bethlehem ergo cognominatur Ephrata, q. d. Bethlehem ædificata in solo fertili, in quo habitavit Ephrata uxor Caleb, vel certe eius posterit. Dicta est quoque Bethlehem Iudææ, ad distinctionem alterius Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon, Iosue 19. 10. Tertio, dicta est Bethlehem Caleb, qui fuit maritus Ephrata: nam 1. Paral. 2. 24. in Hebr. habetur: *Et post mortem Hesron in Caleb Ephrata.* Quarto, dicta est civitas David, quia in ea natus est David. Ab Ephrata dieti sunt Ephratæi. Sic David 4. Reg. 17. 12. vocatur *filius Ephratæi de Bethlehem Iudææ*, ac Machalon et Chelion filii Noemi vocantur *Ephratæi de Bethlehem Iudææ*, Ruth 1. 2. Unde videtur quod tota illa regio fertilis, vocata sit Ephrata, in qua urbs ædificata dicta est Bethlehem Ephrata, vel Iudææ.

Mystice. Mystice, aliter S. Hieron. Ephrata, inquit, quæ interpretatur furor, significat Herodis insaniam, qui ibidem

forens odio in Christum, propter eum omnes occidit infantem. Mox tamen S. Hier. Ephrata quoque interpretatur fertilem, ut respondeat Bethlehem, id est, domui panis. Ptiorem interpretationem sequitur S. Ambr. enarr. 1. in Michæam, sub finem tom. 2. Alloquens enim peccatorem: *Nemo, ait, de remedio diffidat: ecce tibi ubi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est: ubi crudelitas, ibi pietas: ubi parva innocentiæ, ibi universorum redemptio, sicut scriptum est: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non es minima inter principes Iudææ: ex te enim exiit princeps in Israel. Bethlehem domus panis est, Ephrata domus furorem videntis. In Bethlehem natus est de Maria Christus: eadem autem Bethlehem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus, et ideo iam non domus furoris, sed domus panis: quia panem recepit eum, qui descendit de celo. Domus autem furorem videntis Ephrata, quia illic Herodes dum Christum requirit, perimi statuit infantes. Sed iam nemo timeat, quia requies illa quam querebat David, audita est in Ephrata, inventa est in campis sylvæ. Tunc adhuc sylvæ erat nationum congregatio; sed postquam in Christum credidit, fructuosa facta est: quia benedicti ventris fructum recepit. Subdit deimle aliam analogiam. Mortua est ergo Rachel parturiens, quia iam tunc quasi patriarchæ uxor furorem Herodis videbat, qui nec minusculæ ætati peperit. Simulque in Ephrata peperit Benjamin specie superiore, mysterio posteriorem, Paulum scilicet, qui antequam generaretur non minimos dolores matri præstitit, cuius filios persequebatur. Et illic mortua et sepulta est, ut nos commortui et consepulti cum Christo, in Ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione vel sæcundata, vel fructibus repleta Ephrata significatur. Et in paucioribus est, quia pauci sunt qui inrant in domum panis per angustam viam. Et non est in paucioribus, id est, de proficientibus, quæ Christum non agnovit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, et divinæ gratiæ receptaculum: et in eo minima, cui is qui aliquid confert, Christo videtur deferre. Et qui appetit Ecclesiam, Christum appetit. In quovis minimo enim Christus aut læditur, aut honoratur; secundum quod ipse ait: Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.*

**PARVULUS ES.** Hebr. צעיר *tsair*, id est, parvus, adolescentulus es; Sept. *minima es*. Dices, S. Matth. e. 2. 6. contrarie vertit, scilicet, nequaquam minima es. Primo, Osiander Lutheranus, *tsair* transfert *parum*: unde vertit: *heus tu Bethlehem Ephrata, parum es ut sis inter chiliadas Iudææ*: quod idem in re est eum eo quod habet S. Matth. Nequaquam minima es in principibus Iudææ. Verum errat; nam *tsair* est nomen, non adverbium, et parvum significat, non parum. Secundo, Clarius, Mariana et Iansen. in Matth. 2. legunt per interrogationem, *parvulus es in millibus Iudææ?* q. d. Nequaquam; et ita legunt Biblia Gothica S. Isidori. Verum Biblia Romana, et alia Latina earent hæc nota interrogationis. Dico ergo, hic apud Michæam tacite adversativam particulam *sed*, ex nexu sermonis subintelligi, æque ac eadem subintelligitur ps. 118. v. 141. et 157. et alibi, q. d. O Bethlehem, minima quidem es si muros, si domos, si cives, si ambitum, si celebritatem consideres; sed tamen nequaquam minima es, si principes a te vel datos, vel dandos spectes: dedisti enim Davidem, dabis Christum. Id significant Hebr. quæ ad verbum sic habent, *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es ad essendum in millibus Iudææ, attamen ex te mihi egredietur ad essendum dominator in Israel*, q. d. Parvula es quoad locum; minor enim es quam ut computeris et adqueris aliis magnis civitatibus Iudææ; verum quoad dominatorem a te dandum, non es parva, sed magna. Unde Tigarina et Vatabl. vertunt, *parvula quidem es inter chiliarchias Iudææ: ex te autem prodibit mihi, qui dominator sit in Israel*: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. Lyran. Arias et alii passim. Et S. Nazianz. orat. 19. *Nulla res, ait, prohibuit quo minus Bethlehem simul et parva civitas esset, et totius terræ metropolis: utpote Christi parens et nutritrix.* Unde Arabicus Antiochenus vertit, *et tu Bethlehem urbs (vicus) parva non eris in millibus Iudææ,*

In autu natus est Christus, cur?

Ruræ.

Ephrata cymon.

Bethlehem habuit quatuor nomina.

quia ex te egredietur dominator super Israel; et Arabieus Alex. et tu Bethlehem Ephrata, non humilis in millibus Iuda; quia ex te egredietur caput super Israel, et dies eius inde a diebus æternis; et Syrus, tu autem Bethlehem Ephrata, parvula es quæ sis (ut sis) in millibus Iuda; ex te egredietur dominator qui erit (ut sit) super Israel, et egressus eius a principio a diebus sæculi: nunc tradet eos usque ad tempus quo pariet pariens. Et Prudentius in hymno Epiphani.

O sola magnarum urbium  
Maior Bethlehem, cui contigit  
Ducem salutis cælitus  
Incorporatum gignere.  
Quem stella, quæ solis rotam  
Vincit decore ac lumine,  
Venisse terris nunciat,  
Cum carne terrestri Deum.

Porro quod aliqui apud S. Hieronymum dicunt S. Matthæum memoria lapsus, ut pro minima es, scripserit nequaquam minima es, impium est dicere: nec enim S. Matthæus ex se hæc scripsit, sed ex dictamine et instinctu Spiritus sancti. Probabilis est Septuag. quos sequi solent Evangelistæ, vertisse, nequaquam minima es, eosque secutum esse S. Matthæum. Nam ita ex Sept. legant Theodor. Origen. libr. 1. contra Celsum, Cyprian. 2. Testim. c. 12. Euseb. l. 6. Demonstr. c. 15. Ambros. l. 5. epist. 1. August. l. 18. de Civit. c. 30. licet Biblia Regia, Compl. Vatican. et S. Hieronym. in Septuag. legant minima es.

Bethlehem urbs vocatur hic parvulus masculinæ, non parvula. Quæres cur? Primo, Iansen. in Matth. 2. respondet subintelligi vicum, q. d. Et tu Bethlehem, qui parvulus es vicus: vicus enim hebr. masculinæ vocatur פלתי pelech, vel שוקי seiuk, vel חרץ chutz. Alii intelligunt populus; ex populo enim Bethlehem natus est Christus. Sic Israel et Iuda passim apud Prophetas sumuntur masculinæ, quia intelligitur עמ am, id est, populus. Tertio, Ribera censet causam esse, quod Hebræi per metaphoram urbes vocent homines; unde vocatur, filia Sion, filia Babylonis, etc. Verum urbes solent comparari feminis, non viris: quia pulchræ sunt, ornatae et pomposæ ut matronæ, vel filiae splendide vestita. Cur ergo Bethlehem hic comparatur viro, vel iuveni, et vocatur tsair, id est, parvus? Respondeo, quia respicit ad virum Bethlehem, qui urbis Bethlehem conditor fuit, vel princeps, uti iam ostendi. Itaque metonymice loquitur de urbe, in nomine et persona sui principis, quia eam comparat cum millibus, et principibus Iuda. Hinc quia Iudas vir erat, tribusque Iuda a virili robore et imperio celebris, idcirco Bethlehem, quæ erat tribus Iuda, inducit quasi iuvenem fortem, qui compararetur et certet cum aliis viris suæ tribus, puta cum principibus Iuda, q. d. O Bethlehem princeps urbis Bethlehem, nequaquam minimus es in principibus Iuda: quia ex tua urbe Bethlehem, tuisque posteris, nascetur Christus. Est metonymia: princeps enim capitur pro urbe, quam incolit et regit. Similis est illa Virgilii: *Iam proximus ardet Ucalegon*, id est, Ucalegontis domus. Hæc expositio confirmatur Primo, ex Sept. *זוהו בית הביתו של ביתו של עפרתא*, id est, *et tu domus Bethleem filii Ephratae*. Ubi articulus *ה* masculinus iudicat virum Bethlehem, qui nomen dedit urbi Bethlehem. Sic Ninive a Nino conditore vocatur sæpe Ninus. Secundo, ex simili loco Iosue 14. 15. ubi de Hebron, quæ prius vocabatur *Cariat Arbe*, id est, civitas Arbe gigantis, dicitur: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*; pro quo Septuag. vertunt, *metropolis urbium Enacim ipsa*; ubi *Cariat Arbe* urbs, vocatur *Adam*, id est, homo maximus, id est, metropolis urbium, quas occupabant Enacim sive gigantes, ut vertunt Sept. Quia enim gigantes erant viri magni et bellicosi, hinc pariter urbs et metropolis eorum vocatur nomine *Adam*, et viri, non feminæ. Sic hic Bethlehem, quia virilis fuit, et summos viros protulit, nimirum Bethlehem, Iesse, Davidem, et præsertim Christum; hinc comparatur viro, non feminæ. Hoc est enim quod subdit: *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, vir utique non femina,

quem proinde decet a te quasi a viro progigni. Addit Sanchez, Bethlehem addi epithetum masculinum, quia etymo et terminatione est masculinum, esto significatione sit femininum. Conflatur enim ex *bet* et *lehem*, id est, *domus panis*, quæ Hebræis sunt nomina masculina. Sic Toletum, Lanovium, Leodium, Gandavum, terminatione sunt neutra; Parisii, Burgi, masculina. Sic Ovidius Lesbum, et Virgil. Abydum usurpat masculinæ. Ovidius 11. *Metam.*

*Et Mitylenæi tentantur littora Lesbi.*

Virgil. 1. Georg.

*Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.*

Symbolice parvitatem et magnitudinem Bethlehem, et pueri Bethlehemitici Christi Domini, in se representavit Michæas: fuit enim ipse reipsa magnus Propheta, sed nomine parvus. Hebr. enim *Micha*, id est, Michæas, decurtatum et abbreviatum est ex *Michata*, vel *Michaiahu*. Unde Pagnin. in Nomin. Hebr. censet Michæam Prophetam qui Achab regi mortem intentavit, ab eo per contemptum vocari *Micha* (sic enim est in Hebræo 3. Regum 22. 8.) pro *Michaiahu*: hoc enim fuit proprium et plenum eius nomen. Simili modo Iudæi pro *Iescua* vel *Iehoseiua*, decurtate ad vilipendium et contemptum nostri Christi, hebr. scribunt *Iesu*. Sic Gen. 23. 16. Ephron, postquam vendidit sepulcrum, vocatur *Ephran*, dempta littera *vau*. Et Ierem. c. 22. 24. impius rex Iechonias diminute vocatur *Conias* in Hebræo: sicuti Flandri viles homines qui vocantur *Ioannes*, decurtate et per contemptum vocant *Hennens*; et *Sebastianos*, *Bastiaen*; *Antonios*, *Tonen*. Sic et Itali, Hispani, Galli aliæque gentes. Hinc *Micha* hebr. idem est quod *quis tu?* idem scilicet quod *Matthias*, qui ultimus et posthumus, ideoque minimus fuit Apostolorum. *Matthias* enim idem est quod *מתי אתה mi atta*, id est, *quis tu?* Idem significat *מיכה Micha*. Nam *atta*, id est *tu*, cum est affixum, uti hic est, mutatur in *cha*. Michæas ergo inter Prophetas fuit, quod Matthias inter Apostolos. Scio alia quoque horum nominum esse etyma et significata: sed illa ad rem præsentem non faciunt.

IN MILLIBUS IUDA.) Ex Hebræo et Chaldæo duplex potest esse sensus. Prior, parvulus es, id est minor es, quam ut numerari debeas in millibus Iuda. Posterior, adeo parvus es, ut non inter civitates illustres Iuda quæ paucæ sunt, sed inter millia viculorum et pagorum, qui sunt in Iuda, recensendus sis. Ita Arias. Verum prior sensus magis convenit Hebræo, præsertim quia per antithesin Bethlehem opponit millibus Iuda. Ita S. Hieron. Haymo, Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Dionys. Clarius et alii.

Nota. Pro millibus hebr. est אלפים *ataphim*, quod primo, millia significat; secundo, principes; unde S. Matth. c. 2. habet: *In principibus Iuda*; tertio, chiliarchias. Iuxta primum significatum sensus erit: O Bethlehem, vix parvus es viculus, et minor quam ut inter civitates Iuda magnas et celebres, quæ multis civium millibus abundant, caput efferas aut computeris; sed esto multitudine sis minima, dignitate tamen es maxima: quia gignes Christum. Ita S. Hieron. et alii iam citati. Iuxta secundum sensum erit, q. d. O Bethlehem, parva es, imo minima si spatium tuum spectes, inter principes, scilicet urbes, vel etiam homines Iuda: minima enim es et loco, et proventu principum præteritorum; quia paucos Iudæ dedisti principes: at nequaquam minima es inter principes Iuda, si dominatorem ex te egressurum, puta Messiam, consideres. Iuxta tertium sensus erit: O Bethlehem, si cives tuos numeros, parva es inter chiliarchias Iuda; imo tribuum sive chiliarcham, qui mille civibus præsit, non mereris, eo quod vix mille cives numeres: sed tamen nequaquam parva es, si Christum ex te nasciturum intueare. Hic enim non tantum erit chiliarcha: sed omnium Israelitarum, imo omnium hominum et angelorum dominus. Nota. Populus Israel a Mose distributus erat in chiliadas, ut patet Exodi 18. 25. sicut modo castra distribuuntur in chiliadas, ut quælibet chilia contineat mille milites, quibus præsit chiliarcha sive tribuum. Urbs ergo Israelis distributæ erant per chiliades, id est, per cætus et tribus, quarum quælibet continebat mille cives. Hinc Gedeon Iudic. 6. 75. ait angelo

in Hebr. **אלפי** *alphi*, id est, *chilias mea tenuissima* omnium chiliadum quæ sunt in *Manasse*. *Chilias*, id est, tribus millenaria, cui familia mea accusetur. Unde Noster clare vertit, *ecce familia mea infima est in Manasse*.

EX TE MIHI EGREDIETUR. ) Nota. Aliqui  $\tau\omicron$  mihi referunt ad Michæam, eo quod ipse vers. præcedenti dixerit: *Posuerunt super nos*, etc. Unde videtur ipse in sua suorun-que persona loqui, q. d. Mihi Michææ meæque genti, adeoque toti mundo nascetur Christus. Ita a Castro. Verum sic potius dixisset nobis, quomodo dixit Isaias cap. 9. 6. *Parvulus natus est nobis*. Quare melius Remigius, Haymo, Albert. Vatabl. et alii  $\tau\omicron$  mihi referunt ad Deum, et ad Patrem æternum. In eius enim persona loquitur Propheta: subintelliguntur ergo hæc verba, quæ de more suis oraculis præfigere solent Prophætæ; aut, si non præligunt, ea subintelligunt: *Hæc dicit Dominus*, q. d. Hæc dicit Dominus, ex te o Bethlehem egredietur Christus mihi, id est, ad meum obsequium, laudem et gloriam; ut scilicet meum nomen in Israel, imo in toto orbe celebret, omnesque gentes mihi subiiciat et reconciliet. Rursum ut mihi, id est, pro me, et vice mea dominator sit et rector in Israel; ut scilicet pro me instituat et regat meam Ecclesiam fidelium. Sic ait Apostolus Rom. 1. 3. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Dices, v. 4. loquitur Michæas de Deo in tertia persona; ergo hic non loquitur de eo in prima, dicens mihi. Resp. In Prophetis crebræ sunt enallagæ et mutationes personarum; loquuntur enim instar dialogismi: in dialogis autem aliæ et aliæ introducuntur personæ.

Præclare Nazianz. orat. 38. in Christi nativitatem sic orditur: *Christus gignitur: glorificale. Christus e calis: obviam prodite. Christus in terra: subvehimini; cantate Domino omnis terra. Atque ut hæc duo in unum contraham, lætentur cæli, et exultet terra propter cælestem, ac postea terrestrem. Christus in carne: tremore et gaudio exultate; tremore, propter peccatum; gaudio, propter spem. Christus ex Virgine: mulieres virginitatem colite, ut Christi matres sitis. Quis cum, qui a principio est, non adorat? Quis eum, qui postremus est, non laudat ac celebrat? Et inferius. Clamet Ioannes: Parate viam Domini: ego quoque diei huius vim ac potentiam clamabo: Carnis expers incarnatur: Verbum crassescit: invisibilis cernitur: intactilis tangitur: tempore vacans initium sumit: Dei filius, hominis filius efficitur. Iesus Christus heri, et hodie, idem et in sæcula. Iudæi offendantur, Græci derideant, hæretici linguæ pruriginè afficiantur. Tum credent, cum in cælum ascendentem viderint: quod si ne tum quidem, ac certe cum e cælo descendentem, atque ut iudicem sedentem. Ac recensitis mundi tenebris, vitii et ærumnis, subdit: Quæ quoniam maius auxilium requirebant, maius etiam acceperunt. Hoc autem erat ipse Dei filius, ille sæculis antiquior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ et immortalitatis, illa archetypi expressio, illud innotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus et ratio: ille inquam ad imaginem suam se confert, et carnem ob carnem gerit, et cum intellectuali anima propter animam meum iungitur, ut simile per simile repurgel. Atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidem ex Virgine animo et corpore a Spiritu præpurgata (nam et procreationem honore affici, et virginitatem præferri oportebat: ) progressus autem Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum et spiritu, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est. O novam missionem! O admirandam temporationem! Qui est, fit: qui creatus non est, creatur: qui nullo loco contineri potest, per interventum animæ intellectualis, inter divinitatem et carnis crassitiam continetur. Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur: carnis enim meæ paupertatem subit, ut ego divinitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: sua enim gloria ad breve tempus exinanitur, ut ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quenam hæc bonitatis divitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Divinam imaginem accepi, nec cu-*

stodivi: ille carnis meæ particeps fit, ut et imagini salutem, et carni immortalitatem afferat: secundum consortium nobiscum init, et quidem priori longe admirabilis. Tum enim id quod præstantius erat, nobis impertit: at nunc ipse eius quod deterius est particeps efficitur. Hoc priori illo divinius: hoc apud cordatos et prudentes viros multo sublimius. Ac deinde ostendit non indignam, sed dignam fuisse Verbo hæc sui demissionem, tum ut homines in imum delapsos elevaret, tum ut quasi medicus immensa misericordia ad ægrum curandum descenderet, tum ut nobis optimum ad sublimitatem iter humilitatem ostenderet. Quia propter humi inclinatum animam, inquit, se deicit, ut ob peccatum deorsum vergentem secum erigat: nisi quis forte eo nomine medicum accuset, quod ad morbum se inclinet, factoremque sustineat, ut sanitatem ægrotis donec: atque eum etiam qui humanitatis et commiserationis affectu permotus in foveam seipsum demittit, ut prolapsum iumentum iuxta legis præscriptum servet. Idem in sententiis: Patris Verbum, ait, est homo noster, ut huiusmodi missione Deum hominibus miscet. Unus utrinque Deus est, hactenus homo effectus; ut me ex mortali Deum efficiat.

QUI SIT DOMINATOR IN ISRAEL. ) Primo, Iudæi apud Lyran. per hunc dominatorem accipiunt Ezechiam; sed perperam. Ezechias enim natus est rex in regia urbe, puta in Ierosalem, non in Bethlehem. Adde, iam natus erat Ezechias, cum hunc dominatorem nasciturum prædixit Michæas. Sub Ezechia enim habuit hoc oraculum, uti dixi initio capituli, et c. 3. 8.

Secundo, Theodorus Mopsuestenus hæreticus cum suis discipulis et asseclis quos multos habuit, per dominatorem hunc accipiebat Zorobabel; sed æque perverse. Nam Zorobabel natus fuit in Babylone, non in Bethlehem; indeque hebr. dictus est Zorobabel, quasi **בבל זרע** *babel zera*, id est, *semen*, hoc est filius, *Babylonis*. Nam Iechonias in Babylone genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel, Matth. 1. 12. qui post 70. annos captivitatis Iudeos e Babylone in Iudæam, permittente Cyro, reduxit. Adde, Zorobabel non fuit dominator, id est, rex, in Israel; multo minus egressus eius fuit a diebus æternitatis. Quocirca hæc explicationem cum aliis eiusdem similibus, ut Iudæicam et erroneam damnat Concil. Constantinopol. generale, ordine quintum, act. 2. et Concil. Roman. sub Vigilio, uti dixi in præmio.

Dico ergo, certum est de fide dominatorem hunc esse Christum: ita Orthodoxi omnes Græci, Latini et Hebræi apud Galat. 1. 4. e. 13. unde et Chald. expresse vertit, *ex te coram me prodibit Christus*. Sic et olim nascente Christo, rogati Scribæ a Magis et Herode, ubi Christus nasceretur? responderunt: *In Bethlehem Iudææ*. Sic enim scriptum est per Prophetam (Michæam hoc loco): *Et tu Bethlehem terra Iudææ, nequaquam minima es in principibus Iudææ: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel*, Matth. 2. 6. Et rursum: *Nonne Scriptura dicit: quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Ioan. 7. 42. Unde patet communem sensum olim Synagogæ fuisse, et nunc esse Ecclesiæ, quod hic locus intelligendus sit de Christo: nullus enim alius Propheta prædixit locum nativitatis Christi fore Bethlehem, nisi Michæas hic.

Adde, quod S. Matthæus et Lucas Evangelistæ, dum referunt hoc Scribarum responsum, de Christo nascituro in Bethlehem, illud ipsam approbant; imo ideo referunt, ut doceant impletum fuisse in Christo illud signum Messias, quod inter Iudæos communi omnium confessione erat receptum, eo quod in Scriptura esset expressum, ut solenter advertit Franc. Suarez 3. p. q. 35. disp. 13. sect. 3.

Nota. Illustre hoc oraculum, ex quo Magi cognoverunt locum nativitatis Christi, ipsumque Christum, editum fuit a Michæa sub Ezechia rege, post vastatam Samariam, antequam Ierosalem obsideretur a Sennacherib, ut patet ex dictis v. 10. et cap. 3. 10. Editum est ergo sub annum 9. vel 10. Ezechia: nam excidium Samariæ contigit anno 6. Ezechia: obsidio Ierosalem per Sennacherib anno 14. Ezechia: intermedio autem tempore editum est hoc oracu-

Quan lo hoc oraculum de Christo editum.

tum. Unde sequitur Michæam illud edidisse circiter viginti duobus annis post illud Isaïæ, de eodem Christi ortu, vaticinium c. 7. 14. *Eecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Hoc enim edidit Isaïas anno 4. Achaz, ut ibidem ostendi: Achaz autem regnavit 16. annis. Huic successit filius Ezechias, cuius circiter anno 10. hæc vaticinatus est Michæas. Quare cum Isaïas hoc suum oraculum de Christo ediderit anno mundi 3207. ante Christum vero anno 742. sequitur Michæam suum hoc de Christo in Bethlehem nascituro oraculum edidisse anno mundi circiter 3229. ante Christum vero anno 720. Sub quod tempus floruit Sibylla Erythraea, cuius de Christi nativitate, iudicio et resurrectione versus recenset S. August. l. 18. de Civit. c. 23.

Nota secundo. Ex Bethlehem prodierunt plures principes et viri illustres. Primus fuit Abessau iudex, id est, princeps, Israelis, qui habuit triginta filios et totidem filias, Iudæ. 12. 8. Secundus Elimelech maritus Noemi; cuius filio nupsit Ruth, et eo mortuo nupsit Booz, ex quo genuit Obed patrem Iesse: ex quo natus est David, ut patet ex libro Ruth. Tertius David rex, a quo tota familia regum Israel et Iuda descendit, usque ad ultimum regem Sedeciam. Fuit ergo Bethlehem totius regiae et Davidicæ stirpis seminarium, et communis patria: cum par esset eam, quæ Regem cælorum editura erat, iam ante se probare tot heroibus, illisque ei præcludere, ut tandem vel hominum iudicio digna hæc patria censeretur, quæ extremo virtutis opere edito, aliquid super heroes et homines omnes, puta ipsum Dei filium, mundo exhiberet adorandum. Insuper Samuel in Bethlehem Davidem fratrum minimum unxit in regem, 1. Reg. 16. Hinc Bethlehem vocatur *civitas David*: hinc et Roboam Davidis ex Salomone nepos Bethlehem instauravit, novisque domibus et muris exadificavit, 2. Paral. 11. 6.

Cur Christus natus in Bethlehem? Gausa.

1. Quæres, cur in Bethlehem potius, quam Romæ, vel Hierosolymæ, vel alio in loco nasci voluit Christus? Resp. Primo, ut Bethlehem demonstraret Christum esse filium Davidis Bethlehemitæ, cui a Deo promissus fuerat, ac proinde ipsum esse verum Messiam. Hanc causam indicat S. Lucas c. 2. dicens: *Eo quod esset de domo et familia David.* Secundo, ut in loco humili nascens, magis ostenderet potestatem suam, qua ad regnum se provexit, iuxta illud 1. Cor. 1. *Infirmi mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi,* etc. Tertio, quia Bethlehem erat via in Ierusalem: decessit autem Christum in via et peregrinatione nasci, quia, ut ait S. Greg. *per humanitatem quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Quarto, ut hæc sua paupere et humili nativitate mœreretur nobis sublimem nativitate per gratiam et gloriam, celsumque locum in cælis; atque *per egestatem suam nobis multas mansiones in domo Patris sui præpararet,* ait V. Beda in Luc. e. 2.

Tropol.

Concio Christi ex præsepio.

Tropol. Primo, quia, uti Christus humilitatem et paupertatem elegit et docuit, ac superbiam et fastum confutavit, ita humilem et pauperem patriam, puta Bethlehem, similemque nascendi modum elegit. Unde S. Leo serm. 1. de Epiph. *Qui,* ait, *servi suscepit formam, Bethlehem præelegit nativitati, Hierosolymam passioni.* Christus ergo nascens, ex præsepio quasi e cathedra, non voce, sed facto conecionatur et clamat: Filii hominum ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? discite a me palatia, opes, delicias, fastum, pompas mundi contemnere: nam vanitas vanitatum sunt, et omnia vanitas. Discite a me, quia pauper sum, et humilis corde: discite eor figere in cælo, ambire opes et honores caelestes. Sedit in cælo imperii Romani culmine et throno Augustus, iacebat in humili stabulo Christus: at celsior in stabulo Christus, quam in culmine imperii Augustus. Unde S. Bern. ser. 3. de Nativit. Aut Christus, inquit, fallitur, aut mundus errat (etenim diversa ac repugnantia docent) sed divinam falli impossibile est Sapientiam: errat ergo mundus, errant omnes mundi sectatores, iuxta illud psalmi: *Dixi. semper hi errant corde.* Et S. Augustin. serm. 18. de Tempore, qui est de Nativ. *Omnis,* ait, *huius nativitatibus schola, humilitatis est officina.* Secundo, Bethlehem

A hebraice significat domum panis: repræsentat ergo Christum, qui mundi est panis, et manna de cælo descendens: ita S. Hieron. Audi S. Gregor. hom. 8. in Evangel. *Bene in Bethlehem nascitur Christus. Ipse est enim qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit. Item locus in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est: quia futurum erat, ut ille per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret.* Bethlehem ergo fuit Ephrata, id est, frugifera, et totius terræ horreum: quia ab ea totus orbis panem, non septem annorum, uti Ægyptii a Ioseph, Genes. 41. v. 36. et 55. sed vitæ æternæ, qui est Christus, accepit.

De Homeri natali solo certant septem nobiles Græciæ urbes, singulæque eum sibi civem arrogare conantur: quam ergo gloriosa Bethlehem, quæ omoiū consensu et confessione, toti orbi dedit Messiam; puta Deum hominem natum! in qua Christus in mundum prodians, primo lucem, cælum et solum hoc aspexit: utique Bethlehem omnes regias, omnes metropoles, omnia orbis emporia nobilitate æque ac sanctitate vincit. Longe enim magis eam sua nativitate celebravit Christus quam Aristoteles suam Stagiram, Cato Tusculum, Cicero suos Arpinates.

Quocirca Patres miris laudibus et encomiis Bethlehem celebrant. Hæc ad se ex Occidente traxit S. Hieronymum, S. Paulam, S. Eustochium, et innumeras nobilium matronarum ac virorum turmas, quæ Bethlehem Romæ prætulerunt, ibique ad præsepe Christi vivere et mori delegerunt; qua de causa S. Paula ibidem tria seminaria, quibus ipsa præerat, monasteria; et unum virorum, cui præerat S. Hieronymus, exadificavit. Audi S. Hieron. de S. Paula, in eius vita: *Atque in Bethlehem ingressa, et in specum Salcatoris introiit, postquam vidit sacrum Virginis diversorium et stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, ut illud imple-retur quod in eodem Propheta scriptum est, Beatus qui seminat super aquas, ubi bos et asinus calcant; me audiente iurabat, cernere se oculis fidei infuntem pannis involutum, vagientem in præsepi, Dominum magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat, et iam tunc Evangelistæ Ioannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est; parvulos interfectos, Herodem sævientem, Ioseph et Mariam fugientes in Ægyptum, mistisque gaudio lacrymis loquebatur: Salve Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cælo descendit: salve Ephrata regio aberrima, utque ἀρραρυρα, cuius fertilitas Deus est.* Citat deinde hoc Michææ oraculum: *de te quondam Michæas vaticinatus est: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit princeps in Israel, et egressus eius ab initio a diebus æternitatis. Propterea dabis eos usque ad tempus parientis. Pariet, et reliquæ fratrum eius concertentur ad filios Israel. In te enim natus est princeps, qui ante luciferum genitus est, cuius de Patre nativitas omnem excedit ætatem. Et tandem in te Davidici generis origo permansit donec virgo pareret. Et inferius: Bene David iurabat, bene vota faciebat dicens: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum struti mei, si dederò somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Et statim quid desideraret exposuit, atque oculis prophetaribus, quem nos venisse iam credimus, ille venturum esse cernebat: Eecce audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvæ: quippe sermo Hebraicus, (hebr. enim est *vau cholem*, id est, eius masculine) ut te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc est *מרים*, sed ipsum, id est *משיח* significat. Unde loquitur confidenter: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. Et ego miserique peccatrix, digna sum iudicata deoseulari præsepe in quo Dominus parvulus vagiit: orare in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc*

S. Paula cum Bethlehem discursavit.

C Quocirca Patres miris laudibus et encomiis Bethlehem celebrant. Hæc ad se ex Occidente traxit S. Hieronymum, S. Paulam, S. Eustochium, et innumeras nobilium matronarum ac virorum turmas, quæ Bethlehem Romæ prætulerunt, ibique ad præsepe Christi vivere et mori delegerunt; qua de causa S. Paula ibidem tria seminaria, quibus ipsa præerat, monasteria; et unum virorum, cui præerat S. Hieronymus, exadificavit. Audi S. Hieron. de S. Paula, in eius vita: *Atque in Bethlehem ingressa, et in specum Salcatoris introiit, postquam vidit sacrum Virginis diversorium et stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, ut illud imple-retur quod in eodem Propheta scriptum est, Beatus qui seminat super aquas, ubi bos et asinus calcant; me audiente iurabat, cernere se oculis fidei infuntem pannis involutum, vagientem in præsepi, Dominum magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat, et iam tunc Evangelistæ Ioannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est; parvulos interfectos, Herodem sævientem, Ioseph et Mariam fugientes in Ægyptum, mistisque gaudio lacrymis loquebatur: Salve Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cælo descendit: salve Ephrata regio aberrima, utque ἀρραρυρα, cuius fertilitas Deus est.* Citat deinde hoc Michææ oraculum: *de te quondam Michæas vaticinatus est: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit princeps in Israel, et egressus eius ab initio a diebus æternitatis. Propterea dabis eos usque ad tempus parientis. Pariet, et reliquæ fratrum eius concertentur ad filios Israel. In te enim natus est princeps, qui ante luciferum genitus est, cuius de Patre nativitas omnem excedit ætatem. Et tandem in te Davidici generis origo permansit donec virgo pareret. Et inferius: Bene David iurabat, bene vota faciebat dicens: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum struti mei, si dederò somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Et statim quid desideraret exposuit, atque oculis prophetaribus, quem nos venisse iam credimus, ille venturum esse cernebat: Eecce audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvæ: quippe sermo Hebraicus, (hebr. enim est *vau cholem*, id est, eius masculine) ut te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc est *מרים*, sed ipsum, id est *משיח* significat. Unde loquitur confidenter: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. Et ego miserique peccatrix, digna sum iudicata deoseulari præsepe in quo Dominus parvulus vagiit: orare in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc*

*requies mea, quia Domini mei patria est: hic habitabo, quoniam Salvator elegit eum. Paravi lucernam Christo meo, anima meum illi vivet, et semen meum serviet ipsi. Haud procul inde descendit ad turrin Eder, id est, gregis, iuxta quam Iacob pavit greges suos, et pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonæ voluntatis, dumque servant oves, invenerunt agnum Dei, puro et mundissimo vellere, quod in ariditate lotius terræ celesti rore complutum est: et cuius sanguis tulit peccata mundi, et exterminatorum Ægypti litus in postibus fugavit. Idem S. Hier. nomine S. Paulæ et Eustochii, S. Marcellam in Bethlehem invitans epist. 17. Quo sermone, ait, qua voce speluncam tibi possumus Salvatoris exponere? Et illud præsepe, in quo infantulus vagit, silentio magis, quam infimo sermone honorandum est. Ubi sunt late porticus? ubi aurata laquearia? ubi domus misericordiarum pœnis et damnatorum labore restitæ? ubi instar palatii opibus privatorum exstructa basilicæ, ut vile corpusculum hominis pretiosius innotuit, et quasi mundo quidquam possit esse ornatius, lecta magis suæ velint aspicere, quam cælum? Ecce in hoc parvo terræ foramine calor conditor natus est: hic involutus pannis, hic visus a Pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis. Et hic puto locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cælo sæpius fulminata, ostendit quod Domino displiceret. Et tunc comitante Christo, cum per Silo, et Bethel, et cætera loca, in quibus Ecclesiæ quasi quædam victoriarum Domini sunt erecta vexilla, ad nostram speluncam redierimus: canemus iugiter, crebro flebimus, indesinenter orabimus, et vulneratæ iaculo Salvatoris in commune dicemus: Inveni quem quæsiit anima mea, tenebo eum, et non dimittam illum. Vide eundem epist. 18. ad eandem Marcellam.*

Porro in Bethlehem mortua et sepulta est S. Paula, cum ibidem sanete et religiose vixisset viginti annos, cui S. Hieron. hoc epitaphium posuit:

*Seipio quam genuit, Pauli fuldere parentes;  
Græchorum soboles, Agamemnonis inelyta proles,  
Hoc tacet in tumulo, Paulam dixere priores.  
Eustochii genitrix, Romani prima senatus:  
Pauperiem Christi, et Bethlemica rura secuta.*

S. Cypri.

Audi S. Cyprian. tract. de nativitate Christi: *Veniunt in Bethlehem; quem prædixit Gabriel, invenitur Emmanuel: civitas parva, domus paupercola, supellex exigua: nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo: mater in fœno, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur: genitrix est obstetrix, et devotam dilectæ soboli exhibet clientelam; attrahat, amplectitur, iungit oscula, porrigit manuum, totum negotium plenum gaudio: nullus dolus, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedisequas substantia familiaris non patitur, nunciatorum obsequia sumptus tenuis, et inops mensu excludit.*

Porro in Bethlehem apparuit stetitque stella apprensus Magis, qui eius indicio ibidem Christum agnoverunt, ac ibidem eum adorantes eidem

*Aurum, thus, myrrham, regique hominique Deoque  
Dona ferunt,*

Prudentii.

ut canit Iuvenus. Quocirca Prudentius in Carm. de Epiphania ita eandem celebrat:

*O sola magnarum urbium  
Maior Bethlehem, cui contigit  
Ducem salutis cælitus  
Incorporatum gignere.*

*Quem stella, quæ solis rotam  
Vincit decore ac lumine,  
Venisse terris nunciat,  
Cum carne terrestri Deum, etc.*

Bethlehem ergo est mundi oriens, et orbis metropolis, ut ait Nazianz. orat. 19. ac domus panis, in qua Christus panis et cælo oritur. Unde merito ad eam suspirans S. Chrysost. in cap. 2. Lucæ: *O si mihi, ait, liceret videre præsepe illud, in quo iacuit Christus.*

A Scribit S. Hieronym. ad Paulinum, Adrianum Imper. Bethlehem profanasse, erecto ibidem Adonidis simulacro; *ut in specu, ubi quondam Christus parvulus vagit, Veneris amasius plangeretur.* Stetit ibi Adonis per 180. annos usque ad Constantinum Imper. quando S. Helena eius mater, everso Adonide, magnificam ecclesiam super ipsam specum extruxit, et super ipsum præsepe in quo Agnus Dei reclinatus est, erexit altare, in quo idem iugiter Deo offerretur, qui ibidem pro salute hominum primum mundo illuxerat. Sed et Constantinus eandem specum regalibus ornamentis ex auro et argento, atque variis anlæis exornavit; ita ut basilica hæc mundi esset miraculum, nec in orbe quidpiam ei esset simile. Nam excelsa est admodum et amplissima, cuius tota superior concameratio quatuor ex marmore columnarum ordinibus, et magnitudine et multitudine admirandis constat. Quilibet enim ordo habebat quinquaginta columnas, singulari artificio, pretio et sumptu, super ipsas columnas navis Ecclesiæ eminent opere vermiculato, quæ omnes veteris testamenti historias exhibebat, ab exordio mundi usque ad Christum, miro artificio et colorum varietate distincta. Parietes tabulis ex alabastro pretiosissimis sunt inerustati; quarum era erat opulentia et pulchritudo, ut Sultanus Ægypti eas sacrilege auferre, iisque palatium suum in Cayro exornare conatus sit, sed ingenti serpente miraculose ex pariete procedente, tabulasque ipsas mordente deteritus a scelere destitit, quocirca ipsi etiam Turcæ et Saraceni reverenter hoc templum frequentant. Pavimentum totum est ex marmore. Ad locum autem dulcissimæ nativitatis Christi, a templo in capellam descendit decem gradibus, locum vel ipso cælo augustiorem, et æterna memoria omnibus fidelibus venerandum. Hic locus tegitur mensa marmorea et candida, in qua et Sacrum peragitur. Cæterum lapidis illa pars in qua Christus dicitur natus, et præsepis pars in quam fuit reclinatus, non vestiuntur marmore, sed nude patent ad peregrinorum adorationem et osculum. Lapis, in quem reclivavit Maria, et cui flexis genibus incedit, similitudinem habet stellæ. Est autem tota hæc capella sumptuoso opere ex marmore et auro exornata. Neque longe a templo abest locus circumcisionis. Ad Orientem quantum iactus est lapis, monumenta visuntur S. Paulæ et Eustochii. Hæc et plura Saligniacus, Borchardus, Bredeimb. et ex iis Adrichom. in Description. terræ sanctæ. Eadem mihi affirmarunt Romæ viri graves, qui recenter Bethlehem et loca sancta visitarunt.

B Merito ergo S. Bernard. serm. 1. in Vigilia Nativit. O Bethlehem parva, ait, sed iam magnificata a Domino. *Magnificavit te, qui factus est in te parvus ex magno. Quæ tibi civitas (si audiat) non invidet pretiosum illud stabulum, et illius præsepis gloriam? In universa siquidem terra iam celebre est nomen tuum, et beatam te dicunt omnes generationes, ubique gloriosa dicuntur de te civitas Dei, ubique psallitur: Quia homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Et S. Gregor. Nazianz. orator. 38. Descriptionem, inquit, revertere, propter quam in cælis ipse describeris: et nativitatem, ob quam nativitatis vinculis solutus es: et parvam illam Bethlehem honora, quæ te in paradisum reduxit: et præsepe adora, honora præsepe, quia cum rationis expertus esses, a Verbo nutritus es. *Cognosce, ut bos, possessorem tuum (Isaias te admonet) et ut asinus præsepe Domini tui; sive mundus sis et Iudæus, sive inmundus Ethnicæque partis.* Idem Arrianis sibi obiectantibus ignobilem patriam et familiam; respondet orat. 25. *Unum idemque cælum omnibus esse commune, unam eandemque terram et parentis et sepulcri habere rationem, ex qua sumpti sumus, et ad quam revertemur, nulla iam re alii alios superantes. Deum rusticitatis meæ patronum nactus, eum Bethlehem collocabor, cum præsepi vilipendar. Et inferius: Magnis omnibus et excelsis civis patria una est superna Ierusalem, in quam conversationem nostram recondimus. Terrenæ autem hæc patria, et hæc generum discrimina, brevis huius et cunctæ vitæ nostræ, ac seentæ ludi sunt. Quum enim quisque terram sive per ty-*

S. Helena  
stabulum  
Christi  
basilica  
exornavit.

rannidem, sive per calamitatem ante occupaverit, ea patria dicitur, cuius omnes æque hospites et advenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.

Tropol. templum est stabulum, altare præseppe Christi.

Tropol. hanc Bethlechem nobis ob oculos ponamus, nosque in ea esse imaginemur, ibique mentis oculis intueamur nascentem Christum, dum in templo nocte Nativitatis Domini hoc mysterium recolimus; imo dum quotidie in sacrificio Missæ idem nobis representatur. Vere enim et sapienter scripsit noster Thomas Theodidactus lib. 4. de Imitatione Christi c. 2. *Ita magnum, novum, et iucundum tibi videri debet cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in utero Virginis descendens, homo factus esset; aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur et moreretur.* Templum ergo repræsentat Bethlechem, altare præsepium, hostia Christum nascentem, corporale pannos et fascias, Deiparam sacerdos, Ioseph et pastores Christiani astantes. Ita fecit S. Franciscus, mira devotione in typica sua Bethlechem et præsepium dissuavians cum parvulo de Bethlechem. Audi S. Bonavent. in Vita eius cap. 10. *Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam nativitatis pueri Iesu, ad devotionem excitandam apud castrum Græci disponeret agere eum quanto maiori solemnitate valeret. Ne vero hoc levitati posset adscribi, a Summo Pontifice petita et obtenta licentia fecit præparari præsepium, apportari fenum, bovem, asinum ad locum adduci. Advocantur Fratres, adveniunt populi, personat sylva vocibus. et venerabilis illa nox luminibus copiosis et claris, laudibusque sonoris et consonis, et splendens efficitur et sollemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, et gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnitas super præseppe, Levita Christi Franciscus sacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de nativitate regis pauperis, quem cum nominare vellet, puerum de Bethlechem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus et verax, qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate coniunctus, Dominus Ioannes de Græcio, se vidisse asseruit puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Pater Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur a somno. Addit S. Bonavent. fenum hoc præsepium a populo reservatum, multos brutorum morbos sanasse et pestes dispulisse.*

Exempl. S. Francisci.

Denique S. Bernard. serm. I. in Vigilia Nativit. docet nos fieri Bethlechem, si Christum devote suscipiamus vel per fidem, vel per Eucharistiam: *Bethlechem quippe, ait, domum panis, Iuda sonat confessionem. Tu ergo si divini verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque, etsi non digna, certe quanta potes devotione suscipias panem illum qui de cælo descendit, et dat vitam mundo, Dominicum videlicet corpus Iesu, ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis caro reficiat et sustineat, quatenus novum quod intus est vinum, hoc solidatum glutino, valeat continere: si denique ex fide vivas, et nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum; Bethlechem factus es, dignus plane susceptatione Dominica, si tamen confessio non defuerit. Sit proinde Iudæa sanctificatio tua: confessionem et decorem induere, quam maxime stolum in ministris suis Christus appetiat.*

EGRESSUS EIUS AB INITIO A DIEBUS ÆTERNITATIS.)

Egressus est numeri pluralis, hebr. enim est מוצאות *motsaot* id est, egressiones. Unde Sept. vertunt, ἐξομοί, Vatabl. emanationes eius. Rorsum pro ab initio a diebus æternitatis, Hebr. et Septuag. habent, ab initio a diebus sæculi. Hinc triplex est hic interpretum explicatio iuxta triplicem Christi egressionem. Prima enim, est temporalis; secunda est æterna; tertia partim temporalis, partim æterna. Primo, ergo Rabbini recentiores, qui negant Christi æternitatem et divinitatem, egressiones has sic exponunt, q. d. Christus non tantum egredietur cum nascetur in Bethlechem, sed iam inde a Davide, ab Abraham, imo ab Adam egressus, et quasi natus est; tum quia ex iis descendit, et in eorum lumbis ac virtute generativa

Egressus Christi triplex. 1.

latebat et continebatur; quomodo Apostolus Hebr. 7. 9. ait Levi antequam nasceretur, decimatum esse in lumbis Abraham: tum quia eos quasi duces suos præmisit, qui populum suum Israel in cultu Dei erudirent et continebant, eumque contra hostes infideles tuerentur et propugnarent. Huc accedit expositio S. Cyrilli, qui egressiones in plurali dici censet, quia Christus homo, bis egressus est: primo, cum venit in mundum per incarnationem; secundo, cum post mortem e mundo egressus est, et ascendit in cælum: utramque significat ipse Ioan. 16. 28. *Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem:* utraque est a diebus æternitatis: quia utraque ab æterno decreta et prædestinata est a Deo. Huc pertinet aliorum explicatio, qui per egressiones, accipiunt varias Christi hominis expeditiones et excursiones, quas contra diabolum pro salute hominum suscepit. Prima fuit, qua humanitatem nostram induit. Secunda, qua Magos et pastores ad se traxit et convertit. Tertia, qua peragrans Iudæam et Galilæam, multos in corpore et anima salvavit. Quarta, qua in cruce pro redemptione hominum ascendit. Quinta, qua resurgens ad vitam rediit, mortemque destruxit. Sexta, qua ascendens in cælum illud nobis patefecit, indeque misit Spiritum sanctum. Hæ omnes expeditiones fuerunt a diebus æternitatis, quia ab æterno decretae.

Secundo, Arias et a Castro hic, quibus favet S. Hier. ac R. Haccados apud Galat. 1. 4. c. 13. per egressiones has accipiunt duas Christi nativitates; puta temporalem ex Virgine in Bethlechem, et æternam ex Deo Patre in cælis. Unde R. Haccados per τὸ ab initio, id est, ab æterno, putat notari æternam Christi generationem; sed per τὸ a diebus sæculi, temporalem, qua nimirum ab initio mundi in lumbis Adæ creatus, et quasi natus est. Ex adverso melius alii per τὸ ab initio, accipiunt temporalem Christi apparitionem, non tantum qua apparuit in carne, sed etiam qua visus est patribus, quibus promissus est; et Prophetis, per quorum ora ipse, utpote Verbum Dei, locutus est: sed per τὸ a diebus æternitatis, accipiunt æternam eiusdem a Patre generationem.

Tertio, alii hæc accipiunt de sola æterna Christi a Patre emanatione et nativitate. Hæc expositio est certa, et communis Patrum et Doctorum, ideoque amplectenda. Probatur Primo, quia de temporali Christi nativitate paulo ante dixit propheta: *Ex te (o Bethlechem) mihi egredietur, qui sit dominator in Israel:* ergo cum addit: *Et egressus eius ab initio, a diebus æternitatis,* agit de æterna: q. d. Christus egredietur et nascetur in Bethlechem; at, ne putes eum tantum hominem fore, tuncque primo egressurum, cum homo apparebit in Bethlechem, addo et dico iam ante ab æterno cum egressum esse ex Patre, cum ab eo genitus est Deus, Patri cœvus et consubstantialis. Cur enim temporalem egressionem repeteret hic Propheta, cum tam clare eam ante expresserit?

Secundo, τὸ a diebus æternitatis, plane significat hic de æterna Christi generatione agi, non de temporali. Dices, Hebr. est a diebus *עולם olam*, id est, sæculi. Resp. *olam*, sive sæculum absconditum, a rad. *עלם alam*, id est, abscondit, hebr. significat æternitatem, quæ omnibus abscondita est et impenetrabilis, cum scribitur per *vau*, sicut hic scribitur, uti docent Rabbini, nisi addatur particula aliqua restringens, quæ cogat illud explicare et interpretari tempus longissimum. Hic autem nihil tale additur; imo additur τὸ ab initio, quod iunctum cum *diebus olam*, planam plenamque significat æternitatem, uti mox ostendam. Unde Chald. vertit, *cuius nomen dictum est ab æternitate, a diebus sæculi*, Tigurina sive Leo-Hebræus, *exitus eius a sæculo, a diebus æternis:* ita et Rabbini apud Galatin. loco citato. Denique omnes Orthodoxi fatentur hic de vera æternitate agi; licet aliqui æternitatem prædestinationis, non generationis intelligant, sed perperam. Nam egredi non est prædestinari, sed emanare, gigni, nasci, ut cum paulo ante dixit: *Ex te mihi egredietur*, id est, nascetur, *qui sit dominator in Israel.* Dices, Apoc. 13. 8. *Agnus, id est, Christus, dicitur occisus ab origine mundi,*

II.

III.

non realiter, sed per Dei præsentiam et prædestinationem; ergo similiter hic  $\tau\omicron$  egressus exponi potest non realiter, sed in Dei prædestinatione. Resp. nego consequentiam: verba enim Scripturæ proprie accipienda sunt, non improprie, nisi quæ necessitas aut contradictio cogat, uti hic nihil cogit: in Apocal. autem cogit. Nam Agnus qui realiter non erat, nec exibat ab origine mundi, non poterat tunc realiter occidi (quod enim non est, occidi nequit) ergo occisio hæc non actualis, sed mentalis, puta præseita et prædestinata a Deo, intelligi debet. Hic autem nil est tale; ergo realis egressus et nativitas, non mentalis et prædestinata, intelligenda est.

Tertio, Christum in Bethlehem natum, esse Deum, ideo quo æternum, patet ex c. 4. 1. *Erit mons domus Domini paratus in vertice montium*, puta Sion, id est, Ecclesia Christi. Nam pro  $\tau\omicron$ , *Domini* hebr. est *Iehova*, quod non alium quam Deum verum significat, eiusque nomen est proprium. Et v. 2. *Venite, ascendamus ad montem Domini*, hebr. *Iehova*. *Quia de Sion exiit lex, et verbum* (Evangelium) *Domini*, hebr. *Iehova*, puta Christi, *de Ierusalem*; et v. 7. *Et regnabit Dominus*, hebr. *Iehova*, puta Christus, *super eos ex hoc nunc et usque in æternum*. Idem patet Isaia 9. 6. ubi parvulus nasciturus nobis, puta Christus, vocatur *Deus fortis, pater futuri sæculi*, hebr. *pater æternitatis*; et c. 7. 14. vocatur *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus.

Quarto, ita interpretantur Patres et Orthodoxi passim, Theodor. Haymo, Remig. Rupert. Albert. Hugo, Lyran. Dionys. Clarius, Vatabl. Ribera hic, Cyrill. hom. 4. contra Nestorium, Chrysost. in lib. *Quod Christus sit Deus*, Origenes lib. 1. contra Celsum, Euseb. lib. 2. Demonstr. cap. 2. S. Athanasius, et alii passim contra Arrianos.

Dices, Si de sola æterna emanatione et generatione Christi hic agitur, cur ergo Propheta eam vocat *egressus* vel exitus in plurali? Respond. Primo, Ribera, causam esse quod Hebræi soleant res maximas et præstantissimas compellere pluraliter, ut rei magnitudinem et præstantiam significant quod licet una sit, æquipollet tamen pluribus. Sic Deum vocant *elohim* in plurali; sic *adonim*, id est domini, significat Dominum; sic elephas vocatur *behemoth*, id est bestiæ, quod mole sua et robore nullas bestias æquet, imo superet. Quia ergo nativitas æterna Christi maxima est et divina, omnesque creatas nativitates eminenter continet; hinc ab Hebræis vocatur *egressus*, id est, nativitates, in plurali. Secundo, aliam causam dat Vatabl. *Plurali*, inquit, *utitur, quia Christus semper procedit a patre iugi manatione et processione, heri, hodie et olim*, q. d. *Christus erit verus homo, verusque Deus, et coæternus Patri*: quia ergo iugiter ab æterno Christus a Patre gignitur, hinc eius generatio vocatur generationes: nam quolibet instanti generatur, et omnibus generationibus creaturarum coexistit; sicut fontis emanationem vocamus scaturigines, quia iugiter aquam scaturit. Hinc patet æternitas, et consequenter vera deitas Christi. Negabant utramque Arriani, quorum teste S. Athanasio multis in locis, hoc erat axioma: *Erat aliquando* (tempus vel duratio) *quando non erat Christus*. Respondet Franciscus David, novorum Arrianorum choragus, in disput. Albana, in actis diei tertie: *Vocabulum*, inquit, *Diebus, additum, explicat mentem Prophetæ. Dies enim tunc cæperunt, quando creatus est mundus. Et illi primi dies dicuntur æterni, propter continuam successionem: sicut sæpius Scriptura loquitur, et ideo cum facta tunc quoque sit de Christo futuro promissio, dicitur fuisse egressus eius a diebus æternitatis*. Verum obstat, quod licet in æternum in Scriptura significet aliquando longum tempus continuum, non infinitum; tamen æternitas, et Hebr.  $\text{עולם}$  *olan*, iunctum cum  $\text{מקדם}$  *mikedem*, semper immensam durationem significat. Secundo, *egressus eius* non est promissio de eo nascituro, sed nativitas eius, ut cum dicitur hic: *ex te mihi egredietur* (id est, nascetur) *dux*: aliud enim est egredi hominem, aliud egredi verbum vel sermonem; illud significat nasci, hoc prophetare et promittere. Nec obstat quod vocetur dies æternitatis; dies enim hic ponitur pro

duratione, ut enim Daniel 7. 9. Deus pater vocatur *anti-quus dierum*, id est æternus.

Dices, Quomodo ergo ait: *Egressus eius ab initio*? æternitas enim non habet initium. Resp. Script. initium vocat id quod erat ante tempora, hoc autem erat æternitas. Unde explicans subdit: *A diebus æternitatis*. Loquitur enim accommode ad conceptum hominum, qui cum volunt dicere aliquid fuisse ab æterno, dicunt illud fuisse ante omnia, ab initio. Sic Proverb. 8. ait Sapientia increata: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, a principio*. Et Ecclesias. cap. 24. 14. ait æterna Dei Sapientia: *Ab initio et ante sæcula creata sum, id est, ab æterno*. Sic et Isaia 43. 13. ait Deus: *Ab initio ego ipse, q. d. Ab æterno ego sum, qui sum*. Porro hanc Michææ sententiam, *El egressus eius a diebus æternitatis*, sic clare per trimembrem sententiam explicat S. Ioan. cap. 1. 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, q. d. Ab æterno, et, ut ita dicam, a principio æternitatis, Verbum egressum et genitum est a mente Patris; ac proinde erat apud eum, et in eius mente, ac consequenter ipsum erat Deus: quia quidquid est in mente Dei et in Deo, est Deus. Hinc et Christus a Iudæis rogatus quis esset, respondit: *Principium, qui et loquor vobis*, Ioan. 8. 25. græcè  $\alpha\rho\rho\chi\alpha\tau$ , q. d. Ego sum ante Abraham a principio, id est, ab æterno, Deus de Deo, qui et idipsum vobis proloquor. Idemque Apocal. 21. 6. ait: *Ego sum  $\alpha$  et  $\omega$ , initium et finis*.

Præclare Nazianz. *Deus et erat semper, et est, et erit; vel, ut rectius loquar; semper est. Nam erat et erit nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, eum in monte Mosi oraculum dedit. Universum enim id quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentia immensum et interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem superans; mente sola adumbratus is, et quidem perexiguum ac perobscure, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum: alia ex alio collecta specie ad unum quoddam veritatis simulacrum: priusquam teneatur effugiens, et priusquam intellectu percipiatur seipsum fuga proripiens: tantum principem nostri partem, camque a vitiorum labo purgatam collustrans, quantum oculorum aciem fulguris celeritas minime consistentis. Hoc autem mea quidem sententia idecirco fit, ut quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat (quod enim percipi omnino nequit, id nec sperat quisquam, nec assequi conatur,) quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehementius expetatur, appetitus purget, purgas autem divinos efficiat, talesque cum redditi sint, cum iis iam velut cum familiaribus consuetudinem habeat (metuo ne hoc audacius a me dictum videri possit) Deus diis unitus et cognitus, ac tantum fortasse, quantum iam eos, qui ipsi noti sunt, cognoscit.*

**A DIEBUS ÆTERNITATIS.** Id est, ab omni æternitate. Est catachresis: æternitas enim proprie cum sit duratio constans, indivisibilis, tota simul, ideoque ab intrinseco carens successione, principio et fine; idecirco non dividitur per dies, menses et annos, qui illi successive coexistunt: hinc ab hominibus, qui omnia sua mensurant per differentias sui temporis, dantur æternitatis dies, menses et anni. Sic dicitur psalm. 76. 6. *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui*. Sic in officio divino tempore Paschali de Martyribus canimus: *Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, et æternitas temporum*; quod desumptum est ex lib. 4. Esdræ cap. 2. 35. ubi sic dicitur: *Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi, etc.* Sicut enim immensitas Dei totam Dei magnitudinem, quæ absque termino quaquaversum super cælos in immensum diffunditur, colligit in punctum; ut non minus habeat in puncto loci, quam in spatio infinito: ita æternitatis durationem, et quasi ætatem Dei, quæ infinito tempore coextenditur, colligit in momentum: ita ut totam possideat in instanti, sive in puncto. Sicut enim se habet im-

Æternitas temporum ponitur quæ?

mensitas ad punctum loci, ita æternitas se habet ad punctum temporis. Dicit ergo Michæas Christum in tempore nasciturum in Bethlehem, esse æternum, ideoque Deum, q. d. Ideo Christus nascetur in nostro tempore, ut nobis communicet suam æternitatem: ideo fiet homo, ut nobis communicet suam deitatem, nosque faciat Deos. Ait enim: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes*, psalm. 81. 6. Unde S. Greg. hom. 8. in Evang. *Quid, ait, est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? quod contra de reprobis per Prophetam dicitur: Delectantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.* Ideo ergo Christus natus est tempore, ut nos vivamus æternitati; ideo ego egressus est a diebus æternitatis, ad dies temporis, ut nos a tempore regrederemur ad dies æternitatis.

Duratio triplex?

Nota. Duratio est triplex, tempus, ævum, æternitas: tempus habet suum finem, æve ac principium: ævum habet principium, sed caret fine: æternitas nec habet finem, nec principium. Rursum sicut ævum est intrinseca mensura vitæ angelorum, et tempus vitæ hominum: ita æternitas est intrinseca mensura vitæ et existentie divine, ac consequenter generationis Verbi, et spirationis Spiritus sancti, ut docet D. Th. 1. p. q. 10. a. 4. et ibi P. Salas. Origo et quasi ratio æternitatis, est immutabilitas Dei. Unde S. Aug. 1. de Natura boni adversus Manich. c. 39. *Illa, ait, vera est æternitas, quæ est vera immortalitas: hæc est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet.* Et mox: *Cuius solius immortalitas, ipsa est vera æternitas.* Idem lib. 14. de Trinit. c. 18. *In quantum, ait, mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus.* Et inferior: *Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas: vera incommutabilitas, ipsa est æternitas.* Et S. Dionys. de Divin. nom. cap. 9. *Idem vero, ait, supersubstantialiter æternum, est invertibile, in seipso manens semper secundum eadem, et eodem se habens modo.* Et Psaltes Ps. 101. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Porro æternitatem S. Anselmus ita definit in Menol. c. 24. *Vera æternitas, est interminabilis vita, tota simul existens.* Et Richard. Victor. lib. 2. de Trinitate c. 4. *Quid aliud est æternitas, quam diuturnitas sine initio et fine, et carens omni mutabilitate?* alii: *Æternitas est duratio immensurabilis.* Optime Boetius lib. 3. de Consolat. prosa ult. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Hinc æternitas ambit omnia tempora et temporalia, eorumque est fons et origo. Audi S. Dionysium de divinis nominibus c. 10. *Antiquus dierum Deus predicatur, quod ipse sit omnium et sæculum, et tempus: et ante dies, et ante sæculum, et tempus.* Idem cap. 5. *Ipse, ait, est ævum ævorum, existens ante omne ævum.* Et paulo ante: *Ipse est principium et mensura ævorum et temporum.* Ex dictis sequitur, æternitatem esse propriam durationem Dei; puta Patris, et Filii, et Spiritus sancti: angelos autem et homines participare eam per suam æviternitatem, quæ habet principium, at non finem. Nam per eam in æternum vivunt, fruuntur Deo, eruntque beati: licet vulgus per eatachresin, hæc æviternitatem vocet quoque æternitatem, scilicet creatam et partiepatam: quia Beati erunt beati tandiu, quamdiu Deus erit beatus; imo quamdiu Deus erit Deus, quamdiu durabit eius æternitas. O æternitas, quanta es! quam immensa! quam pretiosa! quam beata! et tamen quam raro versaris in mentibus hominum! quam pauci te, tuumque pondus æstimant! nulli te penetrant, pauci ponderant! Sapienter S. Gregor. lib. 6. epist. 190. *Si bona, ait, quærimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ a reprobis sine fine tolerantur.* Et Cicero Tusc. 4. *Quid, ait, ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas, omnis totiusque mundi nota sit magnitudo?* Et S. Antonius discipulis suis hoc axioma tradebat: *Hoc, ait, sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod coeperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata, brevissima sint. Promissio vi-*

Origo æternitatis est immutabilitas.

Æternitas est origo temporum.

*ta sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim, Dies vitæ nostræ septuaginta anni: quando ergo octoginta aut centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro; sed pro annis, omnium nobis sæculorum regna tribuentur: non terram hæreditabimus, sed cælum:* ita S. Athanas. in Vita S. Antou.

PROPTER HOC DABIT EOS USQUE AD TEMPUS, IN QUO

**PARTURIENS PARIET.**) To dabit dupliciter, imo contrarie accipi potest. Primo, dabit, scilicet hosti, gladio, similive tribulationi, q. d. Obiiciet eos hostibus, et calamitatibus sinet eos affligi. Secundo, dabit, id est, conservabit eos in vita, ut habitent in terra sua. Iam varii varie hæc exponunt. Punctum difficultatis consistit in eo, quodnam vocetur tempus, in quo parturiens pariet. Primo, aliqui esse censent tempus liberationis e captivitate Babyloica, et libertatis sub Cyro, q. d. Quia latrones de quibus v. 1. hoc est tyranni et prædones Assyrii atque Chaldæi, Israellem ob eius scelera affligent et captivabunt, hinc Deus dabit, id est permittet eos in Israellem grassari usque ad Cyrum, quando eo laxante captivitatem, Synagoga parturiens pariet, id est, præ gaudio et festinatione producet et adnabit turbam ingentem suorum filiorum et civium, cum iubilo e Babylone in Iudæam redeuntium. Verum hic nulla Babylonis facta est mentio, sed tantum Christi: Christum enim et præcedentia, et sequentia omnia spectant.

Secundo, alii distinguunt tempus parturitionis a tempore pariendi; tempus pariendi Synagoga, censent esse illud, quo peperit Christum: tempus parturitionis, quo cruciatibus afflicta et oppressa est a Tito et Romanis, q. d. Propter hoc, quia scilicet filia latronis, id est, Ierusalem, percussura et occisura est Christum, inquit Rupert. ideoque Deus dabit permanere Synagogam et Iudæos, usque ad tempus quo pariet Christum Salvatorem, et mox per Titum eam affliget, ut crucietur quasi parturiens, et in hac dolorum parturitione necetur et expiret. Unde Chald. vertit, *propterea tradentur Iudæi Romanis, quando parturiens pariet.* Idem Chald. sic explicat illud Isaia 66. 7. *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus, peperit masculum,* q. d. *Antequam veniat ei angustia, salvabitur; et antequam veniant ei dolores partus, revelabitur rex Messias,* q. d. *Antequam veniat Titus angustius Iudæos, veniet et nascetur Christus Salvator.* Sic et veteres Hebræi apud Galat lib. 4. cap. 11. Quin et S. Hieron. sic explicat: *stabit iudaismus donec Ecclesia pariat filios Christo; donec scilicet gentilitas, quæ antea sterilis fuerat, credens in Christum multos ad eum convertat, qui in locum Iudæorum, quasi populus et filii Dei succedant.*

Tertio, alii accipiunt tempus Ecclesiæ nascentis, quando ipsa multos filios peperit Deo et Christo, iuxta oraculum Isaia cap. 54. 1. q. d. Propter hoc, quia scilicet ex Israele et Iudæis nasciturus est Christus in Bethlehem, ideoque Deus dabit, id est, sinet eos in Iudæa vivere, ac differet ultionem suæ mortis, hoc est destructionem Ierusalem per Titum, aliquantisper; donec scilicet Ecclesia Christi nascens multos e Iudæis filios pariat Christo; id est, donec ipsa ereseat et confortetur, ut sese conservare et spargere possit per omnes gentes: quo facto Iudæam et Iudæos per Titum evertet: ita Lyran. Vatabl. et Dionys.

Quarto et genuine: *tempus quo parturiens, vel, ut hebr. est pariens pariet,* est tempus quo Deipara peperit Christum in Bethlehem: illa enim vocatur pariens et mater antonomastice; quia partus eius fuit nobilissimus, ideoque cælo et terræ optatissimus, et hoc significat illa geminata *pariens;* vel, ut Noster vertit, *parturiens pariet:* τὸ enim parturiens, non significat dolorem, sed vehemens desiderium, gaudium et accelerationem partus; uti dixi in illud Isaia 66. 7. *Antequam parturiret, peperit.* Ad Isaiam enim more suo alludit hic Michæas. Sensus ergo est, q. d. Propter hoc, quia scilicet in Bethlehem nascetur Christus, quem Deus decrevit et statuit salvatorem et dominatorem Israelis; ideoque dabit eos, id est permittet Israellem et Iudæos affligi ab Assyriis, Chaldæis et Græcis; donec Deipara pariat Christum: hic enim erit redem-



ptor et salvator Israelis, omniumque gentium: ita S. Hieron. Haymo, Remig. Hugo hic, et Euseb. lib. 7. Demon. c. 2. Huc pertinet aliorum expositio quæ talis est: durabit successive Synagoga afflictio, et captivitas Babylonica Græca et Romana, donec ipsa pariat Christum: hic enim ab omni servitute eam liberabit. Nota. Script. de Israele quasi de populo loqui solet; nunc singulariter, quia populus collective est unus et singularis: nunc pluraliter, quia in populo plures sunt homines et capita: ita facit hic Michæas. Rursum de Israele nunc loquitur masculine, quasi de populo: nunc feminine, quasi de Ecclesia et Synagoga. Unde ait: *Parturiens pariet* quasi mater.

Symbolice, sensus est, q. d. Propter hoc, quod scilicet Deus statuit Christum in Bethlehem nasciturum, efficere salvatorem mundi; hinc dabit, id est, sinet Israelcm sub lege alligi, ut ipse cognoscat ex lege tum peccatum, tum legis infirmitatem ad tollendum peccatum, et ad sanandam concupiscentiam; ut Israel idipsum agnosceat, magnis votis exoptet Christum, eiusque gratiam, quæ concupiscentiam domet, et peccatum aboleat. Ideo enim distulit Deus Christum per quatuor annorum millia, usque ad Virginis partum, ut interim mundus agnosceret suæ animæ peccata et vulnera, æque ac naturæ et legis infirmitatem; ac instanter medium, puta Christum, requireret; uti docet Apostolos Rom. 3. 20. et sequent. ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Hugo et alii.

Allegor. Arias: Sinet Christus, inquit, Israelcm, id est Ecclesiam suam, puta Apostolos et discipulos, aliquosque a Iudæis alligi, donec ipsa quasi ex partu egrediens in Pentecoste, Spiritus sancti roboretur adventu, ut numero et viribus adaucta, se diffundere possit per omnes gentes.

**ET RELIQUÆ FRATRUM EIUS CONVERTENTUR AD FILIOS ISRAEL.** ) *Eius*, scilicet dominatoris Israel, nascituri in Bethlehem; puta Christi, q. d. Reliquiæ, id est pauci Iudæorum, qui sunt fratres Christi secundum carnem, convertentur ad filios Israel, id est, ad Patriarchas et Prophetas; ut scilicet Patriarcharum et Prophetarum in Christum fidem, pietatem, et sanctitatem ampiectantur et remulentur; iuxta illud psalm. 44. 17. *Pro patribus nati sunt tibi filii.* Aut *filiis Israel* sunt Apostoli, q. d. Quando Ecclesia parturiens pariet Christum et Apostolos, tunc fratres Christi, puta Iudæi e captivitate reliqui, convertentur ad filios Israel, id est, Apostolos, eorumque et fidelium cœtui aggregabuntur. Anagogice, q. d. In fine mundi cum plenitudo Gentium intraverit in Ecclesiam, tunc reliquiæ Iudæorum per Eliam et Henoch convertentur, tuncque omnis Israel salvus fiet: ita S. Hieronym. Haymo, Remig. et Hugo. *Etiam enim (qui interpretatur Deus Dominus) convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres, et novissimus populus iungetur antiquo, ut vere filii Abraham appellentur, cum in eum crediderint, quem vidit Abraham et latus est,* ait S. Hieron.

**VERS 4. ET STABIL.** ) Scilicet dominator Israel, puta Christum natos in Bethlehem, ex parente Virgine Deipara, de quo v. 2. et 3. Alludit ad Pastores, qui dum gregem pascunt, stant innixi suæ furcæ sive baculo pastorali; tum ut oves omnes præ oculis habeant, videantque ne que aberret, vel a grege se separet; tum ut circumlustrent, num qua ex parte lupo, vel alia fera, in gregem inersurus adventet, q. d. Pari modo Christus, quasi pastor fidelium, iis semper aderit, eos circumspiciet, pascet, protegetque ab omni dæmonum hostiumque incurso; ita S. Hieron. Remig. Hugo et Vatabl. Hoc est quod Christus promisit: *Eccce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi,* Matth. 28. 20. Nota. Vox *stabil*, significat Christi pastoris, et regis, primo, eam et providentiam Ecclesiæ; secundo, vigiliam in ea pascendo; tertio, constantiam. Unde Vatabl. recte sic exponit, *stabil et pascet*, id est, perpetuo pascet fideles, perpetuo regnabit in Ecclesia. Non enim transit ab ea, uti transit a Iudæis ad Gentes; sed iugiter cum fidelibus stabil et manebit.

Anagogice, q. d. Christus post resurrectionem consequetur in cælum, ibique *stabil a dextris Patris*, quasi trium-

phator et dominator; ut Ecclesiam regat, tucatur et propugnet. Quæcirca S. Stephanus in agone martyrii cum Iudæis decertans: *Eccce, inquit, video cælum apertos, et filium hominis stantem a dextris Dei,* Actor. 7. 55. Ita Rupert. unde sequitur:

**PASCET IN FORTITUDINE DOMINI.** ) q. d. Christus pastor reget fideles quasi oves suas, fortitudine non humana, sed divina; tum increata, quam ut Dei Filius a Deo Patre unam eandemque cum eo accepit; tum creata, quam ut homo a Deo communicatam participat, quo fiet, ut nulli lupi vel feræ illi prævalere, aut gregem eius diripere vel dissipare queant; quin certo illas ad vitam æternam perducatur, iuxta illud quod ipse ait: *Oves meæ vocent meam audient,* etc. et *non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus,* Ioann. 10. 27.

**IN SUBLIMITATE NOMINIS DOMINI DEI SUI.** ) Id est, sublimiter, potenter et magnifice pascet Christus suos fideles, prout decet maiestatem nominis divini, quod ipse in pascendo ubique præferet, ut probet se esse Deum, et a Deo Patre missum: pascet inquam, sublimiter et gloriose, quasi in ea re gloria nominis et honoris sui divini ageretur; ita ut omnes videntes Christi regimen illustre, quo eminenter pascet oves suas, laudent et celebrent magnificum Dei nomen, q. d. Gubernabit Christus Ecclesiam quasi pastor, cum ea potentia et gloria, qualis et quanta decet eum, qui de nomine Patris æterni appellatur Patris æterni Legatus, imo Filius. Hoc est quod ait Ioannes c. 1. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre,* id est, qualis decebat unigenitum Dei filium. Et Isaias c. 60. 15. *Ponam te in superbiam sæculorum:* ubi pro *superbiam*, hebr. est eadem vox גִּבְעוֹן *gheon*, quam Interpres hoc loco *sublimitatem* vertit. Porro ita sublimiter pascit Christus suos, dando eis tum sublimem Evangelii doctrinam, tum gratiam potentem, qualem præ cæteris habuerunt Martyres, ad superandos ignes, gladios, feras, omniaque tormenta; tum protectionem certam et continuam; tum miracula stupenda et inaudita, qualia fecit Christus et Apostoli.

Nota. *Nomen Dei*, quo Christus suos pascit, varia significat. Nam primo, *nomen Dei* est honor, fama et gloria Dei, uti iam dixi. Secundo, *nomen Dei* significat potentiam et opem Dei. Sic Christus pro iisdem orans Ioan. 17. 11. ait: *Pater serva eos in nomine tuo,* id est, tua virtute et potentia. Tertio, *nomen* significat professionem et invocationem nominis, q. d. Christus pascet suos fideles sublimiter, quia profitebitur se id facere in nomine Patris sui, quod profitebitur, prædicabit et invocabit. Quarto, *nomen Dei* est ipse Deus metonymice: sic dicimur sanctificare, laudare, celebrare nomen Dei, id est, ipsum Deum. Sic Christus iussit Apostolos baptizare fideles *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, hoc est, in fide, professione et invocatione unius Deitatis, et sanctissimæ Trinitatis, q. d. *In nomine*, id est, invocato et appellato nomine, et per consequens persona, divinitate, virtute, auxilio, energia et gratia *Patris, et Filii et Spiritus sancti*, Matt. 28.

**ET CONVERTENTUR.** ) q. d. Christus per se et Apostolos pascens, id est, docens et instruens homines, convertet eos ad se, et ad Deum. Legit Interpres, uti et Chald. יִשְׁבְּרֵי יִשְׁבְּרֵי, id est, *convertentur*; alii aliis punctis eum Septuag. et Symmach. legunt יִשְׁבְּרֵי *iescebu*, id est, *sedebunt, manebunt, habitabunt quiete et pacifice*; quasi sedentes domi in pace, ut alludat ad e. 4. 4. *Sedebit vir sub tus vineam suam, et sub tus ficum suam,* q. d. Sub Christo pastore et rege, fideles ad eum conversi vivent in summa pace. Ita S. Hieron. Lyran. Pagnin. Vatabl. et alii.

**QUIA NUNC MAGNIFICABITUR.** ) Christus pastor sublimis. *To nunc* significat tempus præsens non Michææ, sed Christo: de Christo enim continue agit, q. d. Videor mihi oculis spiritus, instar Abraham videre diem illum gloriosum, quo Christus ex Virgine natus pascet fideles magnifice. Unde admirans et exultans exclamo *nunc*, scilicet

ect præsentē, pascente et regente Christo: Magnificabitur Christus et nomen Dei, usque ad terminos terræ. To quia non causam, sed effectum et sequelam significat, q. d. Unde sequitur ut magnificetur nomen Dei et Christi toto orbe. Aut certe euclitum est, et per pleonasmum ornatus tantum gratia additur. Sic enim Hebræi addere, et sententia illustri præfigere solent **וְעַלְי**, id est, quia. Secundo, simplicius **וְנִינֵה** referri potest ad tempus Michaam, q. d. Christus dum nasceretur homo, pascet suos fideles in fortitudine Domini: quia ecce nunc antequam natus est homo, primos et prævios potestatis suæ radios (uti emittit sol antequam oriatur, in aurora) spargit, et magnificari incipit, usque ad terminos terræ. Nam mox Assyrium Sennacherib in Iudæa conteret per angelum, uti sequitur. Atque ideoreo dixit, quod Christus egressus sit a diebus æternitatis: quia enim Christus est æternus, hinc quovis sæculo se ostendit per miracula et opera heroica, quæ in tutelam et commodum Israelis, populi sui, operatus est.

Vers. 5.

**ISTE PAX.**) Quæres, quis sit iste? Aliqui intelligunt Ezechiam, qui cum suis orans impetravit a Deo pacem Iudææ, cæsis per angelum hostibus, puta Assyriis: ita Theodor. Alii accipiunt Cyrum, qui libertatem et pacem dedit Iudæis: ita Lyran. Alii Iudam Machabæum cum fratribus, qui suis victoriis pacem dederunt patriæ. Favet huic Iudææ, paraphrasis Chaldaica. Verum cum nullius horum præcesserit mentio, sed solius Christi dominatoris Israel, in Bethlehem nascituri, de eoque continuis sit sermo: dico quod iste sit Christus, cum allusione tamen ad Ezechiam, Cyrum, et Iudam. Sensus ergo est, q. d. Christus erit pax non formalis, sed causalis, id est, dabit pacem suæ Ecclesiæ, suisque fidelibus: pacem, inquam, trinam et plenam, scilicet pacem cum Deo, pacem cum conscientia, pacem cum proximis: atque huius pacis dabit præludium, initium et typum, dando hoc Michaam tempore Ezechiam, et paulo post Cyrum ac Iudam Machabæum, qui Israeli victoriam contra Assyrios, indeque pacem concilient. Dicet, solus Ezechias pugnavit contra Sennacherib et Assyrios, non Cyrus, non Iudas: sed Cyrus pugnavit contra Babylonem et Chaldæos, Iudas contra Antiochum et Græcos. Resp. Primo, sub Assyriis Chaldæos comprehendit: nam monarchia ab Assyriis translata est ad Chaldæos; unde tunc Chaldæi tam dominabantur Ninivæ et Assyriæ, quam Babylonii et Chaldææ. Et sic Cyrus dicitur vicisse Assyrios, quia vicit Chaldæos. Hinc et *Assur* vocatur hic terra *Nemrod*; quia Nemrod primus orbis rex et tyrannus dominabatur Assyriæ; principium tamen et sedem imperii posuit in Babylone: unde Nemrod auctor fuit turris Babel ædificandæ, ut dixi Genes. 10. v. 8. 9. et 10. Nominat Michaam Assyrios potius quam Chaldæos, quia eius tempore dominabatur Sennacherib et Assyrii, insultantes Ezechiam et Iudæis: unde illos proprie et primario hic respicit. Secundo, quia Nemrod primus tyrannus orbis, fuit rex Assyriorum; indeque Assyrii primi fuerunt monarchæ, et celebres tyranni: hinc per sequentia sæcula mansit hoc nomen, ut Assyrii vocarentur quivis potentes tyranni, sive Græci essent, sive Persæ, sive Romani; uti ostendi Isaia 7. 17. Sic Iudas Machabæus vicit Assyrios, quia vicit Antiochum et Græcos tyrannos. Hinc Tertio, Assyrii significant quoslibet hostes Ecclesiæ, quales sunt infideles, Saraceni, hæretici; item demones. Omnes enim hosce tyrannos prolligat Christus, itaque pacem Ecclesiæ conciliat, sed inchoatam in Ecclesia præsentē; hæc enim cum sit militans, sine bellis et luctis esse nequit: perfectam vero dabit in caelo, ubi post bella et victorias erit Ecclesia in plena pace, gaudio et felicitate iugiter triumphans. Ita de Christo hunc locum accipiunt S. Hieron. Haymo, Rupert. Albert. Hugo, Arias, Clarius, Ribera et alii passim.

Moral de pace Christi

Moral. discite hic Christum esse pacem nostram. Unde eius typus fuit Salomon rex uti nomine, ita reipsa pacificus. Ad hunc Michaam locum alludens Paulus, vocat Christum pacem Iudæorum et Gentium, dicens: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum; et medium parietem inaceris solvens, inimicitias in carne sua, etc. ut duos con-*

**A**dat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem; et reconciliat ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, Ephes. 2. 14. Vide ibi dicta. Vis ergo pacem cum Deo, cum anima, cum proximis? Christum qui est pax nostra, adi: pacem a pace posce: Christum in mente tua defige, et pacem defixisti. Ipse enim est princeps pacis, æque ac pater futuri sæculi, uti eum compellat Isaia e. 9. 6. Rursum, vis indicium, ex quo certo scias an Christus in anima tua habitet? advertite an habeas pacem in conscientia. Si habes, utique ibidem adest et dominatur auctor et rex pacis. Si non habes, utique Christus abest; quia sicut sol sine luce, ignis sine calore, rex sine regno, ita Christus sine pace esse nequit; nam in pace factus est locus eius, psal. 73. 3. Hoc est quod inculcat Apostolus: *Pax Christi exultet in cordibus vestris*, Colos. 3. 15. Vide quæ ibid. et Isaia 2. 4. annotavi.

**CUM VENERIT ASSYRIUS.**) Alludit de more ad Isaia e. 36. Nam per *Assyrium* proprie intelligit Sennacherib, tempore Ezechiam imminuentem Hierosolymam, quem Christus occidit per angelum; itaque pacem dedit urbi et regi Ezechiam. Consequenter tamen sub *Assyrio* intelligit Nabuchodonosor, Antiochum, Pompeium, Neroneum, Decium, aliosque Israelis et Ecclesiæ hostes et persecutores, ut iam dixi. Hosce enim omnes debellavit, et in dies debellat Christus, pro fidelibus suis decertans.

**SUSCITABIMUS SUPER EUM SEPTEM PASTORES, ET OCTO PRIMATES HOMINES.**) Hebr. *hominis*, et ita in Latinis legendum censet Ribera. Unde et Syrus vertit, *octo principes hominum*; Arabicus, *octo primates vel præfectos hominum*. Verum Biblia Latina Regia, Vaticana, et alia omnia legunt *hominis*; nam *primates hominis*, id est, hominum, sunt *primates homines*. Chald. *septem reges, et octo principes hominum*; Symmach. *septem pastores, et octo christos hominum*: *christos*, id est, reges et principes; hi enim sunt christi, id est, olei effusione (hanc enim significat Hebr. **נֹסֶעַח** *nosech*) uncti in sua creatione et inauguratione. Et Septuag. *consurgent super eum pastores, et octo morsus hominum*. Legerunt **נֹסֶעַח** *neseiche* per *scin*: **נֹסֶעַח** *naseiach* enim per *scin* significat mordere. Verum alii passim legunt **נֹסֶעַח** *nesiche* per *samech*, et tum significat principes. Sensus tamen eodem redit. Nam per morsus Septuag. intelligunt principes et duces, qui mordeant et subigant Assyrium, uti leones mordendo subigunt sibi feras quaslibet. Nota. *Pastores* iidem sunt qui *primates*, puta principes, q. d. Contra Assyrium excitabimus septem, imo octo, id est multos, imo plurimos principes; qui ei resistant, eumque debellent. Septenarius enim numerus in Scriptura symbolum est multitudinis: quod si addatur octonarius, magnam et ingentem multitudinem significat; ut cum dicitur Eccles. 11. 2. *Da partem septem, nec non et octo*. Sensus est, q. d. Panum et opum tuarum partes eroga liberaliter in pauperes, ac dato elemosynam septem, id est multis, nec non et octo, id est, multo pluribus indigentibus, q. d. Da quot quantisque potes. Alludit ad reges Assyriorum et Persarum, qui penes se habebant septem principes, quasi summos consiliarios et administratos in gubernatione regni, qui instar septem angelorum principum, per quos Deus Ecclesiam orbemque regit, de quibus Iob 12. 15. et Apoc. 1. 4. instituti videntur, uti dixi Apoc. 1. 4. Sic Ierem. 39. 3. nominantur septem, imo octo principes Nabuchodonosor, qui eius aulae et castris præfecti, obsederunt et expugnarunt Hierosolymam, scilicet *Neregel, Sereser, Nemegurnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser et Rebmag*. Sic de Assuero marito Esther, dicitur e. 1. 14. *Erant autem primi et proximi (Assuero regi) Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis, et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant*. Ex hisce septem fuit Darius Hystaspis, qui occisis Magis, deficiente stirpe Cyri in Cambyse, hinc equi electus est rex Persarum.

Sensus est Primo, q. d. Nunc ecce magnificabitur Christus dominator Israel. Nam cum veniet Sennacherib Assyrius, ut obsideat et capiat Ierusalem, nos Israelitæ adu-

nati cum Ezechia rege nostro, Christi invocatione, ope et iussu excitabimus S. Michaelem cum sex suis sociis Archangelis, qui sunt principes aëlestis, et tutores Synagogaë fidelium, ut per angelum octavum a se submissum, cædant castra Sennacherib. Hi enim sunt septem pastores, et octo primates hominum, ut habent Hebræa.

Septem pastores sunt septem angelus principes.

Rursum excitabimus Eliacim, Sobna, Ioahie, et alios plures aule Ezechiæ principes, qui Sennacherib eiusque legato Rabsaci generose resistunt, et cæsis per angelum eius castris, illa dispolient et diripiant. Secundo, q. d. Cum venerit Assyrius, id est, Nabuchodonosor, ait Lyran. imperans tam Assyriis quam Babylonis, et cæperit Ierusalem, ac Iudæos in Babylonem abduxerit, nos Israelitæ suscitabimus Prophetas, aliosque viros sanctos, quales erunt Daniel, Ieremias, Ezechiel, Esdras, Nehemias, Zorobabel, Iesus filius Iosedec, etc. qui invocando Christum, prosternent Assyrium, id est, Balsasarem filium Nabuchodonosoris. Christus enim excitavit Cyrum, qui per suos septem principes et reges, Balsasarem occidit, Babylonem cæpit, et Iudæos inde liberavit. Septem hosce principes et reges Cyri (ad quos hic alludit Michæas) nominat Xeuophon lib. 5. Cypripediæ. Eorum nomina sunt hæc: Embas rex Armenia, Antuchus Hyrcania, Damatas Cadusiorum, Thambrodas Saccarum, Tigranes, ac Gadatas et Gobrias, qui duo Balsasarem occiderunt. Tertio, q. d. Cum venerit Assyrius, id est, Antiochus Epiphanes tyrannus, vastans Iudæam, nostris precibus per Christum excitabimus, hoc est, Christus a nobis invocatus excitabit suos prodromos et prævios duces, qui Antiochum profligent, et Iudæos liberent; nimirum Machabæos septem et plures; puta Malathiam, Iudam, Ionatham, Simonem, Ioannem, Hyrcanum, Alexandrum, etc. Denique Christo nato cum venerit Assyrius, id est, tyrannus Nero, Adrianus, Aurelianus, Decius, etc. item Arrius, Nestorius, Pelagius, Eutycheus, aliique Hæresiarchæ Ecclesiam pessumdantes, Christus excitabit septem et octo, id est, multos principes tum Ecclesiasticos, tum sæculares, qui illis resistent, illosque debelient et prosternant. Tales fuere S. Petrus et Paulus certantes cum Simone Mago et Nerone, eosque debellantes; S. Ioannes et S. Clemens cum Domitiano; S. Ignatius et S. Dionysius cum Traiano; S. Cornelius et S. Cyprian. cum Gallo et Volusiano. Tales rursum fuerunt Constantinus, qui Diocletianum et Maximianum summos Ecclesiæ persecutores ad restim adegit, ac Ecclesiæ pacem et imperium consignavit; Theodosius, Arcadius, Honorius, Marcianus, et sequentes Imper. Christiani, qui per se suis armis, per Episcopos vero anathemate et censuris Ecclesiasticis peremerunt Nestorium, Eutychetem, Pelagium, et similes hæreticos in Concilio Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano, etc. ita fere S. Hieron. Rupert. Hugo et alii. Dicit *suscitabimus*, quia Israelitæ, id est fideles, eligunt et erant sibi principes tum Ecclesiasticos, puta Episcopos per Clerum: tum sæculares, puta Reges et Imperatores, per semetipsos.

Item septem principes Cyri

Tertio, Apostoli et viri Apostolici.

Mystice.

Mystice S. Hieron. per pastores et primates septem accipit Sanctos veteris, per octo Sanctos novi testamenti. Rupertus vero eos sigillatim sic enumerat. Septem, inquit, pastores fidelium fuerunt Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses et David: octo vero primates fuerunt octo iudices, id est, principes et salvatores Israel, scilicet Iosue, Caleb, Othoniel, Aoth, Barach, Gedeon, Iephte et Samson. Verum hi diu ante Michæam vixerunt: Michæas autem hosce pastores et primates in futurum promittit. Ait enim *Suscitabimus*, etc. Mystice quoque S. Ambros. in Genesim ad Horontianum enarrat. 2. sic explicat: *Septem pastores*, inquit, *legis præcepta sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moysi per desertum ductus et gubernatus est. Octo morsus hominum, mandata Evangelii, et Domini oris alloquia. Corde enim creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per quos æternæ vitæ munus gustavimus, peccatorum remissionem in Christi corpore devorantes. In veteri testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est: Devoravit mors prævalens. In novo testamento suavis morsus est*

*vitæ quæ mortem absorbit. Propterea Apostolus ait: Devorata est mors in victoria sua. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus?*

**ET PASCENT TERRAM ASSUR IN GLADIO, ET TERRAM NEMROD IN LANCEIS SUIS.** ) Terra Assur est Nive et Assyria, ita dicta a primo eius incolæ Assur, filio Sem. Terra Nemrod est Babylon: ibi enim Nemrod tyrannus regnare cæpit, uti superius dixi. Sensus est, q. d. Cyrus pascet, id est, reget et debellabit suis gladiis et lanceis Assyriam et Babylonem. Rursum cum Assyrius Sennacherib venerit in terram nostram, debellabunt eum Isaias, Ezechias, etc. per angelum. Porro Christus natus, per suos Apostolos et successores, armis spiritualibus debellabit reges et principes Assyriorum, Græcorum, Romanorum, etc. eosque convertet et subiget adeo, ut ipsi iam conversi pascant quoque, id est regant, tuentur, et propagent Ecclesiam, uti fecit Constantinus, et posterii.

Nota. Pro *pascant* etc. terram Nemrod in lanceis suis, Septuag. vertunt, *in fovea eius*: quod explicans mystice S. Hieron. Nemrod, ait, *interpretatur tentatio descendens: gigantis enim et venatoris, et superbientis contra Dominum terra, non est in montibus, sed in foveis. Redacta est ergo terra Nemrod in foveis suis: qui enim fodit foveam, incidet in eam. Et mox: Quod autem, Symmachus ait, et pascent terram Assur in gladio, et regionem Nemrod intra portas eius; hoc sentiendum est, quod in domo sua, alligetur fortis, et vulneretur adversarius. Et iuxta Aquilam et quintam editionem, sic et lanceis septem pastorum et octo christorum hominum confodiat.*

**ET ERUNT RELIQUÆ IACOB.** ) q. d. Apostoli et similes credentes Christo, licet pauci et quasi reliquæ Iudæorum, erunt quasi imber et ros optatissimus, qui divina sua doctrina et vitæ sanctitate fœcundabunt terram, id est, homines terrenos: terram inquam, quæ non expectat virum, id est, manum et opera hominis, scilicet irrigantis, sed Dei et gratiæ cælestis, q. d. Deus sua cælesti luce et gratia ad prædicationem Apostolorum illabens mentibus auditorum, easque placide et suaviter irrorans, faciet eas fructudas virtutibus et bonis operibus: ita S. Hieron. *Ardebant enim, inquit, ignitis diaboli iaculis corda populorum: Et omnes gentes adulterantes a Deo habebant corda quasi elibanus igne succensus. Unde ros a Domino cadens, factus est sanitas infirmorum;* uti factus est tribus pueris in fornace Babylonia, Dan. 3.

**QUASI STILLE SUPER HERBAM.** ) Sic et Aquila, Theodor. et Chald. qui habet, *sicut guttæ imbris serotini super herbam.* Quare mirum est Septuag. vertere, *sicut agni super gramen*, præsertim cui non ovium, sed roris mentio præcesserit; est tamen apta similitudo: Apostoli enim agnina sua innocentia, candore, modestia et puritate illapsi sunt mentibus hominum, sicut agni illabuntur graui. Unde Christus: *Ecce, inquit, ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, Matth. 20. 16.

**QUASI LEO IN IUMENTIS.** ) Quasi leo inter bestias, q. d. Apostoli quasi leones potentissime subiicient Evangelio quosvis infideles, ut nemo eis possit resistere: in infidelitate vero sua obstinatos, minis et miraculosis suis plagis percellent; uti Paulus excæcavit Elymam magum, ac Petrus Simonem volantem in terram deiiciens, eius crura confregit. Rore significatur suavitas, leone robur et efficacia Apostolorum, Evangelii et gratiæ Christi. Hoc est enim optimum regimen, quo suavitas eum fortitudine et efficacia miscetur. Eo enim utitur Dei providentia in regimine mundi, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, Sapient. 8. 1. Ita S. Hier. Theodor. Haymo, Rupert. Lyran. Vatabl. et alii. Alludit, et obiter quasi perstringit Iudam et Machabæos, qui quasi leones subiugarunt hostes Israelis. De Iuda enim dicitur 1. Machab. 3. 4. *Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione.* Et de Machab. lib. 2. c. 11. *Leonum more impetu irruentes in hostes prostraverunt;* nam leo fortissimus bestiarum ad nullius pavet occursum. Prov. 30. 30. Audi Silium Italicum lib. 12. Paulum Consulem leoni comparantem:

*Paulus ut adversam videt increbrescere pugnam, Ceu fera quæ telis circumingentibus ultro Assilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem, In medios fert arma globos.*

Ita infideles insiliit S. Paulus, Apostoli, virique Apostolici, ut S. Xaverius, Gaspar Barzæus, Iosephus Anchie-ta, aliique leones Christiani huius ævi.

Vers. 9. **EXALTABITUR MANUS TUA.**) Scilicet o Christe o dominator Israel. Respicit enim ad v. 2. et 4. ubi dixit: *Et pascet in fortitudine Domini, etc. quia nunc magnificabitur usque ad terminos terre.* Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo et Vatabl. Secundo, *tua*, scilicet o Iacob, o Israel: ita Theodor. Rupert. Lyran, et Arias, q. d. Manus tua, o Israel, tempore Christi exaltabitur super hostes tuos, scilicet Gentiles et infideles. Hos enim Apostoli ex te nascituri, tuique filii occident, ut intereant non corpore, sed mente et vita; scilicet quoad infidelitatem et vitam pristina, quam in Dei ignorantia et sceleribus egerunt. Occident ergo in eis impietatem, libidinem, ebrietatem, etc. faciuntque ut vivat in eis pietas, castitas, sobrietas, etc. ita S. Hieron. Quæ victoria longe maior et nobilior est, quam si omnes trucidarent. Quid enim mirabilius, quid generosius quam inimicos occidere, eosque facere amicos; infideles occidere, et facere fideles; impios pios, incestos castos, ebrios sobrios? etc. Hic sensus planior est. Nam de Iacob immediate præcessit: *Et erunt reliquæ Iacob in Gentibus, etc.* Et de eodem sequitur: *Auferam equos tuos de medio tui.* Hic tamen sensus eum priori coincidit. Exaltatio enim Christi, est exaltatio Israelis, id est, Ecclesie, et vice versa.

Vers. 10. **AUFERAM EQUOS TUOS DE MEDIO TUI.**) Pergit loqui de Iacob, id est, Apostolis et fidelibus sparsis per Gentes, easque ad Christum convertentibus; hoc est, de Ecclesia Christi, quæ cœpit ex Iudæis, crevit ex Gentibus. Unde de Gentibus maxime hic loquitur, quæ de idololatria et gentilitate convertendæ erant ad Christum et Ecclesiam; nec enim Iudæi tempore Christi, imo nec post reditum e Babylone, publicè idola coluerunt. Sensus est, q. d. O Iacob, id est, o Ecclesia, quæ orta es ex Iacob, sed maxime propagata es per Gentes, auferam tibi omnia præsidia, omnia arma, omnes arces et munitiones, quibus antea Christum fidemque Christi oppugnabas, vel illi resistebas; ac nominatim auferam maleficia, divinationes, oracula, idola, eorumque fana et urbes. Hæc enim infideles opponebant fidei et Ecclesie, lisque quasi arietibus Ecclesiam impetebant. Hinc secundo, auferam tibi hæc arma, quia dabo tibi plenam pacem, confidentiam, et securitatem in Christo, quo nixus secure in eo, eiusque præsidio conquiesces, nec confides in armis pristinis, aliisque humanis auxiliis, utpote quæ imbellia et invalida expertus commemnes. Hoc est quod dixit e. 4. 5. *Concidet gladios suos in romeros, et hastas suas in ligones. Et sedebit vir subtus fœcum suam.* Tertio, auferam tibi arma, quia faciam ut armis non propages tuos limites, sed cœlesti doctrina, mansuetudine, sanetitate, patientia, morte et martyrio. Ita Arias, Vatabl. et Lyranus.

Mystice. Mystice S. Hieron. *O Israel, inquit, interficiam equos tuos de medio tui, id est, de principali cordis tui lascivientes impetus, et equorum more ruptis vinculis proruentes; et currus tuos, quibus tibi in vitiis placebas, et peccata peccatis consocians quasi triumphans in quadragis ferrebaris.*

Vers. 11. **ET AUFERAM MALEFICIA.**) Hebr. et Chald. *succidam maleficos de manu tua*; Chald. *de medio tui, et præstigiatores non erunt tibi*: succisis enim maleficiis et præstigiatoribus, succiduntur maleficia et præstigiæ; sicut succisis hæreticis Ministris et libris, succiditur hæresis. Hebr. malefici vocantur *מכשפים* *mecasephim*, divini *מערננים* *meonenim*. Unde Tigurina vertit, *astrologi. Meonenim* ad verbum sunt oculatores, id est, observatores vel temporum, vel somniorum, vel astrorum, vel avium; aut præstigiatores, qui oculos perstringunt et ludificant, ut dixi Levit. 19. 26. hi enim frequentes erant apud Iudæos. Unde Iuvenalis satyra 6.

**A** *Qualiacumque voles Iudæi somnia vendunt.*

**ET DIVINATIONES NON ERUNT IN TE.**) Christus enim deorum, id est dæmonum, oracula sustulit, non tantum apud Christianos, sed et iisdem apud Gentiles silentium imposuit; unde Plutareh. librum edidit et Oraculorum silentio. Et Iuvenalis, qui cœvus fuit Apostolis, sat. 6. asserit Astrologos et Chaldæos a Gentilibus consuli, eo quod dæmones obmutuerint:

*Chaldæis sed maior erit fiducia: quidquid Dixerit Astrologus, credant a fonte relatum Hammonis: quoniam Delphis oracula cessant, Et genus humanum damnat caligo futuri.*

**ET EVELLAM LUCOS.**) In quibus Gentiles erigebant sua idola et fana, ibique celebrabant sacrilega sua sacrificia, festa et convivia. Luens est nemus arboribus densum: di-cuis. etus Luens, non quod ibi sint lumina religionis causa, ut aliqui volunt, sed per antiphrasin, quod minime luceat, sicut bellum dicitur, quasi minime bellum et bonum. Luens enim non erat cædus, religionis, id est, superstitionis causa, nec enim licebat eius arbores cedere: quin potius manu consitus, religiosus erat, atque vel alicui Deo, vel alicuius hominis eueribus consecratus. Luens ergo erat sacer. Unde Virgil. 1. *Æneid.*

*Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra.* Ubi Servius: *Ubieumque, ait, Virgil. lucum ponit, sequitur etiam consecratio, ut,*

*Luco tum forte parentis Pylumni, Turnus sacrata in valle sedebat.*

Heroum enim animæ dicebantur lucos incolere. Unde Virgil. *Æneid.* 6.

*Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.*

Hinc Deus lucos, ut superstitiones et idololatrias, succidi iussit Deuter. 12. 3. et Exodi 34. 13.

**ET CONTERAM CIVITATES TUAS.**) Hebr. *אריים* *arim* et civitates et hostes significat. Unde Chald. Arias, Pagnin. et Vatabl. vertunt, *conteram hostes tuos*; Septuag. tamen, Noster, Tigurina, et alii vertunt, *conteram*, vel *disperdam civitates tuas*, idololatrias scilicet, in quibus sunt idola et luci, uti præcessit: quæque idolis sunt consecrata, uti Dan et Bethel consecrata erant vitulis aureis, Delphi Apollini, Heliopolis Soli. Aliæ ergo sunt hæc civitates ab illis, de quibus dixit v. 41. *Et perdam civitates terræ tuæ: ibi enim per civitates intelligit munitiones et arces, quibus præsidebant Gentiles, q. d. Auferam tibi munitiones, arma, omniaque præsidia humana, quibus confidere soles, ut uni Deo fidere et inniti discas.* Hic vero civitates diis vel idolis consecratas intelligit. Porro contrivit Deus civitates, cum per Apostolos ellecit, ut desinerent esse Gentiles, et inciperent esse Christianæ, ut iam vixerent Christo, quæ antea vixerant Veneri, Iovi et Baceho; uti dixi v. 9. Pulehre S. Hieron. *Disperdam, ait, civitates terræ tuæ. Non enim ædificasti urbem, quam lætificat impetus fluminis Dei, psalm. 35. et quæ in montibus sita est, et cælestem Ierusalem; sed quam ædificaverat Cain, Genes. 4. Unde et dicuntur civitates terræ, operibus terrenis constructæ.*

**ET FACIAM IN FURORE ET IN INDIGNATIONE ULTIONEM IN OMNIBUS GENTIBUS, QUÆ NON AUDIERUNT.**) Chald. *quæ non receperunt doctrinam legis*, q. d. Eos qui audire, id est, credere et obedire noluerint Evangelio, ulciscar et puniam. Ita Iudæos Christi contemptores et homicidas, ultus est et ad internecionem delevit per Titum et Vespasianum. Idem fecit subinde variis gentibus, quæ prædicatores Evangelii exploserunt et occiderunt; sed omnibus idipsum faciet in die iudicii, *in flamma ignis dandis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi*, ut ait Apostol. 2. Thessal. 1. 8.

Porro Iudæi hæc omnia a v. 5. huc usque referunt ad Iudæo- rum va- nus Mes- sias.

Verum Respondeat carnis Israel, ait S. Hieron. quæ tunc de Israel idola auferentur, quæ modo non colit? qui succidentur luci, quos non habet? quæ urbes subruentur, quæ olim subrutæ sunt? qui tollentur arioli, quos cum non habeat, nec habere se gloriatur, tamen tanto tempore derelicta est filia Sion, et sedet sine altari, et sine sacerdotibus; et aliis fruges eorum comedentibus, ipsi siccis faucibus, sibi futura promittunt quæ nesciunt.

## CAPUT SEXTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Redit Propheta a Bethlehem, Christo et Apostolis, ad sua tempora; ac cum Iudæis sui ævi, patheticè nomine Dei disceptat et expostulat: Popule meus, inquit, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Deinde beneficia multa et grandia eis a se collata recenset, ut ostendat eorum summam ingratitude, quod a Deo ad idola et scelera desciverint. Mox v. 6. iis postulantis qua ratione Deum sibi reconciliare possint, respondet vers. 8. dicens: Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Tertio, v. 9. horribilem Dei vocem et minas eis intental, ob eorum iniquas mensuras et pondera, similesque fraudes et dolos, quibus expilabant pauperes: quapropter minatur eis egestatem, excidium, captivitatem et opprobrium. S. Hieron. Remig. et Hugo putant Prophetam hæc loqui ad Israel, id est ad decem tribus, quia v. 46. meminit Amri et Achab regum Israel. Melius Theodor. Vatabl. et Arias censent hæc dici Iudæis, sive duabus tribubus. Videtur enim hæc Propheta vaticinatus sub Ezechia, post excidium decem tribuum, uti dixi cap. 5. 42. cum solæ duæ tribus in Iudæa remanebant.*

1. **A**UDITE quæ Dominus loquitur: Surge, contende iudicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam. 2. Audiant montes iudicium Domini, et fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cum populo suo et cum Israel diiudicabitur. 3. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. 4. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te: et misi ante faciem tuam Mozen, et Aaron, et Mariam? 5. Popule meus memento quæso quid cogitaverit Balach rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres iustitias Domini. 6. Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocaustomata, et vitulos anniculos? 7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? 8. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: Utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. 9. Vox Domini ad civitatem clamat, et salus erit timentibus nomen tuum: Audite tribus, et quis approbabit illud? 10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. 11. Numquid iustificabo stateram impiam, et sacelli pondera dolosa? 12. In quibus divites eius repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. 13. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. 14. Tu comedes, et non saturaberis: et humiliatio tua in medio tui: et apprehendes, et non salvabis: et quos salvaveris, in gladium dabo. 15. Tu seminabis, et non metes: tu calcabis olivam, et non ungeris oleo: et mustum, et non bibes vinum. 16. Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab: et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, et habitantes in ea in sibilum: et opprobrium populi mei portabitis.

Vers 1. **A**UDITE, o Iudæi, o Hierosolymitæ, QUÆ DOMINUS LOQUITUR ad me Michæam, ut eadem vobis referam et annunciem. Dicit ergo mihi Deus: SURGE, CONTENDE. ) Iubet hic Deus Michæam, ut suo nomine contendat et disceptet cum Iudæis, eosque de sceleribus arguat. Paret iubenti Deo Propheta v. 2. dicens: Audiant montes iudicium Domini. Simili modo contendit Deus cum Israele per Ierem. c. 2. 9. dicens: Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethim, etc. et videte si factum est huiuscemodi.

CONTENDE IUDICIO ADVERSUM MONTES, ET AUDIANT COLLES VOCEM TUAM. ) Hebr. litiga cum montibus; Sept. iudicare ad montes; Pagninus, ostende iudicium montibus. Unde a Castro censet hic citari montes tamquam testes, non tamquam reos: rei enim sunt Israelitæ. Verum melius Noster vertit, contende iudicio adversum montes, tum quia Hebr. ריב rib quando constructur cum פתח et, quod Latini vertunt, litigare cum aliquo, Hebræis, æque ac Latinis, idem est quod litigare adversus aliquem: tum quia sic maius est orationis pondus et energia, uti iam ostendam. Citantur ergo hic montes ut rei, eo quod in montibus erecta fuerint et culta idola: licet enim proprie populus sit reus, tamen, quia is durus et rebellis volebat audire Prophetas, et per eos litem et iudicium Domini; hinc ad pathos citantur montes, in quibus populus peccaverat, q. d. Vos o montes insensibiles, magis sensati estis quam sensibiles Israelitæ: vos enim sentitis vocem et inssum Dei creatoris vestri, eique obeditis; quem illi

non sentiunt. Vos ergo cito, ut incolas vestros, qui rei sunt, repræsentetis; ut ipsi per vos audiant et cognoscant iustam meam litem, actionem et querelam; seque reos fateantur; pœniteant, et veniam petant. Est prosopopœia: montes enim hic inducuntur quasi personæ vivæ et rationales; quia ipsi per aras et idola, perque victimarum sanguinem, ossa et cineres quæ in ipsis extabant, muta sed clara voce loquebantur Iudæorum idololatriam et scelera, ac consequenter iustam Dei contra eos esse actionem et expostulationem. In hac ergo lite Deus est actor, Iudæi cum montibus totaque Iudæa sunt rei, præco est Michæas, iudices sunt Angeli et homines; imo ipsimet rei, qui audita tam iusta Dei beneficentissimi querela, non possunt non ipsi causam adiudicare, et seipsos ingratitude condempnare: ita Theodor. Arias et Clarius. Simili prosopopœia terram Iudæorum citat et inelamat Ierem. c. 22. 29. Terra, ait, terra, terra, audi sermonem Domini. Et Isaias c. 1. 2. citat caelos et terram: Audite, inquit, caeli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.

Symbolicè, per montes et colles Propheta intelligit principes et magistratus, qui in populo eminebant, sicut montes in terra, de quibus Habacuc c. 3. 6. Dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi; et psal. 71. 3. Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam. Iidem sunt fundamenta terræ: quia populum sustentant quasi fundamenta: quocirca rex græce dicitur βεβαίωσις, quod sit quasi basis populi, et Hebr. adon, id est dominus, dicitur ab פתח eden, id est basis; ita S. Hieron. Haymo, Remig. Lyran. et Vatablus. Huc pertinet versio Chaldaei, qui

Deus citat montes quasi reos.

per montes intelligit patres, per colles matres Iudæorum: *A Contende, inquit, cum patribus, et audiant matres vocem tuam.* Unde S. Hieron. per montes accipit Abraham, Isaac, Iacob, et viros sanctos, qui posteris debuerant esse regula vitæ, et stimulus virtutis, ut appareat quam hi ab illis fuerint degeneres, quos in hoc iudicio parentum pietas et religio condemnat. Quocirca viri sapientes docent nihil esse quod magis desidiâ excutiat, stimulumque det ad omnem virtutem, quam sibi iugiter ob oculos ponere viros sanctos, præsertim sui status et Ordinis, qui strenuam Deo et virtuti navarunt operam. Id quisque experitur in se, scilicet eum patrum, vel Sanctorum quos colit et amat, heroica facta recogitat, mirifice se ad eadem imitanda excitari. *A bove maiori discit arare minor.* Aureum est hac de re præceptum Senecæ lib. 1. epist. 11. *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit, custodem nobis et pædagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vercatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium; elige eum cuius tibi placuit et vita, et oratio: et ipsius animum ante te ferens et vultum, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se ipsi erigant. Nisi ad regulam, prava non corriges.* Ita P. Scipio Africanus iugiter sibi ob oculos ad imitandum proponebat Cyrum Xenophontis, Iulius Cæsar Alexandrum Magnum, Selymus Turcarum Imp. Iulium Cæsarem. Plato Socratem adeo imitatus est, ut passim, etiam ab Aristotele, vocetur iunior Socrates. Nam, ut ait Arist. lib. 9. Ethic. *Accipere virtutes virtuosorum beatissima est vita.* Et Plutarch. in Moral. *Sicut, ait, qui se comunt, adhibent speculum; sic gesturus negotium, proponat sibi laudatorum virorum exempla.* Et rursus: *Adversus omnes animi perturbationes, exempla quædam optimorum virorum habenda sunt in promptu.* Denique S. Basil. epist. ad Greg. de vita solit. Sicut, ait, pictores sæpe inspicunt exemplaria, ut ea expingant, sic qui studet perfectioni virtutis, debet ad vitas Sanctorum, quasi ad simulacra vitæ et actione prædita, sæpe animi oculos convertere. Quocirca utilissimum est, crebro vitas Sanctorum lectitare. Id fecit S. Dominicus, S. Thomas Aquinas, et alii; ac in primis S. Ignatius, qui earum lectione a militari vita conversus ad sanctam et spiritualem, fundator Societatis nostræ effectus est.

Mystice S. Hieron. per montes accipit angelos e cælis ad nostram custodiam deputatos, quasi illi citentur a Deo, ut hominum sibi commissorum, et scelerum quæ ipsi commiserant, rationem reddant. Verum hoc eum grano salis accipiendum: scilicet ut citentur non tamquam rei, sed tamquam testes operum, quæ homines ipsorum clientes patrarunt. Nam aliqui id sapit errorem Origenis, qui censebat angelos in hominum custodia mereri et demereri; ut, si bene eos custodierint, a Deo præmientur; si male, puniantur et in gehennam tradantur: ideoque adhuc non esse beatos, sed de sua salute et beatitudine incertos. Similis fuit error Magistri sent. in 2. dist. 11. lit. D. E. et G. ubi docet angelos per custodiam hominum sedulam, usque ad diem iudicii crescere in merito et præmio beatitudinis, non tantum accidentaliter, sed et essentialiter, quem ibidem refutant omnes Scholastici.

Vers. 2.

**AUDIANT MONTES IUDICIUM DOMINI.**) *Iudicium* hinc duobus versibus sumitur pro lite iudiciali et actione forensi. Unde Figurina vertit, *audite montes actionem*, id est, ut Vatabl. disceptationem, rixam, controversiam, *Domini*: hæc enim in iudicio ab actore agitur coram iudice, reo se defendente.

**ET FORTIA FUNDAMENTA TERRÆ.**) Sept. *et valles fundamenta terræ.* Sic et Chald. *et radices, inquit, fundamentorum terræ;* valles enim imæ sunt, quasi montium et terræ radices et fundamenta: atque Iudæi non tantum in montibus, sed et in vallibus habebant suos lucos et idola: tam ergo valles, quam montes suis sacrilegis sacrificiis contaminabant; unde valles æque ac montes, quasi reæ citantur hic a Deo. Secundo, per epexegesin, *et posset accipi pro id est, q. d. Audite montes qui fortiter fundati estis in terra, ideoque estis quasi robusta terræ fundamenta.* Montes enim quia excelsi, fortia habent in terra fundamenta: perinde ac turres quo celsiores sunt, eo fortiora exigunt fundamenta: ita Vatabl. Addit a Castro, montibus et collibus quasi fundamentis, id est fulcris, terram fulciri. Unde Arias censet eos hic a Deo citari potius, quam cælum et terram; quia non modo cælum, quod natura sua est mobile, sed et terram ipsam in medio orbis contentam et permanentem, montes stabilitate et firmitudine vincunt, utpote qui robore, vallo et situ suo terram, ne vel ventorum impetu, vel caloris vi, vel aquarum inundatione dissipetur, contineant. Itaque montes magnæ in rerum natura virtutis et constantiæ nomen obtinent, sicut scriptum est psal. 64. *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia.* Citat ergo hic Deus montes, eorumque fundamenta, id est radices, hisce enim quasi fundamentis ipsi iunituntur, ut significet fortem et constantem suam potentiam et beneficentiam, uti in montes, ita et in eorum accolos Iudæos, qui tamen ipsi contra Deum abusi sunt ad cultum idolorum: quocirca pariter fortem et constantem hic eis litem intentat, eo sensu quem paragrapho præcedenti assignavi.

**QUIA IUDICIUM DOMINI CUM POPULO SUO.**) Id est, ut Figurina, *quia lis est Domino cum populo suo,* qui montes eorumque fundamenta accolit, et sceleribus suis polluit, q. d. Paratus est Deus et intentus ut lite disceptet eum populo suo.

**ET CUM ISRAEL DIUDICABITUR.**) Id est, indicio contendet et disceptabit: ita Vatabl.; unde Paguin. vertit, *et cum Israel disputare vult,* non speculative, uti disputamus in scholis, sed criminally, uti disputatur in tribunal. Sic Iob pro sua innocentia disputabat cum amicis, et cum Deo; atque amicos vicit, sed a Deo victus est. *Disputare cum Deo cupio,* inquit ipse c. 13. 3. sed post disputationem victus et confusus ait c. 42. 3. *Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam, nimirum quod ausus sim Deum ad disputationem provocare, eique dicere: Audi, et ego loquar; interrogabo te, et responde mihi;* unde penitens subdit v. 6. *Idcirco, inquit, ipse me reprehendo, et ago penitentiam in favilla et cinere.* Ita quisque in hora mortis, puta in iudicio particulari, disputabit defendetque theses de anima, non specifica, sed individua et sua; argumentantes erunt demones, imo Deus ipse; studeat ergo quisque bene non speculari, sed vivere, ut argumentis et obiectionibus omnibus, quæ de vita bene vel male transacta proponuntur, satisfacere possit. Sapienter noster Thomas 1. 1. de Imit. Christi c. 3. *Certe, ait, adveniente die iudicii non quæretur a nobis quid legimus, sed quid fecimus; nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus.* Tunc enim Christus Dominus magistrorum Magister, omnium lectiones audiet, omnes examinabit, cum omnibus disputabit de moribus et vita cuiusque. Ita Climachus in Gradu timoris, refert disputationem Stephani viri sancti cum dæmonibus in agone mortis, in qua aliquando respondebat, aliquando victus succumbebat, ut ingentem horrorem astantibus incuteret. S. Hieron. epist. ad Eustochium, narrat se, cum magis Ciceroni quam S. Scripturæ additus esset, raptum ad Christi tribunal, ibique examinatum ab eo ac diverberatum.

**POPULE MEUS QUID FECI TIBI?**) Hic incipit iudicium, Vers. 3. id est lis, actio et accusatio Domini, eaque nervosa et pathetica. Iam Primo, Arias hæc legit per notam admirationis, sicque explicat, q. d. *Popule meus quod quantaque bona feci tibi! quanta beneficia in te contuli! quomodo ergo eorum oblivisci, iisque ingratus existere potuisti? Se-*

endo, Chaldaeus vertit, *quid boni dixi me facturum tibi, quod non fecerim?* Tertio, alii passim sic explicant, q. d. Quid mali feci tibi? quare te offendi? quam occasionem desciscendi a me tibi dedi? Sequitur enim, **AUT QUID MOLESTUS FUI TIBI.** ) Pro quo S. Hieron. in comment. vertit, *quo labore te pressi?* Pagnin. *in quo laborare feci te?* Vatabl. *quam re fatigavi te, vel feci te deficere?* Chald. *quam infirmitatem gravem multiplicavi super te?* Proprie enim, ut patet ex sequentibus, respicit miraculum illud ingens et continuum, quo Deus Hebraeos quadraginta annis per desertum deduxit sanos et vegetos, ita ut labore itineris non fatigarentur, nullique inter eos essent infirmi vel ægri, iuxta illud psalm. 104. 37. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Et Dent. 8. 4. ait Moses Hebraeis: *Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam velustate defecit, et pes tuus non est subtritus: en quadragesimus annus est.* Ita explicat S. Hieron. Remig. Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionys. et alii.

Secundo tamen, generatim hæc verba ut sonant, necipi possunt de qualibet molestia, q. d. Qua in re te allixi? qua in re tibi molestiam exhibui? An quod in deserto pro cæpis Ægypti, tibi manna plui? at manna non amarum erat, sed gratum et sapidum, habens omnem saporis suavitatem, Sapient. 16. 20. erat enim panis caeli et angelorum, psal. 77. 25. An quod ex Ægypto in desertum te eduxi, et pro domibus in tentoriis, vel potius sub dio habitare te feci? at columna nubis te ab imbre, aestu, omnique aeris intemperie protexi, mitiusque te tractavi, quam si in aula Pharaonis habitasses? An quod leges tot, tamque varias per Mosen tibi dederim? at qui manna te alui, iure meo potui et leges dare, iuxta vetus dictum: *Cum paveris impera.* Rursum hæc leges exigebat tua pronitas in superstitiones, idololatrias et novitates quaslibet, quæ hisce legibus detinenda, occupanda et frangenda erat; cæque longe suaviores sunt legibus idolorum et Gentium, uti tu expertus es, cum ex earum præscripto filios et filias tuas idolo Moloch concremastis, etc. Unde Syrus vertit, *popule meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te (Arabicus, persequutus sum te) demonstra mihi; Arabicus, argue me.* Hinc et sequitur:

**QUA EDUXI TE DE TERRA ÆGYPTI.** ) Nota hæc cum Roman. legenda esse per interrogationem, q. d. Estne hoc quod mihi obicis quasi te afflixerim, quod scilicet te eduxi e terra et servitute Ægypti? nec enim video aliud quid mihi possis obicere, nisi hoc aliaque similia beneficia, quæ exinde continua et plurima in te contuli; nihil enim mali tibi irrogavi. Esto enim permiserim quandoque te alligi a Philisthæis, Idumæis, aliisque gentibus; tamen id non feci nisi provocatus a te, ad tua scelera castiganda et cohibenda. Hoc ergo bonum tuum fuit, non malum; ac proinde ego id permisi non ex odio, sed ex amore tui. Est myeterismus, sive tacita subsannatio. Vide canon. 7. in præmio operis.

**DE DOMO SERVIENTIUM LIBERAVI TE.** ) Hebr. *de domo servorum*; Sept. et Chald. *de domo servitutis*; ita vocatur Ægyptus; quia talis fuit Hebræis, qui quasi mancipia Ægyptiorum serviebant eis in latere et luto, Exodi 1. et seq. Addit Arias et Vatabl. Ægyptum vocari domum servitutis, ex eo quod Ægyptii fuerint servi; utpote servituti addieti a Noë maledicente filio suo Cham: *Servus servorum erit fratribus suis*, Genes. 9. v. 15. Nam filius Cham fuit Mesraim primus Ægypti incola, paterque et nomenclator Ægyptiorum; nam Ægyptus hebr. vocantur Misraim, q. d. In Ægypto serviebas non nobilibus, non dominis, non ingenuis; sed servis, et olim a primo parente suo Noë servitute damnatis, quibus servire vilissima erat servitus: quanta ergo fuit vilitas, tanta fuit mea in te elementia, cum ex ea te eduxi.

**ET MISI ANTE FACIEM TUAM MOSEN, AARON ET MARIAM?** ) Hi tres fuere duces et directores Hebræorum egredientium ex Ægypto, per quos Hebræi ingentia acceperunt beneficia. Nam a Mose per desertum deducti, gubernati, et cibo caelesti pasti sunt: ab Aarone, per sacrificia, Iustrationes, expiationes, preces et vota expiati, Deo-

que reconciliati sunt: a Maria prophetiam, doctrinam et gubernationem feminarum acceperunt. Unde Chald. vertit, *misi ante te tres Prophetas Mosen, Aaron et Mariam.* *Mosen ad docendum iudiciorum traditionem, Aaron ad expiandum populum, Mariam ad eruditionem feminarum:* ita S. Hieron. Haymo, Remig. Lyran. et Hugo.

Alleg. Moses representat principatum et legislationem Christi in Evangelio; Aaron eiusdem pontificatum et sacerdotium; Maria B. Mariam Christiparam et Deiparam. Sicut ergo summum beneficium Iudæis a Deo datum assignat hic Michæas, quod dederit eis Mosen, Aaronem et Mariam; ita summum Christianorum, totiusque orbis et sæculorum omnium beneficium a Deo datum, est Christus et Maria. Sicut enim bonum domus ample consistit in strenuo patrefamilias, et sedula matrefamilias; ita bonum Ecclesie, consistit in Christo et Maria: quam proinde S. Leo serm. 1. de pass. salutiferam Virginem nuncupat. Et S. Germanus Patriarcha Constantinop. in orat. de Deipara: Sicut, inquit, continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa; sic sanctissimum Mariæ nomen, quod in Dei servorum ore assidue versatur, simul argumentum est quod vere vita vivunt: simul etiam hanc ipsam vitam efficit et conservat, omnemque eis letitiam et opem ad omnia impartitur. Deus ergo in peregrinatione et navigatione huius vitæ tam obscura et periculosa, dedit nobis Mariam, quasi stellam maris et cynosuram, quæ iter nostrum dirigat, et ad portum salutis perducet. Et S. Bern. hom. 2. super Missus est: *Si insurgant, ait, venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam: si iactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si emulationis; respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoa. Non recedat ab ore; non recedat a corde; et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras. Ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitiâ pervenis.* Idem serm. 1. in Nativit. B. Mariæ: *Allius, inquit, intuemini quanto devotionis affectu a nobis Mariam voluerit honorari: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens Auster ille divinus; ut undique fluant et effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam, hanc maris stellam; maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Quocirca Ecclesia in Parasceve hæc omnia apposite et pathetice Christo adaptat, eaque usurpat et eam in adoratione et deosulatione erueis, ut quisque Christum crucifixum deosculans, putet sibi hæc a Christo dici, quæ ad litteram Iudæis dicta sunt: non enim tam Iudæi, quam quisque suis peccatis Christum flagellavit, spinis coronavit, et crucifixit. Audi carmen, imo improprium et threnos Christi in cruce, petitos ex hoc loco Michææ, et ex Ierem. 11. 16. qui corda saxea emolliant, solvantque in lacrymas: singula enim beneficia Christi, singulis Iudæorum in eum maleficiis directe opponunt, ideoque totidem impropria ingratis in faciem ingerunt. Præcutores præcunt singula, chorus deinde totus vice Christi proclamant, iteratque iugiter et inculcat Trisagion, et, *Popule meus quid feci tibi:* etc. Sic ergo inchoant bini præcutores: *Popule meus quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, parasti crucem Salvatori tuo.* Chorus alternatim respondet: *Ἄγιος ὁ Θεός, sanctus Deus: Ἄγιος ὑψηλός, sanctus fortis: Ἄγιος ἀθάνατος ἐλεησὼν ἡμῶν, sanctus immortalis, miserere nobis.* Rursum præcutores: *Quia eduxi te per desertum quadraginta annis,*

Moral. Bonum orbis est Iesus et Maria.

Impropria Parasceves hinc petita.

et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis optimam. A Chorus respondet *αγιος ο θεος, sanctus Deus, etc.* Præcentores iterum: *Quid ultra debui facere tibi, et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, et tu facta es mihi nimis amara; aceto namque silim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo.* Chorus respondet *αγιος ο θεος, etc.* Urgent præcentores: *Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis, et tu me flagellatum tradidisti.* Chorus respondet: *Popule meus quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.* Pergunt præcentores: *Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et tu me tradidisti principibus sacerdotum.* Chorus respondet: *Popule meus quid feci tibi? etc.* Prosequuntur querelam præcentores: *Ego ante te aperui mare, et tu aperuisti lancea latus meum.* Chorus respondet: *Popule meus quid feci tibi? Instant præcentores: Ego ante te præivi in columna nubis, et tu me duxisti ad prætorium Pilati.* Chorus respondet: *Popule meus, etc.* Rursum præcentores; *Ego te pavi manna per desertum, et tu me cecidisti alapis et flagellis.* Chorus respondet: *Popule meus, etc.* Iterum præcentores: *Ego te potavi aqua salutis de petra, et tu me potasti felle et aceto.* Chorus respondet: *Popule meus, etc.* ad hæc præcentores: *Ego propter Chananæorum reges percussi, et tu percussisti arundine caput meum.* Chorus respondet: *Popule meus, etc.* Denique præcentores: *Ego te exaltavi magna virtute, et tu suspendisti me in patibulo crucis.* Chorus respondet: *Popule meus quid feci tibi? etc.* Ac mox una voce conclamant: *Crucem tuam adoramus Domine, et sanctam resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus. Ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.* Quocirca S. Ambros. in ps. 50. ad illud: *Et vincas cum iudicaris*, urgens hæc Michææ verba: *Singula, ait, in conspectu tuo locat beneficia sua, ut tamquam de his iudices quæ servare debueras, quo magis reus fias: qui divinis non potueris stare beneficiis. Quid feci, inquit, tibi? Tamquam reum se constituit, et te iudicem. Aut quid contristavi te? Offensivus vultus non abnuat crimen, si tu Deo es contristatus auctore. Aut quid molestus tibi fui? Interpellationis iniuriam confitetur, si molestior æstimata est: addit beneficia, quorum gratiam non erubuit, qui existebat ingratus.* Hinc collige quam iusta et gravis erit querela Dei in die iudicii contra impios, qui vocentem aspernati sunt, et tot eius beneficiis tanta maleficia reddiderunt. Similis expostulatio aeris, reprobis a Christo iudice intentanda in die iudicii, extat apud S. Augustin. (vel quisquis est Auctor; non enim videtur esse S. August.) tract. de Vanitate sæculi c. 3. tom. 9.

**POPULUS MEUS, MEMENTO QUID COGITAVERIT** (hebraice *יְיָ יֵאָטֵס*, id est consultavit cum suis principibus, et maxime cum Balaam ariolo, quærens ab eo consilium modumque quo te interimeret et perderet) **BALACH REX MOAB, ET QUID** (consultus ab eo) **RESPONDERIT EI BALAA FILIUS BEOR, DE SETIM USQUE AD GALGALAM.** Pro *Setim* Septuag. vertunt *σητις*, id est *lentiscis*: perperam enim in iis legitur *σητις*, id est, *funiculis*. ait S. Hieron. Refricat hic historiam Balach vocantis Balaam, ut malediceret Israeli castrametanti in *Setim*, Num. 22. et sequent. Ex *Setim* Iosue c. 2. 1. misit exploratores in Iericho, ac mox transmisso Iordane, eam obsedit et cepit: *Setim* enim a Iordanem distabat septem milliariibus Italicis eum dimidio, id est duabus leucis Gallicis eum dimidia; transito Iordane Iosue perrexit in Chananæam ad sex milliaria, id est duas leucas; et prima castra fixit in loco quem vocavit *Galgala*, id est devolutio, amotio, scilicet præputii et opprobrii Ægyptiorum. Ibi enim circumcidit Hebræos, itaque eos a vita et moribus Ægyptiorum incircumcisorum per circumcisionem amovit, ac in novam gentem legemque, et Ecclesiam sanctam Dei transtulit, Iosue 3. 9. Sed quæritur quid sibi velit *α a Setim usque ad Galgalam?*

Primo, aliqui sic exponunt, q. d. Balac petiit a Balaam, ut malediceret castris Israelis, quæ a *Setim* protendebantur usque ad *Galgala*: ita Remig. Rupertus et Lyran.

Verum hoc falsum est. Nam, ut dixi, castra Israel tunc erant in *Setim*, et distabant a Iordane septem, a *Galgala* tredecim milliariibus; ac post mortem Mosis, Iosue castra traduxit e *Setim* per Iordanem in *Galgala*.

Secundo, S. Hieron. et Haymo exponunt, q. d. Memento, o Israel, quanta mala contra me sis operatus a tempore quo fornicatus es, et coluisti Beelphegor in *Setim*, usque ad tempus quo Saul creatus est rex in *Galgala*: et ex adverso quot quantaque ego in te bona contulerim, et videbis quam ego in te beneficus, tu in me maleficus et ingratus fueris. Verum hic sensus nimis remotus est: agitur enim hic de tempore Mosis, non Saulis.

Tertio, Chald. Vatabl. Arias et Clarius repetunt verbum *memento*, et sic exponunt, q. d. Memento o Israel quanta cura, quot miraculis et portentis ego ex *Setim* perduxerim te in *Galgala*, puta in ipsam Chananæam. Nam, ut alia taceam, miraculose fidi Iordanem, eiusque aquas suspendi et stiti, ut tu per medium eius alveum siccò pede transires in *Galgala*. Verum hæc sententia multa subaudit et supplet, quæ non habentur in textu; nimirum hæc omnia: *Memento quot miraculis te perduxerim.*

Quarto, ergo dico plane et simpliciter cum Ribera, hæc verba: *De Setim usque ad Galgalam*, connexa esse cum præcedentibus, et ab iis pendere, ut patet ex textu Hebraico, Græco et Latino. Unde sensus est, q. d. Memento quid responderit, quamque malum consilium Balac regi dederit Balaam; nimirum cum videret se Israeli maledicere non posse, cogique a Deo ad benedicendum, suasit Balac regi ut puellas Moabitides et Madianitides speciosas, quasi vendituras cibos Israeli, in castra submitteret, quæ eum ad fornicationem, et per eam ad idololatriam sollicitarent: sic enim fore, ut Israel deserens Deum, ab eo cuius ope invictus erat, vicissim desereretur, itaque a Balac superari et cædi posset. Vide dicta Num. 25. v. 1. et Apocal. 2. 14.

Dices, hoc consilium dedit Balaam in *Setim* tantum, non usque ad *Galgala*. Nam antequam ex *Setim* Hebræi pergerent in *Galgala*, iussu Dei Iosue indixit bellum Madianitis, in quo omnes cum feminis, quæ hoc scandalum Israeli dederant, ipsumque Balaam scandali auctorem occidit, ut patet Num. 31. v. 2. 8. 15. Resp. Verum est Balaam et Madianitides fuisse occisas Israele morante in *Setim*; sed tamen ante hoc bellum et cædem, Balaam suasit Balac regi, ut puellas tentatrices iam dictas, non tantum in *Setim*, sed continue a *Setim* usque ad *Galgala*, Israeli submitteret, scilicet usque ad terminos regni sui, donec Israel ex Moab introiret confinem Chananæam, primaque castra figeret in *Galgala*. Id enim expresse hic dicitur: volebat enim impius Balaam assecurare regnum Moab Balac regi, planeque populum Israel perdere; unde longum et continuum voluit esse hoc mulierum scandalum. Metnebat enim, ne, si in *Setim* tantum illud obiceret Israeli, pauci ex eo caperentur; aut, si multi, per Moseu compescerentur, et eogerentur per pœnitentiam cum Deo in gratiam redire, itaque Deus iis reconciliatus, culpam hanc in Balac et Balaam retorqueret, uti fecit: quare suasit ut scandalum hoc daretur continuum a *Setim* usque ad *Galgala*, ut ita continue peccarent Israelitæ, et pœnitere non possent. Idem facit diabolus, dum hominem post fornicationem unam, invitat ad secundam; post secundam, ad tertiam, quartam, et tandem ad continuum concubinatum; ex quo ob vim et nexum consuetudinis, vix se concubinarum extricare possunt, et de facto paucissimi se extricant. Verum hoc exitiale Balaam consilium discussit Deus per Mosen, suspendendo principes, et occidendo ex populo ob hoc peccatum 24. millia, Num. 25. 9. Nam ut Poeta ait:

*Immedicabile vulnus*

*Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.*

Ut cognosceres iustitias Domini.) Id est misericordias Domini, ait S. Hieron. quam scilicet ego in te licet fornicantem, clemens, misericors et beneficus fuerim. Secundo et germanius, *iustitias* vocat fidelia promissa et fidelitatem Dei, q. d. Ut cognoseceres quam promissa mea,



quibus pollicitus sum te perducere in Chanaan, sint certa et stabilia; quamque ego in iis servandis et præstandis sim fidelis: ita Theodor. et Lyran. Tertio, *iustitiae* possunt hic proprie capi, nimirum pro iusta vindicta fornicantium, et iusta præmiatione innocentium vel pœnitentium: Deus enim iustitiam exercuit in Sctim, quando fornicantes occidit, pœnitentes vero vel innocentes servavit, et salvos perduxit in Galgalam, ac nominatim Phinees sacerdoti, qui fornicantes occidit, consignavit pontificatum perpetuum. Vide dicta Num. 25. 13. Quocirca minus apte Vatabl. sic exponit, q. d. Ut cognosceres quam sit iusta mea actio et querela de te.

Vers. 6.

**QUID DIGNUM OFFERAM DOMINO?** ) Sunt verba populi, puta Israels pœnitentis. Illum enim hic loquentem inducit Propheta, et quasi per dialogismum interrogantem, quid Deo offerre debeat, ut ei placeat: illumque placet et sibi reconciliet. Id facit, ut interrogationi respondens doceat populum, quid Deo præstare debeat; uti de facto respondens docet v. 8. Ait ergo populus: *Quid dignum offeram Domino?* etc. Septuag. *in quo apprehendam Dominum? Suscipiam Deum excelsum?* Chald. *in quo serviam coram Domino? me submittam Deo, cuius in caelis altissima residet maiestas?* Hebr. ad verbum habent, *in quo præoccupabo Dominum, curvabo me Deo celsitudinis?* Tigurina, *quare occurram Domino? incurvasne incedam coram Deo excelso?* q. d. Quid offeram Domino, ut eius gratiam promerear? offeramne holocausta et victimas? Respondet Propheta, Minime: hæc enim peccata non expiant, nec per se placent Domino; sed ita demum placebunt, si offerantur cum fide, humilitate, contritione, amore, et reverentia summæ maiestatis, quam peccatis vestris inhonorastis et offendistis. Nota *curvabo*, q. d. Sufficitne Deo curvare genu, uti faciunt iam nonnulli nobiles et aulici, qui unum dumtaxat curvant genu dum orant, aliud erigunt, quasi Deo, ni det quod petunt, restituri, aut gladiis postulaturi, quod precibus impetrare nequeunt.

Vers. 7.

**AUT IN MULTIS MILLIBUS HIRCORUM PINGUIUM.** ) Hebr. *in multis millibus torrentium olei*, vel *vallium pinguedinis*; Chald. *in myriadibus torrentium olei*; Tigur. *numquid placeant Deo mille torrentes olei*; Noster cum Septuag. vertunt, *hircos*, vel *capras pingues*. Petes cur? Respond. aliqui Primo, quia per valles pingues metonymice et hyperbolice intelligantur hirci et capræ, quæ illas depascendo, impinguantur, q. d. Numquid offeram Deo valles plenas ovis pinguis? sed quid hæc sunt coram Deo immenso et altissimo?

Secundo, simplicius et planius repetas *arietum*, quod præcessit; aut potius, ne idem repetas, repete quid simile; puta *hircorum* cum Septuag. et Nostro, q. d. In multis millibus *hircorum*, similiumve *pecudum vallium pinguedinis*, id est, quæ pasentur in vallibus et pascuis pinguibus; ideoque sunt pingues et ipsæ. Ex adiunctis enim patet hoc substantivum debere suppleri. Præcessit enim: *Numquid offeram ei holocaustomata et vitulos annieulos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum?* Ergo pariter hic arietes vel hirci subaudiri debent. Aliter Clarius et Arias. Nam per torrentes olei accipiunt sacrificium *mincha*, id est panis et similia: hoc enim oleo mistum et conditum offerebatur Deo.

**NUMQUID DABO PRIMOGENITUM MEUM PRO SCELERE MEO?** ) Numquid Deus a me postulat piaculum et victimam filii, uti ab Abrahamo postulat ingulationem Isaaci? aut potius sicut Saturnus, Moloch, alique dii Gentium, quos colimus, postulant victimas humanas, filios scilicet et filias, Ierem. 19. 5.

Vers. 8.

**INDICABO.** ) Hebr. *הגיד* *highid*, id est indicavit, annuntiavit. Unde Chald. et Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 36. per interrogationem ita vertunt, *num annuntiabit tibi homo quid bonum sit?* q. d. Minime; sed Dei est idipsum annuntiare. Alii sine interrogatione assertive vertunt, *annuntiavit tibi homo quid bonum sit*: homo hic est Moses, Propheta, ac nominatim Michæas: ita Pagnin. Vatabl. et alii. Unde Septuag. vertunt, *annuntiatum est tibi homo quid bonum sit*, scilicet in lege et Prophetis: ita Theodor.

Noster pro *הגיד* *highid* in præterito, legit alio puncto *הגיד* *haghid* in infinitivo: infinitivus enim sæpe ponitur pro futuro apud Hebræos, æque ac apud Græcos et Italos: aut forte pro *haghid* legit *אגיד* *aghid*, id est indicabo: si malis legendum cum aliis *highid*, id est annuntiavit; subaudi, Deus per me Michæam quod idem est cum eo quod vertit Interpres, *Indicabo tibi o homo*. Ille respondet Propheta populo interroganti: Quid offeram Domino? qua re placabo Deum?

**ET QUID DOMINUS REQUIRAT A TE: UTIQUE FACERE IUDICIUM.** ) Hebr. et Chald. *et quid Dominus requirit a te, nisi ut facias iudicium*. Quereres, quodnam sit hoc iudicium. Primo, S. Hier. Haymo, Remigius et Dionysius, per *iudicium* accipiunt discretionem et prudentiam, q. d. Quid Deus postulat a te, nisi ut omnia agas discrete et prudenter, iuxta præscriptum legis? Unde Vatablus putat hic significari tria et omnia fidelis et Christiani hominis officia, quibus ipse totidem respectibus et debitis suis satisfacit: debet enim recte se gerere et componere erga seipsum, erga proximum, et erga Deum. Iudicium recte componit hominem erga seipsum, misericordiam erga proximum, sollicitudo erga Deum: sibi ipsi enim homo debet iudicium, ut omnia cum ratione et prudentia agat: proximo misericordiam; Deo sollicitam cum eo ambulationem: ita S. Bernard. serm. 57. in Cantic. in tribus ponit plenam hominis perfectionem, *ut, inquit, sit placens Deo, cautus sibi, utilis proximo*.

Secundo, Theodor. Lyranus et Arias, per *iudicium* accipiunt iustitiam, q. d. Quid Deus requirit a te; nisi ut nulli facias iniuriam, sed cuique tribuas quod ex iure et iustitia ei debes?

Tertio, magis apposite et genuine Rupert. per *iudicium* accipit satisfactionem pœnitentiæ, q. d. Quid Deus requirit a te, o peccator nisi ut tu prævenias Dei iudicium, teque iudices antequam ipse te iudicet et condemnet, uti iubet Apostolus 1. Corint. 11. 31. Deus enim non querit oves et boves, sed cor contritum et humilialum. Age ergo conscende tribunal rationis tuæ, eo cita voluntatem tuam quasi ream, eius actus et peccata examina, iudica, condemna, ac meritum supplicium et pœnitentiam ei inflige; ita fiet ut reconcilies tibi Deum offensum, præsertim si huic iudicio addas misericordiam et elemosynam in pauperes. Eleemosyna enim pœnitentiæ dat alas, eamque tollit in cælum, ait S. Chrysost. hom. 5. de pœnitent. ac iustitiam per pœnitentiam acceptam conservat et adauget. Unde S. August. explicans hæc Michææ verba serm. 136. de Temp. *Quærebatur, inquit, quid offerres pro te? offer te: quid enim Dominus querit a te, nisi te? quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Querit te a te, quia tu perdidisti te*. Ita Æschines, ait Seneca lib. 1. de Benef. cap. 8. cum pauper nil haberet quod daret Socrati suo magistro, donavit seipsum, dicens: Alii multum tibi dederunt, sed plus sibi reliquerunt; ego vero nihil mihi indero. Cui Socrates: *Quidni tu mihi magnum munus dederis, nisi forte parvo te aestimas?* Pergit S. August. *Si autem facias quod iussit, invenit in te iudicium, et iustitiam. Iudicium primo in teipso, iustitiam ad proximum tibi. Quomodo iudicium in teipso? ut displiceas tibi quod eras, et possis esse quod non eras. Iudicium inquam, de te ipso in teipso, sine acceptione personæ tuæ, ut non parcas peccatis tuis, nec ideo tibi placeant quia tu facis. Nec te laudes in bonis tuis, et Deum accuses in malis tuis. Hoc enim est perversum iudicium, et ideo nec iudicium, sed vitium. Et mox: Vis ergo facere rectum iudicium? corripere præpostera, et rectum erit. Quid est corripere? Deum lauda in bonis tuis, te accusa in malis tuis, etc. q. d. Puni voluptatem peccati dolore contritionis, gemitibus et voluntariis pœnis: puni superbiam emple humilitate et pudore confessionis, qua non tantum Deo, sed et sacerdoti illa verecunde et dolenter confiteare.*

Quarto, magis ample et plenissime, per *iudicium* accipit omne debitum virtutis; puta quidquid debemus proximo, nobis et Deo, sive id debeamus ex iustitia, sive ex pœnitentia, sive ex religione, sive ex gratitudine, sive ex

charitate, sive ex qua alia virtute: iudicium enim opponitur misericordiæ. Sicut ergo misericordia significat opera liberalia charitatis, aliarumque virtutum indebita; ita iudicium significat ea, quæ debita sunt. Quocirca Script. per *iudicium* et *miseriordiam* solet significare et completi omne virtutis officium, omneque opus bonum: omne enim vel debitum est, vel indebitum: si debitum est iudicium; si indebitum est misericordia. Ita ps. 100. 4. *Miseriordiam et iudicium cantabo tibi Domine*. Psal. 60. 8. *Miseriordiam et veritatem eius quis requiret?* Psal. 83. 12. *Miseriordiam et veritatem diligit Deus*. Psal. 84. 11. *Miseriordia et veritas obviaverunt sibi: veritas enim idem est quod iudicium sive iustitia*. Unde explicans subdit: *Iustitia et pax osculatae sunt, veritas de terra orta est, et iustitia de caelo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem*. Sicut ergo Psaltes omne officium hominis psal. 36. 27. hisce duobus præceptis concludit: *Declina a malo, et fac bonum*; ita Michæas hic idem totidem, scilicet iudicio et misericordia complectitur, q. d. Si vis reconciliari tibi Deum, eique per omnia placere, fac opera virtutis tam lege præcepta, quam consulta, puta libera et voluntaria. Favent huic expositioni ea quæ sequuntur: nam mox v. 10. opponet iudicio et misericordiæ a se requisitis, ioustititiam et immiseriordiam Iudæorum, puta iniquas eorum mensuras, fraudes et dolos, q. d. Deus a vobis, o Iudæi, requirit Primo, iudicium, quia vos ex iniustitia eorrogatis opes et thesauros per fas et nefas. Secundo, misericordiam, quia vos misericordes inique opprimitis pauperes. Tertio, sollicitudinem ambulandi cum Deo, quia vos sollicite ambulatis in præceptis Amri, cum eius Baalim et idolis, uti audiemus v. 16.

ET SOLLICITUM AMBULARE CUM DEO TUO. ) Septuag. *ut paratus sis ambulare cum Domino Deo tuo*; Syrus, *ut sis paratus ad eundem post Deum tuum*; Arabicus Alexandrinus, *ut sis sequens Dominum Deum tuum*; Arabicus Antiochenus, *sis paratus ut ambules per vestigia Dei tui*; Chald. *ut sis humilis ad ambulandum in timore Dei tui*; Theodor. *et cave diligenter, ut ambules cum Deo tuo*; Tertull. 1. 4. contra Marcion. c. 36. *et paratum esse sequi Dominum Deum tuum*; Quinta editio, *solicite agere*; Tigurina, *et submissum ambulare cum Deo tuo*; Pagnin. *et humiliare te, et ambulare cum Deo tuo*. Hebr. enim צנע *tsana*, uti voce, ita significatione affine est cum צנע *cana*, id est, curvavit, et per metathesin cum צנע *tsaan*, id est, voluntatus est in terra, vel loco humili: ac denotat provolutionem, demissionem, modestiam, verecundiam et humiliationem animi solliciti, qui ex humilitate et sollicitudine se curvat, contrahit, involvit, et quasi abscondit. ac significat agere tum humiliter et submisso ut vertit Chald. Vatabl. Pagnin. et alii recentiores; tum prompte et sollicite, ut vertit S. Hier. Theod. Sept. et Quinta editio. *Tsana* enim etiam alludit ad צנע *tsinnim*, id est spinæ, et צנע *tseninim*, id est sudes et lanceæ. Sicut enim hæc corpus aculeo suo, ita sollicitudo suo angore mentem excitulat ad exacte ambulandum. Sicut ergo pueri ingenui verecunde, submisso, reverenter et sollicite agunt cum parentibus, discipuli cum præceptoribus, famuli cum Pontifice, cum rege, cum principe, dum omnes eorum inclinationes et nutus observant accurate, ut eos illico exequantur non ambulando, sed currendo, et quasi volando; ac curant ne vel in puncto errent, vel hilum faciant quod regi displiceat: ita prorsus nos solliciti, submissi et supplices ambulare debemus cum Deo. Hoc est quod ait Apostolus Hebr. 12. 28. *Serviamus placentes Deo cum metu* (græce μετ' αἰδώς, id est *cum pudore*) *et reverentia*. Sensus ergo Prophetæ est, q. d. O Hierosolymitæ, o fideles, sollicite ambulate cum Deo quem offendistis, ut eum vobis reconcilietis supplices et penitentes, eiusque gratiam recuperetis, ac recuperatam sollicite conservetis. A Dei enim gratia, salus et omne bonum; ab eius offensa, gehenna et omnia mala vobis expectanda sunt.

Porro stimuli ad hanc sollicitam cum Deo ambulationem, sunt varii. Primus, si cogites quam augusta, sublimis et tremenda sit Dei maiestas, in cuius conspectu co-

lumnae cæli, Seraphim et Cherubim contremiscunt. Rursum quam ipsa sollicita sit tui. Nam, ut ait S. August. in Meditat. cap. 10. *Nil aliud agit Deus, nisi ut mex saluti provideat; et ideo totum ad mei custodiam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit: semper præsentem mihi se exhibet Deus, semper paratum offert, quocumque me verto, me non deserit: ubicumque fuero, non recedit: quidquid egero, pariter assistit: et cunctis tandem actionibus meis perpetuus inspector; et quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit*. Et alibi: *Deus, ait, unumquemque nostrum sic curat, quasi solum euret*. Verius et plenius id experiuntur Sancti, præsertim qui se totos Dei obsequio dedunt et consecrant. Unde sponsa Cant. 2. *dilectus, inquit, meus mihi, scilicet totus intendit, et ego illi, supple tota intendo, uti explicat S. Bernard. serm. 68. in Cant. qui et admirans hanc Dei dignationem, exclamat: O quid audeat cor purum, et conscientia bona, et fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Hanc huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter et administratio universalitatis incumbit? et cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imo otia, amoris et desiderii huius? Ita plane. Et mox: Ergo providentiam (Dei) cæteris creaturis non negamus; eorum sponsa vindicat sibi, iuxta illud S. Petri epist. 1. cap. 5. *Omni sollicitudinem vestram proicietes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. Et illud psalm. 39. *Dominus sollicitus est mei*. Et paulo post: *ille mihi, et ego illi. Ille mihi, quia benignus et misericors est: ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille mex liberationi, ego illius honori. Ille salutem mex, ego illius voluntati. Ille mihi et non alteri, quoniam una sum columba eius; ego illi, et non alteri*. Idem serm. 2. de Pentecoste: *Vides, ait, quam verum dixerit ille qui dixit: Dominus sollicitus est mei. Pater ut servum redimat, Filio non parcat; Filium seipsum libentissime tradit: Spiritum sanctum uterque mittit: et ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri, et indurati, et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehementis amor, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit? Et mox: Quid ergo a te quærit, qui tanta sollicitudine te quæsit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum et intentionum cordis: qui nec minimam pateam intra cordis quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit, Spiritus dulcis et suavis*.*

Secundus, si cogites quam exacte et sollicite illa maiestas a nobis, utpote vermiculis, sibi serviri velit, quam accurate velit sua iussua nobis servari: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis, ait, Psaltes psal. 118. 4. Nam, ut ait S. August. epist. 58. ad Bonifacium: Doeuit eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat*.

Tertius, si cogites peccata tua præterita, ac periculum præsentium et futurorum: *De propitiato peccato noli esse sine metu, ait Eccles. e. 5. 5. In præsentem et futuro inter spinas et sentes curarum et molestiarum incedis, et incedes: sollicite ergo fige pedem, ne pungaris vel offendas. Cum metu et tremore vestram salutem operamini, ait Apostolus Philip. 2. 12. vide ibi dicta*.

Quartus, si cogites te hic in agone versari, ac habere hostes acerrimos, qui te ubique observant, ut supplantent, et a Deo avertant: unde S. Hieron. ad Eustoch. de custod. virgin. *Nolo, ait, tibi venire superbiam de proposito (virginitatis,) onusta incedis auro, latro tibi vitandus est: stadium est hæc vita mortalibus: hic contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes et scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in caelo, et tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat et spinas, quam serpens comedit? Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates mundi, etc. Magnis inimicorum circumdantur agminibus, et hostium plena sunt o-*

Sollicitudo ambulandi cum Deo quid requirat?

Stimuli ad eam. I.

II.

III.

IV.

*omnia: caro fragilis et cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus. Cum autem fuerit dissoluta, et venerit princeps mundi huius, et incenerit in ea nihil, tunc securus audies per Prophetam: Non timebis a timore nocturno, etc. Oportet ergo te sollicite ambulare cum Deo tuo, ut nunquam securus sis, ut omni observantia custodias cor tuum, ut consideres quoniam in medio laqueorum ambules, et sub murorum pinnis ingrediaris, ut illud quotidie mediteris: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi, ait idem S. Hieron. lib. 2. contra Pelag.*

V. Quintus, si cogites omne bonum tuum a Deo pendere, teque esse Dei mendicium. Sicut ergo Venetiis, et alibi, quicumque ambiunt officium aliquod, Senatores omnes euates in curiam prensant, seque iis nudo capite, genua totumque corpus profunde curvando, orando et obsecrando, supplices commendant; et sicut mendici contrahendo seapulas humillime supplicant et emendicant stipem: ita prorsus et multo magis nos docet supplices ambulare cum Deo, cumque humillima sollicitudine prensare, ut ab eo in tot malis, opem, gratiam et salutem æternam odipiscamur. Præclare S. Cyprianus tract. de Zelo in fine: *Cogita, ait, sub oculis Dei nos stare, spectante ac iudicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere; pervenire nos tunc demum posse ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia eius et indulgentia præbeamus, si placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus.* Et S. Hieron. Epitaph. Fabiolæ: *Celuta, ait, virtus et conscientia tuta secreto, Deum solum iulicem respicit.*

VI. Sextus, si cogites illud Mosis Deut. 4. 24. et S. Pauli Hebr. 12. 29. *Deus noster ignis consumens est: vidisti quanta cura et sollicitudine auri fabri liquant aurum, ferrarii ferrum, ærarii æs; ac præsertim ii qui fundunt campanas et tormenta bellica: si enim minimum aberrant, ab igne vel metallo liquato, afflauntur et enecantur. Magis sollicite cum Deo versandum est, ne igne et fulmine nos afflet, et deturbet in tartara. Qui ambulat cum leone, licet eius sit ductor et nutritor, sollicite omnes eius motus et nutus observat, ne cum offendant, ut ipse ira correptus comitem suum laniet. Deus est leo: Leo rugiet, quis non timebit?* ait Amos c. 3. 8.

Exempla. Ita sollicitus cum Deo ambulabat Iob dicens c. 9. 28. *Verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti:* et cap. 31. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui.* Et Tobias moriens, hoc quasi testamentum dat filio cap. 4. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Et David psal. 118. v. 10. *In toto corde meo exquisivi te.* Et v. 57. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.* Et v. 123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium iustitiæ tuæ.* Et v. 168. *Servavi mandata tua, et testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

Hanc sollicitudinem timendi et serviendi Deo Moses moriturus inculcat Hebræis toto Deuteronomio, ac maxime in cygneo illo cantico c. 32. Quin et S. Paulus 1. Corinth. 9. 16. *Vix mihi est, inquit, si non evangelizavero.* Et v. 24. *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: sic currite ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitatem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobos efficiar.*

Ita S. Cæcilia sollicite ambulabat cum angelo suo Custode, et cum Deo; tota vacans orationi, ieiunio, cilicio ac conversioni animarum. Unde Valerianum sponsum, Tiburtium, Maximum et alios plurimos non tantum Christianos, sed et Martyres effecit, ac victimas Deo obtulit; ut merito de ea canat Ecclesia: *Cæcilia tibi Domine quasi apis argumentosa deservit.* Sicut ergo apes sollicite sunt ut colligant fundantque mel et ceram, ita Cæcilia sollicite fuit, ut suam aliorumque animas Deo offerret. Illam imitentur Christiani, qui solliciti cum Deo ambulare satagunt.

A Ita B. Aloisius Gonzaga sollicite ambulavit cum Deo, dum in aula regum et principum variorum degens, illæsum se ab omni crimine conservavit, ita ut per omnem vitam nunquam mortaliter, vix venialiter peccare sit visus: dum adeo sensibus suis invigilavit, corpusque maceravit, ut nunquam stimulos carnis senserit: dum in oratione ita attente et reverenter versatus est, ut nullam distractionem senserit. Quocirca miranti Cardinali Bellarmino, ac qui id fieri posset roganti respondit: *Mirari, se potius qua ratione aliquis in oratione distrahi posset, dum cogitat se in presentia tantæ maiestatis consistere, ac cum Deo colloqui.* Ita habet eius vita, quam stricte examinantes Auditores Rotæ in Processu Canonizationis eiusdem, eidem titulum *Angelici* indidere, quod quasi angelus eorum Deo iugiter versaretur.

Iam vero hæc sollicitudo ambulandi cum Deo, non ad solos Religiosos vel Ecclesiasticos, sed et ad laicos, coniugatos, omnesque homines pertinet. Nec enim in sola oratione et colloquutione cum Deo, sed in omni prorsus actione requiritur: nimirum ut omnia opera nostra, etiam corporalia et sæcularia, quantumvis levia et parvi momenti, faciamus sollicite, exacte et perfecte, iuxta legem et voluntatem Dei, ut illi placeamus magis, magisque eum oblectemus. Hoc est quod iubet Eccles. cap. 33. 23. *In omnibus, inquit, operibus tuis præcellens esto.* Deo enim gratior est actio in se levior et vilior, facta excellenter, quam excellens in se, facta mediocriter, vel obiter et leviter. Deus enim non considerat, quantum, sed ex quanto, nec quid facias, sed ex quanta virtute id facias.

Quocirca in omni opere etiam minimo, sollicitos nos esse oportet, ut illud faciamus quam optime, ut Deo sit gratissimum. Modum id faciendi assignat noster Ludov. de Ponte tom. 2. de Perfect. tract. 4. c. 15. ubi regulas quasdam perfecte vivendi in quolibet statu et officio, valde utiles et practicas assignat; nimirum si cuilibet operi etiam vili addamus sex alas Seraphim Isaïæ 6. 2. quibus a terra exaltetur in cælum. Prima ala est memoria præsentis Dei ubique existentis, et quid cogites, loquaris, aut facias attendentis, imo insipientis. Secunda, pura maioris gloriæ Dei intentio; studendo in omnibus quæ facisillam placere eiusque divinam voluntatem sollicite semper exequi, eo quod sit summe bonus ipsaque bonitas per essentiam. Tertia, oratio, quæ tuis operibus det initium, eaque comitetur petendo divinum auxilium, ut eum ea cura et perfectione quam ipse præcipit et consulit, ea exequaris. Quarta, fiducia in Deum, a quo omne bonum tuum dependet, de cuius omnipotentia speres, quod adiuvabit tuam imbecillitatem; de eius misericordia, quod compatiatur tuæ miseris; de fidelitate, quod in tuis tentationibus et periculis te proteget; de providentia, quod te in omnibus viis tuis deducet, et hinc dux ultimæ alæ oriuntur, nimirum: Quinta, fortitudo scilicet in arduis rebus aggrediendis, abiecto omni difficultatum metu: Sexta, perseverantia usque ad finem operum inchoatorum, tolerando patienter occurrentes quascumque molestias. Nam, ut Isaïas ait cap. 40. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem,* recentem scilicet, aliamque præstantiorem induentes: *assument pennas sicut aquila, ut spiritu volent, suaque opera a terra ad cælum extolant: current, et non laborabunt,* propter delectationem qua Deus illorum corda dilatat, iuxta illud Psaltis psal. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, ambulabunt, et non deficiant;* sed perseverabunt in sollicitudine, et operibus obsequii eius, donec gloriæ coronam obtineant.

AMBULARE CUM DEO TUO.) Id est, Deo per omnia adhaerere, cum ubique præ oculis habere, illius iussa, voluntatem et nutum exacte observare et explere, illi per omnia placere et satisfacere. Sic Henoch et Noe quasi fideles servi, imo amici et filii, dicuntur ambulasse cum Deo, Genes. c. 5. 22. et c. 6. 9. Vido ibi dicta. Præclare Seneca in Sapiente, et lib. de Tranquil. *Si, inquit, hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum,*

Modus et praxis ambulandi cum Deo per sex alas.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.

Ambulare cum Deo quid?

ex superiore loco homines videntem, ex æquo Deos, non subibit te veneratio eius? Non dices: *Ista res maior est altiorque, quam ut credi similis huic, in quo est corpusculum possit.* Hoc acquirit homo orando et conversando cum Deo. Quocirca hoc debet esse opus, hæc occupatio iugis viri religiosi, et tendentis ad perfectionem, nimirum familiarrem esse Deo, eum coque ambulare. Audi S. Dionysium de Eccl. Hierarc. c. 6. *Religiosi est unum ipsum ambire, et ad sacram monadem cogi, iuxta illud Christi: Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferretur ab ea.* Hinc Climachus c. 1. *Monachus, ait, est qui semper habet spiritum elevatum in Deum, et orat in omni loco, tempore et negotio.* Et S. Chrysost. lib. 1. de Orando Deum: *Oratio, ait, est anima et spiritus vitæ religiosæ et perfectæ.* Et S. Bonavent. opusc. de Perfectione vitæ cap. 5. docet, Religiosum non frequentantem orationem, gestare animam mortuam in corpore vivente; aut esse sicut corpus sine anima, habens id quod externum est in Religione, absque eo quod internum est. Idem: *Languida, ait, et infirma est religio, quæ non multum habet orationis.* Quia et Iamblicus Philosoph. Protrep. c. 1. *Sapere, ait, et contemplari virtutis est opus.* Idem cap. 3. *Dei cognitio (et contemplatio) est perfecta felicitas.* Et Livius dec. 1. l. 5. *Omnia, ait, prospera eveniunt sequentibus deos, adversa spernentibus.* Et Seneca epist. 103. *Magnus, ait, et generosus est humanus animus, nullos sibi poni nisi communes cum diis terminos patitur.*

Vers 9.

**VOX DOMINI AD CIVITATEM CLAMAT.**) Vel ad Samariam, uti vult Remigius et Hugo; vel potius ad Ierusalem: de ea enim continuo agit a c. 3. v. 9. usque ad finem libri, uti ibi dixi. Ita S. Hieronym. Haymo, Rupert. Vatabl. et alii, q. d. Deus per me Michæam aliosque Prophetas, iterum iterumque clamat adversus Ierusalem, eique ob scelera minatur excidium et incendium. Videtur enim hic Propheta novam ordiri, vel potius veterem innovare litem Dei contra Ierusalem, eiusque rapinas et iniustitias in proximis accusare et plectere. Unde Hebræi hic inchoant novum caput. Ita S. Hieron. Theod. et alii iam citati. Pro civitate hebr. est לעיר *lair*, pro quo alii legunt להעיר *lehair*, id est, *ad excitandum*, q. d. Deus tubali voce per me inelamat, ut torpentes et dormientes Iudæos a somno peccatorum excitet, et ad sollicitudinem ambulandi cum Deo incitet.

**ET SALUS ERIT TIMENTIBUS NOMEN TUUM.**) q. d. Hæc est vox Domini qua clamat ad Ierusalem: Salvi erunt qui Deum timerint, cæteri enim peribunt. Aut simplicius, ut sint verba Prophetæ, quasi per dialogismum interlocutis, et populo commendantis vocem Dei, ut populus eam avide audiat et excipiat, q. d. O Hierosolymite, audite hanc vocem Dei quam subiungam: qui enim eam audierint, indeque Deum timerint et coluerint, hi salvabuntur; cæteri omnes fame, gladio et bello peribunt. Legit Interpres תשובה יראה *tesciva ieræ*, et recte: nam sic quoque legerunt Septuag. vertunt enim, *et salvabit timentes nomen eius*; hæcque versio congruum habet sensum. Iam legunt תושיה יראה *tuscia ire*, id est, *sapientia videbit nomen tuum*, id est, ut Tigur. et Vatabl. *qui sapientia et ratione præditus est, videbit nomen tuum*, d. q. Clamant quidem Prophetæ; at soli sapientes recipiunt prædicationem eorum, vel habent rationem honoris nominis Dei. Chaldæus medius est, nam legit *tuscia eum recentioribus, et ieræ eum Septuag. et S. Hier.* Unde vertit, *Sapientes, sive doctores timent nomen Domini.*

**AUDITE TRIBUS, ET (id est, sed) QUIS APPROBABIT IL-LUD?**) *Tribus* hebr. est singularis numeri, q. d. Audite o viri tribus Iuda vocem Dei clamantis per me; sed quis eam approbabit? q. d. Seio fore paucos qui illam approbarent et exequerentur, ut faciant quod dicam, et vociferabor nomine Dei. Ita S. Hieron. Aut, ut Rupert. q. d. Audite o tribus opus vestrum quod nunc in iudicio Dei arguitur, quod nemo probus approbabit, vel nemo nisi improbus approbabit: cum adhuc domus vestrae plenæ sint rapinis, dolis et fraudibus, ideoque elament vestrum opus esse

A pessimum. Pro tribus hebr. מטה *matte*, quod proprie virgam vel sceptrum, inde per metaphoram tribum significat: quia sicut ex una arbore multæ virgæ exsurgunt; sic ex uno patriarcha multæ tribus progenerantur et descendunt, uti ex Iacob prognatæ sunt duodecim tribus Israel: aut quia quælibet tribus suum habebat sceptrum. Unde Tigurina vertit, *audite virgam, et qui eam decernit*, q. d. Videte quæ flagella vobis immincant, et a quo, puta a Deo terribili et omnipotente: ita Vatabl. *Vox matte*, id est *tribus*, in singulari significat sermonem esse ad unam tribum, puta ad Iuda et Ierusalem, non ad Samariam et decem tribus, uti vult Rupert. et alii.

**ADHUC IGNIS IN DOMO IMPII THESAURI INIQUITATIS.**) Vers. 10. Pro ignis, in Hebr. est triplex lectio. Primo enim alii legunt האיש *hais* id est, *estne vir*: unde vertunt, *estne adhuc (post tot Dei voces et minas) vir, qui in domo impia retinere audeat thesauros iniquitatis?* Secundo, alii legunt האים *haies*, id est, *estne*: unde vertunt, *adhuc est domus impii? thesauri et mensuræ iniquitatis?* ita Chald. aut, ut Tigurina et Pagnin. *annon adhuc est thesaurus impii in domo impii?* Tertio, alii legunt האס *haes*, id est *ignis*. Ita Noster, Septuag. et alii, q. d. Iudæi post tot Dei per Prophetas clamores, minas et monita, adhuc retinent opes et thesauros iniuste partos; qui proinde eis erunt ignis, id est, in ultionem et pœnam eorum vertentur, ut concrementur domus plenæ opibus iniuste partis, a Chaldæis incenditibus Ierusalem. Simili modo adhuc in domo impii est *mensura iusto minor*, ideoque *ira plena*; quia quod illi in pondere deest, hoc supplebitur et implebitur ira et vindicta Dei. Sæpe Prophetæ arguunt Iudæos de stateris dolosis, et mensuris iniustis, imo duplicibus; nimirum quod, cum quid emerent, illud mensurarent mensura æquo maiore; cum venderent, id ipsum mensurarent mensura iusto minore: quod vitium etiamnum apud institores, præsertim tenuiores, crebrum est.

Nota. Hæc mensuræ iniustæ et thesauri iniqui inde comparati per appositionem vocantur hic ignis, quia prodeunt ex igne cupiditatis, puta ex animo avarorum lueri cupido, ut per fas et nefas ditescant; ac desinent in ignem ultionis, puta in aerem Dei vindictam ignemque gehennæ, iuxta illud Isaïæ 51. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulatis in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.* Vide ibi dicta. Rursum alii legunt hæc per interrogationem, q. d. Itane ignis cupiditatis (puta thesauri iniquitatis et mensura minor) contra quem nos Prophetæ toties detonavimus, quemque minoribus nostris extinximus, rursum accenditur, reviviscit, et inardescit? Verum Romana, Plantin. et alia correctiora Biblia legunt assertive sine interrogatione. Denique hos thesauros et mensuras iniquitatis opponit iudicio, id est, iustitiæ et misericordiæ, quæ duo ab eis requisivit Deus v. 8. Unde Syrus vertit, *adhuc ignis in domo impii, et (id est, scilicet) repositoria iniquitatis, et mensura parva fraudis*; et Arabicus, *numquid non species (pulchritudo) huius civitatis in ignem? quia congregavit sibi repositoria de iniquitate et oppressionem in agris.*

**NUMQUID IUSTIFICABO STATERAM IMPIAM ET SACCEL-LI (sæculi, in quo continentur et eiremferuntur) PONDERA DOLOSA.**) q. d. Egone Deus, qui sum iustissimus, iustificabo, id est, iustam habebō et declarabo, aut certe dissimulabo et impunitam relinquam stateram iniustam? q. d. Minime. Est metonymia; per stateram enim intelligit ipsos mercatores, qui iniusta statera appendunt suas merces. Unde Septuag. clare vertunt, *si iustificabitur in statera iniquus?* et Chald. *numquid iusti habebuntur in stateris iniquitatis, et in sacco in quo sunt pondera maiora et minima?* Et Tigurina pro Hebr. אצכה *azche*, id est *iustificabo*, legens aliis punctis אצכה *azuche*, vertit, *numquid (ego mercator) mundus ero et innocens coram Deo cum bilance iniqua, et eum sacco in quo sunt lapides fraudulentis?* Non. Nam id severe vetuit Deus, Deut. 25. 13. dicens: *Non habebis in sacco diversa pondera, maius et minus.*

**LOQUEBANTUR MENDACIUM.**) Asserentes bilancee et Vers. 12.

mensuras suas esse æquas et iustas, cum essent iniquæ et iniustæ: item merces esse incorruptas, recentes, et sine vitio, cum essent corruptæ, antiquæ et vitiosæ. *Veritas enim paupertatem, mendacium divitiis parit*, ait S. Hieron. Quocirca:

Vers. 13. EGO CORPI PERCUTERE TE, et pergam, acri PERDITIO-  
NE et plaga. Hebr. *ego infirmavi et ægrotare te feci*; Tiguri-  
na, *ego te infirmabo, vel ægrotum te reddam, cadendo*  
et devastando propter peccata tua, q. d. Puniam te penuria  
et fame, ex qua morbum contrahas et ægrotes. Nam:

Vers. 14. TU COMEDES, ET NON SATURABERIS.) q. d. In obsidione  
et captivitate ita parce comedes, ut non satureris. Est hæc  
congrua pœna, ut qui malis artibus locupletati sunt, de-  
pauperentur, fameant, mendicent, ægrotent.

ET HUMILIATIO TUA IN MEDIO TUI.) Primo, q. d. Afflic-  
tio tua, o Ierusalem, erit intra te cum obsideberis ab  
hoste Chaldæo: ita Lyr. Rursum in medio opum et delicia-  
rum tuarum, cum tibi videberis esse felix, sics repente  
miserrima; nam capieris et spoliaberis ab hoste: ita Arias.

Secundo, q. d. *humiliatio*, id est causa et culpa humili-  
ationis et afflictionis tuæ, est intra te, nimirum peccata  
et scelera tua, q. d. Tuas ærumnas tibi tuisque sceleribus  
imputa, non hostibus. Hoc est quod ait Osce cap. 13. 10.  
*Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Tertio, valde congrue et connexe Chald. Hebr. Pagnin.  
et Vatabl. hæc referunt ad præcedentia, ut his omnibus  
significetur fames, macies, squalor, indeque sterilitas et  
orbitas filiorum. Unde vertunt, *comedes, et non saturaberis*:  
*depressio erit in medio tui*, id est, venter tuus olim  
eibo tumidus et turgidus, præ fame et inanitate deprime-  
tur, seque contrahet et coarctabit: inde fiet quod apprehendit,  
supple semen tuum, uxor tua, id est, susepto se-  
mine concipiet, nec enitetur vivum, sed abortiet: *quod*  
*si enixa fuerit, tradam gladio hostium*, q. d. Ex fame se-  
quetur debilitas virtutis generativæ, ex ea abortus; quod si  
qui tibi filii nati fuerint, illos tradam necandos Chaldæis.

Tropol. S. Bernard. epist. 87. *Humilitas*, ait, *ad quam*  
*ulique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fun-*  
*damentum. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem,*  
*sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si vir-*  
*tutem appetit humilitatis, viam non refugias humiliationis.*

Vers. 15. TU SEMINABIS, ET NON METES.) Sed Chaldæi hostes tui  
demetent tuam messem, tuasque vineas vindemiabunt, et  
oliveta excutient; atque oleum et mustum quod expres-  
sisti, vel in vineis, vel in urbe diripient, q. d. Sicut proxi-  
mos tuos fraudasti labore proprio, ita et tuo fraudaberis.  
Ita Vatabl. Hic verum est illud Chilonis: *Lucrum sce-*  
*lere partum damnatum est, non lucrum.* Ita Laert. l. 1. c. 4.  
et illud Diogenis: *Quid sunt divitiæ? fortunæ vomitus.*  
Testis est Stobæus serm. 91. Impius enim evomet opes ini-  
uste partas: hæ enim stomachum, id est conscientiam eius  
ita onerant, ut eas evomere cogatur, iuxta illud Job  
20. 23. *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius*  
*extrahet eas Deus.* Nota. Solent Prophetæ per arationem,  
sementem, messem significare rerum omnium affluentiam.  
Nam ut sapienter ait Xenophon in Oeconom. *artium ex-*

*terarum parens et nutrix est agricultura; quando bene agitur cum ea, omnes aliæ artes vigent, multique sunt qui eas excitant et urgent.*

ET CUSTODISTI PRÆCEPTA AMRI.) Amri fuit rex im-  
pius Israel, pater Achab, qui cum filio idololatriam antea  
sæpe in regibus impiis a Deo successim renovavit et am-  
plificavit in Samaria, 3. Reg. 16. Unde S. Hieron. eius-  
que assectæ opinantur hic Prophetam loqui decem tribu-  
bus: harum enim rex erat Amri. Verum dico eum loqui  
duabus tantum, puta Iudæis. Sensus enim est, q. d. Tu  
o Ierusalem, quæ per templum Deo vero eras consecrata,  
non Dei tui, sed impii Amri impiis de idololatria præcep-  
tis sponte te subdidisti, adeoque impie et seclerate vixisti,  
ac si fuisses non in Sion sub Davide, eiusque posteris,  
sed in Samaria sub Amri, Achab et Iezabele impiis-  
simis regibus. *Opus enim domus*, id est familiæ, *Achab*,  
erat idololatria, impietas, cædes Prophetarum, expulatio  
fidelium, aliæque scelera: ita Theodor. Nota. Pro *Amri* Septuag.  
legerunt *Ammi*, id est populi mei: unde vertunt,  
*et dissipabuntur legitima populi mei. Legitima* vocant  
leges et præcepta, uti habent Hebr. Noster Chald.  
et alii. Romani tamen codices Septuag. legunt, *et custodisti*  
*iustificationes Zambri*; sed vera lectio est *Amri*, ut  
patet ex Hebræo et Latinis.

AMBULASTI IN VOLUNTATIBUS EORUM.) Ita Hebr. Chald.  
Septuag. Roman. Plantin. et alia passim: male ergo quidam  
legunt, *in voluptatibus*. Sensus est, q. d. Feeisti quæ  
volita et placita erant Amri, Achab, aliisque impiis et i-  
dololatriis regibus Israel. Opponit hoc sollicitudini ambu-  
landi eum Deo, quam ab eo requisivit v. 8. q. d. Ego postu-  
lavim a te ut sollicite ambulares cum Deo tuo; at tu solli-  
cite ambulas eum Amri, eiusque Baalim et idolis.

UT DAREM TE IN PERDITIONEM (ut consequentiam si-  
gnificat, non finem intentum, q. d. Inde consequetur o  
Ierusalem, ut disperdam te) ET HABITANTES IN EA, in  
te o Ierusalem, IN SIBILUM. Est enallage personæ: tran-  
sit enim a secunda ad tertiam, quasi indignans et aver-  
tens ab ea faciem et sermonem, q. d. Civis divites et po-  
tentes Hierosolymæ, ob idololatriam et scelera dabo in  
sibulum. Unde nova enallage ad primam personam redit,  
dicens:

ET OPPROBRIUM POPULI MEI PORTABITIS.) q. d. Vos  
o divites, vos o principes, hic alloquor, qui populo fui-  
stis duces et incentores idololatriæ et scelerum: vobis  
excidii et captivitatis populi mei probrum et ignomi-  
nia imputabitur; vosque ideireo omnes et indigenæ et ex-  
teri execrabuntur, ac subsannabunt dicentes: Iuste et me-  
ritissimo principes Iudæorum a Chaldæis spoliantur, ne-  
cantur, probris afficiuntur; quia ipsi spoliarunt, necarunt,  
probris affecerunt pauperes; et quia suis impiis consiliis  
et erimniibus populum, urbem et regnum perdidit.  
Ita S. Hieron. Lyran. Clarius et alii. Nota. *Opprobrium*  
*populi* vocatur probrum excidii, captivitatis et subsanna-  
tionis, quod Iudæi patiebantur a Chaldæis aliisque genti-  
bus, præsertim vicinis et hostilibus, quodque Moses eis  
comminatus erat Deuter. 28. v. 36. et Levitici 26. 32.

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Quæritur Michæas se frustra concionando laborasse, eo quod vix ullum reperiat, qui mores pravorum in melius commutarit; quocirca v. 4. comminatur excidium, et captivitatem Babylonicam; deinde v. 11. ex ea liberationem, pacem et felicitatem; tum per Cyrum, tum magis per Christum promittit, ideoque vers. 18. in divinæ clementiæ et beneficiæ laudem et doxologum erumpit.

1. **V**E mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumnno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. 2. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. 3. Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, et iudex in reddendo est: et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eam. 4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus: et qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum. 5. Nolite credere amico: et nolite confidere in duce: ab ea quæ dor-

Tropol  
humilia-  
tio est  
via ad  
humilita-  
tem.

Vers. 15.

mit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. 6. Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: et inimici hominis domestici eius. 7. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum salvatorem meum, audiet me Deus meus. 8. Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. 9. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet, et faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius. 10. Et aspiciet inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem ut lutum platearum. 11. Dies, ut ædificentur maceræ tuæ: in die illa longe fiet lex. 12. In die illa et usque ad le veniet de Assur, et usque ad civitates munitas: et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte. 13. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum. 14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan et Galaad iuxta dies antiquos. 15. Secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia. 16. Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt. 17. Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis: Dominum Deum nostrum formidabunt, et timebunt te. 18. Quis Deus similis tui, qui auferis iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. 19. Revertetur, et miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 20. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham: quæ iurasti patribus nostris a diebus antiquis.

Vers. I.

**VÆ MIHI.**) Hebr. est **וַיִּלַּלְי לִי** *allelai li*, id est heu mihi! est enim vox gementis, non minantis, q. d. O me miserum. Deplorat enim Propheta, aut potius Spiritus sanctus per Prophetam, raritatem virorum proborum, eamque suam æstimat miseriam. Porro hanc raritatem comparat paucis racemis, qui a vindemiantibus in vinea relinqui solent.

**QUIA FACTUS SUM SICUT QUI COLLIGIT IN AUTUMNO RACEMOS VINDEMIÆ.**) Id est, post vindemiam. Hebr. iam ad verbum habent, *quia fui sicut collectiones* (fructuum) *ætatis, sicut racemationes vindemiæ: quod Syrus, Arabicus, Septuag. Chald. et alii sic exponunt: Quia factus sum sicut qui congregat stipulam in messe, et sicut (qui colligit) racemos in vindemia: ut sit duplex similitudo, nimirum ut Deus comparet se Primo, spicilego, qui post messem spicilegium facit, paucasque spicas a messore relictas colligit. Secundo, racematori, qui paucas uvas post vindemiam reliquias decerpit. Verum hi multa suppleant, quæ non habentur in Hebræo. Adde, in Hebræo uti iam legunt, Deum comparari non collectori, sed ipsi collectioni fructuum, quod sane minus congrue dici videtur. Quocirca melius noster pro **אִשְׁפֵּי אֲסַפֵּי** *aspe*, id est collectiones, legens aliis punctis **אִשְׁפֵּי אֲסַפֵּי** *osephi*, vertit *colligens, vel qui colligit. Osephi* enim est *benoni*, sive participium *cal*, habens annexum *iod* paragogicum. Rursum pro **קַיִטַּי** *kaitis*, id est æstas, vertit, *autumnus*, quia tempus fructuum est in autumnus, et sic fructus autumnales vocantur fructus ætatis: tunc enim annum distinguimus in duas partes, scilicet æstatem, et hiemem, ac sub æstate partem autumnii priorem, et veris posteriorem cum aura est calidior comprehendimus; sub hieme vero partem autumnii posteriorem, et veris priorem, utpote frigidiorum, complectimur. Docte ergo pro *kaitis* vertit *in autumnus*, intelligendo præpositionem **בְּ**, id est *in*, quam Hebr. subintelligere solent, ut **קַיִטַּי** *kaitis* ponantur pro **בְּקַיִטַּי** *bekaitis*. Vertit ergo unico tenore unicaque similitudine, *quia factus sum sicut qui colligit in autumnus racemos vindemiæ. Unde apposite non de spicis, sed de uvis solis sequitur: Non est botrus ad comedendum*, q. d. Racemando vineam, quæsi uvas, et ne quidem unum botrum inveni quem comederem. Iam Symbolice per uvas et botros intelligit viros fideles, iustos et sanctos, eorumque pia et sancta opera; hi enim ex vinea, id est ex Ecclesia; et ex vite, id est Christo, quasi uvæ Deo sapidissimæ procreantur. Sic sponsa Cant. 1. 14. ait: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Et c. 7. 7. vicissim sponsus ait sponsæ: *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris*. Causas et analogias huius vitis et uvæ recensui Ezech. 15. in fine. Quocirca Chaldæus vertit, *væ mihi quia fui quando deficiebant boni, tempore quo perierunt misericordes de terra: ecce sicut fructus æstivales, sicut racemi post vindemiam. Non est vir qui habeat opera bona, bonos tamen appetit anima mea*, q. d. Ego Michæas fui quasi pauper*

racemator; hic enim post vindemiam sperat se saltem aliquos racemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inventurum, eosque quærit et invenit: ita et ego speravi paucos saltem Iudæos meis concionibus, monitis et minis convertendos; sed *non est botrus*, id est, non unum, vel vix unum, qui se converterit, vitamque mutarit, invenio; quocirca gemo, et ploro: *væ mihi*, hei mihi: oleum et operam perdidit. Allegorice, idem accidit Christo prædicanti: paucos enim ex Iudæis tota vita sua convertit. Unde ipse ad sua tempora allegor. refert vers. 6. Michææ, citans eum Matth. 10. 35. de quo mox.

Ubi Nota grave pathos Dei et Christi, cum diabolo tri-  
buunt vineæ, id est Ecclesiæ, vindemiam, utpote qui uvas  
omnes colligat; ideoque plena habeat torcularia uvis et  
vino: sibi vero ascribunt racemationem, utpote qui pau-  
cos a diabolo relictos, quia eius oculos manusque fuge-  
runt, colligant; maxima enim pars hominum diabolo ser-  
vit, eiusque fit esca et præda; unde ab eo premetur, et  
calcabitur in torculari inferni: exigua vero cedit Christo:  
multi enim sunt vocati, pauci vero electi: diabolo ergo  
cedunt illi magni botri, et plurimi, ut vindemiatori; Chri-  
sto non nisi reliquiæ, pauci, et pauperculi, sicut racema-  
tori, q. d. Christo non superest botrus, et vix pauculi aci-  
cini; nam acini et granula pauca botri nomen non in-  
erentur, botri enim illi magni et pingues vulpium partes  
facti sunt. Unde Arabicus vertit, *extremam partem desideravit anima mea*. Hoc est quod dolet Isa-  
ias c. 24. 13. *Quomodo si paucæ oliuæ quæ remanserunt, et racemi cum fuerit finita vindemia*. Quocirca tropolog.  
doctior et concionator si post multos docendi et concio-  
nandi labores et annos, paucos convertat, non miretur,  
non est melior Michæa, non Christo. Sorte ergo illorum  
contentus sit, et a Deo plenam, imo pleniorum expectet  
mercedem: Deus enim non fructum, sed laborem remun-  
nerat; qui sine fructu maior et molestior est, eaque ra-  
tione maius præmium meretur.

**NON EST BOTRUS AD COMEDENDUM.**) Id est, aptus ut  
comedatur: quia si qui sunt, vel immaturi sunt, vel acer-  
bi, vel ex imbre corrupti et putridi. Ita Michæas aliquos  
invenit Iudæos in speciem bonos, et suis concionibus au-  
scultantes; sed interna malitia et superstitione acerbos,  
vel gula et libidine putidos, uti Lyranus et Rupert. ex-  
plicant.

**PRÆCOQUAS FICUS** (hebr. **בְּרוּרָה** *biccura*, id est *primitiva*, vel *primos fructus*) **DESIDERAVIT ANIMA MEA.**) Sed per *primitiva* Hebræi intelligunt ficus, ut recte notavit Vatablus: non quod in Palæstina ficus sint omnium fructuum primi, uti aliqui putarunt; priores enim sunt pruna, etc. æque ac in Italia, uti mihi Romæ asseruerunt Palæstini, et Hierosolymitæ. R. P. Melchior ab Helmont Belga, Franciscanus, qui diu Hierosolymis in suo Conventu habitavit, Romæ mihi affirmavit, primos illius terræ fructus, illi esse proprios, et vocari *muze*, eosque gu-

Diabolo  
competi  
vinde-  
mia,  
Christo  
racema-  
lio.

stu similes esse ficibus, sed ficibus esse longiores; qui si seindantur, erucem ostentare: atque indigenas tradere illum fuisse fructum vetitum, quem comedit Eva. Dicuntur ergo præcoque quod solæ ficus sint biferae: priores enim fructus dant in æstate, puta in Iulio, et hi vocantur *biceura*, id est primitivi, sive præcoqui; posteriores in Septembri. Porro ficus præcoquæ sapidiores sunt; sunt enim ficuum et ficulneæ quasi flos, atque avidius expetuntur ob novitatem, uti dixi Jerem. 24. 2. Quare mirum est S. Hieron. in comment. *biceura* vertere, grossos, sive ficus immaturas, q. d. Deus: *Ego non inveniens panem præ famis magnitudine, quisquilias et surfures requisivi*. Hic enim ipse in textu *biceura* vertit, *ficus præcoquas*, quæ sane maturæ et gustui suaves sunt. Et ita *biceura* vertunt alii passim. Sensus ergo est, q. d. Ego Michæas quasi famelicus, post tot coneciones et labores, desideravi vel in autumno ficus præcoquas: licet enim aliis sint præcoces in æstate; ego tamen, vel in autumno (mibi enim nullæ in æstate maturuerunt) pauculis maturis contentus ero, id est paucorum saltem desidero conversionem et salutem, quantumvis seram et tardam, ut hæc saltem labori meo reddatur merces et consolatio: at ne hoc quidem consequi potui.

Moral. quæ avide præ omnibus fructibus expetimus ficus præcoquas, tam avide Deus expetit peccatorum conversionem, et tam avide eandem expetat concionator, quasi alter Michæas.

Symbol. Porro Symbol. ficus præcoquæ, inquit Arias, fuerunt primi patres et patriarchæ, puta Abraham, Isaac, Iacob Moses, etc. qui uti primi fideles, ita Deo suavissimi, et sua pietate ac sanctitate gratissimi extiterunt. Optat ergo Michæas ut redeat aureum Patriarcharum sæculum, ut redeat prima et prisca avorum fides, pietas, integritas. Simili modo optat Poeta Iuvenalis satyra 13.

*Hos utinam inter,*

*Heroas nolum tellus me prima tulisset!*

Nam, ut canit Horat. lib. 3. od. 6.

*Damnosa quid non imminuit dies?*

*Ætas parentum peior avis, tulit*

*Nos nequiores, mox daturus*

*Progeniem vitiosiorum.*

Vers. 2. PERIIT SANCTUS.) Hebr. חַסִּיד *chasid*, id est pius; Chald. *misericors*; Septuag. *reverens*; Tigurina, *benignus*; Vatabl. *sanctus*.

ET RECTUS.) Septuag. pro *sein* legentes *sin*, puta pro *יָשָׁר* *iasciar*, legentes *יָשָׁר* *iasar* (*sin* enim æquipollet literæ *samech*) vertunt, *et corrigens in hominibus non est*, q. d. Non est censor, qui hominum vitia castiget et corrigat. Sic Ovid. lib. 1. Metamorph. queritur eum aureo sæculo periisse fidem, pietatem, virtutem; ac successisse ferreum et æneum sæculum, quo in virtutum

*Subiere locum fraudesque dolique,*

*Insidiæque et vis, et amor sceleratus habendi.*

OMNES IN SANGUINE (hebr. *sanguini*, id est vitæ proximi) **INSIDIANTUR**: unde Chaldaeus, *Omnes parant insidias sanguinis iusti effundendi causa*. Quocirca explicans subdit: **VIR**, id est unusquisque, **FRATREM SUUM AD MORTEM VENATUR.**) Sicut auceps venatur avem ut eam occidat. Hebr. et Chald. *vir venatur fratrem suum ad cherem*, id est, *ad exterminium*, ut eum quasi anathema disperdat et exterminet; Pagnin. et Vatabl. vertunt, *venatur reti*, ut eum illaqueet; sicut auceps illaqueat voluerem. Verum Hebr. *cherem* proprie et communiter significat exterminium, non rete, nisi abusive, ut patet Habac. 1. 47.

Vers. 5. MALUM MANUUM SUARUM DICUNT BONUM: hoc est, opera mala quæ manibus operantur, dicunt esse bona, q. d. Non solum faciunt mala, sed et defendunt, dicuntque esse bona. Ita S. Hieron. Secundo, Septuag. vertunt, *in malum manus suas præparant*, q. d. *Cuncti manus levant ad malum, ut etiam qui malum facere non potuerit, tamen dum manus præparat, voluntate delinquat*, ait S. Hieron. Tertio. R. David apposite et connexe ad sequentia vertit, *manus suas coniungunt ad malum, ut illud bene faciant*, id est, ut illud perficiant et ad effectum per-

A ducant. Unde Tigurina vertit, *ad malum manuum suarum diligenter sunt intenti*, et strenui; quia nimirum ad illud idoneos sibi socios, et potentes administratos asciscunt, cum eisque simul in malum, quod mente destinarunt, conspirant. Nam **PRINCEPS POSTULAT** a iudice sibi adiudicari iniqua tributa, bona, vel vitam innocentium, similis rem impiam vel iniustam: **ET IUDEX IN REDDENDO EST**, q. d. *Iudex reddit quod princeps iniuste petit; reddit, inquam, spe mercedis, vel paris iudicii, aut gratiæ, quam a principe expectat, ut præstent sceleribus suis multum favorem, et in alterius crimine se defendant*, ait S. Hieron. Unde ex Hebræo vertas, *iudex pro retributione*, scilicet iudicat; hoc est, ut Chald. vertit, *princeps postulat, et iudex dicit: Fac pro me, et retribuam tibi*. Denique **MAGNUS**, hoc est, aliquis ex magnatibus vel Rabbinis, **LOCUTUS EST DESIDERIUM** (hebr. הָוָה *havah*, id est corruptelam et pravitatem. Ita Vatabl.) **ANIMÆ SUÆ**: puta si rogetur de hac principis postulatione, et iniquo iudice ei rem iniuste adiudicantis iudicio, non respondet secundum iustitiam, legem et voluntatem Dei; sed secundum suam adulationem, ambitionem et avaritiam: nimirum approbat et defendit iniquam, tam postulationem principis quam iudicis sententiam, ut eorum gratiam ineat, aut rapinæ sit particeps. Unde Pagnin. vertit, *et magnus loquitur: Afferite munera: ET HAC RATIONE CONTURBAVERUNT* (Chald. *depravaverunt*) **EAM.**) *Vel urbem, vel veritatem, sive terram, de qua dixit v. 2. Periit iustus de terra*, inquit S. Hieron. Hebr. magis apposite et significanter dicitur **יַעֲבֹתָהּ** *vaieabetuha*, id est condensarunt, implicuerunt, intricarunt, sicut funem reddiderunt *eam*, scilicet *havah*, id est corruptelam; nimirum tripliciore, puta principis, iudicis et magnatis, quasi triplici fune eam triplicantes et corroborantes, ut ostendant bonum esse, quod malum est; æquum esse, quod iniquum est, iuxta illud: *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Radix enim **עֵבֶת** *abal* significat implectere funes, vel frondes: inde enim **עֵבֶת** *abol* vocantur funes, quia implexi. Hoc est quod ait Isaias c. 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrî peccatum*. Ad Isaiam enim more suo alludit hic Michæas. Ita Lyran. Vatabl. Marinus in Lexico, et alii recentiores. Paulo aliter hunc locum explicat Pineda in Iob. 22. v. 8. u. 6. quasi Michæas hic taxet principes, qui aulæ harpyiis, id est suis familiaribus et adulatoribus omnia indulgent, et concedunt eum noxa reipub. et pauperum. Sic ergo exponit: princeps (vir princeps et magnus eorum suo rege, et iudice supremo) *postulat* (a rege) *et iudex* (supremus) *in reddendo* (facile annuendo, et concedendo nulla sufficiente causæ et rei postulatæ cognitione) *est, et magnus* (primates et regi familiares) *locutus est desiderium animæ suæ* (quod appetunt, hoc petunt: quod vero petunt, dicto citius obtinent) *et conturbaverunt eam*, rempub. videlicet pungendo et lacerando pauperes, eorumque sanguinem exugendo. Unde sequitur: *Qui optimus in eis est, quasi palurus; et qui rectus, quasi spina de sepe*. Verum, quia communiter princeps est maior iudice, hinc prior expositio planior videtur. Apposite Belgæ hosee socios in facinore contentantes, vocant *vandregisilos*. Nomen enim *Vandregisilus* conflatum est ex hisce tribus Flaudricis vocibus, *van de drygesellen*, hoc est e tribus sociis unus, uti annotavit Hutterus, et alii in Origin. Flandr.

Transit hic Propheta a cædibus et sceleribus populi, ad scelera magnatum, qualia etiam hoc ævo non raro conspicimus: filii enim huius sæculi sapientes sunt ut faciant malum; ideoque tot consiliis, et sociis, vel fautoribus potentibus, quasi funibus illud illigant, ut nemo illud evertere, nemo eis resistere possit: sed qui habitat in cælis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos, uti pulchre in sequentibus ostendit Michæas. Ita Iezabel regina curavit innocentem Naboth a iudicibus condemnari et lapidari, ut eius vineam occuparet et traderet marito Ahab: approbarunt hanc necem et prædam optimates Samariæ; sed illico in vindictam prosiliit vigil Dei oculus, eique per Eliam fulmen maledictionis inflixit. Quocirca Iezabel pau-

Io post a Iehu regno et vita spoliata in eodem agro, quem Naboth ademerat, devorata est a canibus, 3. Reg. 21. 23.

Moral. Præclare S. Gregor. hom. 9. in Ezech. *Tolerandi, inquit, ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exerceat. Unum vero est, potentia, qua vitari societas malorum debeat; ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant, et cum ipsi sua malitia non mutantur, eos qui sibi coniuncti fuerint pervertant.* Et S. Isidor. 1. 2. Soliloq. *ante ignem, inquit, consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolveris: proximus periculo diu tutus non erit: sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit.* Et mox: *Melius est habere malorum odium, quam consortium, sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum.* Ita in utramque partem magna est vis societatis. Quocirca sapienter Cassiodor. lib. 2. Epist. *Ipsi quoque homini, inquit, duplex manus, socias aures, oculos geminos divina tribuerunt, ut robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum.* Et Hugo lib. 3. de Anima: *Amabilis socius, inquit, omnibus est officiosus, et nulli onerosus: quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum; Domini servus, proximi socius, mundi dominus, superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium.*

Vers. 4. QUI OPTIMUS IN EIS EST, QUASI PALIURUS.) Septuag. *quasi linea comedens.* Sensus est, q. d. Qui inter hosce optimates iniustus et rapaces videtur optimus, id est minus malus, si cum cæteris rapacioribus compararetur; is tamen quasi paliurus spinosus et asper pungit, vulneratque proximos. Paliurus enim est genus spinæ asperæ et acutæ, quod vulgo agrifolium dicitur, de quo Virgil. e. clog. 5.

*Carduus, et spinis surgit paliurus acutis.*

ET QUI RECTUS, QUASI SPINA DE SEPE.) q. d. Qui inter eos videtur cæteris rectior et æquior, id est minus iniustus; is tamen distortus est, pungit læditque ut spina. Coniicite ergo quales, quam mordaces, et noxii debeant esse cæteri, qui his peiores, et præsertim qui inter eos pessimi et nocentissimi sunt. Rursum sicut spina rapit lanam ovium, ovesque lacerat, ita hi substantiam simplicium rapiunt, simplicesque lacerant, ait R. David. Heb. habent, *rectus eorum præ sepe*, scilicet spinosus est, et pungit. Unde Pagnin. vertit, *rectus eorum asperior est maceris spinarum*; et Tigur. *qui rectus, sepe ex spinis contexta spinosior*, id est acutior et nocentior est; Syrus et Arabic. Antioch. *contempserunt bona sua, quasi frustum panni corruptum a linea*; Arabicus vero Alexandr. *ego disperdam bona eorum velut linea (vel caries) quæ comedit et repit in trabibus, sicut dies insidiarum.*

Secundo, magis presse et congrue: *qui optimus, id est benignissimus et mansuetissimus, est inter eos; hic tamen acer est in pungendo, quasi paliurus: et qui rectus, id est placens, gratus, iucundus, placidus, videtur inter ipsos; hic tamen pungit et affligit quasi spina.* Sic sæpe bonus sumitur pro suavi et miti; uti psal. 72. 1. *Quam bonus Israel Deus: bonus, id est suavis, benignus, beneficus, his qui recto sunt corde*, qui Deo cor æquum, placidum, blandum et amicum exhibent. Deus enim rectis est rectus, bonis bonus, placidis placidus, benignis benignus; ex adverso acerbis est acer, sævis sævus, crudelibus crudelis, uti canit David psal. 17. 26. et 27.

DIES SPECULATIONIS TUÆ, VISITATIO TUA VENIT ) Hebr. מצפיק metsappecha, id est speculatorum tuorum. Unde Tigur. clare vertit, *dies speculatorum tuorum, visitationisque tuæ venit*, quod explicans Vatabl. Brevi, inquit, aderit dies, quo falsi tui speculatores, id est Prophetæ, prædixerunt tibi fore omnia felicia; sed falso: nam ille dies erit visitationis, id est punitionis, tuæ, quo scilicet Deus sumet de te pœnas, teque per Chaldæos excinet. Et Chald. *dies mala in qua bonum expectabas, dies visitationis malitiæ tuæ pervenit*, id est adest et instat. Loquitur de excidio non Samariæ, uti censet S. Hier. Remig. et Hugo, sed Ierusalem, ut patet ex sequentibus,

ubi promittit liberationem e captivitate: hæc enim contigit Hierosolymitis in Babylonem, non Samaritis in Assyriam abductis.

NUNC ERIT VASTITAS EORUM.) Pro *vastitas* Hebr. est מבוכה mebuch, quod Septuag. et Syrus vertunt, *fletus*, a rad. בכה bacha, id est flevit. Pagnin. *desolatio*; alii, *obsidio*; Marinus, *confusio*; alii, *distractio*; proprie Chal. et Vatabl. *perplexitas*: hanc enim quasi pœnam appositam opponit colligationi et conspirationi eorum in malum, de qua dixit v. 3. *Conturbaverunt eam*; hebr. *implicarunt eam*, q. d. Princeps, iudex et magnates collidentes, et conspirantes in rapinas et expilationes tenuiorum, ita suum hoc scelus corroborarunt, et tribus quasi funibus implicarunt, ut inextricabile videatur, nullusque ei resistere, vel evadere valeat: quocirca ego distraham hosce eorum funes, ac vicissim implicabo illos fune, non triplici, sed centuplici Chaldæorum undique eos obsidentium et circumvallantium, ut eorum laqueos et manus effugere nequeant; sed ita sint perplexi, ut nesciant quo se vertant, quod consilium capiant, quo fugiant. Multo magis tropol. perplectet eos Deus in hora mortis, et in die iudicii, cum præ pavore et angore dicent montibus: *Cadite super nos; et collibus: Operite nos*, Apocal. 6. 16.

NOLITE CREDERE AMICO (Hebr. רע rea, id est socio: vers. 5. respicit enim ad societatem qua princeps, iudex et magnates conspirant in rapinis, eamque dissolvere et plectere pergit) ET NOLITE CONFIDERE IN DUCE: AB EA, QUÆ DORMIT IN SINU TUO, CUSTODI CLAUSTRA ORIS TUI.) Varii varie hunc versum explicant, et textui adaptant. Primo, S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. hæc referunt ad pseudopphetas, q. d. Nolite iis credere, quia, si inter homines, vel genere, vel fœdere coniunctos, quales sunt amici, duces, coniuges, nurus, rara est fides, uti experientia testatur; quanto magis rasa erit fides in pseudopphetis, qui somnia fingunt, ut adulentur, et emungant buras populorum suorum.

Secundo, alii melius generatim hæc verba accipiunt, ut taxent infidelitatem hominum illius ævi, q. d. Hoc tempore tanta est hominum perfidia, ut nec socius socio, nec uxor marito, nec subditus duci, nec socrus nurui credere possit; quia ipsi domestici hominis sunt eius inimici. Sapienter ergo agit, qui omnes suspectos habet, nemini fidem commodat, nemini se credit; sed ipse sibi consulit et prospicit. Hoc est quod eodem ævo deplorat Ierem. c. 9. 4. *Unusquisque, ait, se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet*, etc. Cui plane similia sunt verba Michææ, quæ sequuntur: *Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam.* Quæ si plane ut sonant capiantur, non aliud quam malitiam et perfidiam illius sæculi significant. Hic ergo sensus uti simplicior et planior, ita et germanior videtur: explicat enim et exaggerat id quod dixit v. 2. *Periit sanctus de terra etc. Vir fratrem suum ad mortem venatur.* Et illud v. 3. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus*, etc. Et hoc sensu videtur hæc Michææ verba citare Christus Matth. 10. 34. de quo mox plura. Atque hic sensus, utpote generalis, cæteros omnes, præsertim tertium, quem iam assignabo, complectitur. Tale pariter ferream mundi hominumque sæculum describit Ovid. 1. Metamorph.

*Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus, Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est; Imminet exitio vir coniugis, illa mariti; Lurida terribiles miscent aconita novercæ: Filius ante diem patrios inquirat in annos; Vieta iacet pietas, et virgo cæde madentes Ultima caelestem terras Astræa reliquit.*

Porro signanter et sapienter ait, *Ab ea quæ dormit in sinu tuo*, id est, ab uxore, ut vertit Chald. (sic enim dicitur Deut. 13. 6. *Uxor quæ est in sinu tuo.* Et c. 28. 24. *Uxori quæ cubat in sinu tuo) custodi claustra oris tui*, id est, ne uxori credas, ne ei reveles tua secreta: os enim est quasi ostium, quod sensa pectoris instar ostii claudit



silendo, vel aperit loquendo: unde sua habet elaustra et seras, scilicet labia et dentes, quibus natura nos monet, ut iis os et linguam clausa teneamus, præsertim coram feminis. Nam mulier est inconstans et garrula: *Varium et mutabile semper femina*, ait Virgil. Ita Dalila Sansonem prodidit, cum ipse ei revelasset suam fortitudinem sitam esse in coma, Iudic. 13. Ita Iezabel perdidit Achab, cum ei revelasset causam suæ tristitiæ esse cupidinem vineæ Naboth, 3. Reg. cap. 21. Quocirca Cato teste Plutarch. de tribus dolebat: Primo, quod in hæc vita tam incerta, vel uno die intestatus mansisset. Secundo, quod eo mari et navigio profectus esset, quo poterat ire terra et pedes. Tertio, quod secretum suum revelasset mulieri. Vere Antiphanes apud Stobæum:

*Quid ais? cum latere velis aliquid negotium, mulieri Ipsum aperies? at quid interest, siue mulieri, siue omnibus in foro præconibus narrare?*

Vide Plutarch. lib. de Garrulitate. Prudenter Seneca: *Alium silere quod voles, primus sile.* Et Valer. Max. l. 6. c. 11. *Taciturnitas optimum atque tutissimum rerum administrandarum est vinculum.* Vide S. August. l. 19. Civit. cap. 5. ubi tractans hunc Michææ locum, eum duabus Gentiliis sententiis illustrat. Una est Terentii in Adelpheis: *Duxi uxorem, quam ibi miseriam vidi? imo, quam ibi miseriam non vidi? Et in Eunuchio: In amore hæc omnia insunt vitia, iniuriæ, suspiciones, inimicitia, induciæ, bellum, pax rursus: nonne res humanas ubique impleverunt?* Altera est Cicer. l. de amicitia: *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam ex quæ latent in simulatione offeii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarius, facile cavere possis.*

Hæc pertinet expositio Ariæ, quæ partialis est: qui putat hic significari, subditis et popularibus cavenda esse commercia cum principibus, q. d. Nolite o populares, miscere vos rebus principum, ut vel amicitiam cum eis ineatis, vel inimicitiam ostendatis detrahendo eis, et facta eorum carpendo apud vestros amicos, uxores, filios, etc. quia hi audita non silebunt, sed partim ex garrulitate, partim ex malevolentia, qua vobis irati et offensi nocere cupiunt, narrabunt ea aliis, et hi aliis et aliis, ita ut ad aures principum perveniant, qui se vindicabunt et vos acriter punient, iuxta illud Eccl. 10. 20. *In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia et aves cæli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annunciat sententiam.*

Tertio, alii censent hæc spectare et explicare acerbitatem visitationis, id est punitionis et vastitatis, vel, ut hebraice est perplexitatis Iudæorum, maxime optimatum, in excidio Hierosolymæ per Chaldæos, de qua proxime præcessit, q. d. Tanta erit calamitas, tanta fames, tanta angustia, tanta perplexitas civium, præsertim optimatum, qui pauperes suis consiliis et conspirationibus impliecerunt et diriperunt, in obsidione Hierosolymæ, ut quisque pro se uno sollicitus sit, et neminem alium, ne amicum quidem, ducem, uxorem, aut nuntium curet, imo nulli fidat suæ vitæ subsidia, vel fugæ consilia; sed panem quem habet ab iis abscondat, ut eo solus ipse vesci, et vitam suam sustentare possit; latebras, vel vias et modos effugiendi manus Chaldæorum, quos ipse invenerit vel excogitarit, silentio premat, et sibi servet, ne ab amico vel uxore sibi præripiantur. Ita Theodor. a Castro, Ribera et alii. Unde sequitur:

Quia in tanta fame, perturbatione, et angustia **FILIUS CONTUMELIAM FACIT**, id est faciet, **PATRI**, ut cum eo litiget et pugnet pro pane, eumque illi eripiat: **ET FILIA CONSURGIT**, id est consurget, **ADVERSUS MATREM SUAM**, simili de causa: **ET INIMICI HOMINIS**, id est cuiusvis, ut vertit Chald. **DOMESTICI EIUS.**) Supple erunt, quia domestici passim inter se contendent et pugnabunt pro pane, latibulo, similive re ad vitam, in tanto periculo tuendam necessaria.

Allegor. hæc discordia et pugna Iudæorum corporalis, id est ob bona corporalia, representabat discordiam et pugnam spiritualem (id est, ob fidem, et bona spiritualia)

**A** fidelium et infidelium, puta persecutionem infidelium etiam parentum, fratrum et cognatorum contra Christianos, sive Iudæos, sive Gentiles tempore Christi et legis novæ, maxime quando propter ipsos incurrebant periculum famæ, honorum et dignitatum, vel etiam vitæ. Et hoc sensu citat hæc Michææ verba Christus Matt. 10. 34. *Non veni, inquit, pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filium adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici eius*, q. d. Veni mittere separationem et dissidium inter fratres et parentes, in re simile illi quod prædixit Iudæis Michæas; sed dissimile in causa. Illud enim Iudæorum fuit ob malitiam eorum; vel, ut alii volunt, ob obsidionem Chaldæorum, in qua adeo fame, peste et gladio vexati sunt, ut etiam frater fratri, filius patri, filia matri, panem, domum, arcem ad se salvandum præriperet: hoc vero meum et Christianorum, erit propter fidem, pietatem, et cultum Dei ex parte fidelium; sed propter malitiam pariter ex parte infidelium.

**B** Veni ergo mittere gladium, id est separationem et discordiam in fide et religione, ut scilicet fideles meos proprie per fidem separem ab infidelibus: hi vero inde occasione iurgandi accepta, separent se a fidelibus sua infidelitate, odio et persecutione, qua eos bonis et vita mulcent. Et hoc posterius maxime intendit Christus, illudque magis respondet menti Michææ, ex quo hoc mutuatus est Christus: *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, etc. et inimici hominis domestici eius. Quia eveniet*, ait S. Chrysost. orat. contra Iudæos, *ut in eadem domo unus sit fidelis, alter infidelis, et pater filium velit trahere ad impietatem. Hoc prædicens ait: Adeo vincet potestas Evangelii, ut filii quoque contemnant parentes suos, filie matres, et parentes liberos, imo ut animam et omnia pro pietate exponant.* Unde subdit Christus: *Qui unat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus:* ut scilicet paratus sit pro me, meaque fide et obsequio, ferre verbera, opprobria, et mortem etiam durissimam et ignominiosissimam, qualis est crucis: *Quia sic obtulit vobis attuli beatitudinem, sic singularem obedientiam et affectionem a vobis postulo, ut in acie mea sitis leones*, ait S. Chrysost. Idem Chrysost. hom. 36. in Matth. *Inimici hominis sunt, qui in domo eius sunt. His verbis*, inquit, *Propheta omnibus rebus superiorem conatur facere eum, qui dicta eius esset suscepturus. Nec enim mori, sed male mori malum est. Ideo dicebat: Ignem veni mittere in terram: quibus verbis vult significare magnitudinem ac ardorem charitatis quam flagitat. Nam quoniam ipse nos mirum in modum dilexit, idco singulari a nobis quoque charitate diligi desiderat.* Non ergo Christus abutitur verbis Michææ, uti quidam interpretes asseruerunt; sed recte ea suo ævo suoque argumento applicat, q. d. Nunc per Evangelii mei prædicationem licet dissidium fratrum et parentum tale, quale olim prædixit Michæas; etsi aliam, et pientioreme ob causam. Quocirca nunc pariter licet usurpare celebrem hanc sententiam Michææ, quæ in commune proverbium abiit: *Et inimici hominis domestici eius.* Est enim hæc generalis sententia et gnomo, quæ usum habet in omni loco, materia et tempore, quando de meo et tuo in eadem domo vel cœtu agitur et litigatur; tunc enim quisque pro se, suaque re et commoditate pugnans inimicos habet non extraneos, sed domesticos, qui illud eripere sibi vindicare satagunt. Quocirca Anagog. hæc gnomo verissima est in gehenna, ubi summi inimici sunt, qui in hæc vita fuerunt summi amici, puta parentes, fratres, domestici et socii in scelere, ob quod ad gehennam damnati sunt. Hi enim quasi canes in se invicem ringunt, maledicunt, et impropertant dicendo: *Maledictus sis pater, qui me lascivientem non castigasti; sed in scelere educasti, ut fierem fomes gehennæ. Maledictus sis frater, qui me ad seorta et erapulam verbo et exemplo invitasti. Maledicta sis uxor, quæ me ad opes per fas et nefas corrogandas sollicitasti. Maledictæ sitis filia: quia propter vos ornandas et ditandas ego iniuste bona aliena*

**D**

Mulier est garrula.

Cato de tribus dolebat.

Vers. 6.

occupavi, sœnera et iniusta lucra captavi, ob quæ nunc uror igne æterno.

Vers. 7.

**EGO AUTEM AD DOMINUM ASPICIAM.**) In tantis malis sanum dat consilium, æque ac exemplum, q. d. In tanta Indæorum tum calamitate et obsidione, de qua dixi v. 5. tum malitia et perfidia, qua frater fratrem, pater filium prodet et perdet; ego Michæas meique similes sancti et sapientes, non ad parentes et amicos, utpote perfidos, sed ad Deum intentis oculis mentis magis, quam corporis aspiciemus, illum unum invocantes, illi nos commendantes, ab illo solo opem et liberationem e tantis malis poscentes et expectantes, iuxta illud sanissimum Iosaphat pii et prudentis regis in rebus afflictis, et pene perditis consilium: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos: sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paral. 20. 12. Deus enim in rebus deploratis unicum est perflugium et asyllum, ac in illis gaudet opitulari, ut ostendat summam suam potentiam et beneficentiam, præsertim in eos, qui id credunt, sperant et postulant. Quocirca tunc summe vitanda est diffidentia et desperatio, ac maxime excitanda certa in Deum spes et fiducia; quæ si adsit, certo Dei opem, etiam per miraculum eliciet; uti contigit Loth obsesso a Sodomitis, Gen. 19. Mōsi et Hebræis a Pharaone, Exodi 14. Iudith et Bethulix obsessæ ab Holoferne; Davidi obsesso a Saule, 1. Regum 23. 27. Machabæis obsessis ab Antiocho; Ezechiæ obsesso a Sennacherib, Isaia 38. 14. Hoc est quod vulgo dicitur: *Deus ex machina*, scilicet ex in-sperato apparens et opitulans.

Deus in arcibus adest se invocantibus.

**EXPECTABO DEUM SALVATOREM MEUM**, scilicet ad litteram Deum, qui me, meique similes tum a Chaldæis, tum a perfidis Iudæis liberet. Alleg. expectabo Christum, qui a diaboli captivitate, omniumque impiorum insultu nos liberabit. Hinc Christus vocatus est Iesus, id est salvator mundi. Loquitur Michæas ad litteram in persona Ierusalem (id est, civium eius fidelium et piorum) a Chaldæis obsessæ, vastatæ, abductæ in Babylonem, uti notat S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. et alii; quæ enim sequuntur constat esse verba Ierusalem. Ait enim:

Vers. 8.

**NE LÆTERIS INIMICA MEA SUPER ME, QUIA CECIDI.** Ierusalem *inimicam* suam vocat, non Romam, ut voluit Iudæi; sed vel Babylonem vastatricem suam, ut vult S. Hieron. Remig. Vatabl. et alii; vel potius Idumæam: Babylon enim omnium gentium, sed Idumæa propria et avita fuit Iudæorum inimica, quæ proinde in eius excidio gavisata est et applausit: unde omnes pene Prophetae hoc illi improperant, ideoque ei simile excidium comminatur, uti facit Abdias tota sua prophetia. Quare v. 12. *Non despicias*, inquit, *in die fratris tui, et non lataberis super filios Iuda in die perditionis eorum*, etc. *Quoniam iuxta dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi, retributionem tuam convertet in caput tuum.* Et Psaltes psal. 136. 7. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Similia habet Ierem. c. 49. 12. Amos c. 1. 11. et alii. Sensus ergo est, q. d. Ne læteris in mei excidio o inimica mea, o æmula Idumæa: licet enim ceciderim, tamen post 70. annos rursus Deus per Cyrum me eriget, et restaurabit: tunc **CONSURGAM CUM SEDERO IN TENEBRIS**, puta in tenebroso carcere Babylonio; quia **DOMINUS LUX MEA EST.**) Non formalis, sed causalis; hoc est, Deus me sedentem in tenebris captivitatis *illuminabit*, ut vertunt Septuag. et Chaldæus, lucique, id est lætitiæ, libertati et felicitati, et quasi vitæ (horum enim symbolum est lux, sicut ex adverso tenebræ symbolum sunt tristitiæ, captivitatis, adversitatis et mortis) restituet. Sic in tenebris, id est in ærumnis, constitutus David ad Deum, quasi ad lucem, respiciens ait: *Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?* psal. 26. 1.

**Moral.** S. Ambros. in psal. 37. ad illud: *Quoniam in te Domine speravi*, citans hæc Michææ verba: *Non est*, inquit, *gravis infirmitatis ruina, si non sit etiam voluntatis*

**A studium.** *Habe voluntatem surgendi, præsto est qui faciat ut resurgas.* Et paulo ante: *Quia etsi peccavi, tu peccatum dimittis: etsi ego cecidi, tu resuscitasti; ne habeant unde exultare possint, qui peccatis lætantur alienis. Plus enim acquisivimus, qui plus peccavimus: quia beatiores facit tua gratia, quam nostra innocentia.* Audiant hoc peccatores pœnitentes, audiant et gaudeant.

**IRAM DOMINI PORTABO QUONIAM PECCAVI EI.**) *Iram*, qua scilicet me Ierusalem per Chaldæos castigat, vastat, et in Babylonem abducit, q. d. Ego Ierusalem portabo iram, id est, sustinebo pœnam excidii, ex ira Dei mihi infligam. Loquitur enim Michæas in persona Ierusalem, id est civium eius piorum et fidelium, qui in eius excidio bonis et libertate spoliabantur. Unde patet viros pios et sanctos portare iram Dei, dum pro peccatis suis puniuntur. Hinc sequitur, Deum, licet peccatori pœnitenti condonet iram, id est culpam, non tamen illico condonare omnem iram, id est pœnam, ut volunt hæretici. Est enim duplex ira Dei: prima est odium, quo peccatorem odit, quasi hostem suum, eique vult summum malum et perniciem, dum eum destinat gehennæ: hæc tollitur per pœnitentiam, qua peccatori reconciliatur, cum eoque in gratiam redit. Secunda ira est, qua pœnitentem licet reconciliatur, non vult relinquere impunitum, sed ob peccata præterita ei vult malum aliquod, puta castigationem; dum eum destinat morbo, fami, spoliationi, captivitati, etc. Hanc portat Michæas, et Sancti.

Vers. 9.

Duplex ira Dei.

**B** Dices: Per pœnitentiam tollitur omnis offensa ex animo Dei, ita ut amplius peccatori non sit offensus, sed ei peccatum plane condonet, eique omnino reconcilietur; ergo pariter tollitur omnis ira. Respondeo ad antecedens, duplex est offensa, sicut et ira. Prior offensa vel offensus, est ipsa inimicitia et hostilitas: hæc omnis tollitur per pœnitentiam. Posterior offensa est voluntas castigandi et puniendi aliqua pœna temporali voluptatem, quam percipit peccator in actu peccati. Hæc residet et remanet in animo Dei, donec peccator eam luat, vel Deus eam condonet; sicut David condonavit offensam priorem Absaloni, dum eum, licet fratricidam, in gratiam recepit, non tamen posteriorem; nam dixit: *Faciem meam non videat*, 2. Reg. 14. 24. Ex parte ergo adhuc ei offensus fuit, quia noluit eum videre. Ita David ipse portavit hanc iram et offensam Dei: nam cum correptus a Nathan de suo adultério et homicidio pœniteret, diceretque, *Peccavi Domino*, illico ab eo audivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur*, 2. Reg. 12. 13. Quocirca David, licet iam sciret remissum sibi esse peccatum quoad culpam, tamen adhuc iram, id est viodictam et pœnam, Dei deprecatur dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, psal. 6. 1. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Amplius *læta* me ab iniquitate mea, psalm. 50. 1. q. d. Lavisti me abstergendo culpam, sed amplius lava abstergendo omnem iram et pœnam. Porro hanc Dei castigationem recte dici iram, vereque procedere ex ira et animo irato Dei, hoc argumento demonstrat Greg. de Valentia tractat. de Satisfactione contra hæret. c. 3. Irasci, inquit, vel esse infensum alicui, est velle ei evenire aliquod malum; atqui Deus vult ut pœnitenti, licet sibi reconciliato, hoc malum pœnæ temporalis obtingat, imo illud positive ei immittit et indigit, dum eum castigat; ergo hoc ipso aliquo modo illi irascitur, estque adeo adhuc in Deo erga illum offensa, pro qua debeat et possit compensatio fieri. Unde Syrus et Arabicus pro *iram*, vertunt, *plagam Domini portabo*.

Probat.

**Moral.** Idipsum dicunt pœnitentes, cum a Deo morbo, paupertate, persecutione, aliisque ærumnis, ac præsertim pœnitentia illius concupiscentiæ, cui olim consenserunt, recurrente, affliguntur: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Tollam nolens grabatum meum, in quo volens iacui, et ambulabo. Ita S. Maria Ægyptiaca tot annis pas-

sa est acres tentationes libidinis, quot in ea vixerat, puta septemdecim. Ita S. Machabæi martyria sua peccatis suis ex humilitate ascribunt, 2. Machab. 7. Novi viros Religiosos, qui quoties adversi quid eis accidit, subito dicunt, Mea culpa, hæc meæ culpæ iusta est pœna. Ita Mauricius Imp. videns in conspectu suo quinque filios necari a Phoca Imp. exclamabat: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Restiterat enim olim S. Gregorio Pontifici in iuribus Ecclesiæ, ideoque hæc pœna a Deo muletatus est, imo eandem ipse expetiit, ut futuram et æternam redimeret: ita ex Theophane Baron. anno Domini 602.

Ægrotis hæc applicat S. Basilius in Regulis fusius explicatis, interrogat, 53. *Morbi*, inquit, *sæpe peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam in melius commutemus, etc. Quare qui eiusmodi sunt, hi, omissis medicorum auxiliis, invecas sibi acerbitates ferre silentio debent, quodcumque se peccasse animadvertent; atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei; nec non vitæ suæ prava studii commendare, et dignos penitentis fructus edere.*

**donec causam meam iudicet, et vindicet:** licet enim ego iuste puniar respectu Dei, cui peccavi, tamen iniuste hæc patior a Chaldæis et Idumæis, quibus nihil nocui, quique nullum in me, meumque excidium et direptionem ius habent. Chaldæi enim nullum iustum belli titulum habuerunt, quo iuste et licite possent Iudæos invadere et vastare. Porro iudicabit et vindicabit causam meam Deus, cum **EDUCET ME IN LUCEM,** puta in libertatem e carcere Babylonio; nam tunc **VIDEBO IUSTITIAM EIUS,** iustam scilicet viudictam, qua par pari reddet Chaldæis, dum eos vastabit per Cyrum, sicut ipsi nos vastarunt; atque Idumæis, dum eos a Chaldæis pariter in captivitatem abducos, in ea relinquet, nec in patriam reducet, uti reducet me. Rursum dum eos per Iudam aliosque Machabæos, mihi meæque legi subiugabit, 4. Machab. 5. 3. Tunc ergo **INIMICA MEA,** id est, hostilis Babylou; vel potius æmula et invida Idumæa, **ASPICIET,** cum incore et pudore suas elades et ærumnas, **ET OPERIETUR CONFUSIONE, QUÆ mihi insultans nunc dicit ad me: UBI EST DOMINUS DEUS TUUS?** liberet te ab hoc excidio. Videbit enim meam libertatem et felicitatem sub Cyro, unde tunc rumpetur invidia. Nam **OCULI MEI VIDEBUNT IN EAM,** q. d. Ego in alto Sionis et felicitatis culmine rursum constituta, despiciam Idumæam humi iacentem, afflictam, et pene examinem, dicamque: **NUNC ERIT IN CONCULCATIONEM UT LUTUM PLATEARUM.** Quæ me superbe olim despexit, irrisit et afflixit. Nam paulo post eladem Hierosolymæ conculearent Idumæam Chaldæi, et postea Machabæi.

Vers. 10.

Vers. 11.

**DIES, UT ÆDIFICENTUR MACERIE TUX.** ) Primo, Theod. pergit hæc de Idumæa accipere, q. d. Veniet tibi, o Edom, dies obsidionis Chaldæorum, quo macerias et murorum ruinas instaurabis, ut iis te tuaris, et Chaldæis resistas: sed frustra; nam muros vel disicieunt, vel transcendunt Chaldæi, teque capient et diripient.

Secundo, S. Hieron. uti præcedentia, ita et hæc accipit de Babylone, q. d. Veniet tibi o Babylon dies, quo te obsidebunt Cyrus et Darinus, ac consequenter quo cogaris instaurare tuos muros. Sed frustra: nam capiet et vastabit te Cyrus: *In illa die longe fiet lex,* q. d. Deinceps non pones leges et iura Cyro et Persis, sed ab eis accipies.

Tertio et germane, cum eodem S. Hier. Chaldeo, Remig. Rupert. Hugone, Clario, Ribera, et aliis hæc accipit de Ierusalem, eiusque restauratione per Esdras et Nehemiam, q. d. Brevi, o Ierusalem excisa, et in Babylonem abducta, veniet tibi dies læta et felix, qua a Cyro laxata, et remissa in solum patriam, maceriam, id est ruinas, et parietes ædificiorum tuorum ex incendio reliquos restaures.

Vers. 12.

**IN DIE ILLA LONGE FIET LEX.** ) Hoc est, *iussio imperiosa,* ut vertit Theodolion et Symmach. Chaldæorum scilicet, qui tibi tyrannice imperabant, q. d. Non eris amplius imperio, legibus et edictis Chaldæorum subiecta. Unde Figurina vertit, *dies est ut reficiantur sepes tuæ,* ab hostibus dirutæ, *quo die decretum procul erit;* Pagninus vero, *die illa qua ædificabit Dominus macerias tuas, clon-*

**A** *gabitur tributum,* q. d. Non pendes amplius tributum quod Chaldæis pendere solebas.

**IN DIE ILLA** ( libertatis et reditus e Babylone in patriam ) **ET USQUE AD TE VENIET DE ASSUR:** ita legendum cum Rom. Hebræis et Græcis non, *ad te veniet Assur,* uti legunt multi. Sensus est, q. d. In die illa restorationis tuæ, o Ierusalem, non tantum liberaberis ab hoste, eiusque iugo, lege et imperio; sed etiam captivi tui sparsi per Assyriam, Mediam, Persidem, etc. inde ad te redibant, et ad alias suas Iudææ civitates munitas; quin et ex iis spargent se **USQUE AD FLUMEN suum,** scilicet Iordanem, ait S. Hieron. vel potius usque ad Euphratem ( Iordanis enim non fuit limes, sed potius medium terræ sanctæ; limes vero ei a Deo statutus ad Orientem fuit Euphrates, Iosue 1. 4. ita Chaldæus, et Vatablus ) et ab uno mari diffundes tuos cives usque ad mare alterum, puta a mari Galilææ, quod est Orientale, usque ad mare Mediterraneum, quod est Occidentale, atque ab uno monte usque ad alium, puta a monte Libano, qui terminus est Iudææ ad Septentrionem, usque ad montem Idumææ, qui terminus est eiusdem ad Meridiem: ita Theodor. q. d. Spargeris, o Ierusalem, o Synagoga, per totam tuam terram et ditionem olim tibi a Deo assignatam, quaquaversum ad omnes eius mundi plagas. Notat enim hic quatuor terminos et limites terræ sanctæ Iudæis promissæ: eius enim terminus ab Oriente, est mare Galilææ, sive Tiberiadis: ad Occidentem, mare Mediterraneum: ad Septentrionem, Libanus: ad Meridiem, montes Idumææ. **AD MONTEM DE MONTE.** ) Pro eo hebr. est *הר הר החר* hor hahar, quod Pagnin. et Vatabl. vertunt, *usque ad Hor montem.* Verum Hor mons nusquam ponitur terminus terræ sanctæ, ac longe ab ea distat, situsque est in Arabia. Rursum Vatabl. hæc omnia accipit de Chaldæis, eorumque victoriis, q. d. Hæc afflictio Chaldæorum perveniet usque ad terram sanctam: ipsi enim vastabunt omnia ab Assyria usque ad civitates munitas Ægypti, et usque ad Iudæam eiusque limites. Verum ad Hierosolymæ restorationem hæc spectare, patet ex v. 11. *Dies, ut ædificentur macerie tuæ,* o Ierusalem. Eadem enim cum illa est dies hæc, in qua cives eius ab Assur profugos, ad Ierusalem redituros prædicat. Idem patet ex v. 14. et seq. Insuper a Castro, per *montem de monte* accipit montem montium, puta montem Sion, qui situs est in medio montium, eisque eminet quasi rex et princeps. Tertio, aliqui Recentiores *eo ad montem de monte,* sic exponunt, q. d. A monte Carmelo, usque ad montem Libanum. Verum nec Sion, nec Carmelus fuerunt limites terræ sanctæ; sed potius in medullis eius siti sunt. Quare prior sensus, quem initio assignavi, genuinus est. Quod enim aliqui per Assur accipiunt Sennacherib, sicque exponunt, q. d. Veniet tibi, o Ierusalem, dies obsidionis et vastationis Sennacherib, qui conculeabit legem Dei, terramque sanctam: capiet enim omnes civitates Iudææ munitas; unde, tota terra erit in desolationem. Hic inquam, sensus minus congruus est, nam, ut alia laceam, de Sennacherib, eiusque strage iam pridem egit c. 2. v. 13.

**B** **ET TERRA ERIT IN DESOLATIONEM,** terra, non Iudæa, sed ei inimica et hostilis, e qua Iudæi liberati a Cyro redibunt læti et felices in Ierusalem, eamque restaurabunt, q. d. Cum Ierusalem restaurabitur, tunc Babylon, quæ eam vastavit, desolabitur a Cyro, **PROPTER HABITATORES suos,** propter impios Chaldæos, qui populum Dei fidelem et piûm afflixerunt; **ET PROPTER FRUCTUM COGITATIONUM EORUM.** ) Puta propter perversa eorum opera: hæc enim sunt fructus et effectus cogitationum et machinationum pravaram, q. d. Babylon ob tyrannidem et scelestam suam vastabitur.

**D** **ET TERRA ERIT IN DESOLATIONEM,** terra, non Iudæa, Vers. 15.

sed ei inimica et hostilis, e qua Iudæi liberati a Cyro redibunt læti et felices in Ierusalem, eamque restaurabunt, q. d. Cum Ierusalem restaurabitur, tunc Babylon, quæ eam vastavit, desolabitur a Cyro, **PROPTER HABITATORES suos,** propter impios Chaldæos, qui populum Dei fidelem et piûm afflixerunt; **ET PROPTER FRUCTUM COGITATIONUM EORUM.** ) Puta propter perversa eorum opera: hæc enim sunt fructus et effectus cogitationum et machinationum pravaram, q. d. Babylon ob tyrannidem et scelestam suam vastabitur.

**PASCE POPULUM TUUM IN VIRGA TUA.** Sunt hæc verba Vers. 14.

oratio Prophete, quibus Michæas Deum obsecrat, ut virga sua pastorali, id est, providentia sua paterna, suoque sceptro, quod dedit tribui Iuda, et Davidis posteris, ut censet Theodor. puta per Zorobabel, eiusque posteros pascat regatque Iudæos, qui sunt Dei populus, hæreditas et Ecclesia **HABITANTES SOLOS IN SALTU.** ) Id est, qui

cum soli et omni ope destituti, quasi in saltu inter feras, scilicet inter Gentes et idololatrias Babylonios captivi tenentur. Ita Vatabl. et Dionys. Aut, qui separati a Gentibus soli te colunt, tecumque quasi cum suo pastore versantur, uti solæ sunt oves in saltu cum suo pastore. Ita Theodor. et Clarius.

Allegor. S. Hieron. Haymo, Remig. Rupert. Hugo et Arias, censent hæc esse verba Patris æterni ad Christum Filium, q. d. Ego te, o fili, iam incarnatum pastorem meum constituo, iubeoque ut pascas oves meas, puta fideles Christianos, baculo pastoralis, puta potestate Evangelica, quam summam tibi trado. Hinc Christus abiens in cælum, hanc potestatem totidem verbis in S. Petrum resignavit, eumque in hoc pastoralis officio vicarium constituit dicens: *Pasce oves meas*, Ioan. 21. 17.

**IN MEDIO CARMELI.**) Refer hæc verba, non ad *pascen-* tur, quod sequitur, nec ad *habitates*, quod præcedit, sed remotius ad *pasce*: ita Roman. q. d. Eia, Domine, redeant Iudæi ad Carmelum, suosque agros et urbes, ibique eos pascere, quasi in Carmelo, id est, large et affluenter. Carmelus enim, utpote mons fertilis, ob opima gregum pascua, fertilitatis et abundantie est symbolum. Aut efficacius, q. d. O Domine, pascere tuos Iudæos in Babylone, quasi in horrido et spinoso saltu constitutos; pascere, inquam, eos ibi ita secure et largiter, ac si essent in Carmelo patrio, herbido et luxuriante: fac ut Babylone eis sit Carmelus sicut fecisti, ut tribus pueris fornax Babylonia esset hortus rorulentus, imo paradus, Daniel. 3. 50. Ita Deus S. Tiburtio Martyri prunas ardentes vertit in rosas; et S. Laurentio ignem in rorem et refrigerium; quin et S. Cæciliæ, S. Agneti, S. Lucie, aliisque S. Virginibus et Martyribus tormenta in gaudia, euulos in epulas, cruceis in delicias commutavit. Tanta est Dei nostri vis et potentia, tanta bonitas, tanta dulcedo in suos fideles et filios. Priori sensui paulo magis favet id quod sequitur.

**PASCENTUR** (Iudæi, cum eos e Babylone reduxeris in Iudæam) **BASAN ET GALAAD**, qui sunt montes pingues, et pecorum divites; *Basan*, id est, in Basan, q. d. Sicut oves in Basan et Galaad pascuntur et pinguescunt, sic et Iudæi ibidem iisdem ovibus omnique rerum copia a Deo pascuntur, **IUXTA DIES ANTIQVOS.**) Id est, sicut olim sub Davide et Salomone ibidem pasciebantur. Aut *pascuntur*, id est, depascuntur *Basan et Galaad*, et cæteros fertilissimos Iudææ montes et agros, hoc est, pingues Iudææ fruges, proventus et fructus colligent et comedent. Perstat in metaphora pastoris, ovium, et pascuorum: Deum enim comparavit pastori, Iudæos ovibus, Iudæam pascuis Carmeli, Basan et Galaad: hæc enim depascuntur oves.

Vers. 15. **SECUNDUM DIES EGRESSIONIS TUÆ DE TERRA ÆGYPTI.**) q. d. Sicut Iudæos ex Ægypto per tot plagas et portenta a Mose edita miraenlose eduxi; ita pariter eorum posteros ex Babylone per multa mira, imo miracula, educam. Nam Primo, conciliabo eis Cyrum et Darium idololatrias, ut eos, Babylone liberent. Secundo, in itinere et reditu eis adero, ut parvuli, fœminæ, senes, et debiles, sine noxa læti et alacres illud, licet longum et molestum conficiant, uti confecerunt patres eorum in deserto, cum ex Ægypto pergerent in Chanaan. Tertio, cum in Iudæam appulerint, gentes vicinas hostiles et invidas frænabo, ne eis nocere, neve fabricam Ierusalem et templi impedire queant. Hæc enim ita contigisse patet 1. Esdræ 4. et 5. et Baruch 5. ita Theodor. Lyran. et Vatabl.

Allegor. Christus multo magis admiranda fecit, quam Moses vel Esdras, in liberatione hominum e captivitate diaboli: nam, ut taceam mira incarnationis, natiuitatis, prædicationis, transfugationis, passionis, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritus sancti mysteria, et miracula ab eo dum viveret patrata; post mortem per paucos Apostolos abietos et pauperes, prostravit omnem potentiam et sapientiam mundi, imo inferni et dæmonum, regesque ac sapientes, totumque orbem suæ crucei salutiferæ subiecit. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Rupert. et alii. Unde sequitur:

Vers. 16. **VIDERUNT GENTES. ET CONFUNDENTUR SUPER OMNI**

**A** **FORTITUDINE SUA.**) Quia scilicet per eam non poterunt nocere Hebræis, nec postea vincere Christianos. Videbunt enim longe maiorem fortitudinem et robur a Deo datum Hebræis, et Apostolis ac Christianis, quo ipsi invicti omnia vincunt adeo, ut etiam per mortes et martyria superent tyrannos, multosque ex eis ad Christum fidem convertant. Nam, ut ait Tertull. *Sanguis Martyrum est semen Christianorum.* Et, ut ait S. Gregor. *Grana singula, dum cadunt, multiplicata resurgunt.* Et ut S. Leo sermon. de S. Petro et Paulo: *Ecclesia persecutionibus non minuitur, sed augetur.* Sic et cuiusque in ea fidelis *creciscit adversis agitata virtus*, quæ alioqui sine adversario marcescit.

**PONENT MANUM SUPER OS.**) q. d. Præ confusione, consternatione et admiratione tantorum mirabilium, obmutescunt et obstupescunt, ut mutire non audeant.

**AURES EORUM SURDÆ EBUNT.**) q. d. Pari modo obsurdescent, ut quasi attoniti perdant usum oris et aurium, ut nec loqui nec audire queant. Secundo, quasi præ invidia et dolore obturabunt aures, ne audiant hæc mirabilia, prosperosque successus Hebræorum in Ierusalem, et postea Christianorum in lege Evangelica: hæc enim cruciabant Gentes idololatrias, et invidas, eruntque quasi sudes in oculis, et quasi tonitru in auribus eorum.

**LINGENT PULVEREM SICUT SERPENTES.**) Est catachresis, significans summam subiectionem Gentium sub victoribus Iudæis, qualis eis contigit sub Iuda, Ionathæ, et posteris eorum, ut patet ex libris Machab. q. d. Adeo Iudæi, Ammonitæ, Moabitæ, aliæque vicinæ gentes olim hostiles percellentur metu Iudæ, Ionathæ et Iudæorum, ut coram eis supplices se in terram prosternant, et more Gentium fronte humum feriant, itaque ore terram tangere et lambere videantur. Idem alleg. verius fuit in Christo et Apostolis: de his enim ait Psaltes Psal. 71. 9. *Coram illo procident Æthiopes, et inimici eius terram lingent.* Et Isaias e. 49. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Vide ibi dicta. Ita S. Hieron. Sic navis dicitur oram lambere vel lingere, cum in xta littus navigat; et fluvius lambere terram, quam alloit; et flamma lambere ea quæ attingit vel afflat. Sic Virgil. 2. Æneid. Visa est, inquit, Iuli

*Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.*

Alludit ad serpentes, qui proprie terram linguunt et comedunt, iuxta illud Genes. 3. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

**VELUT REPTILIA TERRÆ PERTURBABUNTUR IN EDIBUS SUI.**) Aliqui legunt *proturbabuntur*. Ita Haymo, Remig. et veteres codices; quod aliqui sic explicant, q. d. Sicut nonnullæ terræ, uti Melitensis ex benedictione S. Pauli; Hibernica, ex benedictione S. Patrieii; Ebusitana in Balearibus, teste Solino Polyhist. cap. 26. et terra sigillata, qua vulgo Medici utuntur, non patitur venena, nec serpentes; sed eos fugat ac propulsat: ita Iudæi e Babylone redeuntes in Iudæam, propulsabunt Gentes, quæ eam occupaverant, eogentque eas sibi avitum et terram locum eedere. Verum legendum cum Romanis *perturbabuntur*, id est, saero quodam horrore et reverentia, tam Dei, quam populi eius fidelis, puta Iudeorum, et alleg. Apostolorum et Christianorum, perecellentur. Hebr. enim est *ירגזו* *irghezu*, id est, *contremiscerunt*. Unde Septuag. vertunt, *turbabuntur in conclusionibus suis*; Chald. *commovebuntur de adibus suis*; Tigurina et Vatabl. *contremiscerunt in clausuris suis*, id est, in urbibus in quibus elausi erunt præ timore, q. d. Sicut serpentes et reptilia ad hominis aspectum expavescunt, ac pavida se in sua antra et cavernas abduunt: ita Gentes expavescunt et venerabuntur Iudæos Babylone redeuntes, et alleg. multoque magis Apostolos sanctosque Christianos. Unde sequitur: *Dominum Deum nostrum formidabunt.* Addit Sanchez alludi ad cervos, qui halitu suo serpentes et cavernas extrahunt. *Elephantorum anima serpentes extrahit, cervorum item urit*, ait Plinius l. 11. c. 53. unde et cervus dicitur *εαρρος, απο τῆ ελεην οργης*, id est, ab extrahendo serpentes, q. d. Tam facile Machabæi suos hostes e latibulis extrahent, quam facile cervi solo anheliu e cavernis educunt serpentes. Alleg. id ve-

Ecclesia persecutione crescit.

Vers. 17.

rius de Apostolis, gentes barbaras e suis antris suaque barbarie ad humanitatem sanctitatemque convertentibus.

**DOMINUM DEUM NOSTRUM FORMIDABUNT.**) Ita legendum cum Romanis, Hebr. et Septuag. non desiderant, uti legunt Plantin. et alia pleraque Biblia. Hebr. est, *ante Dominum Deum nostrum pavebunt*: ita Tigurina; vel, ut Pagnin. a Domino Deo nostro formidabunt. Hic metus et formido signum est tum pavoris, tum reverentiae. In Scriptura enim metus Dei, idem est quod reverentia Dei; et timere Deum, idem est quod revereri Deum. Alludit ad Chaldaeos, Persas, aliasque gentes ad iudaismum conversas sub Cyro, 1. Esdræ 6. 21. et sub Esther cap. 8. 17.

**ET TIMEBUNT TE.**) O Israel, o popule fidelis, o Ecclesia. **QUIS DEUS SIMILIS TUI?**) Sunt verba non gentium perculsorum, et formidantium Deum Israel, sed Prophetæ, qui ex tanta Dei in populum suum clementia et liberalitate, qua Iudæos Babylone liberatos sospitavit et provexit, in dexologiam Dei que laudem gratulabundus erumpit. Ita Theodor. Lyran. et Vatabl. Ac simul allegor. vaticinatur de Christo, Christique redemptione. Unde Chald. v. 19. vertit, *revertetur verbum eius ut misceretur nostri*, q. d. Verbum Dei incarnabitur, itaque ad nos revertetur, ut nos redimat. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, et alii plerique hoc de Christo exponunt. Christus enim est, qui aufert iniquitates nostras, et proicit in profundum maris omnia peccata nostra, nimirum ipse est veritas Iacob, et misericordia Abrahamæ promissa.

**QUI AUFRIS INIQUITATEM, ET TRANSIS, id est, præteris, dissimulas, condonas; Septuag. transcendis; Chald. missa facis. Vatabl. oblivisceris et sub pedibus ponis** (hebraice enim est, *transis super peccatum*, scilicet illud calcando. delendo et obterendo) **PECCATUM RELIQUIARUM HEREDITATIS TUÆ.**) Id est, peccatum Israelis, sive populi et captivitate relictis et reliqui. Per peccatum, tum culpam intellige: multi enim Iudæorum, malo captivitate afflicti, resipuerunt, et penitentiam egerunt eum Daniele e. 9. tum poenam culpæ, puta captivitatem Babylonicam: hanc enim abstulit Deus, dum Iudæos in libertatem asservit.

**NON IMMITTET ULTRA FUREM SUUM.**) Qualem immisit per Chaldaeos: suppl. nisi Iudæi ad sua scelera redierint, uti de facto redierunt: quocirca maiorem furorem in eos immisit, dum eos per Titum et Romanos plane excidit et delevit. Quocirca hæc allegorie veriora sunt in Christo et Christianis.

**DEPONET** (hebr. **יכבש** *ichbos*, id est, subiugabit, sub pedibus ponet, conculcabit) **INIQUITATES NOSTRAS.**) Ita Vatabl. Sept. *submerget*: Chald. *subiciet iniquitates nostras suæ misericordix*. Hæc enim quasi longe maior peccatis omnibus dominatur, eaque dominando condonat et abolet.

**ET PROICIET IN PROFUNDUM MARIS OMNIA PECCATA NOSTRA.**) Est catachresis, q. d. Faciet Deus ut omnino aboleatur peccatum, nec amplius sit, vel exstet. Sic enim aboletur, quod in fundum maris demergitur. Unde illud Horat. lib. 1. Carm. 1.

*Sive flamma, seu mari libet Adriano.*

Mos quoque fuit Iudæis, ut quæcumque abominanda essent, dira nefastaque, in mare salsum, quod proximum erat, puta in lacum Asphaltitem, demergerent. Ita ex Rabinis in Misnaioth Arias. Sic Iudi peccata sua scripto exarata, vel alio symbola expressa in flumen iactant, ut illud ea deferat ad mare, ubi æterna premantur oblivione. Testis est noster Acosta lib. 5. de Novo orbe e. 25. Proprie vero Propheta alludit ad demersionem Pharaonis in mare rubrum, quæ fuit typus baptismi sanguine Christi rubricati, quo merguntur Ægyptii, id est, peccata. Unde alleg. Theodor. et Rupert. per *profundum maris* accipiunt hic baptismum, q. d. Mergam peccata vestra in baptismo, sicut Pharaonem cum suis mersi in mari. Ita quoque explicat S. Basil. hom. 1. in Psal. 28. Unde S. August. concil. 1. in Psal. 130. docet, *sicut Ægyptios in mari rubro, ita delicta nostra in Baptismo esse demersa et extincta*. Quod Nota contra Hæreticos nostros, qui putant peccata baptismum tantum legi et occultari per iustitiam Christi

**A nobis imputatam, quasi per pallium, sed reipsa manere, et vivere in anima per concupiscentiam illi inhaerentem.** Contrarium enim ait hic Propheta, et contrarium accidit Pharaoni et Ægyptiis: ipsi enim aquis maris, non lecti et occultati, sed occisi et extincti fuerunt: ergo simili modo in baptismo, et aliis Sacramentis, peccata non absconduntur, sed vere delentur et extinguuntur.

**DABIS VERITATEM IACOB** (hebr. **לעקב** *leiakob*, id est, **IACOBO**) **MISERICORDIAM** (Arab. *gratiam*) **ABRAHAM** (hebr. *leabraham*, id est, **ABRAHAMO**, ita et Syrus) præstando scilicet ea, **QUÆ IURASTI PATRIBUS NOSTRIS, ABRAHAMO, ISAACO, IACOBO, MOSI, DAVIDI, etc. A DIEBUS ANTIQUIS.**) q. d. Vere et fideliter implebis in Iacobo, id est, in Iacobi posteris, puta Iudæis, ea quæ misericorditer Abrahamæ, Iacobo, aliisque patribus promisisti, tum de Iudæorum cura, protectione et liberatione e captivitate, v. g. Babylonica, tum maxime de Christo ex eorum semine nascituro; quod scilicet ille nos a peccatis malisque omnibus liberaret, omnique gratia, salute, felicitate et gloria sempiterna donaret. Hæc enim est promissio facta Abrahamæ Gen. 22.

vers. 18. ubi dicitur: *Benedicentur in semine tuo*, puta in Christo ex te nascituro, uti explicat Apostolus Galat. 3. v. 16. *omnes gentes*, indeque dictus est Abraham, quasi **אב רב הון** *ab rub hamon*, id est, pater magnæ multitudinis, puta pater multarum gentium, quæ scilicet fidem Abrahamæ imitantur, creduntque in Christum, Abrahamæ filium. Nota. Promissionem Dei vocat *misericordiam*; quia gratis, et ex mera misericordia Deus bona iam dicta promisit Abrahamæ, et quia gentes, non ex merito, sed ex misericordia eadem, puta gratiam, iustitiam et salutem Christi participant. Eandem vocat *veritatem*, id est, fidelitatem; quia fidelissime a Deo erat adimplenda, uti iam adimpleta est. Ita S. Hieronym. Theodoret. Remig. Rupert. Lyran. Sed cur *misericordiam* tribuit Abrahamæ, *veritatem* Iacobo? Resp. Primo, subtiliter S. Hieronym. et Hebræi, quia prima promissio Dei facta Abrahamæ, fuit non ex eius merito, nec ex debito, sed ex misericordia; posita autem hæc promissione, facta est veritas, id est, ex fidelitate debita. Quod ergo erat gratia Abrahamo, factum est veritas, sive fides, et debitum nepoti eius, puta Iacobo et Iacobæis. Itaque promissa Dei, maxime Christus est misericordia Dei; quia a Deo misericorditer promissus est et datus orbi. Idem quoque est veritas; quia in eo fideliter implevit Deus omnia, deditque bona euncta, quæ promisit. Hoc est quod de eo eiusque adventus causa, canit Zacharias Lucæ 1. 72. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti, promissionis et pacti, sui sancti*: quod testamentum est magnum illud *iurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*. In Christo enim omnes promissiones, et magnificæ pollicitationes Patriarchis et Prophetis factæ, finiuntur et adimplentur. Meminit Abrahamæ et Iacob, non Isaac: tum quia Isaac medius inter Abraham et Iacob, in iis includitur et subintelligitur: tum quia clariores promissiones factæ sunt Abrahamæ et Iacob, quam Isaaco: tum denique quia promissiones factæ Isaaco, in solum Iacobum omnesque eius posteros descendunt: ab iis enim exclusus fuit Esau, alter, isque primogenitus Isaaci filius.

Secundo, solidius et verius, Iacobo tribuit *veritatem*, Abrahamæ *misericordiam*, quia per Iacob intelligit posteros eius, qui ab eo quasi proximo parente Iacobæi et Israelitæ, imo Iacob et Israel (Iacob enim alio nomine dictus est Israel) proprio nomine sunt appellati. Atque hæc de causa Iacobum præponit Abrahamæ, quia per Iacob intelligit posteros eius: hi enim proprie ab eo dicti sunt Iacobæi et Israelitæ, non ab Abraham avo Abrahamæ. Nam hæc promissiones exhibite et completæ sunt, non in ipso Iacobo, sed diu post in posteris eius. Ita Theodor. Albert. Vatabl. et a Castro. Sensus ergo est, q. d. Dabis veritatem, id est, fideliter implebis in Iacobo, id est, in Iacobæis, ea, quæ misericorditer primitus Abrahamæ Patriarchæ et avo eorum promisisti, maxime de Christo, Christique redemptione et salute.

Vers. 20.

Abrahamæ datur misericordiam, Iacobo veritatem, cur? Resp. I.

II.

Mystice, Iacob refert et repræsentat Iudæos, quasi proprius eorum parens, quibus proprie Deus fecit hæc promissa de Christo: unde eis tribuitur veritas, id est, fidelitas promissionum. Abraham repræsentat Gentes, inde enim dictus est Abraham, q. d. Pater multarum gentium. Gentes autem ex gratia admissæ et adscitæ sunt ad hæc promissa Christi: unde eis tribuitur eorumdem misericordia, iuxta illud Pauli Rom. 15. v. 8. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*, id est, circumcisorum, puta Iudæorum, *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum; Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Ita S. Hieron. Haymo, Remig. et Rupert.

Moral. discere hic quantum beneficium sit peccatorum remissio, quantasque pro eo Deo gratias agere debeamus. Sicut enim summum malorum omnium est peccatum, ita summum honorum omnium est eius remissio. Peccatum enim gravissime offendit immensam illam maiestatem, bonitatem et sanctitatem divinam, estque quasi quoddam deicidium, imo vere et proprie fuit christicidium; nullo enim pretio, nisi sanguine et morte Christi, elui et expiari potuit, de quo plura dixi Jerem. 2. initio capitis. Adde, hæc remissio non fit nisi per gratiam Dei aumæ infusam, per quam simus filii et hæredes Dei, adeoque ut ait S. Petrus epist. 2. cap. 1. 4. consortes divinæ naturæ. Hoc est quod ait Michæas: *Quis Deus similis tuis, qui aufers iniquitatem?* etc. Maius enim opus Dei est iustificatio impii, quam creatio cæli et terræ, uti ex S. August. demonstrat D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9. Porro Deus non tantum peccatum, quod est quasi hostis perniciosissimus aumam invadens et occupans, ab ea aufert et expellit; sed et ab ea ita elongat, ut illud in profundum maris proiciat, ut ait hic Propheta: imo in die iudicii proiciet illud eum omnibus peccatoribus in abyssum inferni. Hæc est veritas Iacobo, et misericordia Abrahamæ promissa, de qua Zacharias Luc. 1. 77. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum: per viscera misericordie Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Et v. 74. *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in san-*

*ctitate et iustitiam coram ipso, omnibus diebus nostris.* Quocirca omnes Sancti pœnitentes mire hoc Dei beneficium in se celebrarunt. S. Petrus quotidie audiens galli cantum, memor suæ negationis Christi, resolvebatur in lacrymas; ideoque totum se eius prædicationi, amoris et obsequio, usque ad mortem crucis, devovit. Unde epist. 1. c. 2. 9. de hac Gratia exultans et Gentilibus congratulans: *Vos, ait, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* S. Paulus ita suam conversionem admiratur, itaque de ea sibi gratulatur, ut in has voces erumpat: *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi autem sæculorum, immortalis et invisibilis, soli Deo honor et gloriæ in sæcula sæculorum. Amen.* Lege totum c. 1. ad Ephes. in quo hoc beneficium remissionis obstupescit, et profundis sensibus verbisque eructat. S. Magdalena de remissione accepta a Christo certa, totam vitam in eremo, in lacrymis, gratiarum actione, amore et contemplatione transegit, usurpans illud Cant. 1. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.* S. Maria Ægyptiaca pœnitens simili modo 47. annos in solitudine consumpsit, iugiter habens illud in mente: *Misericordias Domini in æternum cantabo. Misericordie Domini quia non sumus consumpti. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Hosce imitentur, qui aliquando peccarunt, præsertim mortaliter et graviter; ideoque Deo in humilitate, pœnitentia, gratiarum actione, amore et fervore, præsertim ut animas proximorum e peccati abysso extrahant, Deoque pro compensatione offerant, tota vita læti alacresque deserviant.



## COMMENTARIA

IN

## NAHUM PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

**I**ONAS contra Niniven prædicans, eique excidium post quadraginta dies intentans, eandem ad pœnitentiam convertit; per quam ipsa Ionæ minas et excidium evasit et avertit. Verum postea ad ingenium, ac ad scelera et tyrannidem suam rediens, Dei iram rursus in se concitavit, præsertim eum tyrannice alias gentes, ac nominatim Israelitas, puta decem tribus, invasit et excidit. Quocirca post Ionam submisit Deus Nahum, qui Ionæ minas contra Niniven renovaret et revocaret. Porro Niniven non esse excisam ob primam in scelera recidivam, quæ post actam prædicante Iona pœnitentiam mox subsequuta est, fuse probat Ribera cap. 2. n. 5. et seq. quem sequitur Tornicellus anno mundi 3321. sed ob aliam longe posteriore prævaricationem. Nam propter illum priorem Ninivitarum sub Sardanapalo relapsam, Deus illico punivit eos; dum permisit eos ab Arbace Medo et Beloso Babylonio subiugari. Hi enim cœperunt Niniven, et Sardanapalum ad mortem sibi consciscendam compulerunt. Verum Ninive ab Arbace vastata postea refloruit, pluresque habuit reges potentissimos, nimirum Phul, Teglatphalassar, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon, qui Israelitas vexarunt et oppresserunt, ut patet ex lib. 4. Regum; ac sub iis ad pristina scelera et tyrannidem rediit. Quocirca Dei vindictam et excidium ei, totique Assyriæ (huius enim metropolis erat Ninive) rursus comminatur hic Nahum; qui quasi novus Ionas novum proclamsans supplicium, hæc minas ei intentavit post abductas decem tribus in Assyriam, quod contigit anno 6. Ezechia. Unde liquet eum prophetasse post annum sextum Ezechia; sed ante annum eius decimumquartum, quo Sennacherib rex Assyriorum invasit Iudæam, et Ierusalem obsedit: nam hunc eius adventum, et Ierusalem ac Ezechia ab eo liberationem prædicat hic Nahum. Ita S. Hieron. hic in proœmio, Theod. Theophyl. Remig. Haymo, Albertus, Hugo, Ribera, a Castro et alii passim. Audi S. Hieron. *Post Ionam, inquit, Michæas ponitur, et post Michæam Nahum, qui interpretatur consolator; iam enim decem tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captivitatem sub Ezechia rege Iuda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati adversus Niniven visio cernitur. Nec erat parva consolatio, tam his (Israelitis, sive decem tribubus) qui iam Assyriis serviebant, quam reliquis qui sub Ezechia de tribu Iuda et Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur, ut audirent Assyrios quoque a Chaldæis esse capiendos.* Hinc rursus sequitur, ab initio prophetiæ Ionæ usque ad Nahum fluxisse annos circiter 90. Perperam ergo Hebræi in Seder olam, et ex iis Vatabl. Arias et Genebrard. in Chronol. numerant tantum 40. quia putant Nahum, Ioel et Habacuc, prophetasse sub Manasse, filio Ezechia, sed eius, utpote improbi, nomen tacuisse. Nam Ionas, ut

Tempus quo prophetavit Nahum.

Post Ionam 90. annis.

**A** ostendi in eius proœmio, cœpit prophetare tempore Ieroboam, et Sardanapali, sub initium regni Ozia regis Iuda: quare cum Ozias regnarit 52. annis, deinde Ioathan filius eius annis 16. post Ioathan Achaz annis 16. post Achaz successerit Ezechias, cuius anno sexto, vel paulo post prophetavit Nahum; si colligas hos omnes annos, conficies 90. quos dixi. Tornicellus anno mundi 3321. censet Nahum cœpisse prophetare uno anno antequam Sennacherib obsideret Ierusalem, puta anno 13. Ezechia: nam anno eius 14. Sennacherib obsedit Ierusalem. Quod si verum est, sequitur inter Nahum et initium Ionæ fluxisse annos 97. Porro prophetia hæc Nahum impleta est, ac Ninive eum regno Assyriorum eversa, sub annum 5. post excidium Ierusalem factum a Chaldæis, ut ostendam e. 2. initio. Quare ab hæc Nahum prophetia, usque ad eius complementum, puta usque ad excidium Ninives, fluxerunt anni circiter 138. Cœpit enim Nahum sub annum sextum Ezechia, qui deinde adhuc 23. (nam universim regnavit annis 29.) annis regnavit: successit ei filius Manasses, qui regnavit annis 55. huic successit Amon annis duobus: huic Iosias annis 31. huic Ioakim annis 11. huic Sedecias annis 11. sub quo anno 11. excisa est Ierusalem a Chaldæis, ac deinde post annos 5. ab eisdem eversa est Ninive. Adde hos annos, habebis 138. quos dixi. Ex dictis sequitur errare Clementem Alex. qui l. 1. Stromatum censet Nahum prophetasse post Ezechielem, puta post annum 5. transmigrationis Ioachim in Babylonem. Minus recte quoque Iosephus l. 9. Antiq. 11. scribit Nahum cœpisse prophetare sub Ioathan, qui fuit avus Ezechia.

Completus est eius prophetia post 158. annos.

**C** De Nahum ita scribit S. Epiphanius in Vita eius: *Nahum natus erat ob Elkesi trans Iordanem fluvium, versus Begabar, de tribu Simeon. Hic est Propheta ille, qui post Ionam ostentum ac prodigium dedit super Ninive, quod ab aquis dulcibus, igneque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit; quippe cum terræ motu undique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superveniens, superiores omnes urbis locos occupavit. Expiravit vero Nahum animam in pace, et in Begabar, sedibus ille suis placidis in morte quiescit.* Verum de hoc ostento, quod scilicet Ninive aquis dulcibus, igne et terræ motu everteretur, nihil expresse apud Nahum, vel apud Iosephum legimus. Eadem tamen habet Dorotheus in vita Nahum, qui et modum addit: *Nam stagnum, inquit, quo civitas illa (Ninive) circumdata erat, facto terræ motu submersit eam, ac perdidit; et ignis et solitudine ortus superiorem illius partem consumpsit;* et aliquid tale insinuat Nahum e. l. v. 4. et e. 2. v. 13. et e. 3. v. 15. uti ibi dicam. Ibidem Dorotheus asserit Nahum de resurrectione prophetasse cap. 1. vers. 15.

Ostenta Nahum.

Tropol. et Anagog. S. Hieron. *Sciendum est, ait, quo-*

niam Ninive de Hebræo speciosam sonat; speciosus autem hic mundus dicitur; unde et apud Græcos *κοσμος* ab ornatu nomen accepit) quidquid nunc adversus Niniven dicitur, de mundo figuratiter prædicari. Quam ob causam assumptio, quam Septuag. interpretantur *λειτουργία*, et Aquila *αγορά*, apud Hebræos *מַסָּחָה* massa ponitur, id est, grave onus, eo quod cam, adversus quam videtur, premit, nec sinat elevare cervicem. Et mox: De consummatione itaque mundi secundum anagogen, o Paula et Eustochium, in consolationem Sanctorum prophetia textitur, ut quæcumque in mundo vident, quasi prætercuntia et caduca contemnant, et præparent se ad iudicii diem, ubi ultor adversus veros Assyrios futurus Dominus est. Idem epistola ad Paulinum: Nahum, inquit, consolator orbis increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur: Ecce super montes

A pedes evangelizantis, et annunciantis pacem. Nahum enim vel hebr. נַחֻם *Nachum*, deducitur a rad. נָחַם *nacham*, id est, consolatus est. Nahum ergo idem est quod Noe, id est, consolator, per apocopen. De Noe enim dicitur Genes. 5. 29. Vocavitque nomen eius Noe, dicens; iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus. Vide ibi dicta. Rursum quia *nacham* in *piel*, significat pœnitere; hinc *Nahum* verti quoque potest pœnitens. Unde Pagninus in Nominibus Hebr. *Nahum*, inquit, idem est, quod consolator, aut pœnitens, aut consolationem vel pœnitentiam adeptus; aut consolatio vel pœnitentia. Sicut enim Nahum pios Israelitas spe opis divinæ consolatur; ita impios Ninivitas terrore minarum percillit, adigitque ad pœnitentiam. Idem faciat concionator.

## C A P U T P R I M U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

Duplicem Prophetæ huic capiti totique prophetiæ præfigit titulum. Prior est, onus Ninive, quia Ninivitis post Ionæ prædicationem, et pœnitentiam, in pristina seclera relapsis, comminatur excidium a v. 1. usque ad v. 7. Posterior, liber visionis; quia vers. 7. usque ad finem capitis consolatur Israelitas, Assyriorum et Sennacherib hostis seu strage et internecone.

1. **O** NUS Ninive: Liber visionis Nahum Eleesæi. 2. Deus æmulator, et ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, et habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. 3. Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem, Dominus in tempestate et turbine viæ eius, et nebulae pulvis pedum eius. 4. Incepans mare, et exsicicans illud: et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, et Carmelus: et flos Libani elonguit. 5. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt: et contremuit terra a facie eius, et orbis, et omnes habitantes in eo. 6. Ante faciem indignationis eius quis stabit, et quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est ut ignis: et petrae dissolutæ sunt ab eo. 7. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis: et sciens sperantes in se. 8. Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci eius: et inimicos eius persequentur tenebrae. 9. Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio. 10. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium: consumerentur quasi stipula ariditate plena. 11. Ex te exhibit cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans prævaricationem. 12. Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, et ita plures, sic quoque attondentur, et pertransibit: afflixit te, et non affligam te ultra. 13. Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo, et vincula tua dirumpam. 14. Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, et conflatile, ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es. 15. Ecce super montes pedes evangelizantis, et annunciantis pacem: celebra Iuda festivitates tuas, et redde vota tua: quia non adiiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interit.

Vers. 1. **O** NUS NINIVE.) Onus, id est, prophetia onerosa et calamitosa, quæ quasi grave onus et iugum imponitur collo Ninives, quasi vacæ læsivientis, ut illum ducat ad lanienam, Deo maetet et victimet. Unde Chald. vertit, *onus calicis maledictionis*. Vide quæ de voce *onus* dixi Isaia 13. 1. Pro *onus* Septuag. vertunt *λειτουργία*, id est, assumptio, puta onus quod assumitur; quod aliter et varie explicat Theophyl. Primo ad litteram, q. d. Assumpta, elevata, et arrepta mens mea a spiritu, prævidit quæ Ninivæ essent obventura. Secundo, videtur lemma appellare iram Dei cum zelo, ex eo quod fortior apprehendit imbecilliorum, ut dilaniet, q. d. Deus assumet et apprehendet Niniven, sicut accipiter apprehendit turtorem, ut discerpatur. Tertio, mystice et alleg. *Ninive est ipsa caro quam assumpsit Christus, ut condemnaret peccatum in carne. Eadem est liber visionis; quia Christus est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quarto, tropol. lemma Ninives est assumptio peccatorum ad Christi gratiam, iustitiam et salutem. Vide autem quod primum, lemma *Ninive*, deinde liber visionis dixerit. Nisi enim quis vitia spolie, et sub iugum mittat, ad librum visionis, qui est contemplatio, non perveniet. Hæc Theophyl. Quinto, poetice Sanchez: Lemma, inquit, est titulus, vel summarium epigrammatis, vel emblematis, uti Martialis lib. 14. suis epigrammatibus præfigit titulos, quos vocat *lemmata*, causamque dat:

*Lemmata si quaeris cur sint adscripta, docebo:*

*Ut si malueris, lemmata solu legas.*

Sie sensus erit, q. d. Libri visionis Nahum argumentum totum est contra Niniven.

**LIBER.**) Solebatur Prophetæ viva voce prophetare et concionari, ac deinde eadem in libro conscribere, ut ab auditoribus relegi et repeti, atque a posteris legi possent: hæc de causa vocatur hic liber. Addit Arias, librum more Hebræo vocari epistolam, qua hoc oraculum scripsit Nahum, misitque ad Ninivitas; nec enim ipse eos adiit, uti fecit Ionas.

**VISIONIS NAHUM.**) Visionem aliqui interpretati sunt extasin: unde Montanus hæresiarcha tempore Tertull. docuit, Prophetas in extasi loeutos, ita ut nescirent quid dicerent, sicuti faciunt energumini a dæmone correpti, uti refert Epiph. hæres. 48. Sed hic est error, quem Epiph. S. Hieron. S. Basil. S. Chrysost. et alii passim impugnant. Audi S. Basil. præfat. in Isaia: *Sunt, ait, qui dicant eos (Prophetas) extra se raptos prophetare, humana mente a Spiritu absorpta: verum id abhorret a professione divinæ præsentiae, ut amentem reddat, qui a numine corripitur. Et mox: Qui consonum est, ut quis ex sapientiæ Spiritu simillimus insano reddatur? quin potius neque lumen cæcitatem parit, verum videndi vim a natura insitam expergeficit. Et rursum respondens obiectioni: Porro, si quoniam Isaac in ingressu filii sui extra se raptus fuit; et quo-*

Prophetæ non loquebantur in extasi.



niam David dixit in excessu suo ( omnis homo mendax ) **A** ob id fingunt Sanctos extra se rapi; intelligunt admirationem ac stuporem appellatum esse raptum. Et S. Hieron. præfat. in Isaiam: Neque vero, inquit, ut Montanus cum insanis feminis ( Prisca et Maximilla, prophetissis eius ) somnia Prophetæ in extasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur; et cum alios erudirent, ipsi ignorarent quid dicerent, de quibus Apostolus dicit, Nescientes quid loquantur: sed iuxta Salamonem ( sapiens intelligit quæ profert de ore suo, et in labiis suis portabit scientiam ) etiam ipsi sciebunt quid dicerent. Si enim sapientes erant Prophetæ, quod negare non possumus, quomodo, instar brutorum animalium, quid dicerent ignorabant? Et S. Chrys. hom. 29. in 1. ad Corinth. Hoc vatis, ait, proprium est mente commoveri, et necessario compelli, et trahi tanquam furis percutum: Propheta autem non eiusmodi est, sed sobrius mente, et modesta, et firma, quæ loquitur omnia novit, ut deceat.

Visio eorum qualis.

Visio ergo Prophetarum, non fuit extasis arreptitia, sed intelligentia mentalis, qua videbant, id est, intelligebant, ea quæ sibi a Deo ostendebantur et revelabantur, uti dixi Isaiæ 1. 1. Porro prophetiam suam Nahum vocat tum onus, tum visionem, quia illa fuit onerosa Ninivitis, eademque fuit visio consolatoria Israelitis, eos enim consolatur ex Ninive et Sennacherib strage.

**B**

**ELCESÆI.**) Oriundi ex Eleese viculo Galilææ, de quo S. Hieron. in proœmio: Quidam, ait, putant, Helkesæum patrem esse Nahum, et secundum Hebræam traditionem etiam ipsam Prophetam fuisse, eum Helkesæi usque hodie in Galilæa viculus sit, parvus quidem, et vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia; sed tamen notus Iudæis, et mihi quoque a circumducente monstratus. Ita quoque Epiph. in vita Nahum, Chald. Theoph. Remig. Lyran. Hugo, Ribera, a Castro et alii passim. Quare minus recte nonnulli eum Vatablo censent, Nahum a familia cognominatum esse Elcesæum. Porro Symbolice Elcesæus hebr. idem est quod serotinus, tardus ( unde ab eadem radice derivatum nomen לקט *lekes*, vel מלקוט *malkos*, significat pluviam serotinam ) quare apposite denotat serotinam et tardam Dei vindictam excrendam in Niniven, quam post Ionam Nahum, quasi serotinus ei denunciat. Deus enim tardus est ad puniendum, sed tarditatem supplicii gravitate compensat, iuxta illud veterum: *Dii lanceos habent pedes, sed ferreas manus*. Quocirca Arias censet Ionæ oraculum fuisse, quasi pluviam temporaneam, quæ segetes germinare facit: Nahum vero prophetiam esse quasi pluviam serotinam quæ messem maturat; imminentem enim cladem et demessionem gentis et regni Ninivitis denunciat.

Elcesæus, id est serotinus, cur?

Vers. 2.

**DEUS EMULATOR, ET ULCISCENS DOMINUS.** ) Hebr. *Deus* ( vel fortis, hic enim est זל *el* ) zelotes, et ultor est Iehova; Syrus, *Deus zelator et ultor*, q. d. Iehova est Deus zelotes, qui ingenti zelo tuetur fideles suos, æque ac iustitiam et pietatem; ideoque infideles et tyrannos, qui fideles et insontes vexant et opprimunt, acriter punit et ulciscitur. Zelus enim ipsius non fert fidem et iustitiam ab impiis calcari, aut eorum iniurias manere inultas et impunitas. Quocirca ipse, ut zelotes, gravi vindicta vos, o Assyrii et Ninivite, plectet, eo quod populum ipsi fidelem, puta Israelitis, sæpius invaseritis et vastaveritis. Itaque zelus duos, eosque contrarios actus complectitur. Prior, est ingens amor et cura tenendi rem amatam, puta populum suum: posterior, ingens ira et cupidus puniendi eos, qui populum a se amatum lædere et alligere ausi sunt. Unde pro *Deus zelotes*, Tigur. vertit, *Deus inique ferens iniurias*; Chald. *Deus iudex*. Iudicis enim est tueri iustos et iustitiam, ac punire iniustos, eorumque iniurias. Zelotes ergo idem est quod vehemens ardensque amator suorum, et ultor hostium. Unde *to ulciscens* tertio hic repetit Propheta; ut significet Deum acerrimum esse ultorem, et acerrime puniturum Ninivitas, eo quod post monitionem Ionæ, relapsi sint in pristina scelera, ac tertio, id est, sæpius, invaserint et expilarint populum Dei. Vide hic et mirare zelum et zelotypiam, ut ita dicam, Dei nostri in suos fideles et filios, quos enim flagellavit, illico in flagella ipsa indignationem suam convertit: ideoque in hostes

Zeli actus duplex.

**A** eius acer vindex insurgit, illisque vehementer irascitur: perinde ac pater flagellans filium peccantem, percussi filii dolorem multo magis commiseratione sentit, quam filius ipse vapulando sentiat: unde mox furorem suum in virgam ipsam convertens, ipsam confringit, in frusta coniecit et abiicit, moxque lotus lacrymis perfusus, corruens in collum plangentis filii, inter dulces amplexus mœrori ac dolori lætis gratissimisque pollicitationibus medetur. Ita facit hic Deus Israeli, quare blandissimis illi v. 12. ait, *Affixi te, et non affligam te ultra*. Denique Deus est zelotes, quia solus ab Ecclesia, et ab anima sancta amari vult, nec in amore ullum patitur rivalem.

**HABENS FUREM.** ) Hebr. בעל חמה *baal chema*, id est, vir iræ, vel dominus furoris, id est, habens furorem: *baal* enim, id est, dominus rei alicuius vocatur is, qui illam habet et possidet. Sic maritus vocatur *baal*, id est dominus uxoris, hoc est, habens, vel possidens uxorem, q. d. Putatis, o Ninivite, Deum carere ira, quia tandem scelera vestra dissimulavit, et impunita reliquit? Fallimini: nam in se habet colligitque ingentem furorem, quem totum suo tempore, instar torrentis ignei, in vos effundet. Apis, dum mel fundit, aculeum retrahit et occultat: at si quis hoc mel rapere conatur, mox in eum aculeum distringit: ita et Deus suis fundit mella donorum, impiis vero reservat aculeum suppliciorum. Id patet in Beatis et damnatis. Quanta enim est felicitas et gloria Beatorum, tanta est infelicitas et miseria damnatorum: hi enim bibunt fel amarissimum iræ, æque ac illi mel dulcissimum gratiæ et amoris Dei.

Mystice, Deus dicitur dominus iræ et furoris, quia illi dominatur; homines irati et furibundi, impotes sui, reguntur ab ira et furore: at Deus ab illis non regitur, sed ea ad nutum regit, ponit, exerit, moderatur, periade ut pastor regit ovem.

Deus est dominus iræ, homo servus.

**IRASCENS IPSE INIMICIS SUIS.** ) Hebr. נוטר *noter*, id est, custodiens, scilicet memoriam offensarum, earumque vindictam, et ulciscendi cupidinem. Unde Paguin. vertit, *iram reservans inimicis suis*; Tigur. *iniuriarum memor adversus hostes suos*; Septuag. *tollens ipse inimicos suos*, idque *in ira vehementi*, ut ait Chald. Deus ergo in mente sua colligit, et quasi in thesauro recondit iram, ut eam suo tempore in impios totam effundat, ait Mariana.

**DOMINUS PATIENS.** ) Hebr. Iehova longis, id est, latis, naribus, id est, tardus ad iram, ut vertit Vatabl. et longanimis, ut vertunt Septuag. Unde Chald. vertit, *Dominus longe propellit iram*; Arabicus, *Dominus prolongans, tolerans, patiens*. Qui enim longas, id est, magnas et latas, habent nares, fumos iræ et bilis facile efflant et expirant, ideoque sunt longanimæ; qui vero aretas habent, difficiliter illos efflant, ideoque sunt cholericæ, uti dixi Exodus 32. v. 28. q. d. Deus licet habeat iram et furorem, tamen longanimiter sustinet vos, vestraque scelera, o Ninivite, quia expectat ut resipiscatis. Ita Athenodorus Philosophus Cæsari Augusto valedicens, hoc ei velut aureum et divinum dedit documentum: *Iratus nihil dicas, vel facias, priusquam 24. Græcorum litteras pereurreris*. Ita Svecmendæ.

Vers. 5.

Athenodori vox de ira. s. apprimenda.

**ET MAGNUS FORTITUDINE.** ) Vatabl. *pollens viribus*; Arabicus, *fortitudo eius maxima*; alii, *magnus virtute*, vel potentia, q. d. Deus non ducitur ira et animi impotentia, sed iram potest cohibere apud se, quamdiu vult; et tamen punit suo tempore. *Deus*, ait S. Hieron. *magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum (Ninivitarum) sustinuit, provocans eos ad penitentiam*. Deus enim ita excelso fortique est animo, ut neque offensionibus irritetur, nec repulsis frangatur; nec quantavis scelerum multitudine, vel magnitudine vincatur, ut furibundus prosiliat ad vindictam; sed novit potestque iram suam sustinere, ut, si resipiscant homines, misereatur et pareat; si obstinati sint, expectet tempus opportunum quo eos plectat, totumque furorem tanto tempore collectum uno impetu in eos effundat. Quanta enim fuit Dei patientia in expectando, tanta erit eius potentia et furor in vindicando, iuxta illud S. Pauli Rom. 2. 4. *An divitiarum bonitatis eius, et patientiæ, et*

**D**

*longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit, id est, adducere conatur: secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis iusti iudicii Dei. Quæ verba explicans S. August. lib. 1. Contra advers. legis et Proph. Ille, inquit, auget longanimitatem, et tu augeres iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiterna misericordia, sed in eos qui non contempserunt misericordiam: tuus autem thesaurus in ira invenietur, et quod ponis quotidie per modicum, ingentem postea massam inventurus es. Tu minutim imponis, sed postea cumulum invenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana; de minutissimis enim guttis flumina implentur. Unde et subdit Nahum:*

**ET MUNDANS NON FACIET INNOCENTEM.**) q. d. Nullo modo Deus vos, o Ninivitæ, mundos et innocentes, tacendo, patiando, et dissimulando declarabit; sed potius nocentissimos esse suo tempore puniendo ostendet. Hinc Chald. vertit, *dimittet penitentibus, non penitentibus vero non dimittet*; Tigurina, *pollens viribus, at neutiquam impunita scelera dimittens*; Vatabl. *absolvendo non absolvit*: absolvere enim est non punire, ac reipsa declarare reum esse purum et innocentem, q. d. Etiam si Deus non statim puniat improbos, non tamen idecirco absolvit; sed tandem de illis pœnas sumet. Unde Syrus vertit, *et iustificando non iustificat*; Arabicus Antiochenus, *et mundans non mundat*; Arabicus Alexandrinus, *et mundus sine mundatione*. Alludit Nahum ad Mosen, qui eadem epitheta dat Deo Exod. 32. 28. et Num. 14. 18. Vide ibi dicta. Theoph. duas alias huius loci versiones affert. Prior est: *sine noxa existens non est citra noxam*, q. d. Deus, cum sit sine noxa et labe, punit tamen noxios, eisque noxam meritam infert. Posterior: *innoxium sine noxa non dimittet*, q. d. In communi clade, et Ninives excidio perdet innoxios eum noxiis, quia communem omnibus perniciem affert.

Mystice S. Hieron. hæc omnia in bonam partem accipiens: *Deus patiens est, inquit, qui sustentat omnes ruentes, et erigit clisos: qui sanat tribulatos corde et alligat contritiones eorum. Et magna virtus eius: solvens inimicitias in carne, et nocentem non faciens innocentem; cum etiam qui nimium sibi applaudit, argutus fuerit, quod non merito proprio, sed Dei misericordia sit salvatus. Licet enim dicat: Ecce ego tibi annos servio tibi, et nunquam præceptum tuum præterivi, tamen quoniam bonus est Dominus omnibus, et misericordia illius super omnia opera eius; et omnes peccaverunt, et indigent gloria Dei, iustificatus ab eo gratis audiet: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Atque ita fiet, ut in eo quod arguit et ignoscit, nullum innoxium abire patiatur.*

Moral. Nota patientiam esse veram potentiam. Deus enim ideo est magnus fortitudine, quia est patiens. Vere Poeta: *Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit*

*Mœnia.*

Et alius:

*Latius regnes avidum domando  
Spiritus, quam si Libyam remotis  
Gadibus iungas, et uterque Pœnus  
Serviat uni.*

Quin et Sapiens Proverb. 16. 32. *Melior, ait, est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo. expugnatore urbium.* Et Psaltes psal. 7. 12. *Deus iudex iustus, fortis et patiens.* Et Eccles. 7. 9. *Melior est patiens arrogante.* Rationem dat Sapiens Prov. 14. 29. dicens: *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia*: prudentia enim est magistra et mater fortitudinis. Quin et Cicero: *Animum, ait, vincere, iracundiam cohibere, etc. hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.*

**DOMINUS IN TEMPESTATE ET TURBINE VIÆ EIUS.**) q. d. Viæ Domini sunt in tempestate et turbine. Est hebraismus. Hebræi enim per pleonasmum, exprimunt relativum cum suo antecedente, puta *Dominus et eius*, cum Latini altertrum omittant. Unde Tigurin. Vatabl. et Pagnin. vertunt, *Domini via per turbine et procellam est, quod explicans Vatabl. Quando, inquit, Dominus statuit affligere aliquem, affligit vehementer et cito: tempestas e-*

*nim vehementiam habet, turbo celeritatem, quæ in instanti secum omnia convolvit et rapit. Nota hic poeticam eatachresin, qua graphice Dei robor, pugna et vindicta describitur, quasi venientis, et in Assyrios hostes suos irruentis cum magno impetu et fragore. Similis est Psalm. 17. v. 10. et seq. Unde Propheta eandem mox comparat exercitui magno, qui propterea pulverem pedibus excitat, eoque aerem obscurat, iuxta illud Virgil. *Æneid. 9.**

*Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem  
Prospiciunt Teueri, et tenebras insurgere campis:  
Primus ab adversa conelamat mole Caicus,  
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra?  
Hostis adest.*

Ait enim: *Et nebula pulvis pedum eius, id est, ut Pagnin. Pulvis et tenebræ ut pulvis pedum eius erunt.* Hæc ergo phrasid et parabola symbolice significat: Primo, magnam potentiam, iram et furorem Dei in invadenda Ninive et Assyriis. Secundo, Deum non raro in hostes suos immittere procellas, ventos et turbines, quibus eos proterit: uti anno 1572. in pugna navali Christianorum cum Turcis ad Naupactum, ventum adversum Christianis subito convertit, fecitque adversum Turcis, et propitium Christianis, quæ fuit causa illustris victoriæ, quam ope B. Virginis tunc obtinuerunt Christiani: Idem fecit Theodosio Imp. pugnantem contra Eugenium Tyrannum, quod admirans Claudianus exclamat in Panegyri. Theodosii.

*Quinimum dilecte Deo, cui fundit ab antris  
Æolus armatas hiemes, etc. revolutaque tela  
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.*

Idem fecit Pharaoni et Ægyptiis in mari rubro, uti dixi Exodi 14. quo hic alludit Nahum. Tertio hæc phrasid significat innumeras copias Medorum et Chaldæorum, per quas Deus magno impetu invasit et vastavit Niniven: hæ enim copiarum vere pulverem ingentem pedibus suis, equis et curribus excitantur. Unde Chald. vertit, *Dominus in turbine et spiritu ducent se præbet, ac nubem caliginis subiecit coram se.* Hinc de equitatu Nabuchodonosor ait Ezechiel. 26. v. 10. *Inundatione equorum eius operiet te pulvis eorum.* Quarto, vox *nebulae*, inquit Arias, symbolice significat Deum hostes suos ita circumvallare et percellere, omnesque evadendi exitus præcludere, ut ipsi velut densa nebularum et tenebrarum caligine præoccupati, nequaquam sibi cavere, aut salutem fuga quærere, nedum obsistere ac repugnare valeant. Nam Deus velut rerum omnium dominus, ad manum habet montes, ventos, mare, flumina, grandines, fulmina plurima et potentissima, quæ quasi milites Dei ad eius nutum excubant, et in hostes insiliunt, iuxta illud Psalm. 148. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum. quæ faciunt verbum eius.* Hinc vocatur Deus sabaoth, id est, exercituum, tam angelicorum, quam hominum et creaturarum omnium.

Alleg. hæc veriora erunt in die iudicii, quando, ut ait Sapiens c. 5. 18. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, etc. et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe immissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. Et a petrosa (πετροδολος, id est, petras iacente) ira plenæ mittentur grandines. Excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos.* Quam sapiunt qui hæc meditando prævidentes, peccata cavent, sancteque vivunt, ut fugere valeant a ventura hæc Dei ira!

Scrispsit Iulianus Archiepiscopus Toletanus commentarium moralem et elegantem in Nahum, qui extat tom. 2. Biblioth. SS. Patrum, ubi hunc locum tropol. sic explicat: *Quatuor, ait, sunt animæ tempestates, et quatuor turbines ipsius. Prima est vitiorum, secunda negotiorum, tertia tentationum, quarta utilium affectionum. Prima ergo est iræ, secunda miseriarum, tertia iustitiarum, quarta gratiarum. Prima virtutum grandinat florem, secunda conscientiarum pesundat honorem, tertia contemplationis suavissimum fugat odorem, quarta ad celestium provehit ardentem amorem. Prima est a diabolo, secunda a mundo, tertia a miseriarum*

Pulvis  
pedum  
Dei tria  
denotat.

1.  
2.

3.

4.

Moral.  
patientia  
est po-  
tentia.

Tropol.  
turbines  
sunt qua-  
tuor pas-  
siones a-  
nimæ.

debito, quarta a Deo. Prima religionis annihilat sanctitatem, secunda conscientia turbat serenitatem, tertia divinissimi odoris fugat suavitatem, quarta ut angelicam sublimat puritatem. Prima ergo est divina indignationis, secunda dispensationis, tertia probationis, quarta dilectionis. Deinde singulis remedia vel usum ita subiicit: Vix primæ sunt, pura confessio, et virilis penitentia: secundæ, mundi contemptus, et vita solitaria: tertiæ, devota compunctio, et mentis innocentia: quartæ, purificati silentium animi, et sponsi lætitia. Sed quia in tempestate, non in tempestatibus Domini vias esse Prophetæ asserit, de qua l. 3. Reg. 19. v. 11. Ait enim: Elias stabat in ostio speluncæ, et ecce spiritus Domini transiens, subvertens montes et conterens petras; non in spiritu Dominus: et post spiritum commotio; non in commotione Dominus: et post commotionem ignis; non in igne Dominus: et post ignem sibilus auræ tenuis; ibi Dominus. Per spiritum transeuntem designatur animi tempestas, amara scilicet, sed utilis peccatorum contritio. Per commotionem, devota mentis compunctio. Per ignem, fervens et ordinata dilectio. Per silentium, beatæ contemplationis secretissima infusio. Pari modo inferius quatuor turbines animæ recenset. Primus est, subita iustorum oppressio, quam sequitur tempestas primo vitiorum, secundo suppliciorum. Secundus est, sollicitudinum et negotiorum incurio, cui succedit diluvium eriminum. Tertius est, tentationum invasio, quam sequitur tranquillitas conscientia et gratia duorum. Quartus est, repentina et vehemens ex diversis causis animi commotio, quam sequitur tempestas iustorum affectuum, cui succedit ordinata dilectionis amonitas, et contemplationis divina iucunda serenitas. Huc usque Iulianus.

ET NEBULÆ PULVIS PEDUM EIUS.) q. d. Suis militum copiis incedendo Deus nubem pulveris concilat, uti iam dixi.

Tropol. Iulianus Archiep. Toletan. loco iam citato: *Pedes, inquit, Domini* (puta Apostoli et homines sancti) *pulvis sunt, per humilitatem conscientia; nebula, per obscuritatem eloquentia. Pulvis sunt, humilia de se sentiendo; nebula, arcana caelestia velamine littera tegendo: humiles vita, obscuri doctrina. Pulvis sunt, ut placcant; nebula, ne margaritas porcis præbeant. Unde in psalmo legitur: Posuit tenebras latibulum suum: quia sub littera Prophetarum velamine opertus diu latuit. De his pedibus ait Isaias? Quam pulchri super montes pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Et alibi. Qui appropinquant pedibus eius, accipiant de doctrina eius. Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per universum mundum detulerunt, Petrus Romæ per Italiam, Andreas per Achaiam, Ioannes per Asiam, etc. Paulus per totum orbem, sed quia officium prædicationis vix potest diu exhiberi sine nevo, ideo pulvis inesse dicitur pedibus, quia fermentum gloria paucillum adhæret moribus. At quoniam compunctionis mori fervente fugatur lumine, pulvis evanesceit in morem nebula.*

Vers 4. INCREPANS MARE, ET EXSICCANS ILLUD.) Ex Hebræo Primo, in præterito vertit Pagnin. qui increpavit mare, et exsiccatum illud, puta mare rubrum, ut transirent Hebræi, Exodi 14. Secundo, plenius Tigurina vertit, qui statim ut increpavit mare, arefacit ipsum, omnesque fluvios exsiccat. Verba enim increpat et exsiccat sunt modi potentialis, sumunturque *δυνάτωρ*, uti crebro sumuntur futura apud Hebræos. Significant enim omnipotentiam Dei, qua solo verbo potest sistere maria, et siccare flumina quantumvis vastissima; uti siccat Jordanem transeunte Iosue et Hebræis. Increpans ergo, vel, ut Septuag. committans, idem est, quod more inerepantis et committantis imperans mari, illudque dividens, vel exsiccat prout ei libuerit. Alludit ad divisionem maris rubri; de qua Psal. 105. 9. *Increpuit mare rubrum, et exsiccatum est, et deduxit eos* (Hebræos) *in abyssis, sicut in deserto.* Sic Christus *exurgens committatus est vento, et dixit mari, obmutescite*: quo dicto sedavit fluetus, mareque effecit tranquillum, Marei 4. v. 39. ita Albertus, Hugo, Arias, Ribera et alii. Simili schemate Isaias c. 40. 12. Dei potentiam et ma-

gnificentiam graphice describit: *Quis, inquit, mensus est pugillo aquas, et caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera, etc. Ecce gentes quasi stilla silulae, et quasi momentum statera reputatae sunt. Ecce insulae quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores eius sunt quasi locustae.*

Tropol. *Mare, ait Theophyl. est amaritudo huius vitæ, quam insipientes nos ceu flumina appellimus. Hanc Dominus exsiccat, ac quod in ea potioni accomodatam videbatur, obliteravit: instituens nos quod in mundo afflictionem nos ferre oporteat. Si enim iugum eius tulerimus, inveniemus requiem animabus nostris. Præterea si quisquam in tentationibus fuerit, in mari est, et in fluminibus. Ad eum ergo tentato confugiendum est, qui interminat mare, amnesque exsiccat.*

INFIRMATUS EST BASAN ET CARMELUS.) q. d. Fertillissimi montes et regiones, quales sunt Basan, Carmelus et Libanus, fient steriles, flaccescent, et quasi emoriantur, quando Deus volet: ipse enim est creator, et conservator, et summus omnium dominus; uti de facto contigit tempore Eliæ, quando per triennium inhibita fuit pluvia, ideoque ex defectu aquæ omnes montes et campi exaruerunt. Unde liquet quantum Dei donum sit pluvia: experiuntur et sentiunt idipsum agricolæ. Symbolice Basan, Carmelus et Libanus notant fertilitatem et opes Ninives; mare et flumina copiam civium et incolarum, quæ omnia Deus in eius excidio arefecit, et sustulit. Alludit ad Tigrin fluvium, cui adiacet Niive: hic enim urbem ab hoste tutari nequivit, sed potius cum ea quasi infirmatus, et desolatus est. Addit Theophyl. Aiant, inquit, Basanitim regionem fertillissimam æque ac Carmelum, a gentibus habitatam fuisse pugnacibus et morosis: attamen cas Deus evertit, ac Israel em eo introduxit: quocirca non est fidei absonum, Deum etiam Niniven subversurum. Sic et Cyril. Rursum vide hic eminens Dei in omnia imperium. Vere Poeta:

*Poli, soli, sali, omnium  
Regnator aviternus.*

Et Virgil. lib. 1. Æncid.

*O qui res hominumque Deumque  
Æternis regis imperiis, et fulmine terres.*

Idem Deum vocat *Cæloque Ereboque potentem*; et, *Nimborumque simul tempestatumque potentem.*

Et lib. 4. Æncid. Deorum, inquit,

*Regnator, cælum et terras qui numine torquet.*

Alleg. *Diminuta est Basanitis et Carmelus, quando Iudæi ob crucifixum abs se gloriae Dominum, traditi sunt Romanis. Deinde per Basanitim, in moribus et operibus versans Resp. per Carmelum vero dogmatum altitudo indicatur: quæ cum multa essent, diminuta sunt in concisum et consummatum sermonem Evangelii summam collecta. Libanus quoque, id est, Græcorum sapientia, infatuata est. Concussi sunt autem et in cruce montes, ac natura nostra terrea antehac existens, sublimata est, ad superna iter faciens, ac profectionem ad caelos instituens: omnes iuxta in ipsa commorantes terrene cogitationes, divine adeoque caelestes factæ sunt. In cruce quoque revera petrae sensibus obiectæ scissæ sunt: item petrae, id est, dura et saxea hominum corda, verbo Evangelii accepto, contrita sunt. Rursum in diluvio, id est, in baptismo quo Christus baptizatus est, obruit hostes suos, id est, demones. Huc usque Theophyl.*

MONTES COMMOTI SUNT.) q. d. Montes loco movebuntur, et terra contremiscet, quoties et quocumque Deus id volet: omnia enim hæc verba sunt modi potentialis; ac demonstrant Dei summum robor et potentiam, quod proinde merito Ninivite, omnesque impii formidare debeant. Unde Tigurina vertit, *montes ab eo contremiscunt, et colles sese resolvunt* (vel colliquescunt. Alludit ad liquefactionem nivis, quæ montes tegit, et ita postea liquefit, ut videantur quasi dissolvi et colliquescere montes, inquit Vatabl.) *terru se proripit ex eius conspectu, et totus orbis u-*

na cum degentibus in eo. Pro proripit, Vatabl. vertit, flagrat, id est, ignem concepit, exuritur, censetque hoc accidisse in Sodoma, q. d. Deus solo verbo est auctor incendiorum, quæ aliquando apparent in montibus, v. g. Æthna, Vesuvio, Hecla, etc. Vel immittit tantum æstum, ut colles et terra ardere videantur, uti accidit in incendio Phæthontis. Unde Chald. vertit: *Montes commoti sunt a conspectu eius, et disrupti sunt, ac vastata* (Septuag. *contracta est*; Aquila ἐρηξεν, id est, horruit) *est terra ab eius præsentia, nec non orbis, et omnes qui habitant in eo, quando se patefecit cum misericordia, ut daret legem populo suo; sic commotus est mundus a conspectu eius.* Videtur enim alludere ad terræ motum Sina montis, cum in eo Mosi et Hebræis data est lex, Exodi 19. 18. Ex dietis recte infert Nahum:

Vers. 6.

ANTE FACIEM INDIGNATIONIS EIUS QUIS STABILIT? q. d. Cum tanta sit potentia, æque ac ira Dei; quis vestrum, o Ninivite, vel cæterorum hominum coram illo subsistere, nedum ei obsistere poterit?

INDIGNATIO EIUS EFFUSA EST UT IGNIS, ET PETRÆ DISSOLUTÆ SUNT AB EO. Septuag. *furor eius consumit principatus, et petra contrita sunt ab eo*; Aquila, *furor eius conpulsa sunt ab eo*, id est, *conflatus est*; Symmach. et Theodot. ἐξηλθεν, id est, *stillavit*, q. d. Sicut ignis ardentissimus dissolvit et liquat petras, ferrum, æs, omniaque quantumvis durissima; ita ira et vindicta Dei, hostes licet potentissimos, omniaque licet firmissima dissolvit, frangit, conterit, uti vos, o Ninivite, brevi experiemini. Nam *effusa est*, id est, iam iam certo effundetur in vos hic ignis furoris et vindictæ Dei. Alludit ad fornaces conflatorias et metallicas, in quibus conflatur æs, ferrum, plumbum, etc. quæ igne ardentissimo liquata ita ignescunt, ut, cum per-tusa fornace in fossam vicinam deluunt, videantur esse torrens et fluvius igneus, qui petras et saxa quælibet obvia in momento incendit et absumit, uti oculis meis vidi in Ardenna. Sane videbar mihi in illis vivam incendiorem gehennæ effligem intueri: Adeo horrendus est hic ignis. Talis est ira Dei. Quis ergo sapiens eam ruminans, non pereclat? quis non caveat peccata, ne iis illam in se concitet, ne corpus et animam hæc incendiis ultro obiciat? Merito exclamas et proclamas omnibus impiis (sed hen! pauci audiunt) o Isaiæ c. 33. 14. *Conteriti sunt in Sion peccatores, possessit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Ignis ire  
Dei ar-  
dentissi-  
mus.

Secundo, Sanchez: Ignis Dei indignantis, inquit, est fulgur et fulmina: hæc enim sunt arma Dei, quæ in inimicorum suorum caput eiactantur. Habacuc 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Psal. 17. 15. *Misit sagittas suas, et dissipavit eos,* hoc est, ut explicans subdit: *Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Sic fulmine et grandine Deus sideravit Sisaram Indic. 5. 20. *De celo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Sic et Virgil. *Aeneid.* 1.

*Intonare poli, et crebris micat ignibus æther,  
Præsentemque viris intentant omnia mortem.*  
Et *Aeneid.* 8.

*Namque improvise vibratus ab æthere fulgor,  
Cum sonitu venit, et rueret omnia visa repente.*

Vers. 7.

BOVUS DOMINUS. Solent Prophetæ, quasi concionatores industrii et eximii, post minas consolari, et læta tristibus subiungere, ne peccatores desperent; sed pœnitentes spem veniæ et salutis concepant. Ita hic Nahum, postquam graphice depinxit iram et furorem Dei in infideles, iniustos et impios Ninivitas, hic vicissim Dei clementiam et bonitatem in fideles et pios Israelitas et Iudæos demonstrat; indeque apposite vocatur Nahum, id est, consolator. Consolatur enim hic Ezechiam et Iudæos obsessos a Sennacherib rege Assyriorum, prædicens eius stragem, et Hierosolymæ liberationem, ac Ninives hostilis excidium: qua re pariter consolatur Israelitas, sive decem tribus, paulo ante a Salmanasar, cui successit Sennacherib, vastatos, et in Assyriam abducos. Consolatio

enim est afflicti, videre quod Deus ipsorum iniurias ulciscatur, et de persecutoribus ac vastatoribus pœnas sumat, eosque pariter lege talionis persequatur, et vastet. Ostendi enim in proœmio. Nahum prophetasse inter annum sextum regi Ezechiae quo vastata est Samaria, et decimum quartum, quo obsessa est Ierusalem a Sennacherib; quod fuit interstitium octo annorum. Ergo in hoc interstitio et paulo ante obsidionem Ierusalem, eius eventum felicem, puta solutionem et liberationem, prædicit hic Nahum. Itaque ait: *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis*; Septuag. *χρηστός*, id est, *utilis, suavis, beneficus*, *Dominus expectantibus eum in die tribulationis*; Chald. *bonus est Dominus Israeli, ut immitatur ei tempore angustiae*; Pagnin. *bonus Dominus fortitudo in die angustiae*; q. d. Deus suis in tribulatione fortem, validam et efficacem afferre solet opem. Optime Tigurin. et Vatabl. *benignus, mitis et clemens* (hæc enim omnia significat Hebr. טוב *tob*) *est Dominus* (servis suis et fidelibus) *præsidium temporibus difficillimis.* Hebr. enim *מצוד* maos significat fortitudinem, locum fortem, arcem, præsidium, munitionem. Unde Antichristi Deus vocatur *Maozim*, q. d. Deus fortitudinum; vel Mars, ut vertit Pagn. Daniel. 11. 38. Mars ergo noster, arx nostra, asylum nostrum, idque invictum in omni tribulatione est Deus.

ET SCIENS SPERANTES IN SE. Septuag. *cognoscens timentes se.* Scientia hæc est practica et efficax, non speculativa et otiosa, q. d. Deus cognoscit, id est, approbat, amat, protegit, propugnat eos, qui spem suam in eo collocant; uti mox proteget et propugnabit Ezechiam et Iudæos contra Sennacherib. Sic ait Deus Mosi: *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me*, Exodi 33. v. 12. Sic de electis et beandis ait Apostolus: *Cognovit Dominus qui suat eius*, 2. Timoth. 2. v. 19. De reprobis vero et æterna pœna plectendis ait Christus: *Nunquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem*, Matt. 7. 23.

Vers. S.

ET IN DILUVIO PRÆTEREUNTE, CONSUMMATIONEM FACIET LOCI EIUS. Primo, Rupert. et Lyran. per diluvium accipiunt castra numerosa Sennacherib, quæ instar diluvii inundaverunt et oppleverunt Iudæam, uti docet Isaias c. 8. v. 7. q. d. Exercitus Assyriorum erit quasi diluvium Iudæam obruens, sed præteriens et cito transiens. Nam Deus faciet *consummationem loci eius*, scilicet tribulationis et captivitatis, ait S. Hieron. hoc est, Deus faciet, ut cito illa consummetur, finiatur et cesset, nec amplius illa eiusque locus reperiatur. Verum durissime consummatio loci attribuitur consummationi tribulationis; aliud enim est locus, aliud loci tribulatio.

Secundo, S. Hier. Remig. et Hugo, diluvium accipiunt passive, pro ipsa vastitate illata Samarie, et decem tribubus ab Assyriis: quæ præterit cum Deus consummavit locum eius, exseindendo scilicet Niniven.

Tertio et genuine, diluvium hic vocatur exercitus Medorum et Babyloniorum, qui instar diluvii iogenti turba, celeritate et impetu invaserunt Assyrios, eorumque locum, puta regiam Niniven vastarunt. Hæc enim fuit consummatio, et excidium urbis et regni Assyriorum, q. d. Deus vos, o Assyrii, funditus quasi quadam eluvione hostium perdet, obruetque vestram Niniven, Medorum et Chaldæorum copiis et insultibus; ac cives illius tenebris, id est, omni calamitate et clade, persequetur. Ita Theodor. Clarius, Arias, Vatabl. et a Castro. Hunc esse sensum patet intuenti Hebræa: nam מקומה *mekoma* significat *locum eius* feminine, puta Ninives, utpote contra quam totum hoc oraculum dirigitur: est enim hoc *onus Ninive*, ut dixit in prologo v. 1. Favet id quod narrat Diodorus Sicul. lib. 3. Histor. nimirum ad excidium Ninives, confluisse ex Babyloniis, Persis, Medis, Arabibus et Bactrianis super quadringenta hominum millia. Hoc enim fuit diluvium non aquarum, sed hominum et militum. Addit Arias, hoc diluvio significari inundationem Tigris, qua obruta fuit Ninive; sicut ex adverso Babylon capta est a Cyro, divertendo Euphratem, qui Babylonem interluit, in alias fossas, et per siccum eius alveum milites immittendo in urbem, uti ex Xenophonte et aliis ostendi Daniel. 5. v.

30. et Jerem. 50. v. 38. Hanc enim Tigris in Niniven exundationem significare videtur Propheta hoc loco, et c. 2. v. 6. dicens: *Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum.* Et v. 8. *Ninive quasi piscina aquarum, aquæ eius: ipsi vero fugerunt,* q. d. Deus nimbos coepet in Tigrim, ut is exestuct, et cataclysmo Niniven obruat. Eiusdem inundationis clarus est testis Diodor. Sicul. l. 3. Hist. *Erat, inquit, responsum progenitoribus datum, nunquam Ninam (Niniven: hæc enim a conditore dicta est Ninus et Nina) capi posse, nisi cum fluvius urbi hostis fieret. Quod nunquam futurum ratus (rex Ninives) spem cæperat obsidionis traducendæ, et simul futura auxilia exspectabat. Cum duobus annis obsidio perseverasset per summum otium obsessorum, tertio continuis imbribus excrescens super modum fluvius, cum partem urbis inundasset, muros deiecit ad stadia viginii. Hic rex existimans tempus oraculi advenisse, desperata salute, ne in hostium potestatem perveniret, pyram in regia ingentem extraxit, sequè cremandum una cum suis in ignem iniiecit. Hostes, audita regis morte, urbem per eam, quæ ob oraculo prædicta erat, muri partem ingressi, Arbæem regia stola indutum regem appellarunt.* Hæc Diodorus, eni consentiunt S. Epiphani. et Dorothei. in vita Nahum, qui Niniven aquarum eluvione perditam asseverant, ut dixi in proœmio, quæ omnia huic loco mire consentiunt, quo Deus Ninivæ comminatur excidium per tempestatem, turbinem, nimbos et ventos, quibus exundans Tigris urbis muros deiecit. Tantum hoc interest, quod Diodorus id contigisse asserat sub Sardanapalo, eiusque hoste Arbæe Medo, qui coævi fuerunt Ozia regi Iudæ, ac multis annis præcesserunt Prophetam Nahum: sed fieri potest ut in persona et tempore errarit Diodorus. Nam Iustinus l. 1. Herod. l. 1. Orosius l. 1. c. 19. et alii in excidio Ninives sub Sardanapalo, nullius exundationis meminerunt. Sic enim videmus, in rebus præcis sæpe facta ipsa apud auctores constare; personas et tempora certa non constare. Factum enim ipsis relictis monumentis et signis indicari potest, personæ vero et tempora ob fluxam sæculorum et gentium naturam, ob minus attentam diligentiam, ob variam linguarum et sermonum, ac dominationis mutationem, inverti ac turbari facile possunt: ex divinis autem Scripturis temporum vero ratio petenda est, inquit Arias.

Denique diluvium hoc accipi posset eladis et stragis Assyriorum, pnta militum occisorum; qua una nocte ab angelo in castris Sennacherib caesa sunt 185. millia; tunc enim Deus consummationem fecit loci eius, id est, loci castrorum Sennacherib, quando hunc locum replevit cadaveribus militum, qui illo in loco castra metabantur. Hunc enim locum iuxta Jerusalem pro castris suis cepit et occupavit Niive, id est, Ninivite et Assyrii, cum suo rege Sennacherib. De Sennacherib enim, uti cœpit, ita pergit agere in sequentibus; quia tunc cœpta est Ninivitarum et Assyriorum elades, quæ postea plane consummata et completa est in excidio Ninives per Medos et Chaldæos, de quo e. 2. v. 1.

Tropolog. discite hic quam celer sit regnorum, regum, opum, deliciarum, honorum, totiusque mundi fluxus, transitus, interitus. Ecce tibi Tigris, qui per naves merces omnes advhebat Niniven, intumescens illam ipsam obruit, et hosti invadendam tradidit. Ecce tibi inelucta illa Babylon, quam ditabat, roborabat, et ornabat Euphrates, per illum ipsum in alias fossas derivatum a Cyro, capta et eversa est. Vere æque ac pulchre S. August. mystice explicans illud psal. 136. *Super flumina Babylonis, illie sedimus, et flevimus dum recordaremur tui Sion: flumina, ait, Babylonis, sunt omnia quæ hic amantur, et transeunt. Nescio quis amavit v. g. agriculturam, ipsam exercere, inde dillescere, imò occupare animum, inde percipere voluptatem: attendat exitum et videat, illud quod amavit non esse fundamentum Jerusalem, sed fluvium Babylonis, etc. Advocatum esse, ait, res magna est, potentissima eloquentia in omnibus habere susceptos, pendentes ex lingua disertis patroni sui, et ex eius ore sperantes, vel damna, vel luera; vel mortem, vel vitam; vel perniciem, vel salutem.*

**A** *Nescis quo te miseris. Alius et iste fluvius Babylonis est; et quod multum sonat, strepitus aquæ saxa percussit. Attende quia fluit: percussit, attende quia labitur: et si attendas quia fluit et labitur, cave, quia trahit. Idem ostendit de navigatione et mercatura, utramque scilicet esse fluvium Babylonis, utriusque luera cito transire et præterlabi: Uno, ait, naufragio nudus exibis, et recte te planges in flumine Babylonis, quia noluisse sedere et flere super fluvium Babylonis. Alii ergo cives sanctæ Jerusalem, intelligentes captivitatem suam attendunt humana vota, et dicentes hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, impellentes in mare; vident hæc, et non se mittunt in flumina Babylonis, sed sedent super flumina Babylonis. Et mox: O sancta Sion, ubi lotum stat, et nihil fluit! quare dimisimus conditorem tuum, et societatem tuam? Ecce inter fluentia et labentia constituti; vix quicumque raptus a flumine, si tenere lignum potuerit, evadet. Sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis: talis sit humilitas nostra, ut nos non mergat. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine. Et inferius: Sedebit autem et plorabit, si recordatus fuerit Sion. O pax illa quam videbimus apud Deum! o pax illa et sancta æqualitas angelorum! o illa visio et spectaculum pulchrum! Ecce in Babylonia pulchra sunt quæ tenent: non te teneant, non te decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. Super flumina Babylonis, illie sedimus, et flevimus cum recordaremur Sion. Mens ergo nostra, ut sapiat, ut firma felixque consistat: super flumina hæc se erigat, et in stabili æternitate, in Sione inquam celesti, se ipsa defigat.*

**B** *Secundo, S. Bernard. serm. de B. Maria pag. 393. Triplex, ait, est diluvium, unum iniquitatum; aliud adversitatum huius vitæ; tertium calamitatum gehennæ. De primo per Nahum dicitur: In diluvio prætereunte consummationem faciet; ac si diceretur: Si diluvium vitiorum super hos cœperit abundare, nolite de illis desperare: quia super quos inundare permitto iniustitiam, super illos faciam abundare gratiam. Hinc illud Michææ 4. Venies usque Babylonem, et ibi liberaberis. Et illud Isaïæ 54. Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. Consummationem ergo Deus faciet præeunte diluvio; quia de profundo vitiorum viriliter erigit, quos ponit in virtutum culmine, etc.*

**C** *QUID COGITATIS CONTRA DOMINUM.* Aliqui putant sermonem esse ad Iudæos pavidos ob adventum et obsidionem Sennacherib, q. d. Quid vos, o Iudæi modicæ fidei, diffiditis Deo, quasi ipse vos e manu Sennacherib liberare non possit, aut non velit? itaque cogitatis eum vel non esse satis potentem, vel non satis providum et clementem ad protegendam suam urbem, suumque populum? Verum melius alii passim censent sermonem esse ad Assyrios, q. d. Quid vos, o Assyrii, cogitatis mala contra Dominum, id est, contra Domini plebem, urbem et templum, ut scilicet obsideatis et evertatis Jerusalem et Iudæos, itaque mala malis emuletis? exseidistis enim Samariam, et pari modo vultis exseindere Jerusalem: sed Deus malitiam vestram inhibebit, nec permittet secundo alligi et excindi Israel. Unde sequitur: *Non consurget duplex tribulatio;* ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Haymo et Lyran. Aut, q. d. Quid vos, o Assyrii, cogitatis Domino ulciscenti resistere, vosque in castris Sennacherib per angelum, ac Niniven per Chaldæos oppugnanti et evertenti, obiectis vallibus et militibus opponere? impingitis enim in fortem, et contra stimulum calcitratis: nam consummationem ipse faciet, ipse vos consumet et disperdet. Hæc enim est eadem consummatio cum illa, de qua paulo ante dixit: *Consummationem faciet loci eius,* scilicet Ninives: ita Theodor. Theophyl. Clarius, Arias et Vatablus. Alludit ad Isaï. 10. v. 23. *Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Vide ibi dicta.

**D** *NON CONSURGET DUPLEX TRIBULATIO.* Chaldæus, non consurget domui Israel duplex angustia; Arabicus, non consurget altera vice in noemento: Syrus, non stabit (sur-

Duplex tribulatio quæ? Itesp. I.

Ninives ex inundatione Tigris obruta, et capta.

Tropolog. de regnorum fluxu et transitu.

II. *get)* duabus vicibus tribulatio, q. d. Unam angustiam passus est Israel in excidio Samariæ, et decem tribuum per Salmaanasar; quare non patietur Deus clementissimus secundam ei inferri a Sennacherib, ut duas eius tribus reliquas et Ierusalem excindat. Ita Hebræus quem citat S. Hieron. Secundo, alii, q. d. Deus ita fortiter una vice per angelum cadet et atteret castra Sennacherib, ut secundo ea percutere et plagam iterare non sit opus: quia extremis suppliciis ea afficiet, et primo ictu ea disperdet et consumet: ita Natablus.

III. Tertio, alii, q. d. Deus unica irruptione Chaldæorum subvertet Niniven: ut secunda non sit opus. Simili enim phrasi, ait Abisai de Saule: *Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel et secundo opus non erit, 1. Reg. 26. 8.* Explicat enim consummationem quæ præcessit, q. d. Consummabo stragem et excidium Ninives una percussione, ut secundo eam ferire non debeam: ita a Castro. Sic ait Virgil. Æneid. 11.

*Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.*  
Et Ovid. epist. 5.

*Nulla reparabilis arte*

*Læsa pudicitia est, deperit illa semel.*

Omnes hi sensus probabiles sunt: primus tamen, quem tradit quoque S. Cyrill. et Theoph. magis videtur congruus et appositus, magisque respondet communi tropologix, quam mox alleram; illique magis favent Hebræa, quæ ad verbum habent, *non exurget duabus vicibus tribulatio*. Tribulatio enim pertinet ad populum Dei; consummatio ad infideles et impios Ninivitas. Unde Septuag. vertunt, *non vindicabit bis in idipsum in tribulatione. In idipsum*, id est, idipsum, vel ob idipsum, scilicet erimen vel delictum. Theodotion, *non consurget secunda tribulatio*; Symmach. *non sustinebunt impetum secundæ angustix*; Pagnia. *non consurget bis angustia*. Et sic se explicare videtur Nahum v. 12. dicens: *Affixi te, et non affligam te ultra. Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo.* Sat enim Israel per Assyrios punitus videbatur vastatione Samariæ, et decem tribuum, ut Hierosolymæ et Iudæis parcendum esset: Iudæi enim, sive duæ tribus, in decem tribuum, utpote fratrum suorum, excidio, sat pœnarum dererunt Assyrio. Hinc ex versione Septuag. manavit Theologorum axioma: *Deus non punit bis idipsum*, quando nimirum ita puniuit, ut pœna adæquarit culpam: si eaim non adæquarit, sed illa sit inferior et minor, iuste iterare et augere potest plagas, donec culpam adæquent.

Tropol.  
quos  
Deus pu-  
nit in hac  
vita, non  
punit  
in futu-  
ra.

Unde Tropol. S. Hieron. et Remig. sic explicant, q. d. Quos Deus punit in hac vita, eos secundo non punit in futura. Audi S. Hieron. *Quid contra Dominum cogitatis? ipse qui creavit mundum, et consummationem eius faciet. Quod si vobis videtur crudelis, rigidus et cruentus, quod in diluvio genus deleuit humanum; super Sodomam et Gommorham ignem et sulphurem pluit; Ægyptios submersit fluctibus; Israelitarum cadavera prostravit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione. Ergo qui puniti sunt, postea non puniuntur. Receiverunt ergo et qui in diluvio perierant, et Sodomitæ et Ægyptii, et Israelitæ in solitudine mala sua in vita sua. Ubi videtur sentire S. Hieron. Sodomitas, Pharaonem et Ægyptios hic punitos, ne punirentur in inferno, sed contrarium verius est: occisi enim sunt a Deo in flagranti delicto, puta Sodomitæ in invasione domus Loth, ut hospitibus angelis turpiter abuterentur: Pharao et Ægyptii in tyrannica persecutione Mosis et Hebræorum: mortui ergo in peccato descenderunt in tartara, uti dixi Gen. 19. et Exodi 14. Quærit deinde S. Hieron. *Si fidelis deprehensus in adulterio decollatur, quid de eo postea fiat? Aut enim punitur, et falsum est hoc quod dicitur: Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione. Aut non punitur, et optandum est adulteris, ut in præsentiarum brevi et cita pœna cruciatus frustrentur æternos.* Ac Resp. *Deum, ut omnium rerum, ita et suppliciorum quoque scire mensuras, et non præveniri sententia iudicis; nec illi in peccatorem excedendæ dehinc pœnæ auferri potestatem;**

*et magnum peccatum magnis diuturnisque elui cruciati-bus, si quis autem punitus sit (satis et adæquate ad mensuram culpæ) ut ille in lege qui Israelitis maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri; quia culpa levis præsentis supplicio compensata sit, q. d. Adulter decollatur; quia peccato suo læsit Rempub. eique dedit scandalum: decollatione ergo luit offensam in Rempub. Idem tamen offendit Deum; unde necesse est ut pariter hanc offensam luat contritione, confessione, et satisfactione, vel satispassione (v. g. offerendo Deo decollationem in satisfactionem adulterii) adæquata culpæ: quod si moriatur impœnitens, aut satisfactio hæc non sit adæquata, Deus eam adæquabit in inferno, vel in Purgatorio. Adde, adulterium eius punitur decollatione, non vero eius obstinatio et impœnitentia: illam ergo luere debet in inferno. Quare imperite hæretici hoc loco abutuntur contra satisfactionem, dum sic argumentantur: Christus luit omnia peccata nostra, illaque Deus in ipso abunde punit; ergo non punit illa in nobis, nec exigit a nobis pœnas temporarias, quibus pro illis satisfaciamus divinæ iustitiæ; imperite inquam; tum quia Christi satisfactio altioris est ordinis, quam sit nostra; est enim generalis pro culpa totius generis humani; nostra vero est particularis, pro propriis culpis. Iam sicut causa universalis, v. g. sol, non tollit efficientiam causarum particularium, v. g. hominis ut generet hominem, sed potius eum illis operatur, et earum cooperationem exigit, ita ut sine illis non operaretur; ita pariter Christi satisfactio generalis nostram particularem requirit, nec sine illa operatur. Hoc ergo axioma: *Deus non punit bis idipsum*; intellige in eodem rerum ordine; nam in diverso sæpe bis punit. Hinc pro peccato Adæ, et culpa generis humani non aliam exigit satisfactionem, quam Christi; quia illa generalis fait culpæ generali adæquata: pro culpis vero particularibus, particulares singulorum exigit satisfactioes. Tum quia Christi satisfactio nil prodest, nisi nobis eam applicemus: applicare autem eam debemus per nostram cooperationem et satisfactionem. Id enim voluit et ordinavit Christus, uti docent Scripturæ et Ecclesia.*

Hæreticorum  
paralogismus.

C Tropol. puniamus hic peccata nostra voluntaria pœnitentia; ita Deus non punit ea in futuro. *Neque enim bis in idipsum iudicat Deus, sed impœnites ipse iudicat et damnat: penitentes vero, quia a seipsis suscipit iudicatos, absolvit, neque iudicio quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid iustitiæ cælestis apponit,* ait S. Cyprian. serm. de passione Christi. Nam de impœnitentibus ait Ierem. c. 17. v. 18. *Duplici contritione contere eos, idque quia eorum contritio hic cæpta, illic (in gehenna) perficitur, ut in correctis unum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consumatur; quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, iam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum,* ait S. Gregor. lib. 18. Moral. c. 13. Ita Mauricius Imp. oravit peccata sua puniri in hac vita, ut non puniretur in futura; oravit et impetravit; unde ipse cum filiis a Phoca Imp. interemptus est. Hinc S. Fulgentius orabat: *Domine da hic patientiam, et illic indulgentiam,* uti habet eius vita. Et S. August. *Hic ure, ait, hic seca, ut in futuro parcas.* Quin et Habacuc c. 3. 16. *Ingredietur,* ait, *putredo in ossibus meis, et subter me seateat; ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum.* Idem optarunt et obtinuerunt septem fratres Machabæi exerciati ab Antiocho 2. Machab. 7. Nam ut ait S. Paulus 1. Cor. 11. 32. *Dum iudicamur, id est, punimur in hoc mundo, a Domino corripimur, ut non eum hoc mundo damnemur.* Hoc sapiebat Abbas Olympius, qui rogatus quomodo assidue degens in spelunca, ibi ingentes tolleraret æstus et culieum morsus? respondit: *ideo ista tolero, ut futuris cruciati-bus liberer; ideo ciniphes patior, ut immortalæ effugiam vermem; sic et æstum patior, ut æternum ignem evadam: hæc enim temporalia sunt, illa finem nullum habent,* uti refert Sophron. in Prato spirit. c. 141. Qui et c. 142. narrat fratrem quemdam victimæ ab accidia audisse ab Abbate Alexandro; *Si in cella tua sol-*

Moral. de  
pœnitentia.

licite cogitares regnum caelorum, et cruciatum aeternum, in cella tua aediam non sentires.

Vers. 10. **QUIA SICUT SPINAE.**) Clare vertit Pagnin. *quia venient usque ad spinas complexas, et cum inebriati fuerint ebrii, consumentur sicut stipula ariditate plena;* et Tigurina: *nam plantissime ritu veprum implicitarum, cum fuerint comessando referti, absumentur ceu culmus ad plenum torridus.* Siquidem, ut ait S. Hieron. dum in terra Iuda sunt Assyrii eum Sennacherib obsidentes Ierusalem, et quasi spinæ sese invicem densis agminibus complectuntur, potantes, lætantes et gaudentes, ab angelo cæduntur et consumuntur. Ita et Ninive capta est, dum eives præfidentes suis muris et munitionibus, hostemque obsidentem contemnentes, vacarent conviviis et symposiis, uti tradit Diodor. Sicul. lib. 3. Ita capta est et Babylon convivante rege Balsasare, Daniel. 5. 1. Assyrios comparat spinis; quia ipsi ut spinæ pungebant et affligebant populum Dei, ideoque a Medis et Chaldæis quasi spinis, pari modo pungendi et affligendi erant. Rursum *convivium*, id est, cæctum convivarum, sive convivas, puta Assyrios convivantes et compotantes, comparat spinis; quia sicut spina spinæ implexa est, ita conviva convivæ assidet, ac mutuo manus consertunt et implicant, dum ultro citroque calices et fereula transmittunt. Rursum convivia conviviis, ut spinæ spinis implicantur, dum invitati invitantes rursum invitant: itaque convivia eunt in orbem, suntque assidua.

Convivia vocantur spinæ tribus de causis.

- 1.
- 2.
- 3.

Moral. convivæ vocantur spinæ, quia sæpe absentes sua maledicentia, conviciis et scomatibus pungunt et lacerant. Vitium enim dicacitatis et detractionis frequens est in conviviis: lingua enim innatans vino solvitur, promitque et eructat quidquid habet in corde, imo quidquid in buccam venit. Quare M. Varro censuit convivarum numero incipere oportere a Gratiarum numero, et progredi ad Musarum, id est, proficisci a tribus, et consistere in novem; ut, cum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem; si enim plures sint, turbam efficiunt dicacem et turbulentam. Alii septem dumtaxat mensæ adhibendos iudicant: unde Proverbium: *Septem convivium, novem convicium.* Porro conviviis proprietatem præelare describit Cicero lib. de Senectute: *Bene, ait, maiores accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominaverunt.* Huic autem repugnat turba in dissidia et convicia pronæ; conviviones inquam, imo combibiones. Contra hos consulto S. Augustin. hos versus mensæ suæ adscripsit, qui convivarum iugiter oculos ferirent, oraque a detractione compescerent:

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,  
Hanc mensam velitam noverit esse sibi.*

Ita Possidon. in Vita S. August. Porro in Hebræo est elegans paronomasia inter סבוים *sebumim*, id est, qui complectuntur; סבאם *sobam*, id est, convivium, vel ebrietatis eorum; et סובאים *sobeim*, id est, ebrii, q. d. Ebrietas ebrios stringit et colligat, sicut aculeis suis colliguntur spinæ, ut sese invicem complectantur: hinc pariter Deus eos quasi in fasciculo stringet et colligabit, eisque ignem sobiciet, quo quasi stipula aridissima subito stridore conflagrabit et consumerentur. Ita Angelus cædens castra Sennacherib ignem pestiferum in ea immisit, uti tradunt Hebræi, de quo dixi Isaïæ 10. v. 16. Ita pariter Medi et Chaldæi Niniven convivautem ferro flammæque vastarunt.

Denique Septuag. aliter vertunt, nimirum, *quia usque ad fundamenta sua in pavimentum redigentur, et quasi smilax planta implicata comedentur, et quasi stipula exsicabitur:* ita habet editio Regia; sed Romana sic, *quia usque ad fundamentum suum rediget in vepres, et quasi volvola circumdata comedetur, et quasi stipula ariditate plena.* Smilax enim dicitur volvola, quod instar hederæ se arboribus circumvolvât. Smilax enim est herba spinosa, densis geniculata caulibus, frutesca ramis, folio hederaceo, flore candido olente liliū. Dux eius sunt species. Prior est smilax aspera, sive hederæ Cilicia: altera

Smilax sive volvola quæ herba?

**A** smilax levis. Vide Dioscor. lib. 4. c. 143. et 144. Theophr. lib. 3. hist. Plant. c. ult. Smilax levis est convolvulus maior: nam minor est helixine eissampelos, inquit Dioscor. Smilax notat corymbos et coronas quibus deliciose convivæ se coronabant, uti dixi Amos 6. v. 6. illæ enim fiebant ex smilace, et similibus herbis ac floribus. Audi Plinium lib. 24. c. 10. *Smilax quoque, qui et nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet, tenuioribus foliis; coronam ex eo factam impari foliorum numero, aiunt capitis doloribus mederi. Quidam duo genera smilacis dicere. Alterum immortalitati proximum in convallibus opacis scandens arbores comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficacissimis, in tantum ut acinorum succo infantibus sæpe instillato, nulla postea venena nocitura sint. Alterum genus culta amare, et in his gigni, nullius effectus.* Assyrii ergo comparant smilacæ, arbores scandenti; quia ad altiora semper conscendentes devorati sunt a Medis et Chaldæis. Tropol. smilaces sunt, qui charitatem et benevolentiam simulant, ac interim perniciem

Tropol.

**B** moliantur, ait Theoph. **EX TE EXIBIT.**) q. d. Causa tuæ cladis et excidii, o Ninive, erit Sennacherib rex tuus, qui ex te exhibit in aciem contra Dominum, id est, contra Domini urbem Hierosolymam et templum, ut ea disperdat. Voleat ergo quasi cum Domino bellam gerere, instar gigantum et Titanum cum Iove certantium; sed hæc gigantomachia caro illi stabit: nam cæsus et confusus a Deo, profugus redibit in terram suam, ibique a filiis suis occidetur; ita Theodor. Theod. Clarius, Vatabl. Arias et Chald. qui vertit, *ex Ninive egressus est rex, qui cogitavit contra populum Domini mala.* Vide blasphemiam Rabsacis, quem Sennacherib misit ad Iudæos, qua iactat Deum non posse eos e manu sua eripere, Isaïæ 36. 20. Quocirca:

Vers. 11.

**HÆC DICTIT DOMINUS,** puniens tantum Assyriorum factum et blasphemiam: **SI PERFECTI FUERINT** etc.) q. d. Licet copiis, robore, opibus præstetis, et numero sitiis plures, imo plurimi; tamen attondebit vos angelus pertransiens et feriens. **Attendantur** ergo, id est, attondebuntur (sic enim multa verba secundæ conjugationis usurpantur et coniunguntur in tertia, uti pro ferveo dicitur ferveo, pro fulgeo fulgo, pro sedeo sido) hoc est, more capillorum facillime et omnino ab angelo resecebuntur, et in terram deiciuntur: et *pertransibilis*, scilicet rex eorum Sennacherib, ut fugiat in suam Assyriam: vel *pertransibilis*, id est, evanesceat, exereat, roburque Sennacherib: ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. et alii. Aliter Theodor. Rupert. Arias, et Vatabl. accipiunt enim de Ninive, q. d. Etiamsi Ninivitæ summa pace, et rerum copia fruuntur, tamen eorum copia, imperium et gloria transit ad Medos et Chaldæos. Ubi Nota. Pro *perfecti* hebr. est שְׁלֵמִים *seleemim*, quod verti potest Primo, pacifici: ita Vatabl. indeque concordēs et unanimes ad resistendum hosti. Secundo, integri: ita Tigurina. Tertio, perfecti: ita Noster. Quarto, in pace, id est, prosperitate et rerum abundantia: ita Chald. et Pagnin. Hæc omnia eodem redeunt: significant enim Assyrios integros et perfectos fuisse copiis, opibus et viribus. Unde Pagnin. vertit, *sic dixit Dominus: Num erunt in pace? Et vere multi sunt, et vere excidentur, et transibunt. Et afflixit te per eos, non affligam te ultra.*

Vers. 12.

**AFFLIXI TE** (o Israel, o Ierusalem, per Sennacherib et Assyrios) **ET NON AFFLIGAM TE ULTRA.**) Scilicet per Assyrios: nam per Chaldæos postea ob nova scelera excisa est Ierusalem: vide dicta Ioel. 2. 38. Pronomen enim *te* refert Ierusalem: non Niniven, uti docent S. Hieron. Remig. Haymo, Rupert. Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et alii. Nam sequitur:

**CONTERAM VIRGAM EIUS** (scilicet Sennacherib: hebr. enim est allixum sive pronomen masculinum) **DE DORSO TUO.**) Virgam vacat vim et tyrannidem, qua Iudæos affligebat, obsidebat et quasi vinetos tenebat. Unde Chald. vertit, *frangam iugum Gentium de collo vestro, et vincula vestra præcidam;* et Pagnin. *conteram iugum eius a te, et vincula tua* (quibus te constrinxit) *dirumpam.* Hebraum enim מַטֵּה *matte*, id est, virga, si alio puncto legas mo-

Vers. 13.

ta, significat iugum, catenas et vineula. Symbol. Theophyl. virga Sennacherib, ait, sunt peccata, et tentationes diaboli, quæ couerit gratia Christi. Eadem sunt semen diaboli, quod suffocat Christus. Unde de eo sequitur: *Non seminabitur ex nomine tuo amplius.* Hæc sunt zizania, de quibus Christus Matth. 13. 27.

Vers. 14. **ET PRÆCIPET SUPER TE DOMINUS.** *Præcipiet*, id est, decernet et sanciet id quod sequitur: **NON SEMINABITUR, id est, ut non seminetur, EX NOMINE TEO AMPLIUS.**) Hoc est, ut nemo deinceps giguatur ex te qui nomen tuum et stirpem propaget, voceturque filius tuus, et sit rex Assyriorum. Nam paulo post fugiens Sennacherib in Assyriam, in templo Dei sui a filiis est interfectus. Unde filium deinceps generare nequiuit. Successit ei quidem in regno filius Asarhaddon iam pridem genitus; sed et hic paucis annis regnavit, nec sobolem in regno reliquit. In eo ergo defectit stirps regia Sennacherib: ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. Clarius, Vatabl. Ribera et alii. Aliter Theodor. et Theoph. q. d. In excidio Ninives desinet angustum illud nomen Nini et Assyriorum: eorum enim monarchia transferetur ad Babylonios. Unde deinceps Assyrii vocabuntur Babylonii, quia Babylonis rerum dominis erunt subditi: sicut postea utrique vocati sunt Græci et Romani, eum ab Alexandro et Romanis fuerunt subacti. Aliter quoque Sanchez, q. d. Nomine Sennacherib non amplius seminabuntur agri, quorum fructus in regium eius horreum comportentur: quia ipse brevi spoliabitur imperio et vita. Regis enim nomine fieri dicitur, quod eius imperio, æque ac commodo fit, non alterius. Sic ait Plautus in Mercatore:

*Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.*

*Tibi denique iste pariet lætitiã labor.*

Moral. Disce hic iustum iudicium Dei, quo talionem reppendit tyrannis, v. g. Assyriis, ut qui aliena invaserant, perdant sua, imo intereant eum sua stirpe et nomine. Unde Chald. vertit, *non erit amplius memoria nominis tui.* Hoc est quod Ieremias c. 22. 30. intentat Ioachim, sive Iechoniæ tyranno: *Scribe, inquit, virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium David.* In Iechonia enim defectit stirps regia Davidis, adeoque regum Iuda: licet enim Iechonias genuerit Salathiel, tamen hic nunquam fuit rex, sed in captivitate Babylonica natus, et mortuus, reliquit filium Zorobabel, qui Iudæos Babylone reduxit in Iudæam; sed regis ius et titulum nunquam est adeptus. Simili pœna punitus est tyrannus Nabuchodonosor, vel potius Balsasar: de quo ait Isaia c. 14. 20. *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.*

**DE DOMO DEI TUI INTERFICIAM ET CONFLATILE.**) Hæc iungenda sunt cum Hebr. Chald. Sept. et Romanis; licet Biblia Regia, S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. et Clarius aliter dispungant, nimirum sic: *De* (id est *in*) *domo Dei tui interficiam*, scilicet, te o Sennacherib, *sculptile et conflatile ponam sepulcrum tuum.* Verum Hebr. Septuag. et Chald. tollunt hanc dispositionem, omniaque hæc connectunt. Interficiam ergo, id est, excidam, tollam, disperdam, exterminabo, tua sculptilia, id est, tua idola, tuos deos. Unde Septuag. vertunt, *ex domo Domini Dei tui disperdam sculptilia et conflabilia;* et Chald. *de domo idolorum tuorum delebo simulacrurum et conflatile;* quia ut sequitur, et ut expresse habet Chald. et Pagnin. *ibi ponam sepulcrum tuum*, q. d. Profanabitur templum Dei tui Nesroch eade tua, præsertim tam immani et parricidiali, qua tu rex et monarcha a propriis filiis in ipso templo occideris, ibique inhumatus iacebis, 4. Reg. 19. 37. quo fiet ut idola pariter profanata censeantur, atque ut profana vel abiciantur, vel efferantur et confringantur, q. d. *Inde punieris unde sperabas auxilium. Erit sculptile et conflatile sepulcrum tuum, ut inter aras et pulvinaria adorantis idola, sanguis nefarius effundatur*, ait S. Hieronym. Templum ergo iam non erit templum deorum, sed sepulcrum tuum, id est, regis a filiis matati. Sic Lucan. ait lib. 7. *Cælo tegitur qui non habet urnam.* Sic mare est sepulcrum naufragorum. *Quia in hono-*

*ratus es;* quia scilicet ob cælestem in Iudæa exercitus tui stragem, turpemque tuam ex ea fugam, contemptus a tuis civibus et filiis, in templo occideris; ibique instar idoli confracti et proiecti, sanguine et tabe manans, insepultus proieceris, idque in iustam pœnam et vindictam, quia scilicet tu sacrilege inhonorasti, contempsisti, et blasphemasti Deum Israel.

Possit Secundo, sic exponi, q. d. Per Medos et Chaldæos in excidio Ninives excidam, diripiam, et disperdam pariter tua sculptilia, tua idola, in quibus tu o Sennacherib frustra spes collocasti: insuper ibidem ponam sepulcrum tuum, quia tu illa honorans, me inhonorasti. Minus recte S. Cyril. hæc refert ad Iosiam, qui in Iudæa delabra idolorum subvertit, 4. Regum 23. agit enim hic de templo Ninives, non Iudææ. Nota. *Pro qua inhonoratus es, Sept. vertunt, quia veloces;* Chald. *quia hoc perfacile est coram me.* Hebr. enim  $\text{קל}$  kal significat primo, levem; secundo, velocem; tertio, facilem; quarto, vilem et inhonoratum: homines enim leves sunt viles et abiecti.

**ECCE SUPER MONTES PEDES EVANGELIZANTIS.** Ita quoque Syrus vertit, et Arabicus uterque, q. d. Cæso Sennacherib, statim cursores et veredarii idipsum ubique divulgabunt. Unde Ezechias et primores Iudæorum hoc evangelium, id est, lætum nunciunt, per suos cursores et præcones, more gentis suæ, in montibus proclamabunt, ut a populis circumquaque in vallibus habitantibus, quam longissime dato tubæ signo exaudiantur. Clamabunt ergo, dicentque: **CELEBRA IUDA FESTIVITATES TUAS,** antea ob obsidionem intermissas, **ET REDDE VOTA TUA.**) Quæ pollicitus es Deo, eum in Ierusalem obsideris a Sennacherib, ut ab eo te liberaret. Ita S. Hier. Theod. Theophyl. Haymo, et Lyran. Ubi advertit, minus verum videri quod S. Hieron. Haymo et Hugo censent, scilicet, per festivitates intelligi solemne illud pascha institutum, et restitutum ab Ezechias, 2. Paral. 30. 3. et 15. Nam illud diu ante adventum Sennacherib, sub initium regni sui instituit Ezechias, ut patet 2. Paralip. 29. v. 3. Septuag. quos sequitur S. Cyrill. Theoph. et S. August. 18. Civit. 31. ita disponsunt et legunt: *quia veloces ecce super montes pedes evangelizantis et annunciantis pacem;* atque idipsum allegorice referunt ad Apostolos evangelizantes pacem et gratiam Christi; ut alludat Nahum ad Isaia 52. 7. *Quam pulchri super montes pedes evangelizantis et prædicantis pacem?*

Mystice S. Aug. Hæc, ait, *ad novum testamentum pertinent. quorum dies festi ita spiritualiter innovantur, ut in vetustatem transire non possint. Porro per Evangelium exterminata sculptilia et conflabilia, id est, idola deorum furorum, et oblivioni tanquam sepulturæ tradita, iam videmus. Et hanc etiam hac in re prophetiam completam esse cognoscimus.* Et S. Hier. *Si quando, ait, gravissima persecutio fuerit, qualis sub Valeriano, et Decio, et Maximiano (hi enim sunt nostri Assyrii et Sennacheribi) et Domini ultio apparuerit in adversariis eius (uti apparuit in strage Valeriani, Decii et Maximiani) dicamus ad Ecclesiam: Celebra Iuda festivitates tuas, et redde vota tua.* Sic Tropolog. anima fidelis Evangelii assecta, quieta et sancta celebrat sua festa, exultans, et iubilans Deo in laude et gratiarum actione, in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, uti monet Apostolus Ephes. 3. 19.

Unde apte hæc referas ad renovationem spiritus et votorum, quam Religiosi faciunt, ac præsertim Societatis nostræ bis quotannis. Hæc enim est solemnitas ingens, eisque propria: atque in ea redduntur, id est, renovantur et instaurantur, vota, ut, si quid ex voto obedientiæ decerpserit propria voluntas, ex voto paupertatis propria commoditas, ex voto castitatis incauta curiositas, id totum abdicetur, ut vota primævæ integritati et sanctitati restituantur, imo puriora, integriora et ardentiora evadant. Unde fiet quod sequitur: *Non adiiciet ultra, ut pertranseat in te Belial,* ut scilicet vitium cui subiectus fueras, tibi amplius dominetur; sed illud perfecte vincas et mortifices. In his enim tribus perfecta renovatio consistit,



nimirum Primo, ut Iuda, id est, vir religiosus confitens et laudans Deum, celebret suas festiuitates, hoc est feriatu et liber a terra, rebusque mundanis, acetiis se totum Deo addicat et consecret, iuxta illud Isaia 58. 13. *Si auerteris a sabbato pedem tuum, facere uoluntatem tuam in die sancto meo, et uocaueris sabbatum dedicatum, et sanctum Domino gloriosum, etc. tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terrae, et cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Secundo, ut reddamus vota Deo, reddamus inquam, ea prima et integra, taliaque qualia fuere, cum primum ea Deo uouimus. Tertio, ut ultra Belial in nobis non pertranseat: *Belial*, id est, sine iugo, vel *uastum*, est innatus cuique defectus, et uitium principale, a quo caetera oriuntur; v. g. in uno uitium principale est ambitio, in alio gula, in tertio aecidia, in quarto pusillanimitas. Renovatio in eo consistit, ut hoc uitium quisque ita mortificet, ut amplius non dominetur, sed si quando mentem pulset, statim supprimatur et resecetur; ita ut uitium sit in eius potestate et dominio, ut illud ad libitum frænare et regere possit. Qui haec praestat, fit homo nouus, caelestis et diuinus, ac ut ait Nazianz. *in suis actionibus exsplendescit*: quia terrena fastidians, mente in caelo versatur, uivitque in continua Dei laude, amore et iubilo, uitamque agit sanctam, apostolicam, angelicam, seraphicam, adeoque iam praeludium habet uitae beate, eamque orditur et inchoat, breui eandem consummaturus in caelo.

QUIA NON ADICIET ULTRA UT PERTRANSEAT IN TE BELIAL.) *Belial* dicitur quasi בלי עול *beli ol*, id est, sine iugo; hinc *Belial* significat inobedientiam, impietatem, apostasiam: ac Secundo, ipsos inobedientes, impios, apostatas, qui iugum legis, vel fidei, vel professionis excutiant: quorum quia princeps et caput est diabolus, hinc Tertio, *Belial*, significat diabolum. Unde pro *Belial* Tigurina uerlit, *Deo et hominibus infestus*. Hinc in Scriptura homines ualde impii et seclerati uocantur, filii *Belial*. Vide dicta 2. Cor. 6. 15. Hic ergo impium et themachium Sennacherib, cum suo exercitu uocat *Belial*, q. d. Impius

Sennacherib non amplius suis copiis te, o Iudaea et Ierusalem, obsidebit et alliget, quia uniuersus interit, caesus ab angelo. Ita S. Hieron. Hugo, Vatabl. Alii per *Belial* accipiunt Assyrium, id est, Assyrios, ut singulare ponatur pro plurali, q. d. Perit Ninive et imperium Assyriorum: translatum est enim ad Chaldaeos: ita Theod. Remig. et Albert. Porro Septuag. uertunt, *non apponent ultra ut pertranseat in uelustatem. Consumptum est, consummatum est, ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione*, vel, ut S. Chrysost. legit in lib. decem homil. Romae impresso: *Non adiciet ultra uenire ad uelustatem. Consummata sunt, sublata sunt. Ascendit enim e terra insufflans in faciem tuam et eximens e tribulatione.* Quae ita interpretatur, q. d. *Vetera consummata, et sublata sunt: noua facta sunt omnia.* Videntur Septuag. *Belial* derivare a rad. בלה *bala*, id est, inveterascere, consumi; ut *belial*, sive *beli ol*, sit idem quod *ueltas iugi et seruitutis*.

Hoc Anagog. de renouatione Ecclesiae futura in fine mundi, ita explicat S. Hieron. *O Iuda* (o Ecclesia, o fidelis, o sancte et electe) *redde uota tua, quia nequaquam ultra pertransient inimici qui te adducent in uelustatem, hoc est, qui te uolunt imaginem portare ueteris hominis. Quoniam quod uetus est senescit, et quod senescit perditioni proximum est. Completus est mundus, consumptus est aduersarius: uenit tibi Christus, qui prius insufflauerat in faciem tuam, cum te de limo fingeret, et post resurrectionem quoque insufflans in faciem Apostolorum ait: accipite Spiritum sanctum, ipse est qui te liberat de tribulatione. Vastata enim Ninive et transeunte mundo, tribulatio quoque pertransiet.*

Allegor. hic *Belial*, puta Sennacherib hostis populi Dei, est diabolus, peccatum et mors, inquit S. Cyril. et Theoph. quem prostravit et fugauit Christus, cuius ira et furor contra eum graphice describitur hic v. 2. 3. et 6. Quocirca eo fuso et fugato tranquille agit Ecclesia, ac sine timore et periculo celebrat suas festiuitates.

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit uaticinari obsidionem et excidium Ninives per Medos et Chaldaeos, quorum arma, castra, et milites feroces, celeres et terribiles instar fulguris graphice describit. Deinde v. 8. Ninives desolationem, spoliationem, pavorem et consternationem depingit; causamque addit; et inculcat, quod fuerit cubile leonum, id est, tyrannorum et praedonum.*

1. **A**SCENDIT qui dispergat coram te, qui custodiant obsidionem: contemplare uiam, conforta lumbos, robora uirtutem ualde. 2. Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel: quia uastatores dissipauerunt eos, et propagines eorum corruperunt. 3. Clypeus fortium eius ignitus, uiri exercitus in coecineis: igneae habenae currus in die praeparationis eius, et agitadores consopiti sunt. 4. In itineribus conturbati sunt: quadrigae collisae sunt in plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. 5. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: uelociter ascendent muros eius, et praeparabitur umbraculum. 6. Portae fluiuiorum apertae sunt, et templum ad solum dirutum. 7. Et miles captiuis abductus est: et ancillae eius minabantur gementes ut columbae, murmurantes in cordibus suis. 8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquae eius ipsi uero fugerunt: state, state, et non est qui reuertatur. 9. Diripite argentum, diripite aurum: et non est finis diuitiarum ex omnibus uasis desiderabilibus. 10. Dissipata est, et scissa, et dilacerata, et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus: et facies omnium eorum sicut nigredo ollae. 11. Ubi est habitaculum leonum et pascua catulorum leonum, ad quam iuit leo ut ingrederetur illuc calulus leonis, et non est qui exterreat? 12. Leo cepit sufficienter catulis suis, et necauit leaenis suis: et impleuit praeda speluncas suas, et cubile suum rapina. 13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et leuenculos tuos comedet gladius: et exterminabo de terra praedam tuam, et non audietur ultra uox nuntiorum tuorum.

Vers. 1. **A**SCENDIT QUI DISPERGAT CORAM TE, QUI CUSTODIAT OBSIDIONEM.) Syrus et Arabicus, *custodiens custodiam*, id est, agens excubias. Quaes quae primo: de qua obsidione agit hic Nahum, an Hierosolymae, an Ninives? De Hierosolymae agi censent Chald. Theod. Theoph. et Vatabl. qui uertit et applicat sic: *Ascendit*, id est, instar uaporis ascendit in auras, abiit, euanuit et perit *dispersor* vel dissipator, id est, Sennacherib, qui dispersit filios tuos, o Ierusalem, teque obsedit. Videtur enim Nahum prosequi eladem Sennacherib, de qua egit in fine capituli praecedentis.

tis. Unde Septuag. vertunt, *ascendit insufflans in faciem tuam, cruens de tribulatione*, q. d. inquit Theodor. Deus in te, o Ierusalem, obsessam et pene enectam insufflavit spiritum vitæ et salutis, fecitque ut revivisceres, quando exsufflavit et occidit castra Sennacherib, quæ te obsidebant et enecabant: sicut olim formans Adamum insufflavit in eum spiritum vitæ, fecitque cum in animam viventem, ut scilicet esset animal et homo vivens. Favent sequentia, in quibus agit de Israele dicens: *Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel*, q. d. Deus postquam per Sennacherib sat castigavit superbiam Israelis et Judæ, proiecit virgam in ignem, hoc est, ipsum Sennacherib cum suis interemit. Huc pertinet expositio Ariæ, quæ talis est: Ne superbas o Ierusalem, eo quod everseris manus Sennacherib; nam si in scelera recidas, ascendet contra te Nabuchodonosor, qui tuam superbiam puniet, teque obsidebit et vastabit, uti de facto contigit.

Secundo, melius alii passim accipiunt hæc de obsidione et excidio Ninives, tum quia tota prophetia Nahum est *onus Ninive*, ut habet eius titulus, non Hierosolymæ; tum quia expresse de ea se explicans v. 8. ait: *Et Ninive quasi piscina*, etc. ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. Clarius, Ribera, a Castro et alii. Sensus ergo est, q. d. Contra te, o Ninive, *ascendit*, id est, brevi, ascendet hostis, qui *coram te*, id est, in tuis oculis, te spectante et gemente, *dispergat*; hebr. מִפְּחִים *mephits*, id est, confringat, conterat, dissipet, disperdat tuos agros, villas, munitiones, opes, incolas et accolas, *quique custodiat obsidionem*, id est, qui artissime te obsideat, arctet, et observet quasi eustos, ne qua via elaboris, et eius manus evadas, nec desistet, donec te expugnet et capiat. Nam ut sapienter ait Livius l. 5. *Obsidio civis urbis quam cito capere velis, et urgenda et preucnda*. Item: *Cum obstinato hoste obstinate pugnandum*, ait idem l. 10. Hinc Proverbia: *Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis*.

Quæres secundo: quando, et a quo obsessa et capta est Ninive? Primo, Diodorus Siculus lib. 3. Justin. l. 1. Megasthenes, Eusebius, Orosius et alii Chronologi et Historici, passim docent Niniven expugnatam ab Arbae Medo, et Beloso Babylonio, qui Sardanapalum regem Ninives coegerunt ad sui necem, ut scilicet insiliret in pyram n se accensam: hunc enim fuisse ultimum regem vel monarcham Assyriorum, in eoque illam desiisse, ac translata esse ad Medos et Chaldaeos. Porro Eusebius in Chron. S. Hieron. initio comment. in Amos, S. August. l. 18. Civit. c. 21. Orosius et alii passim tradunt, Sardanapalum vixisse tempore Ozia regis Iuda, quo tempore Procas Sylius avus Romuli rex erat Latinorum, regnabatque in Alba. Verum hæc duo non satis consentiunt eum S. Scriptura; nam constat post Oziam sub eius pronepote Ezechia vixisse Salmanasar, Sennacherib, et Asarhaddon, qui erant reges Assyriorum, regnabantque in Ninive, erantque potentissimi: nisi dicas in Sardanapalo eversam esse Niniven, et monarchiam Assyriorum; postea tamen effloruisse Niniven, eique restitutum esse regnum, licet non monarchiam. Nam quod aliqui, volentes Historicis profanos eum S. Scriptura conciliare, respondent cum Eusebio et Megasthene, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon fuisse reges Assyriorum, id est, Babyloniorum, qui ad se monarchiam Assyriorum iam transtulerant, Assyriisque a se devictis dominabantur; hoc, inquam, dici nequit. Nam eodem tempore Babylonibus dominabatur Merodach Baladan, quo Asarhaddon Assyriis, ut patet 4. Reg. 20. v. 12. collato cum cap. 19. v. ult. Ergo illo tempore diversi erant, propriique reges Assyriorum, æque ac Babyloniorum. Ut ut est, de excidio Ninives sub Sardanapalo, si enim ponas eorum Ozia, loqui nequit Nahum, utpote eo longe posterior; illud ergo pertinet ad tempora Ionæ, uti dixi in eius Proemio.

Secundo, Hebræi censent Niniven vastatam esse sub initium regni Manassis, qui Ezechia patri in regno Iuda successit, ideoque Manassen ductum captivum in Babylonem, non in Niniven; eo quod Ninive iam esset eversa, uti ex Suida refert Genebr. lib. 1. Chronol. qui et addit,

A Sardanapalum per erasin, eundem esse et nomine, et persona cum Asarhaddon. Asarhaddon enim regnavit sub tempora Manassis, videturque fuisse ultimus rex Assyriorum: nam post eum nemo alius in scriptura nominatur. Cumque profani Historici asserant ultimum regem Assyriorum fuisse Sardanapalum, videtur quod hic non fuerit alius, quam Asarhaddon, qui vixit sub Manasse; ac consequenter tum desiisse imperium Assyriorum, et Niniven esse eversam. Verum huic sententiæ refragantur Eusebius, S. Hieron. S. August. et alii Græci ac Latini passim, qui docent Sardanapalum diu ante Manassen vixisse sub Ozia rege Iuda, uti iam dixi.

Tertio, S. Cyril. et Theophyl. censent Niniven eversam esse a Cyro et Persis. Sed hi videntur confundere Assyrios esse a Cyro et Persis. Sed hi videntur confundere Assyrios cum Babylonibus, et Niniven eum Babylone: Babylonem enim evertit Cyrus, non Niniven. Sic Historici sæpe sub Assyriis comprehendunt Babylonios, et vice versa, ut eum numerant quatuor celebres veterum monarchias, Assyriorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum, sub Assyriis comprehendunt Babylonios.

Dico ergo Niniven captam et eversam esse a Medis et Chaldaeis, puta a Cyaxare rege Medorum, et a Nabuchodonosore rege Babyloniorum. Cyaxares hic fuit filius Phraortis et pater Astyagis; Astyages autem fuit avus maternus Cyri. Probatur hæc sententia Primo, quia id diserte asserunt Sept. Tobia 14. v. ult. Tobias enim senior moriens ibidem v. 5. monet filium Tobiam iuniorem, ut secedat ex Ninive, eo quod ob scelera sua illi immineat excidium intentatum a Iona. Addunt Septuag. in fine capituli, Tobiam iuniorem ante mortem audisse hoc excidium, dicuntque: *Et mortuus est (Tobias junior) annorum centum viginti septem in Ecbatanis Mediæ. Et audivit priusquam ipse moreretur, perditionem Ninive, quam captivaverunt Nabuchodonosor et Assuerus*, vel, ut Romana legitur *Assyeros*, id est, Cyaxares. Nomen enim Cyaxares vel Kyaxares, conflatum est ex prænomine *Ky*, id est, princeps; et *Azares*, qui idem est cum Hebræo et Chaldæo Achasueros, id est, Assuerns, uti docet Scaliger de Emendat. temp. in Assuero, et Serarius in Tobia c. 14. q. 4. in utroque enim nomine sunt eadem litteræ consonantes, quas solas attendunt Hebræi et Chaldæi, etiamsi puncta sive vocales varientur. Secundo, quia communis sententia Chronologorum et Historicorum est, Nabuchodonosorem fuisse conditorem monarchiæ Babyloniorum, eamque ab Assyriis et Ninive in Babylonem transtulisse; hoc autem facere non potuit, nisi capta et vastata Ninive, imperium ei adimeret. Tertio, Herodot. l. 1. diserte docet Niniven eversam esse a Cyaxare. Cum enim narrasset Phraortem oppugnasse Niniven, sed frustra; ibi enim eum copis interuisse, subdit, Cyaxarem Phraortis filium, ut patris necem ulcisceretur, Niniven obsedis; sed cum interim Scythæ Mediam invasissent, Asiæque imperium occupassent (quod tenuerunt per 28. annos) Cyaxarem obsidionem solvisse, ac cum Scythis bella gessisse, donec post 28. annos eos superavit, et expulit; quo facto Niniven rursus aggressus, expugnavit. Idem docet Euseb. in Chronico, et S. Hieron. hic, et præfat. in Iouam: *Et revera, ait, quantum ad historias tam Hebræas, quam Græcas pertinet, et maxime Herodotum, legimus Niniven regnante apud Hebræos Iosia, et Astyage (regnante eum patre Cyaxare) rege Medorum, fuisse subversam*. Porro Cyaxares expugnavit Niniven adiutus a genero suo Nabuchodonosore; hæc enim de causa ei filium suam despondit, nomine Nitoerin. Hæc est illa Nitoeris famosa, quæ in Babylone euravit fieri hortos pensiles, qui orbis fuerunt miraculum, de quibus Curtius l. 5. et Ioseph. l. 10. Antiq. 13. Eiusdem opera heroica celebrat Herod. l. 1. ubi et addit, illam sibi sepulcrum extruxisse, eique hæc inscripsisse: *Si cui regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulcro tollat quantumcumque liberit, pecuniæ dumtaxat indigens, aliter ne aperiat*. Aperuit illud Darius; sed pro pecuniis hanc sententiam reperit: *Nisi pecunia esses inexplebilis, et turpis lueri cupidus, haud aperuisses urnas defunctorum*. Denique hæc est sententia

Refellit.

III. Refellit.

IV. Et vera.

Probatur.

Cyaxares quis?

Quando, et a quo excisa Ninive. I. Sentent.

Refellit.

II.

Horti pensiles Nitocris.

Hebræorum in Seder olam, Theod. Rupert. Lyran, Ribera, a Castro, Adrichomii in chronol. anno mundi 3237. Serarii in c. 14. Tobiae, et aliorum.

Quæres tertio: quando Cyaxares et Nabuchodonosor expugnarint Niniven, an ante, an post excidium Hierosolymæ, quod illi intulit Nabuchodonosor anno 18. regni sui, qui fuit annus Sedeciae regis Iuda undecimus et ultimus. Aliqui censent Niniven expugnatam esse ante Ierusalem. Ita Euseb. in Chronico dicit expugnatam Niniven inchoante anno 28. Iosiae, et complete anno 4. Ioakim filii Iosiae. Eusebium sequitur Beda I. de sex ætatibus mundi, ubi tradit Script. numerare annos Nabuchodonosoris ab anno 4. Ioakim, quia ex eo ipse non solum Chaldæis et Iudæis, sed etiam Assiriis et Ægyptiis cepit dominari. Accedit Christ. a Castro, qui censet Niniven expugnatam anno 1. Nabuchodonosoris.

Rursum moderni quidam Chronologi manuscripti, censent Cyaxarem anno regni sui 35. qui Iosiae regis Iuda, inquit, fuit 13. et Nabuchodonosoris senioris primus, expugnasse Niniven. Hic Nabuchodonosor senior a Beroso, Eusebio, Iosepho Scaligero, Cardin. Bellarmino et aliis vocatur Nabonassar, vel Nabopolassar, qui regnavit 21. annis, fuitque pater Nabuchodonosoris iunioris, qui evertit Ierusalem, aliasque gentes: unde a rerum gestarum gloria cognominatus est Magnus, de quo passim loquitur Scriptura in lib. 5. Reg. c. 24. et 25. et in Ieremia, Ezechiele, Daniele, aliisque Prophetis. Ab huius ergo patre, æque ac a Cyaxare dicunt hi eversam esse Niniven. Probant id Primo, quia Herodotus indicat Cyaxarem fuisse coævum Psammiticho regi Ægypti, qui fuit proavus Apries, sive Ephree. Nam Psammiticho, qui 54. annis regnavit, successit filius Nechao, qui Iosiam regem Iuda occidit: Nechaoni successit filius Psammis, qui fuit pater Pharaonis Apries, sive Ephree, uti narrant Herod. et Diodorus Siculus. Ephree autem regno spoliatus fuit a Nabuchodonosore iuniore, uti docet Ierem. c. 44. v. 30. Ergo Cyaxares expugnans Niniven, non videtur fuisse coævus Nabuchodonosori iuniori, utpote quem aliquot generationibus antecessit; sed seniori. Secundo, quia Eusebius et S. Hieron. paulo ante citati docent, Niniven eversam a Cyaxare, vel Astyage sub Iosia rege Iuda: ergo ante excidium Ierusalem: hoc enim contigit sub Sedecia filio Iosiae. Tertio, quia Sept. iam citati docent Tobiam iuniorem ante mortem audisse excidium Niive: hic autem Tobias puer, scilicet sex vel septem circiter annorum, cum patre in excidio Samariæ et regni Israel abductus fuit a Salmanasar in Assyriam, anno 6. Ezechiae regis Iuda, atque in Media mortuus est anno ætatis 99. ut habent Latina Biblia, Tob. 14. 16. Deme septem pueritiæ eius annos, qui eius abductionem et annum 6. Ezechiae præcesserunt, ab eoque computa sequentes annos usque ad 13. Iosiae, invenies 99. ita ut Tobias hic videatur mortuus anno 13. Iosiae iam dicto. Quarto, Ioseph. l. 9. Antiqu. c. 11. docet Nahum prophetasse sub Ioathan patre Achaz, additque: *Evererunt autem omnia quæ de Ninive prædicta erant post centum quindecim annos.* Atqui annus 13. Iosiae est 115. ab anno ultimo Ioathan: ergo hoc anno 13. Iosiae videtur eversa Ninive. Atque hæc videtur fuisse virga vigilans omnium gentium dorso imminens, quam anno 13. Iosiae vidit Ieremias c. 1. 2. scilicet virga hæc fuit Nabuchodonosor senior, qui anno 13. Iosiae evertit Niniven, cepitque in alias gentes grassari.

Verum obstat huic sententiæ, Primo, quod hi auctores in suo synchronismo, sive combinatione temporum, cogantur 70. annos captivitatis Babylonicæ ordiri ab anno 13. Iosiae: in hunc enim dicunt incidisse annum 35. Cyaxaris, quo ipse Niniven evertit, qui deinde adhuc regnavit quinque annis (universim enim regnavit annis 40) successit ei filius Astyages per annos 38. Astiagi successit nepos Cyrus, ut patet Daniel. 13. v. 65. Cyrus autem sensim crescens viribus et victoriis, tandem anno 27. regni sui aggressus Babylonem eam cepit, factusque est monarcha, ac tum solvit Iudæos in Babylone captivos. Adde annos 5. Cyaxaris, 38. Astyagis. 27. Cyri; habebis an-

nos 70. captivitatis: illi enim finiuntur anno 27. Cyri. Unde necessario sequitur annos 70. captivitatis Babylonicæ inchoandos esse ab anno 13. Iosiae, qui, ut ipsi aiunt, fuit 35. Cyaxaris. Hoc autem passim refutant Chronologi, qui multo tardius hos 70. annos inchoant, et a 13. Iosiae, usque ad 27. Cyri longe plures quam 70. numerant. Adde, sub Iosia fuisse felicem Hierosolymam; eius vero captivitates cepisse sub Ioakim et Sedecia filiis Iosiae. Secundo, Euseb. in Chronico, et alii dicunt Cyaxarem cepisse regnare anno 15. Iosiae; non ergo potuit evertere Niniven anno 13. Iosiae; utpote cum nondum esset rex. Tertio, quia Nahum cap. 3. v. 7. et 8. significat Niniven evertendam post eversionem Alexandriae: Alexandria autem eversa est post Ierusalem. Nam ut docet Ioseph. 10. Antiqu. 11. et Ezechiel c. 29. 17. Nabuchodonosor iunior post vastatam Ierusalem, anno quinto invasit et occupavit Ægyptum, cuius metropolis est Alexandria. Quarto, favet Ieremias, qui c. 25. 26. inter gentes et reges superandos a Nabuchodonosore iuniore, nominat reges Aquilonis: inter hos enim vicinissimus ipsi et Babyloni erat rex Ninives et Assyriorum. Unde Iudith 16. 5. dicitur: *Venit Assur ex montibus ab Aquilone.* Rursum Ierem. c. 50. 18. *Eccc, ait, visitabo regem Babylonis, et terram eius, sicut visitavi regem Assur;* significans non diu post Niniven pari modo evertendam Babylonem, scilicet post 54. annos: tot enim sunt ab anno 24. Nabuchodonosoris iunioris, sive Magni, quo ipse Niniven evertit, usque ad 27. Cyri, quo ipse cepit Babylonem, eaque eversa fecit se monarcham.

Videtur ergo quod Nabuchodonosor Magnus sensim crescens armis et victoriis, exiit Ierusalem, tandem anno regni sui 23. invaserit Ægyptum: qua occupata, anno 24. ausus est tentare arcem monarchiæ, puta Niniven, adiutus a Cyaxare, eaque capta monarchiam ex Niive transtulit Babylonem, seque eius primum fecit monarcham. Unde ab hoc anno, utpote primo monarchiæ, annos eius numerat Daniel c. 2. v. 1. ut ibi dixi. Ita censet Ribera, Serarius in Tobiae 14. quæst. 4. et Tornicellus anno mundi 3452. qui et addit, Niniven sæpius captam esse. Nam ipsa rebellans identidem Chaldæis, utpote iugi impatiens, quæ cæteris dominari assucta erat, primo capta est ab Arbace Medo, cum ei rex esset Sardanapalus, paulo post prædicationem Ionæ ante tempora Nahum. Secundo capta est sub Asarhaddon filio Sennaacherib a Merodach Baladan, rege Babylonis. Unde post Asarhaddon in Scriptura nulli amplius nominantur reges Assyriorum, sed Babyloniolorum dumtaxat. Hinc Asarhaddon devictum esse a Merodach Baladan, sub annum 27. Ezechiae regis Iuda, censent Ioseph. lib. 10. Antiqu. c. 3. Bellarm. Genebrar. et Tornicellus in Chron. anno mundi 3335. qui et anno mundi 3384. seriem regum Babylonis illius ævi ita recenset. Nabonassar regnavit annis 26. deinde Merodach Baladan annis 52. post hunc Ben Merodach annis 24. mox Nabolassar (sive Nabuchodonosor senior) annis 21. denique Nabuchodonosor iunior annis 44. Tertio, capta et subacta est plene et plane Ninive a Cyaxare, et Nabuchodonosore iuniore anno regni eius 24. Denique post reditum Iudæorum e captivitate Babylonica, tempore Xerxis, ut vult Ribera; vel Artaxerxis, ut alii, alius in Ninive regnavit Nabuchodonosor, qui in Iudæam misit Holofernem, quem occidit Iudith, c. 1. 5. Vide ut Deus premat urbes superbas et superbos, idque toties quoties cervices et cornua erigunt.

Ad primum argumentum prioris sententiæ respondeo, Cyaxarem incipientem regnare in fine regni Psammitichi, potuisse facile pertingere ad tempora Ephree, qui Psammitichi fuit pronepos: Cyaxares enim regnavit annis 40. Certum vero est eum fuisse coævum Nabuchodonosori iuniori; hic enim cepit regnare anno 3. Ioakim filii Iosiae, Daniel. 1. 1. Cyaxares autem regnare cepit anno 15. Iosiae, qui 31. annis regnavit. Unde sequitur, Cyaxarem 18. annis tantum regnasse ante Nabuchodonosorem, et eum eo regnasse annis 22. universim enim regnavit annis 40.

An ante, an post Ierusalem exiit sit Ninive.

Ante, censet Euseb. et alii.

Alii addunt a Nabuchodonosore se.

Probant.

1.

2.

3.

4.

Refelluntur.

1.

2.

3.

4.

Resp. Niniven exiit post Ierusalem a Nabuchodonosore.

Ad primum aliorum responsio.

Ad secundum

Ad secundum, respondeo Euseb. et S. Hieron. confuse loqui de tempore excidii Ninives, illudque sub Iosia consignare: quia Cyaxares cepit obsidere Niniven sub Iosia; sed inadvertentibus Mediam Scythis, obsidionem intermisit per 28. annos, uti paulo ante dixi: post quos cum Nabuchodonosore iuniore obsidionem resumens et instaurans, Niniven cepit, et vastavit anno iam dicto. Hinc S. Hier. ait, eam vastatam sub Astyage, quando nimirum Cyaxares senescens Astyagem filium regni consortem, imo moderatorem effecerat: quod utique non fuit sub Iosia, sed diu post.

Hinc rursum Eusebius non satis sibi constat. Nam initium regni Cyaxaris consignat anno 15. Iosiae, expugnationem vero Ninives anno 28. Iosiae, et rursum quarto Iokim. Unde sequitur, eum expugnasse Niniven anno regni sui 13. vel certe 20. eum ex adverso ex Herodoto constet 28. annos ut minimum elapsos, inter initium regni eius, et obsidionem Ninives, usque ad eius expugnationem.

Ad tertium.

Ad tertium resp. Sept. dare Tobiae iuniori non tantum annos 99. ut habent Latina Biblia, sed 127. quos si numeres, pertinges ad annum excidii Ninives a me paulo ante designatum. Adde aliquos, ut Serarium, hos 99. annos computare a morte patris; quibus adde annos 63. quibus eum patre in captivitate vixit, ac facito eum fuisse duorum tantum annorum, cum in captivitatem venit; conficies eum universim vixisse 164. annos, ita ut pertigerit ad annum 24. Nabuchodonosor, quo eversa est Ninive.

Ad quartum.

Ad quartum respondetur, Iosephum dicere hanc prophetiam Nahum impletam post 115. annos, quia tunc cepit impleri; tunc enim cepit Cyaxares obsidere Niniven: perfecte autem completa est post 28. annos Cyaxaris, uti iam ostendi. Adde, Iosephum errare, dum dicit Nahum cepisse prophetare sub Iothan: cepit enim sub eius nepote Ezechia, uti dixi in prooemio.

Synchronismus.

Denique facilis erit synchronismus illorum temporum, si Cyaxari, cui Eusebius dat tantum 32. annos regni, addas decem ex annis Astyagis filii eius, qui patre sene regnum administrabat, eaque de causa hi anni dantur ab Historicis Astyagi, non Cyaxari; ideoque S. Hier. praefatione in Ionam ait, Niniven expugnatam ab Astyage, non a Cyaxare: nam additis Cyaxaris 10. annis, annus 42. Cyaxaris incidet in annum 24. Nabuchodonosoris iunioris, sive magni, quo ipse vastata Aegypto, cum copiis Cyaxaris expugnavit Niniven. Successit deinde Cyaxari filius Astyages, qui solus regnavit 28. annis, ac deinde Cyrus, qui 27. anno regni sui solvit captivitatem Babylonicam, quae iam 70. annis duraverat: hos enim 70. annos invenies, si eos inchoes ab anno 11. et ultimo Iokim, qui fuit Cyaxaris 27. adde enim reliquos Cyaxaris annos 15. Astyagis 28. Cyri 27. habebis annos 70. quos quaerimus. Ex dictis sequitur imperium Ninives et Assyriorum stetit annis 1440. tot enim fluxerunt ab anno primo Nini conditoris Niniaves, qui 43. annis praecessit nativitatem Abraham (nam anno 43. Nini natus est Abraham, ait Euseb. in Chron. usque ad annum 24. Nabuchodonosoris, quo eversa est Ninive: ita Ribera. Haec de chronologia adeo vetusta, ideoque incerta et obscura, dicta sufficiant.

Monarchia Assyriorum stetit annis 1440.

CONTEMPLARE (o Ninive) VIAM.) Qua adventant Medi et Chaldaei magnis agminibus, ut te obsideant et perdant. Ita enim solent cives obsidendi curiose et anxie intueri vias, per quas adventant castra hostium, urbem obsessura. Via ergo ponitur pro viatoribus, puta hostibus, metonymice.

CONFORTA LUMBOS.) q. d. Quidquid habes virium collige, ut hostibus resistas. Vires enim hominis magna ex parte site sunt in lumbis; unde infirmi vocantur clumbes: et cum hominem vel animal debilitare volumus, lumbos illi infringimus: ita Plautus in Amphitr. Si me, inquit, irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes, q. d. Si me irrites, infringam tibi lumbos. Ex adverso de muliere forti ait Sapiens Proverb. 31. 17. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Porro con-

fortantur lumbi, si manu, cingulo, similive vinculo stringantur. Unde Sept. vertunt, *tene lumbos, viriliter age.*

ROBORA VIRTUTEM VALDE ) *Virtutem*, id est, vires. Hebr. *fortifica robur valde*; Septuag. *roborare vehementer*; Chald. *corroborare vires valde*; Tigrurina, *omnibus modis instrue copias*: haec enim sunt vires urbium, puta civium et militum copia.

Tropolog. S. Hieron. *Tria*, ait, *praecipiantur Iudae, id est, Ecclesiae, et animae fideli: Primum, ut contempletur viam, et iter per quod ambulaturus est, diligenter aspiciat, iuxta illud Ierem. 6. State in iis, et interrogate semitas aeternas, et videte quae sit via bona, et ambulate in ea, ut, cum steterimus in viis multis, veniamus ad eam viam quae dicit: Ego sum via. Deinde dicitur ei ut teneat lumbum, id est, ut post electionem vitae, mortificet corpus suum et serrituli subiiciat, ne quasi rex et magister aliis praedicans, ipse reprobus inveniatur, quod virtus diaboli vel maxime sit in lumbis, Job 40. 11. et quod Ioannes Zona pellicea cingitur, Matth. 3. et quod a Salvatore discipulis imperatur: Sint lumbi vestri praecincti, Luc. 12. et Apostolus Ephes. 6. State ergo succincti lumbos vestros in veritate; licet enim plurimum praestet, et vitae continentia super mortificatione lumborum, tamen nihil eos ita mortificat, ut cognitio veritatis. Unde dicitur; Accingite lumbos vestros in veritate. Si enim veritas est Christus, qui tota in Christo mente credidit, lumbos suos mortificavit in Christo. Tertio praecipitur: Confortare virtute nimis. Egesti, inquit, viam, tenuisti lumbum; assume virtutem, ut possis pugnare cum hostibus. Et ne forte diffidas, datur tibi causa cur speres. Avertit, inquit, Dominus contumeliam Iacob, quam scilicet solebat Iacob aliis facere. Non enim tantae virtutis est, ab aliis factam iniuriam sustinere, quantae gratiae Domini est placidum, mitem atque tranquillum iniuriam facere non posse. Israel ergo, id est, sensus vel vir videns Deum, et semper de Deo cogitans, favore nescit iniuriam.*

QUIA REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM IACOB SICUT SUPERBIAM ISRAEL.) Pro *superbiam* hebr. est גְּאוּנָה *gheon*, quod et *superbiam*, et magnificentiam gloriamque significat. Unde Chald. Vatabl. et Arias vertunt, *revocabit magnificentiam Iacob, iuxta maiestatem Israel*, id est, iuxta pristinam dignitatem, q. d. Restituet Dominus per Cyrum Israeli pristinam maiestatem et gloriam, quam obscuraverat Assyrus et Babylonius spoliando Iudaeos omnibus bonis, eosque captivos duceudo in Babylonem. Iacob enim et Israel videtur accipi pro eodem, scilicet pro Iudaeis. Sic Isaia c. 60. v. 15. ait: *Ponam te in superbiam*, id est magnificentiam et gloriam, *saeculorum*. Et c. 61. 6. *In gloria eorum superbietis*, id est, gloriabimini. Sic et Virgil. 1. Aeneid.

Hinc *populum late regem, belloque superbum, Venturum excidium Libyae.*  
Et lib. 3.  
*Barbarico vectes auro spoliisque superbi.*  
id est, magnifici. Unde Syrus vertit, *quia restituit* (reducit: vox enim Syra proprie dicitur de re quae in captivitatem, praedam vel perditionem redacta, pristino statui restituitur) *honorem*, vel *gloriam Iacobi, sicut honorem vel gloriam Israelis*. Sic et Arabiens Antioch. Verum melius alii passim *superbiam* hic proprie accipiunt, idque duplici sensu. Prior est, ut *superbia Iacob et Israel* capiat passive, pro ea quam ab Assyriis passus est Iacob et Israel. Sic Deus vocatur noster amor, timor, spes, patientia, passive et obiective, scilicet qui a nobis amatur, timetur, speratur, propter quem patimur, q. d. Obsideberis et vastaberis, o Ninive, quia Deus ulcisci destinat superbiam, quam rex tuus Sennacherib, tuique Assyrii exercuerunt in Iacob, id est, in Iudaeos, insultando illis per Rabsacen; aequae ac superbiam, quam iidem exercuerunt in Israel, id est, in Samariam et decem tribus, vastando illas per Salmanasar: ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. imo et Septuag. vertunt enim, *avertit Dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israel.*

Posterior est, ut *superbia Iacob et Israel* proprie et a-

etive capiatur, pro fastu Iudæorum et Israelitarum, quo tumentes et turgidi sibi vivere voluerunt. Deo subesse et obsequi noluerunt, q. d. Reddam in caput Ninives, puniamque et excindam eius superbiam; quia reddidi, id est, reddam et puniam, superbiam Iacob, id est, Hierosolymæ et Iudæorum, excindendo eos per Nabuchodonosor et Chaldaeos, sicut reddidi, punivi et excidi Israelem sive decem tribus per Salmanasar et Assyrios. Si enim non parco populo meo fidei, multo minus paream hostibus meis, puta infidelibus Assyriis; sed sicut illius superbas cervices per Chaldaeos contudi, ita et horum contundam; præsertim quia ipsi huic populo meo iniurii fuerunt, atque ad hoc tantum ipsos, ipsorumque iniurias ad tempus permisi et toleravi, ut per eas castigarem populum meum: at nunc eo satis superque castigato, Assyriis castigantibus ultra non indigeo; castigabo ergo et ipsos, ac virgam, ut vulgo dicitur, in ignem conieciam: ita Clarius et Arias. Hunc esse sensum probatur Primo, quia iuxta eum proprie accipitur superbia Iacobi et Israelis. Secundo, quia cum exigunt sequentia, Quia vastatores, B

puta Chaldaei, dissipaverunt eos. Chaldaeorum enim mos clypeos, arma, vires, ardorem, vim et impetum fusc describit a v. 3. usque ad 8. Unde Arabicus Alexandr. vertit, quia Dominus contempsit Iacob secundum contemptum Israel. QUIA VASTATORES DISSIPAVERUNT EOS.) Primo, S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. Arias et Vatabl. per vastatores intelligunt Assyrios, q. d. Assyrii vastarunt et dissiparunt Israelem, id est, Samariam et decem tribus per regem suum Salmanasar; et Iacob, id est, Ierusalem et Iudam, per Sennacherib. Secundo, et melius, per vastatores cum Theodor. et Theophyl. accipias Chaldaeos, qui uti Hierosolymam et Iudæos, ita pariter Niniven et Assyrios vastarunt et spoliarunt. In Hebræo est pulchra paronomasia: כי בקקום בוקקים chi bekakum, bokekim, id est, quia evacuaverunt eos evacuantes bonis, ut vertit Pagnin. et Tigurina, direptores diriperunt eos; et ut Vatablus, spoliatores spoliaverunt eos. Sequitur:

ET PROPAGINES EORUM CORRUPERUNT.) q. d. Sicut apri, vel hostes vastantes vineam, singulas vites, earumque propagines evellunt, disiciunt et corrumpunt; ita Chaldaei vastantes Niniven, æque ac Hierosolymam, singulas eius familias, imo singulos eius cives et incolas disperdent et corrumpent, vel occidendo eos, vel in captivitatem abducendo. Nota. Propagines urbium, v. g. Ninives, Primo, accipi possunt suburbia, pagi et oppida, quæ a metropoli derivantur et dependunt, eamque ornant, sicut propagines, sive palmites vitem: ita Chald. et Arias. Secundo tribus et familiae: ita Albert. et Hugo. Tertio, filii et nepotes. Quarto messes et opes, quas de anno in annum accumulabant Israelitæ: Assyrii enim singulis pene annis invadebant terram Israel, eamque suis bonis quæ accumularat, spoliabant. Has vocat propagines corruptas, inquit Vatabl. Verum iam dixi, hæc de Chaldaeis Niniven, æque ac Ierusalem expilantibus, non de Assyriis, accipienda esse. Ninivitarum ergo, æque ac Iudæorum messes et opes, vocat eorum propagines, quas identidem invasit et carpsit Nabuchodonosor. Unde de eo subdit:

CLYPEUS FORTIUM EIUS IGNITUS.) De Chaldaeis nunc loquitur in plurali, dicens: Vastatores dissipaverunt eos; nunc in singulari, dicens: Clypeus, id est, clypei: quia exercitus est unus collective, sed multus distributive; multos enim continet milites, sicut cives multi faciunt unam civitatem, et multæ familiae unum populum, ac multæ gentes unum regnum et imperium. Respicit ad initium capitis: Ascendit qui dispergat coram te. Ascendit, scilicet Nabuchodonosor, eiusque exercitus. Unde de eo, utpote singulari, singulariter hic ait: Clypeus fortium eius ignitus, q. d. Chaldaei et Medi vastatores tui, o Ninive, clypeos habent ex auro vel aurichalco, qui Solis repercussu rubei et igniti videntur, ideoque terribiles sunt et formidabiles, iuxta illud Virgiliti Æneid. 10.

Terribilem cristis galcam, flammisque vomentem.  
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma

Funditur, et castos umbo vomit aureus ignes. Hebr. enim est, clypeus fortium eius מַדְמָם meodam, id est, rubeus, ut vertit Chald. vel, ut Pagnin. rubefactus; Tigurina, parma heronum illius rubet instar ignis vel fulguris; Syrus, clypei gigantum (fortium) eorum rubescunt, et viri gigantes (fortes) tutant tam patibulis ignis (ignitis) et in curribus in die qua preparantur; Arabicus, clypei gigantum eorum rubescunt emicant, et viri gigantes contristant ignem; Sept. aliis punctis legentes מַדְמָם meodam, id est ex homine, vertunt arma potentie eius ex hominibus, nimirum quia viri exercitus in coccineis, ut sequitur. Graphice Propheta hic depingit clypeos, arma, robur, animos et impetus Chaldaeorum, ut iis percellat Niniven et Assyrios. Primo ergo primam eorum aciem clypeis instructam hic depingit, q. d. Primpili Chaldaeorum clypeis et parmis aureis instructi castra præibunt, ut iis omnia hostium tela et iacula excipiant: nobiles ergo erunt et generosi. Quocirca genere et strenue te, o Ninive, oppugnabunt: non fugient ut plebei et gregarii milites; hoc enim aestimabunt sibi esse dedecus: sed male occumbere quam fugere, ut suum decus et gloriam tueantur. Ita Hispani hoc bellicum celebrant axioma; Capitaneus, qui venatur famam et gloriam, oportet ut parvi faciat vitam. Inde Secundo, secundam aciem describit dicens:

VIRI EXERCITUS IN COCCINEIS.) q. d. Milites Chaldaeorum erunt nobiles, ideoque vestientur chlamidibus coccineis: coccus enim erat nobilium, imo regum vestis, uti dixi Thren. 4. 5. ad illud, Qui nutriebantur in croceis, hebr. in coccineis. Unde Tigurina vertit, viri militares purpurati sunt; Pagnin. viri exercitus induti vestibus vermiculatis. Color hic coccineus, utpote sanguineus, repræsentat Chaldaeorum feritatem, quod sanguinolenti sint futuri, multumque in Ninive sanguinem fusuri: ita Remig. Albertus et Arias. Quocirca S. Ioannes magnum illum et horribilem exercitum, qui in fine mundi occidet tertiam partem hominum, vidit habentem loricas igneas, C

Chyacinthinas et sulphureas, Apocal. 9. 17. Ita Romani conflicturi cum hoste, signum prelii exponebant, in prætorio, tunica russam, sive coccineam, quin et eadem inducebantur milites, indeque russati dicebantur, uti ex Plutareho in Fabio et in Bruto, item ex Isidoro docet Lipsius l. 4. de Militia Romana, c. 12. Idem fecere subinde Græci. Nam Plutareh. agens de pugna Antiochi cum Cleomene: Quiescere, inquit, quosdam iussit, donec a rege sublata esset punicea vestis super sarissam extensa. Et Homerus Iliade 9. agens de Agamemnone suos ad pugnam vocante: Purpuream endo manu valida tollens sibi vestem. Quocirca et milites in galeis cristas gestabant rubras, sive puniceas, appositas utique sanguineo Marti. Hinc Virgil. Æneid. 9. Cristaque legit galca aurea rubra. Et iterum: Purpurei cristis iuvenes. Diodorus lib. 6. idem Hispanos factitasse docet: Circum capita, inquit, galeas verreas ponunt, puniceis ornatas cristis. De Cyri exercitu Xenophon lib. 6. Pædiæ Cyri: Universus, ait, exercitus ære fulgurabat, puniceoque florebat ornatu. Causam dat noster Martin. de Roa l. 1. Singul. c. 2. ut scilicet sanguis, si quis ex impresso vulnere esset expressus, absorberetur a cocco: tum illi confidentius, et sine pavore dimicarent. Hoc verius in sanguine Christi, qui nostra est purpura et coccinea vestis, ait S. Ambros. in psal. 118. serm. 17. Hic enim animas tingit, ex iisque quasi ebiliat sanguinem peccatorum. Lavit enim nos a peccatis nostris in sanguine suo. Rursum hic nos accendit ad acriter præliandum cum dæmone, carne et mundo. Nil enim ita acuit animos in hostem, quam acceptæ iniuriæ species oculis obiecta. Hæc enim dolorem oculis affert, animo iracundiam: quæ due in bello faces. Addit secundam c. 3. scilicet Gentiles credidisse, quod coccinea vestis tutos præstaret in præliis et periculis. Unde et olim pueris Christianis funiculus coccineus ex collo suspendebatur, ad avertendum fascino, et quævis discrimina, uti recenset et redarguit S. Chrysost. hom. 12. in c. 4. ep. 1. ad Cor. Ægyptii quoque quot annis omnes arbores, pe-

Milites olim vestiebantur coccineis, cur?

cora, et alia multa rubrica illinebant adversus incendium, A et alia incommoda, teste Epiphanio hæres. 18. quam superstitionem videntur hausisse ex eo, quod filii Israel servati sint ab angelo percudente, illiucendo postes sanguine agni paschalis, Exodi 12. Tertiam dat lib. 4. c. 7. quod coccineus color, sive purpureus, ad ignem accedat, igneique animi sit index et stimulus: unde purpureum cum dieis, purum urentem, puta ignem, dicere videris. Purpureum igitur et rosæ colorem præferat, et ignis splendorem. Unde ignis a Poetis vocatur purpureus, et purpura ignea Symbolicam dat ibidem cap. 8. quod qui in pugnam descendunt, pro anima dimicent, quæ consistit in sanguine, quem repræsentat coccus sive purpura. Unde Virgil. 11. Æneid.

*Purpuream vomit ille animam.*

Hic ergo color maxime animos facit, in hostesque commovet, quos scimus cruorem expetere, aut etiam effudisse.

Tropolog. coccinei milites Christi sunt Martyres, qui sanguine suo purpurantur, eumque sanguini Christi libentes, imo gaudentes rependunt: qua de causa Cardinales purpura vestiuntur, ut ostendant se paratos pro Christo et ecclesia sanguinem fundere, uti dixi Ezech. 16. 10. Coccinei quoque sunt fideles charitate flagrantes, iuxta illud de sponsa Cant. 4. 3. *Sicut villa coccinea labia tua, scilicet ut sermo semper charitate ardeat, passione agni et sponsi rubeat, qui semper debet esse in corde, semper in ore, candidus et rubicundus, dulcis Iesus,* ait S. Bernard. de passione Domini c. 31. Tertio, igneos eorum currus ita describit:

**IGNEÆ HABENÆ CURRUS IN DIE PRÆPARATIONIS EIUS.)**

*Ignææ*, id est, aureæ, quæ radiante sole, fulgidæ et ignitæ videbuntur, uti ante de clypeis dixi. *Iam in ardentibus loris et habenis,* ait S. Hieron. *velocitatem præparantium significat, et quasi פרי מלחמה præparantium se ad prælium pompa narratur.*

Nota Chaldæi, æque ac Romani olim nobiles et milites, toti erant in armis; ac si equites essent, in frænis et equis adornandis. Audi Iuvenal. Satyr. 11.

*Argenti quod erat solis fulgebat in armis.*

*Magnorum artificum frangebat pocula miles,*

*Ut phaleris gauderet equus.*

Et Virgil. Æneid. 4. de Æneæ:

*Atque illi stellatus iaspide fulva*

*Ensis erat.*

Et lib. 7. de equis quos Latinus rex Æneæ donavit:

*Teucri iubet ordine duci*

*Instratos ostro alipedes, pietisque tapetis.*

*Aurea pectoribus demissa monilia pendent,*

*Teeti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.*

Pro habenæ, ut vertit Noster et Sept. hebr. est פלדות *pelladot*, quod per metalthesin positum pro לפידות *lappidot*, id est, lampades, tedæ, faces accipiunt. Chald. Tigurina, Vatabl. Pagnin. et Rabbin: unde vertunt *currus expeditionis eius tempore erant velut ignis lampadarum*, vel facum, q. d. Currus falcati ipsius Nabuchodonosoris venientis oppugnatum Ierusalem, videbuntur quasi ignei, vel circumdati igne, qui excitabitur ferro rotarum celerime agitarum, alliso ad saxa et silices. Hac phrasi indicat violentiam et velocitatem, rapidumque cursum, et quasi volatum curruum. Addunt aliqui curribus hæc annexas fuisse faces et tedas ardentes, quibus obvios et obvia comburent, perinde ac iisdem annexæ erant faeces (ex quibus falcati vocantur) ad omnia reseccandum et demetendum. Unde Chald. vertit, *igne faces curruum eorum apparatus sunt*. Hinc et de iisdem subditur: *Aspectus eorum quasi lampadarum, quasi fulgura discurrentia.*

**ET AGITATORES CONSOPITI SUNT.)** Syrus, *equites validi obstupescunt*, q. d. Medi et Chaldæi curruum et eorum agitatores peritissimi et fortissimi, ebrietate consopiti (ita nimirum ut sopiant apprehensionem et metum prælii, non sensus et animos præliandi; sed eos potius vino acuant et accendant, uti fit in semiebriis) intrepide contra Ninivitas in prælia et arma ruent. Ita hodie videmus Cozacos, Hollandos, Hibernos, aliasque nonnullas gentes pugna-

turas, vino adusto se opplere, ut audaces ignescere, et ignem spirare videantur, itaque interritos in hostes et enses ruere. Huc pertinet expositio Sanchez, q. d. Chaldæi in gradiendo et pugnando adeo erunt ardentes et præcipientes, ut furor illis et vinum omnino mentem et consilium eripuisse videatur. Pro *agitatores* hebr. est ברושים *beroseim*, id est abietes. Unde Vatabl. et Arias vertunt, *abietes*: id est, lanceæ et hastæ Chaldæorum *abiegnæ, veneno infectæ sunt, ut omnes perderent*; Pagnin. *et abietes tremuerunt*, id est, duces Assyriorum, qui sunt instar abietum, in Nivaie tremore correpti sunt, dum viderent currus et equites igneos Chaldæorum, se invadentes. Verum Noster vertit, *agitatores*, et Septuag. *equites*, qui in curribus stantes celsi erant, duri et fortes, quasi abietes. Sic enim Pharao erectus et gloriosus comparatur abieti, cedro et platano Ezech. 31. 8. Forte pro ברושים *beroseim* legunt ברושם *berosciam*, id est, in capite eorum, puta duces et doctores curruum, hoc est eorum aurigæ et agitatores. Unde Chald. vertit, *magnates*. Hi enim sunt quasi aurigæ currus politici, id est, Reipubl. Unde Eliæ dicitur: *Pater mi, currus Israel, et auriga eius*, 4. Regum 2. 12. Rursum pro *consopiti sunt*, hebr. est הרעלו *horalu*, quod derivatur a רעל *raal*, id est, venenum mortiferum, tremor, sopor; item mitra, vel corona tremula. Quocirca *horalu* primo, verti potest, *consopiti sunt*, ut vertit Noster. Secundo, *mitrati vel coronati sunt*, quasi nobiles nobilium curruum agitatores et præsidēs. Unde Chald. vertit, *et magnates eorum coruscant vestibis coloratis*. Tertio, *veneno infecti sunt*. Quarto, *tremuerunt*, vel conturbabuntur. Unde Septuag. vertunt, *equites eorum tumultuabuntur*, q. d. Equites et aurigæ præ numero, festinatione, violentia et impetu in viis nimis sibi angustis occurrentes tumultuabuntur, ita ut quadrigas inter se collidant. Hinc videtur, quod hæc, æque ac præcedentia et sequentia ad Chaldæos Niniven obsidentes spectent, non ad Assyrios obsessos. Nam Chaldæorum quadrigas bellicas, uti cæpit, ita pergit in sequentibus depingere.

**C** Ad Assyrios tamen hæc refert S. Hieronym. Theodor. Theophyl. Remig. Hugo, Lyranus, Ribera et a Castro, q. d. Velociter ad vastandam Niniven venient Chaldæi, cum Assyrii equites antea in agitando equis egregii et celebres, vel crapula, vel desidia, vel pavore fuerint consopiti. Hi enim proprie dicuntur consopiti: cum Chaldæi potius agiles essent, vigilēs, et acres ad prælium. Et hoc proprie significat Hebræum *horalu*, id est, soporati sunt, contremuerunt, consternati sunt, ac si venenum mortiferum bibissent. Quocirca hic sensus de Assyriis planior et germanior videtur. Nec obstat, quod ante et post de Chaldæis agat Nahum: quia solent Prophetæ personas sæpe mutare, et ab una ad aliam, quæ cum priore litem vel rem habet, transire: idque silenter et tacito nomine. Sic hic currus et bellatores Chaldæos ex eo celebrat, quod ad eorum præsentiam, vim et impetum Assyrii, alias in equorum et curruum agitatione et aurigatione illustres et famosi, corruerint, ac quasi exanimis obstupuerint, et consopiti sint. Unde de iisdem ait v. 13. *succendam usque ad fumum quadrigas tuas.*

**IN ITINERIBUS CONTURBATI SUNT.)** Assyrii scilicet, a<sup>2</sup> Vers 4. gitatores eorum et curruum, de quibus immediate ante locutus est Nahum. Hi enim desperantes de salute, more amentium discurrebant per urbem, scilicet Niniven, a Chaldæis obsessam: ita Theodor. Theophyl. Vatabl. et a Castro. Melius S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et Arias hæc referunt ad Chaldæos: horum enim currus bellicos, vim et impetum describit, hosque paulo post comparat fulguribus, q. d. Chaldæorum currus et quadrigæ tanto numero et impetu discurrunt per plateas Ninives, ut sese invicem conturbent et collidant, ac collisione scintillas flammisque excitent. Unde adeo erunt terribiles, celeres et violenti, ut quasi lampades igneæ, hoc est ignis et fulgura discurrentia, esse videantur; *ut ante visu adversarios terreant, quam muerone prosternant*, ait S. Hieron. Pro *conturbati sunt* hebr. est יתהוללו *itolelu*, quod Pagnin. proprie vertit, *insanient*, id est, instar insa-

norum discurrunt, inquit Vatabl. Chald. *perstreputant*; Septuag. *confunduntur*; Tigrina, *tumultuabuntur*. Sic de Cneo et Publico Scipionibus dixit Poeta: *Duo fulmina belli Scipiade*. Sic et Cherrubini, milites Dei, ibant et revertantur in similitudinem fulguris eoruscantis, Ezech. 1. 14. Vide ibi dicta. In fulgure notatur splendor velocitati coniunctos, qui oculos perstringit, et animum vehementer percillit: hinc fulgur in Scriptur. symbolum est terroris, et rei formidabilis. Chaldaei ergo comparantur fulguribus discurrentibus imitatione splendoris, celeritatis et efficaciam ad terrendum penetrandumque, propter cataphracti equitis Babyloniei et Persici, quem Heliodorus lib. 9. Histor. Aethiop. describit, rutilantia arma, et praepetem cursum: ita Cyprianus Monachus Cisterciensis in hunc locum, et Delrio adagio 997. Denique galeae Chaldaeorum aureae solis repercussu fulgurabant; forte etiam in iis fulgetra depingebant, ut magis terribiles et fulminei viderentur, iuxta illud Statii l. 3. *Fulmine cristatum galeae iubar*. Secundo, *aspectus eorum*, scilicet Chaldaeorum, erit minax, ardens, fulgureus, ut ex oculis emicet furor et ardor sciendi. Sic de Verre ait Cicero: *Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat*. Et Seneca in Oedip.

*Ardent minaces igne truculento genae,  
Oculique vix se sedibus retinent suis.*

Et Virgil. 10. Aeneid.

*His agitur furis, totoque ardentis ab ore  
Scintillae absistunt, oculis micat aeribus ignis.*

Ita Sanchez.

Tropolog. haec omnia facile est adaptare Lucifero. Hic enim est noster Nabuchodonosor, hostisque fulmineus, cuius iacula ignita, ut ait Apostolus Ephes. 6. 16. sunt ardentis tentationes et concupiscentiae, quas in carne nostra suscitavit. Huius milites sunt daemones innumeri, qui quasi fulgura discurrunt, ut homines perdant: eorum enim odio et invidia flagrant, ideoque in ipsorum perniciem coniurant. Quocirca S. Petrus epistol. 1. cap. 5. 8. *Sobrii, inquit, estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide*. Et S. Paulus Ephes. 6. 11. *Iuduite, ait, vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in caelestibus*. Vide ibi dicta, et dicenda hic e. 3. v. 4.

Vers. 5.

RECORDABITUR FORTIUM EIUS. ) Hic versus et ad obsessos Ninivitas, et ad obsidentes Chaldaeos pertinere potest. Si ad obsessos, sensus erit, q. d. Ninive eiusque rex recolet et recensebit omnes suos fortissimos duces et milites, eosque mittet ad muros, ut eos propugnent, qui ad eos tanta vi et numero procurrent, ut in viis praesertim angustis, sese invicem protrudentes et impingentes, corruant: inde ascendent muros, ibique construent umbracula, vel, ut Septuag. *propugnacula*, vel, ut Chald. *turres*, quibus se contra invadentes Chaldaeos, vel etiam contra aeris iniurias tucantur, ut longam obsidionem sustinere possint. Ita S. Hieron. Theodoret. Theophyl. Remig. Rupert. Lyran. Hugo, Clarius, a Castro et Ribera. Si ad obsidentes, sensus erit, q. d. Hostis Cyaxares, et Nabuchodonosor suos fortes milites in te, o Ninive, immittet tanta copia et impetu, ut praestinatione et turba corruant, dum muros tuos conscendent, et invadent; dumque praeparabunt et admovebunt *umbraculum*, id est, testudinem, qua per arietem immissum et impulsam in muros, eos quatent et deiciunt. Qui enim agebant arietem, delitescerant sub testudine, suffodientes muros urbium. Ita Vatabl. et R. David. Erat enim testudo machina bellica hae forma: materia tabulatis erat contexta, et coriis cilicinis, aut eentonibus, et aliis quae difficulter comburi possunt, contexta. Haec intrinsecus habebat trabem, quae uno praefigebatur ferreo, et falx vocabatur ab eo quod incurvata esset, et de muro extraheret lapides. Retro enim ducebatur trabs funiculis suspensa (quae aries dicebatur) ut reducta impetuosius feriret: ideoque et testu-

Testudinis bellicae forma.

do dicta a similitudine reptilis, quod caput nunc exerat, nunc reducta. Reptile autem hoc vocatur testudo, a testa qua se contegit et includit, ait Varro. Hinc Silius lib. 1. *Tandem condensis arcet testudinis armis,  
Subducto Pœni vallo, caeque latebra,  
Pandunt proleptum suffossis manibus urbem.*

Haec testudo dicebatur arietaria, eo quod arietem contineret, et vibraret in moenia. Ita Procopius l. 1. de Bello Gothico, et noster Valtrinus lib. 5. de Re militari cap. 6. Erat enim alia testudo militaris, facilis et vulgaris, nimirum continuata a militibus condensatis, scutorum super caput elevatorum series, curvata in formam testudinis, qua tecti illasi a iaculis hostium subibant muros, eosque vel suffodiebant, vel seandebant. Testudo enim erat quasi scala, qua milites invadentes urbem, elevabantur, et conscendebant arcet et moenia.

Mystice, testudo nostra est providentia Dei, eiusque fides, spes et confidentia; haec enim nos protegit, et illaesos ab omni hoste et periculo conservat; imo arietes et tela in hostes nostros contorquet, quibus eos prosternit. Unde Psaltes ps. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur*. Legit Psalmum, qui totus est de hac re. In hac testudine sedens David, fidenter proclamavit ps. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo? Dominus protector vitae meae; a quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me praellium, in hoc ego sperabo.*

Mystice, testudo sancti est Dei providentia.

PORTAE FLUVIORUM APERTAE SUNT. ) q. d. Portae Ninives, quae ducunt ad Tigrim, eius eluvione et hostium irruptione, apertae sunt. Ita Clarius, Vatablus, Dionys. et Chald. qui vertit, *fontes fluviorum excisi sunt*. Unde mox Niniven vocat Propheta *piscinam aquarum*. Vide quae de hac Tigris in Niniven exundatione, dixi e. 1. S. Symbolice, portae Ninives, vocatur *portae fluviorum*, id est, populorum, quia immensam infundebant civium copiam. Sic Apocal. 17. 15. aquae multae vocantur populi multi. Unde Septuag. vertunt, *portae civitatum apertae sunt*: civitates enim abundant populo. Ita S. Hieronym. Theodor. Theophyl. Rupert. Remig. et Lyran. Secundo, Sanchez per fluvios metaphorice accipit copias Chaldaeorum, quae muris Ninives quasi aggeribus cohibita, iis vi perruptis, urbem inundarunt et vastarunt.

Vers. 6.

ET TEMPLUM AD SOLUM DIRUTUM EST. ) Templum scilicet Nesroch, opibus et fama celebre, ait Lyran. in quo Sennacherib adorans, a filiis suis occisus est. Hebr. est *היכל hechal*, id est, basilica, palatium, domus augusta, templum. Unde Septuag. vertunt, *regalia*: id est, regiae aedes, *concederunt*; Chald. *rex in palatio suo contremuit*; Tigrina, *palatium dissolutum est*. Eodem res redit. Nam in palatiis reges habebant sua deorum tutelarium templa, uti Romani in Capitolio habebant templum Iovis Capitolini, Troiani in arce habebant templum Palladis, eiusque imaginem, quam Palladium nuncupabant. Idem fecit Constantinus Imper. cum in Laterano palatio suo, edificavit basilicam Lateranensem. Idem etiamnum faciunt reges et principes, uti videre est in eorum aulis.

ET MILES CAPTIVUS ABDUCTUS EST. ) Legit interpret *הצב hatsab*, id est, stans, consistens, puta miles staturus et praesidiarius pro vallo in statione consistens, ut Niniven contra Chaldaeos propugnaret, a Chaldaeis captus et abductus est: ita S. Hieron. Rupert. Remig. Haymo, et Lyran. Secundo, *hatsab* idem est quod statio, substantia, subsistentia. Unde Septuag. vertunt, *et substantia revelata est*, q. d. Chaldaei diripuerunt substantiam et opes Ninives. Iam pro *hatsab*, alio puncto legunt passive in *hophal*, *הצב hatsab*, id est, statuta, constituta, scilicet vel arx: unde Arias et Tigrina vertunt, *et munio eius firmissima denudata est atque sublata*: vel uxor regis, sive regina quae sedebat assistens, in captivitatem abiit, et ancilla eius abducta post eam incedebat gementes, sicut columbae: ita Hebraei. Unde Pagnin. Hebraeum nomen *hatsab* quasi propriam reginae retinuit, vertitque, *et Hatsab re-*

Vers. 7.

*gina captiva ducta est, currum iussa est ascendere.*

ET ANCILLÆ EIUS MINABANTUR.) q. d. Virgines et matronæ Ninives, olim nobiles, nunc captivæ, quasi ancillæ et mancipia, imo quasi pecudes, minantur a Chaldæis, trahunturque in servitutem, quæ eorum pavore eiulare non audent: sed quasi columbæ secreto gemunt, et murmurant in corde. Symbolice S. Hieron. Rupert. et Remig. per ancillas accipiunt oppida, quæ Ninivæ metropoli erant subiecta, eique quasi ancillæ serviebant, quæ omnia cepit, vastavit et captivavit Nabuchodonosor. Aliter Sanchez, qui hæc aretat ad milites custodes templi, de quo proxime præcessit; ac consequenter per ancillas accipit feminas religiosas quæ se templo dicarant, ut Dei sui cultum, sacra et nitorem curarent. Sic apud Iudæos sacris Priapi turpissimis dicatæ erant feminæ, quibus præerat mater regis Asa, 3. Regum 15. 43. Sic apud Babylonios, Cyprios, Phœnices, etc. erant feminæ Veneri dicatæ, ut ostendi Barnab. 6. 42. Verum obstat, quod pro eius hebr. sit pronomen fœmininum, quod utique Niniven, non templum, refert et respicit, uti recte advertit ipse Sanchez, qui proinde tandem hanc expositionem deserit.

Vers. 8.

ET NINIVE QUASI PISCINA AQUARUM AQUÆ EIUS.) Legit interpres מִמֵּי *meme* geminale, id est, *aquæ*; sic et Septuag. iam legunt מִמֵּי *mine*, id est, *a diebus*, scilicet antiquis, id est, ab olim, supple fuit. Ita Chald. Hebræi, Vatabl. Pagn. et Syrus qui vertit, *Ninive quasi lacus (stagnum) est aquarum, et inter aquas est.* Sic et Arabicus. Per aquas ad litteram intelliguntur fluctus Tigris, qui Niniven inundabant, ut viderentur esse piscina, vel palus, q. d. Tigris non est tutatus Niniven, sed potius eam obruit, et tradidit hosti: Tigris enim, vel, ut alii, Euphrates (Tigri enim adiacet Ninive, sed nec longe ab ea aberat Euphrates; unde in agros Ninives stagnare poterat) magnis ac diuturnis imbribus tumens, effractis cataractis effusus Niniven inundavit. Cum pluvii coniurarent Austri in adversas Aquilonaris Caucasi nives, quibus liquefactis exuberans amnis, Ninives muros stravit, stagnavit, urbem, templum ac regiam evertit. Addunt alii ex Herodoto lib. 1. et Diodoro Siculo lib. 3. Niniven loco humido et paludoso sitam fuisse, ideoque procreasse cives debiles, languidos et lentos, qui urbem tutari non valeret. Symbolice, Ninive erat piscina aquarum, id est, plena aquis, id est, populis. Urbem enim comparat piscinæ, cives aquis; sicut ergo piscina abundat aquis, ita Ninive incolis. q. d. Ninive aluit turbam hominum, sed inbellem et inutilem: nam obsidente eam Chaldæo, inelamavit opem et tutelam eorum; ipsi vero fugerunt: ac licet ipsa vociferans ad ravim, iterumque eos a fuga revocaret, et vociferaret, *State, state*, ut me defendatis, et resistatis Chaldæo; frustra tamen id fecit: nam non est qui revertatur a fuga, ut hosti frontem opponat, et pro muris consistat ac dimicet. Ita S. Hieron. Theod. Theophyl. Remig. Hugo, Lyran. et Vatabl. Denique aquæ significant copiam opum, quæ in Niniven infuebant, sicut aquæ in piscinam influunt. Unde de iis subdit: *Diripite argentum, diripite aurum, et non est finis divitiarum.* Ita Rupert. et Vatabl.

STATE, STATE.) Sunt verba Ninives, id est, principum Ninives, qui suis fugientibus inelamant, ut stent, et resistant hosti, uti iam dixi: licet alii censeant esse verba Chaldæorum, irridendum et provocantium Ninivitas ad conflictum, ac de more dicentium: *State, state*, ac nobiscum confligete.

Vers. 9.

DIRIPITE ARGENTUM.) Est vox Medorum et Chaldæorum, qui fugientibus Assyriis, capta Ninive, invicem cohortantur ad eius expilationem, ut prædam ex ea diripiant et esserant. Vides hic quam crebro mutantur personæ: nunc enim loquitur Ninive, nunc Chaldæi, nunc Propheta, nunc Deus. Est enim quasi dialogismus. Ita Vatabl. Licet alii censeant esse hic vocem Prophetæ ad Chaldæos, qua eos hortetur, ut Niniven a civibus fugientibus desertam expilent. Ita Dionys. Vatabl. et Arias. Alii denique censent esse vocem Ninives, se suasque opes a civibus desertas dedentis Chaldæo, q. d. O Chaldæi rapite aurum meorum civium ignavorum, quia ipsi

illud retinere et possidere non merentur, nec valent, aut possunt. Causam, vel potius illecebram huius expilationis assignant Chaldæi, dum subdunt:

ET NON EST FINIS DIVITIARUM.) Hebr. enim *vau*, id est, *et*, capitur pro *quia*, q. d. Eia socii agite, rapite aurum, vasa et opes, quas Ninive ab aliis gentibus rapuit, et in se coacervavit: quia vasa hæc et opes, sunt pulcherrimæ et pretiosissimæ, æque ac plurimæ et innumeræ; ideoque summe desiderabiles. Hebr. additur כָּבוֹד *cabod*, id est, gloria, vel pondus et onus. Unde Septuag. vertunt, *aggravata sunt super omnia vasa concupiscentiæ suæ*, id est, ut Tigurina vertit, *onusta est rebus quibusque charissimis*; quanto enim plus habebat auri, quod grave est, *tanto magis ipsa aggravabatur*, quæ gravia diligebat, ait S. Hier. *Unde et iniquitas, Zachar. 5. super talentum plumbi sedet, et Ægyptii qui erant peccatis graves, demersi sunt in mare ut plumbum. Et ex persona peccatoris dicitur Ps. 37. Sicut onus grave gravatæ sunt super me*; Vatabl. vero vertit, *gloria maior omni supellectile desiderabili*, id est, supellex pretiosa (hanc enim vocat gloriam) est maior, sive pretiosior omni re desiderabili, q. d. *Supellex eius pretiosior est omni alia supellectile*, quantumvis pretiosa et concupisibili, ut vertit Pagninus. In Ninive verum fuit illud Eccles. 5. 12. *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui.* Unde

Moral. Discite hic, quam aurum sit vanum, et indignum cui homo cor apponat; imo noxium, utpote quod hostes allexerit ad excidium Ninives, ut scilicet eius aurum raperent. Quocirca Babytæci aurum oderant, illudque abieiebant, imo sepeliebant, ne cui esset noxæ. Audi memorabile quod de iis scribit Solinus Polyhist. cap. 36. *A Susis, ait, Babytæce oppidum centum trigintaquinque millibus passuum distat, in quo mortales universi odio auri coemunt hoc genus metalli, et abieciunt in terrarum profundum, ne polluti eius usu, avaritia corrumpant æquitatem.* Idem totidem pene verbis de iisdem scribit Plinius l. 6.

c. 27. qui et l. 33. c. 1. *Utinam, ait, posset e vita in totum abdicari aurum, sacra fames, ut celeberrimi auctores dixerent, proscissum conviciis ab optimis quibusque, et ad perniciem vitæ repertum: quantum felicioræ ævo, cum res ipsæ permutatæ inter se, sicut et Troianis temporibus factum. Homero eredi convenit.* Et mox: *Pessimum vitæ seculum fecit, qui annulum primus induit*; additque Romanos olim annulo usos, non aureo, sed ferreo; idque etiamnum facilitate Lacedæmones. Et inferius: *Romæ, ait, non fuit aurum, nisi exiguum, longo tempore. Certe cum a Gallis capta urbe pax emeretur, non plusquam mille pondo effici potuere.* Idem lib. 33. c. 3. *Servius rex, inquit, primus signavit æs (nam ante radi ære ntebantur) signatum est nota pecudum; unde et pecunia appellata. Argentum signatum est anno Urbis D. octogesimo quinto, Q. Fabio Cons. quinque annis ante primum bellum Punicum. Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quam argenteus.* Et mox: *A nummo, prima est origo avaritiæ excogitata. Rex Mithridates Aquilio duci capto aurum in os infudit. Hæc parit habendi cupiditas. Pudet intuentem tantum nomina ista, quæ subinde nova Græco sermone excogitantur, expresso argenteis vasis auro, cui incluso, quibus deliciis veneunt tam aurea quam aurata, cum sciamus interdixisse castris suis Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum. Tanto plus animi fuit fugitivis nostris. Simile de Medis scribit Isaias c. 13. 17. Ecce, ait, suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum relint.* Argute Philosophus ille interrogatus, *cur palleret aurum*, respondit: *Ex metu; quia omnes ei insidiantur.* Præclare S. Bernard. serm. 4. in Adventu: *Filii Adam, ait, genus avarum et ambitiosum audite. Quid vobis cum terrenis divitiis, et gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt? Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam. Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Veræ er-*

Moral. de vanitate auri.



go divitiarum, non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat.

Scribit B. Thomas Morus in Utopiae republ. felici, aurum non aestimari. Sic enim ait lib. 2. Utopiae: *Aurum argentumque a nullo pluris aestimatur, quam rerum ipsorum natura meretur, qua quis non videt quam longe infra ferrum sunt? ut sine quo non magis quam absque igne atque aqua vivere mortales queant, cum interim auro argentoque nullum usum, quo non facile careamus, natura tribuerit, nisi hominum stultitia pretium raritati fecisset.* Subdit deinde eos, ut suis contemptum auri iniciant, in eius contumeliam, ex auro matulas et sordidissima vasa conficere, item catenas et crassas compedes, quibus servos coeherent. *Postremo, ait, quoscumque aliquod crimen infames facit, ab horum auribus annuli dependent aurei, digitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, et caput denique auro vincitur.* Margaritis et gemmis ornant infantulos, qui, ubi plusculum acceverit aetatis, cum animadvertunt eiusmodi nugis non nisi pueros uti, nullo parentum monitu, sed suomet ipsorum pudore deponunt. Subdit deinde faciam narrationem de legatis aliarum gentium in Utopiam ingressis, quorum gemmatae aureaeque vestes, torques, annuli, etc. apud Utopienses aut servorum supplicia, aut infaniam dedecora, aut puerorum nugamenta fuerunt. *Quocirca infimum quemque pro dominis reverenter salutantes, legatos ipsos ex aurearum catenarum usu pro servis habitos, sine ullo prorsus honore praetermiserunt. Quia pueros quoque vidisses, qui gemmas ac margaritas abiecerant, ubi in legatorum pileis affixas conspexerunt, compellere matrem ac latus fodere: En mater, quam magnus nebulo margaritis adhuc et gemmulis utitur, ac si esset parvulus! At parens serio etiam illa: Tace, ait, fili; est opinor quisquam de morionibus legatorum.* Causam subiicit: *Mirantur illi siquidem quicumquam esse mortalium, quem exiguae gemmulae aut lapilli dubius oblectet fulgor; cui quidem stellam aliquam, atque ipsum denique solem liceat intueri; aut quemquam tam insanum esse, ut nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum videatur; siquidem hanc ipsam ovem olim gessavit, nec aliud tamen interim quam ovem fuit.* Mirantur item aurum suapte natura tam inutile, nunc ubique gentium aestimari tanti, ut homo ipse, per quem, atque adeo in cuius usum id pretii obtinuit, minoris multo quam aurum ipsum aestimetur; usque adeo ut plumbeus quispiam, et cui non plus ingenii sit quam stipiti, nec minus etiam improbus quam stultus, multos tamen, et sapientes et bonos viros in servitute habeat, ob id dumtaxat, quod ei magnus contigit aureorum numismatum camulus; quem si fortuna, aut aliqua legum strophæ ab hero illo ad abiectissimum totius familiae suæ nebulonem transtulerit, fit ut paulo post in famuli sui famulitium concedat, velut appendix additamentum numismatum. Hæc Morus non *σοφος*, sed *σορος*, ideoque Angliæ Cancellarius et Martyr, in sua illa Republ. non Platonica, sed Christiana. Si Utopiæ indigenæ tam vili aestimant aurum, multo magis Uraniae cælicæ eives illud et cæteras opes pro luto habent, inquit S. Theofridus in Epitaph. sanct. lib. 2. e. 4. Soli eives Babylonis et Ægypti qui ex luto et paleis civitates exstruunt, illud in pretio et deliciis habent. Quid enim sunt uniones, nisi excrementa coneharum? quid gemmæ, nisi lapides minores et subtiliores? quid purpura, nisi sanguis fœdi pisciculi? quid cocceus, nisi sanguis vermiculi? quid byssus, nisi fila et tela bombycum, horridorum inquam vermium? Sapienter Venantius Fortunatus: *Pauper in angusto regnat, habendo Deum.* Et S. Paulinus Nolæ Episcopus, captus a Wandalis: *Domine, ait, non exerceat propter aurum et argentum; ubi enim mea omnia sint tu nosti, uti refert S. August. lib. 1. de Civit. 10.*

Vers. 10. DISSIPATA EST (Ninive a Medis et Chaldæis) ET SCISSA, ET DILACERATA.) In Hebræo est elegans et nervosa paronomasia *בוקה ומבוקה ומבלקה buka umbuka umbulaka*, id est, *vacuitas, et evacuatio, et laceratio* est illi, q. d. Plane opibus et incolis suis evacuata est Ninive, ac muris et domibus dilacerata. Ita Tigurina, Vatabl. Pa-

gnin. Hinc Septuag. vertunt, *concussio, et excussio, et ebullitio*; Chald. *direpta, expilata, et aperta est porta inimico.* Porro ebullitio græce *εβρουσμος* dicitur, ait S. Hieron. cum quod intrinsecus latebat, erumpit in faciem. Unde papulae quoque, quæ post agglotationem nascuntur in labiis, dicuntur *εβρουσμοειδεις*, et sanitatis videntur indicium. Hoc ergo quasi remedium adhibetur Ninivæ aegrotanti, ut malum internum latens in vitalibus, foras ebulliat, ut excutiat, vexetur et alligatur crebro. Non solum autem hoc remedium datur, sed et cordis contractio, et dissolutio genium, ut durum et lapideum Niivæ cor fractum emolliatur, et rigida genua, quæ prius Deo non curvabantur, dissolvantur et flectantur Deo, ac in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum. Hæc S. Hieron.

(COR TABESCENS.) Hebr. *cor liquefactum.* Ita Chald. Pagnin. et Vatabl. sicut enim cera admota igni liquefeit et tabescit; ita et cor admotum vehementi angustia, dolori et pavori velut liquescens tabescit, concidit, et quasi confringitur, ut vertunt Septuag. Hæc spectant ad eives, sicut priora ad ipsam civitatem. Porro ex hoc cordis deliqui, quasi ex fontis obstructione, naturaliter sequitur Primo, *dissolutio geniculorum*; Tigurina, *tremor genium*; Pagnin. et Vatabl. *collisio genium*: corde enim fatiscente, fatiscunt spiritus vitales et animales, qui a corde ad genua transmittuntur, ut ea roborent ad sustinendum corpus, et ad ambulandum: subductis autem, vel languentibus spiritibus genua languescunt, et tremunt, et inter se colliduntur ex trepidatione. Secundo, sequitur *defectio in cunctis renibus*; Tigurina, *egritudo in omnium lumbis.* In renibus ergo, id est, in lumbis duobus, quibus subsunt duo renes. Lumbi enim carni sunt, et quinque vertebrae sacrae spinæ inferne utrinque complectuntur, a qua spina nervi, muscoli et spiritus motivi per eius medullam derivantur ad totum corpus. Si vertebrae hæc dissolvantur, aut lædantur, et contrahantur, aut impediuntur, uti fit in timore et pavore, elumbis et infirmus fit homo: ita Ribera. Hinc in renibus et lumbis consistit magna pars virium et roboris hominis, uti dixi, v. 1. Tertio, sequitur: *Et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ*; Hebr. *contraxerunt ollam*, id est, ut Tigurina, *ollæ speciem*, colorem et fuliginem; Chald. *omnes vultus operientur nigredine, instar ollæ denigratæ*; Septuag. *sicut adustio ollæ*: facies enim destituta cordis influxu et spiritibus, expallescit et nigrescit, uti videre est in iis qui suffocantur, vel suspenduntur: vide dicta Ioclis 2. 6. Mystice, Rupert. Olla atra, inquit, est diabolus et omnes qui in eo spem reponunt, qui tandem similes fient illi quem coluerunt, dum in ollam vulcaniam, puta in gehennam, detrudentur, sicut a terris tam corpore quam mente.

(UBI EST HABITACULUM LEONUM?) Tigurina, *ubi est lustrum leonum?* id est, ubi est Ninive, quæ erat quasi speculæ leonum, id est, regia prædonum et tyrannorum? q. d. Deserta est, eversa est, periit, interiit. Reges Assyriorum comparat leonibus; Niniven lustrum, filios, et principes eorum leunculis, ob eorum fortitudinem, crudelitatem et rapacitatem. Ipsi enim quasi leones venabantur et expilabant omnes gentes, earumque opes et prædas convehant in Niniven, ibique eas inter filios, uxores et principes distribuunt, ut patet 4. Reg. 19. 11. ita S. Hieron. Remig. Haymo, Theophyl. Lyran. Clarius, Arias et Vatabl. Sic Ezechiel e. 19. 1. et sequent. Ierusalem vocat lænam, leunculos vero vocat reges eius iuvenes, puta Ioachas, Ioachim, Ioachin, et Sedeciam filios Iosia. Sic Ierem. e. 4. 7. Nabuchodonosorem vocat leonem: *Ascendit, inquit, leo de eubili suo, et prædo gentium se locavit: egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem.* Et sarcasmus vel potius emphatica admiratio. Irridet enim, vel potius miratur, et aliis admirandum proponit horrendum excidium inelytæ illius Ninivæ, et tyrannorum eius, ut illius exemplo percillantur, caveantque a fastu et spolio leonino, utpote ob quem exeisam audiunt videntque Niniven. Simili schemate ait Baruch e. 3. 16. *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super be-*

Vers. 11. Lustrum leonum erat Ninive.

*stias, quæ sunt super terram? qui in aribus cæli ludunt? qui argentum thesaurizant et aurum? etc. exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii eorum loco surrexerunt.* Et Isaias de Babylone cap. 14. 4. *Quomodo cessavit exactor: quævit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter (nonne hæc fuit spelunca leonum?) Conquievit et siluit omnis terra, gavisæ est et exultavit, dum vidit exscindi a Cyro Babylone, virgam suam tyrannicam. Pari modo Ninive hic vocatur habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, id est, sedes tyrannorum, eorumque filiorum, pascua enim est nomen foemini- num singularis numeri, ut ostendi Ioel. 1. 18. Unde de ea subdit:*

AD QUAM (scilicet pascuam catulorum leonum, puta ad Nioiven) IVIT LEO UT INGREDERETUR ILLUC CATULUS, id est, catuli, LEONIS, ET NON EST QUI EXTERREAT.) q. d. Ubi est illa dives et speciosa Ninive, in qua quasi in pascuis uberrimis pascebant se reges eorumque filii spoliis et prædis, quas diripuerant ab omnibus provinciis et gentibus? Ubi sunt eius reges et tyranni, eorumque filii et principes, qui quasi leones et leonum catuli in Ninive, quasi in spelæo inexpugnabili, suis viribus et opibus præfidentes securi debebant, ut nemo eos invadere auderet, nemo terrorem aut metum eis incutere valeret? q. d. Ex-cisa est, periit, evanuit; fuit illius et ingens gloria Teu- rorum; fuit Nina et ingens gloria Niniadum. Ita Theod. Theophyl. Lyran. Clarius, Arias et Vatabl. Ex adverso tamen S. Hieron. cum suis asseclis, Remigio, Haymone et aliis, per leonem intelligit Nabuchodonosorem, qui quasi leo invasit leones Assyrios, eorumque lustrum, scilicet Niniven, adeo valide et horrende, ut nemo eum deterre- re, nemo se ei opponere auderet. Verum omnia præceden- tia et sequentia spectant ad Assyrios, non ad Chaldæos. Tæco quod leones, non soleant alios leones, eorumque lustra invadere et prædari; sed tauros, boves, equos, a- liasque bestias et feras specie a se distinctas, secus est de lupis: lupus enim in fame lupum devorat. Unde adagium: *Homo homini lupus.* Quare prior sensus germanior videtur.

Moraliter, vide hic celeres et miserabiles tyrannorum, regum et regnorum ortus et occasus. Ubi est gloria illa Ninives? ubi superba Babylon? ubi illa inelyta Roma? Præclare Ovid. lib. 15. Metamorph.

*Nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas,*

*Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.*

*Clara fuit Sparte: magnæ viguere Mycenæ.*

*Vile solvum Sparte est: altæ cecidere Mycenæ.*

*Œdipodionæ quid sunt nisi nomina Thebæ?*

*Quid Pandionæ restant, nisi nomen Athenæ?*

Vers. 12. LEO COEPIT SUFFICIENTER CATULIS SUIS pasceendis, ET NECAVIT LEONIS SUIS.) Tigurina, *strangulavit;* Pagnin. *suffocavit leonis suis.* Solent enim leones strangulare a- nimalia, eaque discerpere et distribuere suis catulis et leonis. Leo est rex Assyriorum, catuli sunt filii, leonæ sunt uxores et concubinae quos ex spoliis gentium dita-

bat et ornat rex. Ita Cicero actione 5. in Verrem asse- rit *solere barbaros reges Persarum et Syrorum* (sub qui- bus Assyrios et Chaldæos intellige) *plures uxores habere: iis autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: Hæc ci- vitas mulieri in redimiculum præbata, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent universos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam ministros.* Sic Antiochus rex Syriæ duas illustres civitates donavit concubinae suæ, 2. Machab. 4. 30.

ECCE EGO AD TE.) O spelunca leonum, o Ninive, ve- vers. 13. niam, ut te per Chaldæos debellem, puniam et evertam. Unde Tigurina vertit, *en me tibi hostem, dicit Dominus.*

ET SUCCENDAM USQUE AD FUMUM QUADRIGAS TUAS.) Pagnin. et Vatabl. *succendam igne fumantæ,* id est, igne fumo permisto, *quadrigas eius,* id est, tuas; est enallage personæ, q. d. Niniven, eiusque quadrigas succendam, omniaque in fumum et flammam convertam. Alludit ad ve- natores, qui ad spelæa leonum et ferarum struunt ignes, fumumque ingentem excitant, quo eorum feras, eorum- que catulos ne fumo suffocentur, egredi, atque egressos venabulis excipiunt et confodiunt. Ita Theodoret. et Theo- phyl. Addunt Doroth. et Epiphanius in vita Nabum, ignem hunc de terra et solitudine ortum, invasisse et concremasse Niniven, uti dixi in Procemio. Septuag. pro רב legentes ei affine רבב putat pro רבבה *richba,* id est, quadrigas e- ius, legentes רבבה *ribba,* vertunt, *succendam in fumo multitudinem tuam:* radix enim רבב *rabab,* vel *rab* si- gnificat multiplicari et esse multum. Unde *rab* et *rabbi,* id est, multus, hoc est magnus, scilicet Doctor, vel Prælatus.

EXTERMINABO DE TERRA PRÆDAM TUAM.) Tigurina, *lacerationem avertam a terra,* q. d. Non prædaberis ultra. Ita Vatabl.

ET NON AUDIETUR ULTRA VOX NUNCIORUM TUORUM.) Quos, o Ninive, mittere solebas ad urbes, postulans ab eis vel deditionem, uti misisti Rabsacen Hierosolymam, qui eam regi Sennaacherib dedi efflagitavit, Isaiæ 36. 2. Ita S. Hier. et Theophyl. Vel tributa ab eis pendi solita, aut nova onera quæ eis imponebas, quibus eas expilabas. Ita Remig. Albert. et Hugo. Septuag. pro מלאכיה *malachecha,* id est, *nuncios tuos,* aliis puuctis legentes מלאכיה *melachecha,* id est, *opera tua,* vertunt, *non au- dientur ultra opera tua.*

Symbolice, incendium et excidium Ninives, repræsen- tat incendium et excidium mundi sub diem iudicii, quod Exci- dium Ni- nives ty- pus est excidii mundi. sub nomine Babylonis mystice describit S. Ioannes Apoc. 17. *Mundus,* enim hic, ut aiebat Philosophus, *non est aliud quam forum impostorum, scrinium dolorum, schola vanitatis, lustrum tyrannorum, spelæum latronum et iniquorum,* in quo potentes diripiunt pauperes et simplices. Sicut ergo Ninive puuta fuit incendio, sic et mundus igne conflagrationis expiabitur, iuxta illud: *Ignis ante ipsam præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Psal. 96. 3. Illo ergo igne comburentur omnes leones et leon- culli, id est, omnes tyranni, raptores et iniqui, omnesque eorum nuncii, quadrigæ, et pompæ, ac in primis eorum dux et princeps Antichristus, inquit S. Hieron.

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit currus, equites, micantes gladios, fulgurantes hastas Chaldæorum describere, quibus conficient Niniven me- rettricem, ob eius cædes, rapinas et maleficia. Deinde v. 8. confert eam cum Alexandria, in frequentia, robore, opibus, atque, Sicut illa capta est a Chaldæis, ita capieris et tu o Ninive. Denique v. 12. docet quod Deus omnes eius munitiones debilitabit et disiciet, quodque duces eius et milites erunt ignavi, imbelles et pavidi quasi mulie- res; quodque mercatores et merces ab ea avolabunt, sicut bruchus et locustæ incalescente sole avolant.*

1. **V**E civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena: non recedet a te rapina. 2. Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis: 3. Et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ: nec est finis cadaverum, et corruent in corporibus suis. 4. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis: 5. Ecce ego ad te, dicit Domi-

nus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam. 6. Et proiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum. 7. Et erit: omnis, qui viderit te, resiliat a te, et dicet: Vastata est Ninive: quis commovebit super te caput? unde quæram consolatorem tibi? 8. Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu eius: cuius divitiæ, mare: aquæ, muri eius. 9. Æthiopia fortitudo eius, et Ægyptus, et non est finis: Africa et Libyes fuerunt in auxilio tuo. 10. Sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem: parvuli eius elisi sunt in capite omnium viarum, et super inclutos eius miserunt sortem, et omnes optimates eius confixi sunt in compedibus. 11. Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta: et tu quæres auxilium ab inimico. 12. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. 13. Ecce populus tuus, mulieres in medio tui: inimicis tuis adaperitione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. 14. Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum, et calca, subigens tene laterem. 15. Ibi comedet te ignis: peribis gladio, devorabit te ut bruchus: congregare ut bruchus: multiplicare ut locusta. 16. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cæli: bruchus expansus est, et avolavit. 17. Custodes tui quasi locustæ: et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigris: sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerint. 18. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur: sepelientur principes tui: latitavit populus tuus in montibus: et non est qui congreget. 19. Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua, omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transiit malitia tua semper?

Vers. 1.

**V**Æ, scilicet tibi, o CIVITAS SANGUINUM.) O Ninive sanguinaria, quæ omnium gentium sanguinem fudisti, ut eas tibi subieceres. Unde Chald. vertit, *væ civitati sanguinum*. Ita Theoph. Haymo, Rupert. Hugo et Lyran. Posset secundo, vox *sanguinum*, accipi pro *scelerum*, q. d. Væ tibi o civitas scelerata, omnibus criminibus plena et cooperta; quia enim sanguinis effusio, puta homicidium, gravissimum est scelus in proximum, hinc quodlibet enorme crimen vocatur *sanguis*, id est, sanguinis effusio, per synecdochen, qua pars pro toto; vel per catachresin, qua simile pro simili ponitur. Unde Syrus et Arabicus vertunt, *væ civitati sanguinum, quæ tota est mendacium, et plena iniquitate*. Dat causas excidii Ninive, cur scilicet Deus ab ea transtulerit monarchiam in Babylonem. Prima est, cædes iniustæ, cæque plurimæ. Secunda, quod sit *universa mendacii*, id est, ut Septuag. *tota mendax*; Tigurina, *in universum plena mendacium, q. d. In Ninive nulla est veritas, sed omne mendacium*, ait S. Hieron. quia regnat in ea omnis dolus et fraus. Tertia, quod sit *dilaceratione plena*, id est, plena rapina et laceratione prædaram. Unde vertit Aquila, *exercitatione plena*: Symmachus, *αποτομίας*, id est, *crudelitate vel severitate plena*. In altera eius editione, ait S. Hieron. *reperi μέλοσπινας πλιβες*, id est, *sectionibus carniū, et frustis per membra concisis plena; denique statum subiecit: Ubi indesinens præda est*, q. d. Ninive repleta est rapinis, sicut lustra leonum plena sunt membris et ossibus animalium ab eis laceratorum et devoratorum. Hæc enim comparavit Niniven e. 2. 11. ubi eam vocavit *habitaculum leonum*. Subdit S. Hieron. *Porro Hebræus (S. Hier. in Hebræa lingua magister פֶּרֶקְ, perck, gubernaculum, id est, κυβερνήτης, interpretatus est, ut ostenderet et urbem fuisse regalem, et velut in navi eunctorum gentium tenuisse gubernaculum*.

Symbol. Ninive scelerata est mundus in maligno positus.

Symbolice, Ninive speciosa est, et speciosus hic mundus, qui græce *κοσμος* a specie et ornatu dicitur. Hic enim totus in maligno positus, plenus est, pleniorque erit in fine, sub diem iudicii (ideoque tunc evertetur, et concremabitur) sanguinibus, id est, cædibus et sceleribus, æque ac mendaciis, dolis et fraudibus; item calumniis, rapinis, omniaque violentia, qua proximorum vel famam, vel bona, vel corpus vitamque dilacerat. Ita S. Hieron.

**NON RECEDET** (id est, nunquam recedet) **A TE RAPINA.** q. d. Ninive tota est rapinis intenta; futura enim Hebræorum sæpe actionis continuationem, morem, consuetudinem et perpetuitatem significat.

Vers. 2.

**VOX FLAGELLI.**) S. Hieron. cum Remigio, Alberto, aliisque suis asseclis pergit, hæc accipere de Ninive et Assyriis, quasi hic eorum currus, equites, arma describat Propheta, quibus vim inferebant aliis gentibus, easque prædabantur et lacerabant. Melius Theodor. Theophyl. et Vatabl. hæc accipiunt de Chaldæis, qui flagellarunt et castigarunt prædationes, cædes et rapinas Ninives. Est ergo hic hypotyposis, sive viva belli a Chaldæis Ninive in-

ferendi imago et repræsentatio, q. d. Videor iam cominus videre, et audire flagella aurigarum in curribus Chaldæorum hostilibus, rotarum cursus et impetus, equites equosque frementes; item micantes eorum gladios, et fulgurantes hastas, quibus ipsi ingentem multitudinem Ninivitarum interfecit, ipsisque gravem ruinam, id est, multitudinem cadaverum, afferent. Nota. *Gravis* hic ponitur pro magno, id est, multo; est enallage: ponitur enim qualitas pro quantitate, et quantitas continua pro discreta; puta gravis pro magno, et magnum pro multo. Sic Antiochus dicitur intrasse Ægyptum in multitudine gravi, id est, numerosa et copiosa, 1. Machab. 1. 18. Sic Deus in Ægyptum per Mosem misit museam gravissimam, id est, plurimam, Exodi 8. v. 24. Vide ibi dicta. Rursum quadrigas vocat ferventes et ardentes, ob celeritatem et impetum, quo ipsæ, ipsarumque rotæ adeo motu et collisione lapidum incalescunt, ut ardere videantur, quin et vere scintillas ignemque emittant. Similem curribus fervorem dat Virgil. 3. Georg.

*Illi instant verbere torto,  
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis,  
Iamque humiles, iamque elati sublimè videntur  
Aera per vacuum ferri, atque assurgere in auras.*

Tropolog. Ninive est anima peccatrix, plena sanguinibus, id est, sceleribus, hæc est tota mendacii, quia nullum in se locum relinquit Deo, qui veritas est: sed fallacibus opinionibus imbuta, et diaboli præstigiis delusa, corpus et rem solidam, putat esse opes, delicias, et honores, quæ tantum sunt umbræ. Hæc dilacerat famam et bona proximorum, quin et alios a via Dei avertit, et bona eorum opera diripit, nec ab hæc rapina recedit. Huic imminet multa mala. Primum est, *vox flagelli*, id est, conscientie intus mentem flagellantis, de quo Iuven. satyra 13.

*Evasisse putes, quos dixæ conscia culpe.  
Mens habet attonitos, et surdo verbere exdit,  
Occultum quatiente animo tortore flagellum?*

Ita Ribera.

**CORRUENT** (Ninivite et Assyrii) **IN CORPORIBUS SUIS.** Vers. 5.

Id est, inter corpora et cadavera suorum. Ita Chald. Unde Tigurina vertit, *ruent per sua corpora*. Paulo aliter vertunt Pagnin. et Vatabl. *impingent* (scilicet Chaldæi) *in corpora eorum*, scilicet Assyriorum occisorum, q. d. Tanta erit strages Ninivitarum, tanta multitudo cadaverum, ut viam tum Assyriis fugientibus, tum Chaldæis insequentibus intercludant, atque utrique in ea impingant et corruant.

**PROPTER MULTITUDINEM FORNICATIONUM MERETRICIS SPECIOSÆ.**) Fornicatio apud Prophetas significat idololatriam; idolum enim est quasi adulter; Ninive est quasi meretrix speciosa, q. d. Ruent Assyrii propter multitudinem idololatriæ Ninives, quæ et re et nomine speciosam sonat, ideoque ob suas speciosas opes, delicias et pompas omnibus erat grata, q. d. ait S. Hieron. Ruet Ninive, quia

Tropol. est anima im-pia.

Vers. 4.

totius orbis sibi subiecti coluit idola, et maleficia magica: quia tota magia, superstitioni et idololatriæ fuit decisa, ad eamque pellexit, imo coegit omnes gentes. Unde sequitur:

**QUÆ VENDIDIT GENTES IN FORNICATIONIBUS SUIS.** ) q. d. Ninive tradidit alias gentes et populos suis hostibus, puta Chaldæis; quia ipsa eos docuit suas idololatrias, et maleficia, puta incantationes magicas et superstitiones, ob quæ a Deo traditi sunt Chaldæis. Ideo enim Deus immisit Chaldæos quasi fictores in omnes gentes, ut earum idololatriam et scelera punirent, ut patet Jerem. 25. 17.

Nota, *quæ vendidit* significat Primo, Niniven instar reginæ, sed meretricis, alias gentes sibi subditas, nunc vi, nunc illecebris, nunc mendaciis, aliisque artibus meretriciis coegisse ad sua idola et scelera. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo et Liran. Secundo, eam gentes in servitutem redeegisse, iisque abusam esse quasi mancipiis, utpote quæ illas vendidit hosti, dum eas coegit secum prodire in aciem contra Chaldæos; itaque ipsas quasi oves, gladiis Chaldæorum secum mactandas obiecit. Ita Theophyl. Hic verum est illud Poeta:

*Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.*

Addit Cyrillus et Theophyl. fornicationem hic vocari magiam, per quam gentes et tribus vendebant, dicentes: Date nobis mercedem et pretium, ac nos execrabimur gentes vobis hostiles, itaque faciemus ut vobis resistere nequeant, easque facile expugnetis, ut fecit Balaam ariolus Balæ regi Moab, Numer. 22. et 23. Tertio, in Scriptura Achab 3. Reg. 21. 25. et alii dicuntur venditi vel venundati ut facerent malum; quia scilicet traditi sunt quasi servi in potestatem peccati et diaboli, ut ad eius nutum agerentur quasi mancipia in omne scelus: traditi, inquam, directe a se suisque heris et dominis; indirecte a Deo permittente et puniente priora eorum scelera.

**ET FAMILIAS, id est, populos, IN MALEFICIIS SUIS** ) Maleficia vocal veneficia, ut vertunt Septuag. opes, pompas, delicias, incantationes. phaltra, puta illecebras, quibus Ninive quasi meretrix omnes ad sui amorem, et suorum deorum cultum alliciebat. Hæc enim significat Hebr. **שֵׁשִׁים cheseiaphim.**

Symbol. S. Hieron. ait, est mundus illecebrosus, habens maleficia; Septuag. *dux malefactorum*, id est, incantationum et illecebrarum, quibus homines demental: *Vox flagellorum auditur in mundo, quia multæ sunt tribulationes iustorum, quibus qui flagellantur, clamitant, et doloris magnitudinem flebiti voce testantur. Quando alius dæmone, alius ira quæ furori similis est, alius libidine, odio, invidia, superbia, corripuntur, flagellum in eis Assyrii regis sonat. Sed et in corporis malis, flagellum diaboli intelligimus, de quo ad iustum dicitur, Psal. 90. Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quando videmus hunc morbo regio computruisse, et superesse cadaveri suo: alium intereunti aqua et tumentis nature corpore, crescentibusque membris formam pristini hominis decrescere: illum purulentias quasdam, et vulnerati damna pulmonis egerere: istum hinc in lapides desiccato, urinæ amaritudinem, et vesicæ tormenta sentire; non dubitemus dicere, vocem flagellorum esse Ninive.*

Hæc S. Hieron. qui et subdit: *Et vox commotionis rotarum, dum hue atque illuc genus raptatur humanum, et incertis per euneta discursibus, ubi periculum, ubi salus sit ignoramus: de qua rota et Ezech. 1. 16. et Ps. 76. legimus: Vox tonitruum tui in rota. Habet et Ninive equum persequentem, puta diabolum, de quo Job 39. De longe odoratur bellum. Quadrigæ, et quatuor earum equi sunt quatuor perturbationes, de quibus Maro: Hi cupiunt, metiuntque, dolent gaudentque. His equis, et hac quadriga Ninive euneta perturbat. Et quomodo quatuor, quibus pugnamus et tegimur, sunt scuta virtutum, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo: ita e contrario quatuor vitia sunt stultitia, iniquitas, luxuria, formido, quibus ab hoste percutimur. Quarum singulæ pullulantes habent in se ac multiplices species sagittarum, quibus inferuntur vulnera, imo vulnerati usque ad inferna demerguntur. Nec*

Symbol. flagella Ninives sunt tribulationes mundi.

Quadrigæ sunt quatuor passiones animæ.

**Est finis gentibus eius. Multitudo eius finem non habet, et quantæ species peccatorum, tot gentes sunt Ninive, quæ infirmabuntur in corporibus suis a multitudine fornicationis. Nec mirabitur Niniven scortorum iam esse gratissimam, qui tantam hominum multitudinem cum ea viderit fornicari, et maleficiis illius, et quibusdam incantationibus ad amorem eius pene cunctos trahi. Hæc vendidit gentes in fornicationibus suis, quæ tollunt membra Christi et faciunt membra meretricis: idque facit tribus maleficiis suis. Facit enim amare eas quæ odisse debuerant, et detestari quæ amare debebant; ut cum deceptæ fuerint, etiam alios maleficia arte supplantent.** Unde huc alludens S. Ioannes Apoc. 17. v. 3. Babylonem suam (quæ typus est mundi) quasi alteram Niniven schemate reginæ, sed meretricis ita depingit: *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem, et cornua decem. Et mulier erat circumduta purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius scriptum: Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Iesu.* Vide ibi diata.

Præclare S. Bern. ep. 103. *Væ, ait, væ! vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est et eras in clibanum mittitur: carnem dico, et eius gloriæ: Siquidem omnis caro fœnum est, et omnis gloriæ eius tanquam flos fœni. Si sapias, si habes eor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine iam ea sequi, quæ et assequi miserum est. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Et epist. 107. *Diu, ait, ista in te mundus habere non poterit, et te quippe ipsum brevi non habiturus. Nam breves dies hominis sunt. Mundus quidem cum suis concupiscentiis transit; sed te prius emittit quam ipse pertransit. Qui te sine fine delectat amor mox finiendus.*

**ECCE EGO AD TE.** ) O Ninive, armatus et furibundus in Chaldæis venio, ut te quasi scortum infame spoliem, denudem, castigem, totique orbi ridendam et exhibendam proponam. Unde Tigurina vertit, *en me tibi hostem, inquit Dominus exercituum.*

**REVELABO PUDENDAM TUAM IN FACIE TUA.** ) Tigur. Pagnin. et Vatabl. *revelabo fimbrias tuas, vel lumbos tuos, hoc est, spoliabo te tuis fimbriis, et vestibus speciosis et pretiosis per Chaldæos, ut omnibus spoliata et nudata a cunctis ridearis et subsanneris, dum cuncti præter nuditatem et paupertatem, etiam occultas tuas sordes, vomicas et carcinomata, quas syrmat et veste aurata tegebas (hæc enim vocat pudendam, quia ob ea pudesciebat) id est, occultas suas spureitias, vitia et fœditates, propalam conspicient.* Perstat enim in metaphora meretricis. Unde explicans subdit:

**OSTENDAM GENTIBUS NUDITATEM TUAM, ET REGNIS IGNOMINIAM TUAM. ET PROHICIAM SUPER TE ABOMINATIONES.** ) Id est, tibi imponam, ostendam, et propalabo omnia tua abominanda scelera; quo fiet ut omnes certatim te abominentur, et diris mille devoveant: tam aeris enim vindicta Dei, qua te puniet et evertet, omnibus ostendet te rapacissimam et sceleratissimam tyrannam fuisse. Unde sequitur: *Et contumeliis te afficient*, uti meretrices publice in circulo expositas, vel ad uncum alligatas omnes subsannant, in easque fœces, lutum et stercorea iaciunt: itaque *ponam te in exemplum*; Tigur. *faciam te spectaculum*; Pagnin. *ponam te inquinamentum*; Chald. *ponam te execrandam, et ponam te fedissimam oculis omnium venturum te.*

Moral. Magna Dei est gratia, enim peccatori revelat suam turpitudinem, ac voluptatis illicitæ, v. g. meretricis, sordes. Sicut enim exterius et publice meretricis nihil videtur speciosius et elegantius; sic interius et domi nihil putidius, sordidius, vilius, miserius, pauperius, adeo ut adolescentes qui in illas ita pomposas rapiuntur, visis ea-

Vers. 5

Vers. 5. et 6

rum internis sordibus nauseant, et eas abominentur. Tale est peccatum et peccatrix anima, puta est quasi ornata meretrix, et sepulcrum dealbatum; exterius nitens, interius putens et fetens; exterius Venus, interius anus; exterius formosa ut Lais, interius deformis ut Thais; publice splendida Cyro, domi pauperior Iro, vix habens panem atrum quem mandat, ut ait Terentius in Eunuchio. Audiui ab aulicis principis cuiusdam femine luxuriose viventis, corpus eius tantum fetorem exhalasse, ut intolerabilis videretur, nec tam corpus quam triduanum cadaver esse diceret.

Vers. 7. **OMNIS QUI VIDERIT TE, RESILLET A TE.**) Pagnin. *elongabunt se a te*; Tigurina, *refugiet a te, et dicit: Vastata est Ninive*; Chald. *expilata est Ninive*; Septuag. *qui viderit te, descendet a te, et dicit: Misera est Ninive*. Simili modo in excidio Babylonis dicitur Apocal. 18. 15. *Mercatores horum qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum eius, stentes ac lugentes, et dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, etc. quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ*. Sic de Tyro ait Ezechiel c. 26. 17. *Quomodo peristi, quæ habitas in mari, urbs incluta? etc. nunc stupebunt naves in die pavoris tui, et turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te*. Et c. 27. 28. *describit nautas et mercatores eiantes in vastitate Tyri*.

Tropol. S. Hieron. *Quamdiu, ait, terrena honoramus, et putamus esse sublimitia, velut in quodam superbia eumine sumus, et miramur pulchritudinem Ninive, id est, mundi. Cum autem consideraverimus naturam eius, et omnia corporalia bona, quasi humilia despexerimus, subiacentes nos potentie manus Dei, tunc miseribimur Ninive, et omnia terrena bona digna planetu iudicabimus, dicemusque: Misera Ninive, quanti tuis laqueis irretiti sunt? quantos alligatos laqueis tuis tenes? quis putas resillet a te, et descendet de superbia tua, et te miseram iudicabit?* q. d. Pauci sunt, sed sapientes et oculati, qui id iudicant. Ninive ergo est speciosa uxor, speciosi filii et filiae, speciosa famulorum pompa, speciosæ opes, speciosæ dignitates, quæ multos sua specie capiunt et dementant. Verum prudentes, qui considerant earum breviter, instabilitatem, fugacitatem, curas, molestias, angores, pericula, vident hanc speciem esse fucam et larvatam: illico enim præterit figura huius mundi, ut ait Apostolus. Quocirca ea despiciunt, dicuntque: *O quantum est in rebus inane!* atque ad speciem mundi celestis, quæ semper durat, ac divina est et beata, anhelant.

Exemplum iusque hae in re præbuit S. Eucherius Lugdun. Episc. anno Domini 440. qui, ut habet Ado in Martyrol. die 16. Novemb. cum esset senator ingenio, opibus, eloquentia, scientia, dignitate prænobilis, haberetque coniugem illustrem et opulentam, ex eaque speciosos liberos, plures mares, et feminas; hæc omnia contempsit, suosque omnes eadem contemnere docuit. Nam universis relictis, secessit in monasterium Lirinense; inde in solitudinem, ibique in spelunca totum se iciniis et orationibus addixit, donec sede Episcopali Lugduni vacante, angeli monito designatus est Lugdunensis Episcopus. Quare a Clero et populo ad hoc munus requisitus, cum ipse illud omnino abnueret et excuteret, vi e spelunca extractus, vinculusque ductus in urbem, in cathedra Episcopali violenter collocatus est, quam mira fide, sanctitate et doctrina administravit. Exstant etiamnum doctæ eius lectiones in Genesim, libros Regum, etc. quas filiis suis Veranio et Salonio dedicavit. Hos enim a puero in monasterio educari curavit, qui deinde pariter ex monasterio, ob illustrem virtutem et sapientiam, ad episcopatum evocati sunt. Uxor vero eius, nomine Galla, in speluncam mariti, cum ipse ad Episcopatum raperetur, secessit, eique in vitæ, æque ac loci rigore successit: nam ibidem totam se pœnitentiæ ac orationi consecravit. Filiae vero Consortia et Tullia, patrem et matrem imitate, virginitatem Deo voverunt, atque non tantum virginitatis gratia, sed et signorum gloria claruerunt, æque ac pater, nimirum ipse S. Eucherius, qui inter alia miracula

A in Alpibus incidens in hominem membris contractum, ac iussu S. Casarii Arelatensis Episcopi (ut habetur in eius Vita) porrigens ei manum, eundem elevans, sanitati membrisque restituit. Ita Bar. anno Christi 441. et 463. Unde Claudian. in l. 2. de Statu anime agens de S. Eucherio: *Qui, ait, viridis ari, maturi animi, terræ despuens, cæli appetens, humilis spiritus, ardens merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquii profluvius, magnorum sui sæculi Pontificum longe maximus, edilis in rem fidei multigis variorum operum voluminibus, ad populum quoque super statu animæ concionatus est*. Quisquis ergo sapiens cum S. Eucherio despue terræ astra appetit, solum despice, cælum suspice, vana licet speciosa contemne, vera et æterna sectare, terrenis cunctis despuendo dicito: *Phy phy terra, quomodo sordes mihi, cum cælum aspicio?*

**QUIS COMMOVEBIT SUPER TE CAPUT.**) Septuag. *quis gemet eam?* Chald. Pagnin. et Vatabl. *quis contolebit tibi?* quia sicut antea nullius fuisti miserta, sic iam nullus miserabitur tui. Tigurina, *quis eius gratia iter suscipiet?* ut ei opituletur. Hebr. ad verbum est, *quis movebit ei, vel pro ea?* scilicet pedes, vel potius caput: commotio enim capitis super allicto, signum est condolentiæ et compassionis, Iob 16. 3. Ierem. 18. 16. et alibi.

**UNDE QUÆRAM CONSOLATOREM TIBI.**) q. d. Nusquam invenietur, qui te consoletur, quia invisus es omnibus, ideoque omnes experti tuam tyrannidem gaudebant de tuo casu et ruina. Ita Vatabl.

**NUMQUID MELIOR ES ALEXANDRIA POPULORUM.**) Id est Vers. 8. populosa, quæ multos habet populos, quæ abundat multitudine et turbis. Ita Pagnin. Vatabl. Mariana, et alii: hoc enim significat Hebr. אַמּוֹן *amon*; positum enim est pro הַמּוֹן *hamon*. Rursum Amon est cognomen Alexandriae, eo quod ipsa sita fuerit in regione Ammonia, non longe a fano Iovis Ammonii. Vide dicta Ierem. 46. 10. Unde Syrus vertit, *numquid melior es Iovon Amon* (id est, Alexandria, quæ etiam Amon aquarum dicitur. Ita Lexica Syriaea) *quæ sedet in fluminibus?* Quare alienius vertit Arabicus Antiochen. *numquid tu melior es buar* (exilio) *Moab?* et Alexandr. *para tibi sortem de civitatibus Horod, id est, Scytharum, aut sortem de Tammuz, quæ habitat in fluminibus*. Nisi dicas Alexandriam dici Tammuz a suo idolo, eo quod coluerit Tammuz, id est, Adonidem amasium veneris; quod creditu est facile: fuit enim hæc urbs opibus et deliciis, indeque luxu et luxuria dilfluens. Sensus est: Numquid o Ninive tu melior, id est, maior, fortior, populosior, potentior, es Alexandria populosissima et fortissima? ulpote quæ ab una parte Nilo, ab altera lacu Marcotico, a tertia mari, a quarta incommeabili solitudine cingitur, ut docet Ioseph. lib. 2. Belli cap. 16. Vide eius situm et descriptionem apud Abrahamum Ortelium in Theatro urbium, q. d. Si Alexandria, quæ et situ loci, et civium multitudiæ videtur munitissima, inaccessa et inexpugnabilis, expugnabitur tamen et capietur; non est quod tu o Ninive tuo robori præfidas; nam pari modo expugnaberis capierisque et tu. Ita S. Hier. Theodoret. Rupert. Remig. Hugo, Lyran. et alii.

D Nota Primo. Urbs hæc tempore Nahum et Ieremiæ dicta est No, ut habet textus Hebræus, quæ postea, scilicet post annos 200. nimirum anno 320. ante nativitatem Christi, restaurata et amplificata ab Alexandro Magno, ex eo dicta est Alexandria, uti docet Plinius l. 5. 10. Solinus c. 35. Strabo l. 14. et alii. Prædicta hic Nahum, uti et Ierem. c. 46. 10. eam evertendam a Nabuchodonosore; quod licet aliqui, ut a Castro, factum censeant ante excidium Ierusalem, nimirum anno 1. Nabuchodonosoris; tamen longe verius est id factum esse post exidium Ierusalem, anno 23. vel 24. Nabuchodonosoris, uti ostendi c. 2. v. 1. idque satis significat hic Nahum.

Nota Secundo. Urbs hæc fuit Egypti celeberrima, opulentissima, munitissima et populosissima. Unde Alexander Magnus eandem ad elligiem chlamydis Macedoniæ, ait Plinius l. 5. 10. orbe gyrato, spatio septemdecim dierum, ut Iustinus testatur lib. 11. extractis muris, qui se extenderent ad sex millia passuum, magnifice restituit.

Tropol. de furo Ninives, id est mundi.

Alexandriae orientis.

splendor.

Urbs fuit omnium post Romam maxima (unde hic cum Ninive comparatur, quam maximam fuisse docet Ionas c. 3. 3.) longa stadiis triginta, lata decem, ambitu ipso complectens passuum millia quindecim. Addit Q. Curt. lib. 4. de Gestis Alexandri: *Fama est, ait, cum rex urbis futuris muris potentiam, ut Macedonum mos est, destinasset, avium greges advolasse et potentia esse pastas. Cumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum, respondisse vates; magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta praebituram.* Portum enim habet optimum, cui ad dexteram obiecta Pharos insula, turrim maximam sustinet, ad trecenta usque stadia navigantibus igne lucentem. Quocirca cum Romanis paruit, pendebat plus tributorum singulis mensibus, quam Hierosolyma toto anno, et praeter pecuniam, annonam quatuor mensium plebi Romanae ministrabat. Alexandria ergo, quam Strabo l. 14. urbem potentem et populosam nominat, Alexandri Magni opus, nomen et bustum, emporium erat totius Aegypti vetustissimum, loco ad mereimonia opportuno situm, nimirum ad littus nostri maris, iuxta Canobicum Nili ostium, in Africam vergens. Urbs olim magnifica, superbissimis aedificiis, tam publicis quam privatis. Quam deinde ob cultum divinum isthic florentem, plebisque sanctimoniam, paradisum Domini veteres nuncuparunt; sicut et Antiochiam Theopolim. Quocirca Augustus Caesar, post devictum Antonium Alexandriam veniens, et fundatoris corpus reverenter aspiciens, triplici de causa se eandem, licet hostilem, et Antonio faventem conservasse, palam est fassus: scilicet ob Alexandri memoriam, pulchritudinem urbis, et propter Arrium Philosophum, qui in Universitate Alexandrina professor, magno apud Augustum in honore fuit. In ea enim fuit Musaeum Serapium et Isaeum, a Musis, Serapi et Iside denominatum. S. Marcus tandem Evangelista a S. Petro eo missus, Alexandrinis fide et religione Christiana imbuit per 20. annos, et pro ea ibidem Martyr oecubuit. Insuper ipse Alexandriae Ecclesiasticam scholam instituit, cui doctissimi semper et sanctissimi viri praefuerunt, ut Pantenus; deinde Origenes, qui arcem Philosophiae et eloquentiae occupans, ibidem in Sacra Scriptura sua hexapla et octapla, ac in eam commentaria illustra exaravit. Origeni successit Heraclas; huic Dionysius, Athenodorus, Malchion, Didymus, S. Athanasius, Cyrill. Theophylus, etc. Hic S. Hieron. S. Basilus, S. Gregor. Nazianzenus, aliique praestantissimi viri eruditi sunt. Celebris fuit et hic scriptis Philo Iudaeus. Quantum hic floverit Mathesis, docet Cicero l. 1. de Divinat. De magnifica et omnium disciplinarum libris instructissima Bibliotheca Alexandrina, in qua erant quadraginta millia librorum, quam Aristoteles primum instituit, testis est Strabo lib. 13. hanc Ptolemæus Philadelphus, secundus ab Alexandro Magno Aegypti rex, mire auxit libris ex Graecia, praesertim Athenis et Rhodo petitis, teste Athenæo lib. 1. c. 17. sed maxime sacris Bibliis, in Graecum translatis a Septuag. interpretibus, quos ipse ab Eleazaro pontifice postulavit. Haec ergo versio Septuag. Interpr. facta et eusa est Alexandriae. Ita Euseb. lib. 8. de Praep. cap. 1. Ioseph l. 12. Antiq. c. 2. Clem. Alex. l. 1. Strom. et alii. Denique Alexandria fuit S. Catharina, quae ibidem decollata, lae pro sanguine fudisse fertur. Merito ergo Nahum Alexandriam confert cum Ninive tum in magnitudine, tum in frequentia, tum in robore, tum in elade excidii.

Nota Tertio. Pro *Alexandria populorum* hebraice est מִנְּא אַמּוֹן *minno amon*; sed Septuag. aliis punetis legentes מַנָּא *mana* (unde *mina* et *mna*) *Amon*, vertunt, *pars Ammon*. Sic enim habent, *apta chordam pars Ammon*. Per *Ammon* aliqui Ammonitas Moabitis vicinos accipiunt. Melius accipias Ammonitidem Aegypti, iuxta quam sita erat Alexandria, q. d. O Ammonitis regio, o Alexandria, vastaberis: *apta* ergo chordas tuae lyræ, ut eanas tibi lyricum et funebre earmen. Ita S. Hieron. qui et aliter explicat, nimirum de Ninive, q. d. *O Ninive inordinatum et incompositum tuum, et in diversa discrepans in chordarum similitudinem apta, ut fiat harmonia, et*

*vocalis in laudes Dei concertus; quia nihil tibi proderit species et magnitudo tua, quæ præcipua habere te credis, nisi te aptaveris ad canendum. Considera enim omnem partem sortis filiorum Ammon, et quæcumque æstimantur possidere bona, quomodo eos non defenderint, ne irent in captivitatem: sic nec tua te defendent.* Verum priorem sensum præfert S. Hier. et merito: non enim agitur hic de filiis Lot, Ammon et Moab, sed de Amnone Aegypti.

Nota Quarto. Pro *Alexandria populorum*, verti potest, *Alexandria tumultus*, uti vertit Noster Ierem. 46. 25. utrumque enim significat Amon, vel Hamon, quia populus adducit turbam, turba parit tumultum, tumultus seditionem, seditio stragem et exitium. Prudenter Livius lib. 2. *Opulentis, ait, civitatibus venenum seditio, magna imperia mortalia reddidit.* Hinc rursum sapienter monet Thueydides lib. 4. *Curandum est, inquit, vicinis populis, ut pax inter vicinos populos colatur, ne eorum tumultus et bellum tumultum et bellum vicinis afflet et asserat.* Hac de causa urbes et regiones populosæ, ut sese in pacem conservent, oportet ut foras ad bellum, vel ad novas colonias sæpe multos ex illis emittant, praesertim otiosos, inquietos, acres et pugnaces. Ita de Hispanis scribit Iustin. lib. 44. *Hispani, inquit, bellum quam otium malunt: si extraneus deest, domi hostem quaerunt.* Et Carolus V. Imper. dixisse fertur Francisco Valesio Galliarum regi: *Tui Franci et mei Hispani adeo sunt fervidi et ardentis, ut si bellum nulli moveant, illud suo inferant principi.* Quocirca acute vir sapiens pronunciauit: *Gallia ut sana sit et sese in pacem conservet, necesse est ut quolibet decennio sanguinem mittat.* Quin et S. Catharina Senensis hac de causa suasit Gregorio Undecimo, et Urbano Sexto Pontif. bellum sanctum inferendum Saracenis et Turcis; cumque ei obiceret Pontifex, id intempestivum esse ob intestinas discordias et bella, respondit illa, efficax medium ad sopiendas has discordias, fore bellum Tureicum: in eo enim Christianos posituros privatas lites, et communibus animis contra communem fidei hostem libenter ituros. Insuper in illud emissuros homines otiosos et pugnaces, et his emissis pacem domi fore. Sapiens utique consilium, quod utinam caperent et practicerent Reip. et Ecclesiae Principes: nam domi ditiones suas pacarent, et alienas infidelium sibi et Ecclesiae acquirerent. Id de S. Catharina Senensi refert Ambros. Catharinus in eius Vita. Pari modo tumultus populorum perdidit Alexandriam: quod ut significet Nahum, argute vocat eam Alexandriam Amon, id est, populorum et tumultus. Alexandrini enim aliique Orientales calidi sunt, et callidi: calor facit eos mobiles, mutabiles, biliosos, pugnaces: calliditas facit vafros, subtiles, dolosos, industrios ad machinandum tumultus et bella.

QUÆ HABITAT IN FLUMINIBUS. ) Quia Alexandria ab ortu et ocaasu eingitur Nilo, qui in varios rivos se dividens urbem interluit, multasque in ea facit insulas.

AQUÆ IN CIRCUITU EIUS. ) Vatabl. *aquis est circumflua*: quia ab Oriente et Occidente Nilo, a Septemtrione mari, a Meridie lacu Marcotico vallatur. Unde *aquæ sunt muricis: cuius divitiæ mare*; quia per mare omnis generis merces, eo quasi ad Orientis, imo orbis, emporium comportantur. Scribunt Osorius, Maffei l. 1. de Rebus Indic. et alii, antequam Lusitani navigarent in Indiam, et Goa merces Indicas deveherent Ulyssiponem, omnes illas ex India solitas advehi Alexandriam, et ex ea develi Venetias, indeque distribui per Europam. Pro *divitiæ* hebr. est חַיִל *chel*, quod robor aequæ ac opes significat. Unde Chald. vertit, *cuius murus est mare*; Pagnin *cuius antemurale est mare*; Tigurina, *cuius propugnaculum est mare*; Septuag. vero *chel* derivantes a חוֹל *chol*, id est, incipere vertunt, *cuius principium est mare*. Hinc patet Alexandriam aquis et situ fuisse munitissimam. Nam, ut ait Iosephus lib. 2. de bello c. 16. *Munitur undique aut incommobili solitudine, aut importuoso mari, aut fluminibus, aut canosis paludibus.* Et Solinus Polyhist. c. 35. *Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, caeco mari, tribusque tantum canalibus admittit navigantes.*

Poñt.  
Bellum  
foris,  
creat do-  
mi pa-  
cem.

Et S. Cyril. eius Patriarcha: *Alexandria*, ait, *super alias Aegypti urbes plurimum excolebat, tuta a praedonibus, et securum perfugium, quod aquis undique ambiatur; et versus Aquilonem mari alluatur, versus Austrum vero latam et longam, et velut alterum mare, paludem inquam Mareoticam, habeat: munita sit insuper aliis fluminibus, et lacubus cingatur.*

Vers. 9. **ÆTHIOPIA FORTITUDO EIUS.**) Æthiopia enim, sive Abyssinia, vicina est et adiacens Alexandriae: unde vocatur Æthiopia sub Aegypto. Alexandria ergo facile ex Æthiopia auxiliaria copias ad se evocabat, et facilius ex vicinissima Aegypto.

**ET NON EST FINIS.**) Scilicet militum et copiarum, quas ex vicinis gentibus sibi confederatis ad se accersebat. Nam et

**AFRICA ET LIBYES FUERUNT IN AUXILIO TUO.**) q. d. Auxiliarem habebas totam Africam, et maxime viciniorum eius partem, scilicet Libyam. In voce tuo, est enallage personae Hebraeis usitata. Transit enim a tertia persona ad secundam. Aliter Vatabl. q. d. Æthiopia et Aegyptus erant auxilio Alexandriae, sicut tibi o Ninive auxiliabantur Africa et Libya. Verum Africa et Libya vicinae sunt Alexandriae, remotae vero admodum a Ninive: unde proelive et facile erat Alexandrius inde evocare auxilia, non vero Ninivitis.

Vers. 10. **SED ET IPSA (Alexandria) DUCTA EST IN CAPTIVITATEM.**) Hinc Clarus et Arias censent Alexandriam iam vastatam fuisse, cum hæc scriberet Nahum. Verum ex Ieremia c. 46. 10. constat eam vastatam a Nabuchodonosore, qui diu post Nahum vixit. Est ergo enallage temporis prophetica; ponitur enim præteritum pro futuro, *ducta est*, id est, ducetur, *in captivitatem*.

Allegor. Alexandria populorum, est Ecclesia ex omnibus populis collecta, quæ, ut inquit S. Hieron. *habitat super omnes Prophetas, et habet doctores in circuitu suo, quorum de ventre manant flumina: cuius initium est mare*, id est, lex quæ amara est, nisi ligno crucis Christi dulcoretur: *quæ habet Æthiopiæ in fortitudine. Æthiopia quippe præveniet manus eius Deo, et Aegyptum, in quam Dominus venit in nube levi: et Libyes, qui antea habitabant in arenibus, et postea facti sunt in auxilio eius. Et hæc ergo, si non se attenderit, et omni diligentia custodierit eor suum, captiva ducetur, et plangat filios suos. Et tu ergo Ninive, homines videlicet infideles, homines mundo inhærentes, senties supplicia, et conspiceris calice meo, cum illi quoque biberint, qui de mea parte fuerant, et suo vitio corruerunt.*

**PARVULI EIUS ELISI SUNT.**) Allisi sunt ad saxa a Chaldaeis, quod summæ crudelitatis æque ac miseriæ est argumentum.

**ET SUPER INCLYTOS EIUS MISERUNT SORTEM.**) q. d. Chaldaei super viros nobiles et primores Alexandrinus a se captos sortem iecerunt, atque eos quasi maucipia sortito inter se distribuerunt.

Vers. 11. **ET OMNES OPTIMATES EIUS CONFIXI (Septuag. alligati; Tigurina, vincti) SUNT IN COMPEDIBUS.**

**ET TU ERGO, o Ninive, pari modo quo Alexandria, inebriaberis calice iræ Dei, ut puniaris et vasteris; ET ERIS DESPECTA.**) Adeo ut etiam ab inimicis, quos antea despexeras, cogaris opem poscere. Pro *despectu*, Chald. vertit, *pessumdata*; Pagnin. *abscondita*; Tigurina, *obscurata*, q. d. Abscondes te præ metu et trepidatione: vel, ut alii, tolleris de medio, ita ut non appareas; quia desines esse in rerum natura. Ita Vatabl.

Vers. 12. **OMNES MUNITIONES TUÆ SICUT FIGUS CUM GROSSIS SUIS.**) Duplices sunt in ficibus grossi: priores sunt primæ ficus, quæ proinde flores ficulnæ vocantur, utpote primo maturæ et sapidissimæ: posteriores sunt ficus immaturæ, quæ in hieme per se decidunt. De prioribus hic agitur, q. d. Sicut grossi, id est, primæ ficus præcoces et maturæ (has enim significat Hebr. ככוריים *biccurrim*) vento cum sua arbore concussæ, facile ex ea decidunt in os comedentis, id est, hominis sub ficu hiantis, ut fiens decedentes excipiat et comedat; ita tuæ munitiones o Ni-

nive, concussæ a Chaldaeis, illico corruent, et in os, id est, in manus et potestatem eorum, cadent. Hoc sensu ficus hic arborem significat, non fructum. Ita Chald. S. Hier. Haymo, Rupert. et alii passim. Secundo, et melius, Vatabl. a Castro et alii, per ficus accipiunt non arbores, sed fructus, q. d. Sicut ficus posteriores cum prioribus, sive præcoecibus, quæ grossi vocantur, vento agitatae decidunt in os comedentis; ita cadent muri et propugnacula Ninive in manus Chaldaeorum, idque facile et sine labore: non enim arbores, sed fructus ficuum cadunt in os comedentis. Unde Syrus vertit, *sicut ficus temporaneæ (primitivæ) quæ cum factæ (maturæ) fuerint, cadunt in os comedentis; Arabicus Antiochennus, sicut ficus pulchræ, quæ cum maturæ fuerint, cadunt de ore eas comedentis; Arabicus Alexandrinus, omnes habitationes tuæ tumentes quasi arbores ficuum, in quibus remanet residuum, quæ cum fuerint concussæ, cecidit quod in eis est comedenti illud.*

Ita Tropolog. animæ peccatorum sunt quasi ficus, et grossi quæ cadunt in os diaboli, ait Theophyl. uti in eius os cecidit Adam comedens pomum vetitum, quod videtur fuisse ficus. Sic pariter Anagogice in die iudicii, inquit Rupert. *quando manifeste veniet Deus noster, et non silebit; quando ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas valida; magno terræ motu cadent munitiones totius orbis, quantæcumque vel qualescumque tam spirituales quam materiales possunt intelligi, et illæ quarum primus structor fuit Cain, et illæ quas contra veritatem extruxit spiritus erroris, omnes cadent in os devorantis inferni, glutientis abyssi gehennalis incendii.*

**ECCE POPULUS TUUS MULIERES.**) Id est, quasi mulieres imbelles, effœminatus fuit o Ninive. Unde Chald. vertit, *ecce populus tuus imbecillus est instar mulierum, in medio tui: quia ob eius ignaviam et metum inimicis, etc. pendentur portæ; Vatabl. aperient se portæ, scilicet sponte sua, ut sit hyperbole. Tropolog. S. Hieron. Ninive, inquit, id est, homines sævulares ita passionibus enervati sunt, et viribus elanguerunt, ut imbecillitati mulierum comparentur. Nihil enim in animabus suis forte, nihil robustum possident et virile. Unde inimici prævalentes adversus eos aperuerunt omnes sensus eorum, et per corporales ianuas introgressi sunt; quia dissolutis manibus, id est, operibus voluptatis, quidquid in te habueras roboris perdidisti.*

**DEVORABIT IGNIS VECTES TUOS.**) Ignem proprie accipio, de quo dixi c. 2. 13. Aliter Vatabl. q. d. Vectes tui, qui alias solent esse ferrei et fortissimi, ad insultus Chaldaeorum non resistent, sed illico dissilient, ut videantur igne consumi.

**AQUAM PROPTER OBSIDIONEM HAURI TIBI.**) q. d. Instat tibi, o Ninive, obsidio; ad eam ergo te para, aquam et annonam compara: erit enim longa et diuturna obsidio. Urbes quedam earent puteis; unde per aquæ ductus forinsecus ex fontibus vel fluminibus, aquas in cisternas excipiunt et conservant; uti fit Brugis Flandrorum; quin et Romæ plerique aqua non puteali, sed fontana per aqueductus invecta utuntur. Talis videtur fuisse Ninive. Unde monet Propheta, ut ante obsidionem de aqua sibi provideat. Unde Syrus vertit, *aquas in tribulatione (obsidione) hauri tibi; Arabiens, aquam in angustia hauri tibi.*

**INTRA IN LUTUM.**) Hoc est, ut S. Hier. subigendo argillam lateres confice, quibus ruinas murorum obstruas; sed frustra id facies, quia ibi et in isto opere igne et ferro te vastabunt Chaldaei. Tropolog. S. Hieron. corpus, inquit, nostrum est lutum, et later: *quia quasi terra, et paleis, et aqua; ita carnibus, sanguine, venis, nervis, ossibusque compactum est, q. d. Quia semel, o anima, ingressa es lutum, et clausa corpore, sustine iniuriam et necessitates corporis, et conculcare ab inimicis, et omnia ad conficiendam carnem, quæ penitentiae digna sunt, patere. Semel enim assumens lutum et paleas, et inanibus huius sæculi negotiis involuta, debes per iniuriam sponte calcari. Et tamen noli salutem penitus desperare: esto confidens, et corpus, id est, laterem tuum, propter assumptum sermonem, quasi aquam in servitutem redige, et subice ti-*

Vers. 13.

Vers. 14

bi, ut domineris lateri tuo, ne vivax te gehennæ flamma consumat.

Vers. 15. PERIBIS GLADIO, DEVORABIT TE UT BRUCHUS.) q. d. Sicut bruchus omnia germina absumit, ita gladius hostilis omnia civium tuorum agmina perdet, et, ut ait S. Hieron. *quidquid in te vivens videbatur, et natura bono sponte germinans, avaro dente consumet, et quasi bruchus volatu perditto, et gravata pondere suo, ita et tu gravata onere peccatorum detraheris in terram.*

CONGREGARE ERGO UT BRUCHUS, MULTIPLICARE UT LOCUSTA.) q. d. Contrahe et collige numerum militum maximum, quantus esse solet numerus bruchorum et locustarum, si ita velis et possis. Sed frustra: nam nullæ copiæ te tutari valebunt; certo enim peribis. Est ironia. Bruchus est species locustæ, de qua dixi Joel 1. 4.

Vers. 16. PLURES FECISTI NEGOTIATIONES TEAS QUAM SINT STELLÆ CÆLI: BRUCHUS EXPANSUS EST, ET AVOLAVIT.) q. d. Plurimas collegisti merces et opes, sed istæ omnes ut bruchus eito a te avolabunt ad Chaldæos, a quibus diripientur. Vatabl. *plures habuisti mercatores, quam sint stellæ cæli: ipsi autem erunt sicut bruchus, qui ubi omnia depastus est avolat,* q. d. Mercatores tui, o Ninive, mox ut famam belli et obsidionis audierint, aufugient eum suis mercibus et opibus, instar bruchi deficiente germine avolantis. Sic et a Castro et Pagnin. qui vertit, *bruchus grassatus est, et avolavit.* Hoc est quod ait Sophar Job e. 20. 5. *Quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ instar puncti. Si ascenderit usque ad cælum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur: et qui cum viderant dicent. Ubi est? velut somnium avolans non inveniatur, transiet sicut visio nocturna.* Sic quoque accipi potest illud Sapientis Prov. 23. 5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere* (scilicet iuste et licite, q. d. Quas habere vel relinere est nefas) *quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum;* sicut aves captæ ab aucupe, dum patet exitus, illico ab eo quasi iniusto et tyranno avolant: simili enim modo opes ab iniustis possessoribus, quasi captivæ violenter detinentur: unde ut ab hæc captivitate in libertatem se asserant, serviantque Deo et iustis, propter quos creatæ sunt, ad eos advolant, uti docet Sapiens Prov. 28. 8.

Vers. 17. CUSTODES TUI QUASI LOCUSTÆ.) q. d. Dnees et milites, qui te o Ninive custodiebant, erunt quasi locustæ, quæ rectore carentes, in periculo huc illucque discurrunt, quæque nocturno frigore torpidæ, oriente sole inealescentes, avolant: ita et ignavi tui milites, accedente Chaldæo, quasi igne percussis et percussis diffugient. Nota. Custos Hebræis vocatur præfectus, rex, dominus: huius enim est custodire et tueri sibi subditos. Sic Job e. 7. 20. Deum vocat eustodem, id est, regem et dominum, hominum. Sic Ieremias e. 4. 17. custodes vocat reges gentium, qui venturi erant contra Ierusalem. Pro custodes, hebr. est *minnezaraich*, quod derivatur a נָזַר *nezzer*, id est, corona, diadema, coma, separatio, consecratio, nazaraetus. Unde Vatabl. vertit, *coronati tui*, id est, ut Pagnin. *magnates et principes tui*; Chald. *luminæ tuæ flammificant sicut locustæ. Laminæ*, scilicet coronarum et diadematum, quibus hi principes decorabantur: alii, *Nazaræi tui*; alii, *separati et consecrati tui*. Principes enim, sicut et sacerdotes, dignitate, æque ac corona et veste, a plebe erant separati. Tigurina, *comatuli tui locustas referunt*, q. d. Principes tui erant comati, ipsaque coma et cæsarie, velut corona et diademate, ab aliis fuerunt quasi dignitate separati. Coma enim et cæsaries in viro, est quasi corona dignitatis. Hinc Nazaræi apud Hebræos a vulgo separati erant, et quasi consecrati Deo per comam quam alebant: coma ergo erat insigne honoris et dignitatis.

ET PARVULI TUI QUASI LOCUSTÆ LOCUSTARUM.) *Parvuli*, id est, inferiores et gregarii milites, omnis generis et gentis. Hos enim significat Hebr. תַּפְסָר *taphsar*, quos proinde Septuag. vocant commistos, scilicet ex varia hominum sorte et gente: ita S. Hieron. hi enim, quia sunt parvi, et plurimi varique, recte comparantur locustis, uti iisdem comparantur ea de causa Madianitæ Iudic. 6. 5.

Taphsar  
quid?

Alii *taphsar* esse compositum ex תַּפַּח *taph*, id est, parvus, et סַר *sar*, id est, princeps. Unde Chald. vertit, *duces tui*; Pagnin. *principes tui*; Vatabl. *optimates tui*; Tigurina, *ingenui tui*; Arabiens Antioch. *armati tui*; Arab. Alexand. *populus tuus*; Syrus vero, *Nazaræi* (continentes, casti) *tui quasi locusta inhærens, vel infixa sepi.*

Melius *taphsar* exponas *parvus principis*, scilicet servus et miles. Ita Noster et Septuag. Porro *locusta locustarum*, est locusta non magna et prægrandis ut vult a Castro, sicut Canticum canticorum est magnum et insigne præ cæteris canticum; sed parva, puta proles et soboles locustæ, scilicet attelabus, ut vertunt Septuag. et Tigurina. Unde S. Hieron. sic explicat, q. d. *Sicut locustæ et bruchus, et paria genimina locustarum, quæ vocantur attelabi sole inealescente avolant, nec reperiuntur; sic tu o Ninive dispergeris et fugies. Natura enim locustarum est, ut in frigore torpentes, per calorem volitent. Porro attelabus, quem significantius comestorem interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum, et modicis pennis reptans potius, quam volans, semperque subtilis, et ob hanc causam ubicumque orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit; quia donec crescant pennæ, abire non potest. Vide de locustis et attelabis ea, quæ notavi Joel 1. 4. Ubi nota hebraismus: Hebræi enim eum volunt significare animal tenerum, et recens natum, ei adiungunt nomen matris, quasi ipsum adhuc matrem sectetur, ab eaque laetetur vel alatur. Sic vocantur agni ovium, id est, agni teneri, sequentes oves matres suas. Sic Alexander vocatur hireus caprarum, id est, hædus capram matrem sequens, quia erat iuvenis, Daniel. 8. v. 5. Sic catulus læææ vocatur leunculus læanam matrem comitans. Sic Samson ait Iudic. 15. 16. *In maxilla asini, tu mandibula pulli asinarum*, id est, aselli lactentis et sequentis asinam matrem suam, *delevi eos, et percussi mille viros.* Fortis enim viri est, per rem parvam magna facere, uti Samson per mandibulam aselli occidit mille Philistæos.*

C NON EST COGNITUS LOCUS EARUM.) Hoc est, ipsæ locustæ non sunt cognitæ, nec inventæ in loco suo, quia perierunt. Est hypallage. Vide dicta e. 1. 18.

DORMITAVERUNT PASTORES (principes et duces) TUI REX ASSUR.) O rex Ninives. Significat desidiam ducum causam fuisse, cur a Chaldæis caperetur Ninive, ac proinde ipsos dnees a Chaldæis esse occisos, et plebem dispersam. Hoc est enim quod subdit: *Sepelientur principes tui*, primo vino, deinde humo, q. d. Chaldaeï invadent Niniven somno vinoque sepultam, itaque sepultos occident, et in fossis sepelient. Septuag. vertunt *consopivit fortes tuos*, scilicet rex tuus o Ninive, sicut Balsasar mero consopivit optimates; quos proinde Cyrus capta Babylone, eadem nocte oppressit et occidit, Daniel. e. 5. 1. et seq. Quod Tropol. S. Hieron. explicat de diabolo: hic enim est rex Ninives, id est, mundi: *Semper enim, inquit, diaboli studium est vigilantes animas consopire. Denique et in passione Domini Apostolorum oculos gravi sopore premit, quos Salvator suscitans ait: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Et rursus: Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Hinc quos ille suavi et pernicioso earmine Sirenarum illexerit ad dormiendum, excitat sermo divinus, et dicit: Surge qui dormis, et illuminabit te Christus*, Ephes. 5. Unde idem Anagog. dicit Christus in exordio Ninives, id est, in fine mundi, eum homines ob peccatum somno mortis consopitos resuscitabit, facietque resurgere ad vitam beatam.

LATITAVIT POPULUS TUUS IN MONTIBUS.) Chald. Tigurina et Pagnin. *dispersus est populus tuus per montes*, scilicet fugiens Chaldæos, ac in montibus et speluncis ab eis se abscondens.

NON EST OBSCURA CONTRITIO TUA.) q. d. Clades et strages tua o Ninive, tuum inquam exidum, non est secretum, sed publicum totique orbi conspicuum. Septuag. vertunt, *non est sanitas contritionis tuæ*, id est, plagæ et vulneris tibi a Chaldæis inflieti. Chald. *non est qui doleat sibi de fractione tua*, q. d. Non est qui tibi tuæque pla-

Diabolus  
omnium,  
Christus  
vigilantiam  
inducit.

Vers. 19.



gæ condoleat. Pagain. *non est curatio fracturæ tuæ; Ti- gurina, neque leve est vulnus tuum, sed acerba plaga tua; Vatabl. non erit curatio fracturæ tuæ, doloris plena erit plaga tua,* id est, fractura tua nulla ratione curari poterit; vulnus quod accipies a Chaldaeis, erit plenum doloris.

OMNES QUI AUDIERUNT AUDITIONEM TUAM; hoc est rumorem et famam de tua calamitate et excidio. Est metonymia; ponitur enim actus pro objecto, scilicet auditio pro re audita, puta pro nuncio et fama: COMPRESSERUNT MANUM SUPER TE.) Id est ut Chald. *comploserunt super te manibus lactantes;* quia tua malitia et tyrannis, per tributa, onera, aliasque exactiones et oppressiones transit per universos, omnesque iugiter vexavit, q. d. Quia alios semper afflixisti, ideo nunc pari modo alliget te Deus per Chaldaeos, omnesque gaudebunt, et laudabunt iustum Dei in te iudicium.

Symbol. et Tropol. omnia quæ hisce tribus capitibus de Ninive, eiusque pompa, opibus, viribus, gloria, illecebris, furo, fraudibus, vanitate, et excidio dicta sunt a Prophe- ta, facile est mutato tantum nomine Ninives in nomen mundi, adaptare mundo, eiusque pompæ, opibus, gloriæ, vanitati, et interitui, quæ in dies oculis nostris cernimus, et plene cernemus in eius fine, puta in die iudicii. Quo- circa sapienter monet S. Ioan. 1. ep. 2. 15. *Nolite dili- gere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Et rursus: *Mun- dus transit et concupiscentia eius.* Ubi S. August. *Quid vis, ait, utrum amare temporalia, et transire cum tempore; an Christum amare, et in æternum vivere?* idem E- pist. 36. *Vincula, ait, huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miserix, spem beatitudinis inanem.* S. Ambros. 1. de Vir- gin. *Discite, ait, in hoc mundo super mundum esse. Si corpus geritis, volitet in vobis ales interior.* S. Chrysost. hom. 77. in Matth. *Cur perforato dolio aquam ingeris? Nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quam flammam decerpere, quam pugnâ acra cedere. Certe fru- stra curris. Vanitas enim omnia.* S. Gregor. hom. 3. in Evang. *Despiciamus, ait, euncta præsentia. Nulla sunt et- enim, quæ transire possunt. Turpe sit deligere, quod constat citius perire. Non nos terrenarum rerum amor supe- ret, non superbia, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non invidia consumat.* Et hom. 5. *Ipsæ ruinæ eius prædi- cant, quod amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: et qui stantem dilexerat, recedere quanto citius a cadente fe- stinaret. Si igitur mundus cadit, et nos eum amundo am- plectimur, opprimi volumus potius, quam habitare: quia nulla nos ratio a ruina illius separat, quos eius passioni- bus amor ligat.* S. Bernardus passim mundum vocat stabulum, viam peccatorum, carcerem, atrium diaboli, noc- tem, plenum spinis, crucem, infidum, amantem nihil, vento vanitatis impulsus, inimicum Deo. *Impellit, ait ip- se serm. 85. in Cant. omnes, sed solos evertit unicos suos, id est consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse huius mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus gravior casus.* Idem serm. 9. in cœna Domini: *Amor, ait, mundi totum mundum quæ- rit, et nunquam satiatur. Imo cum plus habet, plus cupit semper habere. Amor Dei, unum cupit semper habere solum, illo contentus est, nil aliud iam possidere præoptat. Amor Dei nil aliud quærit, nisi solum Deum.* Idem serm.

A de miseria humana: *Vale miser homo, quia totum est va- nitas, totum stultitia, totum dementia quidquid facis in hoc mundo, præter id solum quod in Deum, et propter Deum, et ad honorem Dei facis. Et mundum diligis, et Deum re- linquis; mundum qui diligit, semper est in angustia; mun- do vivere mors est; mundo anima mortua vivet. Dum vi- vis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vi- vere incipias,* ait ipse epist. 105. Idem in Meditat. *Dic mihi, ait, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tem- pora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende diligenter, qui sunt et fuerunt, sicut tu, comederunt et hiberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eor- um vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, do- nec rursus infelici collegio colligati, sempiternis ignibus involvantur. Qui socii fuerunt in vitiis, socii erunt in pœ- nis: una namque pœna illos implicat, quos unus amor in crimine ligat.* Boetius 1. 2. de Consol. metro 3.

*Rara si constat sua forma mundo,  
Si tantus variat vices,  
Crede fortunæ hominum caducis,  
Bonis crede fugacibus.*

*Constat æterna positumque lege est,  
Ut constet genitum nihil.*

Quin et Cicero Tuscul. 4. *Quid, ait, videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? Et Seneca inquit, leve esse et vanum hoc, quod apud homines felicitas dicitur; unam illi syllabam facillime accedere. Syllaba hæc est fel; felicitas enim terrena, eiusque mel facile in fel vertitur, aut est in: felicitas enim facile lit infelicitas. Et Plinius in Pa- negyr. Traiani: *Habet, ait, has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur.**

Hæc cogitabat, hæc sapiebat Aulienus ille Cæsaris, qui lecta vita S. Antonii, conversus ad socium: *Dic, ait, quæ- so te, omnibus laboribus nostris quo ambimus pervenire? Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maioræ esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quam- diu istud erit? Amicus autem Dei si esse voluerit, ecce nunc fio. Et mox: *Ego iam me abrui ab illa spe nostra, et Deo servire statui; et hoc ex hora hæc, hoc in loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, se adhæ- re socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Ambo ergo va- ledicentes aulæ et mundo, ibidem Dei obsequio se manci- parunt. Et ambo habebunt sponsas, quæ postea quam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem tibi o Domi- ne.* Ita S. August. lib. 8. Confess. cap. 6.*

Hæc sapiebat S. Romula, quæ mundum caleans, totam- que se dedicans Deo, moriens a duobus angelorum choris psallentibus dedueta est in cælum. De qua proinde S. Gre- gor. homil. 40. in Evang. ita exclamat: *O vos qui in hoc mundo divites aut esse creditis, aut estis, conferte, si po- testis, falsas divitias vestras veris divitijs Romulæ. Vos in huius mundi via, omnia amissuri possidetis; illa nihil quæ- sivit in itinere, et omnia invenit in perventione. Vos lætam vitam ducitis, tristem mortem timetis; illa tristem vitam pertulit, ad lætam mortem pervenit. Vos ad tempus quæ- ritis obsequium hominum: illa despecta ab hominibus in- venit socios choros Angelorum. Discite ergo fratres tempo- ralia cuncta despiciere; discite honorem transeuntem con- temnere, æternam gloriam amare.*



Symbol.  
omnia  
Ninives  
sunt  
mundi.

## COMMENTARIA

IN

## HABACUC PROPHE TAM

## ARGUMENTUM.

Habacuc  
idem est  
quod lu-  
ctator,  
scilicet  
cum Deo.

**S**ANCTUS Hieron. in prologo: *Habacuc*, ait, *vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur amplexatio, vel quod in certamen et luctam, et ( ut ita dicam ) amplexum cum Deo concreditur, amplexantis, id est, luctantis, sortitus est nomen* ( Habacuc enim deducitur a חַבְּקָה *chabak*, vel *habac*, id est, amplexari, complecti, stringere ) *Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad discipulationem iustitiæ provocare, et dicere: Cur in rebus humanis, et in mundi istius politia tanta rerum versatur iniquitas? Idem in Prologo galeato, qui Bibliis præfigitur: Habacuc, ait, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam, et figit gradum super munitiorem suam, ut Christum in cruce contempletur, et dicat: Operuit celos gloria eius, et laudis eius plena est terra. Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.*

Prophetavit sub  
Manasse

Chaldæus Paraphrastes tradit Habacuc fuisse filium Sunamitidis defunctum, quem Elisæus vitæ restituit, 4. Regum 5. 36. Verum obstat ratio temporum: nam Elisæus floruit sub Iosaphat; Habacuc vero diu post, sub Manasse. Isidorus et Epiph. in vita Habacuc, tradunt eum fuisse oriundum ex tribu Simeon, ex agro Bithiencar, vel, ut Epiph. nominat, Bexzochar. Hebræi in Seder olam censent, Nahum, Ioclem et Habacuc prophetasse sub Manasse, eum vero non nominasse ob eius impietatem et scelera. Verum præmio in Nahum ostendi prophetasse post excidium Samariæ, quod contigit anno 6. Ezechia, et ante obsidionem Hierosolymæ factam a Sennacherib, quæ contigit anno 14. Ezechia. Ergo inter annum 6. et 14. Ezechia prophetavit Nahum, quare sub idem tempus videtur prophetasse Habacuc: ita Ribera in præmio. Communior tamen sententia est, Habacuc ante Sophoniam et Ieremiam paulo post Nahum prophetasse sub Manasse: ita Hebræi, Guevara, a Castro, Vatabl. Clarius, Arias et alii. Videtur ergo Habacuc unus fuisse e Prophetis illis, quos Deus misit ad Manassen, ut eum de impietatibus suis arguerent, 4. Reg. 21. 10.

Contra  
Iuda et  
Ierusa-  
lem.

Putant aliqui, ut S. Hier. Remig. Albert. Hugo et Lyran. Habacuc post excidium Hierosolymæ, directe et ex professo prophetare excidium Babylonis et Chaldæorum, sicut Nahum, qui eum præcessit, prophetavit excidium Ninives et Chaldæorum. Verum dico: ex professo Habacuc tollit onus contra Iuda et Ierusalem, eorumque excidium per Chaldæos, consequenter tamen Chaldæorum quoque per Cyrum et Persas interitum prædicat. Solent enim Prophetæ tristibus læta subiungere, et post mias consolari. Ita hic Habacuc, ut soletur Iudæos a Chaldæis vastandos et in Babylonem abduccendos, prædicat Chal-

dæos pariter post 70. annos a Cyro perdendos, tumque Iudæos e Babylone liberandos et in patriam redituros: ita S. Greg. Nazianz. orat. 1. Apol. et ibi Elias Cret. S. Chrysost. libr. 2. de Providentia, Theod. Theophyl. Guevara. Porro a Cyro liberatore, exemplo Isaia c. 45. 8. assurgit ad Christum redemptorem, eique cap. 3. carmen insigne pangit, quo eius natalem, vitam, passionem, resurrectionem, secundum adventum ad iudicium, quo impios damnabit, pios beabit, graphice depingit et celebrat. Nam liberatio Iudæorum e Babylone, fuit typus liberationis hominum e servitute peccati, diaboli et inferni. Iudæa enim, sive terra promissa typus est cælestis patriæ, Chaldæi dæmonum, Iudæi humani generis; Iesus filius Iosedec, Zorobabel, Esdras, et Cyrus Babyloais destructor vindæque Iudæorum, figuram gesserunt Christi, Regis et Pontificis, Redemptoris nostri. Hinc sequitur, hunc Habacuc ante

Alius est  
ab Habacuc  
Danielis

excidium Hierosolymæ prophetasse, ac consequenter non esse eundem cum Habacuc, qui per aerem raptus ab angelo, et ex Iudæa tractus in Babylonem, ibi prandium tulit Danieli c. 14. 32. coniecto in lacum leonum, uti censet S. Hieron. in prologo non tam ex sua, quam ex Hebræorum sententia. Ille enim Habacuc fuit diu post excidium Hierosolymæ, cum iam Iudæi in Babylone degere captivi: hic autem noster fuit ante excidium; nam illud prophetat dicens cap. 1. 6. *Eecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua*, etc. Adde, Daniele coniecto esse in lacum leonum sub Evilmerodach, qui patri Nabuchodonosori in regnum successit: Nabuchodonosor autem 44. annis regnavit, et ante eum Iosias regnavit in Iuda 31. annis, ante eum Amos annis duobus, ante Amon Manasses annis 55. ante Manassen Ezechias annis 29. Pone Habacuc cæpisse prophetare sub fine regni Ezechia, vel, ut Hebræi, sub Manasse, tumque eum fuisse 30. annorum ( nam ante trigesimum annum apud Hebræos ordinare nemini docere, aut prophetare licebat ) atque adde annos regum iam recensitos, colliges Habacuc longe superasse annum centesimum, si unus idemque fuit noster hic cum illo Danielis. Hoc autem non videtur probabile, nimirum quod vir ea ætate decrepitu prandium ferret messoribus. Quare sicut duo fuerunt Michæ Prophetæ, et duo Abdæ, uti dixi in eorum præmiis, ita et duo fuerunt Prophetæ habentes idem nomen Habacuc.

Denique Habacuc Sanctorum catalogo inscriptus legitur die 15. Ianuarii, ubi hæc de eo habentur: *In Iudæa sanctorum Habacuc et Michæ Prophetarum, quorum corpora sub Theodosio seniore divina revelatione reperta sunt.*

## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Queritur Habacuc de Iudæorum pravitate, quod scilicet nullus apud eos iuri et rationi sit locus; sed impune dominetur opum honorisque cupido, ideoque iniustus prævaleat adversus iustum, et egredietur iudicium perversum. Cui respondet Deus v. 5. se hanc pravitatem puniturum per Chaldæos, eamque Iudææ excidio vindicaturum. Quocirca mire Chaldæorum potentiam, celeritatem, industriam, ferociam et crudelitatem exaggerat. His minis terribus Habacuc v. 12. Deum precatur, ut suum populum quasi filium virga corripiat, non gladio interimat et perdat, eo quod minora sint peccata Iudæorum sceleribus Chaldæorum; ne dum leviora illorum expurgat, graviora horum sinat perpetrari.

1. **O** nus quod vidit Habacuc propheta. 2. Usquequo Domine clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? 3. Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et iniustitiam contra me? et factum est iudicium, et contradictio potentior. 4. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem iudicium: quia impius prævaleat adversus iustum, propterea egreditur iudicium perversum. 5. Aspicite in gentibus, et videte: admiramini, et obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo crederet, cum narrabitur. 6. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. 7. Horribilis et terribilis est: ex semetipsa iudicium, et onus eius egredietur. 8. Leviores pardis equi eius, et velociore lupis vespertinis: et diffundentur equites eius: equites namque eius de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. 9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens: et congregabit quasi arenam captivitatem. 10. Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. 11. Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet: hæc est fortitudo eius dei sui. 12. Numquid non tu a principio Domine Deus meus, sancte meus, et non moriemur? Domine in iudicium posuisti eum: et fortem ut corriperes, fundasti eum. 13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: et respicere ad iniquitatem non poteris: quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio iustiorum se? 14. Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. 15. Tolum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rele suum. Super hoc lætabitur et exultabit: 16. Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, et cibus eius electus. 17. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non parcat.

Vers. 1. **O** nus quod vidit Habacuc.) Pro *onus* Sept. vertunt, ὄνημα, id est, *assumptio*, qua scilicet Deus gratia prophetica mentem Habacuc corripiebat, et a rebus humanis abstrahens, rapiebat ad res divinas et futuras contemplandas, inquit Theodor. quem S. Petrus apud S. Clementem in lib. Recognit. sextum sensum appellat. Est, inquit, et alius sextus sensus, id est, *prænoscenti*: isti enim quinque sensus scientiæ capaces sunt, sextus autem præscientiæ, quem habuerunt Prophetæ. Porro *onus* est onerosa et minax prophetia. Vide dicta Nahum 1. 1.

Vers. 2. **USQUEQUO DOMINE.**) Aliqui censent Prophetam prævidisse excidium Hierosolymæ mox futurum per Chaldæos, pro eoque avertendo ardentem et crebro orasse; cumque videret se non exaudiri, sed immotam excidii manere sententiam, de eo hic queri apud Deum, non ex impatientia, sed ex dolore et commiseratione suæ gentis: ita Vatabl. et Ribera. Imo S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et Lyran. censent Prophetam hæc dixisse post vastatam Ierusalem, ac queri quod Deus permisisset eam ab infidelibus et impiis Chaldæis ita vastari.

Melius S. Chrysost. Nazianz. Theodor. Theophyl. Guevara et a Castro, quos citavi in proœmio, censent Prophetam conqueri de pravitate morum sui ævi sui que populi, quod scilicet cum Deum sæpe precatus esset, ut eam inliberet ac frænaret, non fuisset exauditus, sed potius scelera ipsa augeri et multiplicari cerneret. Hoc enim clare verba significant, cum subdit: *Lacerata est lex; quia impius prævaleat adversus iustum, propterea egreditur iudicium perversum.* Loquitur ergo non de tyrannide et violentia Chaldæorum, qui erant exleges, sed de perversitate Iudæorum, qui legem quam a Deo acceperant, violabant opprimendo iustos, eorumque causas et iudicia pervertendo. Unde Sept. vertunt, *contra me factum est iudicium, et iudex accipit.* Queritur itaque de populo Iudæico, quod, cum is sit fidelis et a Deo electus, tamen vi, rapina et sceleribus sit plenus, atque se disrueat eo quod Deus enim ab his non expurgat et liberet. Quocirca respondet ei Deus v. 5. se hæc scelera puniturum et expiaturum per Chal-

dæos. Ait ergo: *Usquequo Domine clamabo, ut cessare facias has rapinas et scelera in populo tuo, et non exaudies?* hoc est, et non exaudis me continuo clamantem.

**VOCIFERABOR AD TE VIM PATIENS.**) Hebr. *vociferabor ad te* שָׁמַח *chamas*, id est, iniquitas, q. d. Videns assidue tot rapinas et iniurias, ad singulas elamo *chamas*, dicoque, *En Domine chammas, en chammas, en nova vis, en nova rapina, en novum scelus.* Singula enim populi mei scelera ita me affligant, ut ab iis vim pati videar. Unde Chald. vertit, *clamito in conspectu tuo, numquid est apud te servandi potestas?* q. d. Video Domine in tuo meoque populo nullam esse Dei reverentiam, nullum hominum pudorem aut timorem, sed eos perfrieta fronte iniurias et iniquitates perpetrare, caleare divina et humana iura, opulentos et potentes affligere et opprimere inopes et innocentes, ac eorum bona nunc vi, nunc fraude corrudere; quin et arte vel armis, magistratus et eorum Reipubl. invadere, ac summa rerum potiri. Vides eadem tu o Domine, cur ergo taces? cur dissimulas? cur tantis malis non mederis? itane dormit tua providentia, tua vindicta, ut insontes opprimi, sontes dominari sinas? vim patior ego, affligor et erucior, nec ferre sustineo: zelus enim domus tuæ comedit me. Vim pateris et tu: quomodo eam sustines? videris tyrannis et impiis vel non posse, vel nolle defendere et salvare innocentes. Luget enim Habacuc, et Prophetæ probi et zelosi, non tantum ipsos læsos, et iniuriam passos, sed etiam (imo magis) ipsos lædentes et iniurios. Nam, ut ait Aristot. *Minor est iniuria iniuriam pati; maior iniuria est iniuriam inferre.* Et Socrates apud Platonem in Gorgia: *Qui iniuriatur, ait, iniustusque est, omnino est ante alios miser; miserior autem si iniuriarum penas nunquam luat; minus vero miser si luat, suppliciumque iustum diis hominibusque reportet.* Et Cato dicebat se male pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro perpetrato maleficio non dare pœnam: significans nil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora invitat, uti refert Plutarch. in Apoph. Rom. Luget ergo Habacuc, queriturque cur iniustitia prævaleat adversus iustitiam,

Impunitas luctuosa est peccanti.

et in iustos impune grassetur. *Et hoc dicit, ait S. Hieronymus, in prologo, præ mentis angustia, nesciens aurum in igne constari, et tres pueros de camino ignis puriores exisse quam intraverant. Sed et hoc generaliter accipere possumus, quod ex persona humanæ impatientiæ loquitur, ut in querulam vocem et plenam doloris erumpat, dicens: Quare respicis contemptores, et taces conculcanti impio iustiorum se? Hæc autem loquitur, nesciens iudicia Dei investigabilia, et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ eius, quod non ita videat Deus ut videt homo: homo tantum præsentia respicit; Deus futura et æterna cognoscit. Et quomodo si ægrotus et æstuans febribus aquam frigidam postulet, et dicat ad medicum: Vim patior, crucior, uror, exanimor: usquequo medice clamabo, et non exaudies? Et respondeat ei sapientissimus ac clementissimus medicus: Scio quo tempore dare debeam quod postulas, et non misercor modo, quia misericordia ista crudelitas est, et voluntas tua contra te petit. Ita et Deus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis proveocet eum ad rogandum, et quasi igne excoctum iustiorum et puriorum faciat. Hæc usque S. Hieron.*

Vers. 5.

**QUARE OSTENDISTI MIHI INIQUITATEM?** ) Aliqui vim ponunt in voce ostendisti, quasi hæc connectat sequentia præcedentibus, q. d. Tam iratus es populo tuo, ut non satis habeas precibus et clamoribus meis non annuere: vis etiam mihi os obstruere, ne elamem; ne forte, quæ tua bonitas et clementia est, furorem tuum avertas. Nam cum mihi tot tantaque populi scelera ostendis, et ante oculos proponis, quasi frænum et vincula mihi in labia iuicis. Quis enim cum tantam populi iniquitatem cernat, atque iniurias, quibus nomen tuum sanctum allecit, et afflicere pergit, audeat se pro eo deprecatorum interponere, aut etiam aspectum tuum subire? Visne igitur populum istum nemine intercedente delere? ita Mart. de Roa lib. 1. Singul. cap. 2. Secundo et simplicius, ostendisti, id est, exhibuisti, hoc est exhiberi et fieri permisisti, q. d. Cur permittis, cur fieri sinis tantam iniquitatem, quæ oculis meis ostensa et exhibitæ, dire me eruciat?

**ET LABOREM.** ) Labor hic tum passive accipi potest pro dolore et molestia patientium vim et iniurias impiorum. Unde Septuag. vertunt, quare mihi ostendisti labores et dolores afflictorum? hic enim mihi compassionem movent, siquæ similem dolorem. Tum potius active pro afflictione quam nocentes innocentibus inferunt. Unde Chald. vertit, conspicio operantes laborem falsitatis, q. d. Quare video impios alligentes pios? tuum enim o Domine est de eis pœnas sumere. Ita Vatabl. et Pagu. qui pro labore vertunt, perversitatem. Vis enim et iniuria, adeoque quodvis peccatum in Scriptura vocatur **אמל** amal, id est, labor; tum quia cum labore incipit et agitur, atque in laborem et dolorem desinit. Quot enim quantosque labores et dolores subit avarus, currens per terras et maria ad Indos usque, ut opes congerat? luxuriosus, ut libidinem; gulosus, ut gulam; iracundus, ut iram et vindictam expleat? Sane modicam voluptatem magno labore emunt, quæ deinde in æternos labores et tormenta vertitur. Tum quia aliis quos vel affligit, vel scandalizat, dolorem et laborem infligit. Labor enim agentis et iniuriantis, labor quoque est patientis et iniuriam sustinentis: hæc enim sunt connexa et correlativa. Tum denique, quia Prophetis et viris sanctis pro Deo et iustitia zelantibus, ingentem concitat dolorem iniuria tam activa iniuriantis, quam passiva sustinentis. Unde laborem hunc suum explicans Habacuc, subdit:

**VIDERE PRÆDAM ET INIUSTITIAM,** Hebr. *chamas*, id est, vim, violentiam, iniuriam, oppressionem, **CONTRA ME.** ) Id est, coram me, ut habent Hebr. et Chald. q. d. Me vidente, gemente et renitente. Sic peccatum vocatur labor, vel dolor, Ps. 7. 15. *Eccc parturit iniustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Ps. 9. 27. *Cuius maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo, et sub lingua eius labor et dolor.* Psal. 34. 11. *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius et*

*iniustitia.* Psal. 139. 10. *Labor labiorum ipsorum operiet eos, q. d. Suis fraudibus et dolosis labiis capientur, doli in caput eorum recident.* Eccl. 10. 15. *Labor stultorum affliget eos.* Isaie 59. 4. *Conceperunt dolorem, et pepererunt iniquitatem.* Hoc est quod in die iudicii improbi gementes dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum iactantia quid contulit nobis?* Sapient. 5. 7. Labor enim magnus impiorum desinit in maiorem, imo æternum dolorem: labor vero piorum parvus desinit in immensum et æternum gaudium.

**ET FACTUM EST IUDICIUM ET CONTRADICTIONE POTENTIOR.** ) Hebr. *et fiet ut lis et contentio exaltetur*, vel exaltet se, ut scilicet fiat potentior, et aliis prævaleat. Pro iudicio enim hebr. est **רִיב** rib, id est, litigium, iurgium, hoc est, ut explicans subdit, *contradictio*; Pagnin. *contentio*, q. d. Perversi qui lites et iurgia serunt urgentique, potentiores sunt iustis simplicibus et quietis, eosque in iudicio et iurgio supplantant et expilant. Unde Chald. vertit, *direptores et raptores coram me sunt, atque contentione et superbia ipsi prævalent.* Sic sæpe videmus superbos et impudentes contentione et iurgio obtinere, quod iure et ratione assequi nequeant: quia viri graves et modesti nolunt eum iis rixari, nolunt eorum importunis clamoribus sibi caput obtundi. Unde ut ab iis se liberent, dant eis quod postulant. Vatabl. vertit, *quare est qui suscipiat rixam et contentionem?* subaudi contra me.

**PROPTER HOC LACERATA EST LEX.** ) Septuag. *dissipata est lex*; Vatabl. *debilitata est lex*: Chald. *languescit lex*; Tigurina, *idecirco lex non viget*, tum quia iniqui sua potentia leges et iura, iudicia et iudices pervertunt. Ita S. Hier. Theodor. Hugo et Lyran. tum quia pii videntes impios sua impietate prævalere, in studio legis et pietatis languescunt, atque in impiorum partem et sortem inclinant: ita Clarius, Arias et alii. Sic ait Seneca in Hercule Furente:

*Ius est in armis, opprimit leges timor.*

Et Ennius:

*Tollitur e medio sapientia, vi geritur res.*

*Non ex iure manu concertum, sed mage ferro Rem repetunt.*

**ET NON PERVENIT USQUE AD FINEM IUDICIUM.** ) Ita et Septuag. q. d. Propter hanc iniquorum potentiam et perversitatem, iudicium non potest assequi suum finem, qui est, ut iustitia in lite evineat et dominetur, iniustitia vero et violentia vincantur et proserbantur; ut iusti defendantur, iniusti puniantur; ut iuste et pacifice vivatur imperante lege et iustitia. Iudicii enim finis est iustitia, ait S. Ambros. serm. 16. in Psalm. 118. Tigurina vertit, *nec habet efficacem executionem iudicium*; quia eam suis muneribus, suaque vi et potentia impediunt et invertunt potentes et iniqui. Secundo, aliter exponit Clarius, Arias et Vatabl. q. d. Propterea homines impii laceraunt violentiam legem, quia putant quod ad eos non perveniet iudicium, id est, iusta ultio et vindicta Dei, usque ad finem, id est, in æternum; quod scilicet Deus nunquam eos puniet; vel quod nullus sit, sed casu omnia regantur; vel quod non curet res humanas; vel quod dæmoni alicui perverso eas regendas tradiderit. Tertio, pro ad finem hebr. est **לנצח** lanetsach, quod verti potest, *ad victoriam*. Unde clare sic vertas, *et non pervenit iudicium*, scilicet iustum, *ad victoriam*: quia ab iniustitia exundante, puta ab iniustis potentibus, vincitur et obruitur. Primus sensus est genuinus, eumque exposcit Latina versio et Septuag.

**QUIA IMPIUS PRÆVALET ADVERSUS IUSTUM.** Hebr. *quia impius circumdat instar coronæ* (id est, ut Tigurina, *circumvenit*, arctat, opprimit) *iustum*, **PROPTEREA EGREDITUR IUDICIUM PERVERSUM.** ) q. d. Quia impii opprimunt pios, propterea pervertuntur indices et iudicia, ut iniquas ferant sententias in favorem iniquorum, et noxam iustorum. Idem repetit et inculcat. Aliter Vatabl. q. d. Quia homines vident impios prævalere piis, propterea perverse putant iudicium Dei esse iniustum, hoc est, Deum non

curare iustos, nec punire iniustos ob causas paulo ante dictas. Loquitur non de Nabuchodonosore opprimente Iudaeos, ut vult S. Hieron. eiusque assectae; sed de Hierosolymis et Iudaeis opprimentibus suos cives simplices et pauperes. Ita Theodor. Theophyl. et alii superius citati. Hic finitur querela Prophetæ de impiorum tyrannide et dominio in pios cum Deo expostulantis: sequitur Dei ad eum responsio.

Moral. Discite hic non scrutari, sed admirari arcanum iudiciorum Dei, quo pios opprimi, impios prosperari et dominari permittit. Hoc enim multi scrutari volentes, nec penetrare valentes, eo prolapsi sunt, ut dubitarent de Dei providentia, an scilicet esset Numen aliquod universo præsidens; an Deus curaret res hominum, an vero circa cardines cæli perambulans, eas negligeret, et velut indiguas se despiceret. Ita Ovid. l. 3. Amor. eleg. 8.

*Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,  
Solicitor nullos esse putare deos.*

*Vive pius, moriere pius; cole sacra, colentem  
Mors gravis a templis in cavea busta trahet.*

Tales sunt et illi apud Iuvenalem satyra 3.

*Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponunt,  
Et nullo credunt mundum rectore moveri,  
Natura volente vices et lucis et anni.*

Cato, inquit Plutarch. in eius vita, cum Pompeio res infelicitate succederent, et ad Cæsarem inclinat victoria, dicebat in rebus divinis multum esse caliginis, quod Pompeio præter ius agentis fuissent omnia prospera, causam Reip. tuenti nihil succederet. Audi Lucan. lib. 1. Pharsal.

*Nec quisquam iam ferre potest, Cæsare priorem  
Pompeiusve parem: quis iustus induit arma  
Scire nefas, magno se iudice quisque tuetur.  
Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.*

Et Claudian. l. 1. in Rufin.

*Sed cum res hominum tanta caligine volvi  
Aspicerem, latosque diu florere nocentes,  
Vexarique pius, rursus labefacta cadebat  
Religio, causæque viam non sponte sequebar  
Alterius, vacuo quod semina currere motu  
Affirma, magnunque novas per inane figuras  
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu  
Ambiguo, vel nulla pulat vel nescia nostri.*

Subdit deinde, et ex casu Rufini sapientior factus, mentem corrigit:

*Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,  
Absolvitque deos: iam non ad culmina rerum  
Iniustos crevisse queror: tolluntur in altum,  
Ut lapsu graviore ruant.*

Socrates rogatus: Quid bonis viris molestum esset? respondet, Malorum prosperitas. Ita in Melissa Anton. et Maxim. serm. de fortuna bona et mala. Et Publius: *Felix, ait, improbitas, optimorum est calamitas.* Quin et fideles sapientes et sancti, hæc impiorum prosperitate et potentia offensi sunt: ut David ps. 72. 2. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns,* etc. Et Iob c. 21. v. 7. et seq. *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet,* etc. Et Ieremias c. 12. 1. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt?* etc. Similia sunt Malachiae 3. 14. et Eccles. 7. 16.

Porro causæ ob quas Deus has impiorum in pios iniurias et scelera permittit, præter secretas quas Deus in mente sua servat, manifestæ et ab eo revelatæ nobis sunt variæ. Prima, ut ostendat suam longanimitatem, impassibilitatem et celsitudinem, scilicet se his sceleribus non tangi, non pungi, non affligi, non turbari; sed in serenissima gloria longe super iura et iniurias mortalium eminare. Sicut enim sol cloacas illuminans, earum sordibus non fœdatur: sic nec Deus impiorum, quos alit, sceleribus inquinatur aut tangitur. *Sicut lux a nullo illustratur, sed se ipsa ostendit: sic Deus, qui nullis hominum operibus illustrari (uti nec offuscari) potest, divina sua essentia seipsum solus illustrat,* ait Philo lib. 1. de Monar-

Moral de iudicio Dei, quo pios opprimi, impios dominari permittit.

Causæ huius permisionis Dei. I.

chia. Rursum S. Anselm. lib. eni Deus homo: *Deum, ait, impossibile est honorem suum perdere. Aut enim peccator solvit sponte quod debet, aut Deus ab incito accipit. Sicut autem homo peccando rapit quod Dei est, ita Deus puniendo auferit quod hominis est.*

Secunda, ut pios det materiam patientiæ, constantiæ et virtutis, dum eos sinit per impios vexari, affligi, cruciari. Quocirca Seneca lib. de Providentia: *Nihil, ait, infelicius eo cui nihil accidit adversi: quia mala iudicaverunt dii de ipso.* Et rursum: *Illos merito diceres miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas incers detinet.* Diodorus Philos. apud Anton. et Maxim. serm. de fortuna bona et mala, felicitioris ingenii esse dicebat infortunia cum dexteritate ferre, quam ingentem prosperitatem regere prudentia. Nam ut ait Epictetus in Enechirid. *Stultus prosperitatis, tanquam ebrietas voluptate nimium fructus, stultior efficitur.* Præclarius S. August. lib. 4. de Civit. e. 3. *Iustus, ait, quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus etiamsi serviat, liber est; malus autem etsi regnet, servus est: nec unius hominis, sed, quod gravior est, tot dominorum, quot vitiorum.* Idem lib. 13. e. 4. *Nunc, ait, maiore et mirabiliore gratia Salvatoris, in usus iustitiæ, peccati pœna conversa est. Tunc enim dictum est homini, Morieris si peccaveris: nunc dicitur Martyri, Morieris ne pecces.* Rursum impii sunt virga et flagellum Dei, in quibus quasi pater filiorum suorum peccata castigat et emendat, uti per Alanos, Wandalos et Gothos punivit peccata Christianorum, qua de re multa scribit Salviianus lib. 8. de Providentia. Sic de Senaetherib dicitur Isaie 10. 5. *Virga furoris mei Assur.* Sic Attila rex Hunnorum dicebat se esse flagellum Dei. Sic Nabuchodonosor fuit virga vigilans, vel, ut alii vertunt, vigilantis, scilicet Dei, Ierem. 1. 11.

Tertia, quia Deus impios longa et divina patientia ad pœnitentiam exspectat, ideoque eos castigat remorsu consentientiæ, quæ non parva scelerum est pœna. Nam ut ait Pythagoras apud Stobæum serm. 24. *Vir malus plus mali patitur afflictus conscientia, quam ille qui in corpore castigatur, et flagris caditur.* Sicut ergo puer virgis caditur, ut vitium emendet; ita et impius a conscientia flagellatur, ut mentem mutet moresque corrigat. Quod si pœnitere nolint, tandem eos adeo graviter punit, ut tarditatem supplicii gravitate compenset. Recte Zonaras l. 3. *Etiamsi, ait, providentia tardus invadat iniurios, concessio pœnitentiæ spatio, tamen nisi a malitia discesserint, lento gradu eos assequitur, et pœnas exigit.* Et Virgil. I. Aeneid. *At sperate deos memores fandi atque nefandi.* Divinius vero Apost. Rom. 2. 4. *Ignoras, ait, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? id est, adducere conatur; secundum autem duritiam tuam et impienitens eor, thesaurizas tibi iram in die iræ.*

Quarta, ut ostendat omnes huius mundi opes, pompas, prosperitates velut res parvi momenti esse contemendas: ideo enim eas sæpe dat suis hostibus, negat vero suis amicis. Vere S. August. in cap. 27. S. Matth. *Si haberis, ait, sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitate Henoch, si divitias Cræsi, si felicitatem Octaviani: quid prosum hæc, cum tandem earo datur vermibus, et anima dæmonibus, cum divite sine fine crucianda? Idem in psal. 36. Fumus, ait, a loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsa elatione in globum magnum intumescit; sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior; sic impius quo magis exaltatur, tanto citius deficit.* Et Constant. Manasses Annal. pag. 160. *Prosperitas, ait, est similis gravi plumbo: si hominem robustum non nanciscatur qui oneri ferendo par sit, prorum in terram præcipitat et proterit.* Et Sallust. in Catilin. *Secundæ res sapientum animos fatigant.* Et Tacitus l. 1. *Secundæ res arrioribus stimulis animum explorant: quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.* Hinc Menander. *Miser, ait, est improbus felix licet.* Et Publius: *Cito improborum læta in perniciem cadunt.* Et Ausonius: *Felix criminibus nullus erit diu.* Psaltes: *Vidi, ait, impium*

IV.

*superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani: et transivi, et ecce non erat: quæsi eum, et non est inventus locus eius, Psal. 36. 33.*

V. Quinta, ut permittat impios suæ libertati, ostendatque quanta sit vis concupiscentiæ ex lapsu Adami contractæ, utpote quæ homines in tot rapinas, violentias et scelera, magis iniurianti quam iniuriato nocitura, adigit: utque ex eo mortales agnoscant suam insipientiam, infirmitatem et miseriam, ac Christi redemptoris sapientiam et gratiam requirant et efflagitent.

Præclare S. Athanas. serm. de passione Domini: *Sicut, ait, si quis serpentem apprehendat manu, dumque conatur in alterum proicere, prorsus ipse mordetur: aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem ledere, non intelligit quod ipse prorsus exuritur; sic malitia militat adversus eos qui ipsa utuntur, magisque lædit eos a quibus habetur, quam eos in quos intenditur.* Idem eadem ignis, et alia foveæ et veneni similitudine docet et declarat S. Augustin. in ps. 34. *Quin et Seneca: Illud venenum, ait, quod serpentes sine sua pernicie continent, in alienam effundunt: at malitia maximam sui veneni partem bibit ipsa.* Peccatum enim est dulce venenum, quod amaram peccatori necem affert. Peccatum est acerbissimum vulnus naturæ. Peccatum est maxima febris, pestis et mors animæ. Peccatum est infensissimus hominis hostis, qui eum a Deo segregat, et diabolo in servitutum mancipat. *Omnes (iniquitates) quasi quibusdam compedibus nos premunt, et peccatorum nos retibus ligare contendunt,* ait S. August. ser. 175. de temp. Idem serm. 139. *Malorum omnium nostrorum causa peccatum est.*

VI. Sexta, ut ostendat præsens tempus esse operandi bene vel male, merendi, vel demerendi. Sequens vero fore iudicii, præmiorum et pœnarum, quo omnia perversa hominum iudicia reformabit, corriget et æquilati restituet, iuxta illud: *Cum accepero tempus (iudicii) ego iustitias iudicabo.* Unde S. August. in psal. 7. *Nemo, ait, gratuletur homini qui prosperatur in vita sua, cuius peccatis deest ultor, et adest laudatur. Maior hic ira Domini est; irruit enim Dominum peccator, ut ista patiatur, id est, ut correctionis flagella non patiatur.* Et S. Gregor. I. 5. Moralit. *Deus, ait, nonnulla percudit, et nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla reseccaret, quis Deum res humanas curare crederet? et rursus si hæc cuncta percuteret, extremum iudicium unde restaret? Dixit vir sapiens: Tantam esse gloriam quæ sanctos et patientes manet, ut mirum sit omnes dæmones et homines impios, quin et saxa et elementa, contra eos non insurgere, eosque affligere et exerceiare, quo tantam gloriam promereantur. Ex adverso tantas esse pœnas quæ impios manent, ut mirum sit eos maximis deliciis non abundare, omniaque eis in mel et rosas non converti, ut aliqua voluptatula tantum gehennæ pondus pensetur. Sicut enim non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in sanctis, ita non sunt condignæ voluptates et pompæ huius sæculi ad futuram gehennam, quæ revelabitur in impiis et damnatis. Vir ergo prudens potius condolebit præsentii eorum felicitati, quam invidabit.*

Vers 3

ASPICITE IN GENTIBUS.) Id est, *aspicite gentes,* ut vertit Chaldæus; Hebræi enim verba contactus. vel adhesionis, sive corporalis, sive spiritualis, qualis est aspectus, construunt cum *bet*, id est, *in*, regente ablativum, vel accusativum. Hic respondet Deus expostulationi Habacuc, cur sinat impios Iudæos prævalere piis. Respondet enim, se non diu id permissurum, sed mox ipsos per Chaldæos puniturum: atque hoc est onus quod vidit, quodque prophetiæ suæ velut titulum præfigit Habacuc.

Quæres, quænam hæc gentes quas aspici iubet? Primo, S. Hieron. cum suis, censens hæc dicta esse post excisam Ierusalem ad consolationem Iudæorum, gentes accipit Moabitas, Ammonitas, Egyptios, aliasque quas subegit Nabuehodonosor, q. d. Ne miremini, o Iudæi, vos excisos a Chaldæis, quia ab iisdem excisæ sunt aliæ gentes omnes vobis vicinæ, quæ robore, numero et gloria vobis longe erant superiores. Secundo et genuina gentes hæc

sunt Chaldæi: hi enim sunt onus quod Iudæis sceleratis intentat Deus, q. d. Ne queraris, o Habacuc, de Iudæorum improbitate, quasi eam impunitam dimittam, illico enim eam puniam. En aspice gentes et agmina Chaldæorum, quæ adduco ad excidendam impiam Iudæam: ita Auctores citati v. 2. Unde has gentes explicans subdit: *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram,* etc.

Nota. Pro *in gentibus* hebr. est בגימים *baggoim*, et ita legerunt Aquila, Symmach. Theod. Chaldæus et Noster, qui omnes vertunt, *in gentibus*. Verum Septuag. legunt בגדיים *boghedin*, nimirum vice ג legentes affiue ג; *boghedin* autem significat contemptores et prævaricatores; vel, ut alii apud S. Hieron. vertunt, *calumniatores*, vel declinantes. Septuag. sequitur S. Paulus Act. 13. 41. dicens: *Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini.* Quæres, utra lectio est hic genuina et canonica? Respond. Ribera et alii veram lectionem esse *baggoim*, id est, *in gentibus*; quia ita legit Noster, Aquila, et alii plerique iam citati; lectionem tamen Sept. puta *boghedin*, esto minus sit ad litteram, tamen cum sensu verborum propheticorum congruere; quia ex antecedentibus et sequentibus liquet hæc dici contemptores, puta Iudæis, qui iura Dei que leges contemnebant. Verum hæc responsio non satisfacit: quia ex ea sequitur Septuag. et S. Paulum secutos esse non veram, sed falsam lectionem S. Scripturæ: nam pro *baggoim*, quæ vera est lectio, legerunt *boghedin*; unde consequens est, eorum versionem non esse genuinam, nec canonicam; imo esse distortam et corruptam. Nam pro *in gentibus*, ut habet textus Scripturæ, ipsi supposuerunt *contemptores*. Addunt alii alia, sed nodum non extricant, imo magis intricant. Secundo, alii respondent, gentes hic idem esse quod contemptores, q. d. *Videte in gentibus*, id est, videte gentes, puta Iudæos, qui instar gentium contemnunt ius et fas. Hæc responsio esset commoda, si τὸ *contemptores* esset accusativi casus: iam autem est nominativi, ut patet ex Greco κατὰ τὸν νόμον. Hinc Tertio, melius respondeas, Scripturam Hebræam fuisse variam, vel certe ambigam, idque ex intentione Spiritus sancti volentis utramque translationem, scilicet nostram et LXX. significare et stabilire, nimirum ut litera ג esset ambigua: si enim caput habeat brevius, est ג; si longius est ג. Unde per ג legi poterat *baggoim*, per ג *boghedin*, aliis et aliis punctis. Aut certe Prophetam utramque lectionem posuisse, nimirum ut in textu poneret unam sine vocalibus (hæ enim olim in textu Hebræo non fuerunt) ad marginem alteram, significans utrolibet modo legi posse. Unde v. 13. τὸ *boghedin*, est in Hebræo. Sic enim Hebræi in Scriptura habent suum *keri* et *keliv*, quo multis in locis textus Hebraici aliter scribunt, aliter legunt: nimirum scribunt in textu lectionem tritam, sed veram et genuinam notant in margine. Idem faciunt subinde Scriptores Græci et Latini: cum voces sunt similes, unaque tantum vel altera littera differentes, quarum utraque præsentii loco congruit, et qualibet suam habet vim et energiam. Tale est illud Ciceronis, *Semper hic erro.* Et Satyrici: *Iste mendicium*, significantis mendicium esse mendicium. Sic Genes. 47. 31. Iacob dicitur adorasse מטה, quod Noster legens מטה *mitla*, id est, lectulum, vertit, *conversus ad lectuli caput*; Septuag. vero, et ex iis S. Paulus Hebr. 11. 21. aliis punctis legentes מטה *matte*, id est, virgam, vertunt, *adoravit fastigium virgæ eius*, scilicet Iosephi: utraque ergo lectio et versio est canonica, ut ostendi Hebr. 11. Sic Proverb. 3. v. 12. Noster legens כאב *cheab*, id est, *sicut pater*, vertit, *quasi pater in filio complacet sibi*. Septuag. vero, et ex iis S. Paulus Hebr. 12. 6. aliis punctis legentes כאב *chieb* id est, *affligit, flagellat*, vertunt, *flagellat autem omnem filium quem recipit*. Utraque ergo lectio et versio est canonica.

Dices, hisce locis tantum mutari puncta, sed easdem manere consonantes, quas solas Hebræi æstimant: hic vero in *baggodim* et *boghedin*, mutari ipsas consonantes, scilicet *vau* in *dalet*. Resp. Primo, æque magna est mutatio, sive vocales, sive consonantes mutes: nam inter *mit-*

ta et malle tanta pronuntiacionis et significacionis est differentia, tanta est inter *lectulum* et *virgam*; inter *chieb* et *cheab* tanta, quanta est inter *flagellat* et *sicut pater*. Secundo, Osce 13. 14. Noster legit *יחי chi*, id est, *ero*; unde vertit, *ero mors tua o mors*; Septuag. vero, et ex iis S. Paulus 1. Corinth. 15. 55. legunt mutatis, id est, transpositis, consonantibus, *יחי die*, id est, *ubi*; unde vertunt, *ubi est mors victoria tua?* Et tamen utraque lectio et versio est canonica. Sic Isaia 8. 9. Noster legit *רען rou*, per *res*, id est, *congregamini*; Septuag. vero legentes *רען דען deu*, per *dalet*, vertunt, *scitote*. Sic Isaia 3. 12. *Mulieres dominatæ sunt eis*; pro *נשים nascim*, id est, *mulieres*, Septuag. et Aquila legunt *נגשים noghesim*, id est, *exactores*, feneratores. Sic Thren. 2. 7. Noster legit *נאץ niets*, id est, *sprevit*, *maledixit sanctificationi suæ*; Septuag. vero legentes *נאר nier*, vertunt, *excussit, eiecit sanctificationem suam*. Plura citat Leo Castrius Prolegom. in Isaiam e. 23. et 24. Ubi et addit, enim in Hebræo duplex est lectio, utramque lectionem admiranda præ se ferre mysteria, ideoque ex ubertate Spiritus sancti factum esse, ut multis locis de industria sit duplex lectio, ut duplex sit sensus, et duplex reseretur mysterium. Adii- cit S. August. lib. 18. de Civit. e. 44. Septuag. non ex se suoque cerebro, sed ex instinctu Spiritus sancti aliter quædam vertisse quam sint in Hebræo. Nam scribens de loco Ionæ Prophetæ, quem Septuag. sic vertunt, *post triduum Ninive subvertetur*; cum Hebraice sic legatur, *post quadraginta dies Ninive subvertetur*, subdit hic duo mysteria esse significata a Spiritu sancto, alterum per Septuag. alterum hebraice per Ionam Prophetam (unde sentire videtur, quod et alii viri graves senserunt, ipsos Septuag. habuisse assistentiam Spiritus sancti, ex eiusque inspiratione scripsisse, ac proinde ipsos fuisse quasi Prophetas et Scriptores hagiographos) nimirum Septuag. significasse, quod Christus post triduum resurgeret; Hebræa vero, quod post 40. dies ascenderet in cælum. In 40. inquit, *diebus ipsum quare, in quo et triduum poteris invenire; illud in ascensione, hoc in eius resurrectione reperies*. Idem habet lib. 1. quæst. in Genes. e. 169. Sic hic pro *in gentibus*, Sept. vertunt, *contemptores*: quia more suo respiciunt tempora Christi et perstringunt Iudæos qui futuri erant contemptores Christi et Evangelii, idque accepta occasione ex vicinitate vocum Hebræarum *baggoim* et *boghedim*: præsertim quia *baggoim* sic exponi potest, ut sit idem quod *boghedim* in nominativo, nimirum si sic interpreteris: *Aspicite*, o Iudæi, qui estis *baggoim*, id est, in gentibus, hoc est instar gentium, *boghedim*, id est, *contemptores Dei et hominum*. Quare si utramque lectionem admittas, utramque valde apposite sic ordinabis: *Aspicite boghedim*, id est, *contemptores, baggoim*, id est, *in gentibus*, hoc est qui inter gentes et instar gentium, imo præ gentibus contemnitis iura et iussa Dei. Aut potius q. d. *Aspicite*, o Iudæi contemptores Dei, in gentibus, id est, gentes, puta Chaldæos, qui vos Iudæa exturbabunt; item Gentes quæ tempore Christi vos ex Ecclesia, et benedictione ac hæreditate Abrahamæ, puta fide, salute et electione Dei expellent. Itaque versionis Sept. et S. Pauli hic est sensus. Accusat Propheta Iudæos impios, ius et fas pervertentes, auidaciæ et contemptus in Dominum, ait S. Hieron. quod ansi sint Dei contemnere maiestatem, quasi ipsa non curaret suas leges, nec earum violatores esset punitura: ita enim libere grassati sunt in alios, ac si nulla esset providentia, nullam numen, quod insonitium iniurias vindicaret, q. d. Vos o Iudæi, qui estis contemptores Dei et hominum. aspicite opus horrendum vindictæ, quo ego hunc vestrum contemptum castigabo. Adueam enim Chaldæos, qui funditus vos cum Hierosoly- ma exscindant. Porro S. Paulus idipsum recte adaptavit Iudæis sui ævi, Christo incredulis eiusque contemptoribus, quia Iudæi præsei contemptores Prophetarum, fuerunt ty- pus Iudæorum spernentium Christum; unde et exidium illorum per Chaldæos, præfiguravit exidium horum per Titum et Romanos. Hoc est quod eis intentat Paulus di- cens: *Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in*

**A** *Prophetis. Videte contemptores et admramini, et disperdimini: quia opus ego operor in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis, q. d. Videte o Iudæi ne contemnatis Christum et Evangelium, quod ego vobis annuncio. Si enim illud spreveritis, spernet pariter vos Deus, uti sprevit patres vestros. Abicieiet enim et reprobabit vos, vestrumque regnum, templum et gentem delebit per Romanos, sicut delebit maiores vestros per Chaldæos: atque loco vestri surrogabit Gentes, easque sibi adoptabit in filios et hæredes, ut vobis expulsis, illæ sint eius populus et Ecclesia, quasi veri Israelite et filii Abrahamæ per fidem.*

**ADMIRAMINI ET OBSTUPESCITE.)** Heb. *התמהו המהו hittammehu temahu*, id est, ut Pagnin. *admiramini, adm- miramini*, hoc est, valde admiramini et obstupescite: geminatio enim eiusdem verbi apud Hebræos significat a- etionis vehementiam, et gradum quasi superlativum. Sep- tuag. et ex iis S. Paulus vertunt, *admiramini et disperdimini*: quia pro *ה* legerunt *ת*, scilicet pro *ומהו temahu* legerunt *תמהו timchu*, vel *temachu*, id est, *delemini, disperdimini*. *Timchu* enim est futurum *cal*, a rad. *מחה macha*, id est, *delevit, disperdidit*. Vides hic rursum dup- licem lectionem et versionem, plane diversam; nimirum *temahu*, id est, *admiramini*; et *timchu*, id est, *disperdi- mini*: utramque canonicam. Iam *disperdimini*, id est, *disperdemini et debimini*, tum vos a Chaldæis, tum po- steri vestri a Tito et Romanis.

**OPUS.)** Scilicet exidii et vastitatis Hierosolymæ et tem- pli, ac captivitatis Iudæorum in Babylone, patrandum per Nabuchodonosorem et Chaldæos. Unde explicans sub- dit: *Ecce ego suscitabo Chaldæos*. Quod Allegorice typus et prælium erat exidii Hierosolymæ faciendi per Ro- manos, atque vastitatis spiritalis, id est, execrationis et reprobationis Iudæorum futuræ tempore Christi, uti docet S. Paulus Acor. 13. 41. Addit Leo Castrius lib. 5. Apologetici n. 147. per Chaldæos ad litteram accipi Ro- manos, vastatores Iudæorum tempore Christi: quia, in- quit, de Romanis hunc locum explicat S. Paulus Acor. 13. Verum hoc parum est probabile. Nam S. Paulus et alii Apostoli non raro citant Prophetas in sensu, non lit- terali, sed allegorico.

**FACTUM EST.)** Id est, mox fiet. Loquitur propheticæ, nimirum de futuro per præteritum, ob futuri certitudi- nem, ac si iam factum esset.

**QUOD NEMO CREDET CUM NARRABITUR.)** Hebr. et Sep- tuag. *quod non credetis si enarretur*, vel, si quis enarra- verit, scilicet antequam fiat. Nam cum fiet idipsum, non tantum credetis, sed et oculis spectabitis. Nimirum Iudæi non poterant credere, templum Dei et civitatem sanctam, a Deo ipso tradendam infidelibus et impiis Chaldæis, ab eisque funditus evertendam et conerendam. Hoc enim eis tam insolens et inopinabile videbatur, ut omnem su- peraret fidem, imo cælum citius ruiturum erederent. Hinc illæ eorum voces obstrepere minis Prophetarum: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*, Ier. 7. 4.

**QUIA ECCE EGO SUSCITABO CHALDÆOS.)** *Suscitabo*, sci- licet indirecte et obiective, nimirum addendo Chaldæis ani- mos, arma, socios; vosque o Iudæi, iis denudando, ita ut ipsi certa spe vos vestraque devorent; atque idipsum directe ordinando ad iustam vestram punitionem, meri- tumque supplicium. Vide eanon. 35. et 36. quos præfixi Prophetis maioribus. Verbum *suscitabo* habet emphasis, q. d. Chaldæi vacant quieti, otio somnoque indulgent, non cogitant de Iudæa invadenda; ecce ego eos ab hoc otio et somno suscitabo: iniiciam enim eis cogitationem de Iudæa opibus, scelerebus meam iram provocantibus, imbe- cillitate ad resistendum, aliisque similibus, quæ Chaldæos excitabunt ad eam bello appetendam.

**GENTEM AMARAM.)** Id est, trucem et ferocem, quæ suis armis perambulat et circumit, sibi que subigit latitudinem totius terræ, puta omnium regionum in circuito sibi adia- centium, ut ens non tantum spoliens, sed et stabiliter *pos- sideant*, quasi *tabernacula*, olim non sua, iam vero sua, utpote bello capta. Vere dixit Poeta:

Vers. 6.

Vers. 7

*Improbos adversus improbos armat improbitas.*  
**TERRIBILIS.**) Septuag. *illustris*: utrumque enim significat Hebr. **אורא** *nora*. Nam si a rad. **רא** *raa*, id est, *vidit*, deducas, idem est quod *visibilis*, conspicua, illustris; si a rad. **איר** *iare*, id est, *limuil*, derives, idem est quod *terribilis*, ut vertit Tigurina.

**EX SEMETIPSA IUDICIUM ET ONUS EUS EGREDIETUR.)**  
 Pro *onus* hebr. est **אנא** *scet*, quod Primo, Symmach. vertit *δευρα*, id est decretum; Chald. *sententiam definitam*. Secundo Vatabl. excellentiam et *magnificentiam*, q. d. Gloria et magnitudo imperii, quam consequetur, ab ipsa egredietur, non ab externo: hoc est, orbis imperium obtinebit gens Chaldaea propria virtute, non alienis opibus et viribus. Tertio, Noster cum Septuag. melius vertit *onus*, vel *pondus*; hoc enim proprie significat *scet*, vel **אנא** *massa*, a rad. **אנא** *nasa*, id est, tulit, portavit. Iam S. Hieron. Remig. et Lyran. hoc onus passive accipiunt, q. d. Chaldaei parant sibi iudicium et onus, puta Dei vindictam et excidium, quod ipsi portabunt. Nam sicut alios onerant suis cladibus, tributis, durisque oneribus; ita pariter iidem onerabuntur a Cyro, qui Babylonem subiugabit. Melius Theodor. Theophyl. et Hugo hoc onus active accipiunt, quod scilicet Chaldaei aliis gentibus a se vetis imponunt. Agitur enim hic de eorum robore, imperio et victoriis. Unde Symmach. vertit, *ipsa sibi iudicabit, et decretum suum exequetur*, q. d. Chaldaei ius omne ponunt in armis, non ratione, non legibus ducuntur; sed pro sua dominandi libidine et tyrannide decernunt de aliis gentibus quod volunt, et quod statuerunt illico exequuntur, illudque quasi onus grave eis imponunt. *Iudicium* ergo vocat decretum Chaldaeorum de aliis gentibus vastandis, spoliandis, occidendis; *onus* vero, huius decreti executionem. Unde S. Hieron. sic quoque exponit, q. d. Chaldaei *iudicium*, id est, iudices; et *onus*, id est, oneratores, puta exactores, aliis gentibus imponunt ex suo cætu, qui eas suis exactionibus et tributis onerent et expilent. Sensus ergo est: *iudicium*, quo scilicet Chaldaea gentes alias damnat, punit et excindit, aliis vero miseretur et parcat: et *onus* sive iugum, quo gentes vexat, *ex semetipsa egredietur*, id est, ex sola eius voluntate, non ratione, sed mera libidine orietur. Sic dicunt Iudaei rebelles Ieremieae c. 44. 27. *Faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro*, id est, faciemus quicquid nobis libuerit, non tibi, non Deo. Similis phrasus est Matth. 4. 4. Deuter. 8. 3. et alibi. Hinc Quarto, *scet* verti potest *exactio*, vel *tributum*, q. d. Gens Chaldaea ex seipsa suoque populo constituet iudices et exactores, non ex aliis populis, qui gentibus a se subactis praesint, ab eisque tributa exigant: sicut Romani passim per provincias constituiebant Praesides, Praetores, Proconsules et Procuratores ex sua gente, puta Romanos et Italos: suis enim magis sidebant quam exteris.

Vers. 8.

**LEVIORIS PARDIS EQUI EIUS.)** Pardus animal est saevum et maculosum, cuius femina pardalis et panthera nuncupatur, de quo Plinius lib. 10. 73. scribit: *Insidunt in eadem Africa pardi condensa arbore, occultatque eius ramis in pratereuntia desiliunt, atque e volucrium sede grassantur*. Ita pardos in Brasilia ex arboribus desilire in milites Lusitanos pratereuntes, eosque discerpere, narrarunt mihi Romae Patres nostri, qui in Brasilia multo tempore vixerunt. Hinc a Claudiano pardi vocantur *fulminici*: quia instar fulminis ex alto in subiecta irruunt. Ita Alexander Macedo, qui belli fuit fulmen (quem proinde Apelles pinxit manu tenentem fulgur perstringens orbem: quia celerissime et potentissime eum pervasit et subiugavit) Daniel. c. 7. 6. comparatur pardo, uti ibidem fusius expleni. Ubi politice et moraliter Nota. In praeliis rebusque quibuslibet conficiendis, multum facit celeritas, ut quod mature consultaveris, velociter exequaris. Unde Alexander rogatus, qua ratione orbis imperium obtinisset, respondit: *nihil cunctando*, id est, celeritate, qua velut fulgur omnia perstrinxit et pessumdedit. Sic Iulius Caesar, cum Pharnaem primo congressu viciisset, inquit Plutarch. in Apophth. amicis scripsit: *Veni, vidi, vici*. Quod Carolus V. Imper. parta de Germanis haereticis

Pardi fulminici.

**A** velocissima victoria, pientius sic usurpavit: *Veni vidi, vicit Deus*, summam rei gestae celeritatem indicans.

**VELOCIORIS LUPIS VESPERTINIS.)** Pro *velociores*, hebr. est **חמדו** *chaddu*, id est, *acutiores* (unde Arabicus Antiochenus vertit, *surdi acutius quam muscae mellis*; sed *parergos*: nec enim de surdis et museis, sed de pardis et lupis hic agitur;) tum dentibus, et appetitu, ad praedam discindendam et dilacerandam; unde Tigurina vertit, *avidiores*: tum pedibus et cursu. Unde noster cum Septuag. optime vertit, *velociores*. Est metaphoram ab acutis gladiis, qui leviter et velociter transire solent per rem quam secant, inquit Vatabl. aut potius a sagittis acutis, quae celeriter aerem secant et transvolant.

Quaeres, quinam sint lupi vespertini? Multi cum Gesae-Lupi vespertini  
 ro in Hyæna, putant esse certam luporum speciem, quae sub vesperam magis sit famelica, ideoque tunc magis praedetur et saeviat. Guevara censet esse hyænas. Duplex, inquit, est luporum genus: alterum quod vulgo lupus, alterum quod hyæna vocatur: illud sub aurora, utpote digestionem iam peraeta, famere incipiens; hoc noctu rapinas exercet, eo quod oculos habeat hebetes et caecutientes, ideoque melius noctu quam diu cernat:

*Quippe dies illi nox est, atrisque tenebras*

*Consequitur passim, lucem pertæsa coruscans,*

ait Oppian. lib. 3. de Venatione. Hyæna enim crudelior est, voracior et astutior (unde et in mille colores transit, si credimus Plinio lib. 11. cap. 37.) lupo, canumque implacabilis hostis. Vomitus quoque humanos mentitur, ut canes alliciat; falsisque singulis sollicitatos devorat.

Molitur homini etiam insidias, sequiturque stabula pastorum, et auditu assiduo addiscit eorum vocamen, quod exprimere possit imitatione vocis humanæ, ut in hominem astu accitum nocte saeviat. Adeo enim carnis hominum est avida, ut vel sepulera effodiat, eruatque cadavera: ita Plinius lib. 6. cap. 30. Solinus Polyhist. c. 40. et alii. Septuag. et Arabicus Alexandrinus pro **ערב** *ereb*, id est, vespera, aliis punctis legentes **ערב** *arab*, vertunt, *lupos Arabiæ*, id est, lupos praedones et latroaes. Arabes enim latrocinii erant infames: inde Arabes sumitur pro praedone, sicut Chananaeus pro mereatore, Bæotus pro hebeti, Chaldaeus pro ariolo, ait Delrio. Nam, ut ait Aristot. lib. de Mirandis naturæ auditis, est in Arabia hyænarum quoddam genus, quod cum belluam vel hominem præviderit, eos obmutescere facit, ac sie in vestigio hæere, ut corpora movere nequeant. Sic et Ælianus, et Solinus Polyhist. cap. 40. scribunt, hyænas habere vim soporiferam, qua canes et homines torpidos, stupidos et elingues faciunt, itaque eos capere et suffocare. Idem habet Herodotus lib. 4. et Plinius lib. 6. cap. 30. Hinc Cælius lib. 29. cap. 6. scribit hyænae pellem non tangi fulmine. Quin et Horus Apollo in Hierogl. Si quis, inquit, hyænae pellem sibi circumponat, intrepide per medios hostes transibit illæsus (malim hoc credere, quam experiri. Certe Poloni equites ut hostes percillant, luporum exurias induunt et ostentant.) Proinde Ægyptiis hieroglyphicum intrepiditatis et constantiæ in calamitatibus, erat hyænae pelles. Eandem valere contra latratum et morsum canum, etiam rabidorum, tradunt Plinius et Oppianus. Et tamen hyænae cor maximum est, ut et reliquis timidus, puta muribus, lepore, asino, cervo, pantheræ, mustelæ ait Aristot. et Plinius lib. 11. cap. 37. Hyænam alternis annis mutare sexum, esseque marem et feminam, tradunt Oppianus, Plinius lib. 8. cap. 30. Horus et alii: sed id commentitium esse censet Aristoteles lib. 6. Histor. Anim. c. 32. Porro Habacuc recte equos Chaldaeorum comparat hyænis: quia hyænae iugas habent ut equi, sed seta duriore longioreque, et per totum dorsum porrecta.

Huic sententiæ animum obstat, quod scilicet hyænae non sint lupi, sed species animalis a lupis diversa. Respondet Guevara, hyænas quoque luporum nomine censerì. Probat ex Oppiano lib. 3. de Venatione, cuius versus Græcos ita latine reddidit Ioannes Bodinus:

*Nunc duo, Diva, refer genera exitiosa luporum,  
 Serratis armata ferentes dentibus arma:*



*Nempe ovium mactatores (lupos communes) ewcas quo- que hyænas.*

Verum, ut recte advertit Ribera, το λυπορου non est in Græca. Oppianus ergo tantum vult dicere, in Æthiopia extrema duo esse genera ferarum quæ serratos habeant dentes, scilicet lupum et hyænâ. Dici tamen posset pro Guevara, hyænas, esto proprie non sint lupi: ad eos tamen referri. Unde Gesnerus in lupo, inter ferâs lupo congeneres numerat hyænas, lycees (qui et lupi canarii vocantur) pantheres, lycæones, et thoes, qui ex hyænâ et lupo generantur. Est enim hyæna lupo similis, ait Philoponus, et ex eo Niphus. Et Aristot. lib. 6. Histor. Animal. cap. 32. *Hyæna*, ait, *colore lupi prope est, sed hirsutior, et tuba per totum dorsum prædita est.* Quocirca Arabes hyænâ vocant *alzabo*, quod idem est cum Hebræo זעב *zeeb*, id est, lupus: *al* enim est articulus, quem Arabes passim nominibus præponunt. Multa namque lupo et hyænæ communia sunt, scilicet primo, magnitudo; secundo, color: tertio, voracitas; quarto, insidiæ, quas aliis animalibus moliantur: ille gregibus ovium et caprarum, hæc canibus et homini quandoque; quinto, dentes utrisque serrati, genitalia utrisque similia; sexto, utriusque noctu vagantur cibi causa, lupus urgente fame, hyæna necessario fere: quia acrius noctu videt, interdum hallucinatur, uti feles. Hæc omnia ex Aliano, Plinio, Aristot. Oppiano et Solino tradit Gesnerus in lupo, et in hyænâ: ex quibus probabiliter censet, lupos vespertinos esse hyænas.

Secundo, alii passim hic lupos proprie dictos accipiunt, iisque censent comparari Chaldæos equites. Lupi enim generosi, feroces et insidiosus sunt, ait Aristot. Unde Isidorus lib. 12. Origin. c. 2. censet *lupos* vocari quasi *leopos*, eo quod quasi leonibus, in pedibus illis sit virtus: nam quidquid pedibus presserint, enecant. Insuper lupi voracissimi sunt, et pene insatiabiles: vorant potius, quam comedant: pilos et ossa glutunt, eaque integra rursus alvo reddunt. Iam το *vespertini*, est epithetum commune luporum: hi enim vespere et noctu grassantur. Unde Virg. Georg. 1. *Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.* Hinc et lupus græce dicitur *λυκος*, id est, lucens. Nam oculi eius, æque ac capræ, splendent, et lucem noctu iaculantur, ait Plinius l. 11. c. 37. Lupi ergo cognominantur vespertini, quia per diem ob metum venatorum, in antris quiescunt ieiuni: unde vesperè noctuque fame rabidi ad prædam egrediuntur, et obviam quæque læcerant vorantque; ita S. Hieron. Alii insuper edaciores, noctu consumpta præda vespertina, mane rursus ad prædam egrediuntur, dicique possunt lupi matutini. Porro quanta sit luporum noctu ferocitas, graphice describit Virg. Æneid. l. 9.

*Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,  
Cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,  
Nocte super media, tuli sub matribus agni  
Balatum exercent: ille asper et improbus ira  
Sævit in absentes: collecta fatigat edendi  
Ex longo rabies, et sicæ sanguine fauces.*

Vespere ergo lupus acutissimus est, audacissimus et sævissimus, utpote qui non tantum famem, sed et crudelitatem suam exsaliare velit. Unde noctu multa milliaria conficit, ac ubi ad ovile aliamve prædam pervenit, omnia loca circumit, omnes aditus tentat, undique procurrit, omnia circumspicit, ut irrumpat et præda potiatur. Hinc Jerem. c. 5. 6. lupo vespertinum, vocat lupum ad vesperam, scilicet sævientem et grassantem: et Oppianus libr. 1. de Venat. lupo vocat *νυκτιπορον*, id est, noctu ambulonem.

Hæc omnia allegorice facile est adaptare diabolo, et tropologie gulæ et improbitati: utriusque enim symbolum, imago et exemplum est lupus vespertinus. Nam et diabolus nocturnus est, et in tenebris perambulat, psalm. 90. v. 5. et 6. Unde in Completorio monet Ecclesia, canitque illud S. Petri: *Fratres, sobrii estote et vigilate: quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Vespere enim sollicitat homines ad crapulam, venerem, rixas, cædes. Unde Poeta:

Vespertinus vocatur quivis lupus, cur?

Lupus vespertinus est diabolus et gula.

*Nox et amor, vimque nihil moderabile sualent; Illa pudore caret, Liber amorque metu.*

Accedit, quod diabolus sæpe in lupo se et magos suos transformet: tales enim sunt lycanthropi, puta homines qui per magiam ope demonis se in speciem, æque ac ferociam luporum transmutant, ovesque et homines invadunt et dilaniant, de quibus multa Delrio in Magicis. Inde et Gentiles per lupos contra veneficia remedia præstari opinati sunt. Unde Plinius lib. 28. c. 10. *Veneficiis*, ait, *rostrum lupi inveteratum resistere aiunt, ob idque villarum portis præfigunt. Hoc idem præstare et pellis e cervicæ solida existimatur; quippe tantu est vis animalis, præter ea quæ retulimus, ut vestigia eius calcatu quis afferant torporem.* Hinc et lupus hominem raucum vel elinguem reddere vulgo creditur, si primus cum inspiciat. Unde illud Virgil. eclog. 9.

*Vox quoque Mærim*

*Iam fugit ipsa: lupi Mærim videre priores.*

Ubi id clare docet Servius, et Isidor. l. 12. Orig. c. 2. qui et addit: *Unde et subito tacenti dicitur: Lupus in fabula. Certe si se prius visum senserit, deponet feritatis audaciam.* Et Plinius l. 8. c. 22. *In Italia quoque creditur, ait, luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplantur, adimere ad præsens.* Sic diabolus fauces peccatori, iniecto pudore metuque claudit, ne peccatum confiteatur, et veniam, opemve aut consilium mali sui quærat. Insuper diabolus instar hyænæ et lupi, cadaveribus et mortibus hominum pascitur; canibus, id est, prædicatoribus insidiatur, ut iis eversis vel amotis, oves diripiat. Hinc et eorum voces imitatur, dum se transfigurat in angelum lucis. Multos enim sapientes decipit specie boni, qua suas fraudes obtegit. Lupi ergo vespertini tropol. sunt dæmones, ait S. Hier. Item rapaces Prælati et iudices. Ad hæc hæretici: hos enim lupis comparat Christus Matth. 7. 15. qui ovium pellibus induti incautos decipiunt, et specie veri, tenebras offundunt: hinc et sub vesperam suos cætus celebrare solent. Hæretici enim quasi lupi famelici et hiantes caulas Ecclesiæ circumeunt, ut fideles ex iis avellant et perdant, atque Arabum more latrocinii et cædibus Catholicorum ditones et regna depolantur, uti nostro ævo in Anglia, Scotia, Hollandia, Francia, Hungaria, etc. eos facitasse vidimus.

**VOLABUNT QUASI AQUILA.**) Quæ rapax et ferox, ex alto in leporem aliamve prædam festina involat cum impetu *instar tormenti*, id est, bombardæ dum globum eiaculatur, ait Isidor. l. 12. cap. 7. Alludit ad aquilas, quas Chaldæi in vexillis præferbant, æque ac postea Romani: unde signifer aciei erat et vocabatur aquilifer. Audi Ovidium lib. 5. Fastor.

*Signa decus belli Parthus Romana tenebat,  
Romanæque aquilæ signifer hostis erat.*

Et Lucan. lib. 1.

*Ut notæ fulsere aquilæ, Romanæque signa.*

Hinc Ezechiel c. 19. et Jeremias sæpe Nabuchodonosorem et Chaldæos vocant aquilas. Nota. In paradisi Chaldæorum indicat sævitiam, in lupis voracitatem, in aquilis rapacitatem. Quocirca eosdem Jeremias c. 5. 6. comparat leoni, pardo et lupo. *Itcirco*, inquit, *percussit eos (Iudæos) leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum.*

Porro apposite equites et equos Chaldæorum comparat Equi pardo, lupo, aquilis: quia equi bellici pernicitate veloces Chaldæi sunt, et animositate feroces vincendi consuetudine ferociores evadunt, gaudent sanguine effuso, ac lituis tubisque auditis exultant, ut ait Job. c. 39. 21. et Virgil. lib. 3. Georg.

*Si qua sonum procul arma dedere,  
Stare loco nescit, micat auribus, et tremat artus,  
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.*  
Additque cæteris præstare equos Chaldæorum:  
*Armenii Siculis, Parthique Euphratis ad undas  
Præstant.*

Idem clarius docet Oppianus, dicens:

*Qui habitant virides Euphratis ad undas,*

Equi Chaldæi feroces.

*Magnanimis uluntur equis in bella leonum.  
Lumina glauca vibrant, et magnum in pectore robur  
Efferat audaces animos ad feruida bella.  
Accedit leuitas cursus, quodque ora leonis  
Intrepide perferre valent, vocesque superbas:  
Cum reliqui fremitus nequeant tolerare minaces.*

Vers. 9. **OMNES AD PRÆDAM VENIENT.**) Tiguriua, quisquis eorum ad hoc venit, ut vim inferat; Vatabl. omnes venient ad rapinam, ut scilicet Iudæos expilent; Pagnin. tota gens propter rapinam veniet.

Moral. S. August. in psal. 123. Ideo, inquit, quærit te raptor maior, quia invenit minorem: ideo te quærit maior aquila, quia prior cæpisti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris maiori.

**FIACIES EORUM VENTUS URENS.**) Intellige notam similitudinis sicul, vel instar, q. d. Chaldæi instar venti urentis, vel auruginis omnia arefacient et vastabunt. Pagnin. vertit, ex adverso facierum suarum venient ad orientem; Chald. aspectus eorum persimilis est vento vehementi, qui colligit quasi arenam captivitatem. Tiguriua, quidquid facibus eorum obicitur flaccidum fit, ut si uredo exussisset. Vatabl. aspectus, vel oppositio facierum eorum erit lamquam ventus Orientalis. Hic ventus in terra saneta est vehementissimus. Sensus est, q. d. Impressio Chaldæorum adventantium erit intolerabilis, ut in Iudæa est ventus Orientalis. Sic Genuæ, et in nonnullis Italiae locis procellosus est ventus turbinis, qui a Græcis vocatur ecephas, quod e nube crumpat; adeo ut stabula cum equis in altum elevel, transferat, elidat, uti mihi Romæ viri graves oculati testes affirmarunt.

**ET CONGREGABIT QUASI ARENAM CAPTIVITATEM.**) q. d. Sicut ventus in Iudæa congregat arenas, sic Chaldæi ex eadem congregabunt captivos: ita Chald. et Tiguriua. Innuunt plurimos fore captivos, uti plurima est arena. Est metonymia; nam abstractum ponitur pro concreto, captivitas pro captivis. Sic Christus ascendens cum triumpho in caelum, dicitur captivam duxisse captivitatem, id est, captivos duxisse sanctos, quos e captivitate diaboli eruit, suos fecit, meliori iam sorte captivos, utpote qua eos in libertatem filiorum Dei asseruit, Ephes. 4. 8. Nota. De Chaldæis nunc loquitur in plurali, dicens, *Eiffundentur, volabunt, venient*; nunc in singulari, dicens, *Congregabit, triumphabit, comportabit*, intelligens exercitum. vel certe duccem regemque eorum, puta Nabuchodonosorem. Hæc omnia tropologicè facile est adaptare diabolo, cuius minister et flagellum fuit Nabuchodonosor: ipse enim sævit ut pardus, lupus et aquila, plurimosque capit, et in abyssum demergit ludens et ridens.

Vers. 10. **ET IPSE.**) Scilicet Nabuchodonosor, gentis Chaldææ princeps. Nota. Scriptura mistim nunc de gente, nunc de eius principe loquitur. Hæc enim politice sunt unum, puta unus exercitus, unum imperium, quod totum pendet a suo principe, sicut totum corpus pendet a capite. Hoc verum est in bellis, ubi victoriæ causa est animosus, vigil et sagax imperator. Unde celebre est illud: *Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo.*

**TYRANNI RIDICULI EIUS ERUNT.**) q. d. Reges et principes ludibrio habebit Nabuchodonosor, faciet eos suos moriones, equiones, imo scabellam pedum; uti Saporis fecit Aureliano Casari, et Tamberlanes Baiazeti Turcarum Imperatori; ita S. Hieron. Secundo, *ridieuli*, vel, ut hebr. *risus erunt eius*: quia ipse potentissimus, deridebit eorum arma et copias. Unde explicans subdit:

**IPSE SUPER OMNEM MUNITIONEM RIDEBIT.**) q. d. Ipse munitiones quasvis despiciet, quasi ridens et ludens eas expugnabit: ita Theodor. Vatabl. et Arias. Significanter vertunt Septuag. *tyranni erunt eius zavva*, id est, ludibria, quomodo Zeno Imp. prælio vietus dixit: *Dei ludibrium est homo.* Syrus et Arabicus, *ipse reges deridebit, et principes subsannabit.*

**COMPORTABIT AGGEREM, ET CAPIET EAM.**) Agger dicitur aggerata, id est, congesta, terra, iuxta illud Virg. Æneid. 9. *Et fessas aggere complent*; ubi Servius: *Agger, ait, est cuiuslibet rei coacervatio unde fossa aut valles re-*

**Apleri possunt.** Significat Habacuc maxime aggerem, quem per tredecim annos comportarunt Chaldæi circa Tyrum, ut mare, quod illam cingebat, impleant, itaque ex insula facerent continentem, quam pedibus invadere et expugnare possent, uti tandem fecerunt, de quo dixi Ezech. 29. 18. Rursum solent duces, cum metantur castra, ea cingere et munire contra insultus hostium aggere, id est, vallo, et fossa instar civitatis. Unde Virgil. 7. Æneid.

*Primusque in littore sedes*

*Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.*

Insuper solent per aggeres obsidere et oppugnare urbes. Unde Cicero epist. ad Catonem lib. 13. *Vallo et fossa circumdedit: sex castellis castrisque maximis sepsi: aggere, vineis, turribus oppugnavi.* Sic Virgil. 6. Æneid. Alpes vocat aggeres, id est, muros et monumenta, Italiae. Hebr. pro aggerem est **אפר** *aphar*, id est, pulverem, quod Christ. a Christo sic exponit, q. d. Nabuchodonosor faciet altissimos aggeres ex pulvere, ut eius insperione, flatu oppositi venti facta, oculos, nares et fauces repugnantium offundat, et enecet; qua arte Sertorium expugnasse Charratinos, narrat Plutarch. in eius vita. Quocirca axioma est bellicum: *Duci captandum esse solem et ventum*, ut utrumque habeat sibi secundum, et hosti adversum. Verum nostra versio melior est, et communem castrorum aggerem significat: hic enim fit e terra, pulvere, saxis, lignis omnique re. Adde, Hebræos *aphar*, id est, pulverem, vocare quamlibet terram. Unde Adam dicitur factus e pulvere, id est, e terra, iuxta illud Gen. 3. 19. *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

**TUNC MUTABITUR SPIRITUS.**) q. d. Nabuchodonosor elatus tot victoriis, se non capiet, sed spiritus altos sumet, putans se esse Numen quoddam invictum, ideoque adorari volet in statua aurea, quam eriget, et omnes adorare compellet, Daniel. 3. 1. Quocirca Deo ulciscere mutabitur spiritus eius humanus in bellinum, ut ex homine fiat quasi bos, ideoque regno expellatur, transeat et corruiat, ac quasi quadrupes in sylvis cum feris vitam agat, Daniel. 4. 30. ita S. Hieron. Albert. et Lyran. Simili modo ob tot victorias, tantamque Monarchiam, mutabitur spiritus gentis Chaldææ in superbiam et fastum, ideoque pertransibit eius imperium, et corruiet in Balsasare, excindendum a Cyro et Persis, inquit Arias et Vatabl. Unde Chaldæus vertit, *propter elationem spiritus eius translatum est regnum*; aliter Septuag. *tunc mutabit spiritum, et pertransiet, et propitiabitur*; hæc est fortitudo Dei mei. Quod Theodor. sic explicat, q. d. Cum Deus sat castigarit Iudæos per Chaldæos, tunc iram commutabit in misericordiam, ac misericors erit, et acerbitates leniet, scilicet cum Cyrum liberatorem adducet, cui robur iuictum, indeque victorias præclarissimas dabit.

**ET CORRUIET.**) Hebr. **אשם** *asiam*, id est, Primo, *delinquet*. Secundo, *delictum expiabit*, per metonymiam, qua delictum et peccatum in Levitico, sæpe significat hostiam pro peccato. Unde Septuag. vertunt, *propitiabitur*. Tertio, **אשם** *asiam*, hebr. sæpe ponitur pro vicino **אשם** *seiamam*, id est, deficere, desolari, corruiere: cognata enim sunt culpa et pœna, sive delictum et desolatio: hæc enim individuus illius est comes, perinde ut carnefex est rei, quem ducit ad supplicium. Unde Noster recte cum Aquila et Symmacho, pro *delinquet*, vertit, *deficiet*, corruiet, præsertim quia defectus et ruina est delictum et peccatum, non moris et vitii, sed naturæ. Ex tribus hisce significatis triplex hic oritur versio et interpretatio. Primo enim Chald. vertit, *delinquit et peccavit, eo quod multiplicavit gloriam Deo suo*, quia scilicet impense coluit suos deos, non Deum verum. Secundo, Septuag. *tunc mutabit spiritum, et pertransiet, et propitiabitur. Hæc est fortitudo Dei mei*, q. d. ait S. Hieron. Deus ultione Iudæorum per Chaldæos peracta, mutabit spiritum iræ in spiritum misericordiæ: unde pertransibit eos, nec ulterius puniet, sed sat punitus propitiabitur. Tertio, optime Noster vertit, *et deficiet*, vel corruiet, iuxta sensum paulo ante assignatum. Sic enim *asiam*, id est, delinquere, sæpe significat deficere; ut, *Et non delinquent*, id est, non deficient,

omnes qui sperant in eo, Psal. 33. 23. Simile est Ezech. 6. 6. in Hebræo Ioclis 1. 18. et alii.

HÆC EST FORTITUDO EIUS DEI SUI.) Quam scilicet iactat esse Dei sui, quam Deo suo acceptam refert, q. d. Tam imbellis, modica et brevis est fortitudo, victoriæ et triumphæ Nabuchodonosoris, quos ipse Deo suo, puta Bello, ascribit. Nam, ut paulo ante dixi, hæc omnis illico in Balsasare corruet, occidente eum Cyro. Est ironia, et sarcasmus, sive hostilis irrisio. Aliter a Castro, q. d. Nabuchodonosor victoriis elatus superbiet, et in id scelus corruet, ut veri Dei oblitus, tribuat virtuti Dei sui Beli parvas victorias. Septuag. vertunt, hæc est fortitudo Deo meo, quod sic explicat Theodor. Propheta, ait, obstupescens ad Dei misericordiam, ex ira commutatam in Cyro liberatore Iudæorum, exclamat: Hæc est fortitudo Dei mei. Tibi soli Domine adest potestas et puniendi pro arbitrio, et commutandi ultionem in misericordiam. Verum Hebr. habent, *Dei eius*, et Chald. *idoli sui*. Quare nostra versio et explicatio est germanior. Unde et Syrus vertit, *devinctur virtus eius cum Deo suo*; Arabicus, *obediunt virtus eius Deo*, non suo ficto, sed vero Israelis.

Vers. 12

NUMQUID NON TU A PRINCIPIO DOMINE.) Propheta post prophetiam de Chaldæorum robore et tyrannide, ac Iudæorum per eos excidio, hic de eo dolens et ingemiscens convertit se ad orationem, Deumque obsecrat ut tantam Iudæorum stragem avertat, nec sinat, minas hæc impleri, sed populo suo miseretur et parcat, q. d. Tu Domine es Deus noster, tu sancte a nobis coleris in sancto templo tuo. Tu es sanctus ille noster antiquus, qui patres nostros dilexisti, et elegisti semen eorum post eos. Tu es qui sanctum fœdus cum ipsis iniivisti, sancteque promisisti te fore eorum et posterorum Deum. Tu nos tibi in populum sanctificasti, et ab aliis gentibus infidelibus et impiis, quasi tuum peculium segregasti, nosque sancta tua lege, prophetis, sacrificiis, miraculis, beneficiisque plurimis decorasti, ac tibi et tuæ sanctitati artissime obstrinxisti: non ergo patieris nos ab impiis Chaldæis vastari: quare te, uti speramus et obsecramus, tutante *non moriemur*, ut illi minantur. Aliter Ioann. Alba Electorum cap. 64. *Numquid non tu a principio?* A ponitur inquit, pro *ante*, q. d. Tu es ante omne rerum principium, tu es æternus. Et quia Æternum Hebræis significat quod magnum est in genere suo, hinc esse a principio, vel esse æternum, significat esse potentissimum. Potest et Æternum accipi pro misericorde, q. d. Numquid non o Domine tu es summe potens et misericors? Utique. Ostende ergo in nos miseros et pene consumptos tuam omnipotentiam et misericordiam, quam semper a principio huc usque in nos et patres nostros ostendisti. Hæc Alba, qui et addit: sic et sanctus, magnum, regem, potentemque significat: et sanctum, id quod magnum est et excellens.

Nota primo. Dicit, *non moriemur*, assertive, non autem, *non moriamur*, optative, esto id ipsum obsecrat; ad efficaciam orationis, ut scilicet certam spem, et quasi fidem non moriendi significet, eaque constringat Deum, ne eos mori sinat. Quis enim speravit in Deum, et confusus est? Nam, ut ait S. Bernard. serm. 3. de Annunciat. Domin. *Deus oleum misericordie ponit in vase fidei*. Expeditius dicemus, repetendam esse vocem *numquid* quæ præcessit, q. d. Numquid non moriemur, cum te habeamus Deum protectorem sanctum et æternum? Syrus Vaticanus pro *non moriemur*, habet, *sine lege*; Arabicus, *sine similitudine*. Sic enim vertit Syrus, *quoniam tu es a principio Domine Deus meus sanctus, sine lege aliqua*, hoc est, nulla lege, nullo decreto, nulla determinatione, nullo facto constringeris.

Nota secundo. Pro *לא נמות* lo *namut*, id est, non moriemur, aliqui codices legunt *לא תמות* lo *tamut*, id est, non morieris, q. d. Tu Domine, uti sanctus, ita es et immortalis: quare non permittas nos mori, et a Chaldæis occidi: illi enim, æque ac illorum dii, ut impii, ita et mortales, infirmi et corruptibiles sunt, ac a te corruptentur, mortique præsentis et æternæ addicentur. Unde Chald. vertit, *tu Deus iudex verus super omnes creaturas tuas, et san-*

*ctus in operibus tuis: verbum tuum in sæcula permanet Domine*, q. d. Conserva nos, uti promisisti, fidelis et stabilis es, fac ergo nos stabiles: immortalis es, ne ergo sinas nos mori, sed fac nos tui similes, et quasi immortales.

Nota tertio, quadruplicem antithesin. Opponit enim Deum idolis et hominibus: Primo, quod Deus sit a principio, puta ab æterno, q. d. Deus æternus est, idola et Chaldæi temporanei sunt, modicoque tempore duraturi. Secundo, Deus est omnium creator et dominus, idola et Chaldæi creaturæ sunt et servi. Tertio, ipse est Deus immensus, immortalis, omnipotens, etc. illi sunt hominum plasmata exigua, caduca, infirma. Quarto, Deus est sanctus, ipsaque per essentiam sanctitas summa et perfectissima; illi impuri sunt et scelerati, q. d. Destruere ergo o Domine, idola et Chaldæos, tot nominibus tibi e diametro oppositos et inimicos. Porro ad maius pathos, maioremque affectum et obsecrationem, ut gratiam a Deo oblandiatur, vocat eum, *Deus meus, sancte meus*, non, noster: tum quia Propheta hic loquitur in persona populi, qui collective est unus et singularis: personam enim populi in se suscipit et induit, utpote unus et primarius e populo, ut in se, et secum totum populum supplicem Deo constituat, itaque tot capitum numero armatas preces Deo offerat, veniamque extorqueat: tum quia Deus cuiusque fidelis et iusti, tam est Deus, id est, pater, provisor, custos, amicus, etc. ac si eius solius esset Deus. Sic ait S. August. l. 3. Confess. cap. 11. *O tu bone omnipotens, qui sis unumquemque nostrum curas, ac si solum curas: et sic omnes tanquam singulos*. Et S. Paulus ait, Christum esse suum: *Qui, inquit, dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*. Galat. 2. 20.

DOMINE IN IUDICIUM POSUISTI EUM.) Est concessio, q. d. Fatemur te Domine misisse Nabuchodonosorem in iudicium, id est, in iustam vindictam, ut scilicet per eum quasi per virgam, castigares peccata nostra et aliarum gentium, ideoque eum fortem effecisti.

FUNDASTI.) Firmasti et roborasti Nabuchodonosorem tot opibus, viribus, copiis, imperiis, victoriis.

MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM.) *Videas*, Vers. 15. id est, approbes et faveas. Est catachresis: quæ enim approbamus, quæque nobis placent et grata sunt, ea continue et læte aspiciamus: quæ vero odiosa et ingrata sunt, ab his oculis avertimus. Unde Virgil.

*Diva solo fixos oculos averosa tenebat.*

Et vulgo dicitur: *Ubi oculus, ibi amor: ubi manus, ibi dolor*. Sensus est, q. d. Tui oculi, tuæque mens mundissima et iustissima est; quare malum, id est, peccatum et iniuriam, æquis et benignis oculis aspicere et videre nequis, ut illi faveas, et pro illo pugnes. Cur ergo respicis super Chaldæos iniqua agentes, violentos et iniurios, ac permittis ut ipsi nos devorent? Esto enim simus peccatores et iniusti; Chaldæis tamen, utpote idololatris et tyrannis, meliores et iustiores sumus. Sufficiat ergo Domine, quod peccata nostra per eos leviter castigas: at ne sinas nos per eos excindi et disperdi. Sic enim videberis favere tyrannis et idololatris contra tuos fideles et cultores; ac idololatras iactabunt te favere eorum tyrannidi et idololatris; aut certe te non posse, vel non velle, auxiliari populo tibi devoto.

Nota. Propheta hic non obmurmurat Deo, ut blasphemiat Calvin. sed ex dolore libere queritur, deprecatur, et amice expostulat eum Deo, quod velit Iudæos punire et vastare per Chaldæos Iudæis peiores. Sic improborum prosperitatem indolet et admiratur David Psal. 72. 12. Ieremias cap. 12. 1. Job cap. 21. 7. Aliter respondet S. Hieron. hæc dici a Propheta, *non quod ipse sic sentiat, sed quod impatientiam humanam in sua persona exprimat: sicut frequenter videmus Apostolum variis hominum in se recipere sententias, et nunc dicere: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati*, Rom. 7. *Et quasi insipiens sit: Fratres ego non arbitror me comprehenderit. Ac rursus quasi perfectus sit: Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus*, Philip. 3. Et: *Hæc autem fratres transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in vobis discatis*, etc.

MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM.) Cum enim sis ipsa munditia et sanctitas, extreme odis omne peccatum, ideoque *perdes omnes qui operantur iniquitatem*, Psalm. 5. Nam sicut lux adversatur tenebris, easque naturaliter aversatur et odit, ac pulchritudo turpitudini, et puritas maculis sordibusque, et rectitudo obliquitati, et vita morti, et bonitas malitiæ, ita et sanctitas aversatur et execratur omne peccatum. Quare sicuti Deus necessario sanctitatem amat infinito amore, ita necessario peccatum perfectum et mortale odit infinito odio. Cuius odii signa dat multa. Nam primo, ob peccatum mortale privat hominem infinito bono, nimirum possessione ipsius Dei. Secundo, quia ob illud infligit peccatori infinitum cruciatum et opprobrium, nimirum incendia æterna gehennæ. Tertio, quia etiamsi quis haberet merita infinita, ea tamen omnia aboleret Deus ob unum peccatum lethale. Quarto, quia filium suum ad delendum peccatum, infinitam humiliationem et afflictionem subire voluit. Talis enim fuit eius incarnatio et mors, qua, ut ait Apostolus, *semetipsum exinanivit*, id est, ex omni fecit se quasi inane et nihil, Philip. 2. Deum emulantur Sancti, qui proinde immense oderunt peccatum, tam in se, quam in aliis; ideoque omni modo satagunt ut illud aboleatur, dum suo zelo iustos in iustitia conservant, peccatores a peccato ad iustitiam traducunt.

Porro sanctitas consistit in conformitate cum lege æterna, quæ est in mente Dei. Is enim perfectus et sanctus est, cuius voluntas et opera exacte conformantur legi æternæ, puta menti et voluntati Dei. Voluntas enim Dei cum re ipsa sit eadem cum mente et intellectu suo, ideoque necessario et essentialiter legi æternæ conformis sit, et ex æquo respondeat; hinc pariter ipsa est mensura et regula omnis sanctitatis: et quia hæc conformitas in Deo est infinita, hinc pariter infinita est eius sanctitas. Quare secundo, sanctitas consistit in amore et coniunctione cum Deo, qui est origo et plenitudo sanctitatis. Sanctitas ergo est amor Dei. *Sanctitas enim est omnimoda puritas*, ait S. Dionys. cap. 12. de Divin. nom. Iam sicut impuritas nascitur ex contactu inferiorum, puta ex amore et adhæsione ad epulas, veueres, honores vanos, aliaque bona terrena et infima; ita puritas oritur ex contactu superiorum, puta ex amore et adhæsione ad Deum, resque divinas et cælestes. Purus ergo et sanctus est, qui toto affectu adhæret Deo: et quo magis omnem affectum in Deum transfert, eo in dies fit sanctior, dum singula cogitata, volita et opera sua dirigit ad Deum, ut in dies magis magisque ei appropinquet. Sic enim imitatur Deum, de qua dicitur Psalm. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*; sequiturque eius præceptum: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*, Levit. 11.

VERS. 11. ET FACIES HOMINES QUASI PISCES.) Primo, q. d. Cur permittis o Domine, ut, sicut piscator piscatur pisces, nemine eos tuente; sic Nabuchodonosor expiscetur, capiat et expilet omnes gentes: hæ enim illi sunt pisces? ita Rupert. et Vatabl. Ubi Nota insignem allegoriam: Piscator Dei est Nabuchodonosor: hamus sunt doli eius et technæ: saginæ et retia sunt arma, milites et aperta violentia: pisces sunt Iudæi aliæque gentes, quas ut pisces (qui nullius sunt domini, nec habent ducem aut protectorem, sed fiunt primo occupantis, puta piscatoris qui eos ex aquis expiscatur et trahit) ita sibi subiugat, calcat et occidit, quasi revera pisces et reptilia essent, non homines. Hinc et per portam piscium Chaldaei irruerunt in urbem, uti dicam Sophooiæ 1. v. 10. Secundo, magis genuine et nervose, q. d. Cur permittis o Domine, ut, sicut pisces maiores et fortiores, puta balænx, lupi, polypi, devorant minores: ita homines potentiores et tyranni, v. g. Chaldaei, devorent eos qui sunt imbecilliores, ut inter homines, æque ac inter pisces, non dominetur iustitia, sed robur, vis et tyrannus, illeque sit dominus, qui viribus prævalet? ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Theophyl. Hinc illud Polybii proverbium vulgo usurpatum: *Pisces maiores glutunt minores*. Præclare S. Basil. hom. 7. Hexam. *Maior pars piscium, inquit, liguriunt alter alterum, et minor apud illos esca*

A maioris est. Et si evenerit ut is qui minorem superaverat, alterius præda fiat, ambo tum simul deglutuntur, et una ultimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cum vin inferimus inferioribus?

Symbol. apposite Propheta homines comparat piscibus, ob multas analogias. Prima est: Sicut Deus creavit cæstum hominum, sic et cæstum piscium: pisces multi, multi et homines. Piscium valde variæ sunt species: varii pariter ordines, gradus, complexiones, lingue, familiæ et gentes sunt hominum: mare est mundus piscium, terra est mundus hominum. Omnes enim animalium species quæ sunt in terra, proportionaliter sunt et in mari, ut porci, canes, equi, vituli, quin et homines marini, uti multis exemplis Tritorum, Nereidum et Sirenum docet Plinius lib. 9. c. 5. et Olaus Magnus lib. de Gentib. Septemtr. Insuper *plurima pars piscium est gregatilis, nec ullus grex caret duce*, ait Aristot. lib. 8. de Hist. Animal. e. 12. Sic et homines suas habent resp. et regna, et in omnibus suis est dux et princeps.

B Secunda: Homines in mundo variis tentationum et mutationum æstibus iactantur, uti pisces in mari; ac sicut in illis ludunt, ita et homines ludunt in suis; atque in utrisque ludit sapientia et potentia Dei, Proverb. 8. 30.

Tertia: Pisces sunt aquei et humore luxuriant: ita et in homioibus perisique, præsertim in hieme prædominantur pituita, qua proinde et senes fere omnes, et iuvenes permulti moriuntur, ac catharro suffocantur. Quocirca Philosophus definiens hominem: *Homo, inquit, est fortunæ lusus, inconstantie imago, corruptionis speculum, temporis spoliolum, mancipium mortis, viator transiens, Dei ludibrium: reliquum, pituita et bilis*.

Quarta: Pisces sicut ex aqua generantur, ita in eadem vivunt (nam extra illam moriuntur) ex eaque aluntur et nutriuntur, uti docet Rondeletius lib. 1. de Piscib. e. 13. licet enim aqua maris sit salsa, ac proinde inepta nutritioni, utpote cuius alimentum est succus dulcis; tamen in mediis undis salsis permultus humor dulcis continetur, admistusque est, quem pisces in alimentum familiare transmutant: quam ob causam crebro in Pontum migrare solent, et ibi pinguescere, quod illud mare dulcebus aquis copiose alluatur, uti docet Arist. lib. 8. Histor. Animal. cap. 13. Et cap. 2. in mari esse dulcem liquorem, probat ex aquæ percolatione; si enim ex cera vas tenue finxeris, idque funiculo appensum in aquam demiseris die ac nocte una, humoris dulcis copiam intra se colliget. Rursus nautæ, et qui arentia maris littora incolunt, aquarum dulcium copia destituti, puteis vix tres cubitos altis ad littus effossis, suavem dulcemque liquorem ex mari deducunt, qui per arenam transcolatus a salsugine separatur. Nec mirum pisces aqua ali: quia sola aeris inspiratione plurima animalia vivunt. Astomos scribit Plinius l. 7. cap. 2. halitu tantum et odore, quem naribus trahunt, vivere. Sed hoc fabulosum forte: tamen ab aliis, qui Plinio vetustiores fuerunt, litteris proditum est, vires in animi consternatione et syncope, admotis odoratis maxime refici et instaurari. Romæ annos quadraginta sacerdotem quemdam sola aeris inspiratione vixisse, ex Leonis Pont. Max. et multorum principum custodia, et Hermolai Barbari historia fideque certissimum est. Puellam ante annos tres in Gallia Narbonensi omnes audivimus, vidimus multi; et Spira in Germania aliam a viris doctis accepimus, quæ multos annos nullo alio præter aerem cibo potuque, vitam salubriter traduxit. Aliam etiam nos vidimus, quæ etiamnum hodie vivit, eodem vietus genere ad decimum ætatis annum pervenisse, tandem grandem factam nupsisse, et felicem prolem sustulisse. Si aer subtilis homines, multo magis aqua crassior pisces nutrire potest. Huc usque Rondeletius. Eadem exempla sacerdotis et puellarum narrat probatque noster Delrio lib. 2. Magic. quæst. 21. Sed inedia causam ascribit complexionis phlegmaticæ, puta humori phlegmatico erudo, lento et viscoso, quo alitus sit calor naturalis, idque verosimilius videtur. In eo ergo pisces sunt similes hominibus, quod utriusque humore nutriantur et vivant, sive is acereus sit, sive aqueus. Aer e-

Homines sunt quasi pisces ob viginti analogias.

I.

II.

III.

Quid homo?

IV.

In mari est humor dulcis.

nim et aqua sunt elementa vicina et symbola: aer enim est aqua subtilior, et aqua est aer crassior. Elementa enim nostra non habent primævam puritatem et simplicitatem, in qua condita sunt, sed multis exhalationibus, vaporibus, rebusque terrestribus permista sunt, ac proinde alimenta viventium esse possunt, vimque ea alendi habent. Sane terra vivunt alunturque plantæ, serpentes et reptilia.

V. Quinta: Maiores pisces minores devorant, ita et homines: iuxta illud, *Homo homini lupus*. Rursum, sicut cætus pisces pene omnes absorbet, etiam maximos; sic et diabolus qui quasi balæna in mari huius sæculi animas quaslibet, etiam regum et principum, quin et Sanctorum, prædatur, iuxta illud Psal. 103. 26. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*. Audi Aristot. lib. 9. *Histor. Animal. cap. 2. Incunt prævium pisces maiores contra minores: maior enim quisque et robustior minorem inferioremque devorat*. Idem lib. 8. cap. 2. *Aller*, inquit, *alterum sui generis edit, excepto mugile, sed maxime congri*.

VI. Sexta: Pisces sunt muti: sic et homines coram Deo, quantumvis sapientes et sancti, quasi pisciculi obmutescunt, eoque arguente ponunt eum S. Iob e. 39. 34. *manum super os suum: ac in die iudicii coram Christo iudice, omnes quasi pisces conticescent*. 1. Reg. 2. 9. Matth. 23. v. 46.

VII. Septima: Piscibus iuxta caput sunt binæ pinnæ, quasi binæ pennarum alæ, quibus velut remis mare sulcant: sic et homini bina sunt brachia, quibus omnia operatur. Insuper piscis cauda, quasi temone et clavo, navis suæ gressum dirigit; unde a natatu piscium didicerunt homines fabricare naves, hisque sulcare maria. Est enim piscis quasi navis natans et velificans in mari, uti de nautilo pisce et concha ait Plinius lib. 9. cap. 29. 30. et 33. ita et homines pedibus se quocumque volunt promovent. Rursum sicut aves aliquæ sunt semipisces, quia volant in aere, et natant in aqua, ut merguli, anates, fulicæ; ita vicissim sunt pisces, qui sunt semiaves, quia habent ingentes pinnas quasi pennas, quibus volant super aquas instar avium, qualem vidi Romæ in Bibliotheca Ducis de Altheimps. Symbolice, aves sunt angeli, qui in æthere versantur, et ad Deum evolant: pisces sunt homines, qui in mari huius sæculi volutantur. Sicut ergo angeli sunt semihomines, dum corpus assumunt, et cum hominibus colloquantur; ita vicissim homines sunt semiangeli, dum penitis per contemplationem elevati, ad Deum evolant.

VIII. Octava: Pisces ventre incubant aquis: ita et multi homines incubant aqueis voluptatibus. *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, Philip. 3. 19. Hac de causa Christus factus homo, factus est piscis huius sæculi, ut ex aqueis et terreis hominibus quasi piscibus, faceret æthereos et cælestes. Quocirca Christi nomen fuit ἰχθῦς, id est piscis, ut patet ex aerostichi Sibyllæ, cuius primæ litteræ combinatæ hæc verba præferant, Ἰησὺς Χριστὸς θεὸς υἱὸς σαωτηρ, id est, Iesus Christus Dei filius, Salvator: quarum vocum Græcicarum litteras initiales si iungas, habebis ἰχθῦς. Aerostichin hanc recenset Euseb. lib. 4. de Vita Constantini. Hinc et Christus piscatores elegit, fecitque Apostolos, quos cum retibus fidei ad mare huius sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit, ait S. August. lib. 22. Civit. e. 5. Et de verbis Domini in Evangel. secundum Ioannem serm. 59. *Leguntur*, ait, *modo verba piscatorum, et colla subduntur oratorum*.

Præclare S. Chrysost. serm. de S. Andrea, qui extat apud Surium die 30. Novemb. Apostoli, inquit, *piscatores fuerunt, sed illorum instrumenta nova et inusitata fuerunt. Nam pro arundine prædicatione utuntur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro esca miraculis, pro petra cælis, ex quibus huiusmodi piscationem exercens; pro scapha habent altare; pro piscibus reges etiam ipsos capiunt: pro sagena Evangelium expandunt: pro arte divinam gratiam adhibent: pro mari vitam humanam tractant; pro retibus cruce, velut sagena quadam, uti solent. Quis unquam*

A *vidit a mortuis piscatoribus viventes homines, tanquam pisces, capi? O magnam crucifigi potentiam, o divinæ dignitatis præstantiam, o Apostolorum summa beneficia! Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolicæ gratiæ fastigium.*

Nona: Piscis sale eget ne putrescat; sic et homo prudentia. Rursum, piscis primum a capite putrescit et fetet; sic et homo a ratione et voluntate, qua se sinit a cupiditate vinci et corrumpi. Sicut enim molles sunt pisces, sic effeminati et homines: hinc utrique eseis et illecebris quasi laqueis capiuntur. Pari modo monasteria, collegia, Ordines, Resp. a capite vitium et ruinam trahunt. Quamdiu enim habent bonos, et vigiles aereque rectores, magistratus, principes, vigent, et sarta tecta consistunt; sed ubi pravos, vel inertes et remissos accipiunt, omnis disciplinæ rigor, ac consequenter reipublicæ vigor, integritas et dignitas, instar salis aqua liquefacti, dissolvitur et evanescit.

X. Decima: Pisces vagantur et oberrant, maxime qui carne aluntur, ait Aristot. lib. 9. *Hist. Animal. cap. 37. Ita oberrant et homines, præsertim lucri et voluptatum cupidi*. Rursum idem l. 8. e. 12. *Ut homines*, ait, *alii domicilia hieme repetunt; alii qui amplioris provinciæ principes sunt, sedem pro tempore mutant, ut moram æstate, locis frigidis, hieme tepidis trahant, etc. Sic et pisces per hiemem ex alto in littora teporis gratia veniunt: contra æstate ex alto in altum, vilantes æstum discedunt.*

XI. Undecima: Pisces pinnulas habent, ut nantes: pedibus carent, ut non pedestres sed aquatiles. Homo vero quia terrestris est, pedester est: *Pedum enim additio utilis ad motum, qui in pedo, hoc est solo, agatur: unde et nomen inditum pedibus est*, ait Arist. lib. 4. de Partib. Animal. cap. 13.

XII. Duodecima: Pisces nonnulli respirant et dormiunt, ut homo. Audi Aristot. lib. 6. *Histor. Animal. cap. 12. Spirant quæ fistulam habent omnia, et recipiunt aërem: haud enim carant pulmone. Et quidem visus est delphinus dormire rostro emerso, ac stertere*. Idem docet Plinius lib. 9. e. 7. idque probat ex piscium in æstate anhelatione, oscitatione, et bullantium aquarum sufflatione.

XIII. Decimatertia: Pisces senescunt, ut homines. Ita Aristot. lib. 8. *Histor. Animal. cap. ult. Vitiant*, ait, *senectute pisces: et quidem thunni vel ad rem salsamentariam, senes improbi sunt; multum enim carnis absuntitur: quod idem in cæteris piscibus evenit. Declaratur eorum senectus duritie magnitudinemque squamarum. Iam captus est thunnus senex, cuius pondus erat al talenta quindecim, et caudæ intervallum ad quinque cubita et palmum.*

XIV. Decimaquarta: Homines plures et frequentes habent dentes, ac primores acutos ad cibi scissionem et masticationem: ita pisces multos habent dentes, eosque acutos et serratos. Unde Aristot. lib. 3. de Partib. Animal. cap. 4. *Pisces*, ait, *omnes serratis sunt dentibus, uno excepto qui scarus vocatur: complures etiam dentes in lingua habent, et in palato. Cuius rei causa est, quod, cum mersi in aqua degant, humorem cum cibo admittant, eumque expuant quamprimum necesse est: non enim in molendo commorari possunt, quando humor in ventrem interrumpit: idcirco omnes acuti et frequentes undique sunt: videlicet ut præ multitudine in minuta secent, quæ attritu subigere nequeunt. Adunci præterea sunt, quoniam robur fere totum piscium in dentibus situm est.*

XV. Decimaquinta: Homines laborant morbis; ita et pisces, a pestilentia tamen immunes sunt. Ita Aristot. lib. 8. *Histor. Animal. cap. 19. Morbus*, ait, *pestilens nullus incidere piscibus universis videtur, etc. ægrotare tamen et ipsi putantur: et quidem piscatores pro morbi indicio capiunt: cum aliquot extenuatos languentibus similes, et colore immutatos inter multos pingues ac validos eiusdem generis ceperint. Addit idem paulo superius, æstivos imbres commodiores esse piscibus, et hiemem sereniorem: Ad summum prope dixerim, inquit, cum bene hominibus annus cedit, tunc et piscibus feliciter degere contingit. Porro pisces, cum ægrotant, apio viridi sanari tradit Plinius lib.*

20. c. 11. idem magnum piscium in medicinis hominum esse usum, docet lib. 32. c. 4.
- XVI. Decimasexta: Pisces habent cor eiusque situm similem homini. Audi Arist. lib. 3. de Part. Anim. cap. 4. *Cor, ait, ceteris animalibus in medio pectore est, homini tantum paulo vergit ad lævam, ut eius partis refrigerationem moderetur et compenset: omnium enim animalium maxime homo refrigeratum habet partem sinistram. In piscibus etiam cor similem situm tenet. Solis his cordis mucro ad caput spectat, cum ea pars prior sit: eodem enim agitur motus.* Rursum pisces generant ut homines; habent enim sexum distinctum, alii mares sunt, aliæ feminae; ac feminarum ora non perficiuntur ad generationem sine marte, nti fit in gallinis et avibus, teste eodem Arist. lib. 6. *Histor. Anim. cap. 11. et lib. 4. c. ult. ubi docet pisces feminas maiores esse maribus, sed ad cibum mares præstantiores esse feminis, excepto siluro, asserit idem lib. 8. cap. 19.*
- XVII. Decimaseptima: Piscium omne genus vorax et gulosum est, teste Aristot. lib. 3. de Part. Animal. cap. 14. item prolificum et fecundum, abundant enim humore: sic et homines in gulam et venerem propensi sunt. Rursum, piscibus oculi sunt lubrici, propter circumfusi humoris crassamentum, ait, Aristot. lib. 2. cap. 13. sic et hominibus. Unde multi merito gement, dicuntque illud Thren. 3. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam. Et v. 48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiarum populi mei.*
- XVIII. Decima octava: Pisces habent memoriam, et vitam agunt rationi humanæ vicinam. Id negarunt nonnulli; sed certissimum esse, et experientia se didicisse testatur S. August. lib. 3. de Genes. ad litter. c. 8. *Nam fons, ait, Buliensium regionum fere plenus est piscium. Solent autem homines desuper intuentes eis aliquid iacere, quod sibi vel præripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pastu assuefacti, deambulantes super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregati natando eunt et redeunt, expectantes ut aliquid iacent, quorum præsentiam sentiunt. Non ergo nulla memoria, vel sensus tardior animæ inest piscibus.* Id ipsum ego subinde in stagnis piscium expertus sum. Quocirca idem in Ioannem tract. 123. *Viderunt, ait, prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Piscis assus, Christus est passus. Ipse est panis, qui de cælo descendit. Pisces dicuntur homines.* Hinc prisei homines temperantes et casti vesebantur, non carne, sed pisce, utpote digestu facili, et refrigerante tam calorem naturale, quam æstum iræ ac libidinis, testis est Athen. de Cænis sapientum lib. 3. 4. et 8. Vicissim, ut ait idem lib. 7. *Piscis quivis humana carne delectatur.* Augurium piscium recenset Plinius l. 9. c. 16. *Siculo, ait, bello ambulante in littore Augusto, piscis e mari ad pedes eius exiit, quo argumento vates responderent: Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sexto Pompeio repudiato. Tanta erat navalis rei gloria: sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenerent.* Idem cap. 42. mira habet de astutia piscium ut pinna, torpedinis, rhombi, pastinacæ, etc. Idem c. 53. refert quosdam pisces vixisse sexaginta annos, quæ est ætas hominum. Idem lib. 10. cap. 43. ait vitulos marinos, multosque alios pisces cicurari et mitescere. Et c. 70. ait in piscinis Cæsaris quosdam per nomen evocatos, illico adnatare. Idem lib. 9. c. 8. ex Mæceenate narrat, delphinos e manu hominum resciri, pueros dorso excipere et vectare, eosque amare, adeo ut eum iis morientibus emoriantur.
- XIX. Decimanona: S. August. in psal. 64. *Mare, ait, in figura dicitur sæculum hoc salsedine amarum, procellis turbulentum, ubi homines cupiditatibus perversis, et pravis facti sunt velut pisces se invicem devorantes. Attendite mare malum, mare fluctibus sævum. Attendite quibus hominibus plenum sit. Quis optat hæreditatem, nisi morte alterius? Quis optat lucrum, nisi damno alterius? Quam multi aliorum deiectione cupiunt sublimari? Quam multi ut emant, optant alios vendere res suas? Quomodo se invicem opprimunt, et qui possunt devorant? Et cum devoraverit*
- unus piscis maior minorem, devoratur et ipse a maiore. O piscis male prædam vis de parvo, præda efficietis magno.*
- Denique S. Bernard. serm. de B. Maria, pag. 394. triplicem assignat hominum piscinam, et triplices pisces: *Primum, ait, diluvium est vitiorum, secundum tribulationum, tertium miserix et tenebrarum. Primum est peccati, secundum mundi, tertium inferni. Pisces primi sunt oblectamenta, secundi iniqui tentamenta, tertii perpetua tormenta. Hinc in Evang. de bonis piscantibus, vitia calcantibus, tentamenta superantibus, æterna tormenta vitantibus, dicitur: Elegerunt bonos in vasis suis, malos autem foras miserunt, Matth. 13. v. 47. Unde liquet ipsos reprobos et damnatos esse pisces qui natant, iactantur et æstuant in stagno ardente igne et sulphure, Apocal. 21. 8. Longe maior hominum pars, imo maxima, et peue innu-mera, in hoc stagno volutatur et ardet. Eia Domine, numquid facies homines quasi pisces maris? atque utinam essent pisces maris! utinam a cæto devorarentur! iam autem sunt pisces, imo folles et fomenta gehennæ, præda et laniena diaboli, imo multorum millium et millionum dæmonum: ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Eia Domine, numquid spes ut dilatet infernus animam suam, et aperiat os suum absque ullo termino, ut absorbeat tot gentes et populos, quorum non est numerus instar arenæ maris? Parce Domine, parce creaturis tuis, quas ad tui imaginem creasti, quas quasi stellas cælo destinasti, quas prætioso sanguine Unigeniti tui redemisti. Obstrue hoc immane os tartari, ne tot animas glutiat. Emitte spiritum tuum in nos, ut huius flammantis stagni meditatione et horrore conceussi peccata vitemus, concupiscentiæ resistamus, pœnitentiæ nos dedamus, ac vitam sanctam tamquam viam in cælum capessamus; ut in illud transferri, ibique quasi pisces cælestes in fluvio paradisi, Apocal. 22. 1. puta in te, tuique visione, fruitione, et gaudiis sempiternis, natare mereamur. Amen.*
- ET QUASI REPTILE NON HABENS PRINCIPEM.) Reptile est animal quod non incedit pedibus, sed ventre serpit reptique, uti faciunt serpentes, vermes, lumbrici, aut certe quod adeo exiguos habet pedes, ut iis non tam necedere, quam repere videatur, uti habet lacerta, mustela, mus, talpa, raua, etc. Hæc sunt reptilia terræ: nam reptilia maris et fluminum sunt pisces. Porro Prophetam, ut Deo repræsentet hominum iniurias, afflictiones et ærumnas, eos non tantum comparat piscibus, sed et reptilibus, quæ piscibus infirmiora sunt, et iniuriæ magis obnoxia. Nam Primo, pisces in maris vel fluminum vastitate aut profundo abscondere se possunt a piscatoribus et piscibus voracibus; at reptilia in terra degunt, et exigua habent antra, in quibus statim deprehenduntur et capiuntur. Secundo, pisces multi, nimirum qui gregatim incedunt, uti baleæ, delphini, mugiles, suum habent ducentem, etsi sui similem, imbellem, invalidum et improvidum: at reptilia nullum habent ducentem, sed solitaria repunt, omniumque prædæ exponuntur. Tertio, pisces nando hostem effugere, et quasi avolare possunt: at reptilia quia repunt tardigrada sunt, adeoque fuga elabi nequeunt. Sensus ergo est, q. d. Cur permittis, o Domine, ut Iudæi et gentes calcantur, proterantur et enecentur a Chaldæis, sicut reptilia, (v. g. ranæ, lumbrici, limaces, quæ non habent principem qui eos ab iniuria tueatur) calcantur et proterantur a viatoribus, vel a reptilibus potentioribus, v. g. serpentibus. Hæc enim, inquit Theophyl. *ob naturæ suæ amaritatem, neque duces habent, ceu exortia misturæ et societatis, et mutuo inter se odio sævientia. Nam animantia sub duce constituta mansuetiora sunt, contubernii et societatis amantem, ac gregis et armenti sequacem naturam et indolem per hoc indicantia.* Unde per hæc tropol. accipit homines brutos et mutos, feros et serpentinos, qui in sese invicem grassantur.
- Tropolog. rursum vide hic quam misera sit hominum conditio: homines enim sunt quasi reptilia. Unde Iesbaam id est, sedens in cathedra, primus fortium Davidis, vocatur, *tenerrimus ligni vermiculus, 2. Regum 23. 8.* Idque Primo, quia homo dum nascitur, est quasi reptile; mani-

XX.

Homo est reptile ob tres analogias. I.

bus enim et pedibus repit super terram. Hinc illud ænigma sphynxis de homine: *mane quadrupes, merittie bipes, vesperi tripes*. Homo enim mane, id est, in infantia dum nascitur, quasi quadrupes manibus et pedibus innititur: deinde in iuventute incedit bipes; vesper, id est in senio, præditur tripes: quia præter binos pedes adsciscit tertium, puta scipionem cui insistit.

II. Secundo, quia plerique homines manibus, pedibus totoque corpore, quin et mente repunt in terra: nam nil cogitant nisi terrena, omnis eorum labor et occupatio est in terra, multi quoque in ventrem proiecti, nil nisi eum terrenis deliciis implere et sarcire satagunt.

III. Tertio, quod proprie hic spectat Propheta, quia homines æque ac reptilia, potentiorum iniuriæ et prædæ expositi sunt. Turcæ, Tartari, Indique reges educunt in aciem trecenta et quingenta hominum millia, eaque hostibus instar pulicum pro se niactanda obiciunt. An non hi sunt reptilia coram suis regibus, æque ac coram hostibus? Servi et mancipia ad aurifodinas et metalla damnati; coloni agris herorum colendis addicti; servi et opifices terrenis vilibusque dominorum imperiis et ministeriis deputati, nonne sunt quasi reptilia terræ?

Denique Guevara probabiliter per reptile accipit pisces maris, qui non habent principem, scilicet potentem eos tutantem, et a rapinis vindicantem, ut sit epaaphora Prophetæ usitata: nam sequentia omnia spectant pisces, et piscatorem, cui hic comparat Nabuchodonosorem. Sic pisces vocantur reptilia ps. 103. 25. *Hoc mare magnum et spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus*. Sic sensus erit, q. d. Itane, Domine, nos fideles barbaro Chaldaeo quasi pisces, qui non sunt nisi vilia et misera reptilia maris, expiscandos et devorandos trades? Itane nos, qui sumus tuum peculium, tuaque hæreditas immani tyranno quasi lautum piscium epulum obicies? Itane Israelæ dilectum tuum, ferissimæ huic bestię glutendum appones, ut eam tam pretiosa esca sagines? Absit Domine, absit. Sic Pii H. Pontificis gnomo erat: *Litigatores sunt aves, forum arca, iudex rete, advocati aucupes. Quocirca dignitatibus viri dandi sunt, non dignitates hominibus. Grave est Pontificis onus; sed beatus, qui id bene fert.*

Vers. 13. **TOTUM.**) Puta totam piscium prædam, totum piscabile, nimirum omnes pisces, hoc est omnes gentes expiscatus est magnus hic piscator, scilicet Nabuchodonosor suo hamo, sagena et reti. Vox *totum* notat insatiabilem eius avaritiam et rapacitatem, ob quam dum totum rapuit, totum perdidit, iuxta illud S. Cypriani l. 5. epist. 2. *Dum insatiabiles multum volumus, totum perdimus*. Et illud: *Camelus desiderans cornua, etiam aures perdidit*. Verissimum est ergo illud paradoxum: *in dubiis, dimidium plus est toto, de quo Hesiodus: Stolidi, ait, ignorant quanto plus dimidium sit toto*. Fit enim sæpe, ut qui plus cupide appetit, etiam id quod habet amittat. Videre id est in litigantibus, qui dum totum cupiunt, sepe totum perdunt, vel per sententiam iudicis, vel per immanes sumptus quos in litem iasunt, iuxta illud Eccles. 4. 6. *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, et afflictione animi*. Et illud Proverb. 15. 16. *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles*. Et e. 16. 8. *Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate*. Et Eccli. 14. 9. *Insatiabilis oculus cupidus in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arfaciens animam suam*. Vere Philosophus: *Omnis virtus est mediocritas*. Et dives est, animus suis contentus, sibi que sufficiens: pauper qui plura cupit. Pittacus, cum Mitylenæi ei multa offerrent, pauca tantum accepit, dicens: *Parva munera sunt divina, quibus nemo invidet: locupletia, solent non esse propria*: ita Probus in Thrasybulo.

**IN HAMO SUBLEVAVIT.**) Hamus est instrumentum aduncum cui esca appenditur; quam dum glutunt pisces, unco se induunt et intingunt, itaque hamo a piscatore ducuntur et extrahuntur. Unde hamata munera vocantur, quæ ita dantur ut maiora ad se alliciant, et ut vulgo di-

**A** citur: Pisciculi pisces capiunt: dant enim parva, ut magna recipiant. Sagena est rete, sed minus, v. g. quod unus piscator utraque manu expandere, ac rursus elevare et attrahere potest. Rete est maius. Quare per hamum, sagenam et rete significatur instrumentum piscationis parvum, maius, et maximum. Per omnia hæc intelligit vires et copias Nabuchodonosoris, quibus gentes capiebat et quasi expiscabatur. Totus enim eius exercitus erat Primo, quasi hamus unus in manu Nabuchodonosoris, utpote totus ab eo dependens, in eiusque potestate et manu positus: idem tamen ob innumerum milites, cohortes et turmas, erat quasi ingens sagena et rete, ex plurimis filis et ocellis contextum. Secundo, quia ipse parvas urbes parvis copiis quasi hamo, magnas magnis quasi sagena et reti capiebat: ita S. Hier. Tertio, per hæc tria alludit ad tres expeditiones, quas in Iudæam fecit Nabuchodonosor. Nam Primo, anno regni sui 3. invasit eam; sed paucos, puta Danielem cum sociis, abduxit, Daniel. 1. 1. tunc ergo quasi hamo piscatus est. Secundo, anno regni sui 8. rediit, et Ioakim regem occidit, filiumque eius Ioachim, sive Iechoniam cum multis aliis captivos in Babylonem abduxit: hæc ergo fuit piscatio per sagenam. Tertio, anno regni sui 18. Ierusalem cepit et evertit, Sedeciam regem exoculavit, filios eius aliosque principes occidit, cæteros omnes in Babylonem transtulit, 4. Reg. 25. Hæc ergo piscatio fuit per rete, qua uti totam Iudæam, ita et reliquas gentes conclusit, evertit, comprehendit. Denique Ribera, per hamum accipit dolos et teqnas, per sagenas et retia apertam violentiam Nabuchodonosoris. Hamus enim, utpote exiguus, occultior est retibus, et occultius pisces expiscatur.

Nota. Sagena Græcis est genus retis piscatorii: Latini verriiculum vocant, eo quod pisces e mari vel flumine quasi everrat, et in se, sui scilicet angulum, congreget, de qua Manilius l. 5.

*Expicitur vasta circumvallata sagena.*

**C** Unde explicans subdit: *Et congregavit in rete suum*. Dum enim sagena a piscatoribus per mare vel fluvium trahitur, illudque verrit, pisces eam fugientes congregantur in retia aretata et angulata, certis locis disposita, ad quæ eos propellit sagena. Per hamum ergo, sagenam et rete, quibus piscatores impediunt et illaqueant pisces, significat omnes artes, copias et machinas, tum minores, tum maiores, quibus Nabuchodonosor usus est ad debellandas et capiendas omnes gentes. Unde Delrio adagio 1000. hamo, inquit, sigillatim captis oppidis videntur eives sublevari, sagena vero attrahi simul tota gens in captivitatem abducta. Secundo, per hamum, utpote parvum et occultum, accipi possunt eius technæ, doli et stratagemata; per sagenam et rete publicum, aperta vis et prælia. Tertio, alii per sagenam et rete accipiunt idola, puta Belum, cui victorias suas ascribebat Chaldaeus. Unde subdit: *Propterea immolabit sagene sue, et sacrificabit reti suo*, puta Belo: ita Remig. et Liran. Quarto, S. Hieron. et Remig. ita hæc tria discriminant, *ut piscator quod hamo non potuit, reti comprehendat; et quod evaserit rete, sagenis latioribus circumdetur: ita Nabuchodonosor quod minoribus copiis vincere non potuit, maioribus debellavit, adeo ut euncta vastaret, et unicersum hominum genus prædam fecerit*. Paulo aliter Chaldaeus: *Omnes, ait, similes sunt piscatori, qui cum ceperit pisces, hamo colligit eum in sagena sua, et proicit eum in rete suum*. Apposite Nabuchodonosorem comparat piscatori, quia ipse regnabat in Babylonem, quæ adiacet Tigri et Euphrati: exercitum eius sagenæ, quia Iudæos et gentes quasi pisces circumdedit, evertit et cepit. Præclare Sapiens Eccles. 9. 12. *Nescit, ait, homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis exemplo supercenerit*.

**PROPTEREA IMMOLABIT SAGENÆ SUE.**) Per sagenam S. Hieron. et alii intelligunt Deum Chaldaeorum, cui ipsi victorias suas acceptas ferebant, eique in gratiarum actionem immolabant: Deum autem hunc esse Belum. Guevara vero censet deam hanc esse Derectem, Semiramidis

reginae matrem, quam Syri fabulantur in piscem esse conversam: quocirca eam pingebant facie mulieris, quoad caetera effigie piscis, eique insigne templum ad Ascalonem iuxta lacum piscibus plenum statuerunt. Hanc proinde Plinius Atargatim prodigiosam vocavit: erat enim monstrum coullatum ex muliere et pisce. Athenæus auctor est Atargatim syriacæ dictam ab *atar*, id est, sine, et *gatis*, id est, piscis, q. d. Sine piscibus, eo quod piscium abstinencia coleretur. Sunt qui putant Dagon Deum Palæstinorum, de quo 1. Reg. 5. 4. eundem esse eum Dercece: nam Dagon hebr. piscem significat, et piscis formam habebat: ita ex Diodoro, Xenophonte, Plinio, Cicerone et Ovidio Guevara, qui proinde censet hic esse metonymiam: nam sagenam ac rete pro piscibus usurpari. Cuiusmodi est illud Virgillii: *Nunc pateras libate Iovi*, id est, vinum contentum in pateris. Porro piscem, puta Dercecem, præ aliis Chaldæorum diis hic nominari hac ratione, q. d. Nabuchodonosor suas victorias acceptas referet, non tantum regi Belo, sed et mutis piscibus (puta Derceci) eisque sacrificabit; quod quam stultum sit, quis non videt? Quomodo enim pisces imbelles alios defendant, qui se a piscatoribus defendere nequeunt, quin quoties libuerit, eorum sagenam et reti capiantur? Vide ergo o Domine hanc eius stolidam impietatem, ac tuæ iniuriæ et divinitatis zelotes eam ulescere, nosque tibi devotos e manibus et unguibus eius libera. Hæc Guevara. Verum quia Dercece erat Syrorum dea, non Chaldæorum: (horum enim idolum erat Bel;) et quia sagenam hanc explicans Propheta subdit, *Propter hoc ergo expandit sagenam suam*; non autem expandit deam suam, sed suas copias: hinc melius magisque genuine per sagenam accipias industriam militarem, arma, vires et exercitus Nabuchodonosoris, quibus ipse acceptas ferebat suas victorias, q. d. Mea virtute bellica tot peperit triumphos: illa ergo mihi Deus est, alium non agnosco. Unde Chald. vertit, *propterea sacrificat armis suis, et adolet aromata retiaculo suo*. Sic Mezentius ait apud Virgil. lib. 10. *Aeneid.*

*Dextra mihi Deus est, et telum quod missile libro.*

Tales etiamnum videmus principes politicos et atheos. Et Antiochus. vel potius Antiochus, colet Deum Moazim, id est, fortitudinum, puta vires suas bellicas, Daniel. 11. 38. ita Ribera, Emmanuel Sa, Mariana et alii. Aliter hæc explicat Ioan. Alba Electorum cap. 65. nimirum: *Sagenæ suæ, et reti suo*, ait, positum est, pro, *de sagenæ suæ, et de reti suo*, q. d. Immolat, scilicet diis suis, illis offert sacrificia de sagenæ et reti suo, id est, de spoliis gentium, quas expiscatus est, id est, vastavit et spoliavit. Verum hic multa supplendo evertit versionem vulgatam: immolare enim reti est reti ipsi sacrificare, non diis de reti. Quis enim aliter hanc phrasim intelligat?

QUIA IN IPSIS INGRASSATA EST PARS EIUS.) q. d. Pingues lutasque epulas, scilicet omnium gentium selectas opes, quasi partem sortemque suam, sibi, hac sua sagenæ et reti comparavit. Unde iis inescatus, non cessat eam ulterius semper expandere, ut plura regna capiat, et imperium suum longe lateque propaget. Hoc est quod ait: *Et cibus eius electus*. Tropolog. S. Theophylus Alexand. epistol. 2. Paschali: *Cibus*. inquit, *diaboli, negatoris Dei sunt, Habacuc loquente, Escæ eius electæ: cibus autem omnium impiorum execrabilis ipse diabolus, Prophetæ vaticinio concrepante: Dedisti eum escam populis Æthiopum.*

Nota. Caute hic sub finem capituli legendus est S. Hieron. videtur enim negare Deum habere cognitionem et providentiam piscium, culicum, et rerum minutarum; qui est error manifestus: Deus enim curat et pascit passeret, lilia, fœnum, etc. uti ait Christus Matth. 6. 26. et 30. et Matth. 10. 29. Quare ab eo purgandus est S. Hier. duplici titulo: priore, quod loquatur de cognitione non qualibet, sed ea dumtaxat, quam Deus de novo, novis piscibus et culicibus nascentibus, acquirat, uti nos acquirimus. Hæc enim temporalis est: unde non est in Deo: Deus enim ab æterno, simul et semel omnia futura cognovit. Posteriore, quod velit dicere, Deum ex parte effectus non tantam habere providentiam et curam piscium,

quantam habet hominum, quibus maiora dat auxilia et beneficia, ac præsertim maiorem constituit custodiam angelorum: quisque enim homo habet angelum custodem, non autem quilibet piscis. Id velle S. Hieron. colligitur ex ipsis eius verbis, dum ait: *Cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, ut sciat* (ut scilicet experiendo et numerando discat, quasi ante nescisset; hoc enim deceat eius maiestatem: nam alioqui omnis scientia æterna cum maxime deceat, illique est propria: aut potius, *ut sciat*, id est, ut scire curet et satagat, ut peculiari intuitu advertat, ut scientiam oculumque suum attentus et sollicitus iis affigat, sicut affigit homini) *per momenta singula, quot nascantur culices, quotæ moriantur, quæ cimicum, et pulicum, et muscarum in terra sit multitudo, quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus maiorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam eius ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eandem rationabilitatem quam irrationabilitatem providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam angelum, nomine Tyri, præesse reptilibus; et in hanc similitudinem piscibus quoque, et arboribus, et bestiis universis proprios in custodiam angelos assignatos.* Ecce hoc est quod intendit S. Hieronymus, scilicet singulos pisces non habere angelos custodes, aliaque singularia Dei auxilia, quæ habent homines: quo sensu dixit Apostolus 1. Corinth. 9. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?* Nam alioqui generalem Dei scientiam et providentiam se extendere ad pisces omnesque creaturas, etiam minutissimas, paulo ante diserte astruit S. Hier. uti et in c. 10. S. Matth. explicans illud: *Nonne dum passeris asse veneunt: et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro?* *Est sensus*, inquit, *si parva animalia et vilia absque Deo auctore non decidunt, et in omnibus est providentia, et quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos qui æterni estis, non debetis timere quod absque Dei vivatis providentia.* Tantum ergo hic negat S. Hieronym.

scientiam et providentiam muscarum et piscium in Deo de novo acquisitam, aut potius tam singularem quam habet de hominibus: quasi singulis momentis occupari debeat Deus in pervestigandis, curandis, alendis muscis et piscibus; sicut pastor occupatur in lustrandis et pascendis suis ovibus. Hæc enim scientia et cura indigna est Deo; perinde ac Domitiano Imper. indignum fuit occupari per horas integras numerandis et captandis muscis, neglectis rebus Imperii. Unde proverbium: *Ne musea quidem*, teste Suetonio in eius vita. Sufficit enim ad hæc curanda generalis Dei providentia, conservando scilicet et continuando cursui universi et naturæ primitus ab eo institutæ; ex eo enim sequitur culicum numerus et series.

PROPTER HOC ERGO EXPANDIT SAGENAM SUAM.) Chald. *numquid* (hebraice enim est *he* interrogativum) *propterea mittet exercitus suos* (hi ergo sunt eius sagenæ) *ut perpetuo consumat gentes, idque sino ulla misericordia?* q. d. Omnino eas mittet: ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Remig. Albert. et Hugo. Aliter Clarius, Vatabl. et Arias, q. d. Numquid quia istas expilationes et victorias tribuit viribus suis, permittendus est a te o Domine, pergere in hac sua superbia, et expilatione ac strage gentium? q. d. Minime: tempus est ut eum deprimas, coercas et castiges.

Nota. Pro *expandit* hebr. est *יָרִיק* *iarik*, id est, *evacuabit*. Solent enim piscatores retia piscibus plena evacuare, ac deinde ea rursus ad capturam expandere. Ita Nabuchodonosor unam urbem gentemque debellans, eius opes evacuabat mittebatque Babylonem: ac rursus aliam gentem suo exercitu invadebat, eandem simili modo evacuaturus et expiscaturus, id est, expilaturus. Est ergo metalepsis: ex antecedenti enim intelligitur consequens, puta ex evacuatione expansio, ex spoliatione unius gentis invasio et spoliium alterius.

Moraliter discce hic, quanta sit vis ambitionis et avaritiæ: hæc enim tyrannos in tot rapinas et prælia impulit. Præclare Seneca epist. 91. sub finem: *Agebal*, ait, *infeli-*



cem Alexandrum furor aliena devastandi, et ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui a Græciv primùm claudibus in qua eruditus est, incipit; qui quod cuique optimum est, eripit? Lacedæmona servire iubet, Athenas tacere. Non contentus tot civitatum strage, quas aut vicebat Philippus, aut emerat, alias alio loco proiecit, et toto orbe arma circumfert: nec subsistit unquam lassus crudelitas: immanium ferarum modo, quæ plus quam exigit fames mordent. Iam in unum regnum multa regna coniecit; iam Græci Persæque eundem timent; iam etiam a Dario liberæ nationes iugum accipiunt. Idem tamen ultra Oceanum Solemque indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere: ipsi naturæ vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare: non aliter quam in præceps deiecta pondera, quibus cundi finis est, iacuisse. Deinde ab Alexandro transit ad Pompeium, Cæsarem et Marium: Nec Cneio quidem Pompeio externa inire bella aut domestica, virtus aut ratio suadebat: sed insanus amore magnitudinis falsæ, modo in Hispaniam et Sertoriana arma, modo

A ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætereabantur causæ, ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septentrionem? quid in Mithridatem et Armeniam, et omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua sala pariter ac publica immisit? gloria et ambitio, et nullus supra cæteros eminendi modus. Unum ante se ferre non potuit, cum Resp. supra se duos ferret. Quid tu C. Marium semet Consulenti (unum enim consulatum accepit, cæteros rapuit) cum Theutonos Cimbroque concideret, cum Iugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetuisse; virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Isti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapti convolvunt, sed ipsi ante volvuntur, et ob hoc maiore impetu incurrunt; quia nullum illis sui regimen est. Ideoque cum multis fuerint mali, pestiferam illum vim, qua plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est quod credas quemquam fieri aliena infelicitate felicem.

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Habacuc cap. præcedenti, audiens a Deo, Chaldæos exeursuros Ierusalem ob eius scelera, indoluit, excidiumque deprecatus est v. 12. conquerens non decere ut fidelibus dominantur in fideles, eosque disperdant. Illic querelæ eius occurrit Deus, dans novum lætumque oraculum de Chaldæorum excidio. Respondet ergo, se Chaldæos, postquam per eos punierit Iudæos aliasque gentes, illico perditurum, ac puniturum eorum tyrannidem, quam in populum Dei exercuerunt. Unde v. 6. pangens Nabuchodonosori carmen lugubre, multiplex væ eius arrogantia, avaritia, et rapinis intentat. Denique vers. 18. docet eum frustra in suo Deo Belo confidere, cum is non sit nisi simulacrum mutum, pictum et fictum: Dominus autem, inquit, in templo sancto suo, sileat a facie eius omnis terra.

1. **S**UPER custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem: et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. 2. Et respondit mihi Dominus, et dixit: Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. 3. Quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur; si moram fecerit expecta illum: quia veniens veniet, et non tardabit. 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua vivet. 5. Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, et non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam: et ipse quasi mors, et non adimpletur: et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. 6. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum eius: et dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum? 7. Numquid non repente consurgunt qui mordeant te: et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? 8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ civitatis, et omnium habitantium in ea. 9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus eius, et liberari se putat de manu mali. 10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. 11. Quia lapis de pariete clamabit: et lignum quod inter iuncturas ædificiorum est respondebit. 12. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate. 13. Numquid non hæc sunt a Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient. 14. Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. 15. Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem eius. 16. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, et consopire: circumdabit te calix dexterae Domini, et vomitus ignominia super gloriam tuam. 17. Quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea. 18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor eius, ut faceret simulacra muta. 19. Væ qui dicit ligno: Expergiscere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste cooperitus est auro et argento: et omnis spiritus non est in visceribus eius. 20. Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie eius omnis terra.

Vers. 1.

**SUPER CUSTODIAM MEAM STABO.**) Symmachus, quasi *Scustos super speculam stabo*; Chald. *super vigiliam meam sto paratus*, q. d. Ego quasi excubitor, stabo vigil in excubiis meis, nimirum *figam gradum super munitionem meam*; hoc enim idem est quod, *super custodiam meam stabo*. Pro *munitionem*, hebraice est מצור matsor, quod Theodotus vertit, *gyrum*; Aquila, *circinum*; Symmachus, *conclusum*; Septuag. *petram*, quæ omnia eodem recidunt. *Matsor* enim proprie significat arcem, vel locum natura arteve munitum, murisque per gyrum cinctum et

**B** conclusum, in quo milites excubant, in turriculis, vel propugnaculis, ne hostis in ea irrepat et occupet. Est metaphora a militibus et vigilibus qui in statione sua excubant; ut partem munitionis vel mœnium sibi commissam vigilantiter et attente custodiant, q. d. Ego Habacuc strenuus ero et attentus in officio meo, perinde ac si mihi commissa esset muritio aliqua servanda; instar excubitoris in statione mea, puta in circulo excubiatarum mearum, vigil consistam, ut inde speculer oculis, et auribus attendam, quid querelæ meæ et deprecationi de Chaldæorum in Iu-

dæos tyrannide, sive per visum sive per vocem respondeat Deus. Unde S. Hieron. sic explicat: *Stabo, ait, in specula mea. id est, in prophetiæ meæ sublimitate, et videbo, post captivitatem populi, et eversionem civitatis et templi, et deinceps, quid sequatur; vel certe ita: Custodiam omni diligentia cor meum, et stabo super Christum petram.* Sed hoc posterius mysticum est, non litterale. Denique Arabicus vertit, *stabo, et gradatim incedam super saxum*, uti faciunt excubitores, ut pellant frigus, et tempus fallant.

Mystice, *custodia* Primo, est secretum et recessus, in quo animæ silenti et collectæ loquitur Deus. Audi Cyrilum: *In exercitatione et consuetudine mea excubabo, animum rursus purgabo, curis mundanis exolvam, sursum quodammodo volabo, ut in petram, hoc est, in stabilitatem quamdam, et velut in sublimi sitam securitatem cogitationum. Illic ceu ex iugo montis speculabor per intellectum, quæ Deus mihi locus fuerit.* Et S. Bernard. hom. in hæc verba Habacuc: *Et nos ergo fratres obsecro super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militiæ est. Neque in sterquilinio huius miseri corporis, sed in corde, ubi Christus habitat, in iudicio, et consilio rationis sit conversatio nostra: ita sane ut non in ipsa habeamus fiduciam, aut fragili innitamur custodiæ; sed figamus gradum in munitione firmissimæ petræ, Christo totis viribus innitentes, sicut scriptum est: Qui statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.*

Secundo, *custodia* est status, gradus et officium, in quo vel per se, vel per Superiores nos posuit Deus, ut eum custodiamus et exerceamus. Ibi loquitur, ibi operatur: extra eum silet et quiescit. Qui ergo vult Deum audire, in statu suo maneat, alium non ambiat; officium, in quo eum posuit obedientia, non deserat; sed strenue et constanter illud obeat: ita Sanchez.

ET QUID RESPONDEAM AD ARGUMENTUM, id est, arguenti, ME.) Ex Hebræo sic Primo, vertunt Theodor. Theoph. Pagnin. et Vatabl. *et quid respondeam ad disceptationem meam, vel ad argumentum meum: meum, id est, mihi propositum ab improbis, qui putant Deum non habere curam rerum humanarum, eo quod prosperet et fortunet impios, q. d. Expectatam responsam Dei, ut ex eo respondeam improbis, qui eius providentiam suo hoc argumentum impugnant et accusant.*

Secundo, Chald. sic vertit: *quid respondebitur ad depræcationem meam.* Unde a Castro sic exponit, q. d. Ut audiam quid respondeat Deus ad meam humilem et mitem expostulationem, seu argumentationem et ex animo sincero prodeuntem correptionem. Verum Hebr. Septuag. et noster habent, *quid respondeam, scilicet ego, non quid respondeat, scilicet Deus.*

Tertio et genuine, Noster vertit, *quid respondeam ad arguentem me*, hoc est, quid respondeam Deo, qui, ut præ sagit mihi animus, me arguet, quod questus sum de eius providentia, qua sinit impios Chaldæos vastare Jerusalem. Sed ego illico cogitabo quid Deo arguenti respondeam, et replicem. Unde hebr. est, *quid respondeam correptioni, vel redargutioni meæ*, q. d. Scio quod Deus meam libertatem redarguet; sed ego redargutioni huic meæ, modeste replicabo quod mens suggeret: gestit enim animus dolens et æger, de hæc impiorum felicitate disserere et disputare. Simili modo Iob afflictus disputavit eum Deo c. 13. 3. Sicut ergo miles et excubitor, obsessus ab hoste, eum eo de munitionis deditone disputat argumentis, vel verborum et rationum, vel verberum et telorum; ita Philosophus et Theologus argumentans et disputans cum altero de aliqua questione, v. g. de Dei providentia, de impiorum felicitate, etc. intendit et excubat ut audiat, quid suo argumento ab eo qui thesin defendit, respondeatur; ut illico responsionem eius novo argumento impugnet. Ardet enim eius animus ad disserendum, et ad confligendum argumentis, non bellicis, sed scholasticis. Ita ardet hic Propheta disserere eum Deo, eique arguenti replicare: ita S. Hieron. Albert. et Lyan. Perro notat S. Hieronymus atque: *Elegantem autem, et miro sensu humanam describit impotentiam, quam in disceptationibus sem-*

*A per habere consuevimus, ut antequam nobis ex adverso aliquis respondeat, et sciamus in quo nos arguerit, ad respondendum paremur. Ex quo ostenditur responsionem non rationis esse, sed contentionis. Si enim esset ratio, responsio debuerat expectari; et sic videri, utrum respondere deberet, an consentire rationabili responsioni.* Quare Deus benignissimus, molli et consolatoria sua responsione, frangit hunc Prophetæ disputandi ardorem, adeo ut ipse, ea partim confusus, partim consolatione plenus, non habeat quod replicet, sed obmutescat, imo cap. seq. in hymnum et doxologiam Dei erumpat.

SCRIBE VISUM. Id est, rem visam, puta prævisam prophetiam, quam tibi nunc revelo et ostendo de Chaldæorum interitu, et Iudæorum e Babylone liberatione. Scribe inquam, tum pro præsentibus, tum potius pro posteris, quos hæc res tanget: illi enim ituri sunt in Babylonem, indeque redituri; ut ex hoc tuo oraculo id resciant, indeque consolationem et certam reditus spem concipiant: ideoque ut omnibus hoc innotescat, iubeo illud scribi, non in libro, qui claudi et seponi solet; sed in tabulis apertis et expansis, quæ publice cuilibet ad legendum proponuntur. Unde subdit: **EXPLANA EUM (scilicet visum) SUPER TABULAS, UT PERCURRAT, QUI LEGERIT EUM.** Ut scilicet legens eum, facillime percurrere et perlegere possit; Vatabl. *clare explica eam (visionem) in tabulis, ut festinato et expedito pergat, qui eam legerit*; Septuag. *scribe visionem manifeste in buxo, ut currat qui legit ea.* Olim enim non erat cognitio nec usus chartæ vel pergameuæ; sed scribebant in tabulis lignicis, præsertim e buxo, quia buxus mollis est, et facile characteres recipit. Ægyptii deinde, tempore Alexandri Magni scribere cœperunt, teste Plinio libr. 13. cap. 11. in tabulis, vel phyliris arboris, quæ ibi frequens est vocaturque papyrus; indeque charta nostra quæ fit e linteis contusis (quia eundem, imo commodiorem scribendi usum præbet) vocatur papyrus: nam papyro veterum successit, uti dixi Exodi 2. 5. Porro in hisce tabulis scribebant, vel nudis, vel cera obductis. In nudis incidebant characteres. Ita Beda in Collectaneis et floribus, ait titulum crucis Christi, buxo fuisse inscriptum; itaque revera esse meis oculis conspexi. Vidi enim sæpius titulum crucis, qui a S. Helena Hierosolymis Romanam translatus, repositus est in Ecclesia S. Crucis in Ierusalem. Titulus hic est tabella lignea, in qua nuda incisæ sunt litteræ, quæ quia tabulæ sunt concolores, et quia vetustate extritæ, huic clare discerni legique nequeunt: unde in alia tabella eadem a Romanis olim descriptæ et expressæ sunt, ut legi possint. Sæpius tamen tabulas hæc cera obducebant, ac stylo in cera complanata scribebant. Unde Propertius:

*Non illas fixum charas effecerat aurum,  
Vulguri buxo sordida cera fuit.*

Hisce stylis pueri et discipuli S. Cassiani Martyris, ipsum præceptorem suum, longa et horrenda morte enecarunt, uti legitur in eius Vita. Plura de hæc re vide apud Guevaram.

QUIA ADHUC VISUS PROCUL.) Hebr. *Quia adhuc visio in tempus.* Dat causam Deus, cur iubeat hunc visum, id est visionem, in tabulis scribi: *Quia, inquit, procul est, q. d. Post multa tempora eveniet.* Scribe ergo eam ad memoriam, ut posteri eam legentes, eius expletionem fidenter expectent: quia esto differatur, certo tamen *apparebit in finem*, hebr. **פִּי יִאֲפֵחֵךְ**, id est, afflabit, aspirabit, anhelabit, festinabit ad finem, ut scilicet cito finiatur et compleatur, per rei prophetatæ eventum, existentiam et apparitionem, se ostendet in fine, id est, tandem tempore a Deo præstituto adveniente, reipsa explebitur.

Quæres, quis hic visus? quæ prophetia? quem tangit, de quo agit? Aliqui putant, ad litteram hic esse prophetiam de Christo, q. d. Veniet Christus, qui in die iudicii iniurias Chaldæos puniet, et damnabit; fideles vero iniuriam passos æterna gloria remunerabit: ita S. Hieron. Theoph. Remig. Rupert. Clarius et Ribera. Probat, quia S. Paulus citans hunc locum, eum intelligit de Christo, Roman. 1. 17. et Hebr. 10. 38. Verum dico, prophetiam

Vers. 2.

Vers. 3.

hanc ad litteram loqui de Nabuchodonosoris et Babylonici imperii eversione per Cyrum, ac Iudæorum e Babylone liberatione. Id ita esse, patet ex antecedentibus et sequentibus. Respondet enim Deus Prophetæ querelæ de Chaldæorum in Iudæos tyrannide, et prosperitate: eumque consolatur, promittens celerem eius finem, quem proinde ipse e sua prophetiæ specula, quasi exhibitor prospicit et prænuñciat: ita Cyrill. Theodor. Albert. Arias, Vatabl. et a Castro. Allegor. tamen loquitur de adventu Christi, qui mysticam Babylonem, id est, regnum diaboli confusione plenum, evertens, ex eo veros spirituales Israelitas, id est, fideles et Christianos, eruit in primo suo adventu in carnem; et complete eosdem eruet in secundo suo adventu ad iudiciam. Id patet ex eo, quod apostolus locis iam citatis hæc accipiat de Christo. Idem innuit τὸ *veniens veniet*. Solet enim Christus, qui venturus est, a Prophetis dici ο *ερχομενος*, id est, veniens, ut vertunt Septuag.

**SI MORAM FECERIT EXPECTA ILLUM**, scilicet visum, id est, visionem et prophetiam: **QUIA VENIENS VENIET**, quia certo implebitur, **ET NON TARDABIT.** Ultra tempus suum sibi a Deo præstitutum, licet Iudæis afflictis et impatientibus tardare videatur: captivis enim in Babylone mora 70. annorum, videbatur longissima et tardissima. Hæc ergo mora Iudæis erat prolixa et sera, Deo vero erat exigua et velox: mille enim anni in conspectu eius, sunt quasi dies hesternæ quæ pertransiit. Aliter Sanchez, q. d. *Expecta illum*, hoc est, time Nabuchodonosorem, qui brevi veniet puniturus improbos Iudæos, qui, ut tu, o Habacuc, quereris, violenter opprimunt pauperes. Nabuchodonosor enim ulciscens oppressionem pauperum, fuit typus Christi, æque ac Cyrus ulciscens impios Chaldæos qui opprimebant Iudæos. Sic expectare, non desiderare, sed timere significat psal. 68. v. 21. *Improprium expectavit cor meum et miseriam*. Et Æneid. 1.

*At sperate Deos memores fandi atque nefandi.*

*Sperate, id est timete. Et libr. 4.*

*Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.*

Verum non videtur hoc ad mentem Prophetæ, qui de Nabuchodonosore queritur quasi de tyranno, et oppressore tam piorum quam impiorum Iudæorum, ideoque eius adventum deprecatur. Hic enim nequit esse typus Christi redemptoris, uti fuit Cyrus liberator Iudæorum e Babylone. Consolatur enim hic Deus Prophetam promittendo Cyrum, qui populum Dei captivitate Babylonica; et allegorice Christum, qui eundem captivitate diabolica liberet; eumque iubet expectari, quia veniens veniet, ut hæc fido et spe vivat, ac se suosque a Nabuchodonosore affligendas sustentet.

Vers. 4. **ECCE QUI INCREDULUS EST, NON ERIT RECTA ANIMA EIUS.** Pro *incredulus* hebr. est *אפלה* *uppela*, id est, obtenebratus, arcus, angustus, diffidens, incredulus, impatiens, econtentiosus, superbus, præsumptuosus, rebellis: hæc enim vitia omnia inter se conæxa sunt, unumquod sequitur ex alio. Unde Tigurina vertit, *ecce arrogantis et fastuosi animus non est in se rectus*; Pagnin. *virī superbi non est recta anima in eo*, quod Vatabl. exponit de Nabuchodonosore, hoc modo, q. d. Nabuchodonosor qui non rectam, sed perversam habet animam et mentem, victorias suas non Deo, sed sibi tribuit, in iisque exultat et superbit: at iustus qui rectam habet animam, et recte secundum Deum vivit, et humilis, non arrogans, quia Deo humiliter omnia bona ascribit, non sibi. Rectam, enim habere animam, est recte sentire de Deo, rectam de Deo habere fidem. Opponit enim incredulum, qui non habet animam rectam, fideli et iusto, qui in fide sua vivit, q. d. Fidelis fidenter et recte vivit, in sua recta opinione et fide, quam de Deo conceptam habet: infidelis autem et incredulus pravam de Deo habet opinionem et fidem; unde in ea recte et confidenter vivere nequit. Secundo, R. Moses, quem sequitur Christ. a Castro, hæc exponit de Sedecia et Iechonia sic, q. d. Sedecias aliquo Iudæi, increduli, qui iubente Deo per Ieremiam e. 21. noluerunt se dedere Nabuchodonosori, perversi sunt et peribunt. At

**A** Iechonias eiusque associæ fideles et iusti, qui Dei oraculo obedientes dederunt se eidem, credentes et sperantes ex eiusdem oraculi promissione, suo tempore liberationem, vitam et felicitatem, in hac sua fide vivent felices et fortunati: quia bona quæ crediderunt, et sperarunt ex Deo, eis obvenient. Unde R. Moses Hebr. *uppela* vertit, *abscondit se in arce* *אפלה* *ophel*, quæ erat arx celsa et munita in Ierusalem, q. d. Sedecias cum suis posuit se in Ierusalem, quasi in arce et turri Ophel a Chaldæis inexpugnabili, nec credidit aut speravit in Deo: ideoque peribit. At Iechonias pro turri et arce, pro suo Ophel, habuit Deum, Deique oraculum: cui quia obedivit, ideoque vivet sospes et felix. Verum hic sensus aretorum videtur; præsertim quia de Sedecia et Iechonia nulla hic fit mentio.

Tertio ergo genuine et adæquate sensus est, q. d. Qui hisce meis oraculis de Iudæorum e Babylone liberatione per Cyrum, et alleg. de hominum liberatione per Christum, incredulus est, ideoque iniustus et impius, hic non habet animam rectam, ideoque displicet Deo, ut vertunt Septuag. et ex iis S. Paulus Hebr. 10. 38. ac consequenter vera, recta, pacata, felicique vita fidei, spei, gratiæ et gloriæ non vivet; tum quia me habet infensum; tum quia in hominibus rebusque creatis, spem suam æque ac metum reponit: quocirca nunc a spe, nunc a metu huc illucque agitabitur, vitamqueaget fluctuantem, ærumnosam et infelicem. At vero fidelis et iustus, qui credit Deo et meis hisce ex Deo prophetiis, de liberatore Cyro, et allegor. de Salvatore Christo; hic vivet vita recta, saneta et felici, quia in Deo, qui vera est vita, eiusque promissis defixus, illi eharus, cordi et curæ erit. Unde vertit, *ecce impii dicunt in corde suo, Non erunt hæc omnia*, quæ per Habacuc prædicit et promittit Deus; *sed iusti in veritate eius, putant in fide et fidelitate Dei, firmabuntur*. Et Symmach. *iustus autem per fidem suam propriam vivet*; ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, et Lyan.

**C** Nota. Hebr. *uppela* est femininum; Noster tamen vertit masculine *incredulus*: quia Hebræi sæpe utuntur enallage generum, unumque genus ponunt pro alio, præsertim cum aliud sequitur; esto illud proprie id quod præcedit, non referat, nec respiciat. Adde, ad verbum, servando genus Hebræum, illudque concordando, sic veritas: *non erit recta anima eius, cuius est incredula*, vel impatiens et superba.

Nota Secundo antithesin: opponit enim incredulum erudenti et iusto, quod ille non habeat animam rectam, hic vero habeat; puta in fide sua vivat. Unde sequitur, animam hic metonymice capi pro vita, q. d. Incredulus habet animam, id est vitam, non rectam, sed distortam, anxiam, miseram et infelicem; iustus autem in fide et spe sua agit vitam rectam, puta lætam, quietam, sanctam et felicem. Rectitudo ergo animæ est iusti vita, quæ in duobus consistit.

Primo, in constanti tolerantia adversitatum et afflictionum, v. g. captivitatis Babylonicæ, ad quam directe hic respicit Propheta; proprie enim vult significare, Iudæos qui constanter eam tolerabunt, suscipientes eam de manu Dei, pro pœnitentia suorum peccatorum, ac longanimiter, sed certo expectantes eius finem post 70. annos, iuxta promissa Dei; rectam habituros animam, id est in captivitate vitam acturos patientem, tranquillam, sereneam; cum alii in eadem impatientes, et diffidentes se unquam ex ea liberandos, habebunt animam distortam, pravam et miseram; vitamque vivent infelicem: mille enim rumoribus, mille timoribus, tristitiis, angoribus, desperationibus, iugiter huc illucque iactabuntur, eo quod non erant nec fidant Deo, eiusque Prophetis, ut Habacuc promittenti hanc liberationem. Fideles enim per fidem et spem promissæ liberationis, ærumnas omnes fortiter tolerant et superant: hæc enim fides et spes mentem corroborat ad omnia tristitia fortiter sustinenda, ut docet Apostolus toto e. 11. ad Hebræos: *Fides, inquit, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Fide intelligimus aptatum esse seculo verbo Dei. Fide Henoch translatus est, etc. Qui* (heroes veteris testa-

tusti vita et rectitudo sita in duobus.

menti] per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt reppromissiones, lapidati sunt, secti sunt, etc.

Secundo, rectitudo animæ, iustique vita est sublimior, nimirum divina; qua anima fidelis, per fidem et spem sustinens captivitatem, et tribulationes a Deo immissas, credens, et sperans quod Deus, uti promisit ex iis liberationem, ita et certo eam præstabit suo tempore, grata est, placetque Deo; utpote patiens et resignata in Dei voluntatem, ideoque deiformis et sancta; cum ex adverso incredulus et diffidens Deo, per hæc suam diffidentiam, displiceat ei, peccetque, et ideoque mereatur in sua tribulatione, diffidentia ac desperatione relinqui, imo novis tam in hac vita, quam in futura afflictionibus puniri. Hoc ita esse patet ex versione Sept. Si subtraxerit, inquit, se, non complacabit anima mea in eo, iustus autem ex fide mea vivet. Ita passim Interpretes. Idem patet ex Apostolo Rom. 1. 17. et Hebr. 10. 38. ubi docet iustum ex fide vivere, id est iustificari. Vide ibi dicta.

Ubi Nota. Sept. pro ἡ legentes ἡ, puta pro באמונתו beemunato, id est, in fide sua, uti legunt Hebr. Aquila, Symmach. et Theodot. legentes באמונתיה beemunati, vertunt, in fide mea; sed eodem redit sensus. Eadem enim est fides nostra, quæ Dei; fides enim est nostra, subiective: eadem est Dei obiective: pro obiecto enim habet Deum. Ratio enim formalis credendi in fide, est prima et increata Dei veritas, quæ falli aut fallere nequit. Ideo enim certo credimus ea quæ Prophetæ prædixerunt, esse vera, et reipsa eventura; quia Deus, qui est ipsisissima veritas, ea per Prophetas nobis revelavit et promisit.

Anagog. rectitudo animæ iustique vita, perficitur in cælo, ubi ob meritum tolerantiae, fidei et spei, donabitur gloria æterna, quæ plenam animæ, et potentiis omnibus dabit rectitudinem, vitamque cælestem iucundissimam et beatissimam.

Moral. de præstantia fidei et spei

Moral. Disce hic quanta sit virtus fidei et spei, quæ omnia adversa superat, facitque animam rectam, eique dat vitam serenam, lætam et divinam. Viderunt id per umbram Gentiles. Unde Bias rogatus, quid esset dulces hominibus? respondit, Spes. Ita spes suscitavit colonos, ut constanter sustineant labores arandi, fodiendi, occandi, serendi, sarriendi, etc. expectatione messis. Ita victoriae et spoliis spes acuit milites ad fortiter pugnandum, ad verbera et vulnera omnia generose excipienda. Alexander Macedo apud Granicum cum copiis Darii conflicturus, hortabatur Macedones ut affatim prauderent, quasi postridie ex hostium commeatu cœnaturi. Nimirum victoriam certa spe perceperat, et vicissim spes hæc accendebat milites ad dimicationem, ut ea victoriam pararent. Idem in bellum profectus, cum regias opes in duces et milites distribuisset, roganti Perdiceæ: Quid tibi nunc rex superest? Spes, inquit. Tum Perdiceæ: Hæc nobis commilitonibus tuis futura est communis; quare prædium, quod ipsi designarat Alexander, recusavit. Tantum erat fiducia bene successuram expeditionem, ait Plutarchus in Alexandro. Divinius Iacob Patriarcha: Salutare tuum, inquit, cæspectabo Domine, Genes. 49. et Iob. cap. 13. Etiamsi me occiderit, in ipso sperabo. Sapiens Proverb. 3. 5. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo; et cap. 16. Qui sperat in Domino, beatus est. Eccles. e. 2. Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia; et e. 11. Confide in Domino, et mane in loco tuo: facile est in oculis Dei, subire honestare pauperem. Ierem. e. 17. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius. Thren. 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea cæspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum. Michæas e. 7. Ego ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum salvatorem meum, audiet me Deus meus. S. Paulus Rom. 8. Spe salvi facti sumus; et e. 12. Spe gaudentes. Psal. 32. Sperantem in Domino misericordia circumdabit. Proverb. 28. Qui sperat in Domino, salvabitur. Isaïæ 57. Qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram. Psal. 26. In Domino sperans, non infirmabor. Audi et Patres. S. August. in psal. 3. Vita vere mortalis, spes est vitæ immortalis. S.

Scriptura.

Patres.

Gregor. Spes in æternitatem animum erigit, et ideoque nulla mala exterius, quæ tolerat, sentit. S. Bernard. serm. 9. in Psal. Qui habitat: Tu es Domine spes mea: quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es Domine spes mea: hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Præcendat alter meritum, etc. mihi autem adherere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. Et rursum: Si insurgat adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Ut quid cunctamur omnino abiicere spes miseræ, vanas, inutiles, seductorias; et huic uni, tam solidæ quam perfectæ, tam beatæ spei, tota devotione animi, toto fervore spei inhærere? Idem serm. 10. Tu es patientia mea, si tribulatio inferatur per te sperabo, tu es spes mea; si præmia promittantur, per te obtinebo; si insurgat hostis, non nisi in te sperabo.

S. Carolus Borromæus reformaturus Congregationem quamdam, cum a suis moneretur ut eam non adiret, in ea enim illi insidias necemque parari, respondit: Ergone Deus in mundo est pro nihilo? Imo vero ibo: Deus cuius causam ago, tutabitur me, quod si nolit, lubens pro eo occumbam. Quocirca hoc fidei et spei suæ præmium a Deo tulit, ut ibidem sclopo appetitus glans prærea vestem penetrarit, sed in cute hæserit, quasi vi divina repulsa, ne in corpus Sancti penetraret. S. Ioannes Silentarius irruente Alamundaro Saracenorum rege, cum fugerent cæteri, e cella sua egredi noluit, dicens: Si Deus mei curam non habet, ut quid vivo? Unde in meritum huius suæ confidentiæ, Deus leonem submitit, qui iugiter ei assistens, ipsum contra barbaros tutatus est. S. P. Ignatius fundator Societatis nostræ solebat dicere: Nescitis quantas vires habeat spes in Deum. Vires hæc ipse assidue expertus est, cum unius Dei ope fretus, Societatem per orbem adeo feliciter sparsit. Nimirum didicerat illud S. Petri epist. 1. c. 5. et ex eo S. Bernard. serm. 5. in Vigilia Nativitatis. Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, ipsi enim cura est de vobis. Nam sibi quidem ipsi fidere non fidei, sed perfidiæ est; nec confidentiæ, diffidentiæ magis, in semetipso habere fiduciam. Is vero fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum; sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. Porro id quidem sola facit humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima innitatur, sed deserens semetipsam ascendat iam de deserto, innixa super dilectum suum, atque adeo deliciis affluens.

Vis et gnomas Gentilium Sapientum? Appian. lib. 2. de Bello civili: Nihil, ait, est efficacius spe, ad sublevandam hominum lassitudinem. Thucid. l. 7. Ut plurimum spes maxima præbet maximam audaciam et promptitudinem ad invadendum. L. Florus l. 4. c. 8. Magnæ indolis est sperare semper. Cicero in Catilinam: Sola spes hominem in misericordiis consolari solet. Seneca in epist. Spes est ultimum adversarum rerum solatium; memoriæ minimam quisque tribuit, spei plurimum. Seneca in Medea: Qui nil potest sperare, desperet nihil. Ovidius l. 1. de Ponto eleg. 7. Hæc dea (spes) cum fugerent sceleratas numina terras, In diis invisæ sola remansit humo. Hæc facit ut vivat fossor quoque compede vincetus, Liberaque a ferro crura futura putet. Tibullus eleg. 2. Iam mæta finissem letho, sed credula vitam Spes fovet, et melius cras fore semper ait. Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno sænore reddat ager. Hæc laquco volucres, hæc raptat arundine pisces etc. Denique præclare Laurent. Iustin. lib. de Ligno vitæ e. 2. Spes est quasi columna, quæ totum spirituale ædificium sustentat, qua deficiente ædificium corruit, ac in barathrum desperationis concidit. Est etiam anchora animæ, eam servans ne a procellis tentationum irrumpatur, de qua Apostolus: Firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ, tutam ac firmam.

Exemplum.

Gnomæ Gentilium.

VERS. 5. **ET QUOMODO.**) Hebr. **וְהָאֵף** *aph chi*, quod Lyran. Arias et Vatabl. vertunt, *quanto magis*, huncque dant sensum, q. d. Si superbus et mercedulus Nabuchodonosor, qui non Deo, sed sibi suisque idolis, suas victorias ascribit, vivet vitam non rectam et beatam, sed distortam et miscram; quanto magis vir vinosus, aequae ac superbus et incredulus, puta eius filius Balsasar, de suo statu, felicitate, et culmine regio corruet? Verum Noster vertit melius, et *quomodo*. Transit enim Propheta a Iudeis incredulis ad Nabuchodonosorem, eorum virgam et flagellum. Hunc ergo comparat ebrio; tum quia omnes gentes, quasi vinum intemperanter hauriebat, eorumque spoliis se ingurgitabat: tum quia in modum ebrii bacchantis, non recta incedebat rationis via, sed libidine dominandi: aestuque cupiditatum in quaee devia pressus obliquans, nunc hos, nunc illos invadebat et trucidabat. Sed hoc vino, quod initio ei sapidissimum erat et inmundissimum, postea deceptus est instar ebrii, quia imperio et mente privatus, omne hoc vinum revomere coactus est, dum omnibus spoliatus, relegatus est ad bestias; quare quasi ebrius omnibus fabula ac ludibrium effectus est, ut falsas parabolas, dieteria, et scommata in eum certatim torquerent: ac tandem in filio Balsasare regnum, vitam et animam perdidit. Ita S. Hieron. Theophyl. Remig. et Hugo. Pari modo ambitio, avaritia, gula, caeteraque cupiditates, quasi vinum inebriant animos hominum, faciuntque ut quasi mente capti, ruant in suam perniciem et exitium; vinum enim ambitionis v. g. quo magis hauritur, eo magis hominem demental, ut ex fastu faciat multa insulsa et stulta, per quae dignitate et gradu suo excidit. Porro quomodo vinum decipiat potentem, graphice describit Lucretius:

*Cum vini, inquit, vis penetravit  
Aeris et in venas discessit diditus ardor,  
Consequitur gravitas membrorum, praepediuntur  
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,  
Nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt.*

Quocirca Sapiens Proverb. 23. 29. *Cui, ait, vae? cuius patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenderit in vitro color eius; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Ita Chremes apud Terentium a vino se deceptum queritur: *At at, inquit, data hercule verba mihi sunt: vicil vinum, quod bibi. At dum acubabam, quam mihi videbar publice sobrius: postquam surrexi, neque pes, neque mens, satis suum officium facit.* Ita prorsus omnis mundi pompa, omnes opes, omnes illecebrae, primo quidem blanda sui specie, pulchroque quasi vultu omnes ad se alliciunt; at mox tot enris, tot periculis, tot molestiis, tot invidiis et aemulationibus, tot infortuniis et calamitatibus eos iactant, raptant et exagitant, ut tandem ad scopulos allidant, confringant et disperdant: ita Guevara.

**QUI DILATAVIT QUASI INFERNUS ANIMAM SUAM.**) *Vox dilatavit, et vox animam, magnam denotant aviditatem. Anima enim idem est, quod animae aviditas, sitis, cupiditas. Sicut paulo ante Nabuchodonosorem comparavit ebrio, vino ambitionis tumentem et turgido, indeque vomenti, impingenti et corruenti; ita hic eundem comparat inferno, quia eius ambitio et avaritia erat insatiabilis: nam omnia glutieus, numquam satiabatur, sed quo plura rapiebat, eo plura rapere gestiebat, eratque quasi cerberus insatiabiliter cava guttura paudens. Hinc inferni praeses, a Gentilibus vocatus est Pluto, quod mortuorum sit dives, ait Lucian.  $\text{Πλούτος}$  enim Graecis, sunt divitiae. Hinc et infernus dietus est Orcus, ab urgendo; quod in interitum omnia urgeat et praecipitet, ait Festus. Tertio, comparat eundem morti, quae omnibus dominatur, omnesque devorat. Sicut enim mors non satiatur mortuis, sed quo plures emori coegit, eo plures occidere satagit: ita et Nabuchodonosor non satiabatur gentibus et regnis; sed quo plures debellat et maectarat, eo plures subiugare et maectare anhelabat. Porro Guevara censet, hic et alibi, in-*

VOL. VII.

**A** fernum et mortem esse idem; infernum enim sumi pro ipsa morte defunctorum regina; quia mortem, inquit, veteres Plutonis nomine notarunt, et eundem Iovem infernum nuncuparunt. Idem probat ex eo, quod Scriptura saepe infernum cum morte coniungat et combinet. Verum S. Hieron. Theodor. Theophyl. Lyran. Clarius, Vatabl. Ribera, a Castro et alii passim, infernum a morte distinguunt, duasque hic comparationes fieri censent. Nam et profani haec tria, mors, infernus, Pluto, distinguunt: licet enim infernum Iovem vocent Summanum, quasi summum deorum Manium, tamquam inferni praesidem; non tamen ipsum inferni locum, vocant Iovem aut Plutonem. Jam, si infernus et mors in Scriptura combinantur, ergo bina sunt, non unum. Reginam dicis mortem, coniugio iunge cum Plutone rege, et fac Proserpinam. Rex enim et regina, idem esse nequeunt, ait Delrio adagio 1002. Denique mire haec verba explicat Ioannes Alba Electorum c. 27. *Infernus*, inquit, capitur pro morte, et mors pro hoste mortem inferente. Infernum ergo vocat hostem.

**B** *Anima* vocantur nobiles et principes populi. *Dilatare* per antiphrasin significat coaerere, id est alligere, vexare, perdere. *Suam dixit pro eius*: utrumque enim significat hebraeum pronomen. Sensus ergo est, q. d. Hostis coaerabit et vastabit animam, id est principes populi Israelitici; vel, hostis dilatabit os suum, ut animam, id est principes Israel, devoret. Verum haec violenta et paradoxa sunt.

**Moral.** Nota hic cupiditatem, quo magis ei indulgetur, eo magis in immensum crescere, instar ebrietatis, inferni et mortis. Cupiditas enim est quasi ignis, cui quo plus lignorum iniicit, eo magis crescit et inardescit. Sic *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*. Cupiditas ergo est, quasi ardens febris, quae quo plus bibit, eo plus sinit. Cupiditas est quasi fera, puta leo, lupus, pardus, tigris, quae quo plus praedatur, eo magis efferatur, magisque ad praedandum accenditur. Cupiditas est charybdis et vorago inexplebilis; unde Philosophus ventrem gulosi, vocabat vitae charybdim.

**NUMQUID NON OMNES ISTI SUPER EUM PARABOLAM VOCANT, ET LOQUELAM AENIGMATUM EIUS?**) *Parabolam* vocat, carmen funebre de strage Nabuchodonosoris, qui imperium perdidit in filio Balsasare. Hebraei enim omnem sententiam insignem, acutam et illustrem, quale est hoc carmen, vocant parabolam, proverbium vel aenigma, praesertim cum in ea miscentur vera proverbialia, parabolae, vel aenigmata, uti hic fit. Simile carmen de eodem pepigit Isaias c. 14. 4. Sensus est, q. d. Nonne Balsasar casus a Cyro, fiet fabula et dieterium omnibus gentibus, ut in eum hoc, vel simili carmine, imo scommate, ludant et subsannent?

**ET DICETUR: VAE EI QUI MULTIPLICAT NON SUA? USQUEQUO ET AGGRAVAT CONTRA SE DENSUM LUTUM.**) Nota Primo, *aggravat*, id est multiplicat: sic saepe alibi, gravis idem est quod multus, ut patet Exodi 8. 28. Psal. 34. 18. I. Machab. 1. 18. Est euallage quantitatis continuae pro discretis; vel metalepsis: quae enim multa sunt, eadem et gravia sunt, hominemque aggravant et degravant. Unde Syrus vertit, *aggravat contra se nubem luti*; Arabieus, *quousque crescit supra te nubes luti*.

Secundo, per *lutum* Guevara accipit ceroma, quod ex oleo fiebat et luto, eratque unguentum, quo se athletae in palaestra certaturi perungebant; tum ut fortiores essent; tum ut lubrici, manus antagonistae fallere et elabi possent, q. d. Vae Nabuchodonosori, vae Balsasari; o infelix, quam tristis eum manet exitus! ut quid alienis opibus, quasi multo ceromate, instar pugilis, ut fortior et potentior sit ad comparandos exereitus et bella, se superlinuit? Frustra et noxie id facit. Nam hoc ceroma eum aggravabit, quasi densum lutum in perniciem suam: nam invitabit Cyrum et Persas ad eum invadendum et dispoliandum. Porro ceroma vocari lutum, patet ex illo Persii: *Crassisque lutatus anomis*; et illo Martinis:

*Ne lutes immundum nitidos ceroma capillos,  
Haec poteris madidas condere pelle comas.*

Capilitas est mentis ebrietas.

Cupiditas est charybdis insatiabilis.

C

D

Vers. 6.

Avarus et superbus comparatur ebrio, inferno et morti.

Opes  
sunt den-  
sum lu-  
tum, cur?

Simplicitate tamen vulgare platearum hic lutum accipi potest. Nam opes vocantur densum lutum. Primo ob earum villitatem. Quid enim sunt aurum et argentum? nonne terra rubra et alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam? ait S. Bernard. serm. 4. de Adventu: Quid sunt gemmæ, nisi lapides terræ? quid byssus, nisi vermium, puta bombycum, filu? quid uniones, nisi excrementa concharum?

Secundo, quia has opes Nabuchodonosor densabat, ut ex iis copias roburque suum conflaret; sed revera iis sibi perniciem et exitium conflagavit: unde Septuag. vertunt, usquequo aggravat torquem suam graviter? q. d. Nabuchodonosor densat aurum, ut ex eo sibi suisque faciat torques aureas; sed hæc torques erunt eis laquei et catenæ graves, quibus eos captivos vincient, illaqueabunt et suffocabunt Medi et Persæ. Aliter Theod. per torquem enim accipit onus tributorum et vectigalium, quod gentibus a se devictis imponebat, et in dies aggravabat Nabuchodonosor.

Tertio, Tropolog. opes sunt densum lutum: quia congregatæ ex rapinis, usuris, fraudibus, animam conspurcant, aggravant, et detrahunt in gehennam. Unde Chald. vertit, vix qui multiplicat divitias non suas: usquequo aggravaturus es in te gravitatem peccatorum? Et Remig. Opes, ait, sunt densum lutum, quia sinceritatem mentis confundunt, et gravissimo pondere iniquitatis mentem premunt. Et S. Gregor. 3. p. Pastor. c. 21. Avaro, ait, contra se densum lutum aggravare, est terrena lucra eum pondere peccati cumulare. Idem lib. 34. Moral. cap. 13. Per lutum, ait, terrenarum rerum multiplicitas figuratur, sicut per Habacuc dicitur: Vix ei qui multiplicat non sua; usquequo aggravat contra se densum lutum? denso enim luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressionem coangustat. Rursum luti nomine, doctrina sordidum sapiens designatur, sicut per eundem Prophetam dicitur cap. 3. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum; ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis, inter doctrinas huius sæculi, sordida et terrena sapientes. Per lutum quoque desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut Psalmista deprecans ait, Psal. 68. Eripe me de luto, ut non inhaerem. Luto quippe inhaerere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari. Quocirca sapienter alibi monet S. Bernardus: Nolite, ait, amare ea, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant. Simili modo Crates Philosophus, videns adolescentem vino et carne incrassari: O miser, inquit, desine adversus teipsum carcerem munire, ait Maximus serm. 27. Omnis enim hæc pinguedo quid est aliud, quam densum lutum, quo se aggravat, quoque quasi carceri animam suam arctius includit et incarcerat gulosus.

Vers. 7.

**NUMQUID NON REPENTE CONSURGENT QUI MORDEANT TE?** Puta Cyrus et Persæ, inquit S. Hieron. Theophyl. Remig. Lyran. et alii passim. Nota. Persas comparat canibus aut feris alias feras insectantibus et mordentibus. Canis enim eum canem, et fera eum feram prædam potitam videt, mox eam adoritur, cum ea rixatur, ringit, mordet, lancinat, donec ei adeptam prædam adimat; ita Persæ cum Chaldæis de præda rixati sunt, eamque illis extorserunt.

Tropol. Mordentes sunt vermes, qui cadavera Balsaris et Chaldæorum depasti sunt; hosce enim vermes Balsari intentavit Isaias c. 14. 11. dicens: Subtus te sternetur linea, et operimentum tuum erunt vermes: ita Clarus et Vatabl.

Vers. 8.

**QUIA TU SPOLIASTI GENTES MULTAS, SPOLIABUNT TE OMNES,** etc. PROPTER SANGUINEM HOMINIS, id est hominum. Ita Septuag. et Chald. ET PROPTER INIQUITATEM TERRÆ CIVITATIS, ET OMNIUM HABITANTIUM IN EA. ) q. d. Quia tu multorum sanguinem effudisti, et inique terram Iudææ, urbemque Ierusalem, et incolas eius vastasti, idcirco vastaberis et tu: ita S. Hieron. Remig. Rupert, Hugo, Lyran. Ierusalem enim erat quasi civitas et metropolis orbis, gaudium universæ terræ, Thren. 2. 15.

A uti postea fuit Roma, de qua Virgil.

*Tantum inter alias caput extulit urbes,  
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Secundo, vox terræ, generatim ut sonat, accipi potest, et civitatis, id est civitatum: Babylon enim et Nabuchodonosor, non tantum Iudæam et Ierusalem, sed et totam terram, plurimasque eius civitates oppressit, ideoque oppressa est et ipsa: ita Theodor. et Theophyl.

**VÆ QUI CONGREGAT AVARITIAM MALAM DOMUI SUÆ.** Vers. 9.

Avaritiam malam vocat opes male partas, puta per vim et rapinam extortas. Unde Chald. vertit, divitias iniquas et impias. Secundo, malam, id est exitialem, domui suæ. Unde Tigurina vertit, vix inhiant lucro, idque malo domus suæ, q. d. Nabuchodonosor rapit opes gentium, ut iis domum sibi construat, in qua quasi in nido secure et mollior conquiescat: sed revera eas colligit in malum et excidium domus suæ. Nam propter hanc rapinam puniet eum Deus, et domum ex rapinis ædificatam disturbabit. Rursum prædæ eius congestæ in hanc domum irritabunt Cyrum et Persas, ad eam invadendam, ut prædas hæc præderent. Porro per domum intelligit, tum palatium, quod quasi arcem magnificentissimam, æque ac munitissimam ædificavit Nabuchodonosor, ut in ea nomen suum et familiam stirpemque æternaret; tum ipsam Babylonem, de qua ipse superbiens ait Daniel. 4. v. 27. Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis, et in gloria decoris mei? Nam præter ædificia ab eo vel ædificata, vel magnificentius restaurata, tres murorum ambitus intra urbem extruxit, et totidem foris circumdedit, omnes e coctilibus laterculis. Cumque memorabilibus operibus urbem munivisset, et portas in templorum modum ornasset, paternæ regiæ contiguam aliam extruxit regiam, cuius substructiones, et reliquam magnificentiam forte supervacaneum esset dicere, ait Ioseph. 1. 10. Antiq. c. 11. Denique Tropolog. S. Hieron. mala avaritia, ait, dicitur ad distinctionem bonæ, ut sit bona avaritia doctoris Ecclesiastici, qui nunquam satiatur multitudinem sectatorum; et quanto plures habuerit discipulos, tanto magis ad doctrinæ studium concitatur.

**UT SIT IN EXCELISO NIDUS EIUS, ET LIBERARI SE PUTAT DE MANU MALI.** Alludit ad aquilam, cui comparavit Nabuchodonosorem c. 4. 8. q. d. Sicut aquila in excelsis ponit nidum, ut se et pullos ab hominibus et feris rapacibus tutetur et liberet, ideoque eo prædam omnem convehit, ut et illa tuto sit loco: sic Nabuchodonosor suam arcem posuit in Babylone, ut ea se suosque contra omnes reges tueretur, ideoque eo prædas omnium gentium congegit. Sed errat; nam ex excelsis hoc nido præcipitabit eum celsior Deus. Sic Romanus ille dicebat, arces esse nidos tyrannorum.

**QUIA LAPIS DE PARIETE CLAMABIT.** Vers. 11.

Est adagium significans crimen et iniuriam publicam et enormem, quæ celari nequeat, q. d. Tua tyrannis et violentia tanta est, tamque manifesta, ut, etsi homines tacerent, tamen lapides ipsi et ligna, etiam abdita in iuncturis, quæ rapuisti, vel rapta pecunia emisti, ad palatia tua et muros in Babylone erigendos, cum illa a Cyro capientur, incenduntur et vastantur, velut pari aut altero contentu, eorum Deo et toto mundo palam testatura et clamatura sint, te improbum esse raptorem et tyrannum; itaque tibi conviciabuntur et insultabunt, ac Dei vindictam omnesque diras hostiliter imprecabuntur; eo quod illis vim intuleris, auferendo ea e loco suo: naturali enim appetitu desiderabunt et quasi clamabunt, poscentes iustitiam a Deo, ut suo loco restituantur. Est prosopopœia, similis illi Isaiæ 14. 7. Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani. Et cap. 33. 9. Luxit et clanguit terra, confusus est Libanus. Iuducit enim Propheta quasi in comædiam lapides et ligna Babylonis, instar chori alternis concinentia, et proclamantia tyrannidem Nabuchodonosoris, eiusque stragi et cladi insultantia, ac dicentia:

**VÆ QUI ÆDIFICAT CIVITATEM (Babylonem) IN SANGUINIBUS.** Vers. 12.

Id est ex pecunia parta cædibus; item ex oppressionibus pauperum, quos cogit in hoc opere sudare

et laborare, in eoque spiritus et sanguinem suum exhaurire: ita Chald. Albert. Hugo, Vatabl. et alii. Unde Arabicus vertit, *quia lapis de pariete clamabit in sanguine, et loquetur parvulus, vel palus de trabe.*

Paulo aliter S. Hieron. *Lapides, inquit, parietum qui a te destructi sunt, et ligna eorum quos subvertisti, tuam ferociam clamitabunt.* Simili schemate ait Christus Matth. 22. *Si isti (infantes clamantes, Hosanna filio David) tacerint, lapides clamabunt.* Sic et Sallustius: *Saguntini, inquit, fide atque arumnis inclyti, per mortalium studium maiores quam opibus: quippe quibus etiam tum semiruta manna, domus intactæ, parietesque templorum am busti, manus Punicæ ostentabant.* Simile quid et Tull. us ad Cæsarem pro Marcello: *Parietes mediis filiis, C. Cæsar, huius curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum, et suis sedibus.* Subdit deinde S. Hieron. *Porro quod nos interpretati sumus: Et lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit, pro quo Sept. posuerunt κερσερος, id est scarabæus ex ligno loquetur ea* (q. d. Vermis e ligno et tigno, cum suo ligno clamabit tuam iniustitiam, sibi que vim esse factam) *manifestius more suo transtulit Symmach. σκωδισμος, id est iunctura ædificii lignea loquetur ea. Sic et Theodolion, et quinta editio. Quod enim hebr. dicitur ספיס caphis, lignum significat quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, et vulgo apud Græcos κερασσις appellatur. Aquila vertit, Massa de ligno respondebit. Reperi et aliam editionem: Quia lapis de pariete clamabit quasi vermis in ligno loquens. Et alterum: Lapis enim de pariete vociferabitur, et σκωδισξ de ligno loquetur ea: σκωδισξ idem est quod vermis, v. g. teredo qui ligno innascitur. Vastatis enim domibus, trabes et tigna in terram corruentia corrumpuntur et putrescunt, generantque teredines et alios vermes, qui reipsa vim domibus illatam, indeque earum ruinam et interitum testantur, et clamitant. Ita Cyrill. et Theophyl. qui et addit, forte Septuag. contextum trabium culmina sustinentium cantharos nominasse, quia ipsæ sibi superpositum teclum ferunt. Probabiliter quoque coniecat Belrio adagio 1003. Aquilam vertisse *μασσα απο μασσου*, quod Homero significat *prehendere*. Nam huiusmodi lignum prehendit parietes; et forte a forma relexa σκωδισξ dicitur: quia σκωδισκος vermis speciem exhibet; sicut et sagittæ vocantur *scorpiones*; et machinæ *arictes* vel *testudines*; ac capita trabium in fabricis extantia et prominentia, vocantur *canes*. Sic enim conciliantur omnes veterum versiones, ut eodem recidant.*

Allegor. S. Hieron. *Scio, inquit, quemdam de fratribus lapidem qui de pariete clamaverit, intellexisse Dominum Salvatorem; et scarabæum de ligno loquentem, latronem qui Dominum blasphemaverit: quod licet pie possit intelligi, tamen quomodo cum universo prophetiæ contextu possit aptari, non invenio.*

Tropol. lapides et tigna templorum et monasteriorum in die iudicii clamabunt contra hereticos, qui ea demoliti sunt, vel exusserunt: clamabunt inquam, eos esse sacrilegos, ac vindictam a Deo exposcent; quod Dei solium violarint, quod sacerdotes et Religiosos Dei servos suis domiciliis spoliarint, quod Dei laudes et cultum sustulerint. Ita in Anglia sub Henrico VIII. schismatis auctore. *Milia dena unus templorum sustulit annus.*

Rursum eadem clamabunt contra sacerdotes et Religiosos, qui indigne et irreligiose in locis tam sanctis Deoque consecratis vixerint, scandalumque fidelibus dederint, ac dicent illud Isaïæ 26. 10. *In terra sanctorum iniqua gessit, et (idearco) non videbit gloriam Domini.* Sic clamavit lapis et paries contra Balsasarem, sacrilege in eo profanantem vasa templi, in iisque potantem, cum manum vindicem intentantem ei exitium ex se emisit, quæ ei mortis sententiam dietaret: *Mane, tekel, phares,* Daniel 5. 25.

ET PRÆPARAT URBEM (Babylonem) IN INIQUITATE.) *Præparat*, id est, ut Tigurina, *instaurat*; Vatabl. *fulcit*; alii, *erigit*, ædificat, firmat, concinnat, ornat ex rapinis, et ex sudore pauperum: hæc omnia enim significat Hebr.

**א צנן** *chonen*, quod Noster vertere solet, *præparat*. Hinc Proverb. 8. v. 27. dicitur: *Quando præparabat*, id est formabat, fundabat, *calos, alteram*. Sic Isaïæ 2. 2. dicitur, *Præparatus*, id est fundatus, erectus, ornatu, *mons domus Domini*, puta Sion, id est Ecclesia Christi. Vide ibi dicta. Nabuchodonosor enim præter alia, *tres muros ambitus intra urbem (Babylonem) extruxit, et totidem foris circumdedit omnes e coctilibus laterculis*, ait Ioseph. 1. 10. c. 11. Vide dicta Daniel. 4. 27.

NUMQUID NON HÆC SUNT A DOMINO EXERCITUM? ) *Hæc scilicet quæ contra te o Nabuchodonosor vaticinor, q. d. Hæc clades et strages quas tibi intento, non ex me, sed ex Dei ore et decreto tibi intento; ex Deo inquam, qui est Dominus exercituum, non humanorum dumtaxat, nisi es tu, sed angelicorum etiam, et creaturarum omnium. Hæ enim omnes illi militant, et ad nutum eius feruntur in impios: ita S. Hieron. Aliter Theodor. et Theoph. q. d. An non a Deo reposectur ratio tuæ vitæ anteactæ? puta tuæ tyrannidis, qua gentes et urbes igne concremasti, cum illæ frustra tibi resisterent, quia a copiis tuis oppressæ succumbebant.*

LABORABUNT ENIM POPULI IN MULTO IGNE.) *Quo scilicet a Cyro et Persis succendetur Babylon, ut cum restinguant: sed in vacuum et frustra. Nam omni suo labore cum sistere, vel sopire non poterunt; sed potius fessi et fracti deficient. Secundo, Chald. numquid, ait, non plagæ vehementes venient a facie Domini exercituum, et labor gentium robustarum tamquam ignis, et regna in vacuum laborabunt? q. d. Laborant Chaldæi ut prædas et opes coacciverint; sed laborant in ignem: quia igni, quo comburetur a Cyro Babylon, materiam luculentam præparant. Ergo hi labores eorum cadent in vanum et delictum: quia ab igne consumuntur. Ita in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, ut ait Psaltes: ita Vatabl. et a Castro.*

QUIA REPLEBITUR TERRA, UT COGNOSCAT GLORIAM DOMINI, QUASI AQUÆ OPERIENTES MARE.) *Ita et Syrus, et Arabicus, q. d. Frustra laborabunt Chaldæi in restinguendo incendio: quia replebitur terra eorum igne et incendiariis, puta Medis et Persis hostibus, qui innumera sua turba Babylonem operient, imo in vicinas gentes effundent se, et exundabunt, sicut aquæ maris alveum replent et operiunt. Hebr. sicut aquæ operiunt super mare, id est, supra maris alveum et littora, in vicinos agros exuberant et exundant. Atque ex hac tam plena et terribili vindicta, cognoscent omnes gentes gloriam Domini, qui tyrannos hosce punit et opprimit: ita S. Hieronym. Remig. Albert. et Lyran. Secundo, Theophyl. q. d. Sicut aqua copiosa inundans et superbulliens, in omnem hinc inde locum quaquaversum effunditur; sic fama huius vindictæ et exidii Babylonis, indeque cognitio Numinis-Deique altoris, replebit terram, et super cunctas gentes fundetur, ut omnes gloriam, id est gloriosam Dei iustitiam et potentiam agnoscant, celebrent et paveant. Iuxta hunc sensum Hebr. כי, id est quia, non causam, sed effectum et consecutionem significat, uti et alibi sæpe. Potest tamen proprie sumi, ut significet causam finalem. Ideo enim Deus Babylonem punivit, quia intendebat per hanc puitionem toti orbi patefacere suam iustitiam et gloriam.*

VÆ QUI POTUM DAT AMICO SUO MITTENS FEL SUUM, ET INERBIAS UT ASPICIAT NUDITATEM EIUS.) *Pro fel suum hebr. est חמתך chamatecha, quod Primo, verti potest, utrem tuum: ita Pagnin. et Vatabl. Secundo, furor tuum, vel suum: ita Aquila et Symmach. vel subversionem turbidam: ita Septuag. vel effusionem tuam: ita Theodot. vel ut alii, amentiam tuam; vel venenum tuum; vel fel tuum, aut suum, per enallagen personæ: ita Noster. Syrus et Arabicus vertunt, *væ qui potum amico suo fecit (vel turbido) furoris sui*. Iam varii varium hinc dant sensum. Primo, Hebræi et ex eis S. Hieron. Lyran. Hugo et S. Thom. tradunt, quod Nabuchodonosor in die solemnem epuli et publici convivii, iusserit Seleucia regi Iuda a se capto propinari κερσεριον, id est, potionem*

Tropol. lapides clamant sacrilegia.

Vers 15.

Vers 14.

Vers 15.

quæ alvum laxaret, cumque illa operaretur et ventrem solveret, iussisse ut in locum convivii introduceretur, ut ante omnium principum oculos sordes emittens irrideretur; qua ex re, inquit, tanto pudore affectus est, ut in carcerem reductus præ tristitia sit mortuus, hocque esse quod hic in Nabuchodonosore redarguit Habacuc. Adiunguntque id Chaldæis in convivii usitatum fuisse, ut aliorum se crapula, nuditate ac fœditate, quasi pars esset splendidæ mensæ, oblectarent. Huc spectat quod Hebræi scribunt in Seder olam c. 28. *Interiit*, inquit, *Sedecias, et de ipso hunc instituerunt planctum: Heu quia mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum.* Quod Genebrard. in Chronol. sic exponit, q. d. Qui luit peccata omnium superiorum ætatum. Verum hoc, ut fabellam Rabinicam, ridet hic S. Hieron. præsertim cum nil tale habeat Scriptura, nec Ioseph. lib. 10. Antiqu. 11. ubi significat Sedeciam naturali morte defunctum, a Nabuchodonosore honorifice fuisse sepultum.

Secundo, Theoph. Clarius, Vatabl. et Abul. in cap. 25. lib. 4. Reg. quæst. 38. censent hic argui Nabuchodonosorem, eo quod Sedeciam, aliosque principes a se captos inebriarit, hoc siue ut ebrii et vino æstuantes discegerent tunicas (femoralibus enim non utebantur Hebræi et Chaldæi) suas, ut illaque verenda nudarent, ut hac ratione et probro eos illaderet, omnibusque convivis ridendos proponeret, uti Noe ebrius illusus est a filio Cham, Genes. 9. v. 21. quo hic alluditur.

Tertio et genuine, q. d. Væ Nabuchodonosori eiusque asseclis, qui fel suum, id est suam bilem et amaritudinem, ac, ut Aquila, *furorem suum* usque ad ebrietatem propinat, etiam amicis sibi regibus; hoc est, qui eos crudeli tyrannide divexat, donec eos regno, opibus, honore, ipsa denique libertate pudende, et ad irrisionem dispollet atque denudet. Væ inquam, ei: nam lege talionis simili modo ipse ab aliis nudabitur, parique ignominia et irrisione mulcabitur. Est metaphora ab ebrio, qui ex ebrietate et æstu nudari solet, ideoque rideri, uti iam de Noe dixi: ita S. Hier. Remig. Theodor. Hugo et Ribera.

Aliqui hunc versum 13. sic legunt: *Væ qui dat potum proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum: vae qui errare facit cæcum in via.* Ita B. Oresiesis discipulus S. Pachomii in Instruct. monast. cuius meminit S. Hieron. libr. de Script. Eccles. quæque extat in appendice Bibliot. SS. Patrum; ubi ipse hanc sententiam applicat iis, qui subditos eorumque errata defendunt, cum a Præpositis corripiuntur: *Tales enim, ait, errant, et alios errare faciunt, dum obedienter transferunt ad superbiam; et eos qui in dulcedine charitatis poterant ambulare, convertunt in amaritudinem, et subiectos legibus monasterii malis consilii depravant, faciuntque odisse eum, et contrariari contra illum, qui eos docebat Domini disciplinam, lites serentes inter fratres et discordias, atque pro obedientia contumaciam serunt in cordibus audientium.* Unde Trupol. felle potant amicos suos diaboli, et homines diaboli, qui fœlita doctriina mentes hominum interimunt: *Quas enim per vitia carnis et cupiditatem præviderint se supplantare non posse, perversi cogitatis venenoso poculo perimunt, ne soli in æternis suppliciis crucientur,* ait Apponius lib. 2. in Cantica tomo 1. Biblioth. SS. Patrum.

Vers. 16.

REPLETUS ES IGONOMIA PRO GLORIA: BIBE TU QUOQUE, ET CONSOPIRE.) Et ex sopore denudare, ut irridearis. Videtur noster cum Sept. et Tigurina legisse *הרעל herael*, id est consopire: iam per metathesin legunt *הערל hearel*, id est denudare præputium: ita Chald. et Pagu. Sensus est, q. d. Tu quoque o Nabuchodonosor, bibes de calice iræ Dei, inebriaberis vino angoris, perplexitatis, ignominia et confusionis; consopieris more ebriorum verenda sua denudantium; hoc est, vehementer et ad stuporem usque punieris, ita ut omnes tuæ fœditates denudentur, omnibusque ridende ostententur: imo illo ita repleberis, ut vomitus ignominiosus sequatur, et effluet super gloriam tuam, ut scilicet vestes tuas gloriosas, omneque tuum decus et gloriam vomendo conspurces, id est, ut turpiter omnia revomas in manus Cyri et Persa-

rum quæ avare deglutieras, et possidebas gloriose. Unde Pagn. vertit: *Bibe etiam tu. et apparebit præputium tuum: vertet se super te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiosus veniet super gloriam tuam.*

Symbolice. Nota hic fœditatem deliciarum, gulæ et crapulæ; utpote quæ illico in vomitus, sordes et excrementa vertantur. Quocirca S. Gregor. Nazianz. orat. 38. ait, *delicias non esse aliud quam pretiosum stercus: pretiosum, quia in pretio est guloso, ab eoque magno labore et pretio comparatum. Nazianzenum magistrum secutus S. Hieron. epist. 13. ad Paulinum: Qui Christum, inquit, desiderat, et illo pane vescitur, non magnopere querit, de quam pretiosis eibus stercus conficiat. Quidquid post gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis et legumina.* Et Nicetas in orat. 38. Nazianz. sub finem: *Omnis, ait, voluptas quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est.* Id ipsi didicerunt ex S. Paulo, qui Philipp. 3. 8. ait: *Propter quem (Christum) omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam.* Quamobrem recte S. Eucherius epist. ad Valerianum: *Anne aliquis, inquit, ex illa Aristippi schola veritatem videbit, qui ingenio suo a suis aut pecore nihil differt, cum beatitudinem in corporis voluptate constituat, cui Deus venter est, et gloria in pudendis eius?* Hinc et illud Horatii: *Epicuri de grege porcus.*

CIRCUMDABIT TE CALIX DEXTERÆ DOMINI.) Alluditur Primo, ad calicem convivæ circumdantem, id est, circummeantem in orbem convivii, q. d. Calix vindictæ Dei ab eo propinatus est Iudæis, Moabitibus, Ægyptiis, aliisque gentibus: tandem et Chaldæis, eorumque regi propinabitur, ut fæces eius exhauriat, utque cum inebriat, et æstuarere et vomere cogat. Hoc enim diserte ait Ierem. c. 23. v. 17. Simile est Threnor. 4. 21. et psal. 74. 9. ita Theophyl. et Sanchez.

Secundo et nervosius, alludit ad potores, qui cum alique vinipotentem inebriare, ac mente, mensa et scamno deicere volunt, undique cum calicibus propinando impetunt et cingunt, donec cum obruant vino somnoque, ut se nudare, et vomere cogatur. Ita Deus calicibus iræ et vindictæ suæ, puta Persis et Medis, undique cinxit Chaldæos, ut eis ad fauces obruti, et ad stuporem amentiamque adacti fuerint. Porro ne quis Italus hoc calicem certamen acre magis quam telorum, eorumque bacchicam, imo bestialem obsidionem miretur, sciatque quam nonnulli sint bibaces et vinipotentis, audiat illud Martialis. lib. 9. epigram. 74.

*Nunc mihi dic quis erit, cui te Calathisse Deorum*

*Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.*

Et Ovidium 3. Fastor.

*Invenies illic qui Nestoris ebibat annos,*

puta qui bibat tot cyathos, quot Nestor habuit annos, scilicet trecentos, vel, ut alii, nonaginta. Et Horat.

*Reges dicuntur magnis urgere eulullis.*

*Et torquere mero quos perspexisse laborant.*

Et Iuvenal. satyra 6.

*Tamquam alta in dolia longus*

*Deciderit serpens. bibe.*

INIQUITAS LIBANI.) Id est, in Libano a te exercita. Li-Vers 17.

banum vocat Iudæam et Ierusalem: tum quia Libanus erat terminus, et initium Iudææ versus Septentrionem: tum quia Ierusalem domorum et turrium multitudine et sublimitate referebat Libanum cedris, cypressis aliisque proceris arboribus densum, ex iisque ædificata erat: ita Theodor. Theophyl. Vatabl. Arias et Clarius: imo S. Hieron. Chald. Remig. Hugo, Lyran. et Ribera putant Libanum vocari templum: quia illud ex cedris Libani erat constructum, et quia Libanus dicitur a candore nivium, quibus operitur (Libanus enim hebr. idem est quod candidus) sic et templum ob candorem lapidum, mons quidam niveus videbatur, teste Iosepho l. 6. Belli, c. 6. Sensus est, q. d. Iniquitas et violentia tua, o Nabuchodonosor, qua Iudæam vastasti, Ierusalem exseidisti, ipsumque Dei templum exussisti, obruet et perdet te, ut pari modo tua Babylon, cum tuo filio Balsasare a Persis



et Medis vastetur, excindatur, exuratur. Hic verum est illud vulgo tritum: *Ipsam se ledit, aliam qui ledere querit.*

ET VASTITAS ANIMALIUM DEFERREBIT EOS.) Hebr. *vastitas iumentorum*, id est ferarum, *terrebit*, vel *conteret eas*, scilicet feras. Noster vertit, *eos*: quia animalia, id est feras, vocat tum Chaldaeos, qui quasi pardus, ursi et leones Libanum, id est Iudaeam, vastarunt: ita Arias et Vatabl. tum Medos et Persas, qui quasi ferae in feras, id est in Chaldaeos, grassati sunt: ita Theodoret. et Theophyl. Sensus est, q. d. Quia Chaldaei truculenter quasi ferae vastarunt Hierosolymam, idcirco vicissim truculenter a Medis et Persis quasi feris percellentur, vastabuntur et conterentur.

DE SANGUINIBUS (id est propter sanguinem hominum copiosum, quem fudisti) ET INIQUITATE TERRÆ, ET CIVITATIS.) Id est, propter iniquitatem, vim et expilationem terræ Iudaeæ, et civitatis sanctæ Ierosalem, q. d. Quia diripisti et desolasti Iudaeam et Ierosalem, omnesque habitantes in ea, idcirco pari sorte et iure tu quoque diripieris et desolaberis a Cyro et Persis: ita Chald. et alii passim.

Vers. 18. QUID PRODEST SCULPTILE. Clare Sept. *quid prodest sculptili, quod sculperunt illud? formaverunt illud conflatile, imaginationem falsam: quia confidit fietor in figmento suo*, q. d. Quid sibi et vobis o Chaldaei, tunc (cum excindimini a Cyro) proderunt sculptilia, id est idola vestra, in quibus gloriamini, quasi per ea invicti sitis, omniumque prædis et victoriis clari: **QUIA SCULPSIT ILLUD FICTOR SUTS?** Scilicet idoloplastes sculpsit fecitque hoc idolum sculptile, lima illud sculpendo; aliud vero (nec enim unum idemque idolum est sculptile et conflatile; sed hoc sculpsit, illud conflatur: subaudiendum est hic ergo verbum fecit, vel conflavit *conflatile*: ita Vatabl.) fecit conflatile, in fornace illud liquando et conflando; quæ non sunt aliud, quam imago falsa Dei, ac nomen mendax, omnis divinitatis, providentiæ, consilii, doctrinæ, imo et vitæ expers, bruta et muta, q. d. Sculptili nil prodest elegans sculptura sculptoris, nec conflabili artificiosa conflatio conflatoris: non enim ipse omni sua arte potuit formare Deum, aut lapidi quem in idolum sculpsit, vel metallo quod in idolum conflavit, animam et mentem, multo minus deitatem indere, vel inspirare: frustra ergo in eo confidit, frustra illud invocat dicens: Expergiscere, et pugna pro me: frustra illi robur et victorias ascribit, tam ipse, quam eius asseclæ idolicolæ: idque ad oculum patebit, cum idola vestra, o Chaldaei, vobiscum a Persis diripientur et diffringentur. Nota. Pro *simulacra muta* in Hebr. est elegans paronomasia *עלילים אלילים* *elilim illemim*, id est deiculi elingues et mutuli. Septuag. *εὐδολα κωφὰ*, id est idola muta. Quocirca idolis hisee Deum verum opponens, hoc epiphonemate caput concludit: *Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie eius omnis terra.*

Vers. 19. VÆ QUI DICIT LIGNO: EXPERGISCERE, ET SURGE.) Gentiles enim quia sciebant Iovem, Saturnum, Vulcanum, Apollinem, Venerem, etc. fuisse homines, quos maiores eorum in deos retulerant; hinc censebant etiamnum eos habere corpora, quæ quiete et somno pascantur et egeant, ac subinde dormire, ideoque a somno debere excitari, more regum et principum. Hinc oraturi, præsertim mane, deos inclamando excitabant, ut preces suas audirent. Audi Arnobium lib. 7. *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigiliis debeant.* Hinc Elias 3. Reg. 18. 27. irridens sacerdotes Baal, ait: *Clamate voce maiori: Deus enim est, etc. certe dormit, ut excitetur.* Laetant. 1. 6. *Mactant, inquit, hostius Deo, tamquam esurienti: profundunt vina, tamquam silienti: accendunt luminu, velut in tenebris agenti.* Martialis de Iside: *Nunciat octavam Pharise sua turba iuvenæ, puta Isidi, quæ formam habebat vitulæ.* Apuleius lib. 11. de eadem: *Inchoatæ lucis salutationibus, religiosi primam nunciantes horam perstrepuant.* Seneca apud S. August.

A lib. 6. de Civit. cap. 10. ridens hanc suorum stultitiam: *Alius, inquit, namina Deo subicit, alius horas Iovi nunciat, alius lector est, alius unctor. Sunt quæ Iunoni ac Minervæ capillos disponant: sunt quæ speculum teneant, etc.*

DOMINUS AUTEM IN TEMPO SANCTO SUO.) q. d. Deus non est ex auro sculpto vel conflato, in tempore ab artifice formatus, ideoque non habitat in idolo sculptili vel conflabili; quod in terra, puta in suis delubris, locant idololatæ; sed in caelo, quod est eius solium et templum, gloriosus habitat ab omni ævo: est enim *αὐτοθεος* et æternus. E caelo ergo aspiciet et prospiciet, moderatur et dirigit ad nutum res hominum. Quocirca *sileat a facie eius omnis terra.* *Sileat*, præ reverentia, pavore, admiratione et stupore. Unde Septuag. *revertetur cum omnis terra; Syrus, commoveatur, vel contremiscat coram eo; Arabicus, timeat ante cum universa terra.* Silere enim in Script. per metalepsin sæpe significat timere, revereri, obstupescere; ut Sophon. 1. 7. *Silite a facie Domini Dei, quia inacta est dies Domini.* 1. Machab. 1. 3. *Et siluit terra in conspectu eius,* Alexandri Magni; quia eius armis et victoriis perterrita conticuit, sicut mures silent coram fele, oves coram lupo, aves coram accipitre. Rursum Theod. et Theoph. templum hic intelligunt Hierosolymitanum. In eo enim, non in idoliis, residebat, et præsens suis aderat Deus: multo magis iam in lege nova, in templis præsens adest, et corporaliter in S. Eucharistia inhabitat Christus. Quocirca merito S. Francisc. epist. exhort. ad sacerdotes sui Ordinis, quæ habetur tom. 3. Biblioth. SS. Patrum in fine: *Magna, ait, miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum (Christum in Eucharistia) præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus, filius Dei vivi.* Et noster Thomas *θεοδωξος*, ideoque doctor irrefragabilis, lib. 4. de Imitat. Christi c. 3. *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quod tu Domine Deus, creator et vivificator omnium spirituum, ad pauperulam dignaris venire animam, et cum tota divinitate tua ac humanitate, eius impinguare esuriam, etc. Sileant a facie tua dulcissime dilecte mihi, exulum et terra, et omnis ornatus eorum: quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitalis; nec ad decorem tui pervenient nominis, cuius sapientie non est numerus.* Quocirca in Liturgia S. Iacobi, lectores hisee vocibus populum ad reverentiam excitant: *Sileat omnis humanu ac mortalis caro, stetque cum metu et tremore, ac nihil terrestre apud seipsum cogitet. Rex enim regnantium, et Dominus dominantium Christus Deus noster progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt angelorum chori cum omni imperio et potentia.* Hæc sibi fixe impresserat B. Aloysius Gonzaga, ideoque nullam unquam in oratione, et præsertim in sancta comunione mentis evagationem patiebatur. Qua de re rogatus a Cardin. Bellarmino, qui id fieri posset? respondit: *Mirari se si aliter fieri posset. Quis enim, inquit, sibi persuadens se cum divina maiestate colloqui, ab eaque videri et compellari, possit ad alia et exilia oculos animunquæ convertere?* Ita habet eius vita, et processus Canonizationis.

Porro tanta est Dei maiestas, tanta potestas, tanta iustitia et vindicta, ut eam expertus Nabuchodonosor, eum in bestiam versus, sibi postea est restitutus, pleno ore eandem celebrarit: *Quia potestas eius, inquit, sempiterna, et regnum eius in generatione et generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt, etc.* Daniel. 4. 31. Idem fecit impius Antiochus, sed sero, dum vindicem Dei manum sensit, qua infelicem animam exhalavit. Cum enim percussus a Deo fetorem suum ferre non posset, exclamavit: *Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire,* 2. Machab. 9. 12.

Significat ergo hic Propheta, tantam esse Numinis maiestatem, ut eam potius casto profundoque silentio, ut ait S. Dionys. l. de Mystica Theolog. quam exili nostro præconio venerari debeamus. Omnium enim hominum et au-

Vers. 21  
Silere est revereri.

Moral de Deo per silentium venerando.

gelorum mentes, voces et linguæ deficiunt in ea contemplanda, colenda et celebranda. Quocirca Ecclesiasticus cap. 43. 29. *Multa, ait, dicemus, et deficiemus in verbis, q. d. Licet multa dixerimus, deficiemus tamen ab eius operibus (multo magis ab ipso) pro dignitate celebrandis. Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus, q. d. Finis et summa verborum sit, quod Deus est in omnibus, vel, ut Græca habent, αὐτὸς ἐστὶ τὸ πᾶν, id est, ipse est omnia: quia ipse rerum omnium est principium, medium et finis: ipse est omnium causa, finalis, conservans et efficiens: ipse est qui creatis omnibus dedit, et iugiter dat suum esse, ac substantiæ suo influxu perpetim illud fovet. Si enim ad momentum laxaret manum suam, illico omnia in nihilum suum, ex quo ab eoeducta sunt, corruerent, et velut umbra perirent. Nihil enim est solidi, vel in corporibus, vel spiritibus, nisi quateus virtus Dei intrinsecus ea continet et constringit, ne velut aqua diffluant, vel instar fumi dissipentur, vel ut somnium quoddam et phantasma inane evanescant. Quocirca subdit Ecclesiasticus: *Gloriantes ad quid valebimus?* q. d. Quantum est, quod nos possumus eum glorificare? nullam enim ei gloriam nostra glorificatione addere possumus, uti nec gloriam eius immensam digne celebrare. *Ips enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis; supervalebit (excellent, transcendet omnem glorificationem) enim adhuc et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute* (vi, spiritu, robore, q. d. Exerite et expromite omnes vires et voces vestras) *ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio?* Hæc de causa regius Propheta psal 64. 1. canit: *Te decet hymnus Deus in Sion; Hebr. tibi tacet laus Deus in Sion, q. d. Tua opera sunt tanta, et multo magis tanta est maiestas tua, ut eius respectu laus nostra omnis nihil sit, videaturque merum esse silentium: ita Chald. et S. Hieronym. ibidem. Unde Zacharias cap. 2. 13. Sileat, ait, omnis caro a facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo. Quin et S. Iohannes Apocal. 8. 1. Factum est, inquit, silentium in caelo. Si cælitibus silent et obstupescunt ad Dei gloriam, quid ni sileant et obstupescant mortales?**

**Ratio.**  
**I.** Ratio est, Primo: quia essentia Dei est augustissima, sacratissima, sublimissima, et immensa quaquaversum, ideoque in immensum omnem creaturarum intellectum, conceptum et vocem transcendit; ut omnis nostra laus non sit aliud, quam vox graeculorum et pipionum: deitas enim est oceanus essentia, maiestatis et immensitatis. Hinc Deus hebraice vocatur *Iehova*, id est, *qui est*, et ipse se nuncupat: *Ego sum qui sum*, Exodi 3. Ab hoc oceano singulae creaturae guttam, vel stillam unam essentia hauriunt. Rursum, Deus est sol quidam immensus claritatis et gloriae, a quo singuli homines et angeli radiolum unum lucis et vitæ emendicant. Quare merito S. Gregor. Nazianz. orat. in Natalitia, de Deo loquens ait: *Universum esse in scipso, nunquam inceptum. nunquam desitutum complexus continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentia pelagus.* Et S. Dionys. libr. de Mystica Theolog. totus in eo est, ut ostendat Deum in immensum excedere omnem essentiam, omniemque intellectum et cognitionem propter suam *superessentialiam infinitatem*. Unde ipse crebro Deum vocat *επερσενον σπουδον*, id est, *superessentialiam essentiam*. Idem libr. de Divinis nomin. c. 13. *Nihil, ait, eorum quæ sunt, aut eorum quæ alieui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud omnem rationem et intellectum superans, superessentialiter super omnia superexistentis superdeitatis.* Et e. 4. *In ipso est omne principium, exemplare, finale, efficiens, formale, elementare: et simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus.* Hinc *lucem inhabitat inaccessibilem*, 1. Timoth. 6. 16. et tamen in ipso vivimus, movemur et sumus. Ipse enim est quidam fundus et funda-

**A**mentum rerum omnium, cui universa ianixa recumbunt, ut ait S. Dionys. libr. de Divinis nomin. c. 10. Quocirca Iob e. 11. 7. *Forsitan, inquit, vestigia Dei comprehendis, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior caelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognoscet? Longior terra mensura eius, et latior mari.* Sileant ergo a facie tua, o Rex maiestatis, elementa et cæli. Sileant arbores, herbæ, flores, plantæ, prata, campi. Sileant aves, pisces, iumenta et feræ. Sileant humines, angeli, et creaturae omnes: quia coram te omnes in unum collectæ, non amplius sunt, quam momentum stateræ, et gutta roris antelucani, quam illico sorbet sol oriens, Sapient. 11. 23. *quam stilla situlae, quam pulvis exiguus, quam locustæ, quam inane et nihilum, Isaia 40. vers. 15. 17. et 22. quam pulvis et cinis, Genes. 18. 27.*

**B** Secunda ratio est, quod, sicut in Deo augustissima est essentia, et maiestas; sic pariter augustissima in eo est sanctitas, augustissima sapientia, augustissima providentia, augustissima omnipotentia, augustissima misericordia, augustissima iustitia, augustissima perfectione cæteræ, cæque infinitæ. Deus enim in se formaliter, vel eminenter, continet omnes perfectiones creaturarum omnium quæ fuerunt, sunt et erunt; ac insuper infinitas alias creaturis incommunicabiles. Sicut enim est oceanus essentia, sic est et oceanus perfectionum. Formaliter Deus in se continet perfectiones creaturarum absolutas, uti sunt vis intelligendi, volendi, operandi, aliæque spirituales. Eminenter continet perfectiones creaturarum mixtas, quæ videlicet eum aliqua imperfectione coniunctæ sunt, quales sunt calor, color, odor, sapor, sonus, aliæque corporales. Quocirca Eccles. cap. 43. 29. ait: *αὐτὸς ἐστὶ τὸ πᾶν, ipse est τὸ omne.* Unde Gentiles Deum vocabant *τὸ πᾶν*, id est universum, teste Eugubino libr. 3. Perennis Philosoph. cap. 8. Fingitur a Poetis Pan eum Amore Deo luctatus, et ab eo victus: quia omnia vincit amor; quin et Demin ipsum. Hic enim ab amore se vinei passus est, tum alias, tum maxime cum Verbum caro factum est, ut nobis fieret frater, imo redemptor et pater. Hinc illud oraculum: *Magnus Pan mortuus est*, eum in Christi morte defecerunt oracula deorum. cuius meminit Plutarch. libr. de Oraculorum defectu. Quin et Deus ad Mosen: *Ego, inquit, ostendam omne bonum tibi*, Exodi 33. 19. Et Apostolus Roman. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientia et scientia Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius! etc. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.* Quocirca eleganter S. Cyprian. libr. *Quod idola non sunt illi: Mundi*, ait, *unus est rector, qui universa quæ sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.*

**D** Tertia est ratio, quod Deus uti in essentia, ita et in hisce suis attributis omnibus et singulis, sit positive infinitus. Habet enim infinitam sanctitatem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, et ita de cæteris: in hisce ergo omnibus et singulis, est infinitus et immensus. Rursum Deus in infinitum transcendit non tantum omnes res creatas, earumque perfectiones et dotes, sed et omnes res possibles et imaginabiles, quæ sunt infinitæ; transcendit inquam, eas omnes, non uno, non centum, non mille gradibus, sed mille millenis millionibus, imo in infinitum. Cogita enim sapientiam, potentiam, bonitatem, etc. quantum potes, eamque maiorem semper et crescentem in infinitum: eum omnia hæc cogitaveris, seito quod universa hæc tua, omniumque hominum et angelorum cogitata, Dei sapientia, potentia, bonitas, etc. transcendat in infinitum; seito quod neeum ad primum deitatis punctum pertigeris: sed ab illo distes in infinitum. Sileant ergo in conspectu maiestatis tuæ Domine, omnes mentes, omnes linguæ, omnes conceptus, omnes voces Seraphicæ et Cherubicæ, velentque suas facies et pedes, præ pudore et reverentia, Isaia 6. 2. quia omni sua acie, unni suo ardo-

II.

Deus est Pan, id est omne.

III.

re minimum tuæ gloriæ gradum penetrare et comprehendere nequeunt. *Vere magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis.* psal. 144. Et Baruch. c. 3. *Magnus, ait, est, et non habet finem, excelsus et immensus.*

Fractus.

I. Ex hisce rationibus sequitur, immense Dei maiestati, sanctitati, sapientiæ, etc. immensam deberi reverentiam cultum et latriam: eumque eam nos homunciones et verniculi præstare non possimus, debere nos coram ea humiliare et deprimere in abyssum nostri nihili, miseriæ, vilitatis et peccatorum; ac cum S. Francisco ex imo corde dicere: Quis tu Domine? quis ego? Tu abyssus essentiæ, sanctitatis, sapientiæ, potentiæ, omnisque boni: ego abyssus nihili, malitiæ, ignorantie, infirmitatis, omnisque mali. Abyssus ergo miseriæ meæ invocat abyssum misericordiæ tuæ. Quocirca nostrum hoc debitum exsolvit Christus, offerens se in cruce Deo pro nobis. Ipse enim cum sit Verbum Dei, est hostia infinita, et infuili pretii, quæ Dei immensitati commensa est, quam proinde nobis testamento reliquit, ut quotidie in Eucharistia eamdem Deo immolemus, itaque debitum Deo cultum et latriam persolvamus.

II. Secundo, hinc excitamur, ut Deum super omnia summo et sincerissimo, quem præstare possumus, affectu et amore diligamus: quia ipse propter infinitam suam excellentiam, infinite dignus est omni amore, omni gloria, omni laude, omni veneratione, omni obedientia et obsequio. Ex hoc amore sequitur ingens et ardens desiderium gloriæ Dei, ac promptitudo animi, ut vires, spiritus, sanguinem et vitam expendamus ad eius nomen et gloriam ubique celebrandam et promovendam, ut omnes Dei maiestatem, æternitatem, immensitatem, sanctitatem, omnipotentiam, misericordiam, iustitiam, providentiam cognoscant, timeant, ament, colant et glorificent in æternum. Deinde ex hoc amore nascitur gaudium mirificum, gratulatio et iubilus, quo gaudemus de tanta Dei maiestate et gloria, eique identidem iubilamus dicentes: *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Apoc. 7. 12. Sic inchoamus vitam angelicam et beatam. Hoc enim est officium angelorum et Sanctorum in cælo: hoc eorum summum negotium, et negotiosum otium, ut toto corde, summo gaudio et iubilo Deum perpetim honorent, laudent, glorificent.

III. Tertio, discimus contemnere omnes mundi illecebras et pompas, totamque cor nostrum in Deo deligere, ac dicere cum Psalte: *Mihi autem adhære Deo bonum est. Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Sileant a facie tua omnes opes, omnes honores, omnes voluptates, quæ cæci mortales quasi idola colunt, cum revera non sint nisi imago falsa, et simulacra umbratica solidarum opum, honorum et deliciarum: quia in te solo est verum et omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnis consolatio, omnes thesauri, omnis dignitas, omnis maiestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis vita, omnis felicitas. Tu pelagus infinitæ essentiæ, bonitatis et beatitudinis: omne esse, omne verum, omne bonum in te concludens, et ab æterno eminenter anticipans, tamquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilitium omnium, esse superessentiale omnium que sunt et quæ non sunt, sine quo non solum nihil potest esse actu, sed nec potestate, nec ullam habere rationem possibilem, conceptibilem vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium conditor, conservator, promotor; omnium locus, omnium ævum, duratio, ordinatio, connectio, consummatio. In te omne bonum angelorum, hominum, et creaturarum omnium. Deus meus, amor meus et omnia, natem in te quasi pelago, sicut pisces in mari; in immensitate providentiæ, misericordiæ et bonitatis tuæ immergar, inebrier, perdar, absorbear, ibique una mecum

Amergam omnes spes et res meas, omnes affectus et amores, omnia desideria et vota.

Denique hinc discimus, medium et scalam optimam qua ascendamus ad Deum, esse silentium creaturarum. Vir quidam sanctus apud D. Tauberum p. 685. rogatus, *Ubi invenisti Deum?* respondit: *Ubi creaturas reliqui.* S. Dionys. l. de Mystica Theologia, docet duobus modis et viis nos pertingere ad Dei cognitionem. Prior est, affirmationis et comparationis, nimirum ascendendo a creaturis ad creatorem, ac de eo affirmando omnes dotes quas reperimus in creaturis, quod in Deo creatore eadem sint sine comparatione excellentius et perfectius. Posterior est, negationis, nimirum negando de Deo omnes res creatas, v. g. dicendo, Deus non est animal, non homo, non cælum, non angelus; sed infinites quid præstantius et divinius. Atque hoc secundo modo melius et purius Deum cognosci asseverat.

Hæc scala S. August. l. 10. Confess. c. 6. ascendit ad Deum: *Domine, inquit, amo te: sed et cælum, et terra, et omnia que in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut amem te; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Quis autem amo, cum te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, ecce istis unicum oculis, non dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarum: non florum, et unguentorum, et aromatum suaveolentium: non munda et mella, non membra acceptabili carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum; et tamen amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; ubi fulget anime meæ quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas, et ubi hæret quod non divellit salietas. Hoc est quod amo, cum Deum amo. Et quid est hoc? Interrogavi terram, et dixit: Non sum; et quæcumque in ea sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare, et abyssos, et reptilia animarum viventium; et responderunt: Non sumus Deus tuus: quare super nos. Interrogavi cælum, solem, lunam, stellas, etc. et exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogavi mundi molem de Deo meo, et respondit mihi: Non ego eum, sed ipse me fecit, etc. Idem l. 9. c. 10. cum matre S. Monaca, paulo ante eius mortem colloquens de vita æterna Sanctorum, quæ est Deus; quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: *Erigentes, inquit, nos ardenter affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum cælum, unde sol et stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando et loquendo de te, et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum, etc. Dicebamus ergo, si eui sileat tumultus carnis, sileant phantasie terræ, et aquarum et aeris, sileant et poli, et ipsa anima sibi sileat, et transeat se, non se cogitando; sileant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, et omne signum, et quidquid transeundo fit, si cui sileat omnino: quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia, Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. His dictis si iam taceant, et loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis; sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continuetur hoc, et subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, et hæc unum rapiat, et absorbeat, et recondat in interiora gaudia sua, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspiravimus, nome hoc est, Intra gaudium Domini tui? Et istud quando?**

IV.

## CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Multi hoc caput et carmen ad litteram accipiunt de Christo, Christique victoria et redemptione: quia Propheta hic crebro loquitur per verba futuri temporis: ita videtur sentire S. Hieron. Theodoret. Theophyl. Euthym. Haymo, Rupert. Emmanuel, et S. August. lib. 18. de Civit. c. 32.*

*Alii ad litteram hæc accipiunt de Cyro, expugnatore Babylonis et liberatore Iudæorum, cui proinde omnia hæc futura accommodant, quasi revera uti sonant, tunc acciderint, idque probant ex Herodoto et Xenophonte: ita Hugo, Albert. Lyran. et Mariana.*

*Verum dico, ad litteram Prophetam, cum ad suam querelam de Chaldæorum in Iudæos tyrannide, imperio et excidio, a Deo accepisset responsum de Babylonis punitione, et Iudæorum ex ea liberatione per Cyrum, hoc carmine Deo gratias agere, eumque obsecrare, ut idipsum reipsa exequatur. Quocirca canit magnalia, plagas et prodigia quæ Deus pro Hebræis patravit, ab exitu eorum ex Ægypto usque ad ingressum in terram Chanaan; ut significet, similia Deum pro eisdem patraturum in liberatione ex Babylone, et reductione in Iudæam; quæ omnia adscribit meritis Christi Iesu, quem Cyrus typice adumbravit: ita Chald. Hebræi, Vatabl. Arias, Iansenius; et tandem fatentur idipsum S. Hieron. Theodor. et Theophyl. Id ita esse, patet Primo, ex cap. 1. et 2. maxime v. 3. atque ex tota connexione prophetiæ huius. Hic est enim auditus, de quo ait v. 1. Domine audiavi auditionem tuam, et timui. Nam c. 1. et 2. audiens Chaldæorum in Iudæos sævitiam, extimuit et expavit. Secundo, quia ea de causa ab initio cap. usque ad v. 24. plurima beneficia Hebræis in exitu ex Ægypto præstata commemorat, ut similia eis in egressu e Babylone præstanda demonstrat, et ad id credendum fidem et spem eorum exacuat. Tertio idipsum clare indicat cum ait v. 16. Ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Denique id significat titulus, Oratio pro ignorantibus, id est pro peccatis suis et populi, ne scilicet Deus ob ea, liberationem eius e Babylone, licet promissam, differat, vel omnino revocet et auferat.*

*In sensu tamen allegorico, qui præcipue hic intenditur a Spiritu sancto, loquitur de Christo, Christique mysteriis et redemptione. Sicut enim Nabuchodonosor tyrannus, et vastator populi Dei gessit typum diaboli; ita Cyrus liberator eiusdem, figura fuit Christi redemptoris: et sicut Babylon representat regnum peccati, ita liberatio e Babylone representavit redemptionem Christi, qui evertit regnum peccati hominesque ex eius et diaboli servitute liberavit. Hac de causa Propheta iam loquitur in præterito, ut significet se ad litteram loqui de Pharaone, Ægypto, et Hebræis præteritis; iam in futuro, ut significet ad litteram similia Iudæis eventura per Cyrum, in expugnatione Babylonis. Allegor. vero similia, imo longe maiora, omnibus gentibus præstanda per Christum, orbis redemptorem. Hinc nominat Christum et Iesum v. 18. Exultabo, inquit, in Deo Iesu meo, eiusque nativitatem, miracula et gesta usque ad ultimum eius iudicium, typice percenset; ita Theophyl. Euthym. Rupert. Ribera, Titelman. Iansen. in hoc canticum. Simili modo victorias et beneficia sui temporis ad litteram, quibus allegorice representant victoriam et gratiam Christi, carmine suo celebrant Moses Exodi 15. Debora Iudic. 5. Iudith c. ult. Anna 1. Reg. 2. David psal. 71. et 88.*

*Ubi Nota. Quia allegoricus sensus hic præcipue est intentus a Spiritu sancto, hinc quædam interseruntur, quæ magis conveniunt allegoriæ quam litteræ, uti est nomen Iesu; et quod Septuag. v. 2. habent, In medio duorum animalium cognoscere; et v. 5. Ante faciem eius ibit mors; et, Egredietur diabolus ante pedes eius. Simili modo allegoriam litteræ miscet Isaias c. 14. ubi sub typo Luciferi, casum Balsaris depingit; et Ezechiel c. 28. ubi sub typo Cherubini, ruinam regis Tyri representat.*

*Ad litteram ergo tres sunt huius cantici partes. Primo enim Propheta Deum obsecrat, ut opus redemptionis Hebræorum e Babylone promissum, reipsa præstet et perficiat. Secundo, a v. 2. ad 16. recollit et celebrat magnalia Dei, edita in eorundem liberatione ex Ægypto, quo tacite rogat, ut similia præstet in eorum liberatione e Babylone. Tertio, v. 16. redit ad v. 1. et ad eandem Babylonis obstupescit: mox gaudet et exultat in Domino, qui Iudæos e Babylone liberabit, eosque quasi cervos veloces et alucres in Iudæam reducet.*

## 1. ORATIO PRO IGNORANTIBUS.

2. **D**OMINE audiavi auditionem tuam, et timui. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. 3. Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan: Operuit cælos gloria eius: et laudis eius plena est terra. 4. Splendor eius ut lux erit: cornua in manibus eius: Ibi abscondita est fortitudo eius: 5. Ante faciem eius ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes eius. 6. Stetit, et mensus est terram. Aspexit, et dissolvit gentes: et contriti sunt montes sæculi. Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. 8. Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui ascendes super equos tuos: et quadrigæ tuæ salvatio. 9. Suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus quæ locutus es. Fluvios scindes terræ: 10. Viderunt te, et doluerunt montes: gurges aquarum transiit. Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit. 11. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. 12. In fremitu conculcabis terram: in furore obstupescies gentes. 13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum eius usque ad collum. 14. Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus ut turbo ad dispergendum me. Exultatio eorum, sicut eius qui devorat pauperem in abscondito. 15. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. 16. Audiavi et conturbatus est venter meus: a voce contremuerunt labia mea. Ingredietur putredo in ossibus meis, et subter me sateat: Ut requiescam in die tribulationis; ut ascendam ad populum accinctum nostrum. 17. Ficus enim non florebit: et non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ: et arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus: et non erit armentum in præsepibus. 18. Ego autem in Domino gaudebo: et exultabo in Deo Iesu meo. 19. Deus Dominus fortitudo mea: et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

Vers I. **P**RO IGNORANTIBUS. Hebr. est שִׁיחֹנוֹת seighionot, quod aliqui, ut R. David, Pagnin. Vatabl. accipiunt pro certo genere cantici, harmoniæ, vel instrumenti musici: unde Septuag. vertunt, oratio Habacuc Prophetæ cum can-

lico; quia partim est hic oratio, partim et magis canticum, quo celebrat Dei beneficia præterita, ut impetret futura. Hæc est enim vera ratio orandi et impetrandi, si eius a quo quid petimus, munificentiam, potentiam, dotes

et laudes celebremus. Unde in Scriptura, oratio subinde vocatur laus, ut Thren. 2. 19. *Consurge, lauda* (id est, laudando ora) *in nocte.* Jer. 11. 14. *Ne assumas pro eis laudem*, id est, ne ores pro Iudeis tam impiis. Hinc et R. Iona, et ex eo Genebrard. *scighionot* vertunt, *gaullium, oblectationem.* Oratio, inquit, *Habacuc Prophetæ cum oblectationibus*, qua scilicet se populumque oblectat, commemorando futuram eius liberationem. Alii, ut R. Iuda, vertunt, *oratio pro occupationibus*, puta pro gravibus negotiis, quæ animo versabat, quibusque se occupabat Propheta; Tigurina, *colloquium*, seu *disputatio Habacuc Prophetæ de rebus perplexis.* Verum melius Noster vertit, *pro ignorantibus*: ita enim vertit et Aquila, Symmach. Quinta editio et Chald. Hebræum enim שגיא *sciaga*, significat errare, ignorare: inde שגיגה *scighiona*, vacatur error, ignorantio, puta delictum et peccatum, tum ex ignorantia commissum, tum quodlibet aliud, etiam voluntarium. Unde Theodot. vertit, *pro voluntariis*, scilicet delictis. Nam ut ait Aristotel. *Omnis peccans est ignorans.* Et Sapiens: *Errant qui operantur malum*, Proverb. 14. 22. Semper enim peccato coniuncta est aliqua ignorantia, puta inconsideratio. Si enim consideraret peccator turpitudinem et damna peccati, Deumque vindicem, cuius iram et tormenta æterna provocat, utique non peccaret.

Iam sensum hic varium dant varii. Primo, Chald. more suo paraphrastice sic vertit, *Oratio quam oravit Habacuc quando revelatum est ei de longitudine temporis, quam dedit Deus impiis: quod si convertantur ad legem corde perfecto, remittetur eis, eruntque omnia scelera eorum, quæ admiserunt in conspectu eius, quasi ignorantia.*

Secundo, S. Hieron. Remig. Albertus et Iansenius, censent Habacuc hic deprecari veniam suæ ignorantiae, id est sui peccati, quod ignoranter et temere ausus fuit cum Deo disputare; imo de eius providentia, qua sinit impios piis dominari, conqueri. Verum in toto hoc carmine nullam huiusce deprecationis veniæ, significationem dat Propheta.

Dico ergo, per ignorantias significantur peccata populi q. d. Oro Domine pro peccatis populi, ut illa condones et dissimules, ne propter illa differas opus liberationis nostræ e Babylone, et multo magis Allegor. opus incarnationis Christi, et redemptionis generis humani a te promissum.

**DOMINE AUDIVI AUDITIONEM TUAM** ) Est metonymia; nam actus ponitur pro obiecto: *auditionem*, id est rem, vel verbum auditum, sive oraculum quod a te audiui; scilicet tantam eladem et vastationem, tum Iudæorum per Chaldæos, tum ipsorum deinde Chaldæorum per Medos et Persas: ideoque *timui*, maxime metuens ne nos in Babylone degentes, utpote captivos, etiam Babylonica clades, et Chaldæorum excidium per Cyrum infligendum pariter involvat, et omnino deleat; ita S. Hier. Remig. et Theodor. Porro Septuag. addunt: *Consideravi opera tua, et εἴσετο*, id est *obstupui*, vel *expavi*, quod Allegor. reete S. August. lib. 18. de Civit. 32. refert ad opus incarnationis Christi, quod præ sui novitate, tantæque maiestatis exinanitione, non tantum stuporem, sed et sacrum quemdam pavorem et horrorem, ex sui reverentia incutit. *Quid enim, inquit, hoc est, nisi præcognita, novæ, ac repentinae salutis hominum ineffabilis admiratio?* Quis enim non stupeat, quis non expavescat, si videat Deum in carne, Deum in cruce? Hoc est magnum pietatis sacramentum, quod obstupescunt Seraphini et Cherubini, quod, ut ait Apostolus 1. Timoth. 3. 16. *manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis* (qui omnes stupentes illud adorarunt Hebr. 1. 6.) *prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Vere S. Bernard. serm. 3. in Vigilia Nativit. *Tria opera, tres misturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt adinvicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ misturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem potuerint coniungi. Et*

**A** infra: *Contraxit se maiestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro coniungeret, et in persona una sibi invicem uniretur Deus et limus, maiestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Et attende, sicut in illa singulari divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commistione trinitas est in substantiis, in persona unitas. Verbum enim, et anima, et caro, in unum convenere personam; et hæc tria unum; et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Quocirca merito S. Aug. S. Hieron. S. Bernard. S. Franciscus, alique Sancti, in contemplatione huius mysterii quasi extra se rapti et attoniti expaverunt, et obstupuerunt. Equidem si cum S. Magdalena secedentes et abstracti, non aliud contemplaremur tota vita, quam hoc, *Verbum caro factum est, Deus homo*, iugiter obstupesceremus; et quo magis ac diutius illud contemplaremur, eo magis in stuporem, imo in extasim raperemur.

Sane ipsa humanitas Christi in incarnatione, videns se assumi et elevari super omnes cælos et angelos, ad thronum maiestatis divini, obstupuit et expavit: quin et iugiter obstupescit et expavescit, dum videt se in eadem non tantum sede, sed et hypostasi cum divinitate sedere et subsistere: Videt enim se ex creatura elevari ad creatorem, ex nihilo fieri omnia, ex homine fieri Deum; idque ex nulla sui dignitate (est enim ipsa tanto honore et bono indigna) vel merito, sed et mera dignatione Dei, qui eam ex omnibus hominibus, angelis et creaturis elegit, et ad tantum gloriæ fastigium evehit. Iugiter ergo illa obstupescens suam vilitatem et indignitatem, ac Dei dignationem et et gratiam, gratulabunda exclamat: O immensa Dei in me, o abyssalis, o incomprehensa bonitas!

Tropol. hæc verba sibi adaptavit S. Leo, cum eligeretur in Pontificem. Sic enim ait serm. 2. de sua Assumptione: *Domine audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?*

**DOMINE OPUS TUUM, IN MEDIO ANNORUM VIVIFICA IL-LUD.** ) *To illud* per pleonasmum Hebræum redundat: Hebræi enim repetunt pronomen relativum, vel demonstrativum, illudque iungunt cum suo nomine quod antecessit. Porro *opus* intelligit liberationis Iudæorum e Babylone, et mystice redemptionis generis humani e captivitate diaboli et peccati per Christum. Unde Chald. opus hoc interpretatur renovationis mundi, et miserationum Dei: ita S. Hieron. et August. loco citato. Hoc enim vocatur opus Dei antonomastice, sive per excellentiam; quia omnium Dei operum fuit maximum et excellentissimum. Nam in eo uno magis, quam in operibus creationis, conservationis, gubernationis, cæterisque omnibus, Deus generi humano ostendit immensam suam clementiam, sapientiam, potentiam et amorem. Quodque de Bruto dixit Poeta: *Et magnum magni Caesaris illud opus*: illud longe verius dicas de Verbo incarnato, puta de Christo: *Et magnum magni Numinis illud opus.* Hoc opus inquam, *in medio annorum*, id est, intra annos, vel annis, scilicet a te præfixis, *vivifica*, id est, effice, suscita, adimple. Hebræi enim metaphorice vitam dant rebus inanimis, ut annis, diebus, aeri, fertilitati, sterilitati, captivitati, liberationi, etc. cum enim illa fiunt et vigent, dicuntur hebr. vivificari et vivere.

**IN MEDIO ANNORUM.**) Varii varie hoc medium explicant. Primo, Guevara et Vatabl. *In medio annorum*, inquit, hoc est, in medio illorum calamitosorum et infelicitum dierum, in quibus Chaldæam, eiusque incolas funditus igne ferroque vastandos Propheta audierat. *In medio* dixit, id est, cum in præcipiti erunt mala, cum ingruent vehementius pericula, cum circumfluentibus undique calamitatum fluitibus nulla emergendi affulgebit spes. In medio enim alienius rei esse dicitur quandoque id, quod ab ipsa premitur et urgetur maxime. ut circumfuso malorum æstu nullum evadendi pateat effugium. Tale est illud psal. 22. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et psal. 37. *Si ambulavero*

Humanitas Christi videns se assumi verbo, obstupuit.

Vers. 2.

Opus incarnationis stupendum.

*in medio tribulationis, vivificabis me.* Orat ergo Habacuc Deum, ut populum sibi peculiarem e mediis calamitatibus Chaldæorum eripiat, et quem tantis haecenus beneficiis affecerit, cuique, ut artifices solent, quasi absolutissimo manuum suarum operi, et suum nomen inscripserit notamque et stigma circumcisionis inusserit, Chaldæorum sævitia interire, aut eum Chaldæis pariter in Babylone a Medis et Persis exscindi delerique penitus non patiat. Hic sensus valde huic loco congruere videtur. Medium enim sæpe capitur pro summo, ut cum dicimus: In medio tribulationum versor; medio mari iactor; in medio ferarum dego, id est, in summis versor malis, periculis et hostilibus. Annus enim, dies, et tempus sæpe metonymice sumuntur pro clade insigni et calamitate, quæ tali anno, die et tempore contigit, vel continget. Sic sæpe Prophetæ diem Domini vocant diem ultionis, quo Iudæam, vel Babylonem, aut alias urbes et gentes puniet et perdet; ut Sophon. 1. 14. *Iuxta est dies Domini magnus, etc. dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustie.* Joel 2. 1. *Venit dies Domini, etc. dies tenebrarum et caliginis, dies nubes et turbinis.* Similia sunt Jerem. 30. 7. Amos 3. 18.

Secundo, alii ex adverso medium capiunt pro optimo, q. d. Evolutis annis 70. captivitas calamitosissima, in medio, id est, in optimo anno 70. illos annos consequente, opus hoc liberationis nostræ tam exoptatum dabis et præstabis. Sic dicitur Ezech. 5. 5. *Ista est Jerusalem: in medio, id est, in optimo, gentium loco posui illam.* Et Isaïæ 38. 9. ait Ezechias: *In dimidio dierum meorum, id est, in ætate optima et florenti, vadam ad portas inferi.* Quamquam alii *in dimidio* proprie accipiunt: erat enim Ezechias tunc 39. annorum, quæ ætas est quasi dimidia vitæ humanæ: integra enim est ea, quæ notatur psal. 89. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta.*

Tertio, simplicius alii medium hic non accipiunt geometrice, sed physice, aut potius vulgariter ex Hebræorum phrasi et usu, quo *In medio annorum*, idem est quod intra annos, scilicet præfinitos et destinatos a Deo. Unde Symmach. vertit, *intra annos reviviscere fac ipsum*; Aquila, *dum appropinquant anni, vivifica illud*; Septuag. *eum appropinquerint anni, cognosceris.* Sic Deus fecit firmamentum in medio aquarum, id est, inter aquas superas et inferas, Gen. 1. 6. *et lignum vitæ in medio paradisi*, id est, intra paradisum, Gen. 2. 9. et ignem in medio rubi, id est, intra rubum, Exodi 3. 2. Dicit autem potius *in medio*, quam in fine annorum, quia optat annos hosce non expleri, sed potius imminui et dimidiari, q. d. Fac Domine, ut anni 70. quos captivitati nostræ designasti non ad finem usque decurrant, sed decurrantur et dimidientur.

Quarto, aliqui, ut Albertus, medium hic geometrice et præcise accipiunt, scilicet medium annorum mundi. Nam liberatio Hebræorum facta est sub annum mundi ter millesimum, puta anno 3419. hoc est pene medium durationis mundi: durabit enim mundus sex millia annorum, ut tradunt Hebræi et Patres, quos citavi Apoc. 20. 6.

Rursum Iansenius dimidium hoc exponit annum 37. transmigrationis Iochin, quo Evilmerodach eum exaltavit, 4. Reg. 15. 27. quod fuit quasi præludium et initium felicitatis et liberationis Hebræorum, quæ perfecta est anno 70. captivitatis: nam 37. sunt pene dimidium 70. Hoc sensu vox *vivifica* in sensu non perfecto, sed inchoato accipienda est, q. d. *Vivifica*, id est, incipe vivificare, et adimplere opus tuum; inchoa operis tui fabricam, da eius specimen, quasi auroram futuræ lucis et libertatis.

Allegor. opus incarnationis et redemptionis Christi factum est *in medio annorum*, iuxta primum sensum: quia Christus venit calamitosissimo tempore. Fecit enim uti facit sapiens medius, qui sinit morbum crescere ad summum paroxysmum, ut omnes suas vires exserat et evomat: quo facto, morbo quasi exhausto et enervato, facilem adhibet curationem. Ita Christus permisit, ut peccatum et concupiscentia crescerent ad summum per quatuor annorum millia, utque omnem suam malitiam exse-

rerent ac evomerent, quo facto, medicam ei manum suam attulit; cum iam pariter et natura, et lex Mosis omnem vim suam ostendissent, nec tamen potuissent peccato mederi; ac proinde omnes et omnia Christi opem tacite poseerent et inelamarent.

Secundo, id ipsum fuit *in medio*, id est, in optimo, *annorum*: quia ipse adduxit aureum iubilæi sæculum, iuxta illud Apostoli: *Eccc nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, 1. Cor. 6. 2.

Tertio, fuit *in medio annorum*, id est inter annos, vel annis a Deo præfixis et constitutis. Rursum *in medio*, id est, in complemento annorum. Medium enim est extremorum centrum, unio, perfectio et complementum. Hinc *in medio annorum*, idem est quod in consummatione annorum; vel, ut Apostolus Galat. 4. v. 4. ait, *in plenitudine temporum*, cum scilicet plane consummata et impleta essent tempora a Deo tanto operi præstituta. Medium enim extremorum est finis: extrema enim in medio terminantur et finiuntur: ita S. Hieron. In medio ergo annorum natus est Christus: quia ætas Christi fuit finis sæculorum præcedentium miserorum, et initium sequentium felicissimorum. Dicit autem *in dimidio* potius quam in fine: quia optat hosce annos accelerari, ideoque dimidiari; sicut per preces Danielis et Prophetarum, abbreviatæ et accisæ sunt 70. hebdomades præviæ Christo, uti dixi Daniel. 9. 21.

Quarto, arithmetice *in medio annorum* passus est Christus hoc computu: Primo, quia in medio 70. et ultimæ hebdomadis Danielis passus, redemit mundum, Daniel. 9. v. 27. Licet enim Daniel fuerit post Habacuc, tamen hebdomades hæc 70. iam ante Daniele decrete erant in mente Dei, qui eas hic confuse et implicite revelavit Habacuc, quas postea discrete expressit Danieli. Secundo, *in medio annorum*: quia Christus passus redemit nos anno ætatis 34. quæ est media vitæ humanæ: hæc enim censeatur 70. annis. Tertio, Hebræi ex oraculo Eliæ, durationem sive ætatem mundi tradunt fore sex millia annorum, sive ter bina millenaria, quorum prima duo spectant ad legem naturæ, quæ fuit ante diluvium, et post illud usque ad Abraham: secunda, sive media duo ad legem Mosis: tertia, sive ultima duo ad Evangelium, et tempus Messisæ ac gratiæ. Iam Christus natus est durante lege Mosis: natus est ergo in medio harum trium ætatum, ac consequenter in medio annorum, id est sæculorum mundi: ita Francise. Georgius Venetus in Probl. tomo 3. sect. 4. de Christi adventu num. 142. Rursum in medio annorum venit Christus: quia tempus Evangelii, et gratiæ eius est medium inter tempus legis et tempus gloriæ, sive inter sæculum præsens et futurum. Christus enim fuit quasi horizon temporis et æternitatis: est enim ipse legis temporisque finis, ac principium æternitatis, vitæque beatæ. Hinc ab Isaïa cap. 9. vocatur *pater futuri sæculi*. Denique ne quid omitam, ex his Habacuc verbis nonnulli, uti refert S. Vincentius Ferrerius epist. ad Benedictum, et Adriannus Finus lib. 5. Flagelli c. 8. censuerunt, Christum in medio durationis mundi tempore assumpsisse carnem, ita ut tot exacte præcesserint anni Christi incarnationem, quot post eam futuri sint. Id ipsum indicavit Virgil. qui ex oraculis Sibyllæ Cumææ Augusto Cæsari (cuius ætate natus est Christus) adulatus, cecinit 3. Georg.

*Mox tamen ardentem accingar dicere pugnas  
Cæsaris, et nomen fama tot ferre per annos,  
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.*

Verum hoc plane incertum, et multis parum probabile videtur: certe ex hoc loco evinei nequit.

Symbolice, Christus est medium, uti SS. Trinitatis, ita et totius universi et sæculorum omnium, æque ac redemptionis et felicitatis nostræ mediator. Nam in SS. Trinitate ipse, utpote filius, est medius inter Patrem et Spiritum sanctum, quia a Patre procedit et generatur, ac genitus enim eo spirat et producit Spiritum sanctum. Secundo, quia ipse est Verbum, quod est idea, per quam creavit Deus omnia: ipse ergo ut Verbum, est nodus, nexus, vinculum, medium et centrum rerum omnium. Tertio, in

Christus est medium universi.

1.

2.

3.

ipso pariter, ut Verbo, creata et ordinata sunt omnia sæcula et tempora: *Fide enim intelligimus aptata esse scæcula verbo Dei*, ait Apost. Hebr. II. 3. Quarto, hinc congrue assumpsit naturam humanam, ut esset mediator Dei et hominum. Decebat enim, ut persona media in SS. Trinitate humanam naturam assumeret, in eaque fieret mediator; quia et ipsa media est inter cælum et terram, media inter Deum et cæteras creaturas, utriusque naturam participans, ut per ipsam naturam mediam utraque uniret extrema. Natura enim humana mediativum, et quasi vinculum omnium existit, et cum omnibus partem habens, cum omnibus deliciarum: omnibus enim creaturis cæteris homo vel vescitur, vel oculis, alioue sensu pascitur et fruitur: terra nos sustentat, aqua potat, aer dat respiraculum, ignis calefacit: vescimur plantis, piscibus, animalibus: sole et cælo illuminamur: ab angelis erudimur, purgamur, perficimur. Pari modo Christus factus homo, deliciarum cum omnibus, et omnes cum eo. Hinc eius typus fuit arbor vitæ in medio paradisi a Deo collocata, Genes.

Christus ubique fuit medius et mediator.

2. Quocirca Christus nascens, vivens, moriens, semper capessivit medium. Natus est enim in media nocte, dum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, Sapient. 18. 14. Natus quoque positus est in medio duorum animalium: asinus infirmior denotat misericordiam; bos fortior, et in arando æquus et fidus hero, denotat iustitiam. Hæc enim duo obviare sibi fecit Christus, ideoque nascens in eorum medio stetit. Puer inventus est in templo in medio Doctorum. Domi fuit medius inter matrem et patrem, puta Mariam et Ioseph. Sicut enim medius est in Trinitate increata, sic medius est et in Trinitate creata, quæ est Ioseph, Iesus, Maria. Vir in medio fuit Apostolorum: *Ego, inquit, sum in medio vestrum, tanquam qui ministrat*: ut omnibus videlicet æqua distributione, saltem geometrica, suscepta munera distribueret. Rursum concionando operatus est salutem in medio terræ, psal. 73. 12. Moriens pependit in medio duorum latronum, ut iam eorum constitutus iudex, redderet utrique debitas vices, iuxta utriusque merita, præsentio quodam magni et extremi iudicii, in quo medius ad dexteram habebit Sanctos, quos vita æterna præmiabit; ad sinistram reprobos, quos morte æterna mulcabit. In cælo medium tenet locum: est enim medius inter Patrem et nos, utpote advocatus noster. Ita cum vidit S. Ioan. Apoc. 5. 6. quasi agnum in medio throni, in medio quatuor animalium, et in medio seniorum. Hinc eum representavit Isaac immolandus a patre, et risus ac gaudium orbis: Isaac enim medius fuit inter Abraham et Iacob: fuit enim Abraham filius, Iacobi pater. Rursum ipse palam profitetur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. 18. 20. Quocirca ipse ab æterno decretus, et in tempore factus est verus et optimus mediator inter Deum et hominem, iuxta illud Apostoli: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus*, 1. Timot. 2. 5. Ipse enim factus homo, effectus est vinculum et glutinum ligans, connectens et uniens hominem cum Deo. Ipse est velut canalus medius, per quem a fonte vivo, puta a Deo, fluunt ad nos aquæ vitæ, et fluentia gratiarum. Ipse est scala Iacob, per quam quasi medium, ab extremo ad extremum, puta e terra in cælum ad Deum ascendimus. Præclare S. Bernard. serm. 1. de S. Michael: *Amat, inquit, semper media Iesus, diverticula semper et reclinatoria reprobatur filius hominis, Dei et hominum mediator. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia*.

Ut nos doceret auream medioeritatem.

Nimirum hisce omnibus significare voluit et commendare auream medioeritatem, quæ nos Deo et hominibus gratos efficit: virtus enim consistit in medio. Item pacem et concordiam: medium enim est nexus, et quasi pax et concordia extremorum. Hoc est quod ait Matth. 5. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*: quia ego qui sum filius Dei naturalis, sum pax universi, pacificans omnia quæ in cælis, et quæ in terris sunt, Coloss. 1. 20. Iure ergo nomen filii Dei sortiuntur, qui mediandi pacemque conciliandi officium ipsi proprium intimumque usurpant.

A ANNORUM.) Ita vertunt quoque Aquila, Symmach. Theodotion, Chald. et alii passim; legunt enim in Hebræo שנים *scianim*, quod significat annos. Verum Septuag. aliis punctis legentes שנים *scenaim*, id est, duorum: rursum pro חיים *chaichu*, id est, vivifica illud, legentes חיות *chaiot*, id est, animalium, vertunt, in medio duorum animalium cognosceris: mox tamen pro *scenaim* legunt *scenaim* cum cæteris. Unde subdunt: *Cum appropinquerint anni, cognosceris*. Adduntque per epexegesin: *Cum advenerit tempus, demonstraberis*. Hæc enim verba non sunt in Hebræo; ea tamen in Septuag. legunt codices Vaticani, Complut. Regii, S. Hieronym. Cyrill. Theodor. et alii passim. Aliqui tamen censent Septuag. in Hebræo legisse ut cæteros, scilicet ut τὸ cum appropinquerint anni, cognosceris, respondeat illi quod vertit Noster, in medio annorum vivifica illud; et τὸ cum advenerit tempus, demonstraberis, respondeat illi quo vertit Noster, in medio annorum notum facies: id vero quod præcedit, in medio duorum animalium cognosceris, additum sit a Septuag. prophetice et paraphrastice, sicut ab eisdem additum est τὸ a ligno, quod non est in Hebræo, nec in Latino, psal. 95. 10. Ubi enim illi legunt, *regnabit Deus*, Septuag. addiderunt a ligno, scilicet a cruce: crux enim fuit quasi solium regni Christi. Forte in Hebræo fuit duplex lectio, una in textu, altera in margine, quales iam multæ sunt in Hebræo, quas Rabbini vocant *cheri uehetib*: nimirum ut in textu fuerit, *bekereb scianim chaichu*, id est, in medio annorum vivifica illud; in margine vero, *bekereb scenaim chaiot*, id est, in medio duorum animalium; et utrumque exprimere voluerint LXX. levi enim mutatione ex *scianim* fit *scenaim*, ex *chaichu* *chaiot*.

Porro quoad sensum litteralem de Chaldæorum excidio duo animalia quæ hoc peregerunt, et populum Dei Babylonie liberarunt, fuerunt Medi et Persæ, sive Darius et Cyrus. Alludit ad Isaie oraculum c. 21. 7. *Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem camelis*, puta Cyrum qui Persis quasi asinis, et Darium qui Medis quasi camelis dominabatur: hi enim everterunt Babylonem. Unde erat oraculum editum per Nabuchodonosor, ait Euseb. I. 9. de Prepar. Evang. cap. ultimo: *Veniet Persa mulus, qui vobis, o Babylonii, afferat servitutem*. Mulus est Cyrus, natus matre Meda quasi camela; et patre Persa, quasi asino. Ita Sanchez.

Quoad sensum vero allegoricum, et præcipuum de Christo, varii varie hanc versionem exponunt. Primo, Theoph. per duo animalia accepit duos Cherubim, qui erant super arcam in propitiatorio, Exodi 25. 17. q. d. Typus tuus, o Christe, erat propitiatorium erectum inter duos Cherubim: ibi per umbram typice fuisti agnitus, imo præcognitus; propitiatorium enim significabat te fore propitiatorem mundi. Secundo, alii per duo animalia accipiunt duo Seraphim, quos vidit Isaia cap. 6. Christo specie humana, quasi iucarnato, sedenti in throno acclamare, *Sanctus, sanctus, sanctus*, quasi illa *velantia caput et pedes Domini*, ait S. Hieron. *in presenti tantum sæculo volent, et alter ad alterum mysterium inclament Trinitatis, et mittatur unus de Seraphim (quod interpretatur ardens) et veniat in terram, et mundet Prophetæ labia, et dicat: Ignem veni mittere in terram, et quam volo ut ardeat?* Tertio τὸ in medio duorum animalium cognosceris, multi putant de Filio intelligi et de Spiritu sancto, eo quod Pater per Filium intelligatur et Spiritum, ait S. Hieron. Pari modo Filius, qui est medius inter Patrem et Spiritum sanctum, per Patrem a quo gignitur, et per Spiritum sanctum quem producit et spirat, intelligitur. Quarto, duo animalia sunt duo latrones, inter quos crucifixus, agnitus est Christus, ait idem S. Hieron. Quinto, duo animalia sunt duo populi, scilicet Babylonii et Iudei tempore Habacuc, in medio quorum agnitus est Deus, Babylonios evergens, ac Iudæos liberans. Rursum tempore Christi agnitus est in medio Iudæorum et Gentium. Hisce enim duobus populis se hinc inde eingentibus, intellectus est Salvator et creditus, ait S. Hieron. qui Sexto, addit: Sunt qui duo animalia duo intelligant testamenta, novum et vetus, quæ vere animan-

Christus in medio duorum animalium: quorum.

tia sint atque vitalia, quæ spirent, et in quorum medio Dominus cognoscatur. Septimo, Tertul. l. 4. cont. Marcion. cap. 22. per duo animalia accipit Mosem, et Eliam, inter quos transfiguratus, et ab Apostolis agnitus est Christus, tamquam Messias in monte Thabor. Octavo, et optime, in medio duorum animalium, id est, in præsepio inter bovem et asinum, agnosceris o Christe, cum in carnem et mundum venies, iuxta illud Isaïæ 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*: quod Patres, quos ibi citavi, intelligunt de Christo reclinato in præsepio inter bovem et asinum. Ita Ecclesia hunc locum accipit in officio Nativitatis Christi: *O magnum*, inquit, *mysterium et admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum iacentem in præsepio!* Et in officio Circumcisionis Domini. *Domine*, ait, *audivi auditum tuum et timui; consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium iacebat in præsepio, et fulgebat in cælo.* Et S. August. orat. contra Iudæos et Paganos c. 13. afferens quartam, sextam et septimam expositionem, quas iam recitavi, addit: *Dic et tu, Habacuc Propheta testimonium de Christo: Domine*, inquit, *audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua Deus, et expavi. Quæ opera Dei iste miratus expavit? Nunquid fabricam mundi iste miratus expavit? Absit. Sed vudi quid expavit: In medio, inquit, duorum animalium immotesces opera tua Deus. Verbum caro factum est: In medio duorum animalium agnosceris: qui quousque descendisti, expavescere me fecisti, quia Verbum, per quod facta sunt omnia, in præsepio iacuisti. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. In medio duorum animalium agnosceris.* Ita et Gregor. Nyssen. ac Nazianz. orat. in Christi nativitate, Cyrillus Hierosol. Catech. 12. S. Hieron. epist. 27. ad Eustoch. S. Paulinus epist. 10. ad Severum, Origenes hom. 13. in Lucam, S. Ambros. in Lucæ c. 2. v. 7. Quocirca S. Hieron. epist. 18. *Præsepe*, inquit, *in quo infans vagiit, silentio magis, quam infimo sermone honorandum est.* Porro bovem et asinum non adduxit Ioseph, ut voluit Lyran. S. Bonav. et alii utpote pauper, sed vel herus hospitii, vel quis alius peregrinus, vel pauper indigena: ita ex S. Chrysost. Sanch.

Cur Christus reclinatus in præsepio? Causa.

1.

2.

3.

Causa litteralis, cur Christus in præsepio, in medio bovis et asini, reclinari voluerit, fuit illa quam dat Evangelista Lucas c. 2. 7. *Quia non erat ei locus in diversorio*: omnes enim Iudæi tunc confluebant ad census ab Augusto Cæsare indictum, qui quia ditiores, iam occupaverant omnia diversorii loca, vel certe anteverterant Ioseph et Mariam, longe ex Nazareth adventantes, iamque totum hospitium præoccuparant. Secessit ergo B. Virgo Christum paritura, diversorio exclusa, in stabulum, seu speluncam stabularem adhaerentem diversorio, quod hospitandis iumentis serviebat cauponis diversorii, eiusque hospitum, exilem sibi locum a bestiis mutuata: quæ cum non haberet cunas, reclinavit Christum infantem in præsepio inter fœnum et paleas, ut ibi commodius paulo iaceret, et frigus minus sentiret, præsertim calefactus halitu bovis et asini, ipsa ad præsepe vigilans cum sanctis Angelis et Iosepho, divinum mysterium admirantibus et adorantibus: ita Franciscus Lucas et Toletus in Lucæ cap. 2. Voluit Christus a sui ortu demonstrare veritatem sui dicti Matth. 8. 20. *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Nimirum propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus, 2. Corinth. 8. 9. Rursum voluit Christus nasci quasi filius pastoris inter animalia, et poni in præsepio, ut significaret se esse verum pastorem ovium ab Ezechiele prædictum cap. 34. 23. Tertio, ut significaret regnum suum non consistere in fastu, palatiis, opibus et pompa, sed in mundi contemptu; nec ignominia Christo fore hanc paupertatem, sed gloria; imo hoc esse eius signum et notam propriam. Unde Angelus pastoribus hoc signum nati Messia dedit: *Invenietis, ait, infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Quocirca clamat stabulum, clamat præsepe, clamat bos et asinus, clamant lacrymæ, clamant panni Christi; et quid?

clamant humilitatem, clamant paupertatem Christi, clamant pœnitentiam, clamant austeritatem vitæ, clamant contemptum opum, deliciarum et commodorum mundi, uti pie et eleganter docet S. Bernard. de Nativit. Domini serm. 3. et 6.

Exstat typos paupertatis, et pauperis regni Christi, in quo pingitur Christus recens natus positus in præsepio, iacens in fœno inter bovem et asinum, astantibus et adorantibus S. Maria et Ioseph, cum lemmate aureas eius dicente gnomas: *Hic discite, inquit, o fidelis anima, plenissima resignatione et abdicatione rerum creaturarum, et purificatione affectuum liberam, imperturbabilem, quietum et nullam Deo tuo mentem præsentare, ut nihil habens vera in eo omnia possideas. Est enim vera paupertas EXPEDITA: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, Matth. 19. 21. NUDA: Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Psalm. 72. PATIENS: Patientia pauperum non peribit in finem, Psalm. 9. CONFIDENS: Tibi creatus est pauper, Psalm. 34. OPULENTA: Centuplum accipiet, et vitum æternam possidebit, Matt. 19. 29. SECURA: Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus autem sollicitus est mei. Psalm. 39.*

Hæc nimirum est concio, quam e præsepio, non verbo, sed facto proclamavit Christus, quamque tota vita, adeoque in ipsa morte et patibulo crucis proclamavit, scilicet: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? vanæ sunt omnes mundi opes, vanæ pompæ, vanæ deliciae, vani honores; vana contemnite, vera ambite: veræ opes, veræ deliciae, veri honores sunt in cælis apud Deum, qui eas mihi, Angelis et Sanctis communicat. Has vobis annuncio, has offero, has promitto. Ego sum sapientia Patris, sum puer sapiens, Verbum infans: scio reprobare malum, et eligere bonum. Mihi ergo credite, non Mundo mendaci et fallaci: quæ ego elegi, eligenda docui; quæ contempsi, contemnenda monstravi. Ego sum vita, doceo vos, veram vitam cælestem et divinam consistere in honorum cælestium et æternorum amore et desiderio: illam ergo capessite, ideoque fugite vitam animale et carnalem, quæ ducit ad mortem præsentem et æternam. Apparuit, inquit Apost. ad Titum 2. 11. gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobrie, iuste, et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei Salvatoris nostri Iesu Christi.* Quisquis ergo sapit, quisquis Christi doctrinam sequeris, quisquis Christianus es, amores omnes rerum terrenarum exue, cosque pone ante præsepe Christi inter bovem et asinum, ac totum cor, totum amorem, omnes spes et res tuas resolute et efficaciter offer Christo Domino, ut cum paupere pauper, cum humili humilis, cum sobrio sobrius, cum spiritali spiritalis, cum cælesti cælestis, cum sapiente sapiens, cum felici felix efficiare. Hac enim de causa natus, reclinatus est in præsepio, *ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapiamur.* Iacebat enim in præsepio, et fulgebat in cælo: lectus erat fœnum ei, cuius est terra et plenitudo eius: clauditur hisce cunis ille, qui cælum et terram implet; alget, et lacrymatur inter bovem et asinum, qui vita, ardor et iubilus est angelorum. Vere S. Bernard. serm. 4. in Vigilia Nativit. *Pretiosiores, ait, panni Salvatoris omni purpura, et gloriosius hoc præsepe auratis regum solis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi: quid enim humilitate ditius, quid pretiosius invenitur? qua nimirum regnum cælorum emittitur, et divina gratia acquiritur, sicut scriptum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Idem serm. 4. de Nativitate: *Salvator, inquit, cuius est aurum pariter et argentum, sacram in corpore suo dedit cat paupertatem.* Ergo, ut canit Poeta:

*Est stabulum cælum, sol Christus, lunaque Virgo,  
Bos asinusque suum stigma Bootis habent.*

Denique clamat inter bovem et asinum colloctus, reipsa clamat illud Psalms psal 72. 22. *Ut iumentum factus sum apud te, ut tibi serviam per omnia et totus, uti iu-*

Typus paupertatis.

Concio Christi e præsepio.

Christi paupertas ditissima.



mentum servit hero; iumentum ergo designat summam Christi humilitatem, obedientiam, resignationem, labores, patientiam, ac tandem sacrificium, mortem et martyrium; quod quasi bovem se offerat victimam Deo, iuxta illud Jerem. 11. 19. *Ego quasi agnus mansuetus*; ubi Vatabl. Pagn. et alii vertunt, *ego autem sicut agnus et bos*.

Causa tropologica fuit, quam dat S. Chrysost. hom. 1. in Lucam, dicens: *Quare in præsepio? ut completeretur vaticinium Isaie Prophetæ: Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. Scriptum est in alio loco: Homines et iumentum salvos facies Domine. Si homo es, panem comede; animal es, ad præsepe accede.* Et eandem fere rationem latius persequitur, alias simul insinuans Gregor. Nyssenus orat. de sancta Christi Nativitate, his verbis: *Porro præsepe, rationis atque sermonis expertium animalium domicilium est: in quo Verbum nascitur, ut bos cognosceret possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: bos subtilis legi, asinus oneribus portandis destinatum animal, quod peccato simulacrorum cultus oneratum atque gravatum est. At brutis quidem conveniens cibus et victus gramen ac fœnum est: Qui producit enim gramen et fœnum pecoribus, inquit Propheta: rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem idcirco in præsepio, quod est habitaculum brutorum, is qui de cælo descendit panis vitæ proponitur, ut etiam bruta, rationali invicem sumpto cibo, rationem adipiscantur. Medius igitur inter bovem et asinum in præsepio utriusque dominus est, ut soluto interstitio sepiis, ambos in sese creet in unum novum hominem, et ab hoc grave legis iugum auferat, et illud simulacrorum cultus onere levet.* Huc accedit Sophronius Archiep. Const. orat. 4. in Christi Natalitia: *Deus, ait, in præsepio palam proponitur, nobisque qui et fame tabescimus, et iumentorum more nulla pene ratione ducimur, seipsum ultro in cibum exhibet. Equis euchobrito illo alimento tanquam divinis dapibus, divinaque charitate prorsus indigno abiecto, in illius divinitate se non oblectet? vere dixerim: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tripudio, pastorumque more exulto, dum voces eiusmodi plane divinas audio; et ad præsepe, quod Deum excepit, nec non ad cælestem il-lam specum toto animi impetu raptus, mysterium quod in ipso latet, coram conspiciari, atque hymnum illum: Gloria in excelsis Deo, etc. in recens nati gloriam et honorem depromere ardentem desidero.*

Idipsum typice significavit Iob cap. 6. dicens: *Numquid rugiet onager (id est asinus sylvestris) cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* Onager enim, qui est asinus liber, significat Gentiles exleges ante Christum; bos vero iugo assuetus, significat Iudæos legi subditos: utriusque enim pabulum factus est Christus. Audi S. Gregor. verba Iobi explicata eodem more suo mystice lib. 7. Moral. cap. 4. *Herba onagri et fœnum bovis, est hæc ipsa Mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas et Iudæa satiatur.* Quia enim per Prophetam dicitur: *Omnis caro fœnum; universitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fœnum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fœnum remaneret.* Tunc ergo herbam onager invenit, cum Gentilis populus gratiam divinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Iudæicæ eius carnem exspectanti lex exhibuit, quem diu prophetalam exspectavit. Unde et natus Dominus in præsepiti ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia, quæ ieiuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis eius fœno satiarentur. Præsepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit, dicens: *Qui comedit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Rursum Christus in præsepio iacens qui, ut ait S. Fulgent. serm. 1. de Epiphania, *portatur ut parvulus, adoratur ut Deus; parvulus in præsepio, immensus in cælo; vilis in pannis, pretiosus in stellis, fecit se escam et pabulum iumentorum: quia homo per peccatum fecit se iumentum, iuxta illud psalm. 48. 21. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est*

**A** illis. Nominatim asinus, cum sit animal pigrum, vorax et lascivum, representat acidos, pulosos et lascivos, iuxta illud Ezech. 23. 20. *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum.* Bos sua indole refert duos, stupidos, obstinatos, sevos et superbos.

Symbolice, præsepium Christi inter duo animalia, representat ea que ex S. Hier. August. et aliis paulo anterecensui, nimirum Primo, oraculum inter duos Cherubim: hoc enim erat sedes Dei. Secundo, thronum Dei Isaie 6. inter duos Seraphim. Tertio, thronum filii Dei medium inter thronum Patris et thronum Spiritus sancti. Quarto, crucem Christi inter duos latrones. Quinto, Ecclesiam Christi collectam ex Iudæis et Gentibus. Sexto, Ecclesiam novi et veteris testamenti. Septimo tabernaculum gloriæ Christi inter Moysen et Eliam in Thabor.

Hæc de causa S. Hieron. Roma in Bethlehem migravit, ut ad præsepe Christi viveret, ad idemque vocavit S. Paulam, Eustochium, aliasque Romanas matronas et virgines nobilissimas. Quapropter præsepe Christi Romam translatum, in basilica S. Mariæ Maioris conditum magno honore veneramus; æque ac corpus S. Hieronymi, quod congrue iuxta illud reconditum est, ut, sicut iuxta illud ipse vixit, ita iuxta illud mortuus quiescat.

Secundo, aliqui in versione Septuag. pro ζωω accentu penacuto, id est animalium, a ζωω, id est animal, legunt, ζωω accentu circumflexo, id est vitarum, a ζωη id est vita, quod respondet Hebr. חַיִּיךָ *chajchu*: quod non tantum verbum est, significans *vivifica illud*; sed et nomen, significans *vitas eius*. Id secuti Euseb. lib. 6. Demonstr. Evang. c. 15 Theodor. et Theophyl. sic vertunt et legunt, *in medio duarum vitarum cognosceris*, scilicet iuiviarum ultor et vindex, ait Sanchez: quia in vita Nabuchodonosoris cognosceris vindex impiorum Iudæorum; in vita vero Cyri cognosceris ultor impiorum Chaldæorum. Alleg. vero in Christo cognosceris. Primo, in medio vitæ divinæ et humanæ: utramque enim in se complexus est Christus, utpote θεανθρωπος et ομοθεος, id est homo Deus. Ita Gregentius Archiepiscopus Tephrensensis disput. cum Herbario Iudæo tomo 4. Bilioth. SS. Patrum: *In medio duorum animalium, id est, iuquit, in medio duarum essentialium, scilicet divinæ et humanæ, subsistit Christus Deus et homo.* Secundo, in medio vitarum, id est annorum et vitæ. Hebr. enim חַיִּיךָ *chaim*, tantum usitatum est in numero duali: unde in eo et singularem, et dualem, et pluralem vitam significat. Christus enim passus redemit nos anno ætatis et vitæ 34. quæ media est ætas vitæ humanæ. Tertio, in medio vitæ temporalis et æternæ: ab illa enim ad hanc traducit nos Christus, qui nobis factus est via, veritas et vita. Quarto, in medio, id est inter duas vitas, scilicet cælestem, beatam, et infernalem miseramque in gehenna: utriusque enim arbiter, iudex, dominus et distributor est Christus. Unde Arabicus vertit, *Domine aspexi ad opera tua, territus autem vel conturbatus sum in annis vitæ, et in annis cognosceris*: ita Euseb. Theodor. Theophyl. et alii.

**D** **IN MEDIO ANNORUM NOTUM FACIES**, id quod sequitur, nimirum, quod, **CUM IRATUS FUERIS, MISERICORDIÆ RECORDABERIS.**) Misericordiam intelligit liberationem e Babylone, et allegorie redemptionem Christi. Huc usque oratio, id est postulatio, Habacuc: sequitur eiusdem canticum, quo orationem suam stabilit et firmat.

**DEUS AB AUSTR.**) Hebr. *Deus de Theman veniet.* Theman enim filius Eliphaz, filii Esau, Gen. 36. 15. nomen dedit regioni Idumææ, ex qua Eliphaz amicus Iob e. 4. 1. cognominatus fuit Themaites: quia, ut Chaldæus ibidem vertit, fuit princeps Themanorum. Inde Idumæa vocatur *Theman*, sicut ab Esau vocatur mons Scir, vel Edom. Esau enim quia pilosus, vocatus est Scir; quia rufus, Edom. Id patet Jerem. 49. 7. et 20. Iam quia Theman et Idumæa erat Iudææ ad Austrum, ut patet Iosue 11. 16. sicut Libanus ex adverso erat eidem ad Aquilonem; hinc *Theman* significat Austrum, puta Australem plagam. Sunt qui velint Austrum vocari Theman, id est dextrum, a rad. יָמִין *iamin*, id est dextera (ut tau iui-

Causa tropologica præsepis Christi.

Symbolice præsepium Christi.

Christus est medium duarum vitarum quadrupliciter.

Vers 5.

tiale in Theman, sit heemanticum et ascititium, uti est in *talmid*, id est discipulus et *talmud*, id est doctrina: hæc enim derivantur a rad. **למ** *lamad*, id est didicit) eo quod aspicientibus nobis Orientem, Auster dexteræ assistat. Hinc S. Hieron. Psal. 88. 42. ubi Septuag. verterunt, *Aquilonem et mare tu creasti*; quia in Hebræo pro mare est *iamin*, id est *dextera*, transtulit, *Aquilonem et dextrum tu creasti: dextrum*, id est *Austrum*: hic enim opponitur Aquilone. Dextera ergo mundi pars est Auster, sinistra Aquilo: hinc illa felicitatis et bonorum, hæc infelicitatis et malorum est symbolum. Quocirca Deus et Christus congrue hic ab Austro et dextro venire dicitur, quia venit ut salutem bonaque omnia afferat, quasi verus Beniamin, id est filius dexteræ fortis, felix, salutifer, ac nos omnes fortificans, fortunans et beans. Auster enim calidus vitam, salutem et omne bonum affert: Aquilo vero frigidus et rigidus, mortem et omne malum. Nam ab Aquilone panditur malum super omnes habitatores terræ, Jerem. 1. 14. Romæ tamen et in Italia Auster est turbidus, noxius, et pestifer; Aquilo vero salutifer. Unde Horat. lib. 2. epist. 2.

*Non agimur tumidis velis Aquilone secundo:*

*Non tamen adversis atatem ducimus Austris:*

hoc est, nec in summa sumus prosperitate, nec in summa calamitate.

Alludit Habacuc ad Deut. 33. 2. *Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis* (id est, ab Austro: tam enim Sina, quam Seir, sive Theman, erant Australes Iudææ) *apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia*. Loquitur Moses de lege data a Deo sibi in Sina, deque columna ignis et nubis, qua se Deus Hebræis ostendebat, iterque per desertum præibat in Chanaan. Idem beneficium celebrat Psaltes ps. 67. 8. et Debora Iudic. 5. 4. Porro per Austrum intelligit desertum Arabiæ, in quo siti erant montes Sina, Pharan et Seir, sive Idumææ: hæc enim loca omnia erant ad Austrum Iudææ. Sensus ergo est, q. d. Deus qui olim patribus nostris exentibus ex Ægypto, et peregrinantibus per deserta Arabiæ in nube se ostendit, dum sensim e montibus Seir et Pharan velut emergens, suamque maiestatem per columnam ignis et nubis, perque prodigia ostendens, nos deduxit in Sina: ubi eum fulguribus, tonitruis et terræ motu legem dedit, indeque per mille pericula salvos deduxit in Chanaan: idem se suamque præsentiam et opem ostendit nobis in Babylone. Nam ab Austro, puta a Perside et Media, quæ Australes sunt Chaldææ, adducet Cyrum et Darium, qui Babylonem vastent, indeque nos liberent, ut in patriam Deo duce et protectore, per tot hostes et pericula, salvi et incolumes redeamus. Idem Deus manifestissime se ostendit, nobisque facie ad faciem apparebit, eum fiet homo: ille inquam, qui in montibus Seir, Pharan et Sina olim patribus apparuit, nec postea visus est, sed ibi quasi delituit, ut in plenitudine temporis se clare in Christo revelaret. Unde:

Allegor. Sina, ubi data fuit lex vetus, typum gessit Sionis, in qua data est lex nova in Pentecoste; Seir, ubi erectus est æneus serpens, cuius aspectu sanabantur Hebræi morsi a serpentibus, Num. 21. 4. et 6. typus gessit crucis Christi, cuius fide a morsu omni peccati, concupiscentiæ et diaboli sanamur; Pharan, ubi a Mose designati 70. iudices, impleti sunt Spiritu sancto Numer. 14. 13. typum gessit missionis Spiritus sancti in Apostolos. Vide dicta Deut. 33. 2.

Hinc rursus S. Hieron. Theodor. et Theoph. hunc locum de incarnatione Christi exponunt, hoc modo: *Dominus ab Austro venit*, id est a Bethlehem, quæ ad Austrum est respectu Hierosolymæ; quia in Bethlehem nascetur. Rursus *ab Austro*, id est, ex calore charitatis, nimirum effundens viscera misericordiæ suæ, quibus visitavit nos oriens ex alto. Auster enim ventus est calidus, vitalis et fœcundus, qui plantas vegetat fertilesque efficit. Auster ergo, id est charitas, fecit eum incarnari, *de Pharan*, id est de ore aspicientis: prodiit enim ipse ex ore Altissimi aspicientis et miserantis ærumnas et funera hominum.

Unde Septuag. vertunt, *Deus de Theman, veniet, et sanctus de monte umbroso et condense*. Ubi per montem umbrosus et condensum Theophyl. et Euthym. accipiunt B. Virginem Deiparam, quæ quasi mons virtutum cæteris Sanctis excelsior, obumbratione Spiritus sancti concepit et peperit Christum, iuxta illud Gabrielis promissum: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*. Alii, ut Theodor., accipiunt Hierosolymam et Synagogam, quæ erat sub umbra, id est protectione, Dei, quæque erat umbra et typus claritatis et gloriæ Dei, quam ipse in Christo aperta quasi nube revelavit et expandit.

Symbolice S. August. l. 18. de Civit. c. 32. per montem umbrosus accipit, *Scripturarum altitudinem, quibus, inquit, ipse, prophetatus est Christus. Multa quippe ibi umbrosa atque condensa sunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit; eum ibi eum, qui intelligit, invenit*. Et S. Gregor. lib. 33. Moral. c. 1. *Deus, inquit, a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condense*. *Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spondit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus et condensus dicitur, quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur*.

S. Hieron. vero per montem umbrosus, accipit Deum Patrem, qui lucem habitat inaccessibilem, ac maiestate sua quasi umbra omnia protegit: ex Patre enim processit, et venit ad nos Filius. Vel cælum, quod terram obumbrat et tegit, quodque est quasi paradisi arboribus pulcherrimis, id est virtutibus, angelis et Sanctis, umbrosus et densus. Ex cælo enim descendit ad nos Filius, quasi e monte beatitudinis et gloriæ ad vallem ærumnarum.

Denique Septuag. vertunt, *Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte umbroso*: quibus verbis abutebantur Donatistæ, quasi Propheta hic eorum sectam et Ecclesiam denotasset: hæc enim cœpit in Africa, quam ipsi censebant eandem esse eum Africo. Ridet hoc S. Aug. lib. de Pastoribus c. 43. et 16. ubi per Africum accipit Ierusalem, quæ sita est ad Africum; et per montem umbrosus accipit montem Oliveti: inde enim Christus misit Apostolos ad prædicandum Evangelium per totum orbem: ita ipse mystice.

Anagog. Pharan, id est, *os videntis*, symbolum est cæli, ubi Deus Beatis se videndum et fruendum exhibet. Rursum Pharan deduci potest a פָּאָרָא *peer*, id est decus, gloria, magnificentia, quæ est in cælo: ubi pariter est locus umbrosus et condensus, puta amœnissimus: ubi quoque Deus sua secreta et occulta iudicia, quæ nobis hic umbrosa et obscura sunt, suis revelabit, ait Rupert.

Nota. In Hebræo additur *selah*, quæ vox tantum in hoc cantico, et in Psalmis reperitur. Unde videtur esse nota cantus et melodiæ, ad vocem vel elevandam, vel producendam, ut scilicet cantores illi versiculo cui additur *selah*, ob rei gravitatem diutius vel contentius canendo insisterent, vel interquiescerent quasi meditabundi: radix enim *sala* significat calcare, urgere, insistere; *salal* vero attollere, elevare. *Selah* ergo idem est quod contentio et elevatio, scilicet vocis ad excitandos audientes, ut rei quæ canitur, quasi miræ, gravi et sublimi, aut festinæ attendant, illam admirentur, meditentur, illi applaudant, vel ut ovantes, vel ut stupentes, vel ut gratulantes: *selah* enim est nota nunc optantis, nunc affirmantis, applaudentis et confirmantis. Hinc Aquila pro *selah* vertit, *semper*: Quinta editio, *iugiter*, vel *in finem*; Chald. *in sæculum*, scilicet est, aut fiat id quod canitur. Hinc et Hebræi in suis epitaphiis defunctis apprecantur dicendo: *Sit anima eius in paradiso. Amen, amen: selah*, id est semper, in omnem æternitatem. Septuag. vero, Symmachus et Theodor. *selah* vertunt *διεπαύσα*, q. d. Cantilenæ interruptionem, vel potius immutationem, ait S. Hieron. loco citato. Quare errant qui *selah*, id est *semper*, referunt ad sequentia hoc modo: *Semper scindes fluvios terræ*. Nam ut ait S. Hieron. epist. 138. ad Marcellam, *ut solemus nos completis opuseulis, ad distinctionem rei alterius sequen-*

tis, medium interponere, *Explicit, aut Feliciter, aut aliquid eiusmodi; ita et Hebraei, ut quæ scripta sunt roborantur, facere solent, ut dicant, Amen, aut, in sempiternum; aut scribenda commemorant, ut ponant Selah, aut transacta felicitate protestantur, pacem in ultimo subnotantes.* Et paulo ante: *Ex quo animaladvertimus hoc verbum Selah, superiora pariter inferioraque connectere, aut certe docere sempiterna esse quæ dicta sunt.*

Sensus ergo est q. d. *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan; Selah, q. d. Attendite, expendite, stupete, celebrate iugiter hanc Dei excelsi in nos dignationem et beneficentiam, qua eius maiestas nobis se ostendere dignata est, imo nostra se carne vestire, ut nobis fieret frater, redemptor et salvator.* Aliqui apud S. Hier. sic exponunt *Selah, q. d. Ipse qui natus est in Bethlehem, et qui in Sina, id est in monte Pharan, legem dedit, semper in universis beneficiis, præteritis, præsentibus et futuris, auctor est et largitor.* Valde probabile est quod S. Chrysost. Nyssen. et alii mox citandi censent, *selah* insinuare insignem aliquem affectum, quo psallens, v. g. David, pro movente spiritu alliceretur: qui quia in potestate nostra non est, non in omni psalmo, neque in omni versu a nobis haberi potest: sed prout Spiritus sanctus movet cor, et affectus basee ei suggerit: et hanc esse eausam cur in psalmis, tam confuse ac citra ullam quam assequamur rationem, *selah* positum inveniat; alibi vero, ubi illustriores videntur sententiæ, omittatur. Porro *selah* ter hoc cantico repetitur, in Psalmis vero septuagies semel, pro quo Sept. ubique vertunt *διαψαλμα*, quod Suidas interpretatur vicissitudinem canendi, alii commutationem metri, alii pausationem spiritus, alii alterius sententiæ exordium, alii rhythmî distinctionem, alii vero cuiusdam musicæ varietatis silentium esse dixerunt. Unde liquet *selah* ad verbum non significare *semper*, uti recte probat Burgensis, sed esse dumtaxat notam carminis et musicæ, ideoque *selah* non transtulit Noster interpretes. Septuag. vero transtulerunt *διαψαλμα*. Sed quæ et qualis hæc nota fuerit, nemo veterum expressit: unde nihil hic certi afferre possumus. Quocirca Patres et Interpretes in varias hie abeunt sententiæ et coniecturas. Nam Primo, Marinus in Lexico, censet *selah* signum fuisse altioris vocis in cantu, quo cum pervenerant, pulsabant tantum organa, et ob id fere semper, inquit, ponitur in psalmis illis, qui nomine *מיזמור mizmor*, id est cantiones et voce et organo canendæ, prænotantur. Insuper *selah* supplet metri defectum, et carmen explet, sicut Græci in carmine deficiente aliqua syllaba, vel pede, cum supplet addendo *ρα δε, μεν, γς*, aliasque particulas encliticas; ita ipse.

Secundo, Eugubini. in Ps. 3. ait *selah*, esse idem quod certe, profecto, semper, ut vertit S. Hieron. eum vocis exaggeratione; quale est Amen, id est fiat: qui et addit, se suspicari Septuag. retinuisse Hebr. *selah*, sed scriptores pro imperitiam pro eo posuisse diapsalma. Sed hoc non videtur probabile.

Tertio, Nyssenus in Psal. tract. 2. c. 10. ait, *διαψαλμα* esse cessationem et quietem repente inter psallendum factam, ad receptionem divinitus missæ illustrationis. S. Hieron. Epist. 136. videtur negare *selah* esse notam silentii: Quia, inquit, ponitur aliquando in fine psalmorum. Sed ad hoc responderi et dici posset, fini unius psalmi successisse initium alterius: *selah* autem poni in fine psalmi, ut ibi mens interquiescat, et rei quæ canitur immoretur.

Quarto, alii censent *selah* denotare, ab altero choro eundem versiculum esse canendum. Unde noster Lorinus in psal. 3. 3. putat *selah* geminationem cantus innere, a rad. *ללס salal*, id est acervare, aggerere.

Quinto, S. Chrysost. Præfat. in Psalmos: Mutatione facta, inquit, musici carminis, aut rhythmî, vel sententiæ variatione, diapsalma scripserunt interpretes, ut vir sapientissimus Hippolytus ait.

Sexto, Euseb. in Psal. 4. censet *διαψαλμα* esse signum cessationis, ut scilicet Spiritu sancto insiliente in alterum Prophetam, prior cessaret et taceret, daretque alteri locum iuxta præceptum Apostoli 1. Corinth. 14.

**A** Septimo, Agellius Præfatione in Psalmos in fine, censet hæc voce significari mutationem chori totius, cum cantorum Prefectus in medio Psalmi partem reliquam alteri choro canendam tradidisset. Itaque illam in psallendo successionem cantorum, *διαψαλμα* fuisse appellatam: nam ipsa vox *δια* interruptionem et vicissitudinem psallentium significat, et simul ubi hæc vicissitudo est, altera in psalmo ipso quoque sententia succedit; sicuti fit dum finita una periodo sequitur altera, et verisimile est novæ sententiæ novum quoque concentum accommodari solitum: ut hæc tria simul omnia in diapsalmate inveniri necesse sit, cantorum scilicet, concentus, et sententiæ mutationem. Omnes hæc sententiæ in eo conveniunt, quod *διαψαλμα* iuxta sui etymon, denotat mutationem aliquam carminis et cantus. Eandem ergo denotat *selah*: pro eo enim Septuag. et alii verterunt, *διαψαλμα*. Porro si ex etymo *selah* coniecere licet, mutatio hæc fiebat vel elevando, vel contendendo, vel continuando vocem. Radix enim *sala* significat aggerare, calcare, insistere: et hoc ipsum significare voluerunt alii Interpretes dum vertunt *semper*, uti initio dixi. Quocirca Genebrard. in ps. 3. et alii multi asserunt, *selah* signum esse non tantum concentus musicæ, sed et exclamationis et attentionis, ut mens et cogitatio excitetur ad id quod canitur perpendendum et ponderandum.

**OPERUIT CÆLOS GLORIA EIUS.**) Septuag. *δυναμις*, id est virtus, sive potentia eius, q. d. Ille gloriosus ab Austro veniens, olim gloriam suam tum in caelo, tum in terra ostendit, ut merito eam admirantes laudibus celebrarint cælitæ et terrigenæ, præsertim Iudæi in Sina et deserto, cum viderunt fulgura, tonitrua, ignem, fumum in Sina, quibus gloria Dei cælum, id est aerem, complere et operire videbatur. Rursum, eum e caelo eis dedit manna continuum, et eoturnices, Exod. 16. item columnam ignis et nobis, aliaque portenta plurima; ita Chald. Arias, Clarius et Iansen. Simili modo maiestas eius suam gloriam, id est gloriosam potentiam, vindictam et misericordiam, ostendit, cum Babylonem, eiusque monarchiam per Cyrum exscindet, nosque ex eius captivitate liberabit, ait Albert. et Lyran.

Allegor. id factum est in Christi tum nativitate, ait S. Hieron. gloriosa enim Dei sapientia, potentia et bonitas cælum et terram complexit, eum Verbum caro factum, hominem Deo, et cælum terræ univit. Unde merito in ea cecinerunt angeli: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tum in eius gloriosa doctrina, vita et miraculis, ac præsertim in gloriosa eius resurrectione et ascensione ad cælum: ita Theodor. et Theophyl. Simili modo Psaltes ps. 56. 12. Dei immensam gloriam celebrat dicens: *Exaltare super caelos Deus, et super omnem terram gloria tua.* Et Isaias c. 6. 3. vidit Seraphinos Deo acclamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius.* Et Ezechiel c. 1. vidit currum Cherubicum maiestatis et gloriæ Dei, quatuor rotis per totum orbem celerrime quaquaversum agitari.

**D** **SPLENDOR EIUS UT LUX ERIT.**) q. d. Claritas et splendor Dei in Sina fuit quasi lux solis terram illustrans: apparuit enim in igne maximo. Unde Deut. 32. 2. de eo dicitur: *In dextera eius ignea lex.* Vide ibi dicta: ita Chald. et alii iam citati. Allegor. nascente Christo angelus pastoribus eum annuntiavit, et claritas Dei circumfulsit illos, Luc. 2. 9. Similiter omnibus virtutibus splenduit vita, passio, mors et resurrectio Christi, quibus totum orbem illuminavit. Unde S. August. 1. 18. Civit. 32. sic ait: *Splendor eius ut lux erit, quid est, nisi fama eius credentes illuminabit?* Chald. Vertit, *porro splendor eius ut splendor primigenius apparuit.*

**CORNUA IN MANIBUS EIUS.**) Hebr. *cornua e manu eius ipsi*, q. d. In manu habet cornua, quæ ipsi sunt robor, ut ea in hostes exserens, illos iis configat. Quæres, quamnam hæc cornua Dei? Primo, Vatabl. Mariana et Iansen. accipiunt cornua, id est radios lucis, quos Deus dans legem Mosi, ei afflavit et quasi afflavit in Sina, ut suam poten-

Qualis nota carminis?

Vers. 4.

Cornua Dei quadruplicia. 1.

tiam et terribilem vindictam Hebræis ostentaret, ne legem ab eo datam violare auderent; ut Moses hic vocetur manus, id est instrumentum et mediator Dei legislatoris, vibrans radios lucis, qui cornua vocantur ob radiorum pyramidalem et tortuosam figuram, qualem habent cornua. Et hinc Poetas Vulcanum ignis et lucis præsidem, elaudum finxisse, ait Guevara. Unde Syrus vertit, *splendor eius ut lux erit, et in cornibus manuum eius*, scilicet est ille splendor et lux.

II. Secundo, alii melius accipiunt radios lucis, quos ex se suisque tabulis legis, quas dabit Mosi et Hebræis, vibrabat Deus. Unde Vatabl. et Pagnin. vertunt, *splendores de manu eius fuerunt ei*, et Chald. *scintillæ a quadriga gloriæ eius prodierunt*. Tabulæ enim legis ignitæ radios longe ei aculabantur. Unde Deuter. 32. 2. vocatur *ignea lex*. Cornua ergo in manibus eius, idem est cum eo quod præcessit: *Splendor eius ut lux erit*. In hoc enim lucis et splendoris apparatu, quasi in quodam tentorio et umbraculo, Dei maiestas, vis et fortitudo latuit, et sese velavit ac abscondit, ut eam videre Iudæi non possent, sed admirari et adorare. Ignæ enim tabulæ in manibus Dei, radios pyramidales instar cornuum vibrantes, significabant cornua et arma Dei esse ignem, hoc est esse ignea, efficacissima et penetrantissima, quæ in legis violatores vibraturus esset. Huic expositioni favet versio Syriaca, quam paulo ante recitavi.

III. Tertio, Guevara per cornua Dei accipit diabolum et mortem. Unde Propheta hæc cornua explicans, inquit. subiicit: *Ante faciem eius ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes eius*, q. d. Deus per diabolum et mortem, quasi per duo cornua, in Chanaanæos, pro Iudæis pugnavit, eosque occidit, prostravit et expulit. Diabolus enim et mors sunt vasa, id est instrumenta, fortissima interfectionis Deo, ut ait Ezechiel c. 9. 1. et quasi narthecia fortitudinis eius.

IV. Quarto, planissime per cornua accipias robur, vires et arma Dei: horum enim symbola sunt cornua. Alludit enim ad Deut. 33. 17. *Quasi primogeniti tauri putchritudo eius: cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes*. Et Psal. 43. 6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu*. Hinc tollere cornua, est animo efferri, ut Ps. 74. 5. *Dixi iniquis: Nolite inique agere; et delinquentibus: Nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum. nolite loqui adversus Deum iniquitatem*. Simile est illud Poetæ:

*Namque in malos acerrimus, parata tollo cornua.*

Sensus est, q. d. Deus post datam legem in Sina, ut eam suumque populum tueretur, instar tauri fortis et ferocis assumpsit et exseruit robur suum, vires et arma, quasi fortissima cornua, quibus angelus Hebræorum dux per desertum iastrectus, ab eis mortem et dæmonem repulit, eaque in Chanaanæos immisit, eosque disperdidit, ac pro eis in eorum terra collocavit et substituit Hebræos. Simili modo Deus Chaldæos per Cyrum et Darium, quasi per duo sua cornua, perque eorum arens, cornuum speciem habentes, configet et disperdet, pro Iudæis suis liberandis, Albert. Hugo et Lyran.

Mystice, cornua Christi est crux, seu fortitudo crucis, qua superavit dæmones omnesque hostes, ita ut ante curru suum triumphalem victos in triumphum ducat mortem et diabolum. Hinc Christus factus est nobis cornu salutis, ut canit Zacharias Lucæ 1. 69. ita S. Hieroa. Theophyl. Rupert. Haymo, Ribera, Emmanuel hic, et S. August. loco iam citato, Euseb. l. 6. Demonstrat. Evangel. c. 15. S. Cyprian. l. 2. contra Iudæos, c. 21. Cornua ergo crucis fuerunt cornua et arma Christi, quibus confregit suos nostrosque inimicos. Iam licet proprie manus Christi fuerint in cruce eiusque cornibus, tamen vicissim crux eiusque cornua fuerunt in manibus Christi: tum quia clavi crucis fuerunt in manibus Christi: tum quia crucis distensio et cruciatus fuit in manibus Christi: tum quia cornua, id est robur Christi, fuit in manibus eius crucifixis, hisce enim solvit lytrum pro peccatis nostris, nobisque meruit gratiam et salutem: tum denique per hypallagen Hebræis

Allegor.  
cornua  
Christi  
sunt cor-  
nua cru-  
cis.

A usitatam, cornua crucis fuerunt in manibus, quia manus fuere in cornibus crucis. Sic calceamenta dicuntur esse in pedibus, id est pedes in calceamentis, Exod. 12. 11. Sic Poeta ait: *Perflavit fistula buccas*, pro *perflavit bucca fistulam*. Unde Arabicus vertit, *in civitate manuum suarum posuit fortitudinem suam in templo*.

Tropol. hæc cornua fuerunt patientia, humilitas, cæteræque virtutes Christi, sed præsertim incensa, invicta et fortissima eius charitas, amorque in Deum et homines, quæ eum ad crucem et mortem adegit. Hisce amoris suis telis vulneravit corda primorum Christianorum, præsertim Martyrum, ut S. Stephani, S. Pauli, S. Ioannis, S. Igaatii, S. Laurentii, etc. eaque ad se redamandum, ac vitam pro vita reddendam coegit et accendit, ut desiderio insatiabili martyrii et patienda plurima pro Christo arderent. Unde Sept. vertunt, *cornua in manibus eius, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ*. Nimirum idcirco, ait S. Hier. *Deus pater operuit celos gloria, et terram replevit laude, et cornua, id est regnum, posuit in manu filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligere, non leviter, sed in virtute*, id est vehementer et fortiter. Fortis enim sicut mors fuit eius in nos dilectio, dura sicut infernus æmulatio, quæ proinde fortes et validas amoris sui sagittas, utpote igneas, in nos iacit, quibus mentes nostras sauciæ et penetrat, ut quasi cervi iaculo amoris eius confixi, per cruce, per tela, per hostes et ignes post eum eurramus, dicentes cum S. Paulo: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* etc. Hæc fuerunt cornua S. Stephani, quibus Paulum aliosque confixit et Christo subiugavit. Audi S. Fulgentium serm. de S. Stephano: *Stephanus ut nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per charitatem, Dei sævientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur: charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem, et quem habebat in terræ persecutorem, in celo meruit habere consortem*.

Tropol.  
charitas  
et humi-  
litas sunt  
cornua  
Christi.

IBI ABSCONDA EST FORTITUDO EIUS.) Pagnin. *ibi fuit absconditio fortitudinis eius*; Tigurina, *illic latibulum fortitudinis eius*; Vatabl. *ibi fuit revelata et detecta fortitudo eius, quæ prius erat abscondita*. Ibi, scilicet tum in splendore, tum in cornibus et manibus; id est potentibus suis operibus per Mosen et Iosæ editis, Deus lateas abscondebat se suamque maiestatem et fortitudinem: parique modo eam abscondet in expugnatione Babylonis, et liberatione Iudæorum per Cyrum. In Cyro enim erat fortitudo Dei abscondita, ait Albertus. Allegor. in infirmitate humanitatis passionis et crucis Christi abscondita fuit eius maiestas, divinitas et fortitudo immensa. Unde eam exserens in passione, totam terram ingenti terræ motu concussit, saxa et rupes dissecuit, Solem et Lunam obscuravit. Septuag. ut dixi, vertunt, *posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ*; id est, *per fortitudinem suam, puta Pater per filium suum*, inquit Cyrill. in Catena. Aut, ut alii, q. d. Dum Christus natus, et passus est pro nobis, ostendit nobis robustum suum amorem. Passus enim est non ex infirmitate, sed ex valida fortique dilectione; ita ut fortitudo eius et robur fuerit dilectio, ac vicissim dilectio illi fuerit robur et fortitudo ad omnes labores, dolores et cruce fortiter superandas: ita Theod. et Theophyl. Aut, ut alii, q. d. Posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ, hoc est, iuxta mensuram immensi amoris, ad mensus est Deus Pater Filio potentia suæ vim, quam tum ad eius agones, labores et dolores immensos generose sustinendos, tum ad eius exaltationem et gloriam immensam, in resurrectione et ascensione in cælum ostendendam adhiberet et exereret. Ubi enim amor est machina, quanta sperari potest elevatio ponderum, etiam maximorum? Omnis enim ponderis pondus et libramentum est amor. Vere S. August. *Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror. Nam velut amores corporum, ait i-*

Pondus  
cordis  
est amor.

dem libr. 11. de Civit. cap. 28. *momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nituntur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur quocumque fertur.* Et S. Gregor. *Machina mentis est vis amoris, quæ dum hæc a mundo extrahit, in alta sustollit.* Et S. Bernard. *Labor meus vix est unius horæ, et, si maiores moræ, non sentio præ amore.* Ita Christus amoris pondere superavit omne passionis et crucis pondus, adeo constanter, ut illud præ levitate non videretur sentire. Rursum, pondus amoris quo in eum ferebatur et deprimebatur Pater, tantum erat, ut æternum et divinum gloriæ pondus, quod illi resurgenti et ascendenti dedit, præ eius amore, et præ Filii meritis, leve et exiguum ei videretur.

Vers. 5.

**ANTE FACIEM EIUS IBIT MORS.**) Hebr. דָּבַר *deber*, id est pestis, et inde consequens mors. Ita Aquila, Symmachus, Quinta editio, Noster, Pagnin, Tigurina, Clarius, Arias et Vatabl. Verum Septuag. et Theodot. aliis punctis legentes דָּבַר *dabar*, id est verbum, vertunt, *ante faciem eius ibit verbum*, quo scilicet iubebit hostes occidi. Loquitur de peste et strage quam Deus immisit Chanaanæis, qua eos attrivit, ut venientes Hebræi in Chanaan, eam facile occuparent, iuxta id quod promiserat per Mo- sen, Exod. 23. 27. *Terrorum meum mittam in præcursorum tuum, et occidet omnem populum ad quem ingredieris*, etc. *mittens erabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chanaanæum, et Hethæum, antequam introcas*: idque reipsa Deum præstitisse, patet Iosue 24. 12. Similes plagas præmississe Deum in Chaldaeos, ut a Cyro facile vincerentur, docet Lyran.

Alleg. Christus sua cruce et morte debellavit mortem et diabolum, eosque quasi ante se in triumphum duxit, uti docet Apostolus Colos. 2. 15. præsertim, cum per Apostolos diabolum ex templis et idolis, æque ac ex mentibus hominum expulit.

**EGREDIETUR DIABOLUS ANTE PEDES EIUS.**) Pro diabolus hebraice est רֶשֶׁף *reseph*, quod significat omne id quod instar avis volando adurit, et adurendo volat, ut fulgetra, scitotillas, sagittas ignitas: inde significat diabolum, de quo ait Christus Luc. 10. 18. *Vilebam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Hic enim quasi fulgur in terra omnia afflat, omnia vastat, omnemque quam potest noxam hominibus affert. Quocirca Homerus et Gentiles ex hoc Luciferi casu fixerunt deam Alem, id est, noxam, quæ a Iove cælo deturbata in terra vires suas exserat, omnibusque noceat: illam enim homines universis malis implicare, mentes seducere ac perturbare dixerunt: ita Villalpando Ezech. 28. 23. Vide quæ de *reseph*, dixi Deut. 32. 24. Significat ergo Habacuc, quod Deus per diabolum et angelos malos, ut ait Psaltes ps. 77. 49. fulgetra, pestes, sagittas igneas, etc. in Chanaanæos immiserit ante ingressum Hebræorum in Chanaan, quibus eos contrivit et disperdidit. Unde Tigurina vertit, *faciem eius antecedit lues, et egressus est deflagratio ad pedes eius*; Chald. vero, *ab eius conspectu emissus est angelus mortis, et prodiit in flamma ignis verbum eius*; alius, qui citatur in editione Rom. Septuag. *ante faciem eius præcedet ruina, et ad pedes eius sequentur maxima volatilia*; Syrus et Arabicus Antioch. *exibit volucris (avis) ad pedem eius, vel ad ovile eius, vel ad transmigrationem eius*; Arabicus Alexandr. *verbum incedet eorum eo: egressus est autem in agros: sequentur vero illum volueres.*

Allegor. S. Hieron. hoc refert ad diabolum tentantem Christum in deserto, qui ab eo victus torpiter aufugit. Plenius id referas ad totam vitam et mortem Christi ac Apostolorum: hæc enim sensim prostratus et eiectus e mundi regno est diabolus.

Vers. 6.

**STETIT.**) Non diabolus, sed Deus victor mortis et diaboli, q. d. Deus post longam eum Hebræis peregrinationem per desertum, multaque bella et discrimina, victor ingressus in Chanaan, ibi in tabernaculo et arca fœderis constitit in Galgalis, Iosue 4. 19. ac terram promissam per Iosue cap. 15. dimensus, æqua sorte distribuit inter duodecim tribus Israel, eum prius solo quasi aspectu et minaci vultu dissolvisset et perdidisset gentes Chanaanæorum,

Vol. VII.

eorumque reges et principes, qui giganteo robore, magnitudine et multitudine militum, quasi montes quidam firmi, æterni et inexpugnabiles esse videbantur, ac per multa sæcula regiones illas invicti possederant: sed æternitas Dei, puta Deus æternus sedens in propitiatorio et arca inter Cherubim, certis, securis et victricibus itineribus deducens populum Israel, per hostes hosce suos victor incedens, eos incurvavit, contrivit atque comminuit. Simili modo Deus per Cyrum expugnata Babylone, in ea quasi victor constitit, indeque subiectas Babyloni regiones dimensus, inter principes Cyri distribuit, profligatis omnibus qui Chaldæorum partes propugnabant: ita Albertus, Lyran. et Hugo. Unde Syrus vertit, *ipsius sunt incessiones (itineraria) quæ a sæculo; gressus, et gressuum vestigia*; Arabicus Antioch. *infirmi sunt colles qui sunt a sæculo: illi perseverantia quæ est a sæculo*; Arabicus Alexandr. *contritæ sunt valles in fortitudine eius, et laxati sunt colles in perpetuum: egressiones eius a sæculis æternis.*

Alleg. Christus æternus omnes gentes Apostolis dimittens et distribuens, uti S. Ioaanni Asiam, S. Matthæo Æthiopiæ, S. Andrææ Achaiam, S. Thomæ Indiam, etc. eas omnes sibi suæque fidei subiecit, idque dum cognoscerent et admirarentur itinera æternitatis eius immensa, quæ ipse hominum causa confecit, ut e cælo et æternitate ad terram tempusque nostrum, factus homo descenderet: nam *egressus eius a diebus æternitatis*, ait Michæas c. 5. 2. Audi S. August. lib. 18. de Civit. c. 32. explicantem versionem Septuag. *Stetit et terra commota est: quid est, nisi quod stetit ad subveniendum, et terra commota est ad erigendum? Respexit et tabuerunt gentes, hoc est, misertus est et fecit populos pœnitentes. Contriti sunt montes violentia, hoc est, vim facientibus miraculis elatorum contrita est superbia. Defluerunt colles æternales, hoc est, humiliati sunt ad tempus, ut erigerentur in æternum. Ingressus æternos eius pro laboribus vidi, hoc est, non sine mercede æternitatis laborem charitatis aspexi.*

Quæres, quænam ad litteram sint itinera æternitatis? Primo Vatablus, per hæc itinera intelligit motus orbium cælestium: hi enim sunt constantes et quasi æterni, q. d. Deus non solum gubernat colles sæculi, id est, homines potentes, et mundum hunc inferiorem, sed et itinera æternitatis, id est, mundum superiorem, orbisque et motus cælestes. Multi enim Gentiles putarunt regna et res humanas a stellis regi, hocque esse fatum. Ex quo, ait Arias, regum et principum fastidiosa insolentia ortum habuit, ut se cæterorum dominos natura et fato esse crederent, et tamquam montes quosdam et colles, cæteris mortalibus se principes cælesti quodam iure constitutos, quo dementia morbo utinam Christiani principes non teneantur! Nuper quidam primarius rogatus, cur tali calculum ad principatum dedisset, respondit: *Sic erat in fatis.* Cui arguit alter: *Imo sic erat in fatuis.* Error hic est certus: nam cæli et stellarum nulla est vis ad regna et imperia, sed ea consignantur ex solo Dei consilio et voluntate, qui pro arbitrio hunc humiliat, illum exaltat, et regna ab uno ad alium transfert. *Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem, ut canit Anna 1. Reg. 2.*

Secundo, Hebr. עֲלָם *olam* significat sæculum et mundum. Unde sic plane et clare veritas, *incurvati sunt a Deo colles olam*, id est, mundi et sæculi. quia itinera, id est, successiones et vicissitudines *olam*, id est mundi et sæculi, eius sunt. Quocirca Chald. vertit, *potestas sæculi illius est*, q. d. Deus incurvat colles, id est, principes solio suo deiecit, aliosque substituit, quia ipse præest mundo et sæculo, eiusque itinera, id est, ordinem, gyrationem, motus et vicissitudines moderatur, regit et distribuit ad libitum.

Tertio, *olam* Septuag. et Noster vertunt, *æternitatem*; radix enim עָלַם *alam*, significat abscondere: inde *olam* vocatur æternitas, cuius duratio et finis est absconditus et impenetrabilis: quia æternitas est duratio immensa quæ nullum habet terminum, q. d. Colles *olam* id est æternitatis, puta principes Chanaanæi, qui iactabant se ab omni ævo et sæculo Chanaanæam possedisse, ac in omnino

57

ævum possessuros, incurvati, loco et regno moti, depressi et contriti sunt a Deo, qui illis longe est antiquior, ac prior Chananæam possedit: quia ipsi soli substant itinera æternitatis, id est omnium temporum et sæculorum vicissitudines, volubilitates et series, quæ sub ipsius æternitate per partes, quasi per varias vias et itinera decurrunt, trans-eunt et perambulant (unde Hebr. הַלִּיכוֹת *halichot*, quod Noster vertit, *itinerata*, proprie vertas, *perambulationes* vel *transitus*) ipse enim est rex sæculorum, præses temporum, dominus, et, ut Syri loquuntur, *gigas æternitatis*. Unde Paguinus vertit, *incurvaverunt se colles longi temporis ab itineribus sæculi eius*. Æternitas enim Dei est fons, origo et causa omnium temporum et sæculorum: hæc enim ab illa emanant et oriuntur, sicut radius a sole, sicut aqua ex fonte, sicut scintilla ex igne. Quare sicut varii radii vicissim et successive emanant a sole, variæ aquæ ex fonte, variæ scintillæ ex igne; sed idem semper manet constatque sol, idem fons, idem ignis, qui hos radios, has aquas, has scintillas iugiter eiacularur: ita varii dies, anni, ætates, tempora, omnesque sæculorum ordines et vicissitudines ab æternitate Dei emanant; sed ipsa sibi semper eadem, fixa et immota constat æternitas. Ipsa enim est, id quod in rota axis, quod in circulo centrum. Sicut enim circa axem volvitur rota, et circa centrum circulus, puta sicut circa centrum terræ gyran et volvuntur omnes orbis cælestes et elementares: ita circa æternitatem quasi axem et centrum, rotant et volvuntur omnia tempora, et quæcumque per tempora singula oriuntur, occidunt, veniunt, abeunt, attolluntur, sublata incurvantur et deprimuntur. Hinc Cæsar Ripa in Iconologia parte 1. pag. 159. pingit divinitatem quasi matronam albis vestitam, habentem in capite flammam ignis, quæ in tres partes æqualiter se disperit: utraque manu tenet globum e lapide lazuli, utriusque insidet flamma. Vestis alba denotat puritatem divinæ essentialis: flamma eius amorem et ardorem: sectio in tres partes æquales, Trinitatem personarum: globus sphaericus æternitatem, eamque duplicem, unam quam in se habet, alteram quam angelis et hominibus beatis in sui fruitione communicat, idque per Christum qui duplicem habet naturam undeque perfectam, ideoque quasi sphaericam. Hinc rursum Deus ob suam æternitatem omnia tempora complectentem, vocatur *ævum ævorum* a S. Dionysio c. 5. de Divin. nomin. Et S. Bern. serm. 80. in Cant. *Tempora*, inquit, *sub ea* (divina et æterna natura) *transcunt: non ei: futura non expectat, præterita non recordatur, præsentia non experitur*. Itinera ergo æternitatis sunt itinera temporis, puta præteritum, præsens et futurum, quæ sub æternitate decurrunt et trans-eunt: decurrente enim, et, ut ita dicam, itinerante tempore quolibet, nostro modo concipiendi videtur cum eo pariter decurrere et itinerari æternitas illi connexa et commensa, ut illud propellat, cogatque sequenti et succedenti locum cedere. Alludit ad itinera Hebræorum in deserto per 40. annos, quibus Deus cum illis continue profectus est ad invadendos et debellandos Chananæos: hæc enim itinera, quia tam longa fuerunt, *olam*, id est, sæculi, et sæcularis cuiusdam æternitatis vocat. Plenius S. August. l. 1. Conf. c. 6. *Summus*, inquit, *es, et non mutaris: neque peragitur in te hodiernus dies, et tamen in te peragitur, quia in te sunt et ista omnia: non enim habent vias transcundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficiunt, anni tui hodiernus dies: et quam multi iam dies nostri et patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, et ex illo acceperunt modos, et utcumque extiterunt, et transibunt adhuc alii, et accipient, et utcumque existent. Tu autem idem ipse es, et omnia crastina atque ultra, omniaque hesterna et retro, hodie facies, hodie fecisti.*

Denique proprie itinera, vel *deambulationes æternitatis sunt ei*, scilicet Deo, ut habent Hebr. q. d. Deus deambulavit, id est, degit, versatur, vivit et viget in altis illis suis montibus æternitatis, indeque subiectas hæc valles et colles temporum, regnorum et sæculorum despicit, incurvat, immutat, moderatur et dirigit prout ei libuerit. Rursum ex æternis hæc suis sæculis, quæ mente fingi-

mus æternitati eius coexistisse, magnis quasi itineribus contendit, id est, plurima et infinita quasi sæcula transmisit, pervasit et pervenit ad initium temporis, quo mundum creavit, conservat, exornat, gubernat, immutat, atque ad initium synagogæ suæ, ut nimirum expulsis et contritis Chananæis per Iosue, in eorum regione collocaret Israellem, in eoque fundaret suam Ecclesiam, suum templum, suum sacerdotium et regnum; quod proprie hic spectat Habacuc. Quocirca Guevara per *æternitatem* accipit Deum æternum; nullum enim attributum Dei maiestatem hominibus magis admirandam et reverendam facit, quam æternitas, q. d. Contriti sunt colles: id est, principes Chanaan, itinerante cum Hebræis, pro eis depugnante Deo, qui est ipsa æternitas, id est, æterna maiestas: quia ubicumque illa in Chanaan itinerans cum eis fixit pedem, ibi sibi suisque Hebræis sedem constituit. Olim enim pedis immissione in agrum vel locum fiebat usucapio, id est, capiebatur loci possessio. Unde illud ps. 59. 10. *In Idumæam extendam calcamentum meum*, q. d. Immissione calcei et pedis occupabo et vendicabo mihi Idumæam. Porro ludit Propheta in voce *olam*: nam prius *colles olam* vocat principes mundi, mox itinera æternitatis Dei: quia aliud est *olam* Dei, aliud *olam* hominum et principum. *Olam* Dei est cælum et æternitas: *olam* hominum est terra et tempus. Sic Apostolus ludit in voce *peccatum*, dicens: *Christus de peccato damnavit peccatum*; et: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, 2. Corinth. 5. 21.

Mystice S. Bernard. serm. 10. in psalm. *Qui habitat*: Itinera, ait, æternitatis, æternique Dei sunt misericordia et veritas. *Ab his itineribus incurvati sunt colles mundi, superbi dæmones, principes mundi huius, qui viam veritatis et misericordiæ nescierunt. Quid illi et veritati, qui mendax est et pater eius? quando ille unquam misericors fuit, qui homicida erat ab initio? In hunc ergo modum tumidi illi colles incurvati sunt ab itineribus æternitatis, dum a viis Domini quæ rectæ sunt, per anfractus suos et distorta, non tam itinera quam præcipitia corrueverunt. Quam vero prudentius atque utilius alii quidem colles ab his itineribus incurvati et humiliati sunt ad salutem? An non humiliatos iam cernere est colles mundi, dum sublimes quique atque potentes devota subiectione inclinantur ad Dominum, et eius vestigia adorant? Numquid non incurvantur, cum ab ipsa sua perniciosa celsitudine vanitatis et crudelitatis, ad humiles semitas convertuntur, misericordiæ et veritatis?*

Moraliter scripsit S. Bonavent. opusculum de septem itineribus æternitatis, quod exstat tom. 2. opuscul. eius, in quo docte et pie more suo docet et describit septem itinera ad ingrediendum intrinsecum secretum et æternum, quod est animæ patria, puta ipsum penetrale divinitatis et æternitatis Dei, in quo consistit æterna vita et beatitudo nostra. Primum iter, inquit, est æternorum recta intentio, ut scilicet anima aggrediatur unum æternum intendendo, unum æternum attendendo, unum æternum ingrediendo, in uno æterno permanendo, propter unum æternum, quod est optimum et unum necessarium, et finis quietans et consummans multitudinem omnium desideriorum in unum, quod non auferetur ab eo in æternum, quod Magdalenæ assignavit Christus Lucæ 10. 42. Secundum iter æternitatis, est æternorum studiosa meditatio, iuxta illud S. Gregor. 4. Moral. 28. *In solitudine manere, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere; et in una intentione æternæ patriæ, in amorem intinx quietis anhelare*. Tertium iter est æternorum limpida contemplatio (quæ est apex et culmen meditationis) quam ex Richardo ita describit: *Contemplatio est liberamentis suspiciacia, in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa*, iuxta illud Iob 7. *Suspensum elegit anima mea*. Suspendium illud est extensio mentis in æterna spectacula, ut cum fieri potest nunquam ex intentione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis acies mentis inde flectatur, ut dicit Psalmista: *Oculi mei semper ad Dominum*, psal. 24. Quartum iter est æternorum charita-

Deus est gigas æternitatis.

Æternitas est axis sæculorum

Mystice.

Moral. itinera septem æternitatis ex S. Bonavent.

1.

2.

3.

4.

5. *tiva affectio, de qua S. Bernard. ser. 83. in Cant. Magna res est amor si ut suum recurrit principium; si suæ origini reducitur, si refusus suo fonti semper ex eo sumit, unde iugiter fluat.* Amor enim transformat amantem in similitudinem amati in quantum potest, non solum quantum ab substantiam, sed et quantum ad operationes arduas et difficiles. Unde S. Gregor. libr. 7. Moral. cap. 6. *Sancti viri, inquit, cum ad desiderium æternitatis anhelant, in tanta altitudine vitæ se sublevent, ut audire iam quæ mundi sunt, graves sibi ac deprimens pondus credant. Valde enim intolerabile æstiment, quidquid id non sonat quod intus amant.* Et inferius e. 7. *Et multiplicata charitate maioribus desideriis vestiant, et iam pervenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis anhelant.* Ita Sponsa Cantic. 5. *Adiuro, ait, vos filiæ Jerusalem, ut annuncietis dilecto meo, qui amore languet, q. d. Præ magnitudine amoris omnia temporalia sunt mihi fastidium; unde languet. Languor autem iste causatur ex amore perfecto. O quam durum est amanti, animum dimidiare cum Christo et mundo! Rursum: Nihil tam durum et ferreum, quod non igne amoris vincatur, ait S. August. lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 22. Quintum æternitatis iter, est æternorum occultata revelatio. Assidua enim revelationum spiritualium ruminatio præbet assiduum cognitionum et exultationum mentis incrementum: et ex hoc mens excessum æternorum, et ingressum oculorum consequitur. Qui enim ardentius diligunt, profundius conspiciunt, et subtilius discernunt, et evidentius cognoscunt: quanto ergo æterna ardentius amantur, tanto perfectius cognoscuntur. Unde S. Greg. 18. dicit: *In sanctis fit æternitas, aspiciendo Dei æternitatem.* Sic irradiante menti radio divino, ducitur illa cum Mose in caliginem oculi silentii, in qua revelate et vere apparet Dominus superintellectualiter, ait S. Dionysius de Myst. Theol. cap. 1. Sextum iter est æternorum experimentalis quædam prægnatio, quam habuit Psaltes dicens psal. 33. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Et sponsa Cant. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo, et cap. 5. Comedi favum cum melle meo.* Favus, inquit Origen. est cera virginea cellulis distincta melle repletis. Quid ergo est aliud, *Comedi favum cum melle meo, nisi manducare corpus virginæ carnis dulcissima divinitate repletum?* et sic per gustum humanitatis pervenitur ad gustum divinitatis, et ideo ad prælibationem æternitatis. Talem prægnatum et prælibationem æternæ vitæ multi Sancti senserunt, et sentiunt in pia et ardenti sumptione Eucharistiæ. De hisce loquens S. Gregor. libr. 24. Moral. cap. 7. explicans illud Iob, *Videbit faciem eius in iubilo. Plerique, inquit, contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam prius quam spoilentur carne, hilarescunt, dum in iubilo faciem Dei conspiciunt; quod fit, cum aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis fit. Ibi lumen vivens videt: quia iam omni mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione caleata, veritati æternitatis inhæret, eique inhærendo quem cernit, ad similitudinem incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsa auctoris sui inconversibilem speciem dum respicit, assumit. Quæ enim ad mutabilitatem per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem videndo formatur.* Septimum iter est æternorum meritoria operatio, sive deiformis, id est, divinæ operationi conformis, actio, mores et vita. *Opera enim illorum sequuntur illos, Apoc. 14. Sicut, inquit S. Bern. l. 5. de consider. cap. 5. Deus in Seraphim amat ut charitas, in Cherubim noscit ut veritas, in Thronis sedet ut æquitas; oportet etiam ut nos quantum possumus, Deum summum bonum diligamus, ut summam veritatem cognoscamus, et ut summam æquitatem in nobis teneamus: et sic erimus beate ordinati quoad Deum, per deiformes operationes, ut ferreamus amore eum Seraphim, luceamus scientia eum Cherubim, spiritalis facti iudicemus omnia eum Thronis. Quamvis ergo in usu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas, ait S. Gregor. 22. Moral. 22. Ad hæc ducit nos Christus, qui est via, veritas et vita, qui facit ut nostra conversatio in cælis sit: ipse enim æterni-**

tatis nobis aditum devicta morte reservavit. Hæc et multo plura verbo tenus, licet sparsim S. Bonav. opuse. citato. Felix, qui hisce itineribus ad beatam æternitatem contendit. Felix, qui celerem temporum et sæculorum omnium volubilitatem transcendens, super anni solisque vias se librans, mentem ligat in stabili et immobili æternitate. Felix, qui spretis vanis et caducis terræ bonis, iugiter circumstantibus, vivit æternis et solidis, vivit æternitati iugiter consistenti.

Simili modo S. August. ( vel quisquis est auctor ) tractat. de Scala paradisi tom. 9. quatuor huius scale gradus assignat, scilicet, lectionem, meditationem, orationem, contemplationem. Lectio enim est iter ad meditationem, meditatio ad orationem, oratio ad contemplationem. *Contemplationis enim, ait, adeptio sine oratione, aut rara, aut miraculosa, primus gradus est incipientium, secundus est proficientium, tertius est devolorum, quartus beatorum: lectio sine meditatione arida est: meditatio sine lectione erronea est: oratio sine meditatione est tepida: meditatio sine oratione infructuosa: oratio cum devotione contemplationis est acquisitiva.*

Quatuor gradus æternitatis S. August.

6. **PRO INIQUITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPIÆ.** Vatabl. *in nihilum redacta vidi tentoria Æthiopum.* Hebr. enim **אָנָן** aven et iniquitatem, et nihilum significat. Putant Chald. Arias et Clarius hic celebrari victoriam Othonielis, qua liberavit Hebræos a servitute Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, Iudic. 3. et ad victoriam Gedeonem, quam retulit de Madianitis, Iudic. 6. quia nominatur hic Madian, et quia in Hebræo est Chusan, non Chus, vel Chusim; quod proprie significat Æthiopiam et Æthiopes. Verum Septuag. S. Hier. et alii, Chusan vertunt Æthiopiam: Chusan ergo per paragonem idem est quod Chus, sicut Melech idem est quod Melech, et Moloch. Nam Habacuc hic tantum celebrat miracula Dei patrata a tempore egressus ex Ægypto usque ad ingressum in Chanaan, ut patet ex sequentibus; non autem ea quæ postea in Chanaan per Othoniælem et Gedeonem Deus patravit. Porro iidem hic sunt Madianitæ et Æthiopes. Madianitæ enim in Scriptura vocantur Æthiopes, scilicet Orientales, sicut Abyssini sunt Æthiopes Occidentales. Unde uxor Mosis Madianitis, vocatur Æthiopissa, Numer. 12. 1. Vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Vidi, id est cognovi et patrum narratione accepi, ac ex Scripturis intellexi, quid olim feceris o Domine Æthiopibus, id est, Madianitis, *pro iniquitate*, id est, propter scandalum fornicationis et cultus Beelphegor, quod ipsi dederunt filiis Israel, submitendo in eorum castra suas filias, quæ ad utrumque scelus eos pellicerent, Numer. 25. v. 1. Cognovi enim quod eorum pelles, id est, tentoria et castra, turbaveris et profligaveris per Iosue, occisis eorum principibus, omnibusque masculis, ac Balaam scandali auctore, Numer. 31. Nota enaligen temporis; *turbabuntur*, id est, turbata sunt: præcessit enim præteritum *vidi*. Rursum est hendiadis, *vidi et turbabuntur*, id est, turbabuntur, hoc est, vidi turbari tentoria Madian. Addunt Albert. et Lyran. dici *turbabuntur*, quia simul Propheta respicit futuram victoriam Cyri, q. d. Sicut turbasti Madianitas per Iosue, ita turbabis et profligabis eosdem per Cyrum, ob iniquitatem eorum quam commiserunt in filios Israel, adiuvando Chaldaeos in expugnatione Hierosolymæ.

Allegor. Æthiopes typi sunt tum dæmonum, tum hominum impiorum: quia hi deformes et atri sunt moribus, uti Æthiopes pelle et cute. Rursum, corpora et mentes hominum impiorum non sunt aliud quam pelles et tentoria Æthiopum, id est, dæmonum. Sensus ergo est, q. d. Ego Habacuc in spiritu vidi et prævidi, quomodo, et quam acriter Christus, dæmones hominesque impios, qui Ecclesiam et fideles eius persequuntur, sit castigaturus. Aut q. d. Æthiopes et Madiann, id est, *Gentes repente perterritæ nuncio mirabilium tuorum, etiam quæ non sunt in iure Romano, erunt in populo Christiano*, ait S. August. lib. 18. de Civit. e. 32. ut significetur hic conversio Gentium, etiam barbararum ad Christum, per Apostolorum miracula, prædicationem et vitam cælestem.

Æthiopes sunt dæmones et impii.

Vers 8.

**NUMQUID IN FLUMINIBUS IRATUS ES?**) *Flumina* vocat A fluenta maris rubri, æque ac Iordanis. Sic Homerus oceanum vocat flumen, dicens: *Oceani fluxum fluvii cum cymba reliquit*. Et Hesiodus: *Oceani fluvii perfecti gnata puella*. Poëticè describit Propheta divisionem maris rubri, Exodi 14. et Iordanis, Iosue 3. ut transirent Hebræi: unde metaphorice zelum Dei depingit per iram in mare et flumina, ac vires eius per currus et pharetras, equos et quadrigas eius nuncupat nubes et ventos: hinc etiam eodem tropo aquis quasi vim passis, dat dolorem. Sensus ergo est, q. d. Ad salvandum populum tuum Israel, videbaris o Domine irasci et indignari Iordani et mari rubro, quando pro eo contra Pharaonem aliosque eius hostes pugnaturus, ascendebas nubes quasi currum bellicum, ac quasi equos agebas tum ventos tum angelos velocissimos, quibus partim Iordanem et mare dissecui, ut panderes iter viamque evadendi populo tuo, partim turbines ac fulmina, quasi arcus tui sagittas eiacularus in Ægyptios, eos protrivisti, et in mari demersisti, ut suscitares *iuramentata*, id est, promissa tua iuramento confirmata, quæ Israe-

litis præstiteras; ideoque *fluvios*, id est, fluenta hæc maris rubri et Iordanis, *scindes*, id est, scidisti, ut *gurges* et abyssus *aquarum* recederet, et contra naturam quasi cum dolore, timore, stupore, sonitu ac fremitu undarum sese collidentium, in montes, id est, in montium molem et *altitudinem*, utrimque se attollens, et quasi supplex manus in cælum ad Deum extendens, medium iter præberet Hebræis siccum planumque ad transitum. Simili modo per Cyrum deduces Euphratis alveum in fossas, per eumque iam desiccatum Persas immittes in Babylonem Euphrati adiacentem, ut eam vastent, et Hebræos ex ea liberent, iuquit Albertus et Hugo. Hoc enim stratagemate Cyrum cepisse Babylonem ex Xenophonte docui Daniel. 5. in fine.

Nota, v. 9. in Hebr. additur *selah*, de quo dixi v. 3. q. d. O potentiam, o victoriam, o fidelitatem, o bonitatem Dei, suos per divisionem maris et fluminum liberantis, stupendam omnique ævo decantandam!

Allegor.

**Allegor.** aquæ multæ sunt populi multi, Apocal. 17. 15. q. d. Anne gentibus iratus es Domine? minime quia eis salvatorem misisti Christum. *Quia*, inquit S. August. loco iam citato, *ascendes super equos tuos, et equitatio tua salus, hoc est, Evangelistæ tui portabunt te, quia reguntur a te; et Evangelium tuum salus est eis, qui credunt in te. Fluminibus scindetur terra, hoc est, influentibus sermonibus prædicantium te, aperientur ad confitendum hominum corda, de quibus dictum est: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Quid est, Videbunt te et dolebunt populi? nisi ut lugendo sint beati. Quid est, Dispergens aquas incessu? nisi ambulando in eis qui te usquequaque annunciant, hac atque illac dispergis fluenta doctrinæ. Quid est, Abyssus dedit vocem suam? An profunditas cordis humani quid ei videretur, expressit? Apposite Glossa hæc adaptat exaltationi Ecclesiæ sub Constantino Imp. *Gurges aquarum transiit, id est, inquit, impetus persecutionum transiit super Christianos usque ad tempora Constantini. Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit. Per altitudinem intelligitur Constantinus, cui totus orbis erat subiectus: ipse vero manum suam levavit ad protegendam Christianitatem; et tunc abyssus dedit vocem suam, quia Christiani prius in abisso tribulationis positi eruperunt solemniter in Dei laudem. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, id est, Christus et B. Virgo patenter honorati fuerunt in ecclesiis, qui prius colebantur in cryptis et locis occultis.**

Tropol.

**Tropol.** S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 13. legens iuxta Septuag. *Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasie suæ*, sic explicat: *Abyssus quippe phantasie altitudinem portat, cum humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat: sed ab hac altitudine vocem dare est; quia dum se deprehendere non potest, cogit in admirationem consurgere, ut eo perscrutari non audeat quod super ipsum est, quo incomprehensibilitatem suam ipse cogitans, non valet invenire quod est.*

**Anagog.** hæc plane ut sonant, faciet Christus in fine sæculi, quando puniet et perdet Antichristum et Antichristianos fluctibus, sonitu maris, amaritudine aquarum, fœtore, putredine, tonitru, pluviis, grandine, fulminibus, ut patet Lucæ 21. v. 25. Apoc. cap. 8. et cap. 16. ita ut abyssus et altitudo, id est, inferi et superi, terra et cælum, totusque orbis pro eo contra impios pugnet et decertet, Sapient. 5. v. 21. ac Dei vindicis vindictam et triumphum, plausu oris et manu concinat et celebret.

**QUADRIGÆ TUX SALVATIO.**) Equos et quadrigam Dei vocat nubes, quibus quasi inequitans Deus fulgetra et tonitrua iaculabatur in Ægyptios, iuxta illud psalm. 103. v. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum*, id est, currum tuum, q. d. Qui nubibus pro vehiculo uteris. Et psal. 76. 18. *Vocem dederunt nubes: etenim sagittæ tux transeunt: vox tonitru tui in rota*. Sic poëtæ Iovis potentiam ostendant, cum eum fulminantem, nubicogum, tonantem, ὑπο-εργουσαν, id est, altotremementem vocitant, ut ait Lucianus in Misanthropo. Hinc illud Ovidii.

*Illic et nebulas, illic consistere nubes*

*Iussit, et humanas motura tonitrua mentes.*

Et lib. 2. Metamorph.

*Ille pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis*

*Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.*

Alludit in voce *quadrigæ* ad arcam testamenti: huic enim quasi currui bellico gloriæ suæ Cherubinis stipatus insidebat Deus, castra Hebræorum præiens et deducens per mare rubrum. Licet enim arca respectu duorum Cherubim videretur biga; tamen erat quoque quadriga: tum quia quaternis globulis seu sphæralis, quibus a pavimento elevabatur, quasi quatuor rotis insistebat: tum quia duo Cherubini quaternos et quadriformes, puta quatuor animalium, bovis, leonis, aquilæ et hominis habebant vultus, quasi quatuor insignia virtutum divinarum: tum quia Ezechiel cap. 1. eundem currum gloriæ Dei describens, dat ei quatuor rotas, æque ac quatuor Cherubinos. Unde ad eum alludens Psaltes ps. 67. v. 18. *Currus, inquit, Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina, in sancto, q. d. Agunt et stipant currum Dei multæ angelorum phalanges. imo myriades, et Dominus inter eos et super eos inequitans, venit in Sinai, atque mansit in sanctuario. Unde subdit: Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, et regis mei, qui est in sancto, puta in sanctuario: ita Prado in primam visionem Ezech. c. 10. et Pineda de rebus Salomon. l. 6. c. 1. Cum ergo ait Habacuc: *Ascendes super equos tuos, et quadrigæ tux salvatio*, sensus est, q. d. Deus non conscendit equum nisi ad salvandum, inquit Guevara. Secundo, nervosius Alcazar in Apoc. cap. 6. not. 2. q. d. Dei equi et quadrigæ sunt ipsa hominum salvatio, sive salus: ac si diceret: Deo nulli alii sunt equi, nullæ quadrigæ quas ipse conscendat: nisi huiusmodi opera, quæ ad hominum salutem spectant, in quibus ipse gloriarur, et se hominibus agnoscendum exhibet, iuxta illud Zachar. 10. 3. *Visitavit Dominus exercituum gregem suum, et posuit domum Iuda quasi equum gloriæ suæ in bello*. Quod si obicias: quomodo ergo sequitur, *Ante faciem eius ibit mors?* Resp. præit mors, ut hostes populi sui occidat, itaque eum salvet.*

**Symbolicè et Alleg.** S. Ambros in psal. 40. per equos et equitatum Dei accipit carnem et humanitatem Christi, cui quasi equo et currui insedit et inequitavit divinitas, ut victoriam nobis de peccato et dæmone pareret. *Unde, ait, dictum est Habacuc 3. Equitatus tuus salus: quod caro eius, mundi totius erat susceptura peccatum, ut salus pro exitio, et vita æterna pro morte succederet. Vulneratus ergo est equus solus, non mendax ad salutem. Vulneratus est equus qui totius mundi peccatum suscepit, et onera nostra portavit: et non fuit fatigatus. Et ideo fortassis Iohanni Evangelistæ Apoc. 19. cælum apertum, et albus equus demonstratus est, super quem sedebat habens in capite diademata multa, et in femore suo nomen scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium, etc. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cum ipso vulnerare de tumulo resurrexit, cucurrit ad cælum supra omnes*

Quadri-  
gæ Dei  
sunt nu-  
bes.

B

C

D



angelos et archangelos, velocior omni equitatu militie caelestis inventus: supra equos etiam illos igneos quibus Elias raptus est. Secundo, idem Ambros. in psal. 118. in fine octonarii quarti, per equos accipit Apostolos: *Ascendisti, ait, equos tuos, equitatus tuus sanctus. O bonorum equorum doceat iugum mirabile, quibus fræna pacis, habentur sunt charitatis, constructi inter se concordie vinculis, et iugo fidei subiecti, quatuor rotis Evangelii mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantem Dei verbum; cuius flagello fugate sunt illecebræ sæculares, exterminatus mundi istius princeps, iustorum cursus impletus est! O rationabilitum equorum grande certamen, o mirandum mysterium, etc.* Et mox: *Animarum igitur nostrarum auriga Iesus, qui nos quoque vult ascendere equos nostros, hoc est nostra corpora, et vigilare semper, ne dicatur nobis: Dormitaverunt qui ascenderunt equos.*

Tropol. idem S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. *Currus, ait, est anima: habet equos bonos, vel malos. Boni equi, virtutes sunt animæ: mali equi, passionem sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit et revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, et aut iracundia proclendit, aut timor, et se invicem impediunt, et cursum retardant. At vero boni equi volant, et a terris ad superiora se subrigunt, unamque elevant, maxime si iugum habeant suave, et omnes lece dicentis (Christi) Ipse rector est qui novit equos proprios gubernare, ut æqualis omnium cursus sit. Velociores prudentia tardul, iustitia admonet flagello proprio seigniores, temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddidit: novit copulare discordes, ne forte cursum suum dissipent. Isti sunt equi subiecti fidei iugo, astricti vinculo charitatis, iustitiæ frænis, retinaculis sobrietatis, etc. Et intelligis illam animam esse pacificam, cui pater Deus Præsul sit, Christus agitator. Hi sunt equi Christi. Ascendit ergo equos suos Christus, ascendit verbum Dei animas pias. Unde cognosce quia et istam ascendit, et perduxit eam ad locum palmæ, quando et dicit ad eam: *Quantum pulchra et suavis facta es charitas in deliciis tuis! statura tua similis facta est palmæ. Et ipsa ait, Cantic. 7. Dixi, ascendam in palmam. Sed etiam ipsa charitas palma est: ipsa est enim plenitudo victoriæ. Plenitudo enim legis charitas est. Curramus ergo, ut comprehendamus: curramus, ut vincamus.**

Vers. 11.

**SOL ET LUNA STETERUNT IN HABITACULO SUO.**) Commemorat miraculum Iosue quo stetit solem et lunam, ac consequenter omnes orbis caelestes, ut prosequeretur victoriam contra Amorrhæos, eosque deleteret. Imperans enim iis dixit: *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon: steteruntque sol et luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, stetitque sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei, Iosue 10. vers. 12. ita Chald. Albert. Clarius, Iansen. Emmanuel. Mariana et alii. Aliter Vatabl. censet enim, hic significari plagam nonam Egyptiorum, quæ fuerunt densissimæ tenebræ per triduum, ita ut sol et luna consistere viderentur, Exodi 10. v. 21. Verum tunc nec sol, nec luna stetit, nec tenebræ hæc a statione solis et lunæ, sed a Deo aerem obscurentem productæ sunt.*

**IN LUCE SAGITTARUM TUARUM IBUNT** (id est, ibant, vel iverunt: præcessit enim præteritum steterunt) **IN SPLENDORE FULGURANTIS HASTÆ TUÆ.**) Sagittas et hastam fulgurantem Dei vocat fulmina, tonitrua, grandines et lapides: quæ Deus tunc e caelo pro Iosue et Hebræis iaculatus est in Amorrhæos. Unde Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 39. legit: *Sol et luna constitit in suo ordine, in lucem coruscationis tuæ ibunt in fulgorem: fulgur scutum tuum, in comminatione tua diminues terram.* Sensus est, q. d. Cum sagittis tuis magnis, nempe lapidibus et fulguribus grandinis permistis, hostes Israelitarum prosterneres, tunc ipsi Israelitæ per eorundem fulgurum ac fulminum lucem illæsi, imo illustrati, inimicos insectabantur. Ita mirabili dispensatione tua factum est, ut hæc tela tua populi tui commodis inservirent, quæ

hostibus extremum exitium inferrent. Noctu enim Israelitæ apprelli ceperunt Amorrhæos, ut patet Iosue 10. 9. Secundo, planius Arias, qui *το ibunt* refert non ad Israelitas, sed ad solem et lunam, quæ ibant, id est, iter suum moderabantur pro iussu et commodo Iosue, *in luce*, id est, ad lucem, vel ad lucendum sagittis Dei, q. d. Sol et luna, quæ alias statum suum iter peragere solent ad totius terræ omniumque gentium usum, illo die iter suum inverterunt et converterunt ad solius Iosue usum, Deique victoriam: nam steterunt quasi spectantes lucem armorum et fulgurantium hastarum Dei, et simul sua luce ibant cum Hebræis, ipsisque præbiant ad persequendum Amorrhæos. Sol enim et luna consistendo cooperata sunt ad hanc pugnam et victoriam. Unde hæc sua statione videbantur ire in hostes Hebræorum, eosque cadere et prosternere. Simili schemate et plausu victoriam suam contra Sisaram celebrant Debora et Barach, Iudic. 5. v. 20. ut ostendant eam non humanis, sed divinis viribus partam. *De caelo, inquit, dimicatum est contra eos; stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt:* quia Hebræis sua luce ad pugnandum et vincendum præluxerunt, hostes vero suo splendore et fulgore quasi fulgure percusserunt. Unde Plato in Cratylo censet *αστρα* dici quasi *αστραπτη*, id est, fulgur; *αστραπτη* autem, eo quod oculos luce illa *αυασπερα*, id est, convertat. Tertio, Albert. Hugo, Lyran. et Dionys. *το ibunt* proprie accipiunt ut futurum, explicantque de Cyro et Persis, qui post tempora Habacuc nocte concubia, ut patet Daniel 5. 30. ex improvise adorti Babylonem, ad lucem sagittarum suarum et fulgurantium hastarum, quasi faciem præluentium, iverunt, ingressique sunt urbem, eamque ferro et flamma vastarunt; perinde ac Iosue iisdem vastavit Amorrhæos.

Allegor. S. August. l. 18. Civit. c. 32. *Elevatus, ait, sol, et luna stetit in ordine suo, hoc est ascendit Christus in cælum et ordinata est Ecclesiæ sub rege suo. In lucem iacula tua ibunt, hoc est, non in occultum, sed in manifestum verba tua mittentur. In splendorem coruscationis armorum tuorum, subaudiendum est, iacula tua ibunt. Dixerat enim suis: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine. In comminatione minorabis terram, id est comminando humiliabis homines. Et in furore deiciet gentes: quia eos qui se exaltant, vindicando collides.* Et S. Greg. l. 30. Moral. cap. 2. per sagittas et iacula accipit verba prædicantium; per fulgurantes hastas, miracula eorundem. Hisce enim confixæ, percussæ et conversæ sunt gentes ad Christum. Huc accedit Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus l. 4. Hexam. tom. 1. Biblioth. SS. Patrum, ubi docet quod, sicut luna post solis occasum oritur, ita post Christi recessum orta sit Ecclesiæ: *In altum, ait, elevatus est sol, hoc est, Christus ascendit in cælum; et tunc luna stetit in ordine suo, nempe Ecclesiæ in valido suo statu, in pulchritudine sua, in decore suo, in illuminatione sua, in cursu suo. Recte autem dixit, in ordine suo; prius enim erat inordinata et incomposita, ut quæ esset dedita idololatriæ. Secundo, sol dominatur ætali, ut qui sit elementum siccum, in typum Christi, qui in fine messis consummationis est exsiccurus eos qui sunt sub peccato, flumine igneo: luna vero habet gubernationem aquæ, et Spiritus sancti, qui a Christo Ecclesiæ tanquam lunæ donatus est et ereclitus, ut per ipsam regeneremur, donec præterierit nox huius sæculi, et rursus exortus fuerit sol iustitiæ.* Addit deinde crescere fideles crescente Ecclesiæ, sicut creseunt animalia crescente luna, datque exemplo: Ibis, inquit, avis infesta serpentibus, non videt, nec comedit eo tempore, quo luna in cælo non apparet. Similæ orbis oculorum dilatantur crescente luna, eaque decreescente minuuntur. Lychnis lapillus crescente luna edit sonum modulatum. Clopias piscis crescente luna albescit, decreescente nigrescit. Simili modo mutationes Ecclesiæ redundant, et transfundunt se in animum cuiusque fidelis.

Anagog. idem plane quod verba sonant, faciet Deus in fine sæculi, eum solem et lunam obscurabit, ac fulmina vibrabit in hostes, iuxta illud Sapient. 5. v. 22. *Ibunt dire-*

ete emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines. Denique tum stabit sol, luna, omnisque cælorum motus, sistetque in æternum.

Elevante se Præ-lato, elevato Ec-clesia, quasi luna se-queus solem.

Tropol. cum sol, id est, Prælatus, se elevat ad vitæ reformationem et perfectionem, tunc ad eandem elevatur et luna, id est, congregatio illi subdita. Unde S. Bern. epist. 142. ad Monachos Alpenses: *Bonus, inquit, Pater vester, atque noster, auctore Deo ad altiore gradum assumptus est. Faciamus ergo quod dicit Propheta (Habacuc cap. 3.) Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo. Sol est ille per quem Alpensis congregatio illustris ubique redditur, tamquam luna per solem. Elevato itaque illo, stemus nos in ordine nostro, quicumque elegimus abiecti esse in domo Dei nostri, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ordo noster abiectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub Abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri ieiuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum, et super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas. Porro in his omnibus proficere de die in diem, et in ipsis perseverare usque ad ultimum diem. Et hæc quidem assidue vos confidimus actitare. Caterum unum opus fecistis, et omnes mirantur, quod cum sancti essetis, non reputantes vestram sanctitatem, alienam participare curastis, ut essetis sanctiores: quia transierant ad strictiorem Ordinem Cisterciensium. Unde subdit, *Quam lato sinu collegit vos multitudo Cisterciensis, quam alaeri vultu spectavit hoc angelica celsitudo!**

Vers. 15. **EGRESSUS ES IN SALUTEM POPULI TUI,** cum eum liberasti et eduxisti ex Aegypto: **IN SALUTEM CUM CHRISTO TUO.** ) Ut populum salvares et educes per Moysen, quem quasi Christum spiritu tuo unxisti, ut esset dux et Propheta populi tui. Simili modo egredieris eum Cyro in aciem contra Babylonem, ut ex ea liberes et educa populum tuum captivum. Hinc Cyrus ab Isaia c. 45. v. 1. vocatur Christus, dum ait: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro:* ita Albertus, Hugo, Lyran. et Dionys. Allegor. proprie et potius per Christum Dominum, cuius antitypus fuit Moyses, æque ac Cyrus, salvabis populum fidelem, eumque educes ex captivitate diaboli. Unde sexta editio habet, *egressus es ut salvares populum per Iesum Christum tuum:* ita Hebræi, S. Augustinus lib. 18. Civit. 32. S. Hieron. et alii passim. Quare fraudulenter hunc locum verterunt, imo depravarunt, Symmachus et Theodotus, qui quia erant Ebionitæ, et Christum negabant esse Deum, hinc transtulerunt, ut *salvares Christum tuum:* non enim Christus hic dicitur salvatus, sed populus per Christum, salvatorem. *Egredi enim in salutem populi* cum Christo, est salvare populum per Christum. Perperam quoque Chald. vertit, *revelatus es ad liberandum populum tuum, ad liberandum Christum tuum,* quasi populus Israel et fidelis vocetur hic Christus, iuxta illud Psalm. 104. v. 15. *Nolite tangere christos meos,* id est, Israelitas meos. Verum ibi per *christos* psaltes intelligit Patriarchas, ut recte annotavit S. Hieronym. et Theodor. puta Abraham, Isaac et Iacob, quos Deus unxerat, id est, sua gratia consecravit et auctoravit, Prophetas et principes gentis suæ. Unde explicans subdit: *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Adde, Hebræa hic non habere, *ad liberandum christum tuum,* ut vertit Chald. sed *ad salvandum,* vel liberandum, scilicet populum, *eum Christo,* vel *per Christum tuum:* præpositio enim **עם** et, significat *eum, per.* Quocirca Hebræa præcise eie sonant: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem eum Christo tuo.*

Tropol.

**PERCUSSISTI,** Pagnin. *transfixisti;* Tigurina, *contudisti,* **CAPUT DE DOMO IMPII.)** Caput intellige Pharaonem, quem Deus percussit mergendo eum in mari rubro: hic enim caput erat et princeps domus impii Cham, qui fuit nequissimus, et primus regnavit in Aegypto, quæ inde dicta est terra Cham, Psalm. 104. v. 23. et Psalm. 77. v. 51. Alii, ut Albertus et Vatablus, per *caput* intelligunt filium primogenitum Pharaonis, quem morte percussit Deus, Ex-

odi 12. v. 29. Aut *caput,* id est, capita, hoc est principes impii Pharaonis. Simili modo percussit Balsasarem, qui est caput in domo impii Nabuchodonosoris, per Cyrum, inquit S. Hieronymus, Hugo et Lyran.

Alleg. Christus percussit diabolium, qui est caput impiorum, ac in fine mundi percussiet Antichristum, qui erit princeps in domo et familia diaboli: ita S. Hieron.

**DENUDASTI FUNDAMENTUM EIUS USQUE AD COLLUM.)** *Eius,* scilicet non capitis, sed domus: domus enim habet fundamentum, non caput, q. d. Domum impii Pharaonis, puta familiam regiam, ipsamque Aegyptum, ab imis fundamentis usque ad collum, id est, usque ad summos vertices, detexisti, id est, detegendo diruisti et evertisti per metalepsin, q. d. Totum exercitum Pharaonis a minimo usque ad maximum, in mari rubro perdidisti, et quasi a terra abrasisti. Caput enim est Pharaon, collum sunt principes, fundamenta et ima sunt milites. Combinat duas metaphoras, hominis et domus: nam collum et caput sunt hominis, fundamentum proprium est domus. Hebræi enim hominem, puta filium, vocant *ben,* quasi domum, quam

**בנה** *bana,* id est, ædificavit, pater. Si enim homo est micrococosmus, multo magis est *μικροκομος,* id est, parva domus. Et vicissim sicut mundus est quasi magnum quoddam animal, et magnus homo, cuius anima est spiritus Dei, hepar est mare, vesica sunt flumina, oculi sunt fontes, etc. ita domus, familia et resp. est magnus quidam civilis et politicus homo, cuius caput est paterfamilias, princeps aut rex; collum sunt principes; brachia sunt milites: pedes et ima sunt plebs. Plebs enim est maxime necessaria pars, et quasi hypostasis reipub. cui omnia eius onera incumbunt. In domo vero particulatim, et quasi physice, caput est tectum, collum sunt iuncturæ tecti cum parietibus, corpus sunt ipsi parietes, pedes et plantæ sunt fundamenta. Iam symbolice domus est familia et resp. cuius caput et tectum est pater, princeps vel rex; collum et iuncturæ sunt principes; corpus et parietes sunt cives et mercatores; pedes sunt rustici et coloni, e quibus colliguntur milites. Dicit ergo: Tu o Domine fundamentum domus Pharaonis, id est, regni Aegypti, denudasti, ut illud funditus quasi a fundamentis dirueres. Qui enim domum evertere volunt, fundamenta nudant, iuxta illud quod Babylonii imprecatur Psaltes psal. 136. *Exinanite usque ad fundamentum in ea,* q. d. inter misti exercitum Pharaonis cum suis ducibus et principibus, in quo erat fundamentum, id est, robur et fortitudo totius Aegypti: ita Vatablus. Secundo, Guevara sic explicat, q. d. Maximis opprobriis et ignominiiis affectisti, o Domine, Aegyptum, non secus ac si illius caput rasisses, inferioresque corporis partes (quæ sunt quasi bases et fundamenta) pudentaque ipsa ad collum etiam usque nudasses. *Nudare enim in Scriptura subinde tondere significat,* ut Isaia 3. v. 17. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit.* Alludit ad Isaia 7. v. 20. *In die illa radet Dominus in novacula conducta; in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam universam.* Quod enim dixit Isaia, *Radet caput,* hoc dixit Habacuc, *Percussisti caput: percussisti,* scilicet nuditate et calvitio. Rursum, per fundamentum possumus intelligere caput. Est enim homo velut arbor inversa, pro radiceibus habens capillos, pro ramis manus et pedes. Porro quantum probrum sit rasura et decalvatio, ac depilatio totius hominis, patet ex illo Poeta:

*Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,*

*Et sine fronde frutex, et sine erine caput.*

Hæc Guevara. Prior explicatio uti planior, ita et litteræ conformior et germanior est. Denique in Hebræo additur *selah,* quasi nota admirationis et plausus tantæ stragis et victoriæ.

**MALEDIXISTIS SCEPTRIS EIUS.)** Maledicere Dei est maledicere, lædere, occidere, perdere: dicere enim Dei est efficax, idemque quod facere. Per sceptrum, vel principes intellige, qui gestabant scepra quasi insigne principatus: vel metonymice *sceptris,* id est, regnis et provinciis eius, quibus cum scepro, id est, potestate regia, imperabat Pharaon, q. d. Regna et ditiones Pharaonis, omnemque e-

Nudare pro tondere.

Vers. 14.

ius tyrannicam vim et potentiam destruxisti. Olim enim universi principes ac magistratus sceptrum gestabant. Sic singulae tribus Israel habebant suam virgam, quasi sceptrum, num. 17. v. 1. Sic Homerus non tantum Agamemnoni regi, sed et Achilli et Telemacho principibus sua dat scepra, per quæ iurant: quia divinitatis quidpiam scepra habere veteres existimant. Unde Chæronæos legimus ex diis omnibus maxime coluisse sceptrum Agamemnonis. Multis id ipsum probat Guevara. Hinc Assuerus Estheri cap. 5. v. 2. porrexit sceptrum, quod ipsa osculando venerata est regem. Et cap. 8. v. 4. rursum eidem præteridit sceptrum, in signum elementia. Idem habetur c. 4. 11. Quia et Iacob adoravit fastigium virgæ eius, puta sceptri Iosephi, Hebr. 11. 21. Scepra ergo hic principes sceptrigeros denotant. Pro *maledixisti* hebr. est **נָקַבְתָּ** *nakabta*, quod etiam perforare significat. Unde Pagninus vertit, *perforasti baculis eius caput exercituum eius*; Tigurina, *perforasti cum baculis suis caput paganorum* (eolonorum, qui in pagis et villis habitant) *eius*, vel, ut Vatabl. *copiarum eius*, scilicet Ægypti, vel Pharaonis; hoc est, peremisti eum, perinde ac si propriis telis perforasses capita eius, q. d. Te auctore perit exercitus Pharaonis, ipsiusmet consilio: nam consulit Pharaon Ægyptiis, ut insequerentur Hebræos in mari rubro, quod tum faciunt, revolvente se mari mersi sunt. Simili modo Deus maledixit, perforavit et deiecit sceptrum Balsasaris et Chaldaeorum per Cyrum.

Allegorice, Christus perforavit et prostravit scepra Neronis, Deii, Dioeletiani, cæterorumque persecutorum Ecclesiæ; ac pari modo in fine mundi prosternet scepra Antichristi, Gog et Magog.

**CAPITI BELLATORUM EIUS.** ) *Capiti*, id est, capitibus, puta eunctis ducibus bellatorum eius, videlicet impii Cham, vel Pharaonis, qui fuit caput et princeps domus Ægypti, uti præcessit. Est epanalepsis, sive prioris sententiæ repetitio et expositio: principes enim, quos vocavit scepra, id est, sceptrigeros, hic vocat capita, sive duces bellatorum. Quocirca Septuag. vertunt, *divisisti in stupore capita potentum*. Unde de iis subdit:

**VENIENTIBUS UT TURBO, etc.** ) q. d. Deiecisti scepra, id est, sceptrigeros, qui veniebant cum impetu et furore quasi turbo, ad dispergendum me, scilicet Israel, qui sum populus tuus.

**EXULTATIO EORUM.** ) Scilicet erat, q. d. Exultabant sceptrigeri duces Ægyptii, quod me conclusum in mari cernerent: putabant enim ibi me devorare: sicut quis potens exultat, cum pauperem quem mactare vel spoliare intendit, in latebris reperit, ubi nemo ei auxiliatur.

Nota. Propheta toto hoc carmine adeo celebrat stragem Pharaonis, et liberationem Hebræorum ex Ægypto: quia illi per omnia similis futura erat strages Chaldaeorum, et liberatio Hebræorum ex Babylone, quam proprie ipse spectabat et sperabat: et utraque similis fuit liberationi hominum e captivitate peccati per Christum, quam ultimo et maxime ipse representare intendebat. Id ita esse patet ex hisce tristrophis antistrophis.

Pharao,	Balsasar,	Diabolus.
Moses,	Cyrus,	Christus.
Ægyptus,	Babylon,	Peccatum.
Servitus,	Captivitas,	Tyrannis.
Mare rubrum,	Euphrates,	Iordanes.
Hebræi,	Iudæi,	Christiani.
Chanaan,	Iudæa,	Ecclesia.

Pharao enim tyrannus affligens et persequens Hebræos, typus fuit Balsasaris captivos detinentis Iudæos: et uterque typus fuit diaboli genus humanum opprimientis. Moses liberator Hebræorum et cæsar Pharaonis, fuit typus Cyri liberatoris Iudæorum per cædem Balsasaris: et uterque fuit typus Christi liberatoris fidelium per stragem diaboli. Ægyptus carcer Hebræorum, fuit typus Babylonis carceris Iudæorum: et uterque fuit typus peccati, mortis et inferni, cui quasi carceri mancipati erant homines peccatores. Servitus Ægyptia fuit typus captivitatis Babylonice: et utraque typus fuit tyrannidis peccati et concu-

piscentiæ. Scidit Moses sua Virga mare rubrum, itaque Hebræos liberavit, Ægyptios mersit: ita Cyrus scidit et divisit Euphratem, ac per eius alveum sicum milites immisit in Babylone, itaque Chaldæos occidit, Iudæos liberavit.

Alleg. Christus in Iordane baptizatur, fluentia baptismi segregans a vulgaribus aquis, per ea suos fideles traducens iustificat et salvat. Moses Hebræos ex Ægypto eduxit in Chanaan, Cyrus Iudæos e Babylone remisit Hierosolymam, Christus fideles e paganismo et Iudaismo traduxit ad Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem.

**VIAM FECISTI IN MARI EQUIS TUIS.** ) q. d. Tu Domine deducens filios Israel per mare rubrum, ita secure et gloriose deduxisti eos in conspectu hostium Ægyptiorum, ac si magno aequitatu eos vallares et prosequeris. Poeticè enim equos et quadrigas Dei, vocat eius robur et potentiam, quæ plus valebit quam omnes Pharaonis equi et equites, iuxta illud Psalm. 19. 8. *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri invocabimus*. Proprie per equos hosee significat angelum in columna ignis et nubis præeuntem castra Hebræorum: hic enim cum angelis sibi asseclis erat quasi equitatus et comitatus Hebræorum, eos deducens et defendens contra Ægyptios. Unde de eo dicitur Exodi 14. 19. *Tollensque se angelus Dei qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israel*. Idem angelus paulo post iaculatus tela et fulmina in Ægyptios, eos prostravit. Hoc est enim quod dicitur ibidem v. 24. *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitus eorum, et subvertit rotas currum ferebanturque in profundum*. Iure ergo hi vocantur equi et equitatus Dei, qui totum Pharaonis equitatum deleverunt. Unde Chald. vertit, *manifestatus es super mare in quadriga gloriæ tuæ*. Simili modo Deus viam fecit equitibus Cyri in Euphrate, ad invadendam Babylone.

**IN LUTO AQUARUM MULTARUM.** ) Alveum maris rubri immisso vento iam siccat Deus, ut siccò pede transirent Hebræi; eum tamen vocat *lutum*, quia paulo ante fuerat lutum, vel quia ad latera utrinque aquis cooperta inter quæ transierunt Hebræi, erat lutum plurimum. Pro *luto* hebr. est **חֶמֶר** *chemer*, pro quo Chald. et recentiores aliis punctis legunt **חֹמֶר** *chomer*, id est, utrem, vel acervum, unde vertunt, *in acervo aquarum multarum*. Utrunque enim in magnos quasi utres et acervos assurgebant aquæ, in quorum medio siccò pede transierunt Hebræi, iuxta illud Ps. 77. 13. *Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre*; Septuag. vertunt, *superduxisti in mari equos tuos, conturbantes aquas multas*. Radix enim *chamar* significat miscere, turbare, confundere, unde *chemer* significat lutum, vel vinum mistum et turbidum.

Allegor. Deus Apostolis quasi scidit flumina et maria, dum per hæc eis iter pervium fecit, ut totum orbem evangelizando peragrarent, et subigerent Christo. Unde S. August. lib. 18. Civit. 32. *Immisisti, ait, in mari equos tuos, turbantes aquas multas, quæ nihil sunt aliud, quam populi multi; non enim alii timore converterentur, alii furore persequerentur, nisi omnes turbarentur*.

Tropolog. simili modo per medias calamitates, quasi per medias maris aquas et fluctus, salvos et incolumes suos fideles, cum iis quasi incedens, eosque protegens, deducit et educit Christus, vel, ut S. Gregor. 34. Moral. 13. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum, ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus suis inter doctrinam mundi huius, sordida et terrena sapientes. Luto quippe inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari*. Idem 31. Moral. c. 10. *Misisti, ait, in mari equos tuos, conturbantes aquas multas; quietæ quippe aquæ iacuerunt; quia humanæ mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt: sed equis Dei mare turbatum est, quia missis sanctis prædicatoribus omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit*.

AUDIVI. ) Redit hic Propheta post carnem et epinicum victoriae Dei ad v. 1. q. d. Talis quidem fuit victoria Dei contra Pharaonem, talisque erit contra Balsasarem; sed

Tristroph.

ioterim dum in statione mea vigil excubo, ut audiam Dei oraculum, uti dixi c. 2. v. 1. ecce ab eo audivi, et audio, ut cœpi dicere v. 1. tantam stragem fore Iudæorum per Chaldæos, et Chaldæorum per Cyrum et Persas, ut eam cogitans contremiscam et cohorrescam, nimirum, ut dum eam ruminō, cor mihi commoveri et vox tremere videatur. Tristes enim et atroces, etiam hostium, casus naturaliter horrorem incutiunt, et natura quemdam compassionis motum sensumque excitant, uti excitavit casus Babylonis Isaia c. 21. 3. ita S. Hieron. Hugo, Clarius et alii. Allegor. Theod. q. d. Audivi a te Domine, quod populus meus Christum sit occisurus, ideoque excindendus a Tito: quocirca conturbatus sum et contremui; sed me consolor, quod eo tempore non ero superstes, nec tanta mala videbo,

**INGREDIATUR PUTREDO IN OSSIBUS MEIS.**) q. d. Sed quid me hisce stragibus frustra discredio? iam enim a Deo absolute decretæ sunt, ideoque inevitabiles. Quid ergo? hoc unum superest quod optem et orem, nimirum, opto Domine oroque, ut veniant in me omnes tribulationes et ærumnæ, adeo ut ossa mea putrescant, et caro mea instar S. Iob, pus vomat, et vermibus scateat, dummodo mihi concedas ut requiescam in die tribulationis, id est, excidii Babylonis, ut tunc eum Chaldæis non perimar a Persis, sed ex ea iubente Cyro redux ascendam ad populum nostrum, ut illi annumeratus, cum eo et inter eum sospes pergam in avitam patriam. Ipse enim duce Zorobabele, instructa quasi acie accinctus ad iter, per medios hostes fortis et felix redibit in Iudæam: ita S. Hieron. Hugo et Iansenius. Aut, q. d. Emoriar Domine, ne videam hanc tribulationem et captivitatem gentis meæ; sed in suavi mortis somno quiescens ascendam et transeam ad cœtum Abraham, Isaac, Iacob, Iosue, aliorumque virorum sanctorum et fortium e populo meo, qui olim pro gente sua armis accincti, insignes de hostibus victorias retulerunt.

Nota, Hebr. יְגֻדְנִי *iegudenu*, id est, accinget eum, Nostrum legisse יְגֻדְנִי *iegudenu*, id est, quem accinget, vel qui accinget nos, id est, accinctum nostrum. Rursum, *iegudenu* non tantum significat accinctum, sed et unitum; collectum, colligatum, congregatum et coniunctum: inde enim turmæ et congregationes militum vocantur גְּדֻדִים *ghedudim*. Iam fideles et sancti cum diem suum obirent, dicebantur congregari et colligi ad populum suum, patribusque suis apponi et copulari, uti de Mose dicitur Numer. 27. 12. de Iosia 2. Paral. 34. 28. Dicebantur autem pii viri colligi, seu colligari in fasciculo viventium, 1. Reg. 25. 29. ut instar odoratissimorum florum fasciuli, in æternum essent in manu Domini, Eccli. 39. 17. Ad hunc igitur floridissimum hortum Palæstinæ, fragrantissimis Patriarcharum, Prophetarum, cæterorumque iustorum floribus vernantem; ad hunc sanctorum populum iam accinctum, id est, in fasciculo viventium iam collectum et colligatum, in terra autem promissionis sepultum, se ascensurum lætatur, simulque orat Habacuc, Hebræi populi repræsentans personam. Horum enim summum desiderium Israelitis in captivitate tenuisse credibile est. Sic Iacob desideravit sepeliri, non in Ægypto, sed in Chanaan, ubi parentes, Abraham et Isaac sepulti erant, Genes. 47. 29. Sic et Ioseph Genes. 50. 23. Quin et Æneas apud Virgil. Palinuri mortem deplorat, quod longe a suis in peregrino solo sepeliretur:

*O nimium cælo et pelago confise sereno,  
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.*

Anhelabant ergo Israelitæ a Babylone redire, et aggregari patribus suis sanctis, qui in Palæstina debebant sepulsi, quasi stationarii quidam ac præsidarii terræ illius milites, quorum subsidio Iudæi tot periculis et calamitatibus erepti, tot beneficiis a Deo affecti iugiter extiterant: ita Guevara.

Aliter vertit Pagninus, nimirum, *ingressa est putredo in ossa mea, et in loco meo expavi, qui me putabam requiescere in die angustia, quæ erit quando hostis cogitabit ascendere contra populum, ut succidat eum.* Aliter quoque Vatabl. et alii, qui dum suo more Hebræa concisa varie supplent, a Vulgato recedunt. Porro Guevara in contra-

Ariam prorsus abijt sententiam: censet enim hæc verba Prophetæ non indolentis, sed lætantis esse, ac gestientis ex læto oraculo de Chaldæorum excidio et Iudæorum libertate. Solet enim vehemens lætitia totum corpus alterare ac commovere, imo evanescentibus spiritibus abire in deliquium ipsamque mortem. Multi enim ex repente et ingenti gaudio animam exalarunt, uti pluribus exemplis demonstrat Guevara. Hunc ergo huius loci dat sensum: Audivi, inquit Habacuc, Babylonem a Cyro excindendam, et Iudæos meos ex ea liberandos; atque dum mentis auribus tam iucunda nuncia percipio, cor meum et omnia interiora mea tremefacta sunt, ac ad vocem et lætissimum hoc nuncium, præ gaudio contremuerunt labia mea. E cunctis enim membris tremor hæc tria maxime solet invadere, labia, genua et cor. Ad subitas quippe animi perturbationes, sive doloris eæ sint, sive lætitiæ, cor palpat, concutiuntur labia, et genua pariter collabuntur. *Ventrem* autem Hebræa dialecto Propheta pro corde posuit. A corde enim lætitiæ, sicut et mœroris, motus exoritur æque ac in eodem desinit. Quidquid enim a collo usque ad inguina est corporis, venter ab Hebræis vocatur. Quod autem sequitur: *Ingredietur putredo in ossibus meis, et subter me scateat*, periphrasis est mortis, quæ teste Aristotele, putredo quædam est. Is enim in Problem. quærens: *Cur diutius vivunt, qui locis calidis suam degunt ætatem?* Respondet, *An quia natura sunt sicciore? frmius autem diuturniusque quod siccius est: mors autem putredo quædam est.* Hac mortis periphrasis usus est Iob, dicens cap. 13. v. 28. *Qui quasi putredo consumendus sum.* Et c. 17. v. 14. *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus.* Et c. 25. v. 6. *Homo putredo, et filius hominis vermis.* Et Eccl. c. 19. v. 3. *Qui se iungit fornicariis, erit nequam: putredo et vermes hæreditabunt illum,* id est, cita et præcoci morte occumbet. Inquit igitur Habacuc: Audito tam hilari nuncio tanta lætitia præoccupatus sum, ut et intus totis visceribus, et labiis exterioribus contremiscerem, parumque abfuerit quin exanimatus putrefierem, et putridus vermibus scaterem; id est, parum abfuit quin emorerer risu, et tantam lætitiæ non sustineas exanimarer. Aut, q. d. Amodo iam ob tam faustum oraculum lætus morior, nunceque profecto tempus est, eum iam alacer et contentus occumbam: posthac licebit utique per me, ut ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat. Atque ut dixit Chærea: *Nunc tempus profecto est, cum perpeti me possim interfici.* Verum huic expositioni adversatur id quod sequitur: *Ut requiescam in die tribulationis*, quæ verba significant hæc non esse lætantis, sed dolentis et paventis, ac expavore optantis quilibet perpeti, ut in die tantæ tribulationis ei detur quiescere, eiusque mala et sensum evadere.

Mystice, hæc usurpet, hæc oret quisque fidelis, et eum <sup>Mystice.</sup> S. August. dicat: Hic ure, hic seca Domine, ut in futuro parcas, ut in die iudicii requiescere merear, quando mystica Babylon, id est, mundus, in quo est confusio tyrannorum superborum et vitiorum omnium, a te disperdetur, et in æternam gehennæ miseriam detrudetur: nimirum, ut, cum reprobi dicent montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos; ego eum Sanctis ascendam ad populum electorum, eum coque scandam in cælum, qui in hac vita armis spiritalibus accinctus, fortiter contra peccatum et diabolum dimicavit, ideoque in illa die corona æterna donabitur; ut sicut hic accinctus fuit gladio ad prælium, ita ibi accinctus sit paludamento et baltheo gloriæ ad triumphum. Ita S. August. in Manuali c. 14. tom. 9. *O anima mea, ait, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et Sanctis eius sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? insidietur ergo demones, parent suas tentationes, frangent corpus icunia, premant carnem vestimenta, labores gravent, vigiliæ exsiccant, clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, palleat vultus,*

*infirmetur totum corpus, deficiat in dolore vita mea et anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me seateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum.*

2. Denique S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 10. ex Septuag. legit: *Et introivit tremor in ossa mea, et subter me turbata est virtus mea: sieque explicat, q. d. Non mea virtutes, in qua superius raptus imperturbabilis sum; sed mea infirmitas est, qua interiorum turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis: quia super se ascenderit, in quantum rapiebatur ad summa, et sub semetipso erat, in quantum adhuc reliquias traherat in infirma. Ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei iam contemplationem transierat: ipse sub se perturbabilis, quia sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat.*

Vers. 17. **FICUS ENIM NON FLOREBIT.** ) q. d. Tanta erit Babylonis per Cyrum vastitas, tantum incendium, tanta desolatio, ut exarescant licus, vineæ, germen, oves et armenta. Chaldaeus Paraphrasticè et nimis libere, imo violenter et false ita vertit: *Etenim regnum Babel non permanebit, nec exercebit dominium in Israel: trucidabuntur reges Medie, et fortes Græciæ non prosperabuntur; delebuntur Romani, nec colligent tributum de Jerusalem.* Quæ verba redolent iudaismum: Iudæi enim expectant suum Messiam, qui deleat Romanos; Græcosque, Medos et alias gentes omnes sibi et Iudæis subigat.

Tropol. Mystice S. August. lib. 18. Civit. 32. hæc explicat de sterilitate honorum spiritualium, quam passi sunt et patiuntur Iudæi ob cæsum Christum: *Vidit, inquit, eam gentem quæ Christum fuerat occisura, ubertatem copiarum spiritualium perdituram, quas per terrenam fecunditatem more prophætico figuravit. Et quia iram Dei talem propterea passa est illa gens, quia Dei ignorans iustitiam, suam voluit constituere, ille continuo: Ego autem, inquit, in Domino gaudebo et exultabo in Deo Jesu meo.*

**MENTIETUR OPUS OLIVÆ.** ) Opus oliuæ est fructus oliuæ, quem producit olea, q. d. Olea non feret olivas, quas frondendo promittebat, itaque faller herum suum, eique quasi mentietur, dum spondebit fructum quem non præstabit. Unde explicans subdit: *Et arva non afferent cibum.* Sic Horat. *Spem mentita seges.*

Vers. 18. **EGO AUTEM IN DOMINO GAUDEBO.** ) Hebr. **עָלַלְתִּי** *celosa*, quod Græci dicunt *αλάλατος*, Septuag. *αγαλλισομαι*, id est exultabo, iubilabo, canam alala, idque *in Domino*, propter opem et salutem ab eo mihi præstitam. Gaudere in Domino, est de illius in nobis imperio, gubernatione et protectione lætari; quidquid boni ac læti interiori aut exteriori nobis contingit, illi acceptum ferre, proque acceptis ab eo beneficiis gratias illi cum iucunditate et iubilo rependere. Vide dicta Philip. 4. 4.

Nota *το autem*, quod hæc connectit et opponit præcedentibus, q. d. Hostes et oppressores nostri Chaldaei, in excidio Babylonis erunt in summa miseria, vastitate et desolatione rerum omnium: ego autem cum meis Iudæis ex Babylone liberandus et rediturus in patriam, in Domino iam felix gaudebo, qui iustam de Chaldæis sumpsit ultionem, nosque ereptos ex eorum servitute et tyrannide, liberos et alacres domum regredi concessit. Ipsum enim mihi hanc salutem, hoc decus, hanc felicitatem parasse, cum gaudio iugiter et gratiarum actione profitebor.

**ET EXULTABO; TIGURINA GESTIAM, IN DEO IESU MEO.)** Pagnin. Vatabl. et alij recentiores, in *Deo salute mea*, qui scilicet hanc ex Babylone liberationem et salutem mihi attulit: hoc enim significat Hebr. **יְשׁוּעַי** *isei*. Sic Deus antonomastice et metonymice dicitur salus, quia salutis omnis fons est et auctor; Psal. 34. 3. *Die animæ meæ, salus tua ego sum.* Psalm. 3. 9. *Dominus est salus.* Psal. 37. 23. *Dominus Deus salutis meæ.* Psal. 68. 30. *Salus tua Deus suscepit me.* Verum melius et dulcius, ait S. August. 1. 48. Civit. 32. vertit Noster, in *Deo Jesu meo*. Legit enim pro *isei*, alijs punctis **יְשׁוּעַי** *Ieseiui*: *Ieseiui enim est Iesus, Ieseiui est Iesus meus; ut significet teneras amoris delicias, instar S. Francisci iubilantis: Deus meus, Iesus meus, amor meus et omnia.* Sic quoque videntur legisse Septua-

**A**ginta, vertunt enim, *in Deo salvari*, id est, Salvatore, *meo*: Iesus enim idem est quod salvator; et Chaldaeus, *in Deo factore redemptionis meæ*; Syrus, *et exultabo in Deo salvatore (redemptore) meo*; Arabicus Alexand. *et exultabo in Deo salutis meæ*; Arabicus Antioch. *et gaudebo in Deo Domino dominorum*, iubilando. Habacuc ergo in spiritu providens, Iosue qui eduxit Hebræos ex Aegypto, et Cyrum qui eodem ex Babylone liberavit, tam re, quam nomine fuisse typos Iesu Christi: adeoque hanc liberationem et salutem populo Dei attulisse virtute divinitatis et meritis humanitatis Iesu Christi: denique ipsum longe maiorem, æternamque redemptionem et salutem nascendo generi humano allaturum; exultans in spiritu iubilando, nomenque eius *Iesus*, sexcentis annis ante ortum eius prophetat et nominat, cum eoque dissuaviatur: quia prævidebat se et nos per eum liberandos ab hostibus omnibus, puta a dæmone, peccato, concupiscentia, carne, mundo, inferno, ac omni gratia, gloria, salute et felicitate cumulandos.

**B** Moraliter, hic discimus, quam amabile et reverendum sit nomen Iesu, ut in eo iugiter exultare et gestire debeamus; ac dicere cum S. Bernard. *Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.* Nomen enim Iesus significat primo, omnia dona et bona ab eo nobis donari: hæc enim omnia complectitur nostra salus, quam attulit Iesus, id est, salvator. Sicut ergo omnes aquæ e sua manant scaturigine et fonte, omnes radii lucis a sole, omnes sinus et brachia maris ab Oceano; ita omnis virtus, omnis gratia et sanctitas in sui principio, medio et fine profluit a Iesu. Iesus est qui omnes sordes peccatorum suo sanguine abluit et abstergit, qui concupiscentiæ ardores sopit, qui consuetudinum malarum vincula rumpit, qui passionum furorem edomat, qui iugum et tyrannidem diaboli confringit, qui libertatem menti restituit, qui animam sua gratia exornat, eamque facit liliam, sponsam et templum Dei, qui conscientiam tranquillat et serenat, qui sensus internos spiritumque acuit et vivificat, qui intellectum rerum divinarum cognitione illuminat, qui voluntatem earundem desiderio inflammat, qui infirmitatem nostram corroborat, qui in tentatione dat victoriam, et in bello triumphum. Si in desolatione degis, Iesum invoca, consolatorem experiere. Si timores, si scrupuli, si anxietates te stringunt, Iesum invoca, dabit tibi cordis latitudinem et lætitiã. Si cholera te infestat, Iesum invoca, felle passionis, et melle mansuetudinis eius dulcorabitur. Si paupertas, si morbus, si tribulationes, si hostes te invadunt, Iesum fidenter invoca: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? si consurgant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Quocirca viri pii assidue in ore habent nomen Iesu et Mariæ, ad eumque crebro suspirant, dicendo: *Iesu esto omnis actionis meæ dux et director.* Iesu esto mihi in labore adiutor, in dolore medicina, in æstu refrigerium, in morte vita. Iesu bone in omni actione et passione assiste mihi: redde mihi meritum salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Iesu dulcissime, rape ad te cor meum: esto mihi Iesus, tui amore me inebria, ut nil cogitem, nil amem, nil desiderem, nisi te. Mi Iesu in hora mortis adsis mihi, et suscipe spiritum meum, ut ætissimis amoris vinculis tibi uniar, et in æternum te fruar in celo.

**D** Secundo, nomen Iesus non tantum significat salvatorem, et salutem quam nobis dedit, sed et modum quo nos salvavit, qui fuit eximius et admirabilis. Non enim uti verbo nos creavit, ita et verbo recreavit et salvavit; sed infirmitates nostras in se suscepit, ut eas in nobis sanaret: peccata nostra sua fecit, luitque in corpore suo acerbissimis penis, ut ea in nobis aboleret: mortem nostram in se suscepit, ut morte sua nobis vitam redderet. Cum ergo Iesum dicimus, dicimus Verbum carnem factum, Deum humanatum, qui pro nobis iacuit in præsepito, circumcisus est, laboravit, sudavit, levit, famem, sitim, æstus, frigora toleravit; qui pro nobis captus, verberatus, conspultus, irrisus, flagellatus, spinis coronatus, felle potatus, clavis confixus, crucifixus, occisus est. Hæc omnia

Moral de nomine Iesu. 1.

11.

significamus, cum Iesum nominamus. Quocirca nomen **A** Iesu, uti summe est hominibus desiderabile, et angelis reuerandum; ita summe dæmonibus est tremendum et horreudum, ut eo auditio expavescant et diffugiunt. Vide S. Bernard. serm. 15. in Cantica. Iesus ergo sit amor noster, et centrum cordis nostri. Iesus sit spiritus oris nostri, Thren. 4. 20. Iesus sit anima et vita nostra, ut, sicut in illo secundum Deum vivimus, movemur et sumus, ita illi soli serviamus et placeamus; illi soli loquamur, videamus, ambulemus, operemur et patiamur quidlibet, quantumvis difficile et arduum.

Præclare S. Chrysost. homil. 11. in epist. 2. ad Corinth. Cum, inquit, per Christum Iesum mortuum vivamus, ei utique, ob quem vivimus, vivere debemus. Et S. Bernard. serm. de quadruplici debito, hoc primo loco assignat. Primo, inquit, Christo Iesu debes omnem vitam tuam. quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatu anaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Ac post multa in hanc rem, ita concludit: Cum ergo ei donaveris quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est sicut est iel-ta ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Idem tract. de dilig. Deo: Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro refeito, et refectio hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus: nam qui me semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?

Vers. 19. **DEUS DOMINUS FORTITUDO MEA.** ) Hebr. Ichova noster elohim, id est, noster provisor, gubernator et rector, est **חילי cheli**, id est, virtus mea, strenuitas mea, vigor meus, exercitus meus, vires meæ, robur meum. Nullam enim a- liam nisi in Christo habeo virtutem, et cunctas legis iustitias quisquillas computabo, ait S. Hieronymus.

Porro Propheta hic exultat et triumphat, non in se, sed in Domino, dicens: Deus Dominus fortitudo mea. Sicut enim aeris lumen est sol, nec interest utrum hoc lumen innatum ei sit, an a sole mutuatum, modo ita ei promptum sit, et ad manum, ac si ei esset innatum: sic nos Dei et Iesu viribus utimur, ac si essent nostræ, ideoque ipse est fortitudo nostra. Quid autem hæc eius fortitudo in nobis efficit? Ponet, inquit, pedes meos quasi cervorum, ut impigre, alacriter et sine fatigatione currant, non solum in infimis et in planitie, sed super excelsa et difficilia quæque, idque me non dolente aut gemente, sed in psalmis cum iubilo et gratiarum actione canente. Id videre ad oculum est in novitiis Religionum, quos Deus tanta lætitia, fervore et spiritu cumulat, ut ardua quæque Religio- nis exercitia alacres capessant, de quibus apposita et il- lustrata exempla recenset P. Platus lib. 3. de Bouo status religiosi cap. 16.

**ET PONENT PEDES MEOS QUASI CERVORUM.** ) Sub cervis cervas intellige. Nam cervus, bos, equus, ovis, etc. tam fœminas, quam mares significant. Nam hebr. est **צילות** **aiulot**, id est cervarum. Cervæ enim cervis maribus sunt velociore, quia cornibus ut illi, non prægravantur. Mas etiam cum piguerit, quod valde tempore fructuum fit, nusquam apparet, sed longe secedit, ut qui corpulentia suæ gravitate capi se posse facilius sentiat. Adde, quod ferarum quadrupedum, ut ait Aristot. cerva maxime pru- dentia excellere videatur. Quin et Q. Sertorii cervam fa- tidicam esse Hispani crediderunt, ait Plinius lib. 8. c. 32. Tum quia cerva circa semitas parit, quo feræ propter ho- mines minus accedunt: tum quia cum peperit, involu- crum primum excedit, mox seselim herbam petit, quam cum ederit, redit ad prolem. Præterea hinnulum quem genuit ducens in stabula, assuefacit quo refugere debeat. Saxum hoc est abruptum, uno aditu: quo loco etiamsi quis invadit, expectare repugnareque, etiamsi excornis sit, affirmant. Hæc omnia habet Aristot. lib. 9. Histor. animal. c. 5. et Plinius loco citato. At contra maribus,

Cervæ  
cervis  
velocio-  
res, cur?

*Degener est animus, pectusque ignobile cervis.  
Ingens ad fastum cornu, sed inutile pondus  
Eminet: ut nunquam confligere cornibus ausint.*

Per cervas ergo significat Habacuc, Iudæos Dei ope non tantum celerrime e Babylone in antiqua stabula, et excel- sa abruptaque saxa ac montes Palestinæ redituros; sed etiam bello fore acres et martios, ut finitimis nationibus urbis Ierusalem reædificationem interpellantibus generose resistent, iisque inviis eam restaurent, inquit Guevara.

Tropolog. S. Gregor. lib. 26. Moral. 10. Electorum, ait, mentes cervi dicuntur, dum quæque quæ in hoc mundo ob- viantia obsistere sibi conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum despectis terrenarum re- rum sensibus, in superna, id est æterna, se evadunt.

**ET SUPER EXCELSA MEA**, iuga collium et montium Iu- dææ, **DEDUCET ME**, hebr. **דריכני** *iudricheni*, id est, cal- care me faciet, **VICTOR IN PSALMIS CANENTEM.** ) Quibus sci- licet læta Deo victori epinicia, laudes et gratiarum actio- nes cum canticis, organis et iubilo personem et concrep- pem. Loquitur Habacuc in persona non tam sua, quam Iu- dæorum, qui festivo redituri erant e Babylone. Nam ipse eousque non vixit, nec hunc reditum aut redeuntium gau- dium vidit.

Mystice, S. Hier. in psal. 17. Deus, ait, dat ponitque no- bis pedes quasi cervorum, imo cervarum, eum facit sua consolatione et gratia, qua mentem mulcet, ut omnia munda excelsa, tam invitamenta, quam impedimenta et tenta- menta, omnia ardua virtutum opera, labores, dolores et cruces, non tantum fortiter, sed et alacriter, lætoque et hi- lari animo canentes et iubilantes (unde aliqui vertunt, *super colla inimicorum meorum imponet me*) transiliamus.

Anagogice, per pedes cervorum significatur dos agili- tatis, quæ Sanctos agilissime per excelsa cælorum transire, imo transvolare faciet, q. d. Deus peracto iudicio agilissime me cum aliis Sanctis sustollet in cælum, ut ibi illi et A- gno iuges concinam laudes, quas audivit S. Iohannes A- poc. 3. 12. Christo victori mortis, inferni et hostium om- nium: qui me omnem mundanam solemnitate contem- platione cælestium transcendere fecit, ait S. Hieron. Qui et addit: *Et ponet pedes meos quasi cervorum, ut calcem super aspidem et basiliscum, etc. Similis enim est fratrue- lis meus caprea, aut hinnulo cervorum, Cant. 2. Et quia ipse est cervus, mihi quoque donavit ut cervus essem, sublimis cornibus; fundens ungulas, cibos ruminans, et ad o- dorem meum serpentes fugans, de quo dicitur psal. 28. Vox Domini perficientis cervos. Ponet ergo pedes meos in- ter cæteros cervos suos, et ad cælestia perducet, ut inter angelos canam gloriam Domini, et super terram pacem hominibus bonæ voluntatis annunciem. Canam autem victo- riam eius, et triumphum, et trophæum crucis.*

**VICTOR.** ) Hebr. **למנצה** *lammnatch*, id est, victori, sci- licet canentem me in psalmis. Unde Chald. cuius, ait, sunt victoriæ et virtutes: proinde coram eo ego fides pulso cum hymno meo; et Pagnin. victori in psalmis meis. Ita et Ti- gurina, Vatabl. Guevara, Ribera, Iansenius et alii pas- sim, qui censent legendum victori (non victor: sic enim legit S. Hier. in commentario, Remigius et alii) Videtur enim Propheta alludere ad psalmum 3. 4. 5. et sequen- tes, quibus titulus est *lammnatch*, id est *vincenti*, sci- licet Christo. Unde Septuag. vertunt, *in finem*, id est, Chri- sto; qui legis et psalmodum est finis et scopus, illi enim psalmi sunt epinicia Christi. Licet Aquila, Theodot. Va- tabl. Eugubin. Iansen. Arias, Genebrard. et alii recen- tiores passim cum Rabbini censent, *lammnatch*, id est, vincentem, vocari præfectum cantorum: unde addit tam Psaltes, quam Habacuc hic in Hebr. **בנגינות** *binghinot*, id est in *neghinot*, quod genus est musices, vel instrumenti. Quocirca Tigurina vertit, *in excelsis meis incedere me faciet præfecto cantorum in instrumentis meis musicis*, ut scilicet eum præfecto et subpræfecto, eo dirigente concinam psalmos in laudem Domini: vel q. d. Gratias agam Deo ductori meo, cantando psalmos illos, quibus titulus præfigitur *lammnatch*, id est, *vincenti*, hoc est præfecto cantorum. Hic enim ad litteram intelligitur, cum in titulo

Anagog.  
pedes  
cervo-  
rum est  
dos agili-  
tatis.

psalmi inscribitur *lammatscach*, per quem allegor. intelligitur Christus. Radix enim *נצח* *nulsach* significat instare, urgere, vincere: inde præfectus, qui dirigit urgetque cantores sibi subiectos, vocatur *menatscach*, id est,ургens, vincens, superans: quia ipse in musica et cantu princeps est, ceterosque cantores superat, eantumque ad finem usque perurget et perducit. Vincit ergo ipse et triumphat in musica. Porro quod aliqui censent hoc canticum ab Habacuc inscribi *lammatscach*, id est, præfecto eantorum, illique dicari, ut ipse illud in templo concini curet, sicut David psalmos iam dictos eidem inscribit et destinat ad idipsum, non videtur verum: tum quia sic *lammatscach* initio cantici ponendum fuisset, ut illud ponit David initio psalmorum, non autem in fine, uti hic ponitur: tum quia additur *binghinotai*, id est, in psalmis meis: psalmodiam ergo intelligit suam, non præfecti cantorum.

Verum quia subinde (licet raro et anomale) littera *lamed*, quæ est initio *lammatscach*, estque articulus et nota dativi casus, servit nominativo, ut sit idem quod hæc demonstrativum; hinc *lammatscach* vertit potest *victor* in nominativo; et ita legit Remig. Haymo, Albert. Hugo, Clarius et alii. Rursum *lamed* sæpe servit accusativo: unde *lammatscach* verti potest, *victorem* æque ac *victori* et *victor*. Hæc tria hic apposita sunt et connexa: unde omnia videntur intenta et significata a Spiritu sancto, q. d. Deus ipse *victor* fecit me *victorem* per Iesum Christum, deditque ut Christo *victori* iuges et æternas laudes concinam, ac præsertim illos psalmos qui sunt epinicia Christi, ideoque inscribuntur *lammatscach*: ita S. Hieron. Remig. Hic sensus plenus est, omnesque iam dictos complectitur.

Septuag. pro *lammatscach* legentes *נצח* *lanatscach*, id est, ad urgendum vel vincendum, vertunt, ut *vincam in cantico eius*, q. d. Ut in laudando Deum, psallendo et gratias agendo ceteros vincam, imo eos urgeam et sollicitem, ut pro me et mecum Deo psallant et iubilent. Unde

Anagog.

Anagogice S. Hieronym. hæc refert ad triumphos et hymnos Beatorum, postquam calcaverint excelsa quæque mundi: *Tunc, inquit, quicumque iustus et electione Dei dignus fuerit inventus, loquetur exultans: Ego autem in Domino exultabo, gaudebo in Deo salutari meo. Dominus Deus fortitudo meum. Et quasi positus a Deo super consummationem sæculi, ut postea ad superiora conscendat, et a Deo educatur ad summum, dicit: Et ponet pedes meos in consummationem, super excelsa imponet me, ut cum ab *αγαλλοειστη* Iesu, qui primus in agone superavit, præmium fuerit cantantibus positum, ego vincam in carmine eius, et manus meæ componant citharam et psalterium, et omne organorum genus, scribamque panegyricum triumphanti. Et Remigius: *Deducet, ait, me super excelsa mea. Ipse autem deducet me; quia hæc non mea virtus efficit, sed eius gratia. Deducet autem me canentem victori, id est, Christo triumphatori mortis et diaboli. Deducet ergo me super excelsa, hoc est, ad beatam supernæ civitatis frequentiam, quæ ex angelis et sanctis hominibus constat, ut illis admixtus atque coniunctus canam victori cum angelis: Gloria in excelsis Deo.**

Moral. de gratiarum actione.

Mor. discite Prophetas et Sanctos, omnes suas vires, virtutes, victorias et triumphos acceptos referre Deo et Christo. Ita Iephte Iudic. 11. 24. *Nonne, ait, quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem. Ita David benedicens Domino 1. Par. 29. 11. Tua, ait, est Domine magnificentia, et potentia, et gloria atque victoria. Ita Sapiens Sap. 10. Iusti, ait, tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt Domine nomen sanctum tuum, et victorie manum tuam laudaverunt pariter. Ita Moses parta victoria de Pharaone in mari rubro, *Cantemus, inquit, Domino: gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem proiecit in mare, etc. Exodi 15. 1. Et c. 17. 15. victo Amalce edificavit Moses altare, et vocavit nomen eius, Dominus exultatio mea. Ita Iudith cæso Holoferne cap. 16. 15. Deo victori hymnum eecinit: *Hymnum cantemus, ait, Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro. Adonai Domine magnus es tu, et præclarus in virtu-***

*te tua, et quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis creatura, etc. Multo magis Sancti vieto diabolo, carne et mundo triumphantes et regnantes cum Christo, illi omne suum robur, victoriam et gloriam ascribunt. Hinc Apoc. 4. 10. Procidebant, ait Ioannes, viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant vicentem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, honorem et virtutem. Et c. 15. 2. Vidi, ait, tamquam mare vitreum, et cantantes canticum Mosis servi Dei, et canticum Agni.*

Porro præclare noster Lessius lib. 12. de Perfect. divin. cap. 19. notat nos Deo nostro debere gratiarum actionem infinitam, nempe infinito tempore in futurum, infinito affectu et significatione gratitudinis, infinita cum animi demissione, infinita mentis devotione, infinito spiritus iubilo, ut cum Habacuc perpetim ei iubilemus: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.* Ratio est, quia beneficia eius, tum generalia creationis, incarnationis, passionis, Eucharistiæ, etc. tum peculiarium vocationis, iustificationis, et infirmorum beneficiorum, tum naturalium, quam supernaturalium, quæ ab eo continuo gratis ex mera eius liberalitate accepimus, et accipimus; sempiterna sunt, et infinitæ æstimationis, non modo in se ipsis, sed etiam ratione modi quo nobis sunt collata, et conferuntur, præsertim quia nos illis infinite quodammodo sumus indigni, atque illa a summa illa et angustissima Dei maiestate, quam ne respicere quidem meremur, nobis donantur. Simili modo ob eadem, sed maxime ob Verbum humanatum, puta Iesum Christum, qui nostra caro, noster frater, imo pater et redemptor fieri dignatus est, ideoque tot labores per triginta tres annos pro nobis exantlavit, ac atrocissimam passionem, crucem et mortem pro nobis ultro libensque sustinuit, denique se totum, quantum quantum est, nobis impendit et donavit, ut nobis hanc victoriam, salutem et gloriam pareret (præsertim, quia multi ab eo sunt vocati, sed pauci electi ad illam) debemus illi, totique SS. Trinitati infinitam laudem et benedictionem, infinitum amorem et obsequium: tum quia infinito amore, obsequio, benedictione et laude, ob infinitam suam perfectionem, in se dignissimus est: tum quia eius labores, dolores, amores et beneficia ex parte sua hanc infinitam compensationem postulant, quamvis ex parte creature ea præstari non possit. Mirum est homines cum S. Magdalena, S. Francisco, S. Dominico non rapi in extasim, dum eogitant et ruminant: *En Deus meus pro me in carne, imo in cruce.*

Infinite gratiæ Deo debentur infinitis modis.

Infinite itaque in omnibus absumus ab eo quod ipsi est debitum, seu ab eo quod ipse ex natura sua meretur, quodque nos ei debemus, licet solvendo non simus. Ut tamen quod possumus ei reddamus, crebro cum Psalte psalm. 102. ei iubilemus: *Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum. Et Ps. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo, in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Insuper, quia cum laudare, eique gratias agere quas debemus, neququam sufficimus, invitemus omnes angelos, omnes Beatos, omnes cælos, omnes creaturas, terrestres et celestes, ut nobiscum, et pro nobis Deo et Iesu Christo, de infinita in nos misericordia gratias agant, eumque laudent et benedicant, ac eum Daniele dicamus: *Benedicite omnia opera Domini Domino, Laudate et superexaltate eum in sæcula. Benedicite angeli Domino. Benedicite caeli Domino, etc. Quin et divino amore ebrii, optemus mille linguas, mille corda, mille animas, mille vitas, mille corpora, quæ in ipsius honorem consumamus et expendamus: imo optemus tantum eum amare et laudare, quantum eum amant et laudant omnes Sancti in cælo, ac eorum laudes et mentes quasi induamus, ut per eos Deum immense diligamus, colamus, celebremus, et glorificemus. Amen.**

## COMMENTARIA

IN

## SOPHONIAM PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

Sopho-  
nias  
quis?

**S**OPHONIAS Hebr. idem est quod *speculator Domini*. Radix enim צפח *tsapa* significat speculari: יא *ia* est nomen Dei, puta per crasin idem quod Iehova: vel *absconditus Domini*, a rad. צפח *tsaphan*, id est, abscondit. Qui enim speculari volunt divina, uti Prophetæ, necesse est ut mentem oculosque avocent a terra, eosque in Deo abscondant. *Sophonias*, ait S. Hier. ad Paulinum, *speculator et arcanorum Dei cognitor, audit clamorem a porta piscium, et ciulatum a secunda, et contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ: quia conticuit omnis populus Chanaan: disperierunt universi qui involuti erant argento.* Idem hic: *Sophonias*, ait, *Propheta, nomine (ut ita dicam) prophetico, et gloriosa maiorum suorum stirpe generatus est. Habuit enim patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam, et talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit. Nomen Sophoniæ alii speculam, alii arcanum Domini translulerunt. Sive igitur specula, sive absconditum Domini interpretetur, utrumque Prophetæ convenit. Dicitur enim ad Ezechielem: Fili hominis speculatorem te dedi domui Israel. Iste ergo Propheta, qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat mysteria Domini, filius erat Chusi, etc. Porro S. Epiph. in vita Sophoniæ: *Sophonias*, ait, *Propheta a monte Sarabatha e tribu ac prosapia erat Simcon. Is quoque de Hierosolyma prophetavit, nempe quod multo fortè satius, si in longum latumque ædificaretur: super consummatione etiam Gentium, nec non et super confusione impiorum, deque adventu Domini. Vitam morte commutavit in apocalypsi Domini: et solitarius in arvo suo funeratus est.* Eadem habent S. Dorotheus et Isidorus in *Sophonia*. Denique *Sophonias* Sanctorum catalogo adscriptus legitur in Martyrol. Romano die 3. Decembris.*

Quando  
prophetavit.

Prophetavit tempore Iosia regis Iuda, ut ipse ait c. 1. 1. qui fuit rex piissimus, fidemque et cultum veri Dei, eversis excelsis et idolis, in Ierusalem restituit. Eodem tempore prophetavit Ieremias, ut ipse ait c. 4. v. 1. et Holda prophetissa 4. Reg. 22. 14. Tradunt Hebræi, et ex iis Arias, Vatabl. et a Castro, Ieremiam prophetasse publice in plateis, Sophoniam in Synagogis, Holdam in cœtibus mulierum: licet Ribera id ridiculum censeat, et rideat. Præcessit ergo Sophonias Ezechielem et Danielelem, qui sub Ioachim nepote Iosia, ut patet ex eorum exordio, prophetarunt. Hinc sequitur, Sophoniam prophetasse post vastatam Samariam et captivitatem decem tribuum (hæ enim in Assyriam abductæ sunt anno sexto Ezechia, qui fuit atavus Iosia), ac consequenter cum vaticinari solis duabus tribubus reliquis, puta Iudæ et Beniamin. Hæc ergo hortatur ad poenitentiam, præsertim ut relicta idololatria ad Dei cultum redeant: ni id faciant, minatur eis inevitabile excidium per Nabuchodonosorem, æque ac Ammonitis, Moabitibus, Æthiopicibus et Assyriis. Tandem

consolatur eas spe liberationis et reditus e Babylone, ac magis promissione Christi liberatoris, qui per suam incarnationem omnibus gentibus salutem afferet, inquit Theodor. dando evangelicam legem, in qua tam Gentes, quam Iudæi sancte et feliciter sint victuri usque ad finem mundi diemque iudicii, quando Iudæi aliique infideles, qui Christum recipere noluerunt, damnabuntur, et æternis gehennæ pœnis addicentur. Censet Ribera Sophoniam prophetasse primis octodecim annis Iosia: nam anno 18. Iosias templum et populum ab idolis emundavit, et Deo reconciliavit, ita ut deinceps populus sub eo non coluerit idola, quæ hic redarguit Sophonias. Verum hæc ratio non concludit certo. Nam Ieremias cœpit prophetare anno 13. Iosia, et perrexit continue sub eo detonare contra idola: quia licet ea publice a Iosia essent abolita, privatim tamen adhuc a multis retinebantur et colebantur: ita S. Hieron. Sophonias ergo ex alta revelationis divinæ specula, eminus speculatur diem excidii urbis Ierusalem, et alleg. orbis universi. Unde inelamat diem illam fore tribulationis et angustia, diem calamitatis et miseria, diem tenebrarum et caliginis, diem nebulae et turbinis, diem tubæ et clangoris, ut eius terrore et horrore omnes intubellat ad poenitentiam, lacrymas et preces, æque ac facit Ioel, cui similis in stylo et patho est Sophonias; atque Ieremias, cuius quasi compendium et abbreviator est Sophonias, inquit Isidorus. Utrumque imitetur concionator, qui non aures vult scalpere, sed esse malleus Domini conterens petras, saxea inquam peccatorum pectora. Id faciet, si discat esse Sophonias, si in specula cum Deo versetur: ibi enim videbit quis quantusque sit Deus, ac despiciet hoc terræ punctum, et quæcumque in ea punctula sunt despuet.

Prædicator sit  
Sopho-  
nias, id  
est spe-  
culator.

Præclare Seneca epist. 41. *Quemadmodum, inquit, solis radii contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur; sic animus magnus et sacer, et in hoc demissus, ut propius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ: illinc pendet; illuc spectat ac nititur.*

Præclarior S. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Cui, inquit, aliena cura committitur, speculator vocatur, ut in altitudine mentis sequeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est, longe prospiciat. Et quisquis populi speculatore ponitur, in altum debet stare per vitam, ut possit prodere per providentiam. Hinc Propheta alius speculatorem admonet dicens: Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion, Isaia 48. Ut videlicet qui prædicationis locum suscipit, ad altitudinem bonæ transeat actionis, ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat.*



## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Prædicat Deus excidium Hierosolymæ, ob incolarum peccata, per Chaldaeos quasi sanctos sacerdotes, qui impios Iudæos, quasi hostiam, iustitiæ et vindictæ suæ immolent. Unde v. 40. Iudæorum clamorem et ululatum describit: quia, inquit, scrutabor Ierusalem in lucernis, et visitabo super viros delixos in fœcibus suis. Denique v. 44. acerbitatem huius diei repræsentans ait, hanc diem fore diem calamitatis et miseriæ, æque ac iræ et zeli Dei, a qua nemo se per aurum vel argentum redimere poterit.*

1. **V**ERNUM Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiae, in diebus Iosiae filii Amon regis Iudæ. 2. Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus: 3. Congregans hominem et pecus, congregans volatilia cæli et pisces maris: et ruinæ impiorum erunt: et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus. 4. Et extendam manum meam super Iudam, et super omnes habitantes Ierusalem: et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina ædituorum cum sacerdotibus: 5. Et eos qui adorant super tecta militiam cæli, ed adorant, et iurant in Domino, et iurant in Melchom. 6. Et qui averuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. 7. Silete a facie Domini Dei: quia iuxta est dies Domini, quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. 8. Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina: 9. Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium, et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus. 11. Ululate habitatores Pila: conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento. 12. Et erit in tempore illo: scrutabor Ierusalem in lucernis: et visitabo super viros defixos in fœcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, et non faciet male. 13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum: et ædificabunt domos, et non habitabunt: et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. 14. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est et velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. 15. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis. 16. Dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. 17. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt: et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. 18. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli eius devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

Vers. 1. **A**D SOPHONIAM FILIUM CHUSI.) Tradunt Hebræi, ait A liqu. 3. non alium Ezechiae regis filium assignant, quam Manassem. Hieron. cuiuscumque Prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque Prophetas fuisse. Unde et Amos unus de duodecim Prophetis, qui dixerat, Non sum Propheta, nec filius Prophetæ, sed pastor caprarum vellicans sycomoros, patris nomen in titulo non habet. Hoc si verum est, Sophonias gloriosa maiorum suorum stirpe generatus est. Deinde Symbolice nomina singulorum explicans: Sophonias, inquit, qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat sublimia Domini, filius erat Chusi, qui interpretatur humilitas. Habebat quoque avum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini: et proavum Amariam, qui et ipse vertitur in sermonem Domini: et atavum Ezechiam, qui sonat fortitudo Domini. De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini, et de sermone Domini nata est magnitudo Domini, et de magnitudine nata est humilitas (viri enim sapientes et sancti quo magis a Deo illuminantur, et tolluntur in altum, eo magis cognoscunt Deum esse omnia, se vero nihil, ideoque magis se sub eo humiliant et deprimunt) ut, cum pervenerit aliquis ad perfectum dicat: Quia non sum dignus vocari Apostolus. Et illud in psalmis: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Hanc Hebræorum traditionem sequuntur Albertus, Haymo, Remig. Lyran. Hugo, Vatabl. Dionys. et alii passim: quia tunc cum propagatione generis fiebat propagatio religionis, ait S. August. et ex eo Albertus. Verum in hæc traditio per omnia vera et certa sit, discussi in præmio. Sufficit hoc loco dicere, hosce patres et avos Sophoniæ fuisse claros et illustres, undecumque id acciderit, ideoque hic nominari: ita Vatabl.

**EZECHIE.**) Rabbinii censent hunc esse Ezechiam regem Iuda, ita ut eius abnepos fuerit Sophonias. Verum id impugnat Ribera, a Castro et alii: nam hoc non tacuisset Sophonias, qui ex genere hic sibi auctoritatem conciliat. Adde, Scriptura 4. Reg. 20. 21. et Ioseph. libr. 10. An-

**CONGREGANS CONGREGABO OMNIA A FACIE TERRÆ.)** q. Vers. 2. Certo et omnino coacervabo et colligam in captivitatem et interitum, tradendo Chaldæis omnes incolas et omnia prædia terræ huius, scilicet Iudææ. Loquitur enim de strage et captivitate Iudæ, non aliarum gentium: omnia ergo, scilicet homines, pecora, volatilia et pisces maris, uti explicans subiungit. Unde Tigurina vertit, Conficiendo conficiam omnia; Vatabl. perdendo perdam; Compl. consumens consumam; alii proprie, colligam ut perdam, congregabo ut faciam deficere. Quocirca Septuag. vertunt; defectio deficiet homo et iumenta. Ubi Nota. Defectio, mors, interitus in Script. vocatur collectio. Causam dat noster Pineda in c. 34. Job v. 14. n. 5. Quia, inquit, cum a Deo derivetur omnis vita rerum viventium, quod in illa simplicissima Dei vita unitum est et collectum, hoc per exitum ad creaturas videtur dividi, et dispergi in multa ventia. Rursus, cum vita auferatur viventibus videtur id quod erat divisum in viventibus atque dispersum, uniri et colligi in suo principio, et vita illa participata revocari ad primam vitam et fontem vivendi. Unde colligere idem est quod disperdere aut perire, eo quod cum vita auferatur viventibus, illaque pereunt, videtur illa ipsa vita congregari et rursus colligi in Deo, ut spiritus redeat ad Deum qui fecit illum, Eccl. 12. 7. Rursus res omnes et animantia, excepto homine, cum intereunt, congregantur et redeunt in suam abyssum nihili, ex qua Deus eas creando ad tempus eduxit.

**VOLATILIA CÆLI ET PISCES.)** Quia, ut ait S. Hieron. vastatis urbibus, et hominibus interfectis, solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri, et volatiliam pisciumque, testis est Illyricus, testis Thraciu, testis in quo ortus sum solum, ubi præter eælum et terram, et crescentes repes et condensa sylvarum, cuncta perierunt. Addit Sanchez, perire dici ea quorum non est usus, q. d. Volbis, o

Judæis in Babylone captivis peribunt aves et pisces Iudææ, quia eas amplius aucupio capere et expiscari non poteritis.

Symbolice, Albertus per homines accipit cives, per pecus rusticos, per volatilia principes et arrogantes, per pisces gulæ et veneri addictos: pisces enim semine et fœtu luxuriant.

**ET RUINÆ IMPIORUM ERUNT.**) Pro *ruinæ* hebraice est מַשְׁלֹחַת *machselot*, id est, ruinæ, lapsus, offenticula, scandala: per quæ primo, Chald. active accipit idololatricam et scelera, in quæ Iudæi prolapsi scandalum aliis gentibus dederunt. Unde vertit, *conficiam avem exlorum, et pisces maris, eo quod multiplicatum sit offenticulum impiorum*. Hinc et Vatabl. vertit, *offenticula invenient improbos*, id est, improbi idololatricæ ob suam impietatem dabunt gravissimas pœnas. Alii, *congregabo scandala*, id est, idola impiorum, eaque cum impiis traducam in Babylonem. Secundo, alii passive hæc accipiunt. Unde Noster vertit, *ruinæ impiorum crunt*; et Sept. *infirmabuntur impii*; alii, *corruent impii*.

Vers. 4.

**DISPERDAM.**) Funditus. Hebraice enim est הִכְרַתִּי *hichratti*, id est, excindam; Septuag. *auferam*; Chald. *delebo*; Pagnin. *succidam homines de superficie terræ*.

**DISPERDAM RELIQUIAS BAAL.**) Puta reliquias templorum, altarium, idolorum, sacerdotum, cultorum et cultus Baal.

**NOMINA ÆDITUORUM CUM SACERDOTIBUS.**) q. d. Disperdam ædituos et sacerdotes Baal, adeo ut deinceps ne nominentur quidem, nec ulla eorum memoria, nomen aut fama supersit. Sic ait Poeta:

*Noli*

*Respicere ad fumos, et nomina vana Catonum.*

Secundo, nomina ædituorum sunt ipsi æditui, nomine suo nominati, ut sit metonymia.

Ædituus quasi saceras æditus tutor.

**Ædituus** vocatur minister templi Baal, ita dictus, non quasi adolens thus, ut alii volunt, sed quasi sacræ ædis tutor, id est, curam agens, inquit Festus. Ædituor enim idem est quod ædem tutor. Idem dictus est Æditimus, quasi ædis intimus, ait Festus: licet Cicero in Topiciis, in *finitimo, legitimo, æditimo*, censeat non plus esse *tinum*, quam in medittullo *tullium*, scilicet utrumque tantum productionem esse nominis. Vide Gellium l. 12. cap. 10. Lueretius libr. 6. hosce vocat Ædituentes, quasi ædem tuentes. Sic iam Romæ quodque templum suos habet ædituos, quorum officium est templum, eiusque suppellectilem, vestes et vas custodire, mundare, ornare; dare hostias, vinum, ministros, aliaque ad sacrificium necessaria, peregrinos excipere, Martyrum reliquias et monumenta ostendere, etc. Hebr. vocantur כַּמְרִים *chemarim*, q. d. Accensores ignis et thuris, thurificatores, a rad. כָּמַר *camar*, id est accendit, ussit, exarsit. Horum ergo officium fuisse videtur thurificare, et quasi diaconos subservire sacerdoti victimas mactanti. Unde 4. Reg. 23. 5. dicitur: *Delevit Iostas chemarim quos posuerunt reges Iuda ad sacrificandum*, hebr. לְקַטֵּר *lechatter*, id est ad suffumigandum, vel adolendum thus, in excelso. Alii, ut Vatabl. et Mariana, volunt dictos *chemarim* quasi exustos, id est atros, ab atro et pullo vestitu. Unde Pagnin. vertit, *qui nigras induunt vestes*. Hebræorum enim sacerdotes erant candidati: sacrificabant enim tunica linea iaduti, Exodi 28. v. 40. æque ac Aegyptii, qui inde Linigeri sunt dicti, ut dixi Ierem. 13. Sic et in sacris Eleusinae Deæ sacerdotes anteiri albis, docet Tertull. lib. de Pallio: ita Sanchez. Alii, quod essent inclusi quasi monachi in monasteriis: ita Marius in Lexico, qui censet *chemarim* esse vocem Chaldaicam. Alii, a stigmatibus, quæ in facie et in corpore inusta gestabant. Alii, ab ardore devotionis, quo erant accensi in sacris suis peragendis. Verum primum quod dixi verius videtur. Similes hæc fuerunt apud Gentiles Romæ virgines Vestales, et magis in Cappadocia Magi, dicti Pyroti, a pyra, id est, igne, eo quod πυρ, id est, ignem sacrum, servarent et foverent, ne quando extingueretur, cum certis precibus et cæremoniis, ut docet Strabo libr. 15. Quocirca *chemarim* videntur fuisse simii et æmuli ædituorum, quos Deus iusserat servare et fove-

**A** re noctu diuque ignem sacrum, quo comburendæ erant victimæ, et Levit. 6. 12. quo pariter igne quotidie tam mane quam vespere, thymiama erat incendendum et adolendum Deo, Exodi 30. v. 7. Itaque *chemarim* officium erat, Primo, ignem sacrum perpetuo accensus servare et nutrire: indeque rursus vocantur a Prophetis per irisionem *chemarim*, id est, exusti, fuliginosi et atrii, q. d. Carbonarii, qui ab igne et carbonibus denigrati, Æthiopicum vel dæmonum habent colorem et formam. Secundo, thus adolere idolis, ut patet 4. Reg. 22. 5. Tertio, subservire sacerdotibus in sacrificiis. Unde a sacerdotibus hic, quasi eorum ministri et diaconi secernunt et distinguuntur. Ait enim: *Et nomina ædituorum cum sacerdotibus*, utique non Dei, sed Baal, inquit Remig. Albert. Ribera et alii: licet S. Hieron. cum suis asseclis, sacerdotes hic veros veri Dei accipiat; sed eos dumtaxat qui simul cum Deo colebant idola, quos insectatur Ezechiel cap. 8. v. 3. et seq. de quibus 4. Reg. 17. 31. 33. Fateor tamen aliquos ex hisce *chemarim* fuisse sacerdotes: ita enim vertunt hic Septuag. Adde thurificare, quod erat officium *chemarim*, est quoddam sacrificare. Primum enim veterum sacrificium fuit oblatio et incensio thuris. Unde et thymiama Deo vero, quasi sacrificium bis quotidie adolebatur in altari thymiatis, quin et in omni sacrificio carneo, puta ovis, capræ et bovis, Hebræi iussu Dei imponebant et adolebant thus, ac per hoc significabant, victimam hanc dari et sacrificari Deo, ut patet Levit. 2. v. 1. Videntur ergo hi *chemarim* apud Gentiles fuisse id, quod apud Christianos, præsertim Romanos, sunt æditui, qui eam habent templi altarium et sacrorum: inter quos alii sunt Sacerdotes, alii Clerici, quibus præsuat Canonici, quorum caput est Decanus, Præpositus, vel Episcopus. Munia ergo *chemarim* erant, templum custodire, aperire, claudere, purgare, ornare, advenas docere cæremonias et cultum Baal, sive idoli et Dei sui, oblationes excipere, dies festos adornare, choros canentium et choreas salientium ordinare, imo præire more furentium et bæbantium. Unde S. Hieron. *chemarim* vertit fanaticos, quasi enthusiasmo actos, et dæmonis spiritu afflatos. Hinc Oseas e. 10. v. 5. ait: *Et chemarim eius qui de illo exultabant*, ut habent Hebr. Alludit enim vox חָמַר *chamar*, unde *chemarim*, ad חָמַר *chamar*, quod significat turbari instar ebrii et insani, vel instar vini sæculenti, misti et turbidi, indeque bæchari et insanire.

Eius officia, tria.

**ET EOS QUI ADORANT SUPER TECTA.**) Quæ in Iudæa et Syria etiamnum plana sunt, quasi tabulata sub dio, in quibus incolæ ambulant, prandent, cœnant, imo et in æstate noctu dormiunt, uti mihi Romæ viri graves, ijque oculati testes narrarunt. Hæc ergo tecta conscendebant Iudæi astricolæ, ut ex iis libere et plane contemplarentur et adorarent *militiam cæli*, puta solem, lunam, luciferum, aliasque stellas et astra: quæ quia multa sunt, et ordinata instar exercitus, motuque suo, loco et ordine stato incedunt instar aciei instructæ; hinc vocantur militia cæli, cuius rex est sol, regina luna, signifer Venus, sive lucifer. Hinc Iudæi dicunt Ieremiæ (qui Sophoniæ fuit synchronos et coævus) e. 44. 25. *Faciamus vota nostra quæ fecimus, ut sacrificemus reginæ cæli* (id est, lunæ) *et libemus ei libamina*. Et cap. 7. 18. *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli*, quibus ipse denuotat e. 10. 2. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes*, q. d. Nolite colere astra cæli, quæ colunt Gentes. Timere enim in Scriptur. est colere, revereri, adorare. Vide quæ illis locis annotavi. Sic apud Gentiles multi fuerunt cælicolæ et solicolæ, æstimantes cælum, solem et sidera ob pulchritudinem, eelsitudinem, magnitudinem, influxum, ordinem et splendorem esse animata, esseque numina: quos detestans Iob e. 31. 26. *Si vidi*, ait, *solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare: et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum* (id est, adoravi ea, osculando) *manum meam ore meo: quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum*. Et Sapiens e. 13. v. 2. *Solem et lunam, rectores orbis terrarum, deos putaverunt*:

Vers. 5.

quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto A  
his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator  
hæc omnia constituit.

ET ADORANT ET IURANT IN DOMINO, ET IURANT IN MELCHOM. ) Iurant tam per Melchom, quam per Deum verum: quia utrumque ut nomen colunt et adorant. Iuramentum enim est actus latricæ: dum enim iuramus per aliquem, hoc ipso confitemur et protestamur ipsum esse primam et increatam ( hæc enim sola est infallibilis ) veritatem, ideoque esse Deum.

Taxat Iudæos, quod cum Deo vero colerent deos gentium vicinarum, puta Melchom Deum Ammonitarum: ita Theodoret. Remig. Albert. Hugo et Lyran. Nota, *in Domino*, quatenus refertur ad *iurant*, idem esse quod *per Dominum*: quatenus vero refertur ad *adorant*, idem esse quod *Dominum*. Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive spiritualis, qualis est adoratio, construunt cum *beli*, id est, *in*; ut credere in Deo, est credere Deo, vel Deum: invocare in nomine Domini, est invocare nomen Domini, etc. Hebr. est, *iurant per Melchom*, id est, regem suum, ita Septuag. Tigurina, Vatabl. et Pagn. hoc est, iurant per idolum suum, quod pro suo Deo, et rege habent, ideoque nuncupant illud Melech, Moloeh, Melchom, Malcam, id est, regem suum. Hæc enim omnia unum idemque sunt. Perperam ergo Arias sic exponit, q. d. Qui ut regi suo adulentur, æque per eum, ac per Deum iurant. Nam iurare per regem, est licitum: qui enim per regem iurat, per Deum, qui eum regem constituit, iurat; uti in simili docet Christus Matth. 23. v. 20. Ita Joseph iurat per salutem Pharaonis, Genes. 42. v. 15. et Thecutis per salutem Davidis, 2. Reg. 14. 19.

Vers. 6.

QUI AVERTUNTUR DE POST TERGUM DOMINI. ) Puta qui tergum Domini, id est, Dominum, sequi nolunt, sed ei tergum obvertunt, hoc est, ab eo recedunt, dum eum aversantur et spernunt: ita Septuag. unde Chald. *qui avertuntur retrorsum a cultu Domini*; Pagn. *qui retrocedunt ut non cant post Dominum*; Tigur. *qui a Domino sunt abstracti*.

QUI NON QUÆSIERUNT DOMINUM, NEC INVESTIGAVÉRUNT EUM. ) Moral. Quærunt et investigant Deum: Primo, infideles et ignorantes, qui inquirunt quis et qualis sit Deus. Secundo, peccatores, qui per peccatum Deum Deique gratiam perdiderunt; hi pœnitendo eum requirunt, rogantes ut ad eos et cum eis in gratiam redeat. Tertio, egentes et afflicti, qui a Deo opem, puta lumen, consilium, auxilium, robor, directionem poscunt. Unde Vatabl. vertit, *neque implorant opem Domini, neque consulunt eum*. Sic et Chald. Sapienter monet Psaltes: *Quærite, inquit, Dominum, et confirmamini: quærite faciem eius semper*.

Vers 7.

SILETE A FACIE DOMINI. ) Hoc est, ut Septuag. *σιωπησθε*, id est, silentes timeat et reverentini Dominum; est metalepsis, vel catachresis: silentium enim reverentiæ, timoris, admirationis et stuporis est indicium, ideoque pro illis hic ponitur: ita Theodor. Vide dicta Habacuc 2. v. ult. Unde Syrus et Arabicus uterque vertunt, *timeat a conspectu Domini*. Aliter Albertus et Hugo, q. d. Obmutescite coram Deo vindice; quia adest dies Domini, quo ipse vos excindet et disperdet. Et Clarius, q. d. Silete, id est silenter exspectate, et mox videbitis iram et vastitatem Domini. Et Chald. *pereatis*, ait, *funditus omnes impii a conspectu Domini*; quasi silere idem sit quod perire et inire. Mortui enim silent: unde locus mortuorum hebr. vocatur *דומה* *duma*, id est, silentium.

QUIA IUXTA EST DIES DOMINI. ) Arabicus, *quia iam prope est dies iudicii*, puta dies iustitiæ et vindictæ Domini exercendæ in Iudæos per Chaldæos. Sic dies iudicii vocatur dies Domini, reliqui sunt dies hominum, quibus agunt quod lubet: sicut dies hebdomadæ sunt dies discipulorum, sed sabbatum est dies Iudimagistri, quo totius hebdomadæ pensum a discipulis exigii, et diligentes præmiat, negligentes vel petulantibus castigat et flagellat.

QUIA PRÆPARAVIT DOMINUS HOSTIAM: SANCTIFICAVIT VOCATOS SUOS. ) Est metaphora continua, sive allegoria: stragem enim Iudæorum, utpote impiorum, vocat sacri-

ficiam, idque publicum et solemne; in quo hostia sunt Iudæi mactandi: dies sacrificii est dies excidii Hierosolymæ et templi: sacerdotes sunt Chaldæi, qui hanc victimam Deo et divinæ iustitiæ immolant. Unde dicuntur vocati et sanctificati a Deo: quia Deus eos a Chaldea evocavit, suosque quasi milites, imo ministros et sacerdotes, auctoravit et consecravit, quando eos elegit et destinavit Ianones Iudæorum, ut eos quasi sanctam victimam divinæ suæ vindictæ offerrent et iugularent. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Lyran. et alii passim, nisi quod Chald. Vatabl. et Clarius, per vocatos intelligunt, non sacerdotes, sed convivias, puta aves et feras, quos Deus ad solemne hoc epulum evocet, ut Iudæorum cadavera a Chaldæis caesa devorent. Unde Arabicus Antioch. vertit, *paravit victimas Dominus, et nolificavit eis qui sunt convicii sui*; clarius vero Arabicus Alexandr. *præparavit Dominus mactationem* ( id est, victimas mactatas ad epulum ) *et sanctificavit vocatos*; et Syrus, *præparavit Dominus victimam, vel convivium, et invitavit vocatos suos*. Alludit ad votum *חֶרֶם* *cherem*, seu anathematis, quo res vel pia, vel impia, tota per mortem, vel civilem, vel naturalem, Deo mactanda et sacrandæ erat: do quo plura dixi Levit. ult. v. 28. et Roman. 9. 9.

Moraliter, discite hic quam iniustitia et scelera sint Deo invisæ, quamque ex adverso iustitia et scelerum vindicta ei sit chara, curæ, honori, voluptati; nimirum perinde ac est sacrificium solemne, vel holocaustum, quod ei tamquam summo rerum domino offertur, et ab eodem in odore suavitatis excipitur: adeo ut reges et tyrannos, licet infideles et impios, qui hanc vindictam peragunt, vocet suos milites, suos sanctificatos, suos sacerdotes. Hinc iidem per Ieremiam e. 6. 4. mandat et edicit: *Sanctificate super eum* ( contra Ierusalem ) *bellum*. Et Isaia 13. 3. de Cyro et Persis vastaturis impiam Babylonem, ait: *Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea*. Quin et Ierem. 48. 10. vindictam hanc impiorum Moabitarum, Chaldæis sub interminatione maledictionis imperat et indicit: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulentè*. Quodnam hoc opus? Audi: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine*. Ex adverso Sapiens e. 14. 7. *Benedictum est lignum, inquit, per quod fit iustitia*.

IN DIE HOSTIÆ DOMINI ( excidii Ierusalem, quando ipsa futura est hostia, mactanda a Chaldæis Domino ) Vers. 8.  
VISITABO SUPER PRINCIPES, ET SUPER FILIOS REGIS. ) Sedeciæ. Nabuchodonosor enim capta Ierusalem, *iugulavit filios Sedeciæ in oculis eius: sed et omnes principes Iudæi occidit*, ut dicitur 4. Reg. 25. 7. ita Lyran. Arias, Vatabl. et alii. Aliter S. Hieron. Theodor. Remig. eorumque sequaces, qui per filios regis accipiunt filios Iosia, e quibus Ioachaz abductus fuit in captivitatem a Pharaone, Ioachim a Chaldæis occisus, Sedeciæ exæcatus, Ioachim ductus in Babylonem. Verum diem hostiæ vocat diem excidii, in quo non alius fuit rex Hierosolymæ, quam Sedecias, cuius filios quasi hostias mactavit Nabuchodonosor: e filiis vero Iosia nullum fecit hostiam, id est, nullum occidit. Nam Ioachim non ab eo, sed a latroneulis, sive prædonibus Chaldæorum occisus est.

ET SUPER OMNES QUI INDUTI SUNT VESTE PEREGRINA. ) Primo, aliqui vestem hic intelligunt eam, qua idololatræ utebantur in cultu idolorum. Unde Iudæi vestem hanc induentes, ipso habitu profitebantur se cultores idolorum, perinde ac qui pileum flavum induit Romæ, profitetur se Iudæum, et qui turbantum, Turcam. Quocirca Chald. vertit, *qui perstrepunt ad cultum idolorum*. Secundo, Hebræi nonnulli putant taxari hic satellites et ministros principum et nobilium; hi enim solent uti veste varia et diversa a vulgo, in qua gestant insignia sui principis. Tertio, Theodor. vestem peregrinam exponit, a peregrinis furto vel rapina acceptam, quasi taxet hic furta et rapinas Iudæorum, quibus hospites et peregrinos spoliabant vestibus, iisque se induebant. Quarto, alii vestem peregrinam accipiunt eam, quæ est alterius sexus, puta si vir induatur veste muliebri, aut mulier virili: quod est contra honestatem, verecundiam et castitatem, ideoque vetatur a

Deo, Deuter. 22. 5. et a Concilio Gangrensi sub pœna anathematis, ut habetur dist. 30. cap. Si qua mulier. Quinto, proprie et genuine vestem peregrinam vocat eam, quæ non erat Iudaica, sed gentilitia, puta Ægyptia, Philisthæa, Ammonitis, Tyria, etc. Taxat ergo hic Iudæorum ambitionem, levitatem, curiositatem, quod vestitum novum, peregrinum et gentilitium assumerent, quodque cum vestibus mores et idololatricam Gentium induerent: ita S. Hieron. Idem fere taxat Ezechiel cap. 23. v. 12. et 15. et Auctor. l. 2. Machab. c. 4. v. 13.

Moral de vestium luxu et novitate.

Moraliter, hic discant Christiani, quam Deus oderit vestium novitatem et luxum, quamque cum vindicet et puniat; is enim sapit mollitiem, fastum, levitatem, inconstantiam, defectumque iudicii. Unde talibus recte dicas illud Stilponis ad Cratem: δοκεις μοι χρεων εχων ικατις ζωωσ, videris mihi indigere pallio novo, vel pallio et mente: ζωωσ enim iunctim significat novum, disiunctim vero ζωωσ significat et mente. Ita Laert. l. 2. c. 12. Q. Curtius lib. ultim. et Plutarch. in Alexandro, culpant eum, quod devictis Persis habitum mutarit, vestemque Persicam induerit. Strato, vel, ut alii volunt, Plato dixit Aristippo: Tibi uni et chlamydem, et pannum ferre datum est. Chlamys vestis est satraparum, pannus mendicorum: ipse enim apud Dionysium saltavit in purpura, interdum vili pallio utebatur: ita Laert. l. 2. c. 8. unde Horat. Omnibus Aristippum decuit color. Ita hodie sunt chamæleontes, qui omnibus gentibus, locis, sectis, tam in habitu, quam in fide, et moribus se conformant: sed dum singulis concolores fieri cupiunt, universis discolors et difformes fiunt. Phrygiones sunt, qui fucant tam mores, quam colores, de quibus Prudent. in Hamartingen.

Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis, Illudant varias distincto stamine formas.

Et Martialis:

Victa est

Pectine Niliaco iam Babylonis acus.

Diogenes cuidam glorianti, quod leonis pelle vestitus incederet: Non tu desines, inquit, virtutis stragula pudenti facere? indignum iudicans, quod homo mollis Herculis amictum sibi vendicaret: ita Laert. l. 6. Idem cum videret iuvenem studiosus se ornantem: Si ad viros, inquit, ανηλις, id est, frustra facis; si ad feminas, ανθηλις, iniuste agis. Nam frustra mas se mari ornat, eum inter eos nequeat esse coniugium: inique vero agit, si lenocinio suo insidiatur feminæ. Idem divitem quemdam indoctum, sed splendide indutum, χρυσουδεον, id est, ovem aureo velle amictam nuncupabat. Dæmonax cuidam suam purpuram ostentanti: Heus tu, inquit, hoc ante gestabat ovis, et ovis erat, significans illum stupidum esse ut ovem, etiam si purpuram gestaret. Teribazo Artaxerxes rex vestem suam donarat ea lege, ut ea non indueretur: induit tamen ille, muliebribus etiam donis quæ a rege acceperat, insignitam. Tunc rex in risum effusus: Tibi, inquit, ut mulieri aurum, ut insano regium amictum gestandi vis potestatemque concedimus. Augustus Cæsar, cum pro concione multos videret palliatos, indignabundus: En, inquit, Romanos rerum dominos, gentemque togatam. Indoluit nimirum, Romanos habitum novare et Græcum pallium assumere. Eiusdem hæc fuit gnome: Vestitus insignis ac mollis superbie vexillum est, nidusque luxuriæ: ita Sretonius in eius vita. Peregrinam vestem in Ruffino culpavit Claudianus, in Carolo Calvo Franci. Constantissimi olim Germani, cum fide vestes mutare cœperunt: Turpis, ait Poeta, Romano Belgicæ ore color. Si hæc laicos dedecent, multo magis Clericos et religiosos, in quibus vestium luxum acriter taxat S. Bernard. serm. 23. in Cant. et Apolog. ad Guilielmum Abbatem.

Tropol. vestis peregrina est hæresis.

Tropolog. vestis peregrina est hæresis, quam assumunt Novantes, qui recesserunt a protectione et indumento Dei, et suo errore cooperti sunt, inquit S. Hieron. Mystice idem: Vestis, ait, filiorum regis, et principum indumentum. Christus est, quod assumimus in baptismo, iuxta illud Ephes. 4. 24. Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanetitate veritatis. Et Coloss. 3.

**A** 12. Induite vos ergo sicut cœli Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Peregrina ergo veste diaboli induimur, cum pro misericordia induimus crudelitatem, pro benignitate asperitatem, pro humilitate superbiam, pro modestia fastum, pro patientia impatientiam. Hinc rursus monet Apostolus Rom. 13. 14. Induimini Dominum Iesum Christum: qui enim spretris virtutibus vitia assumit pro Christo Antichristum induit. Peculiariter vero vestis peregrina est hypoëris. Quid enim magis est peregrinum, quam sunt lupis rapacibus vestimenta ovium? quid magis peregrinum, quam eum qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus iustum apparere? ait Rupert.

Et hypoëris.

**B** QUI ARROGANTER INGRESITUR SUPER LIMEN. Hebr. vers 9. qui saltat super limen, hoc est, qui tanto fastu et arrogantia ingreditur, ut saltitando et subsultim incedere videatur, præsertim cum gradus templi conscendit: quod Amos culpatur dicens cap. 6. 1. Væ qui opulenti estis in Sion, ingredienties pompaticæ domum Israel. Vide ibi dicta. Taxat principum, nobilium et divitum arrogantiam in ingressu, etiam templi, præsertim cum in templo omnes coram Deo se humiliare debeant, humilitatemque et habitu, et inessu, et prece profiteri. Qui enim templum adeunt, id faciunt, ut humiliter Deum invocent, eiusque opem et gratiam postulent: quare indignum est ibi arrogantiam ostendere, ubi suppliciter venia in culpis, et auxilium in necessitate a Deo flagitur. Taxat insuper fastum sacerdotum et pontificum, qui dilatatis phylacteriis arroganter in templo, quasi eius præfati et præsidis incedebant. Unde Septuag. vertunt, Uleiscar super omnem manifeste, qui in vestibulis. Sacerdotes enim degebant in suo atrio, proxime templo, quasi in eius vestibulo. Ita Christus castigat eorumdem, sed ob sacerdotii honorem alio, puta Scribarum et Phariseorum, nomine, supercilium et fastum, Matth. 23. v. 5. Hunc sensum dant S. Hieron. Haymo, Albertus, Hugo et alii: qui Secundo, sic quoque explicant, quasi Propheta reprehendat superstitionem Iudæorum acceptam a Philistinis, qui truncato Dagon idolo suo in limine templi, illud deinceps ex reverentia calcare non ausi, transiliebant, 1. Reg. 5. 4. unde Chald. vertit, puniam omnes qui ambulant in legibus Palæstinorum. Verum hoc solos Azotios fecisse legitur, quorum Deus erat Dagon, a quibus, uti hostibus, abhorrebant Iudæi: unde nusquam reperimus eos coluisse Dagon. Et sane si id fecissent, utique non tacuisset hic Propheta. Parva enim, imo nulla culpa est transilire limen templi ex reverentia, eo quod quis se reputet indignum qui calcet limen domus Dei, sed longe maior culpa est, id facere in honorem Dagon, vel alterius idoli, itaque illud venerari et colere.

**D** Tertio, Chald. Arias, Pagnin. Figurina et Vatabl. ex Hebræo sic vertunt, visitabo omnem transilientem limen in die illa, qui implent domum dominorum suorum rapinæ: quasi hic taxet Iudæos, præsertim principum et potentum asseclas vel ministros, de farto, quod scilicet transilient limen, tum proximarum, ut eorum bona furentur, tum dominorum suorum, ut ibi furta reconcant, tutique sint, et eum illis prædam dividant. Verum tam Septuag. quam Noster pro dominorum suorum, vertunt, Domini Dei sui. Culpatur ergo principum non tantum arrogantiam, sed et iniustitiam, puta rapinas, usuras et fraudes, quodque eas impudenter et quasi sacrilege consecrarent Deo: sacerdotes vero arguit quod easdem acceptent, imo extorqueant, quodque ipsi pauperum bona specie religionis, quasi illa offerenda sint Deo, dolose et impie expilent et diripiant; suadendo v. g. filiis, Si parentes egentis a vobis quid petant, dicite id esse corban, id est, munus dicatum Deo et sacerdotibus, uti Christus eis improperat Matth. 15. 6. et Matth. 23. 14. Væ, ait, vobis Scribæ et Pharisei hypoëritæ, quia devoratis domos viduarum orationes longas orantes, q. d. Væ vobis Scribæ, qui emungitis bursas viduarum, vendendo scilicet eis, cum sanetitatibus simulatione longas vestras orationes; græcæ enim est, προφρασει μακρη προσηυχημενου, id est, occasione longæ

orationis, vel prætextu quod multum pro eis oretis: ita S. Chrysost. ibidem.

Vers. 10. **VOX CLAMORIS A PORTA PISCIIUM.**) Scilicet audiatur: quia, ut docet Ribera et Villalpando p. 1. de Apparatu urbis l. 2. c. 13. per portam piscium primo in urbem Ierusalem irrupisse videntur Chaldæi, omnesque incolas vel occidisse, vel cepisse, sicut piscator solet in omnes pisces maris impune grassari. Unde Habacuc cap. 1. 14. ait, *Et facies homines (Iudæos) quasi pisces maris*, ut capiuntur a piscatore Nabuchodonosor. Et v. 15. *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua.* Hæc porta dicta est piscium, quod spectaret mare, et inde per eam pisces importarentur. Audi ex S. Hieron. Saligniaco et Borehardo Adrichomium: *Porta, inquit, piscium iuxta turrim David, inter montem Sion et civitatem inferiorem, in valle Mello contra Occidentem sita erat. Piscium dicebatur, quod per eam a Ioppe et aliis maritimis locis (æ præsertim e mari Galilææ illie ex adverso existente, ait Villalpando p. 1. l. 3. c. 9.) quotidie pisces in urbem inferebantur. Hæc aliis nominibus etiam porta David et porta negotiatorum inscribitur: David quidem, quod turri Davidis proxima esset; negotiatorum vero, quod per eam variæ negotiatorum merces a Bethlehem, Hebron, Gaza, Ægypto et Æthiopia invehentur. Per hanc portam peregrini Occidentales urbem ingredi solent. Sic et Villalpando p. 1. lib. 3. c. 8. Ubi tamen in eo ab Adrichomio dissentit, quod censet portam piscium non fuisse ad Occidentem Hierosolymæ, ut vult Adrichom. sed ad Septemtrionem: Quia, inquit, Chaldæi castra habebant ad Septemtrionem; ac per portam piscium irruerunt in urbem, occuparuntque mox portam secundam, quæ scilicet erat in secundo muro, et a Ieremia vocatur porta media. Quæ ratio bene concludit, si verum est Chaldæos per portam piscium ingressos in urbem et in portam secundam, uti insinuat hic Sophonias. Censet ergo ipse portam piscium fuisse ad Septemtrionem urbis, inter portam Ephraim et turrim Hananeel, Bezethæ proximam; et Chaldæos per eam ingressos, quia inhiabant opibus templi, quod illi vicinum erat. Adrichomio tamen astipulatur S. Hieron. et favet 2. Paral. 33. 14. ubi dicitur: *Ædificavit murum extra civitatem David, ad Occidentem Gihon, in convalle ab introitu portæ piscium usque ad Ophel.* Atque ad argumentum Villalpando responderi posset, Chaldæos utraque via irrupisse in Ierusalem, nimirum Aquilonari urbis muro dirupto penetrasse in secundam, et Occidentali porta piscium effracta irrupisse in vallem Mello, æque ac in civitatem inferiorem, quæ filia Sion dicebatur: utriusque enim vicina erat hæc porta, et ad utramque aditum pandebat: ideoque Sophonias utrobique, scilicet tam in porta piscium, quam in secunda, ululatum forte significat.*

**ET ULULATUS A SECUNDA.**) Secunda porta dicebatur, quæ erat in secundo muro: Ierusalem enim versus Septemtrionem iuxta templum, in tres regiones erat distributa, quarum quæque suum habebat murum in longum porrectum. Primus murus erat vicinus Sion: secundus erat medius splendidissimis portis conspicuus, et in quatuordecim turres divisus, quem Ezechias rex reparavit et firmiorem altioremq; fecit, 2. Paral. 32. 5. Tertius erat extimus, quem Agrippa rex non primus ædificavit, ut vult Ribera, sed iam ædificatum publico sumptu perennuit, et latiore altioremq; reddidit. Hic totus solidus erat, et 25. cubitis altus, habebatque nonaginta quadrangulares validas et celsas turres. Ita Iosephus lib. 6. Belli c. 6. et 19. Antiq. 7. Fuit ergo ululatus in porta secunda, sive media: quia Chaldæi principes fracto muro tertio et extimo irruerunt in secundum, eiusque portam, quæ secunda sive media dicebatur, eamque ceperunt et insederunt, uti narrat Ieremias cap. 39. 3. Addunt Hebræi, Pagnin. Vatabl. Arias et Clarius, in secunda fuisse Academiam: unde illie habitabat Holda prophetissa, 4. Reg. 22. 14. Quocirca pro מְשֻׁנָה *misne*, id est, secunda, ipsi vertunt, *academia*: ululatus, inquit, *magnus ab academia*. Solet enim academici non gladiis, sed calamis assueti, præ aliis metu belli percelli et trepidare, ac irruente hoste vo-

**A** ciferari: nimirum non bene conveniunt Musæ quietæ et silentes, cum Marte feroci, et tubis, tympanisque et scloppis, perstrepeant. Extimus enim murus Hierosolymæ continebat regionem tertiam urbis, in qua habitabant opifices, mercatores et plebs. Secundus continebat regionem secundam, in qua, utpote tutiori et tranquilliori, habitabant nobiles, studiosi, doctores, Rechabite et similes. Tertius et intimus continebat Sion arcem et templum, eiusque subiectam civitatem inferiorem, quæ ideirco filia Sion dicebatur. Vide hæc graphice expressa in descriptione et tabula Hierosolymæ, quam exhibet Adrichomius post paginam 444. Lege et nostrum Villalpandum in Apparatu urbis part. 1. lib. 2. c. 3. et lib. 3. c. 9.

**ET CONTRITIO MAGNA A COLLIBUS.**) Scilicet Sionis et templi, aliisque similibus, ad quos, utpote munitiores, capta a Chaldæis urbe, ex secunda et extrema regione confugerunt Iudæi, sed a Chaldæis persequentibus ibidem comprehensi, contriti et trucidati sunt: ita S. Hieron. et Theodor.

**B** Tropolog. in hora mortis et in die iudicii erit planctus, ob peccata, quæ per portas, id est, oculos vel aures; ac in collibus, id est, in ratione, mente et voluntate, commisimus. Mors enim ascendit per fenestras, Ierem. 9. 21. Vide ibi dicta. Itaque porta piscium, est porta oculorum, de quibus Cant. 7. v. 4. *Oculi tui sicut piscine in Hesebon, quæ sunt in porta filiarum multitudinis.* Oculi enim ob humorem aqueum et crystallinum, videntur esse piscine et portæ piscium, per quas scilicet species rerum caducarum et voluptatum in mare huius sæculi volutantium, quasi pisces irrepunt in animam, eamque inficiunt sibi que assimilant.

Audi S. Hieron. *Prima porta oculorum erit, qua exhibebuntur nobis peccata ante oculos nostros, et omnis pompa et imago antiquorum scelerum et vitiorum atque luxuriam proferetur in medium. Torquetur igitur cum conscientia, et postquam compunctus clamaverit a prima oculorum porta, ululabit etiam a secunda, quam et aures intelligere possumus. Per hos enim vel maxime sensus, quibus vitia illupsa fuerant, eorum poena sentitur; quando cernemus quod fecimus, et audientes sermonem totumque ordinem peccatorum, in ululatum compellemur, et contretur in nobis quidquid fuerit excelsum et propter cecitatem et surdas aures ignorabatur in nobis. Secundo, idem paulo inferius: Vel certe, ait, in fine mundi, et in consummatione lugebunt a porta piscium prima, qui suum baptismum non servaverunt: lugebunt a secunda, qui non egerunt pro peccatis dignam poenitentiam. Et erit magna contritio super colles, qui nec pro peccatis incurvati sunt, ut cervicem suam submitterent, et scelera sua deplorarent. Per has enim duas portas Baptismi et Poenitentia, in Ierusalem, id est, in Ecclesiam Dei, vel introitus, vel reditus est.*

**ULULANTE HABITATORES PILÆ.**) Pilæ, id est mortarii in quo tundimus piper, zinziber et aromata; vel, si maius sit, orizam et frumenta. Audi S. Hieron. *Pila quæ hebraice dicitur מַכְתָּה *mactes*, et ab Aquila versa est eis τον δμουον, non per brevem syllabam prima legenda est (ut sit pila lusoria) ne σπαργαν, pulemus, sed per productam, ut de pila sciamus dici in qua frumenta tunduntur: vas concavum et medicorum aptum usui, in quo proprie pti-sanæ ferri solent.* Unde pila dicta est a pinso, pnisis; quod in ea siccata frumenta pistillo pinsebant ac contundeabant, ut ait Cato e. 14. lib. de Re rustica. Porro Pila hic proprium urbis vel loci est nomen: uode Pagnin. Hebr. *Mactes*, quasi proprium loci retinuit.

Quæres, quis hic locus, vel urbs? Primo, R. Salomon censet Pilam vocari urbem Tiberiadem, eo quod in valle concava sit sita: portam vero piscium esse Ptolemaidem, quæ mari piscoso adiacet: *misne*, quod Noster vertit *secundam*, esse *Luz*, urbem iuxta Ierusalem: colles esse Saphorim. Verum hoc ipso more suo fingit, non probat. Certe de Tiberiade hic sermo esse nequit, utpote quæ iam pridem a Salmanasare vastata erat cum tota Galilæa et Samaria, anno sexto Ezechia regis Iuda, qui fuit atavus Iosia, sub quo hæc prophetat Sophonias, uti ipse ait v. 1.

Moral de ululatu portarum, id est sensuum.

Vers. 11.

Pilæ quæ? Resp. 1.

- II. Secundo, melius Lyran. Per pilam intelligit Ierusalem. **A** Totum enim vaticinium hoc est contra Iudam et Ierusalem, cui intentat excidium per Chaldæos. Porro Ierusalem dicitur pila quia erat in mediotulio Iudææ, eiusque centrum, quo ad forum et mundinas confluebant undequaque Iudæi. Simili metaphora Ezechiel c. 24. 3. Ierusalem vocat ollam, in qua coquantur carnes, id est, Iudæi. Unde et dictionaria Syriaca, *Machtes* vel *Machtose*, exponunt Ierusalem, a rad. *chtase*, quæ significat perturbare, agitare, vexare, vel etiam oppugnare, et bellum gerere; quæ omnia competunt Hierosolymæ. Verum cum v. 4. Propheta expresse nominarit Ierusalem, quorsum hic obscure eandem vocaret pilam? Adde, immediate ante nominavit peculiaria loca Hierosolymæ; puta portam piscium, secundam, et colles: ergo et *machtes*, sive pila, peculiaris fuit locus eiusdem urbis. Unde
- III. Tertio, per pilam potest accipi civitas inferior Hierosolymæ, quæ in valle concava sita, erat quasi pila, sive mortarium, respectu Sionis aliorumque collium. Hæc enim civitas vicina erat portæ piscium et secundæ. Dicitur pila, tum ratione situs humilis iam dicti; tum quia in ea erat forum aromatariorum, pistorum, coquorum, etc. qui in pila aromata, frumcuta, carnes et herbas contundunt: ita Arias, Vatabl. et Clarius.
- IV. Quarto, per pilam potest vorago Mello, quæ et Tyropæon dicta est. Nam, ut docet Ioseph. lib. 6. Belli cap. 6. Ierusalem super duos colles erat condita, contrariis frontibus semet insipientibus interveniente valle discretos, in quam domus creberrimæ desinebant. Et inferius: Vallis autem quæ Tyropæon appellatur, qua diximus superioris civitatis collem dirimi ab inferiore, usque ad Siloam pertinet: ita enim fontem qui dulcis est ac plurimus, vocabamus. Hæc vallis vocatur hic pila: tum ob profunditatem: tum quod in ea contundendi essent Iudæi. S. Hieron. eam vocat *vallem Siloe*; Chald. *vallem*, vel *torrentem Cedron*; quia usque ad Siloe et Cedron per portam aquarum excurrat. Sensus ergo est, q. d. *Quomodo frumenta feriente desuper vecte in pila contunduntur, ita de porta piscium, et de porta secunda, et de colibus proruens in vos decurret exercitus*, vosque contundet et comminet, inquit S. Hieron. et ex eo Remig. Ribera, Emmanuel et Mariana.
- V. Quinto, Adrichom. in descriptione Ierusalem, censet *machtes*, sive pilam proprie esse vallem Cedron. Cedron torrens est inter Ierusalem et montem Oliveti, qui per vallem Iosaphat in longum decurrit. Vallis ergo Iosaphat est vallis Cedron, quæ posteriore sui parte, qua torrens Cedron iuxta fontem et piscinam Siloe perlabitur; ab eo vallis Siloe nuncupatur. Audi Adrichomium: Vallis Cedron, inquit, lata profunda et tenebrosa (unde et Cedron dicta est, a rad. קדר *kadar*, id est, niger, ater, obscurus, tenebrosus est) quæ in modum fossæ templum circumibat; ac quod in mortarii similitudinem disposita esset, hebraice *Machtes*, latine autem Pila vocabatur. Hæc tantæ profunditatis erat, ut de templi tecto ad imum eius despicientium oculi, non absque vertigine capitis caligarent. In hac mercatores, et omnis generis negotiatores habitabant. In hanc vallem, cum Iacobus frater Domini, primus Hierosolymorum Episcopus, in pinna templi coram omni populo, Iesum Dei filium ipso festo Paschæ profiteretur, Anani, Sadducæi pontificis iussu præcipitatus est, et contractis cruribus, desuper quoque a Scribis et Phariseis lapidatus, tandem fullonis fuste in cerebrum percussus interiit. Huc usque Adrichom. Hæc sententia probabilis est eique favet S. Hieronym. quia pilam vocat vallem Siloe; et Chald. qui pro pilam vertit, *torrentem Cedron*. Verum ei obstarè videtur, quod torrens Cedron et vallis Siloe fuerint extra urbem: pila autem, ut et porta piscium, et secunda, videantur fuisse intra Ierusalem.
- Quare quarta sententia, paulo ante recensita videtur probabilior, quæ omnes expositiones conciliat. Accedit, quod porta piscium, per quam Chaldæi irruerunt in urbem, ab Adrichomio consignetur directe ad ingressum vallis Mello, sive Tyropæi, ut iure Propheta dicat, in gentem eo loci fuisse ululatum, utpote in quem primo furorem suum exercuerint Chaldæi. Erat enim vallis hæc latissima, et habitationibus hominum frequentissima, utpote quam Salomon cœquavit et ædificiis ornavit, quæ collapsa instauravit Ezechias, ut patet 3. Reg. 9. 15. et 2. Paralip. 32. 5.
- Porro per unam hanc urbis partem, Propheta significat totius urbis ululatum et complorationem. Tota enim Ierusalem sicut dixit Lyranus, uti fuit pila, in qua contundens et occidens Prophetas, ita pariter fuit pila, in qua impios hosce cives et Propheticidas contuderunt et occiderunt Chaldæi: perinde ac eadem postmodum fuit pila contundens Christum et Apostolos, ideoque facta est pila, in qua Titus et Romani eosdem Christicidas contuderunt et euecarunt, uti ei prædixit Christus Lucæ 19. v. 41. et sequentibus. Unde Septuag. vertunt, *plangite qui habitatis concisam*. Hebræum enim *machtes* et pilam, et mandibulam dentium significat: quia sicut in pila comminuuntur et conciduntur aromata, ita dentibus conciduntur et comminuuntur cibi: *machtes* ergo generatim est vas vel instrumentum, quo sit concisio vel contusio, qualis est pila et mandibula. Unde Iudæi in Ierusalem quasi in pila contusi; et in eadem quasi mandibula dentibus, id est, gladiis et armis Chaldæorum, concisi et lacerati sunt.
- Symbolice, ululet Constantinopolis, ululet Buda, ululet Trapezuntium, ululet quælibet urbs capta a Turca, vel ab hæretico principe; in qua quasi pila Catholicos, ipse contudit.
- Tropol. pila est tribulatio, in qua Deus peccatores tundo, ut pœnitentiæ gemitus et lacrymas extundat: sed in multis verum est istud Sapientis Prov. 27. v. 22. *Si contuderis stultum in pila, non auferetur ab eo stultitia eius*. Iusti vero et Martyres in ea dicunt, quod Anaxarchus in pila contusus dixit Tyranno: *Tunde, tunde; follem (corpus) tundis, Anaxarchum non tundis*, uti refert Philo lib. *Quod omnis probus sit liber*. Et Ovidius in Ibm: *Aul ut Anaxarchus pila minuaris in alta, lactaque pro solitis frugibus ossa soment*.
- Auagog. pila est olla Vulcani, puta gehenna, in qua diaboli tot pistillis reprobos tundunt, quot hic voluptates illicitas senserunt, vel perpetrarunt; ac præsertim pistilla sunt puncturæ conscientia, quæ damnato ocellmans, et exprobrans, iugiter eum tundit et angit, dicens: Cur infelix te in hanc pilam coniecisti? cur modica voluptate tanta dolorum et angorum pistilla tibi accersivisti? Tundet illa in æternum, at nunquam pertundetur, tunderis et tu, et contunderis usque ad ossa, usque ad animam; at nullus ictus eam extundet, sed vivam semper et immortalem, ad æternas tusionones et tormenta servabit. Huius rei symbolo fingunt Poetæ, cor Promethei ad saxum alligati in Caucaso monte, ab aquila perpetuo tundi et rodi, at nunquam erodi vel extundi, idque in pœnam furti, quo ignem e caelo furatus, eum in terras detulit, de quo Ovid. 1. Metamorph. Sed cur in hac pila tam horrendo tunduntur? quia in hac vita fuerunt pila gulæ, ventris, veneris et mammonæ, in qua delicias suas, epulas suas, aromata sua, vina sua, sordes suas, opes suas conegessit, compressit, contudit et comminuit caro, mundus et diabolus: quia ignave vixerunt, permittentes se a tentationibus, passionibus et vitiis calcari et contundi: talis enim est pila, quæ ignava sinit se iugiter tundi. Unde Timon Misanthropus Cleanthem ob ingenii tarditatem, vocavit *ορου απολμος*, id est, *pistillum retusum, mortarium ignavum*. Inde proverbium: *Pistillo retusior, nudior, calvior*: ima enim pistilli pars adeo retusa et glabra est, ut calvi cranium referre videatur. Pila ergo notat, improborum ignaviam resistendi peccatis, et bene operandi, coniecisse eos in pilam et ollam Vulcani.
- CONTICUIT OMNIS POPULUS CHANAAN.) Hebr. additur **כי** *chi*, id est *quia*, quasi hic causa reddatur, cur ululatores sint habitatores pilæ, quia scilicet conticuit omnis populus Chanaan. *Chanaan*, id est mercator, qui mercibus emendis et vendendis vacat, ut faciebant incolæ Chanaan, sive Chanaanæi. Unde illud Osee 12. v. 7. *Chanaan*

*in manu tua statera dolosa.* Vide ibi dicta; immo Chald. per Chanaan accipit Chananæos, q. d. Ululate cives Hierosolymæ quia cessabunt Chananæi alique mercatores ad vestrum forum, ad vestram pilam deferre aromata, frumenta, cæterasque merces. Secundo, et melius, *το χι*, id est *quia*, hic, ut et alibi sæpe, non est causale, sed encliticum, et ornatus tantum causa additur. Quocirca per Chanaan non Chananæos, sed Iudæos accipe. Hi enim a Prophetis vocantur Chananæi, non Hebræi, nec Abrahæi, eo quod non Abrahæ, sed Cham, Chanaan, et posterorum eius mores imitentur. Eius enim quis dicitur filius, quem imitatur et refert. Unde illud Daniel. 13. *Semen Chanaan, et non Iuda.* Et Ezech. 16. *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Hinc et Christus ad Iudæos: Vos, ait, *ex parte diabolo estis*, Ioan. 8. Quocirca Chald. vertit, *perit populus, cuius opera similia sunt operibus populi terræ Chanaan:* ita S. Hieron. Theodor. Haymo et Lyran. Porro in voce *conticuit* est emphasis. Nam *conticuit*, id est, penitus ex-cisa est et periit, ut vertit Chald. ita ut nullius in ea vox, gemitus vel sibilus audiatur: quia omnes vel capti, vel occisi sunt a Chaldæis: vel si qui sunt reliqui, ita perculti, afflicti et attoniti sunt, ut præ vehementia doloris, et præ stupore vox illis intereludatur, nec vocem ullam proferre, imo nec hiscere possint.

**DISPERIERUNT OMNES INVOLUTI ARGENTO.)** Puta mercatores et avari, qui non tractant aliud quam aurum et argentum, ac divites undique opibus cincti et circumsepti, iisque confidentes et superbientes, quasi per eas sint a Chaldæis inexpugnabiles: ita S. Hieron. Unde Septuag. vertunt, *elevati argento.* Secundo, *involuti argento:* quia cor suum omnemque affectum dederunt argento, illudque ita ei affixerunt et involverunt, inquit Ribera, ut non tam argentum possidere et regere, quam ab argento possideri et regi videantur. Quocirca alii vertunt, *portatores argenti;* alii, *onera argenti.* Argentum enim est idolum, quod adorat avarus, quod consulit, quod per fas et nefas sequitur, cui per omnia obedit, et se quasi servum mancipat. Unde ab eo agitur ad usuras, fraudes, dolos, omniaque scelera. Qua de causa avaritia ab Apostolo vocatur idolorum servitus, græcè idololatria, Eph. 5. v. 5. Dictum est de Aristotele, cum septenos per diem Euripi fluxus et refluxus curiosius scrutari volens, ab eo absorptus est: *Aristoteles non habet Euripum, sed Euripus habet Aristotelem.* Idem verius dicas de avaro: Avarus non habet Euripum pecuniæ, sed hic habet et possidet aurum. Vere Cicero actione 5. in Verrem: *Nihil est tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.* Et Cato apud Gellium: *Fures privatorum in nervo et in compedibus ætatem agunt: fures vero publici in auro atque in purpura.* Denique avari involuti sunt argento: quia cor habent in ære, non in æthere. Cuius rei exemplum ad litteram exstat in vita S. Antonii de Padua. Cum enim ipse in exequiis cuiusdam divitis avari haberet orationem funebrem, dixit: Christus ait, *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Ita dives hic cor suum habet in suo thesauro, ibique illud relinquit. Itē domum ipsius, et in auro eius invenietis illud. Iverunt, et in auro cor eius repererunt, uti vir sanctus affirmarat. Plura similia exempla exstant in vitis Sanctorum. Addit Delrio adagio 1005. Sicut infantes qui rebus vilibus, ut nucibus, delectantur, involvuntur fasciis; ita divites, qui vili terra rubra et alba, id est, auro et argento, delectantur, eo se involvunt; eadem involutione ita grossefacti, inquit Rupertus, *ut nimis difficile sit introire eos in regnum Dei, iuxta illud Christi: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei,* Marei 10. 25.

Mystice S. Gregor. I. 18. Moral. 11. Quia, ait, *nonnulli eloquia Dei non interiori per exhibitionem, sed exteriori per ostensionem habere concupiscunt, ideirco per Prophetam dicitur: Disperierunt omnes involuti argento. Hi nimirum qui eloquio Dei non interiori refectione se replent, sed exteriori ostensione se vestiunt.* Ita ad litteram

A Clerici et Religiosi, qui habilum pietatis exterius præferunt, si interiori cor habeant involutum argento, a gradu suo decidunt et disperiunt. Hac de causa multas ecclesias, monasteria et Ordines a primævo sanctitatis splendore decidisse, ideoque vel periisse, vel contempta iacere, vel ab hæreticis et infidelibus eversa vidimus, et videmus. Vere dixit vir sapiens: *Mater genuit filiam, sed filia suffocavit matrem; nimirum, filia amplæ dotationis suffocavit matrem devotæ religionis.*

**SCRUTABOR IERUSALEM IN LUCERNIS.)** q. d. Efficiam, ut Chaldæi capta Ierusalem, omnes eius angulos et latebras exacte scrutentur, ne quis Iudæorum se abscondens manus eorum evadat. Ita pariter Romani sub Tito scrutati sunt Iudæos in cloacis, speluncis et sepulcris, indeque eos extraxerunt ad necem, uti refert Iosephus lib. 7. Belli cap. 17. 26. et 30. et lib. 3. c. 14. Ubi se ex iisdem extractum, aut potius sponte egressum, eum Vespasianus ei vitam et libertatem promitteret, eidem se dedidisse narrat. Est adagium. Lucernam enim adhibemus, cum quid exacte scrutari, et penitus perspicere volumus. Unde illud vetus dictum, quod citat Plutarch. in Præceptis conubialibus: *Sublata lucerna nihil interest inter mulieres, significans plerasque esse impudicas, vel ad id faciles, si detur facultas tenebrarum et secreti, ubi sine teste peccetur.* Quin et Diogenes adhibita interdum lucerna, rogatus quid faceret: respondit, *Hominem quarro,* teste Laertio in eius vita. Seneca lib. de Vita beata, indicat ipsum solere fieri per superstitionem, si quando denuntiabatur ira Numinis: Cum *laurum,* inquit, *linteatus senex, et medio lucernam die præferens, conclamatur iratum aliquem deorum, concurritis et auditis.*

Allegor. id verius erit in die iudicii, quando Deus scrutabitur arcana locorum et mentium, ac revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, 1. Corinth. 4. tunc enim etiam de minimo verbo otioso, et de subtilissimis cogitationibus rationem a quolibet exiget, ait S. Hieron. Audi S. Bern. ser. 53. in Cant. explicantem illud Cant. 2. *Similis est dilectus meus capræ,* quæ acuti est visus. *Time,* ait, *scrutinium iudicis, time oculos capræ, time illum qui per Prophetam dicit: Et erit in die illa, et ego scrutabor Ierusalem in lucernis. Acuto visus est, nihil inscrutum relinquit: oculus eius scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si in Ierusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam Ierusalem nomine designasse illos, qui in hoc sæculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius Ierusalem conversatione honesta et ordinata pro viribus imitantes; et non veluti hi qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum scelerumque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, et non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autem (qui videor monachus et Hierosolymita) peccata certe occulta sunt, nomine et habitu monachi adumbrata: et ideirco necesse erit subtili ea investigari discussione, et quasi admotis lucernis in lucem prodi, iuxta illud Psal. 74. Cum accepero tempus, ego iustitias (id est, vias iustorum) iudicabo. Verendum valde, cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine nullæ nostræ iustitiæ (ut putantur) peccata appareant. Remedium subdit: *Unum est tamen, si nos ipsos diiudicaverimus, non utique iudicabimur. Malu melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire ieiuniis, exterisque sanctæ laboribus disciplinæ, etc. Scrutabor ego vias meas et studia mea, quo is qui scrutaturus est Ierusalem in lucernis, nihil inscrutum in me, sive indiscussum inveniat. Neque enim iudicaturus est bis in idipsum. Quis mihi det ita ad liquidum prosequi et persequi universa delicta mea, ut in nullo oporteat vereri oculos capræ, in nullo ad lumen contingat erubescere lucernarum? Et nunc videor, sed non video. Præsto est oculus cui omnia patent, etsi non patet ipse. Erit quando cognoscam, sicut et cognitus sum.**

Quæres, quænam sint lucernæ Dei, quibus scrutabitur omnes et omnia in die iudicii? Resp. Increata lucernæ Dei, quæ.

Vers 12.

In die iudicii Deus scrutabitur in lucernis.

Lucerna increata Dei, quæ.

est ipsa eius mens, intellectus, perspicacia, scientia, qua **A** omnia penetrat et pervidet clarissime. Nam, ut ait Apostolus, *vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti*, etc. *discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius*, Hebr. 4. v. 12. Hinc Ægyptii Deum pingebant hieroglyphice, quasi oculum sceptro insistentem: oculo significantes eius visionem, scientiam, providentiam; sceptro, eius potentiam, regnum, vindictam et castigationem. *Deus*, enim inquit Plinius l. 2. c. 7. *totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui*. Et, ut ait Tertul. lib. de Trinitat. *Deus totus est oculus*. Hinc Eccli. 23. v. 27. *Omnia videt oculus illius*. Et v. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda, intuentes in absconditas partes*. Quocirca cogita, o peccator, te hunc oculum effugere non posse, esto abdas te in conclave, in speluncas, in antra: ubique enim hic oculus te videt. Si id scis et cogitas, quomodo in conspectu divini et vindicis huius oculi peccare, eumque irritare audes?

Create quoque.

I. Create lucernæ Dei sunt variæ. Prima sunt angeli et dæmones, qui quoad naturam spiritus sunt lucidi et per vigiles, omnia penetrantes, scrutantes et pervidentes, de quibus Psaltes psalm. 103. et Apostolus Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*. Hi in iudicio peccatorem accusabunt, omniaque eius scelera, etiam occultissima et munitissima, prodent et pandent in tribunali Christi.

II. Secunda lucerna Dei est ratio et conscientia cuiusque, de qua psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et Matth. 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Hæc culpam in memoria servat, eamque agnoscat et fatebitur coram iudice et toto mundo. Hæc dicit ipsi peccatori: Ego te monui, ego tibi oclamavi. Noli hoc scelus patrare, Deus te videt, Deus te puniet: sed noluit me audire; me reclamante effrus in conspectu Dei, impudenter, hæc et ista in particulari crimina commisit: tu nosti, ego testor, negare non potes.

III. Tertia lucerna est lex et verbum Dei, de qua Psaltes psalm. 118. 104. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*. Et Sapiens Proverb. 6. 23. *Mandatam lucerna est, et lex lux*. Et 2. Petri 1. v. 17. *Attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Lex enim Dei detegit iniquitates hominum, quas legi huic contrarias et repugnantes admiserunt, ostendetque quam iniquæ, impiæque, et a ratione legeque alienæ et abhorrentes fuerint. Audi S. Ambros. in Psal. 118. octonario 18. ad illud: *Ignitum eloquium tuum: Tripliciter, inquit, describe tibi ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes. Ideo ait Dominus: Scrutatius sum Ierusalem ad lucernam, sed neminem in ea vel qui mundaretur, vel qui incenderetur, aut illuminaretur, invenit: ideo eam in tenebris dereliquit*.

IV. Quarta lucerna est sol, luna, stellæ, quæ peccatori dum peccaret, luxerunt et facem præbuerunt; hæ enim testantur scelus, quod viderunt, cuique lucem præstiterunt. Unde de iis ait Isaias cap. 24. 23. *Erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Ierusalem, et in conspectu scorum suorum fuerit glorificatus*. Et Ioes c. 2. 31. *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem*.

V. Quinta lucerna est vita Christi et Sauctorum. Hinc de Ioanne Baptista ait Christus: *Ille erat lucerna ardens et lucens*, Ioannis 5. 35. Et Philip. 2. 15. *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Et de Elia et Henoch ait S. Ioannes: *Hi sunt dux olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, Apoc. 11. 4. Tot ergo lucernæ Dei sunt, quot Sancti, imo quot virtutes et exempla Sauctorum, hæc pandent arguentque nequitiam peccatorum. Quocirca cuilibet reprobo dicit Christus iudex: En dedi tibi hæc exempla piorum quasi faces, quas sequeris: tu vero maluisti tenebras et opera tenebrarum sequi, quam

lumen. Vide quam tua opera, quam tua vita difformis sit vitæ S. Pauli, S. Francisci, S. Dominici, etc. Si respondeas: Domine non potui servare castitatem, quia natura et consuetudine nimis proclivis eram in libidinem; arguet iudex: Mentiris. Nam S. Augustinus in libidinem propensissimus, eam vicit per eam gratiam; vicit Magdalena; vicit Pelagia; vicerunt alii innumeri: ergo et tu tuam proclivitatem vincere potuisti per eandem gratiam, quam tibi vel obtuli, vel præparavi, ac re ipsa dedissem, si eam humiliter et instanter postulasses, eique strenue fuisses cooperatus. Quis hoc Dei scrutinium non expavescat?

Anagog. lucerna Ierusalem cælestis, est splendidissima et gloriosissima humanitas Christi, quæ non tantum eam scrutabitur, ne quid in eam intret coinquinatum, sed et eandem miris et æternis splendoribus irradiabit, lætificabit et beabit: de qua Apocal. 21. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus*.

**B** ET VISITARO SUPER VIROS DEFIXOS, id est, totos immersos, agglutinatos, et, ut hebr. est קופהים *kopheim*, id est, coagulatos, vel congelatos, IN FÆCIBUS, id est, in sordidis et spurcis voluptatibus, puta deliciis et divitiis, suis.) Unde Chald. vertit, *animadvertam in viros, qui summa tranquillitate fruuntur divitiis suis*. Est metaphora a vino aspero fæcibus incubante, quod dum immotum in iis persistit, asperitatem suam vitiumque conservat: unde ut eam ponat, fiatque suavius, ab œnopolis ab iis amoveri, et in aliud vas transferri solet. Sic enim Deus Iudæos in Ierusalem otio et opibus diffluentes, ut corruptos eorum mores corrigeret, ex ea transtulit in Babylonem. Alludit Sophonias ad Ieremiæ synchroni sui c. 48. 11. ubi de Moab dicit: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis; nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus eius in eo, et odor eius non est immutatus*. Vide ibi dicta. Ita loci et officii mutatio sæpe homines a suis cupediis, moribus et amoribus avellit. Quocirca sapienter in Religionibus inductum est, ut Religiosi subinde ex uno monasterio, vel Collegio in aliud, ex una provincia in aliam transferantur, ut meminerint se hic non habere manentem civitatem, sed esse advenas et peregrinos, cives vero Saكتورum et domesticos Dei, in eoque mentem amoremque suum defigant.

**C** QUI DICUNT IN CORDIBUS SUIS: NON FACIET BENE DOMINUS, ET NON FACIET MALE.) q. d. Qui cogitant et censent, quod Deus non habeat providentiam honorum et malorum, ut hos puniat, illos præmiet; sed omnia casu vel fato eveniant. Fortuna est, inquiunt, vel fatum, quod omnia regit, quod his bona, illis mala irrogat. Est vox politicorum et atheorum: qui enim in fæcibus peccatorum suorum defixi iugiter hærent, tandem fiunt athei. Amor enim voluptatum, et consuetudo peccandi quam nolunt dimittere, impellit eos et excæcat, ut dicant: Non est providentia: quo liberius ablato Numinis metu peccent, ut suis amasiis vel cupediis fruuntur, iuxta illud Psalm. 13. 1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*.

**D** ET ERIT FORTITUDO EORUM IN DIREPTIONEM.) Pro Vers. 15. *fortitudo* hebr. est חֵל *chel*, quod robur, vires, opes, exercitus significat. Unde Chald. vertit, *erunt divitiæ eorum in spoliis; Pagnin. erit substantia eorum in direptionem; Tigurina, diripientur opes illorum*. Hinc et sequitur: *Et domus eorum (erunt) in desertum; Chald. domus eorum in prædam; Pagn. domus eorum in desolationem; Tigurina, domus eorum vastabuntur*. Divites enim omne suum robur ponunt in domibus et opibus, iuxta illud Proverb. 18. v. 11. *Substantia divitis urbs roboris eius, et quasi murus validus circumdans eum*. S. Hieron. tamen, Remig. et Haymo per fortitudinem accipiunt exercitum. Audi S. Hieron. *In die mortis et iudicii omnis fortitudo eorum in direptionem erit, ut quod male valebat et erigebatur adversus Dominum, infirmum fractumque vertatur ad melius: velut si quis fortitudinem latronis, et piratæ, et furis diripiat, infirmosque eos reddat, prodest illis sua infirmitas: debilitata enim membra, quibus prius non bene*



utebantur, a malo opere cessabunt.

Vers. 14. **IUSTA EST DIES DOMINI MAGNUS.**) Puta dies vindictæ et excidii Ierusalem, ac captivitatis Babylonicæ.

Allegor. apte S. Hieron. Remig. Vatabl. imo Ecclesia in officio defunctorum, hæc omnia adaptat diei iudicii. Vide dicta Ioelis 2. Prope, ait S. Hieron. est dies mortis et iudicii, vel propter æternitatem, quia nihil ei longum est; vel propter pœnæ magnitudinem, quia patienti nunquam longe videtur supplicium quod inferendum est; sive, cum exierimus a sæculo, et uniuscuiusque mors consummationem mundi fecerit, non solum prope erit, sed et ve-  
lox nimis.

**VOX DIEI DOMINI AMARA.**) Quia in illa die erit clangor, strepitus, tumultus et comploratio tum Chaldæorum occidentium, tum Iudæorum vel occisorum, vel captivorum, amarus et horrendus. Allegor. S. Hieron. iugiter sentiebat sibi insonare vocem ultimæ tubæ: Sive, inquit, bibo, sive comedo, sive dormio, semper tuba illa insonat auribus meis. Surgite mortui, venite ad iudicium. Sapientes, qui hanc vocem iugiter audiunt et ruminant.

**TRIBULABITUR IBI FORTIS.**) Chald. *ibi potentes interficiuntur*; Pagnin. *clamat ibi fortis*; Tigurin. *ibi fortis turpiter eiulabit*. Alii mutata distinctione sic exponunt: *Vox diei Domini prope est, ibi fortes vociferabuntur amarum*, id est, ibi audietur vox atrox et horrenda Chaldæorum expugnantium Ierusalem, civesque trucidantium; et allegor. angelorum tuba eanentium, orbique excidium et finem adducentium in die iudicii.

Vers. 15. **DIES IRÆ.**) Ad litteram loquitur de die excidii Ierusalem per Chaldæos; Allegor. de die iudicii. Septuag. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis et necessitatis, dies miserix et perditionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubes et nebulæ, dies tubæ et clamoris*; Chald. *dies ille dies afflictionis et angustix, dies tumultus et commotionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubilosus et obscurus, dies buccinæ et iubilationis*; Pagnin. *dies iræ dies illa, dies angustix et afflictionis, dies tumultus et desolationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubes et caliginis, dies tubæ et tarantantæ*. Exaggerationes hæc acerbitatem, horrorem et atrocitatem illius diei significant et repræsentant. Tigurina, *dies excandescentiæ dies illa, dies angoris et coangustationis, dies desolationis et devastationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubes et nebulæ, dies buccinæ et classicæ*. Vide dicta Ioel 2. 2. Meditans, et concionator singula hæc diei illius epitheta ruminet, expeudet, ponderet et urgeat, v. g. dies huius vitæ est dies gratiæ, illa futura vitæ erit dies iræ: quia in illa Deus omnem suam iram per sex anuorum (quibus eum iugiter in hoc mundo offenderunt et irritarunt peccatores) millia collectam, totam simul uno impetu, quasi torrens effundet in impios. Secundo, illa dies erit dies tribulationis, quia tribulam omnium afflictionum ager super impium Deus, dicetque, *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*, Apoc. 18. 7. Tertio, erit dies angustix: quia ab omni parte aretabuntur reprobi. Si enim aspiciant sursum, videbunt iudicem iratum, spirantem fumos. Si deorsum, videbunt flammam gehennæ sibi paratas. Si retro, videbunt voluptates clapsas iam se deserere et cruciare. Si ante, videbunt æternitatem interminam, eamque miserrimam. Si ad latera, videbunt angelos se relinquentes, et dæmones se invadentes. Si intus, videbunt conscientiam se acensantem et flagellantem. Quarto, erit dies calamitatis, id est, calamitosissima, adeo ut dicant montibus: *Operite nos*; et collibus: *Cadite super nos*, Osee 6. 8. Apoc. 6. 16. Undique enim pœnæ quasi hostes in eos irruent. Quinto, erit dies necessitatis, ut vertunt Septuag. quia necessariam et inevitabilem sententiam et condemnationem subibit, a qua nec homines, nec angeli, nec B. Virgo eos volet, aut poterit liberare. Sexto, erit dies perditionis: quia et famam, et vitam, et lætitiā, et animam, et omne bonum perdent in æternum. Septimo, erit dies tumultus, ut vertit Chald. quia in tanto, et pene infinito damnatorum numero, turbæ condensata et constipata, tam in valle Iosaphat,

**A** quam in gehenna, horrendus erit strepitus, clamor, ciulatus; horrende convicia, maledictiones et blasphemix, quibus damnati sociis, parentibus, dæmonibus, angelis, Deoque maledicent; ringent enim contra se invicem quasi canes ex summo dolore et desperatione. Octavo, erit dies tenebrarum: quia ibunt in tenebras exteriores, ubi nunquam videbunt solem, lunam, vel ullum lumen. Nonno, erit dies turbinis, quia quasi mentis impotes vertigine agentur, et ignis stridens quasi turbo aget eos in gyrum, rapietque in tartara. Decimo, erit dies tubæ et tarantantæ, ut vertit Pagnin. id est, prælii, quo Deus eos profligabit et concidiet. Rursus erit dies tubæ: quia tuba proclamante educuntur eorum toto mundo ad locum supplicii, ut plectantur in gehenna. Undecimo, erit dies desolationis et devastationis, ut vertunt Pagnin. et Tigurina, quia privabuntur omni consolatione et gaudio, ac replebuntur omni mœrore et tristitia. Duodecimo, erit dies iubilationis, ut vertit Chald. quia Sancti iubilabunt, et applaudent iustitiæ et vindictæ Dei, ipsisque damnatis insultabunt, ac de iis quasi hostibus profligatis triumphum agent, Sap. 5. 1.

**DIES NEBULÆ ET TURBINIS.**) Tum proprie; Deus enim pugnat adversus impios, ac præsertim in die iudicii pugnat, cogendo et vibrando in eos nebulas, turbines, fulmina, tonitrua, procellas et grandines. Hi enim milites in castris Dei censentur Psal. 10. 7. Sap. 5. 22. Sic pro Theodosio pugnans contra Eugenium tyrannum, ventos in eum immisit,

*Revolutaque tela*

*Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas,*  
ait Claudian.

Tum Symbolice; nebula enim, tempestas, et turbo symbolum et imago sunt horrendi prælii, conflictus, stragis, supplicii, et vindictæ, ex alto a Deo detonantis et depluentis in impios, cosque grandinantis. Sic Homerus Iliade 4. Græcorum agmina, quasi procellas irruentes in Troianos depingit:

*Qualem super æquora nubem*

*Sæpe videt cælo scopuli de vertice pastor,*  
*Contractam Zephyri flatu, et caligine nimbo*  
*Densante picea, et sævam ninitante procellam.*

Et Homerum de more imitans Virgil. Æneid. 12.

*Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus*  
*It mare per medium, miseris, heu! præscia longe*  
*Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas*  
*Arboribus stragemque salis, ruct omnia late.*  
*Ante volant, sonitumque ferunt ad littora venti.*  
*Talis in adversos ductor Rhætæius hostes*  
*Agmen agit.*

Et rursus Æneam in medio conflictus quasi turbinis, ita describit:

*Ac velut effusa si quando grandine nimbi*  
*Præcipitant, omnis campis diffugit arator, etc.*

*Sic obrutus undique telis*

*Æneas, nubem belli dum detonet.*

**SUPER ANGULOS EXCELSOS.**) Chald. *super collibus ex-* Vers. 16.  
*allatis*; Tigurina, *super turrex excelsas*: hæc enim in angulis palatiorum solent exedificari, q. d. Chaldæi turrex altissimas celerrime conscendunt, occupabunt et vastabunt. Ita Theodor. Lyran. Arias et Vatabl.

**AMBULABUNT UT CÆCI.**) Præ metu, angore, horrore et stupore. Videtur enim timor et anxietas timidus, anxius et perplexis eripere lumen, mentem et oculos, ut nesciant quo fugiant, q. d. Iudæi erunt attoniti, ut cæcutire videantur, et ambulare tamquam cæci, præsertim quia adimet eis consiliarios et viros sapientes, qui civitatis et civium sunt quasi mens et oculi, uti prædixit Isaias c. 3. 3.

**EFFUNDETUR SANGUIS EORUM SICUT HUMUS.**) Tigurina, *ut pulvis*, scilicet contemptus et nullius pretii, qui omnium pedibus calcatur.

**CORPORA.**) Cadavera Iudæorum insepulta proiciuntur ut stercores, hoc est, sepultura asini sepelientur, uti sub idem hoc tempus Ioaquim regi comminatus est Ieremias cap. 22. 19.

Vers. 15. Horror diei iudicii quantus ex undecim epithetis.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.

Vers. 18. **AURUM NON POTERIT LIBERARE EOS.**) Quia Chaldæi truculenti Iudæorum vitam quærent, non aurum. **IN IGNE ZELI EIUS (DOMINI) DEVORABITUR OMNIS TERRA.**) Scilicet Iudææ: de ea enim agit. *Ignem zeli vocat iram vindictæ, vel iram vindicem. Ira enim vocatur ignis: quia in ira, ebulliente sanguine effervescimus et ignescimus, ut oculis, ore et naribus flammam vomere videamur. Unde illud: ignes, vel iras naribus efflat. Unde Arabicus Antioch. vertit, in igne fervoris eius; Arabicus Alexand. in flamma ignis eius. Rursum, vindicta vocatur zelus: quia hæc in Deo ex ingenti amore nascitur. Alludit enim ad zelum maritorum, qui quia uxores ardeuter amant, hinc, si ipsæ adulterentur, et fidem amoremque fallant, acerrime eas puniunt, et sæpe occidunt. Ita Deus, quia populum suum, puta Iudæos, ardentem amabat, quasi sponas suas, hinc eos fidem fallentes, et cum idolis adulterantes, amore in indignationem verso gravissime punivit, va-*

**A**stavit et consumpsit usque ad consummationem, id est, plene, funditus et consummate. Ita S. Hier. Loquitur, ut dixi, ad litteram de die excidii Ierusalem per Chaldæos, et a pari, vel simili, de die excidii eiusdem per Titum et Romanos, de quo S. Hier. *Usque in præsentem, ait, diem videas Iudæos prohiberi ingredi Ierusalem exeepto planetu: et ut ruinam suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas. Videas in die quo capta est a Romanis et diruta Ierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, et senes pannis annisque obsitos, in corporibus et in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, et patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστασία eius, de Oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem, etc. et dubitat aliquis, cum hæc videat, de die tribulationis et angustiae?*

## C A P U T S E C U N D U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Hortatur Iudæos ad pœnitentiam, ut evadant stragem Chaldæorum, quam subitura sunt vicinæ gentes. Unde v. 4. Gazæ, Ascaloni, Azoto, Accaron, Ammon, Moab, ac v. 12. Æthiopiæ, quin et v. 15. ipsi Ninivæ orbis dominiæ excidium intentat; simul ut soletur Iudæos horum populorum, utpote Iudæis hostilium, clade et interitu.*

1. **C**ONVENITE, congregamini gens non amabilis: 2. Priusquam pariat iussio quasi pulverem transeuntem diem antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. 3. Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati: quærite iustum, quærite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini. 4. Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in meridie eiciet, et Accaron eradicabitur. 5. Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum: verbum Domini super vos Chanaan terra Philistinorum, et disperdam te, ita ut non sit inhabitator. 6. Et erit funiculum maris requies pastorum, et caulæ pecorum: 7. Et erit funiculus eius, qui remanserit de domo Iuda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum. 8. Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobraverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum. 9. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, et residui gentis meæ possidebunt illos. 10. Hoc eis eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini exercituum. 11. Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ: et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium. 12. Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis. 13. Et extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur: et ponet speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum. 14. Et accubabunt in medio eius greges, omnes bestię gentium: et onocrotalus et ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur eius. 15. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestię? omnis qui transit per eam sibilabit, et movebit manum suam.

Vers. 1. **C**ONVENITE.) **התקושיו** *hitkosesciue*, id est, colligite, adunate vos in cœtum, sicut stipulæ et palcæ colliguntur et constringuntur in fasciculos. Unde Septuag. et Chald. vertunt, *congregamini* et *συνθροησθε*, id est, *colligamini*: male enim quidam legunt *συνθροησθε*, id est, *conpreceamini*, ait Theodoret. Hortatur enim populum, ut simul omnes cocant in templum, ibique unanimiter per preces et pœnitentiam communem Deum placent, ac ipsi quasi vim faciant, itaque comminata mala avertant, et flagellum e manu eius extorqueant, q. d. *Convenite in Ecclesia, sociamini vobis charitate et pace*, ait S. Hier. nimirum ut, sicut grana in acervos, stipulæ in fasciculos colliguntur, ita vos mutuis et communibus charitatis et pietatis studiis conveniatis in unam religionem, ecclesiam, litaniam et supplicationem, ut hac unione prævaleatis iræ Dei, Deumque vobis reconcilietis. Quare minus recte Rabbinii, et ex iis Pagn. Tigur. et Valab. vertunt, *scrutamini vos ipsos et scrutamini*, deinde alios, ut scilicet prius vestram, deinde alienam conscientiam emundetis, et inducat ad pœnitentiam. Hebr. enim **קושיו** *kos*, non significat scrutari conscientiam, sed colligere, acervare, congregare.

Trop. S. Hier. hæc applicat cuique e sæculo migranti, q. d. *O tu qui sæculi negotiis occupatus per diversa diseur-*

**B**ris: revertere in sanctorum ecclesias, et iunge te eorum vitæ et cœtui, quos vides placere Deo; et dissoluta membra animæ tuæ, nec sibi cohærentia, in unam sapientiæ cogge compagem; et illius hære complexui, et audi mysticæ: Confortamini manus dissolutæ, et genua debilia solidamini. Nec gloriæris in bonis carnis, et eius flore qui præterit. Omnis enim caro fœnum, et omnis eius gloria quasi flos fœni. Aruit fœnum, et flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Subdit deinde aliud: *Possumus, inquit, hoc capitulo uti pro tempore, si quando viderimus aliquem honoribus sæculi deditum, et congregandis divitiis occupatum, ad ecclesiam, vel raro, vel numquam venire, et dicere ad eum: Congregare et coniungere populo Dei, qui Domini præcepta non audis, antequam gloria tua pertranseat, antequam dies tibi furoris Domini adveniat.*

**GENS NON AMABILIS.**) Hebr. **לא נכסף** *lo nichsaph*, id est, ut Pagnin. *gens non desiderabilis*, q. d. O Iudæi, vos estis gens non amore, sed odio Dei digna, Deoque ob peccata invasa et exosa. Unde Septuag. vertunt, *gens in-crudita*, quæ scilicet doctrinam et disciplinam Dei ignorat et respuit; Tigurina, *gens non desiderans*, scilicet Deum Deique legem; Chald. *generatio nolens converti ad legem*; Syrus, *gens non correpta*, non erudita, absque disciplina;

Arabicus Antioch. *gens quæ non probatur*, hoc est, tentatione, vel afflictione non examinatur; Arabicus Alexand. *gens insipiens*. Est liptote, sive miosis; minus enim dicitur, et maius intelligitur, non *amabilis*, id est, inamabilis, quæ nequit amari, inuisa, odiosa. Sic Plautus in Bæch. *Incredibilis, impos animi, inamabilis, illepidus vivo*. Et Virgil. 6. *Aneid. de Styge*:

*Tristique pulvis inamabilis unda,*

id est, palus summe horrida et exosa. Idem 3. Georg.

*Quis aut Eurysthea durum,*

*Aut illauntati nescit Busiridis aras?*

*Illaudati*, id est, vituperati, infamisi et sceleratissimi: Busiris enim hospites suos diis mactabat ad aras, eumque pariter Herculeum mactare vellet, ab eo mactatus est. Sic Script. sæpe idolum, vel peccatum, vocat vanum, vel inutile, id est, maxime damnosum et nocentissimum. Secundo, Iudæi vocantur *gens non amabilis*: quia cæteris gentibus erant inuisi, tum ob religionis et fidei differentiam, tum quod cum eis nullum haberent commercium, affinitatem vel coniunctionem, imo eas aversarentur: ita Pineda lib. 1. de Rebus Salom. c. 1.

Vers. 2.

PRÏUSQUAM PARIAT IUSSIO, etc.) q. d. Congregamini ad publicas preces et lamenta, antequam Deus iussu suo pariat et producat diem excidii et captivitatis Babylonicæ, qui transibit ut pulvis, hebr. *כמץ* *camnots*, id est, ut palea et gluma, hoc est, erit ut turbo qui violenter pulverem et paleas dispergit, ac celerrime transit omnia misceus, obnubilans, diripiens et auferens: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et Lyran. Verum Septuag. paraphrasticè pro pulvere aliam dant similitudinem, nimirum floris: *Antequam*, inquit, *sitis sicut flos pertransiens die*, qui scilicet eodem die quo mane oritur, vespere occidit, q. d. Ne sicut flores verni illico defluatis, divina ira quasi turbine vos decutiente, inquit Theodor. Similiter Chald. aliam addit similitudinem umbræ: *Antequam*, inquit, *prodeat in vos edictum domus iudicii, et similes sitis pluma quam perflat ventus, et umbra quæ transit a conspectu diei*, nimirum *antequam veniat super vos vehemens ira Dei*: illa enim erit implacabilis, nec dabit locum obsecrationi aut pœnitentiæ.

Vers. 3.

QUÆRITE DOMINUM OMNES MANSUETI TERRÆ.) q. d. Omnes quidem, sed vos maxime qui estis humiles et mansueti, obsecrando quærite Deum, eumque assiduis gemitibus fatigate, si forte eum toti populo indignantem lenire et placare possitis. Ubi Nota, nullos posse levire iram Dei, eamque toti genti propitiare, nisi humiles et mansuetos, qualis fuit Moses, Num. 12. 3. et Exodi 32. 32.

QUI IUDICIUM EIUS ESTIS OPERATI.) *Iudicium*, id est, id quod æquum et iustum est, puta id quod lex sancit et præcipit. Sic psalm. 118. sæpe lex Dei vocatur *iudicium*: ita S. Hieron. unde explicans subdit:

QUÆRITE IUSTUM, hebr. *צדק* *tsedek*, id est, *iustitiam*, QUÆRITE MANSUETUM.) Hebr. *ענא* *anava*, id est, *mansuetudinem*; Pagnin. *humilitatem*; alii, *paupertatem*, q. d. Estote iusti et mansueti, facite opera iusta, idque mansuete, conversatio vestra sit iusta, æque ac mitis, modesta, et in omnibus actibus, motibus et moribus composita. Hanc enim morum compositionem facit huuilitas et mansuetudo: ita Theodoretus.

Aliter S. Hieron. Remig. Albertus et Hugo, qui per iustitiam et mansuetudinem accipiunt Deum, qui est ipsa increata et immensa iustitia et mansuetudo, q. d. Quærite Deum operando iudicium, id est, opera iusta: ipse enim iustissimus est, æque ac mansuetissimus. Quocirca, quia iustissimus, respiciet opera iusta: quia mansuetissimus, pœnitentes in gratiam elementer recipiet. Hæc ergo duo vos abscondent et protegent ab eius ira et furore.

Vers. 4.

QUIA GAZA DESTRUCTA ERIT.) Dat causam cur furem Dei expavescere debeant, ideoque studere, ut per opera pœnitentiæ et iustitiæ eum a se avertant; quia scilicet tantus erit furor Dei, tantum robur et impetus Chaldæorum, militum eius, ut ipsi venientes in Iudæam, etiam vicinos Philistinos, qui sæpe Iudæis sunt dominati, sint vastaturi, q. d. Multo ergo magis vos o Iudæi, Chaldæos

formidare debetis: vestrum enim ipsi proprie, ita destinante Deo, sunt flagellum: vobis enim ita iratus est Deus, ut non tantum vos, sed et propter vos, vicinas gentes sit vastaturus. Vos enim, quia fideles Deum, cognoscentes, imo Deo quasi consecrati magis eum offendistis colendo idola, etc. quam Gentes infideles quæ Deum non cognoverunt. Cum ergo illas puniturus sim, multo magis vos puniam et vastabo. Aliter hæc precedentibus connectit a Castro, quasi dent causam cur dixerit: *Si quomodo abscondamini in die furoris Domini*, q. d. Vos liberabimini ab illa communi clade et captivitate Babylonica (quia inde redibitis) a qua nulla alia gens se poterit liberare: quia Gaza funditus destruetur. Aut, q. d. Dominum precibus et actionibus iustis propitiare: forte vos proteget aliqua ratione sibi nota, quam nos ignoramus: fugere enim ad vicinas gentes non licebit, quia Gaza destruetur.

Nota. Quinque erant satrapie Philistinorum, quarum metropoles eisdem erant hæ, Gaza, Accaron, Azotus, Ascalon, Geth: in quibus nominibus elegans est paronomasia in Hebræo. Ait enim *ענא עזא* *azza azuba*, Gaza erit derelicta, aut, ut latine eam imitemur, Gaza erit vasta, vel vastata: forte etiam alludit ad nomen Persicum *gaza*, quod opes significat, q. d. Gaza olim habuit gazam, eamque recondidit: at nunc ea privabitur, eritque derelicta: imo putant aliqui Gazam nuncupatam a gaza Persica ob opulentiam urbis. Verum Gaza hoc nomen habuit tempore Davidis ante regnum Persarum. Quocirca verum etymon Gazæ est Hebræum. Hebr. enim vocatur *ענא* *azza*, id est, fortis: erat enim situ et arte insigniter munita. Pro *Asza* enim Septuag. dixerunt *Gaza*: quia litteram Hebræam *ain* sæpe vertunt in G, ut pro *Amora* vertunt, *Gomorra*, pro *amor* vertunt *gomor*.

AZOTUM IN MERIDIE EIICIENT.) q. d. Chaldæi Azotios non clam et furtim, sed palam clara luce, collata acie expugnabunt: ita S. Hieron. Remig. Albert. et Hugo.

ACCARON ERADICABITUR.) Hebr. est paronomasia *עקרון* *Akron teaker*, q. d. Accaron, quæ hebr. ab eradicando dicitur, estque idem quod eradicatio, a Chaldæis eradicabitur, id est, funditus evertetur.

Moraliter Lyran. Per *Philistæam*, inquit, quæ *potione cadens* interpretatur, ebrietas bene significatur, ad quam sequitur destructio fortitudinis corporalis. Proverb. 23. *Cui vix, cuius patri vix, cui rixæ, cui sovæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum, nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Et hoc significatur per destructionem Gazæ, quæ fortitudo interpretatur. Secundo, ad ebrietatem sequitur hebetatio discretionis quæ significatur cum subditur, *Et Ascalon in desertum*: nam *Ascalon* interpretatur *ponderatio*: actus autem humani debent discretionis iudicio ponderari. Tertio, per ebrietatem destruitur amicitia charitatis. 3. Esdræ 3. 22. *Et non meminerunt, cum biberunt, amicitiam, nec fraternitatem: sed non multum post sumunt gladios*. Et hoc significatur per destructionem Azoti, cum dicitur, *Azotum in meridie eiicium*: Nam communiter circa meridiem incurunt homines ebrietatem. Quarto, per ebrietatem consumitur substantia corporalis. Eccl. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur*: et hoc significatur cum dicitur, *Et Accaron eradicabitur*: *Accaron* enim *pascua gregis* interpretatur; et convenit substantiæ temporali, per quam omnia ad victum pertinentia habentur.*

*Audivi opprobrium Moab*, etc. hic describitur destructio quatuor gentium. Primi sunt Moabites, qui interpretantur *ex patre*; ideo significant blasphemos, quibus dicitur Ioan. 8. *vos ex patre diabolo estis*. Secundi sunt Ammonitæ, qui interpretantur *populi dolorum*, ideo significant invidios, qui dolent de bonis aliorum. Tertii sunt Æthiopes, qui *tenebrosi* interpretantur; et ideo significant hæreticos, qui tenebris errorum obfuscantur. Quarti sunt Assyrii, qui interpretantur *facturæ vigilantes*; ideo significant latrones, qui de nocte vigilant ad malefaciendum. Isti vero quatuor hominum modi, sunt per divinum iudicium, nisi pœniteant, æternaliter condemnandi. Huc usque Lyranus.

Vers. 5.

**FUNICULUM MARIS.**) Id est, partem vel oram maritimam. Est metonymia: quia enim olim funiculis agros et prædia dimetiebantur et dividebant, hinc funiculus significat partem possessionis, sive sortem hæreditariam quæ euique partito obtingit, ut Psalm. 15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, hoc est, ut explicans subdit: *Et enim hæreditas mea præclara est mihi*. Sensus est, q. d. Væ vobis Cerethim, qui habitatis circa oram maritimam maris Mediterranei: nam perdet et vastabit vos Nabuchodonosor.

**GENS PERDITORUM.**) Hebr. *gens Cerethim*. Iam vox *Cerethim* dupliciter accipi potest. Primo, ut nomen proprium gentis. Ita accipiunt Hebræi, Clarius, Vatabl. Arias, Pagnin. et Septuag. qui vertunt, *Accolæ Cretensium*. Cerethim ergo idem sunt quod Cretes et Cretenses.

Secundo, ut appellativum. Unde Aquila, Quinta editio et Theodot. vertunt, *gens perditionis*. Noster, *gens perditorum*: Tigurina, *gens vastatrix*. Cerethim enim deducitur a כרת *carat*, quod significat exseindere, occidere, perdere: inde derivantur *Cerethim*, q. d. Perditores, exeisores, interfectores, qui omnes et omnia perdunt, occidunt, devastant: erant enim Cerethim gens fera et bellicosa. Ad hoc etymon alludit Sophonias, q. d. O Cerethim eratis olim Cerethim, id est, perditores et vastatores; iam eritis כרותים *cherutim*, id est, excisi et vastati: olim perdebatis alios, iam vos ipsi perdemini; occident enim vos et excident Chaldæi. Unde Symmachus vertit, *genus exterminatum*; Arias, *gens interficienda*, quia excidio Chaldæorum destinata.

Cere-  
thim qui?

Quæres, quænam fuit gens Cerethim? Primo S. Hieron. Ribera et Clarius censent, Philistinos omnes vocari Cerethim, id est, exeisores: quia erant sævi et bellipotentis; unde continua bella gesserunt eum Iudæis, eisque sæpe dominati sunt, ut patet ex lib. Iudicum et Regum. Sophonias enim videtur mox hosce *Cerethim*, vocare *Chanaan* et *Philistiim*.

Verum dico, non omnes Philistinos, sed certam eorum regionem sitam ad Meridiem, vocari Cerethim. Ita Abulens. in l. 1. Reg. e. 30. quæst. 10. Vatabl. Emmanuel, Mariana, Arias, a Castro hic, et Prado, Ezech. 25. sub finem. Id ita esse patet 1. Reg. 30. 14. *Erupimus*, ait, *ad Australem plagam Cerethi, et contra Iudam, et ad meridiem Siceleg*, quod v. 19. explicans ait, *Quæ ceperant de terra Philistiim et de terra Iuda*. Cerethim ergo erant pars terræ Philistiim Meridionalis. Secundo quia ex hac gente collectæ sunt duæ legiones Davidis prætorianæ et fortissimæ, et, ut Ioseph. lib. 7. Antiq. e. 11. ait, corporis regii eustodes, qui circa aulam versantur (quales iam apud reges sunt Helvetii). Hæ enim dietæ sunt *Cerethi*, quasi interfectores: et *Phelethi*, quasi liberatores, a robore et virtute bellica: quia regem, eiusque assecas ab omni periculo hostium liberabant, hostesque eius interficiebant. Unde ad nomen, æque ac ad ministerium Cerethi et Phelethi, alludere milites *ceptratos* et *pellatos*, de quibus Livius 3. de cad. lib. 1. suspicatur Pineda lib. 2. de Rebus Salom. cap. 5. num. 5. atque a פלתי *palat*, id est, liberavit, deduci nomen *pelta*, qua protegimur et liberamur ab hostili ietu. Chald. vertit, *sagittarios et fundibularios*: licet ea non sit vocum etymologia, sed muneris eorum et officii notatio. Audi Scripturam 2. Reg. 15. 18. fugiente Davide Absalonem, *universi servi eius ambulabant iuxta eum, et legiones Cerethi et Phelethi*. Et 1. Paral. 18. 17. *Banaias filius Ioiadæ super legiones Cerethi et Phelethi*. R. Kimchi putat hosce milites Davidis fuisse Israelitas, unde Pagnin. in Interpr. nominum propriorum Hebr. censet *Cerethim* dietos quasi aecolas Carith torrentis in tribu Ephraim, ubi Elias pastus fuit a corvis, 3. Reg. 17. 5. Verum exteros potius, puta Philisthæos, fuisse, indicat Sophonias, et Ezechiel cap. 25. 16. ubi eos vocat Palæstinos. Videtur enim David cum profugit a Saule ad Philisthæos, puta ad Aehis regem Geth, inde eos secum adduxisse. Rediens enim ex Geth urbe Philisthæa, adduxit secum sexcentos viros, et Cerethi et Phelethi, quos deinde et fortissimos et fidissimos corporis eustodes habuit.

Porro noster Prado loco citato opinatur ab hisce Cerethim, puta ex Philisthæa maritima, nimirum a Phœnicibus hisce Cerethis, vel Cretis, habitam et nominatam esse Cretam insulam. Creta enim videtur colonia Phœnicum, qui navibus valebant, ideoque vicinas insulas navigando lustrantes, eo deducebant colonias: unde et in Creta portus erat, cui nomen Phœnix, Actor. 17. 12. Hinc et Creta dieta est quasi Cureta, ab ineolis Curetibus, puta Cerethim. Alii, ut Theodor. ex adverso opinantur, Cretenses insulanos coloniam deduxisse in Phœniciam et Philisthæam, ideoque hosce Cerethim ortos esse a Cretensibus. Unde Sept. vertunt, *παροιχοι Κρητων*, id est, advenæ Cretensium, qui scilicet ex Creta in Philisthæam adveoerant: nimirum Septuag. inquit S. Hieron. *pro גוי גוי, id est, gens, legerunt גר gher, id est, advena* (licet Græcum *παροιχοι* non tantum advenas, sed et aecolas, vel incolas quoslibet significet, ut sit idem quod Hebr. *goy*). Vide dieta Ezech. 25. 16. Hinc et Cretenses in re nautica excelluerunt, ait Strabo. Unde Proverbium ironicum, *Cretensis mare ne seil*, de eo qui id se seire dissimulat, quod callet optime. Creta enim, licet sit insula, videtur tamen primitus inhabitata, ob soli bonitatem. Nullum enim in Creta animal noxium est; optimique vini, quod vulgo Malvasia dicitur, est fertilissima. Unde Virgil. *Aeneid*. 3.

*Creta Iovis magni medio iacet insula ponto,*

*Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ,*

*Centum urbes habitat magnas, uberrima regna.*

Hinc et Iupiter fuit Cretensis, ibique regnavit. Insuper Cretenses olim bellicosos fuisse, æque ac Cerethim, patet tum ex historiis, tum ex veteri epitheto: *Pugnaces* enim *Cressæ*, vocantur canes Cretenses, de quibus Seneca in Hippol.

*Teneant acres lora molossos,*

*Et pugnaces tendant Cressæ*

*Fortia trito vincula collo.*

Denique Strabo l. 10. celebrat Cretensium virtutem bellicam, et in alias regiones transmigrationes.

**VERBUM DOMINI SUPER VOS CHANAAN, O CHANANÆI,** qui estis **TERRA PHILISTHINORUM.**) q. d. Verbum Domini contra Philistinos, qui sunt Chananæi: Philisthæa enim erat pars terræ Chanaan, Iosue 13. 3. significat non solos Cerethim, sed omnes omnino Philistinos vastandos.

**ET ERIT FUNICULUS MARIS REQUIES PASTORUM, ET CAU-** Vers. 6.

**LÆ PECORUM.**) q. d. Ita a Chaldæis vastabuntur Cerethim omnesque Philistini, qui incolunt oram maritimam, ut terra eorum desolanda sit et vertenda in pabula et stabula pecorum. Septuag. rursus de Creta hæc accipiunt: *Et erit, inquit, Creta pascua gregis, et ovile pecorum*: quod mystice exponens S. Hieron. *Cretenses, ait, semper mendaces, malæ bestię, ventres pigri*: ad Titum 1. *Qui fluctuant et circumferuntur omni vento doctrinæ, in deceptione hominum, in versutia erroris: isti cum debuerint in terra confessionis, id est, in terra habitare Iudææ, voluerunt magis advenæ esse Cretensium, qui diversis maris fluctibus hinc inde tunduntur, et sonant ære Corybantino, et sunt iuxta Apostolum quasi cymbalum tinniens. Et quia advenæ sunt Cretensium, ideo sermo Dei, hoc est comminatio fit ad illos. Et dicuntur terra Chanaan semper in fluctu, semper in motu; et terra Allophylorum (Philisthinorum) alieni enim a Deo, in funiculo maris, et in Cretæ regione versantur. Fit itaque ad eos sermo Dei, vel in fine mundi, vel quotidie per Ecclesiasticos viros, etc. ut efficiantur de Creta, et perdantur de pristinis habitationibus suis; et illa regio quæ prius gregem perditum continebat, incipiat esse ovile pecorum Christi, et Iudas, id est, vera confessio, habitat in funiculis maris, q. d. Cretenses, id est, infideles, erronei et hæretici, qui prius in Creta et in mendacio pascabantur, sicut ovile Christi, ibique eius veritate et sanctitate paseuntur.*

**ET ERIT FUNICULUS EIUS (maris, puta sors et terra** Vers. 7.  
**Philisthinorum erit illius) QUI REMANSERIT DE DOMO IUDÆ.**) q. d. Iudæi reliqui ex captivitate Babylonia redeunte possidebunt Philisthæam a Chaldæis vastatam, ibique quasi in deserto pascent pecora sua. Factum id sub Ma-

Cerethim  
sunt Cre-  
tenses.

chabæis, Simone et Ionatha, qui ceperunt Gazam et Asealonem, ac Philisthæos subegerunt, uti ex Theodot. et aliis dixi in Abdia sub finem.

Allegor. Apostoli e Ierusalem et Iuda prodeuntes, Philisthæam converterunt, eamque fecerunt caulam et ovile Christi. Ita Philippus diaconus evangelizando perambulavit Gazam et Azotum, Act. 8. unde subdit: *Ibi pascentur in domibus Asealonis*, id est, *ubi prius diaboli et interfectorum manabat cruor. Asealon enim interpretatur ignis homicida*, inquit S. Hieron.

**QUIA VISITABIT EOS**, scilicet Iudæos qui remanserint in Babylone, **DOMINUS DEUS EORUM, ET AVERTET CAPTIVITATEM EORUM.**) Quia captivos per Cyrum remittet in Iudæam.

Vers. 8

**AUDIVI OPPROBRIUM MOAB**, cuius metropolis est A-reopolis, id est, civitas Martis, **ET BLASPHEMIAS FILIORUM AMMON.**) Quorum metropolis est Philadelphia, ait S. Hieron. q. d. *Audivi probra et convicia, quæ in vos, o Iudæi, iactarunt Moabitæ et Ammonitæ. Insultarunt enim vobis dum Ierusalem caperetur a Chaldæis, ideo ipsos per eosdem Chaldæos puniam, et pari modo evertam: ita Chald. Albert. Lyran. Arias et Vatabl. Ubi Nota. Pro blasphemiis hebr. est גְדוּפִים *ghidduy him*, id est, sannas, probra, convicia, quæ vulgus vocat blasphemias, id est, maledicta. S. Hieron. tamen et Theod. proprie accipiunt blasphemias, quas scilicet Ammonitæ iactabant in Deum, dicentes: Ecce Deus Iudæorum invalidus est, nec potest eos tueri a vi Chaldæorum. Simili modo Rabsaces blasphemavit Deum, Isaïæ 37. v. 10.*

**ET MAGNIFICATI SUNT**; hebr. יגְדִילוּ *iagdilu*, id est, *magnificaverunt*, active, scilicet tum animos, tum os et linguam, **SUPER TERMINOS EORUM.**) Arroganter scilicet et superbe irridendo Iudæos, ac iactando, quod terram et terminos eorum a Chaldæis vastatos essent invasuri et occupaturi, uti explicat Ezechiel cap. 33. 12. et Abdias v. 12. ita S. Hieronym. Albert. Lyran. et Arias. Potest Secundo, verti, *magnificaverunt*, scilicet os, *super terminos suos*, q. d. Ammonitæ magnifica et superba locuti sunt contra populum meum, dum ipse abduetus in Babylonem transivit per fines eorum: ita Vatabl.

Vers. 9.

**PROPTEREA VIVO EGO, DICIT DOMINUS EXERCITUM DEUS ISRAEL**, puta tutor et vindex Israelis, qui iniurias et probra eis ab Ammonitis et Moabitibus irrogata puniam et ulciscar: **QUIA MOAB UT SODOMA ERIT, ET FILII AMMON QUASI GOMORRHA.**) Nimirum funditus excidentur, perinde ac si igne de caelo siderarentur, uti sideratæ sunt Sodoma et Gomorrha, quibus vicina est superba locuti sunt contra populum meum, dum ipse abduetus in Babylonem transivit per fines eorum: ita Vatabl.

**QUOCIRCA ERUNT SICCITAS SPINARUM.**) Hoc est, ita desolabuntur, ut nil in eis sit reperire nisi siccas spinas. Pro *siccitas*, hebr. est מַמְשֵׁק *mimseiak*, quod R. Salomon vertit, *erepitiatio*; Chald. *derelictio*; alii, *exitus*. Proprie *mimseiac* est *excursio*, id est propagatio spinarum. Radix enim קַשְׁקַשְׁ *sciakak* significat excurrere: spina enim spinam serit, uti fraga fragam, itaque se propagat, ut brevi per totum campum excurrat, eamque occupet. Sept. pro מַמְשֵׁק *mimseiak*, legerunt דַּמְשֵׁק *dammeseck*, id est, Damascus. Unde vertunt, *Damascus derelicta erit*, quasi hic sit propheta contra Damascus.

**ET ACERVI SALIS.**) q. d. Terra Moab et Ammon ex inundatione maris mortui (quod mare salis in Scriptura vocatur) vicini salsuginosa erit, et consequenter sterilis: Moab enim viciosa erat mari mortuo, Ammon vero mari Galilææ. Pro *acervi*, hebr. est מַכְרֵה *michre*, quod Chal. Pagnin. et Vatabl. vertunt, *fossam vel fodinam salis*. Sal enim aliud est marinum, quod ex aqua maris decocta coalescit: aliud terrestre, quod ex terra instar bituminis effoditur, ut fit Salisburgi, quod ex sale fossili dives est, ex coque nomen accepit. Hic verum est illud psal. 106. 34. *Posuit terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea*. Idque in æternum, vel proprie et absolute, uti hic censent S. Hieron. et Theodor. vel improprie et ac-

**A** commodè, scilicet *in æternum*, id est, ad longum tempus. Nam postea habitata et culta fuit Moabitis, æque ac Ammonitis. Arabiens Antioch. vertit, *erunt sicut Gomorrha, quia iam corrupta est fortitudo (gloria) eorum: et perierunt dantes consilium eis, et erit corruptio in sæculum*. Arabieus Alexandr. *Gomorrha et Damascus peribit sicut palea manipulorum, et erit perditio eorum in æternum*; Syrus, *corrupta (depravata, adulterata) est planta (plantatio) earum, et perit maluchen, id est, pulvis aspersus earum*, hoc est, nitor, decor et ornatus earum. Hic enim pulvis est cinis cuiusdam herbæ, quam Arabes in solitudine colligunt et comburunt, ac in vicinis civitatibus ingenti copia divendunt. Hic enim cinis est quasi sapo, quo sericum imbuunt, ut bene coloribus tingatur: eodem utuntur feminae ad purgationem multarum rerum, quin et sui ipsarum: eo enim se lavant, ut nitidæ et decoræ appareant. Secundo, Syrus *meluch*, idem est quod Hebraicum *melach*, id est sal. Unde vertas, *perit earum sal*, quia scilicet sale aspersa est terra earum, itaque sterilis et arida effecta est: quare tam sal, quam terra sale aspersa perit. Et sic consentit eum Nostro qui vertit, *Moab erit acervi salis*, etc. Tertio, sal quia omnibus cibis miscetur, hinc significat communionem et communicationem, ut notat Andreas Masius in Lexico Syro Chaldaico Biblior Reg. pag. 119. Unde vertas, *nulla erit in Moab communicatio* et hominum frequentia, quia in ea vastata erit solitudo. Omnes hæ versiones eodem recidunt; significant enim magnam vastitatem et desolationem. Moralit. Vide hic vanitatem omnis magnitudinis et magnificentiae. Cygnæa nuper, sed aurea, fuit vox Philippi III. Hispan. Regis in morte: *Nihil iuvat regem esse, nisi ut in morte cruciet fuisse*. Audite principes, audite Prælati: idem sentietis, idem dicetis in morte, quod rex hic præpotens, sapiens, et innocentis vitæ.

**RELIQUIÆ POPULI MEI DIRIPIENT EOS.**) q. d. Reliquiæ Iudæorum Babylone redeuntium, diripient Moabitas et Ammonitas. Factum id a Machabæis, puta a Iuda 1. Machab. 5. 6. et ab eius nepote Alexandro, uti docet Ioseph I. 12. Antiqu. c. 11. et I. 1. Belli c. 3. Allegor. plenius et melius id fecerunt Apostoli, qui Ammon, Moab cæterasque Gentium regiones subegerunt Christo: ita S. Hieron. qui censet hunc sensum esse litteralem, sed verius est esse allegoricum.

**HORRIBILIS DOMINUS SUPER EOS.**) Chald. Pagnin. et Tigurin. *terribilis*: hoc enim est hebr. נֹרָא *nora*, a rad. נָרַי *iare*, id est timuit. Verum Septuag. *nora* vertunt, επιφοβος, id est, manifestus, a rad. ראָה *raa*, id est, vidit, q. d. Deus terribilem et manifestam vindictam, per Chaldæos, ac deinde per Machabæos, exercebit in Moabitas et Ammonitas, utpote hostes Dei, et irrisores Israelis.

Vers. 11.

**ET ATTENUABIT**, hebr. רָזָה *raza*, id est, emaciabit, macie conficiet, inquit Vatablus, **OMNES DEOS TERRÆ.**) Pnta orbis universi. Cœpit hoc impleri per Chaldæos in Ammon et Moab, cum inde idola aurea et argentea diripuerunt ut censet Hugo: promotum est per Machabæos, qui Ammonitas et Moabitas compulerunt ad iudaismum et veri Dei cultum, uti dixi in fine Abdia. Verum plane et plene in toto orbe id effectum est per Apostolos tempore Evangelii. Tunc enim peractum est excidium idololatriæ, et vera Dei Christianique religio ubique gentium recepta, toti mundo dominata est: ita S. Hieron. Theodor. Remig. S. Augustin. lib. 18. Civit. 33. Euseb. lib. 2. de Demonstr. Evang. cap. 16. et alii passim. Assurgit ergo Propheta a typo ad autotypum, a Iudæis ad Christum et Christianos, qui non tantum Moab et Ammon, sed omnes gentes occuparunt, Deique cultu, sublatis idolis, imbuerunt, q. d. Deus hostes suos siveque populi, puta Ammon et Moab, eorumque deos deliciet per Apostolos, facietque, ut quæque gens non in sola Ierusalem, uti Iudæi, sed ubique terrarum, quælibet in suo loco et regione, Christum Deumque verum colat, invoacet et sacri-ficiet. Unde pro *chi*, id est, *quia, quoniam*; quod sæpe habet emphasisim, estque nota auxesis, significans idem quod *imo, quinimo*. Addit a Castro, esse notam admirantis, et significare *quid?* q. d. Dixi Deum sub-

acturum Ammon et Moab. Quid? parum dixi; addo multo maiora: attenuabit et disperdet omnes deos, gentesque per universam terram. Verum exempla nulla produci possunt, quæ hanc significationem evincant: quæ enim ipse profert, potius significant *chi* idem valere quod *imo*.

**OMNES INSULÆ GENTIUM.**) Iudæi, uti dixi Isaïæ 49. 1. non solum Cyprium, Cretam, Siciliam, sed et Italiam, Galliam, Hispaniam, cæterasque Europæ provincias nuncupabant insulas, quia ipsis trans mare erant sitæ, ita ut ad illas per mare, quasi ad insulas tendere et proficisci deberent. Quocirca S. Chrysost. orat. 2. contra Iudæos, docet hic prophetari vocationem Gentium, et propagationem Evangelii per totum orbem, ideoque huc alluisse Apostolum ad Titum c. 2. *Audi, inquit, quo pacto Evangelia et Apostoli cum propheta concordent. Hic (Sophonias iuxta Septuag.) dixit: Illucescet Dominus: (Apostolus ait: Illuxit gratia Dei salutaris. Hic, inquit, Super Gentes: ille, Super omnes homines. Hic dixit, Abolebit deos Gentium: ille, Erudiens nos ut abnegantes impietatem ac mundanas concupiscentias sobrie, et iuste, et pie vivamus.*

Vers 12

**SED ET VOS ÆTHIOPE INTERFECTI GLADIO MEO ERITIS.**) Hæc non cohærent cum iis, quæ proxime præcrescunt de idolorum excidio per totum orbem, sed superius referenda sunt ad v. 9. q. d. Dixi vastandos esse a Chaldæis Ammonitas et Moabitas, nunc addo dicoque: *Sed et vos Æthiopes ab iisdem vastabimini.* Nabuchodonosor enim anno quinto post excisam Ierusalem, invasit et subegit Ægyptum, eique vicinam Æthiopiam, ut refert Ioseph. l. 10. Antiq. 11. et l. 1. contra Apion. et Isaïas c. 20. 3. et Jerem. c. 25. Addit S. Hieron. Æthiopes postea quoque vastatos esse a Cyro, et a Cambyse vastaute Ægyptum: Æthiopia enim sita est trans Ægyptum; ex qua venit Regina Saba ad Salomonem, 3. Reg. 10. 1. in qua iam degunt Abyssini, quibus imperat Preto-Ioannes. Hæc olim infesta fuit Iudæis tempore Asa regis Iuda, ut patet 2. Paral. 14. 9. ideoque punita est et vastata a Chaldæis.

Porro Æthiopia est pars Africæ, estque duplex, una Orientalis, altera Occidentalis. Inde Æthiopes, alii vocantur Eoi, alii Hesperii. *Universa gens Ætheria appellata est, deinde Atlantæ, mox a Vulcani filio Æthiope Æthiopia*, inquit Plinius l. 6. c. 30. licet alii ita dictam velint ab  $\alpha\iota\omega$ , id est, cremo, et  $\omega\psi$ , id est, aspectus, eo quod solis vicinitate torreatur. Unde Æthiopes faciem habent tostam et atram: sunt enim subiecti zonæ torridæ. De quibus Virgil. Æneid. 4.

*Oceani finem iuxta, solemque cadentem  
Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas  
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Perperam ergo Rabbini per *Chusim*, id est, Æthiopes, accipiunt ipsomet Chaldæos, quasi eorum hic excidium per Cyrum prænunciatur. Æthiopes enim et Chaldæi toto climate, et ut ita dicam, toto ælo distant et distinguuntur.

Æthiopes mystici sunt dæmones, et homines obstinati in malo.

Mystice, Æthiopes sunt peccatores, qui ardent ira vel concupiscentia, caque ita torrentur, ut sint aterrimi et incorrigibiles, in quibus verum est illud proverbium: *Æthiopem lavas, Æthiopem dealbas, iuxta illud Jerem. 13. v. 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Et Amos 5. 7. *Numquid non ut filii Æthiopum, vos estis mihi filii Israel?* Tales sunt dæmones, qui proinde pinguntur ut Æthiopes, et ut tales apparuerunt S. Antonio, S. Machario, aliisque Sanctis: quos proinde Deus gladio oris sui interficiet in die iudicii, quando eos damnabit ad mortem æternam. Ita Abbas Theodosius, uti refert Ioann. Moschus in Prato spirit. c. 66. vidit Æthiopem ita procerum et altum, ut nubes vertice tangeret, audivitque ab angelo: *Cum hoc te luctari oportet: incipe: mox ut ceperis, ego tibi auxiliabor; eumque sternes et vinctes, fecit, et vicit.* Ita Palladius in Lausiaca c. 52. refert de Apollo Abbate, quod eum oraret, *Aufer a me Domine arrogantiam, ne forte elatus superbia super fraternitatem, multo ter omni bono opere; missa sit ad eum vox divina, Mitte manum tuam super collum tuum, et deinde pones eam, et infodies in arenam. Is autem cum statim manum misisset super collum, apprehendit parvum Æthiopem, et eum in-*

*fodit in arena clamantem et dicentem: Ego sum dæmon superbiæ. Ita Moseus in Prato spirit. c. 160. Abbas, ait, Paulus narravit nobis, cum sederem in cellula, etc. ecce per fenestram ingressus est quasi puer Æthiops, et stans coram me saltare cepit, psallentique mihi dixit: Senex nonne bene salto? Ego autem nihil respondi. Tum ille: Ecce putas te male senex magnum aliquid agere. Dico tibi, quia et in sexagesimo quinto et sexagesimo sexto Psalmo errasti. Tunc surgens ego procubui ad orationem, et ille evanuit.* Ita in Vitis Patrum l. 5. tract. 5. de fornicat. num. 23. narratur de quodam Monacho, quod apparuerit ei dæmon fornicationis specie Æthiopissæ. *Stetit, ait, coram ipso velut mulier Æthiopissa, fœtida et turpis aspectu, ita ut factorem eius sufferre non posset, et abiiciebat illam a se. Et illa dicebat ei: Ego sum quæ in cordibus hominum dulcis appareo; sed propter obedientiam tuam, et laborem quem sustines, non me permisit Deus seducere te, sed innotui tibi factorem meum.* Æthiopes tamen, quibus sua placent, suusque color ater videtur pulcher, diabolus pingunt non atrum, sed album; non Æthiopem sed Europæum et candidum: ita et peccatoribus sua placet deformitas, morumque nigredo apparet et bella et elegans.

**EXTENDET,** scilicet Deus per Chaldæos percutions Æthiopes, **MANUM SUAM SUPER AQUILONEM.**) Ut scilicet percutiat quoque Assyrios, et eorum metropolim Niniven: Assyrii enim siti sunt ad Aquilonem respectu Iudææ. De Assyriis enim hic agi, patet ex eo quod explicans subdit Propheta: *Et perdet Assur, et ponet speciosam;* Hebr. *Niniven*: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. Vatabl. Ribera et alii. Quare perperam Arias, et alii alii per Aquilonem accipiunt Babylonem, quasi eius excidium per Cyrum hic prænunciatur. Nota. Post Ionam et Nahum, qui prophetarunt excidium Ninives, mittitur hic Sophonias, ut idem prophetet, ut in ore duorum, imo trium testium stet et confirmetur hoc Dei verbum. Hinc sequitur, Niniven eversam esse post regnum Iosia (sub eo enim vaticinatus est Sophonias) per Nabuchodonosor, uti probavi Nahum 2. 1.

**PONET SPECIOSAM IN SOLITUDINEM.**) Pro *speciosam*, Hebr. Chald. et Sept. habent *Niniven*, quod hebr. significat speciosam. *Speciosam* ergo hic est nomen proprium, idem significans latine, quod hebr. significat *Ninive*. Solet enim Interpres subinde pro nomine proprio eius significatum reddere, præsertim quando in eo est vis aliqua, v. g. elegans annominatio, comparatio vel antithesis; uti hic est. Vide canon. primum, quem initio præfixi. Sensus enim est, q. d. Ninive olim fuit Ninive, id est, speciosa domibus, palatiis, turribus et mœnibus: at nunc Chaldæi hanc eius speciem et decorem disperdent et desolabunt: adeo ut fiat lustrum ferarum et bestiarum. Unde subdit:

**ACCUBABUNT IN MEDIO EIUS GREGES, OMNES BESTIÆ GENTIUM.**) Scilicet vicinarum, quæ eo adducunt suos greges et pecora, ut herbidum Ninives solum depascantur: ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Lyran. Aliter Clarius, qui per greges et bestias accipit gentes hostiles et sævas, quæ cum Chaldæis confœderatæ expugnaverunt Niniven. Verum hoc mystiæ esse patet ex sequentibus. Simile est illud Ovidii l. Heroid.

*Semisepulta virum curvis feriuntur aratris*

*Ossa, ruinosas occulit herba domos.*

**ONOCROTALUS.**) Est avis similis cygno, ita dicta a sonocro- no quem edit: rudis enim instar asini. Nam  $\omega\nu\omega\zeta$  est asin- talus  $\alpha\sigma\tau\alpha\lambda\omega\zeta$  est sonare: unde  $\alpha\sigma\tau\alpha\lambda\omega\zeta$  est sonitus et crepitus. Hebr. dicitur  $\kappa\alpha\alpha$  *kaa*, id est, vomens, eo quod in faucibus habeat ingluviem et sinum instar uteri, quo pisciculus cum aqua excipit; sed aquam revomens, piscibus vescitur. Unde avis hæc *gutturosa* cognominatur. Audi Plinium libr. 10. e. 47. *Olorum similitudinem onocrotali habent, nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsius inesset alterius uteri genus. Huc omnia inexplabile animal congerit, mira ut sit capacitas: mox perfecta rapina, sensim inde in os reddita, in veram alvum ruminantis more refert.* Addit Ælianus, pellicanes (sie ipse vocat ono-

crotalos) conchis se complere, easque cum stomachi calore concoxerint, evomere, atquo ita testis iam alvi calore diductis, eligere ex his quæ sunt esculenta. Quapropter onocrotalus immunda est avis, Iudeis lege vetita Levit. 11. 18. est enim gula et gulosi exemplum, æque ac symbolum. Audi Alciatum in emblemate gulæ, eam ita pingentem:

*Gurgulione gruis, tumida vir pingitur ulvo, Qui larum, aut manibus gestet onocrotalum.*

Septuag. hic vertunt, *chamæleontem*; sed Levitici 11. 18. et psal. 102. 7. vertunt, *pellicanum*; quia ut ibi annotat S. Hieron. onocrotalus dicitur quoque pellicanus, forte a pelle cana quam habet; est enim instar cygni qui totus est candidus, et quasi canus: ita et Oppianus in Ixeuticis, onocrotalum vocat pellicanum, et Gesnerus in onocrotalo, recenset speciem onocrotali pellicano congenere. Porro hoc animal, uti et ericius, quia solitudinis avidum, hinc summam designat desolationem, q. d. Ninive ita a Chaldæis evertetur et desolabitur, ut amplius in ea non habitent homines, sed onocrotali et ericii, aliaque lucifuga et solivaga animalia.

**ERICIUS.**) Hebr. קִפּוֹד *kippod*, quod ex litterarum affinitate *cypselos* esse ceuset Forerius in Isaïæ 34. 11. quæ sunt aves instar hirundinum rapidissime volantes super paludes, et vocantur apodes, eo quod breves habeant pedes. Rabini vertunt, *testudinem*, quam Itali vocant *tararucam*; Tigurina vertit, *castorem*, qui et fiber dicitur, animal amphibium homini inimicum, æque ac crocodilus, de quo Plin. libr. 32. cap. 3. Verum Septuag. S. Hieron. Pagn. Vatabl. et alii constanter hic Isaïæ 34. 11. vertunt, ericium. Porro ericius, sive herix, vel hericius, est herinaecus, qui græce *ερχιός*, a vulgo *Porcellus* hortensis nuncupatur, animal spinis horridum, quas ad libitum vel remittit, vel exerrat, dum in globum se colligit. Furunculus est pomorum, quæ spinis suis infigens, iis se onerat, et in antrum suum asportat, in quo tota hieme se condit. Unde symbolum est furis et raptoris, qui manus furaces cum solum se videt, exerrat, et elepit quidquid potest, sed cum videri se conspicit, eas contrahit et occultat. Audi Plinium lib. 8. c. 37. *Præparant hiemem et herinacci cibos, ac volutati supra iacentia poma, affixa spinis, unum, non amplius, tenentes ore portant in cavas arbores. Iidem mutationem Aquilonis in Austrum, condentes se in cubile, præsagunt: ubi vero sensere venantem, contracto ore, pedibusque ac omni parte inferiore, qua rarum et innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilæ, ne quid comprehendi possit præter aculeos. In desperatione vero urinam ex se reddunt tabificam, tergori suo spinisque noxiam, propter hoc se capi gnari. Quamobrem cæxinaniti prius urina, venari ars est, et tum præcipua dos tergori alias corrupto, fragili, putribus spinis atque decidunt, etiamsi vivat subtractus fuga: ob id non nisi novissima spe maleficio illo perfunditur. Et mox: Calidæ aquæ aspersu resolvitur pila: apprehensusque pede altero e posterioribus suspensio ac fame necatur: aliter non est occidere, et tergori parere. Ilac cute expoliuntur vestes.*

**VOX CANTANTIS IN FENESTRA.)** q. d. In fenestris iam desertis et desolatis confidebunt canentque aviculæ: ita Chald. Tigrina. Pagn. et Vatabl. Alii, q. d. Pro musicis, et aviculis olim suaviter canentibus in fenestra, succedet horridus cantus corvi in superliminari. Verum passim interpretes vocem cantantis a corvo seiungunt et dispescunt.

**CORVUS IN SUPERLIMINARI.)** Scilicet erocitabit tristi et ferali voce, Hebr. est חוֹרֵב *choreb*, id est æstus, siccitas, desolatio, vastitas: ita Chald. Tigrina, Pagnin. Arias, Vatabl. Secundo, Aquila vertit, gladius: quia pro *choreb*, aliis punctis legit חֶרֶב *chereb*: gladius enim omnia desolat et devastat. Tertio, Septuag. et S. Hieron. vertunt *corvus*: quia pro *choreb* per *chet*, legerunt עוֹרֵב *oreb* per *ain*, aut certe censuerunt *chet* positum pro *ain*. Hæc enim duæ litteræ, cum sint gutturales fortissimæ aspirationis, ideoque sono vicinissimæ, hinc subinde permutantur, uti pariter *aleph* permutatur cum *he*, quia utraque levis est aspirationis.

**Moral.** corvorum instar *cras, cras*, canunt, qui emien-

**A** dulationem vitio, et sana consilia procrastinant, eaque de die in diem differunt, de quibus S. August. serm. 16. de verbis Domini: *Ipsa, ait, res est quæ multos occidit, cum dicunt Cras, cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvini, qui non habuit gemitum columbinum. Cras, cras corvi vox est.* Talibus et Poeta Martial. intonat lib. 1. epigram. 59.

*Cras vives? hodie iam vivere, Posthume, serum est. Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.*

Idem lib. 1. epigram. 16.

*Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam. Sera nimis vita est crastina, vive hodie.*

Et Seneca epist. 12. *Sic, ait, ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agmen, et consumet atque expleat vitam, etc. In somnum ituri lati hilaresque dicamus.*

*Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.*

*Crastinum si adiecerit Deus, tæli recipimus. Ille beatissimus est, et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie ad luterum surgit. Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieronym. ep. 46. ad Principiam eius filiam: Sic, ait, ætatem duxit et vixit, ut semper se erederet esse morituram: sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offerens se hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo. Ita S. Antonius moriens suis præscripsit, ut quotidie mane cogitent, sibi que persuadeant illum diem fore vitæ ultimum: quocirea ita vivant, ac si eo die sint morituri, uti refert S. Athanas. in eius Vita. E Societate nostra P. Ioan. Maldonatus editis libris celeberris, quotidie quinquies, mortis memoriam, imo præsentiam, sibi ob oculos ponebat, indagabatque numquid esset in conscientia, quod in hora mortis cum angere et affligere posset; et si quid reperiret, illico illud per confessionem, vel eo modo quo congruebat, tollebat, itaque stabat semper in prociectu quietus et securus, paratus ad mortem. Beatus qui hoc sui de morte examen crebro secum obit. Beatus qui vivit tamquam semper moriturus, et studet tamquam semper victurus, ait S. Hier.*

**Symbol.** feralis corvi vox, *Cras, cras*, strages et funera quæ præsentit, quibusque inhiat, non raro portendit futura, vel facta significat, uti hoc loco.

**QUONIAM ATTENUABO ROBUR EIUS.)** Legit Interpretes אָרְזָה עֵץ *arze arza*, id est, *emaciabo, attenuabo robur eius*, puta Ninives. Iam legunt אָרְזָה יָרָה *arza era*, id est, *cedrum eius nudabo*, q. d. Destruam per Chaldæos tecta et tabulata Ninives fabricata ex cedro: hinc concident ruentque; quo fiet, ut corvi sedeant in superliminari ex ruina reliquo: ita Chald. Arias, Pagnin. Vatabl. et alii. Hebr. enim *arza* tam est nomen, idem cum אָרֶז *erez*, significans cedrum, tignumque et tabulatum cedrinum, quam verbum, significans *attenuabo*, a radice רָזָה *raza*, id est, *attenuavit*. Rursum pro *era*, id est, *nudabo*, Sept. quoque legerunt עֵץ אָרְזָה *arza arze*, id est, *robur eius*, quod ipsi interpretantur *αλατρηα*, id est, *altitudo*: ita Roman. vel ut Complutens. *αλατρηα*, id est, *coronatio*: vertunt enim, *quia cedrus altitudo, vel coronatio eius*, q. d. Ninive cingebatur domibus cedrinis altissimis, et fortissimis, quasi corona: at Chaldæi hanc ei coronam detrahent, et in terram decident. Aliter Nostrum cum Hebræo textu inoderno conciliat Arias, nimirum dicendo robur esse quereum, quæ est species *arze*, id est, *cedri*. Nam, ut ait Marius in Lexico: *Cedrorum species multæ sunt: תְּאֵשֶׁרִי tea-sciur, id est, buxus; תִּרְזָה tirza, id est, ilex; אֶגְמוּמִים al-gumim; בְּרוֹשׁ beros, id est, fraxinus; אֹרֶן oren, id est, ornus; בְּרוֹתִים berotim, id est, est buxus.* Verum prius quod dixi, verius est, ut patet conferenti verba nostri interpretis cum verbis Hebræis.

**HÆC EST CIVITAS GLORIOSA.)** Est exclamatio ad patios, q. d. Videte ad quas ærumnas devenerit, in quas ruinas corruerit Ninive, civitas illa olim gloriosa et inelyta. Sic ait Virgil. *Æneid. 2. Fuit Hiium, et ingens gloria Teucerorum.* Sic de eadem Ninive iam vastata admirans Nahum cap. 2. v. 18. exclamat: *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum;* Sic de Ierusalem excisa obstupescens Ierem. Thren. 2. 15. *Haecine, ait, est urbs perfecti decoris gaudium universæ terræ?*

Vers 13.

Septuag. vertunt, *αυτη η πολις η φολιτερη. Hæc est civitas illa malis dedita, nequam et scelerata, aut magis proprie, vilipendens, ut vertit Interpres Roman. et subsannatrix.*

OMNIS QUI TRANSIT PER EAM, SIBILABIT.) Vel snb-sannando, vel exsibilando Niniven ita humilitatam et vastatam, ut vult S. Hier. vel potius admirando et obstupescendo tantam cladem et ruinam, ut censet Theodor. Simili modo *movebit manum*, id est, complodet manus, vel eas extendet ostendendo Ninives ruderam, sive irridendo et insultando, sive potius obstupescendo et commiserando.

Tropol. de commiserando peccatori.

Tropologicè, multo magis gemens sibilet manusque complodat, quicumque videt Niniven, id est, Ecclesiam aliquam, congregationem, vel animam olim speciosam virtutibus, quæ erat templum Dei et sedes angelorum, per peccatum a dæmone vastari, fierique cubile leonum et draconum, præsertim cum eam cælo destinatam videt damnari, et ruere in tartara. Gemens ergo et attonitus dicat cum Isaiâ cap. 14. 11. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? detracta est ad inferos superbia tua: concidit cadaver tuum: subter te sternetur tineæ, et operimentum tuum erunt vermes.* Et cum Baruch c. 3. 10. *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? inveteratus es in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Causam subdit: *Dereliquisti fontem sapientiæ, Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna: discere ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut seias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Ubi sunt principes Gentium, qui dominantur super bestias quæ sunt super terram, qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines,*

*et non est finis acquisitionis eorum? etc. Exterminati sunt et ad inferos descenderunt.* Similia lamenta pathetica habet Ezechiel de ruina regis Tyri c. 28. 11. de Pharaonis ac Aegyptiorum c. 32. v. 18. et seq. et S. Ioannes in damnatione Babylonis meretricis, Apoc. 18. 10.

S. Hieronym. hæc omnia de Ninive vaticinia accipit de hæreticis et hypocritis: *Qui auditores, ait, sunt legis, non factores, quod frustra speciosos se esse iacent, cum habitent in eis greges, vitiorum scilicet multitudo, et bruta animalia corpori servientia, et omnes bestię terræ, quæ corda eorum comedunt; et chamæleontes, qui non habent unum colorem, sed diversis peccatis, nunc avaritia, nunc luxuria, nunc crudelitate, nunc libidine, nunc tristitia, nunc exultatione per momenta mutantur: et ericii in præsepibus eorum, animal spinosum et plenum sentibus, et vulnerans quidquid contigerit. Sed et bestię cubabunt in foraminibus, id est, in cordibus eorum: et corvi, immundæ aves, in portis eorum, vel in ore, vel in auribus, quod aut loquantur semper, aut audiant mala. Post quæ inferitur, ideo Ecclesiam hæc passuram fore, vel esse perpessam, quod in superbiam se elevaverit. Et mox: Ubi enim prius habitabat Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et angeli eius ministeriis præsidebant; tunc habitabunt bestię, de quibus Propheta psal. 73. complorat dicens: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. Et inferius: Dicamus, per animam de qua Christus recesserit, et quæ prius templum Dei fuerat, et esse desinit, transire serpentem et sibilare in ea, et venena suæ malitiæ evomere, et non solum hoc facere, sed opera quoque sua, quæ τρῶν τῶν χειρῶν; manus vocantur, movere, iuxta illud Proverb. 18. Mors et vita in manibus linguæ.*

## C A P U T T E R T I U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Lyranus et Arias censent toto hoc cap. ad litteram agi de Christo et Christianis, puta accusari scelera Christianorum, quæ Christus indicabit in die iudicii, cum impios damnabit, pios salvabit. Ex adverso alii totum hoc caput explicant de Iudæorum criminibus, ob quæ puniti sunt captivitate Babylonica, deque illorum ex ea liberatione, reditu et felicitate. Verum media incidendum est via: nimirum initio capituli agit de Iudæis, sed v. 8. transit ad Christianos, quos Iudæis impiis Deus in Ecclesia et benedictione Abrahæ surrogabit, sibi que asciscet. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Vatabl. et Dionys.*

*Dico ergo, initio capituli accusat Hierosolymæ scelera, ac præsertim rapinas principum, iudicium iniustitiam, Prophetarum vesana oracula et mendacia promissa, sacerdotum impietatem; quodque ipsa cum vidisset gentes vicinas impias a Deo puniri et vastari, non tamen earum exemplo resipuerit. Quapropter v. 8. illi et Gentibus vindictam minatur, sed divinam, nimirum quod Deus per Christum destruet gentilismum æque ac Iudæismum, quodque gentes omnes, etiam barbaras et remotissimas, subiugabit Christo, easque ab idolis ad Deum convertet, ut serviant ei humero uno, æque ac Iudæos, qui illum recipient, quod maxime fiet in fine mundi, quando credentes ipsi salvabuntur, increduli vero ab ipso reprobabuntur, et igni æterno addicentur.*

1. **V**Æ provocatrix, et redempta civitas, columba. 2. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit. 3. Principes eius in medio eius quasi leones rugientes: iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane. 4. Prophetæ eius vesani, viri infideles: sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem. 5. Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem: mane mane iudicium suum dabit in lucem, et non abscondetur: nescivit autem iniquus confusio-nem. 6. Disperdidi gentes, et dissipati sunt anguli earum: desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat: desolatae sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore. 7. Dixi: Altamen timebis me, suscipies disciplinam: et non peribit habitaculum eius, propter omnia in quibus visitavi eam: verumtamen diluculo surgentes corruerunt omnes cogitationes suas. 8. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum ul congregem gentes, et colligam regna: et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. 9. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. 10. Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus michi. 11. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbæ tuæ, et non adicias exaltari amplius in monte sancto meo. 12. Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum: et sperabunt in nomine Domini. 13. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non inveniatur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur, et accubabunt, et non erit qui exterreat. 14. Lauda, filia Sion: iubila, Israel: lætare, et exulta in omni corde, filia Ierusalem. 15. Abs-tulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. 16. In die illa dicetur Ierusalem: Noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuæ. 17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. 18.



Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant: ut non ultra habeas super eis opprobrium. 19. Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo: et salvabo claudicantem: et eam quæ ciecta fuerat congregabo: et ponam eos in laudem, et in nomen, in omni terra confusionis eorum. 20. In tempore illo quo adducam vos: et in tempore quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

Vers. 1. **VÆ PROVOCATRIX.**) Hebr. מוֹרֵא morea, id est, amara, quæ scilicet Deum maritum tuum adulterando amaricas, id est, irritas et provocas ad bilem: hæc enim amara est et fellea. Unde Chald. vertit, *quæ multiplicat iram provocationem; Tigurina, væ rebellanti.* Radix enim מֵרָא mara significat amaricare, amarum facere, offendere, rebellare. Unde Noemi: *Ne, inquit, vocetis me Noemi (id est, pulchrum) sed vocate me Mara (id est, amarum) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens, Ruth I. v. 20.* Pagninus et Recentiores non verbo tenus, sed rem et sensum reddunt, dum vertunt, *væ fordata, væ polluta.* Nam ideo erat amaricatrix Dei, quia fedata et polluta sceleribus.

Septuag. vertunt, *væ illustris; alii, væ monstrosa.* Nam *morea* deducunt a rad. רָאָה *raa*, id est, vidit, q. d. *Væ Hierosolymæ, quæ insignis et monstrosa est sceleribus, puta adulteris, id est, idololatriis, ideoque Deo sponso suo infida et rebellis, cum ad amaritudinem et iracundiam provocat.* Alludit vox *morea* ad montem Moria, id est, visionis, vel illustrem, qui erat Hierosolymis, de quo dixi Genes. 22. v. 14. q. d. O Ierusalem tempore Abraham et Isaac, mihi fidelium et obedientium usque ad mortem, fuisti mons Moria, id est, visionis cælestis: at nunc infidelis, per inobedientiam et apostasiam facta es *morea*, id est, amara et amaricatrix.

**ET REDEMPTA.**) Ita vertunt quoque Chald. et Septuag. גָּאֵל *gaal* enim significat redimere. Recentiores Rabbini, et eos secuti Pagnin. et Tigurin. vertunt, *inquinata, vel contaminata:* utrumque enim significat *gaal:* alludit enim ad גָּלָל *galal*, id est, volvere, revolvere: inde enim *gaal* significat, rem alio devolutam ad se revolvere, id est, redimere: rursum, rem in sanguine menstruo, stercore, aliave re immunda volutare, volvere et revolvere, hoc est inquinare et contaminare, uti adultera Ierusalem se in sordibus idololatriæ cum variis diis Gentium volutabat, et inquinabat. Nostra versio uti magis propria, ita efficacior et nervosior est. Taxat enim Ierusalem, camque arguit ingratiitudinis, quod, cum a Deo redempta esset ex Ægypto, et liberata a duro iugo et servitute Pharaonis tempore Moisis; æque ac Philistinorum, Ammonitarum, Moabitarum, aliarumque gentium tempore Iudicum, Davidis et Salomonis, Deum tamen sua idololatria et peccatis sæpe gravissime ad indignationem concitavit, et in dies concitet.

**COLUMBA.**) Ita Hebræum יוֹנָה *iona*, vertunt quoque Septuag. et S. Hieron. in comment. At Chaldaeus, Rabbini, et eos secuti Pagninus, Tigur. et Vatablus vertunt, *molestatrix,* quæ pauperes vexat, spoliat, opprimit, a rad. יָנָה *iana*, id est, laborare fecit, allixit, oppressit. Aptius Noster vertit, *columba:* huic enim Israellem pariter comparavit Osee c. 7. v. 11. dicens: *Factus est Ephraim quasi columba seducta:* ita eidem Ierusalem hic comparat Sophonias, q. d. Ierusalem stolide relinquens Deum verum, et sequens Deos inanes Gentium, facta est quasi columba, ut vertit Arabicus Alexandrinus, excors, sine prudentia, sine intellectu, quæ sinit se decipi, ultroque ruit in laqueum et necem. Vide dicta Osee 7. Aliter S. Hieron. Remigius, Albertus et Lyranus, q. d. Ierusalem, quæ olim dum me coleret, erat quasi columba bella, simplex, innocens et candida, nunc desiit esse columba, et facta est quasi corvus teter, malignus, furax et ater. Tertio, Syrus et Arabiens Antioch. vertunt, *heu civitas nota et redempta, civitas Ionæ,* hoc est Ninive, quæ usque hodie ab Orientalibus vocatur civitas Ionæ, tam quia in ea prophetavit Ionas; tum quia Iona hebraice significat columbam, quam colebant Ninivite et Assyrii, eo quod dicerent Semiramidem suam reginam post mortem conversam esse in columbam, uti alibi dixi. Censent ergo ipsi hanc prophetiam dirigi ad Ninivem.

Vers. 2. **NON AUDIVIT VOCEM.**) Dei per me aliosque Prophetas

eam invitantis ad penitentiam et reconciliationem: sicut columba ab aucupe inescata et seducta, non audit vocem et sibilum sui heri, eam revocantis ad columbarium: ita Chald. Hugo, et Vatablus.

**IN DOMINO NON EST CONFISA.**) Hebr. *non speravit in Domino,* q. d. Ierusalem spes suas non reposuit in Deo, sed in suis opibus, viribus, principibus, populis, sociis, quasi iis esset invicta, et satis munita contra Chaldaeos aliosque hostes. Ideo Deus permisit eam ab illis capi et vastari, ut ostenderet inanes fuisse eius spes, et ut puniret eius diffidentiam in Deum, Deique neglectum.

Moral. Discere hic esse gravem Dei iniuriam, valdeque eum pungere, si illi non fidamus, spemque nostram ab eo avertamus, et deligamus in creaturis. Hæc enim diffidentia oritur ex defectu fidei, quod scilicet fide viva non credamus Deum esse omnipotentem, summe providum et beneficium, quodque ipse possit et velit nos iuvare, si eius opem imploremus; quodque ipsi præponamus homines, vel alias creaturas, quasi illæ magis vel possint, vel velint nobis opitulari, quæ sane persuasio infidelis est, et contumeliosa Deo. Quocirca Deus eam punire solet, ac facere ut creaturæ in quas speravimus, nos deserant, fallant, imo oppugnent et evertant. Ex adverso prosperat eos, qui spes suas in ipso deligunt: quia *nullus speravit in Domino, et confusus est,* Eceles. 2. 11. Quocirca Ieremias, c. 17. 5. *Maledictus, ait, homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius, etc.* Vide ibi dicta. Ita Psaltes: *In te, ait, Domine speravi, non confundar in æternum.* Ita S. Barbara, virgo fragilis et tenera, cum pectinibus ferreis horrende a carnifice laceraretur, et faeculis ardentibus ustularetur, corde et oculis in cælum defixis, Christum sponsum suum invocans, aiebat: *O bone Iesu, tu vides secretum cordis mei, quod in te solo spem meam defixi: non ergo me deseras; quia sine te sum debilis et infirma, tecum autem sum fortis et robusta. Omnia enim possum in te, qui me confortas.* Eadem fuit spes, vox et oratio in tormentis Martyrum omnium, quæ eos fecit insuperabiles, ac igitibus, leonibus, unguibus et catastis fortiores et celsiores.

**AD DEUM SUUM NON APPROPINQUAVIT.**) Ut in eum speraret, eum invocaret, illi obediret, illum amaret, qui est summum bonum suum et dextrum. Ita Plato dialogo, qui inseribitur Philebus, non aliud docet, quam felicitatem in eo versari, ut ad Deum propius accedamus, ab eoque verum bonum hauriamus, itaque fiamus divini et Deo simillimi: accedere autem nas ad Deum, per virtutem. Nam Deus, inquit ipse est summum bonum, cuius hæc sunt conditiones, ut sit *αυταρκες, ικανον, κελον, αρχιτεκτονικον, τελος των ουτων, αειρετον,* id est, sibi sufficiens, cæterisque omnia suppeditans, perfectum, pulchrum, consentaneo ordine constitutum, rerum omnium finis, ac proinde ab omnibus eligendum et expetendum. Qui ergo a Deo recedit, recedit a bono, accedit ad malum, puta ad peccatum, mortem, diabolium et infernum.

**PRINCIPES.**) Quod v. 1. dixit de toto, puta Ierusalem totam esse corruptam, et sceleratam, hic per partes explicat, incipitque ab eius capite, puta a primoribus, tum sæcularibus, tum Ecclesiasticis; ut ostendat quod de suo tempore dixit Isaias cap. 1. v. 6. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas,* etiamnam verum esse. Primo ergo taxat hic principum crudelitatem, quod quasi leones, populum expilarent et devorarent: ita S. Hieron. Allegor. taxat eorum sequaces et posteros, puta tyrannidem et savitiam principum et pontificum tempore Christi. Leo enim ferocissimus fuit Herodes Ascaloni-

Moral. de diffidentia Dei.

Vers. 5.

ta, qui immani feritate parvulos omnes a bimatu et infra, in Bethlehem occidit propter Christum, quique, ut alia taceam, moriens iussit primores omnes Iudæorum occidi, ut Iudæi in sua morte gaudere non possent, sed, vellet nollet, plangerent ob suorum stragem, uti refert Ioseph lib. 17. Antiquit. c. 8. Leones fuerunt Annas, Caiphas et cæteri, qui Christum ad crucem, Apostolos ad verbera et ad mortem adegerunt. Rugierunt enim eum elamarunt: *Crucifige, crucifige*: ita Lyran.

**IN MEDIO EIUS.**) q. d. Sicut leo in medio animalium grassatur, rapitque et discerpit nunc hoc, nunc illud, prout ei liberit; ita principes Hierosolymæ nunc hos, nunc illos eives et pauperes deprædantur.

**IUDICES EIUS LUPI VESPERE, NON RELINQUEBANT IN MANE.**) A principibus descendit ad iudices, qui principum in iniustitia et rapacitate erant assecræ, q. d. Sicut lupi lucifugi vespere grassantur, tumque ex diurna inedia, fame rabidi prædantur, prædamque totam devorant; ita ut ne ossa quidem (hoc enim significat Hebræum גרמו *garemu*) reliquant, quæ mane comedant; sed in ipsa nocte qua prædam egerant, eam totam devorant; ita et iudices iniuri suis iniustis iudiciis diripiebant bona pauperum tanta aviditate, ut nihil ex iis reliquum facerent. Ita S. Hieronymus. per lupos vespertinos accipit malos Prælatos et iudices, *capientes*, inquit, *munera, et vendentes iustitiam; et possessiunculas Ecclesie, et ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes quæ mane comedant; qui quasi in nocte et nullo evidente omnia populantur, et cum luporum more cuncta diripiunt, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquant.* Quinam sint lupi vespertini, dixi Habacue 1. v. 8.

**PROPHETÆ EIUS VESANI.**) A magistratu sæculi transit ad Ecclesiasticum, puta ad Prophetas et sacerdotes, eorumque in suis munis infidelitatem et impietatem redarguit. Prophetas, quod sint vesani, id est, spiritu non Dei, sed diaboli, agantur, imo agitentur. Unde Aquila vertit, ενδραστημενοι, id est, entusiasmo correpti, et furore fanatico perciti; Septuag. πνευματικος, id est, spiritum ferentes, active; vel potius passive πνευματικος accentu in antepenultima, id est, spiritu portati et acti. Hebraice est פוחזים *pochazim*, quod Pagnin. vertit, *contemptibiles*; Tigurina, *leves*; Vatablus, *homines nihili*. Nimirum Prophetæ hi cum essent vilissimi et ignorantissimi, lingebant se furere et agi spiritu prophetico, aut revera ex pacto eum dæmone, ab eo correpti quasi furentes prophetabant, id est, aliena et exotica loquebantur, uti de Sibylla narrat Virgil. lib. 6. Æneid.

*Non vultus, non color unus,  
Non compta mansere comæ; sed pectus anhelum,  
Et rabie feru corda tument, maiorque videri,  
Nec mortale sonans, afflata est numine quando  
Iam propiore Dei.*

Et inferius:

*Bacchatur rates, magnum si pectore possit  
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat  
Os rubidum, fera corda domans, fingitque premendo.*

Proprie *pochazim* significat temerarios et præcipites, qui audacter et temere pro affectu quidvis effutiant, asseverant, divinant, et iurant; sicut enim פחד *pachad* significat præcipitantiæ ex metu aut reverentia; ita ei affline פחז *pachaz*, notat præcipitantiæ ex temeritate et audacia. Unde Noster apposite vertit, *vesani*; Syrus vertit, *Prophetæ eius lascivi, impudici*; Arabicus, *Ninive Prophetæ eius in spiritu immundo, gens stulta*. Hinc iidem sunt *viri infideles*, hebr. *viri prævaricationum*, id est, prævaricatores, inquit Vatabl. Septuag. *viri contemptores*; Chald. *viri mendaces*; quia mentiuntur se a Deo mitti, et eius nomine dieunt, Pax, pax, promittuntque omnia prospera, cum Deus per me, aliosque Prophetas commineatur excidium.

**SACERDOTES.**) A Prophetis transit ad sacerdotes, in quibus duo culpata. Prius, quod profanant et polluant sanctum, puta sanctuarium, sive templum, nimirum sacra et sacrificia indigne tractando, eaque non ad Dei, sed ad suum usum et luxum convertendo, exercendo usuras, simonias,

rapinas, sacrilegia; profana ibi tractando, seandalose vivendo. Posterius: *Iniuste*, inquit, *egerunt contra legem*; Hebr. חמשו *chamesu*, id est, opprimerunt legem, vim attulerunt legi: quia eam audacter transgrediuntur, violant, contaminant, populoque duces et auctores, imo doctores sunt, ut idem faciat; adeo ut legem per suas falsas, et ad lucrum confietas expositiones et traditiones pervertant, uti eis impropere Christus Matth. 5. v. 21. et e. 23. v. 16.

**DOMINUS IUSTUS IN MEDIO EIUS NON FACIET INIQUITATEM.**) q. d. Deus quia æquissimus est iudex, æque ac omnisciens, hinc non inique, sed æquissime, licet acerrime, puniet impiam Ierusalem. Quod sit omnisciens, probat: Quia, inquit, est in medio eius, q. d. Deus in templo suo residens, circumquaque prospicit Ierusalem, videtque omnia scelera quæ in ea ubilibet perpetrantur: ergo non deest ipsi scientia, nec cognitio eriminum, uti nec potestas et æquitas ad ea puniendum et vindicandum. Nota Iliptoten, sive miosim: *Non faciet iniquitatem*, id est, faciet summam æquitatem quando acriter castigabit tot tantæque scelera, quæ fiunt in sua urbe eorum se sequere spectante: ita S. Hieron. Remig. Albert. Arias et Clarius. Accedit et Chald. qui vertit, *Dominus purus dixit se collocaturum maiestatem suam in medio eius: quare coram ipso mendacium non fit*, id est, fieri non debet, q. d. Nemo deberet esse tam effrons et impudens, ut audeat peccare Hierosolymæ, in conspectu et in oculis Dei viventis. Mendacium enim in Scriptura sæpe significat quodlibet peccatum: peccatum enim est mendacium practicum, quod fit contra legem, et contra rectum rationis iudicium. Notent hoc sibi que applicent Clerici et Religiosi, dicantque: Quomodo audebo peccare in Religione, in templo, ubi Deus residet, ubi omnia circumspicit quasi leo terribilibus oculis, ut loci saneti violatores, suique contemptores discerpant et lacerent?

Aliter Vatablus: *In medio eius*, inquit, q. d. Deus Ierusalem dignatur sua presentia, sua cura et familiaritate, versatur in medio eius quasi socius, amicus, imo protector, curator, et pater; quod ergo eam punit, non facit ex odio, sed ex amore, tum eius, tum iustitiæ: quocirca nemo censebit eum facere iniquitatem, dum eam pro meritis acriter castigat. Unde sequitur:

**MANE, MANE**, hoc est citissime, inquit Theodor. Rursum, non solum elam, sed palam in matutina et manifesta luce, inquit S. Hieron. **DEUS IUDICIUM SUUM**, id est, iustum suum supplicium, quo castigabit Ierusalem, proferet et **DABIT IN LUCEM.**) Secundo, *mane, mane*, id est, quolibet mane, q. d. Deus quotidie, et quasi quolibet mane edit aliquod exemplum sui iudicii, quo nunc hunc, nunc illum sceleratum; nunc hanc, nunc illam gentem male muletat et perdit, illudque *non abscondetur*, hebr. *non deest*, quin semper aliquod publice edatur ad terrorem impiorum: et tamen *iniquus nescit confusionem*, id est, nescit erubescere; sed audacter et impudenter pergit scelera sceleribus cumulare; ita Clarius, Arias et Vatabl. Hic sensus satis apte connectit totam sententiam; futura enim apud Hebræos sæpe sumuntur pro præsentibus, quando significatur rei continuatio, mos et consuetudo; uti hic *mane, mane iudicium suum dabit*, id est, dare et edere solet. Verum quia agitur hic proprie de Ierusalem, cui minatur futurum, sed iustans excidium; hinc prior sensus aptior et germanior videtur, iuxta quem sequentia ita explicat.

**NE SCIVIT AUTEM INIQUUS CONFUSIONEM.**) q. d. Hierosolymitæ sunt tam iniqui et impii, ut non pudeat eos, nec poeniteat scelerum, etiamsi ob ea audiant a Prophetis instare sibi iudicium, id est, vindictam Dei, ac videant propter eadem gentes sibi similes a me puniri et disperdi, uti sequitur. Aliter Septuag. Rom. qui hæc ad Deum iudicium suum mane proferentem referentes, sic vertunt, *nescit iniquitatem in exactione, nec in contentione iniustitiam.*

**DISPERDIDI GENTES.**) Per *Gentes* Primo, accipi possunt Samaritæ, qui vicini erant Iudæis, et iam ob idololatriam excisi erant a Salmanasar, et abducti in Assyriam, q. d. Videte o Hierosolymitæ, quid vicinis et fratribus vestris, puta decem tribubus, contigerit: idem enim vobis contin-

get nisi vitam corrigatis. Nam *tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet*. Porro vocat eos *gentes*, non Israelitas, tum quia iam ab avita fide, religione, societate et regno Israelis et Davidis per schisma deseiverant, fecerantque novam republ. et Ecclesiam idololatricam, ut faciunt Gentiles: tum quia iam post excidium commisti erant Gentibus; puta Assyriis in Assyria, et Cuthæis in Samaria; Salmanasar enim sicut Samaritas in Assyriam, ita Assyrios, puta Cuthæos, in Samariam transtulit, eoque modo utramque gentem permiscuit, ut patet 4. Reg. 17.

Secundo, S. Hieron. per *gentes* accipit Iudæos, quos vastavit et disperdidit Sennacherib, adeo ut sola Ierusalem ab eo intacta remanserit, angelo eam, ob pietatem Ezechie et preces Isaie, tutante, cæsis 183. millibus Assyriorum, Isaie 37. 36. Illi pariter vocantur *Gentes*, quia vivebant gentiliter et impie, quasi Gentiles essent, non Iudæi. In Scriptura enim Iudæi sæpe vocantur nominibus gentium, quarum cultum, mores et vitam imitabantur. Hinc iam vocantur Amorrhæi, iam Cethæi, Ezech. 16. 43. iam Sodomitæ et Gomorrhæi, Isaie 1. 10.

Tertio, proprie per *gentes* possunt accipi Syri, Armeni, Parthi, alique qui inter Babylonem et Ierusalem interiacent, vel adiacent, quos, utpote viciniore, prius subiugavit Nabuchodonosor, antequam invaderet Iudæos, utpote remotiores. Hosce enim omnes Iudæis in exemplum proponi voluit Deus, ut eorum strage resipiscerent, et ab idolis sceleribusque ad Deum redirent. Sed frustra; nam, ut præcessit: *Nescivit iniquus*, in iniquitate sua delixus et obduratus, *confusionem*.

Aliter a Castro: nam per *gentes* accipit Philisthæos, Ammon, Moab, Æthiopes et Assyrios, de quibus cap. præcedenti v. 4. 8. 11. licet enim hi post excidium Ierusalem exeisi sint a Chaldæis, tamen Deus eorum, quasi hostium, excidium iam diu ante prædixerat et promiserat Iudæis, utpote qui sæpe eorum hostilitatem et direptionem sustinerant. Sed tunc *τὸ disperdidi*, accipi debet non proprie, sed pro *disperdere decrevit*, disperditurum me prædixi et promisi, q. d. Promisi tibi o Ierusalem, me gentes tibi hostiles perditurum, et destructurum earum imperia, ut qui me per plagas non senseras, saltem per beneficia cognosceres: sed tu hæc promissa, meque pariter ea promittentem, non curasti, imo sprevisi.

ET DISSIPATI SUNT ANGULI EARUM.) *Angulos* vocat arces et munitiones, quæ in limitibus regionum eriguntur quasi antemurale, ad tutelam regionis. Chald. vertit, *palatia*. Tropol. S. Hieron. *Puto*, inquit, *quod et superbis prosit detrahi eos de arrogantia sua, et dissipari angiportus et angulos eorum, ut postea recto itinere gradientur*. Et mox: *Dissipantur ergo itinera superbiorum, et anguli eorum, ne ambulent in superbia et in pravitate, et urbes eorum quæ male ædificatæ fuerant in arrogantia et superbia, destruuntur ne subsistant, et habeant habitatores pessimos*.

DIXI, q. d. Monui Iudæos per Ieremiam aliosque Prophetas, ut desisterent ab idolis et sceleribus Gentium, ne similes illis pœnas incurrerent, ac æque ut illæ disperderentur, atque ut timerent et colerent me, ne periret **HABITACULUM EIUS**.) Id est, tuum, puta tua civitas, tuæ domus, templum et muri tui o Ierusalem. Hebræi enim erebro utuntur enallage, ut personam secundam in tertiam, et vice versa, commutent, præsertim ad pathos, uti hic Deus a Iudæis, quasi indignans, avertit faciem et sermonem, ac de iis, quibus ceperat loqui cominus in secunda persona, iam ob idololatriam evertendis, ideoque quasi alienis, loquitur in tertia persona. Monui, inquam, eos, ut non perirent: quia contentam me fore dixi pœnis, quibus eos *visitavi*, id est, punivi per Salmanasar et Sennacherib: at tantum abest ut hisce meis monitis auscultarent, et mores corrigerent, ut diluculo, id est, sollicitè, sine mora, festinanter magis eos corruerint, et peius egerint. Opus enim quod diluculo sit, cordi et curæ est, sitque sollicitè et festinato, utpote ante diem et ante omnia diei opera; imo diluculo solent disponi et ordinari, æque ac inchoari opera totius diei. Quocirca nervoso ait, *Diluculo surgentes corruerunt omnes cogitationes suas*; Tigurina, *omnia studia sua*; Paguin. *omnia opera sua*: hæc enim ex

A cogitatione, destinatione, et dispositione quæ sit diluculo, manant: ita S. Hier. Theodor. Albert. Hugo et Vatabl. Aliter Sept. qui hæc cum sequentibus iungunt, de quo mox.

QUAPROPTER EXPECTA ME, DICIT DOMINUS, IN DIE RESURRECTIONIS MEÆ IN FUTURUM.) *Expecta*, scilicet avide, anhela et inhiia. Hebræum enim **חָכַח** *chaca*, significat anhelare et inhiare ad personam, vel rem aliquam, ut eam apprehendat: deducitur enim a **חָשַׁק** *check*, id est, guttur, palatum, quod dum famet, cibo inhiat, uti pulli aperto ore et gutture inhiant esæ, quam mater advehit. Pari, imo maiori aviditate fideles debent anhelare ad Deum et Christum, eique inhiare: quia ipse solus est eibus, reffectio et saties animæ. Rursum, pro in *futurum* hebr. est **לָעָד** *lead*, quod Septuag. vertunt, *in testimonium*, a rad. **לָעָד** *ad*, id est, testari: unde **עֵד** *ed*, id est, testis. Pagu. vero, Vatabl. et Clarius secuti R. Davidem, vertunt, *ad prædam*, vel *ad spolia*, a rad. **אָוָד** *avad*, id est, spoliare, prædari, diripere. Unde vertunt, *expectate me, dicit Dominus, ad diem, qua consurgam ad spolia*, vel *ad rapinam*, ut idem sit cum illo psal. 67. v. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*.

Quocirca Primo, Chald. Cyrill. et Sanchez hæc exponunt de direptione Babylonis per Cyrum, q. d. Bono animo estote, o Iudæi abducendi in Babylonem: ibi expectate me. Nam post 70. annos ultor pro vobis consurgam, ac Babylonem per Cyrum evertam et diripiam, vosque inde eripiam, ut deinde unanimes et læti domum redeuntes, omnes me colatis humero uno, et nullus inter vos sit infidelis, vel impius. Verum esto eo alludat, tunc tamen Deus non effudit zelum et spiritum suum in omnes gentes; nec effecit ut omnes colerent eum humero uno: imo paulo post Iudæi ab Antiocho afflicti, ac tandem a Tito et Romanis sunt eversi. Quamobrem Iudæi hæc expectant a suo Messia venturo; sed perperam et incassum.

Ergo communis sententia Græcorum et Latinorum, quin et Hebræorum, est, hæc tam augusta promissa ad tempora Christi pertinere, ab eoque esse completa in primo adventu, et plenius complenda in secundo. Salit ergo hic Propheta de more ad Christum, et tempus legis novæ. In Christo enim, qui finis est legis et Prophetarum, Sophonias, Abdias, alique Propheta desinunt, et oracula sua concludunt. Vocat ergo *diem resurrectionis meæ*, Primo proprie diem tertium a Christi necce, quo ipse a mortuis resurrexit. Sensus ergo est, q. d. Quia frustra per Prophetas vos, o Iudæi, moneo, frustra elamo, ut ad me redeatis, hæc de causa ego novum et divinum, non humanum, vindictæ genus in vos et in omnes gentes exercebo. Mittam enim Christum, qui Iudæos multos, et omnes gentes sibi mihique subiget, cogetque eas abdicare gentilismum, æque ac vos iudaismum, ac suscipere christianismum, ut omnes humero uno sibi et Deo vero serviant: Iudæos vero rebelles ac incredulos, imo christicidas, gravissime puniam et excindam per Titum et Romanos, iisque reiectis et reprobatis surrogabo gentes, ut dicitur v. 9. quæ succedent in benedictionem promissam Abraham, eruntque lili et hæredes regni Dei, puta Ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis. Unde Euseb. lib. 2. Demonstr. Evang. e. 17. S. August. lib. 18. Civit. e. 33. S. Hieron. Remig. Hugo, Arias, Ribera et alii, docent hic prædici resurrectionem Christi, reprobationem Iudæorum, et vocationem Gentium.

Secundo, plenius id fiet in secundo Christi adventu ad iudicium, puta in resurrectione universali, quæ vocatur dies resurrectionis Christi, tum quia per Christum, et Christi gratiam ac virtutem omnes homines resurgent. Resurrectio enim Ecclesiæ, quasi corporis, est resurrectio Christi, quasi capitis. Scriptura enim, ut notat Ticonius in Regulis S. Scripturæ, quod Ecclesiæ est tribuit Christo, et vice versa, ob summam Christi cum ea coniunctionem: est enim ipse Ecclesiæ caput, sponsus, pater, anima, spiritus et vita. Tum quia Christi resurrectio et gloria apparebit toti mundo in die iudicii, quando ostendet potestatem suam iudicariam, in resurrectione sibi a Patre datam, per quam iudicabit omnes gentes, uti hic subdit Sophonias. Sensus ergo est, q. d. Ego sæpius vestra, o Iu-

Dies resurrectionis hic que?

dæi, seclera coargui per Prophetas; sed frustra; expectate ergo me vindicem in die iudicii, quo ego resurgens, et triumphator ducam post me agmina omnia resurgentium, ac iudex considebo in valle Iosaphat, in quam colligam et congregabo Iudæos et omnes gentes, ut infideles et incredulos condemnem (tunc ergo vos, o Iudæi rebelles, dabitis pœnas vestrae rebellionis, ingratitude et obstinationis) credentes vero et fideles beem et glorificem, ut in cœlis dem eis labium electum, quo iugiter me laudent et benedicant: ita S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. Clarius et Vatabl.

Porro utroque die resurrectionis Christus venit ad prædam, ut vertit Pagnia. et Rabbin. Nam in primo adventu prædatus est Gentes, eorumque regiones, dum omnes per Apostolos sibi subiecit, iuxta illud Isaïæ 8. 4. *Voca nomen eius Emmanuelis* (id est. Christi nascituri) *Aeeclera spolia detrahare, festinu prædari.* Rursum in die resurrectionis prædatus est limbum et infernum: nam inde secum victor eduxit animas Sanctorum Patrum, ut eas secum cum triumpho deduceret in cœlum. In secundo vero adventu ad iudicium, prædabitur omnes infideles et impios, eosque tradet inferno. Insuper utroque die venit Christus ad testimonium, ut vertunt Septuag. quia uterque dies testabitur et demonstrabit mundo, Christum esse Christum, id est, Dei filium, iudicem, vindicem et dominum omnium. Simili modo et misericordia ultus est Deus incredulitatem Achaz, promittendo non tam ipsi, quam posteris eius Christi nativitate, gratiam et salutem. *Numquid parum, inquit, vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, Isaïæ 7. 14.*

QUIA IUDICIUM MEUM. ) q. d. Quia indicavi et decrevi congregare gentes et regna, et effundere super ea meam iram et indignationem. Ita Arias et Vatabl. nimirum evertendo eorum idola, templa, regna, mores, eaque convertendo in fidem, cultum et regnum Christi, ut illi se subiiciant, eiusque mores Christianos et sanctos induant, illumque colant et laudent labio uno et electo. Perperam ergo aliqui sic exponunt, q. d. Colligam Iudæos per totum orbem dispersos ad pascha celebrandum in Ierusalem, ut in ea a Tito et Romanis concludantur, capiantur et occidantur. Contrarium enim dicit Propheta: *Ut congregem Gentes, non Iudæos, et colligam regna, unde et de iisdem subdit:*

ET EFFUNDAM SUPER EOS INDIGNATIONEM MEAM. ) Indignatio hæc vindicta est divina, non humana, ut dixi: Deus enim ita se vindicat, ut perdat inimicos, dum eos facit amicos; ut occidat infideles, dum eos convertit facitque fideles: quia nimirum in mente et corde eorum occidit impietatem, idololatriam, libidinem, superbiam, cæteraque vitia, eisque indit spiritum et vitam fidei, gratiæ, castitatis, humilitatis, cæterarumque virtutum. Unde subdit:

IN IGNE ENIM ZELI MEI DEVORABITUR OMNIS TERRA. ) Chald. *nam igne zeli mei consumerunt omnes impii terræ: etenim ita convertam in omnes gentes locutionem unam electam, ut precentur omnes in nomine Domini.* Hic est zelus Dei, quo magis pugnat in vitia et dæmones, quam in homines, imo pugnat pro hominibus: sicut medicus pugnat contra morbum non contra ægrum, sed pro ægro. Vindicta ergo hæc Dei in peccata et dæmones, est misericordia et gratia in peccatores. Vide c. 46. quem præfixi Prophetis maioribus. Hic est zelus quem Christus ostendit in primo suo adventu, de quo proprie hic agitur. Illo enim dedit omnibus gentibus labium electum, convertit Ethiopes, omnesque gentes, etc. uti fuse in sequentibus prædicit Sophonia. In secundo autem suo adventu zelum iræ ostendit in infideles et impios, quo eos in die iudicii condemnabit adigetque in tartara, ideoque per ignem conflagrationis mundi, quem emittet, devorabitur et comburetur omnis terra: ita Lyran. et Vatabl.

QUIA TUNC REDDAM POPLLIS LABIUM ELECTUM; Arabicus, *linguam electam*; Symmach. *tunc convertam in populos labium mundum*, Aquila et Theodot. *tunc veritam*

*ad omnes populos labium electum; UT INVOCENT OMNES IN NOMINE DOMINI* (id est, nomen Domini, hebr. *Iehova*. q. d. Ut omnes invocent Deum verum) *ET SERVIANT EI HUMERO UNO.* ) Pro *electum*, uti vertit Noster, Aquila et Theodot. hebr. est *ברורה berura*, (pro quo Septuag. legunt *ברורי bedori*, id est, in generatione eius) quo Secundo, verti potest *purum, eastum, mundum, candidum*: ita Symmachus, Arias et Tigurina. Chaldæus vertit, *elatum*. Sensus est, q. d. Deus per Christum tollet diversitatem animorum, religionum, idolorum et laborum, quibus hic adorabat et invocabat Iovem, ille Martem, tertius Saturnum, quartus Melehom, quintus Dianam, etc. facietque ut omnes conspirent in eandem fidem et cultum unius veri Dei, eumque uno labio electo, sancto et divino invocent, dicentes: Deus, qui es unus in essentia, et trinus in personis, nimirum Pater, Filius et Spiritus sanctus, miserere nobis. Huic enim soli servient latria, id est, eum colent et adorabunt omnes humero uno, hoc est, unanimi consensu, conspiratione et consonantia. Est metaphora a baiulis, qui simul uno quasi humero succollant oneri ingenti: aut certe a bobus combinatis in plastro, qui eius iugum pari onere, quasi humero uno ferunt, illudque pari conatu et passu protrahunt. Unde Septuag. Syrus et Arabicus vertunt, *iugo uno*, scilicet Christi, quod suave est, et exequit plurima et durissima iuga diaboli: ita S. Hieron. Theodor. Chaldæus, Haymo, Hugo, Vatabl. et alii. Nove Ioannes Alba Electorum c. 67. Labium, inquit, hoc est lingua, subinde pro lege capitur. Labium ergo electum vocat legem perfectam, omnibus numeris absolutam, sanctissimam, puta legem Evangelicam. Hanc enim Deus dedit omnibus populis, eum legem Mosaicam dederit solis Iudæis. *Et servient ei humero uno*, id est, una manu, uno consensu, vel uno munere unoque sacrificio: ex hoc enim vocatur munus, quia manu offertur. Denique manus sæpe ponitur pro opere, q. d. Servient ei manibus, id est, operationibus et operibus, sanctis, quæ concorditer se invicem adiuvantes quasi una eademque manu operabuntur. Hæc Alba, symbolice potius, quam litteraliter.

Mirum quam potens sit, quantumque ferre possit unus omnium ad idem onus conspirantium humerus. Videre hoc est in Religionibus, congregationibus, familiis, in quibus viget spiritus et charitas. Aurea est Nicipsæ regis in morte filios ad mutuam amorem et o. em cohortantis, sententia: *Concordia parvæ res crescit, discordia autem maximæ dilabuntur.* Ita Sallust. de bello Iugurth. *Tyrrhenus lapis quamvis grandis innatat, comminatus subsidit: ita concordia sustinemur, discordia pessum imus*, ait Plinius lib. 2. cap. 106. Sicut singula hastilia facile frangas, coniuncta non possis: ita dissidentes facile superes, concordies hand facile, ait Plutareh. in Moral. Vis enim unita fortior est seipsa divisa; unde multa sustinet et evincit, quæ divisa nequit. Tyresius rogatus a Scipione Africano, qua de causa Numantia prius invicta, a se subacta et eversa fuisset, respondit: *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.* Severus Imper. moriturus vocans filios Marcum Antonium et Getam: *Facile, inquit, ut inter vos conveniat, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* Ita Xiphil. in eius vita. Agesilaus rogatus cur Sparta mœnibus non eingeretur? ostendit civis armatos et unanimes: *Hi, inquit, sunt civitatis mœnia: ita Plutarehus in Apophtheg. Quid non evincit, quid non superat exercitus ducum et militum in idem conspirantium? Isæus Sophista citans illud Homeri: *Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir: Sic, inquit, mihi stultæ Lacedæmonii, et muris cincti sumus*: ita Philostr. in Sophistis.*

Alludit ad unitatem sermonis et linguæ, quæ fuit in statu innocentie et legis naturæ. In paradiso enim Adam et Eva eadem fide, labio, et lingua, puta Hebræa, coluerunt, et posteri cornu coluissent Deum verum. Hoc labium per peccatum et superbiam fabricum turris Babel, vitiatum, inquinatum et dissectum est in 70. fere labia et linguas, quas Deus totidem familiis tunc indidit, uti dixi Genes. 11. 7. Hic ergo promittit Deus, se per Christum primævum illud unanime, electum et purum labium red-

diturum, idque præstitit, quando Apostolis in Pentecoste indidit Spiritum sanctum in specie linguarum ignearum, quibus pure et ardentem Deum verum celebrarent, omnesque gentes docerent, et impellerent ad eundem eodem labio et lingua colendum, ut scilicet quasi uno ore, æque ac mente et fide, cum confiterentur, laudarent, adorarent et invocarent. Labium ergo unum et electum est una Dei confessio, laus, invocatio, prædicatio.

Porro addunt aliqui apud Galatin. I. 12. de Arcan. fid. cap. 3. per labium unum accipi posse linguam Græcam, qua primum Apostoli per Græciam, Asiam et vicinas regiones cœperunt propagare fidem Christi. Græca enim lingua post imperium Alexandri Magni et Græcorum, magnam Orientis partem occupavit. Alii accipiunt linguam Latinam, qua omnes fideles sub Romano Pontifice, Deum et Christum toto orbe colunt et invocant. Hoc non est incongruum, nec absoum: licet enim proprie per labium unum significetur uniformitas cultus et fidei, scilicet quod Deum unum uniformiter omnes colent, esto eum sua lingua aliter et aliter nuncupent; consequenter tamen innuitur pariter uniformitas linguæ, quod scilicet Ecclesia et Evangelica doctrina, Christique fides et religio semper floruerit in una lingua, nimirum primum in Hebræa, deinde in Græca, tandem in Latina et Romana: perinde ac ante Christum floruit in sola Hebræa, puta in familia Heber, et Abrahæ, qui solus a Deo ex omnibus gentibus fuit electus ad eius cultum, laudem et obsequium. Unde et lingua eius vocatur labium electum. Multum enim facit ad consociationem, unionem et unitatem Ecclesiæ, unitas linguæ, v. g. Latine, qua Ecclesia Latina ubique Gentium utitur in sacrificio et officio Ecclesiastico, quamque omnes sacerdotes et litterati callent. Nam, ut ait S. August. I. 19. de Civit. c. 7. *Linguarum diversitas hominem alienat ab homine, etc. ita ut libentius homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno*, et ut ait Plinius, *ut externus alieno non sit hominis vice. Hinc illa gentium totaque linguarum diversitas, etc. quæ nos distinguit a feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum æque grande quam a belluis fecit*, inquit ipse I. 41. cap. 51. Quocirca Roma olim rerum domina satagebat, ut non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus, per pacem societatis imponeret, ait ibidem Augustin. ita ut Romani Hispanias et Gallias Latinas prorsus fecerint, veteribus illarum gentium linguis abolitis: et in Senatu nullos audierint legatos, nisi latine verba facientes; nimirum conabantur ut esset una lingua, qua se gentes omnes mutuo intelligerent. Sed plane et plene id consequi nequiverunt: altioris enim et divinæ virtutis hoc est opus. Quocirca Spiritus sanctus Apostolis dedit donum linguarum, quo ab omnibus gentibus intelligerentur, et vicissim omnes intelligerent. Deus, inquit S. August. in psal. 54. *divisit linguas in fabrica turris Babel, ne se intelligendo perniciosam facerent unitatem. Per superbos homines divisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus sanctus congregavit linguas. Quando enim Spiritus sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt, linguæ dispersæ in unum congregatæ sunt. Ergo si adhuc sæviunt et Gentiles sunt, expedit eis divisas habere linguas. Volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam: quia et in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis. Idem in psalm. 44. explicans illud: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate: Variæ, ait, linguæ faciunt varietatem vestis reginæ huius. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguæ ad unam filem. Quælibet sit varietas linguarum, unum aurum prædicatur, non diversum aurum, sed varietas de auro: aurum est sapientia. Eandem quippe sapientiam, eandem doctrinam et disciplinam omnes linguæ prædicant: varietas in linguis, aurum in sententiis.*

Anag. Beati in celo serviunt Deo labio uno: quia consono corde et ore canunt iugiter Alleluia, laudes et hymnos Deo, iubilantque dicendo: Gloria Patri, et Filio, et

A Spiritui sancto, qui nos vocavit in partem sortis Sanctorum, imo Beatorum. *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.* Apoc. 7. 12. Et, *Redemisti nos Domine in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram*, Apocal. 5. v. 9. Addit Arias, a Castro, et Galatin. loco citato, Beatos in caelo eadem lingua, quæ in paradiso fuit primigenia, ideoque sancta cognominatur, præsertim quia ea conscripta est vetus sacra Scriptura, puta Hebræa, Deum laudatos, de quo vide dicta I. Corinth. 13. v. 8.

Tropol. Labium electum fidelis habet, cum sincere Deo confitetur, et quæ Dei sunt sancte loquitur, cum de rebus piis sermones serit, cum iratos mitigat, allictos consolatur, peccatores convertit. Huic opponit Propheta v. 13. linguam dolosam.

ULTRA FLUMINA ÆTHIOPICÆ.) Triplex est hic expositio, quæ tamen in unam communem et universalem coalescit et desinit. Aliqui enim per hanc phrasim intelligunt Ægyptum: alii Abyssiam et Africam, alii Indiam. Primo enim Ægyptus est ultra fluenta Nili, qui oritur in Æthiopia, indeque in Ægyptum delluit, q. d. Ægyptii convertentur ad Christum, illique deferent munera. Addit a Castro, Hebr.

וְיָחֻס id est, Æthiopia, in Scriptura non significare Æthiopiam sub Ægypto, quæ nunc Abyssinia dicitur, ubi regnat Preto-Ioannes; sed Arabiam in qua inter alios degabant Madianitæ, qui in Scriptura vocantur Æthiopes. Unde de Pharaone merso in mari rubro dicitur psal. 73. v. 14. *Dedisti eum escam populis Æthiopum*, puta Arabibus accolis maris rubri. Chus enim filius Cham, qui nomen dedit Æthiopiæ, numquam ingressus est Ægyptum, vel Abyssiniam, sed cum suis filiis, Saba, Hevila, Sabatha, Regma, Sabatacha et Dadan, sedes fixit inter sinum Persicum et sinum Arabicum, sive mare rubrum. Hic ergo terræ tractus vocatur Chus, id est, Æthiopia, puta Arabia, in qua est Gibon fluvius ex paradiso decurrens, Traianus fluvius, lacus Sirbonides, sinus Arabicus, fossæ quoque manu factæ, quæ Dioryges vocantur, quas omnes fluviorum nomine comprehendit Scriptura. Porro ultra hæc flumina est Ægyptus. De Ægypto ergo loqui videtur hic Sophonias, æque ac Isaias cap. 18. 1. Hæc a Castro.

Verum eius ratio non concludit. Nam omnis Æthiopia hebr. vocatur Chus, esto Chus filius Cham, cum suis filiis proximis omnem non incoluerit: sicut eadem vocatur Æthiopia ab Æthiopo Vuleau filio, si credimus Plinio libro 6. c. 30. esto Æthiops non totam, sed partem tantum occupavit. Sicut ergo Abyssini vocantur Æthiopes græcæ et latine, sic iidem hebr. vocantur Chusim. Nam ex Abyssinia videtur venisse Taraca rex Chusim, id est Æthiopum. 2. Paral. 14. v. 9. Et Nabuchodonosor post vastatam Ægyptum vastavit Æthiopiam ei vicinam, puta Abyssiniam. Isaiæ 20. Et ex Abyssinia venisse Reginam Saba ad Salomonem, censent S. Hieronym. August. Origen. Nazianz. Nyssenus, Anselmus, Toletus, Barradius, Ortelius, et alii, quos citat P. Pineda I. 5. de Rebus Salom. c. 14. sect. 5. n. 21. denique filii Chus licet habitarent iuxta mare rubrum, tamen posteri eorum se propagarunt usque in Æthiopiam, utpote vicinam. Unde et rex Æthiopiæ olim fines regni sui extendebat usque ad mare rubrum. A quo enim progeniti sunt Æthiopes, nisi a posteris Cham et Chus?

Secundo, S. Hieron. Remigius, Albertus, Hugo, Emmanuel et Ribera, proprie Æthiopiam hic accipiunt eam, quæ est sub Ægypto in Africa, puta Abyssiniam; hæc enim Indæis erat vicina, nota et nominata. Sic sensus erit, q. d. Afri, qui sunt ultra flumina Æthiopiæ respectu Iudææ et Ægypti, imo et ulteriores populi trans mare siti, ut Brasili, Peruani, Mexicani, omnesque Indi Occidentales ad Christum convertentur, eique deferent munera.

Tertio, alii, quibus favet a Castro, putant hic notari Indiam Orientalem usque ad Iaponiam et Chinam: flumina enim Æthiopiæ hic vocari Tigrim et Euphratem, quæ primum per Chaldæam (in qua regnavit Nemrod filius Chus) et Mesopotamiam, deinde per mediam labuntur

Labium electum quod.

Unitas linguæ quantum conferat.

Anagog

Tropol.

vers. 10. Trans Æthiopiam regio triplex. I.

II.

III.

Arabiam: quæ ut dixi, in Scriptura vocatur Chus, id est, Æthiopia, ultra quæ flumina est tota Asia et India usque ad Sinas. Accedunt Chaldæus, qui vertit, *trans fluvios Indiæ*; Arias et Vatablus, qui hæc de Indis exponunt, quasi Æthiopia hic Indica intelligatur, cuius flumina sunt Tigris, Indus et Gaoges, quæ licet Indæis tempore Sophoniæ esset ignotior, Christianis tamen, quibus prophetat Sophonia, est notissima. Unde et Sabæi sunt Indi, æque ac Persici, Arabici, et Abyssini, ut ex Beroaldo et Dionysio docet Pererius in c. 25. Genes. v. 5. Sensus ergo est, q. d. Indi Orientales, Iapones, Sinæ, convertentur ad Christum, venientque supplices ad Ecclesiam, deferentes sua munera, uti hoc sæculo factum est, et in dies fieri videmus. Huic sententiæ favet, quod aliqui filii Chus, ut Hevila, versus Indiam habitaverint, quodque S. Cyrillus, Theodor. Procopius et alii, quos citat Pineda loco iam citato numer. 23. Sabæam gentem vocent Æthiopiam Indicam. Denique Lusitani, qui subegerunt et converterunt Indos Orientales, Iapones et Sinas, ad eos navigant circummeundo Æthiopiam, imo totam Africam. Eorum ergo respectu, Indi possunt dici siti trans Æthiopiam et Africam. In summa, vult dicere hac phrasi Sophonias, remotissimas gentes, quales sunt Æthiopes, et quæ ultra Æthiopiam sive Arabicam, sive Africanam et Abyssinam habitant, puta Garamantas et Indos, convertendos ad Christum. Iudæi enim censebant Æthiopes esse ultimos hominum, iuxta illud Poetæ: *Extremique hominum Morini*. Proprie tamen et præcise per Æthiopiam Sophonia accipit, non illam quæ sub Ægypto est, puta Abyssiniam, sed Arabicam, uti dixit a Castro in prima expositione. Alludit enim, ut mox dicam, ad Iudæos per Arabiam ductos in Babylonem, et per totum Orientem dispersos, quos reduxit Cyrus, et multo magis Christus in Ierusalem, id est, in Ecclesiam, ut munera, vota, et hostias Deo vero offerrent. Per hos tamen a simili, quoslibet populos et gentes trans Æthiopiam, in India extremisque mundi oris sparsos intelligit. Hosce enim omnes ad Deum per Christum et Apostolos convertendos prædicat: ita Mariana et alii.

**INDE SUPPLICES MEI, FILII** ( ita legit Romana, licet S. Hieron. in comment. legat *filia* ) **DISPERSORUM MEORUM DEFERENT MUNUS MIHI.** ) Pagniu. Tigurina et Vatablus de more sequentes R. David, sic vertunt, *trans flumina Æthiopiæ Atharæi, filia Pulsai, offerent munus mihi*, quasi *Atharæi* sint nomen gentis, progeneratæ ex gente dicta *Pulsai*, quæ munus sit allatura Domino. Verum nec Scriptura, nec Iosephus, nec quis alius harum gentium meminit. Quocirca Noster, Chald. Symmach. Septuag. Tigurina et alii, hæc nomina accipiunt, non ut propria gentis, sed ut appellativa. *Atharæi* enim hebr. significat supplices, *pulsai* dispersos. Unde ex Hebr. sic ad verbum eum S. Hieron. vertas, *trans flumina Æthiopiæ supplices mei* ( qui sunt ) *filia dispersorum* ( id est, cætus et congregatio dispersorum: vel potius *filia*, id est, progenies charissima, puta filii charissimi dispersorum, ut vertit Noster, Symmachus, et alii ) *meorum offerent munus mihi*: quod S. Hieron. sic expoint, q. d. O Israel, o Synagoga quondam mihi filia, quam nunc toto orbe dispersi, licet invidas, licet emulatione crucieris, tamen de Æthiopia mihi victimæ deferentur, id est, de Gentilium populo. Verum Vulgata lectio habet *filii*, non *filia*, quæ lectio hunc sensum non patitur.

Dico ergo, alludit Propheta ad Iudæos a Chaldæis in Babylonem abductos, et per Orientem dispersos, quos per Cyrum Deus reduxit in Ierusalem, qui ibidem hostias suas in gratiarum actionem obtulerunt Domino. Unde Chald. vertit, *de trans flumina Indiæ cum miserationibus revertetur captivitas populi mei, qui captivus ductus est, et adducent eos illic tamquam oblationes*. Verum per hos quos obiter tantum perstringit, intelligit quoslibet gentes toto orbe dispersas, etiam remotissimas in Indiis degentes. De hisce enim prædicat, quod per prædicationem Apostolorum, perque Christi vocationem et gratiam venient ad Ecclesiam, in eaque sua vota et munera offerent Domino. Hoc est enim quod ait S. Ioannes cap. 11. 51. Pro-

**A** *phetavit* ( Caiphas ) *quod Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente ( Iudaica ) sed ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum*: ita Hugo, Arias, Clarius et alii. Possent Secundo, eum Theodor. dispersi accipi Apostoli: hos enim Christus per totum orbem dispersit: horum filii sunt viri Apostolici et prædicatores, qui Apostolis in officio et zelo convertendi animas successerunt, q. d. Apostoli, et qui eis succedent viri Apostolici, convertent gentes, etiam remotas et barbaras uti Æthiopes, Indos, Iapones, Sinas, etc. easque quasi munus, imo quasi holocaustum, Deo gratissimum offerent; uti fecit S. Paulus qui Rom. 15. v. 16. ait: *Ut sim Minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificans* ( græce *ἁγιασμός*, id est, sacrificans ) *Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu sancto*. Quocirca Chald. et Septuag. vertunt in accusativo: Chald. quidem, *adducent eos illic tamquam oblationes*; Septuag. vero, *suscipiam dispersos meos, offerent munus mihi*. Gratulentur ergo sibi Xaverii, Gaspare, et eorum asseclæ, qui ingenti animo, labore et zelo Indias petunt: sciant se successores, posteros et filios Apostolorum: cogitent se munus et holocaustum Deo gratissimum, puta animas infidelium ad Dei imaginem creatas, pro quibus Christus carnem assumpsit, et seipsum in cruce Patri immolavit, Deo offerre: sciant se adimplere quæ desunt laborum et passionum Christi in Ecclesia: sciant se eius regnum ad ultimos usque orbis fines propagare.

**B** Mystice, Christus Æthiopes trans Æthiopiam deducit in Candiam, cum infideles et vitiiis atros traducit ad fidem, castitatem, virtutem: tunc enim *mundat omnem nigredinem animæ*, ait S. Hieron. *et tetrum colorem, ac draconis venenum, quo tincti fueramus vitiiis atque peccatis, reddito nobis labio electo, sive mundo et candido, et facit derelinquere nos in fluminibus Æthiopiæ perversorum dogmatum magistros, quibus ante irrigabamur, et cum dispersis quondam Israel Christo munera delaturos*. Sic S. August. 1. 9. Confess. c. 2. ait, se exemplo Victorini et aliorum, quos Deus de nigris lucidos fecerat, quasi sagittis divinis fixum exarsisse, ut suam infidelitatis et libidinis nigredinem, in puritatem fidei et castæ vitæ converteret. Dicit ergo cum eo quicumque penitens et iustificatus: Æthiops fui; Deus in baptismo, vel aquarum, vel lacrymarum me dealbavit: ipse pro atra candidam innocentiam vestem, imo eum mihi restituit: niger fui, nunc candidus et formosus sum: quia conscientiam meam vestem lavi et dealbavi in sanguine Agni, Apocal. 7. v. 14. Deo gratias, qui me de tenebris vocavit in admirabile lumen suum: deinceps vivam non æthiopice, sed candide, illudque Apostoli sequar: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate, fructus autem lucis est in omni bonitate, et iustitia, et veritate*, Ephes. 5. v. 8. Habitavi olim trans flumina atra Æthiopiæ, puta trans fluenta Nili, qui quia turbidus et limosus, hinc hebr. *שֵׁחֹרֶת* *seichor*, græce *μῆλας*, id est, niger, vocatur; cum nimirum viverem in atra caligine Deique ignorantia; cum in me influerent æstus motusque iræ, superbiam, gulæ, libidinis, aliarumque atrarum cupiditatum. Verum Christus sua gratia, trans hæc flumina me traduxit ad candida fluenta Iordanis, ibique me baptismo abluit et dealbavit: collocavit me in Ierusalem, id est, in Ecclesia, et in quiete puræ conscientiam, ubi fluminis impetus lætificat civitatem Dei: ubi candidi gratiæ, amoris, castitatis, aliarumque virtutum fluvii in animam meam cælestis influant et impluant.

**IN DIE ILLA NON CONFUNDERIS.** ) Loquitur Hierosolymæ, id est, Iudæis, non manentibus in iudaismo, sed Christianum recipientibus in eumque credentibus, ut patet v. 13. q. d. O Ierusalem nunc confunderis et pudescis ob idolatriam et scelera, quibus pravariata es in me. Sed agendum, vultum attolle, spera meliora: veniet Messias tibi promissus, qui omnia tua crimina sanguine suo in baptismo eluet, teque gratia sua decorabit, ut iam non sordida, sed speciosa et gratiosa, appareas in conspectu Dei, angelorum et hominum: ita S. Hier. Theodor. Reimig. Hugo et Lyran.

Mystice,  
Deus in  
iustifica-  
tione  
Æthio-  
pes deal-  
bat.

Vers. 11.

Aliter Vatab. q. d. Veniet Christus qui in te effundet gratiam suam, qua fiet, ut bonis operibus studeas, et cavens peccata omnia, quibus antea in me prævaricari solebas.

QUIA TUNC AUFERAM DE MEDIO TUI MAGNILOQUOS SUPERBIE TUE.) Causam dat, cur per Christum cessatura sit Hierosolymæ confusio: quia nimirum auferet Christus ab ea superbiam, quæ omnis sceleris et confusionis est mater et origo, ideoque auferet *magniloquos superbie tuæ*; Septuag. *φωλισηματα της υβριως*, id est, *contemptus, derisiones, subsannationes, contumelie tuæ*: quia magniloquorum superba lurs et adulatio reipsa non est aliud, quam irrisio et contumelia; Chald. *sortes gloriæ tuæ*; Tigurina, *qui in te insolenter exultant*; Pagnin. *qui exultant in superbia tui*, id est, qui exultant et gesticunt ob tuam dignitatem, excellentiam et magnificentiam, inquit Vatab. eamque ore magniloquo exaltant, buccinant et deprædicant. Taxat superbos et superciliosos principes Iudæorum, præsertim Scribas et Phariseus, ait S. Hieron. Remig. Hugo et Lyranus, qui Hierosolymæ præstantiam, sapientiam, religionem, sacra et templum plenis buccis conerepabant, sequæ quasi eius magistros, sacerdotes et principes iactabant, aliasque gentes omnes, ac præsertim Christum ipsum, contemnebant. Hi enim fovebant Hierosolymitarum superbiam et fastum, a quo oritur omne malum. Unde hic fastus faciebat eos incapaces fidei, gratiæ et salutis Christi. Hos sustulit Christus, eisque substituit humiles Apostolos, qui Hierosolymitas docerent modestiam et humilitatem, quæ omnis boni est causa: quia gratiam Dei et hominum sibi conciliat, ideoque prima est dispositio ad suscipiendam Christi doctrinam, iustitiam et salutem. Unde subdit:

NON ADIICIES EXALTARI AMPLIUS IN MONTE SANCTO MEO.) Mons sanctus est Sion, in quo erat templum: Iudæi enim perpetim iactabant se ob templum, dicebantque: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini*, Jerem. 7. v. 4. Christus hanc iactantiam sustulit, quando hoc templum evertit per Titum et Romanos, et quando in Sion crexit Ecclesiam suam, ad quam e templo Iudæica credentes transtulit et transcripsit, in qua quasi in schola humilitatis docet Iudæos animi demissionem, ut in fide et religione non se præferant Gentibus, uti solent; sed humiliter cum iis se subdant gratiæ Christi, quæ Gentes, æque ac Iudæos, vocat et iustificat, exclusa circumcissione et lege Mosaica, per quam se iustificari putabant Iudæi; sed falso, uti docet Apostolus in epist. ad Roman. et ad Galat. ita Remig. Haymo, Hugo et Lyran. Moral. discæ hic superbiam ubique Deo displicere, sed maxime in loco sancto, puta Ecclesia, vel Religione, scilicet si Clerici et Religiosi de primo loco contendant.

Vers. 12. DERELINQUAM IN MEDIO TUI POPULUM PAUPEREM ET EGENUM.) q. d. Pro magniloquis et superbis Scribis et Phariseis, dabo tibi meos Apostolos et discipulos pauperes, tum proprie dictos: primi enim fideles relictis omnibus bonis, pauperes sequebantur Christum et Apostolos; tum pauperes, id est, mansuetos et humiles, ut vertunt Septuag. et Theodor. paupertas enim est amica et mater humilitatis. Chald. vertit: *tolerantes violentiam et contumeliam*, uti Apostoli et discipuli pro Christi fide dura passi sunt verba, æque ac verbera: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Vatabl. Arias et alii.

Vers. 15. RELIQUIE ISRAEL NON FACIENT INIQUITATEM, q. d. Primi fideles et Christiani ex Israele a Christo evocati et collecti, iique pauci, præsertim Apostoli, adeo sancti erunt, ut omne peccatum, id est, crimen mortale (quin et veniale deliberatum) dolum et mendacium caveant, imo abominentur: QUONIAM IPSI PASCENTUR ET ACCUBABUNT.) In ovili Christi, puta in Ecclesia, ubi quasi oves a Christo pastore pascentur doctrina, et gratia divina et cælesti, quæ eos faciet sanctos, æque ac lutos et seguros, utpote qui omnem suam spem locarunt in Christo, a quo sciunt se regi, pasci, protegi, et bonis omnibus cumulari, tum in hac vita, tum magis in futura: ita S. Hieron. Remigius et alii.

Vers. 14. LAUDA FILIA SION.) *Filiam Sion* vocat Ecclesiam pri-

mitivam. Hanc enim Christus e Iudæis collegit in Sion, itaque fecit ut vetus Sion transiret in novam, puta Synagoga in Ecclesiam. Eadem enim est Ecclesia vetus et nova, Iudæorum et Christianorum. Iudæi enim ante Christum crediderunt in Christum venturum: Iudæi vero vocati a Christo crediderunt in Christum iam presentem. Eadem ergo utrorumque est Ecclesia: quia eadem utriusque fides, spes, charitas, iustitia, gloria et beatitudo; ac idem Christus utrosque gubernans, iustificans et beans. Hac de causa Ecclesia Christi vere et proprie vocatur filia Sion: quia originem sumpsit a Iudæis in Sion: quod si considerarent et eaperent moderni Iudæi, iam non essent Iudæi, sed Christiani.

Propheta ergo prævidens felicitatem Ecclesie a Christo instituende, hortatur ipsam, ut eam considerans toto corde exultet et iubilet. Unde Chald. vertit, *Hymnos eam congregatio Sion, et exulta Israel: gaude et lætare in toto corde congregatio Ierusalem*; Septuag. *Gaude filia Sion, prædica Ierusalem, exulta et delectare* (Tigur. *gesti*) *ex toto corde tuo filia Ierusalem*. Rationem tanti gaudii et iubili subdit: Quia, inquit, Christus a te auferet omne malum, et conferet omne bonum. Nam Primo:

ABSTULIT DOMINUS IUDICIUM TUUM.) *Iudicium* vocat peccata, quibus iudicium, id est, condemnationem et supplicium merebatur, illique erat adindicata, vel certo adindicanda. Est metonymia: ita S. Hieron. Secundo, *iudicium*, id est, ipsam condemnationem et pœnam, q. d. Christus a te auferet et eluet in baptismo omnem culpam, et pœnam præcedentium scelerum. Hinc Secundo:

AVERTIT INIMICOS TUOS.) Puta dæmones et vitia: ab horum enim misera servitute liberabit te Christus, viresque eorum infringet, ut non illa tibi, sed tu illis domineris: ita S. Hieron. Theodor. Remig. et alii. Unde Chald. vertit, *extirpavit inimicos tuos*; Septuag. *redemit de manu inimicorum tuorum rex Israel*; Pagnin. *evacuavit inimicum tuum*; Tigurina, *averruncavit hostes tuos*, hoc est, avertit, depulit, eiecit: averruncare enim dictum est ab avertendo, inquit Varro, et a runca, quod est instrumentum vinitorum, quo vitium samentibus avertunt et amputant. Unde Averruncus erat Gentilibus Deus, qui mala averruncabat, id est, avertebat: ita Varro lib. 6. Noster Averruncus est Christus, de quo S. Antonius, teste S. Athanasio, dicere solet: *Adveniente Domino* (Christo in earnem) *destructus est inimicus, et omne eius robur clanguit*. Unde de eo tertio subdit Propheta:

REX ISRAEL DOMINUS IN MEDIO TUI.) q. d. Christus Dominus, qui est Rex Israelis, id est, populi fidelis, est in medio tui o Sion, o Ecclesia, ut te regat quasi rex, pascat quasi pastor, alat quasi pater, amet quasi sponsus, defendat et protegat uti capitaneus. Unde sub eius alis et armis secunda, *non timebis malum ultra*: quia ipse illud vel a te depellet, vel vires dabit ad superandum, ut morbos, exilia, martyria, et quælibet adversa non tantum patienter, sed et hilariter sufferas, in iisque cum S. Paulo gloriaris et exultes: ita S. Hieron. Quocirca idipsum inculcans et exaggerans subiungit Quarto:

NOLI TIMERE: SION, NON DISSOLVANTUR MANUS TUE.) Ob tribulationes et persecutiones insurgentes, sed eas generose supra et despice, ut Deus super te et tua pietate, amore, constantia et victoria deleatetur et gaudeat. Rationem subdit: Quia *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit*. Quid ergo timeas, quæ tam fortem habes ducem? Quid metuas, cum pro te pugnet Iesus, id est, salvator, imo ipsa salus? Hinc quantum bonum et dotem addit dicens:

SILEBIT IN DILECTIONE SUA.) Sic legendum eum Hebr. Septuag. et Rom. non *tua*, uti legunt aliqui. Iam triplex hic est expositio. Prima, q. d. Deus silebit præterita tua peccata, quæ olim commisisti, non ea refricabit, non exprobrabit, imo non commemorabit, sed silentio involvet, delebit et abolebit: quia diliget te: ita S. Hieron. et Remig. unde Chald. *abscondet delicta tua in misericordia sua*, q. d. Si anima adulterio, id est, scelere, polluta, in gratiam eum Deo sponso suo redeat, ille eum ipsa de præ-

terita iniuria, utpote condonata, non expostulabit; sed potius dicet quod dixit Christus Magdalenæ: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Alius in Bibliis Regiis, cum gaudeo subiiciet scelus tuum cum misericordia, scilicet subiiciet scelus suæ misericordiæ. Unde Cassiod. in psal. 31. *O ingeniosa, ait, simplicitas, et multa tergiversatione cautiore puritas, manifestare delictum! Illis non iudex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt.* Secundo, q. d. *Silebit*, id est, stabilis et firmus erit in sua dilectione tui, semper te diliget, nunquam, nulloque casu vel eventu dilectionem suam revocabit, aut minuet; sed uti lapis in centro, ita Christus in dilectione tui silebit et conquiescet. Tertia, q. d. Cum in tentationibus et laboribus fueris, silebit sæpe, dissimulabit et sinet te affligi, laborare et sudare, eo quod diligat et eligat te ad magnam gloriam et coronam. Ita S. Antonius a turba dæmonum variis formis leonum, luporum, tauro- rum, aspidum, scorpionum, pardorum, ursorum se iu- videntium acriter flagellatus, vulneratus et confossus, cum imperterritus duraret mente pervigili, ait S. Athan. *vidit ad se radium lucis insuere. Illico præsentiam Domini intellexit, et ex intimo pectore longa trahens suspiria: Ubi, ait, eras bone Iesu? ubi eras? quare non a principio ad- fuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est: Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliorum tibi, et faciam te in toto orbe nominari.* Sic S. Catharina Senensis facies libidinis, a dæmone immissas fortiter repellens et superans, post victoriam meruit videre Iesum; cumque illa quereretur: Cur me Domine in hoc prælio reliquisti? audivit: Non te dereliqui, nam fui in corde tuo, illudque continui et roboravi, ne illecebris cederet et consentiret. Similia legimus in vitis Sanctorum. Septuag. vertunt, *innovabit te in charitate sua*, q. d. Novo amore te diliget, perinde ac si alia esses, et nova sponsa nove ei nupta, eumque tibi aspirabit, ut vicissim novo amore et fervore eum diligas, ac pro eo maiora, magisque heroica patrare et tolerare ambias. Disce hic, tribulationes, si fortiter eas Christi amore sufferat anima fidelis, illam de novo quasi unire et despondere Christo, ut quasi nova sponsa ei dicat cum Sephora uxore Mosis: *Sponsus sanguinum tu mihi es propter circumcisionem*, propter tribulationes, Exodi 4. v. 25.

**EXULTABIT SUPER TE (Deus et Christus) IN LAUDE.)** Laudando tuam patientiam, pugnam, victoriam, ac Patris æterni gratiam, quam tibi ad hæc dedit. Septuag. vertunt, *exultabit in te in delectatione*, hoc est, delectabiliter et valde in te lætabitur et delectabitur; Tigurina, *gestiet de te cum iubilo*; Vatabl. *exultabit super te cum cantico*, q. d. Præ gaudio et lætitia videbitur canere. Est metaphora ab hominibus lætitia gestientibus.

**Moral.** Moraliter Nota, quam Christus et Deus delectetur nostra virtute et tolerantia, ut videatur gestire, canere, et iubilare. Quis ergo non studeat bonis operibus? quis non dura quæque eius amore patiar, ut Deo suo et angelis eius hæc delectationem, hoc gaudium, hunc iubilum exhibeat et præstet? Ita Christus asserit gaudium esse in cælis super uno peccatore penitentiam agente, Lucæ 15. v. 7. Ita S. Paulus hortatur Hebræos c. 13. 16. ad opera charitatis, ut illis oblectent Deum: *Beneficentiæ*, inquit, et communionis nobilitate oblivisci: talibus enim hostiis promeretur (Syrus, *שֵׁפָר* sciaphar, id est, pulchrescit, oblectatur, hilarescit) Deus. Et Isaias cap. 62. v. 3. 4. et 6. *Eris*, inquit, *corona gloriæ in manu Dei*, etc. *vocaberis voluntas mea in ea*, etc. *quia complacuit Domino in te*, etc. *gaudebit super te Deus tuus.* Et cap. 65. 19. *Exultabo in Ierusalem, et gaudebo in populo meo.* Et Moses exhortans Israel ad custodiam legis Dei: *Revertetur*, ait,  *Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis*, Dent. 30. 9. Et Psaltes: *Exultabit Dominus in operibus suis*, ps. 103. 31. et ps. 44. 9. *Myrrha, et gutta, et castia a vestimentis tuis: ex quibus delectaverunt te filiarum regum in honore tuo.* Denique Apostolus excitat Romanos cap. 12. 1. *Obsecro*, ait, *vos, fratres, per misericordiam*

Moral.  
Deus mi-  
re dele-  
ctatur  
nostra  
virtute.

**A** *Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Ita Martyres gaudebant in martyriis eo quod seipsos Deo quasi hostias vivas, quibus ipse summe delectatur, offerrent in odorem suavitatis. Unde Tertull. Apologet. e. 50. *Martyrum agon et victoria*, inquit, *habet et gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum.* Et S. Cyprianus lib. 4. epist. 1. ad Rogatianum ceterosque Confessores incarcerationatos, et martyrii candidatos: *Quid*, ait, *iucundius et sublimius, quam osculari nunc ora vestra, quæ gloriosa voce Dominum confessa sunt? O beatum carcerem, quem illustravit vestra præsentia*, etc. *ubi modo constituta sunt Dei templa, et sanctificata divinis confessionibus membra vestra!* Dicat ergo humilis, patiens, pauper, obediens, etc. Humiliabo me in abyssum, patiar dura, famem sitimque tolerabo, obediens usque ad mortem, ut mea humilitate, patientia, paupertate, obedientia, etc. lætificem et exhilarem Deum meum, ut illi hoc suave epulum præbeam, ut oculos eius hoc spectaculo paseam et oblectem. Si enim idipsum faciunt famuli Cardinalibus et principibus suis, quid me convenit facere Domino Deo meo?

**B** Aliter vertit Pagnin. scilicet, *exultare faciet in laude*, q. d. Deus te faciet exultare in tribulationibus et laboribus, ut ei de iis gratias agas, eumque laudes et iubiles, uti fecerunt tres pueri in fornace Babylonia, Daniel. c. 3. v. 51. Unde S. Hier. *Exultabit*, inquit, *super te in laude, vel quia laudabilis sis, vel quia eum tuis laudibus canas.*

**NUGAS, QUI A LEGE RECESSERANT, CONGREGABO.)** Pro *nugas* hebr. est eadem vox *nughe*, pro qua Septuag. vertunt *δυσπραγίας*, id est, contrafactos. Interpres in Bibliis Regiis vertit, *dispersos*; Aquila, *translatos*; Chald. *qui remorati sunt in te tempora solemnitatis tuæ*; Pagninus, *dolore affectos*; Tigurina, *abstractos a loco colligam*; Vatabl. sic vertit et explicat, *mœrore affectos a tempore statuto, hoc est Iudæos, qui iam erant affecti tædio expectandi diem statutum adventus, non Cyri, qui eos Babylone liberaret (ut vult Theodot.) sed Christi, congregabo in Ecclesiam Catholicam*; alii vertunt, *squalidos, mœstos, afflictos*. *Nughe* enim derivatur a *יגה* *iaga*, id est, mœrere, dolere, affligi. Unde Clarius hæc exponit de resurrectione, q. d. Squalore confectos et mortuos, qui recesserunt a statuto hominum cœtu, in resurrectione suscitabo, et congregabo in vallem Iosaphat, et inde in cælum. Verum S. Hieron. censet *יגה* *nughe*, idem esse quod Latinum *nugæ*, illudque ab Hebræo *nughe* derivatum esse. Rursum Hebraice *מועד* *moad*, idem est quod conductum, statutum, vel testimonium, id est, lex. Ergo *יגה ממועד* *nughe mimmoed*, voeantur *nugatores*, id est, peccatores, qui ob *nugas*, id est, levissimas et mendaces rationes et voluptates, a lege Dei recedunt, easque Deo præferunt. Notat Iudæos, qui ob *nugas*, id est, nugacia bona terræ, a lege, quam se servaturos promiserant, recesserunt; quique ob *nugaces* suas traditiones Christum, quem lex indicabat, spreverunt. Sic Poetas vocat *nugas* Xenarchus apud Athenæum lib. 6. *Porro*, ait, *ipsi Poetæ nugæ sunt.* Hi enim sunt Iu- seinæ nugis insidentes, de quibus Plinius lib. 10. 29. Et Aristophanes in Nebulis Socratem vocat *nugarum* antistitem, quasi frivolarum argutiarum auctorem. Plautus quoque *nugas* theatri, appellat quotidiana convicia, quæ in meretricis, lenocis et parasitis iaciebantur a Comœdiorum auctoribus. Cicero l. 6. ad Atticum epist. 31. *Amicos*, ait, *habet meras nugas.* Et libr. 1. ad Quintum Fratrem epist. 38. *nugas* vocat homines nihili, et plane ridiculos. *Nugas*, inquit, *maximas omni comitate complexus sum.* Lexicographi prisci hæc quatuor pro iisdem habent, *nuga, nugæ, nugax, nugator*; et interpretantur *nullius frugis, nequam, nequus.*

Nugæ  
hebr. et  
latine vo-  
cantur  
homines  
resque  
nugaces.

**D** Audi S. Hier. *Nugas, sive, ut Aquila interpretatus est, translatos, qui a te recesserunt, congregabo; quia ex te erant: hoc est, hi qui per vitia atque peccata de tuo sinu fugerant, et facti erant sub dæmonum potestate, redintegrato omnium statu venient ad te, et nequaquam ultra super perditis filiis tuis patieris opprobria. Id quod diximus nugas, sciamus in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem יגה* *nu-*



ghe, et propterea a nobis ita ut in Hebræo erat positum, ut nosse possimus linguam Hebræicam omnium linguarum esse matricem.

Proprie enim נוגה *nughe* significat mæstos, mærore confectos, squalidos, ut vertit Noster Thren. 1. v. 4. ac tabidos, ut umbræ potius esse videantur quam homines: inde per catachresin significat abiectos, viles et nullius pretii, quales sunt nugæ. Id ita esse patet Isaïæ 51. 23. ubi dicitur: *Et ponam illum in manu מגיך moguich* (quod æque ac נוגה *nughe*, a rad. יגה *yaga* descendit) id est, eorum qui te humiliaverunt, ut vertit Noster, Septuag. et Chald. Et Thren. 3. 33. idem verbum Septuag. vertunt, humiliavit; Noster, abiicit; מגי *moghe* ergo activum in Hiphil, significat humiliantes; נוגה *nughe* vero passivum in Niphal, significat humiliatos, contemptos, viles et nugæ. Id enim asserit S. Hieronym. qui id accepit ab Hebræis, cui sane credendum, etsi hæc significatio iam alibi discrete non reperitur. Lingua enim Hebræa iam valde accisa est, nec pura, nisi in S. Scriptura reperitur. Porro sicut latine vox *nugæ* alludit ad non ago, q. d. Nugæ sunt quæ nihil agunt; ita et Hebr. נוגה *nughe* alludit ad יגה *yaga*, id est, non laborat.

Apposite Iudæi vocantur *nugæ*. Primo, quia mortalium sunt abiectissimi et vilissimi, uti videre est Romæ, quorum *eophinus fenumque supellex*, ut ait Poeta: unde contemptim vocantur verpi, apellæ, recutiti, nugivendi. Quocirca Iudæorum hæc vox est Sapient. 2. v. 16. *Tamquam nugæces æstimati sumus*, græce εις κελθηλον, id est, in spurium, vel in scoriam, aut æruginem, q. d. Æstimamur ut spurii, aut quasi quisquiliæ et nugæ: ita Emmanuel et Mariana, qui nugas interpretantur homines perditos.

Secundo, quia Iudæi nugis et fabulis scætant. Unde Hebraice נוגה *nughe* deduci potest ab הגה *haga*, id est, garrire, mussitare, fabulari. Iusto enim iudicio Dei factum est, ut, eum a veritate, lege et Christo recesserint, inciderint in errores, fabulas, fabulones et impostores. R. Salomon, aliique eorum Rabbiui, æque ac Thalmud, ita iis abundant, ut fabularum centones videantur; quibus misera plebs credit, quasi oraculis. Ex hisce, aliisque novis a se confictis Mahomet consarcinavit Alcoranum, quod est quasi lex et S. Scriptura Turcarum et Saracenorum. Vere Psaltes psal. 118. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*. Idem faciunt hæretici; dum enim a vera fide et lege Dei recedunt, abeunt in errores et fabulas. Notæ sunt ex Irenæo, Tertull. Epiphani. et aliis fabulæ Simonis Magi, Saturnini, Carpocratidis, Montani, Marcionis, Gnosticorum, Manichæorum, ac Valentinianorum, qui triginta fingebant æones quasi deos, sed revera nominum potius portenta, quam numina.

Moral. de nugacitate hominum. Moral. Disce corruptionem naturæ humanæ ex peccato, qua nugas magis amat, quam seria et utilia, adeo ut homines hic a Propheta, non nugatores, sed nugæ ipsæ appellentur. Præclare S. Hieronym. in præmio libr. 12. in Isaïam: *Nullus, ait, tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inveniat similem sibi; multoque pars maior est Milesias fabellas revolventium, quam Platonis libros: in altero enim ludus et oblectatio est, in altero difficultas et sudor mistus labori. Testamentum Grunnii Corocottæ Porcelli decantant in scholis puerorum agmina cachinnantium, quin etiamnum illud exstat in Bibliothecis, uti in nostra Romana inter Inscriptioes antiquas, in quo Porcellus a coco iugulandus ita sua legata partitur: Patri meo Verrino Lardino delego dari glandis modios triginta, et matri meæ Verrinæ Scrophæ delego dari lalluginis modios quadraginta, et sorori meæ Verrinæ hordei modios triginta. Et de visceribus meis dabo sutoribus setas, rixoribus capitinas, surdis aurículas, caudicis et verbosis linguam, intestina exiliariis, lumbos pueris, musculos cursoribus, venatoribus talos, latronibus unguilas, etc. Hæc refero, tum ut locus S. Hier. de hoc testamento intelligatur, tum ut nugarum Prophetæ dem vetus exemplum, quo videamus quam nugosa sit hominis indoles, quæ has nugas per tot annorum centurias conservavit. Plinius libr. 30. cap. 2. Appion, inquit, Homerum ab inferis evocatum nil aliud*

A interrogavit, quam qua patria quibusque parentibus genitus esset. Sic quidam, etiam primores, gravissimorum virorum concilio convocato, de meris nugis, id est, rebus otiosis et frivolis, consulunt. Porro maior hominum pars cæcusque circa nugas occupatur, nugax est, nugiger et nugivendus. Martialis, qui a multis ita avide legitur et teritur, quid est nisi pater leporum et nugarum? Audi ipsum de se initio lib. 9.

*Ille ego sum nulli nugarum laude secundus:  
Quem non miraris, set, puto, lector amas.*  
Audi Satyricum in Carmine cui titulus *Nugæ*:  
*Accipe, stat pretium nugis, et callidus emptor  
Vix plura ex alia sperat compendia merce.  
Quippe hominum in vita, nugis sine nulla voluptas.  
Testis erit blando nugas qui garrit amico.  
Pyramides nugæ, nugæ miracula rerum.  
Lusciniæ in nugis melior consumitur ætas.  
Vivit et immoritur nugis schola magna Sophorum.  
Gratæ oculis nugæ, nugis visenda theatra.  
Forma breves nugæ, sed quæ cvertisse feruntur  
Pergama, etc.*

*Nobilitas nugæ insignes, et gentis origo  
Ducta Promethæis ab avis, et sanguine Pyrrhæ.  
Captus erat nugis, qui vexit Ariona delphin.  
Mercurius nugis, nugis se iuctat Apollo.  
Sustuleris nugas, et cuncta poemata tolles:  
Grandiloquo fiet de Rhetore Tullius infans.  
Quærimus et Tyriæ nugas in sanguine conchæ.  
Ambrosia et nectar nugæ, convivium divum.  
Riphæo concreta gelu crystallina nugæ.  
Nugæ amethystus, onyx, beryllus, iaspis, achates,  
Nugæque ignivomo tremulus fulgore pyropus;  
Famaque mansurum spondens post funera nomen,  
Votaque sunt nugæ: nugæ fortuna superbus  
Quas largitur opes, et nutu temperat orbem.*

C Seneca lib. 1. epist. 1. *Magna, ait, vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Et Cato: *Satius est otiosum esse, quam nihil agere.* Nihil agit, qui nugis et frivolis se occupat. Domitianus Imperator, teste Sretonio in eius vita, molem tanti Romani Imperii sustinens, cum negotia maxima tractare deberet, multas sæpe horas impendebat captandis muscis: unde rogantibus, quis esset cum Domitiano? responsum est, *Nec musca quidem*, quia homines et muscas occidebat, ne quis alius superesset. Quocirca ipse vicissim a Stephano œconomo suo occisus est. Heliogabalus Imper. tota Roma curavit conquiri araneas, earumque telas colligi et ponderari ad hoc, ut sciret quantum omnium esset pondus et multitudo. Ita multi hodie negotia vertunt in otia, seria in nugas. Ambis gloriam, ambis honorem, ambis prælaturam? muscam captas. Ambis gulam et venerem? putidam araneam captas. Ambis vestes sericas, aureas, purpureas? telas aranearum captas. Annon hæc sunt nugæ? In hisce tamen multi tempus, quod ad æternitatem promerendam nobis Deus concessit, ultro terunt, et gaudentes consumunt. Vere Sapiens: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, Sapient. 4. 12. q. d. Fascinum vanitatis et nugarum, ea quæ sunt vere bona et honesta, obscurat. Species enim voluptatis quæ est in nugis et vanitate peccati, fascinat mentem, ut hanc nugacitatem, æque ac turpitudinem peccati non videat, non consideret, uti nec honesti, sive virtutis pulchritudinem et præstantiam. Sane fascinati videntur homines, et illecebris creaturam quasi præstigiis præstricta eorum mens, dum velut bruta ruunt in suas veneres et cupedias, etiamsi scient se per eas ruere in tartara et incendia æterna. Sapienter Æschines epist. 5. *Res perexiguas, inquit, maximi facere, pusillanimitatis cuiusdam et inscitæ est.* Hoc sibi iuveni accidisse confitetur et dolet S. August. 1. 8. Confess. c. 11. *Retinebant, ait, me nugæ nugarum, et vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ.* Exeuiamus cum S. August. hæc nugas nugarum, mentemque nostram ac vitam in cælestibus verisque bonis, in vero animi robore et magnanimitate, in omnium rerum mundanarum contemptu et de-

Iudæi  
Vocantur  
nugæ, ob  
duas ra-  
tiones.

Moral. de  
nugacitate ho-  
minum.

spicientia, in arduarum et heroicarum virtutum exercitatio-  
ne defigamus.

Quam  
nugæ fi-  
deli vi-  
tandæ.

Porro quantopere nugæ fidelibus vitandæ sint, gravi  
censura docet S. Bernard. *Nugæ, ait, si incidant, interdum  
ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Interueniendum  
caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sane  
in serium quid, quod non modo utiliter, sed et libenter au-  
diant, ut supersedeant otiosi.* Ita auctor Vitæ S. Bernard.  
1. 3. e. 3. Idem in Apologia ad Guillelmum Abbatem: *Ni-  
hil, ait, de Scripturis, nihil de salute agitur animarum,  
sed nugæ, et risus, et verba proferuntur in ventum. Inter  
prændendum quantum fauces dapibus, tantum aures pa-  
scentur rumoribus.* Idem de Conversione ad Clericos e. 12.  
*Frivola, ait, prorsus, et inanis ac nugatoria consolatio, et  
nescio quid illi durius imprece, quam ut semper habeat  
quod requirat; qui iucundæ quietis pacem fugitans, curiosa  
inquietudine delectatur. Liqueat sane vel ex hoc ipso, ni-  
hil his omnibus delectationis inesse, quorum solus transi-  
tus iuvat. Vanus utique labor, qui studio vanitatis assu-  
mitur. O doxu, doxa, ait sapiens (puta Boeth. 1. 3. de  
Consol. prosa 6.) in millibus mortalium nihil aliud, quam  
aurium inflatio vana. Celebre est istud Astydamantis:*

*Garrulitas est deambulatio linguæ.*

*Nugas agis, dum philosopharis intempestive.*

Et illud Euripidis:

*Tu vero linguam quidem volubilem habes, uti vir pruden-  
dens,*

*Sed in sermonibus tuis nulla mens inest.*

Nicostratus apte hosce nugaces et garrulos, vocat hirundines. Graviter et vere Clemens Alex. 1. 2. Pædag. e. 5.  
*Cum verba, ait, omnia a cogitatione et moribus emanent,  
feri non potest, ut aliqua verba mittantur ridicula, quæ  
non procedant a moribus ridiculis. Ex abundantia enim  
cordis os loquitur.* S. Chrysost. explicans illud Ephes. 4.  
29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: Quæ-  
le, ait, cor unusquisque habet, talia verba loquitur, et ta-  
lia opera facit.* Verba ergo et opera levia et nugacia, signa  
sunt animi levis et nugacis. Quocirca S. Basil. in exhort.  
ad filium spirit. Ne, ait, in modum parvuli iocari  
velis assidue, quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur,  
iocari ut parvulus. S. Thom. Aquinas hæc duo dabit signa,  
e quibus cognosci possit, an quis in virtute multum profecerit.  
*Si, ait, quem videris verbis levibus nugisque delectari,  
ac ægre ferre se contemni, scito hunc non esse perfectum,  
etiamsi miracula faciat. Quamobrem S. Hier. Felix, ait,  
lingua, que non novit nisi de divinis texere sermonem.  
Et S. Basil. tract. de Renunciæ. sæculi: Si futiles, ait,  
habeantur sermones, tu magnopere ne attendito; sed si quæ  
ex divinis litteris ad salutem animi pertinentia memorare  
audieris: acerba gustatu tibi ea sunt, quæcumque de rebus  
mundanis memorentur, contraque favis mellis similia, quæ  
a pietatem colentibus viris narrentur.* In Vitis Pat. lib. 3. n. 36.  
refertur de quodam viro sancto in monasterio S. Pachomii,  
qui, cum inter Monachos fieret sermo de S. Script. et rebus  
sanctis, videbat angelos latantes in hilari cultu: delectabantur  
enim de eloquiis Domini. Cum vero aliud quodcumque inter se  
loquerentur, statim angeli recedebant longius, indignantes  
contra eos: veniebant autem porci sordidissimi et morbo  
pleni, et volutabant se inter eos. Demones enim in specie  
porcorum delectabantur per superflua et vaniloquia eorum.  
Beatus autem senior hæc videns abiit in cellulam suam,  
et per totam noctem cum grandi fletu et ululatu gemendo  
dessebat miserias nostras. Dicebat ergo: Cavete fratres  
a multiloquio, et ab otiosis sermonibus linguam prohibete,  
per quam malus interitus animæ generatur: et non intelligimus,  
quoniam per hæc et Deo, et sanetis angelis odibiles sumus.

S. Hugo Abbas Cluniacensis, qui vixit tempore sancti  
Anselmi, et cum eo visus est ab angelis vehi in cælum,  
monuit sæpe Durannum Episcopum Tolosanum, ut a nugis  
et ridiculis verbis quibus assueverat, sibi temperaret;  
alioqui eum post mortem tumentibus labris et spumoso  
ore appariturum. *Non correxit Episcopus: unde defunctus*

*cuidam sacerdoti Signino apparuit, et, ut Sanctus prædixerat,  
ulcerosis tumida labiis ora præferebat. Petit auxilium  
Patris lacrymabiliter, quem audire noluerat. Signinus  
refert Patri quod viderat; miseretur Abbas, et excessum  
oris septem fratrum silentio sanare festinat. Septem  
fratres deligit, quibus septem dierum silentium pro Episcopo  
indixit. Unus ex iis transgreditur, silentium solvit.  
Redit Episcopus ad Signinum, fractum accusat silentium,  
de transgressore conqueritur, dilatam oris sanitatem propter  
septimi inobedientiam causatur. Signino hæc iterum ad  
Patrem referente, Abbas inquit de transgressione. Transgressio  
invenitur, et alter septenarius silentio dedicatur. Quo  
completo tertio Præsul apparuit, gratias agens Abbati,  
pontificali indutus chlamyde, os sanatum ostendit. Quocirca  
S. Hugo magis quam ante nugas vitans, seria tractabat:  
Orationem Deo, lectionem sibi, consilium proximo sedulus  
exhibebat. A mendacio et simulatione abhorrebat penitus,  
torporem et otium damnabat, pauperes opulenta manu  
pascibat, infirmos pia sollicitudine refovebat, afflictos  
cõsolabatur, pupillos et viduas tuebatur. In vitiosos  
severus, erga pœnitentes mitissimus erat: disciplinae  
castigatione iudex, doctrina magister, eharitate parens,  
obsequio minister. Ita vero pluribus erat intelli, ut minor  
ad singula vix haberetur, inquit Hugo illi coævus in eius  
Vita.*

UT NON ULTRA HABEAS SUPER EIS OPPROBRIUM.) Nugæ enim et  
nugaces Iudæi, et peccatores probro sunt non tantum sibi,  
sed et suæ matri, puta Sioni. Rursum apud Gentes probrum  
tibi est Sion, quod tam parvæ sis virtutis et zeli, ut hosce  
filios tuos non potueris, æque ut cæteros ad Christum  
convertere: quare probrum hoc auferetur, cum eos Dei gratia  
aspirante, zelo maiore converteres.

INTERFICIAM OMNES QUI AFFLIXERUNT TE.) q. d. Persecutores  
tuos o Sion, o Ecclesia Christi, perimam, nimirum Iudæos  
per Titum et Romanos; ita Lyran. et Vatabl. Gentiles vero,  
ut Neronem, Aurelianum, Decium, Maximianum, Diocletianum,  
etc. perimam per Romanos. Persas, Gothos, ac plene per  
Constantinum Magnum; ita Theodoret. Remig. et Haymo: ac  
tandem in die iudicii, omnes omnino impios, hostes tuos  
æterna morte mulctabo.

ET SALVAVO CLAUDICANTEM, scilicet populum, non tam  
Iudaicum, qui partim ad Mosem, partim ac Christum inclinabat,  
ut vult Arias; quam Christianum in primitiva Ecclesia,  
qui fugiens persecutiones ibat in remotos montes, sylvas  
et urbes, ac ex labore peregrinationis fatigatus, claudicabat.  
Unde sequitur: ET EAM QUÆ EIECTA FUERAT, CONGREGABO.)  
Tigurina, et eam quæ longius abstracta erat colligam.  
Eiecebant enim Christianos Iudæi e suis synagogis; Gentiles  
ex suis urbibus et locis, q. d. Ecclesiam, puta cœtum  
fidelium a persecutoribus eiectum colligam, snæque urbi,  
loco et patriæ restitnam, ut ibi sint in honore, laude et gloria,  
ubi prius affecti sunt confusione, probris et verberibus.  
Factum id per Constantinum: ita Theodor. Remig. et Vatabl.

Mystice, colligit Deus peccatores claudicantes, qui nunc  
Deo, nunc dæmoni, nunc Christo, nunc carni et mundo  
adhæserant; ideoque a Dei gratia et domo cieci erant,  
cum eos efficaciter ad se vocat, sibi que fortiter astringit,  
uti vocavit et astrinxit S. Magdalenam.

IN TEMPORE ILLO.) Repete interficiam omnes qui afflixerunt  
te, et salvabo claudicantem.

CUM CONVERTERO CAPTIVITATEM VESTRAM.) Qua in  
primitiva Ecclesia vos, o Christiani, sub Iudæis magistratibus,  
et Gentilibus Imperatoribus fuistis quasi captivi et oppressi:  
faciam enim per Constantinum, ut vos libertatem assequamini,  
imo dominemini infidelibus, eorumque templa occupetis,  
ac publice Christum gloriose et magnifice colatis; ita Lyran.  
et Vatabl. Secundo, captivitas hæc accipi potest servitus  
diaboli et peccati, a qua Christus nos ad libertatem filiorum  
Dei traducit per gratiam in hac vita, et per gloriam in altera,  
ubi post multo labores et agones, e servitute corporis,  
ærumnarum et mortis nos liberabit, ac cælestibus coronis  
et honoribus donabit, et beabit in æternum: ita S. Hier. Theodor.  
Hugo et alii.

## COMMENTARIA

IN

## AGGAEUM PROPHETAM

## ARGUMENTUM.

Aggæus,  
id est fe-  
stivus,  
cur?

**D**ECIMUS inter Prophetas ponitur Aggæus, vel, ut hebr. scribitur per *chet*, צגגא *Chaggai*, sive Chaggæus, id est, festivus, festum agens, a rad. צגגא *chagag*, id est, festum celebravit, festive prophetans ad populum læte e Babylone in Iudæam redeuntem. *Aggæus*, ait S. Hieron. ad Paulin. *festivus et lætus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem: Adhuc modicum, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus*, puta Messias, sive Christus. Quoad tempus, prophetavit Aggæus paulo post Iudæorum reditum e captivitate Babylonica. Cum enim resp. Iudæorum vitiis esset corrupta, Deus eam excidit, et traduxit in Babylonem, ibique captivos detinuit per 70. annos, ad hoc, ut tota illa generatio vetus et vitiosa interiret, et in eorum locum filii ab hisce vitiis intacti succederent, ut novus populus ad renovationem Ierusalem perveniret. Eo ergo rediit 1. anno Cyri: mox cœpit reædificare templum, iecitque eius et altarium fundamenta, sed cæso paulo post a Tomyri Scytharum regina Cyro, successit ei in regnum Persarum filius Cambyses, sive, ut cum Esdras vocat, Assuerus chaldaice, persice Artaxerxes, qui persuasus a Sanaballat alisque Samaritanis Iudæorum hostibus, quod Iudæi in speciem templum, sed revera arcem quasi rebellaturi ædificarent, vetuit eos in fabrica progredi: Narrat hæc fuisse Esdras lib. 1. c. 4. ubi et addit v. 24. *Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum*. Iudæi enim videntes a Cambyse, Sanaballat et aliis tot tantasque fabricæ remoras iniici, dictitabant necdum eius tempus advenisse. Quocirca Deus suscitavit Aggæum anno secundo Darii, qui eos ad templi fabricam resumendam incitaret. Hoc est enim quod mox subdit Esdras c. 5. c. 1. *Prophetarunt autem Aggæus Propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos qui erant in Iudæa et Ierusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Iosue filius Iosedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem, et cum eis Prophete Dei adjuvantes eos*. Qui et subdit cap. 6. Deum flexisse animum Darii, ut templi fabricam non tantum permitteret, sed et edicto suo promoveret, iubens ex tributis regis præberi sumptus in fabricam et sacrificia necessarios. Ubi recte advertit S. Hieron. in prologo: *Sciendum, ait, est magni spiritus fuisse Aggæum et Zachariam Prophetas, ut adversus Artaxerxis regis edictum, et Samaritanos gentesque cunctas per circuitum adificationem templi impediētes, iuberent templum extrui: Zorobabel quoque, et Iesum filium Iosedec, et populum qui cum eis erat, non minoris fidei, ut Prophetas magis audirent iuben-*

Argu-  
mentum.

Aggæi  
ingens  
animus.

**A**tes, quam prohibentis regis imperium. Additque seculus **Tempus**. Chronicon Eusebii hæc contigisse, quo tempore apud Romanos septimus a Romulo regnavit Tarquinius Superbus, habens annum imperii vigesimum septimum, qui post octo annos expulsus est a Bruto: ac deinde rempub. per quadringentos et sexaginta quatuor annos usque ad Iulium Cæsarem Consules administraverunt. Quare ab hoc anno secundo Darii usque ad annum 42. Augusti Cæsaris, quo natus dicitur Christus fluxerunt anni 518. tot ergo annis Aggæi propheta de Christo eum antecessit.

Porro illa quatuor continet partes, sive visiones: tres **Partitio** primæ elidunt tres excusationes Iudæorum de differenda **libri**. templi fabrica; in quarta promittit Zorobabeli fabricam resumentum Christum ex eius stirpe nasciturum, qui templum hoc sua præsentia, doctrina et miraculis decorabit, facietque gloriosius quam fuerit templum prius a Salomone ædificatum, ac thronum regni sui super omnia gentium regna, iis subactis sublimabit.

Mystice. Aggæus, inquit S. Hieron. Cyrill. et Rupert. optat ut Iesus et Zorobabel, id est Iesus Christus filius Dei, summus sacerdos, qualis fuit Iesus filius Iosedec; æque ac summus princeps, qualis fuit Zorobabel, Dei domum, id est, corpus, sibi et nobis in incarnatione ædificet.

Tropol. ut Deus sibi in anima fidei et sancta templum virtutum construat, inquit idem S. Hieron. et Remig.

Denique adeo illustris, sanctus et sapiens fuit Aggæus, **An Ag-** ut Origen. illum, æque ac Malaechiam et Ioanuem Bapti- **geus fue-** stam, censuerit non fuisse homines, sed angelos incar- **rit an-** natos, uti refert Gabriel Vasquez 1. p. tom. 1. disp. 184. **gelus?** num. 7. et alii; imo S. Hieron. c. 1. v. 13. Ratio Origenis erat, quia c. 1. v. 13. Aggæus in Hebræo vocatur angelus: *Et dixit, ait, Aggæus nuncius* (hebr. מלאך *malach*, id est, angelus) *Domini de nunciis Domini*. Verum hic est error: certum enim est Prophetas omnes fuisse homines, non angelos. Aggæi vitam ita paucis describit

Epiphani. libr. de Proph. vita: *Aggæus Propheta iuvenis admodum ex Babylone profectus est Hierosolymam, et ingenue de reditu populi vaticinatus est. Et oculis structuram templi Ierusalem vidit. Idem ibidem omnium primus cœcinit Alleluia. Eodem igitur loci vitam finivit, et humo prope sacerdotes cum honore et gloria conditus est. Proinde etiam hodie psallimus Alleluia, quæ hymnus Aggæi et Zachariæ perhibetur*. Eadem habet S. Dorotheus, qui et addit, eum de Christo vaticinatum sub persona Zorobabelis cap. 2. dum ait: *Ponam te signaculum, quoniam te elegi, dicit Dominus: sicut et Ioannes Evangelista dicit: Hunc enim Pater signavit Deus*. Accedit et Isidorus, qui et addit, eum in Babylonia natum, iuenculum cum cæteris Iudæis rediisse Hierosolymam. Catalogo Sanctorum ascriptus legitur Aggæus cum Osee in Martyro-

Eius vi-  
ta.

Psalmi.

log. Rom. die 4. Iulii. Psalmos aliquos compositos esse ab Aggæo censent nonnulli, nimirum 111. qui inscribitur, *Alleluia reversionis Aggæi et Zachariæ*. Et 145. cuius pariter titulus est, *Alleluia Aggæi et Zachariæ*. Idem titulus est ps. 146. 147. et 148. in Græcis codicibus Septuag. Vaticanis. Addunt aliqui psal. 137. qui in iisdem inscribitur, *Psalmus ipsi David Aggæi et Zachariæ*. Verum alii communiter censent hos psalmos non esse compositos, sed decantatos a populo redeunte e Babylone,

præcipientibus Aggæo et Zacharia; eo quod festivi sint et eucharistici, ideoque huic materiæ et iubilo populi reducis congruant, de quo plura in Psalmis. Quod audis Aggæum primum in Ierusalem cecinisse Alleluia, intellige primum a reditu e Babylone. Nam ante captivitatem in usu fuit Alleluia, ut patet ex psalmis, in quibus crebro resonat Alleluia: aut, quod primus post psalmos adiecerit Alleluia, ob lætum e Babylone reditum.

## C A P U T P R I M U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Reprehendit Iudæos intermittentes fabricam templi, ac dicentes necdum advenisse eius tempus, eo quod Samaritæ illam impedirent, et Cambyses eamdem prohibuisset. Docet enim hanc excusationem esse falsam, esseque prætextum pigritiæ, qua suis ædibus construendis intenti, domum Dei postponebant et negligebant: Deum enim velle, ut ipsi illico manum admovent templo: hanc enim suam voluntatem satis declarasse, cum ob neglectam templi fabricam immisit eis sterilitatem, famem et inopiam. Quamobrem huic oraculo credentes Zorobabel, Iesus et populus, illico rem aggrediuntur.*

1. **I**N anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, et ad Iesum, filium Iosedec, sacerdotem magnum, dicens: 2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. 3. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: 4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? 5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: 6. Seminastis multum, et intulistis parum: comedistis, et non estis satiati: bibistis, et non estis inebriati: operuistis vos, et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: 8. Ascendite in montem, portate ligna, et ædificate domum: et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. 9. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus: et intulistis in domum, et exullavi illud: quam ob causam? dicit Dominus exercituum: quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. 10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum: 11. Et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcumque profert humus, et super homines, et super iumenta, et super omnem laborem manuum. 12. Et audivit Zorobabel filius Salathiel, et Iesus filius Iosedec sacerdos magnus, et omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, et verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: et timuit populus a facie Domini. 13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus. 14. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Iuda, et spiritum Iesu filii Iosedec sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo: et ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

Vers. 1.  
Darius  
hic quis?  
Sententia.

I.

**I**N ANNO SECUNDO DARIÏ. Quæres, quisnam hic Darius? Primo, Philo Annii, et cum secuti Genebrardus et Gerardus Mercator in Chronol. ac Cyrillus Hierosol. catech. 12. et Tertull. libr. contra Iudæos tit. de Passione Christi, censent esse Darium Medum. Verum hoc falsum esse liquet, tum ex aliis, tum ex eo, quod Darius Medus præcesserit Cyrum: nam Cyrus ei successit, ut ait Daniel c. 5. 31. Aggæus autem prophetavit post Cyrum et Cambysen, ut patet 1. Esdræ 4. v. 5. et 24. et c. 5. 1. Cyrus enim concessit fabricam templi, sed eam prohibuit Cambyses. Unde post Cambysen sub Dario missus est Aggæus, qui eam rursus urgeret. Adde, Darium hunc non fuisse Medum, sed regem Persarum; ita enim vocatur 1. Esdræ 4. v. 24.

II.

Secundo, Iansenius in Concordia Evangel. c. 19. censet hunc Darium esse Artaxerxem Longimanum, sextum regem Persarum. Ratio eius est, quia Iudæi Ioannis 2. 20. aiunt, hoc templum ædificatum esse 46. annis: hoc autem verificari nequit, nisi dicamus illud ædificatum sub Cyro (sub Cyro enim cœpit) annis 20. sub Cambyse totidem, et 6. sub Dario Longimano. Verum hæc sententia, confundit Darium eum Artaxerxe: hic enim dietus est Longimanus, non ille, et Darius quartus fuit Persarum rex, Longimanus vero fuit sextus. Dario enim successit filius Xerxes, Xerxi Artaxerxes. Adde Cambysem non regnasse 20. annis, sed ut summum octo. Denique usque ad Longimanum vivere nequivit Aggæus, Zorobabel et cæteri, de quo mox plura.

III.

Tertio, Severus Sulpitius lib. 2. Histor. et Scaliger in

**B**Emend. tempor. censent hunc Darium esse Darium nothum, qui fuit filius spurius Artaxerxis Longimani, ita ut Artaxerxes qui 1. Esdræ cap. 7. eum sequitur, misitque Esdram in Ierusalem, fuerit ille qui cognominatus est Mnemon, id est, memor a memoriæ præstantia. Hic enim successit Dario notho. Verum hoc est incredibile. Sic enim Esdras fuisse ducentorum fere annorum, ut Scaliger coæctus fatetur: Zorobabel et Iesus, qui sub Cyro populum Babylone reduxerunt in Ierusalem, fuissent 140. annorum, cum tamen lib. 3. Esdræ c. 3. v. 4. Zorobabel vocetur adolescens, unus e custodibus Darii. Eiusdem ætatis fuisset Aggæus. Rursum ex hac sententia sequitur, neminem eorum qui viderant primum templum Salomonis, quod a Chaldæis 70. annis ante laxationem captivitatis per Cyrum, fuerat eversum, potuisse videre secundum a Zorobabele ædificatum, post reditum e captivitate sub hoc Dario: cuius tamen contrarium significat Aggæus c. 2. v. 4. Id sequi patet. Adde enim 70. annis captivitatis tres annos Cyri, octo Cambyse, 36. Darii Hystaspis, viginti Xerxis, quadraginta Artaxerxis, cui successit Darius hic nothus, conflabis annos 177. quot nemo ea ætate vixit.

Dico ergo, Darium hunc fuisse Darium Hystaspis, qui Assuero, sive Artaxerxi, ut habet Esdras, hoc est Cambysi, in regno Persarum successit, non ut filius, sed a Satrapis electus per binuitum equi: ita S. Hier. Theod. Albert. Euseb. in Chron. Ioseph. lib. 11. Antiqu. c. 4. Clemens Alex. lib. 1. Strom. et alii passim. Anno itaque Darii huius 2. iubente Aggæo cœperunt Iudæi resumere

IV.  
vera.

fabricam templi, eamque perfecerunt anno 6. eiusdem, ut ait Esdras lib. 1. cap. 6. v. 14. scilicet quoad Sanctum et Sanctum sanctorum. Nam atrium, sive exterior pars templi, et per consequens totum templum quoad omnia, consummatum fuit anno eiusdem 9. uti diserte testatur Ioseph. loco citato.

Moral.

Moraliter. Nota hic, cor regis esse in manu Dei, ut illud illectat quocumque liberit, uti flexit hic cor Darii ad amorem Iudæorum et curam templi, eo quod Iudæi iam captivitate 70. annorum afflicti et compuncti, ad Deum rediissent, eiusque opem penitentes et supplices invocassent, sicut ex adverso olim flexerat cor Nabuchodonosoris ad eorum odium et castigationem; eo quod ipsi a se aversi idola colerent, et impie viverent. Unde diseimur, ad Deum esse recurrendum cum a Tyrannis opprimimur. Rursum eum esse rogandum, ut principes sapientes, moderatos, pios et iustos vel constituat, vel iam constitutos efficiat. A principibus enim Ecclesiasticis pendet Ecclesia, a sæcularibus respubl. Multi censent Darium hunc fuisse maritum Esther, ideoque tam benevolam extitisse Iudæis, ac sumptus præbuisse templo, de quo in lib. Esther.

Porro notat S. Hieron. in prologo, R. David Vatabl. et alii, Aggæum vaticinium esse anno secundo Darii, hortatumque Iudæos ad restaurandum templum, quia hoc anno 2. finiebantur 70. anni desolationis templi, de quibus Zachar. c. 1. 12. Anno enim 18. Nabuchodonosoris, qui fuit undecimus Sedeciae, a Chaldæis combustum et desolatum est templum: inde usque ad 2. annum Darii fluxerunt anni 70. sicut anni 70. captivitatis Iudæorum in Babylone, qui incipiunt 11. annis citius, nimirum anno 7. Nabuchodonosoris, qui fuit Ioakim undecimus et ultimus, finiuntur anno 1. monarchiæ Cyri. Quocirca 70. anni desolationis templi, sicut 11. annis post 70. annos captivitatis incipiunt, ita et 11. annis post eosdem desinunt. Adde enim tres annos Cyri, quibus quasi monarcha regnavit post captam Babylonem et laxatam captivitatem Iudæorum, deinde 7. Cambysis, mox 2. Darii, habebis annos 11. completos, sed 12. inchoatos. Verum hæc de re disputandum Zachar. 1. 12.

Duplex annus et mensis Iudæorum.

**IN MENSE SEXTO.**) Nota. Hebræi duplicem habebant annum, ideoque dupl. numerabant menses. Prior annus erat sacer, quo utebantur ad festa et res sacras: unde eo utitur S. Scriptur. Hic initium sumebat ab æquinoctio verno, ita ut primus eius mensis esset is, cuius novilunium proximius erat æquinoctio verno. Hebræi enim utebantur mensibus lunaribus, ac consequenter anno lunari, qui undecim diebus minor est anno solari; quem tamen tertio quoque anno per intercalationem, sive additionem unius mensis, æquabant anno solari, quo Romani aliæque gentes utebantur, ut iis se conformarent. Primus ergo mensis anni sacri erat Nisan, qui priseo Romanorum Martio respondebat, iam vero nostro partim Martio, partim Aprili respondet. Nisan enim erat mensis paschalis, quo scilicet pascha celebrabant, in memoriam liberationis et exitus ex Ægypto, quæ illo mense olim contigerant; de quo proinde ita sancit Deus Exodi 12. 2. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Vide ibi diata. Posterior annus erat profanus, sive vulgaris, quo utebantur ad commercia et res civiles. Hic inchoabatur ab æquinoctio autumnali, ita ut primus eius mensis esset is, cuius novilunium proximius erat huic æquinoctio, qui hebr. vocabatur *Etanim*, id est, fortis et potens, scilicet frugibus et fructibus; Chald. *Tisri*, ac veteri Romanorum Septembri respondebat: iam vero nostro partim Septembri, partim Octobri respondet: ita Ioseph. lib. 1. Antiq. c. 4. Hieron. in c. 1. Ezecch. et alii.

Iam Lyran. et Vatabl. mensem sextum hic intelligunt anni vulgaris, non sacri, nimirum mensem Nisan sive Martium: ille enim aptissimus est ad fabricas inchoandas, et usque ad hiemem per multos menses continuandas. Verum dico annum hic accipi sacerum, qui incipit a Nisan, ac consequenter mensem sextum esse *Elul*, qui Romanorum Sextili sive Augusto, Christianorum vero partim Augusto, partim Septembri respondet: ita Ioseph.

lib. 1. Antiqu. cap. 4. Remig. Albert. Hugo et alii, imo S. Hieron. qui asserit sextum mensem electum ad fabricam, non septimum; eo quod septimus plenus esset solemnitatibus. In Tisri enim sive in Septembri, celebrabantur festa Tubarum, Tabernaculorum, Expiationis, etc. quibus operari et fabricare non licebat. Id ita esse patet ex eo, quod Scriptura utatur anno sacro: unde eo utitur Zacharias, coævus et socius Aggæi c. 1. v. 7. et c. 7. 1. *In anno quarto, ait, Darii regis, in quarta mensis noni, qui est Casleu.* Casleu enim est November. Et Esdras c. 6. v. 14. cum narrasset Iudæos obedientes Aggæo edificasse templum, illudque consummasse anno 6. Darii die 13. mensis Adar, id est, Februarii, mox subdit v. 19. *Ecce runt autem pascha decima quarta die mensis primi, q. d. Post fabricam templi absolutam in Februario, mox sequenti mense celebrarunt pascha, puta in Nisan sive Martio, qui primus erat mensis anni sacri, non profani. Quin et Aggæus ipse idipsum indicat c. 2. 19. dicens: Ponite corda vestra ex die ista in futurum, a die vigesima et quarta noni mensis: a die qua fundamenta iacta sunt templi Domini, etc. numquid iam semen in germine est? Semen autem in Palæstina germinare solet in Novembri. Is ergo nonus est mensis a Nisan, sive Martio, qui proinde primus est anni, scilicet sacri, non vulgaris. Licet enim fabrica in genere esset res profana et servilis, hic tamen erat rei sacræ, puta templi: unde rebus sacris in computu mensium annumeratur. Ad rationem Lyranii respondendum, Aggæum monuisse et mox Iudæos ad fabricam templi in Augusto, non in Martio: quia in Augusto tempus est messis, et frugum, quo Iudæi earum raritatem experiebantur: unde tunc ex re nata erat tempus maxime congruum et opportunum Aggæo concionari, et assignare causam huius sterilitatis, nimirum neglectum fabricæ templi, itaque illos ad eam capessendam incitare.*

Idem faciat concionator, ut, cum pestis, morbus, bel-

lum, aliaque publica clades a Deo infligitur, tunc populum afflicto et percusso acrius pulset, incitque ad pœnitentiam, et vitiorum inolorum seriam emendationem, proponendo eis strages et plagas, quas ob ea Deus immittit, quasque ipsi valde sentiunt, ac ostendendo unicum esse remedium eas evadendi, si Deo se reconcilient, moresque corrigant. Insuper destinabat Deus fabricæ templi Augustum: quia destinabat illam finire 4. anno, puta anno 6. Darii, in Februario, ad hoc, ut sequenti mense Martio possent in eo celebrare pascha, uti Iudæos fecisse et celebrasse docet Esdras lib. 1. c. 6. 15. Porro hiems in Iudæa, regione calida, est modica, æque ac Romæ, ubi perenne quasi est ver, ut ait Virgil. 2. Georg. unde fabricas non remoratur. Sciebat ergo Deus hoc tempus præcise requiri, et sufficere ad consummandam templi fabricam.

**IN DIE UNA.**) Id est, prima. Sic enim sæpe numerus cardinalis sumitur pro ordinali, puta unus pro primo, uti dixi Genes. 1. v. 5. Cæpit ergo Aggæus prophetare et hortari Iudæos die prima mensis Augusti, itaque, Iudæos permovet, ut mox, puta post 23. dies, die 24. eiusdem mensis fabricam inchoarent, uti dicitur c. 2. 1. ita S. Hieron.

Moral. advertet annum, mensem et diem quo verbum

Dei excepit Aggæus, tam diserte ab eo notari, ut discamus quanti Dei verba, inspirationes et monita interna externaque facere debeamus, quibus ipse nos ad fabricam sublimiorem templi spiritualis in anima nostra excitat et impellit; adeo ut et diem et horam qua illæ nobis suggeruntur, studiose annotare par sit: uti multos Sanctorum ea annotasse legimus, memores Deum accuratam earum rationem a nobis exacturum in hora mortis et in die iudicii: ita a Castro.

**IN MANU AGGÆI.**) Id est, per Aggæum, opera et ministerio Aggæi. Manus enim cum sit organum organorum, sumitur pro organo, sive instrumento. Prophetæ ergo vocantur manus Dei: quia per eos quasi per manus, Deus negotia sua tractabat et conficiebat, seque populo exhibebat, imo depingebat, iuxta illud Osec 12. 10. *In manibus*

*Prophetarum assimilatus sum*: ita Theodor. et Lyran.

Concio-  
nator  
prædicet  
tam ma-  
nu, quam  
ore

Mystice, *in manu*: quia Aggæus non tantum lingua et sermone, sed et manu, id est, opere sanctæque vita et exemplo, prophetavit: ita Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma, per manum Prophetæ, vitæ probitatem accipit, quasi ea tanta fuerit, ut illa meruerit prophetiam: probis enim actionibus, inquit ibidem Nicetas, meruit Propheta verbum Dei in fidem accipere, quasi magnum thesaurum suæ fidei concredidit ad populi usum expendendum, ut tamquam fidelis dispensator et prudens, *quem constituit Dominus super familiam suam, det illis in tempore tritici mesuram*, Lucæ 12. 42. ita et Haymo et Hugo, imo S. Hieronym. *Si voluerimus, ait, in nobis fieri sermonem Dei, simus Aggæi, id est festa celebrantes, et non appareamus in conspectu Dei vacui, seminantesque in spiritu, de spiritu metamus vitam æternam, ut celebremus sollemnitate primitivorum de operibus nostris*. Sic Iesus prius manu cepit facere, deinde ore docere, Actor. 1. 1. Iesum secuti sunt Apostoli et viri Apostolici, quorum proinde concio erat efficax, quia ex corde procedens ad cor audientium loquebatur, ac quod docebat verbo, monstrabat exemplo: qui enim secus faciunt quam dicunt, sunt æsonaus et cymbalum tinniens; aerem verberant, non corda sauciant. Latronem de iustitia, incestum de castitate, ebrium de sobrietate disputantem ridemus et aspernamur: ita et quemvis ea patrautem vel appetentem, quæ vitanda præfamat.

Præclare S. Bernard. serm. 18. in Cant. septem gradus ad suggestum requirit. Primus, est contritio; secundus, devotio; tertius, penitentia labor; quartus, pietatis opus; quintus, orationis studium; sextus, contemplationis otium; septimus, plenitudo dilectionis. S. Greg. 1. 10. Moral. Docere, ait, et non facere, non solum nihil lucrari, sed etiam damni plurimum affert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, sed opere negligenti. Idem lib. 5. in lib. 1. Reg. c. 14. *Quid est, ait, quod apparere Imathas Philisthæis eum armigero dicitur, nisi quia doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios contendit edocere*. Idem lib. 21. Moral. cap. 8. *Doctoris, inquit, progenies eradicitur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur; quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit*.

Gentium  
lium  
guomæ.

Imo Aristoteles asserit ab his qui non perinde vivunt ut loquuntur, tolli et interim veritatem. Seneca autem: Nullos, inquit, peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui Philosophiam velut aliquod venale artificium didicerunt, qui aliter vivunt quam vivendum esse præcipiunt. Exempla enim inutilis disciplina circumferunt: doctores sunt humilitatis, sed duces superbiæ: ore laudant humilitatem, obedientiam, resignationem, charitatem, ut utilem, facilem, iucundam; sed factis contrarium, longeque potentius inculcant: quocirca tam verbis facta, quam factis verba sua condemnant, ac contra se proferunt sententiam, ideoque in die iudicii toties ex ore suo iudicabuntur, quoties alios ad humilitatem, charitatem, etc. hortati fuerint. *Propter quod*, inquit Apostolus Rom. 2. 1. *inexcusabilis es, o homo omnium qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas*. Quare, inquiet Dominus, evarrasti iustitias meas, et assumpsisti testamentum (legem) meum per os tuum? tu vero oderas disciplinam, et cum adulteris portionem tuam ponebas, Psalm. 49. Denique Christus Dominus Matth. 5. 19. *Qui fecerit, inquit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*.

Zorobabel  
cuius  
filius?

**AD ZOROBABEL FILIUM SALATHIEL.**) Dices, Zorobabel fuit filius Phadaia, ut patet 1. Paral. 3. 17. quomodo ergo hic dicitur filius Salathiel? Primo S. Hieron. q. in Paral. respondet Salathielem fuisse binomium, et alio nomine vocatum Phadaiam. Verum eo loci Scriptura hęc duos distinguit, facitque diversas personas, ait enim vers. 17. *Filii Iechonia fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia*. Secundo, Vatabl. censet Zorobabel patrem habuisse Phadaiam, avam vero Salathielem: vocari ergo hic eius filium, id est, nepotem. Unde locum Paralip. iam citatum sic ex

Hebræo vertit, *filius Iechoniae Asir, et Salathiel filius eius, Melchiram quoque et Phadaia*, siquæ exponit, q. d. Filii, id est, posteri, Iechoniae fuerunt hi, Asir, cuius filius fuit Salathiel, qui fuit pater Melchiram et Phadaia. Verum obstat, quod in Paralip. textatur genealogia Patriarcharum Israel presse et præcise: voce ergo *filius*, proprie dicti et proximi ibi intelliguntur, non nepotes et poster. Tertio, Arias respondet Zorobabel filium naturalem fuisse Phadaia, sed adoptatum a Salathiele. Verum Matth. 1. 12. expresse dicitur: *Salathiel genuit Zorobabel*: fuit ergo eius pater per generationem, non adoptionem.

Dico ergo, Phadaiam fuisse fratrem Salathielis, ex Iechonia patre, ut patet ex verbis Paralip. iam citatis, ac proinde, utrumque filio a se genito idem imposuisse nomen Zorobabel, uti fratres facere solent, coniunctionis et necessitudinis ergo. Zorobabel ergo noster filius Salathiel, alius est a Zorobabele filio Phadaia: ille enim huius est patruelis, sive consobrinus: unde et diversi utriusque filii memorantur: ille enim genuit Abiud Matth. 1. 13. hic vero genuit Mosollam et alios, qui recensentur 1. Paralip. 3. 9.

Symbol. Zorobabel dictus est Primo, quasi **זרע בבל** *zara babel*, id est, satus et genitus in Babylone, inquit S. Hieron. Secundo, q. d. **זר רב בבל** *su rab babel*, id est, iste magister, vel princeps in Babylone. Ita idem.

Tertio, q. d. **זרע בבל** *zara babel*, id est, dispersgens Babylonem, id est, confusionem: vel quasi **זר בבל** *zur Babel*, id est, expressio, aut caleatio, aut ventilatio, aut alienatio confusionis, inquit Pagnin. in Interpr. nomin. Hebr. Sicut enim Iosue ex deserto, ita Zorobabel ex Babylone Iudæos reduxit in terram promissam. Unde uterque fuit typus Christi, qui nos e confusione peccati ducit ad Ecclesiam militantem et triumphantem. Quarto, addit S. Hieron. Zorobabel hebr. idem esse quod fluxus adiacens, cui contrarius est Iezabel, id est, fluxus vanus, vel fluxus menstruatae, qui immunditiam sonat, sicut et Zabulon fluxus noctis interpretatur. Relinquentes ergo, inquit fluxum mundi, vanum, sordidum et tenebrosam, sequamur fluxum Iesu, qui nobis expositus ad bibendum, et largissimo fonte se præbet, dicens: Si quis sitis veniat ad me, et bibat. Et hunc poterimus bibere, cum petierimus a Patre, iuxta id quod legitur: Petite et dabitur vobis. Salathiel quippe interpretatur petitio Dei. Huc usque S. Hieronymus.

**DUCEM IUDÆ.**) Desiit regnum et stirps regia Iudæ in Iechonia rege, qui fuit pater Salathiel, et avus Zorobabel. Unde de eo audivit a Deo Ieremias c. 22. 30. *Scribe virum istum sterilem. Causam subdit: Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David*. Porro Salathiel mortuus est in Babylone ante solutam captivitatem. Iudæi ergo data libertate per Cyrum, redeuntes in Iudæam ducem sibi constituerunt eius filium, puta Zorobabel, æque ac Iesum filium Iosedec pontificis, teste Iosepho, l. 11. Ant. 4. et innuit hic Aggæus. Porro in ducatu, id est, in dignitate et præcinentia dueali potius quam in regimine et imperio (nam regimen summum et dueale erat penes pontifices, inquit Ioseph. et ex eo S. Hieron. in locum citatum Ieremiæ) successerunt ei filii et posterii usque ad Christum. Unde Nehemias c. 5. 15. *Duces primi, ait, qui fuerunt ante me, gravaverunt populum*. Ita S. August. l. 18. de Civit. c. 45. Cyril. lib. 8. contra Iulian. Ambr. lib. 3. in Lucam, Iustin. contra Tryphon. Euseb. lib. 3. Demonstr. c. 2. et alii.

**ET AD IESUM, FILIUM ISEDEC, SACERDOTE MAGNUM.)** Id est, summum, puta pontificem. Saraia enim pontifex, qui in exordio Hierosolymæ occisus est a Nabueodonosor 4. Reg. 23. 18. genuit Iosedec, et Iosedec Iesum, 1. Paral. 6. 14. Porro Esdras pariter fuit filius Saraia pontificis, ac consequenter frater Iosedec, et patruus Iesu. Ex Iesu prognatus est Ieddo sive Iaddus, 2. Esdræ 12. 10. quem veneratus est Alexander Magnus, teste Iosepho. Iesus hic in pontificatu nomine et sanctitate, æque ac in reductioe populi, fuit typus Iesu Christi. Unde a Zacharia c. 3. 1. Vocatur *sacerdos magnus*, visusque est cum an-

Etyma  
Zorobabelis  
quatuor.

gelo ad luctam stare contra Satanam. Sic omnes Antistes Christo comparati, parvi sunt, typi et umbræ duntaxat, imo nihil, ait S. Hieron. De utroque sic scribit Eccles. cap. 49. 15. *Quomodo amplificemus Zorobabel; nam et ipse quasi signum in dextera manu: sic et Iesum filium Iosedec? qui in diebus suis edificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.* Eandem laudem iure tribuamus hodie similibus piis principibus, qui templa et monasteria construunt et dolant, ut in iis Deus a multis colatur et celebretur.

Porro tres Prælati insignes, nomen Iesus adepti sunt, iique in triplici statu principes, scilicet primus Iosue, qui fuit dux populi in terram promissam; Iosue enim idem quod Iesus: unde Iesus vocatur a Sept. Philone et Græcis. Secundus Iesus filius Iosedec summus pontifex. Tertius, Iesus Sirach, auctor Ecclesiastici, doctor Synagogæ. Hi tres typi fuerunt Iesu Christi, eiusque triplicem prælaturam adumbrarunt: Christus enim est summus, primo, Princeps; secundo, Pontifex; tertio, Propheta et Doctor Ecclesiæ; unde est filius Iosedec, id est, iustitiæ Dei. Ipse enim est iustitia sempiterna, ut ait Daniel c. 9. 14. *qui iustificat impios, et in iustitia indicat pauperes et mansuetos terræ, Isaiæ 11. 4.* Porro sicut Iesus cum Zorobabel reedificavit templum a Chaldæis destructum, ita Iesus Christus reedificavit in resurrectione templum corporis sui a Iudæis excisum, uti ipse eis prædixit Ioan. 2. 19. *Soluite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Cumque Iudæi non intelligentes mentem et templum eius, replicarent: *Quadraginta sex annis edificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* respondet Evangelista, subditque: *Ille autem dicebat de templo corporis sui, a se restaurandum in resurrectione. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturæ et sermoni quem dixit Iesus: quia eum iam videbant impletum.* Simili modo restauravit Christus templum mysticum et politicum, puta Ecclesiam infidelitate et gentilismo destructam.

**POPULUS ISTE.** ) Cui vos o Zorobabel et Iesu præseditis. Nota. Propheta sermonem dirigit ad principes, et tamen directe non eorum, sed populi socordiam accusat, tum ut eos coram populo honoret, doceatque eorum peccata publice non esse carpenda, sed privatim, ne et eis auctoritas adimatur, et populus ad ipsis rebellandum concitetur: tum ut ostendat directe hanc culpam, fuisse populi, quem coram principibus suis arguit, ut iis quasi testibus oculatis convictus erubescat, pœniteat et obediat Deo, inquit Theodor. indirecte vero hanc culpam afflare ipsos principes, ulptote quorum sit populum ad opus hoc Dei urgere. **Raro Prælati liber a culpa subditorum.** Rare enim Prælati liber est a culpa subditorum, eo quod vel illi consentiat, vel dissimulet, et cum possit non coerecat, inquit ex Alberto noster a Castro: quamquam exigua vel nulla hic fuerit culpa Zorobabelis et Iesu, ut mox patebit, et asserit S. Hieron. Theod. Arias et Vatabl. Imitentur hoc concionatores, ut, cum publicum reipubl. vitium coram magistratu accusant, directe non ipsum, sed populum accusent: hoc ipso enim sat intelligit magistratus, indirecte se quoque accusari, quidque sui sit muneris et officii animadvertit; nec indignatur, sed laudat concionatoris prudentiam, modestiam et reverentiam, utpote qui ipsorum honori consulat, ipsisque animos et auctoritatem addat, ad hoc vitium e republica extirpandum.

**NONDUM VENIT.** ) Dicunt id, tum quia videbant Sababallat, et Samaritas apud Cyrum et Cambysem, huc usque fabricam templi impedivisse: hinc versi in socordiam, illam neglexerunt: ita S. Hieron. Theodor. Lyran. et alii. Tum quia 70. anni desolationis templi a Deo præstituti, necdum erant evoluti, inquit S. Hieron. et R. David, quos citavi v. 1. Hi enim 70. anni finiti sunt anno 2. Darii, quo hæc vaticinatus est Aggæus.

Ubi nota historiam rei gestæ, quæ magnam huic loco lucem affert, narrari 1. 3. Esdræ 4. 42. et seq. nimirum,

quod Zorobabel cum duobus sociis custos corporis Darii, coram illo proposuerit problema, quidnam esset in arte fortissimum, ac primus eorum responderit: *Fortis est vinum; secundus, Fortior est rex; tertius, puta Zorobabel, Fortiores sunt mulieres, fortissima autem est veritas.* Hic ea de re perorando, tulit palmam. Unde a Dario iussus petere quidquid vellet (se enim daturum) petiit, ut rex volum olim a se nuncupatum exolveret. Votum hoc erat, se, si rex crearetur, templum Deo in Ierusalem edificaturum. Darius osculatus eum annuit, eumque cum Iudæis remisit in Ierusalem cum præsidio mille militum, deditque litteras ad præfectos, ut fabricam templi iuvarent, et datis sumptibus curarent. Rediit ergo e Babylonem Hierosolymam Zorobabel anno secundo Darii mense 1. puta Nisan, ut dicitur 3. Esdræ 5. 6. cœpitque populum hortari ad fabricam templi. Verum cum populus præteritarum difficultatum memor, non satis crederet Zorobabeli asserenti Darium favere, imo iubere fabricam templi, ideoque per sex menses usque ad Augustum opus distulisset; cœpit Aggæus eodem mense 6. vaticinari, ac eorum diffidentiam et negligentiam accusare, hortarique ut opus inchoarent. Deum enim id velle: unde eum allaturum, et curaturum ut nec Darius, nec Samaritæ, nec quis alius opus impediret. Propheta credidit populus, præsertim cum ex novis Darii litteris, quæ recitantur 1. Esdræ 6. cognovit Darium prorsus idem velle. Quare strenue opus aggressus, illud perfecit post quatuor annos et quinque menses, puta mense Adar, id est, Februario, uti ibidem enarrat Esdras.

**Tropol.** Cum quem lapsum videris cogitare de pœnitentia, ut ædificet, ait S. Hieron. *templum per pudicitiam, quod per libidinem ante destruxerat, et tamen diem de die trahere, die ad eum: Vere et tu es de populo captivorum, et tu dicis: Nondum venit tempus domus Domini edificandæ. Qui semel decrevit instaurare templum Dei, huic omne tempus aptum est ad ædificandum, nec rex diabolus potest impedire, nec hostes per circuitum, nec pietas simulata parentum, affinium, liberorum, statim ut conversus inclamareris nomen Domini, dicet: Ecce adsum.* Et inferius: *Omne tempus quo habitatio vallis* (alludit ad Sept. qui pro donibus luqueatis, vertunt, convallibus) *eligitur, vel servimus deliciis, importunum est. Unde et Stoici dixerunt, tempus esse correctionis. Omne enim tempus, in quo non virtutibus, sed vitiis deservimus, perit, et quasi non fuerit reputatur in nihilum. Si quis ergo de nobis vel in convalle habitat, vel in voluptate et luxuria sæculari suam consignat domum, iste templum Deo non ædificat, nec habet Dominus in eo ubi caput suum reclinet.* Omne ergo tempus nobis debet esse mensura motus, non quietis; negotii, non otii; virtutis, non vitii: alioqui perditus irrecuperabiliter, et cum ipso otio vitioque perit, imo punitur acriter. Sic Barlaam apud Damasc. in Histor. roganti Iosaphat, quoniam esset annorum? respondit 45. quia licet, inquit 70. vixerim, tamen 45. tantum Deo vixi: unde hos solos annos vitæ computo, cæteros quos in vanitate transegi, mortis fuisse censeo, ideoque eos non numero, quos me perdidisse æstimo et deploro. Idem viderunt Gentiles. Theophrastus semper habebat in ore: *Nullum esse sumptum pretiosorem tempore. Solum enim hoc recuperari non potest, et tamen vulgo nihil vitium habetur tempore.* Ita Laert. 1. 5. Simonides interrogatus: *quantum temporis vixisset?* Tempus quidem, ait, exiguum, annos autem multos. Ita Stobæus serm. 96. Plutar. in vita Antonii: *Temporis, ait, iactura damnosissima.* M. Varro dicere solebat, nullam iacturam esse graviorem, præsertim scienti, quam temporis: Seneca ad Lucil. *Omnia, mi Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est: in luvius rei unius, fugacis ac lubricæ, possessionem natura nos mittit.* Ovidius:

*Utendum est ætate, cito pede labitur ætas,*

*Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.*

Merito ergo monet Sapiens: *Fili conserva tempus, et devota a malo, Eccles. 4. 23.* Et Apost. *Videte fratres, quomodo evate ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapien-*

Trea Iesus typi Iesu Christi tripliciter.

Vers. 2.

Raro Prælati liber a culpa subditorum.

Historia Zorobabelis apud Darii.

Tropol.

Tempus est mensura, non otii, sed pii negotii.

Gnomæ de temporis.

tes, redimentes tempus, Ephes. 5. v. 15. Vide ibi dicta. **A**dente eius regno nemo illi bellum moverit. Romanus vero Senatus, inquit M. Varro, ita magni religionem fecit, ut quotiescumque a magistratu coactus ille esset, hoc ipsum quod primo proponebatur, ad religionem pertineret, nullaque quamquam gravior causa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteverteret. Nimirum eo respectu, quod religio et timor Dei solus sit, qui custodit hominum inter se societatem, ut ait Lactant. lib. de Ira c. 12. quodque omnia prospera eveniant colentibus Deum, adversa spernentibus, ut ait Livius l. 5. Hinc Cyrus apud Xenophontem l. 8. Cambysem filium admonet, ut nihil publicum vel privatum agat, nisi prius ad Deum confugerit (notent hoc et imitentur Principes Christiani) et nisi prius eius voluntatem agoverit: quia mundus, inquit, erroribus est refertus: Deus vero, ut qui semper fuit, præsentia, præterita et futura agnoscit et moderatur: atque invocatus preces exaudit eorum, qui religionem et pietatem colunt, ac multis signis eis quid agere debeant, ostendit. Quocirca Cicero lib. 1. de Natura deorum: *Pietatem tolli necesse est, et iustitiam virtutum omnium excellentissimam.* Et Silius lib. 4.

Vers. 5.

Vers. 4.

**N**UMQUID TEMPUS VOBIS EST UT HABITETIS IN DOMIBUS LAQUEATIS, ET DOMUS ISTA DESERTA?) Hic incipit prima Aggæi prophetia, *laqueatis*, id est, fornicatis, concameratis, fornice sive testudine tectis: hoc enim significat Hebr. שֶׁפְּחִימִים *sephunim*; Chald. *quæ tectæ sunt tabulatis cedrinis*; Sept. *κοιλιοσφύμοις*, id est, concavis, aut potius, ut S. Hieron. interpretatur, *deorsum positis et in convalle demersis*; Ambr. l. 3. epist. 12. vertit, *exaltis*. Solent enim fornices domorum illustrium et templorum variis picturis et cælaturis exornari, uti Romæ in plerisque basilicis factum videmus. Est argumentum a minori ad maius, q. d. Vobis suppetit tempus, animus et sumptus ad construendas vobis domos, non tantum necessarias, sed et delicatas ac pretiosas, puta cælatas et laqueatas: ergo multo magis tempus, animus et sumptus vobis suppetere debet ad ædificandam domum Dei, quæ plane diruta est. Vultisne ut Deus habitet in pavimento ventis et pluviis exposito, vos vero in domibus egregie et eleganter tectis? Itane vos vestra commoda Deo antefertis? Itane sinitis eum degere incommodissime, dummodo vos laute degatis et vivatis? *Itane habitaculum deum; in quo fuerunt Sancta sanctorum, et Cherubim, et mensa propositionis, pluviis rigabitur, squalebit solitudine, æstu torrebatur?* ait S. Hieron.

In fabrica urbis primo erigendum est templum.

Docet hic Deus, fidelibus primam debere esse curam templi et sacrorum, ac cum resp. vel urbs nova erigitur aut restauratur, primo erigendum esse templum, et cultum Dei stabilendum. Ita fecit Salomon, qui prius ædificavit domum Deo, deinde sibi, 3. Reg. 6. 1. iuncto c. 7. 1. Ita et David Psal. 131. 3. *Si introiero, ait, in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei: si dederò somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Ita Moses in Sina formans remp. et Ecclesiam Hebræorum legibus a Deo acceptis, ante omnia fabricavit tabernaculum, quasi mobile templum Deo, eum area, Cherubim, etc. idque iussu Dei, Exod. 25. et seq. Ita Constantinus Magnus Imp. mox ut Imperium ante Gentilitium, nunc Christianum, Christianus ipse administrare cepit, ante omnia basilicas angustissimas, Lateranensem S. Salvatoris, Vaticanam S. Petri, Oslensem S. Pauli, Veranam S. Laurentii, aliasque plurimas Deo in honorem Sanctorum exædificavit. Illum in hac pietate secuti et æmulati sunt eius successores, Gratianus, Theodosius, Honorius, Marcianus, Carolus, etc. qui proinde opibus, victoriis, regnis a Deo dotati et ditati feliciter, æque ac iuste et religiose Imperium administrarunt, illudque firmarunt et amplificarunt.

Idem fecere Gentiles.

Idem lumine et duce natura viderunt Gentiles, licet eo ad sua idola, utpote idololatræ, abusi sint. Romulus Romæ conditor, cum primis urbis fundamentis, templa Iovi Statori et Feretrio dedicavit, teste Livio lib. 1. Numam Pompilius, qui Romulo successit, scribit Plinius de viris Illustribus c. 2. ferum populum *religionis institutione et utilibus legibus domuisse, regnumque ita formasse, ut pen-*

**B** *ante eius regno nemo illi bellum moverit.* Romanus vero Senatus, inquit M. Varro, ita magni religionem fecit, ut quotiescumque a magistratu coactus ille esset, hoc ipsum quod primo proponebatur, ad religionem pertineret, nullaque quamquam gravior causa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteverteret. Nimirum eo respectu, quod religio et timor Dei solus sit, qui custodit hominum inter se societatem, ut ait Lactant. lib. de Ira c. 12. quodque omnia prospera eveniant colentibus Deum, adversa spernentibus, ut ait Livius l. 5. Hinc Cyrus apud Xenophontem l. 8. Cambysem filium admonet, ut nihil publicum vel privatum agat, nisi prius ad Deum confugerit (notent hoc et imitentur Principes Christiani) et nisi prius eius voluntatem agoverit: quia mundus, inquit, erroribus est refertus: Deus vero, ut qui semper fuit, præsentia, præterita et futura agnoscit et moderatur: atque invocatus preces exaudit eorum, qui religionem et pietatem colunt, ac multis signis eis quid agere debeant, ostendit. Quocirca Cicero lib. 1. de Natura deorum: *Pietatem tolli necesse est, et iustitiam virtutum omnium excellentissimam.* Et Silius lib. 4.

*Primæ scelerum causæ mortalibus ægris, Naturam nescire Deum.*

**E**x adverso templorum et sacrorum eversores, everterunt pariter remp. æque ac se suamque stirpem. Antiochus Epiphanes, templi Indæorum profanator, fœda lue a Deo percussus, sero Numinis vindictam agnovit, dixitque: *Iustum est Deo subiici, et mortalem paria Deo non sentire,* 2. Machab. 9. Constantius Arrianus Imper. qui templa orthodoxis eripuit, et Arrianis transcripsit, a Iuliano Apostata, quem, utpote cognatum, collegam imperii designarat, imperio et vita pene privatus, tandem sacro igne percussus interiit, uti narrat Pompon. Lætus in eius vita. Iulianus, qui ex templis idola facere destinabat, in prælio adversus Persas sagitta cælitus ictus, occubuit, uti narrat Aurelius Victor in eius vita. Valens Arrianus, Constantii in scelere assecla, a Gothis fusus in tugurium se abdens, ibi ab iisdem concrematus est. Constantinus Copronymus, id est, stercorarius, qui uti stercore suo baptisterium dum baptizaretur, ita et sordibus hæresis ac sacrilegii sui fœdavit Ecclesiam, fœda lue percussus, partem animam exhalavit. Plura, si voles, vide apud Thomam Bozium lib. 22. de Signis Ecclesiæ.

Everentes temples templum everterunt resp.

Patrum nostrorum memoria Henric. VIII. Angliæ rex, schismatis Anglicani fax et auctor, qui monasteria et ecclesias, ac nominatim opulentiam illam S. Thomæ Cantuariensis basilicam expilavit, vel diruit, adeo ut de Angliæ sæculo præcedenti scripserit Poeta:

*Millia dena unus templorum sustulit annus.*

Henricus inquam, ad pauperiem reductus, corpore ita intumuit, ut alter Bacchus videretur, ac moriturus pateram vini astantibus præhibens: *Omnia, inquit, perdidimus amici.* Ita desperabundus sacrilegam animam effudit, uti refert Nic. Sanderus in Schism. Anglic. et alii.

Tropol. S. Ambr. in hunc Aggæi locum scribens, per domos cælatas accipit hypogæa, et voluptatum gurgustia: talia enim sunt hypogæa, id est subterranea habitacula: *Qui enim, ait, infra terram habitant, non possunt ædificare templum Dei, et dicunt: Non venit tempus ædificandi domum Domini: simul quia luxuriosum est hypogæa quærere, captantium frigus æstivum, eo quod resoluti delictis æstus aliter ferre ac tolerare non queant, et ideo requirant umbrosa penetralia: vel quod desidiosi ignava sub terris agant otia; deinde quod tenebrosa illos et opaca delectent magis, quibus operiri flagitia sua erendant, secundum illud Eccles. 23. Tenebræ circumdant me, et parietes quem vereor? Sed frustra hoc sperant, cum profunda abyssi et abscondita, Deus cernat. At non Elias in hypogæis, non Elisæus habitabant; sed in superioribus, etc. Ergo Sancti ascendunt ad Dominum, flagitiosi ad vitia descendunt: Sancti in montibus, eriminosi in vallibus. Deus enim montium est, et non Deus vallium.* Et mox: *Quomodo enim possunt tales homines templum ædificare, qui qua-*



*si feræ ac bestia in spelæa ferarum, et bestiarum latibula sese receptant, atque in focus se serpentum more demergunt, et consuetudine fraudulentæ vulpis infodiunt?*

Vers. 5.

**PONITE CORDA VESTRA SUPER VIAS VESTRAS.** Vias vocat opera, eorumque successum et fructum, q. d. Attenta mente perpendite opera vestra, scilicet seminandi, laborandi, comedendi, bibendi, vestiendi, negociandi; quodque ex eis parvum tuleritis fructum, scilicet parvum messem, parvum lucrum, parvam refectionem et calefactionem, tum hoc anno (erat enim iam Augustus et messis) tum præcedentibus a Cyro luc usque, ac simul examine causam huius infelicis successus, cur videlicet omnia vestra infausta sint et infeliciter cadant: ac invenitis non esse aliam, quam negligentiam vestram in instaurando templo. Ita Lyran. Votabl. Arias et alii, Secundo, q. d. Considerate quanta mala sitis passi ob vestram istam socordiam: quocirea exinde ponite corda in vias vestras, ac discite. quantum inter eorum rerum divinarum et eorumdem incuriam intersit: ita S. Hieron. Ac tertio, ponite corda, id est, adiciete mentes, et applicate animum, ut inveniam hanc maiore cura et studio compensetis, ut tanto sitis in fabrica hæc diligentiores, quanto hactenus fuistis negligentes. Sic enim sese explicat v. 7. dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras: ascendite in montem, portate ligna, etc.*

Aliter Pagain. prius enim verbum vertit per præteritum, posteriora per futurum: *Seminastis, ait, multum et inferetis parum: comeditis, et non saturabimini: bibetis, et non inebriabimini: induetis vos, et non calefacietis vos: et qui se locaverit mercede, locabit se mercede quæ erit, ac si poneret eam in sacculo pertuso, q. d. Ponite corda vestra, et considerate non tantum vias et actiones vestras præteritas, sed et futuras, ut ex utrisque eum eventu suo collatis, per experientiam discatis meum hoc oraculum esse verum, et ex Deo. Nam ex iis quæ seminastis, parum messis colligetis; ex cibo et potu non saturabimini; ex vestibus non calefietis: ex laboribus non ditescetis, quamdiu in hoc domus Dei neglectu persistetis. Et sic ex Hebræo verti potest: ibi enim verba sunt modi infinitivi, quæ ita sonant: *Seminare multum, et inferre (in borrea) parum: comedere, et non ad satietatem: bibere, et non ad ebrietatem: vestiri, et non caleferi; mercedes congregantem, congregantem in sacculum pertusum.* Qui infinitivi et per præteritum verti possunt, uti vertit Noster, Septuag. et Tigurina; et per futurum, uti vertit Pagain. et per præsens, uti vertit Chald. dicens: *Seminatis multa, et educitis modicum: comeditis, et non satiamini: bibitis, et non inebriamini: induimini, nec calefitis: qui operas suas locat, mercedem reportat maledictionem, puta infelicitatem, inopiam et penuriam; sicut ex adverso iusti ex laboribus suis referunt benedictionem, id est, rerum copiam, et abundantiam. Licet enim in Chaldæo sint particippia præsentis temporis, non verba, tamen hæc æquivalent verbis eiusdem temporis, uti et apud Hebræos: quia utrique earent verbis præsentis temporis, et pro eis utuntur participiis, ut dicant: *Seminatis multa, et educentes modicum, pro eo quod nos dicimus, Seminatis multa, et educitis modicum, etc.* Plenus erit sensus, si omnia tria tempora complectamur; quamdiu enim culpa, tamdiu durat et pœna. Propheta ergo ita recenset præterita et præsentia mala, ut simul minetur et futura, nam mores mutant, et pigritiam diligentia compensent. Has calamitates eis minatus erat Moses Deuter. 28. 38.**

Symbol.

Symbol. S. Hier. q. d. *Habulistis huc usque corda vestra vitii servientia sine ordine, sine præceptore, quocumque trahant desideria pergentes. Nunc autem Dominus vobis præcepit, ut ordinetis in se charitatem, et ponatis corda vestra super vias vestras, ut nihil absque iudicio et consideratione faciatis, sed semper ante pedes vestros legalis lucerna præcedat, et dicatis: *Lucerna patrum meorum lex tua, et lux semitis meis.* Cor enim, quia non sedes, ut aliqui Physici voluerunt, sed origo (ex corde enim oriuntur spiritus animales, qui menti, rationi et contemplationi deserviunt) et symbolum est sensus communis, rationis, prudentiæ*

et sapientiæ, uti ostendi Ezech. 36. 26. hinc pro iis in Scriptura sumitur.

Tropol. S. Greg. hom. 10. in Ezech. *Multum, ait, cor- Tropol. di suo seminal, sed parum infert, qui de mandatis celestibus, vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit et non satiatur, qui verba Dei audiens, lucra vel gloriam sæculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur, qui aliud mandit, et aliud esurit. Bibit, et non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Vide et Haymonem in hunc locum.*

**ET INTULISTIS PARUM.** Hoc et plura Iudæis comminatus fuerat Dominus Levit. 26. si Deum Deique cultum negligenter. Notent hoc agricolæ, discantque se parum fructuum ex ampla semente subinde colligere, quia neglexerunt Dei templum, Missas, festa, invocationem et cultum: qua de re extant exempla luculenta in vitis Sanctorum. Deus enim punit fame et pauperie neglectum sui et sacerorum, ac multo magis tropol. punit neglectum sanctificationis animæ, quam in templum Dei virtutibus construere et ornare debemus: ita S. Hieron. et Theodor.

Vers. 6.

**COMEDISTIS, ET NON ESTIS SATIATI.** Hoc rursus eis comminatus erat Dominus Levit. 26. 26. *Comeditis, et non saturabimini. Qui vero sanctus est, ait, S. Hieron. usque ad satietatem comedet, et explebitur in illo quod scriptum est, Prov. 13. 25. Iustus comedens replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.*

**BIBISTIS, ET NON ESTIS INEBRIATI.** Id est, satiati, refectioni, exhilarati. Sic fratres Ioseph in eius convivio dicuntur inebriati cum eo, id est, saturati et hilares effecti, Genes. 43. 34. Sic et Cant. 5. 1. *Bibite et inebriamini*, id est, satiamini, *charissimi.* Psal. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, id est, ita replebuntur et exhilarabuntur, ut videantur esse ebrii. Unde explicans subdit: *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Porro causa cur bibentes non sint satiati, fuit, partim quia parum uvarum et vini collegerunt, partim quia uvæ fuerunt evanidæ et exsuecæ, ac villum dederunt, non vinum; forte etiam, quod Deus iratus vino, æque ac pani, vim, et vigorem nutriendi satiantique ademerit, non concurrendo cum eis ad nutritionem et satiationem, idque in pœnam peccati Hebræorum. Eadem causæ sunt cur vestibus non sint calefacti.

Symbol. S. Hieron. Peccatores vino sapientiæ et gratiæ Dei destituti sitiunt, iustus vero eo abundans inebriatur, qui potest dicere ad Dominum: *Calix tuus inebrians quam præclarus est! psal. 22. et inebriatur cum Noe: et licet in Ægypto constitutus, tamen in convivio Ioseph cum Patriarchis et fratribus vino madet. Iste præ magnitudine laticæ et quotidiano gaudio, cum Apostolis versus in extasin, appellabitur musto plenus, Actor. 2. Et S. Gregor. homil. 10. in Ezechiel. *Solet, inquit, per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quæ sunt huius sæculi adipisci desiderat, bibit et inebriatus non est. Si enim inebriatus esset, procul dubio mentem mutasset, ut iam terrena non quæreret, iam vana et transitoria quæ amaverat, non amaret. De electis namque per Psalmistam psalm. 35. dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibimetipsis extranei esse videantur, implentes quod scriptum est: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, Matth. 16.***

Ebrietas spiritalis quæ?

**ET QUI MERCEDES OPERARUM SUARUM, LABORUM ET NEGOTIATIONUM CONGREGAVIT, MISIT EAS IN SACCULUM PERTUSUM.** Id est, eas perdidit, ac si misisset in hursam pertusam per quam in terram decidunt et amittuntur. Est catachresis. Similis paræmia est Plauti in Pseudolo: *In pertusum ingerimus dicta doliuum, operam ludinum.* Et illa Aleiphronis apud Athen. 1. 4. *In Danaïdum doliâ amphoras infundimus.* Fingunt enim Poetæ Danaïdes doliâ pertusis haurire apud inferos aquas, ad quas Medea:

*Vos quoque urnis quas foratis irritus ludit labor.*

Et illa Aristotel. lib. 1. Œconom. cap. 6. *Cribo aquam hauris*. Unde illud quod pueri audivimus: *Haurit aquam cribo qui discere vult sine libro*. Similes sunt: In aqua sementem facis: In saxis seris: In aqua scribis: In arena ædificas: Oleum et operam perdis: Reti ventos venaris: In aere piscaris: Arancarum telas texis: Nugas agis: Undas numeras: Arenam metris. Hæc omnia verissima sunt, quando invito, vel irato Deo aliquid molimur.

Moral. Notent hoc operarii, mercenarii et mercatores, nimirum suos labores, operas et mereimonia, quibus noctu diuque sese fatigant, incassum cadere ob neglectum Dei cultum et gratiam. Vide Levit. 26. v. 14. et Deuter. 28. 18. Quare si ea utilia velint, si luerum et divitias inde eupiant et captent, Deum colant et invocent, iuxta illud Christi Matth. 6. 33. *Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hæc omnia adicientur vobis*. Hinc Apostoli tota nocte piscantes nihil ceperunt, quia sine Christo piscabantur: mox autem ut in nomine Christi laxavit rete Petrus, conclusit piscium ingentem multitudinem, Lucæ 5. 5. quia, ut ait Psaltes psal. 126. 1. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*. Et ut ait Apost. 1. Corinth. 3. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*.

Saccus  
pertusus  
mystice  
triplex.

Mystice mittit mercedes in sacculum pertusum. Primo, qui post bona opera et merita in peccatum mortale prolapsus, ea sordidat, perdit et dissipat: ita S. Hieron. Secundo, qui bona opera malis actibus perdit, qui scilicet bona opera, quæ ante oculos habet, considerat, et culparum quæ inter ea irrepunt, obliviscitur: aut post bona ad vana et mala redit, ut v. g. bonum quod plangendo lucratus est, mox nimie ridendo perdat, inquit S. Gregor. Homil. 4. in Ezechielem et parte 3. Pastor. admon. 22. *In sacco, inquit, pertuso videtur quando pecunia mittitur, sed quando amittitur non videtur: qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sacco mercedes mittunt: quia profecto has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt*. Tertio, qui virtutum opera faciunt, ob vanam gloriam, puta ob ostentationem: ita Remig.

Denique apposite Auctor quidam antiquus hæc Aggæi verba adaptat regibus, qui magna tributa subditis indicunt, sed inde non ditantur, quia ea illico in suos parasitos effundunt: *Pertusus, inquit, iam pridem est regius fiscus, et nihil retinet, sed omnia effundit, ut possit de illo recte dici illud Aggæi: Qui congregavit mercedes, misit illas in saccum pertusum. Videmus in sacco pertuso nihil immissum posse diu contineri, sed quod una ex parte ingeritur, ex altera effunditur: quodque ex superiori parte accipit, mox per inferiorem destitit. Quæ sunt autem sacci pertusi duo foramina nisi duo vitia, quæ prima specie videntur contraria, sed subinde in principibus sunt coniuncta, nimia scilicet cupiditas aliena habendi, et immoderata prodigalitas habitu largiendi? Prima congregat, secunda dispergit? prima infundit, secunda effundit: prima ingurgilat et semper esurit, secunda etiam cum satvra est, fragmenta proicit. Prima sollicitari de futuro videtur: secunda improvida nec præsentia regit, nec futura prospicit. Prima est os sacci supremum semper paratum ad accipiendum, secunda foramen inferum, quod nunquam clauditur, sed iugiter patet ad late spargendum. Liqueat ergo quod pecunia talibus angariis collecta, nihil principibus proficit, qui semper ex tempore illo quo ista fieri ceperunt, inopes et egeni fuerunt, et infinito oppressi ere alieno. Deinde ostendit ista nec aulicis, quibus donantur, prodesse. Fallitur autem quisquis existinat aulicis, qui totum fere accipiunt, ista profutura, qui tandem celesti eos urgente iudicio, aut a principibus, quos spoliaverunt, solent spoliari: aut ab eorum hæredibus vel successoribus, qui se per illorum insidias tanta exutos hæreditate conspiciunt; aut ab illis qui divino instinctu reipubl. per tales collapsam relevare aggrediuntur, non solum glutula coguntur evomere, sed suis pessimis consiliis prostratæ patriæ pœnas debitas coolecre. Quocirca tales pestes, tales furias,*

*A regum pariter ac regni exterminatrices, a principum necesse est societate longius abalienari, nisi irreparabiliter regnum ipsum deperire volumus. Hoc est enim capitale et lethale regni vulnus*. Sapienter dixit Livius lib. 22. *Privatæ res semper offecere officientque publicis*. Et Tacitus l. 1. *Histor. Pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas*. Clamat Amos cap. 9. v. 1. *Avaritia in capite omnium*. Quod est autem populi caput, nisi de quibus dictum est: *Optimates capita populorum?* Discant ergo principes, eorumque consilarii illud Sapient. Prov. 25. 2. *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum: aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius*. Aufer scilicet Harpyias istas voraces, peculatu infames, quæ saccum ærarii publici pertundunt, illumque depeculantur, et iusta erit publicorum vectigalium, opumque (quæ reip. sunt firmamentum) distributio.

ASCENDITE IN MONTEM. ) Libanum: inde enim utpote vicinum, et cedris aliisque arboribus abundantem, ligna succidit Salomon pro templo et domibus suis. Idem fecerunt Zorobabel et Iudæi in restauratione templi, ut patet 1. Esdræ 3. 7. ita S. Hieron. Chald. Theodor. et alii. Ex Libano ergo præcidite et portate ligna ad fabricam templi. Aiunt Hebræi, inquit S. Hieron. *sola tantum ad contignandum ligna fuisse necessaria, stantibus muris templi post incendium*. Sed errant: funditus enim dirutum est templum a Chaldæis. Id patet ex eo, quod Zorobabel et Iudæi reædificantes templum, ima eius fundamenta iecerint, uti dicitur 1. Esdræ 5. 16. et cap. 6. 3. Ex quibus locis liquet, sub Cyro iacta esse fundamenta templi, et parietes erectos. Unde sub Dario tantum opus fuisse lignis ad contignationem, et ad tectum, uti hic dicitur, eaque de causa hic tantum lignorum comportandorum fit mentio.

Tropolog. S. Hieron. *Ascendamus, ait, in montem rationabilem, et ad singula problemata congrua de testimoniis Scriptur. ligna quærentes, præcidamus, et ædificemus domum sapientiæ in nobis: postquam enim hæc fuerit extructa, finis ædificationis eius erit, ut Dominus glorificetur in nobis*. Porro domus et templi huius fundamentum iacendum est fides, pavimentum humilitas, antemurale patientia, altare oratio, tectum charitas, quatuor parietes quatuor virtutes cardinales, pinnaeculum spes. Vide dicta Ezech. 40. sub initium. Hoc est quod ait Apostolus 1. Corinth. 3. 9. *Dei ædificatio estis. Unusquisque autem videat quomodo superædificet*, etc. Et v. 16. *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis*. Et Ephes. 2. 22. *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu*.

ET ACCEPTABILIS MIHI ERIT. ) Hebraice *וְאֵינִי בָּרְצָה* *veartse bo*, id est, ut Septuag. et Pagnin. *complacebo in ea*; Tigurina, *et gratum mihi erit*; Vatabl. *et erit mihi beneplacitum in eo*, ac proinde orantes in eo, vel versus illud exaudiam, uti promisi Mosi Deuter. 12. v. 11. et Salomoni, 3. Reg. 8. 29.

ET GLOBIFICABOR. ) In eo colar et celebrabor hymnis, psalmis, votis, orationibus, oblationibus, victimis, etc. ac vicissim gloriam et beneficentiam meam in eo vobis ostendam. Nota. In Hebræo est *keri* et *ketiv*, id est, varietas lectionis et seriptionis. Seribitur enim *עֵבֶדֶךָ* *eebedek*, id est *glorificabor*, sine *he*, sed legitur per *he* paragogicum, quod proinde ad marginem annotatur. Quocirca Rabbini et Talmudiei, ut R. Elias, R. Salomon, R. David, et ex iis Galatinus lib. 4. cap. 9. Genebrard. in Chron. Arias, Ribera et a Castro hic, huius varietatis hanc causam assignant, quod littera *he* apud Hebræos sit nota numeri quinarium, ut significet quinque defuisse in templo secundo, quæ fuerunt in primo: quæ proinde Deus per suam præsentiam et gloriam se hic compensaturum pro-secundo mittit. Quinque hæc sunt: primo, arca testamenti; secundo, Urim et Tammim in Rationali pontificis, per quæ pontifex consulens Deum, accipiebat ab eo responsa, et co-primus.

gnoseebat futura; tertio, ignis sacer celo lapsus ad comburendas victimas; quarto, presentia Dei in Sancto sanctorum super propitiatorium et Cherubim; quinto, Propheta et prophetia. Arca enim defuisse in secundo templo, liquet ex 2. Machab. 2. 4. Ubi narratur, quod Ieremias imminente excidio Hierosolymæ, cam e templo extulerit, et absconderit, dixeritque: *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat Iudæis*: quod erit in fine mundi, cum eos colliget in Ecclesiam Christi, et salvabit. Quare arca testamenti quæ hic Romæ ostenditur in basilica Lateranensi, non est arca a Mose fabricata, sed eius imago et representatio, quam Iudæi, primæva arca Mosnica, continentem urnam eum manna, et tabulas decalogi digito Dei inscriptas, destituti, ad eius similitudinem efformarunt, et in templo (ut dicitur) collocarunt. Sed ignem sacrum in secundo templo defuisse, falsum est; nam is sub Iuda Machabæo et Nehemia, in repurgatione templi illi cælitus restitutus est, ut patet 2. Machab. 1. 32. Id tamen verum est, si de igne primævo ad Aaronis et Mosis sacrificia delapso loquamur. Hic enim absconditus a Ieremia, postea requisitus non comparuit, uti ibidem dicitur. Similiter oraculum Urim et Tummim in secundo templo defuisse videtur, saltem pluribus annis. Nam de eo sic scribit Ioseph. lib. 3. Antiq. cap. 12. *Cessavit itaque essen* (hebr. *chosen*, id est, Rationale, in quo erant Urim et Tummim) *et sardonix splendescere annis ducentis antequam ego hæc scriberem, cum Deus moleste ferret legum transgressiones.* Ubi Nota, Iosephum meminisse tantum splendoris Rationalis non oraculi: quare oraculum multo ante cessasse videtur. Unde Arias, Vatabl. et alii censent, per *το glorificabor* significari, quod Christus *he* deficiens in *eccebedæ*, id est, quinquæ hæc dona, sua presentia et gloria sit suppleturus, quando in secundo templo versabitur, docebit, facietque miracula, de quo plura c. 2. 7. Quamobrem pro *אכבד eccubeda*, id est, *glorificabor*, aliis panctis legi posset active *אכבד echbod*, id est, *glorificabo*. Ita legisse videtur Chald. dum vertit, *placebit mihi, ut collocem maiestatem meam in ea in gloria*: licet enim invisibiliter Dei maiestas semper habitavit in templo, visibiliter tamen in eo habitavit quando Verbum incarnatum, puta Christus, illud sua presentia et maiestate corporaliter condecoravit. Aptius forte dici posset, *he* subintellectum in *eccebedæ*, id est, *glorificabor*, significare, quod Christus futurus sit gloria secundi templi, sed arcana, et Iudæis occulta. Tradunt enim Cabalistæ, *he* significare personam mediam in SS. Trinitate, puta Filium, per quem quasi ideam et verbum omnis res *היה הויה* *haia*, id est, existit et creata est; unde nomen *Iehova* in se continere SS. Trinitatem. *Iod* enim initiale denotat Patrem, qui est SS. Trinitatis origo: *he* Filium; *vau* Spiritum sanctum. Porro geminari *he* in *יהוה Iehova*, ut significetur gemina Christi natura, divina et humana.

Vers. 9. RESPEXISTIS AD AMPLIUS.) Sperastis vos habituros messem peramplam, et ecce panca collegistis: et paucum quod convexistis in horrea, ego Dens *exsufflavi illud*, id est, flatu et nutu meo feci evanescere, seu redegere in nihilum, uti segetes solet exsufflare ventus urens, dum grana adurit et desiceat, itaque folliculos inanes relinquit. *Cum iam candescerent segetes*, inquit S. Hieron. *et messium tempus instaret, et frumenta vos in manibus tenere putaretis, messuistis vacuos culmos et inanes stipulas. Plenæ erant aræ, spes in oculis, luctus in manibus. Sed et hoc quoque ipsum quod vix de multa segete, et infinitis acervis fuerat electum, intulistis in domum et virtute mea dispersum est. Exsufflavi enim illud, et redegere in nihilum; quia frumentum emortuum, et vacui folliculi, quæ utilia esui sunt, farinam et similitam non habebant.* Qui et tropol. addit: *Quoties vidi ego tam in doctrina, quam in conversatione de quibusdam sperata plurima, et postquam ventum est ut haberent tempus messium, id est, tempus docendi, vitamque suam in exemplum præbendi populorum, de excelso præcipitalos, et minus inventum in eis quam opinio sibi omnium promittebat. Unde accidit, ut paulatim*

*negligentia surrepente, parvum quoque ipsum quod videbantur habere, perderent. Hoc autem idcirco perpessi sunt, quod securi fuerunt in pristinis domibus suis, nec ascenderunt Scripturæ montem, edificationis de eo Dominicæ ligna cadentes, nec extruxerunt in se quotidie domum Domini. Hanc enim causam subdit Propheta: Quia domus mea deserta, et vos festinastis unusquisque in domum suam; Tigrina, quia domus mea adhuc deserta est, vos autem curritis ut quisque domum suam habeat, hoc est satagitis quisque rerum suarum, et interim negligitis res divinas: ita Vatabl.*

PROPTER HOC SUPER VOS PROHIBITI SUNT CÆLI.) Sic et Vers. 10. Chald. vertit per præteritum, *idcirco ob scelera vestra cessaverunt cæli ab emittenda pluvia, et terra cessavit ad edendos fructus.* Possunt rursus hæc et sequentia verti per futurum cum Septuag. *propter hoc cælum abstinebit a rore, et terra subtrahet germina sua*: quia Dei creatoris sui iniuriam sentiunt, eamque ulciscuntur.

ET VOCAVI SICCITATEM SUPER TERRAM.) Et inde con- Vers. 11. sequenter sterilitatem, penuriam, ut vertit Chald. et famem, ac consequenter morbos et pestes, imo lites, iras et bella, quæ ex hac aeris et frugum inflammatione ac defectu nascuntur. Unde Septuag. pro *חרב choreb*, id est, siccitate, legentes *חרב choreb*, id est, gladium, vertunt *inducam gladium super terram, gladium* intellige vel proprie dictum, puta bella iam dicta; vel metaphoricum, puta siccitatem et famem, quæ instar gladii homines eueat et succidit: ita a Castro. Sic enim in Script. gladius, vel ignis generalia sunt nomina, et quamlibet cladem significant. In Hebræo est elegans paronomasia, qua poena alludit ad culpam: quia, inquit, domus mea *חרב choreb*, id est, deserta est, hinc ego pariter vocavi *חרב choreb*, id est, siccitatem, vel *חרב choreb*, id est, gladium, qui simili modo vos desolabit, facietque domos vestras desertas. Sic Iudæi, quia deseruerunt et spreverunt Christum, hinc ab eo vicissim audierant, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, Matth. 23. 38.

Tropol. *Hæc universa, ait S. Hieron. possunt de Ecclesie rectoribus intelligi, qui ædificantes carnalem domum, liberisque suis et possessionibus providentes, non curant vel in seipsis extruere templum Dei, vel Ecclesiam Domini, quæ infecta et diruta est, instaurare: quorum sæpe vita et sermo incongruus scandalizat plurimos, et de Ecclesia ciicit, et ad solitudinem perducit domum Dei, ut propter eorum vitium, nec cæli rorem, nec terra det germeum, etc.* Hac de causa Deus quovis sæculo excitavit insignes Pontifices, Doctores, fundatores Ordinum, viros sanctitate et sapientia illustres, qui ruinas Ecclesie restaurarent, eamque verbo et exemplo exædificarent. Tales fuere S. Athanasius, Basilius, Nazianz. Chrysost. Augustin. Hier. Ambrosius, Benedictus, Bernardus, Dominicus et Franciscus, qui vivens Innocentio III. Pontif. per visionem apparuit quasi sustentans ruentem basilicam Lateranensem, ubi Pontifex Pontificiam habet cathedram: qua visione motus Pontifex, eius regulam et Ordinem mox approbavit. Quin et idem Sanctus, simili viso ad idipsum a Deo vocatus est. Nam, ut narrat S. Bonav. in eius Vita c. 2. *Cum in Ecclesiam S. Damiani quæ minabatur ruinam, causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem crucifixi, in eamque lacrymosis oculis intendens, vocem de ipsa cruce dilapsam ad se corporeis audivit auribus, ter dicentem: Franciscus, vade et repara domum, quæ, ut cernis, tota destruitur. Tremefactus Franciscus mentis alienatur excessu. In se tandem reversus, totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Ecclesia reparanda; licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit, sicut cum Spiritus sanctus edocuit, et ipse postmodum Fratribus revelavit.* Subdit S. Bonavent. cum deinde tria templa instaurasse, scilicet S. Damiani, S. Petri et S. Mariæ de Angelis, ut significaretur quid facturus esset in posterum. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ductu, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam, Christi triformiter renovanda erant Ecclesia, trinaque triumphatura

*militia salvandorum*, puta triplex Ordo ab eo erat institutus, qui omnes Ecclesiæ status reformaret. Hi sunt quos in spiritu prævidens Isaias, gratulabundus eis accinit, c. 58. 12. *Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis: et vocaberis ædificator septium, avertens semitas in quietem.* Denique S. Chrysost. orat. 3. contra Iudæos t. 5. docet, eum qui animam convertit, maius gratiusque donum Deo offerre, quam si templum ei construeret: *Unicum, ait, templum diruit Deus Hierosolymis, et innumerabilia erexit, illo longe venerabiliora. Vos, ait, estis templum Dei viventis. Et inferius: Hæc est maior elemosyna quam decem millia talentorum, quam hic mundus universus, quantus quantus undique patet oculis. Siquidem homo est toto mundo pretiosior. Huius enim causa et cælum, et terra, et mare, et sol, et stellæ condita sunt.*

Vers. 12. **SICUT MISIT EUM DOMINUS.** Pro *sicut* hebr. est **כַּאֲשֶׁר** *caeser*, quod vel causam significat, q. d. Quia miserat Aggæum Dominus, hinc populus audivit eum: vel modum, q. d. Eo modo populus audivit et obedivit Aggæo, quo Deus eum miserat, nimirum, verba eius non in alium sensum detorsit, sed plane ea accepit iuxta mentem Domini, prout ea protulerat et explicarat Aggæus, itaque eadem mox opere complevit. Vera enim obedientia consistit in eo, ut verba præcepti non sinistre interpretemur, non ad nostrum placitum explicemus et torqueamus, sed ea simpliciter accipiamus et exequamur iuxta mentem præipientis: ita a Castro.

Vers. 15. **ET DIXIT AGGÆUS NUNTIUS DOMINI DE NUNTIIS DOMINI.** To *nuntiis* potest accipi dupliciter, Primo, in genere neutro, q. d. Qui erat Domino a nuntiis, id est, a legationibus, uti vulgo dicimus: Hic mihi est a pedibus, a consiliis, a litteris: ita Arias. Unde hebr. est **מְלַאכֹות** *malachut*, id est, ut Tigurina, Pagnin, et alii vertunt, *et dixit Aggæus, legatus Domini in legatione Domini*, id est, qui fungebatur legatione, ad quam eum legarat et miserat Dominus. Unde Syrus vertit, *dixit Aggæus angelus Domini in angelatione Domini*, hoc est *legatus*, vel *nuntius in nuntiatione Domini*, ut vertit Arabicus, qui scilicet mittebatur a Domino ad populum, ut ei Dei iussa nuntiaret. Secundo, et plauis, masculine, q. d. Dixit Aggæus, qui erat nuntius et legatus unus ex probatissimis nuntiis et legatis Domini, cui proinde merito Zorobabel et populus fidem præstitit. Simili hebraismo et geminatione dicitur Genes. 19. *Pluit Dominus a Domino.* Identidem inculcat Aggæus se mitti et loqui ex Deo, ut oraculis suis fidem conciliet, et acrius moveat pigrum populum ad fabricam templi, utpote quam iterum iterumque iubeat et urgeat Deus, simul promittendo, ad eam suam opem et protectionem. Legit interpres eum Septuag. alio

A puncto **בְּמְלַאכֹות** *bemalachot*, id est, in angelis, sive legatis et nuntiis: licet enim sit hoc nomen Hebræum femininum, tamen masculine sumitur, significatque rei, puta legationis, excellentiam. Sicut *Ecclesiastes* hebraico vocatur **קְהֵלֶת** *kohelet* fœminine, q. d. Concionatrix, ob concionis præstantiam. Mulieres enim in eloquio sunt facundæ, disertæ et præstantes, miramque habent dicendi, in animum influendi et persuadendi vim. Ita Septuag. qui vertunt, *εγγελοῦς*, id est, *in, id est, ex, angelis*, hoc est nuntiis. Sic et S. Hieron. Remig. et alii. Hic sensus eodem redit, et coincidit cum priore. Ex hoc loco Orig. uti tacito nomine refert hic S. Hier. suspicatus est Aggæum non fuisse hominem, sed angelum incarnatum, uti dixi in præmio; sed temere. Hebr. enim **מְלַאכֹות** *malach*, angelum significat, non tantum natura, sed et officio, id est, legatum, nuntium, ut vertit Noster, Septuag. Chald. et alii. Hinc tamen disce dignitatem Aggæi. Unde Septuag. vertunt, *dixit Aggæus angelus Domini in angelis Domini*, id est, angelus inter angelos selectus et electus. Ex Hebræo veritas, *dixit Aggæus angelus Domini in evangelio Domini*, vel, *nuntius in annuntiatione Domini*. Christi enim ortum et redemptionem annuntiat festive cap. 2. 7. Simili modo ultimus Prophetæ vocatur *Malachias*, id est, angelus Domini. Et Ioannes Baptista ob angelicam vitam et prædicationem vocatur *angelus*, Malach. 3. 1. *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Sic Christus Isaia 9. 6. a Septuag. vocatur *magni consilii angelus*, id est, nuntius. Videant hic dignitatem suam Prophetæ, id est, doctores et prædicatores, sciantque se esse angelos in Evangelio Domini, se esse legatos et nuntios Dei. Ita S. Paulus 2. Corinth. 3. 20. *Pro Christo, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconcilianini Deo.*

**EGO VOBIS SUM.** Non loquitur, inquit S. Hieron. *ad Zorobabel et Iesum, cum quibus, et in quibus semper erat Dominus: sed ad populum, qui timuerat a facie Domini, q. d. Ego ero vester adiutor, ædificate domum meam quæ in vobis destructa est: me in medio vestri constituto, nemo ædificationem vestram prohibere poterit.*

**ET SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM ZOROBABEL, ET SPIRITUM IESU.** Ut regnum et sacerdotium ædificent et templum Dei, ait S. Hieron. *suscitatur etiam spiritus populi, qui in eis ante dormiebat: non corpus, non anima, sed spiritus, quæ magis ædificare scilicet templum Dei.*

Tropol. *Suscitatur in nobis Spiritus sanctus, ut ingrediamur domum Domini, et faciamus opera Domini* Porro suscitavit Deus spiritum, id est, mentem animumque populi, excitando illum ut alacriter et strenue intenderet fabricæ,

## C A P U T S E C U N D U M .

### S Y N O P S I S C A P I T I S .

Tres prophetiæ c. 2. **Primam Aggæi prophetiam audivimus cap. 4. hic audiemus tres legationes quæ consecutæ sunt. Prima est v. 4. qua incitat Iudæos ad fabricam templi, promittendo maiorem eius fore gloriam quam fuerit templi Salomonici, eo quod in illo docturus et miracula facturus sit Christus, cuius adventum cunctis gentibus toti que orbi desideratum fore prædicit, adeo ut in eo commovenda sint cælum et terra, mare et arida. Secunda est vers. 11. qua Iudæos in inchoata fabrica tardiores et tædio affectos, quod dicerent sufficere altare ad victimas, nec opus esse integro templo, redarguit, asserendo Deum nolle altare sine templo: altaris enim locus, domus et decus est templum. Quod si ædificare pergant, promittit eis frugum abundantiam. Tertia est v. 21. qua Zorobabeli ob præstitam in fabrica diligentiam pollicetur, quod Christus ex eius stirpe nascetur, cui Deus eversis aliis regnis, dabit regnum æternum.**

1. **I**N die vigesima et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis. 2. In septimo mense, vigesima et prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: 3. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, et ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, et ad reliquos populi, dicens: 4. Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? 5. Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus: et confortare, Iesu fili Iosedec sacerdos magne: et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: et fa-

eile quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum. 6. Verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti: et spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. 7. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum, et terram, et mare, et aridam. 8. Et movebo omnes gentes: Et VENIET DESIDERATUS eunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. 9. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. 10. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. 11. In vigesima et quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens: 12. Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: 13. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non. 14. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt: Contaminabitur. 15. Et respondit Aggæus, et dixit: Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum: et omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. 16. Et nunc ponite corda vestra a die hæc et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. 17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et ficerent decem: et intraretis ad toreular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et siebant viginti. 18. Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum: et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus. 19. Ponite corda vestra ex die ista, et in futurum, a die vigesima et quarta noni mensis: a die, qua fundamenta iacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. 20. Numquid iam semen in germine est: et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam. 21. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima et quarta mensis, dicens: 22. Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego movebo cælum pariter et terram. 23. Et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium: et subvertam quadrigam, et ascensorem eius, et descendent equi, et ascensores eorum: vir in gladio fratris sui. 24. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus: et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

Vers. 1. **IN DIE VIGESIMA ET QUARTA MENSIS, IN SEXTO MENSE, IN ANNO SECUNDO DARI.**) Hæc verba pertinent ad finem capituli præcedentis, indeque pendent. Significant enim a Iudæis inchoatum fuisse opus, et fabricam templi die 24. mensis sexti, scilicet tunc cœpisse eos materiam præparare, ligna cædere et aptare. Nam fabrica ipsa inchoata est die 24. mensis noni, ut dicitur v. 11. Caput ergo secundum proprie inchoatur a v. 2. alioqui enim versus secundus pugnaret eum primo, ut patet intuitu: ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Remig. Haymo, Lyran. Vatabl. et alii passim. Similem diastolem irrepsisse Jerem. 28. 4. censet S. Hier. et alii. Vide can. 33. in Proœmio.

Cœpit ergo Aggæus c. 1. 1. hortari Iudæos ad opus die prima mensis sexti, perrexitque quotidie eos urgere ad illud per 23. dies, tandemque perpulit eos, ut die 24. opus inchoarent. Eum imitentur concionatores, ut constanter pergant in arguendis vitis, nec cessent, donec animos audientium permoveant ad illa extirpandum. Sicut enim *gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo*; ita dura et lapidea hominum corda non vi, sed crebra munitione et inculcatione eiusdem rei mollienda sunt. Ita S. Chrysost. in homiliis ad populum, crebro invehitur in iurandi consuetudinem, ac hæc de re murmurantibus respondet, se non destitutum, donec ipsi eam correxerint: omnia enim vincit constantia et perseverantia. Quocirca S. Paulus præcipit Timotheo epist. 2. c. 4. 2. *Prædica, inquit, verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

Vers. 2. **IN SEPTIMO MENSE, VIGESIMA ET PRIMA MENSIS, FACTUM EST VERBUM**) Ergo hæc Prophetia, quæ ordine est secunda, mese pene integro fuit posterior inchoatione fabricæ; hæc enim inchoata est die 24. mensis sexti, ut dictum est v. 1.

Vers. 4. **QUIS IN VOBIS EST DERELICTUS, QUI VIDIT DOMUM ISTAM IN GLORIA SUA PRIMA?**) Qui scilicet viderit prius templum Salomonis augustum, antequam illud cum urbe everteretur a Chaldæis.

**ET QUID VOS VIDETIS HANC NUNC?**) q. d. Qualem, quam vilem et exilem videtis fore secundam hanc domum Dei quam ædificatis, si comparetur cum templo Salomonis? iam pridem enim eius fundamenta erant iacta sub Cyro, a quorum exiguitate et vilitate colligere licebat, exiguum et vilem fore fabricam. Templum autem Salomonis augustissimum aliqui viderant, alii tale fuisse a patribus audierant. Nam Iudæi Babylone redeuntes, utpote

A pauci et pauperes, templum ædificabant ex lapide vulgari et imposito, cum Salomon illud construxisset ex lapidibus politissimis, iisque validis et pretiosis, 3. Regum 6. Secundo, templum hoc iussu Cyri altitudinem, æque ac latitudinem, habiturum erat sexaginta dumtaxat cubitorum, 1. Esdræ 6. Salomonis vero duplo erat altius et latius: erat enim 120. cubitos altum, æque ac latum. Quocirca templum hoc secundum, intra prioris septa ædificatum est, illius ruinis extra in circuitu relictis; quibus demolitis usque ad fundamenta, iisdem inædificavit suum templum Herodes, si credimus Iosepho lib. 15. Antiq. 14. Quocirca cum primo hoc templum fundaretur anno 1. Cyri, *principes patrum et seniorum qui viderant templum prius, flebant voce magna*, ait Esdra lib. 1. c. 3. 12. Unde liquet multos vidisse utrumque templum; nam ab eius excidio, quod contigit anno 11. Sedecie, usque ad primum annum Cyri, fluxerunt anni 59. inde usque ad annum 2. Darii fluxerunt anni 11. qui prioribus additi faciunt 70. Qui ergo 80. erant annorum, poterant prius templum vidisse, eiusque magnificentie optime meminisse. Sane Esdras vidisse certum est: nam parens eius Saraïas pontifex, occisus est in excidio urbis et templi: quare necesse est, ut Esdras ante illud ab eo genitus sit. Esdras autem prorogavit vitam post Darium usque ad Artaxerxem, cuius fuit pincerna, uti ipse narrat l. 1. c. 7. Sic et Daniel annis 8. ante excidium urbis et templi, puta anno 3. Ioakim abductus est in Babylonem, uti ipse ait c. 1. 1. Daniel autem vixit usque ad finem regni Cyri, ut patet ex eius c. 10. 1. imo, si Hebræis credimus, vixit usque ad Artaxerxem Longimanum. Idem patet de Mardocheo patruo Esther Nehem. c. 7. 7.

**QUASI NON SIT.**) Septuag. *et quomodo videtis ipsam nunc, sicut non existentem?* Chald. *nonne quasi res nihili, sic et ipsa est in oculis vestris?* Si nimirum comparetur eum magnificentia templi Salomonis, quam vel vidistis, vel ab iis qui viderunt, audistis.

**FAcite.**) Scilicet opus in domo mea, inquit S. Hieron. **FAcite** et alii mox citandi. Verum Hebr. et Romana *το facite* referunt ad *verbum*, quod paulo post sequitur, q. d. Facite verbum quod pepigi, etc. Unde intermedia, scilicet *quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum*, interceptum et includunt parenthesi.

**VERBUM QUOD PEPIGI.**) Est hic duplex disjunctio, et consequenter duplex sensus. Prior *verbum* accipit in nominativo, illudque refert ad sequentia, q. d. Facite opus

in templo quod iubeo, quia *verbum*, id est, pactum et fœdus quod vobiscum pepigi per Moſen in Sina, quoque promisi me fore vestrum Deum et protectorem, vos tutabitur contra Samaritas volentes impedire templi fabricam, et contra alios quoslibet hostes: quia scilicet ego idipsum quod olim in hoc fœdere promisi, nunc opere præstabo et reipsa exequar: ita Septuag. Chald. S. Hieron. Theodor. Haymo, Lyran. et Pagnin. Sic mystice *Verbum* est filius Dei, Iudæis promissus quasi Messias, ut hic significetur sancta Trinitas, nimirum Pater dicit: *Ego vobiscum sum*. Filius est Verbum, Spiritus sanctus est spiritus qui cum eis erit, scilicet per effectum gratiæ, opis et protectionis, quam eis præstabit: ita S. Hieron. Albertus, Nyssenus, Haymo et alii mox citandi. Favet Chald. dum vertit, *verbum meum erit vobis auxilio*. Unde et mox Propheta pergit prophetare de Christo dicens: *Adhuc unum modicum, etc. et veniet Desideratus cunctis Gentibus*. Posterior dis- punctio planior est, ut *verbum* sit accusativi casus (hunc enim notat articulus *וְ* et, qui ordinarie accusativo, raro nominativo servit) et referatur ad *facite*, q. d. Facite verbum, id est, legem, quam in pacto vobiscum inito, quasi conditionem fœderis a vobis præstandam exegi: ego vicissim præstabo quod meum est, nimirum opem quam vobis promisi, faciendamque ut spiritus meus providus, vigil, acer, potens et efficax sit in medio vestri, vosque tueatur, corroboraret, adiuvet et propugnet: ita Hebræi et Arias. Hunc sensum exigit parenthesis Romanis Bibliis interiecta, et Hebr. articulus *et*, uti paulo ante dixi.

**ET SPIRITUS MEUS ERIT IN MEDIO VESTRUM.** ) *Spiritus*, tum increatus, isque duplex: prior, in Deo essentialis, qui est ipsa mens et potentia divina, cuius dotes describit Sapiens cap. 7. 22. dicens: *Est enim in illa (sapientia divina) spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capit omnes spiritus*. Posterior, notionalis, puta Spiritus sanctus, de quo hunc locum accipiunt S. Hieron. Theodor. Remig. Haymo, Arias hic, et S. Athanas. epist. ad Serapionem, Cyrillus catech. 19. ac Nyssenus l. Testimon. contra Iudæos de Sanctissima Trinitate, ubi sic legit: *Confirmare Zorobabel, quia ego vobiscum sum, et verbum meum bonum, et spiritus meus in medio vestrum*; ex eoque probat in una Deitatis essentia esse trinitatem personarum: *Quid enim, inquit, opus erat trium mentionem facere, si non unum quodque proprium est in propria subsistentia personæ?* Spiritui sancto enim appropriatur amor, cura, protectio, favor, auxilium, quæ hic Deus se spiritu suo præstiturum Iudæis promittit; ut sit in medio eorum, sicut spiritus noster medius est in corpore, et Spiritus sanctus est in medio Ecclesiæ. Secundo, Spiritus hic increatus ex se diffundit spiritum creatum sibi similem. Unde Albertus per spiritum hunc accepit spiritum sapientiæ, virtutis et fortitudinis, quem Deus aspiravit Mosi, et per eum septuaginta senioribus ad iudicandum, dirigendum et regendum populum Israel, Num. 11. 25. Accedunt Hebræi, qui per spiritum accipiunt prophetiam. Unde Chald. vertit, *Prophete mei docebunt vos, ne timeatis*, q. d. Dabo vobis Aggæum, Zachariam et Malachiam Prophetas, qui vos in opere dirigant, amiment, corroborent, Deumque in dubiis omnibus consulant. Malachias enim fuit ultimus Prophetarum, nec post eum Iudæi alium usque ad Christum habuerunt, inquit S. Hieronymus, et idipsum fatentur Hebræi. Possumus tamen generalius et plenius hunc spiritum accipere, q. d. Ego spiritu meo vobis adero, vobisque aspirabo spiritum providentiæ, fortitudinis, alacritatis, æque ac artis architectonicæ, ut eo vegetati opus hoc fabricæ templi alacriter, fortiter, provide, æque ac sapienter et afflabre suscipiatis et peragatis. Itaque spiritus hic inter alia significat artem architectonicam: hæc enim maxime necessaria erat in fabrica templi. Significat ergo, quod, sicut olim illam spiritu suo aspiravit Beseleel in fabrica tabernaculi, Exodi cap. 31. 2. ita nunc eandem Iu-

Spiritus  
multi-  
plex.

Spiritus  
pro arte.

**A**dæis aspirabit in fabrica templi, dabitque insignes architectos, fabros et opifices. Discant hic architecti et opifices, artes etiam mechanicas esse dona Dei. Unde sæpe in iis excellunt, qui pii sunt, Deumque ad id invocant.

**ADHUC UNUM MODICUM EST, ET EGO COMMOVEBO.** ) Est hebraismus, q. d. Post modicum tempus commovebo cælum, etc. Certum est Prophetam loqui de Christo, eiusque primo in carnem et mundum adventu. De eo enim explicat Apostolus Hebr. 12. 26. et passim Patres, S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Albert. Hugo, Lyran, Arias, Clarius, Vatabl. hic et S. August. 18. Civit. 33. S. Ambr. 1. 3. epist. 12. Cyrill. 1. 5. in Genes. quin et Hebræi apud Galatin. 1. 4. c. 9. et 10. Consolatur enim Propheta Hebræos pusillanimes et mæstos, quod viderent fabricam templi secundi tam fore exiguam, vilem, et quasi nullius momenti, si compararetur cum fabrica Salomonis. Consolatur, inquam, hoc argumento, quod Deus magis gloriatur sit templum secundum quam primum, eo quod in secundo daturus sit Christum doctorem et salvatorem, ideoque in eius adventu commoturus sit cælum et terram, omniaque elementa, in quibus mira, magnifica et gloriosa sit patraturus ad gloriam Christi, et consequenter templi.

Nota. Ab hac prophetia, facto anno 2. Darii Hystaspis, usque ad ortum Christi fluxerunt anni 517. uti dixi in præmio. Hi tamen vocantur hic tempus modicum, tum quia Prophetis elevatis ad Deum Deiæ æternitatem, omnia tempora, æque ac terrena et sæcularia, videntur, et revera sunt modicum quid, imo punctum, vel momentum dumtaxat. Simili modo S. Ioann. epist. 1. c. 2. 18. tempus legis novæ vocat *horam novissimam: Filioli, ait, novissima hora est*. Tum quia modicum erat respectu temporis elapsi ab orbe condito, et a lapsu Adæ, a quo mox Deus promisit Salvatorem Christum, Gen. 3. 15. Cum enim hæc dixit Aggæus, elapsi erant a genesi mundi anni 3431. ita Lyran. et Vatabl. Addit Arias, esse modicum respectu legis Christianæ, quæ iam duravit 1624. annos, et plures durabit.

Modicum  
omne  
sæculum.

**C** Pro *unum modicum*, Septuag. et eos secutus S. Paulus Hebr. 12. 26. vertunt *αὐτῶν*, id est, *semel*: quia Hebr. *אֶחָד* *achat*, id est, unum, sumitur pro *semel*: intelligitur enim *אֶחָד* *paam*, id est, vice, q. d. Una vice, id est, *semel*. Vox *semel* significat unicam tantum legem Christi et Evangelii, successuram legi Mosaicæ et Prophetis, post quam nulla alia sit expectanda, ita ut ea finita venturum sit Christi iudicium, resurrectio, vita et gloria æterna his qui eam observaverunt.

**COMMOLVEBO CÆLUM ET TERRAM.** ) Ut omnes homines et angelos, per multa magnaque prodigia excitem ad attentionem operis magni, quod patraturus sum, scilicet ad Christi incarnationem, legislationem et redemptionem; sicut Iudæos olim per similia excitavi in Sina, ad excipiendam legem veterem per Moſem, ut iisdem tam Mosi, quam legi auctoritatem conciliarem et pondus adderem: ita S. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Roman. Nota, licet S. August. lib. 18. de Civit. c. 48. et Rupert. hic, hanc commotionem cæli et terræ accipiant de signis et potentis præviis diei iudicii, et iudicii Christo, deque resurrectione et glorificatione Beatorum, de quibus Matth. cap. 24. tamen ad litteram accipiendam esse illam, quæ facta est in primo adventu Christi in carnem, puta paulo ante eius incarnationem, ut censent Hugo, Lyran. et Clarius: vel eo incarnato, docente, patiente, resurgente et mittente Spiritum sanctum in Apostolos: ita S. Hieronymus, Remig. Haymo, Albert. Arias hic, Ambros. lib. 3. epist. 12. et August. lib. 18. de Civit. cap. 35. Hæc enim commotio facta est ad hoc, ut significaret legem veterem in novam, Moſem in Christum, Prophetas in Evangelium, Iudaismum et gentilismum in christianismum esse commutanda, uti docet S. Chrysost. hom. 14. in Matth.

Quæres primo: Quænam veniente Christo facta est commotio in cælo? Respond. Prima fuit, quod eo ipso die, imo hora et momento, quo Christus natus est, angeli apparuerunt pastoribus, eiusque ortum annunciarunt cum iubilo cauentes: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax ho-*

Commotio  
cæli  
nascente  
Christo.  
1.

*minibus, Lucæ 2. 17.*

II. Secunda, quod stella insoliti splendoris Magis apparuerit, eosque ex Oriente vocarit et deduxerit ad Christum, Matth. 2. 1.

III. Tertia, quod paulo ante Christi ortum sub initium imperii Augusti, horu circiter tertia, repente liquido ac puro cælo, circulus ad speciem celestis arcus orbem solis ambiit, quasi unum eum ac potentissimum in hoc mundo, solumque clarissimum in orbe monstraret (Augustum Cæsarem) cuius tempore venturus esset, qui ipsum solem solus mundumque totum et fecisset, et reget, inquit ex Svetonio Orosius lib. 6. histor. c. 18. Quid enim circulus hic vestiens solem, nisi humanitatem, quæ divinitatem Christi quasi percelius relavit et vestivit, significavit?

IV. Quarta, quod globus aurei coloris Romanis visus sit e cælo ad terram descendere, ibique maior effectus, rursus in cælum ascendere, ac solem obtegere: ita Orosius ibidem.

V. Quinta, quod uno anno ante Augusti imperium, sub quo natus est Christus, visi sint tres soles in unum coire, inquit Euseb. in Chronico. Sequenti anno, inquit Dio, et ex eo Baron. visus est sol intra tres circulos effulgere, quorum unum corona spicarum ignita circumdabat; quod tamen Dio censuit fuisse prognosticon Triumviratus Augusti, Antonii et Lepidi; cum verius significatus fuerit verus sol Christus Dominus, qua Deus in tribus circulis, id est, personis divinis, per περιχωρησαι, id est, circuminsessionem existens; et qua homo factus, tribus substantiis, puta deitate, anima et carne, constans.

VI. Sexta, vivente Christo Spiritus sanctus in eum dum baptizaretur, specie columbæ e cælo descendit. Vox Patris audita est: *Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3. 17. Eadem audita est in transfiguratione, ubi Christus cælesti gloria coruscus resplenduit, ac Moses et Elias e cælo lapsi affuerunt, Matth. 17. 5.

VII. Septima, angeli tum in passione, tum in resurrectione, tum alias sæpe ei ministrarunt, Ioann. 1. 51.

VIII. Octava, in passione eius sol in plenilunio, cum maxime distat a luna, quæ eius eclipsim causare solet, eclipsi universali plane obscuratus, mortem sui Creatoris pullatus luxit, adeo ut Dionys. Arcopagita exclamarit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur*, uti ipse refert scribens ad Apolophanem.

IX. Nona, quod 40. post resurrectionem die, visibiliter eorum discipulis gloriosus in cælum ascenderit, Actor. 1.

X. Decima, quod inde quinquagesimo die miserit Spiritum sanctum specie linguarum ignearum, cum ingenti fragore, in Apostolos, Act. 2.

XI. Undecima, quod Augusto Cæsari e cælo Virgo Deipara, infantem ulnis gestans apparuerit in Capitolio, eum iam ante ipse oraculo Apollinis edoctus natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium indixisset, eidem in Capitolio aram erexisset, hoc titulo: *Ara primogeniti Dei*. Quocirca Constantinus Magnus ibidem templum erexit in memoriam Dei genitricis Mariæ, quod etiamnum exstat, et vulgo *Ara calii* nuncupatur: ubi et locus visionis Augusti ostenditur: ita ex Suida, Nicephoro et aliis Baron. in Apparatu Annal. Addunt multi, id per Sibyllam Augusto ostensum fuisse; sed per Sibyllam intelligunt prophetissam aliquam illius ævi. Nam inter Sibyllas proprie dictas ultima fuit Cumana, quæ diu ante Augustum vixit sub Tarquinio Superbo.

Commotio terræ nascente Christo.

I.

Quæres secundo: Quænam commotio facta est in terra? Resp. Prima est, quam hisce verbis describit Orosius lib. 6. c. 20. et lib. 7. c. 2. *Annus nativitatis Christi quantus, quam novis, quamque inusitatis bonis abundaverit, satis etiam me non profereute compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe una pax omnium, non cessatione, sed abolitio bellorum: clausæ Iani gemini portæ, extirpatis bellorum radicibus, non repressis. Census ille primus et maximus fuit, cum in unum Cæsaris nomen universa magnarum gentium creatura iravit, simulque per communionem census unius societatis effecta est; videlicet ut Augustus sua monarchia sterneret viam vero monarchiæ Christi,*

Asto, eiusque Evangelio in totum orbem per suum caput, puta per Romam, propagando, uti advertit S. Leo hom. 1. de S. Petro: *Disposito namque divinitus operi, inquit, maxime congruebat, ut multa regna uno confederarentur imperio, et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis.* Porro quod de Iano, tempore Christi tertio clauso, asserit Orosius, subdubitat Baron. eo quod veteres non nisi bis Iani clausi meminerint. Verum verisimile est Orosium, veterem et gravem historicum, a S. Augustino laudatum, id a veteribus accepisse, nec id ex se confinxisse, uti recte advertit noster Barradius tomo 1. lib. 8. cap. 12.

Secunda, quod ex Sibyllarum oraculis edicentibus, sub illud tempus ex Oriente venturum regem, qui orbi dominaretur, Romani, aliæque gentes, eius partim melu, partim expectatione commotæ fuerint. Audi Tacitum l. 21. *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudæa rerum potirentur; quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant.* Ita ipse, utpote Gentilis, oraculum de Christo ad Vespasianum detorsit. Idem habet Svetonius in Vespasiano c. 4. qui et addit Iudæos hac de causa, spe scilicet regis sui Messie mox affuturi, rebellassè Romanis, ideoque a Tito esse excisos.

Tertia, quod ante Christum oraculum Delphicum, aliæque siluerunt, teste Cicerone l. 2. de Divinat. Arnobio l. 3. contra Gentes, et aliis. Unde et ex Paxo insula vox audita, *Magnus Pan mortuus est*, teste Eusebio l. 5. de Præpar. c. 9.

Quarta, quod anno tertio triumviratus Augusti, puta 40. annis ante nativatem Christi, Romæ trans Tiberim e taberna meritoria per totum diem fons olei largissimus e terra profluit. Quo signo, ait Orosius l. 6. c. 20. *quid evidentius, quam in diebus Cæsaris Augusti futura Christi nativitas declarata est? Christus enim unctus interpretatur. Itaque cum eo tempore, quo Cæsari perpetua tribunitia potestus decreta est, Romæ fons olei per totum diem defluxit; significavit, per omne tempus Romani Imperii Christum, et ex eo Christianos, id est, unctum, et ex eo unctos, de meritoria taberna, id est, de hospitali largaque Ecclesia, affluenter atque incessabiliter processuros.* Hic ergo fluxus olei e terra portendit Christum in terra nascurum, et viscera misericordiæ in nos effusurum. Unde et de eo dicitur Cant. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum.* Meruit locus ille, inquit Baron. nobilissima memoria illustrari, ecclesia nimirum amplissima, Dei Genitricis titulo, a Callisto Pontifice prima omnium, quarum exstat memoria, olim creata: ubi in ipsissimo loco e quo oleum profluit, in prisci miraculi testimonium, isla epigraphæ inscripta legitur: *In hac prima Dei matris æde, taberna olim meritoria, olei fons e solo erumpens, Christi ortum portendit.*

Quinta, quod in Capitolio, inquit Dio lib. 37. *multæ statuæ de cælo tactæ, liquefactæque fluxerant, decemque erant tum alia simulacra, tum Iovis columnæ insistentes: præterea imago lupæ, cum Remo et Romulo consecrata, ceciderat: litteræ etiam in columnis, in quibus leges scribebantur, oblitteratæ atque confusæ erant.* Unde Svetonius in Augusto cap. 94. ait: *Prodigiæ Romæ factum, quo denuntiabatur regem populo Romano naturam parturire. Unde senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur.*

Sexta, quod Augustus noluerit amplius Dominus nominari, inquit Svetonius in Augusto cap. 53. quasi interno Dei instinctu præsentiens adventare Christum, verum cæli terræque dominum.

Septima, quod Christo puero fugiente infanticidium Herodis, mox ut Ægyptum intravit, Ægypti idola corruerunt, uti passim tradunt veteres, quos citavi Isaia 19. 1.

Octava, quod Christo patiente petre scissæ sunt, et tota terra ingenti terræ motu quasi indignans, et parans ulcisci necem sui Creatoris, concussa est, et, si credimus Origeni, e suo centro convulsa est. Unde de eo Plinius lib. 2. cap. 48. *Maximus, inquit, terræ memoria morta-*

lium exilitit motus Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis.

MARE ET ARIDAM. ) Per aridam oppositam mari, vel accipe insulas eum Lyranò; vel certe totum reliquum orbis, quod terra occupat, spatium; ut terram, quam paulo ante nominavit Propheta, id est, globum terræ, qui constat ex aqua et terra, subdividat in mare et aridam; perinde ac in genesi mundi Deus ea dispescuit: Et vocavit aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria, Genes. 1. 10.

Commo-  
tiones  
in mari  
1.  
2.  
3.  
4.

Porro commotiones in mari variæ sub tempus Christi factæ sunt. Prima, per bella navalia, ac præsertim Actia- eum, quo Augustus profligata classe Antonii, factus est monarcha, teste Svetonio. Secunda, quod in Britannia ingens excitata fuerit maris tempestas, adeo ut insulani dicerent aliquem ex demonibus vel heroibus defecisse: ita ex prisca Historiæ a Castro. Tertia, quod Christus maris procellas sedaverit, et super undas maris ambulavit; quin et easdem S. Petrum calcare fecerit. Insuper in passione eum terræ motu concussit terram, concussit pariter et mare. Quarta, quod Deus insulanos omnes commoverit audita fama Christi et Evangelii, ad fidem eius capessendam; alios vero in infidelitate obstinatos commoverit, id est, occasionem dederit ad illud persequendum et extirpandum. Audi S. August. lib. 18. de Civit. cap. 35. Movit, ait, cælum, angelorum et siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram, ingenti miraculo de ipso Virginis partu. Movit mare et aridam, cum et in insulis, et in orbe toto Christus unvantiat. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem. Audi et S. Ambros. in hæc Aggæi verba, sub finem tomi 2. Moverit ante hæc ( Deus cælum et terram ) cum de Ægypto liberaret populum suum, quando in cælo columna erat ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deserto messis quotidiana frugum cælestium ( manna ) multiplicabatur, petra solvebatur in fontes aquarum: sed movit et postea in passione Domini Iesu, quando cælum tenebris obductum, sol refugit, petræ scissæ, tumuli aperti, mortui resuscitati, draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum, non solum navigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus in messes cepit devotionis et fidei flavescere, etc. ut plures filii fierent desertæ, quam eius quæ habebat virum: et floreret desertum ut lilium, Isaïæ 35.

Commo-  
tionum  
causæ.  
1.  
2.  
3.

Causæ, eur cælum, terra, mare et arida in incarnatione Christi concussa fuerint, sunt multæ. Prima, quia quasi admirata sunt, et obstupuerunt tantum Christi exinanitionem, æque ac charitatem. Secunda, ut torpentia hominum corda excitarent, ad tam insolitum prodigium, eaque saxea mollirent, ad hanc Christi dignationem digno amore et gratitudine excepiendam. Tertia, quia omnes creaturæ per Christum restauratæ, imo quasi deificatæ sunt, dum per Christum Verbo Dei sunt unitæ: omnium enim creaturarum compendium et microcosmus est homo. Dum ergo Christus hominem assumpsit, omnes creaturas assumpsit: hinc in eius incarnatione commotæ sunt, quia gavisæ sunt, et præ gaudio quasi exilerunt; præsertim quia per eum sperant, et sperant liberationem a corruptione et miseria, quam cum homine incurrerunt per peccatum Adæ, iuxta illud Apostoli Rom. 8. 19. Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat: vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.

Vers. 8.  
Commo-  
tio Gen-  
tium  
multi-  
plex.

ET MOVEBO OMNES GENTES. ) Primo, per bella civilia, quæ gesta sunt inter Augustum, Antonium et Lepidum triumviros, quibus debellatis Augustus constituit se monarcham: ita Mariana. Secundo, in censu quo omnes profecti ad suas civitates, cogebantur profiteri se Augusto esse subiectos. Tertio, per prædicationem et miracula Christi et Apostolorum, perque portenta edita in cælo et in

terra, tam nascente, quam patiente Christo, quæ iam recensui, commotæ sunt Gentes ad pœnitentiam, et ad fidem Christi capessendam. Unde pro movebo hebr. est הָרַעְשֵׁת הַגּוֹיִם hirasti, id est percellam, trenefaciam, pavorem et trepidationem inficiam; Septuag. στρογγύσω, id est quatiar, concutiam: ita S. Hieron. et eius asseclæ; unde noster Emmanuel: Movebo, inquit, stupore tanti mysterii, et lætitia, et vitæ innovatione omnes gentes.

ET VENIET DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS. ) Et, id est, quia, q. d. Commovebo cælum, terram, mare et aridam: quia veniet Messias, quem omnes gentes, imo omnes creaturæ desiderant: Christus enim est principium, exemplar, finis, nodus, vinculum, centrum, vita, salus, felicitas totius universi. Unde Apostolus Ephes. 1. 10. Proposuit ( Deus ) in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt. Ubi pro instaurare, græce est ἀνακαταστάσω, id est, recapitulare, ad caput revocare: Christus enim est anacephalæosis, id est, summa caput et recapitulatio, omnium operum Dei, visibilium et invisibilium. Vide ibi dicta. Quocirca omnes res feruntur in Christum, tamquam in eentrum, cui coniungi desiderant. Rursum omnes appetunt Christum, tamquam sacerdotem magnum, qui ab omnibus mala cuncta removeat, et bona cuncta procuret. Hoc est quod ait Christus: Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, Ioan. 12. 32. Christus enim est Antistes et Pontifex magni fani, id est, totius mundi. Nam, ut ait Philo lib. 1. de Monarchia, mundus est quasi templum sacrum Dei, cuius antistes est homo, ut pro omnibus Deo gratias agat, et ab eo singulis bona impetret, et mala avertat. Audi Lactant. lib. de Ira Dei cap. 14. Sequitur ut ostendam, cur fecerit hominem Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tamquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cælestium: solus enim est, qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem potestatemque perspicere, etc. Ideo sermonem solus accipit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare maiestatem Domini sui possit. Verum eum homines ad id non sufficient, et plerique in terram demersi ad cælum non suspiciant, nec Deum auctorem agnoseant; hiuc missus est Christus, qui quasi mundi Antistes id præstaret, Deoque debitam gratitudinem et cultum pro omnibus persolveret, et homines ad idem faciendum impelleret. Unde eius typo pontifex Aaronicus in veste gestabat totum orbem, iuxta illud Sapient. 18. 21. In veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum. Hinc et Christus dicitur portare omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1. 3. Hinc rursus ipse vocatur desiderium collium æternorum, id est, Prophetarum, Patriarcharum et illustrium Sanctorum, Genes. 49. 26. Unde Iacob ibidem v. 17. Salutare ( id est, salvatorem Christum ) inquit, tuum expectabo Domine. Et Isaïas cap. 45. 8. Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum: aperiat terra, et germinet salvatorem. Quin et Sibylla Cumana apud Virgil. eclog. 4. sic canit, sic gestit ad Christi ortum:

Ultima Cumæi venit iam carminis ætas,  
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:  
Iam nova progenies cælo demittitur alto;  
Iam redit et virgo, redeunt Saturniæ regna.  
Chara Deum soboles, magnum Iovis incrementum,  
Aspice venturo lætentur ut omnia sæclo, etc.

Christus  
est cen-  
trum et  
felicitas  
orbis.

Hebræa ad verbum habent, et venient desiderium ( vel desideria: pro חֶמְדָּת chemdat enim in singulari, alio puncto potest legi חֶמְדוֹת chemdot in plurali ) cunctarum gentium; Septuag. et venient electa omnium gentium, vel, ut S. Hieron. et August. 18. Civit 48. legunt, venient quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus: quæ sic exponunt, q. d. Non solum Indæi, sed et omnes Gentes quæ a Deo electæ fuerint, venient ad Christum: non enim omnes Gentes, sed tantum pars aliqua a Deo selecta, et ut pretiosus thesaurus desiderabilis, venit ad Christum. Ita S. Ioannes epistolam secundam inscribit: Senior electæ Domine. Unde Arabieus Antioch. vertit, venient populi cum



*desiderio*; Arabieus Alexandr. *venient gentes electæ*; Syrus; *afferent desiderium quod est cunctis gentibus*. Verius est Septuag. per *electa gentium* significasse Christum, qui unus est ex omnibus gentibus electus, per quem cæteri omnes electi et dilecti sunt a Deo; quem proinde omnes gentes elegerunt, adamarunt, desiderarunt et amplexi sunt. Hoc enim significat Hebr. *chemdat*; Pagnin. *et venient quæ sunt desiderium omnium gentium*. Minus recte vertunt R. David et Clarius, *et venient cum desiderio omnes gentes*, scilicet ut se, suaque omnia pretiosa et desiderabilia, quasi munus offerant Christo. Nam hoc ipsi supplent, cum id ipsum requirendum sit in Propheta: qui cum hic non aliud Christi epithetum assignet, quam *desiderium*, sequitur *desiderium gentium* non aliud esse quam Christum. Et ita exponunt Chaldaeus, Tigurina, R. Akiba apud Galatin. lib. 4. cap. 9. Unde hinc validum sumas argumentum contra Iudæos, quo probes iam venisse Messiam, nimirum: Aggæus consolatur Zorobabel et Iudæos in fabrica templi sui exilis et vilis, hortaturque ut in ea pergant, eo quod ad illud venturus sit Messias. Illud autem templum iam transiit, et destructum est a Tito et Romanis. Ergo pariter iam venit et transiit Christus. Quod enim Arias per desiderium, vel desideratum, accipit Spiritum sanctum, quem omnes gentes expectabant, ut curaret ipsorum infirmitatem, non Christum, absonum est, et contra omnes Interpretes. Messias enim Iudæis, uti fuit promissus, ita et desideratus, non Spiritus sanctus; quem e Iudæis pauci, ex Gentibus fere nulli cognoverunt. Unde Spiritus sanctus non Iudæis, sed Christianis a Christo est promissus et datus in Pentecoste. Communis ergo Hebræorum, Latinorum et Græcorum sententia est, per *desiderium* intelligi Christum: ita S. Hieron. Remig. Haymo. Albert. Hugo, Lyran. et alii.

Ubi Nota, Christum vocari desiderium, vel desideria omnium gentium, quia summe est desiderabilis. Licet enim Gentes infideles eum non desiderarent, imo eum non cognoscerent; tamen ipse in se summe erat, estque desiderabilis; ut sit metalepsis, q. d. Christus fuit desideratus cunctis gentibus, hoc est, omnes gentes summe egebant Christi adventu, ut e suis miseris liberarentur, ideoque non rationali, sed naturali appetitu eum desiderabant, sicut terra arida biando desiderat pluviam (egere enim, est tacite desiderare id, quod egestatem levet: unde nonnulli desiderare hic explicant per egere: ita Martin. de Roa lib. 1. Singul. cap. 13. in fine.) Quocirca Gentes mox ut de eius vita, doctrina, sanctitate et miraculis per S. Paulum et Apostolos inaudiverunt, mox ut Apostolorum prædicatione commotæ et compunctæ sunt, cum desiderare cœperunt; et quo magis cognoverunt, eo magis desiderarunt et adamarunt, adeo ut non tantum opes, sed et sanguinem vitamque libentes pro eo profunderent, ut patet ex tot centenis millibus Martyrum, qui primis trecentis post Christum annis toto orbe exstiterunt. Hinc Christus a Iacob patriarcha Genesis 49. v. 10. vocatur *expectatio Gentium*, præsertim ubi illæ per Apostolos cognoverunt, se, Iudæis incredulis exclusis, in familiam et benedictionem Abrahæ per Christum surrogandas esse. Hic ergo est, expressa prophetia de vocatioue Gentium. Porro Hebr. *חמדת chemdat*, concupiscentiam et desiderium non quale quale, sed ingens, ardens et æstuans significat. Unde Daniel cap. 9. 23. vocatur *איש חמודות is chamudot*, id est, vir desideriorum: quia inflammatis desideriiis æstuabat, orans ardentissime Deum pro liberatione populi. Sic Gentes credentes Apostolis fide, spe, et charitate inflammata æstuarunt in Christum, et alios ad eundem adamandum eodem æstu incitarunt, dicentes: *Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem*, Isaia 2. 3. Sic Cicero l. 14. epist. ad uxorem et filiam: *Valete, ait, mea desideria*.

Secundo, quia Christus omnia gentium desideria plene explevit et satiavit.

Tertio, desiderium hoc accipi potest, non gentium, sed

Christi, q. d. Veniet in carnem Christus, quia mire desiderat redimere et salvare omnes gentes, ac præsertim electos ex Gentibus, ut vertunt Septuag. sicut enim sponsus ardentem amat sponsam, ita Christus Ecclesiam, quæ pene tota collecta est e Gentibus, ac vicissim sua gratia efficit, ut Ecclesia ardenti amore ipsum, ut sponsa sponsum redamet. Hic amor sponsi et sponsæ toto libro Canticorum multis parabolis describitur. Eundem eructat Ecclesia in officio Ascensionis Domini:

*Iesu nostra redemptio,  
Amor et desiderium;  
Deus redemptor omnium,  
Homo in fine temporum;  
Quæ te vicit clementia,  
Ut ferres nostra crimina,  
Crudelem mortem patiens,  
Ut nos a morte tolleres?*

Et mox:

*Tu esto nostrum gaudium,  
Qui es futurus premium.  
Sit nostra in te gloria,  
Per cuncta semper sæcula. Amen.*

Denique Gentes ante Christum, credentes in Deum in lege naturæ, aut proselytæ et conversæ ad iudaismum, æque ac Iudæi expectabant ac desiderabant Christum, quasi salvatorem mundi, quasi iubar cælestis, quasi candorem lucis æternæ, quasi solem iustitiæ, qui totum orbem caligine infidelitatis et ignorantie offusum illuminaret, ac sedentes in tenebris et umbra mortis eriperet, sanaret, instilicaret et bearet. Talis fuit Iob, cum suis amicis. Tales Sibyllæ. Tales Adam, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, etc.

Anagog. Christus in calo est desiderium omnium Beatorum et Angelorum, tum quia omnes desiderant eius divinitate et humanitate frui et beari: tum quia ipse omnium desideria explet, satiât, inebriat: ita S. Aug. lib. 18. de Civit. 33. et Rupert. hic. Imo S. August. putat hunc esse sensum litteralem, motus hæc ratione: *Ut enim*, inquit, *desideratus esset expectantibus, prius oportuit eum dilectum esse credentibus*. Verum ad hoc paulo ante respondi. Desideratus enim idem est quod desiderabilis, optabilis. Aliter respondet Ioanu. Alba Electorum cap. 68. scilicet, dativos hosce *cunctis gentibus*, non pendere a voce *Desideratus*, sed a verbo *veniet*, q. d. Cunctis gentibus adveniet Christus salvator, cuius nomen in Scriptura est *Desideratus*, scilicet a Prophetis et Patriarchis. Verum Hebr. *חמדת chemdat*, id est, *Desideratus*, cum sit in regimine, necessario respicit regitque *כל גוים col goim*, id est, *cunctis gentibus*, uti sciunt hebraice periti; nisi alio puncto legas in plurali *חמדות chemdot*, id est, *desideria*, in nominativo absoluto. Tunc enim apte respondet verbo plurali *באו bau*, id est, *venient*, nec necessario respicit *eo cunctis gentibus*. Sensus tamen hic ætior et frigidior est.

Tropolog. Christus est omne desiderium animarum sanctarum, quæ nil aliud, nisi ipsi placere, ipsum in dies magis amare, magis colere, desiderant. Ita desideravit eum S. Ioanu. Apocal. 22. 20. *Veni Domine Iesu*. Ita desideravit S. Magdalena, quæ iure poterat dicere illud Cantie. 3. 2. *Surgam et circumibo civitatem, per vias et plateas, queram quem diligit anima mea*. Ita Isaia e. 26. 8. *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte: sed et spiritu meo in præcordiis meis mane vigilabo ad te*. Ita S. Ignatius prodians in amphitheatrum obiciendus leonibus, cum turbam spectantium hilari vultu circumspexisset, et salutasset: *Veni*, inquit, *ut bestiis obiciar, non ob aliquod maleficium, sed ut Christo meo me unicum, quem insatiabiliter sitio*. Ita S. Bernard. in hymno:

*Desidero te millics,  
Mi Iesu: quando venies,  
Me letum quando facies,  
Me de te quando saties?  
Iesu rex admirabilis,  
Et triumphator nobilis,*

Venisse Messiam convin citur ex Aggæo.

Christus est desiderium gentium.

Anagog.

Tropol. Sancti Iesum desiderant.

II.

III.

*Dulcedo ineffabilis,  
Totus desiderabilis.  
Quando cor nostrum visitas,  
Tunc luget ei veritas,  
Mundi vilescit vanitas,  
Et intus fervet charitas.*

*Iesu summa benignitas,  
Mira cordis iucunditas.  
Incomprehensa bonitas,  
Tua me stringat charitas.*

*O Iesu mi dulcissime,  
Spes spirantis animæ,  
Te quarunt pæx lacrymæ.  
Te clamor mentis intimæ.*

*Iam quod quæsi video,  
Quod concupivi teneo:  
Amore Iesu languo,  
Et corde totus ardeo.*

*O beatum incendium,  
Et ardens desiderium!  
O dulce refrigerium,  
Amare Dei filium!*

Quid enim? famas, et cibum appetis? Iesum desidera. Ipse est panis et refectio angelorum: ipse est manna, continens in se omnem saporis suavitatem. Sitis? Iesum concupisce. Ipse est puteus aquarum viventium, ita satians, ut amplius non sitias: ipse vinum mentem inebrians: ipse nectar et ambrosia. Eger es? Iesum adi. Ipse est Salvator, ipse medicus, imo ipsa salus. Moreris? Iesum suspira. Ipse est vita et resurrectio. Perplexus es? Iesum consule. Ipse est magni consilii angelus. Ignoras et erras? Iesum interroga. Ipse est via, veritas et vita. Peccator es? Iesum implora. Ipse enim populum suum salvum faciet a peccatis eorum: ad hoc venit in mundum; hic omnis eius fructus, ut auferatur peccatum. Tentaris superbia, gula, libidine, torpore: Iesum invoca. Ipse est humilitas, sobrietas, castitas, amor et fervor: ipse infirmitates nostras tulit, et dolores nostros ipse portavit, et etiamnum fert et portat. Desideras pulchritudinem? Ipse speciosus est forma præ filiis hominum. Desideras opes? In ipso sunt omnes thesauri, imo in ipso plenitudo divinitatis inhabitat. Ambis honores? Gloria et divitiæ in domo eius: ipse est rex gloriæ. Quæris amicum? Tui amantissimus est, qui tui amore e caelo descendit, laboravit, sudavit, crucem et mortem subiit: ipse pro te nominatim in horto oravit, et lacrymas sanguineas profudit. Quæris sapientiam? Ipse est Sapientia Patris æterna et increata. Optas consolationem et lætitiæ? Ipse est dulcedo cordium afflictorum, gaudium et iubilus angelorum. Optas iustitiam et sanctitatem? Ipse est Sanctus sanctorum: ipse iustitia sempiterna, iustificans et sanctificans omnes credentes et sperantes in se. Optas beatam vitam? Ipse est vita æterna: ipse Sanctorum felicitas et beatitudo. Ipsum ergo desidera, ipsum ama, ipsum suspira. In ipso invenies omne bonum: extra ipsum omne malum, omnem miseriam. Dic ergo cum S. Francisco: *Iesus meus, amor meus et omnia. Iesu decus angelicum: in aure dulce canticum: in ore mel mirificum: in corde nectar calicium.* Eia bone Iesu rumpe cataractas tui amoris, ut flumina eius, imo maria, defluant et depluant in nos, nosque inebrient, imo mergant et obruant.

Scripit D. Blossius Abbas Lætiensis, vir magnæ pietatis ac theodidactos, multa pia opusecula, illis qui in spiritu proficere cupiunt, valde sapida et prolicua: inter quæ extant aspirationes eius ardentes et crebræ per diem ad Iesum, Iesum desiderantibus crebro usurpandæ. E multis paucas hic subiteam: *Transfige unabilis Iesu, medullas animæ meæ suavissimo dilectionis telo: perfode cor meum ignea charitate, ut prorsus langueat anima mea tui desiderio, tota amore resolvetur, tota liquefiat, tota in te transeat.*

*Separa Domine mentem meam ab omnibus quæ sub celo sunt, ut ipsa tibi soli vivere intendat: ut solus illum ut proprius possessor inhabites. Descendat in me suavissimus odor tuus, veniat mihi divinæ charitatis tuæ inenarrabilis*

**A** *fragrantia, quæ puras et sempiternas in me suscitelet concupiscentias. Diligam te, quia prior dilexisti me.*

*O pelagus sanctæ dilectionis atque dulcedinis Deus meus, veni et tribue te animæ meæ. Da ut integro corde, pleno desiderio, flammantique affectu iugiter aspirem ad te, et suavissime respirem in te; te omni creaturæ præferam, propter te omni transitoria delectationi renunciem, o vera et summa exultatio mea.*

*O supereffluens abyssus divinitatis, trahe et immerge me in te, totam affectionem cordis mei ita abripe et tibi applica, ut ipsa ad cætera omnia sit prorsus ex animis. O dilecte mi, dilecte votorum meorum, concede, ut te inveniam, inventunquæ teneam, et brachiis spiritualibus arctissime constringam. Te desidero, ad te anhele, o beatitudo æterna. Utinam te mihi dones, et me tibi intime unias, atque mero divinæ charitatis totum inebries!*

**MEUM EST ARGENTUM.**) Primo, q. d. Ne obtendatis in fabrica templi vestram inopiam, ego spondeo me vobis opes ad illam allatim suppeditaturum: meum est enim omne aurum et argentum, ac proinde cuilibet illud distribuam.

Secundo, et magis connexe ad sequentia, q. d. Vos doletis de exilitate et vilitate fabricæ, quod non possitis æquare magnificentiam Salomonis, qui abundavit auro et argento. Verum scitote me hæc non quærere, nec iis indigere: meum enim est omne aurum totius mundi. Ex auro ergo magnificentiam fabricæ non æstimate, sed ex sanctitate et magnificentia sacerdotum et populi, qui templum hoc sunt frequentaturi. Ecce ego mittam Christum sacerdotem magnum, qui templum hoc vestrum sua præsentia, doctrina et miraculis magis ornabit, et magnificentiam reddet quam omne aurum, quo suum templum Salomon opplevit: ita Hugo, Clarius, Vatab. Burgensis, Emmanuel, Mariana et Galatin. loco supra citato. Est *παραρρηξια*, sive Concessio rhetorica. Similis est psal. 49. 10. *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ et plenitudo eius.* Et Isaia 1. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus: plenus sum.*

Tertio, alii sic exponunt, q. d. Licet vos sitis pauperes, ego tamen, qui sum ditissimus, tantum vobis auri et argenti in templi fabricam dabo, sicut maior sit eius gloria et opulentia, quam fuerit templi Salomonici: ita Theodor. Remig. Haymo, Lyran. et Ribera. Verum hoc non videtur verum, quia Salomonis fabrica fuit splendidissima: nec appositum, quia fabricam hanc præfert fabricæ Salomonis, non propter aurum, sed propter Christum, uti mox patebit.

Notat Anastasius Nicænus quæst. 9. in Scriptur. hisce Aggæi verbis, *Meum est argentum*, ab insipientibus additum fuisse: *Cui voluero dabo ipsum. Nam nullus, inquit, qui ex bellis, cadibus, furtis, periuriis, rapinis, numerumque corruptelis et iniuriis opes collegit, potest dicere se per eum esse ditatum, sed per peccatum maligni.* Quocirca Luceianus in Timone, satyricæ inducit Plutum, auri et argenti deum, cum a Iove, quasi a Deo optimo et æquissimo, ad quempiam mittitur, quasi claudum ægra et tarde progredi; eum vero a Dite, infernorum præside, aliquo amandatur, reectis pedibus, quasi explicatis alis illic advolare. *Nam et ipse, inquit, opum largitor est, ac magna donans, id quod ipso etiam nomine declarat.* Nimirum magis ditantur subinde qui diabolo serviunt, quam qui Deo, utpote qui per usuras, rapinas, fas et nefas aurum coaccervant, nulla conscientia habita ratione; sed tamen nec hi ditantur sine Deo, saltem permittente, qui potest ad libitum iis lucra et opes auferre, easque viris piis consignare, uti non raro facit. Nam

*De male quæsitis non gaudet tertius hæres.*

Tropol. *argentum* sunt Dei lex et doctrina: item gratiæ et dona, quibus Ecclesiam ditat et ornat; ita S. Ambros. 1. 3. epist. 12. Albert. Rupert. ac S. Hieron. quem audi: *Ego, inquit, argentum, quo domus Dei ornatur, existimo eloquia Scripturæ, de quibus dicitur psalm. 41. 7. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.* Sic Apostolus 1. Corinth. 3. v. 12. docet sanctos ædificare super fun-

damentum Christi aurum, argentum, lapides pretiosos; ut in uero sensus occultus sit; in argento sermo decens; in lapide pretioso opera Deo placentia. His metallis illustrior sit Ecclesia Salvatoris, quam quondam Synagoga fuerat.

Rursum S. August. hom. 30. inter 50. hunc ualidum telum torquet in avaros pro eleemosyna. Si, inquit, Dei est argentum et aurum, ergo cum habet ut ea aliis communiues, de re sua iubet: et cum facis eleemosynam, facis de re eius qui habet ut facias, non de re tua. Addit, Deum liberalibus dare aurum ad exercitationem humanitatis, auaris ad supplicium cupiditatis: Deus, inquit, vere et proprie suum dicit esse aurum et argentum, quod et largissimu bonitate condidit, et iustissimo administrat imperio, ut sine ipsius nutu ac dominatu nec mali, nisi ad acerrime supplicium, nec boni, nisi ad usum misericordiae, possint habere aurum et argentum. Facit ergo ut copia eius non extollat bonos, nec laedat inopia: malos autem, et eum offertur exerceat, et cum aufertur exerceat.

Vers. 10.

MAGNA ERIT GLORIA DOMUS ISTIUS NOVISSIMAE PLUS QUAM PRIMAE.) Magna, id est, maior. Hebraei enim cae-  
rent gradu comparativo, et eius uice utuntur positivo cum praepositione **מִן** *min*, id est, praeter, plusquam, q. d. Maius et gloriosius erit hoc templum posterius quod vos pauperes fabricatis, quam fuerit primum Salomonis, licet gloriosum auroque fulgidum: quia scilicet Christus, qui est gloria et splendor Patris, ac consequenter urbis et orbis, in hoc uostro templo offeretur Patri in festo Purificationis, docebit, saepe versabitur, miracula patrabit, instituet novam legem gratiae, et fundabit novam Ecclesiam, quae recta ducit ad caelum. Christum enim hic uocari gloriam domus, id est, templi secundi, patet ex v. 8. ubi ait: *Mouebo omnes Gentes, et ueniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria*, q. d. Desideratus cunctis gentibus, id est, Messias rex, quem exspectatis, qui commovebit et sibi subiget omnes gentes, sua praesentia et magnificentia domum istam gloria implebit.

Est hic duplex quaestio. Prior cum Iudaeis, posterior cum Christianis.

Prior quaestio cum Iudaeis.

Prior est: An ex hoc loco solide demonstrari possit Messiam iam uenisse? Asserunt Christiani, negant Iudaei. Prohant Christiani hoc argumento: Aggaeus ait Christum fore gloriam templi secundi, ideoque maiorem fore gloriam templi secundi quam fuerit primi Salomonici: ergo Christus uenit, et natus est stante templo secundo, adeoque in eo uersatus est et docuit, itaque ei gloriam hanc tantam consiguauit. Nam quoad aurum, opes, et caetera, certum est, gloriosius fuisse templum primum Salomonis secundo Zorobabelis: idque admittunt Iudaei, imo asserunt ipsimet quiuque res nobilissimas fuisse in templo primo, quibus caruit secundum; scilicet aream testamenti, Urim et Tummim, ignem caelestem, prophetiam, et Deum sedentem in propitiatorio, indeque oracula reddentem. Iudaei ut hoc telum effugiant, uersant se in omnes partes, trlicantur; sed nodum non extricant. Primo, aliqui respondent hic agi, non de templo secundo Zorobabelis, sed de tertio quod aedificabit Messias, quem ipsi exspectant: illius enim gloriam maiorem fore, quam fuerit templi Salomonici. Verum hoc repugnat Prophetam, qui demonstrans templum secundum, ait, *Magna erit gloria domus istius*, quam scilicet tu o Zorobabel et Iesu nunc cum populo aedificatis. Pronomen enim *istius* non potest demonstrare templum Messiae, quod nondum inchoabatur, imo per multa saecula futurum non erat.

Explicatio Iudaei noui.

Recentior quidam Iudaeus, nomine Barbanella, ut hoc argumentum declinet, aliter dispungit, scilicet ponit hypocolon post *istius*, sensumque hunc dat: Magna erit gloria domus istius, quam vos o Iudaei cum Zorobabele nunc aedificatis, et, repete *το magna*, id est, maior, erit gloria domus nouissimae, id est templi tertii et ultimi quod aedificabit Messias, quam fuerit primae. Dicunt enim Iudaei, tria sibi fuisse templa promissa, primum Salomonis, secundum Zorobabelis, tertium Messiae magnificentissimum, quod exspectant. Verum hoc uolentium esse, et textum pervertere patet Primo, ex eo, quod hic unica sit senten-

Refellitur. I.

tia continua, qua Propheta comparat et praefert secundam domum, id est, templum Zorobabelis, primae Salomonis: Barbanella autem facit duas sententias, duasque comparationes: unde iuxta eum deberet interseri coniunctio, *et*, vel *idem*, aut coniunctio *sed*; multaue alia addenda essent, nimirum haec, *sed maior*, vel *maxima* erit gloria domus nouissimae, quam fuerit primae.

Secundo, deberet esse accentus *zakēph*, id est hypocolon inter *το istius* et *το nouissimae*: hic autem accentus non est in Hebraeo: ergo est una continua sententia, non duae.

Tertio, quia Septuag. Chald. Syrus et alii passim uertunt ut Noster, per unicum sententiam, non duas. Ita et veteres Rabbinii apud Galatin. l. 4. c. 9. quum et R. Salomon, R. David, aliique recentiores.

Quarto, id ipsum clarum est ex toto capituli contextu et decursa. Nam hisce uerbis Deus consolatur Iudaeos pusillanimes, ex quorum sententia dicit v. 4. *Quis in uobis est derelictus, qui uidit domum istam in gloria sua primam? et quid uos uidetis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis uestris?* Hos consolatur et animat ad peragendum in fabrica templi, elidens hanc pusillanimitatem, promittensque maiorem fore gloriam domus istius posterioris quam fuerit primae. Unde statim subdit: *Et nunc confortare Zorobabel, etc. adhuc unum modicum, etc. et ueniet Desideratus cunctis gentibus* (puta Messias, qui in templo hoc uersans, docens et miracula faciens, maiorem dabit templo huic secundo gloriam, quam Salomon omni sua pompa dederit primo) *et implebo domum istam gloria. Magna (id est, maior) erit gloria domus istius nouissimae plus quam primae.* Quae ultima uerba plane ad uerbum in Hebraeo respondent pusillanimitati, et uerbis querulis Iudaeorum v. 4. *Quis in uobis, etc. uidit domum istam in gloria sua prima?* Hebraice est, *את הבית הזה בכבודו הראשון* et *habbait haze biebodo hariscion*. Hic enim isdem per eadem respondet dicens, et opponens promittensque contrarium, scilicet, *גדל יהיה כבוד הבית הזה* *haacharon min hariscion*, id est, maior erit gloria domus istius nouissimae quam primae. Ubi plane duas tantum ponit domos, id est, templa, scilicet priorem Salomonis, et posteriorem Zorobabelis, unamque cum altera conferens, imo praefereus, dicit, quod posterior priorem in gloria superabit. Impertinens ergo hic est mentio et sermo de tertia domo, id est, templo Messiae, quae prorsus alia erat futura, eaque post multa saecula, quam nec Zorobabel, nec quis praesentium tunc Iudaeorum erat uisurus, ut de ea gauderet, itaque praesentem merorem dispellere posset. Confirmatur, quia oppouit *haacharon* uoci *hariscion*, id est, domum posteriorem domui priori, tam hic quam v. 4. ergo duas tantum agnoscit hic domus, non tres.

Dices, Cur ergo apponit articulum *he* demonstrativum, dicens *haacharon?* q. d. Illa domus, scilicet tertia Messiae. Nam si de eadem domo Zorobabelis ageret, suffecisset articulus praepositus uoci *bait*, et pronomini *ze*. Ait enim *הבית* *habbait*, *הזה* *haze*: ecce duo articuli; cur tertium apponit, dicens *האחרון* *haacharon?* Respond. Id facit Primo, ut designet domum hanc posteriorem fore illustrissimam per Messiam, ut omnes illam digito demonstrarent et ore celebrent, dicentes: Haec est illa, illa inquam, uti secunda et ultima, ita eximia, magna, diuina, domus Messiae nostri.

Secundo, id facit, ut *το haacharon* opponat *hariscion*, id est, posteriorem priori. Cum enim prior domus habeat articulum *he*, deest ut et posterior, quae illustrior est futura, eundem habeat. Adde, *he* determinat *το domus*, et significat domum hanc non tantum esse secundam, sed et fore nouissimam, sive ultimam, q. d. Haec domus quae erit nouissima. Sic Itali dicunt, *Alessandro il Magno, Ptolemeo l'ultimo*, ut per articulum *il* designent se de Alexandro, non quouis, sed Magno; de Ptolemaeo, non primo, sed ultimo loqui. Sic et Franci dicunt, *Alexandre le grand, Ptolemée le dernier*. Sic et Graeci, *ἡ δὲ ἐξ ἑστῆς ἢ δὲ ἐξ ἑστῆς* *μας τῆς θεῆς ἢ ἐξ ἑστῆς*, hic est uirtus Dei, quae uocatur magna. Actor. 8. v. 10. Sic et Flandri, Germani, aliique plures.

II.

III.

IV.

Denique Hebræi solent multiplicare articulos per pleonasmum, uti hic ad *habbait* addunt *halse*, q. d. Huius, huius.

Tertio, resp. το *hariseion* proprie non refertur *habbait*, id est, domum, sed *chebod*, id est, gloriam. Unde Septuag. diserite vertunt, *δοξα μεγαλη εστι η δοξα της οικου της εσχατης υπερ της προτης*, id est, *magna erit gloria domus istius novissima quam prima*. Loquitur enim de templo Salomonis et Zorobabelis, quasi de una et eadem Dei domo: quia una alteri successit, eodemque loco inædificata est, ac ei dicit, quod gloria posterior, puta domus Zorobabelis, sit futura maior gloria priori, puta domus Salomonis. Et hæc ad punctum respondet querulis Iudæorum verbis Hebræis v. 4. *Quis est qui vidit, etc. domum istam in gloria sua prima?* q. d. Quis vidit gloriam prioris templi Salomonici? nonne dolet et gemit, quod hæc posterior gloria domus posterioris longe illi sit impar? At sumat animos: ego enim promitto me facturum, ut gloria posterior priorum superet. Itaque articulus *he* hic iteratur, quia proprie non respicit *bait*, id est, domum, sed *chebod*, id est, gloriam, quæ maior futura erat posterior quam prior, id est, in posteriori templo Zorobabelis, quam fuerat in priori Salomonis, ideoque articulo *he* addito, eam quasi illustrem et inauditam demonstrat. Figmentum ergo Iudæorum est plane contrarium contextui, quod distinguat hic Propheta tria templa, eaque invicem opponat; cum clarum sit, non nisi posterius opponi et præponi priori. Unde Noster non tam verbum verbo, quam sensum sensui fideliter reddens, clare vertit, *magna erit gloria domus istius novissima plus quam prima*. Hebræi enim gloriam vocant gloriosam fabricam templi, hæc est, ipsum gloriosum templum. Templum autem posterius, sive novissimum Zorobabelis gloriosius fuit primo Salomonis. Unde Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 17. legit: *Et erit gloria domus huius ultima supra primam*; et ex *το ultima* revincit Iudæos, expectantes aliud, et posterius a Messia templa. Si enim fuit ultima, ergo post illam iam a Tito dirutam, non est expectanda alia.

Denique gloriam hæc maiorem explicat Propheta, dicens: *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et veniet Desideratus cunctis gentibus*, id est, Messias, uti explicant non tantum Catholici, sed et veteres Rabbini apud Galatin. lib. 4. 9. Inter quos R. Akiba sic explicat, q. d. *Adhuc usque ad Messie revelationem modicum tempus restat*. Ergo iam pridem venit Messias. Nam ab hac Aggæi propheta usque nunc, clapsa sunt duo millia annorum et amplius, quod sane non modicum, sed nimis longum est tempus. Adde, Iudæis in Script. non nisi duo promitti templa, unum Salomonis, alterum Zorobabelis: quo per Titum et Romanos *destructo, erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*, ait Daniel c. 9. 27. Frustra ergo Iudæi expectant tertium templum sub Messia, præsertim cum ipsi sæpius, puta sub Adriano Imp. Constantino, et Iuliano Apostata, eo concedente, imo urgente, conati fuerint templum reædificare; sed incassum, et eventu infelici. Nam ignis partim cælo demissus, partim fundamentis erumpens, fabricantes eum fabrica consumpsit, uti narrat S. Chrysost. orat. 3. contra Iudæos, Baron. Euseb. l. 10. Histor. c. 37. et seq. Socrates l. 3. c. 17. Theodor. lib. 3. Histor. c. 17. Sozom. l. 5. 21. et alii. Necessè est ergo Christum venisse durante secundo templo, in eoque versatum esse, uti versatum docent Evangelistæ, ac proinde frustra, quasi adhuc venturum, expectari a Iudæis; explosa ita violenta et contorta hæc expositione, imo fictione.

Secundo, R. Salomon concedit hic agi de secundo templo, sed respondet, maiorem illius gloriam fuisse quam primi, non quod in eo versatus sit Christus, sed quod plures annos durarit quam primum: Primum enim, inquit, duravit annos 410. secundum vero 420. *Spectatum admissi risum teneatis amici*. Egregiam sane laudem et gloriam secundi templi, Propheta cothurno diguam, quod in tot sæculis steterit decem annos amplius secundum templum quam primum. Plusculos illi dat Iosephus. Nam

A lib. 10. Antiqu. 10. primum templum stetisse nit annos 470. secundo vero annos 639. assignat l. 7. Belli c. 10. Sed error est in numeris: nam iuxta veriore chronologiam, primum templum duravit annos 426. secundum vero stetit ab initio regni Darii Hystaspis, usque ad Titum et Vespasianum, qui illud everterunt, annis 588. Vide tabulam chronologicam quam præfixi Genesi. Duravit ergo secundum amplius quam primum, annis 162. Verum hisce annis sæpius fuit pollutum et profanatum. Primo, ab Antiocho Epiphane l. Machab. 1. Secundo, a Pompeio, teste Iosepho lib. 14. Antiqu. 8. Tertio, a Cassio, teste eodem Iosepho cap. 13. et tandem a Tito et Romanis plane cum urbe et gente exeisum. Quocirca vere de eo dictum est l. Machab. 1. 41. *Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo*: et v. 42. *Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius*. Hi ergo anni templo non fuerunt ad gloriam, ut ait Aggæus, sed ad ignominiam. In hæc gloriantur Iudæi: sicuti multo verius gloriantur, et hæreticis exprobrant Pilznenses Bohemi orthodoxi, furum patibulum apud eos diutius stetisse, et antiquius esse Ecclesia et lide Hussitica et Lutherana. Secundo, Aggæus non meminit durationis, vel temporis, nec in eo præfert secundum templum primo; sed in eo, quod ad illud veniet Desideratus cunctis gentibus, puta Messias, qui templum implebit sua maiestate et gloria. Tertio, quæro, quando in secundo templo illa commotio est facta, de qua ait Aggæus v. 7. *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam, nisi in Christo?* Hinc liquet, quam frivolum sit R. Salomonis commentum.

Tertio, R. David aliud effugium quærit Dicit enim, maiorem gloriam fuisse secundi templi quam primi, eo quod multæ gentes confluerint ad secundum templum, in eoque sua dona obtulerint Deo: sed pariter multæ, imo plures, confluerunt ad primum; Salomon enim eius fabricator fuit potentissimus, et nominatissimus inter gentes, omnesque populos vicinos vel habuit subiectos, vel federatos. Illi ergo venientes ad Salomonem, veniebant pariter ad templum, adeo ut et Regina Saba hac fama et gloria excita, eodem venerit: quin et classes Salomonis navigantes in Ophir, inde Indos advehabant in Ierusalem. Secundo, Gentes magis profauarunt et conspurcarunt templum secundum, quam houorarunt, uti de Antiocho, eiusque posteris, Pompeio, Cassio, et Tito iam ostendi. Tertio, quæ commotio facta est in cælo, terra, mari et arida, nisi tempore Christi, et propter Christum? Porro fabella est Iudaica, quam recenset Theodor. gentes vicinas mutuis bellis et cædibus se confecisse, earumque spolia et opes Deum dedisse Iudæis ædificantibus templum, hancque esse maiorem secundi templi gloriam. Huius enim historię nec Iosephus, nec quis alius meminit. Plura vide apud Galatin. l. 4. c. 9. et 10. Adrianum Finum l. 5. Flagelli Iudæorum c. 2. et Paulum Burgensem hic additione tertia ad Lyran.

Posterior quæstio est cum Christianis nonnullis, qui concedunt quidem præcipuam gloriam secundi templi fuisse Christum: addunt tamen, illud idem quoad fabricam, licet vilius fuerit Salomonico, quatenus restauratum fuit a Zorobabele, tamen quatenus idem redintegratum fuit ab Herode, augustius fuisse Salomonico, ideoque dicere hic Deum: *Meum est argentum, meum est aurum*, quo scilicet vos templumque ditabo magis quam ditavi Salomonem. Pro quo Nota. Herodes Asealonita, qui fuit infanticida et persecutus est Christum, cum ex Iudæorum prophetiis, præsertim ex illa Iacobi Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium*, intelligeret adesse tempus Messie regis Iudæorum (videbat enim defecisse sceptrum de Iuda, et in se alienigenam, puta Idumæum, esse translatum;) credere et sperare cœpit se fore Messiam, ex adulatione quorundam Pharisæorum. Quocirca ut a populo talis haberetur, diruto templo Zorobabelis, eodem loco aliud magnificentissimum extruxit, cœpitque anno 18. regni sui, et per 8.

Et tertium R. Davidis.

Posterior quæstio an templum Herodis fuerit magnificentius quam Salomonis.

Secundum effugium R. Salomonis refellitur.

annos illud ædificavit, quo toto tempore, ait Ioseph. 1. 15. Antiq. 14 nunquam interdiu pluit. Porro hoc eius templum fuisse magnificentissimum Salomonis, Ribera probare contendit. Primo, ex eo, quod Salomonis templum habuerit in longitudine 70. cubitos, Herodis vero centum. Secundo, quia Herodes candidos lapides firmissimos, longos 25. cubitos, et latos 12. fabricæ suæ adhibuit, eosque solide et assabre ferro compaginavit. Tertio, quia templum crustis aureis gravissimis obtexit, quibus exterioribus circumquaque lectum, ad primos solis ortus igneo splendore radiabat, ut, cum illud intuerentur spectantium oculi, quasi solis radiis reperiessis averterentur. Quarto, quia vallem profundissimam vicinam monti templi coæquavit, in eaque fecit templi atrium: unde illam ingentibus columnis 162. æque ac porticibus exornavit. Quinto, quia ad atrium primum sacerdotum, et secundum laicorum qui mundi erant, adiecit tertium, in quo degerent immundi et Gentiles. Hæc omnia habet Iosephus loco citato, et Iosippus filius Gorionis lib. 5. cap. 26. Addit Ribera: hæc non debere mira videri, quia licet Salomon esset ditissimus et gloriosissimus, tamen Herodes quoque potentissimus per Romanorum et Augusti amicitiam evaserat. Unde ad hanc fabricam maximas opes collegit et exhausit. Insuper saxa aliaque opportunata ad fabricam, ex diruto Salomonis et Zorobabelis templo usurpavit: vasa etiam aurea et argentea Salomonis, quæ abstulerat Nabuchodonosor, templo restituit Cyrus, 1. Esdræ cap. 1. et 6. ac licet ea rapuerit Antiochus Epiphanes 1. Machab. 4. 23. tamen ea restituerunt Machabæi, 1. Machab. 4. 49. idque ex auro, teste Iosepho l. 12. Antiq. e. 11. Idem cum Ribera sentire videntur S. Hieron. et S. Chrysost. demonstrat. quod Christus sit Deus, tom. 5. decepti auctoritate et verbis Iosephi, cuius fides hic, ut et alibi, vacillat.

Verum hæc sententia in duobus errat. Prius, quod certo asserat Herodem plane diruisse templum Zorobabelis. Hoc enim valde dubium est, et a multis falsum censetur: sic enim prorsus aliud erexisset templum, novum inquam, tam distinctum a templo Zorobabelis, quam hoc distinctum erat a templo Salomonis; esto in eodem situ omnia tria fuerint extructa, et sic falsum esset quod ait hic Propheta, scilicet gloriam templi Zorobabelis fore Christum, cum in eo versatus non sit Christus, sed in novo templo quod Herodes extruxit. Herodes ergo tantum ampliavit templum Zorobabelis, illudque suo inclusit, ac antiquis fundamentis reliquis e templo Salomonico solutis nova imposuit, super quæ templum crexit longitudine centum cubitorum, latitudine centum, altitudine centum viginti, ait Ioseph. 15. Antiq. 14. cum Zorobabelis templum tantum sexaginta cubitos haberet in latitudine, et totidem in altitudine. Ergo Iosephus tantum asserit, Herodem solvisse fundamenta templi Salomonici, non vero asserit cum diruisse templum Zorobabelis. Hæc enim fundamenta Salomonis conservabant Iudæi, tum in veteris templi memoriam, tum sperantes super illis quandoque templum restaurandum fore, quod ad primævam Salomonici magnificentiam accederet. Unde non permiserunt Herodem ea solvere, donec prius materiam omnem pro nova fabrica necessariam apparasset. Idemclare docet Hegesippus l. 1. de Excidio Hierosol. et ex eo Genebrardus l. 2. Chronolog. Mansit ergo templum Zorobabelis, licet ampliatum et ornatum ab Herode, usque ad Titum, in eoque versatus est Christus, qui ei gloriam omnem conciliavit. Alioqui enim falsum esset oraculum Aggæi: *Magna erit gloria domus istius, quam scilicet, tu o Zorobabel, cum tuis ædificas; non alterius quam ædificabit Herodes.* Adde, aliquos de fide Iosephi hic dubitare, imo Baron. anno Christi 34. ait eum sibi contradicere, dum lib. 15. Antiqu. e. 14. insinuat integrum templum Zorobabelis ab Herode fuisse demolitum, cum tamen idem lib. 20. Antiq. 8. asserat porticum Salomonis intactam permanuisse. Unde et Rabini duo tantum templa agnoscunt, Salomonis scilicet, et Zorobabelis; Herodiani non meminerunt. Et Sanchez in cap. 1. Zachar. ait errare Iosephum,

VOL. VII.

Adum innuit ab Herode dirutum esse templum Zorobabelis; et hoc loco idem multis demonstrat. Certe siæpe vacillat fides Iosephi, ut docet Baron. tom. 1. in Apparatu. Hegesippus quoque vetus et gravis auctor l. 1. c. 25. docet Herodem non tam novum condidisse templum, quam vetus ornasse.

Posterior error est, quod dicant templum Herodis quoad fabricam augustius fuisse Salomonico, cuius opes et gloriam adeo celebrat Script. et tota antiquitas, illudque habuit pro orbis miraculo. Ecquid fuit Herodes ad Salomonem? inquit Rupert. Sane Iudæi qui hoc loco tantopere stringuntur, veritate tamen clara coacti confitentur, templum secundum longe impar fuisse primo in structura, pretio et gloria. Rursum Ioseph l. 15. Antiq. e. 14. docet domum regiam, quam Herodes sibi ædificavit, magnificentioris fuisse templo ab eodem ædificato. Quis autem dicere audeat Herodis regiam templo Salomonis fuisse magnificentioris, eum ei ne templum quidem ab Herode constructum nullo modo conferri, ne dum præferri possit? inquit Villalpando parte 1. Apparatus l. 2. c. 5. Denique clarus est textus Script. 1. Paral. 22. 14. ubi David recenset opes quas collegerat pro fabrica templi, et Salomoni reliquit: *Præparavi, ait, impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum*, etc. Iam centum millia talentorum auri, faciunt mille et ducentos milliones aureorum Francicorum: tantumdem faciunt mille millia talentorum argenti. Talentum enim auri Hebræum continebat tria millia siclorum, id est, semunciarum auri, quæ efficiunt duodecim millia coronatorum Francicorum. Talentum vero argenti continebat tria millia siclorum argenti, quæ efficiunt tria millia florenorum Brabantiorum, quorum duos cum dimidio continet seutum, seu aureus Romanus, uti ostendi tractatu de mensuris, in fine Pentateuchi. Universim ergo reliquit David Salomoni pro fabrica templi, bis mille et quadringentos milliones aureorum, quantum auri vix est in tota Europa. Unde tot milliones habere potuisset Herodes? Porro hoc aurum pene totum desperiit, vel incendio, vel rapina Chaldæorum. Rursum Salomon in fabrica templi habuit septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum, absque præpositis numero trium millium et trecentorum: *Præcepitque ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi*, uti dicitur 3. Reg. 5. 16. Quid ad hæc Herodes? qui tantum decem millia artificum ad fabricam adhibuit, et mille dumtaxat plaustra ad lapides convehendos, teste Iosepho loco citato. Insuper Herodes peracta fabrica templi rogatus a populo, ut porticum Orientalem Salomonis pariter instauraret, abnuvit, quod illa porticus tempore longo et pecuniis plurimis indigeret, ait Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 8. Quomodo ergo templum Salomonis æquavit, qui unam eius porticum instaurare non potuit? Sed esto daremus templum Herodianum fabricæ magnificentia superasse Salomonicum, quod tamen est incredibile; illud certe hic impertinens est. Aggæus enim gloriam templi secundi non assignat aliam, quam Christum, dicens: *Et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* Omnis enim gloria auri et argenti, id est, terræ albæ et rubræ, præ Christo Deo et Domino universorum, exilis est, imo nulla.

Dico ergo gloriam secundi templi de qua hic prophetat Aggæus, esse Messiam, sive Christum. Quanta enim fuit gloria templi, quod in eo Christus Dei filius puer Deo sit oblatus, quod ibi in medio Doctorum sederit, quod in eius pinnaulo a diabolo sit tentatus, quod in eo docuerit et enarraverit abscondita a constitutione mundi. Sicut enim gloria templi Salomonici fuit, quod in eo Dei maiestas apparuerit velans se nube: ita maior gloria templi secundi fuit, quod in illo eadem maiestas non tantum velata, sed reipsa unita carni et corporata, visibilem et conspicuam se exhibuerit. Hoc est quod iubilians canit Malachias e. 3. 1. *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos queritis, et angelus testamenti quem vos vul-*

Salomonis templum augustius fuit Herodiano.

David Salomoni pro templo reliquit 2400 milliones auri.

Asserit Ribera Probat.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.

Negant alii passim.

*tis.* Insuper eximia gloria templi secundi fuit, quod in eo per Christum non tantum peracta sint mysteria Verbi incarnati, nostræque redemptionis et salutis, sed etiam primi fideles et Apostoli adunati sint, iactaque prima Ecclesiæ Christianæ fundamenta, iuxta illud Isaïæ c. 2. 3. *De Sion exhibit lex.* Christus ergo suam Ecclesiam inchoavit in templo hoc Sionis, a Zorobabele fabricato: ita Rupert. Hugo, Burgeus. Clarius, Vatabl. et alii. Quocirca Alleg. Cyrill. Alex. quem citat noster Turrianus l. 2. pro epist. Pontif. cap. 20. censet Aggæum hic loqui de templis Ecclesiæ Christianæ, quæ superant templum Salomonis, tum numero, quia plurima per totum orbem; tum gloria, præsertim quia in iisdem habemus eandem Dei maiestatem velatam in Eucharistia, iuxta illud Malach. 1. 11. *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda,* hebr. *מנחה* *mincha*, id est, sacrificium farreum, sive panis, qui est materia Eucharistiæ.

**Anagog.** Anagog. maior est gloria novi templi quam veteris, hoc est, maior est gloria Ecclesiæ quam Synagogæ, Evangelii quam legis, Apostolorum quam Prophetarum, uti docet Apostolus 1. Corinth. 3. Idque maxime patebit in cælo, ubi ex vivis et electis Ecclesiæ lapidibus templum mysticum, sanctum et gloriosum Deo constructur: ita S. Hier. Albert. Remig. Hugo hic, et S. Augustin. lib. 28. Civit. 35. et S. Ambros. lib. 5. epist. 12. qui videntur censere hanc sensum esse litteralem; sed revera est mysticus. Denique maior est gloria domus secundæ quam primæ, id est, Ecclesiæ triumphantis quam militantis, imo illi propria est gloria et corona, sicut huic propria est lucta et victoria.

**Symbol.** Symbolice, domus prima est status hominis creati: secunda est status eiusdem post lapsum reparati et restaurati: illa est creationis, hæc redemptionis: illa Adæ, hæc Christi: illa innocentia, hæc patientia: illa paradisi, hæc peregrinationis et exilii. Docet enim Apostolus Roman. 5. v. 15. et sequ. maiorem gloriam, id est, gratiam, datam esse homini lapsos per Christum, quam fuerit data Adæ in paradiso.

**Tropol.** Tropol. maior est virtus pœnitentiæ post lapsum, quam innocentia ante lapsum: maior est Paulus, quam Saulus: maior est Magdalena lapsa et pœnitens, quam virgo et innocens: maior Petrus negans Christum et plorans, quam eum confitens, et de constantia sua præsumens. *Plerumque*, ait S. Gregor. lib. 3. Pastor. admon. 29. *Deo gratior fit amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia.*

**DADO PACEM.** Ribera accipit de pace et copia rerum, quam habuit Herodes ad instaurandum templum Zorobabelis. Verum hic agitur de templo Zorobabelis, non Herodis. Animat enim Aggæus Zorobabelem et populum, ne metuant Darium, Samaritas, et alios hostes: Deum enim effecturum, ut faveat fabricæ, aut certe eam non impediant. Idipsum enim præstitisse Deum, patet 1. Esdræ 6. v. 14. ubi recensitis litteris Darii iubentis instaurari templum, subdit Esdras: *Seniores autem Iudæorum edificabant, et prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi Prophetæ, utique non aliam, quam hanc: Dabo pacem, id est, prosperitatem.* Sensus ergo est, ut ait S. Hier. *quia scio ad edificationem inclytæ domus, et quæ superatura sit domum pristinam, nihil ita facere, ut pacem; idcirco et hanc spondeo: dabo enim in loco isto pacem.* Tropolog. faciam ut pax, quæ exuperat omnem sensum, custodiat domum meam, et sit in pace locus meus. Nihil enim ita necessarium volenti proficere in virtute, et construere domum perfectionis, ac quietis conscientia et pax animæ. Huius rei symbolo et typo rex Salomon, id est, pacificus, in plena pace fabricavit templum, quod David ob bella continua fabricare non potuit, 1. Paral. 22. 8. ita quoque Theodor. Haymo et Hugo.

Secundo et potius, *dabo pacem*, id est, benedictionem et omne bonum, *in loco isto*, per Christum: Christus enim docens in templo evangelizavit, et dedit pacem credentibus sibi. Unde angeli in Christi ortu eccinerunt: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax*, Lucæ 2. Et hanc pacem

quasi summum bonum, Christum e cælis in terras allatum, prædixit Isaïas cap. 2. 4. et cap. 11. 6. Hæc enim pax concordat mentem cum Deo, et consequenter cum proximis æque ac secum, ut suppressis concupiscentiarum motibus, ratio et spiritus carni, sensibus et membris omnibus dominetur: quo fit, ut fidelis inchoet hic vitam caelestem, beatam et angelicam: ita S. Hieronym. Hugo, Lyran. hic, et S. Aug. l. 18. de Civit. c. 48. In hac pace, puta in mente pacata, quasi in templo suo habitat Deus, iuxta illud ps. 75. 3. *Factus est in pace locus eius, et habitatio eius in Sion.* Unde Septuag. hoc loco vertunt, *dabo pacem, dicit Dominus omnipotens, et pacem animæ in acquisitionem omni condenti, ut suscitet templum istud.* Sic enim habet editio Romana, licet Regia tantum habeat, *dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quocirca S. Ambros. scribens in hunc Aggæi locum, in fine tomi 2. maiorem gloriam domus novissimæ quam primæ intelligit pacem: *Pax enim, ait, et tranquillitas animæ super omnem domus gloriam est, quia pax superat omnem sensum, Philipp. 4. Hæc est pax super pacem, quæ dabitur post tertiam commotionem cæli, maris, terræ, deserti, quando destruet omnes potestates et principatus in die iudicii, etc. Et sic erit pax per omnia, ut nullis obsistentibus corporis passionibus, aut incredulæ mentis impedimentis, fiat in omnibus omnia Christus, subdita Patri exhibens corda universorum. Unde et ad ipsum solum mystice dicitur: Assumam te Zorobabel, et ponam te sicut signaculum, quia te elegi. Etenim eum fuerit anima nostra pacifica, tunc accipiet in se sicut signaculum Christum, id est, imaginem Dei, ut sit ad imaginem. Quoniam qualis celestis, tales et caelestes. Et oportet nos portare imaginem celestis, id est, pacem.*

**IN VIGESIMA.** Hæc Aggæi propheta ordine est tertia. **Vers. 11.** Primam enim accipit c. 1. v. 5. secundam hoc cap. v. 2. tertiam hoc versu.

**INTERROGA.** Duas quæstiones hic proponit sacerdotibus Propheta, ut ex earum responsis arguat Iudæos de neglectu fabricæ templi. Prior est: si homo ferat carnem sanctam, puta Deo immolatam, in ora vestis, eiusque, scilicet vestis, non carnis, summitate, id est, extremitate, tangat panem, vinum, etc. numquid panis, vinum, etc. hoc contactu vestis sanctificabunt? Respondent sacerdotes, Nequaquam; et bene: quia licet caro sanctificata si tangat vestem, eam sanctificet, uti sancitur Levit. 6. 27. non tamen ulterius, vestis contactu carnis sanctificata, si tangat panem, vinum, etc. in ea sanctitatem suam transfundet, eaque sanctificabit. Sanctificationem intellige legalem et cærimoniam legis veteris, qua res sancta separanda erat ab usu profano, Deoque danda et sancte tractanda. Applicat deinde responsum suo scopo Propheta, dicens: *Sic populus iste, etc. v. 15. q. d. Sicut vestis tangens carnem sanctam non ita sanctificabit, ut possit sanctificare panem, vinum, vel homines se tangentes; ita pariter licet vos, o Iudæi, sine templo habeatis altare, in quo victimas Deo offertis et consecratis, ut patet 1. Esdræ 3. 3. tamen hæc victimæ et carnes ibi immolatæ, esto tangentes et comedentes eas legaliter, id est, exterius et per modum cærimonie, sanctificent, nequiquam possunt ulterius vestras actiones et munera, resque omnes quas vos tangitis et tractatis, sanctificare, ac multo minus possunt internam inobedientia, et externam neglectus fabricæ templi impuritatem e vobis eluere, iuxta illud Ierem. 11. 15. Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas in quibus gloriata es? Ne ergo vos excusetis, o Iudæi, a fabrica, dicentes: Habemus templum, in eo offerimus victimas, quæ, dum eas offerimus, et comedimus, nos omnesque nostras actiones et opera sanctificant, et si quid in eis vitii aut peccati sit, abstergunt et emaculant. Neque enim piaculares vestræ victimæ mentem ab inobedientia et culpa expiare et expurgare possunt. Unde proponit secundam quæstionem, quæ magis stringit, aitque:*

**SI TETIGERIT POLLUTUS IN ANIMA.** Anima per antiphrasim Hebraicam hic ponitur pro cadavere, uti et Levit. 19. 27. Num. 5. 2. et Num. 21. 2. *Ne contaminetur sacerdos*

*in mortibus: hebr. in anima.* Vide ibi dicta. *Pollutus ergo in anima*, est pollutus ex contactu cadaveris, vel morticini, qui ex ritu legis veteris Num. 19. 13. et 22. omnia quæ tangebatur, contactu suo polluebat et immunda reddebat. De hoc ergo ait: *Si tetigerit pollutus in animu ex omnibus his*, puta panem, vinum, etc. *numquid panis, vinum, etc.* ab eo tactum *contaminabitur? Et dixerunt sacerdotes, Contaminabitur panis, vinum, etc.* quæ pollutus tetigit: tangendo enim ea polluit et contaminavit. Iam applicat hoc modo: *Sic populus, etc. q. d.* Sic vos, o Iudæi, quia immundi estis, tum ob alia peccata, tum præsertim ob inobedientiam et neglectum fabricæ domus meæ, pariter polluitis omnia quæ tangitis et tractatis, puta omnia munera et opera vestra, omnes fabricas, omnes actiones vestras: hæc enim continuo et perseveranter præferitis mihi et meæ fabricæ, illisque intenditis, dum fabricæ meæ intendere deberetis. Hic ergo neglectus est circumstantia vitiosa, quæ influit in omnia opera vestra, eaque vitiat et polluit: ita S. Hieronym. Bonum enim oritur ex integra causa, malum vero ex singulis defectibus, inquit Philosophus. Ut enim opus sit bonum, debet habere omnes suas circumstantias requisitas, tam positivas, quam negativas: si vel una desit, desinet esse bonum, eritque malum, v. g. si quis studiosus, vel Religiosus velit ire ad templum, et orare eo tempore, quo regula iubet ire ad scholas et studere, facit opus non bonum, sed malum: quia licet orare sit bonum, tamen eo tempore orare quo est studendum, est malum. Simili modo, licet fabricare domos, curare rem domesticam vel publicam, sit bonum, tamen id facere eo tempore quo fabricanda et curanda est domus Dei, uti vos facitis o Iudæi, est malum. Perperam ergo ex hoc loco et similibus Calvinus probat, omnia opera infidelium et impiorum esse peccata, dum sic arguitur: Quidquid pollutus tangit, hoc polluit: atqui peccatores sunt polluti; ergo quidquid tangunt et agunt, polluunt; ergo omnia eorum opera sunt peccata. Maior enim in lege veteri vera erat in immunditia et tactu corporali dumtaxat, puta si pollutus corporaliter tangebatur rem quampiam, illam corporaliter et legaliter polluebat, idque ex præscripto legis, quæ ita sanciebat: falsa vero est in immunditia spiritali, puta peccato. Non enim omnia quæ tangit peccator, hæc illico peccato inficit vel polluit: alioqui enim omnes res Turcarum et hæreticorum essent pollutæ, et peccato inquinatæ, sed tunc dumtaxat ea polluit, quando ea tangit contactu peccati, hoc est, quando iis utitur quasi mediis vel instrumentis ad peccandum: tunc enim peccatum, id est, voluntas peccandi, sua immunditia ea tangit, illamque affricat et aspirat, itaque ea polluit. Simili enim modo olim in lege veteri, pollutus ex contactu cadaveris omnia quæ tangebatur, polluebat: quia censebatur hæc eius pollutio et immunditia sparsa per totum corpus, itaque omnia tangere et polluere, quæcumque pollutus ipse tetigisset.

Moraliter ex hoc loco collige, sacerdotes impuros tactu altaris, vel calicis, aut rei sacræ non sanctificari; sed potius ea polluere et sordare: ita Theodor.

Hinc recte infert S. Augustin. libr. contra Fulgentium Donatistam c. 16. et Nazianz. orat. 1. Apolog. virtutem a vitio longe superari, vitiumque virtute esse potentius. Vitium enim suam malitiam tangenti illico communicat et affricat, lætisque vitiosum: hoc autem non facit virtus. Age cum sancto, non idcirco sanctus eris: age cum improbo familiariter, illico improbitatem suam tibi afflabit. *Parum absynthii*, ait Nazianz. *amaritudinem suam mellis celerrime impertit, cum contra mel ne dupla quidem parte copiosius dulcedinem suam absynthii infundat. Purvo lapide summo flumen totum in pronium trahitur: eiusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi vix potest.* Et S. Chrys. Multos, ait, sollicitat societas nefanda. Tange picem, illico inquinaberis: tange saponem vel lixivium, non illico mundaberis, nisi eo diu multumque manus vel corpus perfries. Narrat Alianus lib. 43. Histor. Theodotam meretricem obiceisse Socrati, quod ipsa omnes eius disci-

pulos ab eo alienare posset, et vocare ad se quocumque tempore vellet, cum Socrates eius amicos ad se trahere nequirit; ac respondisse Socratem: *Bene quidem dicis, quia tu ad declivem tramitem omnes rapis; ego vero ad virtutem eogo, ad quam arduus, et plerisque insolitus est ascensus.* Porro Donatiste hoc loco abutebantur pro sua hæresi, scilicet sacerdotes impuros vitare baptismum, nec quemquam recipere in eo gratiam, nisi baptizaretur a sancto, ex eo quod Aggæus hic dicat v. 14. et 15. omne opus et oblationem polluli esse pollutam et contaminatam. Sed respondet S. August. loco citato, eos hoc testimonio contra se uti: *Si enim, ait, tactus sancti, immundi inquinamento non tollit, vanum est quod geritur, quod conficitis, quod lavatis. Si tetigerit, inquit Aggæus, quod sanctum est creaturam panis, aut vini vel olei, sanctificabitur? Et responderunt sacerdotes, Non. Ubi est quod vos extollitis, quod sanctitatem vestram munditiam conferre iuctatis? Tactus ille opera significat. Si sanctus, inquit, tetigerit immundum, non sanctificabitur. Si immundus tetigerit sanctum, inquinabitur, id est, facilius sanctus qui iunctus fuerit genti huic pessimæ pessimatur, quam gens ista in melius commutetur, quia proclivius ad imitationem malorum curritur, quam ad virtutes bonorum animus excitatur: sicut mellis plurimo parum absynthii iniectam velocem amaritudinem trahit; mellis vero etiamsi duplum iniiciatur, non poterit eius obtineri dulcedo.* Ita ipse tropolog. more suo. Vide eundem post collationem contra Donatist. cap. 20.

ET NUNC PONITE CORDA VESTRA A DIE HAC ET SUPRA. ) q. d. Considerate penuriam, sterilitatem, et adversa omnia, quæ vobis acciderunt a die hæc per omnes annos præteritos, quibus neglexistis fabricam templi, indeque discite non aliam illorum fuisse causam, quam hunc templi neglectum. Nam cum quilibet vestrum accederet ad acervum messis, qui videbatur daturus viginti modios frumenti, cum excutiens invenit tantum decem modios. Sic qui accedebat ad toreular plenum uvis, quæ daturæ videbantur quinquaginta lagenas vini, eas premens invenit tantum viginti. Cur hoc? quia ego exsufflavi vestras segetes et uvas, uti dixi c. 1. 9. Nota. Vox *modios* non est in Hebræo, sed intelligitur, tamquam communis et ordinaria mensura frumenti. Ita Noster, Chald. Pagn. et Vatabl. Sed Sept. subintelligunt *sata*. Sic pro *lagenas* hebr. est פורה *pura*, quod Septuag. vertunt, *amphoras*. Chald. *dolia*; Pagn. *batos*; Figur. *urnas*. Proprie *pura* significat toreular: iude per catachresin significat mensuram ordinariam vini, quæ torculari expressa vase excipitur, qualis est lagena, amphora, etc.

PERCUSSI VOS VENTO URENTE ET AURUGINE. ) Aurugo vitium est segetis, cum ex nimio humore pallescit, marcescit, tabescit, ut tandem grana in cinerem vertantur. Vide dicta Joel. 1. 4.

PONITE CORDA VESTRA EX DIE ISTA, ET IN FUTURUM. ) Hebr. רמלה *remala*, id est, *et super*, ut vertit v. 16. Iam *super*, id est ultra, deinceps; sive futurum respicias, ut hic, sive præteritum, ut v. 16. Sensus est, q. d. Iussi vos v. 16. considerare præteritos annos sterilitatis et adversitatis, quibus neglexistis fabricam templi; nunc pariter iubeo vos considerare annos futurorum fertilitatis et prosperitatis, ex eo quod fabricam templi resumpseritis: ut ex utrorumque annorum dispari eventu et contraria sorte certe colligatis, non aliam causam adversitatis vestræ fuisse, quam neglectum templi; nec aliam causam vestræ felicitatis deinceps fore, quam curam et studium templi.

Discite hic prudentis esse considerare tempora, et præterita cum futuris conferre: tempus enim docet prudentiam. Unde Thales rogatus, *quid esset sapientissimum?* respondit, *Tempus: invenit enim omnia.* Ita refert Laert. l. 1. de Vit. Philosoph. c. 1. Hinc et Plutarch. in Pericle, *Tempus*, inquit, *omnium consiliarium optimum.* Et Livius decade 3. lib. 2. *Meliores*, ait, *prudentiores, constanter nos tempus diesque facit.* Et Menander:

*Ducit ad lucem veritatem tempus.*

Calvini paratolismus.

Vitium virtute potentius.

Vers. 16.

Vers. 18.

Vers. 19.

*Omnia detegens tempus ad lucem fert.  
Nullus tempore melior consiliarius.*

Denique Philosophus acute vereque dixit, *veritatem esse filiam temporis.*

**A DIE VIGESIMA ET QUARTA NONI MENSIS: A DIE, QUAE FUNDAMENTA IACTA SUNT TEMPLI.** ) Iam illa iaci cœperant ante decem annos, scilicet anno 2. Cyri, mense 2. die primo, ut patet 1. Esdræ 3. v. 8. et sequent. Sed per Cambysen inhibita fabrica, stetit opus usque ad Darium, quando prophetante Aggæo opus resumpserunt anno secundo Darii, die 24. mensis sexti: nimirum illo die cœperunt cædere ligna, convehere lapides, omnemque materiam apparare, ita ut die 24. mensis noni, ut hic dicitur, circumquaque plene et perfecte iacerentur fundamenta, iam pridem sub Cyro inchoata. Ita Arias, Ribera et alii, hæc loca, quæ antilogiam præferunt, conciliant.

Vers. 20. **NUMQUID IAM SEMEN IN GERMINE EST?** ) q. d. Nondum germinavit semen, ut ex germine copioso et luxuriante possitis coniecere et sperare copiosam messem; ego tamen ex nunc illam vobis, ob diligentiam quam præstatis in fabrica templi, promitto, quia semini vestro benedicam, faciamque ut multos culmos, spicas et grana germinet et producat.

Pro *germine* hebr. est **מגורה** *megura*, quod Chald. Syrus, Arabicus, et Septuag. vertunt, *aream*: Rabbini, Pagnin. Vatabl. et Arias, *horreum*, quod R. Salomon ita explicat: Annon totum semen in horreo est, quia hoc anno nondum seminastis, et arbores nondum progerminarunt? sed seretis, et ego satis vestris benedicam, eaque fœcundabo et multiplicabo. Verum noster melius eum Tigurina vertit, *germen*: messis enim ponitur in area et horreo, semen vero in agro ut germinet. *Germen* ergo vocatur *megura* a rad. **גור** *gur*, id est, incolere, habitare: quia in germine quasi habitat semen, puta arista, et granum protuberans ex semine. Hinc patet S. Scriptur. uti computu anni sacri, non communis et profani. Nam nomen mensem vocat hic eum, quo semen satum germinat: hoc autem in Palæstina fit in Novembri. Nonus ergo mensis est November, ac consequenter primus est Nisau, sive Martius, a quo incipiebat annus sacer.

Moral. Discite hic illud Apostoli: *Corporalis exercitatio (ut satio, plantatio, negotiatio) ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis, promissionem habens vite quæ nunc est, et futuræ*, 1. Timoth. 4. v. 8. Deus enim hic piis, suamque fabricam et cultum promoventibus promittit benedictionem, id est, copiam honorum temporalium, multo magis spiritualium iis, qui alios ædificant, docent, sanctificant, ut in eorum mente domum spiritualem templumque Deo construant. Unde sequitur:

Vers. 21. **FACTUM EST VERBUM DOMINI SECUNDO.** ) Die enim 24. mensis noni Aggæus duo accepit a Deo oracula. Prius fuit v. 11. secundum est hoc quo promittit Zorobabeli ob navatam operam in fabrica templi, quod ex eius posteris nasciturus sit Christus, qui fabricaturus sit Ecclesiam, in qua regnaturus sit et dominaturus omnibus gentibus: ita S. Hier. Remig. Albert. et alii. Est hæc quarta et ultima Aggæi prophætia, qua de more assurgit ad Christum, in eoque quasi fine et scopo, oracula sua terminat et concludit.

Vers. 22. **LOQUERE AD ZOROBABEL.** ) Primo, Theodor. putat hic promittit Zorobabeli in se et sua persona, quod Deus eum cum populo defensurus sit ab invasione Gog et Magog, imo facturus ut ipsi mutua se cæde conficiant, eorumque spolia diripiant Iudæi. Verum Gog et Magog non fuerunt Tempore Zorobabelis, sed erunt in fine mundi, ut patet Ezech. 38. et 39. et Apoc. 20. 7.

II. Secundo, Hebræi censent Zorobabeli hic promitti excidium Persarum, quos ipse formidabat quasi ipse illud sit visurus. et in eo illæsus, quasi annulus, a Deo sit conservandus. Verum hæc sunt fabellæ. Persæ enim excisi sunt ab Alexandro Magno, 200. annis post tempora Zorobabelis et Darii Hystaspis. Quocirca alii minus improbabiler hæc referunt ad posteros Zorobabelis, quos Deus ab

A Alexandro Magno tutatus est. Cum enim Alexander omnes gentes sibi subiiceret, Deus Iudæos exemit, flexitque animum turgidum Alexandri ad modestiam et benevolentiam, ut Iaddum pontificem Iudæorum veneraretur, Iudæosque benigne complexus, immunes et liberos dimitteret.

Dico ergo, Zorobabeli hæc promitti, non in se, sed in III. suis posteris, puta in Christo, q. d. Quia tu, o Zorobabel, Et genuina. dux et ductor fabricæ templi mei fuisti, hinc tibi pro mercede promitto, quod inter tot bella, et inter tot reges ac monarchias, Persarum, Græcorum et Romanorum, quæ post mortem tuam inter se colluctabuntur, et sese vicissim collident et interiment, ego te tuamque domum et familiam duealem illæsam, tamquam annulum meum signatorum conservabo, et continua serie propagabo; imo efficaciam ut ex te nascatur Christus, qui eversis omnibus regnis rerum potietur, eritque Rex regum et Dominus dominantium. Hæc ergo promissio sit Zorobabeli: quia licet implenda sit in Christo, tamen tangit et afficit ipsum Zorobabelem: nam ingens eius decus et gloria est, quod ipse familiæ ducalis sit auctor, ex qua nasciturus est Christus, quodque eam per 500. annos usque ad Christum conservabit et propagabit. Hoc est quod illi hic promittit Deus.

Obiter hic Nota, duo fuisse templa Dei, et duos eorum fabricatores, et utrumque pro mercede fabricæ templi accepisse promissionem a Deo de Christo ex se nascituro. Prior est David, qui omnes impensas pro fabrica templi curavit, easque consignavit Salomoni filio, ideoque audit a Deo: *Ipse (filius qui ex te nascetur) erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem, firmaboque solium regni eius super Israel in æternum*, 1. Paral. 22. 10. Alter fuit Zorobabel, qui secundum templum instauravit, ideoque pariter Deus illi hic promittit filium Christum, quod scilicet illi ex eius prosapia nascetur. Unde discimus, quam liberalis sit Deus, qui pro parva opera et obedientia tantam mercedem, quanta est Christus, promittit. Rursum quam Deo placeat religio, puta fabrica monasteriorum, templorum, eorumque ornatus et cultus: multo magis, quam ei placeat fabrica vivi templi virtutum in anima, tum nostra, tum proximorum nostrorum, ac præsertim urbium et gentium integrarum conversio.

Huc pertinet expositio Remig. Lyrani et Vatabli, qui censent hæc promitti non Zorobabeli, sed Christo, nimirum quod ipse incarnandus sit futurus rex orbis, ideoque commovenda et subiicienda sunt ipsi omnia regna, omnes reges et principes. Hoc enim eodem redit. Sive enim dicas Zorobabeli hæc promitti non in se, sed in posteris, puta Christo; sive dicas ipsi Christo ex Zorobabele nascituro hæc promitti, eodem res recidit. Congruentius tamen ipsi Zorobabeli hæc consignamus: quia ei illa pro mercede fabricæ signat tum Aggæus, tum Eccl. cap. 49. 13. dicens: *Quomodo amplifcemus Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextera manu.* Sic Davidi promittit Script. quod in Christo eius filio implendum erat. *Pastorem*, ait, *suscitabo servum meum David*, id est. Christum, Davidis filium et antitypum, Ezech. 34. 23. Sic benedictio Abrahamæ facta, quod in ipso benedicendæ essent omnes gentes, Gen. 18. 18. impleta est in Christo ex Abraham progenito. Sic promissio terre Chanaan eidem facta Gen. 13. 15. impleta est post 400. annos in posteris eius.

Anagog. S. Hier. Haymo et Hugo, hæc exponunt de Anagog. secundo Christi adventu ad iudicium, ad resurrectionem, gloriam, et regnum. Tunc enim Deus commovebit omnia regna mundi, illaque ipsi quasi iudici ei domino subiiciet, uti docet Apostol. 1. Corinth. 15. 24. et sequent.

Mystice, hæc facit quotidie Deus in Christi posteris, puta Christianis Regibus, Prælatibus, Pontificibus, quorum iura et regna propagat, debellando hæreticos, Turcas, infideles, illosque eis subiiciendo, ut ita Ecclesia, et regnum Christi dilatetur et magnificetur.

**EGO MOVEBO CÆLUM PARITER ET TERRAM.** ) Commotionibus, scilicet, et translationibus monarchiarum, de quibus paulo ante dixi, ac aliis quas recensui v. 8. ita S. Hieron.



Vers. 25. **ET CONTERAM FORTITUDINEM REGNI GENTIUM.** ) Sic Persas iam tum dominantes Iudeis contrivit Deus per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per mutua et civilia bella.

**ET DESCENDENT.** ) Id est, cadent, sive coincident in terram occisi et mortui, q. d. Futura sunt asperrima bella et strages inter Græcos, Persas et Romanos; et tamen inter ea servaba te unum, id est, tuam familiam, o Zorobabel: quia hæ strages parant viam regno et monarchiæ Christi ex te nascituri, iuxta visionem Daniel, cap. 2. ubi cum recensisset contritionem statuæ quadrifidæ, significantis quatuor orbis monarchias, per lapillum de monte sine manibus præcisum, puta per Christum, subdit de eius monarchia v. 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, etc. et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.*

Vers. 24. **SERVE MEUS.** ) Non tantum Zorobabel, sed et Christus, quem hæc omnia tangunt, qua homo, vocatur, et revera est servus Dei, ut dixi Isaïæ c. 42. 1. *Eecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.*

**PONAM TE QUASI SIGNACULUM.** ) Hebr. **חֹתָם** *chotam*, id est, sigillum signatorium, præsertim in annulo, quo Primo, tum edicta et litteras, tum arcas et alia secreta, vel pretiosa, ac nominatim testamenta, obsignabant et custodiebant veteres. Radix enim **חָתַם** *chatum*, significat ocludere, obsignare, sigillo confirmare, claudere et communire. Sic Darius iussit obsignari annulo suo os laei leonum, in quem coniectus erat Daniel, ne quis eum occideret vel læderet, Daniel. 6. 17.

II. Secundo, sigillum hoc annuli erat in pala incisum iaspidi, alterive gemmæ pretiosæ: quocirca annulum gestabant in digito ad ornatum, ut eo suam nobilitatem, stemmata et insignia gemmæ incisa ostentarent. Sic Africanus patris imaginem incidit annulo: Augustus sphingem, ac deinde effigiem Alexandri Magni: alii leones, dracones, etc. Hinc filio prodigo in gratiam recepto pater iubet dari annulum, in signum restitutæ dignitatis, Lucæ 15. v. 22. Unde Syrus pro *chotam* vertit, *sigillum*: Arabicus vero uterque, *annulum*, scilicet signatorium, qui reipsa est signaculum et sigillum.

III. Tertio, annulus dabatur legatis qui mittebantur ad exterar gentes, tum honoris, tum auctoritatis et fidei eis conciliandæ causa: item victoribus et triumphatoribus, teste Plinio lib. 33. c. 1. Sed maxime amicis charissimis et fidelissimis. Ita Pharao Iosepho dedit suum annulum, Genes. 41. 42. et Assuerus Aman intimo suo, Esther 3. 10. Hinc Cicero ad Q. Fratrem eum monet: *Sil, inquit, annulus tuus non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.*

IV. Quarto, annulus inter sponsos signum erat coniugii, mutique amoris, qui utriusque uti digitum, ita et cor mentemque, annulo, id est, charitatis vinculo et symbolo, copularet. Hinc signum est fidei coniugalis, eiusque coniuges admonet. Unde gestatur in digito quarto manus sinistrae, qui inde annularis dicitur, eo quod habeat venam tendentem ad cor, inquit S. Ambros. lib. de Patriarchis, et Gellius lib. 40. Ut digitus ille qui cordis est indicium, annulo quasi corona honestetur, inquit Pierius lib. 41. Hinc et veteres imaginem eius quem amabant in annulis gestabant, ut illum semper intuerentur, et de eo iugiter cogitarent. Hinc sponsus a sponsa petit Cant. 8. 6. *Pone, inquit, me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ut scilicet non aliud videas, cogites et ames, quam me; ut videaris habere cor et brachium obsignatum meo annulo, imo meipso, tanquam custode ac domino cordis atque operum omnium; ut ab iis aliis omnes excludas. Insuper, ut quasi mollis cera fingi te patiaris, neque aliud exprimas in moribus, quod non ego prius tibi impresserim. Id enim decet in connubio hoc divino, quo mihi astricta es. Sic Cicero l. de Finibus, testatur discipulos et amicos Epicuri, eius imaginem in annulis gestasse.

Quinto, annulus prisca habitus est symbolum et causa prudentiæ, ut scilicet eo temporum successus vicesque, et quid quolibet agendum esset, cognoscerent. Ita Iarcha septem annulos dedit Apollonio Thyaneo, ait Philostr. in eius Vita lib. 3. cap. 13. septem stellarum nominibus insignitos, quos Apollonius singulos singulis diebus gestabat. Verisimile est fuisse magicos, quales Clemens Alexand. lib. 5. Strom. habuisse Excestum Phocensium tyrannum memorat: ex quibus inter se collisis sonumque excitantibus, rerum gerendarum opportunitates cognoscebat: sed male malus cum suis annulis periit. Aristophanis Scholiastes scribit Eudemum Philosophum physicos annulos fecisse contra demones, et serpentes. Arabicus codex de annulo Salomonis narrat, Salomonem annulum fatalem habuisse, cui vis illa sapientiæ mirabilis tenebatur implicata, quem amasiæ eius in Iordanem proiecerunt, indeque suis illecebris regem sapientissimum dementarunt. Verum cum postea annulus in ventre piscis repertus Salomoni esset redditus, illico in eo sapientiæ reviguit. Refert hæc Pineda lib. 3. de Rebus Salom. c. 29. Fabelam Iudaicam esse autumo. Celebris est Gygis annulus, quo ipse omnia videns, a nemine videbatur, itaque regem Lydorum occidit, et regnum occupavit, de quo S. Ambr. lib. 3. de Officiis cap. 5. ex Platone. Sed et hic magicus fuit. Sic enim magi hodie demones familiares habent in annulis, a quibus discunt arcana. Illud verum, artificem peritissimum annulo Caroli V. Imp. horologium integrum, cum tot librametis, currentibus et recurrentibus rotulis inclusisse. Rem tantam in tantillo annulo omnes admirati sunt. Nimirum sapiens momenta temporum et rerum habet in manu.

*Felix cui cælum terræque patebant  
In digitis.*

Ita Nicolaus Caussin lib. 11. Par. Histor. c. 66. 67. et 68. Sic annuli astronomici docent signa cælestia, solis progressus, et horarum spatia. Annuli ex equo marino cohent spasmum. Alii ex certis gemmis resistentibus melancholiam, maniam, epilepsiam, iuvant ad mentis serenitatem, iudicium et sapientiam.

Iam ut hæc applicemus Zorobabeli, et genuinum huius loci sensum aperiamus, advertendum est, Aggæum alludere ad Ierem. 22. 24. ubi impio Iechonias regi Iuda has minas intentat Deus: *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu querentium animam tuam, etc. in manu Nabuchodonosor, q. d. Etiamsi Iechonias mihi ita necessarius, coniunctus, charus et pretiosus esset, ac est annulus signatorius, qui nunquam de manu gestantis ac sigillantis auferitur, uti fuit eius avus Iosias, et atavi, David, Iosaphat et Ezechias; tamen ob eius scelera a me evellam illum, atque in Babylonem traducam, tradamque in manus Nabuchodonosoris. Iechonias fuit avus Zorobabelis: Iechonias enim genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel. Quod ergo avo ob impietatem Deus abstulit, nimirum esse signaculum vel annulum signatorium Dei, hoc hic nepoti eius Zorobabeli ob pietatem restituit. Unde et effecit, ut, sicut Iechonias fuerat dux euntium in captivitatem Babylonicam, ita Zorobabel nepos esset Dei nomine dux inde redeuntium Hierosolymam. Sicut ergo principes sigillum regum, quod Cancellario ob scelus ademerunt, reddunt filio vel nepoti, ob eius merita; ita facit hic Deus. Unde de eo ait Eccles. c. 49. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextera manu.**

Porro Zorobabeli, quinque sigilli dotes iam recensite congruunt, tam in sua persona, quam in persona Christi ex eo progeniti, de quo proprie hic agitur, ut communiter docent Interpretes, quos sequitur Emmanuel et Mariana.

In sua persona. Primo, quia, sicut annulus signatorius præ omnibus rebus custoditur, ita Deus custodivit Zorobabelem, eiusque stirpem præ stirpe aliorum regum. His nec enim eum opponit dicens: *Subvertam solium regno-*

Annuli usus et insignia.

I.

II.

III.

IV.

D

V.

Zorobabel annulus dei.

*rum, et conteram fortitudinem regni Gentium; sed assumam te o Zorobabel, et ponam quasi signaculum: quia te elegi, q. d. Perdam alios reges et regna, te vero quasi anulum meum custodiam, cordi et curæ habebo, faciamque ut sis quasi sigillum obsignans et custodiens, non tantum corpus Darii regis, 3. Esdræ 3. v. 3. iuncto cap. 4. v. 13. sed et totum populum Israel, cuius meo nomine eris liberator et redux.*

II. Secundo, es mihi honori et ornamento instar anuli aurei: tum quia mihi domum meam ædificas: tum quia rempubl. populi mei in meo cultu continens et promoves. Reipubl. ergo pariter es decus et gloria, perinde ac Iudith, cui victrici acclamat populus c. 15. 10. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

III. Tertio, es meus legatus, tum ad Darium, tum ad populum, ut utrisque meam voluntatem, legem et iussa exponas, ideoque esse mihi instar annuli: quia tibi auctoritatem et fidem apud utrosque conciliavi; ut in omnibus tibi fidem habeant quasi legato a me misso, et anulum meum gestanti.

IV. Quarto, es mihi charus et coniunctus quasi annulus, ut te semper præ oculis, cordi et curæ habeam. Unde Chald. vertit, *ponam te sicut sculpturam annuli super manum.* Hinc faciam te quasi generum meum, ut scilicet ex te carnem sumat filius meus unicus, atque adeo eundem filium meum gignas ut hominem, quem ego genui ut Deum. Hinc Arias sic explicat, q. d. Sicut sigillum in certa annuli parte solet constitui, ita nomen tuum, o Zorobabel, familiæ et genealogiæ Christi inseram, ut æternum sit et gloriosum, nec ullo tempore vel oblivione possit deleri, ut reipsa illi insertum est, Matth. 1. 12.

V. Quinto, do tibi sapientiam annulo repræsentatam, unde in problemate: *Quid esset fortissimum?* Zorobabel respondens esse veritatem, præmium sapientiæ tulit a Dario, 3. Esdræ 4. v. 13. et 42. Hinc et populum sapienter rexit, a Samaritis defendit, eique Darium conciliavit. Quocirca postquam populum in Ierusalem reduxit, ipse Babylonem rediit, ut causam populi apud regem ageret, ibique defunctus est.

Christus est annulus Patris

Verum potius hæc competunt Zorobabeli, in persona non sua, sed Christi: de eo enim ad litteram loquitur Aggæus, dicens, *In die illa, scilicet tempore Christi, q. d. inquit a Castro, Assumam tuam carnem, o Zorobabel, quam quasi anulum signatorium aureum inseram dexteræ meæ; nempe filio meo, qui est meum brachium, mea dextera, mea virtus et fortitudo, Isaïæ 53. v. 1. ut tali filio ex te progenito colaris ab omnibus et glorificeris, imo super universos reges exalteris ac quasi deificeris, in natura humana, quam ex tua posteritate filius meus assumet, sibi que uniet et deificabit, idque in æternum, ut ei semper in omnia sæcula adhæreat, sicut annulus digito. Vel ponam te quasi signaculum, id est, faciam stirpem et propaginem tuam quasi anulum in orbem euntem, cuius extrema uniantur in pala continente sardonychem, id est, Christum Filium Dei, qui est sigillum et character Patris. Sicut enim de Adam, qui in hoc orbe genealogiæ Christi est primus, dicitur Lucæ 3. 38. *Qui fuit Dei,* ita ultimus in eo Christus, pariter est filius Dei. Insuper; sicut manus ornatur annulo, ita ego filium meum carne, quam ex tua stirpe assumet, quasi annulo ornabo. Sic enim de Ecclesia ait Isaïas c. 62. 3. *Eris quasi corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.**

Zorobabel fuit typus Civitatis septupliciter.

Porro Zorobabel fuit typus et figura Christi Primo, suo ducatu, et reductione populi e Babylone; uti Christus nos liberavit a peccato, morte et gehenna. Secundo, quia ædificavit templum, uti Christus Ecclesiam. Tertio, sua protectione populi apud Darium, uti Christus advocatus est noster apud Patrem. Quarto, sua propugnatione, pugnano contra Samaritas volentes impedire fabricam templi, uti Christus pugnat pro suis Martyribus et fidelibus. Quinto, quia, ut Zorobabel pro populo vixit et mortuus est in Babylone; ita Christus in mundo, qui est Babylon, id est, confusio vitiorum et malorum omnium. Sexto, sicut Zoro-

babel Deo charus et coniunctus fuit, ita Christus eidem fuit coniunctissimus, adeoque humanitatem suam Verbo hypostatice univit et coniunxit. Septimo, quia, uti Zorobabel fuit sapiens, ita Christus est sapientissimus.

Verus ergo Zorobabel, id est, Christus Zorobabelis filius et antitypus est signum, id est, sigillum, in manu Patris: tum passivum, scilicet ab eo expressum; est enim eius Verbum et imago: tum activum, quo scilicet Deus suam maiestatem, cogitata et dicta obsignat, suamque imaginem angelis, hominibus et creaturis omnibus, ac præsertim Apostolis et Ecclesiæ sui imprimit, idque iuxta quinque sigilli dotes initio recensitas. Nam Christus, ut docet Apostolus Hebr. 1. 3. est imago Dei invisibilis, nimirum *splendor gloriæ, et figura substantiæ eius*, qui scilicet illam quasi Verbum, et sigillum et character, ut habent Græca, obsignat.

Ubi Nota. Christus hic ab Aggæo vocatur *signum*, sive sigillum Dei quæ homo, non quæ Deus: humanitatem enim, non deitatem, ex Zorobabelis carne et stirpe assumpsit. Christus ergo quæ homo, est sigillum Dei. Primo, per communicationem idiomatum, per quam ea quæ sunt Dei

Christus est sigillum Dei Patris quadrupliciter.

tribuuntur homini: quia enim Filius Dei est sigillum et imago Patris, hinc et hic homo hypostatice unitus Filio Dei, putat Christus, est sigillum et imago Patris. Secundo, formaliter, quia Verbum sui similitudinem impressit humanitati; puta suam scientiam, virtutem, sanctitatem, suas cogitationes, locutiones, actiones et mores. Tertio, quia Christus homo fuit signaculum, id est, evidentissimum signum et testimonium attributorum Dei, puta potentia, iustitiæ, sapientiæ, ac præsertim philanthropiæ et amoris immensi erga homines; ut hæc enim ostenderet Deus, voluit filium suum incarnari. Christus ergo incarnatus est quasi sigillum expressum, in quo legimus, imo expressum et depictum videmus Dei amorem, potentiam, iustitiam, sapientiam, etc. Quarto, quia Christus instar signaculi testatus est, et certos nos fecit, quænam esset voluntas Dei, quænam eius doctrina, lex et iussa, nimirum ea quam in Evangelio promulgavit et docuit. *Deum*, ait S. Ioan. c. 1. 17. *nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Hac de causa Deus dedit Christo potestatem faciendi miracula, ut eo quasi sigillo dicta sua confirmaret, eaque a Deo sibi revelata et imperata esse demonstraret, iuxta illud Ioan. 6. 27. *Hunc enim Pater signavit Deus.*

Deus ergo subvertens monarchias et monarchias Persarum, Græcorum et Romanorum, ut docet Aggæus, Zorobabelem, id est, Christum Zorobabelis filium, assumpsit, et posuit quasi signum, ut scilicet esset sigillum regni divini et Regis regum, puta Dei Patris, qui exclusis cæteris, solus per Christum regnare volebat in orbe terrarum per suam fidem, gratiam et legem Evangelicam. Deus enim, quia in se est invisibilis, hinc filium suum vestivit et velavit carne, ut per eam ipse quasi transpareret et traderet, sicut transperet per cælum et stellas, iuxta illud Iob 9. 7. *Stellas claudit quasi sub signaculo, id est, stellas clausit et abscondit Deus sub procellis et tenebris, quæ sunt quasi signacula, velamina et insignia divinae potentia, maiestatis et gloriæ, pariter ac stellarum, in quibus quasi facibus illa scintillat et emicat.*

Hinc secundo, Christus quasi sigillum Patri æque, ac Ecclesiæ, quin et angelis, omnibusque creaturis, et toti universo fuit honori et ornamento, adeoque ipse omnium fuit decus et gloria. Verbum enim incarnatum hominem Verbo, terram cælo, creaturas omnes Deo non tantum reconciliavit, sed et in sua hypostasi physice copulavit et univit.

Tertio, Christus fuit sigillum, quasi legatus Patris ad homines, iuxta illud Isaïæ 53. 4. *Ecce testem populis dedit eum, ducem ac præceptorem Gentibus.*

Quarto, Christus fuit sigillum, id est, dilectissimus, pretiosissimus et coniunctissimus Patri, eiusque et pariter totius mundi delicia, exultatio et iubitus. Eius enim humanitas, quasi sponsa desponsata fuit Verbo quasi sponso:

Christus est sigillum divini regni quadrupliciter.

I.

II.

III.

IV.

undo eius epithalamium canit Sapiens toto Cantico can-  
ticorum.

V. Quinto, Christus fuit sigillum, id est, Sapiencia Patris  
increata, qua Verbum; creata, qua homo. Unde ipse re-  
velavit nobis arcana Patris, et abscondita a constitutione  
mundi, Matth. 13. 35.

Mystice, Christus est sigillum Dei, quia sua effigie, puta  
sua fide, gratia, virtute et moribus, aque ac caractere,  
in baptismo, aliisque Sacramentis obsignat suos fideles.  
Deus enim misit Christum, quia *voluit nos conformes fieri  
imaginis filii sui*, Rom. 8. v. 29. ut, *sicut portavimus ima-  
ginem terreni Adæ, ita portemus et imaginem celestis*, 1.  
Cor. 15. 49. Et cum Apostolo dicamus: *Vivo ego, iam non  
ego, vivit vero in me Christus*, Galat. 2. 20.

Secundo, Christus quasi sigillum obsignat et custodit  
fideles suos contra omnes tentationes et hostes. Porro  
Christi sigillum est crux, iuxta illud Ezech. 9. 4. *Signa-  
thau super frontes virorum gementium*. Et Apocal. 7. 2.  
*Vidi alterum angelum, etc. habentem signum Dei vivi*.  
Cruce enim nos communit contra illecebras carnis, mundi  
et diaboli, facitque nos assecelas, milites et Martyres Chri-  
sti crucifixi. Unde Apostolus: *Ego, ait, stigmata Domini  
Iesu in corpore meo porto*, Galat. 5. v. 17. Quocirca Chri-  
stus per crucem est labarum et signum militare contra  
hæreticos, Iudæos et Paganos, inquit Rupert. Rursum  
cruce Christi est medicina curans spasmodum superbiam, epi-  
lepsiam iræ, maniam luxuriæ, melancholiam acedia, etc.  
Ubi ergo crucem vides, scito rem esse bonam et Deo gra-  
tam, quia sigillum Christi illi impressum vides. Talia sunt  
pœnitentia, mortificatio, abnegatio, ansteritas, persecu-  
tio, humiliatio, patientia, contemptus, opprobria, carce-  
res, martyria. Ex adverso sigillum diaboli est voluptas:  
ubi ergo illam vides, cave quasi a serpente. Talia sunt  
sequi suos appetitus, mollities, libertas, ambitio, æstima-  
tio sui, laudes, adulationes, plausus, etc. Quod ergo spon-  
sus dicit sponsæ Cant. 8. v. 6. *Pone me ut signaculum  
super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*; hoc  
nos vicissim ei dicamus, petamusque ut ipse obsignet o-  
mnia cogitata, dicta et facta nostra, ut nihil cogitemus,  
dicamus, agamus, nisi ex ipso, per ipsum, in ipso, propter  
ipsum. Tu enim, o Iesu dulcissime, es signum sagittan-  
tium, vexillum pugnantium, bravium currentium, distin-  
ctio ovium, custodia cordium, exemplar operantium, for-  
ma normaque servorum, sigillum et character militan-  
tium, annulus, corona, et diadema triumphantium. Eia,  
Domine, imprime animæ meæ tuam imaginem, imo te ip-  
sum; obsigna eam annulo amoris tui, ut eo obsignata  
nihil posthac diligat præter te: quia tu es tota possessio  
totaque beatitudo cordis mei. Tu es vita perennis, per  
quam vivo, sine qua morior: vita, per quam gaudeo, si-  
ne qua mœreo: vita dulcis et amabilis. Da, Domine, ut  
anima mea virtute ardentis charitatis tuæ conflata, et  
dulcedine penetrantis dilectionis tuæ, quasi cera liquefa-  
cta, tota effluat in te. Posside eam summum atque in-  
commutabile bonum: posside eam, ut ipsa possideat te.  
Da ut te amplectar, et suavi amore soporatus in te, qui  
es pax gratissima, sancte obdormiscam. Da ut omnia tran-  
sitoria, omnesque mundi altitudines, species et deliciae  
mibi vileseant: tu solus placeas, te solum cogitem, amem,  
loquar, eructem.

Tropologice, fidelis debet esse signaculum Dei; tum  
passivum, expressum scilicet ex exemplari divino, eius-  
que imagine, ad quam creatus, et a Christo recreatus est,  
insignitum; ut Deum, Deique virtutes in corde, ore et o-  
pere referat et exprimat: tum activum, ut scilicet eandem  
Dei imaginem aliis omnibus imprimat, ut omnes sentiant  
illud psal. 4. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui  
Domine*; ac proinde signacula omnia mundi, carnis et  
diaboli dirringat et obiciat. Narrat ex Ptolemæo Nicol.  
Cassinus lib. 11. Paral. histor. cap. 6. 5. Helenam ob-  
signasse suas litteras Asterite lapide, eodem ea vis est, ut  
soli obiectus accendatur, impressa in eodem piscis Panis  
figura; ac symbolico sic explicat: *Poterit, inquit, in eos*

Tropol. fidelis est sigil- lum Dei duplici- ter.

A torqueri, qui caelum miscent terræ, profana divinis, amo-  
rem Dei amoris carnis et mundi. In eodem enim annulo  
caelesti lapidi iuncta erat figura Panis: nam et hic piscis  
Pani similis est, a quo nomen accepit: Pan autem est im-  
purus et salax Deus. Quid facit stella cum terris, lux cum  
tenebris, puritas cum impudicitia, amor Dei cum amore  
mundi, imago Dei cum imagine diaboli? Sicut ergo cera  
non aliam imaginem refert quam sui sigilli, ita fidelis  
non aliam similitudinem, non aliam vitam, non alios mo-  
res referat quam Christi et Dei, iuxta illud Pauli: *Imita-  
tores mei estote, sicut et ego Christi*. Fuit Paulus sigillum  
Christi, omnibus eius doctrinam et mores imprimens.  
Tales simus et nos: sic erimus pariter sigillum Christi,  
et annulus signatorius in manu Dei: ita nobis competet  
illud eiusdem, 1. Corinth. 9. 2. *Signaculum apostolatus  
mei vos estis in Domino*; imo illud olim Cherubini et re-  
gis Tyri: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia,  
et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis  
lapis pretiosus operimentum tuum*, Ezech. 28. 12. Ac tan-  
dem sigillo et annulo gloriæ suæ obsignabit, imo donabit  
nos Deus: hoc est enim signaculum prædestinationis et  
electionis Dei, de quo Apostolus 2. Timoth. 2. 19. *Fir-  
mum, ait, fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc:  
Cognovit Dominus qui sunt eius, et discedat ab iniquitate  
omnis qui nominat nomen Domini*.

Pii ergo et zelosi reges, principes, rectores, doctores,  
predicadores, etc. instar Zorobabelis et Christi sunt qua-  
si sigillum et annulus aureus in manu Dei, quo ipse suos  
fideles obsignat, eisque suam imaginem suosque mores  
divinos imprimit. Hic itaque eis sit acer stimulus ad vir-  
tutem et zelum, ut scilicet cum Elia zelentur pro domo  
Dei, et pro animarum sibi heredarum sanctitate et salu-  
te. Quinimo sciant se fore os Dei, iuxta id quod promisit  
Deus Jerem. 15. v. 19. *Si separaveris pretiosum a vili, qua-  
si os meum eris*. Denique S. Ambros. per signaculum ac-  
cipit pacem animæ, per quam ipsa quasi consignatur et  
insignitur imagi Dei. Verba Ambrosii citavi v. 40.

C QUIA TE ELEGIT.) Chald. *quoniam in te mihi complacui*.  
Ita Christo in Iordane baptizato vox caelestis a Patre al-  
lapsa est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi com-  
placui*, Matth. 3. 17. Christus enim fuit amor et deliciae  
Patris, ideoque eius iram in genus humanum placavit,  
factusque est propitiatio et reconciliatio mundi, uti passim  
docet S. Paulus. Quare quod de Scipione dixit antiquitas:  
*Neque Roma cadet Scipione stante, neque Scipio vivet ur-  
be cadente*; hoc longe verius dicas non tam de Zorobabe-  
le, quam de Christo: *Neque Ecclesia cadet Christo stan-  
te*; nec Christus stabit, si (quod absit) Ecclesia cadat.

Pro conclusione prophetiæ Aggæi: nota eam totam spe-  
tare et urgere restaurationem templi ad litteram; sed Al-  
legor. per fabricam templi representare fabricam Eccle-  
siæ erigendam a Christo: et Tropol. institutiones Ord-  
inum et Religionum faciendas a S. Basilio, Antonio, Benedi-  
cto, Augustino, Hieronymo, Bernardo, etc. Item fabri-  
cam virtutum in anima sancta. Porro multæ sunt analogiæ  
inter fabricam templi corporalis et mystici, puta Eccle-  
siæ, congregationis, collegii, Religionis, ac animæ eu-  
iuslibet sanctæ: Primo enim sicut templum est domus Dei,  
illi certis ritibus dicata et consecrata; ita est et Ecclesia,  
Religio ac anima sancta. Ritus hi consecrationis templi  
sunt quinque, scilicet, Aspersio, Inunctio, Inunctio, Il-  
luminatio, Benedictio. Aspersio fidelis et Religiosi, ait S.  
Bernardus serm. 1. de dedicat. Ecclesiæ, est pœnitentia.  
Inscriptio, legis et disciplinæ Religiosæ, fit in cinere, hoc  
est in corde eius instar cineris contrito, idque ab Episco-  
po, puta a Christo. Unctio, est ubertas gratiæ, eidem ab  
eodem infusa. Illuminatio, sunt opera quæ ex Religione  
prodeunt, ut luceant coram hominibus, ut glorificent Pa-  
trem caelestem, et ipsi videant quid imitentur. Benedictio  
signum est æternæ gloriæ, quæ et gratiam sanctificationis  
complebit, et præterita opera copiose remunerabitur.

Secundo, in templo consecrato vigilant angeli, uti ex  
multis eorum apparitionibus ibidem factis constat: sic et

Prælati et docto- res sunt annulus Dei.

Analogiæ octo inter ani- mam sanctam et tem- plum.

II.

sanctam animam frequenter visitant angeli atque archangeli, et honorificant; utpote Dei templum, et habitaculum Spiritus sancti. Esto ergo templum Dei, et Deus excelsus habitabit in te. Anima enim Deum habens in se, templum Dei est, in quo divina mysteria celebrantur, ait S. Bernardus de Inter. domo c. 3.

III. Tertio, domum Dei, tam corporalem, quam spiritualem decet sanctitudo: quia non tam politis marmoribus, quam ornatis moribus delectatur; et puras magis diligit mentes, quam super auratos parietes, ait S. Bernar. ad milites templi cap. 5. Idem de natura divini amoris, c. 13. Templum hoc, ait, cum ornatum fuerit præscriptarum positione virtutum, et supradicto dedicandi ordine dedicatum, nullos ulterius alienos titulos potest suscipere, nullum habitorem nisi Deum, qui condidit illud et creavit. Nihil ergo ultra terrenum sancta illa anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit aut curat, ex quo regressa est a loco sarcinarum; etsi aliquo horum aliquando quasi in transitu utitur, sed frui dedignatur. Si quid in huiusmodi prosperum evenerit, pertransit; non conturbatur, si quid adversi contigerit. Quidquid ad corpus spectat, sive bonum, sive malum, foris est, nec potest pertingere ad eum qui intus est. Et S. August. explicans illud psal. 64. Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate, vel, ut ipse legit, in iustitia: Non dixit, inquit, Templum sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in lectis auratis, sed mirabile in iustitia.

IV. Quarto, templi fabrica fit e multis lapidibus, sed politis; ita Ecclesia consurgit e fidelibus cruce et mortificatione expolitis, iuxta illud Ecclesiast. officii in dedicat. templi:

*Tusionibus, pressuris  
Expoliti lapides,  
Suis coaptantur locis,  
Per manus artificis,  
Disponuntur permansuri  
Sacris ædificiis.*

V. Quinto, lapides fabricæ inter se consociati et colligati integrant templum: ita et fidelium consociatio Ecclesiam. Quocirca Primo, sicut unus lapis positus in sublimi, vel in altari, non despiciat alterum qui ponitur in pavimento, vel fundamento; nec hic illi invidet, imo libens sustinet totam ædificii molem; ita in Ecclesia Prælati et Doctores non despiciunt subditos et plebeios; nec hi illis invident: sed utrique sua sorte et vocatione, locoque et gradu in quo a Deo eiusque vicariis positi sunt, contenti lætique, totam Ecclesiæ fabricam concinnant. Secundo, sicut lapides templi calce compagiuntur, alioqui ruituri et fabricam eversuri: ita fideles constringuntur charitate, hæc enim est glutinum, unio, et quasi anima Ecclesiæ, quæ alioqui dissolveretur et dissiparetur. Unde S. Augustinus in psal. 10. Templum, ait, Dei violat qui violat unitatem. Tertio, sicut in fabrica lapis lapidem portat; ita in Ecclesia et Religione fidelis fidelem, frater fratrem, eiusque mores et infirmitates tolerat et supportat, cogitans, ait S. Gregorius, se vicissim ab alio portari; et, si forte iam non portetur, aliquando portatum fuisse, ut disceret eandem portandi vicem aliis aliquando rependere. Porro vir sauctus non tantum fratris infirmitatem portat, sed et eandem sanare et emendare nititur, sicut manus satagit membrum afflictum alligare et curare. S. Gregor. 20. Moral. 26. Plus, ait, nonnumquam est compati ex corde, quam dare; quia quisquis indigenti compatitur, minus æstinat omne quod dat. Et mox: Quia rem quamlibet plerumque dat etiam qui non compatitur, nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit negat. Rursum nemo est tam rudis, tam vilis et miser, qui non possit evadere insigne instrumentum, imo templum gloriæ Dei, si debita cura expoliatur. Hæc tria pariter sunt in fideli anima et sancta. Nam Primo, oculos non despiciat pedem, nec pes invidet oculo; sed suo loco et officio contenti in idem corpus conspirant, ut docet Apostolus 1. Corinth. 12. toto capite. Secundo, omnes animæ poten-

tiæ et vires charitate colligantur. Unde S. Bernard. tractatu de Conscientia sub initium: Videat, inquit, anima, et sollicitè caveat ne a se invicem membra dissidant, id est, Ratio, voluntas et memoria. Dignum habitaculum parat Deo, cuius non est ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria inquinata. Tertio, invicem se tolerant membra, et potentiæ, mutuoque operi succollant. Medium ad hæc opportunum suggerit S. Bernard. loco iam citato: Redi, inquit, ad cor tuum, et diligenter discute teipsum: considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, et quantum quotidie proficis, vel quantum deficis: quibus cogitationibus magis incuraris, quibus affectibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum machinis a maligno spiritu acrius impugnaris. Et cum totum interioris et exterioris hominis statum et habitum, in quantum possibile est, plene cognoveris, non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debeas, ex cogitatione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei.

Sexto sicut Deus colitur in templo orationibus, votis, oblationibus, sacrificiis: ita iisdem colitur in Ecclesia, Religione et anima sancta, quæ Deo offert seipsam in holocaustum per tria Religionis vota: corpus per penitentiam, in sacrificium pro peccato: gratiarum actionem, et obsecrationem, in sacrificium pacificum. Unde S. August. lib. 10. de Civit. c. 6. Ipse homo, inquit, Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est. Corpus enim fit sacrificium, cum illud temperantia ad Dei honorem castigamus: anima vero cum se refert in Deum, ut igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quod de eius pulchritudine acceperit. Idem S. Augustinus de Natura et gratia, c. 6. 4. laudat dictum S. Sixti Pontificis et Martyris, cuius Diaconus fuit S. Laurentius: Deus, ait, libertatem arbitrii sui permisit hominibus, ut pure et sine peccato viventes fiant similes Deo. Et: Templum sanctum est Deo mens pura, et altare optimum est ei cor mundum. In hoc sacrificio ergo sacerdos, est ipse fidelis, et Religiosus: cultor, est odium sui, carnis et mundi: ignis, est charitas: victima, sunt corpus et anima cum suis membris et potentiis, quæ moriuntur mundo, sed melius vivere incipiunt Deo. Ad hanc hortatur S. Paulus Roman. 12. 1. Obsecro, ait, vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et S. Petrus epist. 1. cap. 2. 5. Et ipsi, ait, tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, per Iesum Christum.

Septimo, Deus in templo, quasi paterfamilias in domo, adest et præest: ibi exaudit orantium preces et vota, ibi beneficia largitur, ibi dat oracula: sic et in Ecclesia, Religione et anima sancta Deus præsens est, imo præsidet: hinc illam suis illustrationibus illuminat, suis impulsibus agit regitque ad omne bonum, postulata quæcumque concedit. Unde infert S. August. serm. 210. de Temp. Quoties, ait, aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei destruimus, et ei qui in nobis habitat iniurias irrogamus.

Ubi consideratio dignum est, Spiritum sanctum, ac consequenter totam Sanctam Trinitatem, in anima iuxta præsentem esse, non tantum per charitatem et sua dona, sed et per seipsam substantialiter et personaliter, ita ut, si per impossibile prius non fuisset præsens per substantiam, iam per iustitiam et sanctitatem fieret substantialiter præsens, uti cum S. Thoma, Bonavent. et aliis passim docet fuse Francisc. Suarez lib. 12. de Deo trino et uno cap. 5. Quod sane miræ est dignationis divinæ, æque ac dignitatis nostræ. Quocirca anima sancta sciat in se quasi in templo vivo, vive et substantialiter habitare Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, iuxta illud promissum Christi Ioann. 14. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus diliget eum: et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Ergo non est

VI.

VII.

VIII.  
In iusto  
substantially  
habitat  
Deus.

necesse ut Deum extra se quærat, et ad eum exeat: habet enim eum intra se. Itaque cum per fidem iugiter intueatur, semper in tantæ maiestatis oculis digne et reverenter versetur, cum ea pie et affectuose colloquatur: nil faciat quod eum vel leviter offendat: omnes spes et res in eo delingat, omnes tribulationes in eum coniciat, cum ex toto corde amet, reveretur et colat: in eo plane conquiescat, et cum Psalte dicat: *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, psal. 49. Quare merito S. Bernard. lib. de Interiori domo cap. 22. *Conscientia bona*, inquit, *titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus et clausus, et in die iudicii aperiendus. Nihil est iucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia: premit corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit segura. Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, percat, transcat, nunquam marcescit bona conscientia. Subiciatur corpus in pœna, in ieiuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affigatur, segura erit conscientia. Causa est, quam dat Moses Levit. 26. 12. et ex eo S. Paulus 2. Corinth. 6. 16. quia dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Quis enim timeat, habens in se Deum protectorem, confortatorem et consolatorem? Ita Christus in passione et agonia crucis stetit fortis, quietus et magnanimus. Quare? Providebam, in-*

**A**quit, *Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi ne commovear. Propter hoc latatum est cor meum, et exultavit lingua mea, et caro mea requiescet in spe*, psal. 15. et Act. 2. 25. Iubilet ergo anima sancta, esto in doloribus et tormentis constituta, quia habet Deum intra se, pro cuius amore patitur, cuiusque dextera fuleitur. Deus enim est iubilus angelorum et Sanctorum, præsertim patientium. Id experti sunt Martyres, dum equuleis, ignibus, unguis torquerentur et lacerarentur. Hoc est præludium, hic prægustus, hæc inchoatio vitæ cælestis et beatæ. Ubi enim est Deus, ibi sunt angeli, ibi iubilus, ibi felicitas, ibi gloria. Quocirca exequamur monitum S. Cypriani tract. de Orat. Dom. *Quando*, inquit, *patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus; ut quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare: ut qui cælestes et spirituales esse cœpimus, non nisi cælestia et spiritualia cogitemus, et agamus.*

**B** Porro in hac fabrica oportet Primo iacere solidum fundamentum fidei, non cuiusvis, sed vivæ et efficacis. Hæc enim sanetos incitavit ad opera ardua virtutum, ut docet Apostol. toto cap. 11. ad Hebræos. Deinde illi oportet inædificare parietes binos, timoris et spei magnanimæ. His superaddere quatuor virtutes eardinales, cæterasque eis annexas. Pavimentum humilitate sternatur. Tectum eharitate contegatur. Turris orationis et contemplationis erigatur, ex qua et hostium insidias speulemur, et Dei cælitumque opem imploremus.



## COMMENTARIA

IN

## ZACHARIAM PROPHE TAM

## ARGUMENTUM.

Zachariae etymon.

Symbola.

Argumentum.

**Z**ACHARIAS synchronos et coævus fuit Aggæo, uterque enim cœpit prophetare post captivitatem Babyloniam, anno secundo Darii Hystaspis regis Persarum, ut patet ex utriusque principio: præponitur tamen Aggæus Zachariæ; quia duobus mensibus ante eum cœpit vaticinari, nimirum mense sexto, Zacharias autem mense octavo: ita S. Hieron. Cæteri Prophetæ verbales fuerunt, et Deum loquentem per verba menti suæ immissa audierunt: Zacharias autem abundat visionibus et symbolis. Iam enim videt quadrigas, iam cornua, iam septem oculos, iam amphoram oclusam talento plumbi, iam candelabrum septididum, iam fabros, iam olivas, etc. Quocirca præ cæteris pariter obseurus est, profundus, varius, prolixus et ænigmaticus. Symbolicus ergo est, æque ac Daniel, et Ezechiel, quos secutus est S. Ioannes in Apocalypsi, ac præsertim Zachariam, ut in decursu patebit. Audi S. Hieron. ad Paulinum: *Zacharias memor Domini sui* (dicitur enim Zacharias quasi זכר יה *zachar ia*, id est, recordatus est Dei; vel quasi יה זכר *zecher ia*, id est, memoria Dei) *multiplex in prophetia, Iesum vestibus sor didis indutum, et lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit et dextris: ut post equos nigros, rufos, albos, et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Ierusalem, pauperem regem (Christum) vaticinetur, et prædicet sedentem super pul tum filium asinæ subiugalis.*

Argumentum eius est: Primo, cum Aggæo animare et urgere populum Babylone reversum ad reædificandam Ierusalem, et templum. Id patet ex 1. Esdræ 5. 1. *Prophetaverunt autem Aggæus Propheta, et Zacharias filius Ad do, prophetantes ad Iudæos qui erant in Iudæa et Ierusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel et Iosue filius Iosedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem, et cum eis Propheta Dei adiuvantes eos.* Secundo, hortari eundem ne idola et vitia maiorum imitetur, utpote quorum punitionem, stragem et captivitatem viderint. Tertio, prædicit futuros successus, et eventus varios Iudæis obventuros usque ad Christum, ac præsertim quatuor monarchiarum conversiones et successiones, quæ desinent in regnum Christi. Quarto, promittit Christum, eiusque vitam et mysteria ita particulatim recenset, ut historicus potius et Evangelista videatur, quam Propheta. Recenset enim Christi regalem et triumphalem ingressum in Ierusalem, qui contigit die palmarum, quatuor diebus ante eius passionem et mortem. Item proditorem Iudæ, institutionem Eucharistiæ, Christi passionem, plagas manuum, descensum ad inferos, educendos patriarchas, resurrectionem et gloriam, Iudæorum reprobationem, Gentium vocationem, Ecclesiæ

institutionem et dilatationem, æque ac sanctimoniam et felicitatem, persecutorum eius punitionem et interitum. Porro hæc describit per hieroglyphica, ænigmata, parabolas et sententias obscuras: vereque utitur stylo prophetico. Unde S. Hieron. in prologo: *Ab obscuris, ait, ad obscuriora transimus, et cum Mose ingredimur in nubem et caliginem. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum Dei: labyrinthæos patimur errores, et Christi cæca regimus filo vestigia.*

Porro apposite vocatur Zacharias, id est, memoria Domini: quia omnium mirabilium, quæ Deus per prophetas cæteros sparsim prædixerat in hoc uno, utpote pene Prophetarum ultimo, sibi quasi memoriam fecit: ut non iam mirum sit hominibus esse mirandum, qui Deo ipsi suorum est memoria mirabilium. Insuper S. Cyrillus hic asserit, Zachariam fuisse oriundum e tribu Levi, ut esset Levita, Sacerdos, Doctor et Propheta populi. Cum enim populus, inquit, in captivitate Babylonia, quæ duravit 70. annos, oblitus esset patriæ et Dei patrum suorum, Deus excitavit Zachariam, ut Ierusalem, templi et Dei memoriam ei renovaret, et avitam in eo pietatem instauraret. Deuique tam Zacharias quam Aggæus cœperunt prophetare anno 2. Darii Hystaspis, qui fuit annus mundi 3431. ante Christi nativitatem vero fuit annus 519.

Martyrem fuisse Zachariam censent nonnulli: putant enim ipsum fuisse Zachariam illum, de quo ait Christus Matth. 23. 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiz, quem occidistis inter templum et altare.* Unde et Zacharias hic noster iasci-bit se filium Barachiz, fuitque penultimus Prophetarum; ultimus enim fuit Malaehias: Christus autem loquitur de ultimo Propheta a Iudæis occiso. Ita Vatabl. Arias, Sanchez et Ribera hic, ac S. Chrysost. hom. 1. in Lucam de nativitate Ioannis Baptistæ: licet S. Hieron. Beda et alii multi censeant, illum Zachariam fuisse filium Ioiadæ pontificis, qui alio nomine dictus sit Barachias: hunc enim Ios rex occidit inter ædem et altare, 2. Paral. 24. 21. Alii Tertio, ut Orig. S. Basil. Cyr. Epiph. Euth. Theoph. quos sequitur Card. Baron. et noster a Castro, censent Zachariam illum Christi fuisse patrem Ioannis Baptistæ, qui occisus sit a Iudæis, eo quod Virginis partum et Christi ortum prædicasset, quodque B. Virginem post partum inter virgines in templo collocasset. Verum de hoc plura Matth. 23.

De Zachariæ oraculis et miraculis ita scribit Epiphanius in eius vita: *Zacharias Propheta natus Barachia, e terra Chaldæorum solvit, et inter proficiscendum per multa populo vaticinatus est: et demonstrationis causa multa designavit miracula. Ille est qui in os nunciavit Iosedec: Na-*

Zachariae, id est, memoria Dei, cur?

Martyrem fuisse Zachariam illum, de quo ait Christus Matth. 23. 35. Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiz, quem occidistis inter templum et altare.

Eius miracula.

sætur ex te filius, qui sacris initiatus Hierosolymis sacrificabit Domino. Hic etiam benedixit Salathiel in filio dicens: Procreabit filium, et indet nomen illi Zorobabel. De Cyro quoque rege Persarum Zacharias ostentum dedit, idque ad victoriam; signum item super Cræso Lydorum tyranno obicit, necnon et super rege Medorum Astyage, de quo publico ministerio, quod Cyrus rex designaturus esset Hierosolymis, vaticinatus est, laudibusque evexit illum, etc. decessit ultima senectute in Iudæa, et proxime cum Aggæo Propheta humatus est. Hæc si vera sunt, ostendunt Prophetas multa prophetasse quæ scripto nobis non consignarunt. Nihil enim horum extat in nostro Zachariæ libro. Eadem habet S. Dorotheus in vita Zachariæ: Zacharias, inquit, a Chaldæa venit, cum iam ætate esset proæcta, atque ibi populo multa vaticinatus est prodigiisque probandi gratia edidit: et sacerdotio Hierosolymis functus est. Idem et Salathiel cum filiis benedixit, et nomen Zorobabel imposuit; et Persis sub Cyro dedit victoriam cultu illius,

quem facturus erat Hierosolymis, illumque vehementer benedixit. Quæ vero prophetium concernebant, vidit Hierosolymis, et de fine Gentium, de templo, de otio, de Prophetis et sacerdotibus, ac de duplici iudicio exposuit. Mortuus est in senectute gravi, et sepultus prope Eleutheropolim: temporibus vero Ephidii Episcopi manifestatus, quod ipse esset Zacharius filius Barachiz cuius meminit Isaias cap. 8. v. 2.

Sanctorum catalogo ascriptus est die sexta Septem-Sanctibus, ubi de eo in Martyrol. Romano sic legimus: Zachariæ Prophætæ, qui de Chaldæa senex in patriam reversus, iuxta Aggæum Prophetam conditus iacet. Inventum est venerandum eius corpus sub Theodosio Imper. iuniore, apparente et iudicante ipso Zacharia, uti refert Sozomenus lib. 9. cap. ultimo, et ex eo Baron. anno Christi 415. Quamquam quæ ibi a Iudæo accepta adduntur, ad Zachariam filium Ioizadæ pontificis, non ad nostrum hunc Prophetam spectant.

## C A P U T P R I M U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Proposita patrum culpa et pæna, puta excidio et captivitate Babylonica, stimulat Iudæos, ut ab eorum idolis et vitiiis, ad Deum et virtutem constanter se transferant, ne similem novamque cladem eis infligat Deus. Secundo, vers. 7. per equos nigros, rufos, varios et albos, varium Gentium, miserum vero Reipublicæ Iudæicæ statum præsentem representat. Unde videt angelum stantem inter myrteta, et orantem: Usquequo tu non misereberis Ierusalem? Iste iam septuagesimus annus est, qui exauditus audit, Deum Iudæis pacem et bona daturum, ut Ierusalem reædificetur, hostesque eorum perditurum. Hinc v. 18. videt quatuor fabros deferentes quatuor cornua, quæ afflixerunt et ventilaverunt Iudam.*

1. **I**N mense octavo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiz, filii Addo, prophetam, dicens: 2. Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. 3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. 4. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis: et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. 5. Patres vestri ubi sunt? et prophetæ numquid in sempiternum vivent? 6. Verumtamen verba mea, et legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, et conversi sunt, et dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras fecit nobis? 7. In die vigesima et quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiz, filii Addo, prophetam, dicens: 8. Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: et post eum equi rufi, varii, et albi. 9. Et dixi: Quid sunt isti, Domine mi? Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint hæc. 10. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, et dixit: Isti sunt, quos misit Dominus ut perambulent terram. 11. Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt: Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit. 12. Et respondit angelus Domini, et dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Ierusalem, et urbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. 13. Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. 14. Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Ierusalem et Sion zelo magno. 15. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuverunt in malum. 16. Propterea hæc dicit Dominus: Revertar ad Ierusalem in misericordiis: et domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum, et perpendiculum extendetur super Ierusalem. 17. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc affluent civitates meæ bonis, et consolabitur adhuc Dominus Sion, et eliget adhuc Ierusalem. 18. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce quatuor cornua. 19. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? et dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Iudam, et Israel, et Ierusalem. 20. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros. 21. Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Iudam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum: et venerunt isti deterrere ea, ut deficiant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Iuda ut dispergerent eam.

Vers. 1. **I**N MENSE OCTAVO.) Puta in Octobri, cœpit prophetare Zacharias, Aggæus vero in mense sexto, puta in Augusto: uterque autem prophetavit, non in Babylone, ut aliqui censent: sed in Ierusalem, ut diserte ait Esdras lib. 1. cap. 5.

**DARI.**) Hystaspis, vide dicta Aggæi 1. vers. 1. Darius persice significat προνομιον, id est, prudentem, ait Hesychius: prudentia enim et providentia est prima dos regis, ut bene regat et gubernet.

**FILII BARACHIZ.)** Barachias hebr. idem est quod benedictio Domini. Huius filius est Zacharias, id est, memoria, vel memor Domini. Magna enim benedictio summumque bonum est iugiter meminisse Dei, semperque eum habere in memoria, imo in oculis et mente.

**FILII ADDO.)** Fuit ergo Addo avus Zachariæ; S. Hier. Addo et eum secuti Remig. Albertus, Haymo, Hugo et Dionys. censent hunc esse Addo Videntem, id est, Prophetam, qui scripsit Chronica regum Iuda, 2. Paral. 22. 15. qui-

que missus fuit a Deo ad Ieroboam primum regem Israel, ut ei ob vitulos aureos ab eo erectos, interitum denuntiaret. 3. Reg. 13. 1. licet Script. eum ibidem non nominet. Verum hoc creditum est difficile. Nam a Ieroboam usque ad Darium Hystaspis fluxerunt 400. anni et amplius. Quare verius videtur Addo avum Zachariæ fuisse alium ab Addo Vidente; sed fuisse pariter Prophetam, ut censent Hebræi, vel certe virum illustrem, ideoque hic nominari, ut nepoti suo Zachariæ nomen et decus conciliet. Nisi dicas, Addo Videntem non avum, sed quintum, vel sextum atavum fuisse Zachariæ, ut Barachias vocetur filius, id est, abnepos, Addo. Sic enim ipse Zacharias vocatur filius, id est, nepos vel abnepos Addo, 1. Esdræ 5. 1. Et hoc satis est verisimile, tum quia alium Addo Prophetam, vel celebrem in Script. non legimus; tum quia prophetia tunc temporis erat quasi hæreditaria, æque ac sacerdotium, et de avo transibat in patres et nepotes, ut tradunt Hebræi: unde et in libris Regum celebrantur filii Prophetarum, et Zacharias pater Ioannis Baptistæ fuit Propheta, æque ac filius, ut patet Lucæ 1. 67. Tum quia diserte id asseverant S. Hieronym. et alii iam citati, qui sane vidit ex intercapedine tot annorum Addo non posse esse avum Zachariæ; per avum ergo accepit atavum. Quod si ita est, magis Propheta (talibus enim fuit Addo Videns) nepos et hæres fuit Zacharias.

Vers. 2. **IRATUS EST.**) Hebr. *iracundia iratus est*, id est, vehementer iratus est, valde iracundescit.

Vers. 3. **ET DICES AD EOS.**) Scilicet Iudæos, inter quos tu versaris et quorum te constitui Prophetam. Ponitur relativum, vel potius demonstrativum pro antecedente, utpote noto et obvio.

**HÆC DICIT DOMINUS EXERCITUM.**) Hoc adiicitur, quia fit sermo ad eos qui in potestatem Darii venerant, magnorum exercituum ducis et imperatoris, q. d. Hæc dicit is, cuius vires sunt multo maiores viribus humanis, cuius exercitus et potentia longe superant exercitum et potentiam Darii, alias potentissimi: ita Vatabl.

**CONVERTIMINI AD ME.**) Præclare S. Gregor. in psal. 7. pœnitent. *Deus, inquit, qui abiicit delinquentem, convertitur ad pœnitentem: vocat etiam aversos, donat peccata conversis, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuvat dimicantes, confirmat laborantes, exaudit corde clamantes. Ipse namque per Prophetam dicit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, sed quia converti ad eum sine ipso non possumus, quotidie cum Propheta clamemus: Ne avertas faciem tuam a me.* Porro S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. et ex eo Capreolus in 2. d. 40. q. unica, Soto lib. 2. de Iustitia q. 3. art. 10. et Navar. Enechirid. 11. n. 8. censent, hoc conversionis ad Deum præceptum obligare in primo rationis instanti: puer enim, inquit, cum rationis usum habere incipit, tenetur se et sua ordinare ad debitum finem, puta ad Deum: quod si facit, Deus infundet illi gratiam per quam consequetur remissionem peccati originalis: si non facit, peccat mortaliter. Nam ordo naturæ postulare videtur, ut homo cum inchoat vitam rationalem, incipiat ab intentione ultimi finis: nam ex ea pendet vitæ bonæ institutio. Verum alii Doctores censent contrarium, scilicet in primo rationis instanti non teneri puerum convertere se ad Deum per amorem Dei super omnia naturalem vel supernaturalem. Primo, quia hoc præceptum est difficillimum, et maxime sublime. Non est autem credibile Deum obligasse homines iudicio tam immaturos, ad tale præceptum statim exequendum. Secundo, quia homo in principio non cogitat de rebus tam sublimibus, sed de sensibilibus et consuetis. Neque est aliquid, unde illi tam sublimis cogitatio suggeratur; ac proinde inconsideratio eius, vel ignorantia est invincibilis. Tertio, quia nullum tale in Scriptura extat præceptum, nec ratio naturalis illud dicit. Nam illud: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, pertinet ad peccatores, qui iubentur agere pœnitentiam de peccatis actualibus; non autem ad eos qui habent solum originale; et licet etiam ad hos pertineret, non tamen ideo statim deberet impleri. Nam est præceptum affirma-

Nei in homines pietatis efficit

An obligetur primo instanti u-us rationis converti ad Deum.

ativum, quod semper obligat; sed non pro semper, uti obligat negativum: sicut neque adultus qui peccavit mortaliter, tenetur statim agere pœnitentiam sub novo peccato.

**NE SITIS SICUT PATRES VESTRI.**) Ne patrissetis, ne patrum idololatriam, inobedientiam, apostasiam æmulemini, alioqui similes vos eis efficiam in pœna, sicut similes vos fecistis in culpa.

**PATRES VESTRI UBI SUNT?**) q. d. Excisi sunt et in ex-cidio Hierosolymæ vel occisi, vel in Babylonem abducti ibique mortui sunt, uti eis prædixeram et comminatus eram per meos Prophetas. Nonne videtis in eis meas minas et oracula non fuisse vana et irrita, sed vera, certa et efficacia? Scitote ergo talia quoque fore hæc quæ vobis pariter per Zachariam intento et edico.

**ET PROPHETÆ NUMQUID IN SEMPITERNUM VIVENT?**)

Prophetas intelligit patrum impiorum, puta pseudoprophetas: hos enim mox opponit servis suis Prophetis, q. d. Falsi Prophetæ, qui patribus vestris falso felicitatem prædicebant et promittebant, dicentes: Pax, pax, nonne et ipsi æque ac patres vestri, misere mortui sunt, vel gladio, vel ærumnis captivitatis? ubi est ergo eorum felicitas et longævitas, quam sibi patribusque vestris promiserunt? Numquid interitu suo tam infelici testati sunt se esse mendaces, et oracula sua fuisse dæmonis, non Dei vaticinia? ita S. Hieron. Albert. Hugo et Lyran. Alii veros intelligunt Prophetas, q. d. Tam Prophetæ pii, quam patres vestri impii, mortui sunt; boni enim æque ac mali moriuntur: sed prophetiæ eorum et minæ, quas patribus vestris vobisque si eos imitemini, intendantur, non sunt mortuæ, sed vivunt et perdurant: quia Deus eorum auctor, et seclerum ultor non moritur, sed vivit in æternum. Hoc est quod subdit Zacharias: *Verumtamen verba mea*, etc. ita Theodor. Clarius, Vatabl. et a Castro.

**VERUMTAMEN.**) q. d. Vestri pseudoprophetae vos deceperunt, quia promiserunt prospera quæ non evenerunt.

Verum mei Prophetæ, qui mea verba, id est, minas et statuta, puta pœnas lege Mosi statutas in legis prævaricatores, patribus vestris vobisque intendantur, vos non fefellerunt: nam pœnæ et plagæ quas comminati sunt, reipsa patres vestros comprehenderunt, qui proinde flagellis hæc Dei eruditi, iustum Dei in se iudicium et culpam suam agnoverunt, ut, qui antea ad me invitantes eos ad pœnitentiam noluerant attendere, ut dicitur v. 4. iam castigationibus hæc, licet sero et coacte conversi, mentem et sententiam mutarint, dixerintque: *Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras etc. fecit nobis*: ita Arias, Clarius et Vatablus.

**IN DIE VIGESIMA ET QUARTA UNDECIMI MENSIS SABBATH.**) Qui nostro respondet Ianuario: hic enim noster primus est mensis, sed Iudæorum erat penultimus. Ipsi enim annum sacrum inchoabant a Nisan, id est, Martio. Sabbath et reliqua Hebraica mensium nomina videntur esse Chaldaica: nam inveniantur tantum apud eos qui redierunt Babylone: ita Vatabl.

**FACTUM EST VERBUM.**) Id est, visio angeli et equorum inter myrteta: Deus enim tam loquitur symbolis, quam verbis. Quocirca prophetia quælibet, ut dixi Isaïæ 1. 1. promiseve nunc vocatur *verbum*, nunc *visio*: quamquam et proprie verba angeli in hac visione misceantur, et intercurrant.

**DICENS.**) Id est, ostendens id quod sequitur, quodque enarrat inquitens.

**VIDI PER NOCTEM.**) Nox enim aptior visionibus: in ea enim quiescentibus collectisque sensibus phantasia vivacius concipit et intuetur sua phantasmata, præsertim a Deo vel angelo impressa. Symbolice nox hæc erat symbolum calamitatis, in qua Iudæi Babylone redeuntes versarentur, quæ in diem, lucem et lætitiæ restorationis orbis et templi mox erat convertenda. Calamitas enim opportuna est ad audiendum verbum Dei, quia cor instar cereæ emollit. Hinc vexatio dat intellectum auditui: ita S. Hieronym.

Unde moraliter S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2. docet S. Scripturam solere per tempus rei exitum significare:



*A qualitate, ait, temporis finis exprimitur uctionis; sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte ludas exiisse perhibetur, cum egrediente illo ab Evangelista (S. Ioanne c. 18.) dicitur: Erat autem nox. Hinc enim et iniquo diriti dicitur Lucæ 12. Hinc nocte reptent animam tuam abs te. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, 3. Reg. 3. in somnis hanc et nocte accepisse describitur. Hinc est quod angeli ad Abraham meridie veniunt, puniunt autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur. Quia igitur B. Job tentatio ad victoriam deducitur, a die cepta perhibetur, cum dicitur: Quadam autem die cum venissent filii Dei, etc.*

**ET ECCE VIR.** ) Puta angelus speciem viri assumens: angelum enim fuisse patet v. 11. Hebraei, S. Hier. Theodor, et passim alii censent fuisse S. Michaellem: hic enim olim Synagogæ Iudæorum fuit custos, uti nunc est Ecclesiæ Christianorum, uti patet Daniel. 10. 21. et c. 12. 1. licet aliqui Gabrielem fuisse autument, qui est fortis præliator pro populo Dei, uti patet Daniel. 9. vers. 21. et cap. 10. 5.

**SUPER EQUUM RUFUM.** ) Insidet equo, quasi eceler et festinus ad auxilium populi sui; eique rufus, quasi sanguinarius vindexque acer in hostes Iudæorum. Equus enim notat multa, scilicet velocitatem, generositatem, dignitatem, ardorem præliandi, victorias, gloriam et triumphos S. Michaelis.

Aliter Theodoret. Insidet, ait, equo rufus, ut significet populi afflictionem. Nam equus rufus hostium conurbationem et indignationem ostendit: quia sanguinarius et rufus est furor. Nove ergo Arias per virum huic accipit Alexandrum Magnum, cuius equus fuit rufus, scilicet Bucephalus; ita dictus quod capite et colore similis esset bovi: boves autem communiter sunt rufi; præsertim in Græcia, aliisque regionibus calidis. Censet ergo hic significari, quod Alexander monarchiam a Persis ad Græcos sit translaturus. Verum de hac re non agit hic Propheta. Porro Theodor. equum huic rufum vocat spadicem, id est, puniceæ coloris, qui maxime commendatur in equis, de quo audi Virgil. 3. Georg. dum generosum equum hisce notis depingit:

*Illi ardua cervix,  
Argutumque caput, brevis abous, obesaque terga,  
Luxuriatque toris animosum pectus, honesti  
Spadices, glaucique color deterrimus albis.*

Iam ex generositate equi animos, vires et iras equitis intellige et metire. Eos exigebat rei et afflictionis difficultas. Erant enim Iudæi in profundum, ut mox dicitur, calamitatum demersi: valido ergo magnique zeli liberatore et propugnatore angelo indigebant. Ubi Nota. Afflictis solent præsto esse angeli, et quo maior est afflictio, eo ipsi maius robur, opem et consolationem afferunt.

Mystice, hic vir stans inter myrteta est Christus, qui in carne quam ex myrto, id est, B. Virgine, assumpsit, in medio Patriarcharum, Prophetarum, ac Sanctorum veteris et novi testamenti, quasi inter myrteta consistit. Equus rufus est humana natura, cui insidet deitas, quam sumpsit ex primo parente, qui a terra rufa, ex qua plasmatus est a Deo, dictus est Adam, id est, rufus, quamque rubricavit sanguine, tum suo, tum hostili quem victor sparsit, iuxta illud Isaïæ 63. 1. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de bosra?* etc. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? Torcular calcavi solus,* etc. ita Petrus Abbas Cellensis lib. de Panibus c. 23. tom. 8. Biblioth. SS. Patrum. Sequuntur eum equi rufi, albi et varii, id est, Apostoli, Martyres, et Virgines: item fabri, id est, doctores et prædicatores, qui omnes Ecclesiam Christi ædificaverunt, Christique hostes fabricam hanc impedire volentes deiecerunt.

**INTER MYRTETA.** ) Id est, loca myrtis consita; Syrus, *inter arbores opacas,* vel umbriferas; Arabicus Alexandr. *inter duos montes se invicem cernentes,* id est, obvios. Grammatico sensu notat Babyloneum, in qua Iudæi fuerant ca-

ptivi: myrtus enim ob siccitatem amat loca demissa, profunda et irrigua, qualis est Babylon, quæ vicina est Euphrati et Tigri: ita Arias et Vatabl. quin et Chald. qui vertit, *et ipse stabat inter arbores myrtinas quæ sunt in Babylone.* Unde addit, *In profundo,* id est, prope profundum, scilicet aquarum et fluminum. Ibi ergo visus est angelus, ut significet Iudæorum captivitatem et calamitatem Babylonicam, in qua quasi in profundo demersi et pene absorpti fuerunt, iuxta illud psal. 68. 3. *Infixus sum in limbo profundi, et non est substantia;* scque illos magna ex parte inde eduxisse et liberasse, ac cæteros inde liberaturum, dum eos qui redierant propediem adiuvabit in reedificatione urbis Ierusalem et templi, qua peracta cæteri ex Babylone illico in Ierusalem advolabunt. Itaque Michael apparet inter myrteta: quia læta nunciat de templi fabrica et gloria; myrtus enim hilaritatis est indicium. Unde olim mos fuit in conviviis, circumlato myrta ramo convivas ad cantandum excitare: singuli enim eo in manus accepto partes canebant suas, teste Plutarcho in Sympos. Et Horatius adveniente verno tempore, quo se undecumque patefacit hilaritas, decore ait: *Viridi nitidum caput impedire myrto.* Atque ubicumque convivorum lætitiæ celebrat, coronas e myrto inferri iubet: ita Pierius Hierog. lib. 50. cap. 27. Rursum symbolice, per myrteta intelligit familias et cœtus Iudæorum fidelium et iustorum, qui in Babylone vel fuerant captivi, vel adhuc erant inquilini, quales erant Esdras, Nehemias, Zorobabel, Iesus, Aggæus, etc. Inter hos ergo stetit Michael: Myrtus enim significat iustos, ob soliditatem, pulchritudinem et fragrantiam bonorum operum. Unde Esther regina pia et sancta c. 2. v. 7. a Mardocheo, ob pulchritudinem et gratiam, vocata fuit Hebr. *הדסה hadassa,* latine *edissa,* id est, myrtus, vel myrtea: ita S. Hier. Remig. Albert. et Hugo.

Alludit ad nomen, mores, aulam, familiam et familiares Esther reginæ: hæc enim vocata est *hadassa,* id est, myrtus. Ipsa enim vixit sub hoc tempus, imo a nonnullis Chronologis virisque doctis ex multis magnisque coniecturis, censetur ipsa fuisse uxor huius Darii Hystaspis, ideoque cum tam benevolam fuisse Iudæis, ut præter alia, templum eis reedificari curavit. Qua de causa sub eodem prophetarunt Aggæus et Zacharias. Visus est ergo, inquit, angelus stare inter myrteta, id est in aula et familia Esther, quæ virtute et nomine erat myrtus, quasi portendens eius coniugium cum Dario, quod anno sequenti, puta anno 3. Assueri, id est, Darii (Assuerus enim erat commune nomen regum Persarum) peractum est, ut patet Esther 1. 3. Rursum inter myrteta, id est, inter Estheris reginæ familiares et asseclas, puta Mardocheum, Esdras, Nehemias, Zorobabel, Iesum, qui Estheri reginæ obsecundabant, erantque pariter virore et vigore animi morumque, myrta et myrteta, utpote principes eminentes in populo. Olim enim principes myrteis coronis coronabantur, teste Suida. Unde proverbium: *Myrteam coronam ambis,* id est, principatum, vel magistratum ambis.

Sic mystice, nostra *hadassa,* et myrtus, nostra Esther est B. Virgo, quæ sibi devotos salvat; et ab Aman, id est, a diabolo, liberat. Stant ergo angeli inter myrteta, id est, sub B. Virginiis alis et umbra, vel inter eius fideles, congregationes et cœtus ipsi dicatos, ut per eius merita et preces suis clientibus veniam, gratiam et consolationem impetrent. Myrtus enim læta et decora symbolum est felicitatis. Unde sicut ex myrtis opere topiario in hortis fiunt armati milites, triremes, equites cataphracti; item phasiani, psittaci, philomelæ, etc. ad voluptatem et delicias: ita B. Virgo inter myrteta paradisi cælestis, puta inter angelos considens, imo præsidens, pollicetur suis non tantum opem, sed et consolationem, letitiam, omnesque spiritus delicias; quæ præstat per hosce suos angelos, qui cum suapte natura sint formæ expertes, quamlibet induere possunt, ac multiplicem armaturam, imo pannopliam assumere, ut pro Deiparæ dominæ suæ honore et gloria, proque eius cultoribus potenter decerent; utque Ecclesiam et domum Deo in anima fidelium ædificent. Sic Gentilibus Venus pulchritudinis dea, myrtea dicebatur.

Equus rufus cuius symbolum

Angelus inter myrteta, cur?

Esther vocata est Hadassa, id est myrtus.

Mystice vir in myrtetis est Christus in Virgine conceptus.

Myrtus est B. Virgo.

Unde Plinius l. 15. 29. *Ara, inquit, vetus fuit Romæ Veneris myrteæ. Idem lib. 21. c. 11. In Ægypto, ait, sine odore hæc omnia (rosa, liliū, viola, etc.) tantumque myrtis præcipuus odor. Quid pulchrius, quid suaveolentius Virgine Deipara? Una hæc Dei venus, puta decor, gratia et venustas, omnes Satanae mundique veneres obscurat, imo vanas et fœdas esse ostendit. Ipsa enim est abyssus gratiæ, pulchritudinis oceanus, charismatum omnium thesaurus, quæ sola velut Esther, Assuerum Deum Patrem placavit, et invenit gratiam in oculis eius, ut ab eo per Gabrielem archangelum salutata sit: Ave gratia plena. Nam et de ea dicitur Cantic. 4. 7. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Et Eccli. 24. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei: in me gratia vivæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis, etc. Iure ergo S. Bernard. hom. 4. super Missus est: Ex ore, inquit, tuo, o Virgo, pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum. Idem: Deus totius mundi pulchritudinem posuit in Maria, ut si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, ab ea noverimus redundare. Quocirca cum eodem sermone 4. de Assumptione, eam invocemus assidue, ac dicamus: Sit igitur pietatis tuæ Virgo benedicta, ipsam quam apud Deum invenisti gratiam, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. Amen. Maria ergo est myrtus Dei.*

Porro Theodor. ex Septuag. pro myrteta legit montes umbrosos, per quos intelligit Dei providentiam, sub qua omnes vivunt, ex qua prodit hic angelus, ut eam circa tutelam Iudæorum exequat. Montes hi sunt umbrosi, quia iudicia Dei sunt obscura et occulta.

Moral. Nota. Apposite iustus, ac præsertim B. Virgo comparatur myrto. Primo, quia myrtus amas valles designat eius humilitatem, quæ sanctitatis est fundamentum. Secundo, quia myrtus crescit iuxta aquas. Ude Virg. Georg. 4.

*Et amantes littora myrta.*

Ita iustus crescit per lacrymas compunctionis et pœnitentiæ, perque aquas tribulationis et patientiæ. Tertio, myrtus fert baccas saporis præcipui, ex quibus fit viam: ita iustus fert fructus honorum operum, saporis Deo et hominibus, ex quibus fit viam exultationis quod lætificat angelos. Quarto, myrtus est valde odorata et bella, hinc odorem gratum ori et halitui conciliat, ait Plinius l. 23. 9. Unde etiamnum qui stomacho laborant, et halitum habent foetentem, pro remedio mane comedunt baccas e myrto; quocirca a Gentilibus Veneri fuit dicata, teste Plinio lib. 12. cap. 1. Ita iustus spargit ex se odorem bonæ famæ, ac morum candore, modestia et suavitate omnibus gratum se efficit, præstatque illud Apostoli monitum: Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, Coloss. 4. 6. Quinto, myrtus semper virescit. Ita iustus virorem virtutum semper conservat et auget. Sexto, oleum ex myrto astringit et indurat, ait Plinius l. 23. c. 4. et c. 9. Semen eius, ait, medetur sanguinem excreantibus, datur et dysentericis denarii pondere in vino. Ita iustus fluxum noxiarum cupiditatum cohibet et restringit. Septimo, in festis, ludis, etc.angebant tempora myrto, ut canit Virg. Georg. 1. et Tibul. lib. 1. eleg. 3.

*Et gerit insigni myrtea sarta coma.*

Myrtus ergo denotat lætitiā spiritualem et exultationem, quam ob quietem conscientie possidet iustus. Unde Lyranus ad litteram per myrteta accipit gaudium Iudæorum de urbis et templi restoratione, quodque iam reipsa rursus visuri essent myrtos et myrteta iuxta urbem et templum conseri et plantari. Porro hoc gaudium fere ingens et exaggeratum, innuit quod angelus visus sit non inter myrtos, sed inter myrteta, id est, sylvas myrtoꝝ: ita Fernand. visione 29. sect. 2. qui et addit, res odoriferas iis qui deficiunt, vigorem et vires reddere, ac proinde angelum visum inter myrteta, quæ sunt odoratissima, ut Hebræis pene deficientibus, et ex timore collaben-

tibus consolationem et corroborationem ingerat. Octavo, myrtis solent ornari et sepi horti, prata, villæ. Unde Martial. lib. 5. *Myrtetis otiosis ordinata villa.* Ita iustus est munimen, æque ac ornamentum domus, collegii, urbis, reipubl. Ecclesiæ et universi: sicut ex myrtis fiunt topiaria, quæ sunt decus hortorum. Nono, vinum myrto conditum, quod myrtiten vocant, valet ad sedanda tormina, ait Plinius lib. 30. c. 7. et Columella lib. 12. cap. 38. Ita iustus sua patientia et virtute sedat et superat omnia morborum et tormentorum tormina. Insuper Theodor. *Myrtus, inquit, est planta odorata, habens vim morbos calidos refrigerandi.* Ita æstus iræ et libidinis per Dei gratiam restinguit iustus. Decimo, Plinius l. 15. c. 29. *Suecorum, ait, natura præcipuam admirationem in myrto habet, quando ex una omnium olei viniq. bina genera fiunt, Subdit veteres baccis myrta pro pipere usos. Ita omnia in iusto sunt succulenta, sapida, acris et efficacia. Undecimo, ibidem Plinius asserit myrtum valere ad expurgandam bilem, ideoque ad conciliandos dissidentium animos.*

Unde traditur, inquit, *myrta verberna Romanos Sabinosque, eum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco qui nunc signa Veneris Cluacinae habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant; ideo tum electa, quoniam coniunctioni, et huic arbori Venus præest. Ita iustus ubique dissidentes conciliat, sequiturque illud Christi: Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur, Matth. 5. Duodecimo, ibidem Plinius: Cato, inquit, tria genera myrta prodidit, nigram, candidam, coniungulam; fortasse a coniugis ex illo Cluacinae genere. Et mox: Folia et per se sicantur in farinam ad ulcerum remedia in corpore humano, leniter mordaci pulvere, ac refrigerandis sudoribus. Quinimo oleo quoque (mirum dictu) inest quidam vini sapor, simulque pinguis liquor, præcipua vi ad corrigenda vina, saccis ante perfusis. Ita iustus in sanctitate sua, verbisque et correptionibus quidpiam habet acre et mordax, quo aliorum vitia et defectus castiget. Blanda, inquit S. Hieron. dialog. 1. contra Pelag. est adulatio, pulchreque adulator apud Philosophos definitur blandus inimicus: veritas amara est, rugosæ frontis ac tristis, offenditque correctos. Decimotertio, ex myrto fiebat orantium corona, subiinde et triumphantium, ait Plinius ibidem. Hæc designat coronam triumphi, quam iustorum vires semper virtus, eaque heroica meretur. Decimoquarto, myrtus, ait Plinius lib. 23. cap. 9. *Ulcerum difficilia in extremitatibus corporis sanat. Imponitur lipitudini cum polenta, et cardiacis in mamma sinistra. Et contra scorpionis ictus in mero, et ad vesicæ vitia, capitis dolores, et ægilopas antequam supparent. Item tumoribus exemptisque nucleis in vino vetere tritum eruptionibus pituitæ. Succus seminis alvum sistit, urinam ciet. Ad eruptiones pustularum pituitæque cum cerato illinitur. Capillum denigrat.* Subdit deinde eandem valere contra ignem sacrum, capillos fluentes, furfures, articulares morbos, hydrope, hæmorrhoides, lentigines, aures purulentas, rem morbos, morbum regium et calculum. Ita nullum est malum, quod iustus sua virtute per gratiam Dei non curet; nulla tentatio, quam non superet; nullum vitium, quod constantia et fortitudine sua non debellet et expugnet. Nam superbiam superat humilitate, iram mansuetudine, gulam abstinentia, libidinem mortificatione, avaritiam liberalitate, acediam fervore et zelo, etc. Decimoquinto, myrtus est brevis vita, sed celeris fructus. Audi Plinium libr. 17. c. 13. *Quædam, ait, natura tarde crescit, et in primis semine tantum nascentia, et longo ævo durantia. At quæ cito occidunt, velocia sunt (in ferendo fructu) ut ficus, punica, prunus, malus, pyrus, myrtus; et tamen antecedunt divitiis. In trinatu enim ferre incipiunt. Ita Sancti eminentes et ardentes brevis sunt ævi; sed illis multis et heroicis virtutibus implent, ut videre est in S. Agnete, Cecilia, S. Stephano, S. Laurentio, Lino, Cleto, Clemente, omnibusque primis S. Pontificibus.**

Denique myrtus sacris adhibebatur, ait Plinius lib. 16. cap. 32. qui et lib. 15. cap. 29. de antiquissimo delubro Quirini, hoc est Romuli, ait: *In eo sacra myrta fere duæ,*

Moral.  
Iustus est  
myrtus  
ob quin-  
decim  
analo-  
gias.

ante eadem ipsam per longum tempus. Myrtus ergo denotat religionem, orationem et devotionem sanctorum. Hiscce de causis Ecclesie dotes et decora describit Isaias e. 41. 19. ait: *Dabo in solitudine (Gentium) redrum, et spinam, et myrtum, et liquum olivæ.* Et cap. 55. 13. *Pro salivna ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus.* Ita de Iudæis euntibus in Babylonem quasi ad carcerem dicitur psalm. 136. 2. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Iam vero cum ex Babylone redeunt læti et spebus pleni, salices eis mutantur in myrtos. Unde inter myrteta apparet angelus, ut lætitiã corum indicet et adaugeat. Qua de causa et Levit. 23. 40. in festo Tabernaculorum iubentur Iudæi gestare ramos ligni densarum frondium, id est, myrti, ut vertit Chald. Ioseph. et alii, ut iis testentur et representent lætitiã qua eos cumulavit Deus, cum ipsos ex Ægypto et deserto traduxit, et collocavit in terra promissa, puta in Chanaanæa.

ET POST EUM EQUI RUFII, VARIII ET ALBI. ) Pro variii hebr. est שרוקים *serukim*, quod Arias vertit *seriecum*, qualis est color serici nativi antequam tingatur, puta flavum, sive fulvum, ut vertit Arabicus Antiochenus: aut croceum, qualis est color auri. Marinus in Lexico *serukim* deducit a *soree*, quod erat genus vitis et uvæ optimæ; unde *serukim* vocari colorem uvæ optimæ. Alii *serukim* deducunt a שורק *sciorek*, id est, sureculus, ut significet spadiceum, id est, surculum palmæ cum fructu, qui est coloris puniceï. Verum Septuag. Noster, Chald. et alii vertunt, *variï*; alii, *multicolores*. Unde Arabicus Alexandrinus vertit, et circum eum equi rufi etiam, et flammei, et fulvi, et nigri; alii, *pectinati*; alii, *electi*: nisi per varium colorem intelligas medium, ideoque mistum. Nam flavus color est e viridi, rubro et albo conerctus, ideoque est fulvo clarior, qualis est auri. Unde notat gentes medias, puta partim amicas, partim inimicas Iudæis.

Nota Primo, sub equis metonymice intelligi sessores et equites. Nam de iis subdit: *Isti sunt quos misit Dominus.*

Secundo, equites hosce designare angelos custodes regnorum: sequuntur enim primum equitem, puta S. Michaellem, quasi ducem et antesignanum.

Equi rufi, albi et variï, qui? Tertio, color innuit qualitatem et conditionem regnorum et gentium quibus præerant, ac præsertim diversos earum mores et affectus erga Iudæos: ita Hebræi, et ex iis S. Hieron. quem sequuntur de more Haymo, Albert. Remig. et Hugo. Equi ergo rufi significant angelos præsidēs gentium sanguinolentarum, quæ Iudæam cæterosque populos bello, rapinis et cædibus vastarant, quales tum erant Assyrii et Chaldæi. Albi ob colorem lucidum et lætum, significant præsidēs gentium pacificarum, et Iudæis propitiarum, quales tunc erant Persæ et Medi. Varii, id est, variorum colorum, significant angelos præsidēs gentium quæ varios habebant status et inclinationes, nunc ad pacem, mox ad bellum; nunc ad amicitiam et beneficia, mox ad odia et maleficia; nunc ad bona, mox ad mala et clades inferendas, quales tunc erant Macedones et Græci: ita Hebræi, S. Hieron. et eius assectæ. Verum quia tunc nondum erat imperium et potentia Macedonum, utpote quæ cepit a Philippo, Patre Alexandri Magni; hinc potius per equos varios accipias varias gentes Iudæis vicinas, eisque partim amicas, partim inimicas, vel nunc benevolas, mox infensas, quales erant Ægyptii, Tyrii, Sidonii, Syri, Ammonitæ, etc. Perperam ergo nonnulli per equum primum, scilicet rufum, accipiunt Romanos. Alii minus male per equos varios, sicut flavos, accipiunt Romanos, præsertim Titum et Vespasianum, qui fuerunt e gente Flavia. Sed hoc non est litterale, nec genuinum. Nam Romani tunc erant tenues et obscurei, nihilque commune habebant cum Iudæis, multo minus eis erant rufi, id est, sanguinariï: hinc melius per equos rufos accipiemus Chaldæos, ut dixi. Hi ergo angeli representant suas gentes; quas cum ipsi perambulassent, statumque singularum lustrassent vers. 11. nunciavit omnes gentes totamque terram pacem colere, et pacifice domi suæ habitare, ibique quiescere. Hæc enim visio eo spectat, ut Zacharias persuadeat Iudæis fidenter progredi in fa-

brica templi et urbis, eo quod omnes circumquaque gentes in pace degant, nec Iudæis bellum sint illaturæ, aut fabricam impedituræ. Aliter hi equi accipiuntur e. 6. Ibi enim sunt quadricolores, et significant quatuor monarchias sibi ordine succedentes; hic vero sunt tricolores, et significant præsentem gentium statum, et triplicem earum affectum erga Iudæos, de quo plura cap. 6.

Porro ait equi, non equus: quia singuli angeli, vel potius archangeli, utpote principes et præsidēs gentium, non veniebant soli, sed stipati suis cohortibus angelorum. I-

Cur equi, non equus?

dem multo magis dicendum de Michaelle. Insuper equi rufi, varii et albi significant angelos variis muneribus destinatos, scilicet alios ad exercendam severitatem et vindictam, alios ad beneficentiam et misericordiam, alios partim ad vindictam, partim ad misericordiam. Impertinens ergo et improbabilis est opinio Ariæ, qui per vicum inter myrteta consistentem accipit Alexandrum Magnum; per equos vero rufos varios et albos Alexandri successores Seleucum, Philippum, Antigonum et Ptolemæum, qui eius monarchiam secuērunt et inter se dividerunt. Zacharias enim 200. pene annis Alexandrum antecessit, agitque de rebus præsentibus, puta de præsentī Iudæorum consolatione, ut eos ad præsentem templi fabricam incitet et impellat, ad quam nihil contulit Alexander. Probabilius quis diceret in equis hisce alludi ad imperium præsens Persarum, quibus suberant Iudæi: Persæ enim equis pollebant, uti etiamnum equitatu pollent contra Turcas. Hinc per hinnitum equi Darius Hytaspis creatus fuit rex Persarum, cuius anno regni 2. hæc visio obtigit Zachariæ.

Mystice S. Ambros. in Symbol. Apost. tom. 4. per equos rufos accipit Martyres, per albos virgines, per varios, vel, ut ipse ex Septuag. legit, *sturninos*, id est, colore sturni avis, doctores. *Sequebantur*, inquit, *cum qui variorum colorum, id est, qui vel martyrio rubri; vel sturnini in volatu hoc est, variï in virtutibus; vel candidi in virginitate monstrantur.*

ET DIXIT AD ME ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME. ) Vers. 9.

Hic angelus videtur fuisse custos Prophetæ, qui ei revelavit sua hæc oracula; eique has visiones ostendit. Ait enim: *Ego ostendam tibi quid sint hæc.* Alius ergo fuit a Michaelle: Michael enim erat custos totius populi, stabatque inter myrteta: hic autem erat custos Zachariæ, et in eo loquebatur: ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. licet contrarium censeant Rabbioi, Theodoret. et Vatabl. scilicet huuc angelum fuisse eundem cum eo qui stabat inter myrteta, puta cum Michaelle. Michael enim volens consolari populum illuminavit Zachariam, ostenditque illi has visiones et verba consolatoria, ut eandem ipse referret populo, iisque illum consolaretur. Verum prius quod dixi planius est, magisque textui consouum. Porro ex eo quod dicit de angelo hoc suo: *Loquebatur in me*, putant aliqui angelum huuc suggerentem oracula Zachariæ, non exterius voce, sed interius mentali vel imaginaria inspiratione illi fuisse locutum, eumque quasi possedisse et rexisse, uti dæmon possidet et regit euergumenos, idque innuit S. Gregor. lib. 28. Moral. c. 2. *Dum*, inquit, *ad se quidem, sed in se tamen loqui angelum dicit, liquido ostendit quod is qui ad ipsum verba faceret, per corporeum speciem extra non esset.* Verum dico hæc hoc modo contigisse: per visionem imaginariam a Deo obiectam Zachariæ, videbatur ipse sibi videre, angelum suum prophetalem ore tenus secum, et cum Michaelle colloqui. Rogat enim hic angelus Michaellem, ut Zachariæ explicet quinam sine isti equi rufi, varii et albi. Unde Michael ab eo interrogatus respondit:

ISTI SUNT QUOS MISIT DOMINUS UT PERAMBULENT TERRAM. ) q. d. Isti sunt angeli præsidēs regionum, quos Deus misit lustrare eandem. Mox Michael eosdem angelos interrogat, quasi eorum princeps, de regionum statu, quidnam in hac lustratione viderint, qui sese habeant regiones illis creditæ. Cui ipsi respondent: *Perambularimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit*, ut scilicet Zacharias sciat plenam esse pacem inter gentes, præsertim Iudææ vicinas, illasque Iudæis fore pacificas, ut eos

Vers. 10.

helo non lacessant, nec impediatur urbis templique fabricam. Diceo, Cur ergo ait de hoc angelo, *Qui loquebatur in me?* Resp. esse hebraismum: *in me*, hoc est *mihi*, vel *meum*, ut vertit Chald. Adde *in me* significat visionem hanc non fuisse realem, sed imaginariam, in qua angelus hęc omnia in mente vel potius in imaginatione Zacharię pingebat et loquebatur. Videbatur enim Zacharias sibi videre angelos ad invicem colloquentes, suumque angelum sibi hęc visa et colloquia ostendere et suggerere; non vero corporalibus oculis exterius hęc videbat et audiebat.

Vers. 11.  
Perambulare  
idem  
quod re-  
gere.

**PERAMBULAVIMUS.** ) Hebr. **הללך** *halach*, id est, ambulare, perambulare, in principibus, quales sunt angeli, notat principatum, puta actum visitandi, inquirendi, perscrutandi, disponendi res omnes. Unde illud Ezech. 28. 14. *In medio lapidum ignitorum ambulasti*, q. d. Inter Cherubinos tu o Cherub principatum habuisti. Sic 1. Machab. 3. 8. *Iudas perambulavit*, quasi superior iudex et vindex, *civitate Iuda, et perdidit impios ex eis*. Sic de Deo dicunt impii Job 22. 14. *Circa cardines cęli perambulat, nec nostra considerat*, q. d. Deus regit cęlos, terram despicit et negligit. Levit. 26. 12. ait Deus: *Ambulabo inter vos*, quasi princeps, protector, provisor vester. Unde subdit: *Et ero Deus vester, vosque critis populus meus*. Sic ex adverso Satan ait Job 1. 7. *Circuivi terram, et perambulavi eam*. Et psal. 90. 6. *A negotio perambulante in tenebris*, id est, a dęmone regnante et grassante noctu, æque ac eo qui grassatur per diem; de quo subdit: *Ab ineursu et dęmonio meridiano*. Sic rex *Antiochus perambulabat superiores regiones*, cum exercitu, 1. Machab. 6. v. 1. Sic etiamnum reges Mogor et Æthiopię stipati, hic sexaginta, ille ducentis, imo subinde quingentis millibus armatorum, iugiter ditiones et regna sua, utpote vastissima perambulant, ut ea in pace contineant, lustrent, dirigant et moderentur. Pari modo hi angeli provincias sibi creditas perambulabant, quasi eorum inspectores, custodes et pręsides. Addit S. Hieron. Remig. et Hugo, angelos hęc perambulando regna sibi commissa, debellasse gentes vicinas vel rebelles, vel hostiles, easque suis regnis subiecisse, itaque plenam omnibus pacem conciliasse. Denique vox *perambulavimus*, significat executionem divinę providentię per angelos publice exercitam et demonstratam, licet ea ex obscuris causis et occultis iudiciis prodeat, puta ex Dei consilio, quod *in profundo, et inter myrteta*, et ut Septuag. *inter montes umbrosos latet*.

**OMNIS TERRA HABITATUR ET QUIESCIT.** ) *Omnis terra*, scilicet vicina Iudęę. Nam in remotis fuere bella. Unde Romani anno 9. huius Darii Hystaspis, inquit Euseb. in Chronico, Tarquinius Superbum suum regem urbe et regno expulerunt, eiusque loco crearunt Consules Iunium Brutum et L. Tarquinius Collatinum. Quin et Darius hic paulo post obsedit et cepit Babylonem, ac tandem invasis Gręciam cum sexcentis millibus militum, qui omnes a paucis Gręcis duce Miltiade apud Marathonem profligati sunt, teste Iustino, Herodoto et aliis.

Vers. 12

**ET RESPONDIT ANGELUS DOMINI, ET DIXIT: DOMINE EXERCITUM USQUEQUO TU NON MISEREBERIS IERUSALEM?** ) Angelus hic videtur fuisse non custos Zacharię, sed custos totius populi Iudaici, puta Michael. Orat enim pro toto populo sibi commisso, q. d. Cum omnes cęterę gentes in pace et prosperitate degant, cur o Domine, solos Iudęos sinis turbari a Cambyse, a Samaritis et aliis hostibus, qui urbis templique fabricam hęc usque impediverunt? usquequo differs misereri Ierusalem, quę a paucis civibus Babylone redeuntibus habitatur, nec muris plene, nec templo est septa? 1. Esdrę 5. usquequo non effeicis, ut ipsa, alięque urbes Iudęę, ac pręsertim templum in ea restauretur? *En iam septuagesimus annus est*, desolationi eius a te decretus et pręstitutus: ita S. Hier. Theodoret. Haymo, Albert. Hugo et Lyran.

**ISTE IAM SEPTUAGESIMUS ANNUS EST.** ) Dixit hęc angelus anno 2. Darii Hystaspis, ut patet v. 1. Hęc ergo 2. anno impleti sunt hi 70. anni: unde sequitur, eos diversos esse ab annis 70. captivitatis Babylonicę, de quibus Ieremias cap. 25. 11. et c. 29. 10. illi enim finiuntur an-

no 1. Cyri, qui captivitatem solvit, et Iudęos e Babylone a se capta remisit in Ierusalem, ut patet 1. Esdrę 1. 1. Hi vero inchoantur ab excisa a Chaldęis urbe et templo, quod contigit anno 11. Sedecię, qui fuit 18. Nabuchodonosoris, ac finiuntur anno 2. Darii Hystaspis. Quocirca hi Zacharię vocantur anni 70. desolationis, scilicet urbis et templi; priores vero Ieremię vocantur anni 70. captivitatis, scilicet Iudęorum. Ita Euseb. in Chron. Clemens lib. 1. Stromat. S. Hieron. proćmio in Aggęum, S. August. lib. 18. de Civit. c. 26. Emmanuel, Tornielius in Chron. anno mundi 3462. (qui tamen hosce Zacharię annos inchoat ab ultima captivitate Iudęorum, quo scilicet post excisam Ierusalem profugi in Ægyptum, inde iuxta oraculum Ieremię a Chaldęis abducti sunt in Babylonem, quod contigit anno 27. transmirationis Ioaehin, sive Iechonię) Ribera, Sanchez, a Castro, et alii hic, ac Fernandez visione 29. sect. 1. Favet Zacharias c. 7. v. 5. ubi anno 4. Darii Hystaspis de hisce 70. annis desolationis ait: *Cum ieiunaretis et plangeretis in quinto, et septimo per hos septuaginta annos*. Ubi Nota pronomen *hos*, quod designat annos pręsentes, non pręteritos ante Cyrum.

Aliqui tamen censent eosdem esse annos 70. Ieremię et Zacharię, desolationis et captivitatis, eosque iam finitos fuisse anno 1. Cyri. Unde verba hęc Zacharię legunt per interrogationem, vel admirationem, q. d. Istene Domine est septuagesimus annus libertatis nostrę, a Ieremię c. 25. et Daniele c. 9. 2. prędictus? q. d. Non tantum septuagesimus, sed octogesimus et amplius est annus hic captivitatis nostrę, et tamen necdum miseriarum nostrarum est finis. Licet enim e captivitate redierint nonnulli, multi tamen adhuc in Babylone degunt; et qui redierunt tot ærumnis affliguntur, ut satius pene esset, eisque optabilius mansisse et vivere in Babylone: ita Albertus, Hugo, Lyran. et Mariana. Verum nullam interrogationis vel admirationis notam habent Biblia Romana, licet illam habeant Biblia Plantiniana. Quare prior sententia uti communior, ita verior est.

Ex qua recte deducas, annos 70. captivitatis inchoari anno 11. Ioaehin, quo ipse oecisus est, et post tres menses eius filius et regni hęc Ioaehin, sive Iechonias captivus abductus est in Babylonem: eosdem vero finiri anno 1. Cyri, uti ostendi cap. 25. et 29. Ieremię. Anuos vero 70. desolationis, de quibus hic Zacharias, 11. annis posteriori incipere, scilicet anno 11. Sedecię, et 11. annis posteriori finiri, scilicet anno 2. Darii Hystaspis. Hinc rursum colligas, Cyrum solvisse captivitatem Iudęorum, et expugnasse Babylonem anno 1. non regni sui, uti censent Euseb. in Chronico, Africanus, S. Hieron. hic, Perer. et alii, sed monarchię: vixit autem monarcha per tres dumtaxat annos, uti constanter asserunt Hebręi in Seder Olam. Unde et Daniel tertii tantum anni Cyri meminit cap. 10. vers. 4. Scio Xenophontem Cyro dare 7. annos monarchię: sed Xenophon in Cyro non tam eius gesta et historiam, quam ideam insignis regis et monarchę describit: uti Plato in Republ. ideam reip. non existentis, sed Platonię, id est, eius quam sibi optimam imaginatus est Plato, depingit. Hosce enim 7. annos difficile est adaptare sacrę Scripturę: licet enim nonnulli idcirco annos 70. captivitatis citius inchoent, scilicet ab anno 3. Ioaehin, quo in Babylonem abductus est Daniel cap. 1. 1. tamen computus annorum ex æquo non respondet. Nam ab anno 3. Ioaehin usque ad 11. eiusdem, fluxerunt octo anni, quos non adęquant anni 7. Cyri: nam ex illis demendi sunt tres, quos cum Hebręi eidem Cyro dedimus, computando annos 70. captivitatis ab anno 11. Ioaehin usque ad annum 1. monarchię Cyri. Verum de his plura 1. Esdrę 1. 1.

Moraliter id ipsum dicamus, id ipsum oremus et obsecremus pro Anglia, Scotia, Dania, Svecia, Germania, etc. in quibus stetit statque hęc, et desolatio templorum, monasteriorum et sacerorum omnium per septuaginta annos et amplius: usquequo Domine non misereberis Anglię? etc. Iste iam desolationis eius septuagesimus, imo pene centesimus annus est. Ergone plus peccavit Anglia, quam

Diversi  
sunt an-  
ni 70. Za-  
charię  
ab annis  
70. Iere-  
mię.

Ierusalem et Iudæa, ut, cum illa septuaginta annorum captivitate peccata sua expiarit, Anglia centum annis expiare non possit? Peccavit utique et grande peccatum peccavit, faciens schisma a te tuaque Ecclesia; sed pro eo sanguinem suum fuderunt tot centeni Martyres, qui instanter orant pro ea, et clamant, non vindictam, ut sanguis Abel, sed misericordiam. Accipe has hostias pro peccato, eorumque sanguine schisma hoc ablue et dilue: quia pius et φιλάνθρωπος, animas amas, quas creasti, et Christi tui sanguine redemisti.

Vers. 15. **VERBA BONA.**) Id est, consolatoria Iudæorum, verba boni hominis, verba fausta, puta letum boni tamdiu volitis expetiti oraculum, de futura Hierosolymæ felicitate, cum ad eam Dominus revertetur in misericordiis, ut sequitur. *Bona*, inquit S. Hieron. *de futurorum promissione, consolatoria de presentium necessitate.* Sic Virgil. e. eleg. 5.

*Amat bonus otia Daphnis.*

*bonus*, id est, felix, beatus, doli expers, candidus. Quocirca verbum bonum, non tantum dignitatem rei, cuius oraculum edit, sed etiam oraculi veritatem, ac promissorum certitudinem magnitudinemque complectitur. Hinc Psaltes psal. 44. *Eructavit*, inquit, *cor meum verbum bonum*, q. d. Verbum quod mente concepi, tam est ominatum et felix, tum suave, tanta saturitate et voluptate cor replet, ut cogar os aperire, illudque ebullire, ac velut ebrius eructare. Porro *verba bona* sunt ea que subdit:

Vers. 14. **ZELATUS SUM IERUSALEM ET SION ZELO MAGNO.**) Zelus hic duos aelus contrarios complectitur, nimirum amorem ardentem in Ierusalem, et iram ingentem in eius hostes: horum enim odium ex eius amore necessario sequitur, q. d. Ego vehementer amo Ierusalem, uti maritus zelotypus amat ardentem uxorem, ideoque vehementer irascor Chaldæis, eo quod illam tam crudeliter everterint, eiusque spoliis se ditarint, cum ego modice et leniter tantum illam per eos castigare intenderem, uti pædagogus castigat puerum et discipulum. Hoc est enim quod ait: *Quia ego iratus sum parum, ipsi vero aliuverunt in malum*: ita Lyran. Vatabl. et alii. Chaldæos vocat *gentes opulentas*, Hebr. **שְׂמַנִּים** *sciamannim*, id est, ut Chald. *que secure degunt*, prælitæ sibi suisque viribus et opibus, nil timentes mali; Vatabl. *tranquillas*; Pagnin. *quictas*; Septuag. *que superpositæ sunt*, puta quæ dominantur.

Moral. Nota hic, Deum post illatam plagam populo suo, defervescente furore, iustam indignationem in ipsos convertere qui Deum ipsum incitarunt ad vindictam, vel eam exercuerunt, non ut Deo satisfacerent, sed ut suæ ambitioni et tyrannidi indulgerent. Exemplum est 2. Paral. 28. 9. *Iratus*, inquit, *Dominus Deus patrum vestrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret vestra crudelitas, et peccastis super hoc Domino Deo vestro.* Et psalm. 68. 27. *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt irrisiones, probra, et subinde cum verbis verbera.* Aliud est percutere, aliud persequi ad interneccionem: illud est patris, hoc vero hostis: illud facit iustitia, hoc livor: illud Deus sibi tribuit in Christi morte, dicens Isaia 53. 8. *Propter scelus populi mei percussi eum*; et Christus ipse id ipsum Patri ascribit hoc loco psalmi: istud vero sanguinariis Iudæis imponit.

Vers. 16. **REVERTAR AD IERUSALEM IN MISERICORDIIS**: Hebr. **בְּרַחֲמִים** *berachamim*, id est, in miserationibus visceribus, quæ scilicet ex intimis visceribus meis promanant, eaque commovent, afficiunt et affligunt, q. d. Intimam et visceralem compassionem et misericordiam multis modis donisque ostendam et exhibebo Hierosolymæ, atque ea impulsus faciam id quod sequitur: **DŌMUS (templum) MEA ÆDIFICABITUR IN EA, ET PERPENDICULUM EXTENDETUR SUPER IERUSALEM.**) Id est, rursus ædificabitur Ierusalem. Est metonymia: nam ex perpendiculo, sive libella, quod architecti adhibent ut ad rectam lineam ædificent, et structuram adæquant, intelligit totam fabricam. In perpendiculo enim ex funiculo dependet plumbum, vel ponduscum

lum, quod, utpote grave, vergit ad suum centrum, puta ad centrum terræ et totius universi: unde architecti eo utuntur, ut areas, in quibus ædificant, complantent, et a centro mundi æqualiter distare faciant, quod librare vocant: ac fabricam quam area, vel plano superædificant, ad perpendiculum erigunt, ut omnes eius partes æquidistantes a centro, solide consistent; ne si una curvetur, magisque vergat ad centrum quam alia, eo ruat, secumque alias partes, et totam fabricam in ruinam trahat. Quælibet enim res gravis pari pondere inclinatur et tendit ad suum centrum, quod omnibus idem est et commune. Quare duo parietes fabricæ invicem oppositi, mathematicæ non sunt paralleli, quia si protenderentur, in centro terræ concurrerent; sed quia hæc differentia in tanta distantia a centro, est exigua et insensibilis, hinc physice censentur paralleli.

**AFFLUENT CIVITATES MEÆ BONIS.**) Hebr. **תְּפִיטָה** *tephutsena mittob*, id est, diffudent, dispergent se præ copia honorum, ad ædificandum alias urbes et pagos. Septuag. vertunt, *diffundentur civitates in bonis*; Chald. *implebuntur bono.* Id præstitit Deus tempore Zorobabelis, et postea tempore Machabæorum, sed maxime tempore Christi.

**QUATUOR CORNUA.**) Hebræi, et ex iis S. Hieron. per hæc accipiunt quatuor monarchias, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, quæ Iudæos variis per varias ætates affecere eladibus. Verum hoc parum est probabile. Primo, quia hæc visio eo spectat, ut Iudæos Babylone redeuntes in præsentem ærumna sublevet et consoletur. Ergo non spectat ad Græcos et Romanos, qui necdum erant, nec Iudæos affligerant, sed post multa sæcula futuri erant, imo post hanc consolationem quam dat hic angelus: rursus quia Iudæos affligerunt, ac tandem funditus exciderunt sub Tito. Secundo, quia Persæ, ut Cyrus et Darius, benevoli fuerunt Iudæis, eosque e Babylone liberarunt, ac potestatem eis fecerunt urbis et templi reedificandi. Ergo hi non fuerunt cornua contra Iudæos cornutantia. Tertio, quia Persæ, Græci et Romani non potuerunt affligere Israelæm, utpote iam eversum et abductum in Assyriam; sed tantum Iudam: hæc autem cornua impetierunt Israelæm, æque ac Iudam, ut hic dicitur.

Dico ergo eum Theodoret. Clario, Ribera, Sanchez, a Castro et aliis, per *quatuor cornua* significari quatuor plagas orbis, gentesque in iis degentes, quæ tam Iudæos, quam Israelitas, sive decem tribus bellis divexarunt, quales ab Oriente fuerunt Ammonitæ et Moabitæ, ab Occidente Philisthini, a Meridie Idumæi et Ægyptii, ab Aquilone Assyrii et Chaldæi. De his enim ait angelus: *Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Iudam, et Israel, et Ierusalem.* Unde Chald. pro *quatuor cornua*, vertit, *quatuor regna.*

**QUATUOR FABROS.**) Hi fabri fuerunt quatuor angeli, eustodes et hyperaspistæ Ierusalem et Iudææ. Vocantur *fabri*, quia veniunt ad hoc, ut cornua quatuor ferrea, quæ ita impetierunt Iudæos, ut nemo eorum auderet levare caput, deterreant, deprimant et amputent. Quocirca fabri hi ferrarii fuisse videntur: horum enim est ferro ferrea cornua resecare: ita S. Hieronyma. Cyrill. Theodor. Remig. et alii.

**ET VENERUNT ISTI DETERRERE.**) Nota, aliqui legunt *delerere*, sed legendum cum Roman. *deterrecere*: et hoc significat Hebr. **לְהַחֲרִיד** *lechacharid*, id est, ut tremorem eis incenterent, ut facerent ea tremere: per cornua enim intelligit gentes hostiles quas tremore concusserunt hi fabri, id est angeli. Primo enim terrorem iniecerunt gentibus hostilibus, deinde timore depressas succiderunt. Porro ferrea fuisse hæc cornua coniecerit licet ex eo, quod valide concusserint et excusserint Iudæam et Samariam: ergo valida erant: ergo ferrea. Nam, ut ait Daniel c. 2. v. 40. *Ferrum omnia domat.* Secundo, quia similia fecit ad similem effectum Sedecias pseudopropheta 3. Reg. 22. 11. *Fecit*, inquit, *Sedecias cornua ferrea*, ut ferrum et invictum robur regis Ahab exprimeret, cui adulescens ait: *His ventilabis Syriam.* Tertio, quia faber communiter fer-

Moral. Deus vindictam post castigationem convenit in auctores.

Libella cur utantur architecti.

rarium significat, nisi addatur murarius, lignarius, vel quid simile. Vatabl. tamen et Arias, uti cornua naturalia accipiunt, ita et per fabros accipiunt cornuarios, vel tornarios, qui scilicet in cornibus tornandis, secandis, poliendis laborant. Porro angelos hæc bona præstitisse Hierosolymæ, quæ hic promittit Zacharias, patet ex eventu: nam mox urbs et templum pacifice et splendide restaurata sunt, æque ac aliæ urbes Iudææ. Unde cap. sequenti vidit Propheta virum fune dimetientem Ierusalem, hoc sine, ut eam reædificet; tantumque in ea numerum civium, ut urbs omnes non caperet.

Moral.  
omne  
sub re-  
gno gra-  
uiore re-  
gnum  
est.

Moral. disce hic Primo, nullam esse potentiam regum vel tyrannorum, quæ non habeat aliam potentiorum supra se, ad quam oppresso confugere et appellare liceat. *Omne sub regno graviore regnum est.* Et Horat. l. 3. ode 1.

*Regum timendorum in proprios greges,*

*Reges in ipsos imperium est Iovis.*

Quocirca Eccl. cap. 5. 7. *Si videris, inquit, calumnias egenorum, et violenta iudicia, et subverti iustitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii; et insuper universæ terræ rex imperat servienti.*

Mira vis  
angelo-  
rum.

Secundo, magnam esse vim et potentiam angelorum in omnes reges et regna, utpote qui solo ostentato malleo, vel ferro, quo decussuri sunt cornua regum, illico ipsos terrore et tremore percussant: hoc enim significat *de-terrere*, et efflicere Hebr. *hacharid*, id est, tremore concutere. Hinc Daniel, licet vir sanctus et fortis, videns angelum, eumque alloquens c. 10. 16. *Domine mi, ait, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium; sed et habitus meus intercluditur.* Et mox de sociis: *Porro viri qui erant mecum non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum.* Sic passim in Script. viso angelo de vidente dicitur: *Tinor vel terror irruit super eum*, uti dicitur de Zacharia Luca 1. 12. Ubi S. Ambros. *Perturbamur, ait, et a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alienius superioris potestatis occursum.* Quinimo veterum opinio et sensus erat, adeo potentes et terribiles esse angelos, ut ei qui eos videret necessario moriendum esset. Inde enim est illa vox Manue, qui fuit pater Samsonis: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum*, puta angelum, Iud. 13. v. 22.

Mystice  
quatuor  
cornua  
sunt  
quatuor  
passio-  
nes ani-  
mæ.

Mystice, S. Hieron. Quatuor cornua, inquit, quæ singulos domum Dei spiritualem ædificare volentes impetunt, sunt quatuor passiones animæ, puta gaudium, tristitia, metus, et spes sive cupiditas, quas hoc versu complexus est Poeta:

*Hi metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.*

Quis enim est, etiam fidelium iustorum, qui non agitur nunc metu, nunc spe, nunc letitia, nunc tristitia? Quatuor fabri sunt quatuor virtutes cardinales, quæ hæc passiones edomant, nimirum prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia: ita S. Hieronym. aut magis proprie et pertinenter, sunt hæc quatuor. Primo, poenitentia, quæ sternit gaudium. Secundo, abnegatio sui et resignatio in voluntatem Dei, quæ interimit tristitiam. Tertio, magnanimitas et confidentia in Deum, quæ prolligat timorem. Quarto, contemptus mundi, qui suppressit spem. Qui enim cum Magdalena deslet sua peccata, hic spernit omnia mundi gaudia, totusque mundus ei amareseit. Qui abnegat se suaque commoda, ac se resignat in voluntatem Dei, hic de nulla re tristatur; sed omnia æquo animo suscipit de manu Dei, qui diligentibus se facit omnia coo-

perari in bonum. Qui magnanimitas est Deoque confidit, nil metuit. Qui contemnit omnia quæ in mundo sunt eaque ut vana, vilia, brevia et exilia despicit, hic nihil in mundo sperat. Porro apte addit S. Hieron. *Qui vitia destrunt, virtutes ædificant, omnesque sancti qui hæc remedia possidentem instaurant semper Ecclesiam, fabri appellandi sunt. Unde et Apostolus loquebatur: Quasi sapiens architectus fundamentum posuit. Et iratus Dominus de Ierusalem ablaturum se dicit architectum, et virum sapientem. Et ipse Dominus Dei omnipotentis filius et erectoris omnium, fabri filius appellatur.* Addit S. Hier. *Legi in cuiusdam commentariis, quatuor fabros quatuor Evangelistas intelligi, qui oppressum Israel, sensum videlicet videntem Deum, et Iudam Dominum confitentem, et Ierusalem visionem pacis, in pristinam sedem restituant, et quos vitiorum Gentes dispererant de Ecclesia, per prædicationem Evangelii retrahant ad salutem.* Pari modo accipias quatuor Ecclesiæ Doctores, S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Gregorium. Hi enim quasi fabri ædificaverunt Ecclesiam sua doctrina et libris.

Secundo, magis apposite per quatuor cornua possimus accipere quatuor vitia capitalia, quæ maxime impetunt Ecclesiam et fideles, et quatuor eorum præsidēs dæmones, quos designat Psaltes ps. 90. 13. dicens: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculeabis leonem et draconem*, inquit S. Hieron. *Aspis enim notat invidiam et iram; basiliscus, qui visu interimit, luxuriam; oculi enim sunt in amore duces; leo superbiam; draco gulam et avaritiam.* Quatuor fabri sunt quatuor virtutes et angeli, contra quatuor hæc vitia decertantes, nimirum charitas contra invidiam, castitas contra luxuriam, humilitas contra superbiam, abstinentia contra gulam et avaritiam: sive Uriel contra Beelzebub, Raphael contra Asmodæum, Michael contra Luciferum, Gabriel contra Bacehum et Mammonam.

Symbolice, quatuor hæc cornua sunt quatuor universales persecutiones et persecutores Ecclesiæ, qui eam successive a Christo huc usque impetierunt, quos S. Ioannes Apoc. 6. præsignificavit per quatuor equos et equites, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum. Albus enim significat Christum debellantem Iudæos, rufus significat Gentiles, præsertim Imperatores, ut Neronem, Decium, Dioeletianum, quorum faber et successor fuit Constantinus Magnus. Niger significat hæreticos, præsertim Arrianos, quorum faber et debellator fuit S. Athanasius, S. Basilus, S. Hier. S. August. etc. Pallidus significat Mahometanos, quorum fabri ex parte fuerunt reges Hispaniarum; sed fabrum qui plene eos succidat, adhuc expectamus: utinam brevi Deus eum ostendat! prima enim Ecclesiæ persecutio, fuit a Iudæis; secunda, a Gentilibus; tertia, ab Arrianis; quarta, a Saracenis.

Simili modo tempore primitivæ Ecclesiæ, quatuor cornua eam impetentia fuerunt quatuor hæreses et hæresiarchæ, scilicet Arrius negans Christi divinitatem; Nestorius ponens duas personas in Christo, æque ac duas naturas; Eutyches constituens unam naturam in Christo, æque ac unam personam; Macedonius negans divinitatem Spiritus sancti, quorum quatuor fabri et successores fuerunt quatuor Concilia Œcumenica, nimirum Nicænum contra Arrium, Ephesinum contra Nestorium, Chalcedonense contra Eutychem, Constantinopolitanum contra Macedonium: in quibus præcipuus faber Arrii fuit S. Athanasius, Nestorii S. Cyrillus, Eutychetis S. Leo, Macedonii S. Gregorius Nazianzenus.

Item  
quatuor  
vitia ca-  
pitalia.

Symboli-  
ce sunt  
quatuor  
persecu-  
tiones  
Eccle-  
siæ.

Item  
quatuor  
primæ  
hæreses.

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Videt Zacharias angelum cum funiculo mensorio, ut metiatur Ierusalem a Nehemia et Zorobabele reedificandam, cunq̄ue ex funiculo exiguo, utpote convoluta, conticeret timeretq̄ue Zacharias exiguum fore novam Ierusalem, mox audit alterum angelum promittentem, quod absque muro ipsa habitanda sit præ copia hominum et iumentorum, quodq̄ue Dominus sit futurus ei murus ignis in circuitu, et gloria in medio eius. Quare invitat Iudæos, qui metu Chaldeorum aliarumq̄ue gentium hostilium timebant redire e Babylone, ut audacter redeant in Ierusalem: Deum enim illam instauraturum cum templo, ac in eo habitaturum, ideoq̄ue effecturum, ut nec Chaldæi, nec Samaritæ, nec aliæ gentes vicinæ vel fabricam impediunt, vel Iudæorum pacem turbent. Nota, hæc ad litteram intelligenda esse de Ierusalem urbe Iudæorum, de ea enim hactenus egit, idq̄ue filium orationis et plana textus verba deponunt. Allegorice tamen, et potius intelligenda sunt de Ecclesia, quæ est vera Dei Ierusalem, in eaque orta est, et illi successit, de qua Apostolus Galat. 4. 26. Et quia ad Ecclesiam maxime respexit Spiritus sanctus, hinc quædam hic angustiora interserit, quæ tenuiter Hierosolymæ, plane autem et plene conveniant Ecclesiæ. Ad illam enim data typi alicuius occasione, assurgere et avolare solent Prophetæ. Qualia sunt v. 8. Post gloriam misit me ad gentes. Erunt prædæ his qui serviebant sibi. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Lauda et lætare filia Sion: quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, etc. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Lyræus, Vatabl. et alii passim, excepto Ribera et paucis aliis, qui hæc omnia in sensu non allegorico, sed litterali accipienda censent, non de Ierusalem, sed de Ecclesia Christi, idq̄ue ob verba textus quæ paulo ante citavi. Verum illa non urgent, uti ostendam in eorum explicatione. Vide canon. 4. et 5. quos præfixi Prophetis maioribus.*

1. **E**T levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir, et in manu eius funiculus mensorum. 2. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Ierusalem, et videam quanta sit latitudo eius, et quanta longitudo eius. 3. Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et angelus alius egrediebatur in occursum eius. 4. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem, præ multitudine hominum et iumentorum in medio eius. 5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: et in gloria ero in medio eius. 6. O, o fugite de terra aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus. 7. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis: 8. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: 9. Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi: et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. 10. Lauda, et lætare filia Sion: quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. 11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui: et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. 12. Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata: et eliget adhuc Ierusalem. 13. Silcat omnis caro a facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

Vers. 1. **E**T LEVAVI.) Hæc ad præcedentem visionem, et ad verba consolatoria de restauranda Ierusalem cap. 1. 13. pertinere, ideoq̄ue eodem tempore, puta eadem nocte et visione visa esse a Zacharia, probabiliter censet Theodoret. Videtur enim hic esse continuatio præcedentis visionis. Hiscæ enim symbolis omnibus promittit Deus Iudæis restorationem urbis et templi, ad eamque illos incitat et impellit. Unde eosdem angelos hic videt Zacharias, quos vidit cap. præced.

**ET ECCE VIR.**) Puta angelus specie viri: viri enim formam induerat in corpore aereo a se formato et assumpto.

**ET IN MANU EIUS FUNICULI MENSORUM.**) Quo solent architecti metiri longitudinem et latitudinem ædificiorum; ad eamque funiculis in terram delixis, et utraq̄ue ex parte extensis comprehensam, ædificare, ut iusta sit partium omnium symmetria et proportio. Funiculo ergo hoc significat se brevi reedificaturum Ierusalem. Angelus hic videtur fuisse idem qui c. 1. 8. visus est Zachariæ stare inter myrteta, nimirum S. Michael: hic enim erat custos et tutor Synagogæ, uti iam est Ecclesiæ: unde ad eum pertinebat cura restaurandæ Ierusalem et templi. Similem virum vidit Ezechiel c. 40. 3. qui funiculo et ealano dimetiebatur templum a Zorobabele reedificandum. Sic S. Ioannes Apocal. 21. 15. vidit angelum arundinæ metientem Ierusalem cælestem.

Vers. 2. **ET DIXI,** ego Zacharias ad virum habentem funiculum mensorium, puta ad S. Michael: **QUO TU VADIS?** quid funiculo tuo agere vel metiri destinasti? **ET DIXIT** (respondit) Michael **AD ME:** **UT METIAR IERUSALEM,** puta aream in qua reedificanda est Ierusalem. Ierusalem enim iam non extabat, ut puta ante 70. annos destructa a Chaldæis.

**A** Unde subdit: **ET VIDEAM QUANTA SIT,** id est, futura sit, vel esse debeat, **LATITUDO EIUS.**

Tropolog. funiculus hic significat dimensiones crucis Christi; item charitatis, humilitatis, cæterarumque virtutum, iuxta quas ædificanda est domus spiritualis, puta fabrica perfectionis, de quibus Apostolus Ephes. 3. 18. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Vide ibi dicta.

**ET ECCE ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME.)** Hic fuit angelus proprius Zachariæ, qui ei hæc oracula suggererat, et visiones ostendebat: ac proinde diversus a Michael, uti dixi c. 1. 13. Quocirca S. Hieronymus, Theodoret, Haymo, Hugo, Lyræus, et alii passim tres hic numerant angelos, primum cum funiculo quasi mensem, qui fuit S. Michael; secundum, prophetalem Zachariæ; tertium, qui egrediebatur in occursum eius, puta secundi, ut per eum doceret Zachariam quanta futura esset Ierusalem: tertium hunc autem multi fuisse S. Gabrielem; ille enim curator erat populi Dei, ut patet Daniel. 9. 21. et c. 10. 5. ubi similiter tres angelos similes, imo fere eosdem cum hisce Zachariæ, atque idem pene nunciantes vidit Daniel.

**ET DIXIT AD EUM,** puta angelus tertius dixit ad secundum, qui erat custos Zachariæ: **CURRE, LOQUERE AD PUERUM ISTUM, DICENS: ABSQUE MURO HABITABITUR IERUSALEM.)** q. d. Dic Zachariæ puero, non ætate, ut vult Ribera et Emmanuel (erat enim grandævus, inquit S. Epiphanius, Doroth. Isid. imo et Martyrol. Roman.) sed conditione et statu: quia scilicet erat puer, id est, eliens et discipulus angeli sui Custodis. Homines enim respectu angelorum sunt quasi pueri, ait S. Hier. Rursum *puero,*

Vers. 1.

Puer, id est mihi-ster.

id est, ministro. Erat enim Zacharias minister angeli; per eum enim angelus Dei de restauratione Ierusalem decretum Iudæis annuntiavit. Sic Lucae 1. 69. David vocatur *puer*, id est, minister Dei: *Ercait*, ait, *cornu salutis nobis in domo David pueri sui*. Item Iacob ibidem v. 34. *Suscipit*, inquit, *Israel puerum suum*. Aetor. 4. 27. Iesus vocatur *puer*, id est, minister Dei. Sic Genes. 24. 52. servus Abrahamæ licet senex, vocatur eius puer. Est eatachresis: pueri enim solent ministrare viris et senibus. Sensus ergo est, q. d. O angele die tuo clienti Zachariæ: Tu videns angelum primum, puta Michaellem cum funiculo, putabas Ierusalem reedificandam fore exiguam, utpote parvo eius funiculo comprehendendam; sed scito te falli: prædico enim et promitto tibi tuisque, tantam fore Ierusalem, tamque plenam civibus, ut muris suis eos continere non possit. Funiculus enim quem vides, licet parvus videatur, quia tenuis est et in glomum convolutus; tamen si evolvatur, uti fiet in dimensione, complectetur ingentem aream, quæ ingentem capiet urbem: atque urbs ipsa licet ingens, non capiet incolas, tanta erit eorum multitudo: quocirca per suburbia et villas urbi vicinas habitare cogentur. Ex hoc loco S. Greg. hom. 34. in Evang. docet, angelos maiores mittere minores: *Dum enim*, inquit, *angelus ad angelum dicit: Curre et loquere ad puerum istum, dubium non est, quin alius alium mittit. Minora vero sunt quæ mittuntur, maiora quæ mittunt*. Hinc enim acceperunt Scholastici ea quæ docent de locutione angelorum.

**ABSQUE MURO**) Hebr. פּרַזוֹת *perazot*, id est, villæ, hoc est, instar villarum absque muro habitabitur Ierusalem: quia tanta erit civium copia, ut urbe capi non possit. Quocirca ædificabunt suburbia et villas urbi contiguas, per easque longissime se dilatant et propagabunt. Unde aliqui sic exponunt: *Absque muro*, id est, extra murum. Sic enim dicitur Iosue 17. 5. *Ceciderunt funiculi Manasse absque terra Galaad*, id est, præter et extra terram Galaad. Non ergo negat Ierusalem eingendam muro, ut volunt aliqui, qui proinde id ad litteram accipiendum volunt de Ecclesia. Non etiam corrigat Michaellem volentem funiculo metiri Ierusalem, ut alii exponunt. q. d. Noli eam metiri: non enim illa funiculo demetienda est; nam sine muris ædificanda est, et undequaque dilatanda. Quis enim angelus corrigat Michaellem omnium angelorum principem? Sed sensus est, q. d. Licet Ierusalem statim ob metum vicinarum gentium eingendam sit muro, ut patet Nehem. 2. 17. tamen tanta eo confluet hominum frequentia, ut multi cives extra muros in vicis et villis suburbanis habitare cogantur: ita de facto contingit: nam habitaverunt in Bezeta, id est, in nova civitate; donec Agrippa rex cepit hæc suburbia muro eingere, teste Iosepho l. 6. Belli c. 6.

Secundo, *non habitabitur* potest accipi *דְּבַר־חַיִּים*, ut potentiam significet, non actum, q. d. Adeo tuta et secunda erit Ierusalem per Dei inhabitantis opem et protectionem, ut sine muro habitari possit. Id enim fieri dicitur, quod aptum est ut fiat; ac id facere quis, quod ut faciat potestatem habet. Sic ait Iob c. 9. 6. *Qui commovet*, id est, commovere potest, *terram de loco suo*. *Qui præcipit soli*, et non oritur, id est, qui præcipere potest soli ut non oritur.

Tertio, Hebr. *perazot*, id est, villæ, Septuag. vertunt, *frugifera*: tales enim solent esse villæ. Unde sic transferunt, *frugifera habitabitur Ierusalem a multitudine hominum et iumentorum, quæ in medio eius*, q. d. Dives, fertilis et opulenta erit Ierusalem: proferet enim aletque innumeram turbam iumentorum, æque ac hominum. Ita ad litteram de urbe Ierusalem hæc accipiunt Hebræi, S. Cyrill. Theodoret. et alii. Hæc enim phrasi significat amplitudinem et frequentiam, æque ac securitatem et pacem Hierosolymæ. Dum enim metus est belli, nemo dives in villis habitare audet, sed ad urbes muratas se recipit.

Mystice, id verius est in Ecclesia, quæ absque muro habitatur: quia toto orbe diffusa est. Ad eam enim undequaque confluit innumerabilis multitudo fidelium, tam

A hominum, id est, iustorum, quam iumentorum, id est, carnalium, qui more iumentorum terræ inhiant: ita S. August. serm. 131. de tempor. et Remig. Albert. Lyran. Vatabl. Arias hic. Rursum Ecclesia æque ac anima sancta, est *perazot*, id est, villa, ob amonitatem, libertatem et fertilitatem. Abundat enim spiritali frumento, vino, oleo, fructibus, iumentis et animalibus omnis generis, agris, vineis, hortis, arboribus, fontibus, etc. Quid mirum? Hæc est villa Dei, eius manibus erecta, aucta, adornata. Ita eandem Ecclesiæ propagationem per dilatationem Hierosolymæ, symbolice depingit Ierem. cap. 31. 38. et Isaïas cap. 49. 20. *Angustus mihi est locus, fac spatium mihi ut habitem*. Imo S. Hieron. in Ionam, asserit Ierusalem veterem fere semper in S. Script. portare novam: ubique enim hoc ei quasi oneri datum, ut Ecclesiam Christi in seipsa præferat et referat, quasi eius imago et typus, imo mater. Quare in Liturgia S. Iacobi, Ierusalem appellatur Matrix Ecclesiarum; perinde ac Rom. 11. 18. prisci Patriarchæ nuncupantur Ecclesiæ radix, quæ portat fideles ex Gentibus. Sic S. August. præmio in psal. 126. ait, Salomonem gestare figuram Christi, ut in iis quæ de regno ipsius Script. commemorat, non tam sit persona Salomon, quam is ipse personatus Christo; ac proinde utrumque intelligi oportere: quia figuratum sine eo quod figurat percipi nequit. Ita hic substratum, sive fundamentum litteræ est restauratio terrenæ Ierusalem, cui typice superstruitur fabrica Ecclesiæ Christianæ: ita Fernandez visione 30.

**ET EGO ERO EI, AIT DOMINUS, MURUS IGNIS IN CIR-** Vers. 5.  
**CUITU.**) Chald. *verbum meum erit ei, dicit Dominus, velut murus igneus illum per circuitu ambiens*. Est occupatio: occurrat enim tacite obiectioni, eamque præoccupat, q. d. Ne mireris, o Zacharia, quod dixi absque muro habitandam Ierusalem, neve ex eo metuas quod ad eam hostibus facilis patebit aditus: ecce enim promitto, quod ego ipse Deus vester ero ei pro muro, eoque non lapideo, sed igneo, q. d. Ego instar muri ignei eingham et tutabor

C Ierusalem, ac solo aspectu hostes fugabo, et cives lætificabo. Alludit ad flammeum gladium quo Cherubim custodivit paradisum, Genes. 3. 24. quem non pauci murum igneum exponunt cum Lactantio lib. 2. instit. c. 13. Paradisus enim Dei olim erat Ierusalem, et nunc est Ecclesia. Rursum alludit ad ps. 24. 2. *Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui*. Et ad Isaïæ 26. 1. *Salvator ponetur in ea murus et antemurale*. Ita Theodoret. exponit, q. d. *Mea benignitate ei ero murus, qui transiri et transcendere non possit. Hanc enim vocabit murum ignis. Nam sicut pyra ingens transiliri nequit, sic vinci non potest qui gratia Dei custoditur*. Quia, ut ait Rupert. eum scriptum sit: *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, quis ibi hostem timebit? quis de inimico sollicitus erit?* etenim *Deus tutor noster, ignis consumens est*, ut ex Mose ait Paulus Hebr. 12. 29.

D Quocirca allegorice et tropologice murus igneus Ecclesie, et fidelium quorumlibet in particulari, sunt Primo, angeli intelares. De his enim ait Psaltes, et ex eo S. Paulus Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*. Ita sancti angeli in specie equorum et currum igneorum defenderunt Elisæum contra exercitum Syrorum, 4. Reg. 6. vers. 18. Ita iidem Eliam curru igneo, ad quem demones accedere non auderent, rapuerunt in caelum, 4. Reg. 2. 11.

Secundo, Spiritus sanctus, qui in Apostolos et Ecclesiam descendit specie ignis in Pentecoste, quemque iam ante promiserat Christus dicens: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Lucae 12. 49. Huius rei symbolo idem Spiritus sanctus per angelum deduxit Hebræos ex Aegypto, et deserto ad terram promissam in specie columnæ ignis et nubis, quæ castra præibat eratque dux itineris, et simul ea eungebat et tutabatur ab hostibus, de qua Sapient. 10. 17. *Fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem*. Hoc igne charitatis ardens et cinctus S. Laurentius risit Valerianum, eiusque ignes et craticulas.

Mystice Ierusalem felix typus est Ecclesie felicis.

Allegorice murus igneus fidelium. Sunt angeli.

II. Spiritus sanctus.



Anagog.  
est ignis  
Purgato-  
rii.

Anagog. Ierusalem et paradisi caelestis cinctus est igne Purgatorii per quem omnes in caelum quasi transire debent, ut eo probentur num quid impuri habeant, et si quid habeant, expurgentur, iuxta illud 1. Cor. 3. 13. *Uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, etc. si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ad haec Origen. S. Basil. Lactant. S. Ambros. et Rupert. ex hoc loco et similibus opinati sunt, ante caelum in aethere esse maximos ignes, per quos transire et expiari debeant omnes in caelum euntes, etiam S. Petrus et Paulus; de qua sententia quid censendum sit dixi 1. Cor. 3. 12. Denique Christus Index, et Sancti in die iudicii cingentur igne conflagrationis mundi, qui deinde impios et damnatos convolvit in tartara, de quo psal. 49. 2. *Ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas validus.*

ET IN GLORIA ERO IN MEDIO EIUS.) Hebr. **לְכָבוֹד** *lechabod*, id est, ad gloriam; Septuag. *in gloriam*, pro gloria, loco gloriae; Chald. *gloriosae maiestatem meam in medio eius reponam.* Iam gloria haec dupliciter accipi potest. Primo, passive, q. d. In gloria ero, id est, glorificabor et colar in Ierusalem per patriae cultum: ita S. Hieron. Lyran. et Dionys. Secundo, et melius active, q. d. Glorificabo Ierusalem, gloriam ei asseram: ita Cyrill. Theodoret. Haymo, Vatabl. et Ribera, Sanchez et alii. Deus enim habitans in Ierusalem per sui cultum, legem, oracula, miracula, tutelam et protectionem, eam reddebat celebrem et gloriosam apud omnes gentes, teste Iosepho l. 12. Antiqu. c. 26. Deus ergo erat gloria Ierusalem, iuxta illud Ierem. 2. 11. *Populus vero meus mutavit gloriam suam, id est, Deum suum gloriosum, in idolum.* Hinc illud ps. 86. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Et ps. 47. 2. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fundatur exultatione universae terrae mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni:* ita Theodor.

Arca foederis vocatur gloria.

Secundo, aliqui, ut a Castro, per *gloriam* Hierosolymae accipiunt arcam foederis: ob eam enim captam a Philisthaeis nurus Heli gravida, et praedolore exultans factum ac pariens, vocavit puerum *Ichabod*, dicens: *Translata est gloria de Israel, quia capti sunt arca Dei,* 1. Regum 4. 21. ut sensus sit: Ego Deus Hierosolymae ero murus igneus forinsecus, intrinsecus vero et in medio eius ero ei pro arca. Sicut enim ad arcam omnes accurrebant, Deum super eam in propitiatorio residentem adoraturi et invocaturi; indeque Deus urbem gubernabat: ita promittit hic se pro arca (quam ante captivitatem ex Ierusalem extulerat et absconderat Ieremias, ut dicitur 2. Machab. 2. 5.) et pro anima in medio Ierusalem futurum, ut omnes eives et incolae inde animet, foveat, gubernet et regat. Porro Deus tum alias fuit gloria Ierusalem, tum maxime quando assumpta carne in ea visibiliter apparuit, docuit, miracula fecit, et Ecclesiam suam instituit: ita Vatabl. Quocirca allegorice, et potius tropologice, Deus per Christum est gloria Ecclesiae. Quanta enim eius est gloria, quod caput eius sit Christus, id est, Verbum incarnatum, Deus homo? quanta eius gloria est, Christi caelestis vita, doctrina, Evangelium, Sacramenta, gratia, quam in singulos fideles quasi membra sua iugiter influit, qua eos ad beatitudinem et gloriam aeternam deducit? Hanc Ecclesiae gloriam sub typo Ierusalem graphice depingit Isaias c. 60. 1. *Surge, ait, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Levam in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi,* etc. Ita de Ecclesia hunc locum exponunt S. Hieronym. Haymo, Albert. et Remig.

Vers. 6.

O, O FUGITE DE TERRA AQUILONIS.) Hebr. **הוֹי הוֹי** *hoi hoi*, id est, *heus heus*, quod est adverbium hortandi et incitandi ad celerem et contentam fugam, ideoque geminatur, imo triplicatur a Propheta, ut iugentis cladis

ingentem pavorem incutiat, ac ingentes stimulos ad eam fugiendam Iudaeis addat, q. d. O Iudaei, qui estis filii Ierusalem et Sionis, fugite de Babylone, quae vobis est Aquilonaris, in quam quasi in carcerem per septuaginta annos delatus fuistis, indeque ulterius in Assyriam, Mediam, Persidem, adeoque in quatuor mundi plagas dispersi estis: fugite, inquam, ad patriam vestram, redite in Ierusalem civitatem Dei, quasi in asylum. Multi enim Iudaei in Babylone fixerant sedem, quasi ibi perpetuo mansuri, ibique habebant suas familias, merces et opes, iuxta consilium Ieremiae c. 29. 5. uti constat de Ioachim marito Susannae Danielis 13. 4. Unde difficulter, nec non nisi cum iactura rerum suarum, se cum suis transferre poterant in Ierusalem, praesertim quia metuebant ne rursum Samaritae, alieque gentes Ierusalem expilarent, nisi ante septuaginta annos fecerant Chaldaei. Hosce ergo excitat et animat ad fugam et reditum, promittens opem et protectionem Dei affore Hierosolymae, ne qui hostes eam invadere audeant: ita S. Hieronym. Theodor. Remig. et Hugo.

Porro Propheta tam serio et studiose hortatur Iudaeos ut fugiant e Babylone; tum ne Babylonios mores et superstitiones induant tam ipsi, quam filii eorum; sed ut redeuntes in Ierusalem, ibi Deum pie et sancte colant: tum proprie, quia instabat novum excidium Babyloni, ne illud eos involvat. Babylon enim capta a Cyro, eo caeso, et stirpe eius regia in Cambyse filio extincta, coepit cervices attollere, ac ad pristinum regnum et monarchiam aspirare: unde iugum Persarum excussit. Quocirca Darius Hystaspis iterum eam obsedit, tandemque expugnavit; idque anno regni eius quarto, id est, biennio post hoc Zachariae de eo oraculum (hoc enim editum est anno 2. Darii ut patet c. 1. 1.) factum esse censet noster Gordonus in Chronol.

Cur fugiendum e Babylone.

Quia illa mox a Dario erat vastanda.

Rem gestam narrat Iustinus in fine libr. 1. Herodotus in fine lib. 3. et ex iis Tornicell. anno mundi 3532. Babylonii, inquit Herodot. rebellantes Dario, ab eo obsessi riserunt eum, quod omni re ad resistendum instructi essent, dictitantes tunc eum expugnatum Babylonem, eum mula pareret. Frustra ergo urbem, omni licet arte vique adhibita, oppugnavit Darius per viginti menses, quibus exactis mula Zopyri principis Darii peperit. Hoc omen accepit Zopyrus, quasi iam adesset tempus capiendae Babylonis. Itaque praescindens sibi nares auresque, et horrende se vulnerans et mutilans profugit ad Babylonios, fingens se tam indigne tractatum a Dario, quod ei suasisset solutionem obsidionis; quocirca se eis Darii secreta proditurum, ac in praesens contra eum ducentem futurum. Crediderunt ei Babylonii: quare creatus ab eis belli dux, acceptisque urbis clavibus, milites Darii clanculum in urbem admisit, itaque urbem Dario tradidit, qui muros eius portasque omnes demolitus est, quorum neutrum Cyrus fecerat: Babyloniolorum quoque procerum tria millia patibus affixit. De Zopyro vero hoc Darii fuit elogium: *Mullem Zopyrum non esse mutilum, quam viginti Babylones per hanc eius calamitatem mihi acquiri: Unus Zopyrus mihi pluris est, quam viginti Babylones.* Simili modo Ieremias instante excidio Babylonis per Cyrum, monet Iudaeos ut ex ea profugiant cap. 51. 6. *Fugite, ait, de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam: nolite tacere super iniquitate eius, quoniam tempus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.* Sic Tobias imminente excidio Niveis, monet filium ut ex ea se subducat, c. 14. 12. *Dirigite, ait, gressus vestros, ut exeat hinc: video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.*

Tropolog. Babylon, id est, confusio, scilicet vitiorum, errorum et aerumnarum, est mundus, q. d. Fugite de mundo, deque potestate diaboli ad Ierusalem, id est, ad Ecclesiam, quae est mater et doctrix veritatis, sanctitatis et felicitatis: ita Lyran. et Vatabl. Rursum, fugite ad statum Religionis, ad claustra monastica quasi ad asylum. Audi S. Bernard. serm. 30. de Conversione ad Clericos: *Quidni periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in*

Tropol. fugiendum e Babylone, id est, emundo.

*hoc sæculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite et salvate animas vestras. Convolate ad urbes refugii ubi possitis et de præteritis agere penitentiam, et in præsentibus obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Idem epist. 103. Væ, ait, væ, vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit. Quousque tu tantæ gloriæ præfers sœnum, quod hodie est et cras in clibanum mittitur? carnem dico, et eius gloriam. Si quidem omnis caro sœnum, et omnis gloria eius tanquam flos sœni. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine iam ca sequi, quæ et assequi miserum est. An non ca satius cum honore spernis quam cum dolore perdis? An non prudentius ca Christi cedis amori, quam morti? Est in insidiis prædo, cuius manibus nec te, nec tua poteris subducere. Nec poterit provideri, quia tanquam fur in nocte, ita veniet. Nihil intulisti in mundum, haud dubium quia nec quidquam auferes. Dormies somnum tuum, et nihil invenies in manibus tuis. Luget, merito luget S. August. l. 2. Confess. cap. 3. adolescentiam suam in plateis illis Babylonis transactam, quoniam cum cœtaneos suos audiebat iactantes flagitia sua, et tanto magis gloriantes, quanto magis turpes essent; ipse etiam stimulabatur non modo ad eadem faciendam, sed etiam ad fingenda quæ non fecerat, ne videretur abicitior quo erat innocentior, et ne vilior haberetur quo erat castior. Nimis enim contagiosam rem esse malos sodales, cum dicitur: *Lanus, faciamus, et pudet non esse impudentem.* O si in altam speculam eum S. Cypriano l. 2. epist. 2. conscendere liceret, indeque prospicere Babylonem, id est, mundum, puta mundanorum varia studia, curas, negotia, sermones, cursationes, labores, nundinationes, angores, tædia, scelera, ærumnas, elades et strages; sane exclamaremus: O quantum est in rebus inane! O quantum miseriarum pelagus est Babylon! O quam dementes sunt, qui in eo iactari et mergi eligunt! O, o miseri cæcique mortales, fugite de medio Babylonis, fugite hoc malorum diluvium. Inspice vel unam urbem, vel unam domum, vel unam familiam, quanta in ea videbis dissidia, maledicta, blasphemias, quantas obscœnitates, et turpitudines imaginum, librorum, verborum et operum; quantos labores a mane in vesperum, quantas sollicitudines, quanta tædia, quot infortunia? Hunc videbis affligi febri, illum calculo, tertium asthmate, quartum colica, quintum pleuritis, sextum paupertate etc. septimum rapina, sterilitate, naufragio, etc. Animas si introspicias, eernes multo magis ægras et miserabiles, ut cum Osee c. 4. exclames: *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.**

Prospiciebat hæc S. Fulgentius, Ruspensis postea Episcopus, qui, ut habet eius Vita, cum senatoria familia esset ortus, ac doctrina, opibus, summo magistratu, clientelis, florenti ætate fortunatissimus haberetur, cepit huius mundanæ felicitatis brevitatem et inanitatem perpendere, eiusque curas, onera et tædia gaudiis fallacibus permista experiri, cumque videret Religiosos hisce carere, agereque vitam quietam, hilarem, amabilem et sanctam, eos colere, et frequentare instituit, ac laudem in hæc verba prorupit: *Cur obscuro sine spe futurorum bonorum laboramus in hoc sæculo? Quid nobis denique præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licet melius sit bene flere quam male gaudere, quanto melius tamen gaudent quorum in Deo tranquilla est conscientia, qui nihil timent nisi peccatum, nihil agunt nisi ex Dei præscripto? Non fatigantur publicis negotiis, non damna rei familiaris aut miserabiliter flere, aut turpiter timere coguntur; nec, cum sua ipsi reliquerint alienis insidiantur. Vivunt inter se pacifici, sobrii, mites, humiles atque concordēs. Nulla ibi cogitatio libidinis, imo magna sollicitudo et iugis custodia castitatis. Initemur tam laudabiles viros, arripiamus hanc bene vivendi constantiam, abiciamus pristinos mores, et mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles nobiliores apparere: nitamur modo inter*

**A** *servos Dei pauperes effici pauperiores.* Hæc dixit, et mox opere præstitit, mirante et factum eius celebrante universa Carthagine, multis etiam imitantibus, adeo ut eorum copia impleverit cœnobium. Vide S. Ambros. lib. de Fuga sæculi.

**QUONIAM IN QUATUOR VENTOS CÆLI DISPERSI VOS.)** Primo, aliqui sic exponunt, q. d. Fugite e Babylone in Iudæam, quia ibi dilatabo, et dispergam vos ad quatuor plagas mundi. Dabo enim vobis Philisthæam, quæ est ad Occidentem; Moabitidem, quæ est ad Orientem; Idumæam, quæ est ad Meridiem; Samariam, quæ est ad Aquilonem. Secundo, alii melius, q. d. Fugite e Babylone, quia ibi non uniti, sed dispersi estis in quatuor orbis plagas, per quas vagamini: redite ergo in Iudæam, ut ibi in unum populum et rempubl. pristinam coalescatis. Tertio, Sanchez, q. d. Invito vos, o Iudæi dumtaxat, qui in Babylone degitis: non enim loquor ad dispersos in alias terras, quoniam hi dispersi sunt ad quatuor ventos, nec revocari possunt. Unde de facto hi soli redierunt qui in **B** Babylone manserunt, non vero qui in alias oras dispersi vagabantur.

**O SION FUGE.)** *Sion*, id est, Sionitæ, puta Iudæi orinndi ex Sion et Ierusalem. Pro *fuge* hebr. est *יִמְלִטֵנִי* *vers. 7.* *limmalti*, id est, proripe te. libera te, salva te; Chald. *crade*; Pagn. *crue te*; Tigurina, *servare*; Septuag. *in Sion* (fugiendo) *salvamini, qui habitatis filiam Babylonis.* Ecce hæc omnia significant instans Babyloni excidium per Darium: ex eo enim ut se proripiant Iudæi, præmonet hic Zacharias.

**QUÆ HABITAS APUD FILIAM BABYLONIS.)** Quæ habitas in Babylone: *filia* enim *Babylonis* idem est quod *filia Babylon*, puta ipsa Babylon, pulchra et speciosa instar filię.

**QUIA HÆC DICIT DOMINUS.)** Sanchez hæc verba refert ad præcedentia, q. d. Fugite e Babylone, quia hoc iubet Dominus. Verum cæteri Interpretes omnes referunt ad sequentia: unde et Hebræi, Græci et Latini codices hinc inchoant versum octavum.

**POST GLORIAM MISIT ME AD GENTES.)** q. d. Postquam per Esdram, Nehemiam, Zorobabel, etc. gloriose restauravero Ierusalem, ego angelus, puta Gabriel, militat ad gentes, quæ vos o Iudæi, afflixerunt, et Chaldæos in vastatione Iudææ adiuverunt, ac ex ea profugos spoliaverunt, ut illas puniam vobisque subiiciam, puta Idumæos, Philistinos, Ammonitas, Moabitas, etc. ita Chald. Hugo, Mariana et alii. Idem prædixit Abdias in fine suæ prophetiæ, et Sophonias c. 1. et 2. Sunt enim hæc verba non Zachariæ, ut vult a Castro, quasi is mittatur a Deo ad Gentes, ut eis prædicat eadem; sed angeli tertii, qui cepit loqui Zachariæ v. 4. et huc usque sermonem protrahit. Hoc enim exigit connexio textus, et *eo quia.* Arias per gentes accipit Persas, quasi angelus hic prædicat Persarum excidium per Græcos et Alexandrum Magnum. Verum Persæ, ut Darius et Cyrus, non spoliaverunt, sed ditantur Iudæos. Expositio iam dicta videtur litteralis, cui tantum obstat id quod præcessit: *Hæc dicit Dominus exercituum;* cui mox subdit: *Post gloriam misit me ad gentes;* ubi pronomen *me* videtur referre eum qui præcessit, scilicet Dominum exercituum. Verum responderi potest esse hebraismum, quem latine sic emollias et exponas, q. d. Hæc dicit Dominus exercituum, quod post gloriam Ierusalem mittet me Gabrielem ad gentes, ut eas illi fortiter subiiciam. Demus ergo hoc velle corticem litteræ, qui obiter victorias Iudæorum videtur hic perstringere; sed negari non debet, quin præcipuus sensus sit de Christo, ad quem avolat Propheta, ideoque hæc phrasi utitur. Christus ergo est Dominus exercituum, id est Deus, quem post gloriam Pater misit ad Gentes: ita S. Hieronym. Haymo, Remig. Theodor. Lyrau. Vatabl. Clarius, Ribera et alii. Unde Doctores orthodoxi contra Arrianos recte ex hoc loco probant Filium Dei esse Deum verum, adeoque mysterium SS. Trinitatis. Alius enim hic a Zacharia asserit Dominus exercituum missus, scilicet Filius; alius mittens, scilicet Pater. Hinc et v. 10. Dominus missus ad Sionem ait: *vers. 8.*

*Habitabo in medio tui*, ubi Chald. elare vertit, *ponam divinitatem in medio tui*. Iam S. Hieronymus gloriam intelligit eam, qua Dei filius eminebat in caelo, post gloriam, inquit, divina maiestatis, q. d. Vide dignationem Dei nostri: ecce Verbum Dei post gloriam, quam ex aeternitate habuit in divina natura, dignatum est assumere sacrum mortalitatis nostrae, ut in eo posset mitti ad gentes, easque morte sua redimere. Solent enim ignominiae post gloriam, labores post quietem, dolores post felicitatem, esse acerbiores: vide Rupert.

Euseb. vero lib. 6. Demonstr. c. 16. Emmanuel et alii accipiunt gloriam humanitatis Christi, q. d. Postquam ego Christus homo gloriam meam ostendi tot tantisque miraculis a me patrat; item tot apparitionibus, quibus me ostendi post resurrectionem a morte redivivum; denique post ascensionem misit me Pater ad gentes, ut per praedicationem Apostolorum colligerem fideles, praesertim eos qui futuri et permansuri sunt sancti, ideoque eligendi ad vitam aeternam. Hæc est enim proprie Christi gloria, de qua Ioan. 7. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Ubi nota canonem S. Augustini l. 3. Doctr. Christ. 31. *Quæ in scriptura dicuntur de capite*, id est, Christo, *intellige de eius corpore*, id est, Ecclesia, puta Apostoli et fideles; ac vice versa. Sic Christus hic dicitur missus ad Gentes, non in se, sed in suis Apostolis, quos ad Gentes destinavit. Christus enim in suis Apostolis quasi equis perambulavit totum orbem, iuxta illud psal. 67. 5. *Ier facite ei qui ascendit super occasum* (puta ad Occidentales orbis plagas) *Dominus nomen illi*.

Tertio, alii accipiunt gloriam de qua dixit vers. 5. *In gloria ero in medio eius*, q. d. Post gloriam, quam Deus sua praesentia vobis, o Iudæi, exhibebit in nova Ierusalem et templo, mittet ipse me Gabrielem ad Gentes, ut eas vobis subigat, quæ erit nova vestra gloria; et multo maiori gloria vestra mittet mei antitypum Christum, qui est virtus et fortitudo Patris, ut Ecclesiae suæ, quam ipse in vobis inchoabit et fundabit, gentes antea vobis inimicas subigat, itaque ex Iudæis et Gentibus faciat unum ovile, cuius ipse sit pastor, q. d. Post gloriam Ierusalem et Iudæorum, succedet per Christum gloria Ecclesiae et gentium Christianarum. Hæc tertia gloria magis genuina et litteræ innexa videtur: respicit enim ad gloriam quæ præcessit, quamque promisit v. 5. ita Albertus, Hugo, Arias et Sanchez: quin et Chald. sic enim vertit, *post gloriam quam vobis adducturum se dixit* (v. g.) *misit me ad populos qui vos diripiunt*. Perperam R. David vertit, *postea* (id est, post omnes has prophetias) *in gloriam misit me ad gentes*, q. d. Postquam ego Zacharias vaticinatus sum Iudæis, Deus amplioris gloriae causa misit me ad vaticinandum Gentibus: hebr. enim est *אחר כבוד uehar cubod*, id est, *post gloriam misit me ad gentes*.

**QUI ENIM TETIGERIT VOS, TANGIT PUPILLAM OCULI MEI.** Hebr. Chald. Septuag. et S. Hieron. in Comment. habent *oculi eius*, vel *oculi sui*; ut loquatur de Deo in tertia persona, ac respiciat ad id quod de eo dixit: *Misit me ad gentes*. Huic enim recte respondet in eadem persona: *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi eius*, puta Dei. Noster vero Interpret eodem sensu reddidit in prima persona, *oculi mei*: quia accepit hæc de Deo loquente de se in prima persona, ac praesertim quia respicit ad sensum præcipuum, qui est de Christo, q. d. Hæc dicit Dominus, puta filius Dei: post gloriam Iudæorum, scilicet post Ecclesiam quam ex Iudæis collegi, misit me Pater ad Gentes, ut illi Gentes subiiciam et aggregem; vos enim, o fideles mei primitivi et quasi primogeniti, ita amo, tutor et custodio, ut gentes olim hostiles vobis sim subditurus; aut si rebelles mancant, perditurus. Qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei; nihil enim delicatius, charius, pretiosius pupilla, ac proinde nihil maiori cura custoditur: læsa enim pupilla, læditur et exæcatur oculus, qui est lumen vitæ ac dux omnis vitæ et actionis hominis, ut homo exæcatus miserimam in tenebris agat vilam, sitque instar mortui. Unde pupilla hebr vocatur *בַּת bat*, id est, filia, eo quod pretiosa, ebara, curæ et cordi sit, ac custo-

diatur quasi filia unica, quodque oculi sit quasi filia. Quocirca in pupilla est effigies humana, puta filiae, vel filii. Hinc Hebræi eandem alia voce vocant *יְשׁוּעָה iesion*, id est, virunculum; quia is in pupilla apparet. Alludit ad Deuteron. 32. 10. *Custodivit quasi pupillam oculi sui*: ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Lyran. et alii. Aliter S. Cyrill. et Vatabl. q. d. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi sui, id est, seipsum gravissime lædit; quia sibi accersit acerrimam Dei vindicis vestri iram et vindictam.

**QUIA ECCE EGO LEVO MANUM MEAM SUPER EOS.** Puta super gentes finitimas et hostiles, ut eas feriam, vobisque prædæ dem et subiiciam. Ita subiicit eis Ammonitas, Moabitas, Philisthæos, Samaritas, Idumæos tum alias, tum per Iudas et Machabæos. Hoc enim mox visuri erant Iudæi audientes hæc oracula Zachariæ, indeque ex reali eorum eventu cognitari ipsum esse verum Prophetam, et hæc accepisse a Deo, uti ipse asseverat: ita Albert. Hugo, Lyran. et Arias.

Mystice, hæc veriora sunt in Christo, qui Apostolis e Iudæa ortis subiicit omnes gentes. Ubi Nota, conversionem Gentium vocari prædationem et spoliū, quia eas Apostoli prædati sunt diabolo, carni et mundo, quibus sponte se subiecerant et volentes serviebant, ac subiecerunt Christo. Hinc Isaias e. 8. 3. prædicit nomen Christi fore, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*. Et e. 9. 3. de Apostolis orbem conversuris ait: *Lætabuntur eorum te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando dividunt spolia*.

Nota *to levo manum*, scilicet quasi signifer, imo dux et imperator, prisco more, elevata manu signum prælii attollo, et exercitum in hostes dæco. Sic dicitur psal. 73. 3. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem*, q. d. Tolle signum tuum, immitte exercitum in hostes tuos, illos bello persequere, donec omnes ad unum conficias et concidas. Nam, ut sequitur: *Gloriosi sunt qui oderunt te; posuerunt signa sua, signa, etc.* Et Isaias e. 9. 11. *Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum*. Et psal. 105. 25. *Elevavit manum suam super eis, ut prosterneret eos in deserto*. Rursum Isaias e. 49. 22. *Levabo ad gentem manum meam, et ad populos exultabo signum meum*. Porro signum et vexillum Christi est crux. Quare eum tolli cruce, et crucentum in ea Christum aspexeris, animos præliandi, acue, certaque victoriae spem per Christum concipe.

**LAUDA.** Excitat Synagogam Babylone redeuntem in Ierusalem, ad gratiarum actionem et iubilum, quod sensura sit Dei in se habitantis praesentiam, opem et gloriam, adeo ut Gentes idipsum visuræ et confessuræ sint, ideoque suas oblationes et dona oblaturæ Deo in eius templo; quin et non pauci convertendi sint ad iudaismum et futuri proselyti, iuxta illud ps. 67. 30. *A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera*. Ita Seleucus rex Asiae alique principes ingentia dona ei miserunt, ut patet 2. Machab. 3. v. 2. et 3. ita Remig. Haymo et Dionys.

Mystice, multo magis excitat Iudæos, omnesque primos fideles tempore Christi, ut iubilent Deoque gratias agant, eo quod videant Messiam, id est, Deum incorporatum, visibiliter in medio sui versantem, ibique fundantem Ecclesiam, ad quam mox per Apostolos aggregabit omnes gentes: ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyran. Vatabl. Arias et alii.

**ET POSSIDEBIT DOMINUS IUDAM PARTEM SUAM IN TERRA SANCTIFICATA.** Ad litteram, q. d. Cum Deus tribum Iuda (sub qua accipe quoque tribum Benjamin, utpote quæ eum Iuda in unam rempib. et Ecclesiam coaluerat) reduct e Babylone, tunc eam quasi partem, id est, portionem suam hæreditariam, collocabit rursus in terra sancta, puta in Iudæa, quæ sancta est, tum ob templum sanctumque Dei in eo cultum; tum quia in ea vixerunt sancti Patriarchæ et Prophetæ, ut ibi rursus sit eius peculium et possessio, uti fuit tempore Mosis, dicentis Deuteron. 32. 9. *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*.

Mystice, Christum partem suam, id est, Apostolos aliosque primos fideles, ex quibus conflavit Ecclesiam suam,

selegit et possedit in terra sancta , puta Iudæa ; illam enim ipse magis quam omnes Patriarchæ et Prophetæ , sua nativitate et conversatione sanetificavit et consecravil : ita S. Hieron. Cyrill. et alii iam citati.

Vers. 15. **SILEAT.**) Est epiphonema. Propheta enim admirans hanc Dei in populum suum beneficentiam, tum litteralem sub Nehemia et Machabæis, tum potius mysticam et spiritualem sub Christo, erumpit in profundam reverentiam et doxologiam Dei, ac proclamât ut omnes eam cum tremore, reverentia, humilitate et gratitudine agnoscant, suspiciant, reverentur, colant et celebrent: *Quia*, ait, *consurrexit de habitaculo sancto suo*; Septuag. *quia surrexit de nubibus sanctis suis*. Poeticè loquitur, q. d. Deus *consurrexit*, hebr. נָשָׂא נֶפֶשׁ, id est, excitatus est quasi a somno, q. d. Deus visus est dormire, cum nos neglexit et dimisit in captivitate per septuaginta annos, rursum cum dimisit mundum in potestate diaboli per quatuor annorum millia: at iam videns immanes eius strages, velut somnum exutiens, assumit suum robur et fortitudinem, ac exurgit ad ultionem, ut populum suum liberet, et cum eo habitet. Ac præsertim allegorice somnum exutiet et consurget, quando Christus e nubibus, imo e cælo vindex robustus descendet in Iudæam, cum in ea incarnabitur, ut cum Iudæis, quibus promissus est, habitet, eosque a tyrannide diaboli, peccati et mortis vindicet et salvet: ita S. Cyrill. Theodor. et alii. Hinc olim cum sacerdos procedebat ad altare sacrificaturus, præibat diaconus proclamans: *Sileat omnis humana et mortalis caro, stetque cum metu ac tremore*, uti habetur in liturgia S. Iacobi sub initium. Vide dicta Habacuc 2. 20.

Tropol. Arias: *Sileat*, ait, omnis caro quæ fons est et scaturigo omnium malarum cogitationum et cupiditatum,

A eiusque furentis stimulus quiescat, et compeseatur a vi et efficacia gratiæ Christi, quæ universum vitiorum fontem exhaurit.

Anagog. *Sileat omnis caro a facie Christi venientis ad iudicium, quia consurrexit de cælo, descenditque in vallem Iosaphat, ut ibi iudicet vivos et mortuos, qui nunquam extiterunt, extant vel extabunt in mundo*: ita S. Hieron. Haymo, Lyran. et Vatabl. Tanta enim erit tunc Christi maiestas, tanta eius ira in impios, ut ipsi vultum eius ferre non sustineant, sed elament montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni*, Apoc. 6. 17. Tunc verum erit illud paradisum: *Veniet tempus, quo damnati nolent egredi ex inferno, et Beati volent egredi e cælo*, nimirum hoc tempus est dies iudicii. In illo enim damnati optabunt manere in inferno, ne cogantur venire ad iudicium; partim ne subeant probrum publicum damnationis coram toto mundo in valle Iosaphat: partim ne videant vultum iratum et fulgureum Christi iudicis; partim ne cogantur assumere corpora, in iisque torqueri, cum iam sola eorum anima torqueatur. Beati vero in die iudicii optabunt egredi cælo, tum ut sententiam felicissimam audiant: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi*; tum ut eorum innocentia, virtus et gloria toti mundo, cui olim despecta fuit, innotescat, tum ut corpus suum assumant, in eoque glorificentur, ac cum eo triumphantes Christum, gloriose in cælum conscendentem comitentur, eiusque visu fruantur in æternum. Gloria enim corporis erit quasi altera stola et corona beatitudinis, quam proinde animæ beatæ ardentè appetunt, uti patet Apocal. 6. v. 10. et 11.

In die iudicii Beati optabunt egredi cælo, damnati nolent egredi inferno.

## C A P U T T E R T I U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Angelus Iesum filium Iosedec iubet exui vestibus sordidis captivitatis, æque ac peccati, induique novis, et eidari, ut significet se ei peccata remittere, et pontificatum reddere, ut templum cultumque Dei restauret. Insuper v. 8. eidem promittit Orientem, id est, Christum, qui in templo ab eo instaurando sit versaturus, ibique collecturus Ecclesiam, cuius ipse futurus sit pontifex: ipsum enim fore Ecclesie lapidem angularem septem oculis insignitum, ac clarorum vulnorumque sculpturis cælatum, qui auferet iniquitatem terræ, et pacem toti orbi felicitatemque conciliabit.*

1. **E**T ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: et Satan stabat a dextris eius ut adversaretur ei. 2. Et dixit Dominus ad Satan: Incipet Dominus in te Satan: et incipet Dominus in te, qui elegit Ierusalem: numquid non iste torris est erutus de igne? 3. Et Iesus erat indutus vestibus sordidis: et stabat ante faciem angeli. 4. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoris. 5. Et dixit: Ponite eidarim mundam super caput eius. Et posuerunt eidarim mundam super caput eius, et induerunt eum vestibus: et angelus Domini stabat. 6. Et contestabatur angelus Domini Iesum, dicens: 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris: tu quoque iudicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt. 8. Audi Iesu sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego ADDUCAM SERVUM MEUM ORIENTEM. 9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum: et auferam iniquitatem terræ illius in die una. 10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, et subter ficum.

Vers. 1. **E**T OSTENDIT MIHI DOMINUS.) Vox Dominus non est C in Hebræo, nec Chaldeo, sed subintelligitur. Unde eam expriment Septuag. et Noster. Porro Dominus per angelum more suo hæc revelavit, et pinxit in phantasia Zachariæ: an eadem nocte qua præcedentia cap. 1. et 2. revelavit, id ipsum fecerit, ut voluit Rupertus et Hugo; an alia incertum est. Prophetæ enim sæpe non distinguunt tempora, nec ea certa suis prophetiis consignant; cum constet plerasque per intervalla variis diebus, mensibus, quin et annis, ipsis revelatas fuisse a Deo, vel immediate, ut cum Deus loquebatur in mente eorum; vel per angelum, ut cum per eum in phantasia Prophetæ sua symbola, puta visa, vel verba formabat et pingebat.

IESUM.) Filium Iosedec, qui eo tempore vivebat, iamque Babylone redierat in Ierusalem, ibique erat summus pontifex. Unde vers. 8. eidem promittens Christum dicit: *Audi Iesu sacerdos magne*, etc. ita S. Hieron. Theodor. Cyrillus, Remig. Albert. Hugo, Lyran. hic, ac S. Augustin. lib. 12. contra Faustum cap. 36. et Eusebius lib. 4. Demonstr. e. ultimo. Negat id ipsum Arias, secutus Aben Ezram et R. Salomonem, quia, inquiunt, Iesus filius Iosedec iam erat mortuus, eo quod Aggæi 2. v. 12. et 22. eius non fiat mentio, uti facta est v. 3. Iesus ergo sumitur hic pro posteris, puta pro Machabæis, quorum bella contra Antiochum prædicat hic Zacharias: ita ipsi. Verum errant: nam visisse tunc Iesum hunc, patet ex cap. 6. Zachariæ

v. 11. ubi dicitur: *Sumes aurum, et facies coronas, et pones in capite Iesu filii Iosedec*, etc. Et Eccli. 49. 13. ubi dicitur quod Iesus hic cum Zorobabel edificavit et exaltavit templum: templi autem fabrica absoluta et dedicata est anno 6. Darii, ut patet 1. Esdræ 6. 15. imo Iosephus l. 11. cap. 5. tradit Iesum hunc vixisse usque ad initium regni Nervis, qui patri Dario successit: tunc enim in pontificatu successisse ei filium Ioachim.

Allegor. Iesus filius Iosedec pontifex legis veteris, representavit Iesum Christum Pontificem novi testamenti, tam pomine, quam dignitate et officio: ita auctores iam citati; insuper Tertul. contra Iudæos sub finem, Origen. hom. 9. in Levit. Lactant. lib. 4. e. 14. S. Ambros. lib. 3. de Fide cap. 4. S. Chrys. homil. 5. ex variis in S. Matth. S. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 20. qui videntur asserere, hic sensu litterali agi de Iesu Christo, ideoque non addi *τὸ filius Iosedec*, quod alibi Iesu veteri additur. Verum hi Patres excusandi sunt, quod more suo non distinguant sensum litteralem ab allegorico, ac tantum dicere velint, præcipuum sensum ex mente et intentione Spiritus sancti esse de Iesu Christo, ideoque ad hoc innuendum taceri *τὸ filius Iosedec*. Iam constat apud omnes, quod licet litteralis sensus de Iesu filio Iosedec sit primus, tamen allegorice de Iesu Christo sit illo potior, ideoque præcipuus. Porro Hieron. Savanarola explicans hæc Zachariæ verba anno Domini 1495. sedente Alexandro VI. Pontif. cui infensus erat, per *Iesum* accepit Pontificem angelicum, quem brevi Romam visuram valeinabatur, qui vita et moribus angelus potius videretur quam homo, ac totam Ecclesiam reformaret, novosque ritus, imo novum Evangelium induceret. Verum iam plusquam centum elapsi sunt anni ab hac eius prophetia, et necdum angelus ille comparuit. Vide Ambros. Catharinum contra prophetias Savanarolæ, et can. 33. in præmio.

STANTEM CORAM ANGELO DOMINI.) Hic angelus fuit S. Michael, utpote tutor Synagogæ, qui pro eius capite, puta Iesu pontifice, contra satanam decertat. Unde coram eo Iesus pontifex quasi reus consistit, accusante eum satana. Est enim hic species tribunalis et iudicii, in quo iudex est Deus, accusator satanas, reus Iesus, advocatus Michael: sed Deus suas partes delegat Michaeli, ut ipse eius loco sit iudex. Unde coram Michaeli quasi iudice reus hic consistit Iesus. Sicut enim Deus, sic et angeli eius, utpote æquissimi, possunt esse simul advocati et iudices: ita S. Hieron. Remig. Hugo, et Lyran. *Debit*, ait, *prælati totius populi angelus, eiusdem populi prælati homini* (puta pontifici Iesu) *præsto adesse*.

ET SATAN STABAT.) Satan hebr. idem est quod adversarius: hinc tribuitur dæmoni, qui summe et ubique fidelibus adversatur, iuxta illud S. Petri epist. 1. cap. 5. 8. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Hinc Septuag. pro *satan* vertunt *δαιμόλιος*, id est, calumniator. Porro *satan* hic antonomastice intelligitur dæmonum princeps, puta Lucifer; contra hunc enim uti primitus in cælo pugnavit, ita perpetim in terra pro Ecclesia depugnat S. Michael, uti docet S. Ioannes Apocal. 12. 7. *Et factum est, inquit, prælium magnum in cælo: Michael et angeli eius præliabantur cum dracone, et dracone pugnavit et angeli eius*. Et e. 20. 2. *Apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, et satanas, et ligavit eum per annos mille*. Contra hunc quasi principem dæmonum, tentantem se decertavit Christus, Matth. 4. 1. et 10. Hic quoque contra Michaelem altercatus est de corpore Mosis, ut ait S. Iudas in epist. v. 9.

Hinc colligas Summum Pontificem, qualis fuit Iesus filius Iosedec, custodem et tutorem habere S. Michaelem: ille enim uti tutor est corporis Ecclesiæ, ita est et capitulis, puta Pontificis; sicut ex adverso Lucifer hostis Ecclesiæ, hostis est et Pontificis: enim enim maxime impugnat, ut eo prostrato prosternat Ecclesiam: idque aliquando per se, aliquando per dæmones sibi subditos. Quocirca vigiles fortesque exubent Pontifices; iugiter cogitent sibi acre et perenne esse bellum cum principe tenebrarum, qui ardet ira, pollet potentia, tumet superbia, vafer est

astutiam, peritus experientia. Seiant suum antagonistam esse Luciferum: meminerint se cum pontificatum incunt, ad duellum et singulare certamen provocare satanam, omnesque eius inferorum cohortes et legiones, de quibus ait Apost. Ephes. 6. 13. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Sed ne perecllantur, nec animis cadant, seiant ex adverso hyperaspistem et defensorem suum esse S. Michaelem. Meminerint sibi in B. Petro a Christo promissum esse: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi* (puta omne inferorum robur et potentia) *non prævalebunt adversus eam*, Matth. 16. Meminerint totam Ecclesiam, ac præsertim singulos sacerdotes, pro se nominatim in Missæ sacrificio quotidie Deo supplicare. Plures ergo et potentiores sunt eorum protectores, quam sint hostes et impugnatores, uti eos videns dixit Elisæus 4. Regum 6. 16. Perperam ergo Arias per *satnam* accepit Antiochum Epiphaneum, qui Iesum, id est, Machabæos posteros Iesu, oppugnavit. Agitur enim hic de ipso Iesu, non de posteris, uti paulo ante dixi.

A DEXTRIS EIUS.) Satan accusans Iesum filium Iosedec in tribunali Dei, stabat a dextris Iesu, quasi victor, et in lite potior ac superior: quia videbatur in iudicio prævaliturus, ac Iesum ad sententiam damnationis adacturus: quia vera erat accusatio quam ei intentabat, inquit S. Hier. Simili schemate et phrasi ait Psaltes ps. 108. 6. *Constitu legistatorem super eum, nimirum fac ut diabolus stet a dextris eius, quasi ei prævalens, leges et iura dictans*. Unde S. Augustin. ibidem tropologicè sic explicat: *Hoc, ait, meruit* (Iudas proditor Christi) *ut super se diabolum habeat, id est, diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. Stet autem a dextris eius, dictum est: quia opera diaboli præposuit operibus Dei. Hoc enim cuique non immerito dextrum dicitur, quod præponit, sicut sinistra dextera præponitur. Ideo et de illis qui sæculi huius gaudia præponentes Deo, beatum dixerunt populum cui hæc sunt, rectissime dictum est: Dextera eorum dextera iniquitatis. Diabolus ergo stetit a dextris eius, quando præposuit avaritiæ sapientiæ, et pecuniam saluti suæ, ut eum traderet a quo debuit possideri, ne ab ipso possideretur, cuius opera ipse Christus solvit, a quo noluit possideri*. Unde sequitur: *Cum iudicatur exeat condemnatus*. Ex adverso iusti et sancti dicunt psal. 15. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear*. Et ps. 108. 31. *Astitit a dextris pauperis* (ut *divitiæ pauperis sint ipse Dominus*, ait ibidem Augustin.) *ut salvam faceret a persecutoribus animam meam*. Secundo, Albertus, Hugo ex Sanchez: Satan, inquit, est a dextris pontificis, quia Iudæorum felicitati eum invideret, angelorum et piorum ex eo populo consiliis adversabatur: nam satan per malos regis consiliarios in Babylone, et per Samaritas in Iudæa Hebræorum consilia turbabat, neque quidquam sinebat expedite, aut eum magno studii operæque pretio administrari. Uti enim amicus est a dextris, ut iuvet et protegat, quomodo dicitur Psal. 15. *A dextris est mihi ne commovear*; sic inimicus est a dextris, ut quod in nobis firmius est, et magis ad laborem idoneum, turbet et infirmet. Quod utique per Samaritas agebat satan, dum et opifices et Iudæos fabricæ præsidēs variis artibus remorari et impedire satagebat. Sic et Pineda de Rebus Salomonis lib. 7. e. 20. *Dextera*, ait, *symbolum est egregii alienius conatus et operis; hinc qui se alieni a dextris opponit ut adversetur, procul dubio opus impedit malitiose et hostiliter, uti fecit hic satan*.

Mystice, notat Hugo diabolum esse a sinistris illis quos persequitur in temporalibus; a dextris, quos in spiritualibus; ante faciem, qui versutias eius cavent; a tergo, qui non prævident; supra, quos conculcat; infra et sub pedibus, qui eum conculcant, hæcque confirmat ex Scriptur. Euthym. in psal. 108. v. 6. *Diabolus, ait, stat a dextris, ut operationes dextras, id est, bonas, rapiat*. Ibidem Valentia: Sicut, inquit, a dextera incipit motus animalis, ita

Mystice, diabolus est a dextris inimicorum, cur?

Allegor. Iesus Iosedec est Iesus Christus.

Summi Pontificis custos Angelus S. Michael, tentator Lucifer.

illi a diabolo aguntur, nihil operantes nisi secundum avaritiam, odium, infidelitatem. Diabolus ergo stat a dextris, tamquam princeps peccatorum. Sic et Elias Cretenensis in orat. 1. Nazianzeni: Satan, ait, semper res nostras dextras, id est, quæ cum laude sunt coniunctæ, oppugnat, non vero sinistras. Quoeira S. Ambr. lib. 3. de Interpell. cap. 11. Adam, ait, dextram suam diabolo dedit, quam extendi fecit ad interdicta poma. Ita præiudicatum est in illo omnibus, et cœpit universis diabolus a dextris stare: omnes quippe nascimur damnati ac filii iræ. Sicut enim ps. 79. v. 18. David virum dextræ vocat, quem Deus peculiari ope sua fortem facit; ita diabolum a dextris habet, qui ei consentiendo se subiicit, eumque contra se fortem ac potentem reddit. Diaboli typus fuit Naas rex Ammon, dicens Israelitis 1. Reg. 11. 2. *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut etiam omnium vestrum oculos dextros, tum in opprobrium, tum ut eos bello inutiles, utpote cæcos, reddam: sinistrum enim oculum sento tegunt milites.* Quod mystice explicans S. Gregor. lib. 5. in libro Regum sub initium: *Dexter, inquit, oculus noster est intuitus claritatis æternæ: sinister vero oculus est concupiscentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, ut ultra ad videnda cœlestia non aperiatur. Naas (Naas hebr. idem est quod serpens, qualis est diabolus) ergo dextros oculos fœderatorum sibi eruit, quando gula sic devictis abstinentibus prævalet, ut carnalia sola cupiant, et ultra quæ amare solebant non attendant, puta spiritualia et æterna.*

Allegor. S. Hieron. *Stans cernitur Iesus, et stabili consistens gradu, et satan stabat a dextris ut adversaretur ei. Tentatus enim est per omnem modum absque peccato. Et in Evangelio ad eum tentator accedit, quærens semper dextris eius et virtutibus contraire.* Et S. Gregor. 20. Moral. c. 18. *Pro dextro, ait, habere dicimur, quod pro magno pensamus: pro sinistro vero id, quod despiciamus. Venienti ergo Christo in carnem satan a dextris stetit: pro magno namque Dominus Iudaicum populum, et pro nihilo gentes habere videbatur; sed postquam incarnatus apparuit, gentilitas quæ pro sinistro habita fuerat, credidit; Iudaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit.* Et inferius: *Cum S. Ecclesiam læcessunt qui fideles videbantur, ei proculdubio calamitates ad dextram surgunt: sed quia reliquiæ in fine mundi salvæ sient, hinc Dominus removet satanam a dextris dicens: Increpet Dominus, etc.*

An quisque habeat angelum malum.

Denique ex hoc loco et similibus Cassianus Collat. 8. c. 17. colligit unicuique nostrum coherere angelum non tantum bonum, sed et malum, sive unicuique a Lucifero destinari dæmonem tentantem, sicut a Deo cuique destinatur angelus custos ad tutelam. Quæ fuit sententia Origenis et nonnullorum veterum. Nec est improbabilis: tum quia Lucifer est simia Dei: tum quia ardet odio Dei et invidia hominum, novitque hunc esse optimum nocendi hominibus modum et ordinem, si cuique dæmon, qui ingit eum observet, et dum occasio est tentet, assignetur, ne inter dæmones sit ataxia et confusio; neve quod unus cœpit alter destruat. Porro cuique suum assignat Lucifer, non Deus.

UT ADVERSARETUR EI.) Hebr. לִשְׂטָן *lesitno*, a radice לָשַׁן *satan*, id est, adversatus est, unde *satan* vocatur adversarius. Explicat ergo etymon *satanæ*, q. d. Satan, id est, adversarius, stabat, ut iuxta nomen et officium a se usurpatum adversaretur Iesu, ut scilicet quasi aetor accusaret eum in tribunali Dei, ad hoc ut eo damnatus iudicaretur indignus tam pontificatu, quam restauratione templi et cultus divini: hanc enim impedire satagebat satanas.

Peccatum Iesu quod? Resp. I.

Quæres, quodnam fuit erimen Iesu, cuius eum accusavit satan? Primo, Theodor. et Sanchez censent, peccata hæc non fuisse Iesu, sed populi; quæ multa erant, eaque imputari Iesu tamquam pontifici; quodammodo enim totus populus est in sacerdote, et in sacerdote peccat; aut sacerdos potius in omnibus peccat, uti docet S. Cyrillus.

A Verum aliquod peccatum Iesu proprium hic intervenisse innuit angelus, dicens v. 4. *Auferte vestimenta sordida ab eo; et: Ecce abstuli iniquitatem tuam.*

Dico ergo hoc peccatum fuisse, quod populum iam pene in Babylone legis cultusque Dei oblitum, in ea non satis instrueret, nec ad eam observandam modis omnibus urgeret, ac præsertim quod illum torpentem in fabrica templi ad illam non eogeret, ut patet Aggæi 1. v. 1. et 2. Rursum, quod eum non averteret a matrimoniis eum alienigenis uxoribus contrahendis. Hoc enim erimen in populo redarguit et emendavit Esdras libr. 1. cap. 9. 2. ita Chald. Lyran. Emmanuel, Mariana et Vatabl. Porro hæc in re negligentem fuisse Iesum patet ex eo, quod eius filii et fratres duxerint alienigenas, ut patet 1. Esdræ 10. 18. quos sane ipse quasi pater castigare et impedire debebat. Unde Chald. vertit, *erant autem ipsi Iesu filii, qui duxerant uxores quæ non erant dignæ sacerdotio.*

Addit S. Hieron. ex Hebræis, quem sequuntur Remigius, Haymo et Hugo, quod et ipse cum cæteris alienigenam accepisset uxorem; quod et in Esdra et Malachiu plenissime scriptum est. Verum in Esdra scriptum est tantum filios Iesu duxisse alienigenas, non ipsum Iesum, quod si ipse Iesus pontifex alienigenam duxisset, utique idipsum non tacuisset Esdras, cum ipse ex professo vitia Synagogæ recenseat et castiget, ac nominatim cap. 10. numeret eos qui alienigenas in uxores acceperant. Minus credibile est quod scribit S. Iustin. dialog. contra Tryphon. Iesum accusatum a satana, quod duxisset uxorem meretricem. Quis enim hoc eredit de tanto viro et pontifice?

Porro *ut adversaretur*, innuit Iesum aliquid egisse vel tentasse, in quo ipsi adversatus sit satan. Hoc autem videtur fuisse, quod ipse quasi pontifex Deum oraret pro restauratione templi, religionis legisque Dei. Ita Arias et Vatabl. utque Iudæi in Babylone reliqui ad patriam sedem, et avitam religionem in Ierusalem redirent, inquit Beda in epist. Iudæ.

Moraliter, disece hic quantum onus subeant Superiores, quantumque subditi eis compati, illudque prompte eis obediendo alleviare debeant. Ipsi enim sunt quasi Atlantes, qui portant Ecclesiam vel rempib. ita ut singulorum qui in ea sunt peccata ipsi Episcopo, Pastori vel Rectori describantur. Hinc Apostolus Hebr. 13. 17. *Obedite, ait, præpositis vestris, et subiaccete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Ubi S. Chrys. hom. 34. *Mirror, ait, si potest aliquis rectorum salvari.* Ibidem S. Thom. Christus, inquit, in die iudicii de singulis subditorum animabus interrogabit rectores, ab eisque singulorum salutem reposeet, dicendo eis illud Ierem. 13. v. 20. *Ubi est grex qui datus est tibi, peccus inclytum tuum?*

ET DIXIT DOMINUS AD SATAN: INCREPET DOMINUS IN TE SATAN.) q. d. Deus ex zelo quo amabat Ierusalem, eiusque pontificem Iesum, quoque indignabatur satanæ, tam improba et noxia Hierosolymæ, æque ac Deo impudenter postulanti, non exspectavit ut Michael advocatus Iesu eius causam ageret, sed ipse ex fervore eum prævenit, causamque Iesu egit. Dixit ergo satanæ: *Dominus, hebr. Ichova*, id est, Deus opt. max. imperio, inreparatione et obiurgatione sua reprimat et compeseat tuam audaciam et superbiam, o satan, qua ad dextram Iesu pontificis, quasi eo dignior eiusque victor, te collocas: Deus, inquam, compeseat te, ne Iesu oranti pro restauratione Ierusalem cultusque divini noceas, neve illum in tam pio Deoque grato proposito impedias. Deus enim *elegit Ierusalem* ex omnibus mundi urbibus, ut in ea habitet et eolatur.

Nota Primo, Deus hic loquitur satanæ de seipso in tertia persona. Sensus enim est, q. d. Ego Deus increpabo et compeseam te, o satan. Verum dicit in tertia persona: *Dominus increpet te*, per hebraismum, tum ut ei ostendat suam maiestatem; tum quia satan indignus est quem Deus in prima persona compellet, ut cum eo eominus disputet et disceptet. Sic dicitur Genes. 19. *Pluit Dominus*

II. genuina.

Moral. Rectores sunt Atlantes reip.

Vers. 2.

a Domino, id est, a seipso. Ita S. Hieron. Theod. Remig. et Rupertus, qui simul censent hic innui Trinitatem personarum in Deo, quasi Dominus Pater dicat Domino Filio: Increpa, id est, comprime, satanam. Cum enim Iesus filius Iosedec non posset per se satanae resistere, filius Dei, qui etiam Iesus vocandus erat, increpuit pro illo satanam, et simul hac increpatione significavit, se cum carnem acciperet, diabolum increpaturum, uti fecit Matth. 4. cum ait: *Vade satana*. Ita Bellarm. l. 1. de Christo c. 5. Unde et ter hic *Dominus* nominatur, ut indicetur Pater, Filius, et Spiritus sanctus, ait noster Emmanuel.

Michael vocatur Deus, id est Dei legatus.

Secundo, facilius et planius Albertus, Hugo, Arias et Vatablus censent hic loqui non Deum, sed angelum, puta Michaellem, eumque invocare Deum, ut satanam increpet et compescat. Sicut enim satan hic est actor, ita Michael est defensor, æque ac iudex Iesu. In iudicio enim mox ut reum accusavit actor, eum defendit advocatus; vel certe, si accusatio sit calumniosa, uti hic erat, ipse iudex. *Dixit ergo Dominus*, id est, angelus Domini, *ad satan*. Est metonymia, vel potius prosopopœia: angelus enim vocatur *Dominus*; hebr. *Iehova*, id est, *Deus*, quia Dei vices obibat in hoc iudicio, eratque pro eo iudex Iesu pontificis. Ipse enim erat præses et tutor Synagogæ; ac proinde ad eum pertinebat iudicare culpam et causam Iesu, qui in Synagoga erat pontifex. Unde dicitur Iesus stetisse coram eo, quasi reus coram iudice. Si enim Michael hic fuisset advocatus tantum Iesu, utique dixisset Zacharias eum a sinistris Iesu stetisse, sicut dixit diabolum, quasi actorem stetisse a dextris Iesu. Denique in sequentibus semper agit et loquitur angelus, non Deus: ergo et hic. Simili modo angelus vice Dei dans tabulas legis Mosi in Sina, teste Apostolo Galat. 3. 19. gerit se ut Deum, imo Deum se vocat dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus*, Exodi 20. v. 2. quia personam Dei legislatoris sustinebat. Sic Angelus Gedeonem mittens contra Madianitas nunc vocatur angelus, nunc Dominus, quia Domini erat legatus Iudæ. 6. 12. Denique ita videtur explicare S. Iudas in epistol. vers. 9. ibi enim huc alludens sic ait: *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans alterearetur de Mosi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemie* (eum blasphemare, ei conviciari, ei maledicere, dicendo v. g. Abi hinc maledicite, vel maledicat tibi Deus) *sed (modeste) dixit: Imperet tibi Dominus*, græcè *ἐπιταξαι*, id est, increpando imperet, et imperando increpet eum potestate et oburgatione te, quasi impudentem actorem et calumniatorem, hoc est, reprimat et compescat tuam impudentiam et insolentiam Deus: hoc enim significat hebr. *יגגר iggar*, id est, *increpet*: quod Septuag. quos sequitur Iudas, vertunt *ἐπιταξαι*. Sic ait Psaltes psal. 103. 9. *Increpuit mare rubrum, et exiccatum est*, q. d. Acri imperio quasi increpando ferum mare cohibuit, divisit et siccauit. Et ps. 67. 31. *Increpa feras arundinis*. Sic Christus Lucæ 8. 25. *Increpavit ventum et tempestatem aquæ*, scilicet dicens: Tace et obmutesce, hoc est, sedare et quiesce, ut habet Marcus c. 4. 39. Quanto enim contra naturam et naturalium causarum, puta ventorum, vim et impetum agitur, opus est vehementiori potentia et imperio Dei, quod Scriptura vocat increpationem, quasi quid violentum et eoactum. Sic enim aurigæ equos, agasones asinos, magistri discipulos pigros increpando et minando plagas, cogunt accelerare manum, vel gressum.

Moraliter, hanc Dei satanam increpantis vocem usurpent, quicumque a satana tentantur aut vexantur, ut Dei ope freti generose eum repellant, vilipendant et caleant. Ita S. Bavo in Belgio, præsertim Gandavi celebris, eum spretis amplissimis latifundiis (erat enim regum Francorum sanguine oriundus, et Austrasiorum Ducem hæres) totum se Deo rebusque divinis daret, acriter oppugnatus a turba dæmonum, nunc eanum, nunc luporum, nunc ursorum, nunc leonum, nunc serpentum voces et formas induentium, ingenti animi robore et fiducia eos irridens, dicebat: *Increpet in te Deus, o satan, et increpet in te, qui elegit Ierusalem*. Nec mora: legio evanuit, nec ultra virum Dei impugnare ausa fuit. Ita habet eius vita.

NUMQUID NON ISTE TORRIS EST ERUTUS DE IGNE? ) Syrus, *hic est torris qui evasit de igne*; Arabicus, *hic sicut lampas immersus in ignem*, q. d. Iudæos ob peccata Babylónico igne, id est captivitate, punivi, multosque eorum consumpsi: ex illo igne Iesus, quasi torris e flamma allatus et fuliginosus, hoc est, miser et pauper evasit, ut Synagogam instauret. Cur ergo tu, o satan, vis eum omnino obtrudere, comburere et perdere, ut populum, cultumque Dei cui invides, disperdas? Non ita erit: servabo eum, ne omnino comburatur; quia decrevi per eum meum templum, populum, urbem et religionem restituere: Dei enim proprium est calamum quassatum non contere et lium fumigans non extinguere, Isaïæ 42. 3. ita S. Hier. et Cyril. *Vox torris*, significat Iesum populumque Babylone ita deformatum, et quasi tostum, ut pene consumptus sit, ac plane consumendus videatur, ni Deus eripiat et succurrat. Hinc proverbium: *Tito ad ignem, Torris ad focum*, eum quis applicaret illi rei vel officio, ad quod natura factus natusque videtur, ut eum culinarius ad culinam, furcifer ad furcam, cocus ad ollas, incendiarius ad rogam addicitur et applicatur. Sic Iudæi hodie sunt quasi torres de igne, quo a Tito eremata est Ierusalem, eruti. Semiustulati, inquit Rupertus, igne, quo civitas eorum arsit, insignia ubique demonstrant, iuxta illud Amos 4. v. 11. *Facti estis quasi torris raptus ab incendio*; præcessit enim: *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gommorham*.

Mystice, S. Gregor. lib. 20. Moral. c. 18. *Populus*, inquit, *Iudæus ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat: sed dum ad fidem reducitur, ab eodem æterni ignis incendio liberatur. Hinc statim de eo subditur: Numquid non est iste torris erutus de igne?*

Sic tropologice *torris erutus de igne* est quilibet peccator, quem prædicator, vel confessarius docendo et monendo, e gehenna, cui destinatus erat, eripit. Quid enim aliud sunt peccata, quam folles; et peccatores, quam torres et fomenta gehennæ? Rursum S. Hieron. *Torris*, ait, *de igne erutus rectissime intelligi potest qui eum in Babylone fuerit* (uti est iustus in mundo, mandique illecebris et tentationibus) *non est Babylonio igne consumptus, nec flamma sæculi huius attactus. Unde et Moses in solitudine cernit visionem magnam, in qua ardebat rubus, et non comburebatur*. Sic S. Iudas in epist. v. 22. *Nos*, ait, *arguite iudicatos, illos vero salvate de igne rapientes*. Rursum S. Hieronym. torrem hunc adaptat Christo; quia ambustus flamma passionis, et resurgens retinuit eius vestigia, plagas scilicet gloriosas.

ET IESUS ERAT INDUTUS VESTIBUS SORDIDIS. ) Arabicus, *et erant super eum vestes sordidæ*: tum quia ex Babylone nuper redierat sordidatus et squalidus, pauper et miser: ita Theodor. tum ob culpam recensitam v. 3. vestis enim sordida sordidam notat mentem et conscientiam, quam expians angelus v. seq. ait, *Auferte vestimenta sordida ab eo*. Et: *Ecece abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoris*: ita S. Hieron. Remig. Haymo, Albert. et Lyran. *Iesus*, inquit S. Hieron. *indutus erat vestibus sordidis tripliciter, vel ob coniugium illicitum, vel ob peccata populi, vel propter squalorem captivitatis*. Parro *splendidæ vestis* (qualis erat pontificis Iesu) *manifestiores sunt sordes*, ait Nazianz. orat. 31. Unde moraliter S. Bernard. serm. de triplici custodia: *Sicut*, inquit, *pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat, ita a nobis multo maior exigitur iustitia; cum in aliis nævus, in nobis gravis sit macula*.

Symbolice, sordidæ vestes Iesu pontificis innuunt pontificatum, templum et cultum sacerorum non fuisse tam elegantem et magnificentem post reditum e Babylone, quam fuerat ante: defecerunt enim illis præter opes Salomonis aliaque plura, illa quinque insignia quæ notavi Aggæi 2. 10. ita Clarius.

Allegor. Iesus filius Iosedec indutus vestibus sordidis, representat Iesum Christum sordida nostra carne indutum. Caro enim humana præ carne aliorum animalium omnium sordida est, ærumnosa, misera, ac mille morbis,

Vers. 5. Vestes sordidæ Iesu quæ.

Significat carnem assumptam, eiusque passionem.

fecibus et putoribus obnoxia, ut non aliud esse videatur, quam vas sordium, ut patet intuenti ea quæ ex ore, oculis, auribus, naso et inferne egerimus. Sane si anima infantis dum concipitur, ingressura corpus videret eius miserias, morbos et sordes, quibus per omnem vitam continue subiacebit, horreret in illud ingredi. Cogita quam horreat anima tua viso aliquo corpore leproso, scabioso, ulceroso, canero exeso, putido, eadayeroso, qualia mendicantium Romæ ante templorum fores passim videmus, quamque detractaret in illa ingredi, illaque induere et animare, si Deus id iuberet. Et vide dignationem Dei nostri, qui sciens et prævidens carnem nostram omnibus hisce miseriis et sordibus natura sua obnoxiam, eam tamen induit eum Verbum caro factum est, ut eam expiaret, et ab hisce, magisque ab animæ sordibus expurgaret. Ita S. Gregor. libr. 20. Moral. cap. 18. *Sordidis*, inquit, *vestibus indutus erat Iesus, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati*. Secundo, Iesus fuit sordidus; quia vitam egit inopem et pauperem in perpetuis laboribus et sudoribus, ac pedestes nudisque pedibus incedens et circumquaque evangelizans, pedes suos sæpe pulvere et luto inquinavit. Tertio et maxime, quia in passione sordidatus fuit tum peccatis nostris; tum livore, sanguine, sanie, sputis, phlegmatibus, vulneribus, etc. Unde S. Hieron. *Iesus erat indutus vestibus sordidis: quia eum non fecisset peccatum, pro nostro peccato factus est: et ipse infirmitates nostras portat, et pro nobis dolet, et nos reputavimus eum esse in dolore* (imo leprosum, ut ait Isaias cap. 53.) *et in plaga, et in angustia. Ipse vero vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra. Et in Apostolo legimus: Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Hic in ps. 21. loquitur: Longe a salute mea verba delictorum meorum. Et in 68. Deus tu seis insipientiam meam, et delicta mea non sunt a te abscondita: quæ universa appellentur vestimenta sordida, et auferentur ab eo, cum nostra peccata deleverit; ut quia ille sordidis indutus est vestibus, nos resurgentes ab eo audiamus post baptismum: Candida sint semper vestimenta tua. Audi et S. Ambros. in ps. 118. ad illud: *Legem mihi constituit Domine viam iustitiarum tuarum. Stabat*, inquit, *Iesus et habebat vestimenta sordida: mea enim peccata portabat: sumpsit vestimenta nostra, ut nos splendore immortalitatis indueret: venit in nube levi quasi iustitia: iniquitas enim in talento plumbeo sedet, Christus in corde iustorum quos peccata non onerant*. Verum de talento plumbi dicendum c. 3. 7.*

Christus  
cruce et  
patiendo  
vicit dia-  
bolum.

Porro considera mirum litigium et duellum Christi et diaboli: stat hostis acerrimus, mucronem intentat, addicit morti, ac devovet sacerdotis caput; Christus nudum latus, nudum caput ac corpus, aut, quod in bello pro eodem est, laeera et sordidata veste indutum opponit, et vincit. Viderat id Isaias cap. 51. 9. *Consurge*, ait, *induere fortitudinem brachium Domini*, quid laceris eruentisque vestibus eum prælio? At dux Christus pro aereo thorace sanguineam chlamydem, pro ferreis ocreis manicisque ferreos elavos, pro galea spinas, pro militum præsidio solitudinem, pro tubarum clangore silentium, et patientiam eum hoste congressurus obtendit. Verum nullus æque potens thorax ac cruenta caro; nulla præstantior fortitudo contra hostem, quam lacerati corporis infirmitas: quam ut cernit diabolus, debilitatur et frangitur, quoniam tam atrocis parricidii, imo Christicidii et Deicidii est auctor; ideoque confusus victusque aufugit. Hoc est quod de Christo dicit Ioannes Apoc. 19. 13. *Et amictus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen eius verbum Dei*, scilicet efficax et omnipotens, quod ut suum robur ostendat, per ipsas plagas et vulnera sternit hostem, eumque examinat.

**ET STABAT ANTE FACIEM ANGELI.**) Quasi reus, ideoque sordidatus eorum iudice, ut dixi v. 1. ac quasi suæ causæ diffidens, maleque sibi conscius, supplex oculos ille-biles dirigebat in angelum, poscens gratiam et opem. Sic olim rei pulla veste, intonsa coma, luridi et squalidi com-

parebant et consistebant in tribunali, ut iudicem ad misericordiam flecerent.

**QUI** (scilicet angelus præses et iudex, pnta Michael, vers. 4. tacitis votis Iesu annuens) **RESPONDIT ET AIT AD EOS QUI STABANT CORAM SE.**) Puta ad angelos sibi subditos et ministrantes: ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyran. et alii passim, uno excepto Aria, qui putat hic Michaellem loqui ad sacerdotes, vel ad ministros Iesu pontificis: eorum enim erat ipsum vestibus exuere et induere; verum non hisce sordidis et mutatoriis: sordidis enim et peccaminosis hisce Iesum exuere, et mutatoriis eum induere soli poterant angeli.

**AUFERTE VESTIMENTA SORDIDA AB EO**, et induite eum mutatoriis, puta vestibus pulchris et pretiosis, ac eidarum imponite capiti eius. uti ait v. 3. Utrumque fecerunt angeli obedientes Michaeli; qui proinde hoc mutationis vestium symbolum et significationem explicans subdit, **ECCE ABSTULI A TE INIQUITATEM TUAM, ET INDUI TE MUTATORIIS.**) q. d. Ideo per angelos in visione iussi te exui sordidis, et indui speciosis vestibus, ut representem quod Deus tibi condonarit tuam iniquitatem, de qua dixi vers. 3. quodque sordidum habitum peccati commutarit in splendidum gratiæ et virtutum, quo te vestivit. Mutatoriæ enim veste erant bellæ et pretiosæ: talibus enim solent viles mutari in festis; ideoque symbolice repræsentant gratiam, virtutes et dona Spiritu sancti, quibus ipse animam peccatoris in iustificatione quasi reginam, imo sponsam Dei vestit et ornat. Unde Chald. vertit *vide quod abstulerim a te iniquitatem tuam, et induerim te iustitiis*: ita Albert. Lyranus, Arias et alii. Talibus se vestitam gloriatur Ecclesia Isaiæ 61. 10. *Gaudens, inquit, gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsum ornatum monilibus suis*. Porro Michael proprie non abstulit peccatum Iesu: solus enim Deus aufert et condonat peccata: sed *abstuli*, id est, ablatum et condonatum tibi esse a Deo, hoc symbolo mutationis vestium significavi et repræsentavi. Unde liquet Iesum de suo peccato indoluisse, et contritionis actum elienisse, partim ob monitionem et correptionem Esdræ, l. 1. e. 10. 19. (ubi dicitur: *Et dederunt manus suas, ut cicerent uxores suas* (alienigenas) *et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent*) Zachariæ, et aliorum Prophetarum, vel sacerdotum piorum; partim per gratiam excitantem ad pœnitentiam ipsi a Deo immissam. Nemo enim qui est in peccato, ab illo purgari potest, nisi ad hanc purgationem se idoneum reddat, et disponat per actum doloris et pœnitentiæ. Rursum nemo pœnitere potest, nisi gratia Dei ad id excitetur. Quocirca Hebræi, S. Hier. Remigius, Haymo et Hugo, qui censent peccatum Iesu fuisse, quod contra legem uxorem duxisset alienigenam, censent pariter pœnitentiæ eius partem fuisse, quod eam dimiserit, duxeritque Iudæam, ita ut mutatoriæ vestes significant commutationem uxorum. Unde Chald. vertit v. 3. *imposuerunt eidarum mundam capiti eius, et acceperunt ei uxorem decentem sacerdotium*. Id enim fecisse filios eius et fratres, patet ex Esdræ loco paulo ante citato.

**D** Iam vero vestes has mutatorias non laieas fuisse sed sacras et pontificales, patet tum ex Septuag. qui vertunt, *induite eum podere*; poderis enim erat tunica pontificia usque ad pedes demissa: tum ex eidari, quæ capiti Iesu imponitur; eidarum enim erat tiara pontificis: tum quia sacerdotes et pontifices sacra obituri, mutabant vestes communes in sacerdotales, quæ proinde mutatoriæ dicebantur. Significat ergo angelus hac mutatione vestium, dimissum esse peccatum pontifici, quod eum quasi immundum areebat sacris; ideoque reddita ei Deigratia eum dignum esse qui rursus sacra obeat et pontificatu fungatur, prout de facto suspensionem hanc sacerdotum ab eo tollit, usumque et functionem eorumdem illi restituit: ita Remig. Albert. Haymo et Arias.

Allegor. et anagogice repræsentatur hic Iesus Christus, qui in incarnatione et passione, tum carne nostra, tum probris et plagis quasi vestibus sordidis indutus, eas

Anagog.  
Christus  
resur-  
gens in-  
dutus est  
mutato-  
riis.



exiit in resurrectione, quando gloria et honore a Patre vestitus et coronatus fuit. Ita S. Hieron. Eusebius lib. 4. Demonst. cap. ult. Origenes homil. 14. in Lucam et alii. Quocirca Tertull. lib. 3. contra Marc. cap. 7. hic notari censet duplicem Christi adventum: Primo enim, inquit, *Jesus est sordidus indutus, id est, carnis passibilis et mortalis indignitate, cum et diabolus adversabatur ei, auctor scilicet Iudæ traditoris, ne dicam etiam post baptismum tentator: Dehinc spoliatus pristinus sordis, et exornatus potere, et mitra et cidari munda, id est, secundi adventus gloria et honore.*

Vers. 5. **ET DIXIT.**) Scilicet angelus, puta Michael: hic enim pergit loqui. Legit Interpres **וַיֹּאמֶר** *veamar*, id est, *et dixit*. Ita et Septuag. Iam alio puncto legunt **וַיֹּאמֶר** *vaomar*, id est, *et dixi*, in prima persona: ita Chald. Pagnin. Tigurina et Rabbin. quasi hæc sint verba non angeli, sed Zachariæ, qui oret angelum, ut iubeat cidarim capiti Iesu imponi. Verum prior lectio planior est et congruentior, ut patet intuitu.

**PONITE CIDARIM.**) Mitram, sive tiam pontificiam imponite capiti Iesu pontificis, q. d. Pontificatum, aut potius usum et exercitium pontificatum restituite Iesu pontifici. Qualis fuerit cidaris dixi Exod. 28. 36. et 40. Est hic hystorologia: versus enim quintus totus, quo Iesus iussu angeli induitur pontificalibus, anteponendus est illis angeli verbis v. 4. *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et induite mutatoris.* Hæc enim verba significant et præsupponunt eum iam pontificalibus fuisse indutum.

Vers. 6. **ET CONTESTABATUR ANGELUS DOMINI IESUM DICENS.**) Pergit Michael gravi oratione admonere Iesum pontificem, ut remissionem peccatorum et pontificiam dignitatem consecutus, mandata Dei diligentius servet, et a populo servanda curet. Si id fecerit, promittit ei stabilem pontificatum, ac consequenter regimen populi: hinc *eum contestatur*, id est, tamquam testibus adhibitis, puta angelis ministris suis, ipsoque Zacharia; vel sub attestatione iurisiurandi graviter serioque eum admonet.

Vers. 7. **CUSTODIAM MEAM.**) Hoc est, præcepta mea, præsertim cæremonialia, quæ spectant cultum Dei ritumque sacerorum; hæc enim sunt iura Dei omni custodia custodienda. Vide dicta Osee 4. 10. Alludit ad custodiam regiam, puta ad milites prætorianos, qui regem et aulam regiam custodiunt, quales sunt Helvetii. Simili enim modo Iesus pontifex cum suis sacerdotibus et Levitis, quasi militibus atriensibus, sed Ecclesiasticis, agebat custodiam templi rerumque sacrarum, et ipsius quasi Dei, iuxta illud Numer. 3. 25. *Habebunt excubias in tabernaculo federris*, etc.

**TU QUOQUE IUDICABIS DOMUM MEAM.**) q. d. Si tu, o Iesu, legem meam custodieris, ego vicissim custodiam tibi pontificatum, faciamque ut sis custos templi, imo in templo meo stabilis iudex, id est, princeps et pontifex: hoc enim est Domus Dei, in qua pontifex erat gubernator, imo princeps et quasi rex. Unde Chald. vertit, *tu iudicabis eos qui in domo sanctuarii mei ministrant, et servabis atria mea*: ita S. Hieronymus, Theodoret. Hugo et alii. Hinc consequenter eris iudex, id est, præses et princeps populi cum Zorobabele: nam post reditum e captivitate, summa potestas et regimen Iudæorum fuit penes pontifices, ut docet Iosephus l. 11. Antiq. e. 4. et patet in Iuda, Ionatha aliisque Machabæis, qui fuerunt summi principes, æque ac pontifices Iudæorum usque ad Herodem. Hinc per domum Dei potest accipi Synagoga, puta populus Israel. Sic de Mose ait Deus Num. 12. 7. *In omni domo mea* (puta in erigenda Synagoga, sive populo Dei) *fidelissimus est.*

**ET CUSTODIES ATRIA MEA.**) q. d. Eris custos, id est, præfectus templi: sicut enim rex est custos regni, ita pontifex Ecclesiæ; perinde ac Deus custos est hominum, ut ait S. Iob cap. 7. 20. et totius universi.

**ET DABO TIBI AMBULANTES DE HIS QUI NUNC HIC ASSISTUNT.**) q. d. Præter pontificatum quem iam promisi, dabo tibi aliquot ex angelis qui mihi assistunt, quorum circumvalleris auxilio, et ab hostibus securus populum re-

ete regas, et ad salutem deducas: illi enim tecum ambulabunt, teque dirigent et protegent: ita S. Hieron. Hugo et Lyran.

Secundo, ex Hebræo cum Septuag. veritas, *dabo tibi* <sup>Sacerdos inter angelos versat. in.</sup> *qui conversentur in medio stantium istorum*, q. d. Dabo filios et nepotes tibi in pontificatu successuros, qui cælestem agant vitam, et familiares angelis, inter eos quasi conversentur, iuxta illud Apostoli: *Nostra conversatio in cælis est.* Et talis sane esse debet vita sacerdotis et pontificis, ut quasi angelus emineat inter homines, inquit S. Chrysost. Tertio, pro **מְהַלְכִים** *mehallechim*, id est, ambulantes, iam aliis punctis legunt **מְהַלְכִים** *mehalechim*, id est, viæ, transitus. Unde Pagnin. vertit, *dabo vias inter stantes ipsos*; Tigurina, *tibi inter istos stantes transitus dabo*: tum ut inter angelos hosce mihi stantes converseris eorumque opem implores; tum ut per eos eorumque patrocinio fultus ad thronum Dei accedas, precesque et vota pro populo offeras; tum denique ut post mortem angelorum consortio adseribaris, et inter eos gloriosus veriseris et ambules. Unde Chald. vertit, *in resurrectione mortuorum suscitabo te, pedesque veloces inter Seraphim istos ambulantes, tibi donabo.* Quæ sane ingens est promissio æternæ felicitatis et beate resurrectionis, in qua paradiso cælesti inserti accedemus ad multorum millium angelorum frequentiam, ut ait Apost. Hebr. 12. 22. namque cum eis in superna Ierusalem societatem, et Ecclesiam triumphantem constituemus, in qua eminebat sancti sacerdotes et pontifices, qui angelice vixerunt, et angeli ac mediatores fuerunt inter Deum et homines in hac vita.

Minus recte Theodor. per eos *qui assistunt*, accipit sacerdotes, qui a Malachia cap. 2. 7. vocantur *angeli*, q. d. Dabo tibi posteros qui sint pontifices, et ut tales in medio sacerdotum aliorum ambulent et conserventur. Nec enim sacerdotes in hac visione assistebant Michaeli, sed angeli.

**TU ET AMICI TUI.** etc. **QUIA VIRI PORTENDENTES SUNT.**)

Hebr. **וְהָיוּ אֲנֹשֵׁי מוֹפֵת** *ansee mophet*, id est, *viri portentosi*; Vatabl. *viri prodigiorum*, quod varie accipi potest: Primo, Septuag. vertunt **τετραστομοιοι**, id est, portentorum spectatores, qui scilicet portentosa facta et oracula Prophetarum speculerent et meditarent, inquit Theod. Ubi adverte, quales debeant esse domestici Pontificum, ait Mariana. Secundo, Pagnin. vertit, *quia viri ad faciendâ portentosa sunt apti*; sicut Apostoli faciebant signa et prodigia multa in populo. Aetor. 1. 43. Unde Hebræi censent hic denotari tres iuvenes, Danielis socios, Ananiam, Azariam et Misaclem, eosque vocari *viros portentosi*, quia portentose in igne Babylonio illæsi manserunt. Tertio, Cyrill. q. d. Quia cupiunt videre et audire res portentosas, audiant portentum sæculorum, nimirum: *Ecce ego adduco servum meum Orientem*, id est, Messiam. Hue accedit Vatabl. Viri, inquit, prodigiorum sunt, id est, viri digni sunt in quorum conspectu fiant multa prodigia, et quibus fiant revelationes de adventu Christi; apti sunt qui eum prophetent et annuncient. Sunt ergo viri portentosus, id est, Prophetæ ipsius. Quarto, Arias, q. d. Viri portentosi, id est, eminentes sunt et admirabiles, qui cæteros homines sanctitate, dignitate, doctrina, factisque mirabilibus transcendunt. Tales enim debent esse sacerdotes et pontifices, præsertim Apostolici, nimirum rari et eximii ut portentosa; tanteque sanctitatis, ut digni sint per quos Deus faciat portentosa et miracula, ut fuerunt Apostoli eorumque sequaces. Unde Syrus vertit, *viri admirationis sunt.* Arabicus Antioch. *viri admirabiles sunt.* Arabicus Alexandr. *viri signorum sunt*, id est, facientes signa. Quinto et genuine, alludit Zacharias ad illud Isaie 8. 18. *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel.* Et ad id quod Ezechieli e. 42. v. 5. ait Deus: *Portentum dedi te domui Israel.* q. d. Tu, o Iesu pontifex, tuique amici Prophetæ, puta Aggeus, Zacharias, Malachias, Esdras, Nehemias, etc. adis portentosa Israelis: quia et factis et oraculis estis admirabiles et portentosi: portenditis enim Christum, Christique vitam, doctrinam et Ecclesiam. Christus enim futurus est

Vers. 8.

Iesus cum sociis viri portentosi quinquapliciter.

1.

2.

3.

4.

5.

genuine.

Christus est portentum sæculorum.

portentum portentorum, puta maximum omnium, quæ unquam non tantum ab hominibus et angelis, sed et ab ipso Deo patrata sunt: ipse enim erit Oriens, erit lapis septiocolus cælatus sculpturis, etc. ut sequitur. In Christo enim non Propheta, non angelus, sed Deus ipse fecit se portentum sæculorum, quod suspiciunt et stupent angeli, homines et creaturæ universæ: ita S. Hier. Remig. Haymo et Hugo. Verbum enim caro factum, est opus omnium Dei operum maxime stupendum et admirabile, utpote in quo Deus non mundum, sed seipsum totum quantum quantos est dedit homini, hominumque se filium et fratrem effecit, ac consequenter hominem, et in homine creaturas omnes, quarum compendium, nexus et nodus est homo, ad sese elevavit et delicavit. Ibi portentum fuit Dei omnipotentia, quæ limum, id est, carnem, Verbo, hominem Deo, terram cælo arctissime, imo hypostaticè, coniunxit. Ibi ostentum fuit Dei sapientia, iustitia et misericordia, quæ culpam nostram condigna castigatione vindicavit et expiavit in morte Filii sui incarnati: ibi præ cæteris Dei attributis apparuit portentosa Dei charitas, quæ, ut ait S. Ioannes e. 3. v. 16. *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Hoc portentum admirans Isaias exclamavit cap. 7. *Eecce virgo concepiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Et Jerem. cap. 31. 22. *Crevit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Insuper Christus portentum fuit in incarnatione, portentum in natalitate, portentum in vita, portentum in morte, portentum in resurrectione, portentum in ascensione, portentum in miraculis, portentum in doctrina, portentum in gratia, portentum in gloria, portentum in tempore, portentum in æternitate. Quid enim mundo portentosius, quam audire illa a Christo: *Beati pauperes spiritu: Beati qui lugent: Beati qui esuriunt et sitiunt: Beati qui persecutionem patiuntur: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos. Nisi quis renunciarit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus,* Lucæ 14. Vide dicta Isaie e. 8. 18.

Jesus filius Iosedec typus Iesu Christi quintupliciter.

Porro Iesus filius Iosedec fuit portentum figurans et portendens Christum. Primo, ipso nomine: Christi enim nomen pariter fuit Iesus. Secundo, sanctitate, officio et dignitate; suo enim pontificatu representavit sacerdotium et pontificatum Christi. Tertio, vestibis sordidis representavit dolores et sordes Christi in cruce, æque ac vestibis mutatoris Christi gloriam in resurrectione, ut dixi v. 3. et 4. Quarto, sicut Iesus Iudæos e Babylone in Ierusalem, ita Christus omnes gentes e confusione peccati in Dei gratiam, gloriam, et in ipsum cælum adduxit. Quinto, sicut Iesus reedificavit templum, ita Christus Ecclesiam veterem per novam instauravit: ita S. Hieron. Tertul. Ambros. Origen. et alii quos citavi v. 1.

Praelati debent esse portenta sanctitatis.

Tropol. Sacerdotes et Praelati, qualis fuit Iesus, debent esse heroes, ac portenta sanctitatis, sapientiæ et prudentiæ; ut vita tranquilla, sancta et eximia, æque ac doctrina, portentant beatitudinem et vitam cælestem. Sic David fuit portentum persecutionum et patientiæ. Unde ipse ait Psalmi. 70. vers. 7. *Tamquam prodigium factus sum multis.* Imo tales deberent esse omnes sacerdotes, Religiosi, cunctique fideles, ut docet S. August. tract. de Vita Christiana tom. 9. *Tales, ait, convenit esse Dei cultores et servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos, stupeat et admiretur, et dicat: Hi homines sunt dii, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui eum audire non desideret: nemo eum eum viderit, non Dei esse filium credat, ut vere in eo propheticum illud impleatur: Fauces pleniæ dulcedinis, et totus desiderabilis.*

ECCE ENIM EGO ADDUCAM (in carnem, in Iudæam, et in hocce tuum, o Iesu filii Iosedec, templum) SERVUM MEUM ORIENTEM.) Syrus, servum meum ortum, puta

Messiam, cuius tu, o Iesu, tuique amici estis portenta, et viri, eum portendentes.

Nota. Pro Orientem hebr. est **צמח** *tsemach*, id est germen, surculus, qui pullulat et oritur e terra, vel ex arbore aut frutice. Alludit ad Isaie 4. 2. *In die illa erit germen, hebr. tsemach, Domini in magnificentia.* Et e. 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet: et requiescet super eum spiritus Domini.* Et e. 43. 8. *Rorate cæli de super, et nubes pluant iustum: aperiat terra, et germinet salvatorem,* Et e. 53. 1. *Ascendet sicut virgultum coram eo: et sicut radix de terra sitiendi.* Et Jerem. 33. 15. *In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen, hebr. tsemach, iustitiæ: et faciet iudicium et iustitiam in terra.* Ubi Chald. æque ac hic, pro germen vertit, *Messiam:* solent enim prophete posteriores alludere ad priores. Septuag. vertunt **αυτοτολ**, id est, ortus, vel oriens, scilicet non tam sol, quam germen: hoc enim significat *tsemach.*

Quæres, cur Christus vocatur *tsemach*, id est, surculus vel germen? Resp. Primo, quia *tsemach* per metathesin idem est quod **משיח** *Masciach*, id est, Messias. Licet enim in *Masciach*, sit littera *sein*, in *tsemach* vero *tsade*, tamen hæc illi est affinis: utraque enim valet Latinum s. unde ab Interpretibus vertitur per s. Secundo, quia Christus e Virgine natus est obumbrante Spiritu sancto, sicut germen e terra pullulat irrorante rore, vel pluvia cælesti, sine maris concursu. Tertio, quia arbor Iesse, id est, stirps regia Davidis, tempore Herodis succisa erat usque ad radices et truncum, ac videbatur emortua; sed Christus quasi germen ex ea suppullulans et oriens, eam restituit. Nam parvulum hoc germen in arborem excrevit, quæ omnes Gentes sub se complectens, toti orbi dominatur. Christus ergo stirpem, æque ac regnum Davidis collapsum iustauravit: regnum, inquam, non temporale, sed spirituale et æternum. Hoc est quod Gabriel Christi ortum prænuncians, dixit Virgini Deiparæ: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum,* Lucæ 1. 32. Quarto, germen significat parvitatem, infantiam, humilitatem Christi nascentis, quæ deinde crevit in tantum corpus, quantum est Ecclesia universa, iuxta parabolam grani sinapis Matt. 13. v. 31. Quinto, **αυτοτολ** significat Christum a sui ortu, et a primo conceptionis instanti per gratiam tum unionis hypostaticæ, tum habituale, fuisse consecratum et unitum Deo, iuxta illud Isaie 49. 1. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei:* ita S. Ambros. lib. 5. de Fide e. 3. Huc alludit Zacharias pater Ioannis Baptistæ Lucæ 1. 78. dum canit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.* Ubi pro Oriens græce est **αυτοτολ**: uti hic Hebræum *tsemach* vertunt Septuag.

Ubi Nota. Christus vocatur **αυτοτολ**, id est, Oriens substantive, quæ Græca vox, licet de ortu etiam germenum et herbarum dici possit, teste Suida, tamen proprie dicitur de ortu solis, lunæ et stellarum. Christus ergo est *tsemach*, id est, germen; sed germen solare et cæleste; **αυτοτολ**, id est oriens ex alto, ad illuminandum eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent, uti subdit Zacharias: unde Arabicus vertit, *ecce ego ascendere faciam supra servum meum illustrationes*, q. d. Christus est *tsemach*, id est, germen solare, et sol germinans in paradiso primo cælesti, deinde terrestri: Christus enim est germen tum cæleste, tum terrestre; habet enim duas generationes. Primo, divinam, iuxta quam est germen Patris æterni, et quasi *flos mentium*, inquit Proclus ex Chaldaicis mysteriis. Secundo, humanam, iuxta quam est germen matris virginis et Davidis. Et sic Christus quasi alter Melchisedech, in cælo est **αυτοτολ**, in terra **αυτοτολ**. Unde S. Ambros. l. 1. epist. 8. *Eecce ego mittam servum meum, Oriens nomen est ei. Numquid quia habebat vestimenta sordida, ideo fulgorem divinitatis suæ sol iustitiæ non habebat?* Itaque Christus primum in cælo fuit, sol germinans, et oriens summa claritate et gloria, deinde e cælo in terram descendens, in ea germinare et nasci cœpit. Christus e-

Oriens, id est germen, est Christus.

Cur? 1. Causa.

2.

3.

4.

5.

Christus est Oriens, cur?

nim est arbor vitæ, ex cælesti paradiso transplantata in terram per incarnationem, inde rursus ascendens in cælum et paradysum Beatorum, visione sua et fruitione dat Sanctis vitam, immortalitatem et felicitatem per lumen gloriæ, suisque foliis et fructibus omnis voluptatis eos in æternum continue mulcet et satiat, uti dixi Apoc. 22. 2. Quocirca uterque Zacharias Christum vocat solem germinantem, et orientem: quia Christus lucem, letitiam, fecunditatem, vitam, gratiam, gloriam, omniaque bona orbi attulit, quasi sol iustitiæ præfulgens Ecclesiæ. Sic Pompeius se iam inlarescentem, vocabat solem orientem, Cinnam vero æmulum suum prolabentem vocabat solem occidentem, teste Plutarcho in eius vita. Hinc Clem. Alex. Adhortat. ad Gentes: *Fiunt, inquit, omnia lux, quæ sopiri non potest: et occasus credidit Orienti, æque illustratus luce fidei, ac ipse Oriens. Omnia enim obequitat sol iustitiæ. Is Occasum traduxit in Orientem, fecit æque splendens, utpote in quo non occiderit lux fidei, imo orta fuerit.* Itaper *tsemach*, id est, germen, accipiunt Christum Chald. S. Hieron. Cyrill. Remig. Rupert. Albertus, Hugo, Lyran. Vatablus, Emmanuel, Mariana et alii passim. Perperam ergo Rabbini, Theodor. et Euseb. 4. Demonst. c. ult. per *tsemach*, id est, germen, accipiunt Zorobabel. Hic enim non erat germen, id est, puer, sed vir, eratque præsens. Unde de eo falso dicitur: *Adducam servum meum Orientem: nec Zorobabel fuit lapis septem oculos habens, cælatus sculpturis, etc. ut sequitur.*

Tropol. S. Athanas. tract. de Sabbato et circumcisio-  
ne: *Solis instar, inquit, Deus exoritur, illustrans uniuscuiusque animum. Quocirca et in salutifera passione non apparuit sol, indicans finem prioris creaturæ adesse, et principium alterius supervenire, quæ diluculum suum et exortum in Salvatore consecuta est. Hanc cum vidisset Propheta, ita locutus est: Ecce vir Oriens illi cognomen, ac rursus: Vobis timentibus cum exoritur sol iustitiæ. Non enim omnium hæc dies est, sed eorum qui mortui sunt peccato, et vivunt Deo.*

Vers. 9.

QUIA ECCE LAPIS QUEM DEDI CORAM IESU. ) Zacharias paulo ante Christum vocavit *germen oriens*, hic alia metaphora vocat eum *lapidem*: quia alludit ad fabricam templi, quæ a Iesu pontifice facta est ex lapidibus. Hi enim lapides repræsentarunt Christum, qui est lapis angularis et fundamentalis in fabrica Ecclesiæ. Alludit ad Isaïæ 28. 16. *Ecce ego mitto in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundamentum*: ita S. Hieron. Haymo, Remig. Albertus et Lyran. Hunc lapidem dedit Iesus *coram Iesu*, id est, per visionem Deus ostendit Iesu filio Iosedec lapidem fundamentalem templi, eique revelavit per illum repræsentari Christum, qui futurus erat lapis angularis Ecclesiæ: ita Lyran. Hugo, Vatabl. Clarius et alii. Sic enim explicat se Zacharias c. 6. 12. ubi cum dixisset: *Ecce vir Oriens nomen eius; subiecit: Et subter eum orietur, et edificabit templum Domino.* Simili enim modo hic cum dixisset: *Ecce adducam servum meum Orientem; subdit, Ecce lapis etc.* cui scilicet ipse suam inædificabit Ecclesiam.

Septem oculi lapidis quales? Resp. I.

SUPER LAPIDEM UNUM SEPTEM OCULI SUNT. ) Quæritur primo: An hi oculi lapidi ineisi, vel allixi fuerint; an vero a lapide separati, sed in lapidem respicientes et intenti. Separatos fuisse et in lapidem prospectantes, censent Lyranus, Vatabl. Fernandez, Sanchez et alii: Quia, inquit, significant angelos in fabricam templi et Ecclesiæ, ideoque in lapidem, id est, Christum, intentos, ut quæcumque ille insserit, prompte exequantur. Aut, ut Clarius et Arias, quia hi oculi significant vigilantissimam Dei providentiam et curam erga Christum, ut eum quasi lapidem affabre cælet, poliat, et in fundamento Ecclesiæ angularem apte constituat et conservet. Aut, ut alii, significant omnium angelorum et hominum, præsertim Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Doctorum, Martyrum, Virginum et Sanctorum illustrium oculos intentos esse in Christum; quia ab eo gratiam, salutem et omne bonum expectant.

II. Verum concinnius et congruentius alii censent, oculos

hos fuisse lapidi affixos, vel ineisos. Primo, quia dicitur fuisse *super lapidem unum*. Si enim fuissent extrinseci et intenti tantum in lapidem, dixisset, *Versus lapidem unum*. Secundo, quia hi oculi sunt lapidis, id est Christi, per quos ipse circumspicit, lustrat, protegit, curat, promovet totam Ecclesiæ fabricam: licet enim id faciat per angelos a se separatos, tamen quia hi angeli sunt quasi oculi Christi, hinc quasi oculi in eius corpore infligi et pingi debent. Tertio, quia huc alludens S. Ioannes Apoc. 5. 6. vidit *agnum* (id est Christum) *stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram*. Sicut ergo cornua septem erant agno allixa, ita et oculi septem: ergo et hic oculi septem lapidi, id est, Christo, fuerunt allixi. Quarto, quia pari modo Cherubini Ezech. c. 1. v. 18. et Ioannis Apoc. 4. 8. pleni erant oculis, nec tantum ipsi, sed et rote currus cherubiei; ut patet Ezech. 1. 18. qui repræsentant divinæ providentiæ actionem, et executionem attentissimam et oculatissimam. Vide ibi dicta: Vita S. Hieron. Haymo, Remig. et alii. Porro quales fuerint hi oculi, et qualiter in lapide concipiendi sint, explicat noster Mariana in hunc locum: *In lapide, inquit, fundamenti solent excavari sigilla, quibus includuntur stipes auri et argenti, perpetuitatis argumento. Ea sigilla vocantur oculi, tum quia erant concava, tum quia habebant speciem et formam oculorum. Aliter Prado proœm. in Ezech. sect. 7. Septem oculi, ait, sunt totidem stellæ cælestæ. Mundus enim est quasi homo magnus, cuius facie est cælum, quod stellis quasi oculis distinguitur, illuminatur et exornatur. Verum stellæ non sunt oculi, nisi mystici et hieroglyphici.*

Quæres secundo: Quidnam hi septem oculi significant? Primo, aliqui censent oculos hosce fuisse rimas lapidis, q. d. Ne putetis hunc lapidem ob rimas, fabricæ templi inutilem, ecce ego eas affabre cælabo, ut fabricæ decus, non dedecus afferant. Secundo, Hugo censet septem oculos, significare architectorum et latonorum industriam et vigilantiam, qua septem quasi oculis, id est, summa attentione et cura, attendebant fabricæ templi Zorobabelis, ut illa esset elegans et omni ex parte accurata. Verum etsi eo alludat Propheta, longe tamen maiora et sublimiora spectat.

Dico ergo, hosce septem oculos significare plenam et perfectam Christi providentiam et vigilantiam circa templi, id est, Ecclesiæ suæ, fabricam erigendam, augendam, promovendam et conservandam, quam exercet per septem angelos primarios, qui aulæ suæ sunt quasi principes, ideoque præfeti tum cæteris angelis hominum custodibus, tum ipsis hominibus totique Ecclesiæ et orbi. Id ita esse patet ex c. 4. 10. ubi ait Zacharias: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* Et Apoc. 5. 6. *Agnus habebat oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Et Tob. 12. 15. *Ego, inquit, sum Raphael, unus ex septem qui astant ante Dominum.* Et Apocal. 1. 4. S. Ioannes pacem apprecatur septem Ecclesiis a septem spiritibus, qui in conspectu throni sunt, ubi fuse de hisce septem angelis egi. Porro

angeli vocantur oculi, quia sunt puræ mentes, perspicacissimæ et vigilantissimæ: unde et intelligentiæ nuncupantur. Simili modo Aegyptii pingebant Osirim Deum suum, quasi oculum sceptri insistentem: sceptrum eius imperium et gubernationem, oculo eius providentiam et vigilantiam significantes: ita Maerob. 1. c. 21. et Plutare. l. de Iside et Osiride. Sic Tertull. lib. 1. de Trinit. Deum totum oculum dixit, qui totus videt. Et alibi Dei oculum, ait, somni expertem, quoniam est ipsa lux, quæ ad omnia excubat. Quin et Diphilus apud Gellium lib. 44. c. 4. *Est, inquit, qui tuetur cuncta iustitiæ oculus*; adeoque veteres Deum vocarunt *mundi oculum*. Denique Pausanias in Corinth. scribit, statuam Iovis in subdiali ara, ad quam Priamus capta Troia confugit, tribus oculis fuisse insignem; iis vero significabatur triplex Dei providentia, quæ cælestia, maritima et inferna curat, ait Pierius hierogl. 33. c. 15. Sensus ergo est, q. d. Hic lapis quem tibi ostendi,

Angeli sunt oculi, cur?

o Zacharia, puta Christus, qui est lapis angularis Ecclesiae, non erit inanimis et insensibilis, sed vivus, oculus, vigil et acer, qui sua oculatissima providentia per septem angelos totam Ecclesiae fabricam lustrabit, diriget, promovebit. omnibusque eius partibus et membris de cunctis requisitis providebit abunde. Sic Persarum reges habebant principes, qui vocabantur *oculi regis*, et alios, qui *aures regis* dicebantur, teste Hesichio et Suida in voce *οφθαλμος βασιλεως*. Et forte eo alludit hic Zacharias: nam reges Persarum habebant septem aulae principes sicut Deus habet septem angelos principes mundi. Unde Scriptura eorum vix facit mentionem, nisi postquam Iudaei redierunt e captivitate, ubi similes viderant in aula Cyri et Darii, uti dixi in Comment. Apocal. 1. quem curiosus Lector consulat.

Tropol. Septem oculi sunt septem dona Spiritus sancti, quae plenissime fuerunt in anima Christi: quia haec animam eius oculatam, illuminatam ac vigilantem reddunt. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Emmanuel et alii. Alludit ad oculos, quos phrygiones operi suo, puta vesti Phrygiae intexunt, ut sic ocellatum et elegans instar caudae pavonis, q. d. Christus instar lapidis septem oculis caelati, omnibus donis, gratiis et virtutibus quasi oculis divinis caelabitur et exornabitur.

Audi S. Gregor. lib. 29. Moral. 16. *Super lapidem unum septem oculi sunt. Huic enim lapidi (Christo) septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus septiformis gratiae in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum iuxta distributionem Spiritus sancti accipit: ad habenda vero cuncta eiusdem Spiritus munera nemo pertingit. At vero conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis suae potentiam simul se habere omnes Spiritus sancti virtutes edocuit, micantes proculdubio pleiades iunxit.*

Allegor. a Castro: Christi corpus, inquit, in passione instar lapidis septem oculis incisus, multis incisionibus, vibicibus et vulceribus quasi oculis caelabitur, et pulcherrima varietate distinguetur, ut hi oculi sint caelatura, de qua subdit: *Ego caelabo sculpturam eius.*

Symbolice, ex Zacharia, uti et ex Apocalypsi, Ecclesia Romana accepit multos ritus et caeremonias, indeque similia symbola rerum sacrarum in officii Ecclesiasticis mutuata est. Ita ex hoc loco accepisse videtur olim septem Cardinales diaconos, quos S. Clemens epist. 1. ad S. Iacobum, vocat *oculos Episcopi*, et totidem Cardinales Episcopos in Lateranensi Ecclesia, cuius Episcopus proprius et verus est Pontifex Romanus. In ea enim est sedes et cathedra Episcopatus Romani, ibique novus Pontifex eius, ac consequenter pontificatus totius Ecclesiae, qui Episcopatus Romani annexus est, possessionem capere solet. Quocirca ita de ea scribit B. Petrus Damiani lib. 2. Epist. 2. ad S. R. E. Episcopos Cardinales: *Ecclesia Romana excellentioribus praeter ceteris totius orbis Ecclesiis nititur privilegiis; sed et mysticis etiam instituta atque disposita non ambigitur sacramentis. Nam ut de pluribus pauca perstringam, Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris insignita est vocabulo, qui nimirum caput est omnium electorum; ita mater, et quidam apex et vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Haec septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare. In quo nimirum illud Zachariae continentur evidenter oraculum. Ecce, ait, lapis quem dedi coram Iesu: super lapidem unum septem oculi sunt. Lapis autem iste proculdubio illa petra est, de qua verus Iesus Petro pollicetur, dicens: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Septem ergo oculos habet haec petra, quia totidem S. Spiritus donis sancta praefulget Ecclesia, quibus nimirum velut candelabrum aureum inextinguibiliter rutilans ignorantiae tenebras effugat, et ad contemplandum iustitiae solem hominum mentes illustrat. De quo idem Propheta cap. 4. Vidi, ait, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas eius super caput ipsius, et septem lucernae eius su-*

**A** per illud. Quod utique sacramentum et B. Ioannes in Apocal. se dilicisse non tacuit; cui dictum est: *Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea. Septem stellae, angeli sunt septem Ecclesiarum, et candelabra septem, septem Ecclesiae sunt. Septenarius enim est symbolum universitatis. Septem ergo Ecclesiae sunt omnes Ecclesiae, quas in se quasi in matrice continet Ecclesia Lateranensis et Romana, quae omnium est princeps et regina, uti ait idem Damianus. Unde et subdit: Nos itaque fratres mei, ut et me vobis audenter interseram (fuit enim et ipse Cardinalis ac Episcopus Ostiensis, qui inter Cardinales est primus, ac solet consecrare Romanum Pontificem) nos, inquam, qui tamquam septem sumus oculi super lapidem unum, qui stellarum portamus imaginem, qui angelorum tenemus per annunciationis officium dignitatem, videamus, splendeamus, et per verba vitae populis non solum vocibus, sed et moribus nunciemus sermonem. Siquidem praedicantium lingua quidem nunciat, sed vita commendat. Apostolus ait: *Qui ad episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen inducere sine rei ipsius veritate. Non ergo constat episcopatus in turrilis gibellinorum transmarinarumve ferarum pileis, non in flammantibus martorum submetalibus rosis, non in bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, neque in frementibus ac spumantia fraena mandentibus equis; sed in honestate morum, et sanctarum exercitatione virtutum. Et inferius: Vos ergo dilectissimi, quibus prava datum est ex Apostolicae Sedis Auctoritate corrigere, vosmetipsos ceteris non modo fidelibus, sed et sacerdotibus quamdam vivendi regulam exhibete. In vita vestra legatur quid agi, quid vitari conveniat: ex labiis nostris verba otiosa non effluant, sacerdotalem linguam discreti silentii censura compescat: non iocii solvant, non peccus nostrum immoderata laticia concutiat. Puerilis ludus abcedat; mordax eloquentia, urbana dicacitas evanescat. Quomodo enim ex ore sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quae pravi sermonis sordibus inquinatur? Et in fine: Vos estis sal terrae, vos non modo sacerdotes, sed et sacerdotum decet esse magistros. Necesse est ut vita vestra, quaedam sit linea et velut adamantis signaculum, quod ceteris vivendi adhibeat formam. Adamantium quippe sigillum suam ceteris imprimit, a nullis vero metallis imaginem sumit. Cum ergo ex diversis mundi partibus adventantium vobis ingruit multitudo, cum morigerari sibi quisque vos importune compellant, vultus vester semper idem, sic festiva quadam serenitate respondeat, ne in aliquo puerilis levitas erumpat: sit gravitas hilaris, et gravis hilaritas.**

**E**GO CAELABO.) Hebr. ecce ego aperiam aperturam etus, quod primo Chald. explicat: *Ecce ego visionem eius revelo*, q. d. Ego tibi, o Zacharia, hanc visionem lapidis mystici ostendo, eiusque significationem de Christo revelo. Verum Hebraea phrasid id non patitur: nam aperire aperturam Hebraeis idem est, quod sculpere sculpturam, vel caelare caelaturam, uti vertunt Septuag. Aquila, Symmach. Theodot. Noster, Pagnin. Vatabl. et alii passim. In sculptura enim sculptor aperit et eradit partes aliquas, vel in longum, facitque strias; vel in rotundum, vel in quadrum, aliisque mille modis, ut sculpat flores, aves, poma, aut quod ei libuerit.

Secundo, Rabbinis, et ex iis Hugo haec intelligunt de caelatura templi Zorobabelis, q. d. Ego perfaciam templum hoc, illudque eleganti caelatura forinsecus exornabo; aut caelum, id est, fornicem caelatam illi inducam: perfecta enim fabrica solet caelari et caelaturis exornari. Verum esto eo alludat Propheta, tamen altiora spectat de Christo.

Dico ergo, lapidem caelatum esse Christum, eiusque caelaturas vocari vel septem oculos in eo caelatos, ut nonnulli volunt, vel potius ipsa aedificantis stemmata in primo fabricae lapide caelata. Nam caelaturas has ab oculis esse diversas, liquet ex antitypo: oculi enim angelos, ca-

Tropol. septem oculi sunt septem dona Spiritus sancti.

Episcopatus in quo consistat.

Vita Cardinalium qualis esse debeat?

Symbol. septem oculi sunt septem Cardinales.

Lapis caelatus est Christus.

laturæ, dona et stigmata Christi representant, uti mox declarabo. Alludit ad primum templi vel fabricæ lapidem, quem architecti cum solemnitate et pompa in fundamentis ponunt, itaque fabricam inchoant. Unde lapis ille primus solet insignibus principis, qui fabricæ est auctor, insculpi: ita Christo, quasi lapidi primo Ecclesiæ, Deus sua insignia et stemmata insculpsit: Primo, in eius incarnatione, in qua Spiritus sanctus Christi corpus et animam tanta perfectione elaboravit, ut humanitas illa a Deo elegantissime tornata et cælata videretur. Insuper eandem ornavit et cælavit omni sapientia, virtute, gratia et gloria, quasi cælum quoddam divinum sole, luna et stellis pulcherrimis cælatum et distinctum. Denique per gratiam unionis hypostatice ita eam Verbo adaptavit, ut videretur humanitas esse quasi gemma politissime cælata et adaptata annulo aureo divinitatis Verbi. Audi S. Irenæum lib. 3. c. 28. *Hic lapis e terra et ex virtute et arte constat Dei: significat autem in terra virgine ortum, sed virtute Spiritus sancti artificioso cælatum:* ita quoque Lyran. Dionys. et alii. Nam Spiritus sanctus ita affabre humanitatem divinitati univit, inseruit et quasi cælavit, ut inter naturam divinam et humanam summa sit unio in Verbo, ac per unionem mutua intimaque earundem sit complexio, seu *περὶ ἑνωσεως*, ut ait Damascen. l. 3. c. 8. Et tamen Verbum ipsum nullam ad humanam naturam contraxit habitudinem, nullum ordinem, nullam inclinationem. Infinita enim illa vis hypostatice sufficit, ut se ad illam extrinsecus attractam et velut insertam, absque ulla sui mutatione velut terminus et basis hypostatice extendat, eamque insolubili et substantiali nexu sibi intime astringat et copulet: perinde ac intellectio divina propter suam infinitam intelligendi vim, sese extendit ad futura contingentia, eaque attingit et prævidet, atque volitio divina propter infinitam volendi vim, sese extendit ad omnia existentia quorum ipsa est causa absque accessione alicuius habitudinis realis ad illa: nullam enim ad illa relationem realem acquirit vel contrahit intellectus aut voluntas Dei.

I.  
In incarnatione

Secundo et plenius, Christus quasi lapis cælatus fuit in passione, tum clavis, spinis et flagellis active; tum vulneribus, plagis et vibicibus passive; quibus totum corpus suum fodi et aperiri voluit, ut immensam suam in nos charitatem intus latentem per has quasi rimas ostenderet et effunderet, iuxta illud:

*Cernis ut in toto corpore sculptus amor.*

Unde Hebr. habent ad verbum, *ecce ego aperiam aperturam eius;* Syrus et Arabicus Antioch. *ecce ego aperiam portas eius:* portæ enim corporis et cordis Christi, sunt eius plagæ et vulnera; Arabicus Alexandr. *ego coaptans eos,* scilicet septem lapidis oculos: Septuag. *ecce ego fodio foveam.* Hiscæ enim passionum cælaturis expolita fuit Christi patientia, obedientia, charitas, fortitudo, cæteræque virtutes divinæ; itaque perfecta Dei imago in ipso cælata apparuit: ac proinde lapidi huic, rupique tot plagis excavatæ, et quasi stemmatibus regni sui insculptæ et decoratæ, Deus Ecclesiam suam inædificavit, quando per eum abstulit iniquitatem orbis, ut sequitur: ita S. Hier. Remig. Haymo, Rupert. Vatabl. et Clarius. Perperam ergo Theodor. per foveam hanc accipit stragem et sepulturam Gog et Magog. *Hæc, ait, de Gog et Magog prædixit, quibus in una die perniciem attulit, et omnes pariter ad occisionem deduxit, quam per translationem et comparationem foveam appellavit.* Gog enim et Magog venturi sunt tempore Antichristi, et cædeudi in fine mundi, uti dixi Ezech. 38.

II.  
In passione

Tropol.  
de cælatura animæ per virtutes et cruces.

Tropol. hæc Christi nascentis et patientis sculptura representat cælaturam et ornatum animæ, virtutibus et donis omnibus insculptæ, ac per cruces et patientiam incisæ et expolitæ, eiusque est prototypum et exemplar. Vis ergo, o Christiane, in anima tua sculpere imaginem elegantissimam et divinam obedientiæ, humilitatis, tolerantia, constantia, amoris et perfectionis Christianæ? inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte Calvaria a Christo monstratum est. Deus in creatione et generatio-

ne tua suam tibi imaginem et similitudinem impressit et insculpsit, Genes. 1. 27. eamque peccato deformatam per Christum in baptismo et iustificatione reformavit, tu eam per eius gratiam cæla, expoli et perfice. Si modum nescis, docebit te Christus: inspicere eius cælaturam in cruce. Invadit te morbus, paupertas, damna fortunarum, sustine exemplo Christi, ac dicito: Non mea voluntas, sed tua fiat. Invadit te hostis, æmulus, detractor, calumniator, spargit de te que nunquam cogitasti: sustine, noli per indignationem inferre maculam imagini tuæ, noli cælaturam patientiæ tuæ per impatientiam maculare. Gradu tuo deieceris, deprimeris, negligeres, æmuli tui attolluntur, te despicunt, tibi insultant: sustine, hæc et maiora pro te, sustinuit Christus Dei filius, cum a Iudæis irrisus, conspuus, flagellatus, et quasi latro in crucem actus est. Imperat Superior rem arduam, periculosam? alacriter eam capesse: sequere Christum, qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Si reniteris, exentis, excusas, vide quam longe absis a cælatura obedientiæ Christi. In docendo, concionando, confessiones audiendo, pagos circumeursando, rusticos, rudes et pauperes docendo, sentis labores et dolores? eia athleta Christi, eius amore omnia transecede et supera; ille pariter pauperes evangelizavit, vicos et pagos prædicando pedes obivit, fatigatus est, sudavit, æstuavit et alsit. Illius adinstar sculpe hoscæ dolores et labores modicos, et modici temporis in anima tua: *cæla in ea cælum et solem charitatis: pinget et sculpe æternitati.* Audies brevi quod ille tertio die resurgens audivit: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum.* Ita ad exempla Christi pinxit et cælavit animam suam æque ac corpus, S. Paulus dicens: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto,* Galat. 6. 17. Ita pinxerunt S. Andræas æstuans amore crucis, S. Ignatius provocans leones, S. Laurentius in craticula delicias, S. Vincentius Daciani tormenta irridens, S. Agnes contra tyrannos, ignes, procos ad mortem usque decertans et triumphans. Ita pinxerunt omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Anachoretæ, Doctores, Confessores, Virgines Sanctique omnes. Hos tu sequere, pictores hoscæ imitare, hos cælatores adæqua, vel æquis passibus consecutare, ut pingas imaginem, ut cæles cælaturam, in cælo per cuncta sæcula ad Dei gloriam tuumque decus, coram Angelis Sanctisque omnibus perennaturam. Quod enim momentaneum est et leve tribulationis, humiliatio- nis, mortificationis nostræ, æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, idque brevi et quasi post momentum.

Tum sionibus, pressuris expoliti lapides  
Suis coaptantur locis, per manus artificis,  
Disponuntur permansuri sacris ædificiis.

Cælum, inquit Varro lib. 4. dictum est quod cælatum, id est, signatum, sideribus sit: multo magis cælum empyreum cælatum est gemmis, floribus, fructibus, uti describit S. Ioannes Apoc. 21. et 22. Cælum est anima tua, si sancta sit: illam ergo cæla patientia, obedientia, humilitate, omnique virtute, ut in cælo empyreo cælari, imo illud cælare et ornare mereatur.

Cælum quasi cælatum stellis.

ET AUFERAM INIQUITATEM TERRÆ ILLIUS, puta Iudææ, in qua primi fideles conversi ad fidem et gratiam vi sanguinis Christi, illi quasi lapidi cælato et fundamentali inædificati sunt: IN DIE UNA.) Qua scilicet ipse cælatus, id est, passus et mortuus, pro omni iniquitate Deo satisfecit, eamque quantum in se est abolevit, æque ac veteres victimas vetusque sacerdotium, quod maculas animæ expiare non poterat: ita S. Hieron. Remig. et Haymo. Meminit Iudææ præ aliis Gentibus, quia Iudæis promissus erat Christus, et quia Iudæis prophetabat Zacharias. Unde eos iam Babylone redeuntes et allictos, promissione Messia consolator: post Iudæos tamen iniquitas totius orbis per Apostolos ex mentibus credentium ablata est.

VOCABIT VIR AMICUM SUBTER VITEM, ET SUBTER FI-CUM.) q. d. Christus sua passione non tantum auferet iniquitatem, sed et auferet pacem, bonorum affluentiam, de-

licias, æque ac amicitiam et rerum communicationem, adeo ut omnia inter Christianos communia futura sint, et ex eadem vite eademque ficu simul fructus carpant, et secure hilariterque se invicem invitent et conviventur, idque tum corporaliter, tum potius spiritualiter. Hanc enim pacem et opulentiam significat hæc phrasit et parcemia Hebraica, ut patet 3. Reg. 4. 25. ubi dicitur unusquisque habitasse sub vite et ficu sua cunctis diebus Salomonis, q. d. Plena fuit pax et rerum copia sub Salomonis imperio.

Porro Christus non tantum attulit pacem et opes spirituales, sed et temporales. Lex enim Christi præcipit charitatem, condonationem iniuriarum, patientiam, amorem inimicorum, etc. quæ omnia pacem temporalem, indeque temporalium affluentiam pariunt, uti ostendi Isaia 2. 4. Sic in primitiva Ecclesia Christiani omnia habebant com-

munia, Actor. 4. 32.

Mystice, vitis et ficus, non huius, vel illius in particulari, sed absolute fidelium omnium est Christus, eiusque passio, Evangelium, Sacramenta, gratiæ, consolationes, omniaque bona quæ quasi sapidissimas ficus et uvæ ex Christo, quasi ex ficu et vite affatim decerpimus, in quibus Christiani deliciantur et nectare cælesti, præsertim in Eucharistia, inebriantur, de quo plura cap. 9. 17. ita S. Hier. et Remig. Porro conditiones vitis applicui Christo Ezech. 15. 1. et ficus Jerem. 24. 2.

Quare perperam Rabbini hanc felicitatem Indæis datam putant a Machabæis 1. 1. Machab. cap. 14. v. 4. Esto enim eo alludat, tamen maiora et spiritualia, quæ Christus attulit, spectat Propheta: solus enim Christus abstulit iniquitates terræ, non Machabæi.

## C A P U T Q U A R T U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Videt Zacharias candelabrum septiceps, vel potius oeticeps, ad cuius latera erant duæ olivæ, una a dextris, altera a sinistris: ac per hoc significari intelligit, per Dei curam et providentiam templi fabricam inchoatam fore perficiendam; et ad culmen perducendam; Deum enim id velle, cui nulla Persarum vel hominum potentia resistere possit: consequenter duas olivas esse Iesum pontificem et Zorobabel principem, qui assistunt Deo, ut candelabrum, id est, templum, reædificent, et populum in rebus tam sacris, quam civilibus et politicis regant. Hic est sensus litteralis, ut patet ex eo quod iugiter v. 6. 7. 9. 10. sermo dirigatur ad Zorobabel, ducem Iudæorum illo tempore. Deinde ex v. 9. ubi expresse ostenta hæc ita explicat angelus, dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus eius perficient eam. Ergo ad litteram intendit hac visione animare Zorobabel ad perficiendam fabricam templi quam inchoaverat, et de cuius consummatione diffidebat. Porro totum hoc caput dirigitur ad Zorobabel: sicut enim capite præcedenti Iesum pontificem, ita hoc capite Zorobabel principem populi incitat ad inchoatam templi fabricam strenue proseguendam et consummandam. Ab hisce enim duobus capitibus pendet totum populi corpus, puta Ecclesia a Pontifice, resp. a principe. Allegor. tamen et præcipue per reædificationem templi adumbratur Ecclesia ædificanda, tum ex Iudæis, tum magis ex Gentibus per Christum. Hic enim est mysticus Zorobabel, cui nemo principum, nec Iudæorum resistere poterit. Esto enim Iudæi ipsum respicient, tamen Gentes avidè amplectentur, atque ipsi Iudæi in fine mundi ad eum convertentur per prædicationem Eliæ et Henoch. Ii enim sunt duæ olivæ, quæ assistunt dominatori terræ, ut eius Ecclesiam perficiant, oleoque doctrinæ, gratiæ et exempli sui alant, illuminent et gubernent, uti explicat S. Ioannes Apocal. 11. 4. imo Ribera et alii volunt hunc esse sensum litteralem; sed ex dictis patet esse mysticum.*

1. **E**T reversus est angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo. 2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas eius super caput ipsius, et septem luceræ eius super illud: et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius. 3. Et duæ olivæ super illud: una a dextris lampadis, et una a sinistris eius. 4. Et respondi, et aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi? 5. Et respondit angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. 6. Et respondit, et ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. 7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: et educet lapidem primum, et exæquabil gratiam gratiæ eius. 8. Et factum est verbum domini ad me dicens: 9. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus eius perficient eam: et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. 10. Quis enim despexit dies parvos? et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. 11. Et respondi, et dixi ad eum: Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri, et ad sinistram eius? 12. Et respondi secundo, et dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro? 13. Et ait ad me, dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. 14. Et dixit: Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

Vers 1. **E**T REVERSUS EST ANGELUS.) Puta Michael, ut dixi c. 3. 3. qui post visionem c. 3. mihi ostensam a me recesserat, rediens in cælum ad Deum, ut ei de more quasi princeps militiæ cælestis assisteret. Nam ibi accepta nova a Deo visione et revelatione mihi communicanda reversus est ad me, qui visionem quam videram cap. præcedenti ruminans et admirans, hærebam quasi stupefactus et attonitus. Unde Michael ab hoc stupore quasi a somno me excitavit, ut evigilarem et attenderem ad novam hanc candelabri visionem, quam mihi exhibebat: ita Lyran. Vatabl. et alii.

Aliter S. Hierou. Theodor. et Remig. censent enim angelum post visionem c. 3. non recessisse a Zacharia; dici tamen reversum, quia novam visionem ei obtulit, ad eam-

que videndam eum excitavit. Sed prior expositio est planior et germanior: si enim reversus est Michael: ergo egressus fuerat.

SUSCITAVIT ME.) Tum a stupore visionis c. 3. uti iam dixi, tum ab hebetudine mentis humanæ: huius enim vis corpori illigata, et ad illud depressa hebetatur, et quasi soporatur, ut ad spiritualia et divina minus sit acris et vigil. Excitat ergo depressam et torpentem mentem Zachariæ angelus, ut eam ad divina elevet et attentam reddat; eo quod hæc prophetia sit ænigmatica, obscura et difficilis, q. d. Michael excitando me, mentem meam exacuit et attentiore reddidit ad hieroglyphica et symbola cælestia, quæ mihi monstraturus erat.

CANDELABRUM AUREUM.) Alludit ad candelabrum quod Vers. 2.

Candelabrum typus templi et Ecclesiae.

iussu Del fabricavit Moses Exodi 25. 31. Unde illud, aequae ut hoc Zachariae, habebat septem calamos et lucernas: non tamen per omnia fuit idem cum eo, ut vult Lyran. Nam Mosaicum non habebat septem infusoria, duo rostra et totidem olivas, quae habuit hoc Zachariae. Candelabrum per synecdochiam significat et representat templum instaurandum a Zorobabel. Ipsum enim erat unum e tribus praecipuis vasis templi, quod totum tabernaculum sua luce illustrabat. Rursum candelabrum in templum inferri non solet, nisi eo perfecto. Fabricam ergo hanc candelabri, significat et praesupponit fabricam templi perfectiendam, ait Lyran. Hinc mystice candelabrum, aequae ac templum, representat Ecclesiam, quae aurea est charitate et doctrina caelesti; ita S. Hier. Cyrill. Remig. Rupert. et alii. Unde S. Ioannes Apoc. 1. 13. *vidit in medio septem candelabrorum similem filio hominis*, id est, Christum. Et v. 20. explicationem eorum audit ab angelo dicente: *Candelabra septem, septem Ecclesiae sunt Asiae*, puta Ephesina, Smyrnenensis, Pergamensis, Thyatirensis, Sardensis, Philadelphiensis, Laodicensis, ut patet ibidem c. 2. et 3. Vide ibi dicta. Plane enim S. Ioannes eo loco alludit ad hoc candelabrum Zachariae. Verum de significatione candelabri plura dicam v. 6.

**LAMPAS SUPER CAPUT.**) Pro *lampas* hebr. est *הלל גול* gula, id est, vas concavum et sphaericum ad capiendum oleum, quod pariter latine recte gulam appelles. Sicut enim gula sive guttur capit cibum transmittendum ad stomachum, ita hoc vas capiebat oleum transmittendum ad septem lucernas. Unde Pagnin. et Vatabl. vertunt; *lenticulam*; Tigurina, *discum rotundum*; *gutta* enim a rad. *הלל galal*, id est, convolvere, significat vas rotundum et convolvibile, instar globi, aut ovale instar lenticulae. Noster vocat lampadem, quia multis in locis lampades habent formam lenticulae, suntque rotundae, puta sphaericae, vel ovals. Lampas ergo hanc fuit sphaera cava et tumida, quales in templis ante Venerabile Sacramentum sursum eminere videmus. Porro haec in capite, id est, in summo stipite, seu hastili candelabri eminebat quasi concha, ad capiendum oleum distribuendum in septem lucernas, illud utrinque ambientes. Erat ergo lampas haec concha olei, sive vas olearium sphaericum: unde et visae sunt utrinque duae olivae, quasi symbola et indices olei, quo plena erat lampas. Addunt aliqui, ut Fernandez visione 32. sect. 1. Ribera. Sanchez et alii, fuisse veram lampadem ardentem et lucentem, sed maiorem, quae septem lucernis pariter ardentibus eingeatur, quod valde est probabile: hoc enim concinnius est; et sic videmus in basilicis Romanis S. Petri, S. Pauli, S. Caeciliae et aliis lampadem ingentem argenteam, quae multis aliis minoribus circumdatur, ante septem Sanctorum appendi, iisque honoris causa praelucere. Videtur ergo hanc lampas similis fuisse illis, puta ingens, rotunda, vel ovalis superne patens, cui iniectus erat canaliculus ferreus, vel aeneus suberi innexus, ut eo elevatus oleo innataret, per quem insertum ellychnium sugebat oleum e lampade, ut iugiter arderet. Minus ergo verisimile est quod censent nonnulli, lampadem hanc fuisse quasi pelvim quamdam amplam, impositam hastili candelabri, nisi per pelvim accipias concham nascentem ex ipso hastili. Ex dictis sequitur, candelabrum hoc universim fuisse non septiceps, sed octiceps: erat enim *οκταδακτυλος*, et consequenter *οκταδακτυλον*, puta octocalamum et octolustre: nam medium hastile septem calamis eingeatur, tamque hastili, quam calamis septem, lucerna ardens insistebat: erant ergo octo.

**ET SEPTEM LUCERNÆ EIU SUPER ILLUD.**) *Illud*, scilicet caput. Subdit enim: *Septem infusoria lucernis, quae erant super caput eius.* In capite ergo, hoc est, in summitate hastilis candelabri, eminebant septem lucernae laterales, totidem calamis insistentes. Porro calami hi utrinque ex hastili candelabri, vel potius ex fundo lampadis arcuatim pullulabant, et prodebant. Insuper calami hi, uti mox dicam, erant concavi: unde vocantur hic infusoria, id est, fistulae, per quas lucernae ex lampade oleum sugebant. Quocirca necesse est lucernas paulo demissiores

fuisse lampade, ut ex ea in illas oleum influere possent. An lucernae hae fuerint in orbem dispositae, ut circumcirca eingerent lampadem, eamque quasi coronarent, ut vult Sanchez, Fernandez et alii; an vero ad duo tantum eius latera, ita ut ab uno latere fuerint tres, ab adverso quatuor lucernae, uti fiebat in candelabro Mosaico Exodi 25. 31. ad quod hic alludit Zacharias, non constat. Prius tamen concinnius videtur, et commodius: quia, ut iam dicam, septem canales, per quos ex lampade sugebant oleum septem lucernae, non potuissent commode omnes ad duo latera disponi; sed longe commodius in orbem circumcirca lampadem disponuntur.

**SEPTEM INFUSORIA.**) Ita Noster, S. Hieron. in Comment. et Septuag. Diees, Hebr. Chald. Pagnin. Vatabl. et alii recentiores legunt, *septem et septem*: ergo quatuordecim fuerint infusoria. Respondent aliqui textum Hebraicum esse corruptum, et pro *septem et septem*, legendum esse semel tantum *septem*. Ita enim legunt Septuag. et S. Hieron. Secundo, aliter respondet Sanchez, nimirum esse anadiplosim, q. d. Septem, septem, inquam, erant infusoria ipsis lucernis. Quae expositio plausibilis est, omnesque antilogias extricat. Tertio, Christoph. a Castro respondet fuisse septem, si originem et officia spectes; fuisse vero quatuordecim, si ipsos canaliculos numeres. Infusoria enim vocantur hic parvi canales, sive fistulae et meatus, per quos ex lampade oleum delluebat in lucernas, inquit Clarius et Vatabl. Iam fistulae hae erant quatuordecim, quae ex lampade per septem ora prodebant. Lampas ergo septem tantum habebat ora, sed singula ora habebant duas fistulas, quarum una tendebat in unam lucernam, altera in aliam illi vicinam; quodlibet ergo os subministrabat oleum duabus lucernis, per duas fistulas ex se prodeuntes: et quia ora erant septem, hinc Noster et Septuag. numerant infusoria septem: quia vero fistulae erant quatuordecim, hinc Hebr. Chald. et recentiores numerant quatuordecim infusoria. Verum haec inconcinne et gratis asseruntur, praesertim quia infusoria, proprie vocantur ipsi canales, non vero ipsae lampades, aperturae et officia. Quare secunda solutio verior videtur, quam confirmat versio Septuag. et Nostra. Porro infusoria hae erant calami, arcuatim ex fundo lampadis prodeuntes: ac in vertice quodlibet eorum sustinebat suam lucernam, erantque concavi, ut essent fistulae, per quas e lampade oleum derivaretur ad lucernas, uti recte ostendit et in schemate candelabri depingit Sanchez. Hoc enim longe concinnius est eo quod alii allerunt, qui septem calamos ponunt dumtaxat ad sustinendum lucernas, deinde septem infusoria a calamis distincta piogunt quasi septem canales, per quos flueret oleum ex lampade in lucernas. Quorsum enim hae tam inconcinna instrumentorum multiplicatio, cum concinnius utrumque per calamos concavos fieri posset? Hinc rursum liquet, infusoria hae non fuisse vasa a lucernis et candelabro separata, quae infundibula vocamus, qualia Romae multi habent in cubiculis ad capiendum oleum, quod ex eo lampadi identidem infundant. Sic enim unum magnum infusorium pro candelabro et septem eius lucernis suffecisset, frustra que fuissent septem infusoria. Adde, sic hae infusoria a candelabro fuissent separata vase aequae ac loco: iam autem illi coniuncta fuisse liquet. Unum enim fuit totum hoc candelabri vas, sed septididum, quia distinctum in septem lucernas, ac consequenter in septem infusoria, id est, calamos sive fistulas, quae in lucernas inferrent oleum. Minus recte R. Salomon et Arias, *το septem et septem* sic exponunt, q. d. Quilibet lucerna habebat septem infusoria, sic enim universim infusoria fuissent numero quadraginta novem. Tot sane non erant opus, imo nec locus in tam paucis et exiguis lucernis.

**D** Mystice, *septem infusoria* sunt septem Sacramenta, quae sunt vasa gratiae, non quasi in iis gratia actu et localiter continetur, sicuti oleum continetur in vase; sed causaliter, quia scilicet gratiam in se ut causae instrumentales continent et efficiunt. Hebr. est, *septem et septem*, ut representent tam septem Sacramenta, quam septem dona

Infusoria erant calami.

Candelabri figura.

Spiritus sancti; sed de hoc inferius plura. Septem infusoria, ait S. Hieron. sunt septem Sacramenta, per quæ oleum misericordiæ Dei omniumque virtutum Ecclesia suscipit, eoque fovetur et conservatur. Unde et in Confirmatione, Ordine et Extrema unctione oleum est materia Sacramenti, quia oleo foris ungentur, intus anima impingitur gratia, eaque illustri redditur, ut luceat orbi: fitque fortis, ut quasi athleta contra carnem, mundum et dæmonem generose decertet.

Vers. 5.

**ET DUE OLIVÆ SUPER ILLUD.**) *Super*, id est, iuxta: una enim erat a dextris, altera a sinistris candelabri, ut sequitur. Per olivas, non nudi fructus, qui proprie vocantur olivæ, sed ipsæ arbores, puta oleæ, vel certe rami earum intelliguntur. Hebr. enim זיתים *zetim* tam oleam, quam olivam significat; et oliva a latinis subinde capitur pro arbore, puta pro olea. Patet id ex v. 12. *Quid sunt duæ spicæ olivarum? spicæ*, id est, rami. Hi enim rami erant referti olivis: rami autem probabant ex arbore, puta ex olea. Quare minus recte aliqui censent olivas has in sculptas fuisse candelabro, vel lampadi. Sicut enim, inquit, amphoris vini insculpitur uva, vel vitis, vasis aquariis pisces; ita huic lampadi oleariæ insculptæ erant olivæ, ut significarent in ea esse oleum. Verum olivas hæc a lampade fuisse separatas patebit v. 12.

Idea totius visionis.

Hæc ergo totius huius spectri fuit idea. Primo, Michael ostendit Zachariæ candelabrum aureum ingens, in cuius vertice insistebat vas sphericum instar lampadis magnæ, ad capiendum oleum, et simul ad lucendum quam maxime.

Secundo, lampas hæc circumdata erat septem aliis minoribus lampadibus, sive lucernis, quæ per calamos totidem, arcuatim ex ipso fundo lampadis circummeica probabant.

Tertio, calami hi concavi erant instar canalium, vel fistularum: nam per eos oleum ex lampade derivabatur ad lucernas calamis insistentes: quocirca calami hi vocantur hic infusoria, scilicet olei.

Quarto, duæ erant oleæ, vel duo rami pleni olivis, unus ad dexteram, alter ad sinistram lampadis et candelabri, illud quasi stipantes et condecorantes. Oleæ enim symbolum, causa et parens sunt olei, quod est in lampade. Addunt aliqui, ex olivis distillasse oleum in duo rostra, id est, duos canaliculos incurvos tendentes ad lampadem, quæ ingiter eam oleo implebant; ut illud abunde septem lucernis suggerere posset. Ita Fernandez visione 32. sect. 1. a Castro, Vatabl. et alii. Verum hoc minus congruum, ideoque minus verum videtur, uti ostendam vers. 12.

Vers. 3.

**NUMQUID NESCIS?**) Michael simulat se admirari, quod hæc symbola non capiat Zacharias, utpote Propheta, q. d. Tu es Propheta, et hæc ignoras? præsertim cum hæc spectent tuæ prophetiæ argumentum. Representant enim templi fabricam, de qua in iugiter prophetas. Sic Christus ait Nicodemus: *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* Ioan. 3. 10. Qua phrasi et gestu non tam ignorantiam eius carpit, quam studium discendi aenit, et ad attentionem suæ doctrinæ de baptismo et regeneratione spirituali excitat.

Vers. 6.

**HOC EST VERBUM DOMINI AD ZOROBABEL.**) Sicut cap. præced. Iesum pontificem excitavit ad fabricam templi, ita ad eandem hic excitat et animat Zorobabel principem, promittens ei quod Dei ope feliciter eam perficiet. Sicut enim Iesus erat princeps Ecclesiæ et rerum sacrarum, ita Zorobabel princeps erat reipubl. politiæ et rerum civilium. Ab utroque enim hoc capite et principe pendebat fabrica templi corporalis, sicut ab utroque multo magis pendet fabrica spiritualis, puta vera fides, religio, iustitia, sanctitas, ordo et decus totius reipubl.

Candelabrum quid significet. Resp.

I.

**NON IN EXERCITU, NEC IN ROBORE, SED IN SPIRITU MEO, DICIT DOMINUS.**) Hic symbolum candelabri explicat Michael, sed tam concise et obscure, ut Oedipo sit opus. Primo, Remig. Albert. et Haymo putant fabrica candelabri representari solutionem captivitatis Babylonicæ, q. d. Hæc solutio non fiet vi armorum et militum, sed per meum spiritum, per meam providentiam, per meum consilium et virtutem. Verum iam pridem soluta erat a Cyro

A captivitas Babylonica, iamque Judæi redierant Hierosolymam, et in fabrica templi versabantur: Propheta autem non prophetat de præteritis, sed de futuris.

II.

Secundo, Hebræi putant per fabricam candelabri significari restorationem reipubl. per Zorobabel, qui in ea legem Mosaicam restitutus erat. In republ. enim Hebræorum candelabrum erat lex data per Moysen. Verum hoc candelabrum est mysticum, non litterale.

III.

Tertio, Lyran. et Hugo sic exponunt, q. d. Candelabrum, id est, templum hoc restaurabis, o Zorobabel, non tua fortitudine et robore, sed per spiritum Dei, qui hoc suggeret, inspirabit, et persuadet Dario Hystaspis regi Persarum, ut ipsum restaurari permittat, imo curet. Ita enim reipsa factum esse patet 1. Esdræ 6. Hic sensus appositus est, sed partialis, non adæquatus.

IV.

Quarto, Clarius, et ex eo a Castro censent candelabrum significare prophetiam, puta spiritum Dei, qui offertur per verbum, sive oraculum et locutionem Dei in mente Prophetæ; oleum esse gratiam Spiritus sancti, canales esse Prophetas doctos a Deo, per quos verbum Dei in alios derivatur; lampades septem esse varia dona Spiritus. Porro candelabrum fabricatum erat, ardebat et oleum suscipiebat ex olivis sine humano ministerio, ut significaretur prophetiam esse opus Dei, non hominis. Verum hæc expositio remota et minus adæquata videtur.

V.

Quinto ergo et genuine, candelabrum hoc representat Deum, ait Mariana, Deique providentiam, quam exercet per septem lucernas quasi oculos, id est, per septem angelos primarios, uti audiemus v. 10. præsertim circa fabricam templi restaurandi a Zorobabele. Candelabrum ergo est Dei providentia, quatenus se ad lucernas, id est, angelos, resque omnes creatas extendit: lampas est ipsa in se divinitas, puta Dei mens et oculus lucidissimus: infusoria sunt variæ rationes, modi et differentiæ divinæ providentiæ, quibus per angelos hanc creaturam hoc modo, illam illo, aliam alio sibi congruo regit et gubernat. Rursum sunt variæ gratiæ, dona et talenta, quas Deus variis pro libito dispertit et impertit. Candelabrum enim quia lucis est ferculum, typum gerit sapientiæ, vigilantia et providentiæ, uti dixi Exodi c. 25. 31.

genuina.

C

Addit Pierius hierogl. 46. illud esse symbolum vitæ divinæ, generationis, animi puritatis, amoris, famæ et gloriæ, denique ipsius divinitatis: quia præfert ignem, qui Dei est hieroglyphicum. Duæ olivæ sunt Iesus et Zorobabel, sive sacerdotium et regnum, de quo mox plura. Porro candelabri lampas ex se plena erat oleo iugiter durante, et semper ardente, quasi expressum fuisset ex asbesto lapide, qui igne non consumitur. Erat ergo hic ἀσβεστός, inextinguibile lumen, significans indeficientem, æternam et iugiter vigilantem Dei sapientiam et providentiam. Sic Callimachus, qui ob morosam in expoliendis operibus industriam ἀσβεστός dictus est, auream Minervæ lucernam fecit, quæ toto anno arsit, quamvis nihil olei effunderetur; testis est Pausanias in Atticis. Ita Romæ et alibi in sepulchris antiquis repertæ sunt lampades mira materia et arte iugiter sine novo fomite ardentes, accense a multis centenis annis; quæ mox ut aerem sentiebant, extinguiebantur. Scribit et Plinius lib. 9. 27. in mari piscem esse, qui lingua ignea per os exerta, tranquillis noctibus relucet, indeque appellari lucernam. Ita angeli, ac Apostoli et viri Apostolici, sua doctrina et vita iugiter lucentes, linguisque igneis pollentes mare huius sæculi collustrant.

D

*Solemque novum, nova sidera portant.*

Denique Niephor. lib. 11. Histor. cap. 3. scribit Theodosium iuniorem Imper. noctu sacris Litteris operam navasse, lucerna se sponte sua accendente, oleumque effundente miro artificio, ne quem ministrum eo labore gravaret.

Hinc Secundo, candelabrum hoc representat templum ipsum restaurandum, quasi pars totum, per synecdochen. Id ita esse elare docet Michael v. 9. dicens, *Manus Zorobabel fundaverunt domum* (Dei, puta templum) *et manus eius perficient eam*. Consequenter candelabrum representat cum templo et per templum restituendam esse totam



Ecclesiam et republ. Iudaeorum in pristinum splendorem, iuxta illud quod promisit cap. 2. 5. *In gloria ero in medio eius.* Nam in eius excidio et captivitate Ieremias luserat, maestusque eccinerat illud Thren. 4. 1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii?* Iam vero candelabrum hoc per Zorobabel restauratum, et potius restaurandum Zacharias vidit aureum, et octo luminibus resplendens. Quocirca Titus vastans Ierusalem, ut gloriam omnem Iudaeis se ademisse significaret, ademit illis candelabrum, illudque Romam vexit in triumphum: unde etiamnum in arcu triumphali Titi Romae graphice illud ipsum exseulptum videmus. Hinc et Iudaei moderni lucernis sua sabbata et festa celebrant, uti in Synagogis eorum vidi, quem morem antiquum esse docet Persius satyra 5.

*Herodis venire dies, unctaque fenestra  
Dispositae pinguem nebulam vomere lucernae,  
Portantes violas.*

Idem patet ex Canone 70. Apostolorum, qui sic habet: *Si quis Christianum oleum tulerit ad sacra Gentilium, vel Synagogam Iudaeorum festis ipsorum diebus, aut lucernas accenderit, de societate pellatur.* Hinc quoque Christus caelestis Ierusalem templique festa et nuptias describit per lucernas et lampades, Matth. 25. 1.

Porro septem lucernae sunt, quia totidem erant in candelabro Mosis, ad quod hic alluditur, quodque hic representatur, et quia septenarius, qui est numerus multitudinis et plenitudinis, significat templi et republ. celebritatem et decus post captivitatem fore magnum et eximium. Lampas in medio eius est Deus, qui omnibus lucernis, id est, partibus templi oleum, id est, vigorem et splendorem, suggerit: aut magis apposite ad secundam hanc expositionem, lampas est Sanctum sanctorum: sicut enim in candelabro eminebat fulgor lampadis, et fulgorem septem lucernarum se circumdantium, oleum eis suggerendo, aiebat; ita in templo eminebat maiestas et fulgor Sancti sanctorum, quod Sancto, et atrio, caeterisque templi partibus sui venerationem et sanctitatem communicabat. Duae oleae sunt Iesus pontifex, et Zorobabel princeps. Hi enim astantes candelabro primario, id est, dominatori Deo, uti dicitur v. ultimo, eius nutu et ductu candelabrum materiale et secundarium, id est, templum, aedificarunt et consummarunt, eique decus et gloriam conciliarunt; idque praestiterunt non suis opibus, robore aut viribus, utpote Samaritis, aliisque hostibus fabricam potenter impediuntibus, sed Dei virtute et spiritu. Et hoc est, quod significat Michael dicens: *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo,* supple perficietur hoc opus, et fabrica templi tam magna et magnifica, uti explicat v. 9. Spiritus enim hic uti Prophetas, puta me Zachariam et Aggaeum excitat ad urgendam hanc fabricam, ita pariter ad eam concurret, eamque sua sapientia, ope et protectione ita diriget, adiuvabit et promovebit, ut nec Sanaballat, nec alius hostis eam impedire possit, quin brevi absolvatur et ad fastigium perducat. Animabit enim Zorobabelem et populum ad strenue fabricandum, omniaque eorum consilia et opera reget et prosperabit.

Symbolice, Theodor. *Candelabrum aureum, inquit, est typus divinæ providentiæ, quæ caelestis et terrestria administrat. Septem lucernæ septem hebdomadæ æquales numero, assiduitatem et perpetuitatem divinæ eurationis (gubernationis) demonstrant. Septem infusoria lucernarum immensam Dei misericordiam ostendunt. Sic per lampadem gratiam omnia illuminantem innuit. Duas vero olivas utrinque exortas regnum et sacerdotium vocavit, divina gratia ornata. Duos ramos usque ad lucernas pertinentes, Iesum et Zorobabel: illum ex sacerdotali, hunc ex regali tribu profectum.* Hæc expositio generalior est: non tamen incongrua. Simili enim modo candelabrum Mosis septiceps, symbolice et physice fuit imago caelestis sphaeræ septilustris, sive septem planetarum. Tabernaculum enim gerebat typum mundi, Sanctum sanctorum vero caeli empyrei, in quo gloriose residet mundi auriga et rector Deus, uti ex Iosepho et Philone dixi Exodi 25. v. 31. Por-

ro vidit Zacharias hoc candelabrum extra templum, quo significatur Ecclesiam non fore templi, id est, Iudaeorum, sed Gentium. Christus ergo in hoc saeculo illuminat Ecclesiam, lucernae in Gentibus ardent, Iudaei manent in tenebris, sed in fine mundi illuminabuntur per duas olivas, id est, etiam et Henoch.

Alleg. et potius candelabrum hoc representat Primo, Allegor. Christum, qui illuminat et mittit septem angelos, ut per eos regat Ecclesiam. Hinc de eo dicitur Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Hinc Secundo, candelabrum representat Christi et Ecclesiam; lampas Pontificem et Ecclesiam Romanam, quæ est quasi Sanctum sanctorum; unde ipsa velut matrix septem lucernis, id est, caeteris omnibus Ecclesiis toto orbe dispersis, oleum, id est, potestatem, vigorem, doctrinam et gratiam, instillat per septem infusoria, id est, septem Sacramenta, ac per septem ordines. Omnis enim ordinis ac iurisdictionis potestas (ac consequenter omnia Sacramenta) derivatur a Pontifice Ecclesiae Romanae, quasi a lampade, in universos orbis Episcopos, sacerdotes et Ecclesias. Duæ olivæ sunt S. Petrus et Paulus, qui lampadem, id est, Ecclesiam Romanam, aedificarunt et fundarunt, in eamque omnem doctrinam et gratiam cum sanguine suo distillarunt, et etiamnum e caelo per preces et suffragia distillant. Idipsum vero faciunt non vi sua, sed in spiritu Christi, a quo omne suum robur, vim, et vigorem obtinent. Christus enim est primaria lampas ex se oleo gratiæ plena, ait S. Hieron. Vatabl. Fernandez et alii. Nam Christus est lux mundi, Ioann. 8. 12. et quasi sol illuminans orbem, Ioann. 1. 9. ideoque in septem lucernas, id est, in omnes Ecclesias, oleum, id est, gratiam, influit. De eius enim plenitudine omnes accipimus. Consequenter per lampadem apposite accipias balneum passionis Christi, quod Ecclesia continet et possidet, cuius oleum est eius sanguis et merita, quæ per septem infusoria, id est, Sacramenta derivantur in septem lucernas, id est, Ecclesias omnes particulares: duo rostra duas Christi naturas significiant: duæ oleæ representant Iesum pontificem et Zorobabel, quorum uterque fuit typus Christi, duplicemque eius potestatem, scilicet pontificatum et principatum, adumbravit. Iesus ergo est Christus Pontifex: Zorobabel est idem Christus qua legislator et princeps. Quia enim Christus est Pontifex et princeps Ecclesiae, hinc in eam iugiter influit oleum, id est, vim merendi et satisfaciendi. Quod enim sanguis Christi habuerit et habeat utramque hanc vim, id provenit ex unione hypostatica eum Verbo, quæ Christum fecit Pontificem et Principem.

Porro analogias candelabri et Ecclesiae recensui Apoc. 1. 20. Huc pertinet expositio Ruperti: Zorobabel, inquit, est Christus prognatus ex Zorobabel, qui induit humanitatem, quæ est aurum, conceptus non ex semine viri, sed virtute Spiritus sancti, et e virgine natus; sicut hoc candelabrum non ab homine, sed a solo Deo fabricatum erat. Christus ergo est candelabrum illuminans Ecclesiam templum. Hoc totum est aurum, quia post resurrectionem Christus totus factus est gloriosus, cum ante eam solo capite, id est, divinitate esset gloriosus: in eo fuit lampas septiceps, id est, septiformis gratia, puta septem dona Spiritus sancti, quorum vi et spiritu contra spiritales hostes depugnavit et vicit.

Tropol. candelabri, id est, Ecclesiae, lampas est B. Virgo, inquit Anastasius Nicænus q. 53. in Script. quia ipsa materia expertem lucem gestavit Deum incarnatum; et quia ipsa septem lucernis, id est, Apostolis caeterisque Sanctis per Christum oleum doctrinae et gratiæ suggerit et instillat: lucernas enim esse Sanctos illustres, patet ex illo Christi de Ioanne Baptista, Ioann. 5. 35. *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Vide dicta Exodi 25. 31. ita S. Cyril. et S. Epiphani. hom. de laudibus B. Mariae. Sed de tota hae visione audi Anastasium Nicænum Episcopum qu. 33. in S. Script. *Quod, ait, est candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quia materis expertem lucem gestavit, Deum incarnatum. Cur autem totum aureum? Quia post partum mansit virgo. Quænam sunt septem lu-*

Lucerna symbolum festi.

Symbol candelabrum est Dei providentia

Tropol. lampas Ecclesiae est B. Virgo, lucernae Sancti.

*cernæ? Septem leges: lex enim est lux, Proverb. 6. 23. Prima est lex naturæ. Secunda, lex per visum. Quem enim Deum lex prædicat, cum visus probat per res creatas. Nam ex rerum creaturarum magnitudine et pulchritudine earum creator cernitur. Tertia, lex paradisi, vetus lignum scientiæ boni et mali. Quarta, quæ tempore Noe fuit in nube. Quinta, quæ tempore Abrahæ fuit per circumcisionem. Sexta, lex litteræ, puta lex Mosis scripta a Deo in tabulis lapideis. Septima, lex gratiæ. Quænam sunt septem infusoria? Septem dona Spiritus sancti, quæ recenset Isaias cap. 11. Quænam sunt duæ oliuæ? Duo testamenta. Sicut enim olea habet folium semper virens, ita etiam duo testamenta habent perpetua, et nunquam cessantia de Christo testimonia. Hæc Anastasius.*

Porro Sancti omnes suum lumen habent non a se, sed a Christo per B. Virginem. Hæc enim illum peperit, nobisque dedit et dat. Unde S. August. explicans illud Christi Ioan. 12. 36. *Credite in lucem, ut filii lucis sitis; sic ait: Sint igitur sub lampade lucernæ, si illuminari volunt, quandoquidem a seipsis non habent lumen, sed ab eo qui a seipso lumen est, et non ab alio. Sic enim securum habent lumen suum adhærendo illi, quod deficere non potest, et aliis semper sufficit. Idem tract. 54. in Ioannem: Omnes sancti, inquit, lumina sunt, sed credendo ab eo illuminantur, a quo si quis recesserit tenebrabitur. Lumen autem illud quo illuminantur, a se recedere non potest, quia incommutabile omnino est, et ideo tenebræ in eo non sunt uliæ, nec esse possunt. Ita noster Emmanuel: Candelabrum, inquit, est Ecclesia, lampas Christus, lucerna iusti omnes, septem infusoria sunt septem Sacramenta, quibus oleum gratiæ effunditur iustis, ut luceant.*

Moral. Nota hoc axioma Dei, quod per Zachariam hic sancit in templo materiali, nimirum: *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum, supple perficietur tanta templi fabrica, id ipsum multo magis in fabrica spiritali tum Ecclesiæ, tum animæ cuiuslibet sanctæ valere. Quod enim Apostoli Ecclesiis ubique terrarum erexerunt, omnesque gentes ad eas aggregarunt, fuit opus non roboris humani, sed Spiritus divini. Similiter quod hodie Ecclesiæ adificentur apud Iapones, Sinas, Brasilios, Mexicanos, etc. quodque eadem apud hæreticos in Bohemia, Moravia, Hungaria, Germania restaurantur, non tam fuit exercitu, quam vi Spiritus Dei. Pari modo quod S. Paulus, S. Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia, quæ erant lustra et speluncæ dæmonis, transferuntur in templa Dei, virtus est nou hominis, sed Spiritus sancti, qui corda penetrat et mentes immutat. Eadem est quæ hodie peccatores convertit, et iustos ad eximiam sanctitatem provehit et accendit. Porro hæc facit Spiritus sanctus non in robore violentiæ, sed sensim et suaviter, instar lenis spiritus animæ illabendo per cælestes illustrationes immisas intellectui, et similes affectiones impulsusque inditas voluntati. Dei enim providentia per hunc spiritum ita orbem gubernat, ut attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter. Huius rei symbolo Deus apparuit Eliæ, sibi ut videbatur zeloso, optantique ut igne et fulmine perderetur impia Iezabel et Baalithæ; apparuit, inquam, non in igne, vento, tonitru, sed in spiritu et sibilo auræ lenis. Audi Script. 1. 3. Reg. 19. 11. *Egrederet (o Elia) et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transit, et spiritus (ventus) grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus: post spiritum commotio; non in commotione Dominus: et post commotionem ignis; non in igne Dominus: et post ignem sibilus auræ tenuis; et ibi Dominus. Talis fuit, estque spiritus Christi, qui proinde cum S. Ioannes et Iacobus poscerent fulmina de celo iaculari in Samaritas, eo quod Christum inhonorassent, illos corripuit, docuitque spiritum mansuetudinis, dicens: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, Luca 9. 55.***

Quicumque ergo se, vel alios a peccato convertere, aut ad eximiam perfectionem traducere conatur, sciat se id suis viribus non posse, sed Dei. Sibi ergo diffidens, fidens

que Spiritui sancto, cum humiliter et ardentem invocet, crebroque inelamet: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende. Riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium. Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium, scilicet numerum donorum Spiritus sancti; da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.*

QUIS TU MONS MAGNE CORAM ZOROBABEL? ) Quæres, Vers. 7. quis hic mons? Respondeo, omnes æmuli et potentes adversarii Iudæorum, qui volebant, aut certe facile poterant impedire fabricam templi. Unde Primo, Hebræi, et ex iis S. Hieron. Remig. Lyrad. et Emmanuel accipiunt diabolum, qui erat satan, id est, adversarius, Iesu et Zorobabelis in fabrica templi, et restituenda republica Hebræorum, ut patet c. 3. 1. Secundo, Mariana accepit Sauaballat et Samaritas, qui se opponerant Zorobabeli in restauranda urbe et templo. Tertio, Chald. Theodor. et Clarius, accipiunt reges et monarchas Persidis, præsertim Cambysem et Magos, qui huc usque fere impediunt templi restaurationem, et deinceps impedire poterant, præsertim persuasi a pravis consiliariis, quos Samaritæ alique hostes Iudæorum donis corrumpabant. Unde Chald. vertit, *quid tu reputaris regnum stolidum coram Zorobabele? nonne quasi vallis? q. d. Quid sunt monarchæ Persidis, qui videntur esse montes exeelsi, ut se tibi, o Zorobabel, opponant in fabrica templi? Ecce ego eos in planitiem deducam, id est, humiliabo coram te: illos ergo quasi in valem deducam coram te, tum quia faciam ut tu eis in hoc opere emineas, et superes quasi mons exeelsus; tum quia cor eorum flectam et mitigabo, ut ipsi velut valles facilem tibi aditum et transitum præbeant, tuis votis annuat, tibi quasi se subiiciant, permittantque templum instaurari: *Cor enim regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud, Prov. 21. 1. Montis similitudinem usurpat, quia montes impedire solent fabricam templi (de qua hic agit) et domorum: unde ne eam impediunt, vel ne eius aspectum et opteam interceptant, solent complanari.**

Alleg. Montes magni fuerunt tum dæmones, tum principes Iudæorum, tum Imperatores et Reges Ethnici, qui se vero Zorobabeli, id est, Christo, et christianismo in fabrica templi, id est, Ecclesiæ, opposuerunt; sed Christus eos stravit, sibi subiecit, corda eorum potenti sua gratia mirabiliter immutans, iuxta id quod de eo eccinit Isaias e. 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, puta gloriosa potentia, quæ montes vallibus, potentes plebeis, superbos humilibus æquat.*

Tropolog. ita Deus piis regibus, et quibusvis fidelibus complanat difficultates, quæ maximæ reipsa erant, vel pusillanimis esse videbantur, ad extirpandam hæresim, aut vitia inoluta, adeo ut ipsi mirentur subito illas quasi in planum deduci, colliquescere et evanescere. Spes ergo in Deum montes omnes complanat, ut sperans canat cum Habacue e. 3. 19. *Deus Dominus, fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super exelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Ita de sponso, puta Christo, cui in incarnatione et mundi conversione tot montes difficultatum obiciebantur, dicitur Cantie. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, id est, obices et difficultates omnes superans. Unde Symmach. vertit, *ascendens contra montes, prosiliens contra colles.* Sic David virtute Dei prostravit montem, et turrim illam carneam, inquit S. Chrysost. puta Goliath giganteum.*

IN PLANUM. ) Scilicet deducam te, o mons magne, vel in planum descende et complanare, iuxta sensum iam assignatum.

ET EDUCET LAPIDEM PRIMARIUM. ) Hebr. *lapidem capitum*, id est, fundamentalem et primum imumque in fundamento. Verum quia hic iam iactus erat in fabrica templi, utpote inchoata, hinc melius Noster vertit, *lapidem primarium*, qualis est qui perfecta fabrica in culmine eminet et prominet, ut extra ordinem aliorum extet. Un-

do hunc lapidem explicans subdit: *Manus eius* (Zorobabel) *perficiet eum*, puta domum Dei. Lapis ergo hic culminis significabat Zorobabelem, qui templum uti inchoavit, ita illud ad culmen erat perducturus: ita Lyran. Clarior. Dionys. et alii. Lapidem enim hunc opponit monti magno, de quo dixit v. 7. q. d. Zorobabel exadet lapis primarius et celsus, qui in montem attolletur, dum templo imponet culmen, in coque lapidem primarium et summum. Unde Theodor. sic explicat, q. d. *Et si millies eum summa rabie Zorobabel impedire conemini, cestrus spes raras ostendam: eum enim omni gratia complevi, et redundantibus bonis cumulavi, et firmum tanquam lapidem constitui: vobis autem perniciem comparabo, ut id quod abest viribus humanis, sarcietur et compensetur a superna benignitate.* Septuag. pro lapidem primarium, vertunt, lapidem hereditatis, qui scilicet hereditatem propriam cuique designat, et ab aliena determinat, qualis est lapis titularis, vel terminalis. Videntur Septuag. pro ראשה *rosia*, id est capitis, legisse ראש *rescet*, id est hereditatis: *rescet* enim est infinitivus, qui sæpe vice nominis fungitur, a rad. ראש *iaras*, id est, hereditavit. Vocatur hereditatis, quia Deus templum elegit sibi in domum et hereditatem, Psal. 78. 1. *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam.*

Alleg. et potius, lapis primarius Ecclesie est Christus, qui in mortem exerevit, Daniel. 2. 35. quando fabricam Ecclesie quam inchoavit, per Apostolos ad culmen perduxit. Unde Chald. vertit, *emerget Messias, cuius ab æterno nomen dictum, qui potietur imperio regnorum omnium.* Ita S. Hieron. Cyrill. Haymo, Rupert. Hugo et Vatabl. Sicut ergo Zacharias e. 3. 9. Iesu pontifici lapidem hunc, puta Christum, promisit, ita eundem promittit hic Zorobabeli principi: sed ibi ita ornatum, ut non nisi Christo conveniat; hic vero nude et simpliciter eum proponit, ut ad litteram designare possit Zorobabel, allegorice vero et potissime Christum: Prophetæ enim salient et resiliunt a typo ad antitypum, puta a Iesu et Zorobabele ad Christum. Hosce enim raptus subitoseque reditus, saltus et resultus patitur, imo poscit amplitudo, celsitudo et velocitas luminis prophetici.

Gratia  
æqua  
gratiæ  
quæ.

ET EXÆQUABIT GRATIAM GRATIÆ EIUS. ) *Eius*, scilicet lapidis: Hebr. enim לָהּ *la*, id est, *eius*, vel *ei* feminine. Unde respondet אֵבֶן *eben*, id est, lapidi: *eben* enim Hebræis est femininum. Pro *exequabit* hebr. est תְּשִׁיבוֹת *tesciuot*, quod Rabini, et ex iis recentiores, ut Pagn. Vatabl. Arias, Tigurina vertunt, *acclamations*, a rad. צָעַק *tsahak*, id est, vociferari, acclamare. Unde vertunt, *et educet lapidem primarium cum clamoribus*, (acclamantes, Gratia, gratia illi. Ita Pagnin.) vel, *plausus et gratulationes erunt ei.* Ita Tigurina, q. d. Consummato templo, positoque in culmine ultimo eius lapide fastigiali, acclamabit populus: Gratia, gratia sit illi lapidi, totique templo, hoc est, omnia fansta et felicia sint huic fabricæ; Deus suam gratiam, favorem, celebritatem et gloriam in hac sua domo ostendat et conservet. Hoc ad litteram dicitur de templo Zorobabelis, allegorice et potius de Ecclesia erecta a Christo. Unde Vatabl. et alii hoc impletum censent in Dominica Palmarum, quando Christo quasi Messie acclamantur turbæ, *Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis*; perinde ac in eius nativitate acclamantur angeli: *Gloria in excelsis Deo.* Hic sensus congruus est, eique valde favet textus Hebræus.

Melius Sept. et noster *tesciuot*, deducunt a שִׁיבָה *sciava*, id est, æquare: licet enim in *tesciuot*, sit litera *aleph*, in *sciava* vero sit *he*, tamen hæ duæ literæ cum sint primæ gutturales, sæpe inter se commutantur. Iam sensus est Primo, q. d. Gratia Darii Hystaspis exæquabit gratiam Cyri: interque enim dedit facultatem reedificandi templum; sed Darius insuper dedit sumptus ad illud necessarios: ita Lyran. Secundo, q. d. Templum hoc Zorobabelis suo splendore et gloria æquabit templum Salomonis, imo superabit, non auro et magnificentia, sed potentia Messie qui in eo conversabitur, uti prædixit Aggeus cap. 2. v. 8. utrumque enim templum fuit gratia et

donum Dei: ita Sanchez. Tertio et aptissime, q. d. Gratia perfecti templi æquabit gratiam eiusdem inchoati, imo superabit. Manus enim domum est rem perficere, quam inchoare, iuxta illud: *Melior est finis rationis quam principium*, Eccles. 7. 9. Hunc esse sensum patet, quia ita explicat angelus dum subdit: *Manus Zorobabel sunt æquaverunt domum istam, et manus eius perficient eam.* Porro verba ita recte adaptes: *Et exæquabit gratiam gratiæ eius*, vel, ut hebr. est, *ei*, scilicet lapidi primario, v. g. culminis: *ei*, id est, in eo, q. d. In lapide culminis Deus exæquabit gratiam consummationis templi gratiæ inchoationis eiusdem, siye faciet ut lapis summus apte respondeat imo, puta culmen fundamento: quia efficiet ut tantus sit decor, concinnitas, firmitas et gratia culminis, quanta est fundamenti. Porro hic lapis uterque positus fuit a Zorobabel: unde eum representat, q. d. Zorobabel tanta gratia ponet lapidem culminis in templo, quanta gratia posuit lapidem primum in fundamento, hoc est, tanta gratia perficiet templum, quanta illud inchoavit. Addit Quarto S. Hieron. Haymo et Rupert. q. d. Gratia et beneficia quæ Deus præstabit Zorobabeli et Iudæis Babylone redeuntibus, æquabit gratiam et beneficia quæ Deus præstitit olim patribus eorum tempore Davidis, Salomonis, etc. Denique plenus erit sensus si hebr. *tesciuot* in utraque significatione accipias, et primam expositionem iungas secundæ, q. d. Posito ultimo lapide in culmine templi, coque perfecto gratulabuntur omnes, ac cum plausu et iubilo acclamabunt dicentes: Gratia et felicitas perfecti templi ex æquo respondet gratiæ et felicitati quæ acceptum est: ita a Castro.

Allegor. Deus æquavit gratiam Christi gratiæ Mosis, imo illa hanc longe transcendit: Christus enim implevit omnes legis figuras, omnesque Prophetarum prophetias. Nam *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, ait S. Ioan. e. 1. 17. unde immediate ante ad hæc verba Zachariæ alludens, præmisit: *De plenitudine eius (Christi) nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Quod varie varii exponunt, et congrue omnes. Primo, q. d. Legem Evangelicam Christi accepimus pro lege veteri Mosis: utraque enim fuit gratia, quia gratis data: ita S. Cyrill. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Iansen. Ribera in e. 1. S. Ioannis. Secundo, q. d. Gratiam vitæ æternæ, id est, gloriam accepimus pro gratia vitæ: ita S. August. ibidem. Tertio, q. d. Pro gratia Christi nos vicariam et similem gratia accepimus, siye, in Christi gratia quasi in capite, nos omnes quasi membra sumus gratiam consecuti, et per eum grati effecti Deo: ita S. Chrysost. Cyrill. Theophyl. Zacharias Chrysopol. et Toletus ibidem. Aut nervosius Græcum *αρι*, id est, *pro*, exponendo per *propter*, uti sæpe exponitur, q. d. Propter gratiam Christi quasi fontem et originem (utpote causam meritoriam) nos omnes gratiam accepimus, puta gratiam propriam per et propter gratiam Christi. Hic sensus videtur genuinus, explicat enim id quod præcessit: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, scilicet gratiam ex gratia. Quarto, *gratiam pro gratia*, hoc est, hic unam gratiam, alius pro illa aliam accipit, q. d. Omnes quidem a Christo accepimus gratiam, sed hic suam, alius aliam, nimirum quisque congruam suo muneri et vocationi. Qui enim vocatus est a Deo ad Apostolatam, accipit gratiam apostolatam congruam: qui ad doctoratum, accipit gratiam, docendi: qui ad martyrium, patendi: qui ad ollicium Marthæ, agendi: qui ad Magdalenæ, contemplandi, etc.

MANUS ZOROBABEL. ) Hinc patet ad litteram loqui Prophetam non de fabrica Ecclesie, quam ædificabit Christus, sed de fabrica templi. Sensus enim planus quem verba poseunt, est hic: Sicut Zorobabel prima templi fundamenta iecit sub Cyro 1. Esdræ 3. 8. aut certe eadem restauravit et perfecit anno secundo Darii Hystaspis, uti dixit Aggeus e. 1. 12. et Esdras l. 1. e. 9. ita ipse fabricam complebit, et templum ad culmen perducet, tumque scietis, o Iudæi, me Zachariam, qui hæc prædico, verum fuisse Prophetam a Deo missum: quia tunc videbitis re-

3.  
gentium.

Allegor.

C

D

Vers. 9.

ipsa mea hæc oracula et promissa adimpleri: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. Arias, Vatabl. et alii passim.

Allegor. q. d. uti Zorobabel per se Dei domum cœpit et perfecit, ita ipse per Christum ex se nasciturum ædificabit Ecclesiam, eamque per Apostolos aliosque sequaces, ac præsertim per Eliam et Henoch in fine mundi omnino perficiet et consummabit.

Tropolog. manus, id est, opera et exempla principum, fundant reip. statum, non os, id est, edicta et minæ. Nam *vita principis censura est, eoque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur*, ait Plinius in Panegy. ad Traianum Imperator. Et Ovid. l. 6. Pastor.

*Sic agitur censura, et sic exempla parantur,*

*Cum index alios quod monet, ipse facit.*

Memorable est documentum S. August. ep. 64. ad Aurelium Episc. inolita populi vicia magis exemplo, quam severa castigatione esse tollenda. *Comessationes et ebriitates, ait, ita concessæ et licitæ putantur, ut in honorem etiam B. Martyrum non solum per dies solemnes (quod ipsum quis non legendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit) sed etiam quotidie celebrentur.* Et post pauca: *Non ergo asperere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, sed magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem excreta est in peccato paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat; de Scripturis comminatio vindictam futuram: ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Itaque prius movebuntur spirituales, aut spiritualibus proximi, quorum auctoritate et lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, extera multitudo, frangatur.* Hac de causa cœpit Iesus facere, deinde docere. Nam ut ait S. Hier. epist. 16. ad Principiam: *Erubescit quamvis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia. Frustra eius lingua prædicat paupertatem, et docet eleemosynas, qui Crassi divitiis tumet: vili operatus pallio, pugnat contra tineas vestium sericarum.*

Vers. 10.  
Dies par-  
vi qui?

**QUIS ENIM DESPEXIT DIES PARVOS?**) Nulli dies naturales sunt parvi: omnes enim sunt æque magni, puta 24. horarum. Dicuntur tamen alii magni, alii parvi metonymice: Magni, in quibus magna geruntur, vel contingunt: parvi, in quibus parva. Sic Osee cap. 1. v. 11. *magnum diem Iezrahel* vocat diem incarnationis et redemptionis Christi, quo ipse collecturus erat Iezrahel, id est, semen Dei, puta populum fidelem tam ex Gentibus, quam ex Iudæis in suam Ecclesiam. Vide ibi dicta. Ex adverso dies quibus cœperunt iaci templi fundamenta, hoc loco vocantur *parvi*, ob exilia templi initia, quæ tam tenuia erant, ut qui viderant magnificentiam templi Salomonici flerent, quasi desperantes templum illud posse restaurari, et ad culmen pristinamque magnificentiam perducere. Id patet ex Aggæo. qui cœvus et adiutor fuit Zachariæ in urgenda templi fabrica, ac proinde eiusdem est interpret. et, ut ita dicam, paraphrastes. Aggæus enim e. 2. 4. *Quis, inquit, in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima, et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Quocirca eos consolans et animans promittit vers. 10. dicens: *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.* Id Secundo, patet ex textu Hebræo, qui ad verbum habet: *Quis sprevit diem קטנות ketannot, id est, parvarum, hoc est, parvorum, scilicet initiorum et fundamentorum templi: Hebræi enim utuntur genere feminino pro neutro quo earent. Mariana, quis sprevit dies parvarum acclamationum fundamentis templi? Arias, quis despexit diem parvitatatis? alii, exiguitatis; Pagnin, quis despexit diem parvarum consolationum? Clare Chald. quis est iste qui contempsit diem hanc, eo quod ædificium sit exiguum? Nonne convertetur et lætabitur quando viderit lapidem perpendiculari (ad dimetiendam, prosequendam et perficiendam fabricam) in manu Zorobabel? Dies ergo hi parvi vocantur tum ob parva templi initia; tum parvi, id est, exigui momenti, viles et despecti præ diebus magnis et magnifi-*

Resp.  
1.

**A** cis, quibus Salomon ædificavit templum prius. Unde Arabieus vertit, *quis est qui deridebit te (o Zorobabel) in diebus tuis.*

Secundo, *dies parvi* accipi possunt pauci: nam paucio tempore perfectum est hoc posterius templum. Cœpit enim fabricari anno secundo Darii, et perfectum est anno sexto eiusdem. Unde Rupert. sic explicat: *Quis despiciat parvum hoc tempus? imo vero quis tantam velocitatem tam exigui temporis, quo consummatum est templum, non accipiat pro argumento et experimento quod Dominus miserit me ad vos, quodque ipse huius velocitatis, æque ac fabricæ sit auctor et consummator?* Sic Iacob interrogatus a Pharaone, quot esset annorum; respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum, parvi et mali, id est, pauci et miseri, Genes. 47. 9.*

Tertio, Theodor. sic explicat, q. d. Ego despexi Ierusalem in multos dies, et ad 70. annos vastitatis et captivitatis eam condemnavi: pari modo mihi nunc perfacile est paucis diebus eam restaurare, et ad pristinam gloriam reducere.

Quarto, Ribera per *dies parvos* accipit regnum Antichristi: ille enim regnabit et opprimet Ecclesiam per dies paucos, puta per tres annos cum dimidio, ut sensus sit, q. d. Tempore Antichristi fideles videntes eum pessumdare Ecclesiam, ac Iudæos illum recipere pro Messia, putabunt esse actum de eorum salute. Videbunt enim Deum qui magna pro iis quondam operatus est, iam parva pro iis operari, eosque quasi negligere et despiciere. Verum hic sensus non est literalis, sed mysticus.

Alleg. *dies parvi* vocantur dies pauci et humiles Christi, inquit Emmanuel. Sicut enim Zorobabel a parvis fundamentis inchoavit fabricam templi, ita et Christus fabricam Ecclesiæ. Natus est enim parvulus in stabulo ex paupere matre. Quis eum videns non despexit? Quis credidit quod parvulus ille cresceret in tantam Ecclesiam, quæ totum complecteretur orbem? Rursum parvus fuit, id est, abiectus: quia fabrilem exercuit, latuitque usque ad annum trigesimum; tunc vero per paucos dies, puta per tres annos, prædicavit, et paucos eosque rudes habuit discipulos et Apostolos. Unde despiciant eum Iudæi et Scribæ, dicentes Marci 6. 5. *Numquid hic est Iaber, Filius Mariæ, frater Iacobi*, etc. Hiuc Isaias de eo dicit e. 53. 2. *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi.* Porro hosce dies parvos, eorumque magna incrementa ostendit rursus in fine mundi, quando per Eliam et Henoch, qui diebus 1260. dumtaxat, ut patet Apoc. 11. v. 3. hoc est, tres annos cum dimidio prædicabunt, Iudæos convertet, et debellabit Antichristum cum suis asseclis, ultimamque Ecclesiæ suæ manum et culmen imponet.

Moraliter, disce hic a Zorobabele, et magis a Christo, res magnas a parvis initiis exordium capere, Deumque magna a parvis ordiri, ut ostendat suam potentiam et magnificentiam, iuxta illud Iob 8. 6. *Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ in tantum, ut, si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.* Ita Dominus benedixit novissimis Iob magis quam principio eius, et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille iuga boum, et mille asinæ, Iob 42. 12. Vidit id per umbram Plinius lib. 45. c. 14. dum ait: *Nihil tam parvum est, quod non gloriam et utilitatem parere possit.* Et Poeta:

*Vilior haud pars est alci, nec dignior ungue;*

*Ergo etiam parvis gratia magna datur.*

Pittacus, unus e septem sapientibus, cum ei Mitylenæi multa millia iugerum agri muveri darent: *Nolite (rogo vos) ait, mihi dare, quod multi invidcant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius, quam centum iugera, quæ et meam animi æquitatem, et vestram voluntatem indicent. Nam parva munera, divina locupletia, non propria esse consueverunt.* Ita Æmilius Probus de Viris illustr. in Thrasybulo.

Scrpsit de Tripliei minimo opusculum Iordanes Bru-

11.

111.

11V.

C

D

nus, ubi lib. 1. c. 2. mathematice demonstrat minimum esse tum numerorum, tum magnitudinum, tum elementorum corporumque omnium basim et substantiam: atque hæc de minimo dat paradoxa, imo axiomata: *Minimum substantia rerum est, quia maxima quæque ex minimo, in minimo, ad minimum sunt, per minimumque. Maximum non est aliud, quam minimum iteratum et multiplicatum, uti numerus non est aliud, quam unitas multiplicata. Tolle ergo unquam minimum, ubique nihil erit. Ex monade incipit omnis numerus crescitque, et in monadem desinit. Aufer undique monadem, nusquam erit numerus, nihil numerabile, nullus numerator. Sic ergo monas est essentia numeri, punctum lineæ, momentum temporis, atomus corporis et compositi. Nativitas est expansio monadis, et centri vita est consistentia sphaeræ; mors est contractio in centrum. Ex minimo incipit et crescit omnis magnitudo, eademque rursus in minimum extenuatur et desinit.* Qui ergo ad magna contendit, a parvis incipiat. Praelare S. August. ser. 10. de verbis Domini: *Magnus, ait, esse vis? a minimo incipe. Cogitatus magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantum quisque vult et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit maius ædificium, tanto altius fudit fundamentum.*

Hæc facit insigne documentum P. Cornelii Vishavæi vtri religiosi, quod ex diario P. Ledesmæ recuset noster P. Sacchinus tom. 2. histor. Societ. lib. 3. anno Domini 1559. n. 56. *Ad sanctæ humilitatis commendationem, inquit, dicebat gaudere Deum res ex nihilo facere, quod is modus infinitæ eius virtutis proprius sit, et clarius eam prodal. Ut igitur hanc rerum universitatem et pulcherrimam speciem ex nihilo procreavit, ita in animis hominum mundum ornatumque virtutum ex nihilo, id est ex humilitate, qua suum quisque nihilum proficitur, efficere: Superbos infinitis tentationibus subiaccere, quod id Deus permittat, ut diffidere sibi discant. Perinde enim Deum facere, atque magnanimus rex, qui quamdiu fidentem sibi hostem videt, oppugnare non cessat: prostrato vero, eadentique ac manus danti elementer ignoscit.* Vis ergo esse magnus? parvus esto. Postulas aliquid a Deo? eorum te annihilat. Ita B. Teresia: *Receptura, inquit, a Deo gratiam aliquam singularem, soleo prius annihilari, puta in meum nihilum deduci, ut videar mihi nihil esse, nihil posse, ut refert P. Francisc. Ribera in eius Vita.*

Huius rei illustre exemplum et speculum dedit S. Franciscus, qui abiectus et humilis tantum fecit, imo tot tantisque fundavit Ordines virorum et feminarum, ut omnes alios numero longe superent. Unde ipsius hæc erat simplex oratio: *Domine custodi tuum donum in me, quia ego eius sum latro, dum tibi eius gloriam suffuror, eamque mihi adseribo:* ita S. Bonavent. in eius Vita. Sic Deus Iosephum ex carcere evexit ad principatum Ægypti; Gedeonem ex area evocavit ad ducatum Israelis; Davidem ab ovibus, Saullem ab asinis elevavit ad regnum. Sic a piscatione et retibus S. Petrum, Iacobum, Ioannem, etc. vocavit ad apostolatam. Plura exempla eorum qui ab imo ad summum imperii culmen proveci sunt, recensui Genes. 38. in fine capituli. Qui ergo doctrinæ, concionum, laborum suorum exilia videt principia, paucos auditores, tenuem fructum, ne cadat animo; nam

*Debile principium melior fortuna sequetur.*

imo ex hoc coniciat, magnam quandoque se collecturum messem, si in opere constet et perseveret. Hic enim est mos Dei, ut per humilia nos ducat ad excelsa. Id quisque in se experitur. Narrant Annales Hispaniæ, et ex iis Ambros. Morales lib. 9. c. 7. et noster Ribadeneira in vita S. Iacobi, eum in Hispania novem tantum incolas convertisse ad Christum: qua de causa eum doleret, sequo orationi daret Cæsaraugustæ, apparuit ei B. Virgo columnæ insistens (quæ adhuc vivebat, sed in Oriente) choro angelorum suavissimè canentium stipata, consolans eum dicensque: *Hoc in loco ædificabis ecclesiam, eamque meo nomine insignies: quia hæc Hispaniæ pars mihi erit devotissima, et ex nunc eam in meam protectionem recipio.*

A Paruit Apostolus et ædificavit sacellam, quod etiamnum S. Maria in columna nuncupatur: atque exinde per novem hosce eius discipulos secenta est totius Hispaniæ conversio, illeque religionis flos, decor et robor, ut iure reges Hispaniæ Catholici cognominentur.

Denique hæc de causa Deus eximios viros quos ad magna destinabat, corpore parvos formavit, ut ea parvitate eos semper humilitatis admoneret. S. Chrysost. *fuit corpore specie et statura parva, caput grande humeri sustentabant, tenuissimus ipse ac macie summa confectus, pallidissima facie, cavis luminibus atque introrsam recedentibus: ceteris corporis et oris lineamentis mustum quid præfererat, cum extenuata, sed lata et magna esset fronte, rugis undique sulcata, magnis auribus, mento pusillo. Vixit annos 63. in episcopatu sex:* ita ex Menæis Græcorum noster Raderns in Viridario Sanctorum die 30. Januarii. Ibidem ex iisdem de S. Nazianzeno sic scribit: *Gregorius ille Theologus statura mediocri erat, grataque magis brevitate, subpallidus, naso simo, rectis superciliis, vultu placido et modesto, oculorum altero, dextro, inquam, tristiori, quem et cicatrix in hirquo contraherat, decenti capitis calvitie. De quo hoc iure dici potest: Si statua figura humana efformanda esset ex omnibus ære singulis virtutibus conflata, talem in hoc eximio Gregorio effulsisse, qui vitæ splendore laudatissimum quemque superaret. Viri ultra*

*annum octogesimum, in episcopatu duodenos.* S. Paulus uti nomine, ita re fuit parvus: *Triubitalis est,* inquit S. Chrys. *et exors transcendit.* S. Hieronymum parvo fuisse corpore scribit noster Ribadeneira in eius vita: atque hinc forte illi tanta mentis acredo. S. Constantius Mansionarius ex parvitate corporis documentum sumpsit humilitatis, et virtutis adeo illustris, ut et miracula patraret, atque aqua quasi oleo ardentem in ecclesia lucernam aleret, uti narrat S. Gregor. l. 1. Dialog. c. 5. S. Antoninus Archiepisc. Florent. adeo pusillus fuit, ut cum ei nomen esset Antonius, diminutive vocatus sit Antoninus; is tamen monstrum fuit memoriæ æque ac doctrinæ et sanctitatis. Cum enim tredecim tantum esset annorum, totum Ius Canonicum memoriter calluit. S. Cæcilia et S. Agnes parvæ extiterunt, ut ex reliquiis et ossibus earum parvis nuper repertis, liquido se cognovisse mihi asseruerunt viri graves, iique testes oculati. At quantum in iis fuit animus, quanta virtus!

Symbolice, S. Hieron. quem sequuntur Remig. Haymo et Dionys. sic exponit: *Quis, inquit, idem est quod rarus, q. d. Rarus est qui dies parvos huius sæculi despiciat, et regiam potestatem putet esse nihili. Quando viderimus potentis sæculi fulgere auro, purpura gemmisque rutilare, circumdari exercitu, dicamus in nobis: Quis putas despiciat dies parvos? Qui ergo despexerint dies parvos, ex eo quod despiciunt regale fastigium, letabuntur et videbunt auxilium Salvatoris, qui de Zorobabel stirpe promittitur, et propter fortitudinem lapis appellatur. Hoc autem refert ad regiam potestatem, ut commemorat Zorobabel, et Iesum, et populum Dei, nequaquam adversarios timere prohibentes, sed aulire Dominum cohortantem, q. d. Ne limeas, o Zorobabel, Samaritas, Sanaballat, ipsosque monarchas Persarum, qui fabricam templi prohibere possunt, vel etiam volunt. Nam omnes parvi sunt et infirmi, ac parvo tempore regnant, si eum Deo omnipotente et æterno comparentur. Sic ait Psaltes psalm. 48. 18. Ne timearis cum dives factus fuerit homo, et eum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet eum eo gloria eius. Et ps. 36. 35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat: quæsi eum, et non est inventus locus eius. Et Iob 23. 24. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, etc. et sicut summitates spicarum conterentur.*

ET LETABUNTUR. ) q. d. Nolite, o Iudæi, despiciere dies parvos, quibus parva iaciuntur templi fundamenta: mox enim letabimini, cum videbitis lapidem stanneum in manu Zorobabel, quo ad perpendicularum iis inædificabit parietes, eaque in magnam fabricam extendet, cui tandem culmen imponet: ita Chald. et alii.

Lapis stanneus quis?

**LAPIDEM STANNEUM.** ) Chald. *lapidem perpendiculari*: solet enim lapis e stanno, vel plumbo, ob pondus et gravitatem alligari perpendiculari, ut eius funiculum recte distendat ad mensurandas areas aedificii, ut uterque eius paries utrinque aequè distet a centro terræ; ne si unus magis ad illud inclinaret, eo ruat, alterumque secum in ruinam trahat, uti dixi c. 1. 16. Sensus ergo est, q. d. Magna erit lætitia cum Zorobabel ad perpendicularum aedificabit et consummabit templum; iuxta illud quod dixit c. 1. v. 16. *Et perpendicularum extendetur super Ierusalem.* Hoc autem propediem fiet, quia perpendicularum in manu habet Zorobabel, quasi iam paratus progredi in fabrica, eamque dimetiri, ut iuxta dimensum illico parietes erigat: pro *stanneum*, hebr. est **בדיל** *bedil*, id est, separationis, per quem Arias accipit lapidem separatim et eximium, qui poni solet in culmine. Verum Septuag. Chald. Noster, Vatabl. Pagnin. et alii, vertunt *lapidem stanneum*. vel *lapidem perpendiculari*: stannum enim dicitur hebr. *bedil*, eo quod in fornace vi ignis separaretur, et primo fluat de argento, uti mox dicam ex Plinio.

Allegor. est Christus.

**I.** Allegorice, lapis stanneus est Christus, inquit S. Hieron. qui est in manu, id est potestate, Zorobabel, quia eius filius et ex eo prognatus, idque Primo, *eo quod sit murus*, inquit S. Hier. *et fortitudo roburque credentium. Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit, et cum sit natura æs ferrumque durissimum, si absque stanno fuerit, uritur et feremat: sic omnis angelorum et hominum fortitudo, si non habuerit auxilium Salvatoris, imbecilla probatur et fragilis.* Secundo, *lapis iste בדיל habbedil scribitur, id est, stanneus, id est, separans et secernens* (radix enim **בדל** *badal*, significat separare et secernere) *ut quomodo stannum mista et adulterata inter se, per ignem metalla dissociat; ita Dominus verus probator et arguentum.* Aliis verbis *αργυροειδης iste et separator in Evangelio scribitur: Cuius ventilabrum in manu eius, et ipse purgabit arcam, et separabit paleas a tritico*, Lucæ 3. Huc usque S. Hieron. Ita separabit Christus iustos et electos a reprobis, quasi oves ab hædis in die iudicii, Matth. 25. Ita tropologicè, Deus suis fidelibus in igne tribulationis quasi stannum se admisceat, ne ab igne exurantur, sed tantum purgentur, dicantque cum S. Iob e. 23. 10. *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Et cum Psalte: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

**III.** Tertio, Arias et Ribera: Christus, inquit, est lapis stanneus, quia reiectus et reprobatus a Iudæis, uti stannum secernitur ab argento; sed a Deo factus est in caput anguli. Verum lapis hic stanneus non est fundamentalis, nec pars fabricæ, sed eius perpendicularum et norma.

**IV.** Quarto ergo aptius, lapis hic in manu Zorobabelis, id est Christi, est eius lex, Evangelium et doctrina, quam verbo, et magis vita expressit. Hæc enim est perpendicularum, regula et norma omnis virtutis et perfectionis: unde iuxta eam fabricam sanetitatis in anima exædificare debemus, et quo magis ad eam accedimus, eo fabrica erit perfectior; quantum vero ab ea recedimus, tantum a sanctitate elongamur.

V. Stanni tres proprietates.

**V.** Quinto, tres stanni analogias affert Nicetas in orat. 44. Nazianzeni. Prima est: *Dicunt, inquit, stannum ex ære et plumbo commistum ac temperatum esse: qua de causa nec duritiei omnino est expers, nec rursus mollitiem omnem respuit. Simili modo Emmanuel ex firmissima et infrangibili divinitate, atque ex molli, et ut ita dicam, affectibus obnoxia humanitate compositus est.* Secunda, *stannum sive plumbum ad purgationem alterius materiæ, quæ igne indiget, necessario assumitur, ac præsertim ab iis, qui ex argento opus aliquod efficiunt. Stanno itaque sive plumbo assimilatur Christus, utpote sordes spirituales colligefaciens ac purgans.* Hoc de plumbo verum esse, non de stanno, plures præstantes aurifices Romæ a me hac de re consulti asseverarunt: plumbo enim expurgari aurum et argentum, non stanno, imo, si quid adsit stanni, perdifficili-

lem esse expurgationem. Tertia, *stannum res inter se distractas connectit, utpote quod glutinandi vim habet. Tale autem quiddam in nobis Christus præstitit: siquidem illud verbum est, quod in unum hominem duos populos creat, et quasi conflat.* Duas hæc priores analogias pene ad verbum habet hic Cyrillus, ex quo eas sumpsit Nicetas. Addit Cyrillus, Adamantem, inquit, quem nulla materia potest vincere, frangit plumbum: sic Christus summe potens et bonus satanam tamquam adamantem frangit, de quo scriptum est: *Cuius cor πικρυς instar lapidis*: ita ipse. Verum aurifices et conflatores constanter negant plumbo frangi adamantem. Ubi advertit, Cyrillum et Nicetam stannum et plumbum pro eiusdem naturæ et conditionis metallo sumere; stannum enim videtur esse plumbum nobilius, plumbum vero videtur esse stannum deterius, unde etiamnum qui vendunt lanceas stanneas, subinde eas plumbo adulterant, et plumbeas vendunt pro stanneis. Porro ex hisce stanni conditionibus discant Zorobabeles, id est, principes, iudices, syndici et visitatores, quales esse debeant. Quibus adde quod scribit Plinius l. 34. c. 17. *Stannum, ait, illitum æneis vasis saporem gratiorem facit, et compescit æruginis virus, mirumque pondus non auget*; atque hæc ob causas pleræque gentes prandent et cenant in laneibus et vasis stanneis. Ita princeps suis sit stanneus, id est, sapidus et gratus, ut virus scelerum amoveat, et onera tributorum non augeat, nec fiscum ex damnatorum opibus locupletare satagat.

**B** Symbolicè, Q. Iulius Hilarion in Chronologia, quæ extat tom. 3. Biblioth. SS. Patrum, docet globum illum, qui in manu Imperatorum pingitur cum cruce eidem infixæ, quo significatur orbis dominium, adumbratum fuisse hoc *stanneo lapide, quem Zorobabel dux populi Israel manu circumferbat*, hoc est, inquit Hilarion, *populum*, quasi globus hic populum orbis conglobatum sub uno imperatore representet. Verum hic lapis stanneus non tam fuit globus, quam perpendicularum, uti iam dixi.

**C** Anagog. Rupert. lapis stanneus, inquit, est humanitas Christi, quæ ante passionem a Iudæis instar stanni despecta fuit et abiecta, sed post eam per resurrectionem facta est argentea, imo aurea, hoc est, augusta et gloriosa. Huic significationi favet quod scribit Plinius libr. 34. c. 16. sæpe ex eadem vena prodire primo stannum, deinde argentum, tertio plumbum. *Eius, inquit, qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur: qui secundus, argentum: quod remansit in fornacibus, galena, quæ portio est tertia addita venæ. Hæc rursus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus.*

**SEPTEM ISTI OCULI.** ) Quæres, quinam, et ubi sunt hi **vers. 10.** oculi? Ribera et alii nonnulli censent eos fuisse in lapide **Septem oculi,** stanneo, de quo immediate præcessit. Similiter enim c. 3. **oculi,** v. 9. Propheta vidit oculos in lapide coram Iesu, uti hic **qui et ubi.** eos vidit in lapide, quem manu tenebat Zorobabel. Unde quis suspicari posset lapidem stanneum non fuisse plumbetum, vel stannetum perpendiculari ad dimetiendam fabricam: nec enim in eo utpote exiguo collocari poterant septem oculi, sed fuisse lapidem illustrem et fulgidum, cui insculperetur titulus, auctor, annus, dies et mensis consummatae fabricæ ( ut in nonnullis palatiis laminis plumbeis vel stanneis ea et similia incisa videmus ) ideoque hebraice vocari **בדיל** *bedil*, id est, separatim a reliquis, quasi eximium, uti censuit Arias. Aut certe dicere quis posset, oculos hos fuisse in lapide non stanneo, sed primario, de quo v. 7. quia ipsi discurrunt undique, ut eurent Ecclesiam in hoc lapide solidari et crescere. Attamen verius videtur hos oculos fuisse in candelabro, nimirum fuisse septem ealainorum candelabri orificia in culmine eorum extantia, quæ oculorum speciem habebant, quæque per septem lucernas lucentes sibi insistentes et velut inoculatas, quasi oculi videre, resque vicinas illuminare et visibiles facere videbantur. Probatur id Primo, quia visio tota huius capitis est de candelabro, eiusque partibus; ergo oculi hi sunt candelabri, non lapidis, præsertim quia lapidem nullum hic vidit Zacharias, sed tantum promitti eum audivit, quod nimirum futurus esset in manu Zoro-

Erant orificia candelabri.

babel, quando ipse fabricam templi erat instauraturus.

Secundo, quia lucernas et infusoria, imo et candelabrum haec non explicavit angelus. Hic ergo ea explicat, dicens, ea esse septem oculos, qui discurrunt per universam terram; ac consequenter hoc ipso simul explicat ipsum candelabrum, nimirum ipsum representare Deum et Christum, puta providentiam divinam omnia circumlustrantem, dirigentem et gubernantem, quae provisura erat et curatura fabricam templi per septem haec lucernas lucidas ut oculos, id est, angelos. Unde Syrus et Arabiens vertunt, *isti sunt septem oculi Domini, qui intuentur universam terram.*

Tertio, quia Zacharias quasi iam intelligens mysterium candelabri et lucernarum, subiungit petitque de olivis, quae solae in eo explicandae supererant, dicens: *Quid sunt duae olivae ad dexteram candelabri, et ad sinistram eius?* q. d. iam ex te audiavi quid significant lucernae, et consequenter ipsum candelabrum, restat ut explices quid portendant binae olivae, utrinque ad candelabrum positae.

Quarto, quia in hisce verbis, *Septem isti oculi*, etc. incipit nova periodus: ergo isti oculi non sunt lapidis, de quo multo ante actum est v. 7. sed candelabri, cuius idea toto cap. describitur. Unde pronomen *isti* videtur demonstrare oculos, qui erant in infusoriis, puta in summis orificiis calamorum et lucernis. Hos enim, non alios, videbat, et demonstrare poterat Zacharias.

Quinto, quia hinc alludens S. Ioannes, vidit septem angelos primarios representari primo per septem lampades, Apoc. 4. 5. *Septem lampades*, inquit, *ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Deinde per septem Agni oculos, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram, Apoc. 5. 6. Utrumque enim hoc symbolum videtur S. Ioannes accepisse a Zacharia hoc loco, et c. 3. 9. Nec enim alius Propheta horum meminit. Rursum Apoc. 1. 16. dicitur quod Christus, in dextera sua habebat stellas septem, quas explicans vers. 20. *Septem stellae*. ait. *angeli sunt septem Ecclesiarum.* Sicut ergo angeli ibidem stellis, ita hic lucernis, quasi oculis comparantur: stellae enim sunt quasi lucernae et oculi caeli.

Quid septem oculi significavit?

Quaeres secundo: Quid hi septem oculi, id est, lucernae, significant? Resp. significant septem angelos primarios, qui sunt administri et executores divinae providentiae, cuius symbolum est candelabrum, quod circumstant et ingiter intuentur. Hinc vocantur oculi utpote pervigiles, ut dixi c. 3. 9. et lucernae, sive lampades; tum quia lumen, id est scientiam suam, vigilantiam et perspicaciam a lampade, id est, a Deo et Christo hauriunt: tum quia Ecclesiam et fideles lumine divinae cognitionis illuminant, et amore caelesti inflamment: hac de causa *discurrunt in universam terram*, hi septem oculi, id est, hi septem angeli per septem oculos significati. Vide dicta Apoc. 4. 5. *Oculus enim iustitiae est servator, et custos corporis*, ait Diodorus libr. 3. histor. Unde leo qui est rex animalium oculis semper excubat. Unde cum dormit, eos non elaudit, sed apertos tenet. Hinc S. Epiphanius, in Physiolog. agens de catulo leonis: *Cum dormit*, inquit, *evigilant eius oculi, ita ut venatorem a septem stadiis praesentiunt.* Ex significatione horum septem oculorum, id est, lucernarum, discimus, quid significet ipsum candelabrum, nimirum Deum, Deique omniscientiam, et providentiam. Ab ea enim sola lumen suum hauriunt septem lucernae, id est, angeli. Cum ergo ex Zacharia constet lucernas esse angelos, consequenter constat lampadem esse Deum, Deique providentiam: illius enim administri sunt angeli, qui proinde ab eo missi discurrunt in universam terram, ut ait Zacharias. Quocirca S. Bernardus, in lament. B. Virginis Mariae loquens de Deo Deique Filio: *O*, inquit, *immarchescibilis decor Dei excelsi, et purissima claritas lucis aeternae; vita omnem vitam vivificans; lux omne lumen illuminans, et conservans in aeterno splendore. Mille millena lumina fulgurantia ante thronum divinitatis lux a primo dilueto.* Quia enim *Deus noster ignis consumens est*, uti ex Mose ait Apostolus. Hebr. 12. 29. ipse enim est ignea et ardentissima charitas, de qua Cant. 8. 6. *Fortis est sicut*

*A mors dilectio, dura sicut infernus emulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum;* hinc iure ei praeferruntur lampades, ignis, fulgura et stellae, quae angelorum Deo astantium et ministrantium sunt symbola, iuxta illud psal. 103. 4. et Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Haec enim omnia ignis increati et immensi, puta divinitatis, sunt scintillae et indices. Quocirca Sacrosanctae Eucharistiae, quasi Deo, faeces et tade praeferruntur, atque ante hierothecas eius ingiter ardent lampades. Damnavit et risit olim Vigilantius haeresiarcha lampades per diem in Ecclesia accendi solitas; in quem iure S. Hieron. lib. contra Vigilant. *Tu*, inquit, *vigilans dormis, et dormiens scribis, et proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ a similibus tui legitur, ubi scriptum est, quod post mortem nullus pro aliis audeat deprecari, quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit?* Hinc rursus de stellis (quos ignes animatos esse anima intelligentiarum, sive angelorum olim censuerunt Philosophi) quasi Deo summo praelucens ita canit Poeta:

*Vos aeterni ignes, et non violabile numen Testor.*

Et de fulguribus quasi Dei praenunciis, ita scribit Iob 38. 35. *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus?* Denique de quatuor Cherubinis stipulatoribus currus divini, ait Ezechiel c. 1. 14. *Ibant et revertentur in similitudinem fulguris coruscantis.* Hac de causa olim regibus, qui sunt dii quidam terrestres, praesertim apud Persas, Aethiopes, Chaldaeos et Assyrios, lampades, vel faeces praelucebant, ut ostendi Ieremiae 1. 43. Sic de Iulio Caesare Sveton. in eius vita c. 37. ait: *Ascenditque Capitolium ad lumina, quadrangula elephantis dextra atque sinistra lychnos gestantibus.* Et Herodianus l. 1. de Martia: *Præter ignem*, ait, *omnes honores velut Augustae ei tribuerunt.* Et de Heliogabalo: *Discurrente etiam cum facibus utrinque populo.* Et de Gordiano: *Ignis de more praeferebatur.* Et de Constantino Magno, Romae Christi fidem et legem publico edicto sanciente, ex Actis S. Silvestri, sic scribit Baron. anno Christi 324. *Revertente Augusto ad palatium tota civitas cereis lampadibusque repleta, coronata (vel, ut alii legunt, comitata) est.* Sic et cæteris Imperatoribus Romanis, et Constantinopolitanis olim praelatus est ignis. Quin et Patriarchas praebat lampadarii, qui in liturgiis et processionibus lampadem ante ipsos Ecclesiae principes gestabat. Notat Balsamon praefatas Imperatori faeces, corona aurata gemina fuisse insignitas; eum Imperatricis et Patriarchae lampades una tantum essent redimitae. Hic ritus demonstrabat reges fulgore dignitatis, sapientiae et providentiae conspicuos esse, eosque instar ignis omnia permeare, et vitalem spiritum suis popularibus impartiri: ita Nicol. Causinus libr. 1. Parallel. histor. c. 21. *Ignis enim est sapientia, in quo est splendor et calor: hoc accendit, illo illuminat.* Providentiae ergo symbolum est lampas et flamma: unde Poeta:

*Ne forte in tenebris offendas, sit tibi summi Flamma iter ostendens, provida cura Dei.*

Hinc et vigilantia in emblematis pingitur quasi matrona, dextra tenens librum, sinistra virgam cum lucerna accensa: astat ei grus, altero pede elevato sustinens lapidem.

ET RESPONDI. ) q. d. Dietis angeli, quibus candelabrum eiusque oculos, id est lucernas, explicavit versibus praecedentibus, subieci aliam, non responsionem (nihil enim ex me quaesivit angelus) sed interrogationem, quid sibi vellent duae olivae utrinque candelabrum stipantes, hoc enim solum ex candelabro exponendum restabat. Sic respondere saepe alibi sumitur pro incipere loqui, et inchoare sermonem, ut Matth. 11. 25. *In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine caeli et terrae.* Porro duae olivae sunt duae spicae olivarum, de quibus v. 12.

ET RESPONDI, ( id est, interrogavi ) SECUNDO. ) Cum angelus taceret, et tardaret respondere ad questionem Zachariae, interrogantis: *Quid sunt duae olivae iste ad dexteram candelabri, et ad sinistram eius?* idque ad hoc, ut

Ignis Deo praefertur, cur?

Et regibus, cur?

Cur?

Vers 11.

Vers 12.

in ipso acueret desiderium interrogandi, et cognoscendi hæc symbola, Zacharias ea pernoscenti ex angeli silentio avidior effectus, interrogationem iterat, sed aliis verbis, aliaque periphrasi, quæ plenius rem interrogatam circumscribit et exprimit: *Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea?* quæ scilicet sunt ad dextram candelabri et ad sinistram eius, uti in priorie interrogatione dixit.

Spicæ sunt rami olivarum.

**DUÆ SPICÆ OLIVARUM.**) *Spicæ* vocat arbores, vel, ut Septuag. Syrus et Arabicus, ramos, qui pleni erant olivis, sicut spicæ plenæ sunt gravis: olivæ enim parvæ, quales habemus Romæ, sunt instar granorum; unde oleæ, præsertim nascentes, et graciles, videntur esse instar spicarum. Est catachresis, vel metaphora, inquit S. Hier. *quod in morem spicarum rectæ sint arbores, et quasi spicæ aristis, sic istæ vallo quodam ramorum atque foliorum tectæ sunt, et in sublime surgentes.* Sic et Vatablus, baccas olivarum, inquit, comparat granis, et ramum culmo. Hinc patet, has olivas non fuisse sculptas in candelabro, uti aliqui censent; sed fuisse arbores, vel ramos olivis plenos, consistentes iuxta candelabrum. Significant enim Iesum et Zorobabel, qui pariter assistunt dominatori terræ, ut eius iussa circa templi fabricam exequantur, uti explicat angelus.

Duo rostra quæ? I. Explicatio.

**QUÆ SUNT IUXTA DUO ROSTRA.**) Ita et Syrus, et Arabicus. Quæres, quamnam hæc rostra? Primo, Ribera censet duo rostra fuisse duos uncas, ex quibus suspenderentur infusoria, id est, vasa quibus oleum infunderetur in lucernas, et significare duas naturas Christi, divinam et humanam, quæ virtute sua sustinent septem infusoria gratiæ, id est, septem Sacramenta, quibus omne suum oleum, id est, omnem iustificandi vim et vigorem, tribuunt. Verum hoc mysticum est, non litterale. Adde infusoria hæc non fuisse infundibula a candelabro separata, sed fuisse ipsos septem calamos candelabri concavos quibus insistebant totidem lucernæ, uti dixi v. 2.

II. Secundo, a Castro et alii censent hæc rostra fuisse fistulas aduncas, in quas ex olivis superne imminentibus distillaret oleum, ut per eas influeret in lampadem, et ex ea in lucernas, ad fovendum perenne earum lumen.

Probant id Primo, ex textu Hebræo, qui ad verbum sic habet: *Quid sunt duæ spicæ olivarum quæ sunt in manu duarum fistularum aurearum, evacuantium ex eis (olivis) aurum,* id est, oleum flavum ut aurum? ita R. Abraham, R. David, Pagnin. Vatabl. et Arias. Pro rostra hebr. est *צנתרות* *tsanterot* quod Arias Latina voce Hebrææ affini vertit *cantharos*; Vatabl. *ampullas*; Chald. *lecythos*: in his enim solet excipi oleum. Sic enim habet Chald. *quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt iuxta duos lecythos aureos, ex quibus effunditur oleum in lucernas aureas?* Et Septuag. *quid sunt duo rami olivarum, qui in manibus duarum narium aurearum, quæ infundunt et retrahunt suffusoria aurea?* Secundo, quia Hebr. *מריקים* *merikim*, id est, evacuantes aurum, id est oleum, cum sit masculinum, referendum est ad *שבבי* *scibbale*, id est, spicæ, non ad femininum *tsanterot*, id est rostra. Ex spicis ergo olivarum defluebat oleum in rostra, et ex iis evacuabatur in lampadem. Verum obstat: Primo, quod oleum ex olivis non distillat, nisi illæ tundantur, vel premantur in prælo: deinde oleum contusum vel pressum solet ex prælo in vasa transferri, ut in eis subsidente amurea purificetur, et sic tandem purificatum per infundibula in lampades infunditur. Hic autem nec præli, nec vasorum aliorum ulla fit mentio. Secundo, lampas hæc ex se plena erat oleo: non ergo accipiebat oleum ex olivis. Representat enim Deum, qui ex se omni scientia et gratia est plenus, quam non haurit ab angelis et hominibus, sed ipse omnibus eandem impertit.

III. Dico ergo hæc duo rostra fuisse duas summitates duorum calamorum candelabri, quibus duæ insistebant lucernæ, quarum una erat ad dexteram, altera ad sinistram candelabri. Unde Marinus et alii, Hebr. *tsanterot*, id est, *rostra*, vertunt *canales* vel *fistulas*, uti sunt calami. Hi calami vocantur rostra, quia erant adunci uti sunt rostra

avium. Septuag. vertunt *μαξωταρες*, id est, nares: quia erant instar naris sublimatorii sursum elatæ. Pyramis enim sublimatoria in qua distillatur aqua, v. g. rosacea, oleum, vinum, etc. quæ vulgo *lambico* vel *capello* vocatur, suam habet nares, id est canaliculum aduncum, per quam aqua distillata defluit in vas subiectum. Id ita esse patet ex eo, quod Zacharias hic idem dicit, quod paulo ante, sed aliis verbis, et alia periphrasi: loquitur enim de iisdem olivis duabus. Per duo ergo rostra significat duo latera, sive dextram et sinistram candelabri, uti paulo ante dixit: ibi enim consistebant hæc rostra et calami. Ex septem ergo calamis et rostris, duo tantum nominat sita ad dextram et sinistram candelabri, ut utramque per ea indicet, et per hoc significat situm duarum spicarum, sive olearum, nimirum earum unam fuisse positam a dextris candelabri, iuxta calamus eius dextrum, alteram a sinistris, iuxta calamus eius sinistrum. Porro hebr. est, *quæ sunt ביד* *betad*, id est, *in manu*, hoc est, ad manum, puta ad latus, *duorum rostrorum*. Quocirea clare et fideliter tam Chald. quam Noster vertunt, *quæ sunt iuxta duo rostra*. Non ergo hæc olivæ fuerunt insertæ rostris, ut in ea distillarent oleum, uti auctores secundæ expositionis imaginantur; sed fuerunt iuxta rostra, ita ut ad altitudinem rostrorum assurgerent. Sequitur:

**IN QUIBUS (ROSTRIS) SUNT SUFFUSORIA EX AURO.**) *Suffusoria*, sive infusoria, ut vocavit v. 2. erant fistulæ vel canales calamorum, per quas oleum ex lampade infuebat in lucernas, quæ erant in rostris. Quocirea infusoria hæc, sive fistulæ erant in rostris, quia rostris erant contiguæ, vel potius continuæ, opere tamen fabrilis in tornum ita elaboratæ, ut eis insertæ viderentur, uti in candelabris tornatis videmus ramum unum alteri ita connecti, ut ei insertus videatur; esto revera sæpe non sit insertus, sed malleatione deductus et continuus. Hebr. est *מריקים זהב* *merikim mealehem zahab*, id est, *evacuatoria ex eis* (rostris supple) *prodebant ex auro*. Unde Arabicus Alexandr. vertit, *progrediebantur extra velamen auri*.

**EVACUATORIA** vocat infusoria iam dicta, puta fistulas calamorum concavas, quæ evacuabant, et subegant oleum ex lampade, illudque in rostra et lucernas iisistentes transfundebant. Vox enim *merikim* accipi potest substantive, ut significet evacuatoria, puta infundibula, sive canales iam dictos. Recentiores vero *merikim* accipiunt adiective, vertuntque *evacuantes ex super se aurum*: Syrus, *fundentes aurum*, id est, oleum flavescens et aurescens: verum tunc *merikim* refertur non ad *scibbale*, id est, spicæ olivarum, quasi illæ distillarint oleum, quod ex eis haurerint et evacuaverint rostra, uti ipsi volunt, sed ad *tsanterot*, id est, rostra, quæ *ex supra se*, id est, ex lampade altiore subegant, et evacuabant oleum dandum lucernis, uti iam dixi: licet enim *tsanterot* sit femininum, *merikim* vero masculinum, tamen cum eo cohæret: quia Hebræis crebra est enallage generis, æque ac numeri, ut substantivo feminino attribuantur adiectivum masculinum, et vice versa, uti hic *tsanterot* femininum connectunt cum masculino *שבבי* *scene*, id est, duo: dicendum enim erat *שבבי* *scelte* feminine.

**NUMQUID NESCIS.**) Exigit angelus a Zacharia humilem confessionem ignorantie, ut ea mereatur et disponat se ad excipiendam Dei revelationem, et mysterii interpretationem. Humilitas enim, humilisque confessio et interrogatio est congrua via ad scientiam, præsertim divinam.

**ISTI SUNT DUO FILII OLEI.**) Addunt aliqui *splendoris*, id est, splendidi, sed *in splendoris* delent Biblia Romana. *Filii olei* iam *filii olei*, id est, uncti oleo, sive Christi Domini, significat Iesum filium Iosedee, qui unctus, id est, consecratus, erat pontifex; et Zorababel, qui unctus, id est, constitutus, erat princeps populi, q. d. Istæ duæ arbores vel rami pleni olivis ad exprimendum oleum, significant duos summos magistratus: puta principem et pontificem, hi enim solent ungi oleo sancto (etsi forte de facto hi duo non fuerint uncti, utpote creati in Babylone et exilio) nimirum Iesum et Zorobabel, qui quasi ministri assistunt Deo dominatori universæ terræ, quem representat hoc

Vers. 15.

Vers. 14. Fili olei duo sunt Iesus et Zorobabel.



candelabrum, ut eius decreta exequantur, eique candelabrarum antitypum, id est, templum, aedificent, ac populum in rebus tam divinis, quam politicis gubernent, iuxta illud psalm. 127. 3. *Filii tuorum sicut novellae olivarum in circuitu mense tuae.* Pari enim modo hic Iesus et Zorobabel quasi novellae olivae assistunt Deo, quasi parenti suo representato per candelabrum; tum ut eum honorent, eique ministrent: tam ut vicissim ab eo illuminentur et dirigantur: quo significatur quod Deus et Christus peculiari providentia regant duos hos magistratus, puta pontifices et reges sive principes: ita Hebraei, Theodor. Lyran. Vatabl. Clarius, Mariana et alii. Unde Chald. vertit, *Isti sunt duo filii principum*, ideoque principes. Iesus enim erat filius Iosedee summi pontificis: Zorobabel erat filius Salathiel, filii Iechoniae regis Iuda. Secundo, Aquila et Theodot. vertunt, *Isti sunt duo filii splendoris*, vel *claritatis*, id est, splendidi, clari et illustres tum genere, tum principatu, tum moribus et gestis: sic etiam potest accipi versio nostra. Nam filius olei accipi potest lux, quae ex oleo, quasi filius nascitur, lactatur et nutritur. Filii ergo olei, idem est quod lucidi, splendidi, celebres.

Tertio, Septuag. Syrus et Arabicus Antioch. vertunt, *Isti sunt duo filii pinguedinis*. In oleo enim est primo, nitor; secundo, lucis et ignis fomentum; tertio, pinguedo, q. d. Isti duo pingues et fertiles futuri sunt, ac multum fructum allaturi tum Ecclesiae, tum reipub. praesertim per fabricam templi, qua et Ecclesiae religionem et reipubl. maiestatem, atque ac iustum piunque regimen, tam sacrum, quam civile et politicum conciliabunt. Alludit Zacharias ad duos Cherubinos, quos ex ligno olivarum, quasi filios oleae et olei fabricavit Salomon, 3. Reg. 6. 31. Sicut enim illi propitiatorium et arcam, ita Iesus et Zorobabel, id est, pontifex et princeps, Ecclesiam et Remp. sustentant. Unde Arabicus Alexand. vertit, *Isti sunt filii misericordiae*: haec enim est virtus principum, eiusque symbolum est oleum. Huc alludit Eccles. c. 44. 10. *Illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.*

Moral. reges et principes sunt filii olei tripliciter.

Moraliter, discant hic reges et principes se, aequae ac pontifices, tamquam ministros assistere Deo dominatori terrae, ut eius templum, cultum, iustitiam omnemque virtutem in populo instaurent et promoveant. Quocirca Constantinus Magnus dicitare solebat, *reges extra fores Ecclesiae, Episcopos esse*. Eniti enim debent, ut subditi pie Deum colant, quasi eorum Episcopi essent. Pontifices enim et reges sunt quasi duo Cherubini, pleni oleo, qui assistunt Deo super arcam Ecclesiae residenti, ut eius gloriae propagent. Sint ergo assistentes Dei: quasi filii olei. Oleum pascit, luget, lenit, eibus est, lux, et medicina. Haec tria praesent subditis, ac praesertim viscera misericordiae, quam repraesentat oleum. Rursum oliva innuit, quod principis sit per elementiam, mansuetudinem et pacem, cuius symbolum est oliva, procurare rerum copiam: hanc enim gignit pax: cum bellum res opesque consumat, iuxta illud psalmi 121. 7. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Quocirca in nummis Augusti Caesaris, pax pingitur quasi matrona sinistra tenens cornucopiam, plenam fructibus, floribus et frondibus, cum ramo olivae; dextra vero facem, qua accendit et comburit montem armorum. Eadem apud Pausaniam pingitur quasi virgo pulchra, in capite gestans coronam ex olivis, dextra gestans imaginem Pluti (qui erat apud Gentiles divitiarum praeses et Deus) sinistra fasciculum spicarum granis frumenti refertarum. Simile est in nummis Traiani: pingitur enim pax quasi virgo, dextra tenens ramum olivae, sinistra cornu divitiarum.

A Alleg. duo filii olei assistentes candelabro, id est, Christo et Ecclesiae, sunt Moses, et Elias, qui Christo, quasi testes astiterunt in transfiguratione, inquit Remigius; sic et Tertul. l. 4. contra Marc. c. 22. censet hasce duas oleas esse Moysen et Eliam, in quorum medio transfiguratus est Christus in monte Thabor. *In medio*, inquit, *duorum animalium cognosceris, Mosi et Eliae. De quibus et Zacharias vidit in figura duarum olearum et duorum ramulorum olei. Nam hi sunt, de quibus dictum est: Illi duo filii opimitatis assistant Domino univrsae terrae.* Potius hi duo sunt S. Petrus et Paulus, quorum ille Iudaeorum, hic Gentium fuit Apostolus, qui utrisque splendore doctrinae et vitae ita praeluxerunt, ut eos Christo subiungant. Rursum in fine mundi, duo filii olei Christo erunt Elias et Henoch, *quorum alter in praepulio, alter in circumcissione placuit Deo, et cum corpore raptus est in caelum*, ait S. Hieron. Quod enim fecit Iesus et Zorobabel in populo ex Babylone in Ierusalem et templum revocando, id ipsum facient Elias et Henoch in ultima saeculi ruina, ut tam Iudaeos quam Gentes ab Antichristo revocent ad Christum, itaque Ecclesiae militantis fabricam et electorum numerum perficiant et constant. Ad ita esse patet Apoc. 11. 4. ubi de Elia et Henoch ait Ioannes: *Illi sunt duae olivae, et duo candelabri in conspectu Domini terrae stantes.* Ubi plane ad hunc Zachariae locum alludit in sensu, non litterali, ut aliqui eum Ribera et Emmanuele volunt, sed allegorico. Vide ibi dicta, ubi pariter tropologica ostendi, oleum et olivam esse symbolum Sanctorum, ob quinque analogias. Nervose poeta triplicem insignis viri ducisque virtutem triplici corona exprimit:

*E lauro, quereu, atque olea duce digna corona,  
Prudentem, fortem, pacificumque decet.*

Laurus enim Apollini dicata notat prudentiam; quereus Iovi, fortitudinem et constantiam animi; olea Palladi, pacis studium.

Symbolice, *Duas olivas, inquit S. Hier. quidam e no-* Symbol.  
*stris Filium interpretantur et Spiritum sanctum, et mediam lampadem Deum patrem: sed nescio quomodo absque blasphemia alterum a dextris, alterum accipiant a sinistris. Ramos quoque sive spicas olivarum incarnationem Salvatoris, et similitudinem columbae Spiritus sancti edisserunt, quia totas olivas videre nequeamus, sed partem quamdam, et, ut ita dicam, ramusculos incarnationis Christi, et ostensionis Spiritus sancti nobis esse monstratos. Alii duo intelligunt testamenta, a dextris Evangelium, a sinistris legem; eo quod in altero spiritualis sit sensus, in altero corporalis, et quod nec totum Evangelium, nec totam legem explanare possimus; et nunc ex parte cognoscamus, et ex parte prophetemus, et necdum possimus intelligere quod perfectum est. Sunt qui duos ramos olivarum, vel duas spicas, et filios pinguedinis vel splendoris, sacerdotium interpretentur et legem, quae gaudium praebent univrsae terrae.* Huc usque S. Hieronym. Denique Ribera per duas olivas accipit duas Christi naturas, divinam scilicet et humanam. Arias duas dignitates Christi, regiam scilicet et sacerdotalem, quibus ipse ministrat oleum gratiae candelabro, id est, Ecclesiae, facitque eam pariter regnum sacerdotale et sacerdotium legale, ut in ea sit gens sancta digna Deo: ac proinde dicitur Christus, id est, unctus, oleo gratiae, tum unionis hypostaticae, tum charismatum omnium, quae quasi caput distillat in fideles quoslibet. Verum haec minus congrue respondent tum ideae et significationi litterali, tum allegoriae candelabri et olivarum superius traditae.

Pacis emblema

## CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut cap. 3. Iesum pontificem, et cap. 4. Zorobabel principem animavit ad fabricam templi; ita hic consolatur et animat populum e Babylone in Ierusalem reversum, ne timeat Chaldaeos, Persas, Samaritas, aliosque hostes, eo quod Deus eius peccata iam expiarit captivitate septuaginta annorum, qua resipiscens et pœnitens populus conversus est ad Deum; qui proinde maledictionem ab eo transtulit in domos et sedes sceleratorum. Hinc Secundo, v. 5. videt amphoram in qua sedet mulier, puta impietas, talento plumbi obstrui, ac a duabus mulieribus alatis transferri in Babylonem, ut ibi stabilietur et resideat, nec amplius in Iudæam redeat. Impietas hæc natat idololatriam, quam Iudæi reliquerunt in Babylone: nam post reditum ex ea nunquam amplius coluerunt idola. Significat ergo Deus, se idololatriam deinceps a Iudæis ablaturum, ut illa in Babylone quasi religata moneat, eiusque pœna et vindicta a Iudæis in Babylonios transferatur: quo tacite monet Iudæos qui Babylone remanserant, ut ex ea, utpote impia, et mox rursus a Davio Hystaspis vastanda, fugiant, ac proinde nihil esse quod Hierosolymis, ulterius timeant, præsertim a Persis aut Chaldaeis, quibus nuper ob idololatriam in prædam dati fuerant; sed quasi filios castigatione Dei patris iam emendatos, lætos et alacres ei servire debere, scientes Deum eorum fore protectorem, nec permissurum ut quis hostis eos lacessat, vel a fabrica templi impediatur. Quid allegorice hæc amphora significet dicam v. 6.

1. **E**T conversus sum, et levavi oculos meos: et vidi, et ecce volumen volans. 2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, et latitudo eius decem cubitorum. 3. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: et omnis iurans, ex hoc similiter iudicabitur. 4. Educam illud, dicit Dominus exercituum: et veniet ad domum furis, et ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: et commorabitur in medio domus eius, et consumet eam, et ligna eius, et lapides eius. 5. Et egressus est angelus, qui loquebatur in me: et dixit ad me: Leva oculos tuos, et vide quid est hoc, quod egreditur. 6. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. 7. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. 8. Et dixit: Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os eius. 9. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi: et levaverunt amphoram inter terram et cælum. 10. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram? 11. Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabilietur, et ponatur ibi super basem suam.

Vers. 1. **E**T CONVERSUS SUM.) Excitante me angelo, ut novam A visionem ab eo oblatam aspicerem, et exciperem oculis, non corporis, sed phantasie et mentis.

Lib. v. l. quis? **ET ECCE VOLUMEN VOLANS.)** Hebr. מגלה meghilla, significat chartam, membranam, vel librum convolvilem: ita Syrus et Arabicus Antiochenus, ac Rabbinus. Hebræi enim olim non habebant libros distinctos per folia, sed membranam unam oblongam, quam circa cylindrum convolvebant instar mappæ geographicæ, quæ proinde vocatur meghilla, id est, volumen ab hac circumvolutione, uti dixi Ezech. 2. 9. In hoc volumine scripta erant omnia furta et periuria, id est, omnia peccata sceleratorum, æque ac pœnæ et supplicia eis, pro merito cuiusque intelligenda, idque cito, instar sententiæ et flagelli volantis. Quocirca eleganter Aquila et Theodot. volumen hoc vocant διφθερα: diphthera enim est membrana et pelle capræ, qualis fuit pellis Amaltheæ, capræ Iovis. Huius enim lacte fabulantur Poetæ alitum Iovem, ideoque eius pelle uti pro libro suo, ac in ea scribere omnia omnium hominum peccata. Unde proverbium: Antiquiora diphthera loqueris, hoc est nimis antiqua et obsoleta. Et, Scro Iupiter diphtheram inspexit, dici solitum in eos, qui sero quidem, sed aliquando tamen pro malefactis dant pœnas: Deus enim multa pro tempore dissimulat, sed aliquando improbos punit eo acrius, quo tardius. Porro veteres nescientes usum papyri et chartæ, pro ea utebantur pellibus caprinis, vel ovinis, in iisque scribebant, uti alibi ostendi.

Secundo, Sept. et Arabicus Alexandrinus pro מגלה meghilla, id est, volumen, legentes מגל maggal, vertunt falx volans. Eos sequuntur S. Cyrill. Theodor. et passim Græci: ac forte eo allusit S. Ioannes Apoc. 14. 14. ubi vidit in manu Christi falcem acutam, qua scilicet demetat et succidat peccatores: falx enim symbolum est punitionis, stragis et excidii. Verum vera lectio est meghilla, id est, volumen, uti legit Noster, Chald. Hebræi, et passim Latini. Nam in eo scripta erant hominum peccata, uti sequi-

tur. Unde eo alludens S. Ioannes Apoc. 10. 12. *Iudicati sunt mortui, inquit, ex iis quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum. Quin et Daniel c. 7. 18. Iudicium, inquit, sedit, et libri aperti sunt.*

Tertio, pro volumen Symmachus vertit, κεφαλον, id est, capitulum, hoc est initium, vel summa et compendium. Unde colligas, quanta fuerit multitudo peccatorum quæ in hoc volumine scripta fuerunt, utpote quorum compendium, vel principium, puta volumen hoc, fuerit latum decem cubitos, longum viginti. Aliter Fernandez visione 33. sect. 1. censet enim volumen hoc vocari a Symmacho compendium, quia in eo scripta erat impietas, puta occisio Christi, uti ait Rupertus, quæ fuit omnis impietatis epitome et summa. Verum hoc mysticum est: nam ad litteram in libro hoc scripta erant furta et periuria illius ævi, ut sequitur. Quocirca minus genuine Burgensis censet, in hoc volumine scriptam fuisse explicationem legis Mosi a Deo ore tenus traditam, quam Rabbinus Cabalam nuncupant, quæque ab iis in Talmud conscripta est. Melius Lyran. arbitrat in eo scripta fuisse furta et periuria populi, quibus meruit captivitatem Babylonicam. Verum nec hoc est genuinum. Illa enim scelera iam ante octoginta annos præterierant: hic autem agitur de sceleribus præsentibus, et pœna eis irroganda, non irrogata. Ait enim: *educam illud, etc. et veniet ad domum furis, etc.*

Similem librum vidit Ezech. cap. 2. 9. in quo inquit, *scriptæ erant lamentationes, carmen et vix; eique parallelum vidit S. Ioann. Apoc. 10. 10. quem iussu angeli devoravit: Et erat, inquit, in ore meo tamquam mel dulce, et cum devorasset eum, amaricatus est venter meus.* Nimirum omnes hi libri significant Dei mentem, voluntatem et decretum, in qua quasi in libro descripsit pœnas cuique peccato et peccatori debitas, v. g. quali et quanta puniendus sit fur, periurus, etc. ita S. Hieron. Theodor. et Hugo.

Symbolice, S. Gregor. 13. Mor. cap. 6. et Rupert. per

hoc volumen accipiunt S. Script. quæ conscribit Dei minas, maledictiones et pœnas peccatoribus intelligendas, uti patet Levit. 26. Deut. 27. 28. 29. et alibi.

**VOLANS.** ) Ut significet celere peccatoribus imminere vindictam, quæ hoc libro conscripta est, inquit Rupertus, Albertus, Hugo et Clarius. Audi S. Chrysost, hom. 27. ad pop. ubi increpans iurantes et peierantes: *Falx*, inquit, *volans velocissimum ultionis incursum significat iramentum sequentem; multorum vero cubitorum longitudo et latitudo vehementium indicat, et magnitudinem malorum. At, ex caelo volare significat e superno tribunalis iudicium ferri: falcato vero formu, inevitabilem supplicii sortem. Sicut enim quocumque falx incurrerit, non solum secum arripit, verum et caput amputat, ita et pœna iurantibus ingruens est difficillima, nec prius absistit, quam quod suum est perfecit.*

Secundo a Castro, volumen, inquit volans dicitur, eo quod supplicium semper imminet capiti sceleratorum, semperque in aere pendeat, Dei tantum præstolans anuntium, ut sibi peccatores timeant, et caveant flagellum acerissimi vindicis: sicut Ieremias cap. 1. **B** 11. vidit virgam vigilantem, seu baculum populo imminentem, quo Deus eum erat percussurus per Chaldæos. Vindicta ergo Dei volat, et involat in peccatores; perinde ac aquilæ, milvi, accipitres volant per aërem quærentes prædam, eaque visa rapacissime et rapidissime in illam involant; perinde ac scintille ignis volant in horrea plena stipula, eaque in momento absumunt; perinde ac volant fulmina, fulgetra et sagittæ cælestes in turres, domos et arbores, easque subito afflant et incinerant. Tertio, volat, ut peccatores per totam terram sparsos invadat et feriat: ita S. Cyril. *Vidi, inquit, falcem instar avis in altum sublata, ac velut in eunetam terram transilientem, valde longam, et latam dimidio minus.* Quarto, volat, ut significet ultionem et plagam eius esse inevitabilem: ita S. Chrysost. hom. 15. ad pop. *Ensem enim, ait, volantem forsitan aliquis effugere poterit: falcem autem in collum delapsam, et pro funiculo factam, nemo fugere potest. Cum autem et alæ adsunt, quæ salutis ulterius est spes?* Quinto, **C** *volamen, vel, ut Septuag. falx volans, videtur idem representare quod amphora volans, quæ impietatem, id est, impiam Synagogam, puta impios Iudæos, continet et transfert in Babylonem, de qua v. 6. Sexto, *volans significat divini vindictæ improvisam celeritatem, et inexpectatam plagam, quam subito quasi involans impiis irrogat. Hinc eadem comparatur fulguri Deut. 32. 41. Si acuerit ut fulgur gladium meum. Dei enim ultio fulminea est celeritate tum coruscandi, tum percutiendi, tum perterrefaciendi; sed impij eum disfertur Dei supplicium, improvida securitate consopili altum sternaunt, dicuntque illud Isaïæ 18. 45. Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum; flagellum mundans eum pertransierit, non veniet super nos. Septimo, Mariana et alij apud Pagninum in lexico, Hebr. **פֶּפֶחַ** *apha*, id est, volans, accipiunt in significatione Chaldaica, vertuntque *duplicatum, complicatum*: *apha enim chaldaice significat complicare, duplicare; ut significetur volumen hoc fuisse involutum, quia arcaea continebat: aut duplicatum, quia duplices, id est, multiplices minas et pœnas, peccatorum complectebatur. Vernm Chald. **פֶּפֶחַ** vertit **פֶּפֶחַ** *pericha*, id est, *volans*, æque ac Noster, Septuag. et cæteri.***

**LONGITUDO EIVS VIGINTI CUBITORUM, ET LATITUDO EIVS DECEM CUBITORUM?** ) Cur? Respondent Primo Rabbinus, Lyran. et Pineda in Iob 24. 5. quia volumen hoc egrediebatur e loco templi, cuius porta prisca erat longa viginti cubitis, lata decem. Sic et anterior pars tabernaculi Mosaici, quæ vocabatur sanctum, erat longa viginti cubitis, lata decem, uti dixi Exodi 26. initio; ut significet iudicium incipere a domo Dei, ut puniat sacerdotes eo gravius peccantes, quo magis Deo erant coniuncti; deinde volet per universam terram, ut feriat quoslibet sceleratos. Hæc expositio videtur appositæ, præsertim si ei adiungas quartam, quam mox subiungam.

Secundo, S. Hieron. hæ mensuræ, inquit, significant hic læta misceri tristibus. Deus enim vindictam clementia temperat: unde peccatoribus infundit *γλυκύπιπρον*, id est, dulce amarum. Nam denarius significat prospera: quia Salvatoris nomen Iesus incipit a iota, quæ index est denarii: vicenarius vero illi oppositus significat adversa. Hoc mysticum est, non litterale. Tertio, S. Chrysost. loco citato, Mariana et Fernandez censent his mensuris significari enormitatem et multitudinem scelerum. Hæc expositio generalior est. Quarto, magis genuine et presse ad litteram Theodor. Lyran. et Vatabl. censent hæc mensura notari universam Iudeam (in quam, utpote ubique rapinis et pauperum oppressionibus contaminatam, volabat hoc pœnarum volumen) duplo et amplius longiorem esse quam latam. Nam, ut ait S. Hieron. ad Dardanum epist. 129. a Dan usque Bersabee, quæ est longitudo illius, vix 160. millium in longum spatio tenditur. Latitudo autem a loppe usque ad Bethlehem, 46. millibus constat. Sic in rebus physicis, æque ac domibus et fabricis, ea est iusta proportio, ut longitudo sit dupla ad latitudinem. Mystice, denarius significat perfectionem rei: latitudo ergo decem cubitorum significat latitudinem supplicii ad multos, puta ad omnes sceleratos extendendam: longitudo vero duplo maior significat diuturnitatem pœnæ, scilicet perpetuam in hæc vita, et æternam in futura. Ita Rupert. Ribera et alij.

**HÆC EST MALEDICTIO.** ) Id est, condemnatio, supplicium, et omne malorum genus, ita Theodor. q. d. Hoc volumen continet sententiam condemnationis et supplicia impiorum. Hi enim vocantur maledicti: unde audient a Christo iudice hoc fulmen: *Discedite a me maledicti*, Matth. 25. maledicere enim Dei, utpote efficax, est malefacere; sicut benedicere est benefacere. Sicut ergo benedictio est beneficium, sic maledictio est maleficium et supplicium. Burgensis per maledictionem accipit Talmud Iudæorum, quod volans dicitur, quia nullum habet fundamentum; et *maledictio*, quia eius doctrina execrabilis est, inquit. Hoc accommodatum est, non litterale. Fernandez et alij per maledictionem accipiunt illuvionem malorum, quam nunc toto orbe patiuntur Iudæi ob cæsum Christum. Verum hoc mysticum est.

**QUÆ EGREDIETUR.** ) E templo, ut volunt Rabbinus: vel certe e caelo et tribunali Dei, ut ait S. Chrysost. hom. 27. ad pop. egreditur versus templum et Ierusalem: maledictio egrediens est supplicium publicum, quod ante in caelo et area Dei quasi absconditum latuerat. Unde sequitur: *Educam illud in apertum.*

**SUPER FACIEM OMNIS TERRÆ.** ) Nimirum ad quam hic sit sermo, puta Iudææ. Huic enim minas intentat Propheeta, et hi soli iurabant per Deum verum, ut sequitur; Gentiles vero per idola. Ita S. Cyril. Rupert. Ribera, Hugo, Arias, Sanchez, et alij, licet Theodor. Lyran. et Vatabl. universam terram ut sonat, accipiant, censentque hoc volumen ex Iudæa, vel templo egressum volasse per totum orbem, q. d. Totus mundus plenus est sceleribus, ideoque toti imminet ira et fulmen Dei. Sic maledictio cælestis voravit et consumpsit totam terram tempore diluvii, e quo solus Noe cum suis per aream evasit. Sic eadem eandem vorabit et consumet sub diem iudicii, per ignem conflagrationis mundi. Sic maledictio Dei incubuit Asiæ, Græciæ, totique Orienti per iugum Turcicum; Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sveciæ, Germaniæ per factiones et seditiones hæreticorum.

**QUIA OMNIS FUR.** ) q. d. Deus hoc maledictio fulmen intentat Iudæis ob furta et periuria: sub quibus omnia scelerata intelliguntur; nimirum sub furto omnis fraus et iniuria, quæ in proximum, contra secundam Decalogi tabulam; sub periurio omnis impietas quæ in Deum contra primam tabulam committitur: ita S. Hieron. et Theodor. Nominat tamen hæc duo, quia tunc frequentius et impudentius perpetrabantur: Iudæi enim in Babylone depauperati necessitate eogente, furari, et, ut furum occultarent, peierare didicerant. Pauperes enim subinde furaces habent manus, indeque perinram linguam. Hæc quoque in iisdem taxat Osee c. 4. 2. *Maledictum, inquit, et ho-*

Cur volans causa?

1.

3.

4.

5.

6.

7.

Vers. 2. Volumen longum viginti cubitis, latum decem, cur? Resp.

I.

II.

III.

IV.

Myst. cc.

Vers. 5. Maledictio est supplicium.

*micidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Ita S. Hier. Remig. Albert. et Lyran. Addit S. Cyrill. Esdras, ait, adiuravit principes, sacerdotes et populum, ut eicerent uxores alienigenas; et iuraverunt. Erat ergo necessarium proponere maledictionem et supplicium impendens, ut servarent iuramentum. Præterea quia edificato templo magna vis pecuniarum erat congregata, quam partim Darius dederat, partim populus obtulerat, probabile est eos, qui præpositi erant gubernationi huic, avertisse aliquid de consecratis Deo: ideo contra fures etiam proponit maledictionem, ne pecunias sacras in privatos usus verterent.*

**SICUT IBI** (in volumine volante) **SCRIPTUM EST.** Hebr. **נזה כמה** *mize camohu*, id est, *ex eo sicut ipsum continet, IUDICABITUR*, etc.) Aliter Pagnin. Arias et Vatabl. vertunt enim, *quia omnis fur, sicut scriptum est, ex una parte ipsius succisus est, et omnis iurans, sicut scriptum est, ex altera parte similiter succisus est.* Censent ergo ex utroque latere, averso scilicet et adverso, scriptum fuisse hunc librum; ac consequenter iteratam fuisse maledictionem, sive utrumque peccatum, furti scilicet et periurii, fuerit iteratum, ut vult Stunica hic; sive non, sed furtum scriptum fuerit ab una parte, periurium ab altera, ut vult Pagn. ut significetur gemina certaque sententia Dei sceleratos esse damnandos. Sic Ezechiel c. 2. 9. vidit librum scriptum intus et foris, sive a tergo, id est, opistographum.

**IUDICABITUR.** Id est, condemnabitur et punietur. Hebr. **נקה** *nika*, id est, excludetur; Chald. *percutietur*; Sept. *omnis fur ex hoc usque ad mortem punietur, et omnis periurus ex hoc cruciabitur*, ut ipse maneat quasi iuge et vivum quoddam pœnarum volumen: ita S. Hieron. Theod. Rupert. Remig. Hugo, et Lyran. Perperam ergo Tigurina contrarie vertit, *quia omnis qui furatur ab eo, sicut ipsum est, absolvitur: et quisquis peierat ab eo, sicut ipsum est, absolvitur*; et Syrus, *quia omnis qui furatur, ex ea, sicut ipsa vincit (iustificatur) et omnis qui iurat, ex ea, sicut ipsa vincit (iustificatur)*, q. d. Per hoc volumen significatur absolvi Iudæos a pristinis furtis et periuriis, eo quod illa luerint et expiarint pœna captivitatis Babylonicæ. Perperam, inquam: nam contrarium hic dicitur, et sequitur: *Commorabitur in medio domus eius, et consumet eam.* At Hebr. **נקה** *nika*, licet significet innocentem esse, et declarari, sive absolvi, significat tamen quoque succedere, nocentem declarare et punire; est enim contrariæ significationis. Unde Arabicus Antiochen. vertit, *quia omnis qui furatur, ex ea ad mortem (damnatur) et ex ea convincunt: omnis qui iurat ex ea, et sicut ipsa superatur, id est covincitur; et Arabicus Alexand. quia omnis fur pœnas dabit, et luet hoc (quod furatur) vel hæc (scilicet falce plectendus) usque ad mortem eius, et omnis qui falso iurat, dabit pœnas usque ad mortem.*

**OMNIS IURANS** Falso, id est, peierans: ita Chald. Tigur. Vatabl. et alii. Tamen S. Chrys. ad populum, investus in consuetudinem iurandi, hæc accipit de quovis iuramento: quia scilicet, qui sæpe iurat, facile peierat. De periurio enim hic agi patet ex v. 4. *Ad domum iurantem in nomine meo mendaciter.* Celebris est sententia Periclis, quem cum amicus rogaret, ut pro re causaque eius falsum peieraret, respondit: *Oportet me commodare amicis, sed usque ad aras, ne scilicet amici causa peierem vel inhonesti quid agam, quo numinis reverentiam violem et offendam: olim enim iurantes aram manu contingebant.* Vide Gellium lib. 1. c. 3.

**EDUCAM ILLUD.** In lucem, in theatrum orbis, ut omnibus sit conspicuum, ut titulum pœnæ in fronte gestare videamini, nimirum, Hi sunt fures et periuri. Rupert. Arias et Vatabl. censent id factum per Antiochum Epiphanem, qui mire afflixit Iudæos tempore Machabæorum. Verum iam tum cum hæc minatus est Zacharias, eadem Deum fecisse credibile est, privatim domos impiorum consumendo.

**ET COMMORABITUR IN MEDIO DOMUS EIUS, ET CONSUMET EAM.** Solent enim domus in quibus immane scelus, v. g. rebellis in principem, patratum est, destrui et radi usque ad fundamenta; uti Bruxellæ initio tumultuum Bel-

**A**giorum factum vidimus. Sic Deus Sodomam et Pentapolim cælesti igne sideravit et consumpsit. Sic hic maledictio Dei domos furum et periurorum invadit, easque disperdit, utpote quæ totæ ex pauperum rapinis furtisque consent; Iudæorum, inquam, ut dixi v. 3. Ad hos enim minæ hæc Prophætæ diriguntur hique soli iurabant per nomen Dei veri. Quare minus verum et congruum videtur quod censent aliqui, has minas dirigi ad gentes, quasi maledictio quæ Iudæos in captivitate Babylonica afflixit, ab iis, utpote illa expiatis, transferenda sit ad Gentes, v. g. ad Babylonicos, uti dicitur v. ult. Non enim ita eam expiarant, quin in multis adhuc expianda restaret, præsertim qui nova scelera vel in Babylone, vel post reditum a vicinis gentibus didicerant et contraxerant. Quocirca licet Aggæus, Malachias et Zacharias consolentur fideles et pius Babylone redeuntes; tamen pariter acriter taxant impios, qui tanta captivitatis castigatione non meliores, sed deteriores sunt effecti, ut patet c. 1. v. 3. Malach. 2. 10. et c. 3. 8. Aggæi 1. 5.

**B**ices, Si maledictio commoretur in domo, quomodo domum consumit usque ad lapides et ligna? Resp. supplicia quæ Deus in domos furum, periuriorum et similium facinorosorum immittit, quasi molem aliquam eis incumbere, quæ paulatim instar molæ eos molit et comminuit, arcano et miro quodam modo, usque ad ligna et lapides novissimos, donec eas ad nihilum redigat. Sic hoc sæculo vidimus et videmus familias potentes, quæ per rapinas vel bona male parta splendidiæ evaserant, iusto Dei iudicio ac vindicta eis incumbente esse commolitas, et vel annihilatas, vel ad miseram sortem redactas: ut qui eas vident, stupeant, quomodo tantæ opes sensim sine sensu evanuerint. Notat S. Chrysost. hom. 15. ad pop. Deum ita punire irantes ad exemplum aliorum: *Quam ob causam, inquit, lapides et ligna iurantem dissolvit, ut ruina aliis correctio fiat. Postquam enim iurantem mortuum terra condi necesse est, domus dissoluta, et ruina facta prætercuntibus omnibus et cernentibus admonitio erit per aspectum, ut non eadem audeant, ne eadem patiantur, et accusatrix erit mortui criminis continua.*

**C** Loquitur Propheta de maledictione inflata Iudæis furibus, periuris et sceleratis sui ævi; a pari tamen, imo a maiori intelligit quoque eam, quæ postea ob cæsum Christum illos invasit. Hæc enim omnium fuit maxima, quæ Ierusalem cum templo, regno et repub. funditus evertit et consumpsit, adeo ut Ierusalem illa vetus et gloriosa modo nunquam extitisse videatur, uti Christus illi comminatus erat, dicens Luc. 19. 44. *Ad terram prosternente, et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Hæc quoque a 1600. annis in tota Iudæorum sobole et gente iugiter commoratur, facitque ut Iudæi sint toto orbe vagi, exules, viles, miseri, servi, exosi, ignorantes, obdurati, et execrati, sine lege, sine rege, sine Ecclesia, sine republ. sine templo, sine sacerdotio, sine prophetia, sine Deo. Conati sunt ipsi permittente, imo instigante, Iuliano Apostata, in odium Christianorum, templum Hierosolymæ reedificare; sed ignis e fundamentis egrediens fabros eum fabrica consumpsit, uti testatur S. Chrysost. orat. contra Iudæos.

**AMPHORA.** Hebr. **אֵפָה** *epha*, est mensura (ut vertit Syrus, et Arabicus uterque) capiens tres modios frumenti, decima pars ephi, vel eori; corus enim capiebat 30. modios. Iam quia *epha* erat communis mensura Hebræorum, hic hoc loco, et alibi sæpe, pro mensura in genere capitur. Unde Noster docte vertit, *amphora*: tum quia hæc pariter apud Latinos erat communis mensura: tum quia ex æquo respondebat *epha*, sive trimodio in aridis. Audi Budæum l. 5. de Asse: *Comperi amphoram esse octavam partem eius vasis, quod modium vini dicimus. Modium vini tricenos senos sextarios nostros capit: sextarius autem octonus eas quas pintas dicimus. In aridis autem pro amphora quadrantem sextarii habemus, id est, ternos bossellos, pro quibus vas trimodium habemus, dimidiatum medimnum.* Amphora ergo, sive *epha* significat mensuram peccatorum Iudæorum, punitioni et excidio eorum.

Vers. 6.  
Amphora  
quid?

Est mensura peccatorum.

dem a Deo decretam et præfinitam, qua sensim impleta Iudæi puniti et excisi sunt. Deus enim videns peccata gentis, vel hominis alicuius, non statim prosilit ad vindictam, sed longanimitè ea tolerat; ideoque cuique genti, vel homini, certam præscribit mensuram peccatorum, ita ut antequam illa plane impleatur, non puniat, sed mox ubi ea impleta fuerit, tunc omnia simul et semel acriter castiget et vindicet, iuxta illud Christi Matth. 23. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Et Genes. 15. 16. *Non dum complete sunt iniquitates Amorrhæorum.* Vide ibi dicta. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Rupert. Albertus, Hugo Lyran. et alii passim. Utitur symbolo amphoræ, vel epha et modii, quia in his mensuris fraudem et fortum, de quo vers. 3. faciebant Iudæi. Unde Chald. vertit, *isti sunt populi qui accipiebant et dabant mensura falsa.* Et mox: *Propter hoc condemnati, et in exilium translati sunt, quia accipiebant et dabant mensura falsa.*

Quæres, quando hæc amphora, id est, mensura peccatorum a Iudæis fuit impleta, et a Deo castigata, ac extremo gentis excidio vindicata? Resp. Primo, hæc mensura ab iis impleta fuit tempore Sedeciae, ac castigata a Deo per Nabuchodonosor captivitate Babylonica 70. annorum: ita Hebræi, S. Hieron. Theod. Vatabl. et alii. Et de hæc proprie hic agi videtur. Amphora enim hæc translata fuit in terram Sennaar, id est, in Babylonem, ut dicitur v. ult. Porro amphora hæc significat mensuram plenam tum culpæ (unde insidet ei impietas) tum pœnæ. Culpæ, nimirum quod ea iam in Iudæa exereverit per idolatriam, et alia scelera ad summam impietatem: quocirca significat culpam hæc ex ea, utpote terra sancta, evertendam, abductis scelestis Iudæis in Babylonem: Babylonem enim esse sedem idolatriæ et impietatis. Pœnæ, nimirum quod iam punita sit in Babylone captivitate 70. annorum, et rursus ibidem pocienda sit, si in ea remaneat, tum solito exilio, tum excidio universali a Dario Hystaspis. Darius enim Babylonem eiusque incolas, tam indigenas, quam advenas, puta Iudæos qui in ea remanserant, cepit et vastavit, ut dixi c. 2. 7. Proprie enim hæc visio Zachariæ dirigitur ad Iudæos, non tantum in Ierusalem degentes, sed etiam ad eos qui de Babylone post datam a Cyro libertatem redeundi remanserant, nec in Ierusalem reverti voluerant, eo quod iam sedes et familias coemptis domibus et agris fixissent in Babylone. Hosce in patriam revocare conatur Propheta, tum ne Babyloniorum moribus et idolatriæ assuescant, tum ut Babyloni instans excidium per Darium effugiant. Hoc est quod dixit c. 2. 7. *O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis,* ut ibidem explicui. Vidit ergo Zacharias amphoram, sive mensuram in qua sedebat impietas, e Iudæa transferri in Babylonem: quo significat impietatem Iudææ, impiosque Iudæos translatos esse in Babylonem, ac proinde Iudæam iam esse ab impietate expurgatam et puram, Babylonem vero esse sedem et cloacam impietatis: quocirca impietatem in Babylone mansuram, nec amplius in Iudæam redituram. Hinc deinceps idolatria non est visa in Iudæa, quia illam cum sua amphora, id est, pœna, Iudæi reliquerunt in Babylone, quando eius mensura per septuaginta annos persoluta, expiati et liberi redierunt in Ierusalem. Tunc enim liberi a culpa et pœna, eius modium, amphoram et mensuram deposuerunt in Babylone: quo tacite monet Iudæos in Babylone degentes, ut ea quasi cloaca scelerum relicta, in sanctam Ierusalem redeant. Secundo, eodem symbolo significat per hanc amphoram, id est, impietatis cumulum, qui Babyloni ex impietate Iudæorum accesserat, et in dies ex eorum, æque ac Babyloniorum eriminibus accedebat, brevi compledam esse rursum peccatorum Babylonis mensuram, ut ea completa exscinderetur cum omnibus ioculis a Dario Hystaspis. Amphora enim incumbens Babyloni significat supplicium et excidium imminens Babyloni, ob impietatem in amphora residentem, et cum amphora translata in Babylonem: ita Sanchez: qua ratione rursus monet Iudæos reliquos in Babylone, ut ex ea discedant, ne eius clade involvantur. Totum enim hoc caput, ut recte advertit P. Mariana, dirigitur ad Iudæos

A non tam in Iudæa, quam in Babylone degentes, ut ostendat eorum infelicitatem, impietatem et periculum, eoque illos ad reditum in Ierusalem et templum invitet: inde tamen consequenter et ex adverso significat felicitatem, pietatem et securitatem Iudæorum in Iudæa degentium, utpote qui exportata iam impietate in Babylonem, degant in terra pura et sancta, ibique fabricæ templi et Dei cultui pie et quiete insistant. Omnia enim hæc eo spectant, ut populum incitent ad templum in Ierusalem restaurandum, perficiendum et exornandum, ut in eo pie sancteque Deum colat, eique obediat et serviat. Itaque proprie hæc amphora, in qua sedet impietas translata in Babylone, significat idolatriam tam quoad culpam, quam quoad pœnam ex Iudæa translata esse in Babylonem, ibique sedem fixisse.

Secundo, hæc amphora et mensura peccatorum Iudææ, per excidium et captivitatem Chaldæorum evanescens et expurgata, post reditum Iudæorum e Babylone rursus ab iis impleri cepit. Unde Arias per amphoram accipit publicam fraudem quæ tunc in populo grassabatur, furta et periuria, de quibus v. 3. hæc amphora sensim per 360. annos rursus impleta fuit: unde post eos iterum evacuata et expurgata fuit per Antiochum Epiphaneum tempore Machabæorum, qui graviter Iudæos alluxit: sed plane et plene impleta fuit per parricidium imo deicidium quo Christum Dominum occiderunt, iuxta illud Christi Matthæi 23. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum,* scilicet occidendo me, Deum et Messiam vestrum, ut impleta mensura vestrorum scelerum, veniant vestri carnifices Titus et Romani, qui extremo et æterno excidio vos plectant, ut in terra Sennaar, id est, toto orbe, inquit Sanchez, vagi et profugi exuletis, donec Antichristum vere et proprie in Sennaar, id est, in Babylone, quasi stabili et firmo loco regni eius colatis et adoretis: ita Rupert. Emmanuel, Ribera, Fernandez et alii.

Prior sensus proximior est, ideoque litteralis; posterior remotior, et priori quasi typo inenbens, ideoque partim litteralis, partim allegoricus. Ubi nota amphoram hanc partim esse ænigma rei præteritæ, puta captivitatis Babylonice; partim oraculum rei futuræ, eiusque triplicis, scilicet primo, instantis excidii Babyloni, a Dario Hystaspis inferendi; secundo, impietatis in eo collocandæ per Antichristum; tertio, excidii et exilii Iudæorum per Titum et Romanos ob cæsum ab eis Christum. Denique amphora hæc symbolo diversa est a volumine, vel, ut Septuag. vertunt, *falce volante*, v. 2. sed significato est pene eadem. Unde utraque volat: hæc in domum furis, et periuri, illa in Sennaar, id est, in Babylone, ubi impietati sedes, æque ac vindicta et carnificina a Deo statuta est. Unde et de utraque vere vers. 3. dicitur: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ.*

HÆC EST OCULUS.) *Oculus* hic dupliciter capi potest. Primo active, ut significet Dei providentiam, q. d. Hæc *Oculus et sol mundus est Deus.* amphora significat pervigilem Dei oculum, qui universam terram circumspicit et lustrat, ac cuique pœnas pro mensura scelerum assignat. Sicut enim sol est oculus mundi, ita multo magis Dei providentia est sol et oculus universi; de quo plura dixi c. 3. 10. et Ierem. 1. 11.

Secundo et melius, passive et obiective, *oculus*, id est, obiectum oculi, puta res visa in quam omnes coniciunt oculos, q. d. *Oculus*, id est, aspectus, omnium Iudæorum fertur ad hanc amphoram, oculi eorum non aliud respiciunt, quam ad amphoram, ut scilicet eam peccatis suis impleant; adeo effrænes ruunt in scelera, ut non aliud quam ad scelera respicere et oculos intendere videantur, iuxta illud Gen. 6. 5. *Videns Deus quod, etc. cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Et Ierem. 22. 17. *Tui vero oculi et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumniam, etc.* Verum enim est illud vulgi: *Ubi manus, ibi dolor: ubi oculus, ibi amor, ibi mens, ibi cor.* Et illud Poëtæ: *Amor ex videndo nascitur mortalibus.* Sicut enim sol per speculum tersum stupam incendit, sic res pulchra per oculos intromissa in animam, eam accendit. Hoc modo in corde per

oculos facit amor incendium : ita Theodoret. Arias, Ribera, a Castro et alii. Unde Septuag. pro עֵינַי *enam*, id est, oculus eorum, per dieresim legentes עֵינַי *avonam*, vertunt, *hæc est iniquitas eorum in omni terra.*

Rursum amphora, id est, mensura pœnæ, quæ iniquitati Iudæorum debita eidem irrogabitur, erit *oculus*, id est, conspicua universæ terræ. Publicum enim scelus publica pœna vindicandum est, ut sicut ipsi ingiter oculos intenderunt in amphoram culpæ; ita alii omnes oculos intendant in amphoram et mensuram ingentem pœnæ, culpæ eorumdem commensam. Unde Chald. vertit, *ecce ipsi manifesti fiunt coram omnibus habitatoribus terræ.* Omnes enim videbunt enormes cruciatus, sicut viderunt enormia eorum crimina. Et S. Hieron. *Oculus*, inquit, *est ostensio peccatorum, ut quorum vitia dispersa latitabant, in unum coacervata oculis omnium panderentur, et egrederetur de loco suo Israel, et qualis in terra sua fuerit, cunctis gentibus monstraretur.* Ita Iudæi sunt oculus universæ terræ: omnes enim eos aspiciunt ut Christidarum filios, qui portant culpam et pœnam patrum suorum, eorumque sceleris magnitudinem in sua desolatione ubique ostendunt, inquit Rupert. Ita tropol. Deus peccata in tenebris et occultis locis perpetrata educit in lucem, facitque ut sint oculus totius orbis, cum ea punit publica infamia, aut publica clade et supplicio.

Vers. 7.  
Talentum  
plumbi  
est gravitas  
culpæ et  
pœnæ.

**TALENTUM PLUMBI.**) Hebr. כֶּכֶּל *chichar*, id est, globus, vel potius orbis plumbeus, torta vel massa plumbea, ut vertit Interpres v. 5. Unde S. Hieron. *Massa*, ait, *instar lapidis ferebatur, vel suo impetu, vel Domini iussione: vel ferebatur ab alio cuius nomen tacitum est.* Talentum plumbi notat gravitatem culpæ, et consequentem pœnæ, quæ peccatores deprimit et opprimit, ut sese erigere et ab ea eximere nequeant: unde obstruit os amphoræ, ut impietas ea conclusa in æternum oclusa maneat: de quo mox plura: ita S. Hieron. Haymo, Remig. Rupert. et Lyran. Proprie talentum plumbi notat gravem rigidamque Dei sententiam, quæ Iudæis pœnam culpæ, quasi amphoram impietati adæquatam commensurabat, eamque quasi obsignabat et ocludebat, ut ex ea egredi non posset, nisi tota mensura pœnæ persoluta, nisi scilicet expletis annis 70. captivitatibus in Babylone. Addit Ribera, talento plumbi quo omnino clausa est amphora, significari diurnitatem supplicii et exilii, æque ac excæcationis Iudæorum, scilicet illud duraturum usque ad finem mundi: porro amphoram portari in terram Sennaar, quia illorum cæcitas et pœna durabit, donec ipsi in Babylone Antichristum colant et adorent.

**ET ECCE MULIER SEDENS IN MEDIO AMPHORÆ.**) *Angelus*, inquit S. Hieron. *qui loquebatur in Propheta, et egrediens ex eo illi universa monstrabat, arripuit mulierem quæ vocabatur impietas, et præcipitem misit in medium amphoræ, quæ prius libere ferebatur, et super amphoram sedens omnibus apparebat.* Hic ergo ab angelo ostensa est Zachariæ *mulier sedens in medio amphoræ*, id est, limbi, vel orificii amphoræ, puta *super amphoram*, ut explicat S. Hieron. ita ut umbilico tenus super eam emineret, pedes vero vel extra, vel intra amphoram demitteret: nam paulo post v. 8. angelus eam ita sedentem, et capite pectoreque eminentem extra amphoram, proiecit in medium amphoræ, ibique eam demersit, et talento plumbi oclusit: quo significatur, impietatem initio fuisse impune grassatam, sed crescente mensura peccatorum sensim implese amphoram, id est, mensuram peccatorum, vindictæ a Deo præstitutam, ita tamen ut adhuc libere loqui et movere se posset, donec completa plane eorum mensura, ab angelo amphoræ omnino inclusa fuit; quo representatur consummata eorum impietas, et mensura peccatorum a Deo præfinita omnino completa, ut reipsa in carcerem et exilium, puta in terram Sennaar, a duabus mulieribus instar milvorum alatis raperetur.

Mulier  
symbolum  
concupiscentiæ.

Porro impietas pingitur ut mulier: quia mulier, inquit Cyrill. et Theodor. subiectum, æque ac symbolum est infirmitatis et concupiscentiæ, quæ mater est, et fons omnis peccati et impietatis. Unde Euseb. 1. 2. de Præp. Evang.

c. 2. voluptatem vocat hydram multorum capitum, quod in ea sint principia et capita omnium scelerum. Et Cyril. Alex. in Strom. eamdem vocat metropolim vitiorum omnium. Quocirca Aristippus Philos. mulierem parvam, sed pulchram conspicatus: *Parvum quidem pulchrum*, inquit, *magnum autem malum*: ita Antonius in Melissa sermon. de muliere forti. Diogenes videns mulieres garrulas inter se colloquentes: *Aspis*, inquit, *a vipera venenum mutuatur*: ita idem in Melis. part. 2. ser. 54. Democritus rogatus cur, cum magnus esset parvam duxisset uxorem? *Ego*, ait, *in malo eligendo, quod minimum erat elegi.* (Idem respondit B. Thomas Morus) Ita idem sermon. de mulier. impr. Vulgare est proverbium: *Ignis, mare, mulier, tria mala.* Secuudus Philosophus apud Maximum sermon. 9. interrogatus *quid esset mulier mala?* resp. *Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conviva, sollicitudo confidens, læna complectens, exornata Seylla, animal malitiosum, malum necessarium.* Quapropter Cato aiebat: *Si absque femina esset mundus, conversatio nostra non esset absque diis.* S. Greg. Thaumaturgus scribens in Eccles. *Expertus sum*, inquit, *mulierem esse quamdam mollem terram.* (Alii, mulier, aiunt, idem est quod mollis aer.) *Cor enim ipsius quasi sagena prætereuntis concludit. Quod si manu sola contingat, tenet: sin amplectetur, vineulis trahit.* S. Cyprianus lib. de Singular. clericor. *De carbonibus*, ait, *scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspules sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: De vestimento procedit tinca, et a muliere iniquitas viri.* Socrates aiebat: *Mulier speciosa et pulchra templum est super cloacam ædificatum*: ita Laert. in vita Socratis. Idem dicebat se tria mala assecutum, Grammaticam, paupertatem, et perniciosam uxorem; quorum duo priora effugisset, tertium vero minime: quia assidue eum exercebat sua Xantippe. Denique S. Hieron. ad Nepotian. *Hospitiolum*, ait, *tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Vide ne sub eodem tecto manseris; nec de præterita castitate confidas; nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Memento semper, quod paradisi columnum de possessione sua mulier cecidit.*

Hac ergo de causa impietas hic schemate mulieris representatur. Simili modo iniquitas in emblematis Cæsaris Ripæ pag. 379. pingitur quasi fœmina, vestita igne et flammis, quæ concito cursu fugit. Iniquitas enim animam perversam cruciat, et urit, perinde ac ignis lignum aridum: fugit, quia male sibi conscia plena est pavore, et omnia tuta timet; quin et umbras expavescit. Idem impietatem pingit pag. 1367. quasi fœminam fœdam, oculis relatis, auribus asininis, dextra tenentem gallum, sinistra ramum pungentis rubi, aut hippopotamum. Gallus enim ferus est et sævus, ut et matrem violet, ac patrem invadat: hippopotamus vero, sive equus fluvialis frequens in Nilo, teste Plinio l. 8. c. 23. impius est, quia matrem fœdat, et patrem occidit. Ita peccator impius est in Deum patrem, et in matrem Ecclesiam, eosque quasi rebellis et hostis invadit, præsertim si sit idololatra aut hæreticus. Idem peccatum pag. 132. p. 2. pingit quasi juvenem cæcum, nudum, nigrum, ambulatentem per avia et præcipitia, cinctum serpente, cum verme ad latus sinistri, qui illi cor rodit, hic est vermis, sive remorsus conscientiæ: serpens est diabolus, qui peccatorem specie falsa boni apparentis decipit, uti primitus matrem nostram Evam specie pomi, et spe omniscientiæ decipit, Genes. 3. 1.

Tropol. mulier ista est voluptas. Hæc enim est causa et mater omnis impietatis et peccati: ita S. Cyril. et Theodor. Sapienter Maximus serm. 171. ex S. Chrysostomo: *Voluptas*, ait, *cani similis est: si persequaris fugit: si nutrias, manet.*

Symbolice, mulier hæc, puta impietas, sedere dicitur tribus de causis. Sedet enim ipsa, Primo, tamquam assueta et affixa suis cupediis et vitiiis. Unde ps. 94. 29. de detra-

Peccati  
emblemata.

Impietas  
sedet ob  
tres causas.

ctore maledicentiis assueti dicitur: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*, non stans, quasi obiter et in transitu; sed sedens quasi ex professo, ex usu, ex habitu. Secundo, quasi mesta, et damnata, ad amphoram, id est, carcerem instumque supplicium. Tertio, quasi iners et pigra. Aecidia enim in emblematis Caesaris a Ripa pag. 8. pingitur quasi vetula turpis, male vestita, sedens, capite incumbens manus sinistrae, innixae genibus; ex qua dependet charta, cum hoc lemmate: *Torpet iners*; dextra gestans torpedinem piscem. Praeflare S. Bernard. in epistolis accedum increpans: *O homo imprudens*, ait, *millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei, et tu sedere praesumis?* Tropologicè, qui sedet in amphora, id est, qui in peccatis pacem habet, inquit Sanchez, prope est ut iaceat, id est, spiritum habeat compunctionis et soporis, ita ut neque lucem aspiciat, neque ietum sentiat, et oppressus talento plumbeo obdurationis suae, a milvini pennis rapiatur in terram Sennaar, ubi ad eius supplicium aedificetur stabilis et aeterna domus.

Vers 8.

**HAEC EST IMPIETAS.**) Puta impia Synagoga. Hic est titulus, sive epigraphe mulieris, sicut in comœdiis actoribus personatis tituli affiguntur, v. g. Hic est David, hic est Urias, haec est Bersabee, ut sciant spectatores quam quisque personam agat. Similiter in reorum iudiciis et suppliciis solet affigi titulus, indicans causam supplicii, uti Christo crucifixo hunc titulum affixit Pilatus: *Hic est Iesus Nazarenus rex Iudaeorum*, q. d. Hic Iesus damnatur ad mortem, quia voluit esse rex Iudaeorum, quia regnum Iudaeae ambivit. Huc allusit S. Ioannes Apoc. 17. 5. cum meretrici illi famosae, hoc est Babyloni typicae, suum titulum affigit dicens: *Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terrae.* Iam impietas hic qualibet accipitur, puta tota multitudo et congeries peccatorum; sed maxime duplex. Prior est idololatria, ob quam ad captivitatem Babylonicam damnati fuerunt Iudaei: ita S. Hieron. Hugo et Lyran. Secundo, occisio Christi, ob quam perpetuo exilio nunc damnantur: ita Ribera, Sanchez, Fernandez et alii. Haec enim proprie dicta eaque summa fuit impietas. Notat S. Chrysost. tractat. 1. de orando Deum, omne quidem peccatum mortale esse mortem animae, quia ab ea expellit Deum, qui eius est vita, proprie tamen impietatem dici mortem animae, quia pietas, seu cultus Dei, et conversatio eo cultu digna, proprie est vita animae, quam tollit impietas, quae ideo proprie eius est mors. Unde hebr. est *הרשעה* *hariseia*, q. d. illa impietas, illud scelus, scilicet insigae et enorme.

Animæ  
vita est  
pietas,  
quam  
tollit  
mors, id  
est impietas.

**ET PROIECIT EAM IN MEDIO AMPHORÆ.**) Ita ut caput totumque corpus mulieris intra amphoram contineretur, uti paulo ante dixi. Haec phrasi significatur completam fuisse mensuram peccatorum, ideoque Iudaeis instare Dei vindictam. Porro Iudaei impleverunt mensuram hanc suam, Primo, tempore Sedeciae, cum ipse iuramentum Chaldaeis praestitum quod eis subesset, violavit, et periturus eis rebellavit, 4. Regum 23. 6. Unde mox excisus est eum regno ab iisdem Chaldaeis. Secundo, cum Christum occiderunt: unde mox excisi sunt a Tito et Romanis: ita Ribera, Sanchez, Fernandez et alii.

Massa  
plumbea  
in ore  
quid?

**ET MISIT MASSAM PLUMBEAM IN OS EIUS.**) *Eius*, vel mulieris, ut vult Theodor. et Vatabl. vel potius et plenius amphorae: obstruxit enim os amphorae, et per consequens os mulieris, totamque mulierem, quae intra amphoram coniecta, illa claudabatur: ita S. Hieron. Hebraei, Albert. Remig. Ribera et alii. Haec massa plumbea significatur completa mensura peccatorum, ideoque mulierem, id est, impiam Synagogam, damnari ad supplicium certum et irrevocabile, cuius gravitas et perpetuitas significatur plumbo, inquit S. Hieron. Rupert. et Remig. ut ad perpetuum silentium, carcerem, tenebras et barathrum detrudatur et demergatur. Audi S. Hier. *Ab angelo opprimitur, ut quae prius latabatur in scelere, aeterno silentio conticescat: vel iuxta Theodotionem, ipsa mulier se proiecit et abscondit in medium amphorae, ac super se duxit gravissimum plumbi pondus, ut obturatum os haberet, et ultra se iactare non*

**A** possit; itaque deportaretur in Sennaar, id est, in Babylonem: licet enim Iudaei ex ea per Cyrum liberati et egressi sint, tamen non sunt egressi nisi emensa amphora, id est, expleta mensura septuaginta annorum, poenae et captivitati eorum a Deo praestituta, quasi culpae eorum commensa. Rursum impietas ex ea non est egressa, quia idololatria Iudaeorum mansit in Babylone, nec regressa est in Ierusalem: ipsi enim hae captivitate castigati, amplius non coluerunt idola. Sic et Isidor. Pelus. lib. 3. epistol. 33. per talentum plumbi accipit pondus peccati, quod peccatorem ad ima gehennae degravat et deprimat: *Mensura ( amphora ) vero, inquit, significat divinae lenitatis et patientiae finem, ac poenae principium.* Addit Arias, mulierem hanc plumbum ore excipere et devorare coactam, vel plumbum liquefactum in os eius infusum, idque in poenam fraudum et furtorum eius, de quibus v. 3. sicut hodie falsarii et corrosores monetæ in cacabum olei bullientis immittuntur, illudque haurire coguntur. Probat id Arias ex traditionibus Hebraeorum tit. de *Sanhedrin*, sive de magistratibus, ubi dicitur, Iudaeis idololatri, vel violatæ religionis convictis solere plumbum liquefactum in os infundi, eoque illos encari et comburi. Verum hoc loco solum ocellum est os amphorae plumbo, non autem hausit illud mulier in amphora sedens; sed in inferno damnati hauriunt sulphur, picem et plumbum liquefactum.

Tropol. Anagog. est execratio Iudaeorum, massa plumbea est obstinatio, quam summam in eis hodie cernimus. Rursum massa plumbea impietatis est consuetudo peccandi. Haec enim peccatorem ita degravat, ut in abyssum malitiae demergat, ex qua se erigere et exurgere nequit, nisi miraculo et miraculosa Dei potentis manu et gratia elevetur et extrahatur.

Anagogice, talentum plumbi significat gravitatem et perpetuitatem tam culpae, quam poenae damuatorum in Sennaar, id est, in inferno, eorumque obstinationem in malo. Ibi enim impietas cum omnibus impiis quasi ore ocelluso ad aeternum carcerem, silentium et tormentum damnabitur, et quasi in amphora constipabitur. Unde S. Ioannes Apoc. 20. 1. vidit *angelum descendentem de caelo habentem clavem abyssi, et calenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, etc. et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit et signavit super illum. Ibi ergo omnis iniquitas oppilabit os suum*, psalm. 106. 42.

**ET ECCE DUAE MULIERES.**) Quæres, quænam hæc? S. Hier. cum suis ascelis, Remigio, Ruperto, Alberto, Hugone et aliis, accipit Israel et Iudam, sive Samariam et Ierusalem, puta decem tribus, et duas reliquas; quas pariter Ezechiel c. 23. 4. comparat duabus mulieribus meretricibus, Oollæ scilicet et Oolibæ. Verum non agitur hic de Samaria et Israel: hic enim iam pridem abductus erat, non in Sennaar, id est, Babylonem, sed in Assyriam. Quod si quis amphoram hanc accipere velit mensuram impietatis et punitiois tam Israelis, quam Iudæ, potius dicitur duas hæc mulieres fuisse Salmanasar et Nabuchodonosor. Ille enim Israelem in Assyriam, hic Iudam in Babylonem traduxit. Alii, ut Lyran. Vatabl. Dionys. Fernandez, accipiunt tribum Iudæ, et tribum Benjamin: hæ enim portarunt amphoram, id est, mensuram suae culpæ et poenæ, in Babylonem, ubi ipsa quasi perpetuo victura remansit. Verum hæ mulieres fuerunt quasi lietores, vel carnifices: Israel autem non fuit sibi ipsi lictor, aut carnifex.

Tertio, Theodor. et Hebraei apud S. Hieron. accipiunt Persas et Medos, sive Cyrum et Darium, qui ita Babylonem vastarunt, ut amphora, id est, impietatis poena, perpetuo in ea durare, et sedem suam in ea collocasse videatur; cum in Ierusalem paucis, puta septuaginta, tantum annis duravit. Hæc expositio rem pene attingit, sed semiplene et ex parte dumtaxat.

Dico ergo per duas mulieres accipi duos demones primarios, vel potius Nabuchodonosorem et Nabuzardan, qui Ierusalem vastarunt, ac Iudæos impios in Babylonem

IV.

Et ge.

trastulerunt. Hi enim fuerunt milvi alati, id est, abigei et raptores celerissimi, fortissimi et rapacissimi Iudæorum, qui eos traduxerunt in Babylonem. Unde Chald. vertit, *populos leves et expeditos*, quales fuerunt Chaldæi. Tales post necem Christi Iudæis fuerunt Titus et Vespasianus, vel Titus et Adrianus.

Tr 1 cl. Tropol. aliqui accipiunt duo peccata insigniora Iudæorum, quæ eos ad exilium in Sennaar adegerunt. Noxa enim caput sequitur; et culpa est quasi lictor, qui peccatorem adigit et agit in furcam: quænam hæc peccata sint non constat. Posset quis suspicari esse furtum et periurium, quæ nominavit v. 3. Hæc enim visio amphoræ cum illa voluminis volantis videtur coincidere et eodem referri. Ribera vult esse excaecationem et obstinationem Iudæorum, quæ spiritu diabolico actæ, quasi alis milvi amphoram hanc cum muliere deportant in Babylonem. Sed hæc duo continentur in muliere: mulier enim est impietas; maxima autem impietas est obstinatio, et in malo obstinata voluntas.

Symbol. Symbolice, duæ mulieres ex parte Dei possunt accipi divina sanctitas et iustitia: hæc enim pœnas ab impiis Iudæis depoposcerunt, eosque e Ierusalem et terra sancta in impiam et impuram Babylonem eiecerunt. Unde habent alas *כַּסְיָדָה chasida*, id est, milvi, vel, ut recentiores vertunt, eiconiæ: avem *chasida* a rad. *חסד chesed*, id est, pietas, significat avem piam, puta eiconiam. Hæc enim pia est in parentes, quos senescentes fovet et alis excipit, ut cum iis ad nidum transvolet. Rursum per antiphrasin *chasida* significat milvum, quia impius est sævus et rapax; Sept. vertunt *upupam*. Iam iustitia divina sæviit in Iudæos instar milvi; sanctitas tutata est templum et pietatem instar eiconiæ, ideoque ex eo impios Iudæos eiecit in Babylonem.

SPIRITUS IN ALIS EARUM.) *Spiritus* est ventus, q. d. Rapidissimo et validissimo vento ferebantur et impellebantur, secumque impellebant amphoram in terram Sennaar. Significatur celeritas et fortitudo Nabuchodonosoris et Nabuzardan, in vastandis, expilandis et abduendis Iudæis: ita Theodoret. Haymo, Vatabl. et Arias.

Symbol. S. Hieron. spiritum nequam accepit, puta diabolum, q. d. Mulieres hæc spiritu diabolico agitabantur, ita ut viderentur diabolum habere in alis, eoque quasi furis agi rapique in Babylonem.

LEVAVERUNT AMPHORAM INTER CÆLUM ET TERRAM.) q. d. Non cursu, non equis, non curru, sed volatu, id est, velocissime transtulerunt amphoram. Qui enim volat, librat se in aere inter cælum et terram. Alludit ad milvos volantes et nidulantes in arborum cacuminibus.

Symbolice significatur, nec cælum recipere Iudæos, utpote impios et Deo exosos; nec terram, utpote, qui hominibus invisibilis ubique sint, ideoque vagi, exules et profugi: ita Rupertus. *Nec terra sua*, inquit, *capit eos, nec cælum admittet eos. Et quemadmodum signifer eorum Iudas proditor perit, suspensus inter cælum et terram, ut ait quidam, cæli terræque perosus; sic et iste populus a terrena Ierusalem exclusus, et cælesti factus indignus, quasi pendet inter cælum et terram, iuxta illud Satyriæ: Si non in cælis (vel terris) stes ubicunque relis.* Et Fernandez visione 34. sect. 3. *Iudæos*, inquit, *quasi pilum lusoriam repercutiunt omnes gentes.*

Vers. 11. Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar.) Puta in Babylone, ut vertunt Septuag. nam in terra Sennaar est Babylone, ut patet Gen. 11. 2. Dieta est *Sennaar* quasi *שַׁנְעָר scenaar*, id est, quæ excussit, scilicet dentes et linguam fabris turris Babel: ibi enim Deus confudit labium unum Meropum, quo omnes loquebantur hebraice, itaque quasi linguam et dentes eis excussit. Rursum excussit ipsos fabros ex Sennaar, eosque in totum orbem dispersit. Significat Zacharias impios Iudæos a Chaldæis abductos fuisse in captivitate Babylonicam, ibique multis annis, puta 70. mansisse, ait S. Hier. Rabbini, Albert. Vatabl. et Stunica: post eam vero ab Antiocho Epiphane, et plane pleneque a Tito, abducendos esse in captivitatem et exilium universale, quo totus orbis eis erit Sennaar, id

est, terra exuisionis, puta impietatis et infidelitatis eorum carcer et exilium. Quia enim atrox fuit elades et captivitas Sennaar, sive Babylonis, hinc per catachresin, a Iudæis quævis gravis calamitas, carcer et exilium, vocabatur *Sennaar*, sive Babylone: ita Arias et Sanchez. Denique multi censent hic significari, in Babylone regnum suum inchoaturum Antichristum, ibique erecturum sedem impietatis, æque ac tyrannidis, ac Iudæos eum ibidem pro suo Messia recepturos et culturos, ut ait Christus Ioannis cap. 3. 43. donec ab Elia et Henoch per miracula ardentemque zelum ad Christum convertantur: ita Ribera, Emmanuel et Franc. Suarez 3. p. q. 59. disp. 34. art. 6. sect. 3. et alii multi; quin et Auctor operis de Antichristo apud S. Augustin. et S. Hieronym. in cap. 11. Daniel. et Anselm. in Elucidario, asserunt Antichristum Babylone nasciturum. Hæc de causa S. Ioannes Apocal. 16. v. 12. vidit reges cum magnis copiis ab Euphrate, id est, e Babylonia quæ Euphrate adiacet, venientes ad Antichristum: *Et sextus angelus*, inquit, *siccavit Euphratem*, etc. *ut præpararetur via regibus ab ortu solis.* Et cap. 9. v. 14. *Solve*, ait, *quatuor angelos qui alligati sunt in magno flumine Euphrate, etc. ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus vicies milies dena millia.* Accedit, quod typus Antichristi fuerit Nabuchodonosor, qui Iudæos vastavit et abduxit in Babylonem, quique adorari se fecit in statua aurea, quam crexit, Daniel. 3. 5. uti et faciet Antichristus, iuxta illud Ierem. 1. 14. *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*, puta a Babylone quæ Iudææ erat ab Aquilonem. Iam sensus huius loci est is, quem assignavi v. 6. Amphora enim hæc continens impietatem, locata et statuta in Babylone, significat tam impietatis culpam, quam pœnam in Babylone locatam, ut eum in ea impietas steterit per definitam a Deo mensuram tum peccatorum, tum temporum, puniatur et plectatur, primo, per Cyrum; secundo, per Darium; tertio, per Christum, qui Babylonem et Babylonios Antichristi assecelas disperdet in fine mundi.

C Nota. Cum ait, *ut ædificetur*, etc. alludit ad idola et idololatriam, quæ maxime nomine impietatis hic intelligitur. Idolis enim more communium Iudei ædificabant domus et templa, eaque ponebant et elevabant in basi, ut excelsum ab omnibus viderentur et colerentur. Iam domus idololatriæ et seclerum fuit Babylone, uti patet Ierem. 50. et 51. unde per catachresin, Roma impia et ethuica sanguine fidelium et Martyrum eruenta, imo ebria, a S. Ioanne vocatur Babylone Apocal. 17. et 18. In Babylone ergo impietas Iudæorum, eiusque pœna et captivitas posita fuit super basim, quia quasi statua super eolumnam erecta fuit, ut videri ab omnibus etiam longe remotis posset. Proprie ergo et genuine hæc amphora impietatis e Iudæa translata in Babylonem, significat idololatriam cum idololatriis impiisque Iudæis, a Chaldæis e Iudæa translata esse in Babylonem, ita ut Iudæa iam ab ea expurgata, sit sancta, dignaque in qua Deo templum restauraretur, in quo ipse, ut prius, habitet et colatur: qua ratione Propheta consolatur, simulque incitat Iesum, Zorobabel et populum, ut in Ierusalem reversus ibi maneat; et si qui in Babylone remanserint, inde in Iudæam redeant, ibique templum Deo construunt, in quo illum sanete venerentur et colant. Ierusalem enim iam est civitas pietatis, Deique veri cultus, ideoque impunitatis pariter et securitatis asyllum: Babylone vero est civitas idololatriæ et impietatis, uti fuit ab initio sub tyranno Nemrod, Genes. 10. v. 10. ideoque punitioni et excidio addita, perinde ac iam Meca in Arabia est civitas mahometismi, Geneva est metropolis calvinismi. Iudæi ergo e Ierusalem in amphora quasi translati in Babylonem, eo impietatem, id est, idololatriam, secum exportarunt, ita ut illa amplius non redierit in Ierusalem, inquit Lyan. Dionys. et a Castro. In Babylone itaque suam amphoram, id est, culpam et pœnam deposuerunt, dum septuagesimo anno ea emensa, evoluta et persoluta, quasi ex sua amphora exeuntes, puri et liberi redierunt in Ierusalem et terram sanctam, amphoram, id est, idololatriam, eiusque pœnam, relinquentes Babyloni et Babylone.



nis, quos proinde primo Cyrus, deinde Darius Hystaspis vastavit.

Allegor.  
Sennaar  
est infer-  
nus.

Alleg. significatur impietatis Iudæorum mensura complenda per eadem Christi, ob quam ipsa cum Iudæis impiis et Ierusalem per Romanos expellenda sit in Sennaar, id est, in exilium totius orbis, donec in Sennaar subiciat se Antichristo, cum eoque plectatur et tradatur in tartara. Ibi enim erit æterna sedes impietatis, ibique implebitur plane illud: *Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar*, id est, excussionis, *et stabilietur et ponatur ibi super basim suam*. Pro quo Clarius vertit Syrus, *ut ædificentur ei domus in terra Babylonis, et stabilietur eam, et habitare (residere) faciant eam ibi super preparationem (mansionem) eius*; et Arabicus Alexandr. *tem ædificata est ei domus in Babylone, et parata est ei, et habitabit in domo quæ ei parata est*; et Arabicus Antioch. *ut ædificentur ei domus in terra Babylonis, et stabiliet eam, et ponat eam in æqualitate eius*, æqualia reddens euique pro demeritis supplicia. Tunc enim impietas Iudæorum, inquit Fernandez vis. 34. sect. 5. exaltabitur, et quasi super basim ut idolum in templo collocabitur, ut gloriosior et honoratior habeatur ab omnibus Antichristi sequacibus. Unde eorum typus fuerunt fabri, qui turrim Babel ædificaverunt in Sennaar, ut impietatem suam contra Deum exaltarent. Sic enim et Iudæi impietatis suæ idolum, quasi super basim exaltabunt ibidem sub Antichristo: sed in nihilum recident cogitationes eorum, sicut et impiæ turris ædificatorum. Nam et Antichristus eorum occidetur a Christo, et impietas exaltata cadet: sed per magnam misericordiam Dei fiet, ut cæso Antichristo a sua impietate respiciant, et convertantur ad Christum. Beneficia enim contempta acunt Dei primo iram, deinde misericordiam.

Tropol. Impietas e Ierusalem, id est, ex Ecclesia exertitur, cum ex ea expelluntur, exeuntque schismatici et hæretici, ut constituent suæ hæresis idolum in Babylone, id est, in sua Ecclesia Satânica, ex qua in æternam Babylonem, id est, confusionem, et Sennaar, id est, excussionem dentium, deturbabuntur, puta in gehennam, ubi erit fletus et stridor dentium; ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Fideles ergo qui sapiunt, fugiant Babylonem hanc quasi pestem, ac in Ecclesia sedem figant; ibi templum perfectionis virtutum Deo ædificent, donec in Ierusalem et templum cælesti, ad æternam vitam et gloriam transferantur. Utinam o Domine impietatem (hæresim) ex Anglia, Scotia, Germania, Bohemia, etc. educas, et transferas in Sennaar, ut fiant terra orthodoxa et sancta, sicut olim fuerunt, cum in ea te laudaverunt patres nostri.

Rursum amphora est mensura peccatorum cuiusque tum hominis, tum populi, qua impleta Dei vindicta prosiliit ad ultionem. Siquis ergo videat, ne amphoram hanc impleat, sed si quid criminum in eam iniecerit, mox per pœnitentiam evacuet et exauriat. Porro impletur amphora, cum impune et publice grassatur impietas, uti fit in Bacchanalibus, cum omnium oculi in eam intendunt. Tunc ergo maxime timenda est Dei ira et vindicta. Quocirca viri sancti, ut eam a se et republ. avertant, eo tempore tanto magis insistent orationibus et piis operibus, ut iram Dei sistant et amphoram evacuent, quanto impii vacant suis cupidinibus, ardentque ut eam impleant; ne instar Sodomorum igne cælesti siderentur, vel instar Iudæorum in terram Sennaar, id est, excussionis, puta in exilium præsens et perenne in gehenna ablegentur; præsertim cum Deus dat signa iræ suæ, et vindictæ imminuentis per famem, pestem publicasque strages et clades. Tunc enim apparet eius falx volans, et amphora egrediens, quam præcones toti populo annuncient et intentent, ut eam vitare, et Dei indignationem placare satagant; perinde ac fecit Aaron in seditione ac punitione Core iubente Mose ac dicente: *Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: iam enim ira egressa est a Domino, et plaga desecit. Quod cum fecisset Aaron, et accurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymia-*

*ma, et stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.*

Symbolice, S. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 26. per amphoram accipit avaritiam, in quam oculi omnium mundanorum respiciunt; ut, cum ad cætera sint cæci, oculos solum habere videantur ad intuendas amphoras, et mensuras emendi vendendique, ac cætera lucri instrumenta. Hanc duæ mulieres, scilicet superbia et inanis gloria in altum levant. Audi ipsummet S. Gregor. totum hoc amphoræ symbolum explicantem moraliter: *Volens Deus Propheta ostendere humanum genus, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit: Avaritiæ quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. Multos obtusi sensus homines cernimus, et tamen in malis actibus astutos videmus, Propheta quoque attestante qui ait: Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem parere nesciunt. Hi itaque sensu torpent, sed in his quæ appetunt avaritiæ stimulis excitantur; et qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis ad peragenda mala vigilantes sunt. Unde recte de hac eadem avaritia dicitur: Hæc est oculus eorum in universa terra. Ecce talentum plumbi portabatur. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Quam mulierem ne fortassis quæ esset, dubitare possimus, illico angelus innouit. Nam illie mox sequitur: Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ. Impietas in medio amphoræ proiecitur: quia nimirum in avaritia semper impietas tenetur. Et misit massam plumbi in os eius. Massa plumbi in os mulieris mittitur: quia scilicet impietas avaritiæ peccati sui pondere gravatur. Si enim ea quæ deorsum sunt non ambiat, erga Deum ac proximos impia nequaquam existeret. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. Quid aliud in his duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet et gloriam inanem? quæ impietati absque ulla dubitatione coniuncta sunt. Quæ et in alis suis spiritum suum habere narrantur, quia in actionibus suis Satanæ voluntati deserviunt. Ipsum quippe Propheta spiritum appellat, de quo Salomon ait: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et de quo in Evangelio Dominus dicit: Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa. Spiritus in alis earum est: quia superbia et inanis gloria per omne quod agunt, Satanæ voluntati famulantur. Cætera deinde amphoræ ita tropolog. prosequitur: Et habebant alas, quasi alas milvi. Milvus semper naturæ studet insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum diabolo sunt procul dubio similes, qui insidiatur semper vitæ parvulorum. Et levaverunt amphoram inter cælum et terram. Superbia et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerint, in cogitatione sua super ceteros homines extollant, et modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenerint, quasi in honoris altitudinem elevent. Qui autem inter cælum et terram est, et ima deserit, et superiora minime attingit. Levant ergo istæ mulieres amphoram inter cælum et terram, quia superbia et inanis gloria mentem per avaritiam honoris captam ita elevant, ut quolibet proximos despicientes quasi ima deserant, et alta gloriantes pelant. Sed tales quæ dum superbiunt, et eos mente transeunt eum quibus sunt, et superioribus civibus minime iunguntur. Amphora ergo levata inter terram et cælum dicitur: quia avari quique per superbiam atque inanem gloriam et proximos iuxta se despiciunt et superiora quæ ultra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque et cælum feruntur: quia nec æqualitatem fraternitatis in infinitis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese extollendo prævalent. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istæ deserunt amphoram? Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar. Eidem amphoræ ædificatur domus in terra Sennaar: Sennaar quippe factor eorum dicitur. Et sicut bonus*

Symbol  
amphora  
est avaritia.

odor ex virtute est, Paulo attestante qui ait: *Odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, et e contrario fetor ex vitio. Radix enim est omnium malorum cupiditas. Et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est ut domus avaritiae in fetore construat. Sciendum quoque est quod Sennaar latissima vallis est, in qua turris a superbientibus aedificari ceperat, quae linguarum facta diversitate destructa est: quae scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa videlicet confusione mentium atque linguarum. Nec immerito ibi avaritiae amphora ponitur, ubi Babylon, id est, confusio, aedificatur: quia dum per avaritiam et impietatem certum est omnia mala exurgere, recte haec ipsa avaritia atque impietas in confusione perhibentur habitare. Haec quae de avaritia dixit S. Gregor. pari iure libidini, gulae, irae, acediae, et cuivis alteri vitio attribuas. Amphora enim vini est gula; fellis, ira; torporis, acedia, etc.*

## CAPUT SEXTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

**Occasio visionis.** Videt Zacharias quatuor quadrigas, in eis que equos quadruplices, scilicet rufos, nigros, albos et varios, portedentes quatuor monarchias sibi ordine succedentes, scilicet Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, quibus successit regnum Christi stabile et aeternum. Unde Secundo, v. 9. iubetur facere coronam auream, eamque ponere in capite Iesu pontificis, auditque: Ecce vir Oriens (Chald. Messias nomen eius) et subter eum oriatur, et aedificabit templum Domino. Occasio huius visionis fuit haec: viderat Zacharias in fine capitis praecedentis amphoram cui insidebat impietas, transferri in Babylonem, ibique eam in basi quasi in loco stabili collocari. Iam videt circa impietatem hanc, et impium Babylonis imperium caetera regna confligere, illudque ei extorquere. Nam Cyrus et Persae ceperunt et vastarunt Babylonem. Deinde Alexander Magnus Darium et Persas cecidit iuxta Babylonem, eaque ratione Babylonis imperium Persis ademit, et ad Graecos transtulit. Denique Romani illud idem Graecis ademptum sibi vindicarunt. Hoc est quod a Deo audit propheta v. 8. Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis (in Babylonem, quae Iudaeae est ad Aquilonem) requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

**Similis Danielis.** Haec eadem paulo ante intuitus est Daniel cap. 2. 52. ubi in specie statuæ quadriformis quatuor hasce monarchias conspexit. Et cap. 7. 5. ubi easdem sub specie quatuor ferarum, scilicet leaenae, ursi, pardi, et quartae horribilis ac variae depingi vidit: quae visio paucis annis ante Zachariam contigit, nimirum anno primo Balsasar, ut ibidem dicitur vers. 4. qui paulo post casus fuit a Cyro Babylonem expugnante. Haec vero Zachariae contigit sub Dario Hystaspis, qui post septennium regni Cambysis, Cyro in imperio Persidis successit, et Babylonem rebellantem rursus expugnavit. Quocirca ad has Danielis visiones alludit Zacharias: unde vidit eosdem quatuor ventos, quos Daniel 7. 2. inter se confligentes; ac quatuor feras quatuor monarchias portedentes praecurrere, et desinere in regnum Christi aeternum. Prima enim Danielis fera respondet rufo colori equorum Zachariae: leaena enim est rufa. Secunda fera Danielis, puta ursus respondet nigro colori equorum secundorum Zachariae: ursi enim sunt nigri. Tertia fera Danielis, puta pardus, respondet colori albo equorum tertiorum Zachariae: pardus enim maculis albis inspersus est. Quarta fera varia Danielis respondet quartis equis variis Zachariae. Danielelem et Zachariam secutus est S. Ioannes Apocal. 6. ubi quatuor regna post Christum futura vidit depingi per quatuor equos: primum, album; secundum, rufum; tertium, nigrum; quartum, pallidum. Vide ibi dicta.

1. **E**T conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi: et ecce quatuor quadrigae egredientes de medio duorum montium: et montes, montes aerei. 2. In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, 3. Et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii, et fortes. 4. Et respondi, et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt haec, domine mi? 5. Et respondit angelus, et ait ad me: Isti sunt quatuor venti caeli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terrae. 6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram aquilonis: et albi egressi sunt post eos: et varii egressi sunt ad terram austri. 7. Qui autem erant robustissimi, exierunt, et querebant ire et discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: et perambulaverunt terram. 8. Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis. 9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 10. Sume a transmigratione ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia: et venies tu in die illa, et intrabis domum Iosiae, filii Sophoniae, qui venerit de Babylone. 11. Et sumes aurum et argentum: et facies coronas, et pones in capite Iesu filii Iosedee sacerdotis magni, 12. Et loqueris ad eum, dicens: Haec ait Dominus exercituum, dicens: ECCE VIR ORIENS NOMEN EIUS: et subter eum oriatur, et aedificabit templum Domino. 13. Et ipse extruet templum Domino: et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo: et erit sacerdos super solio suo: et consilium pacis erit inter illos duos. 14. Et coronae erunt Helem, et Tobiae, et Idaiae, et Hem, filio Sophoniae, memoriale in templo Domini. 15. Et qui procul sunt, venient, et aedificabunt in templo Domini: et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

**Vers. 1.** **E**T CONVERSUS SUM, ET LEVAVI.) *Conversus*, id est, iterum vel rursus levavi oculos, et vidi novam visionem: ponitur enim verbum, vel potius participium pro adverbio, per enallagen Hebraeis usitatam; ita Vatabl. Unde ex hoc loco non liquet, an haec visio statim successerit visioni praecedentis capitis, an vero post maius temporis intervallum.

**Quatuor quadrigae quae?** **E**T ECCE QUATUOR QUADRIGAE.) Theodor. quem sequuntur Palacius et a Castro, per quatuor quadrigas accipiunt quatuor angelorum turmas, Iudaeorum res et commoda procurantium. Nam cap. 1. v. 8. vidit pari modo equos varios, albos et rufos, qui representabant angelos Iudaeorum tutelares, ut ibi dixi. Hi enim stant coram Domino, uti dicitur v. 5. ad eius iussa diversa circa regimen populi eius exequenda, iuxta illud Habacuc 3. 8. *Qui ascendis super equos tuos, et quadrigae tuae salvatio.* Et ps. 67. 48. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium: Dominus in eis in Sina in sancto.* Unde et Elias in curru aequorum igneorum, id est, angelorum, raptus est in caelum, 4. Reg. 2. 11. Et e. 6. 17. Elisaeus obsessus a

Syris vidit montem plenum equorum et quadrigarum in circuitu suo, puta angelorum, ad se tutandum. Iam hasce quatuor quadrigas, id est, turmas angelorum, ita particulatim ex Theodoro applicat et explicat a Castro: Equi rufi, inquit, significant angelos ultores et sanguinarios, qui egressi a Domino manserunt in Iudaea, ut Iudaeos sua virtute de hostibus ulscerentur et tutarentur. Quadriga angelorum quae nigris equis vehabatur, missa fuit in terram Aquilonarem, ut per Medos et Persas exscinderet Babylonios hostes Iudaeorum. Quadriga angelorum alborum missa est post priorem, ut Iudaeos libertate donatos per eosdem Persas, hilares deduceret in patriam. Quadriga angelorum variarum missa est versus Austrum, ut hostes Iudaeorum eis felicitatem invidentes, pro varietate gentium continerent, ne ulla in re eis nocerent.

Sunt quatuor mor archie.

Verum communis Patrum et Interpretum sententia est, hasce quatuor quadrigas significare quatuor monarchias circa impium Babylonis imperium decedentes, quas Deus sua providentia successive in lucem eduxit, rexit, mutavit pro libito ad suam potentiam et gloriam, praesertim circa populum suum per eas vel castigandum, vel protegendum et promovendum, toti orbi ostendendam: itaque equos rufos denotare monarchiam Assyriorum et Chaldaeorum, nigros Persarum, albos Graecorum, varios Romanorum: ita S. Hieron. Cyrill. Chald. Remig. Haymo, Hugo, Albert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, Sanchez, Fernandez et alii passim. Ratio huius symboli quadrigarum est, quod monarchiae iam dictae quadrigis in bello utebantur, ex hisque depugnabant: quadrigae ergo significant, quod ipsae sua bellica fortitudine, vi et tyrannide obtinuerint sua imperia. Nam per quadrigas intelligit earum aurigas et sessoros, uti et c. 1. v. 8. puta ipsos monarchas, eorumque duces et milites quadrigis insidentes, tum ad bellandum, tum ad triumphandum, tum ad suam pompam et gloriam ostentandam, nisi dicas cum Sanchez, quadrigas has non ab hominibus, sed a belluis agi; quia belluinae et tyrannicae fuerunt monarchiae, ut belluarum, quibus comparantur et representantur, naturam et indolem imitatae, imo induisse videantur. Unde et Daniel cap. 7. 3. vidit eas representari per quatuor bestias, quas paulo ante recensui. Adde, sicut auriga potest laxatis, adductis vel flexis habenis, pro arbitrato quadrigam agere, sistere et regere quoqueversum; sic reges et monarchae suis legibus, placitis, prudentia, consilio, imperio populos sibi subiectos gubernant, et pro voluntate moderantur. Et quia triumphus est quasi regnum quoddam temporarium, decretum ducibus ob partam victoriam, ideoque triumphantes quadriga vehabatur, quasi reges temporarii.

Ratio symboli.

Porro veteres in quadrigis depugnasse, indeque quadrigam symbolum esse belli et regni bello parti, patet ex illo psal. 19. 8. *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Et Nahum 3. 2. *Vox flagelli, et vox impetus rotae, et equi frementis, et quadrigae ferventis.* Et Cant. 1. 8. *Equitatu meo in curribus Pharaonis assinilavi te.* Sic de Turno canit Virgil. *Aeneid.* 12.

*Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus Emicat in currum, et manibus molitur habenas.*

Sic Isaias cap. 21. 7. vidit in bigis ascensorem cameli et ascensorem asini, id est, Darium et Cyrum invadentes Babylonem. Denique Ezechiel vidit currum cherubicum quasi quadrigam Dei, pergentis ad excidium Iudaeorum et Gentium, stipatum quatuor animalibus, leone, bove, homine et aquila. Huc spectat illud Deuter. 33. v. 26. *Ascensor caeli auxiliator tuus: caelum enim est quasi currus bellicus Dei.*

Mystice, sunt quatuor genera Sanctorum.

Mystice, Clarius, Burgensis, et nonnulli veteres apud S. Hieron. per quatuor quadrigas accipiunt quatuor Evangelia, quadrupliciter a quadruplicibus praecursoribus toto orbe promulgata et propagata. Nam equi rufi significant Apostolos et Martyres, qui suo sanguine Evangelia obsignarunt. Equi nigri significant Prophetas et Doctores, qui profunda et quasi in antris atris abdita Dei mysteria ingressi, ibique quasi atrati, eadem in mundo praed-

dicarunt, sed atre, id est, obscure, et quasi per speculum et in enigmate, ut ait Apostolus 1. Corinth. 13. 42. Equi iugales albi significant Virgines, virginitate quasi liliis candidos. Equi varii et fortes significant Confessores variis Dei donis illustres. Hi enim omnes quasi quadrigae Dei, actae et impulsae vento impetque Spiritus sancti cunctas gentes Christo subiugarunt. Sicut enim Deus quadrigis, id est, Monarchis Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum subiecit orbem; ita multo magis eundem ineffabili sua providentia per quadriiformes Sanctos subiecit Christo, in cuius regnum omnes reges et regna desierunt.

**DE MEDIO DUORUM MONTIUM.** Hi duo montes symbolum sunt potentiae et providentiae Dei, cuius duae partes, et quasi montes sunt mens et voluntas, puta sapientia et decretum, sive dispositio et definitio, aut praedeterminatio et executio. Sensus ergo est, q. d. Haec quatuor quadrigae, id est, monarchiae Dei potentia et providentia ita constrictae tenebantur et claudebantur, quasi septem essent montibus aeneis, id est, fortissimis et impenetrabilibus, donec manum suam laxavit Deus, eisque exeundi potestatem dedit, ut imperium occuparent, sibi quae alias gentes subiecerent. Alludit, ait Mariana, ad montem Taurum, seu Caucasum, ubi iuga montis duo in fauces coeunt, sicut portae ferreae, de quibus Hegecippus lib. 5. cap. 50. Locus est sic dictus, non quod ibi sint portae, sed ob munitionem. Nam proprie ex hisce montibus egressi sunt eorum accole Persae, qui in vastando hoc impietatis Babylonicae regno fuerunt primi et praecipui, ideoque requiescere fecerunt Spiritum Dei, ut dicitur v. 8. Simili enim modo Dei providentia sua sapientia et voluntate, quasi duobus ferreis montibus inter se coeuntibus, continebat has monarchias, uti ventos (quibus haec monarchiae comparantur v. 5.) suis antris et montium latebris ab Aeolo concludi fabulantur Poetae, qui hanc fabulam hinc mutuati videntur, de qua Homerus Odyss. 20. et ex eo Virgil. lib. 1. *Aeneid.*

C

*Hinc vasto rex Aeolus antro Luctantes ventos, tempestatesque sonoras Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat. Ni faciat, maria ac terras, caelumque profundum Quippe ferant rapidi secum.*

Unde Secundo, Vatabl. per montes hos accipit robur istorum regum et gentium, quae sua virtute bellica monarchiam sibi pepererunt. Simili modo Arias accipit eorumdem consilium et industriam, quae in bellis robori saepe praevalet. Mystice, Albert. Lyran. et Hugo, per duos montes accipiunt Israel et Iudam, e quibus egressi sunt Prophetae, qui quasi montes aerei, id est, fortes et invicti certo et infallibiliter harum monarchiarum principium, progressum et terminum praedixerunt.

Allegor. duo montes sunt duo testamenta, vetus Mosis, et novum Christi. Haec enim sunt quasi duo montes inconcussi et irrefragabiles, e quibus egressa sunt quatuor Evangelia, quae totum orbem occuparunt: ita Clarius et Burgensis.

D

**AEREI.** Id est, fortes et duri instar aeris. Perperam R. David vertit *chalybei*. Hebraeum enim *תשחך* *nechosset*, significat aes, non chalybem, atque aes aequae duritiae est symbolum ac chalybs.

**IN QUADRIGA PRIMA EQUI RUFII.** Mariana per equos rufos, utpote fortissimos, accipit monarchiam Romanorum, quae licet ordine fuerit ultima, robore tamen et virtute fuit prima: unde prima hoc loco ponitur.

Vers. 2.

Verum alii omnes per equos rufos accipiunt monarchiam Assyriorum et Chaldaeorum, quae reipsa fuit prima. Hi vocantur rufi, tum quia sanguinarij et crudeles fuerunt, praesertim in Iudaeos, quos urbe, templo, libertate et vita spoliarunt (hinc celebris illa, dira et aerumnosa captivitas Iudaeorum in Babylone per septuaginta annos: ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. et alii: ) tum quia vestibus rufis, id est, purpureis et coccineis, utebantur, ut patet Nahum 2. 3. *Clypeus eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis.* Et S. Iohannes Babylonem vocat purpuratam meretricem

Equi rufi sunt Assyrii car?

Apocal. 17. 3. et c. 18. 16. *Væ, ait, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, purpura et cocco.* Hic enim color ardorem animi ad præliandum notat et acuit: unde equi rufi alacriores, erectiores et animosiores sunt. Color enim rufus est accensus, et ignis splendorem refert, idque melius quam rubeus, qui tamen zeli, et acrimoniam est index, teste Aleiati emblem. 117. dum ait:

*At ruber armatos equites exornat amictus.*

Hæc de causa post Chaldaeos aliæ quoque gentes ad prælia euntes, vestibus rubris usæ sunt, ut Persæ, teste Xenophonte lib. 7. Cyripadiæ: et Græci, teste Aliano lib. 6. cap. 6. præsertim Lacedæmonii. Pluribus idipsum ex Plutarcho, Aliano et Valerio demonstrat Alexander ab Alexandro lib. 4. Genial. cap. 20. et ibidem Tiraquellus. Verum quia primi Babylonii in bellis purpurea vel coccinea veste usi sunt, quos deinde Græci et Persæ sunt imitati; hinc hic color datur Babylonii: ita Arias et alii. Porro quid hi equi rufi egerint, non declarat Zacharias, tum quia iam præterierant; tum quia Iudæis recens ex Babylone redeuntibus satis idipsum constabat, inquit S. Hieron. tum quia eorum gesta noxia et funesta fuerunt Iudæis, inquit Cyrillus. Angelus autem hic læta ostendit Zachariæ, ut afflietos Iudæos animet et consoletur.

Alleg. Clarius: Equi, inquit, rufi qui alio non sunt egressi, significant S. Iacobum, S. Stephanum, primosque similes Christi præcones et athletes, qui inter crudeles et eruentos Iudæos Evangelium Christi prædicarunt, pro eoque ab illis in Iudæa occisi sanguine suo rubricati, non alio quam e terra in cælum egressi sunt.

**IN QUADRIGA SECUNDA EQUI NIGRI.**) Nigri designant Persas: quia hi plus horrore et mœroris, quam damni et stragis intulerunt Iudæis; uti Cambyses, qui impeditur fabricam templi; et Assuerus maritus Esther, qui seductus ab Aman Iudæos omnes neci addixit: ita S. Hier. Addit Arias, Persas pulla et atra veste uti solitos, indeque fuscum dici, quasi pusium et persicum. Verum id non liquet ex historiis, imo Xenophon loco iam citato, asserit eos in bello usos coccineis.

**IN QUADRIGA TERTIA EQUI ALBI.**) Albi denotant Alexandrum, Ptolemæum Philadelphum, et Græcos, qui clementes et benevoli fuerunt in Iudæos, adeo ut Alexander Iaddum pontificem pronus adoravit, teste Iosepho lib. 11. Antiq. cap. ult. Licet enim Antiochus Epiphanes ex Græcis oriundus Iudæos afflixerit, tamen hæc afflictio fuit modici temporis, atque in ea Machabæi victoriis fuerunt candidati et illustres.

Addit Cyrillus, Græcos denotari albo colore; tum quia ut plurimum veste alba utebantur; tum quia linguam planam et apertam, ac a barbarorum tenebris et obscuritate alienam habebant; tum quia delicias et convivia amabant, quorum symbolum erat candida: hæc enim erat vestis festa, convivalis et læta; tum quia in bellis fuerunt felices et victoriosi, uti patet de Alexandro: candida enim vestis erat triumphantium.

**IN QUADRIGA QUARTA EQUI VARI ET FORTES.**) Mariana per equos varios accipit Egyptios; hi enim ad Austrum late dominati sunt Egypto, ac vicinis Syris et Æthiopiis, fueruntque potentes et celebres. Verum cæteri omnes per quartam hanc quadrigam accipiunt monarchiam Romanorum. Hæc enim potens fuit et fortis, æque ac varia: tum in regimine, quod initio in Regibus fuit monarchicum, deinde in Consulibus aristocraticum, postea in Tribunis plebis democraticum, rursum in Imperatoribus monarchicum, idque ex varia gente: alii enim fuerunt Itali, alii Hispani, alii Galli, alii Græci, etc. Tum quia Romani variis fuere ingenii, æque ac asceticibus in Iudæos: partim enim in eos benevoli fuere, uti Senatus Rom. tempore Machabeorum, quando eum eis fœdus sancivit; item Iulius Cæsar, Augustus, Tiberius, Claudius: partim infensi et crudeles, ut Pompeius, Caligula, Nero, Vespasianus et Adrianus: ita S. Hieron.

Pro variis hebr. est כְּרוּדִים *berudim*, id est, grandinati, hoc est, maculis albis instar grandinis respersi et variegati, quos Latini guttatos vocant, ut Martialis lib. 5. epi-

gram. 104. aves Numidicas guttatas vocat. Unde Syrus vertit, *sparso vellere, vel ad flammæum colorem accedente*; Arabieus Antioch. *colore vermiculi*, vel purpuræ. Rursum pro fortes hebr. est אֲמוּצִים *amutzim*, quod Aquila vertit *κραταιοι*, vel, ut legit S. Hieron. *κρατεροι*, id est, potentes, robusti; Septuag. *ψαροι*, id est, sturnini, puta colore sturni avis: hæc enim vocatur *ψαρος*, vel veloces, *απο το ψαρου*, unde *αψαρος*. Chald. vertit, *קִטְמָנִין* *kitmanin*, quod Biblia Regia vertunt, *coloris cinerei*: melius alii vertunt *confringentes*, vel comminutes, in cinerem redigentes, iuxta illud quod de iisdem ait Daniel cap. 2. 40. *Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc.* Origo duplicis huius versionis est, quod Hebr. אֲמוּצִים *amutzim*, proprie significet fortes, ideoque veloces, ut vertunt Septuag. et comminutes omnia, ut vertit Chald. Sed aliqui, iuter quos est Arias, *amutzim* acceperunt pro אֲמוּצִים *chamutzim*, id est, fermentatos, puta cinereos, huius enim coloris est fermentum; vel *sturninos*, ut alii vertunt ex Septuag. sturni enim pariter sunt coloris cinerei. Unde et Syrus, etiam Vaticanus, *το fortes* omittit. Verum prior lectio *amutzim*, id est, fortes, est vera et genuina. Porro Arias per *cinereos*, accipit Turcas, Arabes et Saraecnos, qui colorem habent cinereum; præsertim Ottomanos. Hi enim partem magnam Romani imperii occuparunt sua fortitudine, quam eis indit sua lex, puta Alcoranum: hoc enim iubet eis, ut armis sectam suam propagent. Verum hi Romani censeri nequeunt, eum sint Romanorum iurati hostes; nec robustissimi, eum eis longe sint robustiores Christiani Europæi, uti patet in præliis. Adde, spurca et fœda est hæc Mahometis secta, nec digna hisce Zachariæ oraculis et e-

**Mystice, Alcâzar in c. 6. Apocal. notat. 5. pag. 444.** Mystice, per quadricolores equos et quadrigas accipit quatuor doctes et virtutes, quibus Apostoli virique Apostolici, quasi equos albos denotare immaculatam sanctitatem; rufos zelum ardentem; varios sapientiam; nigros modestiam. De albore vide Aleiatum embl. 117.

*Sinceri est animi et mentis stola candida puræ.* Rufi denotant ardorem: quia hic color accensus est et igneus. Varii significant æternam Dei sapientiam, quæ varietatem illam Apostolorum et fidelium tanta pulchritudine distinxit: multiplex enim color est multiformis ars et sapientia. Est enim spiritus sapientia multiplex, Sapient. 7. 22. Niger color significat modestiam; unde Clerici et Monachi S. Basilii, Benedicti, Augustini, etc. nigris vestiuntur, iuxta illud Cant. 5. 11. *Comæ eius nigræ quasi corvus*; ubi Delrio ex Hesyehio, Bernardo, Aleuino, Beda, Raymone et Anselmo ostendit, nigrorem symbolum esse rei contemptæ, et externa specie despicibilis, quæ fundamentum est humilitatis et modestiæ, iuxta illud Cant. 1. 5. *Nigra sum, sed formosa.*

Ex his Zachariæ quadrigis ortæ videntur quatuor Circensium aurigarum factiones, totidem coloribus distinctæ, quæ apud Romanos et Græcos graves sæpe tumultus concitarunt. Erant enim aurigæ, alii albatii, alii russati, alii prasini, alii veneti, de quibus omnibus extant Epigrammata l. 5. Anthologiæ, et Dio l. 59. et Suetonius in Vitellio c. 14. Albatii enim respondent quadrigis albis Zachariæ, russati rufis, prasini nigris, veneti variis. Prasini enim color est porraceus, sive viridis, qui conflatur ex gilvo et nigro, teste Platone in Timæo. Venetus color vocabatur cyaneus, sive cæruleus et marinus, ait Vegetius: mare autem ob fluctus et reverberationem radiorum solis varios exhibet colores, sed maxime cæruleum. Unde Arias equos varios Zachariæ censet fuisse cinereos, qui ad cæruleos accedunt. Porro hisce quatuor coloribus videntur representasse quatuor elementa, eorumque inter se dissidia et pugnas, nimirum rubro ignem; ruber enim color ignis est, et igneus: albo aerem; serenus enim aer albescit: veneto, sive cæruleo aquam et mare: prasino, sive porraceo terram, germina et porros producentem. Hæc enim quatuor elementa moderatur, interque se committit

Nigri sunt Persæ, cur?

Vers. 5. Albi sunt Græci.

Varii sunt Romani

Mystice, quatuor equi sunt quatuor virtutes Apostoli-

ca.

Origo Circensium.

et contemperat summus universi auriga Deus. Unde de origine ventorum et prasinorum sic in antiquis historicarum Collectaneis Cod. Vatic. 96. legimus: *Ofenomaus primus invenit Circensium colores, quibus terræ ac maris quasi certamen representavit. Millebantur sortes; quem vero contigisset terræ vicem agere certando, ille vestem viridem inducibat; exeruleam autem, qui vicem maris agebat. Hoc certamen vigesimoquarto die Martii Ofenomaus constituit. Quod si color viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant; si exeruleus, tranquillam maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi colori; nautæ exeruleo.*

Vers. 5

**ISTI SUNT QUATEOR VENTI.** ) Hoc est, velut quatuor venti: Hebræi enim sæpe *capit*, quæ est nota similitudinis omittunt, q. d. Hæ quatuor quadrigæ, id est, monarchiæ, inter se colligent ut venti contrarii, ac violenter et celeriter quasi venti subvertent omnia quocumque irruent: denique velociter transibunt et desinent, uti faciunt venti. Alludit ad Daniel 7. 2. ubi pariter Daniel hæc quatuor regna depingi vidit per quatuor ventos colligentes in mari, q. d. Istæ quadrigæ sunt similes quatuor ventis ostensis Danieli: sicut enim ventis mare, sic quadrigis terra turbatur: ita Theodoret. Vatabl. Sanchez hic et Perer. in Danielis 7. 2. Simili phrasi dicitur Deus suscitasse spiritum Cyri 1. Esdræ 4. 1. et spiritum regum Medorum Ierem. 51. 11. Insuper S. Hieron. Theodor. Remig. et Vatabl. per quatuor ventos accipiunt quatuor plagas, sive climata mundi, ad quas egressæ sunt hæ quadrigæ, ut eas sibi subiecerit. Unde Vatabl. vertit, *istæ sunt quadrigæ, quæ ad quatuor ventos, vel plagas caelorum egrediuntur*; et Chald. *ista sunt quatuor regna, quæ sunt in quatuor ventis caeli*. Denique pro *venti*, hebr. est רוחות *ruchot*, id est, spiritus, quales sunt angeli, æque ac venti. Unde Theodoret. Palacius et a Castro, pro quadrigas has et ventos accipiunt angelos præsides regnorum, puta quatuor monarchiarum, de quibus dicitur psal. 103. 4. *Qui facit angelos suos spiritus*, et hi stant coram Domino. Hic sensus eodem redit. Quod enim de angelis dicitur, hoc de monarchiis illis commissis dicitur et intelligitur.

Moral.

Moral. disce hic regna et potentatus huius sæculi naturam habere ventorum, æque ac quadrigarum, tum quia valida sunt et armipotencia; tum quia velocia; tum quia mox evanescent. Stultus ergo est, qui venios sequitur, quos assequi non potest, et si posset, diu tenere non posset, inquit Sanchez. Vides quadrigam principis equis quaternis vel senis velocibus velociter transcurrere, cogita ita transcurrere omnes orbis principatus. Sentis ventos celerissime per aera transvolare, cogita pari modo transvolare reges et regna, omnesque dignitatum apices: *Omnis potentatus vita brevis*, ait Sapiens.

**UT STENT.** ) Quasi parati ad eius iussa exeipienda et exequenda. Nam Deus per eos punit quos vult, imo priores semper punivit et evertit per sequentes, uti Chaldæos per Persas, Persas per Græcos, Græcos per Romanos. Vido dicta Isaiaë 10. 5. et Ier. 23. 9. et sequentibus. Ubi Noia, homines omnes, licet pessimi sint, quales fuerunt multi ex his monarchiis, utpote tyranni, assistere Deo quasi instrumenta et lictores eius, ut vel populum eius defendant, vel impios castigent. Hebr. est מהתיצב *mehitiatseb*, id est, a stando; Pagnin. et Tigur. *a loco ubi stabant coram Domino*; Noster cum Septuag. melius vertit, *propter standum*, id est, *ad standum*: quia Hebr. מן *min* sæpe significat *propter*, et subinde capitur pro ל *id est, ad*. Istæ enim particulae et litteræ serviles per enallagen non raro inter se commutantur: *mehitiatseb* ergo, id est, a stando, idem est quod *lehitiatseb*, id est, ad standum, ut stent.

Vers. 6

**EQUI NIGRI EGREDIEBANTUR IN TERRAM AQUILONIS.** ) Equi nigri significant Persas, qui vastarunt Babylonem, quæ est ad Aquilonem Iudææ, ut dixi v. 2.

**ET ALBI EGRESSI SUNT POST EOS.** ) Denotatur Alexander et Macedones, qui Persis in monarchia successerunt, eamque illis extorserunt iuxta Babylonem: sedes enim imperii Persarum erat Babylone, ait Vatabl. Unde iuxta eam apud Arbella Alexander profligavit copias Darii Codomanni ( qui fuit ultimus Persarum monarcha ) ideoque

VOL. VII.

**A** ibidem rex Asiæ proclamatus est, ac Babylonem victor ingressus, omnes eius ditones sibi subiecit, teste Curtio l. 5. et Plutarch. in vita Alexandri.

**ET VARIJ EGRESSI SUNT AD TERRAM AUSTRALI.** ) q. d. Romani egressi sunt in Ægyptum: hæc enim est ad Austrum terræ sanctæ, puta Iudææ, iuxta quam Scriptura plagas mundi describere et designare solet. Vatabl. et Arias putant id factum per Iulium Cæsarem, qui primus devicit Ægyptum. Melius alii id factum censent per Augustum successorem Iulii: Augustus enim per Actiacam victoriam profligavit Antonium et Cleopatram, itaque Græcorum, puta Ptolemæorum, in Ægypto regnum extinxit, illudque ad se et Romanos transtulit. Unde ipse primus Ægyptum fecit provinciam, teste Svetonio in eius vita c. 17. et 18. quod Iulius facere ausus non fuerat. Tunc ergo eversa tertia monarchia Græcorum, cœpit quarta Augusti et Romanorum. Unde paulo post ab Augusto quasi iam monarcha, exit edictum ut describeretur universus orbis: ita S. Hieron. Ribera, Sanchez, Fernandez et alii.

**QUI AUTEM ERANT ROBUSTISSIMI.** ) Hebr. חַמּוּצִים *haamutsim*, id est, illi fortes per excellentiam, de quibus v. 3. q. d. ex quarta quadriga equi robustissimi, puta Romanorum fortissimi, nutu Dei perambulabunt, id est, perambulando subiugabunt ( uti ostendi cap. 1. v. 11. ) omnem terram. Tales successive fuerunt Scipio, Pompeius, Cæsar, Augustus, Vespasianus, Traianus, Constantinus, Theodosius, etc. Romani enim sensim crescentes armis et viribus robustissimi evaserunt, et plurimas provincias occuparunt. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodoret. Lyran. Hugo, Vatabl. et alii.

Arias per *robustissimos* accipit Turcas et Ottomanos, ut dixi v. 2. Melius Ribera accipit Gothos, qui fuerunt stipendiarii Romanorum, eorumque imperium propugnarunt et propagarunt, operamque insignem navarunt Maximino pugnanti contra Parthos, Constantino contra Licinium, et Honorio. Verum Gothi non fuere Romani, ac sub Honorio fœdus ruperunt, et in hostes conversi Italiam, Hispaniam et Africam, quin et Romam ipsam, sub Alarico et Genserico ducibus regibusque suis, vastaverunt. Itaque ob gentis copiam, paupertatem et barbariem, maximi fuere Romanorum et gentium eis fœderatarum expilatores per plures annorum centurias. Vide Orosium lib. 7. cap. 19. et seq. Rursum Gothi non perambularunt, id est, occuparunt, totam terram. Nisi dicas cum Sanchez, per Gothos accipi reges Hispaniarum, qui a Gothis prognati sunt; hi enim sensim suum imperium late propagarunt, adeoque illud extenderunt per Americam, Peru, Brasiliam, totumque novum orbem. Occuparunt enim Indias Occidentales, et multa in Orientalibus, admirabili audacia æque ac fortitudine et victoriis ad miraculum usque illustribus. Verum reges Hispaniarum nunquam ( nisi sub Carolo V. in quo regnum Hispaniæ Imperio Romano fuit coniunctum ) extiterunt, aut nominati fuerunt Imperatores Romanorum. Et pari ratione robustissimos hosce dicere possemus Pipinum, Carolum Martellum, et præsertim Carolum Magnum, eiusque successores reges Austrasiorum, Francorum et Germanorum, qui vere re et nomine fuerunt Reges et Imperatores Romanorum, ac eorum Imperium per Austrasiam, Galliam, Germaniam, Saxoniam, Hollandiam, Angliam, Daniam, et Sveciam, longe lateque vel propagarunt, vel restituerunt; uti duce Godofrido Ballonio recuperarunt Syriam et terram sanctam. Adde, has quadrigas Zachariæ, uti et statuum quadrifidam Daniel c. 2. proprie significare monarchias et monarchas qui præcesserunt Christum: nam in Christum Christique regnum desinere visi sunt a Daniele v. 44. uti et hic Zacharias eos in Orientem, id est, in Christum v. 12. terminari conspexit.

**D** **ECCE QUI EGREDIUNTUR IN TERRAM AQUILONIS.** ) Puta Persæ, qui sub Cyro, et rursus sub Dario Hystaspis tempore Zachariæ Prophetæ vastarunt Babylonem: ita Lyran. Vatabl. Arias et alii. Addunt Hebræi, S. Hieron. Haymo et Remig. id fecisse non tantum equos nigros, id est, Persas; sed et albos, id est, Græcos. Alexander enim pro-

Vers. 8.

pe Babylonem prostravit Darium, ac Babylonem in suam potestatem redactam victor est ingressus, uti dixi v. 6.

**REQUIESCERE FECERUNT SPIRITUM MEUM IN TERRA AQCILONIS.**) *Spiritum*, id est, *furorem*, ut vertunt Septuag. q. d. Persæ satisfecerunt meæ iræ mihi que in Chaldæos tyrannos irato, dum eos vastarunt, expleverunt meam vindictam; itaque sedarunt meum animum iustæ vindictæ cupidum. Quia enim Zacharias cap. præcedenti vers. ultimo dixerat, amphoram impietatis et idololatriæ locatam et elevatam fuisse in Babylone, hinc ait hoc loco, in eius punitione requiescere Dei spiritum, quo ipse indignabatur æmulum sui idolum dominari in Babylone; ideoque ea cum suo idolo excisa, sedatum et peccatum, imo consolatum, recreatum et exhilaratum fuisse spiritum, id est, voluntatem ulciscendi Dei: sicut homo læsus ideoque iratus et furens, tamdiu furit, donec se ulciscatur de hoste qui eum læsit; sed ultione peracta furor hic, quasi sanguine hostis exsatiatus, conquiescit: ita Theodor. Haymo, Remig. Lyran. Hugo, Arias et Vatabl.

Aliter S. Hieron. ex Hebræis: Spiritus, inquit, hic propheticus intelligitur, q. d. Persæ fecerunt prophetias meas, quibus excidium Babyloni comminatus sum, in eadem conquiescere: quia eas, excindendo Babylonem, expleverunt et executioni mandarunt.

Nota. Hæc dicuntur ad consolationem Iudæorum, qui a Babyloniis vastati et in Babylone abducti fuerant; et ad concitandum odium impietatis et idololatriæ (cuius metropolis erat Babylon) ut Iudæi eam abominentur, uti deinceps abominati sunt, ideoque tantum rerum a quadrigis in Babylone gestarum, puta vindictæ in ea peractæ, hic fit mentio.

Moral. discite hic, quam iustitia instaque scelerum vindicta sit sancta et Deo grata. Discant ergo ex hoc loco principes, magistratus, iudices, prætores, etc. se dum sceleratos, præsertim persecutores fideliū et piorum, quales erant Chaldæi, plectunt, facere ut conquiescat spiritus, mens, voluntas, iustitia et ira Dei, quæ antequam vindicta peragatur, stridet, fervet, bullit, milleque minarum et dirarum fulmina in corde coquit, tam in sceleratos, quam in principes et iudices qui eas non puniunt, sed tolerant, vel dissimulant, iuxta illud Amos 2. 13. *Eccc ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum feno.* Et c. 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Vide ibi dicta.

**SUME A TRANSMIGRATIONE.**) Puta a Iudæis captivis, qui vel in se, vel in suis parentibus ante 70. annos in Babylonem a Chaldæis abducti, transmigrarunt, ibique adhuc degunt et domum fixerunt. Hi enim miserunt munera in Ierusalem offerenda in templo per Holdai, Tobiam, Idaiam et Iosiam. Ponitur abstractum pro concreto more Hebræo, scilicet transmigratio pro olim transmigrantibus. Est hysterologia. Verba enim sic ordinanda sunt: Venito, o Zacharia, in donum Iosæ filii Sophoniæ, in die qua munera oblaturi sunt Holdai, Tobias et Idaias, qui iam recenter venerunt de Babylone, atque ab eis accipies aurum et argentum, quæ quasi donum per eos transmittunt, et templo offerunt Iudæi qui olim in Babylonem transmigraverunt, ibique adhuc degunt, ut ex eo facias coronas ponendas in capite Iesu pontificis.

**VENIES IN DOMUM IOSIÆ FILII SOPHONIÆ.**) Hinc videtur, quod tres tantum antea nominati hæc dona obtulerint, videlicet Holdai, Tobias et Idaias, sed in domo Iosæ filii Sophoniæ, qui erat templi vel ædituus, ut volunt Hebræi; vel thesaurarius, et pecunias colligebat pro templi fabrica et sumptibus, inquit Cyrill. Haymo et Remig. vel certe erat aurifex, qui ex auro hoc fabricaturus erat coronas. Unde et Iosæ nomen cum aliis tribus, coronis fuit incisum sub nomine Hem, ut patet v. 14. Theodoretus tamen censet Iosiam fuisse quartum, qui cum aliis tribus rediens Babylone, hæc dona obtulerit; statim enim sequitur: *Qui venerunt de Babylone*; ubi pronomen *qui* refert tam Iosiam, qui immediate præcessit, quam tres alios: nisi dicas esse hysterologiam, ac per eam *qui* ad solos tres, qui autem nominati sunt, referri, uti censet S.

Cyrillus. Iosias ergo Theodoretus videtur fuisse primarius quatuor horum legatorum; vel certe hospes eorum, ut reliqui tres in domo eius hospitarentur. Favent Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. et Hugo, qui tradunt hos quatuor legatos fuisse Danielem, Ananiam, Azariam et Misaelem. Verum hoc valde dubium est: non enim videtur Daniel potuisse eo usque prorogare vitam. Nam anno 3. Cyri erat centum annorum, uti ostendi proœmio in Danielem, tuncque mortuus videtur; aut certe, ut Isidorus in eius vita tradit, mortuus est anno primo Darii Hystaspis, cum iam esset centum et undecim annorum. Hæc autem oracula accepit Zacharias post initia regni Darii Hystaspis, uti patet c. 1. v. 1.

**ET FACIES CORONAS.**) Per coronas accipe coronam unam ingentem, e duabus vel tribus partialibus coronis compositam: illa enim imposita fuit capiti solius Iesu pontificis; sicut capiti Romani pontificis imponitur tiara triplici corona distincta, quam vulgus Regnum vocat, ob causas quas mox afferam. Unde Chald. vertit, *facies coronam magnam.* Et Septuag. v. 14. *corona erit.* Quare videtur hæc corona Iesu fuisse una totalis, ex aliis partialibus conflata, vel iis instar duplicis aut triplicis diadematis redimita, ut significaret duplicem Iesu dignitatem et potestatem, scilicet Ecclesiasticam et civilem, puta pontificatum et principatum; aut triplicem, id est, multiplicem, plenam et omnimodam. Post reditum enim e Babylone summa potestas tam laica, quam sacra fuit penes pontifices uti superius docui ex Iosepho libr. 11. Antiq. cap. 4. et patet in Machabæis, qui simul fuere pontifices et principes populi; atque in Eliacim, sive Iocaim pontifice tempore Iudith, qui contra Holofernem quasi priuceps Iudæos disposuit, iussitque ut obsiderent angustias montium, per quos hostis transiturus erat, Iudith 15. Hinc in historiis Iosephi et Esdræ libr. 2. 12. ac fastis publicis Iesu posterius et successores describuntur, non Zorobabælis: ita Abulens. in 1. Paral. cap. 6. quæst. 8. Genebrard. in Chronol. Sanchez, et alii. Arias censet coronas hæc partiales fuisse materia plane distinctas, scilicet unam fuisse ex auro, alteram ex argento: aurea, inquit, significabat pontificatum, argentea principatum. Hic enim illo est inferior, uti et est argentum auro. Alii duas integras coronas hic fabricatas censent, scilicet unam pro Iesu Pontifice, alteram pro Zorobabele principe, utramque ex auro et argento inter se commistis: ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, et a Castro. Verum Zorobabælis hic nulla fit mentio; tota enim prophetia dirigitur ad Iesum pontificem: *Pones, inquit, in capite Iesu.* Quare vel una corona duabus minoribus cincta et distincta eius capiti imposita fuit; vel, si mavis duas totales, dicito successive, scilicet primo unam, deinde alteram illi impositam, uti censent Cyrillus Theodoretus. Rupertus. Lyranus. Vatabl. et Clarius; sicuti Imperator nunc primo coronatur corona ferrea, deinde argentea, denique aurea.

Concinnior tamen et augustior erit forma, si eam dicamus fuisse unam, sed duabus aut tribus partialibus redimitam, qualis est Pontificis Romani. Hic enim triplicatam gestat coronam. Primo, quia est sponsus et princeps Ecclesiæ, quæ est victrix, triumphatrix et regnatrice totius orbis. Secundo, quia regem Christum quasi vicarius representat. Sicut ergo regnum Christi supereminet omnibus regnis, ita æquum fuit hoc diadema eminere inter omnia diademata. Tertio, quia tribus orbis partibus, Asiæ, Africæ, Europæ præest. Quarto, quia ternarius symbolum est æquitatis summæ, quæ requiritur in Pontifice, trias enim est prima sedatio discordantis dyadis, ac libramentum numerorum iustitiæ et rerum omnium. Quinto, quia representat SS. Trinitatem, cuius est sacerdos et Pontifex. Sexto, quia trias significat omnium virtutum rerumque consummationem, quæ fuit in Christo, et suo modo debet esse in Pontifice. Denique hic exclamare libet illud Prudentii Peristephanon:

*O triplex honor, o triforme culmen,  
Quo nostri caput excitatur orbis.  
Orbis Christiani decus perenne?*

Moral.  
quam  
scelerum  
vindicta  
Deo sit  
grata.

Vers. 10.

Vers. 11.

Pontifex  
gerit tri-  
plicem  
coronam  
ob sex  
causas.

Hæc est illa maiestatis sublimitas, efficacitas triverticis, trini, inquam, illius et incomparabilis diadematis: ita Pascualius de Coronis l. 9. e. ultimo. Similes ergo videntur fuisse hæc coronæ Iesu filii Iosedee, quia representarunt coronas et regnum Christi, æque ac illud idem representat corona triplex Pontificis: illa itaque hic in coronis Iesu pontificis fuit typice figurata et adumbrata, præsertim quia **אֶתֶרֶת** *atarot*, id est, coronæ, est plurale, non duale, ac proinde plures, puta tres potius, quam duas significat.

**PONES IN CAPITE IESU FILII IOSEDEC.**) Pontificis: de hoc enim ad litteram loquitur: non enim poterat eam imponere capiti Orientis, id est, Christi, ut aliqui volunt: Christum enim videre et tangere non poterat Zacharias, utpote nondum natus. Itaque ad litteram iubet hic illi Deus, ut coronam duplicem, vel triplicem imponat capiti Iesu, quasi pontifici et principi; tum ut ad litteram significet, eum in novo hoc templo fore gloriosum, itaque eum ad fabricam eius perliciendam et ornandam animet; tum ad mysterium, scilicet ut typus sit Iesu Christi Pontificis et Regis, eiusque sacerdotium et regnum representet. Christum enim fuisse regem patet psalmo 2. *Ego autem constitutus sum rex.* Et Lucae 1. *Dabit ei Dominus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum.* Eundem fuisse pontificem patet ex psal. 107. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ac id ipsum docet Apostolus tota epistola ad Hebræos. Porro corona est iusigne et stema pontificis æque ac regis, tum quia uterque est quasi Deus quidam terrestris in summo dignitatis, æque ac regiminis fastigio collocatus. Deorum enim olim propriæ erant coronæ. Unde Ovidius de coronæ dignitate verba faciens l. 5. Pastor. sic canit:

*Ille datos fasces commendat eburque curule:*

*Ille coronatis alla triumphat equis.*

Tum quia corona monet Pontificem et principem perfectæ et excellentis virtutis, scilicet nil in eo esse debere, quod non omnibus numeris completum sit et absolutum: coronæ enim forma est absolutissima, in pote circulus in orbem ubique rediens. Rursum eum debere actibus heroicis radiare instar solis: solis enim coronam radiatam capite gerit. Nam ut ait Virgil. in Epigr. de sole oriente:

*Sol insigne caput radiorum ardente corona,*

*Promit ab æquoreis Tethyos ortus aquis.*

Mysticæ Pontificis et principes, qui instar Christi pontificatu et principatu, quem ab eo acceperunt, recte funguntur, imponunt coronam pontificiam et regiam capiti Iesu Christi: quia eius sacerdotium et regnum quod in Ecclesia obinet, promovet, adaugent, condecorant. Huius rei symbolo vigintiquatuor seniores quasi patriarchæ et Pontifices tam novi quam veteris testamenti Apoc. 4. v. 10. *procidebant ante sedentem in throno, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, honorem et virtutem.* Idem pro suo modulo faciunt sancti martyres, sacerdotes, Religiosi, virgines, adeoque fideles quilibet, dum luctando cum mundo, carne et diabolo, eos superant, de iisque triumphant, dum ad ardua virtutum conscendunt, dum heroica opera patrunt. Quando ergo vineis acrem tentationem, quando calcas suggestionem diaboli, quando frænas motus iræ, quando calcas superbiam, gulam, libidinem, aediam, coronam capiti Christi imponis; qua magis ille decoratur et gaudet, quam si auream vel gemmeam ipsi adornares. Hoc est quod ait Isaïas cap. 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* Porro hæc coronæ offeruntur ab iis qui a Babylone in Ierusalem, id est a peccato ad statum gratiæ per pœnitentiam revertuntur: *Quia nobis proficientibus*, inquit S. Hieron. *et reversis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronam accipit.* Sic Apostolus Philippensibus ait c. 4. *Gaudium meum et corona mea.* Multo magis Deus de Sanctis dicat: *Vos estis gaudium et corona mea; ne vicissim Sanctus quisque animam suam ad Dei laudem et gratiarum actionem excitaus, de eo dicat cum Psalte psal. 102. 4. Qui coronat te*

Rex gerit coronam quasi Deus quidam terrestris.

Moral. bonis operibus coronamur Christus.

**A** *in misericordia et miserationibus*, q. d. Deus est qui tuis ipsis misericordie et virtutum operibus, quæ in eius honorem quasi coronam contexis, teipsum coronat. Quid enim sunt aliud nostra opera bona, nisi Dei dona? ait S. Aug.

**ECCE VIR ORIENS.**) Hebræi apud S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. et Hugo per Orientem accipiunt Zorobabel, qui in Babylone quasi emortuus, inde rediens quasi oriri et rellouescere cepit, dum populi redeuntis factus est princeps. Unde censent ei alteram coronam a Zacharia fuisse impositam. Sic ergo totum hunc versum ei applicant et explicant: Zorobabel eum Iesu quasi novum germen, novusque populi soli ædificabit templum Domino et perficiet, alteramque coronam gestabit: quia ipse habebit solum ducale ad regendum res populi civiles; sicut Iesus sacerdos habebit solum pontificale ad moderandum res sacras. Porro inter hos duos, puta inter pontificem et principem erit consilium pacis et summa unio. Verum *oriens*, heb. **צֶמַח** *tsmach* id est, germen, est nomen proprium Christi, uti ostendi c. 3. 8. ibi enim, æque ac hic omnis sermo ad Iesum filium Iosedee, antitypum et antonymum Iesu Christi, dirigitur, nec ulla Zorobabelis fit mentio. Unde Chald. vertit, *Ecce vir cuius nomen est Messias*: sic et Rabini veteres apud Galat. 1. 3. cap. 16. Sic et S. Hieronym. Haymo, Albert. Rupert. Vatabl. et Lyr. qui tamen unus perperam per Orientem accipit quoque Iesum filium Iosedee. Iam sensus est, q. d. Hanc coronam impono tibi, o Iesu fili Iosedee, non propter te, sed propter Orientem, id est, Christum, ut scilicet eius typum geras, eiusque sacerdotium et principatum representes. Vatabl. censet Christum vocari Orientem: quia ipse recens natus proficiebat ætate, et sapientia, et gratia apud Deum et homines, ut ait Lucas; et quia crevit in Ecclesiam, uti mox dicam. Unde Syrus vertit, *ecce vir, et nomen eius Ortus, et de subter oriatur*; Arabicus Alexandr. *ecce vir, nomen eius Ortus, festinabit repente, et ædificabit domum Domino.*

**ET SUBTER EUM.**) Hebr. **מִתְחַתָּי** *mittachtai*, id est, *de sub eo oriatur*, q. d. Christus erit et vocabitur Oriens: quia sub Christo, et ex Christo quasi radice oriatur et germinabit quasi fortim et sensim sine sensu, multitudo ramorum, id est, fidelium, adeo ut se propaget in ingentem arborem; ipse enim ædificabit templum, id est, Ecclesiam, Domino: ita S. Hieron. Unde Chald. vertit, *Christus nomen eius, qui revelandus est, et magnificandus, et ædificaturus templum Domini.* Hoc est quod ait Christus Matth. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Unde S. Bernard. ser. 15. in Cant. *Moriatur igitur granum, et surgat Gentium seges.*

Symbol. Lyran. In nativitate, inquit, Christi, subter eum qui Deus est oriatur, et nascetur ut homo: et vice versa subter homine oriente et nascente, oriatur quasi et nascetur Deus. Deus enim nobis ortus et quasi natus est, eum natus est homo Christus, in quo latebat divinitas, que hypostatice sibi uniendo humanitatem, eum ea tacite quasi nasci et oriri videbatur in terra.

**D** Tropol. S. Gregor. l. 20. Moral. c. 18. vel iuxta aliam editionem cap. 21. *Oriens*, ait, *est nomen eius. Nam quia ab oriente lux surgit, recte Oriens dicitur cuius iustitiæ lumine nostræ iustitiæ nox illustratur.* Audi et S. Ambr. l. de Paradiso c. 3. *Paradisus, ait, erat secundum Orientem in Eden, id est, secundum Christum, qui iubar quoddam æternæ lucis effudit, et est in Eden, hoc est in voluptate.*

Anagog. Rupert. In resurrectione, inquit, Christus futurus erat Oriens, quia deinceps semper futurus in ortu, nunquam in occasu. Nam eum fuerit mortuus apud inferos oriatur timentibus nomen Domini; et ascendens, terræ cæloque oriatur vivus, et nunquam iam moriturus, et per eum in multitudine credentium dilatabitur, et in gloria resurgentium magnificabitur. Rursum subter se oriatur, id est, virtute non aliena, sed propria, puta divinitatis suæ, resurget, et sparget se suamque Ecclesiam per totum orbem.

Denique S. Chrysost. homil. in hæc Zachariæ verba in

Vers. 12. Oriens est Christus, non Zorobabel.

Symbol.

Tropol.

fine tom. 1. aliter legit et explicat, nimirum sic: *Eccle vir Oriens nomen eius: sub umbra eius orietur sol: ipse veniet ad salvandum populum suum. Quale, inquit, nomen Oriens? Delectabile, dulce, suave. Hoc semper appetimus, ut conversi ad Occidente, intenti ad Orientem, agnoscamus Deum omnipotentem. Sub umbra eius orietur sol. Et vere sub umbra eius orta est claritas divinitatis eius, qui in sole posuit tabernaculum suum. Quia lux venit in mundum, radiavit mentibus nostris obscuris, declarata sunt tetra, manifestata sunt occulta, tenebrosa aperta, ut lux oriretur nobis. Quia qui scdebamus in tenebris et umbra mortis, lux orta est nobis. Sol iste non est nubilosus, nec obtectus; non ascendens et descendens: sed ille sol iustitiæ, qui totum cardinem mundi adventu suo splendificavit; quid aliud cogit, nisi ut patri et sibi faceret populum peculiarem, dato pignore Spiritus sancti?*

ET ÆDIFICABIT TEMPLUM DOMINO.) Alludit ad templum reedificatum a Iesu et Zorobabel, q. d. Sicut hi reedificant templum Salomonis materiale; ita Oriens; id est, Iesus Christus, ædificabit templum spirituale, puta Ecclesiam Christianam Deo. Unde id ipsum iterata asseveratione confirmat, dum subdit: *Et ipse extruet*, (heb. est idem verbum quod ante, sed in futuro, puta *בנה* *ibne*, id est, *ædificabit templum Domino*) q. d. Omnino ipse ut incipiet, ita perficiet ædificium templi, id est, Ecclesie Dei.

Mystice, hæc iteratione significatur duplex templum, scilicet Ecclesia militans et triumphans ædificanda a Christo: ita S. Hieron. Rupert. Lyran. Clarius et Vatabl.

VERS. 15 ET IPSE, Oriens, non Zorobabel, ut volunt Hebræi et Theodor. sed Christus, PORTABIT GLORIAM.) Puta coronam gloriæ, scilicet gloriosi pontificatus et regni, iuxta illud psalm. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Unde explicans subdit: *Et scdebit, et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo.* Hanc autem gloriam inchoate Christus adeptus est in hac vita: unde significat hic Propheta quatuor quadrigas, id est, monarchias, desiisse in regnum Christi, de quo ait: *Dominabitur super solio suo*, sed plene hanc gloriam, dominium et regnum consecutus est Christus post resurrectionem, quando superata morte, peccato et dæmone, triumphans ascendit in cælum, ibique sedet ad dexteram Patris, quasi Rex regum, et Dominus dominantium, ducens post se agmina Sanctorum omnium ad gloriam et triumphum æternum: ita S. Hieronym. Rupert. Arias et Vatabl. Hanc Christi gloriam in Apocalypsi cap. 5. 12. spectavit S. Ioannes, cum angelos sanctosque omnes ei acclamantes audivit: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem* (nomen famamque divinitatis, eiusque gloriam, cultum et adorationem) *et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* Et mox: *Et omnem creaturam quæ in cælo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen.* Vide ibi dicta. Ubi S. Ioannes videtur alludere ad hunc locum iuxta Septuag. qui pro *gloriam* vertunt *virtutem*, de quo S. Hieron. *Ab alio, inquit, επιδροσεως, ab alio επηρησιας, ab alio ποσειας, ab alio ποσειας, scribitur, quæ vel inclytum, vel decorem, vel virtutem, vel glo iam sonant: quæ omnia et plura complexus est S. Ioannes.*

ET CONSILIUM PACIS, id est, summa pax, unio et concordia; hæc enim conciliat consilium prudens, et hæc omni consilio est tuenda et conservanda, ERIT INTER ILLOS DUOS.) Scilicet inter Iesum pontificem et Zorobabel principem, inquit ex Hebræis S. Hieronym. Theodor. Remig. Lyran. et Hugo. Verum nulla Zorobabelis hic facta est mentio: unde ipse cum Iesu demonstrari nequit per pronomen demonstrativum *illos*. Dico ergo *et illos* demonstrare duos thronos, sive duo solia; scilicet pontificatus et principatus: licet enim solum latine sit generis neutri, tamen Hebr. *כסא* *chisse*, id est, thronus vel solium, est generis masculini: ita S. Hieronym. Rupert. Vatablus,

Clarius et Arias. Vel potius magisque apposite ad rem, æque ac ad versionem Latine, *et illos* demonstrat principem, qui, ut præcessit, *sedebit et dominabitur super solio suo*, et pontificem. de quo mox subdit: *Et erit sacerdos super solio suo*, q. d. In Christo summus erit consensus et concordia inter principem sedentem in solio regali, et pontificem sedentem in solio pontificali: quia Christus utrumque erit, et utramque dignitatem pontificatus et regni in se coniunget: cuius rei typo Iesus filius Iosedec v. 11. duplicem accepit coronam, sacerdotii scilicet et principatus, ut utramque potestatem in Christo unendam portenderet. Antea enim cum hæc potestates essent divisæ, sæpe inter pontifices et reges erat lis et dissensio, ut patet ex libris Regum. Aliqui sic exponunt, q. d. Summus erit consensus inter Iesum Iosedec et Iesum Christum, qualis est inter imaginem et exemplar, inter ideam et fabricam, inter typum et antitypum. Verum hoc typicum et mysticum est potius, quam litterale et genium. Prius ergo quod dixi, litterale est; cui favet Syrus, qui vertit, *et consiliarius* (consilium dans, consilians) *pacis erit inter duos eos*; et Arabicus Antiochen. significantius, *et regnum pacis erit super eos omnes*; et Arabicus Alexandr. *et erit consilium concordie inter eos.*

Moral. discant hic principes, se colere debere concordiam cum Ecclesia et Pontificibus, utpote quorum dignitas illis sit inferior et subalterna, adeoque connexa et unita in Christo, *ut nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotii dignitas regale fastigium; sed in unius gloria Domini Iesu utrumque consentiat*, ait S. Hieron. tumque se fortunatos et felices fore. Sic Saul felix fuit, quamdiu monitis Samuelis obedit: at ubi ab iis descivit, vita et regno se suamque familiam privavit. Sic Ioas quamdiu Ioiadæ paruit, pius et fortunatus fuit; at ubi eius filium Zachariam occidit, mox et ipse occisus est 2. Paral. 24. 25. Sic Arias quia invasit sacerdotium, adolens thymiam, lepra percussus est, 2. Paral. 26. 19. Sic Ieroboam, Achab, Iehu, cæterique reges Israel, quia a pontificibus et templo schisma fecerunt, omnes ad unum regno et vita mulctati sunt. Sic Constantinus S. Silvestri documenta secutus, gloriosus evasit. Sic Gratianus, Valentianus, et Theodosius S. Ambrosii discipuli et assectæ, nomen celebre in terra et cælo consecuti sunt. Sic Carolus Magnus mirus Romanæ Ecclesiæ æque ac Pontificis cultor et propugnator, victoriis rebusque gestis Magni cognomen est adeptus. Principes ergo sequantur illud consilium, imo mandatum, quod S. Ludovicus rex Franciæ sapiens, æque ac pius moriens suo filio et successori Philippo testamento reliquit: *Esto, inquit, semper et per omnia devotus ac obediens Romanæ Ecclesiæ et Pontifici, cumque colas ut patrem spiritalem.*

ET CORONÆ ERUNT HELEM, ET TOBIÆ, etc.) q. d. Postquam imposueris capiti Iesu coronas iam dictas, eas depones, et consecrabis, ponesque in templo, incis in eis nominibus illorum quatuor virorum, qui ad eas aurum et argentum obtulerunt, scilicet Helem, Tobiæ, Iudaïæ et Hem ad perpetuam eorum memoriam: quia coronæ hæc deinceps habitaturæ sunt in templo, id est, in domo pontificis, q. d. Pontifex qui prærit templo, deinceps prærit et regno, eritque rex vel princeps: tum ut sint *memoriale*, ut scilicet æterna sit eorum memoria et laus, qui hac oblatione tam Iesu filii Iosedec, quam in eo Iesu Christi regnum et sacerdotium tacite agnoverunt, illudque professi ei se et sua consecraverunt: ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Lyran.

Nota, qui v. 10. dictus est *Holdai*, hic vocatur *Helem*: et qui ibidem dictus est *Iosias*, hic vocatur *Hem*. Erant enim binomii. Porro hæc nomina quia breviora, potius quam prima illa longiora, coronis incisa fuerunt.

Moral. discite hic, quam gratum sit Deo opes suas offerre templo, et personis illi dicatis; utpote quorum nomina donis incidi velit, ad perennem illorum famam et gloriam, ut hisce coronis non tam Deus, quam ipsi offerentes a Deo coronari videantur.

Mystice, S. Hieronym. *Holdai*, inquit, hebr. interpre-

Moral.  
reges  
audiant  
pontifices.

Vers. 14.



tatur deprecatio Domini; *Tobia*, bonus Domini, vel placens Domino; *Idaia*, notus Domini. Pro *Holdai* posuit *Helem*, quod interpretatur somnium; et in quarto loco addidit *Hem*, id est, gratia; quia Daniel cap. 2. Dei invocatione et gratia, somnii Nabuchodonosoris interpretationem est consecutus. Tradunt enim Hebraei, Holdai, Tobiam, Idaiam, et Hem, fuisse Danielem, Ananiam, Azariam et Misaellem. Mystice ergo his etymis significatur, quod iis qui ad Dominum accedunt, eumque deprecantur, ac Deo placent, ideoque Deo cogniti sunt, detur Hem, id est, gratia, et dona, quæ gratiæ nomine significantur; ac Helem, id est, somnium, id est, sponsæ deficiæ, ac quies in Domini complexu et sinu, iuxta illud Cant. 5. 2. *Ego dormivi et cor meum vigilat.* Et cap. 3. 5. *Adiuro vos filix Ierusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitatis, neque exigilare facialis dilectam donec ipsa velit.* Huc accedunt Septuag. qui pro *Holdai* vertunt *expectantes*; pro *Tobia*, *utiles*; pro *Idaia*, *cognoscentes*. Unde sic transferunt: *corona autem erit expectantibus, et utilibus eius, et qui cognoverunt eam, et in gratiam filii Sophoniæ, et in psalmum in domo Domini.* Quæ explicans S. Hier. sic ait: *Corona, id est, insigne victoriæ cum Christus fuerit coronatus, his quoque repromittitur, qui expectant eum (iuxta illud Pauli 2. Timoth. 4. 8. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt, ideoque expectant, adventum eius) et intelligunt utilitatem captivitatis quondam suæ, et noverunt Dei universa mysteria, ut sint in gratia filii Sophoniæ, id est, visitationis Domini. Et qui in Babylone dicebant: Super flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus cum recordaremur Sion; postquam reversi fuerint in Ierusalem, accipiant psalterium, et tympanum, et canant in Ecclesia Domini; et qui per maiora peccata longe fuerant a Iudæa et confessione verissima, per singulos profectus suos ædificent domum Domini. Fient autem omnia quæ promissa sunt, si Dominum audire voluerint, et acta pœnitentiæ in bonis operibus manserint.* Unde Tertull. 1. 4. contra Marcion. e. 39. legit, *corona autem erit eis qui toleraverint, q. d. Tolerantia pariet patientibus et Martyribus coronam.*

Mystice, de que te in Deo.

Vers. 15.

ria et gloria, afferent et ipsi sua dona, ad promovendam fabricam et ornatum templi: ita Hebraei, Theod. S. Hieron. Remig. Albert. et alii. Sic Darius et Artaxerxes ad templum miserunt sumptus et oblationes, ut narrat Esdras lib. 1. c. 6. et 7.

Alleg. q. d. Cum Christus ædificabit Ecclesiam, in ea- que a Deo quasi coronabitur Pontifex et princeps, venient ex longinquis orbis partibus Gentiles, qui eo usque remoti fuerant a Deo, Christo, caelo et salute, ut hanc eius Ecclesiæ fabricam promoveant. Ex Gentilibus enim creati sunt Episcopi, Doctores, Pastores, etc. qui Ecclesiam Christi verbo et exemplo ædificaverunt et propagaverunt: ita S. Hieron. Rupert. et Arias. Hoc est quod ait Apostolus Eph. 2. 13. *Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Unde infert v. 17. *Ergo iam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Hos venientes a longe prævidens Isaias e. 60. 1. exultat et clamat: *Surge, illuminare Ierusalem; quia venit lux tuum, et gloria Domini super te orta est. Lava in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longe venient, et filix tua de latere surgent.*

Alleg. de vocatio- ne Gen- tium.

ET SCIENTIS.) q. d. Cum videbitis hæc mea oracula reipsa compleri, ac præsertim ex remotis urbibus et gentibus confluere turbas ad templum, in eoque sua munera offerre, tunc scietis me Zachariam, qui hæc prædixi, id non ex me, sed a Deo missum et inspiratum prædixisse, simulque credetis ea quæ de Oriente, id est, Christo; prædixi, me ex Deo prædixisse, ac proinde eadem pari certitudine suo tempore fore complenda: sunt enim hæc verba Zachariæ de Christo, ut patet; non Christi de seipso, uti censuit Eusebius l. 3. Demonstr. e. 5.

ERIT AUTEM HOC.) q. d. Hæc prospera et gloriosa templo et consequenter vobis, o Iudæi obvenient, sed sub hac conditione, nimirum si Dei legi vocique odedieritis; sin ei sitis inobedientes et rebelles, nolite me falsitatis accusare, si hæc sua meaque promissa revocet Deus: ita Theodor.

Mystice, q. d. Si Christum Christique vocem et doctrinam audire et recipere volueritis, o Iudæi, cognosceat me vera de eo sub nomine Orientis, eiusque templo, id est, Ecclesia, vaticinatum esse, ac omnium horum eius bonorum, quæ ipse e caelo in terram secum deferet, fietis participes: sin eum repuleritis, ipse bona hæc sua a vobis revocabit, et transferet ad Gentes.

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Quærent Iudæi, num ieiunia a se in captivitate Babylonica ob urbis gentisque excidium sponte suscepta, iam post reditum in Ierusalem, novique templi inchoatam fabricam adhuc observanda sint? Zacharias cap. sequenti v. 49. responsurus, hoc capite nonnulla præmittit, docetque verum Deoque gratum ieiunium esse abstinentiam ab iniuriis et peccatis, obedientiam et misericordiam: ob harum enim virtutum legisque Dei neglectum, eos a Deo punitos esse captivitate septuaginta annorum in Babylone.*

1. **E**T factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu. 2. Et miserunt ad domum Dei Sarasar et Rogommelech, et viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini: 3. Ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, et prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis? 4. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: 5. Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens: Cum ieiunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi? 6. Et cum comedistis et bibistis, numquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis? 7. Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Ierusalem habitaretur, et esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu eius, et ad austrum, et in campestribus habitaretur? 8. Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens: 9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium verum iudicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. 10. Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. 11. Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt ne audirent. 12. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: et facta est indignatio magna a Domino exercituum. 13. Et factum est sicut locutus est, et non audierunt: sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus exercituum. 14. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt: et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens: et posuerunt terram desiderabilem in desertum.

Vers. 1

**ET FACTUM EST.**) Est hysterologia: hæc enim verba **A** pponenda sunt post legationem et quæstionem Iudæorum: illi enim respondent. Unde post eam v. 4. iterantur. Hæc ergo verba quasi titulus prophetiæ huius capituli more Prophetis usitato præponuntur: deinde v. 2. occasionem prophetiæ huius enarrat, dicens: *Et miserunt, q. d. Cum misissent principes legatos ad consulendum sacerdotes et Prophetas, tunc factum est verbum Dei ad me Zachariam, respondens legatorum quæstioni.*

**IN ANNO QUARTO DARIÏ.**) Hystaspis regis Persarum, qui Cambysi Cyri filio post Magos successit. Hic annus quartus fuit 12. a soluta captivitate Babylonica, et reditu Iudæorum in Ierusalem: hic enim reditus contigit anno 1. monarchiæ Cyri. Cyrus autem tres tantum annos regnavit ut monarcha, uti tradunt Hebræi; cui successit filius Cambyses regnans per 7. annos: quo defuncto intruserunt se per dolum Magi, regnantes per annum: iis trucidatis successit Darius, Hystaspis filius, cuius anno 4. hoc oraculum accepit Zacharias, cum iam templi fabrica valde assurgeret: illa enim cœpta est anno 2. Darii, et finita anno 6. eiusdem, ut iam sæpius dixi.

**MENSIS NONI, QUI EST CASLEU.**) Qui respondet nostro Novembri. Hic enim mensis est nonus a Nisan, sive Martio, qui primus erat mensis anni sacri apud Hebræos.

Vers. 2

**ET MISERUNT AD DOMUM DEI. SARASAR, ET ROGOMMELECH, ET VIRI QUI ERANT CUM EO.**) Quæres Primo: Quinam hi? Hebræi, Haymo, Remig. et Hugo censent hos fuisse Persas, principes Darii, sed proselytos, hoc est, conversos ad Iudaismum, qui proinde ieiunantibus Iudæis ipsi quoque ieiunabant, ideoque iam mittere legatos qui rogent sacerdotes, an post solutam captivitatem, et inchoatam templi fabricam adhuc ieiunare debeant? Unde sequitur, hanc legationem missam e Perside.

Secundo, alii apud Theodor. censent hos viros fuisse Cuthæos, puta Samaritas, quos Salmanasar ex Cuth aliisque urbibus Assyriæ transtulit in Samariam, qui ut Denn terræ suæ, scilicet Samariæ, colerent cum diis patriis, puta Assyriis, iudaizabant, et cum Iudæis ac Samaritis ieiunabant. Unde sequitur, hanc legationem missam e Samaria.

Tertio, Rupert. Lyran. Arias et Vatabl. censent eos fuisse Iudæos, sed in Babylone, aut in vicinis Babyloni regionibus adhuc degentes.

Quarto, probabilius alii censent eos fuisse Iudæos in Iudæa, sed extra Ierusalem in vicinis oppidis habitantes: hoc enim indicat responsio Zachariæ facta, dicens: *Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens: Cum ieiunaretis, etc.* ita Theodor. et Chald. qui censent eos fuisse Bethelitas, uti mox plenius dicam.

**AD DOMUM DEI.**) Hebr. est *Bethel*; quod si appellative sumas, significat *domum Dei*. Et ita vertit Noster, R. Salomon, Pagnin. et Vatabl. Alii accipiunt Bethel ut nomen proprium. Unde Sept. vertunt, *miserunt in Bethel*. Bethel enim erat civitas decem millibus passuum distans a Ierusalem, ubi Iacob vidit scalam, et per eam descendentes et ascendentes angelos in cælum, Genes. 28. Verum non est credibile eo missam fuisse hanc legationem: missa enim fuit ad sacerdotes, qui degebant in Ierusalem. Unde Secundo, melius Chald. vertit, *miserunt de Bethel, q. d. Iudæi habitantes in Bethel miserunt ex ea legatos in Ierusalem*. Tertio, alii censent *Bethel* esse nomen viri, æque ac *Sarasar*. Unde vertunt, *et misit Bethel Saretser, etc.* Verum longe melius Noster *Bethel* vertit, *domum Dei*, ut significet terminum ad quem hæc legatio missa est, fuisse domum Dei sive templum, uti liquet ex sequentibus. Templum enim erat locus orationis, æque ac oraculi, quod omnes Iudæi adire et consulere solebant. *Saretser* videtur esse nomen officii: *Saretser* enim hebr. idem est quod prefectus thesauri, puta thesaurarius, vel quæstor. Ita R. Abraham et Arias, qui pariter tale nomen esse censent *Rogommelech*, quod ipsi vertunt, *regius dux*; pro quo Septuag. in editione Rom. corrupte habent, *Arbeseer rex*, aut, ut alii legunt, *Arbat rex Sagat*, scilicet urbis. Melius Septuag. in editione Complut. legunt, *Ro-*

*gom rex*. Sic enim est in Hebræo: nam *melech* idem est quod rex; quamquam non sit verisimile hunc Rogom fuisse regem: 70 ergo *melech*, vel est nomen proprium, et appendix *Rogom*; vel certe in genitivo vertendum, *Rogom regis*, scilicet dux, vel officialis. Syrus vertit, *rabmog*, id est, princeps pistorum vel coquorum. *Rab* enim vocatur maior, princeps: *mog* est pistor, et is qui in coquina cibos parat. Arabicus vertit, *Sarasar, et Arphasar, Moloe.*

Vers. 5.

**NUMQUID FLENDUM EST MIHI IN QUINTO MENSE.**) Pu-  
ta in Iulio, qui hebr. *Ab* dicitur, cuius die decima templum combustum fuit a Chaldæis, æque ac urbs et muri diruti, ideoque eo die quotannis Iudæi sibi indixerunt luctum et ieiunium, ut patet 4. Reg. 25. 9. et Ierem. 52. 12. idque continuarunt per septuaginta annos captivitatis Babyloniciæ, ac deinceps donec templum rursus ædificari cœptum. Cum ergo viderent iam templi fabricam crescere, iure quærent, an adhuc templi præteriti incendium, flere, et per ieiunium lugere debeant; an vero ob novi fabricam se exhilarare et exultare? Cessante enim causa cessat effectus, imo mutata causa mutatur effectus: templo ergo restaurato videbatur luctus vertendus in gaudium. Hæc est quæstio, et causa quæstionis.

**VEL SANCTIFICARE.**) Hebr. *הִנַּזְרָה* *hinnazer*, id est, nazareare, hoc est, agere Nazaræum, instar Nazaræi abstinere a vino et deliciis, ac ieiunare iuxta legem eis præscriptam Numer. 5. Unde Chald. vertit, *numquid prohibebo animam meam a deliciis, sicut feci iam multis annis? Pagnin. numquid fletu separando me a cibus? Tigurina, num religiose abstinebo? Vatabl. num separabo me?* scilicet a cibus et voluptatibus; Noster eum Septuag. vertit, *sanctificare*: quia sanctificatio Iudæorum, præsertim Nazaræorum, sita erat in abstinentia et ieiunio: quo enim mens magis se abstrahit ab escis rebusque corporeis, eo magis fit spiritalis, magisque assurgit ad Deum, eiusque illustrationum et affectuum cælestium fit capax. Unde Ecclesia in præfatione Missæ, tempore Quadragesimæ canit: *Deus qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia.* Quocirca S. Chrysost. ser. 1. de ieiunio: *Ieiunium, inquit, angelorum est imitatio: ieiunans ferme angelus est.* Idem hom. 1. in Gen. *Ieiunium in paradiso institutum est, ideoque paradisi est vita.*

Moraliter disce hic; tempore cladis et calamitatis vel publicæ, vel privatæ, confugiendum esse ad fletum et ieiunium, ut per pœnitentiam, Dei iram placemus. Nam ut ait S. Chrysost. ser. 1. de ieiunio: *Ieiunium sententiam Dei revocat, et immortalitatis est conciliator.* Idem hom. 2. in Genes. *Ieiunium, inquit, animarum tranquillitas est, decor senum.* Ita Iosaphat obsessus a Moabitis, Ammonitis et Idumæis, toti Iudææ ieiunium imperans, a Deo auxilium per miraculum obtinuit, quo hostes in se versi mutua se cæde confecerunt, 2. Paral. 20. 3. Ita Israelites obsessi a Philisthæis tempore Samuelis, ieiunantes eos profligarunt, 1. Reg. 7. v. 6. et 13. Ita iidem Holoferne eos invadente indixerunt solemne ieiunium, eoque victoriam impetrarunt per Iudith cap. 3. 8. Idem fecerunt tempore persecutionis Aman, Esther 4. 16. Et tempore reditus e Babylone, ut in itinere hostium manus evaderent, 1. Esdræ 8. 21. Sic et Ninivite ieiunio communitam iumentorum et infantium, quam virorum et mulierum excidium a Iona comminatum effugerunt, Ionæ 3. 5. Quocirca imminente Iudæis excidio Chaldæorum, Deus per Ioelam cap. 1. v. 4. illud evadendi hoc dat remedium: *Sanctificate, ait, ieiunium, vocate cælum, etc. et clamate ad Dominum.* Et e. 2. v. 12. *Convertimini, ait, ad me in toto corde vestro in ieiunio, et in fletu, et in planetu.* Hoc ergo faciant fideles cum flagellum Dei, vel reipubl. vel cuique privatum imminet, ut sibi quisque a Deo per Zachariam tunc diei putet: *hinnazer*, id est, esto Nazaræus, separa te a deliciis, a cibus, a lusibus, a voluptate, ac date austeritati, abstinentiæ, orationi et lamentis, iisque te sanctifica, ut Deum tibi reconcilies.

**CUM IEIUNARETIS ET PLANGERETIS IN QUINTO, scilicet mense, ob combustam in eo urbem et templum, uti dixi: ET SEPTIMO.**) Mense, ob casum in illo Godoliam,

Moral.  
In clade  
ieiunio  
conci-  
liandus  
est Deus.

Vers. 5.

qui erat dux et spes populi reliqui in Iudæa, cum cæteri a Chaldeis abducerentur Babylonem, Ier. 41. 1. et seq.

**NUMQUID IEIUNIUM IEIUNASTIS MIHI?**) Antequam directe questionem respondeat (quod facit c. 8 v. 19) obiurgat Iudæos, quasi adhuc insubossensus ob præteritas novas, q. d. Quid me rogatis de ieiunio vestro prorogando, vel inhibendo, quasi ego eo delecter, vel eius cura me tangat? erratis: illo non delecter, illud non euro, imo sperno et aversor: quia huc usque vobis, id est, ob vestram paupertatem, et ad legendam vestram captivitatem ieiunastis, non ut mihi placeretis, meque placaretis: si enim hoc voluissetis, ieiunium corporis debuissetis condire ieiunio animæ, et abstinentia a peccatis. Hoc autem non fecistis, sed his indulxistis. Similiter eum iam comeditis et convivia agitalis, id facitis ob vestram lætitiã, quam ex reditu in patriam et libertate percipitis, non vero ut mihi eius auctori gratias agatis, meque laudetis et celebretis: ita S. Hieron. Theodor. et Remig.

Paulo aliter Vatabl. q. d. Numquid utilitatem aliquam aut voluptatem cepi ex vestro ieiunio? q. d. Non, quia non fuit mihi gratum, eo quod non fuerit coniunctum pietati et religioni.

Moral. S. Greg. homil. 16. in Evangel. explicans hæc Zachariæ verba: *Sibi, inquit, comedit et bibit, qui alimenta corporis quæ sunt communia dona conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quis ieiunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Ioelam dicitur: Sanctificate ieiunium. Ieiunium quippe sanctificare, est adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. Incassum enim caro alteritur, si a pravæ voluptatibus animus non refrænatur, cum per Prophetam (Isaiam c. 58.) Dominus dicat: ecce in die ieiunii invenitur voluntas vestra. Ecce ad lites et contentiones ieiunatis, etc.*

**NUMQUID NON SUNT VERBA?**) Primo et genuine, q. d. Numquid hæc eadem verba, nimirum quod ieiunia vestra non condita operibus bonis sed malis, mihi displiceant, olim vobis per Prophetas locutus sum? q. d. Omnino id ipsum edixi per Isaiam c. 58. 4. Ierem. 14. 12. et alibi: ita Theodor. et Lyran. Secundo, S. Hier. Hugo, et a Castro, verba hæc intelligunt ea, quæ subdit: *iudicium verum iudicate, et misericordiam et miserationes facite*, etc. Tertio, Albert. exponit, q. d. Numquid hæc verba de excidio et desolatione Ierusalem, quæ iam impleta videtis, vobis locuti et comminati sunt Prophetæ, nisi a peccatis resipisceretis? Aut, ut Vatabl. qui per verba intelligit facta, quæ verbis suis prædixerunt et minati sunt Prophetæ, q. d. Numquid non hæc tristitia quæ vobis obvenerunt, facta sunt ad exequenda, et opere complenda verba mea, quæ per Prophetas prolocutus sum?

**ET AD AUSTRUM.)** Nominat partem australem et campestrem Iudææ, quia ea, utpote plana et patens, natura loci non erat munita, q. d. Olim habitabatis confidenter et secure, etiam in ea parte Iudææ quæ erat maxime debilis et infirma; eo quod vos ego protegerem; at quia me exacerbastis, hinc tradidi vos Chaldeis: ita Vatabl. Addit S. Hier. eam nominari, quia maxime erat fertilis, q. d. Ego Australem vestram regionem et campos implevi messe, frugibus et fructibus: sed vos ingrati, mihi fuistis rebelles; hinc ego ex ea vos expuli, proieci que in Babylonem.

**MISERICORDIAM ET MISERATIONES FACITE.)** Hæc geminatio significat multam crebramque faciendam esse misericordiam. Nominat tantum ea officia quæ spectant proximum, sed sub his intelligit ea quoque quæ spectant Deum. Dilectio enim proximi præsupponit dilectionem Dei, ex ea que quasi ex fonte oritur. Idem facit Apostolus Rom. 13. 9.

**PAUPEREM NOLITE CALUMNIARI.)** Chald. et Sept. *nolite opprimere*; utrumque significat Hebr. **פושע** *asciæ*: quia finis calumniæ est oppressio, direptio et expilatio pauperum. Hæc eadem in ieiuniis Iudæorum taxat Isaias c. 58. Vide ibi diæta.

**AVERTERUNT SCAPULAM RECEDENTEM.)** Fuerunt inobedientes et rebelles: famuli enim herorum, et filii parentum iussis refractarii et perversi, ab iis avertunt faciem, dorsumque obvertunt, et protervi abeunt. Unde Septuag. vertunt, *dederunt dorsum contemnens*; Pagnin. *dederunt scapulam aversam*. Est eatachresis. Tigrina vertit, *obvertentes humerum rebellem*, q. d. Averterunt humerum ab onere præceptorum meorum: ut sit metaphora a bailulis onus detrectantibus, vel excolentibus.

**AURES SUAS AGGRAVAVERUNT.)** Velut plumbo, aliove pondere iniecto aures obturarunt, ne meas leges et monita auribus exciperent, et in animum transmitterent. Tigrina vertit, *aures suas hebetarunt*.

**COR SUUM POSUERUNT (durum, ut addit Chald.) UT ADAMANTEM.)** Hic enim lapis est durissimus, quia respuit scalpra et malleos, quin et ipsos dirumpit: ideoque a Grecis dicitur *αδάμας*, id est, indomabilis. Vide diæta Ezech. 3. 9.

**PER MANUM PROPHETARUM.)** Per Prophetas quasi organa et instrumenta sua: manus enim est organum organorum, ait Aristot. Manus ergo hic denotat os: per os enim Prophetarum locutus est Deus, non per manum.

**SIC CLAMABUNT, ET NON EXAUDIAM.)** *Clamabant*, id est, clamaverunt, vel clamant: pendent enim hæc omnia ab eo quod præcessit: *Et factum est*: ita S. Hieronym. et Theodor. Unde clare Tigrina vertit, *et evenit, ut sicut ipse clamaverat, illique non audierunt: sic iam clamant, nec eos exaudiam*.

**DISPERSI EOS PER OMNIA REGNA.)** Iudæi enim partim ex Babylone, partim ex Ierusalem fugientes Chaldæos, sparserunt se per Syriam, Ægyptum, Mesopotamiam, Persidem, Mediam, aliaque regna. De Iudæis enim, id est, de duabus tribubus, hic agitur, non de decem, sive de Samaritis in Assyriam iam olim abductis: ita S. Hieron. Pro *dispersi* hebr. est **אסערם** *asuarem*, id est, instar procellæ abripui eos, ut turbo proturbavi eos.

**ET TERRA DESOLATA EST AB EIS (Hebr. Chald. et Sept. post eos.)** Causam subdit, **EO QUOD NON ESSET TRANSIENS ET REVERTENS.)** q. d. Post abduetos in Babylonem Iudæos, Iudæa desolata remansit: quia nemo incolarum relictus est, qui per eam transiret, iret et rediret. Nemo, id est, vix ulli, rari et perpauca. Aliqui enim a Chaldæis in ea relictis sunt ad colendam terram, ut patet 4. Reg. 25. 12. Aut potius, q. d. Iudæa plane desolata est, ita ut non esset qui per eam transiret et rediret: sic enim alibi sæpe *το εο quod* non causam denotat, ut sit idem quod *quia*, sed effectum et consecutionem, significans *ita ut*, inquit Vatabl. Unde Hebr. et Chald. ad verbum habent, *terra desolata est post eos a transeunte et revertente*, id est, ita ut non esset per eam transiens et revertens. Minus recte ergo Theodor. versionem Septuag. sic explicat, q. d. Post Iudæos abduetos in Babylonem, Iudæa desolata est ab Idumæis, Ammonitis, aliisque vicinis gentibus hostilibus, qui per eam prædandi et expilandi causa transierunt, et cum præda domum reversi sunt. Hic enim hebraismus, *a transeunte et revertente*, non aliud significat quam, ut non esset transiens et revertens.

**ET POSUERUNT TERRAM DESIDERABILEM IN DESERTUM.)** Hebr. *terram desiderii*, id est, ob elegantiam, fertilitatem et abundantes fruges summe desiderabilem: et ut Septuag. *electam*: ita Albert. et Hugo. Addit Lyranus, eam fuisse desiderabilem ob Christum in ea nasciturum, et passurum pro salute hominum. Sensus est, q. d. Suis sceleribus fuerunt causa desolationis terræ sanctæ, quæ prius lacte et melle manabat. Hebr. est **לשעיא** *lesciamma*, quod Secundo, verti potest, *in stuporem*, ut scilicet quicumque viderit tantas tantæ eladis ruinas, cohorrescat et obstupescat. Tertio Arias pro *lesciamma*, per diæresim legit **לשעמא** *lescema*, id est, *in qua quid*. Unde vertit, *posuerunt terram exoptatam in qua quid?* de qua scilicet viatores stupentes interrogarent, dicerentque: Quid in terra sancta boni, quid pristina fertilitatis et felicitatis remansit? utique nihil.

Moral  
quinam  
sibi ieiunent.

Vers. 7.

Vers. 9.

Vers. 10.

Vers. 11.

Vers. 12.

Vers. 15.

Vers. 14.

## CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Promittit Deus Iudæis e Babylone reversis in Ierusalem, ob diligentiam et laborem impensum in templi fabricam, lætam et longævam sobolem, frugum copiam, suamque benedictionem, si iustitiam, veritatem et charitatem colant. Deinde v. 49. quæstioni cap. 7. a Iudæis propositæ, an scilicet adhuc servanda sint ieiunia ob urbis templique excidium indicta, respondet, ea commutanda esse in læta festa et convivia, ac deinceps Ierusalem fore hilarem, felicem et celebrem, adeo ut undique ad eam confluant populi et gentes. Quæ omnia ad litteram aliquatenus contigerunt Hierosolymæ post reditum ædificato templo, ut ait Propheta v. 9. Sed longe verius et plenius competunt Ecclesiæ per Hierosolymam adumbratæ, ibique inchoatæ, cum Deo auctore lex in Evangelium, Moses in Christum, Synagoga in Ecclesiam transiit. Describitur hic ergo felicitas Hierosolymæ, ut in ea quasi typo adumbretur felicitas Ecclesiæ Christianæ: unde quædam dicuntur, quæ Hierosolymæ vix, et non nisi tenuiter, ecclesiæ vero plane pleneque conveniunt. Tale est illud v. 7. Salvabo populum meum de terra Orientis, et de terra Occasus solis. Et v. 22. Venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem. Et v. 25. Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent simbriam viri Iudæi, dicentes: ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. Quæ verba significant omnium gentium conversionem ad Christum et Ecclesiam. Vide can. 5. et 6. quos præfixi Prophetis maioribus. Ita S. Hieron. Theodor. Cyril. Haymo, Remig. Hugo, Lyran. et alii: imo Rupert. Arias et Vatabl. ad litteram putant hic depingi felicitatem Ecclesiæ, non Hierosolymæ. Quin et Rabbini bona hoc capite promissa, nonnisi a suo Messia, quem ipsi præstolantur, expectant.*

1. **E**T factum est verbum Domini exercituum, dicens: 2. Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. 3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Ierusalem: et vocabitur Ierusalem Civitas veritatis, et Mons Domini exercituum mons sanctificatus. 4. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Ierusalem: et viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. 5. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus et puelis ludentibus in plateis eius. 6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit? dicit Dominus exercituum. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis. 8. Et adducam eos, et habitabunt in medio Ierusalem: et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum in veritate et in iustitia. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. 10. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat, neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum. 11. Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus exercituum, 12. Sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cæli dabunt rorem suum: et possidere faciam reliquias populi huius universa hæc. 13. Et erit: sicut eratis maledictio in gentibus, domus Iuda, et domus Israel: sic salvabo vos, et eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus vestræ. 14. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus, 15. Et non sum misertus: sic conversus cogitavi in diebus istis ut benefaciam domui Iuda, et Ierusalem: nolite timere. 16. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veritatem, et iudicium pacis iudicate in portis vestris. 17. Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: et iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. 18. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: 19. Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, et ieiunium quinti, et ieiunium septimi, et ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, et lætitiæ, et in solemnitates præclaras: veritatem tantum, et pacem diligite. 20. Hæc dicit Dominus exercituum: Usquequo veniant populi, et habitent in civitatibus multis. 21. Et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes: Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum: vadam etiam ego. 22. Et venient populi multi, et gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem, et deprecandam faciem Domini. 23. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent simbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.

VERS. 2. **ZELATUS SUM.**) q. d. Zelotypus fui et indignatus Hierosolymæ, puta Synagogæ Iudæorum, quod ipsa sponsa mea me sponsum adeo sui amantem dereliquerit, et ad idola confugerit, ut ideireo et ego ipsam tam indigne me spernentem, spernere et deserere eoactus sim: quofactum est, ut ipsa in Chaldæorum manus incederet, ab hisque per septuaginta annos quasi ancilla captiva, spoliata et misere tractata sit: ita Theodor. Remig. Haymo, Lyran. et Vatabl. Verum quia ipsa hisce malis afflicta et erudita respuit, meumque in gratiam redire cupivit; hinc Secundo, ego vicissim ex pristino meo in eam amore et zelo, eam in gratiam et thorum recipiam, habitabo cum ea in Ierusalem, hostesque eius acriter persequar et puniam: ita S. Hieron. Zelus enim est ingens amor rei amatæ, qui

A parit iram ingentem in eos, qui rem amatam lædere, vel amanti eripere satagunt, uti dixi Sophoniæ 3. 8.

**ET VOCABITUR IERUSALEM CIVITAS VERITATIS, ET MONS DOMINI.**) *Veritatis*, Primo, quia post reditum e Babylone, iugiter usque ad Christum viguit in ea vera Dei cognitio, vera fides, vera religio, verus Dei cultus: ita Hugo et Lyran. Secundo, *veritatis*, hebr. אֱמֶת *emet*, id est, stabilitatis, constantiæ, fidelitatis, ut fidem mihi datam deinceps non sit violatura, sed constanter mihi quasi sponso et Deo suo adhæsura, nec amplius ad idola deflexura, uti reipsa post reditum e Babylone ad ea nunquam deflexit. Unde Syrus vertit, *vocabitur Ierusalem civitas sancta*. Sic et Arabieus.

Allegor. Syuagoga fuit typus Ecclesiæ, quæ est colu-

*ma et firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. 15. quia eius magister est Christus, qui est via, veritas et vita; ac Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, utpote ab æterna sapientia et veritate, quæ est Verbum Patris procedens, ideoque docens omnem veritatem, tum fidei et religionis, tum morum: utramque enim docuerunt Christus et Apostoli recepto Spiritu sancto in Pentecoste in Ierusalem, ac deinde in toto orbe, iuxta illud Isaia 2. 3. *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Ierusalem*: ita Theodor. et Rupert.

**MONS DOMINI EXERCITUM.**) Syrus et Arabicus, *mons Domini fortis*, utpote, quem stipant tot exercitus angeli: Alludit ad Isaia 2. 3. *Ibunt populi multi, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.* Mons hic est Sion et Moria, in quo ædificatum est templum, qui fuit typus Ecclesiae. Hinc vocatur *mons sanctificatus*. Primo, sacrificio Abrahae: quia in eo Abraham iussus est immolare Isaac, Genes. 22. 14. in signum quod in eodem (Calvariae enim mons, in quo crucifixus est Christus, est pars, siue iugum montis Moria) immolandus esset Christus; qui deinde ibidem reipsa crucifixus, hac sui immolatione summe hunc montem sanctificavit. Secundo, quia in eo crexit Salomon templum, illudque Deo sanctificavit et consecravit. Rursum Deus in eo colebatur sanctis sacrificiis, caeremoniis, psalmis, laudibus, votis, precibus, etc. Denique in eodem Christus cepit congregare, docere et instituere suam Ecclesiam, quam sua doctrina, gratia, meritis, Sacramentis sanctificavit.

Mons Sion, sanctus ob quatuor causas.

Vers. 4

**ADHUC HABITABUNT SENES.**) Prædicat deinceps Ierusalem fore pacatam et felicem, ut abundet civibus omnis ætatis et sexus; pueris et puellis ludentibus in plateis, iique prorogent vitam ad senium, et sint longævi: idque ita contigisse patet 2. Machab. 3. 1. ita S. Hieron. Theod. Remig. et Lyran.

Alleg. significatur Ecclesiae et fidelium pax, multitudo et longævitas, quam prædixit Isaia c. 2. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non le-vabit gens contra gentem gladium, nec exerebuntur ultra ad prælium.* Et cap. 65. 20. *Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos.* Vide ibi dicta.

**ET VIRI BACULUS.**) Ita Roman. Significatur virorum in Ierusalem et Ecclesia longævitas, adeo ut quisque in ea senex habeat baculum, cui præ senio innitatur, sive is sit stipes, sive famulus aut filius, uti parenti seni apud Romanos fuit Scipio (ei enim innitebatur parens quasi baculo) a quo nobilis Scipionum familia originem et nomen traxit. Sensus est, q. d. Tanta erit Hierosolymæ civium sanitas et prosperitas, ut senes et maximi sint et plurimi, quorum consilio resp. sapienter et feliciter gubernetur. In senibus enim est experientia, maturitas, sedatio cupiditatum, indeque sapientia et prudentia: unde ex senibus olim lectus, et dictus est senatus. Nota hebraismus, quo *vir* ponitur pro *unoquoque*, q. d. *Viri*, id est, cuiusque senis, *baculus erit in manu eius*, quo significat, non unum alterumve, sed plurimos fore senes: ita Sanchez.

Vers. 7

**DE TERRA ORIENTIS ET DE TERRA OCCASUS.**) Sub his duabus præcipuis mundi plagis, quatuor intelligit, puta sub Oriente Meridiem, sub Occasu Septentrionem, q. d. Quocumque Iudæi fuerint dispersi per captivitatem Babylonicam, inde salvabo eos et reducam in Ierusalem. Nec dubium est, quin, licet ipsi directe in Chaldaeam, quæ Iudææ est ad Aquilonem, sint abducti, iude tamen multi ad alia regna Orientalia et Occidentalia migrarint. Rursum alios, adventantibus in Iudæam Chaldaeis, profugisse ad Ammonitas, Moabitas, Idumeos, Syros, etc. patet ex Isaia cap. 16. 4. Hi ergo audito reditu suorum e Babylone in Ierusalem, eiusque et templi reedificatione, æque ac incolarum prosperitate et felicitate, eo properere redierunt: ita S. Hieron. Theodor. Rupert. et alii.

Alleg. et potius, significatur gentium omnium, ex cunctis mundi plagis confluxus ad Christum et Ecclesiam, iuxta illud Isaia 49. 12. *Ecce isti de longe venient, et ce-*

*ce illi ab Aquilone, et mari, et isti de terra Australi; Hebr. de terra Sinim, id est, Sinarum.* Et cap. 66. 19. *Et militam ex eis qui salvati fuerint ad Gentes in mare, in Africam, et Lydiam, tenentes sagittam; in Italiam et Græciam, ad insulas longe.* Hoc est quod ait Christus Matth. 8. 11. *Multi de Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno calorum.* Et cap. 24. 31. *Mittet Angelos suos cum tuba, et congregabunt eos a quatuor ventis, a summis calorum usque ad terminos eorum:* ita S. Hieron.

**ET ERUNT MIHI IN POPULUM, ET EGO ERO EIS IN DEUM** Vers. 8. **IN VERITATE ET IN IUSTITIA.**) Ut scilicet ipsi colant me vera fide et constanti fidelitate, æque ac iustis sanctisque moribus; ego vicissim vere, id est, fideliter et iuste, præstem eis curam, custodiam, pacem et prosperitatem quam promisi. Hoc verum fuit in Iudæis, verius est in Christianis: ita Vatabl. et Arias, qui recte *in veritate et in iustitia*, tam ad Deum, quam ad populum cum Deo paciscentem referunt. In pacto enim uterque paciscenti alteri fidem suam obligat, eamque vere et iuste præstare debet.

**CONFORTENTUR MANUS VESTRÆ.**) Tum ut inchoatam Vers. 9. templi fabricam, uti sequitur, periciatis, tum ut leges et iussa Dei fortiter resistendo difficultatibus, tentationibus et hostibus, præsertim vicinis Gentilibus, adimpleatis.

**SIQUEM ANTE DIES ILLOS MERCES HOMINUM NON ERAT.**) Hortatur Iudæos ad strenue prosequendam fabricam templi, proponendo eis præteritam sterilitatis plagam, eam a Deo indictam ob fabricæ neglectum, et præsentem fertilitatem ob eiusdem curam et studium. *Mercedem* vocat fructum et lucrum operæ, q. d. Antequam manum adinoveretis ædificationi templi, intendebatis fabricæ domorum, ac culturæ agrorum et iumentorum vestrorum; sed merces, id est, fructus et messis non respondebat labori vestro, et iumentorum vestrorum: tam enim agri, villæ, pascua, et vineæ, quam iumenta post omnem culturam, laborem et saginam manebant sterilia, paucasque dabant segetes, uvæ, fœtus et animalium sobolem: ita S. Cyril.

**NEQUE ERAT PAX.**) q. d. Undequaque Samaritæ, Moabitæ, aliique vicini hostes vos impetebant et infestabant: ita S. Hieron. et Cyril.

**DIMISI OMNES HOMINES.**) q. d. Permissi non tantum foris prælia, ut iis vos vicini divexarent; sed et intus seditiones, ut quisque contra proximum insurgeret.

**NUNC AUTEM,** cum domus meæ fabricam curæ et cor- Vers 11. di habetis, **SEMEN PACIS ERIT.**) Primo, q. d. Fruges copiosæ et securæ vobis provenient, quales solent tempore pacis, cum optime coluntur agri, nec est hostis qui sementem impediatur, aut messem auferat: ita Vatabl. et a Castro. Unde Septuag. vertunt, *monstrabo pacem*, adeo ut non tantum homines, sed et elementa vobis pacifica sint, imo in vestrum bonum et alimoniam conspirent. Nam ut sequitur: *Vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cæli dabunt rorem suum.* Secundo, per *catchresin pacis*, id est, abundantiae, fertilitatis et prosperitatis. Horum enim, imo bonorum omnium causa, æque ac symbolum est pax, iuxta illud ps. 121. 7. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia* (quæ ex pace consequi solet) *in turribus tuis*, q. d. Faciam semen vestrum fertile, ut abundantes producat spicas et fruges. Tertio, alii sic exponunt: *Semen erit pacis*, id est, benedictionis, q. d. Benedicam seminibus vestris. Pax enim est magna benedictio, et maiorem secum adducit. Unde Christus et Apostoli hæc salutatione ex ritu Hebræorum uti solent: *Pax vobis*: qua phrasi omnem benedictionem apprecantur. Quarto alii vertunt, *semen erit in pacem*, id est, pacifice conservabitur, crescet et maturescet, q. d. In pace, id est, integras, et illas ab aurugine omnique aeris vitio, æque ac ab hoste servabo fruges vestras, tam tempore sementis ac deinceps, quam messis. Quinto, Hebr. **שְׁלוֹם** *seialom*, id est, pax, significat quoque integrum, perfectum. Unde Chald. et Tigrina vertunt, *semen plenum et perfectum erit*, tum in se, tum consequenter in spicis et granis, quæ ex se plena perfectaque progremiabit. O-

et 12. Semen pacis quinta-plex.

omnes hæc expositiones eodem redeunt: primæ tamen duæ magis sunt genuinæ, et conformes phrasi Hebrææ. Hæc ad litteram contigerunt Iudæis Babylone redeuntibus, sed spiritualiter magis conveniunt Christianis ex inlidelitate, vel peccato ad Ecclesiam et Deum revertentibus, eique mysticum in anima sua templum ædificantibus. Hisce enim Deus facit ut omne semen eorum sit pacis, id est, ut omnia quæ aggrediuntur et molliuntur prospere cedant, ac feliciter et fertilliter proveniant, indeque fructus, præsertim spirituales virtutum, tum in seipsis, tum in proximis colligant: ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Lyran.

Dices, Hoc semen et benedictionem vers. 13. promittit non tantum Iudæ, sed et Israeli: Israeli autem hoc ad litteram non obvenit, utpote qui e captivitate Assyriaca non rediit. Ergo Israel et Iuda hic non carnalis, sed spiritualis intelligitur, puta populus fidelis. Ob hoc argumentum Iudæi censent hæc necdum impleta esse, sed ea implenda a suo Messia quem expectant. Verum respondeo, Israelis hic fieri mentionem, quia multi ex Israelitis, veræ et avitæ fidei et religionis sectatores, transierant ad Iudam, cum eoque in Babylonem abducti, cum eo pariter redierunt, ac proinde pacis et felicitatis illi hic promissæ fuere participes, utpote cum eo conspirantes, et in unam gentem coalescentes.

Moral.  
Religio  
est ma-  
ter felici-  
tatis.

Moral. discite, religionem et cultum Dei esse semen omnium felicitatis. Vidit hoc per umbram Cicero: nam l. 2. de Natura Deorum, Romanorum felicitatem imperium et triumphos religioni attribuit: *Si, ait, conferre volumus nostra cum externis, cæteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur: religione, id est, cultu deorum, multo superiores. Et mox: Apud maiores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam seipsos diis immortalibus, capite velato verbis conceptis pro republ. devoverint. Idem orat. in P. Clodium, quæ numero est trigesima. Quis, ait, est tam recors, qui, etc. non intelligat eorum (deorum) numine hoc tantum imperium esse natum, et auctum, et retentum. Licet ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pannos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos; sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus. Vide dicta Aggæi 1. 6. ubi ipse idem argumentum tractat, quod hic Zacharias; utpote illi cœvus, et adiutor a Deo datus ad promovendam templi fabricam, ut patet l. Esdræ 5. 1. Præclare S. Cyprian. tract. de Orat. Domin. Cum Dei, inquit, sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Quare idem recte alibi monet, ut cor non medium, non divisum, sed totum demus Deo, cuius est, et qui illud totum reposeit, solusque illud implet et satiat. Sufficis, inquit, o anima Deo, sufficiat et tibi Deus tuus. Nam, ut ait S. August. in Soliloquiis c. 19. Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

Vers. 15. **ET ERIT, SICUT ERATIS MALEDICTIO IN GENTIBUS, etc. SIC SALVARO VOS, ET ERITIS BENEDICTIO.** *Maledictio, id est, valde maledicti, benedictio, id est, valde benedicti: ita Chald. et Septuag. qui vertunt, sicut eratis in maledictione, sic eritis in benedictione, q. d. Sicut omnes gentes apud quas captivi exulastis vobis maledicebant, vosque subsannabant et execrabantur, ita vice versa cum viderint vos a me liberari, prosperari, locupletari, vobis benedicent, laudabunt et celebrabunt. Secundo, benedictio et maledictio, id est, exemplum, parabola et formula benedictionis et maledictionis, quam omnes usurpant, cum alicui maledicere, vel benedicere volint, ut dicant: Fiat tibi sicut istis Iudæis, ut scilicet sis maledictum, probrum et execratio Dei et hominum, sicut ipsi sunt: aut, sis benedictio, id est, cumulus bonorum, laus et gloria tibi obveniat, ut scilicet Deus te cumulet bonis omnibus, uti cumulavit Iudæos, idenque omnes te laudent, celebrent et glorificent: ita Vatabl. Simili modo de iisdem ait Jerem. cap. 24. 9. Dabo eos in vexationem afflictio-*

**A** *nemque omnibus regnis terræ, in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis ad quæ eieci eos. Et Ezech. 14. 8. Faciam eum in exemplum et in proverbium.*

**VERITATEM ET IUDICIUM PACIS**, id est, pacificum, ut vertit Chald. et Septuag. puta iustum et æquum, de quo nemo iure conqueri possit, **IUDICATE IN PORTIS VESTRIS.** Id est, in curiis, tribunalibus et iudiciis, quæ vos o Iudæi, habetis, et exercetis in portis urbium. Secundo, pro *pacis*, hebr. est **שְׁלוֹמ** *seialom*, quod verti potest integrum, perfectum, incorruptum, sincerum, uti dixi vers. 12. q. d. Ferte in iudiciis sinceram sententiam sine acceptione personarum, ne sinatis vos corrumpi muneribus, nec iudicetis ex favore, metu vel odio, sed recta ratione, et æquitate. In multis enim verum est illud Poetæ: *Auro loquente, sermo omnis inanis est. Persuadet aurum quidlibet, silens tamen.* Tertio, aliqui per *iudicium pacis*, inquit Vatabl. intelligunt iudicium non obscurum, non captiosum, unde lites oriri solent, sed clarum et candidum, quod pacem et concordiam inter partes litigantes conciliat.

**CONTRA AMICUM.** *Contra proximum; ita Septuag. et Chald. Hic enim hebr. vocatur **רֵעָא** *rea*, id est, socius, amicus; causam dedi Levit. 19. 18.*

**IURAMENTUM MENDAX NE DILIGATIS.** *Imo summe odistis et execremini: est misos: minus enim dicitur, sed plus intelligitur.*

**IEIUNIUM QUARTI. ET IEIUNIUM QUINTI, ET IEIUNIUM SEPTIMI, ET IEIUNIUM DECIMI, supple mensium, non dierum, ERIT DOMUI IUDA IN GAUDIUM.** *Hic respondet quæstioni de ieiuniis propositæ a Iudæis c. 7. 1. ait S. Hier. Remig. et Haymo. Porro menses Hebræorum inchoantur et numerantur a Nisan, id est, Martio: hic enim erat primus anni sacri mensis, ex decreto Dei, Exodi 12. 2. Quartus ergo ab eo mensis erat Tammus, qui partim Iunio, partim Iulio nostro respondet. Huius die nona ieiunabant Iudæi, eo quod illo die a Chaldæis perfractus et interruptus esset murus Ierusalem, ut patet Jerem. 52. 6. ita S. Hieron. et Cyrill. Quintus mensis erat Ab, qui respondet nostro partim Iulio, partim Augusto. Huius die decima ieiunabant Iudæi, eo quod illo die a Chaldæis combustum esset templum, ut patet Jerem. 52. 13. Septimus mensis erat Tisri, qui partim Septembri, partim Octobri respondet. Huius die tertia ieiunabant, eo quod illo die Godolias esset occisus ab Ismaele, Jerem. 41. 2. Decimus mensis erat Tebet, qui partim Decembri, partim Ianuario respondet. Huius decimo die ieiunabant, quod eo die obsideri cepit Ierusalem a Chaldæis, 4. Reg. 25. 1.*

**Querentibus ergo Iudæis, an his diebus, quibus ipsi ob cladem urbis populi et templi, huc usque luxerant et ieiunaverant, iam restaurata urbe et templo adhuc lugere et ieiunare debeant? respondet Deus, nequaquam: se enim luctum in gaudium, mœrorem in lætitiâ, ieiunia in festa et festiva convivia conversurum, eo quod urbi, templo et incolis sit benedicturus, bonisque omnibus cumulaturus (si tamen pacem cum proximis, et veritatem, id est, fidelitatem, cum Deo diligant et custodiant) sic ut deinceps hilares et felices agant menses et annos, adeoque illis diebus quibus paulo ante ob eversam urbem et templum lugere et ieiunare solebant, iam conversa rerum vice celebrent solemnia festa et convivia: perinde ac fuerunt Iudæi liberati et exaltati ab Esther, celebrantes dies Purim, id est, sortium, per solemnes epulas et munera, Esther 9. 19. ita S. Hier. Remig. Albert. Hugo Lyr. et alii.**

**Nota.** Erant et alia aliis de causis in mensibus iam nominatis indicta apud Hebræos ieiunia. Nam quarti mensis die 17. ieiunabant, quod eo die Moses descendens e Sina, videns populum adorantem vitulum aureum, confregerit tabulas lapideas, quibus Deus digito suo decalogum inscripserat, Exodi 32. 19. Ieiunabant et mense quinto die primo, quod eo mortuus sit Aaron frater Mosis, et primus Hebræorum a Deo constitutus pontifex, Num. 20. 28. Item die nono, quod eo iussi essent a Deo Hebræi ob murmur exploratorum, per 40. annos peregrinari in deserto, ibique mori. Rursum mense septimo die deci-

Plura  
Hebræo-  
rum iei-  
unia.

mo erat ieiunium expiationis sancitum a Deo, Levit. 23. 27. Insuper mense 10. die 8. erat ieiunium, quod illo die lex in Græcum versa sit a Sept. Interpretibus, tempore Ptolemæi Philadelphi, et tenebræ occuparint totum mundum triduo. Hæc omnia et plura habet Calendarium Hebræorum, quod in Latinum idioma transtulit Genebrardus, et suis in Psalmos commentariis præfixit. Porro de his ieiuniis abolendis hic non agitur, licet id aliqui putent: tum quia illa antiqua erant; hic autem agitur de novis et recenter institutis; tum quia quædam ex illis sancita erant a Deo, uti ieiunium in die expiationis, Levit. 23. 27. Non est autem verisimile ea hic a Deo revocari et irritari: tum quia Iudæi cap. 7. I. tantum quærebant, an ieiunia mense quarto et quinto instituta ob excidium urbis et templi, adhuc servanda essent restaurata iam urbe et templo? quibus respondet Deus, non esse servanda, sed mutanda in solemnitates lætas et convivales: ergo non agit de ieiuniis alias aliis de causis institutis. Illa enim hoc loco impertinentia sunt.

Mystice, hæc quatuor mensium ieiunia Iudæis a Synagoga præcepta, adumbrarunt ieiunia quatuor temporum Christianis ab Ecclesia indicta, imo hæc ad illorum non legem et obligationem (hæc enim cessavit in adventu et lege Christi) sed continentiam et pietatis imitationem, vel exemplum esse instituta, docent S. Leo ser. 7. de ieiunio septimi mensis, et serm. 4. et 6. de ieiunio decimi mensis, ac S. Callistus epist. ad Benedictum. Cum enim Hebræi servarint stata quatuor temporum ieiunia, æquum fuit ut similia observarent Christiani, qui Hebræis debent esse perfectiores, ideoque alia, et alias ob causas, ac fines sublimiores sancita: quorum primus est, ut his temporibus partim Deo supplicarem pro frugibus et fructibus terræ eo tempore nascentibus, partim ut pro iisdem iam natis et perceptis gratias ageremus. Nam in hisce quatuor temporibus aeris temperies maxime variatur, ac fructus omnes et fruges vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Hanc rationem affert S. Leo serm. 5. et 8. de ieiunio decimi mensis. Quocirca hæc ieiunia, cum gaudio et lætitia celebrat Ecclesia, præsertim quia mox post ea sequuntur solemnitates præclaræ, puta tum festorum Paschatis, SS. Trinitatis, Corporis Christi, Nativitatis Christi, etc. tum æternæ in cælis, quas per hæc ieiunia promerentur fideles.

Secundus est, propter ordinationes sacerdotum aliorumque Ecclesiæ ministrorum, quæ hisce quatuor temporibus fiunt, ut scilicet per ieiunia et preces Deus invocetur ad assistendum et cooperandum Episcopis, ut ab iis indigni reiiciantur, et soli digni ordinentur, sique per eadem ieiunia ad tantum ministerium, et ad recipiendum Spiritum sanctum disponantur et præparentur.

Tertius, ut per ea quatuor anni tempora, puta ver, æstatem, autumnum et hiemem, per quæ hæc ieiunia distributa sunt, ac consequenter totum annum Deo, in pœnitentiam et pietatis obsequium offeramus. Rursum, ut singulis mensibus unum diem Deo per ieiunium dicemus. Terni enim dies ieiuniorum per quatuor anni tempora distributi universim efficiunt duodecim dies, quot sunt menses in anno: ita Bellarm. lib. de Bonis oper. in part. c. 19. Imo S. Leo ser. 9. de ieiunio septimi mensis: *Idco, ait, ipsa continentia observantia quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter divinis purificationibus indigere.* Idem ser. 8. de ieiunio decimi mensis: *Huius, inquit, observantia utilitas in Ecclesiasticis est præcipue constituta ieiuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus ita per totius anni circum-*

*distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit ascripta temporibus; siquidem ieiunium vernali in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes divinis nihil vacuum esse præceptis.* Simili modo ieiunamus Quadragesimam, ut decimas totius anni Deo per abstinentiam et pœnitentiam dependamus. Divide enim 360. dies quot sunt in anno, per decem, conficies dies 36. quibus per sex Quadragesimæ hebdomadas iei-

namus. Hi ergo 36. dies sunt quasi decimæ dierum totius anni: ita S. Gregor. homil. 16. in Evangelia.

USQUEQUO VENIANT POPULI.) Hæc verba pendunt a præcedentibus, q. d. Luctus ieiuniorum convertetur in lætas solemnitates, *usquequo*, id est, adeo, vel in tantum, ut populi earum fama illecti, veniant et conflant ut eas videant, iisque se pascant et oblectent: ita S. Hieron. Ant. q. d. Celebrabitis solemnitates lætas et præclaras, donec lætiores et præclariores celebretis, quod licet cum venient populi, etc. Unde Septuag. Chald. Pagn. et Tigurina vertunt, *adhuc venient populi*, quasi inchoetur hic nova periodus, sitque nova maiorque promissio.

Iam hæc aliquo modo impleta sunt in Iudæis post reditum e Babylone, præsertim tempore Machabæorum, cum populi multi tum e variis Iudææ urbibus, tum ex vicinis Gentibus videntes felicitatem, victorias et gloriam Hierosolymæ et templi, se invicem cohortati sunt, ut eo properarent, illaque fruerentur. Tunc enim multos Gentiles variis in locis suscepisse iudaismum, et factos esse proselytos, liquet ex Esther c. 8. 17. et 3. Esdræ 5. 30. et Act. 2. 11. et cap. 8. 27. Longe tamen verius et plenius impleta sunt tempore Apostolorum, cum per eos gentes conversæ ad Christum et Ecclesiam (quæ est vera Ierusalem) turmatim undequaque cum gaudio et iubilo invicem se cohortantes properarunt et confluerunt, uti fore prædixit Isaias c. 2. 2. et Michæas c. 4. 2. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii passim.

ET VADANT HABITATORES UNUS AD ALTERUM DICENTES.) Ita Roman. sed Ribera legendum censet, *et vadant habitatores unius, scilicet civitatis, ad alteram*; idque clarius videtur et concinnius, itaque habent Hebræa. Unde et Septuag. vertunt, *et congregabuntur qui habitant civitates in unam civitatem, dicentes*; et Chald. *et ibunt unius incolæ cum alterius urbis habitatoribus, dicentes: Euntes camus oratum faciem Domini.* Hoc verum fuit in Ierusalem, verius in Ecclesia. Sic videmus in Italia integros pagos et oppida turmatim Lauretum confluere, ac se invicem cohortari ad visitandam et venerandam sacram illam ædem B. Virginis miraculose ab angelis eo ex Iudæa translata, in qua ipsa salutata ab angelo filium Dei concepit, et Verbum caro factum est.

ET QUÆRAMUS DOMINUM EXERCITUM.) Chald. *quæramus doctrinam a Domino.*

VADAM ETIAM EGO.) Est vox unius civitatis et populi, vel hominis ad alterum; dum enim eum invitat, et dicit: *Eamus et deprecemur faciem Domini*, etc. stimulum ei addit, subdens: *Vadam etiam ego*, q. d. Ego adeo huic perfectioni, tibi que in ea non deero, ut omnino velim esse consors et comes, imo dux itineris: ita S. Hieron. Unde Chald. vertit, *iste huic dicit, Vadam etiam ego.* Alii, ut Theodor. Arias et Hugo, censent hanc vocem esse civium promiscue se ad iter offerentium, ut quisque eorum dicat: *Vadam etiam ego.* Unde Vatabl. *Dicent, ait, quamplurimi: Etiam ego vadam, vel ibo tecum*; ut sit vox associantium se aliis pergentibus in Ierusalem, q. d. Plurimi videntes alios tendere in Ierusalem et in Ecclesiam, certatim ad eos confluent, eorum comitatum ambient, eis que se aggregabant, cum eis que iter capessent: unus enim dicit: *Ibo et ego.* Et alius: *Et ego.* Et tertius: *Et ego*; ideoque dicent singuli.

ET GENTES ROBUSTE.) Ac proinde nemini subesse, sed aliis dominari solite, iam colla submittentem Synagogæ et Ecclesiæ, ab illa regi ambient.

IN DIEBUS ILLIS, scilicet fiet hæc tam augusta, quæ dico et prædico: *illis*, inquam, IN QUIBUS APPREHENDENT DECEM, id est, plurimi (denarius enim, quia primus est post numeros singulares, qui digiti nuncupantur, eosque combinat et multiplicat; hinc multitudinis et universitatis est symbolum. Sic Levit. 20. 26. *decem mulieres* vocantur multe: ita S. Cyrillus) HOMINES EX OMNIBUS LINGUIS GENTIUM, ET APPREHENDENT FIMBRIAM VIRI IUDÆI, DICENTES: IRIMUS VOBISCUM; AUDIVIMUS ENIM QUONIAM DEUS VOBISCUM EST.) q. d. Plurimi ex omnibus Gentibus fient proselyti, ut cum Iudæis unum Deum verum colant,

Re-præsentant ieiunia quatuor temporum.

Quatuor de causis instituta.

II.

III.

IV.

D

Vers. 20.

Vers. 21.

Vers. 22.

Vers. 25.

ideoque statis festis ascendant in Ierusalem. Hoc inchoate verum fuit in Synagoga, uti censet Theodor. Sed plene et complete verificatur in Ecclesia, uti censet S. Hieronym. pauci enim Gentiles facti sunt Iudæi, sed omnes pene facti sunt Christiani: Propheta ergo hic a typo avolat ad antitypum, puta a Ierusalem ad Ecclesiam, ita tamen ut ad typum alludat, eumque obiter quasi perstringat, itaque misceat typum cum antitypo. Vide can. 4. et 5. quos præfixi Prophetis Maioribus. Quocirca per Iudæum hie tum carnalem, tum potius spiritualem et mysticum accipe, puta Apostolos primosque fideles, qui ex Iudæis orti, vere fuere Iudæi, id est, confitentes Deum et Messiam ab eo missum. His enim evangelizantibus magnoque zelo, sanctitate et miraculis prædicantibus adhæserunt Gentiles: quia ex iis cognoscebant Deum esse cum illis: ita S. Hieron. Cyrill. Remig. et alii. Rursum S. Hieron. per Iudæum accipit Christum ortum ex tribu Iuda, qui Iudæ sceptrum et regnum non temporale, sed spirituale restituit, iuxta oraculum Jacobi Gen. 49. 10. Verum non solum Christum hie vocari Iudæum, sed et Apostolos patet ex eo quod dicitur in plurali: *Ibimus vobiscum*. Sic Iudæus accipitur mystice pro fideli et Christiano Rom. 2. 28. ubi dicitur: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, necque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, scilicet vera est, digna grataque Deo. Et Philip. 3. 3. Nos enim sumus circumcisio (id est, circumcisi puta Iudæi) qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Iesu. Et Apoc. 2. 9. Blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos (id est, confitentes Deum Deique cultores) esse, et non sunt, sed sunt Synagoga satanæ.*

Mystice  
vita reli-  
giosa pa-  
rit Reli-  
giosos

Mystice, verus Iudæus est religiosus Dei cultor, instituti sui observator; religionis, modestiæ, pietatis, omnisque virtutis speculam, quem dum sæculares vident, spiritu Dei instincti ardentesque apprehendunt eius solum, ut eius institutum habitumque capessant, dicentes: *Ibimus vobiscum: audivimus enim, imo vidimus, quoniam*

*Deus vobiscum est: vos enim estis semen cui benedixit Dominus. Nihil equidem ita invitat seculares ad statum perfectionis, atque eorum qui in eo degunt vitam sanctam et exemplarem. Unde videmus monasteria et ordines, in quibus viget disciplina et religio, certatim a plurimis ambiri, adeo ut multi repulsam patientur: ea vero in quibus laxior est vita, negligi et destitui tam personis, quam alimentis. Non est cuius magnæ, non lux, non illex, qui validius ad se alliciat trahatque vel ferrea corda, quam sanctitas vitæ et exempli. Ita exemplo Victorini ad fidem, et S. Antonii ad mundi contemptum se aliosque plures illectos exarsisse narrat S. August. l. 8. Confess. c. 5. 6. 7. et 11. Facilis, inquit S. Leo serm. de S. Laurentio, sit ratio efficax ad suadendum, validiora sunt tamen exempla quam verba, et plenius est opere docere quam voce. Quin et Seneca epist. 6. Plus tibi, inquit, viva vox et convictus quam oratio proderunt: primum, quia homines plus oculis quam auribus credunt: deinde quia longum est iter per præcepta, breve et efficax per exempla. Sic in vitis Martyrum crebro legimus, eorum fortitudine et alacritate spectantes illectos et incensos, sponte ad martyrium procurrisse. Sic S. Iohanni Baptistæ hæc dat elogia S. Bernard. sermon. de privilegiis Baptistæ: *Iohannes parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Evangelii principium, mortis expulsio, ianua vitæ, decus hominum, conversionis splendor, omnis iustitiæ principatus. Idem hortatur sororem l. de Modo bene vivendi c. 16. ut sibi ad imitandum proponat, ac a Deo postulet humilitatem Christi, devotionem Petri, charitatem Iohannis, obedientiam Abraham, patientiam Isaac, tolerantiam Iacob, castitatem Ioseph, mansuetudinem Mosi, constantiam Iosue, benignitatem Samuelis, misericordiam David, abstinentiam Danielis, et cætera digna facta priorum sanctorum. Unde inquit, in Cantic. dicitur: *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis! Quæ sunt autem calcamenta Ecclesiæ, nisi exempla SS. Patrum, quibus in via huius sæculi munimur, ut per omnes tribulationes calcamenta ista ambulent?***

## C A P U T N O N U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Deus populum suum e Babylone reducem, pauperem et afflictum consolatur promittendo, Primo, quod vicinos eius hostes Syros, Tyrios et Philisthæos debellabit, illique subiiciet. Secundo, v. 9. quod Christum mittet salvatorem, qui mitis et humilis, sedens super asinam quasi rex, Messias et triumphator Ierusalem ingrediatur, ac sublatis bellis pacem afferens dominabitur a mari usque ad mare, imo usque ad lacum inferni, ex quo vinctos suos educet, puta Patriarchas e limbo. Hac de causa mittet Apostolos per totum orbem, ut quasi arcus et gladii fortes, ac quasi iacula fulgurantia eum ipsi subigant, præsertim quia eos, æque ac fideles pascet et roborabit S. Eucharistia, quæ erit frumentum electorum, et vinum germinans virgines.*

1. **O**NGS verbi Domini in terra Hadrach, et Damasci requiei eius: quia Domini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel. 2. Emath quoque in terminis eius, et Tyrus, et Sidon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valde. 3. Et ædificavit Tyrus munitionem suam, et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum. 4. Ecce Dominus possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinem eius, et hæc igni devorabitur. 5. Videbit Ascalon, et timebit: et Gaza, et dolebit nimis: et Accaron, quoniam confusa est spes eius: et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. 6. Et sedebit separator in Azoto, et disperdam superbiam Philistinorum. 7. Et auferam sanguinem eius de ore eius, et abominationes eius de medio dentium eius, et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit quasi dux in Iuda, et Accaron quasi Iebusæus. 8. Et circumdabo domum meam ex his qui militanti mihi euntes et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor: quia nunc vidi in oculis meis. 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. 10. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Ierusalem, et dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 12. Convertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. 13. Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, implevi Ephraim: et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia: et ponam te quasi gladium fortium. 14. Et Dominus Deus super eos videbitur, et exhibit ut fulgur iaculum eius: et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine austri. 15. Dominus exercituum proteget eos: et devorabunt, et subiicient lapidibus fundæ: et bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. 16. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur super terram eius. 17. Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?



Vers 1.

**ONUS VERBI DOMINI IN TERRA HADRACH ET DAMASCI.** ) **Q**uæres, quodnam hoc onus? Resp. *onus* est onerosa et minax prophetia, uti dixi Isaïæ 13. 1. qua strages vel ex-cidium alicui genti intentatur, uti hic intentatur Syris, Tyriis et Philisthæis, quod reipsa peractum est, partim per Alexandrum Magnum. Hic enim teste Curtio lib. 3. et 4. de gestis Alexandri, ac Plutarcho in eius vita, cepit Damascum cum Darii thesauro, Palaestinam, Syriam, Cyprum, totamque Phœniciam; adeoque Tyrum post obsidionem septem mensium vastavit et combussit, duoque civium millia crucifixit. Partim per Machabæos, qui Syros et Philisthæos subegerunt, et cosque ad circumcisionem ac iudaismum compulerunt, ut patet 1. Machab. 11. 60. ubi dicitur quod Antiochus *Simonem constituit ducem a terminis terræ usque ad fines Ægypti. Et exiit Ionathas, et perambulabat* (quasi victor et dominator) *trans flumen civitates, et congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, et venit Ascalonem, et occurrerunt ei honorifice de civitate.* Mox succedens et deprædatus Gazam, *perambulavit regionem usque Damascum:* ita S. Cyrillus, Albert. Hugo, Lyran. et a Castro. Hoc enim est proprie dictum onus, quod Deus hic Syris, Tyriis et Philisthæis imponit. Verum quia hoc Machabæorum dominium non fuit plenum et diuturnum, sed modicum et modici temporis, nec per eos tota gens Syrorum, Tyriorum et Philisthinorum fuit conversa ad Deum et iudaismum, hinc Propheta misens hic typum antitypo avolat ad Christum, qui per Apostolos plene has aliasque gentes convertit, easque Deo et sibi per Evangelium subiecit: ita S. Hier. Theodor. Remig. Haymo, Clarius, Vatabl. Arias, Ribera, a Castro et alii.

Evangelium est onus dupliciter.

1.

Dices: Hæc Gentium conversio ad Christum, iustitiam et salutem, non fuit onus, sed ingens gratia et donum. Resp. Læta hæc prophetia vocatur onus. Primo, quia tristis et molesta erat ipsi mundo gentili, ipsisque Gentibus ante conversionem, utpote hostibus fidei, eique usque ad mortes et martyria multorum repugnantibus. Unde Apostoli eas invaserunt instructi arcibus, gladiis et telis fulgurantibus, sed mysticis et spiritualibus, uti audiemus v. 13. easque trucidarunt dum infidelitatem, libidinem, crapulam, omnemque impietatem in eis occiderunt, atque ex infidelibus fideles, ex incestis castos, ex chriis sobrios, ex impiis pios effecerunt: ita S. Hieron. Addit Arias, Evangelicam legem quam Apostoli Gentibus conversis imposuerunt, esse onus, idque in se grave: tale enim est mortificatio passionum, refrænatio cupiditatum, abstinentia, condonatio iniuriarum, amor inimicorum, contemptus mundi, etc. Sed quod per gratiam Christi fit leve, iuxta id quod ipse promisit Matth. 11. 29. *Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Ubi Nota. Solent Prophetæ de Christo vaticinari, non ex abrupto ad eum transire, sed gradatim, puta per res et historias sui ævi, quæ typus sunt Christi, quasi per gradus ad Christum ascendere, ideoque sensim ad eum ascendendo illas cum eo commissent, et de utrisque simul eodem sermone loquuntur, illas ut typum, obiter perstringendo, in Christo vero ut in scopo, hærendo: ita hic facit Zacharias, præsertim quia id facere cœpit cap. præced. v. ult. Porro id faciunt Prophetæ, ut ostendant consensionem et connexionem rerum legis veteris cum rebus legis novæ, nimirum omnia veteribus in figura contigisse, ut ait Apostolus 1. Cor. 10. 11. Atque finem legis et Prophetarum esse Christum, utpote quem omnes adumbrarint, et in quem ut scopum omnia terminentur et desinant. Unde S. Hieronymus. *Omnia hæc visio, inquit, sive pondus et onus verbi Domini, ut interpretatus est Aquila ad vocationem Gentium et extractionem Ecclesiæ pertinet.*

Ad hanc enim e fabrica templi assurgit Propheta, in camque ut in antitypum desinit.

**HADRACH.** ) Nomen est loci vicini Damasco: sed quis et ubi, incertum, præsertim quia de eo mire variant interpretes. Probabile est quod ex S. Hier. Ptolem. Guiljelmo Tyrio et aliis scribit Adrichomius in Descriptione ter-

re sanctæ pag. 75. *Adrach, ait, sive Hadrach, alias Adra, Adraon et Adratum, Cælesyriæ oppidum est a Bosra 25. millibus distans, a quo etiam adiacens regio terra Adrach nuncupatur, de qua Zacharius prophetavit. Post Christi tempora urbs hæc Episcopali sede coonestata Archiepiscopo Bostrensiurchat. Atque quo tempore Occidentales Christiani rerum in Palestina potiebantur, etiam vulgo civitas Bernardi de Scampis dicta fuit.*

Perperam ergo Rabbini per *Hadrach* accipiunt Mes-siam: eo quod ipse futurus sit **חַד** *chad*, id est, acer Gen-tibus; et **רַח** *rach*, id est, mollis et placidus Iudæis. Perperam quoque apud Sept. pro *Hadrach* legitur *Sedrach*.

Mystice, S. Hieron. Verbum, inquit, Domini est *Hadrach*, hoc est *chad*, id est, acre in peccatores; et *rach*, mystice id est, molle et clemens in iustos. Rursus *Hadrach* est Iudæa super quam et austeritatem suam Dominus exercuit et elementiam. Austeritatem in eos qui credere no-luerunt, elementiam in illos qui cum Apostolis ad Deum per Christum sunt reversi. Damascus sunt Gentiles: in his est requies Domini. Damascus enim hebraice idem est quod bibens sanguinem, aut sanguis cilicii, ut prior in-terpretatio eruentum populum significet, secunda crude-litati eius penitentiam copulatam. Unde sequitur: *Quia Domini est oculus*, etc. Hæc S. Hieron. Hinc et Arabicus vertit, *revelatio Domini in terra Sedrach, et vicinæ eius erunt Damasci.*

**ET DAMASCI REQUIET EIUS.** ) Pronomen *eius*, refert *onus* Domini quod præcessit, q. d. Hadrach et Damascus erunt requies oneris, quod hic enarro et vaticinor: aut, Hadrach et Damasco incumbet, in eisque requiescet hoc calamitatum onus et pondus: ita Albert. Arias et Clarius. Perperam ergo Lyran. *τὸ eius* refert ad Syriam, q. d. Syriae requies est in Damasco: in ea enim quasi in metropoli sua robustissima et iuvieta secure conquiescit. Nam Syriae nulla hic fit mentio.

Mystice, *τὸ eius* referri potest ad *τὸ Domini* quod præces-sit, q. d. Requies Domini erit Damascus, cum in ea ipse cognoscetur et coletur, Dominius per Evangelium requies-cet in Damasco, quod factum est per S. Paulum aliosque Apostolos. Nam S. Paulus pergens Damascum, e caelo ta-ctus conversus est ad Christum, ac mox in Synagoga Da-masci Christum prædicare cœpit, Aetor. 9. Unde Chald. vertit, *Damascus convertetur ut sit de terra maiestatis eius, iuxta illud S. Petri epistol. 1. c. 4. 14. Quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est eius spiritus super vos requiescit.* Hinc et Septuag. vertunt, *Damasci sacrificium eius.* Fuit enim Damascus nobilissima, antiquis-sima et opulentissima civitas, caput Syriæ, sex diebus di-stans a Ierusalem, in qua conficiebantur celebres illi panni serici, vulgo dicti Damasceni: ac proinde illustris et glo-siosa fuit eius ad Christum et Ecclesiam conversio, ac in primis ipsa nobilitata fuit miraculosa conversio S. Pau-li, ut iam dixi, et postea nativitate B. Ioannis Damasceni.

**DOMINI EST OCLUS.** ) Oculus Domini hic dupliciter ac-cipi potest, scilicet activus, et passivus, puta videas et vi-sus. Primo, ergo S. Hieron. et Theodor. de oculo activo sic exponunt, q. d. Domini oculus videt, curat et regit omnes homines, æque ac tribus Israel, ut scilicet impios puniat, pios tueatur et protegat. Unde Septuag. vertunt, *quia Dominus respicit homines, et omnes tribus Israel;* et Chald. *coram Domino manifesta sunt opera filiorum hominum, et sibi complacet in omnibus tribus Israel;* et Sy-rus, *Domino manifesti sunt homines, et omnes tribus Is-rael;* et Arabicus, *dominus intuitus est universos homines, et omnes tribus Israel.*

Secundo, de passivo sic exponunt Albert. Hugo et Lyran. q. d. Domini est, id est, ad Dominius respicit oculus hominis: aut Domini est convertere ad se oculum hominis. Quocirca Arias vertit, *Dominus est oculus hominis.* Est metonymia: ponitur enim potentia pro obiecto, puta oculus pro re visa quam oculus videt et respicit, qualis est hic Dominus. Unde alii ex Hebræo clarius vertunt, *ad Do-minum est oculus hominis,* q. d. Dominus Deus est obiec-tum in quod intendit et respicit oculus et meus omnis ho-

Damasci descri-  
ptio.

minis, quanto magis tribuum Israel postulantium et obsecrantium Deum, ut puniat Damascenos et Philisthæos, qui Israellem continuo affligunt? Quapropter Deus Israellem exaudiens plectet illos, imo Israeli subiugabit, ideoque hoc eis onus imponet, quod per me Zachariam hic prænunciat, q. d. Præmium spei Israeli in Deum crit imperium in urbes et gentes finitimas. Hoc est quod ait Psaltes ps. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec miseretur nostri.* Deus enim est monarcha, qui potest regna mutare, reges et tyrannos loco movere.

Mystice  
Christus  
est oculus  
duplex.

Mystice, Christus est oculus activus, qui respicit et errat omnium Gentium salutem, æque ac tribuum Israel: unde ad omnes misit Apostolos qui eos converterent et salvarent. Et passivus, quia in eum ut salvatore respiciunt oculi omnium hominum, sperantes ab eo gratiam omnemque bonum. Quapropter de eo dixit Iacob Genes. 49. 10. *Ipsa erit expectatio gentium.* Et vers. 48. *Salutare tuum* (id est, Salvatorem tuum, puta Christum) *expectabo Domine.* Et Aggæus c. 2. 8. *Veniet desideratus cunctis gentibus;* Hebr. *veniet desiderium eunctorum gentium: desiderium,* id est, desideratissimum.

Vers. 2.

**EMATH QUOQUE IN TERMINIS EIUS, ET TYRUS ET SIDON.** Ita Biblia Roman. Primo, S. Hieron. *et eius* refert ad Damascum, q. d. Emath quoque sita in terminis Damasci, onus eius excipit, æque ac Tyrus et Sidou. Porro Emath, Tyrus et Sidon erant in terminis Damasci, non tam situ spatiumque locorum, quam societate vindictæ: sicut Galat. 4. 25. mons Sion dicitur monti Sina esse coniunctus, non loco, sed typo et significatione. Planius *et eius* referas ad *onus Domini*, q. d. Onus Domini requiescens in Damasco, pertinet quoque ad Emath, Tyrum, et Sidonem, ita ut hæc urbes intra limites et terminus huius oneris Domini contineantur. Deus enim sibi, suoque oneri et vindictæ omnes has urbes subiget, ut in iis sedeat quasi dominator, iudex et vindex scelerum: ita Albertus, Hugo et alii. Emath vel est Antiochia, vel Epiphania, quam multi putant esse Alapiam, vulgæ Aleppo. Vide dicta Amos 6. 2.

Mystice, q. d. Deus et Christus sibi per Apostolos subiciunt Emath, Tyrum et Sidonem, illisque onus Evangelicæ legis imponet, ut illud in ipsis, æque in Damasco requiescat. Unde Chald. vertit, *Emath quoque convertetur, ut sit de terra domus maiestatis eius, et Tyrus, et Sidon:* ita S. Hieron. et Theodor.

**ASSUMPSERUNT QUIPPE SIBI SAPIENTIAM VALDE.** Ita et Septuag. vertunt in plurali. Iam vertunt in singulari, quia sapiens fuit valde, scilicet Tyrus. Porro *et quippe* ponitur pro *quamvis*, q. d. Quamvis Tyrus et Sidon, omnesque Phœnices gloriantur de sapientia, se nimirum primos invenisse et docuisse litteras, tamen hi ipsi cedent sapientiori Deo, cum eos per Alexandrum, et deinde per Machabæos subiugabit; ac Christo, cum eos ad suam fidem et Ecclesiam per Apostolos traducet. Sic *quippe*, vel, *quoniam*, ponitur pro *quamvis*, Exodi 13. 17. *Non duxit per viam terræ Philisthæim, quia, id est, quamvis, vicina erat.* Psal. 77. 19. *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto: quoniam id est, quamvis, percussit petram, et fluxerunt aquæ.* Secundo et nervosius *et quippe* proprie ut causale accipias, q. d. Quia Tyrii, et Sidonii sibi arrogarunt sapientiam, quasi per eam essent insuperabiles, hinc Deus ostendit eorum insipientiam, suaque sapientia eos debellabit et subiugabit, tum per Alexandrum et Machabæos, tum per Christum et Apostolos, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 1. 21. *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et v. 25. *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.*

Phœnices  
invenit  
litterarum

Porro phœnices, ac nominatim Tyrum, gloriari solere de sapientia, patet ex eo, quod iactarent se invenisse litteras. Unde Lucanus lib. 3. Pharsal.

*Phœnices primi, famæ sibi ereditur, ausi*

*Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

Et ex illo Ezech. c. 28. 3. *Ece sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te. In sapientia et*

*prudentia fecisti tibi fortitudinem, et acquisivisti aurum,* etc. Unde et de eo subdit Zacharias:

**ET ÆDIFICAVIT TYRUS MUNITIONEM SUAM.** In Hebr. Vers. 3.

est elegans paronomasia inter צור *tsor*, et מצור *matsor*, q. d. Tyrus ædificavit Tyrum, puta rupes rupem, arx arcem, munitio munitionem. Tyrus enim dicta est hebr. *tsor* (unde Syrum *Tor*, et Latinum *Tyrus*) id est, rupes, quia in rupe, vel potius medio maris scopulo inædificata erat munitissima, et quasi arx inexpugnabilis. Hæc fuit eius sapientia humana, qua domum sibi posuit in petra maris inaccessa, ideoque omnium regum copias et vires deridebat. Sed Deus hanc eius sapientiam et superbiam deiecit, cum per Alexandrum Magnum eam cepit et vastavit.

**ET COACERVAVIT ARGENTUM QUASI HUMUM.** Rursum in Hebr. est annominatio inter תבסר *tibtsar*, et אפר *aphar*, q. d. Acervavit sibi argentum quasi acervos arenæ, lutavit se argento quasi luto, pulverizavit argentum quasi pulverem, q. d. Tyrus suis mercibus et navibus tantum opum congegit, ut aurum et argentum in ea non pluris fieret quam pulvis et lutum platearum, propter immensam eius copiam. Quocirca hoc suo auro conduxit milites plurimos, quibus confisa nullum timebat hostem.

**ECCE DOMINUS POSSIDEBIT EAM.** Hebr. ירשנה *io-* Vers. 4.

*riseenna*, quod est contrariæ significationis. Unde Primo, verti potest, *Dominus hæreditabit, vel hæreditate possidebit eam:* ita Noster et Septuag. Secundo, *Dominus hæreditate sua eiiciet, vel expellet eam:* ita Chald. et Vatabl. quia scilicet eius incolas expulit sua urbe, arce, opibus, gloria, libertate et vita. Id factum est Primo, per Alexandrum Magnum, qui Tyrum post septem mensium obsidionem ingenti labore, æque ac animo, terra aggeribus, mari ducentis triremibus oppugnavit et expugnavit, uti narrat Plutarch. in eius vita, qui et addit prodigia eladis Tyri prænuncia; scilicet Primo, Herculem per quietem visum Alexandro, ex muro illi manus tendentem, invitanteque ad urbis ingressum. Secundo, Tyriorum multis, inquit, in somniis visus est Apollo, dicens, se ad Alexandrum transire; neque enim sibi cordi esse ea, quæ in urbe agerentur: quocirca Tyrii Apollinis, velut transfugæ, simulacrum catenis constrinxerunt, clavibus basi affixerunt. Tertio, Alexandro visus Satyrus sibi alludere, quem cum conaretur corripere, subducebat se; tandem post multas preces et circumcursationes venit in manus eius, quod vates interpretantes dixerunt: *Tua est Tyrus.* Satyrus enim græce dissectum, idem est quod σαρ, id est, *tua, σαρος*, id est, *Tyrus.* Deinde Tyrus subacta est a Machabæis: nam tempore Christi Tyrus, Sidonii et Palæstini parebant, vel coniuncti et associati erant Iudæis, eorumque principi, aut Præsidi, uti prædixit Ezech. c. 28. 25. et satis colligitur ex Act. 12. 20. et ex eo quod Christus, qui personaliter tantum prædicavit Iudæis, quibus promissus erat, prædicaverit quoque Tyriis et Sidoniis, ut patet Matth. 15. v. 21. et Marei 7. 24. Nimirum id Deus procuravit per Machabæorum posteros, ut hac ratione sterneretur via Christo, qui in Tyro et Sidone erat prædicaturus: ita Albert. Hugo, Lyran. a Castro et alii. Porro Iosippus filius Gorionis libr. 4. cap. 7. scribit Aristobulum abnepotem Iudæ Machabæi, utpote ex fratre eius Simone progenatum, expugnasse Tyrum. Unde mystice significatur hic idololatriæ eversio in Tyro, eiusque ad Christum conversio: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Vatabl. Ribera et alii.

Tria portente  
stante  
Tyri.

Ubi Nota, Prophetam hic docere tria fuisse in Tyro, quæ reddebant eam invictam, quæque maxime resistebant Christi Evangelio, scilicet sapientiam, opes et fortitudinem, eo quod tota erat circumdata mari, et tamen a Deo expugnandam, tum per Alexandrum, tum potius per Christum et Apostolos gladio verbi Dei, succisis eius erroribus et vitiiis. Unde persistens in metaphora ait, eam devorandam igni, scilicet charitatis et Spiritus sancti, quem Christus venit mittere in terram, et vehementer voluit accendi, Lucæ 12. 49. ita S. Hieron. Porro quam incensus fuerit Tyriorum in Christum amor et fides, patet ex pluribus Martyribus, qui ibidem sub Diocletiano cum suo E-

Tria robora Tyri  
disiecta  
a Christo.

pisepo Tyrannione leonibus, ursis, tauris et pardis obiecti, cum feræ Sanctos attingere non auderent, læto et hilaro vultu extensis in cælum manibus oculisque, mento toti in Deum delixi, a carnificibus crudeliter iugulati sunt, uti narrat oculatus testis Eusebius Cæsar. lib. 8. Hist. c. 7. et 11. alias 25. Simile est quod narrat Theodor. 1. 3. Histor. c. 6. scilicet Cyrillo Diacono Heliopoli in Phœnicia, eo quod idola confregisset, a Gentilibus sub Iuliano Apostata dissectum fuisse ventrem, qui insuper exemptum eius iecur more ferarum devoravit, sed mox Dei vindictam senserunt.

**PERCUTIET IN MARI FORTITUDINEM EIUS.**) Tyrus enim in corde maris, ut ait Ezech. c. 28. 2. sita, eius erat domina et regina, sed Nabuchodonosor, et deinde Alexander obsidens eam, ut melius expugnaret, multa saxorum, arborum, aggerumque congerie comportata, et in breve fretum coniecta, maris alveum implevit, et siccauit, itaque eam ab Oriente continenti coniunxit, atque ex insula fecit peninsulam, qualis etiamnum cernitur: ita Curtius l. 4. post initium; et Plinius lib. 5. cap. 19. S. Hieron. et alii. Vide dicta Isaia 23. 1. Chald. vertit, *proiciet divitias eius in mare*. Hebr. *חֵל* *chel*, et fortitudinem, et divitias significat.

**QUONIAM CONFUSA EST SPES EIUS.**) Quam Accaron habebat in Tyro, quod scilicet opem ferret sibi, utpote vicinæ et confederatæ. Hæc enim spes interibit intereunte Tyro.

Mystice, peribit spes Philistinorum, puta Gentilium, qua sperabant se sua sapientia et viribus tutaturos sua idola, et gentilismum contra Christum et christianismum. Hæc enim cadet, quando videbunt ea everti ab Apostolis.

**ET PERIBIT REX DE GAZA.**) *Rex*, id est, regulus, puta princeps. Olim enim principes urbium vocabantur reges. Hic regulus fuit Betis a Dario ultimo Persarum rege Gazæ præfectus, quem Alexander expugnata post bimestrem obsidionem Gaza circum urbem replari curavit, inquit Curtius l. 4. ita Albert. et Hugo. Addit Plutarch. in vita Alexandri, omen capiendæ Gazæ ei datum: *Et circum sedenti, inquit, Gazam urbem Syriæ maximam, gleba a supervolante alite in humero delapsa est. Avis in una machina consistens, subito nervicis plagulis, quibus ad versandos utebantur funes, est irretita. Hoc portentum Aristandri prædictioni eventum habuit respondentem. Nam accepit Alexander in humero vulnus, et urbem recepit.* Deinde Gazam expugnavit, et ab idolis expurgavit Simon, frater Iudæ Machabæi, 1. Machab. 13. 43. Rursum Alexander-Iannæus Simonis nepos, post annuam obsidionem Gazam cepit et diruit, cum prius eives partim ædes suas incendissent, partim Saguntina rabie suis manibus uxores et liberos interemissent, ne ad servilium et iniuriam abstraherentur, uti narrat Iosephus l. 13. Antiq. c. 21.

Mystice, peribit de Gaza rex, scilicet infidelis, et, ut S. Hieron. diabolus, quia scilicet Christus solus per suos fideles in ea regnabit. Proprie rex, id est, Deus, sive idolum Gazæ fuit Marnas: Unde ibidem celebre fuit Marnæum, id est, Marnæ fatum, quod S. Porphyrius urbis Episcopus, Arcadio Imperatore consentiente anno Christi 401. combussit, monitus voce miraculosa pueri septennis, qui cum Syrus esset et græcæ nesciret, Græcæ tamen lingua instinetus a Deo publice prolucutus, hæc edixit: *Urite templum quod est intus usque ad solum: multa enim in eo gravia facta sunt, et maxime hominum sacrificia; et postquam fuerit combustum, expurgato loco statuite illic sanctum Ecclesiam. Testificor enim coram Deo, non posse aliter fieri. Non enim ego sum qui loquor, sed qui est in me Christus.* Idipsum admirans Deumque glorificans, ita scribit S. Hieron. lib. 7. in Isaiam: *Hoc nostris temporibus videmus esse completum: Serapitum* (Serapidis delubrum) *Alexandriæ, et Marnæ templum Gazæ, in Ecclesiâ Domini surrexerunt.* Adiuvit hanc rem multum S. Chrysost. qui sedulo apud Arcadium Imper. curavit, ut quæ in Phœnicia residua erant idolia, penitus tollerentur, uti testatur Theodor. lib. 5. Histor. c. 29. Ita factum est, ut Gazenses antea Marnæ addictissimi, eo sublato ad Chri-

stum conversi sint, ad quod valde eos incitavit S. Porphyrii Episcopi sanctitas et miracula, uti ex eius Actis quæ conscripsit Marcus Diaconus Gazensis, enarrat Baron. anno Christi 398. et 401.

**ASCALON NON HABITABITUR.**) q. d. Ascalon plane desolabitur, adeo ut ibi futura sint pascua pecorum Iudæorum, uti prædixit Sophon. cap. 2. v. 4. et 6. Ascalonem cepit Ionathas frater Iudæ Machabæi, æque ac Accaronem et Azotum, quam etiam cum octo millibus incolarum igne combussit, ut patet 1. Machab. 10. 84. et seq. Postea tamen reedificata fuit: nam in ea dicitur natus Herodes infanticidea, qui inde Ascalonita cognominatus est. Atque etiamnum hodie antiquum robur retinens, Saracenorum fortissimum propugnaculum est. Eius muros cum Saladinus diruisset, Richardus Anglorum rex instauravit, ait ex Guiliel. Tyrio Adrichom. in Descrip. terræ sanctæ, in Ascalone.

Mystice, q. d. Ascalon conversa ad Christum non habitabitur a paganis et infidelibus, a quibus antea habitabatur, sed a Christianis. Unde alii videbuntur esse cives, et alia civitas, iuxta illud Poætæ:

*O domus antiqua quam dispari domino dominaris?*  
Quam enim Ascalonitæ infideles olim infensi fuerint Christianis, vel ex eo coniecere licet quod de iis scribit Theodor. lib. 3. Histor. 6. cum iis fræna laxasset Iulianus Apostata anno Domini 362. *Ascalone, inquit, et Gaza sacerdotum et virginum Deo dicatarum ventres discindunt, deinde faciunt hordeo, ac tandem eos porcis devorandos obiciunt.*

**ET SEDEBIT SEPARATOR IN AZOTO.**) Hebr. est *מַמְזֵר* *mamzer*, id est, separator, alienus (a rad. *זָר* *zur*, id est recessit, alienus vel extraneus fuit) indeque spurius, ut vertit Vatabl. qui scilicet extra matrimonium alieno patre natus, illud dividere et separare videtur. Iam Primo, Albert. Hugo et Lyran. censent hic notari Alexandrum Magnum, qui Azotum et Philisthæos cæteros subiugavit. Ipse enim a multis censetur spurius, quod Olympias mater eum non ex Philippo marito, uti ipsamet confessa est (unde et a Philippo quasi repudiata fuit) sed ex Nestabano mago, qui noctu se Iovem linxit, genuerit; quocirca Alexander Iovis Hammonii filius credi et haberi voluit. Secundo, *mamzer*, significat alienigenas et externos, qui non erant oriundi ex Philisthæis Azoti indigenis, quos proinde Philisthæi vocabant mamzeres, id est, alienos, sparios, æque ac faciebant Iudæi, ut patet ex illo Ioan. 8. 41. *Nos ex fornicatione non sumus nati*, uti sunt Agareni, ex Agar aliena et concubina geniti, quia nati sumus ex Sara uxore Abrahæ, ideoque æque ac ipse, *unum patrem habemus et colimus Deum.* Unde Sept. vertunt, *habitabunt alienigenæ in Azoto*, puta Greci sub Alexandro, postea Iudæi sub Machabæis, q. d. Ascalon deserta manebit et non habitabitur: at Azotus habitabitur quidem, sed ab externis. Quocirca Chald. vertit, *habitabit domus Israel in Azoto, qui erant in ea sicut extranei qui non habent patrem.* Porro ante tempora Christi Iudæos sparios fuisse per Azotum et Philisthæam, patet Act. 8. 40. Paulo aliter vertit Pagn. *Philisthæus*, ait, *tamquam extraneus habitabit in Azoto*, quia scilicet non erit sui iuris, uti fuit ante, sed sub iugo et potestate Machabæorum et Iudæorum. Denique occiso Iuda Machabæo iuxta Azotum a Bacchide duce Demetrii, paulo post Azotum occupavit et incendit Ionathas frater Iudæ, æque ac vicinas illi civitates: quo impetu templum Dagon, qui erat Deus Azoti, et omnes qui in illud confugerant coneremavit: iuxta eandem viciniam Apollonium, 1. Machab. c. 9. et 10. et 11. Separator ergo, sive mamzer Azoti fuit Ionathas.

Mystice, *separator* est Christus, inquit S. Hieron. qui separat oves ab hædis, pios ab impiis, electos a reprobis. Item Christianus, qui se separat ab infidelibus, ut proinde ab eis per contemptum vocetur mamzer, id est, separator, vel nothus et spurius: Christus enim et Christiani pulsus Gentilibus et gentilismo, occuparunt Azotum totamque Philisthæam: ita Clarius et Vatabl. Primus Azoti prædicavit Evangelium Philippus Diaconus, eo raptus

Tyrus ex insula facta peninsula.

Vers 5.

Portentum capiendæ Gazæ.

Mystice rex Gazæ est Marnas idolum.

Marnæum dirutum oraculo paeri.

Vers. 6.

Alexander Magnus spurius.

Mystice, separator est Christus.

a Spiritu sancto, Actor. 8. 40. Et est usque hodie Azotus, ait S. Hierou. non ignobile municipium. Postea habuit Episcopum, qui nunc est Suffraganeus Trevirensis.

Vers. 7.

**ET AUFERAM SANGUINEM EIUS DE ORE EIUS.**) Sanguis hic dupliciter accipitur. Primo, pro minis sanguinis et cædis, q. d. Auferam et compescam minas, quibus Azotii minabantur se effusuros, vel gloriabantur se effudisse sanguinem Iudæorum et populi fidelis: quia illi eos subiciam et aggregabo: ita S. Hier. Theodor. Albert. Hugo et Lyran. Unde Septuag. vertunt, *auferam sanguinem eorum de ore illorum*: de Azotiis enim Scriptura per enalagen nunc loquitur in singulari, quia erant populus unus et singularis: unde Hebr. et Noster habent *eius*: nunc in plurali, quia in populo plures erant homines et capita. Unde Septuag. vertunt, *illorum*. Minus enim probabile est quod censet Lyran.  $\tau\omicron$  *eius* referri ad separatorem sive mamzerem, quem ipse accipit Alexandrum Magnum, q. d. Auferam minas de ore Alexandri, scilicet quibus iactabat se Iudæos, quod Dario hosti suo favissent, eversurum: nam faciam ut supplex fiat Iaddo pontifici, ac consequenter benevolus Iudæis. Non enim de Iudæa hic agitur, sed de Azoto.

Secundo, sanguis hic potest accipi victimarum quas Dagon deo suo offerebant, ac deinde ex iis comedeant et epulabantur, q. d. Auferam hæc sacra et sacrificia sacrilega ab Azoto, et in eam inducam sacra mea, primum Iudaica per Machabæos, deinde Christiana per Philippum et Apostolos: ita Arias et Chald. *Et disperdam*, ait, *comedentes sanguinem*. Huic explicationi favet id quod sequitur: *Et abominationes eius de medio dentium eius*. Abominationes enim in Scriptura vocantur idola, et idololhyla, sive victimæ idolis immolatæ. Unde et sequitur:

**ET RELINQUETUR ETIAM IPSE DEO NOSTRO.**) *Ipse*, scilicet Alexander Magnus fiet devotus Deo, eiusque pontifici Iaddo, inquit Lyran. Verum *ipse*, ut dixi, refert populum Azoti, q. d. Populus Azoti subactus a Ionatha et Machabæis, relinquet idola et aggregabitur Iudæis, eorumque Deum verum colet. Hoc enim maxime curabant Machabæi, utpote pontifices et principes zelo honoris divini pleni, ut non tantum terminos, sed et religionem suæ gentis, Deique cultum in Philisthæos aliosque populos a se devictos propagarent. Imo populus Azoti *erit quasi dux* (Septuag. Chiliarchus) in Iuda, qui scilicet veræ fidei et religionis non tantum comitem, sed et ducem se aliis præbeat, ac proinde Iudæos contra hostes propugnet quasi dux, ideoque quasi dux honoretur et celebretur in Iuda.

**ET ACCARON QUASI IEBUSÆUS.**) q. d. Sicut olim Iebusæi habitaverunt in Ierusalem, ibique cum Iudæis permanserunt, ita pariter Accaronitæ sociabuntur Iudæis et habitabunt in Ierusalem, ac vicissim Iudæi pacifice degent in Accaron. Unde Chald. vertit, *et proselyti qui remanserunt in eis, adiciuntur et ipsi ad populum Dei nostri, et erunt quasi principes domus Iuda*. Secundo, et melius, q. d. Sicut David subiecit Iebusæos, sic Machabæi subiciant sibi Accaronitas: ita Albert. et Hugo.

Mystice, hæc veriora sunt de Christo, et Apostolis, qui Philisthæos omnes sibi, Evangelio et Ecclesiæ subiecerunt, itaque fecerunt ut Philisthæi et Gentiles cum Iudæis in unum populum fidelem, unamque Ecclesiam Christianam coalescerent et conspirarent.

Vers. 8.

**ET CIRCUMDADO DOMUM MEAM.**) Puta templum, q. d. Templum, quod meo iussu vos, o Iudæi, nunc reedificatis, ego instar castrorum vallabo, et tutabor. Hebr. enim est  $\text{חַנְיָוִת}$  *chaniti*, hoc est, *castra metabor domui meæ*, vel *ponam castra circa domum meam*, ut eam propugnem: *ex his qui militant mihi euntes et revertentes*, puta per Machabæos, qui fortissime templum et urbem sanctam suis castris propugnarunt. Unde Septuag. vertunt, *substituam domui meæ elevationem*, quasi arcem vel castrum, *ne pertranscat neque revertatur ullus*, et *non superveniat super eos ultra exactor*; et Tigurina, *et circumducam castrum domui meæ contra transeuntem et redeuntem*; et Pagnin. *et ero sicut castra domui meæ, ut non timeat ab exercitu, a transeunte et redeunte*; Paraphrasticè verò et magnifi-

**ce Chald. et habitare faciam maiestatem gloriæ meæ in domo sanctuarii mei, et fortitudo brachii potentiæ meæ erit sicut murus ignis in circuitu eius, propter transeuntes et redeuntes.**

Hæc ad litteram templo præstiterunt Machabæi: ita Theodor. Hugo et Lyrau. Alleg. hæc veriora sunt in Ecclesia, quæ est templum animatum Dei viventis, q. d. Muniam et defendam Ecclesiam meam validissimis castris, tum principum Christianorum, ut Constantini, Theodosii, Caroli: tum Doctorum, ut S. August. Hier. Chrysost. tum angelorum, ut exactor tributi, scilicet tyranni, infideles et diabolus eam amplius non vexent et vastent; quia oculis misericordiæ eam vidi, et respexi, iuxta illud psalm. 33. 8. *immittet* (hebr. *chone*, id est, *castrametabitur*) *angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos*. Nota  $\tau\omicron$  *ex his qui militant mihi*, dupliciter posse accipi. Primo plane, *mihi*, id est, pro me. Secundo, *mihi*, id est, contra me: ita Septuag. Chald. Pagnin. et Tigurina ex Hebræo.

**QUIA NUNC VIDI IN OCVLIS MEIS.**) Est hebraismus, pro quo latine dicimus: *vidi oculis meis*, id est, plane, perspicue certoque vidi et conspexi, scilicet ærumnas et persecutiones, quas vos, o Iudæi, a vicinis gentibus in fabrica templi et urbis sustinetis, ideoque vestri miserulus vos, æque ac domum meam, puta templum, protegam et propugnabo: ita Theodor. Albert. et Lyran. Aliter Vatabl. q. d. Nunc vidi ea quæ facturus sum, quæque hic promitto de felicitate templi et Ecclesiæ: vidi, inquam, prævidi et providi oculis providentiæ meæ. Aliter et Arias, qui hæc refert ad sequentia, censetque esse verba Zachariæ, q. d. En video in spiritu oculis mentis meæ Christum venientem, et cum pompa ingredientem Ierusalem et templum. Primus sensus uti communis, ita planus est et genuinus.

**EXULTA SATIS FILIA SION.**) Iudæi nonnulli hæc accipiunt de victorioso Iudæ Machabæi ingressu in Ierusalem. Theodorus Mopsuestenus iudaizans et ebionizans, asserebat hunc regem esse Zorobabelem cum suis e Babylone redeuntem. Uterque est error. Nam certum est de fide, ad litteram hæc accipi de solemnî Christi, quasi Messiæ Iudæis promissi, ingressu in Ierusalem, quem fecit paulo ante mortem in die palmarum. De eo enim hæc interpretatur S. Matthæus cap. 21. 4. et S. Ioannes cap. 12. 15. ac Orthodoxi omnes: quin et veteres Rabbini apud Galatin. lib. 8. c. 9. imo et R. Salomon hic, qui tamen est iuratus Christianorum hostis. Id ipsum definit Vigilii Papa in Conc. Romano, ubi hunc Theodori errorem sub anathemate damnat. Vide dicta in præmio notat. 5. Errant ergo pariter, qui hunc regem volunt esse Alexandrum Magnum, honorifice venientem Hierosolymam, et venerantem Iaddo pontificem: Zachariæ enim more Prophetarum in Christum desinit. Cum enim suos exortaretur ad fabricam templi et urbis, iique tardiores essent ad opus ob hostes vicinos et ob paupertatem aliasque difficultates sese obicientes, hæc de causa eos animat et stimulat; primo, promittendo Dei opem et protectionem; secundo, templum hoc Dei auxilio fore celebre et gloriosum; tertio, Messiam venturum, qui in hoc templum solemnî pompa sit ingressurus; illudque sua præsentia, doctrina, miraculis, æque ac sua in regem inauguratione sit condecoraturus, ibique Ecclesiam suam fundaturus et inchoaturus, per quam primum Iudæos, deinde Gentes omnes vocaturus sit ad æternam vitam et gloriam. Hæc est connexio huius prophetiæ de Christo cum præcedentibus de templi et urbis fabrica ac tutela.

Iam *satis*, id est, valde, vehementer; hoc enim est Hebr.  $\text{וְשִׂמְחָה}$  *meod*, pro quo noster subinde vertit *satis*. Unde Chald. vertit, *exulta vehementer cætus Sion, iubila cætus Ierusalem*. Sic et Sept. Tigur. Pagnin. et alii. Pro *exulta*, S. Ioannes c. 12. 15. paraphrasticè vertit, *nolite timere*, q. d. Non est quod timeas, sed exultes, o Ierusalem, veniente Christo: ipse enim est tuus rex et salvator, qui te ab omnibus hostibus defendet, et ab omnibus malis liberabit. Ergo metum omnem pone, et plenus gaudio exulta.

**ECCE REX TUUS.**) Messias, sive Christus veniet, ut qua-

tuor quadrigas, id est, monarchias, de quibus cap. 6. ac consequenter, Tyrum, Gazam, Azotum, totamque Palaestinam, Phoeniciam et Syriam, de quibus erit hoc cap. sibi subigat. Nam in Christi regnum omnes reges et regna desinunt, uti praedixit Daniel e. 1. 44. et Zacharias hic. Unde subdit: *Disperdam quadrigam, etc.*

Cur cum pompa Christus ingressus sit Ierusalem?  
1. Causa.

2. Nota. Christus regalem hanc, sibi insolitam pompam et ingressum in Ierusalem adornare voluit variis de causis. Prima fuit, ut daret regiae suae potentiae et magnificentiae indicium quoddam et specimen: quia cum ea Messiam suum, quasi alterum Salomonem venturum Iudaei putabant, et etiamnum putant. Haec ergo specie et pompa obiecit se eis Christus, ne eum ut pauperem aversarentur et despicerent, uti fecerunt: ita tamen ut humilitatis et mansuetudinis mistis argumentis ostenderet, regnum Messiae magis esse spirituale, quam temporale; ideoque a Zacharia haec omnia voluit praedici, ne Iudaei hunc regem sine fastu regio venientem aspersionem: ita S. Chrysost. et Auctor. imperfecti in e. 21. Matth. et Euseb. libr. 8. Demonstr. cap. 4. Secunda, et comitans causa fuit, ut Christus obieceret Pharisaeis et Scribis in hoc regali ingressu seipsum, quem agnoscere hoc facto possent et deberent esse Messiam, utpote a Zacharia hoc loco promissum et praedictum: sciebat tamen ipsos inde magis exacerbandos, et necem cruéis ipsi machinatos: quod ipse permittere statuit, ut sic mortis adeo expetitae compos licet, per camque nos redimeret: ita Auctor imperfecti loco citato. Tertia fuit, ut responderet typo agni paschalis: hic enim decimo die mensis primi solemniter pompa inducebatur in urbem, immolandus die decimo quarto. Ita Christus quasi agnus Dei qui tollit peccata mundi, die decimo, puta in die palmarum ingressus est Ierusalem, immolandus die decimo quarto: ingressus est autem cum pompa et faustis turbæ acclamationibus, ut quia certus erat, de victoria mortis, peccati, inferni et daemonum, triumphum duello præciperet, et triumphans duellum iniret.

4. Quarta causa fuit tropologica, ut scilicet hoc facto rideret, et ridendam proponeret mundi gloriam, utpote cum sciret se quinto post die ab iisdem, a quibus in ingressu ita honorabatur, crucifigendum, eosdemque qui iam clamabant: *Hosanna filio David*, q. d. Vivat rex noster Messias, Davidis filius et haeres; post quatuor dies in tribunali Pilati clamatos: *Crucifige, crucifige eum*; ideoque urbem a Tito et Romanis funditus evertendam: qua de causa in hoc, læto licet ingressu suo, videns eam, eiusque eladem prævidens flevit, ut habet S. Lucas e. 19. 41. Rursum, ut doceret suum, sui que sequacium regnum et gloriam in hac vita consistere in passione et cruce, ideoque eam non aversandam, sed ambiendam esse, ac læto animo et solemniter eum pompa adendum: quocirca Martyres Christi assecelæ, ad martyria quasi ad epulas, imo regnum et triumphum ibant gaudentes, albatu et stipati fidelium choro.

5. **VENIET TIBI IUSTUS ET SALVATOR.**) Ut te iustificet et salvet. Ipse enim est *iustitia sempiterna et sanctus sanctorum*, ad hoc a Deo Patre missus in mundum, ut *consummaretur pravariatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas*, Daniel. 9. 24. Pro *salvator* hebr. est **יִשׁוּעַ** *noscia*, quod est participium passivum a rad. **יָשַׁע** *iascia*, id est, salvavit. Unde Vatabl. Pagnin. Clarius et alii vertunt passive *salvatus*, scilicet a seipso, q. d. Quia Christus iustus et innocens actus est in crucem et mortem, ideoque sua virtute salvus et rediivus, die tertia a morte et sepulero resurrexit. Alii *noscia*, melius vertunt, *salute plenus, salute circumdatus*: ita ex Clario a Castro. Verum dico, *noscia*, hic non esse participium, sed nomen, idem active significans quod Iescia, Iosue et Iesus, id est, salvator. Sic enim vertunt Septuag. S. Hier. Tigrina et alii: littera enim *nu* in *noscia* est hecmanica et formativa nominis, uti est in *Nephtali, Nemrod*, aliisque nominibus propriis, æque ac appellativis, ut **נָאֵמָן** *neeman*, idem est quod fidelis active, qui scilicet fidem alteri datam opere præstat: **נָעוּרָה** *naave*, est perversus active, qui nimirum perversa cogitat, agit, loquitur, aliosque pervertit.

VOL. VII.

**A** IPSE PAUPER.) Hoc proprie significat Hebr. **אָנִי** *ani*; Septuag. vero, quos sequitur S. Matth. cap. 21. vertunt *τῶνος*; id est, *mansuetus*. Sic et Chahl. Unde ipsi videntur legisse **אָנָו** *anau*: sed eodem res redit: pauperes enim, præsertim spiritu, solent esse humiles et mansueti. Unde tam *ani*, quam *anau* ab eadem rad. **אָנָה** *ana*, id est, afflicti, humiliatus est, deducitur: indeque **אָנִי** *oni*, idem est quod allhetio, paupertas, humilitas; et **אָנָה** *anava*, vocatur humilitas et mansuetudo. Unde cum ait Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum*, Matth. 5. per pauperes spiritu S. August. Hilar. Chrysost. Ambros. et alii in illum locum, accipiunt humiles, quia paupertas spiritus coniuncta est, et oritur ex humilitate et contemptu opum et honorum.

**ASCENDENS.** (Hebr. **רוֹכֵב** *rocheb*, id est, equitans, vel potius vectus, sive equo, sive asino, sive camelo, sive alio iumento, uti Christus hic proprie erat asinans, non equitans. Unde Noster recte vertit, *ascendens*.) **SUPER ASINAM, ET SUPER PULLUM FILIUM ASINÆ.**) Hebr. *filium asinorum*, id est, unius ex asinis. Pro *asinam* hebr. est **חָמֹר** *chamor*, quod tam asinum, quam asinam significat. Verum hic significari *asinam* potius quam *asinum*, patet ex eo quod sequitur, *et pullum filium asinæ*; pulli enim solent comitari asinam matrem, non asinum patrem; surgunt enim ubera matris, non patris. Clarum est ergo Christum sedisse super asinam, non asinum: ita enim habet versio nostra hic, et S. Matth. cap. 21. 5. Idem docet Remig. Albert. Hugo hic, et S. Chrysost. hom. 63. in Ioannem, Theoph. Lyran. Caiet. et alii mox citandi. Notat Orig. in cap. 1. Iob, in Arabia et Palaestina asinos pares esse equis in velocitate eundi et redeundi, et valere ad negotia peragenda et allerenda, eademque officia præstare, quæ apud nos præstant muli et equi. Hinc filii principum asinis inequitabant, ut patet Iudic. 10. 4. et e. 12. 14. Vide dicta Exodi 13. 13. Usus autem est Christus asina potius quam asino, tum ob mysterium quod mox asseram, tum quod asinus asina sit pigrior, et in remissione operis deterior, ut scribit Plinius l. 8. c. 43. ubi et addit, asinos valere pro aratione, sed maxime pro mularum generatione.

Quæres, quomodo Christus simul potuit ascendere super asinam et super pullum asinæ? Resp. S. Hier. Chrysost. Euthym. Maldon. Abulensis et Iansenius in Matth. 21. esse syncedochen: Christum enim super alterum tantum, scilicet super pullum, ut habent alii tres Evangelistæ, sedisse. Sic enim legunt: *Super asinum, et super pullum filium asinæ. Et, inquit, significat, id est, q. d. Super asinum, id est, super pullum filium asinæ. Unde minus probabile est quod aliqui censent, Christum soli asinæ insedisse. Verum planius et simplicius idem Chrysost. Theophyl. Lyran. Caiet. Ribera et a Castro, censent Christum super utrumque sedisse, sed successive. Id enim expresse habet S. Matthæus cap. 21. 3. et Zacharias hic. Unde et turbæ utrique vestimenta imposuerunt, et cum *super eos*, ut habet Biblia Romana iu S. Matthæo, sedere fecerunt.*

**D**ices, quid opus erat Christo tam brevi spatio et itinere iumentum mutare? Resp. id fuisse opus non ob Christi molliem aut fatigationem, sed ob mysterium: illi enim omnis hæc pompa serviebat; cui tamen Christo facile fuit occasionem aliquam incidentem prætexere. Asina enim subiugalis significat populum Iudæorum, qui tolerat iugum legis veteris: pullus super quem nemo sederat, representat indomitos et exleges Gentiles, qui nulli legi colla submiserant. Utrumque enim populum, tam Gentium quam Iudæorum, ad se et Ecclesiam, ac deinde in caelestem Ierusalem adducturus erat Christus: ita S. Iustinus contra Tryphon. Origen. et Cyril. in Ioannis e. 12.

Mystice, Christus insidet asinæ, id est, animæ humili, miti, obedienti, patienti, quæ se totam Christo sessori resignat, ac eum Davide dicit: *Ut iumentum factus sum apud te*, psal. 72. quæ proinde eum Christum rectorem habet, exultat, omniaque audet. Unde Abbas ille in Vitis PP. dicebat: *Ego et asinus unum sumus.*

Christus sedit super asinam et super pullum successive.

Tropol. Drogo Hostiensis Episcopus tempore S. Bernardi, tract. de Sacram. Domin. passionis, tom. 2. Biblioth. SS. Patrum: *Noli timere filia Sion: Timere ait, pusillorum est; ideo adhuc filia, quia times. Nondum Ierusalem, sed filia Sion, hoc est specula. Ergo discere speculari; noli timere, quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucide specularatur. Fides, pupilla est oculi tui. Quomodo pupilla oculi est subtilissima, et nisi impigre ac sollicite custodiatur a palpebris, levissimi et tenuissimi pulveris tactu confunditur, sic acie fidei, nisi pervigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. Sed noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit tibi. Oritur tibi sol, qui te et custodiat, et illuminet, et perducet ubi pulvis non est. Venit tibi mansuetus: qualis ipse est, talem te esse vult; mansuesce iugum eius portare. Et ipse sedeat super te asinam suam, et pullum filium subiugalis. Et quæ est hæc asina? Ipsa quæ caro vocatur, et mulier, et virago, quia de viro sumpta est. Et quis est pullus eius? Masculus vir. Et quomodo pullus eius est? Quia non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Sedet prius rex mansuetus super asinam; postea super pullum: prius caro domatur, ut iugo habilis sit; deinde nascitur pullus, et nutritur, et roboratur, ut sessorem suum portare possit. Et quare filius subiugalis? Quia sub viro est mulier, et mulieris caput vir; et tamen filius est subiugalis, quia per mulierem vir, sed in dolore ipsa pariet. Sedeat super utrumque rex mansuetus faciens pacem, ne hæc sibi invicem adversentur. Venit tibi mansuetus, et tu non vadis ei? Egredere de terra carnis tuæ, et de cognatione matris tuæ, et de domo, id est, memoria, patris tui. Asina ergo est caro, pullus est mens et spiritus: hic enim est Adam et vir, illa vero Eva et femina. Christus super utrumque sedet, quando carnem spiritui subiugat et concordat.*

Vers. 10.

DISPERDAM QUADRIGAM EX EPHRAIM.) Theodor. et Euseb. l. 8. Demonstr. c. 4. censent id factum per Titum et Romanos. Verum hi Iudæos dumtaxat subegerunt, non Ephraim, id est, decem tribus, utpote quæ iam a quingentis annis a Salmanasar abductæ erant in Assyriam; nec inde redierunt. Adde, hic esse sermonem de regno Christi, non Titi. Sensus ergo est, q. d. Christus suo regno, lege et gratia auferet ex Israele et Iuda, id est, fidelibus Iudæis, æque ac Gentibus, quadrigas, arcus et bella; quia pacem mundo afferet. Docebit enim et præcipiet iustitiam, humilitatem, concordiam, amorem fraternum, per quæ lites et bella excludet; ac ad hoc copiosam gratiam et spiritum sanctum in fideles effundet. Idem prædixit Isaias c. 2. 4. et Michæas c. 3. 3. Vide ibi dicta: ita S. Hieron. Hugo, Arias et alii.

ET POTESTAS EIUS A MARI USQUE AD MARE.) q. d. Christus toto orbe, puta tota terra et toto mari dominabitur; nec enim quis toti terræ dominari potest, nisi dominetur et mari. Ad multas enim regiones vel nullus, vel difficilis est accessus nisi per mare, ut patet de insulis et Indiis tam Orientis quam Occidentis: ita Rupert. Remig. Hugo et alii.

Quare arctius aliqui sic exponunt, q. d. Christus dominabitur a mari Mediterraneo usque ad mare Oceanum: aut a mari rubro usque ad mare Palæstinæ; hæc enim duo maria fuerunt termini terræ sanctæ promissæ Iudæis, Numer. 23. 31. Iudæi enim alia maria vix norant. Verum esto eo alludat Propheta, tamen amplius intendit et altius assurgit, scilicet id quod dixi. Loquitur enim non tantum Iudæis sui ævi, sed et Christianis omnibusque hominibus quovis sæculo victuris. Respicit Zacharias ad illud Davidis de Christo oraculum psalm. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Flumen est Euphrates, qui erat limes Iudææ versus Orientem. Hic Zacharias dicit a fluminibus, quia respicit Tigrim Euphrati vicinum, et alia quævis flumina. In huius ampli domini Christi prænuncium et præaugurium, Augustus Cæsar sub quo natus est Christus, superato Antonio, Lepido, aliisque vel hostibus, vel æmulis, a Deo effectus est orbis dominus et monarcha, de quo Virgil. lib. 6. Æneid. ita canit:

*Super et Garamantas et Indos*

*Proferet imperium: tacet extra sidera tellus,  
Extra anni solisque vias, ubi Cælfifer Atlas  
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

TU QUOQUE (o Christe rex Sionis de quo v. 9.) IN SANGUINE TESTAMENTI TUI.) Puta per meritum et pretium

Vers. 11.

sanguinis tui in cruce effusi, quem quasi lytrum pro victis tuis dependisti, eoque omne eorum debitum, puta culpam omnem tam originalem, quam actuaalem persolvisti. Iam sanguis Christi vocatur *testamenti*, quia illo Christus sancivit testamentum et fœdus novum, quod pepigit et conciliavit inter Deum et homines, de æterna hereditate fidelibus, quasi filiis suis danda: ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. Remig. Rupert. Lyran. Vatabl. et alii passim. Perperam ergo Chald. et Iudæi hæc accipiunt de sanguine victimarum, quo Moses sancivit fœdus vetus inter Deum et Hebræos, Exodi 24. v. 8. quo ipsi ceasent se liberatos e lacu, id est, e captivitate Ægypti. Hoc enim hic impertinens est, præsertim cum sit hic continua prophetia de futuro, puta de rebus gerendis a Messia, non historia de præterito. Vide dicta 1. Corinth. 11. 25. et Hebr. 9. 13.

EMISISTI VINCTOS TUOS DE LACU.) Ita quoque legunt Septuag. quos sequuntur Origenes tract. 14. in Matth. S. August. lib. 18. de Civitat. 35. Theodor. Cyrill. hic, et Græci omnes, æque ac S. Hieronymus, Remigius, Rupert. et Latini cæteri. Chaldæus vero et Rabbini recentiores, quos sequuntur Pagnin. Tigurina, Vatablus, et similes, longe aliter vertunt: nam in textu Hebræo iam hæc omnia sunt fœminina, scilicet אַתְּ *at*, id est, *tu*, fœminine; בְּרִיתְךָ *beritech*, id est, testamenti, vel fœderis tui, fœminine: et pro *emisisti*, Heb. iam habent שְׁלַחְתִּי *scillachti*, id est, *emisi*. Unde sic vertunt et explicant ut sint verba Dei, q. d. Tu quoque, o filia Sion, exulta, quia salvaberis in sanguine Christi, quem ipse effundet, ut sanciat novum testamentum et fœdus inter te et me: nam propter eum emisisti, id est, emittam victos tuos e lacu, puta patres e limbo, resuscitans eos cum Christo. Verum dico textum Hebræum modernum hic esse corruptum, vel a Iudæis, ut hoc oraculum de Christo corrumperent; vel potius a librariis. Nam corruptio hæc parum iuvat Iudæos, imo eodem cum Nostra versione reddit, ceditque in magnam laudem Christi. Pro אַתְּ *at*, ergo, id est, tu, fœminine, legendum est addito puncto אַתְּ *atta*, id est, tu, o Christe, masculine. Rursum pro בְּרִיתְךָ *beritech*, id est, testamenti tui fœminine, legendum בְּרִיתְךָ *beritecha*, id est, testamenti tui, masculine. Denique pro שְׁלַחְתִּי *scillachti*, id est, emisisti, legendum שְׁלַחְתָּ *scillachta*, id est, emisisti. Sic enim legunt Septuag. S. Hier. omnesque veteres paulo aute citati: et Syrus, qui vertit, *solvisisti*: et Arabicus uterque qui vertit, *dimisisti*, vel *liberabis*. Et hanc lectionem exigit ipsa connexio verborum, sensusque integritas: prior enim Iudæorum lectio est hiulca et intereisa; nam a prima persona sensum inchoat, et mox transit ad secundam, in eaque sensum inchoatum consumat. Qua enim cohærentia dicitur: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti victos tuos?* Sane sic dicendum fuisset: *Ego quoque in sanguine testamenti tui emisisti victos tuos.* Cum autem in Hebræo non sit אֲנִי *ani*, id est, ego, sed אַתְּ *atta*, id est, tu, sequitur pro *scillachti*, id est, emisisti, uno puncto mutato legendum *scillachta*, id est, emisisti. Sic enim filum orationis plane cohæret, ipsaque sententia congrue et integre expletur, dicendo: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti victos tuos de lacu.* Est apostrophe Prophetæ ad Christum, qua exultans ei gratulatur victoriam de hostibus, prædamque eis excussam ac triumphum. Sensus ergo est, q. d. Tu o Christe, quasi Messias et triumphator, ingrederis Ierusalem, ut dixi vers. 9. nam quarto post die in cruce fundes tuum sanguinem, quo novum fœdus inter Deum et homines sancies, tuaque morte de morte, peccato, dæmone et inferno triumphabis. Quocirca mox a morte descendens ad lacum, id est, limbum patrum: ut huius tui sanguinis et fœderis novi eos facias participes, illisque

Augustus  
Christi  
prænun-  
cius.

assignes primitias tuæ passionis et redemptionis, quas illi a multis centenariis, imo millenis annis avidissime, sperant et expectant. Nam die tertio resurgens, pariter resuscitabis eos, tecumque e limbo in terram, et e terra quadagesimo die ad cælum ascends, quasi spolia et captivos, sed felici captivitate, in triumphum educes: ita S. August. ep. 99. et S. Hier. Cyrillus, et alii iam citati.

Perperam ergo Chald. et Iudæi per lacum accipiunt captivitatem Ægyptiacam, aut, ut Hugo et Calvinus, Babyloniam: nam huius solutio non est facta in sanguine testamenti. Adde, utraque temporalis erat, et iamdiu præterierat: hic autem agitur de libertate plena et perenni, patribus in limbo detentis allerenda per Christum: est enim propheta de futuris tempore Christi. Perperam rursus Calvin. et Beza per lacum intelligunt cælum. Tolerant enim ipsi limbum patrum, doceant animas Sanctorum ante Christi mortem ivisse in cælum, non in limbum; qui est error exploratus. Nec enim cælum vocari potest lacus: nec in cælo ulli sunt vincti: nec ex cælo Christus suos eduxit. Lacus ergo est infernus, puta limbus: ita Patres et Doctores communi consensu, quos citat Bellarm. l. 4. de anima Christi c. 11. Denique pro *in sanguine testamenti tui*, Arabicus vertit, *in sanguine mandati tui*, quia testamentum hoc a Patre Christo fuit demandatum et præceptum, et a Christo hominibus, puta fidelibus et Christianis.

Ex hoc ergo loco et similibus docet Ecclesia, Christum post fustum in cruce sanguinem, puta statim a morte, descendisse ad limbum, ibique mansisse triduum usque ad diem Dominicum quo resurrexit, ac tum patres e limbo secum eduxisse. Limbum vocat *lacum*, quia est in profundo terræ iuxta eius centrum; illumque *sine aqua*, tum quia physice ibi est pura arida; tum mystice, quia caret omni refrigerio et consolatione. Aqua enim, quia fatigatum et sitientem in æstu et siti refrigerat et restaurat, hinc symbolum est refrigerii et consolationis.

Mystice S. August. lib. 18. de Civit. c. 35. per lacum accipit humanæ profunditatis et naturæ in peccato iacentis miseriam et sterilitatem, ex qua homines eduxit Christus in felicitatem, et fecunditatem gratiæ et gloriæ. Unde et Theodor. per lacum accipit idololatriam: hæc enim profundissima et maxima erat scelerum fovea, æque ac cæcitas et miseria; Clarius vero et Arias per lacum accipiunt legis veteris iugum, quo quasi carcere duro vincti Iudæi tenebantur, ex quo nos liberavit Christus. Sic Tropol. Christus peccatorem e lacu, id est, statu damnationis, educit, cum eum a peccato ad gratiam traducit, itaque quasi Lazarum e sepulcro suscitatur et vivificat. Præclare S. August. serm. 181. de tempore cap. 6. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Natus est ex virgine, ut nos nasceremur ex Ecclesiæ virginis utero. Tentatus est, ut nos a tentatione liberaret. Tentus, ut dimitteremur. Ligatus, ut nos a nodo maledictionis absolveremur. Illusus, ut nos ab illusionibus dæmonum liberaret. Venundatus est, ut nos redimeret. Humiliatus est, ut nos exaltaret. Captus est, ut nos a captivitate dæmonum auferret. Spoliatus est, ut nuditas primum hominis, per quam mors ingressa est, legeretur. Spinis coronatus est, ut nos liberaret a spinis peccatorum, vel potius ut monstraret se eum eis coronandum, illosque caput et coronam Ecclesiæ futuros, qui spinosi erant amando vitia. Aceto est potatus, ut nos inebriaret dulcedine celestis desiderii et æterni gaudii. Postremo in altari crucis sacrificatus est, ut totius mundi peccata deleteret. Mortuus est, ut mortis captivaret imperium. Sepultus est, ut sepulturæ sanctorum benediceret, et ut nos sibi vitis et concupiscentiis sepeliret. Hæc ergo infirmitas Christi superavit omnem firmitatem mundi.*

Vers. 12. CONVERTIMINI AD MUNITIONEM.) Puta ad Christum et Ecclesiam, vel, ut Cyrill. ad legem Evangelicam, quæ est arx Christi munitissima.

Vincti spei.) Scilicet Primo, qui vinculis peccati astricti vincti a dæmone detinentur, sed simul habent spem liberationis, quia speratis redemptionem per Christum. Hinc Christus Isaïæ 61. 1. Missus sum, inquit, ut præ-

dicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.

Secundo, *vincti spei* proprie sunt, quas spes ipsa vincit et devincit Christo, qui totam salutis spem ponunt in Christo, ideoque sua spe ita ei colligati sunt, ut ab eo toti pendeant: quia præter illum nil sperant, nec aliam vitæ spem habent: ita Clarius, Arias et alii. Iam *vincti spei* erant Iudæi fideles, expectantes redemptionem Israël per Christum, qualis fuit Anna prophetissa, et Simeon, qui proinde viso Christo exultans in cygnæam hanc vocem erupit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, Lucæ 2. 29. Tales quoque fuerunt Gentiles habentes fidem Dei et Messiæ ante Christi adventum, et post eum omnes illi, qui audita Evangelii fama ad Christum, quasi ad unicam salutis anchoram anhelare et aspirare cœperunt. Perperam ergo Albert. Hugo et alii alii, per vinctos spei intelligunt Iudæos in Babylone captivos, qui sperabant libertatem anno septuagesimo: de illis enim censent hic agi usque ad finem capitis, iisque promitti victorias et felicitatem quam habuerunt sub Machabæis. Verum minus congrue. Nam annus hic septuagesimus iam diu erat elapsus, et Iudæi et Babylone iam erant liberati. Pergit ergo Propheta agere de Christo eiusque Ecclesia: fateor tamen eum alludere ad Iudæos tum præteritos in Babylone, tum futuros tempore Machabæorum, tum præsentes: multi enim Iudæorum adhuc Babylone remanserant, quos Zacharias in Ierusalem revocat, ut dixi c. 2.

Tropol. *vincti spei* sunt generosi Confessores, qui spe gloriæ æternæ ultro se in vincula et tormenta dedunt, quales fuerunt septem fratres Machabæi, ad quos hic alludit, 2. Machab. 7. Spes enim tantæ gloriæ nihil non audet, nihil non patitur, nihil non aggreditur, ut docet Apostolus toto c. 11. ad Hebr.

Anagogice, *vincti spei* erant patres in limbo sperantes liberationem per Christum, quos ipse eduxit ad munitonem, id est, in Ierusalem cælestem et Ecclesiam triumphantem. De his enim paulo ante dixit: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*: ita S. Hier. et Hugo. Hi enim in sinu Abrahæ, spe longum Christi et liberationis desiderium sustentabant. His quoque dedit duplicia, id est, multiplicia, bona, ut sequitur, puta dotes omnes gloriosas, tam corporis, quam animæ.

ANNUNTIANS DUPLICIA.) Est enallage numeri: transit enim a plurali ad singularem; ut enim uersivior sit oratio, e vinctis spei singulos compellat, q. d. Quisquis es vinctus spei, quisquis speras salutem per Christum, ne expavesceas Christi Ecclesiam et legem, quod expers sit voluptatum, ac plena laborum et persecutionum; quia hodie annuncio et promitto tibi, quod duplicia bona reddam tibi: duplicia hæc sunt, Primo, vita et libertas, ait Theodor. Secundo, gloria animæ et corporis in cælo, ait Lyran. Unde Sept. vertunt, *pro una die peregrinationis tibi duplicia reddam*. Tertio, remissio peccatorum, et gratia Dei cum omnibus eius donis et virtutibus in hac vita. Quarto, *duplicia*, id est, duplo maiora quam speratis, ait S. Hieron. Quinto et simplicissime, *duplicia*, id est, multiplicia, quæ Latini vocant decumana. Sic sæpe in Scriptura *duplex* sumitur pro multiplici, ut ostendi Isaïæ 40. 2. Aliter hæc accipit Mariana: *Annuntians*, inquit, hic idem est quod Propheta, puta Zacharias, qui paulo ante gratulatus est Christo dicens: *Tu quoque*, etc. Unde hic ei respondet Christus, q. d. Ego hodie, id est, brevi, o annuncians, id est, o Propheta Zacharia, non solum vinctos e carcere educam, sed etiam multis bonis cumulabo.

QUONIAM EXTENDI (hebr. *calcavi*, id est, calcando extendi. Solent enim arcus magni pedibus calcando cornu et peripheriam, ac manibus attrahendo nervum, extendi) MIHI IUDAM QUASI ARCUM.) Alludit ad prælia et victorias Iudæ Machabæi et fratrum eius, eaque obiter perstringit. Unde de iis hæc exponunt Hebræi et S. Hieron. Verum proprie per ea intendit ad litteram significare mystica bella et victorias Apostolorum, q. d. Assumam ex Iudæis Apostolos, qui erunt quasi arcus mei, quos valide

distendam, ut iaciant sagittas efficaces verbi Dei, quibus A corda omnium Gentium feriam, eaque mihi subigam, et ad me convertam: ita S. Cyrill. Theod. Remig. et alii. Quocirca Mariana ex Hebræo sic vertit et explicat: *Extendi mihi Iudæ arcum*, id est, inquit, faciam ut Iudas pro me extendat arcum: *Implevi Ephraim*, supple arcu, id est, faciam ut Ephraim pro me pugnet.

Symbolice, Remigius et Lyran. per arcum Iudæ accipiunt Christum ex Iuda oriundum, q. d. Ego Christum in cruce extendam instar arcum, eoque configam et subiiciam omnes Gentes. Unde Septuag. vertunt, *tetendit te Iuda mihi arcum*.

**IMPLEVI EPHRAIM.**) Alludit ad Ephraimitas qui excellebant in arte iaculandi, iuxta illud psalm. 77. 9. *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli*. Sed per eos intelligit Apostolos, quorum plerique fuerunt ex Ephraim, id est, e decem tribubus, puta e Zabulon et Nephthaim oriundi, Isaïæ 9. 1. Iam phrasim hanc, *Implevi Ephraim*, varii varie explicant. Primo, q. d. Implevi Ephraim peritia et dexteritate tendendi arcum et iaculandi. Secundo, q. d. Implevi Ephraim arcu, pharetra et sagittis: ita Mariana. Tertio et genuine, implevi Ephraim, supple quasi arcum, uti paulo ante dixit de Iuda. Iam arcus dicitur impleri Hebræis, cum plene et valide tenditur, cum plenis viribus nervus extrahitur, ut validum plenumque per sagittam det ictum, quo scilicet rem propositam configat et conficiat; tunc enim iaculator omnibus suis plenisque viribus arcum quasi implet, dum eas in illo tendendo exprimit et exerit. Sic 4. Reg. 9. 24. in Hebr. dicitur: *Iehu implevit manum suam in arcu*, ut vertunt Septuag. hoc est, manu sua implevit arcum, per hypallagen, id est, traxit arcum totis viribus suis. Idem ergo est, *extendi mihi Iudam quasi arcum*, quod, *implevi Ephraim*, scilicet, q. d. Tam decem tribus, quam duas instar arcus plene traxi et extendi, ut iis validas iacerem sagittas. Audi S. Cyrill. *Sumpta*, ait, *est hæc phrasim ab eo quod fit in arcu. Cum enim nervum et ferrum arcus adducimus prope pupillas, tunc dicuntur iaculatores implere arcum, et fit vehemens iaculatio*. Sic et Vegetius lib. 1. de Re milit. c. 43. agens de tironum in militia institutione: *Maior*, ait, *adhibenda solertia, ut arcum diligenter ac sapienter teneant, ut fortiter impleant, ut sinistra fixa sit*. Et S. donius l. 1. epist. 2. *Spicula capit, implet, expellit*. Porro tam manus impletur arcu plane pleneque distento, quam arcus manu: extensio enim arcus coæquatur extensioni manuum, et vice versa. Unde 4. Reg. 9. Iehu dicitur implese manum arcu: arcus enim commensus est iaculatori. Cum ergo hic plene manus distendit, plene distendit et arcum. Secundo, Sanchez censet impleri arcum, quando extremis arcus capitibus, sive cornibus, adducto vehementer nervo coeuntibus, impletur circulus, qui prius videbatur inchoatus in arcu, qui semicirculi formam obtinuit. Sic Threissa *Aeneid*. 11. arcum tendit:

*Et duxit longe, donec curvata coirent  
Inter se capita.*

Quod sumpsit ex Homero *Iliad*. 4. ubi arcum vehementer intensum dicit actum in circulum. Et Eurip. in *Rhæso*: *Iungite*, inquit, *nervis arcus corneos*.

Huc accedit Delrio adagio 1017. qui censet hanc phrasim, *implere arcum*, sumptam a una, quæ plena vocatur, quando coeuntibus cornibus in circulum reflectitur: huic enim arcus summa vi extensus est similis.

Iam quoad sensum, Chald. Theodor. S. Thom. et Hugo, censent Ephraim idem esse quod Iudam: idem enim esse, *implevi Ephraim*, quod, *extendi Iudam quasi arcum*, ac significare Iudæos Babylone redeuntes fore validos et bellicosos, ut reipsa fuerunt tempore Machabæorum. Verum, ut paulo ante dixi, hæc ad litteram spectant Christum et Apostolos, qui partim ex Iuda partim ex Ephraim, id est, ex regno decem tribuum sunt prognati. Significat ergo Deus, quod Apostolis sit usus, tamquam arcubus validissime extensis et libratis, qui prædicando validissime librabunt et emittent sagittas amoris divini, quibus vulnerabunt audientium corda, eaque subiicient Christo.

Implere arcum est plene extendere.

Apostoli sunt arcus Dei.

Sic Christus de se ait Isaïæ cap. 49. 2. *Posuit os meum quasi sagittam electam: in pharetra sua abscondit me*. Apostoli ergo fuerunt quasi sagittæ potentis acutæ. Audi S. Cyrillum: *Iudam et Ephraim vocat totum genus Israel, ex quo primi Apostoli armati verbo Dei, et facti velut arcus, cæteras Gentes adversantes percusserunt divinis dogmatibus: percusserunt, inquam, et vulnerarunt, non ad mortem, sed ad charitatem. Unde sponsa Cant. 1. se appellat vulneratam charitate*.

**ET SUSCITABO FILIOS TUOS SION SUPER FILIOS TUOS GRÆCIA.**) q. d. Suscitabo e filiis tuis, o Sion, qui Græcos subiiciant. Nominat præ cæteris Gentibus Græcos, quia cum his post tempora Zachariæ continuo negotium fuit Iudæis; Alexander enim infensus Iudæis, sed placatus a Iaddo pontifice, ingressus est Ierusalem: Iudas Machabæus et fratres eius assidua gesserunt bella contra Antiochum Epiphanem, qui posteris Alexandri in regno Asiæ et Syriæ successit, eiusque assecelas. Unde Albertus, Hugo et Sanchez, censent ad litteram hic esse sermonem de victoriis, quas Machabæi obtinuerunt contra Antiochum. Verum esto ad eos alludat, et obiter quasi perstringat Propheta; tamen persistens in prophetia de Christo, altius quid intendit, nimirum S. Paulum, S. Ioannem, aliosque viros Apostolicos armatos verbo zeloque Dei, conversuros Græciam ad fidem Christi, uti eos fecisse patet ex Actis Apostolorum, et ex epistolis S. Pauli. Unde Ecclesia Græca prima pene in orbe effloruit, deditque Ecclesiæ primos et præstantissimos Doctores, uti S. Dionysium Areopagitam, S. Polycarpum, S. Chrysost. S. Basilium, S. Greg. Nazianzenum, et alios complures.

**ET PONAM TE, o Sion, o Ecclesia, GLADIUM FORTIUM.**) q. d. Faciam ut instar gladii sis fortissima, sternasque et occidas Græcos aliasque gentes: quia scilicet occides in eis infidelitatem et gentilismum, eaque compelles ad novam vitam Christianam sanetam et iucundam.

**ET DOMINUS DEUS SUPER EOS VIDEBITUR.**) Deus ex alto Vers. 14. adierit Apostolis virisque Apostolicis, et emittet iacula fulgurantia illustrationum internarum, quibus tum Apostolos ad divine prædicandum, tum Gentes ad avide audiendum et assentiendum impellet: ita S. Cyrill.

**ET DOMINUS DEUS IN TUBA CANET.**) *Tuba*, scilicet Evangelii, qua Apostolos suos ad evangelizandum excitabit, et quasi in aciem instruet et educet, eosque præcedet et irruet in hostes celerrime et fortissime, ac instar turbinis venientis ab Austro omnes convolvat, et secum abripiet. Hisce bellicis metaphoris significatur vis et energia prædicationis Evangelicæ, a Deo aspirata Apostolis et prædicatoribus. Unde de iis subdit:

**DEVORABUNT hostes suos: ET SUBICIENT LAPIDIBUS** Vers. 15.

**FUNDÆ.**) Intelligitur more Hebræo nota similitudinis *sicut*, vel *quasi*: ardentes enim sententiæ S. Scripturæ et sermones Apostolorum, fuerunt quasi lapides fundæ, quos eiecerunt in Gentes tanto impetu et rectitudine, ut eos ferirent et sternerent. Alludit ad fundam, qua David lapidem intorsit in frontem Goliath, eumque tam valide illi impegit, ut ipsum prosterneret. Simili enim modo, sed mystico, Apostoli straverunt turres illas carneas Gentilium. Alludit quoque ad velites et fundibularios, qui olim in prima acie constituebantur, primique prælium inibant.

**ET BIBENTES INEBRIABUNTUR QUASI A VINO.**) Hebr. est *חמץ hamu*, id est, tumultuabuntur quasi temulenti. Unde Tigur. vertit, *fremet ut qui vino exilarantur*. Est catachresis, significans copiosam hostium stragem; et ingentem Apostolorum tum zelum perdendi hostes, puta idola, infidelitatem et scelera omnia gentilismi, tum victoriam: tantum enim hostium sanguinem ab eis effundendum esse, ut, si eum victores biberent (quod nonnulli efferati olim fecerunt) inebriarentur et replerentur, sicut repleri solent phialæ et cornua altaris sanguine victimarum. Simili schemate de Christo victore dicitur psal. 109. 6. *Conquassabit capita in terra multorum: de torrente in via bibet*. Quocirca Septuag.clare hic vertunt, *bibent eos sicut vinum*. Tale quoque est illud Isaïæ 63. 3. *Calcavi eos in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super ve-*



stimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Alludit ad victorias Machabæorum eruentas, quibus plurimum hostium sanguinem effuderunt. Nota, *quasi cornua altaris*, significat hanc gentilitismi stragem faciendam ab Apostolis fore sacrificium, et hostiam Deo gratissimam, sicut hostiæ gratissimæ Deo sunt hostes Dei, cum ingulantur, et sanguis eorum effunditur, ac quasi libatur divinæ iustitiæ et vindictæ. Unde Septuag. vertunt, *implebunt phialas sicut altare*; vel, ut S. Hieron. legit, *implebunt sicut phialas altare*: ita Theodor. et Chald. *Et erit, inquit, anima eorum plena deliciis, sicut phiala quæ plena est similitudo et oleo, et splendet sicut sanguis qui splendet in purice altaris*. Sic S. Paulus Evangelii prædicationem vocat sacrificium, in qua Gentes sunt victimæ. Paulus sacerdos, Rom. 15. 16. *Ut sim, inquit, minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificans* (græcè *εὐαγγελίζων*, id est, sacrificans) *Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto*. Unde ad hoc sacrificium sanguinem suum per martyrîum, ad libamen offert Deo, Philip. 2. 17. *Sed et si immolator, inquit, super sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis*. Unde et Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 39. sic legit et explicat: *Replebunt quasi pateras altare, scilicet Martyres sanguine suo, quem fundunt Deo, et quasi libant in altari*.

VERS 16. **ET SALVABIT EOS DOMINUS, etc. UT GREGEM POPULI SUI.** ) Apostoli enim fuerunt quasi grex arietum electus et selectus a Christo dicente: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, Matth. 10. 16. sed Deus eos protexit et salvavit, adeo ut oves vincerent lupos, eosque in oves converterent. Nota, *quasi ut gregem populi sui*, dupliciter accipi potest. Primo, q. d. Ut gregem non ovium, sed populi sui. Sic omnis populus omnesque fideles sunt grex Dei. Secundo, q. d. Ut gregem selectum e populo. Sic soli Apostoli virique Apostolici sunt grex populi Dei.

**QUIA LAPIDES SANCTI ELEVABUNT SUPER TERRAM EIUS.** ) q. d. Apostoli, et fideles quos ipsi convertent, præsertim illustres virtute et sanctitate, salvabuntur a Deo, et liberabuntur ab omnibus periculis; quia ipsi sunt grex Dei, et quasi lapides primarii, quos ipse elevare, honorare et exaltare in terra decrevit. Albertus et Hugo per *lapides sanctos* accipiunt Machabæos. Verum esto ad eos alludatur, tamen proprie hæc spectant Christum et Apostolos, ut dixi: ita S. Hieron. Theodoret. Remig. Lyran. Ribera, et alii passim.

Pro *sancti* hebr. est *נזר nezzer*, quod Primo, verti potest, *lapides separationis*, id est, separati a vulgaribus, ideoque sancti; quia ad sanctam Ecclesiæ fabricam, vel titulum aut trophæum deputati. Secundo, *nezzer* idem est quod *consecratio*. Unde Tigurina vertit, *lapides consecrati in sublime ferentur super terram eius*. Tertio, *nezzer* significat *diadema, coronam, vel tiarum*. Unde aliqui vertunt, *lapides diadematis, vel coronæ*: ita Vatabl. Hinc a *nezzer* vocabantur *Nazaræi*, quasi a vulgo separati et consecrati Deo, ac cæsarie sua coronati, ut dixi Numer. 5.

Quæres, quales sunt hi lapides? Primo, aliqui censent esse gemmas, ex quibus confletur et ornatur diadema (hoc enim significat *nezzer*) Christi, q. d. Apostoli erunt gemmæ, quæ in diademate Christi eminebunt, illudque decorabunt, et vicissim eo decorabuntur: ita Vatabl. et Sanchez. Huc accedit Chald. qui vertit, *eligit eos sicut lapides superhumeralis*; quasi hic alludatur ad duodecim gemmas, quæ erant in ephod et rationali Pontificis, inscriptæ duodecim nominibus Patriarcharum, qui repræsentabant duodecim Apostolos: hi enim sunt Patriarchæ novi testamenti, ut dixi Exodi 28. 17. Simili modo de iisdem ait Isaias c. 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini*. Huc accedit Mariana, qui sic explicat, q. d. Principes Iudæa elevabuntur sicut lapides coronæ, hoc est, erunt in pretio, dignitate et honore eminebunt, sicut eminent gemmæ in corona regia.

Secundo, alii accipiunt lapides fabricæ, q. d. Apostoli in fabrica Ecclesiæ quasi lapides primarii in culmine eminebunt, et virtute, et dignitate, et auctoritate et gloria: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. et alii. Alludere

enim videtur Zacharias ad fabricam templi, ad quam ipse assidue Iudæos excitabat: hæc enim erat typus fabricæ Ecclesiæ.

Verum quia hic nec coronæ, nec rationalis, nec ædificii fit mentio, sed terræ, in qua dicit elevandos hos lapides; hinc congruentius per lapides hos accipiemus eos, qui in titulum victoriæ, triumphi, vel rei aliam illustris eriguntur. Alludit enim ad duodecim lapides, quos Iosue sicco pede superato Iordane, ingressus in terram sanctam, in titulum et monumentum huius miraculosi ingressus, et simul in signum quasi usucapionis, quod scilicet iam adiiisset possessionem terræ sanctæ, erexit in Galaad, Iosue 5. 49. Hi enim duodecim lapides fuerunt typus duodecim Apostolorum, qui pari modo in terra sancta, id est, in Ecclesia, in titulum victoriæ, et possessionis aditæ a Christo erecti et elevati sunt. Tales quoque fuerunt lapides, quibus legem Dei inscribi, ac deinde eos erigi et statui in monte Garizim iussit Moses, Deuter. 27. 2. et seq. Tale quoque fuit altare, quod in trophæum victoriæ ab Amalec reportata, ex lapidibus, ut videtur, construxit et erexit Moses, Exodi 17. 15. vocavitque, *Dominus exaltatio mea*, vel *vexillum meum*, quod scilicet in Amalec inferens, eum prostravit. Hebr. enim *נס* nes significat vexillum: unde *נסוס* noses vocatur vexillifer. Idem pene verbum hic usurpat Zacharias, scilicet *מתנוססות mitnososot*, quod Noster vertit, *elevabuntur*; alii vertunt, *vexillabuntur*, hoc est, gerent vexillum crucis Christi, eiusque vexilliferi erunt in castris Ecclesiæ, ut prædicent victorias eius virtute partas, in cuius gloriam erecti sunt; ad quod proinde omnes fideles quasi milites Christi se aggregabunt, ut suos hostes prosternant. Unde aliqui vertunt, *lapides fugantes*, scilicet castra hostium. Addit Arias, alludi ad lapides qui in bivis, vel trivis eriguntur, ut viam viatoribus indicent, ne ab ea aberrant. Sic enim Apostoli viam nobis a terra in cælum demonstrant. Sensus ergo est, q. d. Apostoli et viri Apostolici servabuntur et protegentur a Deo tamquam grex e populo suo selectus: nam uti lapides sancti, in sublime efferentur in terra, ut sint tituli et monumenta Christi et Ecclesiæ, eorumque victoriæ, ac ad eam, et per eam in cælum viam omnibus ostendant. Huc accedit Sanchez: *Lapides, inquit, isti nezzer, id est, separationis, consecrationis, vel coronationis, appellari possunt, quia quasi terminales, agros ab agris separant, puta Ecclesiam secerunt a Synagogis Iudæorum, academicis Philosophorum, et sectis Gentilium, illamque Deo consecratam esse illustri aliqua nota demonstrant: aut certe Ecclesiam, quasi terram promissionis cingunt et coronant; sicut flumina salicibus coronari dicuntur. Qui etiam sacri diei possunt, quia religionis ergo a Christo erecti sunt. Additque, alludi hic ad lapides terminales Iudææ, quos post vastationem Chaldæorum Idumæi et aliæ vicinæ gentes hostiles Iudæam occupantes, abstulerant; sed Iudæis e Babylone in Iudæam reversis, ab iis fuerunt restituti et elevati. Ex quo totius versus huius hec erit sensus: Sicut Deus Iudæos Babylone reversos salvavit, et pavit quasi gregem suum in pascuis, suis signis et titulis, quasi lapide terminali consignatis: sic idem Christianos, quasi gregem suum, servabit ab omnibus periculis, et pascet in altis Ecclesiæ montibus, quasi pascuis suis, quos lapides elevati, puta Apostoli, sepiunt, et a Iudæis Gentibusque disterminant, ac sanctificant, et in cælum elevant.*

Tertio, aliqui censent lapides hos fuisse globos lapideos. Unde Septuag. vertunt, *lapides qui volutantur* (Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 39. legit *volutantur*) *super terram*. Hebr. enim *mitnososot* potest deduci a *נס* nus, id est, fugere; et in *poel* active noses, id est, fugare, q. d. Lapidis fugientes, id est, celerrime volubiles et mobiles, omnesque hostes et obices fugantes. Hi enim lapides significant Apostolos, qui celerrime totum orbem perecurrerunt et circumgyrarunt evangelizando. Audi S. Cyrillum: *Volvi autem illos aptissime dicit, ut ad quibus sanctorum agilitatem celeritatemque declarat. Lapidem enim orbicularem, seu rotundi citra ullam difficultatem maxime sunt mobi-*

Lapides sancti qui?

les, si quis eos impellere voluerit: sic animus sanctorum ad omnia Deo grata est versatilis. Causa est, quod cælum spectent, terram vero non nisi in puncto tangant. Sphæra enim, vel globus insistent, plauo, illud tantum in puncto tangit, uti docent Mathematici: quo significatur sanctos, et præsertim viros Apostolicos ita in cælestia defixos, ut terram rix, et non nisi necessitate coacti attingant, uti monet S. Paulus 2. Timoth. 6. *Habentes, inquit, alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Unde Arabicus vertit, *sunt lapides sanctificati, et ascendere eos facit in terram sanctitatis de loco bonorum optinorum.* Quocirca S. Hieron. eleganter et apposite explicans illud psal. 76. 19. *Vox tonitruum tui in rota, id est, inquit, vox prædicationis tuæ in toto orbe:* per illum enim totum prædicationis instar rotæ rotata discurrit. Tropolog. vero: *Rota, inquit, modico quodam vestigio stat in terra: et non solum stat, sed quasi percurrit: non stat, sed tangit et præterit: ita et sanctus vir, quoniam in corpore est, necessitatem habet aliqua de terrenis cogitare: sed habens victum et restitutum, his contentus est; et tangens terram, ad altiora festinat ( ut quasi rota tangens terram, illico erigatur in altum. ) Ille qui currit, et ad altiora festinat, in illo est sermo tuus. Legimus in Propheta (Zachar. 9.) Sancti lapides voluntur super terram. Quoniam enim rotæ sunt, propterea voluntur super terram, et ad altiora festinant.*

Ita Atherius Archiepiscopus Asiæ, iussu ab angelo perquirere S. Ioannem, qui a silentio cognominatus est Silentiaris; eo invento cognitoque quod nobilitatem, opes amplas et episcopatum Dei amore reliquisset, seque voluntaria paupertati, humilitati et exercitationi Anachoreticæ addixisset, et inter Anachoretas incognitus viveret, admirans exclamavit: *Vere nunc quoque sancti lapides in terra voluntur, uti refert Cyrillus in Vita S. Ioannis Silent. qui coævus fuit S. Sabæ et Iustino Imperatori, floruitque anno post Christum quingentesimo.*

Moraliter discite hic, quam alta, separata et elevata sit vita sanctorum, præsertim eorum qui religione Nazaræi sunt, et alios sanctificant. Elevantur enim a terra in cælum, adeoque pertingunt ad *nezer*, id est, diadema quod est in capite Christi, illudque exornant. Quam ergo hoc diadema a terra elevatum est, tam et ipsi elevati sunt a terrenis et terrenorum meribus: quia eorum conversatio est cum Christo in cælis. Accipe descriptionem et hypotyposin viri sancti ita elevati: *Vir sanctus hominem interius ordinat; exterius ornat; a rebus turpibus cohibet: sermones rectos et utiles amat: in risum non effunditur, non clamat, nec vocem attollit. Modeste incedit. Aliorum facta euriore non inquirat: admonitiones hilariter vultu recipit: errorum aliorum facile condonat: humilis est, mitis et benignus: miseris quibuslibet ex visceribus miserando compatitur: laudibus non extollitur, detractione non deicitur: interroganti facile leniterque respondet: contentendi facile cedit: patienter alios audit: in omnibus alios edificare et perficere studet: rari est, et gravis sermonis: in cibo parcus, in potu sobrius: compositus in vultu et verbis: odit mendacium, fabulas et nugas: filius est veritatis: oculos habet demissos et simplices. Puritate candidus, obedientia promptus, patientia perfectus, in oratione assiduus: in fide stabilis, in opere diligens, in abstinentia rigidus, in moribus exemplaris: in conversatione gratus, in verbis affabilis, in dando liberalis: inimicis fidus, amicis benignus, Deo resignatus, sibi mortuus, mundo crucifixus, omnibus omnia ut omnes lucrifaciat: zelotes pro honore Dei et salute animarum.*

Audi et S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 2. *Quia sancti viri ita prosperitatem sæculi despicientes calcant, sicut adversitatem eius calcantes tolerant, per magnam mentis celsitudinem, mundi sibi et adversa et prospera subternentes, dicunt: Sicut tenebræ eius ita et lumen eius, q. d. Sicut intentionis nostræ fortitudinem eius tristitia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt.* Idem lib. 8. c. 14. explicans illud Iob 7. *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea, per suspendium accipit elevationem mentis ad cælestia; per mortem ossium, mortificationem carnis. Sancti*

enim viri, inquit, certissime sciunt, quia habere in hac vita requiem nequaquam possunt, et ideo suspendium eligunt, quia nimirum desideria terrena deserentes, ad alta animum tollunt. *Suspensum autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti, hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur.* Idem lib. 12. 17. docet sanctos ob vitæ mentisque celsitudinem vocari cælos, sicut scriptum est psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent, sed dum inmutabili veritati studiose semper inharere desiderant, inhærendo agunt ut inmutabiles fiant.* Idem lib. 20. cap. 19. *Sanctos suos Dominus veniendo adiuvat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat.* Idem lib. 21. c. 10. *Sancti viri cum præsent, non in se potestatem ordinis, sed aequalitatem conditionis attendunt; nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse.* Idem l. 21. c. 15. *Sancti viri quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum gravare vel in minimis timent, ipsi contra iustitiam gravari nequaquam refugiunt.* Idem lib. 26. c. 21. *Sancti, inquit, reges sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.* Idem lib. 31. c. 15. *Vir sanctus quo maiore persecutione premitur, eo ad prædicandam veritatem acrius instigatur: et cum patienter persecutores tolerat, ardentem ad se auditores trahere festinat.* Idem lib. 35. c. 2. *Sancti viri dum divinitatis arcana audiunt, quanto magis contemplando proficiunt, tanto amplius despiciendo quod sunt, aut nihil, aut prope nihil se esse cognoscunt.*

Audi S. August. in psalm. 122. *Cælum mihi sedes est. Qui sunt cæli, nisi iusti? In ipsis sedet Deus, et de ipsis iudicat Deus. Quomodo peccator factus est terra, cui dictum est: Terra es et in terram ibis; sic iustificati facti sunt cælum. Portaverunt Deum, et de ipsis Deus coruscabat miracula, tonabat terrores, pluebat consolationes. Anima iusti thronus est sapientiæ, id est, in anima iusti sedet sapientia tanquam in sella sua, tanquam in throno suo, et inde iudicat omne quod iudicat.* Idem in psal. 96. *Tu si vis, cælum eris: si vis esse cælum, purga de corde tuo terram: si terrenas concupiscentias non habueris, et non frustra responderis sursum te habere cor, cælum eris. Conversatio enim tua in cælis erit.* Idem lib. 2. de servu. Domini in monte c. 10. *Pater noster qui es in cælis, id est, in cordibus iustorum, tanquam in templo sancto suo. Hisce enim promisit illud Isaia 58. 14. Delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Audi et Gentilem Senecam lib. de Quatuor virtutibus: *Magni animi hominis bonum est non vacillare, constare sibi, et finem vitæ intrepidus expectare. Nil aliud magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri.*

QUID ENIM BONUM EIUS EST, ET QUID PULCHRUM E-  
IUS, NISI FRUMENTUM ELECTORUM, ET VINUM GERMINANS VIRGINES? ) *Te eius hebraice et græce est masculinum: unde terram, utpote feminini generis, respicere nequit. Respicit ergo Deum, et consequenter eius populum. Sicut enim Deus nihil melius, aut pulchrius hoc dono dare, sic nec populus accipere potest. Est epiphonema, quo per admirationem et exclamationem clauditur quasi synopsi, omnia bona paulo ante recensita, ac simul dat causam, id est, fontem tantorum honorum, q. d. Causa, cur Apostoli et eorum sequaces sint futuri quasi sagittæ et iacula fulgurantia, quæ omnes gentes sternent sibi que subiciant: curque salvandi sint a Deo, et pascendi ut grex eius; denique cur sint lapides *nezer*, id est, separati et consecrati Deo, ideoque elevati super terram: horum, inquam, omnium causa est, quod Deus ita eos amet, ut omne suum bonum eis communicet. Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum, nisi frumentum electorum? etc. q. d. Utique Deus nihil habet quod det melius, aut pulchrius frumento electorum. Hinc Septuag. vertunt, quia si quod pulchrum illius, et si quod bonum eius, hoc utique est frumentum iuvenibus, et vinum boni odoris ad virgines; Pa-*

Moral.  
quam  
elevata  
sit vita  
sancto-  
rum.

Viri san-  
cti de-  
scriptio.

EX S.  
Gregor.

EX S.  
August.

Vers. 17.

gain. et Vatabl. *quanta enim bonitas et quanta pulchritudo eius? Frumentum iuvenes, et vinum virgines succulentas et vegetas reddet; Syrus, quam bonum, et quam pulchrum est triticum adolescentibus, et vinum delectat virgines!* Arabicus Antioch. *quam bona et quam utilis esca iuvenibus, et vinum incedat virgines!* Arabicus Alexand. *de loco bonorum optimorum frumentum puerorum, et vinum in unguentum virginum.* O ergo bonitas et pulchritudo Dei stupenda! o abyssus bonitatis! o amor! o stupor!

Frumentum electorum quod? I. Responsio

Quæres, quodnam hoc frumentum et vinum? Primo, Hebræi et Theodoret. consent hic Iudæis copiam frumenti et vini ad litteram promitti. Unde Sanchez sic explicat, q. d. O quantum bonitatis ac pulchritudinis habebit ager ille, quem Dominus suo assignabit populo, quemque suis sibi titulis circumseribet? Affert enim frumentum, quod iuvenes robustos; et vinum, quod virgines florentes atque nitentes faciat. Mariana vero sic: Quod maxime pulchrum existet in hac victoria, erit finis eius, scilicet convivia, quæ iuvenes et virgines instruent, et cantica quibus lætitiā celebrabunt. Verum hic sensus humilis est et terrestri, præsertim quia præcedentia omnia spectant ad tempora Christi; nec vinum materiale germinat virgines, ut vertit Noster, sed potius accendit libidinem.

II. Secundo, melius alii frumentum et vinum mystice accipiunt pro alimonia spirituali; puta pro lege et doctrina Mosis et Prophetarum, quæ Iudæorum, tam iuvenum quam virginum, mentes pavit et aluit in cultu Dei, quando Machabæi legem cum cultu Dei, ob persecutionem prolapsam, crexerunt et in integrum restituerunt. Unde Chal. vertit, *quoniam quam bonum et pulchrum est doctrina legis, et iudicium veritatis directum in congregatione?* ita Albert. et Hugo. Verum quia a v. 9. huc usque egit de Christo, non de Mose; hinc

III. Tertio, sublimius et germanius alii per frumentum et vinum, accipiunt legem et doctrinam Evangelicam, quæ prædicata a Christo et Apostolis mentes audientium pascit, ac iuvenes ad fortitudinem, virgines ad castitatem excitat: ita Clarius, Vatabl. et Arias.

IV. Et genuina.

Quarto, aptissime, et plane ad litteram, frumentum hoc et vinum est Eucharistia, in qua corpus Christi Domini sub specie panis e frumento confecti, et sanguis sub specie vini, vi consecrationis, puta verborum Christi Domini, realiter et substantialiter præsens in altari sistitur, quod Apostolos et fideles nutrit, corroborat et inflammat ad præliandum prælia Domini, eosdemque a terrenis desiderii ad cælestia traducit et elevat. Hoc enim eius vinum non luxuriam, sed castitatem germinat et producit: utraque ergo species Eucharistiæ hic notatur, scilicet frumentum sive panis et vinum: ita S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. Ribera, a Castro, et alii hic, ac Paschasius libr. de Corpore et sanguine Domini c. 21.

Eucharistia est bonitas et pulchritudo Christi, cur?

Ubi Nota, Eucharistia dicitur bonum et bonitas Christi: quia summa bonitate summum bonum, scilicet seipsum quantum quantum est, puta totam deitatem et humanitatem nobis communicat, et in escam dat; ita ut totum quasi deitatis ærarium hic in nos expromat et exhauriat. Eadem dicitur pulchrum et pulchritudo Christi, Primo, substantia: quia scilicet substantialiter nobis exhibet Christum, qui qua Deus, est Verbum, imago et pulchritudo Patris; qua homo, est *speciosus forma præ filiis hominum.* Secundo, causalitate et effectu: quia scilicet est *frumentum electorum, et vinum germinans virgines.* Nam causat in nobis iuventutem florentem spiritus et animæ, dum facit eam robustam, floridam, agilem et alacrem ad omne bonum: rursus dum facit eam puram et virginem. Vere enim ait Sapiens cap. 4. 1. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Tertio, Sacramento: quia species panis et vini representant nobis Christum in cruce immolatum, puta corpus a sanguine separatum, quasi occisum et mortuum. Hæc autem immolatio et victima fuit pulcherrima, præstantissima, Deo dignissima et gratissima, utpote per quam omnis honor peccato violatus et ablati, ipsi est restitutus, ac consequenter peracta nostra redemptio et reconciliatio cum Deo.

Quocirea eleganter et vere S. August. in psal. 44. post initium: *Christus, ait, est pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro.* Quarto, convivio: Eucharistia enim est convivium in quo Deus nobiscum conviyatur, ac proinde apponit escam non humanam, non angelicam, sed divinam, ideoque pulcherrimam et magnificentissimam. Pulchritudo enim convivii, est eius decor et magnificentia. Hoc est quod ait Psaltes psal. 110. 3. *Confessio et magnificentia opus eius,* quia scilicet *escam dedit timentibus se.* Quam escam? *Panem cæli dedit in eis: Panem angelorum manducavit homo,* psal. 77. 25. Ergo in Eucharistia *confessio et pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia et magnificentia in sanctitate eius,* psal. 95. 6. Merito S. Augustin. serm. 50. de Verbis Domini: *Quid dicis, ait, Domine bone pastor? Tu enim pastor bonus, qui bonus agnus: idem pastor et pascea, idem agnus et leo.* Hæc pulchritudo magis patebit ex Eucharistiæ cum aliis fidei mysteriis symmetria et congruentia, quam iam subdo.

Moral. discce hic, Eucharistiam esse omne bonum et pulchrum Dei et Christi, æque ac nostrum, adeo ut nihil melius aut pulchrius nobis dare possit. Vere de ea Poeta Christianus:

*Sanctum, augustum, alnum, cæli admirabile munus,  
Per te melliflui rorant dulcedine montes.*

*Per te mellifluæ complentur nectare valles.*

*Ipse amor, ipsa animis nostris innexa voluptas.*

Ratio est, quia in Eucharistia, ut dicitur ps. 109. 4. *Meriorum fecit mirabilia suorum misericors et miscrator Dominus, escam dedit timentibus se.* Eucharistia enim est quasi compendium, et anacephalæosis omnium mirabilium Dei operum. Nam Primo, hic quasi est nova creatio mundi: quia transubstantiatio est velut quædam creatio, qua quasi creatur in altari ipse Dominus et creator mundi, ac mundus in ipso, ideoque integras rerum naturas commutat et transubstantiat, panem in carnem, vinum in sanguinem Christi.

Secundo, mirabile Dei opus erat manna, quod erat panis cæli, et panis angelorum. Eucharistia est manna supernaturale et divinum, Ioan. 6. 59.

Tertio, mirum et ineffabile Dei opus fuit Incarnatio, qua *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* In Eucharistia est quodammodo nova incarnatio, dum de novo Verbum in altari humanatum sistitur, et quasi iucarnatur.

Quarto, mirum Dei opus fuit Christi crucifixio, mors, mundique redemptio: in Eucharistia est viva repræsentatio crucifixionis et mortis Christi. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis,* 1. Corinth. 11. 26.

Quinto, quia in Eucharistia Deus omnia vetera miracula renovat et superat. Nam non aquam in vinum, sed vinum in sanguinem suum commutat: facit ut Christus homo sex pedum subsistat in puncto, imo in singulis punctis hostiæ: facit ut accidentia panis et vini per se subsistant sine subiecto, ac si essent substantia. Idem facit non uno in loco, sed in omnibus altaribus dum consecratio fit, per totum mundum. Itaque Christus idem toto suo corpore et quantitate est in plurimis et distantissimis locis, idque continuo singulis diebus, per omnes hebdomadas, menses, annos et sæcula.

Sexto, ideo reliquit nobis Eucharistiam, ut esset obiectum circa quod exerceremus omnes virtutes: fides enim ingens hic requiritur, ut credamus hostiam non esse panem, sed carnem Christi; nec vinum quod ante fuit, esse vinum, sed esse sanguinem Christi; etsi omnes sensus iudicent esse vinum, esse panem, non carnem, non sanguinem. Secundo, religio hic exercetur: quia habemus Deum præsentem, quem patria adoramus. Tertio, spes: quia si Christus dat nobis seipsum in cibum, quid non dabit? et ita de cæteris.

Septimo, Eucharistia est summum et præstantissimum

Eucharistia est compendium mirabilium Dei. I. II. III. IV. V. VI. VII.

sacrificium, quo Deus summe honoratur: quia ei offertur et immolatur nobilissima victima, scilicet non bos, non taurus. sed ipse Dei filius, Deus et homo; isque in eius honorem quasi mactatur, et consumitur. Rursum Eucharistia est sacrificium propitiatorium, quo sacerdos quasi mediator Dei et hominum, Deum hominibus propitiat, veniam peccatorum, et gratias omnes Ecclesiae impetrat, quæ alias ob multorum peccata graviter a Deo castigantur.

VIII. Octavo, Eucharistia est panis transubstantialis  $\sigma\pi\sigma\theta\gamma\sigma\iota\sigma\zeta$  et supersubstantialis, Matth. 6. v. 11. confirmans cor, spiritum, mentem hominis, omnesque eius vires et potentias. Est pharmacum immortalitatis, cuius vi resurgemus ad vitam immortalem, ut docet Christus Ioann. 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; idque expresse ibidem docet S. Cyrill. Est medicina omnium infirmitatum et morborum corporis et animæ. Laboras superbia? sume Eucharistiam, id est, Christum ad carnem, imo ad panem se humiliantem; et panis hic humilis te humilem faciet. Laboras tentatione libidinis? sume vinum germinans virgines. Laboras ira et impatientia? sume Christum crucifixum et patientissimum: hic suam tibi patientiam communicabit, etc.

IX. Nono, Eucharistia est ignis amoris divini, accendens in nobis ardorem charitatis. In ea enim Christus est *amor amorum*, ait S. Bernard. vel quisquis est Auctor, serm. de Cœna Domini. Nam ut cauit S. Thom. Aquin. *Se nascens dedit socium: convalescens in edulium: se moriens in pretium: se regnans dat in præmium*. Quis enim non amet Christum, totusque in eum quasi transeat, dum totus in eum transit Christus: Quis Christum ignem suscipiens, eo non inardescat? S. Aug. ser. 9. de Natali Domini: *Factus, inquit, est Deus homo, ut homo fieret Deus: ut panem angelorum manducaret homo. Dominus angelorum factus est homo*. Legimus de S. Catharina Senensi, cor eius Christi patientis consideratione et amore fissum, ita ut ipsa expiraret, uti refert Ambros. Catharinus in eius Vita libr. 2. cap. 30. Ita mirum est, cor nostrum in Eucharistia tanto Christi amore non findi, tanto igne non consumi. Axioma est Philonis in vita Mosis: *Miracula quotidiano usu talia desinunt videri*. Hoc verum experimur apud homines in sancta communione: iis enim Eucharistia, quia quotidiana, vilescit, cum sit miraculum miraculorum, et prodigium prodigiorum. Hoc deplorabat, imo stupebat S. Franesus, ut habetur in eius epist. ad Sacerdotes sui Ordinis, quæ habetur in fine tomi 5. Bibliothecæ SS. Patrum. *Magna, ait, miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum (Christum) sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo parcat, totus mundus contremiscat, et cælum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus filius Dei vivi*. Quocirca ut hoc consuetudinis vilescens malum evitemus, quotidie exultanda est novitas mentis, attentionis, considerationis, admirationis et stuporis tanti Sacramenti, perinde ac si primum eo die heret, nec unquam antea factum esset. *Ita magnum, novum et iucundum tibi videri debet cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in utero Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur et moreretur*, ait noster Thomas I. 4. de Imitat. Christi c. 2.

Hæc omnia complectitur Zacharias hac elogio: *Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius?* idque hoc fine, ut acuat in Christianis famem Eucharistie, ac simul indicet, optimam dispositionem et præparationem ad sacram communionem esse, si quis ingentem eius in se excitet famem, ingens, inquam, desiderium sumendi Christum. Sicut enim ad utiliter sumendum cibum corporalem, optima dispositio est appetitus et orexis: hæc enim omne insipidum facit sapidum, illudque stringit, optime concoquit, sibi que incorporat; unde illud vulgo tritum, *Optimum cibi condimentum est fames*; ita prorsus se res habet in cibo spirituali Eucharistie. Quocirca S. Chrysost. docet, accedentem ad Eucharistiam ita avide accedere ad eam debere, ac si in ea os applicaret lateri Christi, ex eo

A que surgeret et biberet sanguinem Christi, uti revera facit. S. Catharina Senensis accedebat ad S. Synaxin tanta orexi, quanta infantes famelici accedunt ad ubera matris, adeo ut præ fame videretur deficere et emori. Unde et S. Chrysost. homil. 60. ad popul. *Nonne videtis, ait, quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, et quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, quinimo cum longe maiori trahamus, tamquam infantes lactanei, spiritus gratiam; et unus sit nobis dolor, hæc esca privari*. S. Thom. opusc. 37. *Suaritate, ait, huius Sacramenti nullus digne exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recollitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit, excellentissimæ charitatis*. Quocirca S. Mechthildis a Deo didicit, optimam ad Eucharistiam dispositionem, Deoque gratissimam esse, ut, licet quis in se non sentiat vivam eius famem, ardensque desiderium, concipiat tamen desiderium huius desiderii, optans vehementem huius cibi famem, atque orans Deum, ut sibi hanc caelestem caelestis escæ orexin indat et iuspiret.

Rursum, ut hoc pulchro et bono Eucharistie fruamur, illudque plene gustemus et sapiamus, illud ipsum post S. Synaxin diu et devote cum gratiarum actione ruminandum est, mensque cum Christo colligenda et unienda: qua de re egregia et perutilia edidit documenta voster P. Baltassar Alvares, vir raræ prudentiæ et sanctitatis, quæ in Vita eius recenset P. Ludovic. de Ponte cap. 6. §. 2. Multis communicantibus, inquit, pruriunt pedes ut inde discedant statim prætextu lectionis, colloctionis, ambulationis: quæ est phrenesis intolerabilis. Orationes enim et lectiones quid aliud sunt, quam quidam clamores quibus Dominum vocamus ut ad domum nostram venire dignetur? Quæ ergo stultitia est, ut post tot horas dum ille ad nos venit, imo ingreditur, nos illic eo relicto domo exeamus? Quid quæris præter Deum tuum? plus ille te docebit quam omnes libri, plus te recreabit quam omnes amici, plus virtutis dabit quam omnes Sancti. Ad hoc perpende sequentes veritates, quibus anima cum Deo loquitur:

*Infirmus, Domine, qui tecum non exhilaratur, valde prope est ut cadat:*

*Anima quæ tecum non exultat, unde poterit exultare?*

*Qui tecum Domine non est contentus, quomodo non crepat?*

*Qui dum te hospitem habet, properat ut domo exeat, facile ostendit, se cor habere alibi obstrictum.*

*Cui tecum manere tedium est, nescit quod tu sis Deus et totum bonum eius.*

*Qui tecum non manet libenter, ostendit se phrenesi laborare, cum huius rei causa natus sit.*

Tu enim es omne bonum et pulchrum totius universi, qui eius scintillam creaturis singulis gratis communicas et impertis. Quæ ergo stultitia, relicto fonte immenso voluptatis, guttam unam persequi? Ergo qui sapis sequere consilium Sapient. Eccles. 14. 14. *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætercat.*

FRUMENTUM ELECTORUM.) Hebr. est  $\text{בַּחֲרִים}$  *bachurim*, quod Septuag. Syrus et Arabicus, Vatabl. et Pagn. vertunt, *iuvenum*. Hi enim præ senibus eliguntur ad operatum civilia, tum bellica conficienda. Eucharistia ergo est *Eucharistia facit iuvenes validos.* frumentum electorum, quod scilicet facit selectos iuvenes, hoc est, validos, alacres et expeditos ad omne bonum, æque ac ad quodvis prælium, quantumvis arduum et difficile. Secundo, *electorum*: quia facit ut a Deo eligamur ad vitam æternam, Ioan. 6. 59. ac discreti a reprobis, inter electos cælo donandos annumeremur. Hinc patet electionis ad gloriam signum ac causam esse, piam et frequentem communionem.

Porro Eucharistiam esse frumentum electorum et iuvenum, eos vegetans, animans et validans, patet Primo in Martyribus, qui Eucharistia se muniebant et roborabant ituri ad tribunalia, ceuleos, catastas et supplicia, ut patet ex S. Cypriano lib. 1. epistol. 2. ad Cornelium, eaque de causa Eucharistiam tempore persecutionis domum de-

ferebant, ut illam instante periculo sumerent. Dum enim Christi sanguinem pro nobis fustum suscipimus, roboramur et excitamur, uti et nostrum sanguinem pro ipso generose et libenter profundamus, ait S. Cyprianus, quia fortis est ut mors dilectio: additque eos in hoc praelio non posse fortiter pugnare, qui his armis induti non sint. Quocirca S. Anacletus, a S. Petro quartus Pontifex et Martyr anno Domini 112. in crudescente persecutione Traiani sanxit, ut omnes Christiani sacrificio Missæ præsentibus, eo peracto communicarent, itaque se ad martyrii agonem roborarent, ut habent eius vita et decreta.

II. Secundo, in impugnatione dæmonum, quorum rabiem fideles Eucharistia roborati superant et profligant. Unde S. Chrysost. hom. 61. ad popul. *Tanquam leones, inquit, ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti diabolo terribiles, iuxta illud psal. 22. 5. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Scribit S. Prospero de Promis. et prædict. dimid. tempor. cap. 6. Carthagine virginem quamdam energumenum, a dæmone vi Eucharistia liberatam. Hac de causa Christus iturus cum suis ad passionem, prius Eucharistiam instituit, sumpsit, et suis distribuit, ut nos idem in omni tentatione et tribulatione facere doceret. Unde S. Chrysost. loco citato: *Cum nos, ait, ab ira corripere viderimus, vel ab alio vitio, cogitemus quibus facti sumus digni, et sit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio.*

III. Tertio, in praelio et conflictu: Otto Imp. praelium commissurus cum Hungaris, prius cum suis Eucharistiam sumpsit, ac deinde dimicans ingentem hostium numerum trucidavit, et illustrem victoriam obtinuit an. Domini 955. uti in eius gestis scribit Udalricus, et ex eo Cardin. Baronius. Qui et anno Domini 1040. ex Curopalata et Cedreno narrat, Catalacum Præfectum Michaelis Imper. magnas Saracenorum copias Messanam invadentes profligasse, militibus ante aciem sacro viatico communis. Idem solum facere ante praelia Henricum Imp. maritum S. Cunegundis, ex Petro Damiano et Bonifacio narrat anno Domini 1022. Scribit Theodor. lib. 3. Histor. cap. 3. Constantium Magni Constantini filium, milites suos hortatum ad percipiendam Eucharistiam ante certamen cum Magno. Idem fecisse Christianos in bello sacro cum Hierosolymæ obsiderentur, scribit Guilielm. Tyrius, et ex eo Molanus in Natal. Belgii 15. Julii, appendice 2. Memorabilis fuit victoria, quam virtute Eucharistia et S. Crucis de Saracenis retulit Alphonsus VIII. rex Castellæ, sub Innocentio III. Pontif. anno Domini 1212. die 16. Julii. Cum enim rex cum omnibus militibus suis ante praelium sacra confessione et communionem sese communiisset, ac Rodericus Archiepiscopus Tolctanus crucis vexillum in barbaros intulisset, cæsa sunt ad ducenta Saracenorum millia, 25. dumtaxat a Christianis desideratis. Quocirca annuum tanti miraculi memoriam celebrant Hispani festo, quod nuncupant Triumphum S. Crucis, die 16. Julii. Rem gestam scripsit rex ad Innocentium III. Pontif. et Rodericus Archiepiscopus. Tolct. l. 8. Histor. c. 1. atque ex iis P. Ribadeneira in Vitis Sanctorum die 16. Julii. Non minus illustris fuit victoria, quam de iisdem eadem armatura obtinuit Ramirus rex anno Domini 834. Cum enim Ramirus ab iis cæsus sese cum suis recepsisset ad montes, allictusque Deum obsecraret, apparuit ei S. Iacobus mandans, ut milites omnes sacra confessione expiaret, et sancta communione reficeret, itaque hostes invaderet in clamans nomen Dei et S. Iacobi: se enim equo candido castra præiturum, et hostes dispersurum. Ita factum: quocirca in eo praelio ceciderunt septuaginta Maurorum millia. Atque exinde Hispani in praeliis in clamare consueverunt S. Iacobum. Ita Ribadeneira in vita S. Iacobi. Hoc imitentur duces et milites Christiani, ac similes de inimicis fidei triumphos reportabunt.

IV. Quarto, in infirmitate corporali. Scribit S. Bonaventura lib. de perfectione ad sororem, sæpe personas debiles in S. Synaxi tantum sentire roboris, consolationis et lætitiæ, ut ab ea robustæ discedant, perinde ac si nulli infirmitati essent obnoxii. In vitis SS. Palrum legimus Sanctos nou-

nullos sine cibo, sola Eucharistia sustentatos, vitam sanam et longevam egisse. Palladius in Lausiaca cap. 15. scribit Ioannem Monachum cibum nunquam sumpsisse, nisi die Dominico Eucharistiam: hanc enim solam ei Sacramentum fuisse et victum. Sic Severus Abbas Dominico die Eucharistia et modico pane refectus, per reliquam hebdomadæ nihil amplius comedebat. Ludovicus Pius Imper. in supremo morbo quo obiit, totos quadraginta dies ieiunus transegit, Eucharistiam solam quotidie sumens, ut qui adfuit ei scriptor testatur, inquit Thomas Bozius tom. 2. lib. 15. de Signis Eccles. c. 2.

Scribit Sigebertus in Chronico, anno Domini 823. in ditione Tullensi puellam quamdam duodennem, sumpta in Paschate Eucharistia per triennium omni cibo abstinentis. S. Maria Oigniæ, in Belgio sanctitatis fama celebris, infirma cibum omnem respuebat, sola Eucharistia vivebat et valescebat; ac subinde facies eius quosdam ex se radios lucis vibrare et diffundere videbatur, inquit Card. Vitriaco in eius Vita lib. 2. cap. 12.

Scribit S. Greg. Nazianz. oratione 19. in funere patris, patrem suum ardentissima et diuturna febre exhaustum, sumpta S. Eucharistia convaluisse, ac subiungit idem miraculum matri suæ aliquanto post contigisse: *Nam cum nunquam non, inquit, dolore premeretur (pater) et quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concipiebat, ac morbus tanquam ex edicto et imperio fugatus se subducebat.* Idem in funere Gorgoniæ sororis suæ, scribit illam ad S. Eucharistiam orantem a membrorum omnium dissolutione, ac gravissimis cruciatibus quibus angebatur, sanitati sibi restitutam. S. Ambr. in funere Satyri fratris sui, scribit eum Eucharistia ad collum appensa e naufragio incolumem enatasse. Hinc liquet Eucharistiam esse frumentum electorum, eis ad hoc a Deo datum, ut eo aliti crescant et iuvenescent. Præclare Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap. 8. *Caro, ait, corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*

C ET VINUM.) Hebr. est **תירוש** *tiros*, id est, vinum recens, sive mustum, quod suavissimum est, et adeo potens, ut ebulliat, et vasa maxima, nisi hiatus aliquis laxetur, et spiraculum per quod exæstuet, disrumpat. Quid musto recenti dulcius? quid fortius? quid ferventius? quid splendidius? quid efficacius ad cor exhilarandum, ad vitales et animales vires reficiendas, ad spiritus excitandos, ad animum permovendum, et mentem illustrandam acendumque? Appelles merito vitam alteram artificiatam, non sine Dei consilio a Noe inventam, ut succederet in vicem ligni vite hominibus vetiti. Tam suave, tam potens, tam fervens, tam splendidum, tam efficax est vinum Eucharistia, quod succum et spiritum Christi nobis instillat, quo hausto excitantur languidi, reviviscunt mortui, et in alios homines evadunt, ut ardorem concipiant juvenilem, viresque ardori conformes ad magna quæque et difficilia designanda, audenda et perficienda.

GERMINANS.) Hebraice est **ינבב** *ienobeb*, quod Sept. vertunt **ינבב**, id est, *odoratum ad virgines*, bonum odorem exhalans virginibus, ut videatur esse aromaticum: unde vulgo vinum optimum vocatur *eos*, quod scilicet egregium habet colorem, odorem et saporem, qualem, inquit S. Hier. est illud sponsæ dicentis Cant. 8. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum matorum granatorum meorum.* Tigrina vertit, *succulentos et vegetos reddens*; Sanchez, *florere faciens*; alii, *fructificans, procreans, propagans virgines*; Vatablus, *exhilarans*; Syrus, *incedans, delectans*; Arabicus, *ungens instar unguenti*; Pagnin. *cantare faciens*: sic enim vertit, *frumentum iuvenes, et vinum cantare faciens virgines*. Nimirum Eucharistia primo, animam corroborat; secundo, vegetam, florentem, alacrem et expeditam ad omne bonum efficit; tertio, exhilarat; quarto, eam inebriat, ut in Dei hymnos et laudes erumpat. Unde olim post S. Synaxiu fideles, quasi Eucharistia et Christi amore temulenti, eanebant cantica sacra, imo subinde entusiasmo et Spiritu sancto correpti, arcana et sublimissima mysteria miris modis et odis cructa-

bant, ut patet ex S. Paulo 1. Cor. 14. 26. et Ephes. 5. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed vino Eucharistiae, in quo est sancta et sobria ebrietas, ibique implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis, in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.*

Exempl.  
pla.

Ita S. Monica sumpta S. Synaxi, quasi ebria caneat: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Et, volumus in cælum, linquamus terram, volumus in cælum.* Eucharistia enim animas languidas, humi repentes, segniter abiectas, mœstas, pusillitantes, ad terrena depressas erigit, vegetat, roborat, in cælum elevat, facitque angelicas, imo angelos: nam, ut ait S. Bernardus, vel quisquis est auctor, sermone de Cœna Domini: *Panis iste per excellentiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia. In hoc enim Sacramento non solum quælibet gratia, sed ille a quo est omnis gratia, sumitur.* Hinc Psaltes psal. 22. 5. *Et calix meus, ait, inebrians quam præclarus est!* Quæ verba explicans S. Cyprian. lib. 2. epist. 3. ad Cæciliam: *Sicut, ait, ebrietas hominem a se et a mente alienat, facitque plane alium: sic Eucharistia fidelem a se alienat, et ex terrestri facit caelestem.*

Legimus in Chronic. Cisterciens. Monachum quemdam quoties S. Synaxin sumebat, toties sibi visum favum mellis sumere, cuius suavitas illi in ore triduum ipsum perdurabat. S. Francisus, inquit S. Bonaventura in eius Vita c. 9. *flagravit erga Sacramentum Dominicæ corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, et dignantissimam charitatem. Saepe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebat excessum.*

S. Maria Aegyptiaca vadens ad eremum sumpsit S. Synaxin, ac deinde in cremo sine cibo vixit plurimos annos: moritura vero eandem instar viatici accipiens, extensis in cælum manibus, ingemiscens tum lacrymis exclamavit: *Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et mox sancte placideque obdormivit in Domino: ita refert oculatus testis Zozymas in eius vita. Idem maiori pietatis et amoris sensu fecit S. Magdalena, paulo ante mortem Eucharistiam præbente ei S. Maximino.

Sic S. Cassius Episcopus Karniensis, quotidie celebrans sanctis piisque lacrymis disfluebat, uti refert S. Gregor. homil. 37. in Evangel. Ecce hi Sancti tuo sensu et gustu clarius nobis explicant hunc Scripturæ locum, quam ulli interpretes.

VIRGINES. ) Id est, primo, castos, secundo, immortales: virgo enim vivido roseoque colore florens, iuventa nunquam senescens, et immortalis vitæ est symbolum, ait Hieron. Prado in Ezech. c. 15. Eucharistia enim effectus est resurrectio: ipsius enim virtute resurgemus ad vitam immortalem, beatam et æternam, uti asserit Christus Ioan. 6. 59. Quocirca Eucharistia a SS. Patribus vocatur pharmacum immortalitatis, antidotum incorruptionis, lignum vitæ, de quo Gen. 2. Ita S. Ignat. epistol. ad Ephes. in fine, eam indigitat *pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, vitam in Deo concilians per Iesum Christum, medicamentum purgans vitæ, et omnia pellens mala.*

Rursum -o virgines alludit ad lapides nezec, id est, Nazaræos et sanctos, de quibus vers. præced. Nazaræi enim abstinebant voluptatibus carnis et vino, in quo est luxuria, ut essent sancti et casti. Hoc nobis præstat vinum Eucharisticum germinans virgines, ac proinde facit nos Nazaræos, id est, separatos a mundi pompis et deliciis, consecratos et coronatos Deo. Christus ergo, ait S. Hieron. *est frumentum electorum, sive iuvenum; ipse est et vinum quod lætificat cor hominis, et bibitur ab his virginibus, quæ sunt sanctæ et corpore et spiritu, ut inebriatæ atque gaudentes sequantur Ecclesiam, et dicatur de eis: Adducuntur regi virgines post eam, proximæ eius afferunt tibi: afferuntur in lætitia et exultatione. Quomodo enim lætitiâ non habebunt, quæ inebriatæ poculo Salvatoris generantur*

Vi Eucharistia  
resurgemus.

*in virgines, et audent dicere: Introducite me in cellam vini, confortate me in unguentis? Et mox: Hoc vino inebriati sunt, qui sequuntur agnum Dei quocumque vadit, vestiti candidis vestibus; quia se cum mulieribus non coïnquinaverunt: virgines enim permanserunt, Apoc. 14.*

S. Cyprianus quoque epist. 63. vel 1. 2. epist. 3. calicem Domini inebriantem, peroptimum, sive præclarum, sellit sanguinis eius, ait sic bibentes inebriare, *ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque assurgat: et quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur, et tristitia omnis expellitur; ita epoto sanguine Domini et poculo salutari, expellatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinae sæcularis, et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis argentiibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitiâ resolvatur.* S. Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Ioan. c. 17. Eucharistia, inquit, *non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sæcientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat: et sicut pastor bonus, qui animam pro ovibus suis posuit, ab omni nos erigit casu.*

Ex hoc ergo loco patet, Eucharistiæ effectum esse re-pressionem tentationum carnis, et suffocationem vel extinctionem libidinis, ac insitionem castitatis, imo virginitatis. Caro enim Christi virginea quæ nos alit in Eucharistia, nos sui similes efficit, puta virgines æternum florentes, nunquam corrugata fronte marescentes, aut senescentes, nitentes perpetuo et immortales; perinde ac videmus alimenta phlegmatica, ut pisces, comedentes facere phlegmaticos; cholericæ, ut ova, piper, etc. facere cholericos; sanguinea, sanguineos; melancholica, melancholicos. Alimentum enim in substantiam hominis convertitur, ac proinde ei suas qualitates aspergit et communicat. Vide hic quam vinum Christi diversum, imo contrarium sit vino vitis et Bacchi. Hoc enim ab Aristophane apud Athen. 1. 10. vocatur *Iac Veneris*, et a Pontiano *malorum omnium metropolis.* Nam, ut ait S. Hieron. 1. 2. contra Iovin. *Potus vini, ventrisque saturitas seminarium libidinis est.* Ergo miraculi est instar hoc vinum germinans virgines, cum terrestre hos apostatare faciat sapientes. Cyziæ fons Cupidinis vocatur, ex qua potantes amorem deponere Mutianus credit, ait Plinius 1. 31. 2. Talis est Eucharistia, de qua S. Bernard. serm. de Altaris Sacramento, et de ablutione pedum: *Si quis, ait, vestrum non tam sape modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidia, luxuriæ, etc. gratias agat corpori et sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.* Selemus amnis, amoris est remedium: eo enim qui loti fuerint, sive viri, sive feminae, cupiditatis obliviscuntur, ait Pausan. in Attic. Selemno longe nobilior est Christi sanguis, qui, ut ait S. Chrysostomus, impuri amoris flammæ restinguit, et regiam in nobis reformat imaginem. Ipse ergo in Eucharistia est vinum germinans virgines. Huic similis est

Eucharistia re-primat libidinem.

Romæ Aqua virgo, quæ quasi virgo omnem aliam aquam refugit, apud veteres celebris, æque ac nunc in pretio: plerique enim omnes Romæ ex ea bibimus; de qua Plinius lib. 31. cap. 3. *Iuxta est, inquit, Herculanus rivus, quem refugians, nomen virginis obtinuit.* Fabulosus est Canathus fons apud Argivos, cuius aquis lotam, nova quotannis virginitatis gloria lunonem repubescere narrat Pausan. in Corinth. Verus castitatis et virginitatis fons est Christus in Eucharistia.

Id experta fuit præ aliis S. Catharina Senensis, quæ virginitate Eucharistiæ effecta est virgo angelica, et virgo talis, ut facta sit portentum sæculorum omnium: nam Primo, familiarissime agebat cum Christo, cum eoque legebat preces horarias. Secundo, Christus eam sibi in sponsam, annulo in digitum inserto (qui etiam nunc exstat Romæ in Monasterio dicto Magnanapoli, ubi mihi ostensus fuit) despondit. Tertio, ex sola Eucharistia vivebat sine cibo corporali, ita ut si eum sumeret, videretur moritura, eumque

Exempla S. Catharinae Senensis.

removere cogereetur. Quarto, cum illa peteret a se auferri suam voluntatem, suumque cor, oraretque: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Da ergo mihi Domine cor novum, da cor tuum*; Christus annuens, aperto latere exemit ei cor (ita ut aliquot dies viveret sine corde) ac post triduum aliud ei cor inseruit: *Accipe*, inquit, *filia cor meum ut deinceps non tibi, sed mihi vivas*. Unde illa deinceps orans dicebat: *Domine commendo tibi cor tuum, non meum*. Quinto, post hanc cordis commutationem plane mutata est, adeo ut videretur esse angelus, et agere vitam caelestem, imo divinam. Quocirea ipsa affirmabat Confessario suo, dicebatque: *Ego non sum illa quae fui, tota sum alia. Nam cor meum ita ardet charitate, ut ignis corporalis praeter illo ardore mihi non ardere, sed frigere videatur: ac tanto gaudio in mente perfundor, ut me non cupiam, imo mirer quomodo gaudio non dirumpar et enoriar. Insuper tantum in me sentio amorem erga proximos, tantumque zelum animarum, ut omnes labores, omnia tormenta, ipsam mortem pro qualibet subire optem, ut eam salvem*. Sexto, crebro rapiebatur extra se in extases, videbaturque arcaea et divina ineffabilia. Unde rogata a Confessario ut ea explicaret, respondebat: Verba, inquit, nostra nimis demissa sunt, tantumque significant res terrenas: quare impossibile est mihi verbis nostris res tam sublimes, tam augustas exprimere: ineffabiles enim sunt et incomprehensibiles; unde nec eas ego humana voce eloqui, nec, si ego cloquerer, vos ea capere et comprehendere possetis. Ita habet in eius Vita Raimundus, qui fuit ei a confessionibus, ac deinde Generalis Ordinis S. Dominici: qui et addit, eidem a Christo impressa fuisse in manibus, pedibus et latere quinque sacra stigmata vulnerum suorum. Sane in manu S. Catharinae, quae extat integra in Magnanapoli, stigma hoc vidi. Insuper asserit ex amore Christi fissum illi fuisse cor, itaque mortuum evolasse ad caelum, ac vidisse Deum; sed a Christo remissam ad vitam, ut Ecclesiae prodesset: ita habet eius Vita lib. 2. cap. 30. in Italicum traducta ab Ambrosio Catharino. Quocirea ipsa S. Catharina scribit in Dialogis, et ex ea Garetius de Eucharistia, centuria 14. Deum sibi dixisse: *Ut plenius intelligas, quam ardenti desiderio cupiam esse vobiscum, utque magis accendaris ad subigendam mihi copulantamque meae voluntatem tuam, vide et alta mente considera, voluisse me ut Unigenitus meus incarnaretur, etc. Parasse insuper mensam maximi et parum agniti Sacramenti, corporis ipsius et sanguinis, ut in cibum sumentes transformemini, et mutemini in me; ac sicut panis et vinum quibus vescimini in substantiam transeunt corporalem, ita et vos manducantes ipsum qui mecum est, sub specie panis et vini in substantiam spiritualem, et in meipsum convertamini. Et hoc est illud quod Augustino sermo meo dixi: Cibum sum grandium; cresce, et manducabis me: nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.*

S. Casimiri.

Hoc vinum germinans virgines largiter quoque hiberat S. Casimirus Jagellonides, Casimiri regis Poloniae filius, qui tremendo Missae sacrificio ita attentus, et mente in Deum erectus intererat, ut extra se plane rapi videretur: quin et pro more habebat intempesta nocte clam templa adire, atque ante ipsorum vestibulum posita in terram facie. Deum in iis, puta in Ven. Sacramento, praesente et habitantem, suppliciter exorare. Inde ei tantus virginittatis amor, ut eam usque ad extremum spiritum illibatam conservavit. Corruptus enim gravi aegritudine, eum Medici eam non nisi coniugii usu curari posse assererent, ac proinde parentes eum ad coniugium impellerent, et tantum non egerent, ipse potius mori, quam virginittatis deus perdere constantissime elegit. Virginittatis ergo Martyr, et virgo martyrii obiit annos natus 24. anno Christi 1484. die 4. Martii; qua pariter die et anno, Romae pontificatu et vita functus est Sixtus IV. Pontifex Maximus. Quocirea S. Casimirus Leo X. in Sanctorum numerum retulit, et

A Clemens VIII. eius memoriam duplicis celebritatis officio in Polonia frequentandam precepit, utpote quem Deus multis insignibus miraculis illustravit, ac nominatim memorabili victoria, qua pauci Lituani ingentes Moscorum copias voto facto B. Casimiro, apparente ipso in aere quasi duce praevio, ad interneccionem deleverunt: ita habet eius vita, et Breviarium Polonicum die 4. Martii. Unde apposite *Casimirus* per anagramma idem est quod, *sum ac iris*, in quam scilicet irradians sol iustitiae Christus in Eucharistia, suum ei castitatis fulgorem allavit. Rursum *Casimirus*, quasi *cadis mirus*, quia pro castitate occumbis, Quare Poeta Polonus de eo cecinit:

*Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire, pudoris,  
Mirus, te Christo mirificante, cadis.*

Denique voces: *frumentum et vinum germinans virgines*, significant nos non posse vitam spiritualem agere, nec diu perseverare in gratia Dei, ac praesertim in virginittate aut castitate sine Eucharistia, sicut non possumus vitam naturalem sustentare sine frumento, cibo et potu; rursum quo crebrius Eucharistiam sumimus, eo magis nos in spiritu et puritate angelica crescere et roborari, sicut per cibum frequentem crescimus et roboramur in vita animali. Quocirea primi fideles *quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem* (Eucharistieum) *sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Dominum, et habentes gratiam ad omnem plebem*, Actor. 2. 46.

Hisce de causis olim baptizatis mox a baptismo dabantur S. Eucharistia, quasi symbolum, alimonia, et perfectio christianismi. Docet hoc S. Clemens I. Pontif. ep. 3. de officio sacerdot. et cleric. Et S. Dionysius Areopag. lib. de Eccles. Hierarch. cap. de Baptismo: *Ducunt*, inquit, *baptizatum ad Hierarcham: is cum virum unguento* (in Sacramento Confirmationis) *quod maxime divinos efficit, insignivit, Eucharistiae, quae vim maximam habet perficiendae sanctitatis, participem esse pronunciat*. Ita in actis SS. Processi et Martiniani, quos S. Petrus in carcere convertit et baptizavit, dicitur: *Baptizati sunt promiscui sexus, et diversae aetatis numero 47. Obluit autem* (S. Petrus) *pro eis sacrificium laudis, et participes eos fecit corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi*. Idem legimus in actis S. Getulii, Cerealis, Pelagiae, aliorumque Martyrum. Hinc Tertull. lib. 1. contra Marcion. eum redarguit, quod cum iisdem quibus Ecclesiae caeremoniis uteretur, diversum tamen ab ea in fide sentiret: *Ille*, inquit, *usque nunc nec aquam reprobat creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec mellis et lactis* (quae olim baptizatis dabantur) *societatem qua suos infantat, nec panem quo ipsum cor suum representat*. Idem testatur S. Ambros. libr. de his qui initiatur myster. cap. 8. *Depositus*, inquit, *inveterati erroris exuviis, renovatus in aquilae iuventutem, caeleste illud festinat adire convivium. Venit igitur, et videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait: Parasti in conspectu meo mensam*. Duravit hic mos usque ad annum Domini nongentesimum. Illo enim vixit Theophyl. qui eundem tunc perdurasse scribit commentans in cap. 10. S. Lucae: *Quotidie*, inquit, *qui baptizantur, liberantur a vulneribus animae, oleo quidem unguenti uncti, statim autem communicantes divini sanguinis participes sunt*. Idem mos etiamnum durat in Graecia et Aethiopia. Jeremias enim Patriarcha Constantinopolit. qui nuper in Graecia floruit, et haereticois nostris restitit, respons. 1. cap. 2. *Rationi*, ait, *consonum est, baptismo et elivisma subiungi, nec in tempus deferri, sed baptizatum continuo illius verendae communionis participem fieri*. De Aethiopicis constat ex Rituali baptismi eorundem, in quo haec legimus: *Postea sumunt S. Sacramentum et vivificans, spondente sacerdote pro eis, corpus scilicet et sanguinem venerandum Domini Dei, ac redemptoris nostri Iesu Christi*. Eucharistia ergo est frumentum iuvenes vegetans, et vinum virgines germinans.

olim  
mox a  
bapti-  
mo  
dabatur  
Euchari-  
stia.

## CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Docet pluviam et fruges terræ a Deo postulanda, non ab idolis, utpote ob quæ vastati et in captivitatem abstracti sint. Moæ promittit se daturum heroes Machabæos, qui sua virtute, præliis et victoriis Iudæam illustrabunt, adeo ut ad eam turmatim redeant Iudæi et Israelitæ per Ægyptum et Assyriam dispersi; ac confortati protectique a Deo omnia maris et terræ pericula feliciter fortiterque superent, donec in Iudæam perveniant, ubi sub tutela Dei quietam et securam vitam agent: ita Hebræi, S. Hieron. Theodoret. Albert. et Hugo. Mystice, significatur fortitudo et felicitas Apostolorum, qui Ecclesiam Christi propagabunt et propugnabunt, adeo ut ad eam confluant tam Iudæi, quam Gentes, omniaque itinerum mari terraque, persecutionum, tentationum et hostium obstacula generose transcendunt: ita S. Hieron. Remig. Rupert. et Lyran.*

1. **P**ETITE a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. 2. Quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium, et somniores locuti sunt frustra: vane consolabantur: ideo abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor. 3. Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo: quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Iuda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. 4. Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul. 5. Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio: et bellabunt, quia Dominus cum eis: et confundentur ascensores equorum. 6. Et confortabo domum Iuda, et domum Ioseph salvabo: et convertam eos, quia miserebor eorum: et erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos. 7. Et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi a vino: et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exultabit cor eorum in Domino. 8. Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos: et multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati. 9. Et seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei: et vivent cum filiis suis, et revertentur. 10. Et reducam eos de terra Ægypti, et de Assyriis congregabo eos, et ad terram Galaad et Libani adducam eos, et non invenietur eis locus: 11. Et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus, et confundentur omnia profunda fluminis, et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet. 12. Confortabo eos in Domino, et in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.

Vers. 1.

**P**ETITE A DOMINO PLUVIAM IN TEMPORE SEROTINO.) **א** **חַזִּיז** *chaziz*, id est, visio, apparentia, candor, splendor, fulgur, coruscatio. Septuag. vertunt, *phantasias*, id est, coruscationes et fulgetra, inquit Cyrill. et Theodoret. eo quod subito appareant et dispareant, uti phænomena aërea, et quia prius videtur fulgur, quam audiatur tonitru, cum tamen collisio nubium et tonitru sit prior, imo causa fulguris. Chald. vertit, *ventos*; Pagn. *coruscationes*; Tigurina, *emicationes*; alii, *fulgetra*; Noster Iob 28. 26. vertit, *procellas*; quia fulgur et tonitru procellam et pluviam vehementem afferunt. Hic recte vertit, *nives*: Hebr. enim *chaziz* deducitur a **חָזָה** *chaza*, id est, videre: unde *chaziz* est res visibilis perstringens oculos, qualis est lux et coruscatio, ac caudor coruscus: nix ergo, quia candore et splendore suo micat, coruscet feritque oculos, eosque perstringit, hinc recte vocatur *chaziz*. Addebat Heraclitus, nivem esse *chaziz*, id est, visionem et apparentiam, eo quod revera non sit candida, sed candida nobis videatur. Verum hoc est eius paradoxum. Insuper *chaziz* potius significat nives, quam nubes: proprie enim significat splendidum quid et coruscum feriens visum, quales sunt nives, non nubes. *Chaziz* ergo significat subinde nubes, non qua nubes, sed qua coruscantes et fulgurantes. Unde Chald. Iob 38. v. 23. pro eo quod nos habemus, *viam sonantis tonitru*, Hebr. *chaziz*, vertit, *viam nubibus quæ deiciunt aquam cum tonitruis et fulguribus*.

Physice et rustice hic Nota, agris et frugibus per hiemem conducere serenitatem, sed adulto vere (quod proxime æstatem attingit) iisdem necessariam esse pluviam, qua alantur et adolescant. Unde Macrobi. libr. 5. Saturn. cap. 20. prisicum hoc vulgare carmen rusticum citat:

*Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.*

Mystice, per pluviam significatur doctrina: hæc enim mentes rigat et fecundat, uli pluvia terram et germina, iuxta illud Denter. 32. 1. *Concresecat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum*. Pluvia matutina fuit lex Mosis, et doctrina Prophetarum, quæ prima fidei et virtutis apud rudes Iudæos dedit semina: serotina est lex et Evangelium Christi et Apostolorum, quæ perfectam docet fidem et virtutem: ita S. Cyrill. S. Hieron. Remig. et Rupert. Porro hic tantum serotinam a Deo petendam monet, quia temporaneam iam habuerant, q. d. Vos, o Iudæi, accepistis a Mose legem veterem, quasi pluviam matutinam: postulate nunc a Deo legem Evangelicam quam afferet Christus, quasi pluviam serotinam, quæ vos ad veram perfectamque iustitiam et felicitatem perducet.

ET DOMINUS FACIET NIVES.) Pagnin. Mariana, Ribera, Sanchez et alii censent legendum *nubes*, non *nives*. Verum Biblia Roman. et alia passim, quin et S. Hieron. in Comment. constanter legunt *nives*, non *nubes*. Hebr. est vox

**B** splendidum quid et coruscum feriens visum, quales sunt nives, non nubes. *Chaziz* ergo significat subinde nubes, non qua nubes, sed qua coruscantes et fulgurantes. Unde Chald. Iob 38. v. 23. pro eo quod nos habemus, *viam sonantis tonitru*, Hebr. *chaziz*, vertit, *viam nubibus quæ deiciunt aquam cum tonitruis et fulguribus*.

Dices, tempore pluvie serotinae, puta in Aprili et vere, non sunt nives, sed nubes. Resp. Sensus huius versus est, q. d. Post pluviam matutinam, id est, post sementem iactam in autumnno, petite a Deo, ut det pluviam pro tempore serotino, quæ eam ad spicas et grana deducat; ac Deus postulatis vestris annuens vota vestra superabit. Nam dabit in hieme nives, quæ semina vestra tegent, radicebunt et fecundabunt; ac deinde in vere dabit imbrem serotinum, simulque nives quæ in Libano, Carmelo, aliisque Iudææ montibus reliquæ sunt (uti sunt in Alpibus, et in Apennino toto anno) liquabit et resolvet in aquam, quæ in valles camposque Iudææ decurrens, segetes vestras rigabit et impinguabit. Unde Septuag. vertunt, *pluviam hiemalem dabit eis*. Porro nives terram diu obsidentes, eam fecundare, et copiam dare frugum, experientia con-



stat. Unde vulgi est axioma: *Annus nivium est annus frugum*. Causam dat Plinius lib. 17. 2. *Vota arborum communia sunt frugumque nives diutinas sedere. Causa, non solum quia animam terræ evanescentem exhalatione, includunt et comprimunt, retroque agunt in vires frugum atque radices; verum quod et liquorem sensim præbent, puram præterea levissimumque quando nix aquarum celestium spuma est. Ergo humor ex his non universus ingurgitans diluensque, sed quomodo silitur distillans, velut ex ubere alit omnia quæ non inundat: tellus quoque illo modo fermentescit, et succi plena, ac lactescentibus satis non effusa, cum tempus aperit, tepidis arridet hortis.*

Sic symbolice, annus vel dies tribulationum, est annus vel dies meritorum et virtutum. Nam tribulationes faciunt, Primo, ut homo ad externa se non effundat, nec in sui æstimatione evanescat. Secundo, ut convertatur ad eorum securumque habitet, ac in eo profundas patientiæ, humilitatis, charitatis aliarumque virtutum ligat radices. Tertio, eas irrigat piis et cælestibus cogitationibus, quas vel tribulatio suggerit, vel Deus immittit de vanitate et miseris mundi, de felicitate gloriæ cælestis, de metu iudicii, gehennæ, etc. de dignitate crucis, fortitudinis, patientiæ, etc.

Mystice, Apostoli et prædicatores sunt *חַזִּיזִים chazizim*, id est, Primo, nives: tum quia sicut nives terram sua irrigatione, ita ipsi homines sua doctrina compleverunt, fecundarunt, lætificarunt, et ab æstu concupiscentiæ refrigerarunt, iuxta illud Prov. 25. 13. *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit illum.*

Secundo, sunt *chazizim*, id est, nubes gravidæ et eoruseæ, quæ copiosum dant imbrem sapientiæ et spiritus, quo arida hominum corda rigarunt, ut germinarent et producerent fruges virtutum, iuxta illud Isaia 5. 6. *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Et psal. 96. 1. *Nubes et caligo in circuitu eius.* Vide utrobique S. Hier.

Tertio, sunt *chazizim*, id est, venti, ut vertit Chald. quia ut venti celerrime discurrerunt evangelizando per totum orbem, quasi angeli Dei, de quibus ait Psaltes et Apostolus Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus (id est ventos) et ministros suos flammam ignis.*

Quarto, sunt *chazizim*, id est, procellæ, quæ dura hominum corda terrore concusserunt, ac pondere minarum iræ Dei, iudicii et gehennæ straverunt et contriverunt, iuxta illud Iob 28. 26. *Quando ponebat pluviam legem, et viam procellis sonantibus.*

Quinto, proprie sunt *chazizim*, id est, fulgura tonantia, et tonitrua fulgurantia, quia tonuerunt ore, fulgurarunt vita (quod de S. Basilio ait Nazianz.) ac divinis irradiationibus mentes hominum perstrinxerunt, illuminarunt et inflammaverunt: ita S. Iacobus et Ioannes a Christo vocati sunt Boanerges, id est, filii tonitruum, id est, fulmina, sive tonantes et fulminantes, Marci 3. 17.

ET PLUVIAM IMBRIS DABIT EIS. ) Alii vertunt, *pluviam pluviam*, vel *imbrem imbris*, hoc est, pluviam uberem, imbrem copiosum dabit eis. Septuag. vertunt, *pluviam hiemalem dabit eis*: hiemalis enim est copiosa, æque ac refrigerans. Atque ex hæc pluvia dabit *singulis herbam in agro*; Chald. *ut det eis frumentum ad comedendum, et herbam iumentis in agro*; Hebr. *dabit eis viro*, id est, cuique, *herbam in agro*. Est enallage personæ; transit enim a secunda ad tertiam. *Eis ergo*, id est, vobis, puta equilibet vestrum, sive singulis: ita Vatabl.

Mystice, q. d. Deus omnibus petentibus dabit herbam, sive germina salutis in cordibus: quia eis inspirabit piæ cogitationes, affectiones, impulsus, desideria, etc. quæ quasi germina producent copiam frugum bonorum, et hericorum operum.

QUA SIMULACRA: *τὸ quia* dat causam, cur pluvia et fertilitas terræ a Deo petenda sit, non ab idolis, nec a divinis, quos Iudæi solebant consulere, præsertim ante captivitatem Babylonicam, inquit S. Hieronymus. Causa est, *QUA SIMULACRA LOCUTA SUNT INUTILE, etc.*) q. d. Simulacra non prosunt, sed obsunt; damnum allerunt, non utilitatem. Nam dæmones de rerum copia vel inopia cou-

sulti, per ea dant responsa inutilia, imo falsa et noxia. Unde Septuag. vertunt, *quoniam hi qui loquebantur locuti sunt labores et dolores*; Chald. *quoniam cultores simulacrorum loquuntur rapinam*. Hebr. enim *אֵרֶן* aren significat inutile, vanum, iniquitatem, rapinam. Dæmones enim cum ardeant livore et studio nocendi hominibus, consulti solent suadere rapinas et scelera, quasi per ea homines deos suos sibi sint conciliaturi, et ab eis copiam frugum, vel id quod postulant impetraturi. Idem faciunt eorum ministri et interpretes, puta magi et divini. Unde de iis subdit: *Divini viderunt mendacium*; Septuag. *visiones falsas*; Chald. *divini prophetant falsitatem et vane consolantur*. Experientia docet eos qui dæmones consulunt per magos et divinos, vanam, imo maxime noxiam consolationem percipere; quia pro modico bono quod dæmon eis largitur, ingentes clades et damna mox infert, tum animæ, tum corpori eorundem, ut multis exemplis docet Delrio in magicis.

ET SOMNIATORES. ) Ita vocat divinos qui ex somniis divinabant, vel sua somnia pro oraculis venditabant. Unde Hebræa ad verbum, Pagnia. et Tigur. sic vertunt, *divini viderunt mendacium, et somnia vana locuti sunt*; Septuag. *divini visiones falsas et insomnia falsa loquebantur*; Chald. *pseudo prophetæ in prophelia sua falsa mendacia loquuntur*.

IDCIRCO ABDUCTI SUNT QUASI GREX. ) Ita Rom. q. d. Quia Iudæi nuper fidem adhibuerunt simulacris, divinis et somniatoribus, idcirco abducti sunt captivi velut grex ovium in Babylonem.

AFFLIGENTUR QUIA NON EST EIS PASTOR. ) q. d. Ibi que afflicti sunt et quasi præda dati lupis, puta Chaldæis, quia carebant vero pastore qui eos tutaretur, ac sequebatur hosce divinos et somniatores, qui erant pseudopastores, viso lupo fugientes ovesque ei tradentes. Unde Chald. vertit, *ideo dispersi sunt sicut disperguntur oves: translati sunt, quia non est eis rex*.

Mystice, q. d. Idcirco Iudæi abducti sunt in varios errores et dæmonum cultus, quia non habuerunt verum pastorem, scilicet Christum, sed falsos et mendaces, quales fuerunt Seribæ et Pharisæi tempore Christi, contra quos detonat Christus Matth. 23. Quocirca

SUPER PASTORES IRATUS EST FUROR MEUS, q. d. Puniam hosce pseudopastores, quia perdiderunt gregem populi mei. ET SUPER (Vatabl. contra) HIRCOS VISITABO. ) Idem dicit alia metaphora: pseudopastores enim vocat hircos, tum ob fetidos et hircinos mores, tum quod hædos sibi similes, id est, homines scelestos verbo et exemplo gignerent, eisque ad omne nefas quasi duces præirent, sicut hirci præeunt capras et hædos.

QUA VISITAVIT DOMINUS EXERCITUM GREGEM SUUM DOMUM IUDA. ) Vox *visitavit* hic contrarie sumitur. Nam, *super hircos visitabo*, idem est quod, hircos, id est, duces et pseudopastores, puniam, super ipsos manum vindicem extendam, acresque plagas dorso eorum inligam. Hic autem, *visitavit Dominus gregem suum*, ut eum tueatur, et ex eo constituat duces qui eum propugnent. Unde sequitur:

ET POSUIT EOS QUASI EQUUM GLORIÆ SUÆ. ) q. d. Quia hi falsi duces et pastores perdiderunt gregem meum, hæc de causa Deus eum visitabit, ex eoque constituet veros principes et pastores, eoque gradu dignos, puta Iudam Machabæum eiusque fratres, qui quasi equi generosi Deî, ad bella pro populo procedant, ac illius hostes, puta Antiochum eiusque chiliarchas, profligent: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et alii.

Dices, Iudas et Machabæi fuerunt oriundi ex tribu Levi, non Iuda: fuerunt enim sacerdotes et pontifices, qui omnes descendunt ex Levi, ut patet 1. Machab. 2. 1. Respondent aliqui, eos paterno genere descendisse ex Levi, sed materno ex Iuda. Verum dieo, Iudam hic et alibi vocari totam gentem Iudæorum, prout distinguitur ab Israele et decem tribubus, quæ a Iuda fecerunt schisma. Hæc autem gens commista erat ex tribu Iuda, Levi, Benjamin, et cæteris, sed a potiori parte vocata est Iuda, præsertim quia Iudæ promissum et datum est sceptrum

Moral. annus tribulationum est annus meritorum.

Apostoli sunt nives, venti et fulgura.

Vers. 2.

Machabæi vocantur Iuda, quo sensu?

usque ad Christum a Iacobo patriarcha, Genes. 49. 10. Machabæi ergo oriundi ex Levi, dicuntur prodituri ex Iuda, id est, ex gente Iudaica, non autem ex tribu Iuda.

Mystice, Iudæi et Machabæi nostri sunt Christus et Apostoli, qui ex Iudæorum stirpe prognati, quasi generosi equi prælium inerunt cum regibus, principibus, philosophis, totoque mundo infideli cumque protriverunt, sibi que et Christo subiecerunt: ita Remig. Haymo et Lyran. Unde et Chald. vertit, *ex ipso rex eius: ex ipso Christus eius: ex ipso fortitudo belli sui: ex ipso magnificabuntur omnes gubernatores eius simul.*

Porro *equus gloriæ*, id est, gloriosus, speciosus, decorus, illustris, ut vertit Syrus; ac promptus et strenuus in bello, ut vertit Arabicus, insigne est hieroglyphicum Apostoli et viri Apostolici, qui quasi equus ubique Christum sessorem, tamquam equitem infidelitatem et vitia sternentem, reges et principes subiugantem, animose circumfert, ita ut nullis laboribus defatigetur, nullis periculis, terroribus, hostibus, difficultatibus cedat, sed omnia generose transiliat et subigat, iuxta illud quod de equo bellico ait Iob cap. 39. 20. *Gloria narium eius terror. Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergat armatis: contemnit pavorem, nec cedit gladio*, etc. qualis fuit Bucephalus Alexandri Magni, quo ipse in præliis utebatur, et vincebat, de quo Plinius lib. 8. c. 41. *Eidem Alexandro, inquit, et magna equi raritas contigit. Bucephalon eum vocarunt, sive ab aspectu toro, sive ab insigni taurini capitis armo impressi. Sedecim talentis ferunt ex Philonici Pharsalii grege emptum. Neminem hic alium quam Alexandrum, regio instratus ornatu recepit in sedem, alios passim reiiciens. Idem in præliis memorata cuiusdam perhibetur opera, Thebarum oppugnatione vulneratus, in alium transire Alexandrum non passus, multa præterea eiusdem modi, propter quæ rex defuncto ei duxit exequias, urbem tumulo circumdedit nomine eius, scilicet quam a Bucephalo Bucephalam appellavit. Porro S. Greg. lib. 31. Moral. c. 11. et seq. verba Iobi explicans: Equus, inquit, est prædicator qui habet fortitudinem, quia adversa constanter tolerat. Habet hinnitum quia ad superna blandius vocat: equo suo Dominus et cum actionis fortitudine hinnitum vocis et cum hinnitu vocis fortitudinem ministrat actionis. Terram ungula fodit, id est, quidquid in mente sua terrenum versari conspiciat, hoc nimirum superduæ penitentia duris percussioibus rumpit. Addit talem equum gloriæ Dei fuisse S. Paulum, ac pergit: Equus Dei exultat audacter, et exteriora tormenta non metuit, quia internam delectationem querit: potestatum mundi iracundiam non formidat, quia ipsius quoque ritæ presentis desiderium pro mentis excessum calcat. In occursum pergat armatis. Intueri libet illum sessoris sui calcariibus excitatum contra armatos hostes, quantum Paulum fervor accenderet, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat, Actor. 19. et Actor. 21. Ego, inquit, non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Ait enim Rom. 8. Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio? Hæc et plura S. Gregor. Quid nos ad hæc? Equi, non Troiani, sed Sciani, imo ex equis pigri, tardigradi et iniquæ sortis aselli. Scianus equus fertur suos heros et sessores, Scium, mox Dolabellam, deinde Cassium, denique Antonium perdidisse; ita nos Christi regnum crebro perdimus potius quam propagamus. Vide quæ de equo candido, eiusque sessore Christo dixi Apoc. 6. 2.*

Vers. 4.

EX IPSO, scilicet Iuda, prodibit ANGULUS. Ita legendum cum Hebr. Chald. et Roman. perperam ergo in nonnullis Bibliis legitur angelus. Porro *angulus* metaphorice vocatur princeps, qui rempublicam continet, stringit, prospicit et roborat, uti angulus utrumque parietem in domo: ita S. Hier. Vide dicta Isaie 19. 13. Rursum angulus metonymice vocatur turris, quæ in angulis murorum erigi solet ad domus, arcis, vel urbis tutelam, iuxta illud Sapient. 1. 15. *Dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. Turris autem no-*

tat principes, de qua Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea.* Ad litteram angulus hic, id est, princeps ex Iuda prodians, fuit Iudas Machabæus, allegorice Christus et Apostoli. Christus enim est lapis angularis domus Dei, id est, Ecclesie, qui utrumque parietem, id est, Iudæos et Gentes, continet, et cui quasi fundamento tota Ecclesie fabrica incurabit et innititur, uti docet Apostolus Ephes. 2. in fine cap.

EX IPSO PAXILLUS. Idem dicit alia metaphora. Princeps enim in republ. est id quod angulus in fabrica, et quod paxillus in pariete: Sicut enim paxillus est clavus infixus parieti, ex quo arma et vasa quælibet suspensa pendent, ita a principe omnis populus pendet, regitur et sustentatur. Sic Eliacim vocatur *paxillus*, Isaie 22. v. 22. Ita a Machabæis pendeat populus Iudaicus, a Christo et Apostolis populus Christianus.

EX IPSO ARCUS PRÆLII. Est hic tertia metaphora. Sicut enim principem paulo ante vocavit angulum et paxillum, ita hic vocat arcum prælii, qui scilicet fortiter pro populo depugnet, eiusque hostes arcu suo et suorum prosternat, uti ad litteram fecit Iudas Machabæus; mystice Christus et Apostoli. S. Hieron. vero hæc tria ita distinguit: *Ex ipso angulus*, id est, ex Iuda et Iudæis, inquit, prodibit regia potestas; habuerunt enim Davidem, Salomonem et posteros eorum reges. *Ex ipso paxillus*, id est, sacerdotium: *ex ipso arcus prælii*, id est, fortitudo bellica, puta fortes milites et duces. Hæc enim tria, puta regnum, sacerdotium et militia, sunt robor, firmamentum, decus et gloria cuiusvis reipublicæ, æque ac Ecclesie.

EX IPSO EGREDIETUR OMNIS EXACTOR. Septuag. *abactor*; Chald. *gubernator*; Pagn. *præfectus*, qui scilicet exigit tum vectigalia, tum iura et obsequia a subditis, vel hostibus subactis principi, reipubl. aut Deo debita, qualia sunt religio, cultus Dei, legum observantia. Tales fuerunt Machabæi, sed maxime Christus et Apostoli. Exactor enim proprie est victor, indeque princeps, qui victis et subditis imponit leges, onera et tributa, quod proprie competit Iudæ Machabæo, et magis Christo.

Moraliter discant hic principes, magistratus, Prælati, se debere præstare in republ. collegio vel congregatione cui præsent: Primo, quod angulus præstat in domo, scilicet ut eam fuleant, stringant, uniant. Secundo, quod paxillus præstat in pariete, ut eius ad instar firmi et immoti alios firmet et sustentent, ita ut ab eis pendeant summi, medii et infimi. Tertio, quod arcus præstat in prælio, ut, sicut ille abigit sternitque hostes, sic illi rempubl. defendant et propugnent, ab eaque omnes hostes arecant et abigant. Quarto, quod exactor præstat in telonio aut debito, ut scilicet constanter urgeat disciplinam et custodiam legum, tum divinarum, tum humanarum, eamque si collapsa sit, restituant et instaurent, etiamsi multorum odia sint subeunda, et vulgi levitati sæpe resistendum. Ita implebitur in eis illud Isaie 58. 12. *Et ædificabuntur in te deserta sæcularum, fundamenta generationis et generationis suscitabis, et vocaberis ædificator septium, avertens semitas in quietem.* Sapienter Cicerone lib. 1. Officior. *Omnino, ait, qui republ. præsent duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipubl. curent, ne dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio reipubl. ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Et nonnullis interiectis: Est proprium munus magistratus, intelligere se gerere personam civitatis, debereque eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura describere, et ea fidei suæ commissa meminisse.* Idem lib. 3. de Legib. *Magistratus, ait, est lex loquens, sicut vicissim lex est magistratus silens et mutus: Ut cupiditatibus principum et vitii infici solet tota civitas, sic corrigi et emendari continentia.* Thucydides lib. 6. *Magistratus, ait, est medicus civitatis: qua ergo arte, cura, sinceritate et fortitudine medicus curat ægrum, v. g. phreneticum et invitum, eadem magistratus curet civitatem.*

Princeps est angelus, paxillus, et arcus populi.

Bucephalus Alexandri qualis?

Moral de officio Prælati.

Axiomata Gentilium.

Agesilaus teste Plutarch. in Lacon. magistratus officium esse dicebat, *erga rebellantes audacia; erga subiectos benevolentia uti*: sicut Virgil. 6. Æneid. principis partes esse dixit,

*Parcere subiectis, et debellare superbos.*

Agathon dicitur magistram triumi debere meminisse, primo, quod imperet hominibus; secundo, quod secundum leges; tertio, quod non semper imperet: ita Stobæus serm. 43. Plato lib. 4. de Legibus, censet magistratum deferendum non iis qui præcellunt opibus, robore, forma, nobilitate, sed iis qui legibus parent maxime, et hæc cæteris in civitate præstant. Cato censuram petens, cum suos competitores videret populo supplices, cumque de more prestantes, exclamavit, populo opus esse medico austero, validisque remediis, proinde eligendum non qui blandissimus esset, sed qui inexorabilis; atque hæc dicens, ante omnes censor creatus est. Agnovit populus morbum suum: eoque Cato plus valuit obiurgando, quam cæteri blandiendo, ait Plutarch. in Apophth. Roman. uti enim corpora nostra sine mente, sic civitas sine legibus constare nequit. Solon interrogatus qualiter civitas bene regi posset, respondit: Si princeps, et maiores secundum legem vixerint, inquit Valer. lib. 3. c. 9. Rursum si cives magistratui obediant, magistratus autem legibus, uti refert Stobæus serm. 41. Heraclitus dicebat, *cives non minus oportere pugnare pro legibus, quam pro mœnibus*; quod absque legibus nullo pacto possit esse civitas incolumis, absque mœnibus possit: ita Laertius lib. 9. cap. 1. Hinc illud Maronis:

*Legesque viris, et mœnia ponit.*

Pittacus Cræso pereuncenti quod esset maximum imperium? Respondit, ubi leges imperant: nam ubi summa est legum auctoritas, ibi est minimum tyrannidis: ita Laert. 1. 1. c. 5. Demosthenes civitatis animam esse leges dicebat: ut enim corpus anima carens cadit, sic civitas nullis administrata legibus sponte sua ruit: ita Maxim. serm. 68. Cleon multo meliorem esse dicebat statum civitatis, quam licet deterioribus, firmis tamen legibus utitur, quæ illius que bonis quidem, sed irritis: ita Thucyd. lib. 3. Archidamus roganti quinam essent Spartanæ urbis præfecti? respondit: Leges et legitimi magistratus; censens in republ. bene constituta supremam auctoritatem esse legibus deferendam, secundam magistratibus; ac proinde eos legum debere esse tutores et iudices, non dominos, nec dispensatores, hoc esse dissipatores. Ludovicus XII. Galliarum rex subpræfectum Aurelianensem, quo familiariter olim erat usus, sæpeque iniustitiæ reum liberarat, creatus rex dampnavit, dicitans: *Contendi privatus pro amico, regnum autem adeptus leges mihi tuendæ sunt*: ita Annal. Franc.

Idea Prælatorum.

Divine S. Bernard. lib. 4. de Consider cap. 4. ad Eugenium Pontif. cum docet quales debeat creare vel formare Prælatos: *Qui sint, inquit, in iudicio recti, in consilio providi, in iubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, etc. qui questum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui regibus Ioannem exhibent, Ægyptiis Mosén, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Helixæum avaris, Petrum mentientibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed terreant: pauperes non gravent, sed foveant: minus principum non paveant, sed contemnant: qui cum turba non intrant, nec cum ira cœtant: qui ecclesiis non spoliunt, sed emendent. Qui mar-supia non exhauriant, sed corda reficiant; et crimina corrigant, famæ provideant suæ, nec invidiant alienæ. Qui orandi studium gerant, et usum habeant, ac de omni re orationi plus fident, quam suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit. Quorum sermo edificatio, quorum vita iustitia, quorum præsentia a gratia, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere; reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles cum humilibus, et cum innocentibus innocentes, duos dure redarguant; malignantes coercent, reddant retributionem superbis. Qui*

*non de dote viduæ, et patrimonio erueffi, ei se vel suos dilare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes iudicium iniuriarum patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Et cap. 7. librum ita concludit: Ubi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi super hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non vereatur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui ubi non hominem contempsit. Cui irascaris tu, Deum sibi iratum non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, et contra se peccat. Et paulo ante perfecti Pontificis ideam ita depingit: De cætero oportere te esse considera formum iustitiæ, sanctimonie speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, unicuique sponsi, sponsæ paranympum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum excorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam: virginam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sat terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis.*

ET ERUNT QUASI FORTES CONCLUCANTES LUTUM (id est, hostes ut lutum) VIARUM IN PRÆLIO. Pro fortes hebr. est גִּבּוּרִים *gibborim*, id est, prævalidi, præpotentes, heroes, gigantes, Gabrieleles. Ad litteram notat Machabæos, qui sua fortitudine hostes Israelis proelebantur quasi lutum: quia DOMINUS CUM EIS.) Ita in libris Machabæorum legimus, Iudam Machabæum numquam iniisse prælium (excepto ultimo, in quo non legitur orasse; unde et cecidit) nisi prius invocata Dei ope, quam et præstitit Deus: unde misit ad eum Ieremiam Prophetam e limbo, qui daret ei gladium, diceretque: *Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo deiciet adversarios populi mei Israel.* 2. Machab. 15. 15. Hinc et Iudas Machabæi, id est Machabæus, dictus est ex litteris initialibus versus undecim Exodi cap. 15. *כִּמּוֹךְ בְּאֵלֵים יְהוָה* *mi kimocha baclim Iehova*, id est, *quis similis tui in fortibus Domine?* quod quasi belli tesseram, et victoriæ omen in vexillis et insignibus præferebat, uti dixi Exodi 15. unde sequitur:

ET CONFUNDENTUR ASCENSORES EQUORUM.) Puta duces et milites Antiochi, qui poliebant et gloriabantur equitata, cum Machabæi pugnarent pedites, uti et David, cæterique pii Iudæorum reges, iuxta legem Deuter. 17. 16. uti tibi dixi. Unde quanto inferior fuit eorum sors et conditio, quod pedites in equites pugnarent, tanto nobilior illorum de eis ope Dei parta fuit victoria, tanto gloriofior triumphus. Hinc Chald. vertit, *et fortes domus Israel triturabunt interfectos populorum, quasi lutum viarum in bello, et prælia committent: quia verbum Domini erit in auxilium eorum.* Mystice hæc veriora sunt in prælio spiritali, quo Christus et Apostoli debellarunt mundum et tartarum.

ET CONFORTABO DOMUM IUDÆ, ET DOMUM IOSEPH (id est, SALVABO.) *Domus Iudæ* sunt duæ tribus, *domus Ioseph* decem reliquæ, quarum caput fuit tribus Ephraim, filii Ioseph, ex eaque prognatus Ieroboam, æque ac cæteri reges Israel. Porro multi ex decem tribubus partim iam ante se iunxerunt Iudæis, partim postea eum viderunt vel audierunt victorias et trophæa Machabæorum, iis se aggregarunt, ut sub eorum ducatu et præsidio incolentes et felices viverent: ita S. Hieron.

Mystice, id verius fuit in conversione tam Israelitarum, quam Iudæorum ad Christum, quæ inchoata est ab Apostolis, sed perficietur ab Elia et Henoch in fine mundi; tunc enim omnis Israel salvus fiet: ita Remig. Lyran. et Arias. Pro confortabo hebr. est גִּבּוּרְתֵי *gibbarti*, id est, viriles, fortes, robustos, ac quasi Gabrieleles efficiam. A גָּבַר *gabar* enim, id est, vir fortis fuit, deducitur nomen Gabriel, id est, fortis vel fortitudo Dei.

ET CONVERTAM EOS.) Ut e locis, in quibus per captivi-

tatem dispersi sunt, revertantur ad avitas in Iudæa sedes. Unde Sept. vertunt, *et habitare faciam eos*; Chald. *et congregabo captivitatem eorum*; plenius Tigurina, *et reversos collocabo*; ac Vatabl. *et conversos habitare faciam*. Hebr. enim הוֹשְׁבֹתִים *hoscebotim*, est mistæ coningationis, quasi conflatum ex הוֹשִׁיב *hescib*, id est, converti vel reverti fecit; et ex הוֹשִׁיב *hoscib*, id est, habitare fecit, collocavit.

ERUNT SICUT FUERUNT, QUANDO NON PROIECERAM EOS.) q. d. Erunt sicut fuerunt ante captivitatem, tam Babylo-nicam, quam Assyriacam. Hinc patet ad litteram loqui Prophetam de Iudæis, Israelitis et Machabæis. Idem patet ex nominibus *domus Iuda, domus Ioseph, Ephraim*, etc.

Vers. 7. ERUNT QUASI FORTES (heb. *ghibborim*, de quo dixi v. 5. EPHRAIM.) q. d. Erunt quasi heroes Ephraim, fortiter bellantes bella Domini. Tribus enim Ephraim inter decem tribus erat fortissima: unde et cæteris tribubus continuus dedit reges. Hinc illud psal. 77. 9. *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli*.

LÆTABITUR COR EORUM QUASI A VINO.) q. d. Ex continuis victoriis exultabunt sicut exultant qui hausto potenti vino hilarescunt: vel q. d. In præliis erunt audaces, interriti, et quasi leones ignem spirantes, perinde ac si vino generoso oppleti aestuarent, uti nunc Kosachi, Hiberni, Hollandi, aliæque gentes vino adusto se implent ante præhium, ut spiritibus calidissimis æstuantes sint audaces, ruantque intrepidi in enses et gladios.

ET FILII EORUM.) q. d. Filii nepotes et posterii eorum cernent, audientque patrum et avorum suorum trophæa, indeque exultabunt in Domino, et ad eadem heroice consecranda incitabuntur. Sic trophæis Miltiadis Themistocles, Achillis Alexander Magnus, Alexandri Magni Iulius Cæsar, Cyri Scipio, excitati sunt ad eadem per heroica facinora consecrandum, uti narrat Plutarc. in eorum vita.

Vers. 8. SIBILABO EIS, ET CONGREGABO ILLOS.) Quasi sibilu congregabo et convocabo eos, velut oves in Ierusalem, tamquam Synagogam; et tempore Christi in Ecclesiam, in qua sibilus erit prædicatio Evangelica, inquit Vatabl. Est catachresis: ponitur enim sibilus pro convocazione, quia hæc in ovibus a pastore fit sibilu. Est hendiadys. Unum enim dicitur per duo: *sibilabo et congregabo*, id est, quasi sibilando congregabo. Simili modo ait Isaïas c. 7. v. 18. *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur*. Vide ibi dicta.

Vers. 9. DE LONGE RECORDABUNTUR MEI.) q. d. Iudæi et Israelitæ degentes in remotis locis, ubi audierint legem Dei, cultum et Synagogam per Machabæos in Iudæa restitutam, recordabuntur mei, ut me more patrum invoent et colant, ideoque cum filiis valentes et gaudentes revertentur in Ierusalem.

Vers. 10. ET REDUCAM EOS DE TERRA ÆGYPTI ET DE ASSYRIIS.) Alludit ad captivitatem Assyriacam et Babylo-nicam, quam fugientes multi ex Israel, profugerunt de more in Ægyptum, ut patet Ierem. 44. q. d. Solvam omnem eorum captivitatem, exilia et dispersiones, faciamque ut tuti et liberi in patriam, et ad me meumque templum et Ecclesiam revertantur: ita S. Hieron. Albert. et Hugo. Huc facit quod Iosephus lib. 11. Antiq. c. 2. scribit Ptolemæum Philadelphum qui post Ptolemæum Lagi Alexandro Magno in regno Ægypti successit, centum viginti millia Iudæorum ex Ægypto libertate donata in Iudæam remisisse, eaque beneficentia obtinuisse ab Eleazaro pontifice 72. Interpretes, qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma transferrent.

AD TERRAM GALAAD ET LIBANI ADDUCAM EOS.) Puta in Iudæam, cuius limites sunt Libanus et Galaad. Mystice, ad Ecclesiam Christi quæ fertilis est, pulchra et amœna, uti Galaad. Libanus, omnisque terra Iudæis olim promissa. Unde sequitur: *Et non invenietur eis locus*, scilicet sufficiens, q. d. Maxima erit multitudo fidelium, tum Iudæorum sub Machabæis, tum potius Christianorum sub Christo et Apostolis, adeo ut templa et ecclesiæ eos non capiant. Secundo, Sanchez, q. d. Non invenietur eis locus, id est, ipsi non invenientur in loco pristino, puta

in Ægypto et Assyria, quia redibunt in Ierusalem. Unde Septuag. vertunt, *non relinquetur ex eis ullus*; ut sit hypallage.

Anagog. q. d. Locus fidelium post mortem, postque diem iudicii non invenietur amplius in terra, quia ipsi ex terra transferentur in cælum.

ET TRANSIBIT IN MARIS FRETO.) Varii varie hæc ex- Vers. 11.

plicant. Primo Iudæi hæc ad litteram expectant, quasi portenta futura et facienda a suo Messia, sicut facta sunt a Mose in mari rubro. Verum quia ad litteram hoc cap. agitur de Machabæis, eorumque victoriis portentosis; hinc Secundo, magis appositum huic loco est, quod tradunt Hebræi prisci apud S. Hieron. ac Remig. et Hugo, scilicet Iudæos olim in Græciam profugos, tempore Machabæorum, per fretum angustum Propontidis, quod Chalcædonem a Constantinopoli segregat, transisse, ut redirent in Iudæam. Verum nusquam legimus fretum hoc percussum et siccatum a Deo, ut Iudæi sicco pede pertransirent. Tertio, alii putant hic notari Alexandrum Magnum, qui cum exercitu mare Pamphylæ sicco pede transmisit, pergens contra Darium et Persas, teste Iosepho l. 2. Antiq. c. ult. Verum hoc viris doctis fabulosum videtur; et Ioseph. licet id ex aliis referat, non tamen approbat. Adde, quid hoc ad Iudæos et Machabæos? Dico ergo esse hic continuam metaphoram sive allegoriam, qua sub schemate miraculosi transitus Hebræorum per mare rubrum duce Mose, et per Iordanem duce Iosue in terram promissam, describit similem non miraculosum, sed mirabilem transitum Iudæorum toto orbe dispersorum per maria et gentes, felicemque reditum in Iudæam, cum audierint eius felicitatem, et victorias partas a Machabæis, q. d. Faciam ut Iudæis in Ierusalem redeuntibus omnes viæ, maria et flumina sint pervia, removebo omnes obices et obstacula, adeoque si opus sit siccabo mare et flumina, uti siccavi sub Mose, quando ipse virga percussit mare rubrum, et sub Iosue, quando confudi, divisi et siccavi profunda fluminis Iordanis: quin et humiliabo superbiæ et potentiam Assyriorum, Ægyptiorum, aliarumque gentium hostilium, faciamque ut populum meum retinere, aut ab hoc suo in Iudæam reditu remorari nequeant. Nominat præ aliis Ægyptios et Assyrios, quia hi olim crebro et vehementer allixerunt Israelitas, eosque in captivitate detinuerunt: ita Theodor.

Mystice, id verius in Apostolis et eorum sequacibus, quibus Deus viam patefecit per terras, maria et flumina, ut omnes gentes adirent, easque Ecclesiæ aggregarent, iuxta illud Isaïæ 11. 15. *Et desolavit Dominus linguam Ægypti, et levavit manum suam super flumine in fortitudine spiritus sui, et percussit in septem rivis, ita ut transcant per eam calcicati*. Sicut Augusto Cæsari Ægyptum invadenti, viamque per suam monarchiam in Ægyptum et in omnes gentes Apostolis pandenti, contigit, uti ibidem dixi: ita S. Hieron. Cyrill. Clarius, Arias, Vatabl. et alii. Ubi Nota, in Scripturis hostes Ecclesiæ Dei vocantur Ægyptii, Assyrii, Chaldæi: quia hi fuerunt hostes Israelis et Synagogæ, quæ fuit quasi aurora et parens Ecclesiæ.

CONFUNDENTUR OMNIA PROFUNDA FLUMINIS.) *Fluminis*, id est, fluminum, sed dicit *fluminis*, quia alludit ad Iordanem siccatum a Iosue. Dices, quid est *no confundentur*? Respondent alii, *confundentur*, id est, commiscebuntur, sicut Iordanis aquæ a Iosue divisæ, represæ, et in unum locum coactæ, intumescens confusæ, id est, commistæ et convolutæ fuerunt. Verum Hebr. בִּשְׁבוֹס, non significat commiscere, sed confundere, id est, pudefacere. Dico ergo flumina metaphorice dici confundi et pudefieri, cum suo alveo, quasi suo iure et hæreditate, contra naturam privantur, ab eoque vi expelluntur. Si enim haberent sensum et sanguinem, utique ob hanc vim et quasi ignominiam, quam invite subeunt, pudescerent et erubescerent, quod suo loco violenter excedere, eumque hominibus, puta Hebræis, cedere debeant. Sic iratus confunditur, cum iram suam explere nequit, dum illa a potentiori quopiam reprimatur et infringitur. Confundi

ergo profunda fluminis, idem est quod siccare. Unde pro *confundentur*, Pagnin. et Tigur. vertunt, *siccabuntur*, et ita ad verbum nunc est in Hebræo. Nam *הוביטעו* *hobisciu*, proprie deducitur a *בטש* *iabas*, id est, siccare; Noster deduxit a *בטש* *bos*, id est, confundi, pudelieri: quare videtur legisse alio puncto *הוביטעו* *hebisciu*, quamquam ordines verborum imperfectorum apud Hebræos sæpe confunduntur, ac verba quiescentia *ain vai*, tempora sua mutantur a quiescentibus *pe iot*, puta *bos a iabas*, et sic *hobisciu* ponitur pro *hebisciu*. Simili modo dixit Joel

cap. 1. 10. *Confusum est vinum*, et v. 12. *Vinea confusa est*, id est, siccata est, elanguit, evanuit. Vide ibi dicta. Iam sensus huius loci est is, quem paragrapho præcedenti assignavi.

CONFORTABO EOS IN DOMINO (in me, qui sum Dominus. Est euallage: loquitur enim Deus de se in tertia persona) ET IN NOMINE, id est virtute, potentia et invocatio-  
ne, EIUS AMBULABUNT.) Pergentque strenue et alacriter Iudæi in Ierusalem, fideles in Ecclesiam militantem in terris, et ex ea in triumphantem in cælis. Vers. 12.

## CAPUT UNDECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Prædixit Zacharias c. 10. Machabæorum bella et victorias; nunc prosequitur ea quæ post illos futura erant, et obventura Iudæis per Romanos. Hoc ergo capite prædicit excidium Hierosolymæ, puta urbis et templi, iam recens a Zorobabele, et Iesu filio Iosedee ædificati, faciendum a Tito et Romanis, idque ob Iudæorum peccata, præsertim ob Christum ab eis occisum et venditum triginta argenteis. Quare ut peccata hæc declinent, itaque excidium evadant, Deus Zachariam facit pastorem, id est, Prophetam, ut futura hæc prædicat et comminetur. Hinc v. 7. sumit duas virgas pastoritias, quibus quasi pastor, populum quasi gregem suum pascat: unam vocat Decus, id est, decoram et gratiosam; alteram vocat Funiculum, quo constringuntur et plectuntur rei. Hisce repræsentat duos providentiæ et regiminis modos, quibus uti in Israele regendo iam antea usus, ita deinceps usus erat Deus, nimirum virga cui nomen Decus, repræsentat amorem, promissa et beneficia, quibus Deus Iudæos ad se uti olim allexerat, ita per Machabæos eorumque posteros allecturus erat usque ad Christum, qui fuit decus, amor et gratia Dei Patris effusa in Iudæos: altera cui nomen Funiculus, repræsentat timorem, minas et plagas, qua Deus post priorem amoris virgam in morte Christi contractam, pavit et exagitavit Iudæos per Romanos; quam quia pariter spreverunt, hinc et hanc virgam confregit, eosque abs se abiecit, omnemque eorum curam ac providentiam deposuit: ac eos v. 15. pastori stulto, cuius formam et habitum induere iubetur Zacharias, ut eum populo repræsentet, pascendos, id est, perdendos et mactandos, tradidit.

1. **A**PERI Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. 2. Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ululate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus. 3. Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis. 4. Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis. 5. Quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, divites facti sumus: et pastores eorum non parebant eis. 6. Et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui: et concident terram, et non erunt de manu eorum. 7. Et pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis. Et assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum: et pavi gregem. 8. Et succidi tres pastores in mense uno, et contracta est anima mea in eis: siquidem et anima eorum variavit in me. 9. Et dixi: Non pasca me vos: quod moritur, moriatur: et quod succiditur, succidatur: et reliqui devotent unusquisque carnem proximi sui. 10. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus: et abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum quod percussi cum omnibus populis. 11. Et in irritum deductum est in die illa: et cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. 12. Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. 13. Et dixit Dominus ad me: Proice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatum sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et proieci illos in domum Domini ad statuarium. 14. Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Iudam et Israel. 15. Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti. 16. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit, et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvit. 17. O pastor, et idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius, et super oculum dextrum eius: brachium eius ariditate siccabitur, et oculus dexter eius tenebrens obscurabitur.

Vers. 1.

**A**PERI LIBANE.) Quæres, quid hic significat Libanus? Theodoretus et Chald. putant significare gentes vicinas et hostiles Iudæis, quales erant Syri, Idumæi, Moabitæ: Libanus enim erat terminus Iudææ, et initium gentium, puta Syrorum versus Aquilonem. Censent ergo hic gentibus excidium intentari, eo quod Iudæis redditum e Babylone, templique et urbis restorationem inviderint, et pro viribus impederint. Verum sequentia omnia Iudæos spectant, non Gentes, ac in primis illud v. 3. *Vastata est superbia Iordanis*. Quocirca cæteri omnes, ut S. Hieron. Cyrill. Haymo, Remig. Hugo, Lyran. Dionys. Vatabl. Arias, Ribera, Mariana, Sanchez, a Castro et alii constanter et unanimiter censent, per Libanum hic accipi Ierusalem et templum. Primo enim tam urbs, quam tem-

plum in Iudæa, æque ac Libanus mons inelytus in Syria eminebat. Secundo, utrumque ex cedris Libani erat constructum. Tertio, domibus et incolis abundabat, ut Libanus et sylvæ abundat arboribus. Quarto, quia Ierusalem alebat tyrannos, raptores, prædones, uti Libanus alit lupos, leones, ursos, aliasque feras, eaque de causa vastata est. Quinto, quia templum candore lapidum eandicabat, uti Libanus candore nivium, teste Iosepho libr. 6. Belli, indeque dictus est Libanus a לבן *laban*, id est, albus, candidus: vel a לבונה *lebona*, id est, thus, quia thuris est ferax. Templum ergo quod iam cum urbe ædificabatur, Zacharias hic vocat *Libanum*, eiusque finem et exitum in eius initium prædicit. Unde Chald. pro Libano vertit, unde dicitur *templum*. Simili modo Ezechiel cap. 17. 3. Ierusalem vocatus.

Templum vocatur Libanus ob quinque analogias.

cat *Libanum*. Vide ibi dicta. Denique alludit ad domum A regiam saltus Libani, in Ierusalem ædificatam a Salomone 3. Reg. 8. 2. Iam censent aliqui hic prædici vastitatem, quam Antiochus Epiphanes urbi ac templo intulit tempore Machabæorum, cum pastor et idolum, de quo v. 17. fuit impius Iason, qui uti simoniace pontificatum emit ab Antiocho, ita scelerate eum administravit, colens Hereulem et deos Antiochi. Verum quia hic intrusus fuit pontifex, quem mox excluderunt Machabæi pontifices et principes legitimi, sub quibus maxime floruit Dei templique religio; hinc melius Vatabl. Ribera, a Castro et alii passim censent hic agi de vastitate urbi et templo illata per Titum et Romanos. Hi enim funditus combusserunt et diruerunt tam urbem, quam templum; cum Antiochus illud non destruxerit, sed tantum suis sacrilegiis profanarit: ita S. Hier. Haymo, Remig. Albert. Hugo, Dionys. Vatabl. Arias, Ribera. Sensus ergo est: *Aperi Libane portas tuas*, q. d. O Ierusalem, et templum iam recens extractum tabulis cedrinis ex Libano allatis, aperi Romanis venientibus portas tuas, quia illis non poteris resistere: frustra enim illis eas claudes, quia ipsi sua vi et robore omnia perfringent. Huius rei symbolum et præsagium fuit, quod Ioseph. libr. 7. Belli cap. 12. narrat ante captam a Tito urbem Orientalem portam templi æneam, quæ vix a viginti viris claudi poterat, sponte sua hora 6. noctis in paschate fuisse apertam. Huc pariter facit, quod tradunt Hebræi, et ex iis R. David, Lyran. et Galatin. libr. 4. cap. 8. nimirum 40. annis ante eversum templum a Romanis, portas templi quæ vespere clauderentur, nocte sponte fuisse reseratas, ac summo mane venientem eo R. Iohanan filium Zachai, qui inter Rabbinos eminebat, dixisse: *O domus, o sacra domus, quid sibi vult quod tu tibi timeas? Equidem scio interitum tibi ac vastationem imminere, et iam olim vaticinium illud de te editum fuisse: Aperi Libane portas tuas*. Quod si verum est, apte huic loco congruit: ubi solenter concitit Ribera, portas templi sponte sua apertas fuisse eo die præcise, que Christus mortuus est in cruce, et velum templi scissum est a summo usque deorsum. Convenit enim tempus, scilicet quadragesimus annus ante urbis excidium, quo Christus passus est; excisa est enim urbs anno secundo Vespasiani, qui fuit ab ortu Christi 73. teste Euseb. in Chronico. Deinde in paschate passus et mortuus est Christus; perinde ac in paschate portas templi reseratas scribit Iosephus.

**ET COMEDAT IGNIS CEDROS TUAS.**) Primo, ad litteram, q. d. Sicut o Ierusalem nuper vidisti tuas magnificas ædes et palatia ex cedris, abietibus et querebus constructa comburi a Chaldeis, ita rursus idem visura et passura es a Romanis. Secundo et melius, symbolice cedri vocantur summi Principes et Pontifices; abietes, Præpositi, Senatores, Consules et Præfecti minores: quereus, divites, et fortes viribus. Unde Chald. vertit, *satrapæ provinciarum*, q. d. Ignis hic tuæ vastitatis et incendii afflabit et consumet omnes tuos principes, præfectos, nobiles et divites; ita S. Hier. Cyril. et Euseb. lib. 8. Demostr. cap. 4. unde explicans subdit Propheta:

**ULULA ABIES, QUIA CECIDIT CEDRUS.**) q. d. Ululate senatores et magistratus minores, quia ceciderunt principes, qui vos alebant et protegabant, ac proinde et vos pariter cadetis, occidendi, vel capiendi a Tito et Romanis. Hoc est quod subdit: *Quoniam magnifici (principes) vastati sunt*. Est ergo paræmia.

**ULULATE QUERCUS BASAN.**) Puta potentes et opulenti, qui inter Iudæos eminetis sicut quereus in Basanitide. Chald. vertit, *ululate satrapæ provinciarum*.

**QUONIAM SUCCISUS EST SALTUS MUNIUS.**) Puta Ierusalem munita, quam vocat saltum vel sylvam, quia persistit in metaphora Libani, montis et sylvæ.

**VOX ULULATUS PASTORUM.**) Aliqui, ut a Castro, censent Prophetam loqui præsentibus Iudæis, qui dolebant fabricam templi secundi non æquare magnificentiam primi, q. d. Dolent nunc magistratus, quod videant adeo extenuatam templi magnificentiam: rugiant principes ut leones, quia vident modo splendorem illum antiquum Ieru-

salem obscuratum. Verum non est quod doleatis, sed periculo præterito edocti, gratias agite de præsentis, licet minori felicitate; quod opportune admonéo vos, ne a statu, in quo nunc estis, decidatis in similem captivitatem, a qua nunc estis liberati. Verum quia hæc pertinent ad præcedentia, in quibus futurum a Romanis urbis templique excidium clare prædixit, hinc eodem referenda sunt, q. d. Videor mihi eminus, ex alta prophetiæ specula videre extremam Hierosolymæ cladem, ac in ea audire ululatum civium, præsertim pastorum, id est, sacerdotum et pontificum: quia vastata est magnificentia eorum, quia scilicet combustum est magnificentum templum, eiusque vasa et vestes, quibus magnifice vestiti incedebant pontifices, et eius oblationibus et opibus splendide vivebant. Eversa ergo magnificentia templi, eversa est magnificentia sacerdotum. Videor quoque mihi audire ululatum principum et magistratum quasi rugitum leonum, qui avare et tyrannice dominabantur populo, in eumque quasi leones ferociter, superbe et rapaciter grassabantur. **HI enim rugiunt et ululant, quia VASTATA EST SUPERBIA IORDANIS.**) Puta superba eorum palatia, prædia, villæ, agri et sylvæ, quæ iuxta Iordanem possidebant, ut eius fluentis irrigarentur, fierentque fertilia ad fructum, æque ac amœna ad aspectum. Alludit ad leones, quorum copia erat in sylvis iuxta Iordanem. Hi enim agris et sylvis a Romanis vastatis, gregibusque ibidem pasci solitis, occisis, vel abductis, pariter rugiebant, eo quod latibulis, æque ac gregum prædis escisque suis privati, vel fame mori, vel alio migrare cogentur. Hinc illud Cautic. 4. 6. *De vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*. Saur enim et Hermon erant iuxta Iordanem: ita Clarius, Arias, Vatabl. et alii. Addit S. Hieron. excruciatum partim a Deo, partim a Romanorum copia fuisse Iordanem; quocirca leones præ siti irrugiisse. Uade Chald. vertit, *quia excruciat est propter eos elatio Iordanis*. Solet enim Iordanis affluentibus aquis ex resolutione nivium effleri et intumescere. Septuag. *quia miser factus est fremitus Iordanis*. Solent enim aquæ copiosæ inter se, vel ad saxa allisæ fremere. Nam hebr. *gheon* significat magnificentiam et arrogantiam, quæ fremitus est causa.

**PASCE PECORA OCCISIONIS.**) Puta Iudæos occisioni a Romanis, quasi oves et pecora destinatos. vers. 4.

Quæres, ad quem, et a quo dicitur *pasce*? Respondet Theodor. et ex eo Ribera, id dici a Patre æterno ad Christum filium iam incarnatum, q. d. Tu o Christe, filii, pasce et doce Iudæos, si quo modo pœniteant, et ad te convertantur, itaque evadant excidium Romanorum, cui a me additi sunt.

Simplicius S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii, censent hæc esse verba Dei ad Zachariam. q. d. Ego te, o Zacharia, constituo pastorem, id est, Prophetam, ut tuis hisce oraculis pascas, doceas et moneas Iudæos futuros de futuro excidio, ut illud ipsi per pœnitentiam et mutationem vite declinare et effugere satagant. Id ita esse patet, quia Zacharias induit hic habitum pastoris, ideoque duas virgas pastoritias assumit, unam nominat Decorem, alteram Funiculum, sicut mox v. 15. assumit formam pastoris stulti, quod de Christo dici nequit. Hinc Chald. vertit, *vaticinare adversus gubernatores, qui constituti sunt ad gubernandum populum meum, et ipsi dominati sunt in eos quasi in oves occisionis, dicentes: Non imputabitur nobis in peccatum*. Ubi nota, Iudæos hic vocari oves vel *pecora occisionis*. Primo, quia in eos quasi oves impune grassabantur principes et pontifices, eosque vel in corpore, vel in anima expilabant et iugulabant prava sua doctrina et vita, uti eis exprobrat Christus Matth. c. 23. ita ex Chaldæo Theodor. et patet ex eo quod sequitur: *Quæ qui possederant, occidebant*. Oves ergo *occisionis*, vel *escarum*, uti vocantur psal. 43. 12. sunt quæ non servantur ad lanam aut lac, non ut tondeantur vel mulgeantur, sed ut occidantur et devorentur. Sic Ierem. 12. 3. *Congrega, ait, eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis*. Secundo, quia occisioni et

gladio Romanorum ob sua scelera, cum suis principibus et pontificibus erant destinati caedique devoti: ita S. Hieronymus, Remig. Hugo, Vatabl. et alii passim. Rationem dat a Castro: nam iubetur, inquit Zacharias, ac si pastoritiam artem exerceat, repræsentare officium pascendi, quo Deus populum suum pavit diversis temporibus, et deinceps pastorus erat. Et rationem huius personæ, et quasi fabulæ assumendæ docet Deus esse, quod iniqui pastores fuerint causa, cur ipse populum deseruerit, et cum pastoribus in captivitatem duci permiserit a Chaldeis, et rursus duci permissurus sit a Romanis. Dicit igitur Deus: Age, o Zacharia, sum personam pastoris sapientis, et pascere oves meas, quas stulti pastores et occidunt, et occisioni parant: nam illi quibus eas curandas commisi, iugulant eas, sua luera querentes, non carum salutem; nec de hoc scelere dolent, quasi nullam culpam commiserint; et vendunt eas, et aucti pretio laudant Deum, dicentes: Benedictus Deus, quia sumus ditati: itaque pastores hi non parcunt ovibus, sed eas impune expilant et mactant. Simili schemate utitur Ieremias cap. 23. 1. *Væ, ait, pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pasce meæ.* Et Ezechiel cap. 34. 2. *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, etc. quod crassum erat occidibatis, gregem autem Domini non pascebatis.* Vide ibi dicta. Ita a Castro, et recte, nisi quod ipse hæc censeat dici de pastoribus præteritis, non de futuris, cum potius, ut dixi, hæc, utpote oracula de urbis excidio, spectent futura, et pastores futuros usque ad tempora Christi et excidii Hierosolymæ. Illis enim iniquis, impiis et tyrannicis opponit suum pastoratum, et regimen æquum, pium et paternum.

Vers. 5. **ET VENDEBANT EA.**) Scilicet pecora, q. d. Hi pseudo-pastores ex gregibus sibi commissis quæstum faciebant, eis corumque filius, servis, operis, agris, etc. ad sua luera per vim et fraudem abutebantur, perinde ac si eos ad suum quæstum vendidissent. Est catachresis.

Vers. 6. **ET EGO NON PARCAM EIS.**) Aliqui futurum accipiunt pro præterito, scilicet *non parcam*, id est, non pepereci eis, puta Ægyptiis, eo quod populum meum oppressissent: aut potius eis, scilicet Israelitis, eo quod fecerint schisma a me et a domo David. Hæc enim de causa tradidi eos regibus impiis, qui eos tyrannice expilarent, imo feci ut in sese invicem grassarentur, et mutuo se per intestina odia, fraudes et caedes conficerent. Ita a Castro.

Melius alii futurum proprie ut sonat accipiunt, consentque id impletum sub Aristobulo et Hyrcano, qui, cum de pontificate et principatu contenderent, vocarunt in auxilium Pompeium et Romanos, a quibus subacti, spoliati et vastati sunt: ita Theodor. Aut potius sub Tito et Vespasiano, quando Zelotæ aliique Iudæi mutuo sese expilarunt et mactarunt, teste Iosepho lib. 6. Belli c. 2. et 4. Et traditi sunt *in manus regis sui*, id est, principum suorum factiosorum, ut ait Vatabl. aut Herodis Agrippæ, Vespasiani et Titi, qui totam Iudæam perdiderunt: ita S. Hieron. Albert. Hugo, Arias et Vatabl. Romani enim Imperatores vocantur reges Iudæorum, tum quia in passione Christi Iudæi eos, ut suos Cæsares agnoverunt et professi sunt, dum coram Pilato elamarunt: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*: tum quia Romani eos bello subegerunt, an iure, an iniuria non disputo.

Vers. 7. **ET PASCAM PECUS OCCISIONIS.**) Theodor. Vatabl. Ribera, et alii, censent hæc esse Christi vocem ad suos Apostolos, et primos fideles e Iudæis collectos, quos ob humilitatem, paupertatem et imbecillitatem vocat *pauperes gregis*, quasi Christus hic significet se velle Patri suo obedire et obsequi, ut quantum in se est, Iudæos pascat, et iram elademque eis a Deo decretam avertat. Verum hoc mysticum et allegoricum potius est, quam litterale. Ad litteram enim Propheta hic a Deo constitutus pastor v. 4, ubi ab eo audivit: *Pasce pecora occisionis*, hoc versu onus pascendi suscipit, Deoque respondet: *Pascam pecus occisionis*. Unde ex Hebræo veritas, *et pavi*, vel pascere cœpi; Noster vertit, *et pascam*, ut significet continuationem et diuturnitatem pascendi: ita S. Hieron. Remig. Lyran. et

A Arias. Porro Zacharias fuit pastor, non verus et litteralis, sed mysticus et symbolicus, pavitque Iudæos suis hisce oraculis, quibus iussu Dei pastoris habitum virgamque assumpsit, ac pastoris veri munia, Dei, inquam, circa Iudæos gubernationem repræsentat, sicut v. 15. ex adverso induit vasa pastoris stulti, ut eius mores populo in se exprimat et ostendet.

**PROPTER HOC, O PAUPERES GREGIS.**) Supple attendite ad ea que dicturus sum: ita S. Hieron. Remig. Albert. et Hugo. Secundo, Arias, Vatabl. a Castro, et alii, q. d. Quia oves hæc sunt occisioni destinatae, et quia a Deo constitutus sum earum pastor, propter hoc pascam eas, præsertim ut vos o pauperes gregis, tum ab occisione, cui reliqui certo destinati sunt, tum e manu improborum pastorum vestrorum liberem. Unde Arias vertit, *pascam oves occisionis propter vos o pauperes gregis*: ut Hebr. לַכֶּן *lachen*, non sit adverbium, significans *propter hoc*, sed pronomen, significans *vobis*, ita ut *lachen* femininum ponatur pro לַכֶּם *luchem* masculino. *Pauperes gregis* vocat inopes in populo, præsertim simplices, innocentes, mansuetos et iustos, propter quos Deus cæteris impiis ad tempus peperecit, pasceus eos per Prophetas et ad penitentiam provocans: ita Theodor.

**ET ASSUMPSI MIHI DUAS VIRGAS.**) Duos baculos pastorales, ut pastoris habitum, æque ac officium assumerem. Unde subdit: *Et pavi gregem.*

**UNAM VOCAVI DECOREM.**) Hebr. נֹעַם *noam*, id est, decor, species, iucunditas, gratia, amabilitas, suavitas, mansuetudo. Unde soecrus Ruth vocabatur Noemi, dicebatque: *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amarum, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*, Ruth 1. 20. Hæc virga significat regimen suave, per amorem et beneficia, non per minas et supplicia. Unde Vatabl. *Hæc, ait, fuit clementia Christi, qua usus est, dum assumpsit carnem.* Quocirca Syrus vertit: *unam vocavi suavem, vel iucundam*; Arabicus Antioch. *unam vocavi facilitatem, vel benignitatem*; Alexand. *unam vocavi decus.*

**ET ALTERAM VOCAVI FUNICULUM.**) Hebr. חֲבִלִים *chablim*, id est, funiculi: ita Septuag. Aquila, Symmach. et Noster. Hinc et Syrus et Arabicus uterque vertit, *funem*. Hic significat regimen durum, severas leges et edicta, quibus populus quasi funibus colligatur, constringitur, et si peccet, flagellatur, vineitur, illaqueatur. Iam Hebræi aliter punetant leguntque חֲבִלִים *chobelim*, id est, colligantes, naucleri, gubernatores, et per antiphrasin dissipantes, corruptores. Porro quia funiculis olim dimeticbantur hæreditates, hinc funiculus metonymice significat hæreditatem, sive sortem et partem hæreditatis, quæ cuique per funiculum dimeticentem obtingebat. Rursus funiculus significat cœtum et congregationem: sicut enim ex multis filis contortis conflatur funiculus, sic ex multis hominibus congregatis fit cœtus et populus. Unde Euseb. l. 10. Demonstr. Evang. cap. 4. per *decorem* accipit legem veterem, quæ data est, inquit, *funiculo*, id est, cœtui et populo Israel, qui erat funiculus hæreditatis, id est, sors et hæreditas Dei.

Quæres, quale est hoc virgarum hieroglyphicum? quid symbolice hæc duæ virgæ ad litteram significant? Primo, S. Hier. Remig. Rupert. Hugo et Ribera, duas has virgas accipiunt duo fœdera, duplexque regimen providentiæ Dei. Prius initum cum Noe, omnibusque hominibus, Genes. 9. 9. quod hic dicitur Decor, quia decebat Deum hoc universale in homines imperium, omniumque cura: posterius initum cum Abraham, et eius posteris, puta 12. tribubus Israel, Genes. 47. v. 7. quod proinde dicitur Funiculus, vel ut hebr. est funiculi, q. d. Sors hæreditaria, quam Dominus sibi ex omnibus gentibus, in populum et Ecclesiam elegit, fuit posteritas Abraham, sive populus Israel.

Secundo, S. Cyrillus censet funiculum repræsentare vetus testamentum, utpote Iudæos, stringens, coarctans, vinciens et flagellans: decorem referre novum testamentum, sive legem gratiæ.

Tertio, alii censent per decorem significari duces et re-

Duæ virgæ quid? Resp. I.

II.

III.

ges iustos, piosque; per funiculum vero iniustos et impios. Ita R. Moses lib. 2. Direct. cap. 44. per decorem accipit Moſen, Iosue et ſequentes; per funiculum Roboam et poſteros, partim idololatræ, partim ſceleratos. Alii per decorem accipiunt regnum duodecim tribuum, ſub Davide et Salomone unitum: per funiculum vero idem regnum, in duo ſub Roboam diviſum. Alii per decorem accipiunt regnum Iudæ, per funiculum regnum Iſrael, ſive decem tribuum. Accedit Chald. qui per decorem accipit regnum Ieroboam, qui decem tribus a tyrannide Roboam vindicavit et in libertatem aſſeruit; per funiculum, regnum Roboam, minax initio et tyrannicum. Verum hæc omnia iam erant præterita, ad quæ licet alludat Propheta, tamen proprie vaticinatur de futuro. Quocirca Arias per decorem accipit Machabæos, primos populi vindices, puta Iudam eum fratribus; per funiculum autem eorum poſteros, qui violenter regnum regumque nomen ſibi arrogarunt.

IV. Quarto, alii per decorem accipiunt initium prædicationis Chriſti, quod fuit ſuave et blandum; per funiculum, finem eiſdem, qui fuit minax excidii, iudicii et gehennæ, ut patet Matth. 23. 24. et 25.

V. Quinto, et genuine, virga vocata Decor, ſignificat regimen amoris per conſolationes, monitiones et beneficia, quod poſt tempora Zachariæ Deus exhibuit Iudæis per Machabæos, et maxime per Chriſtum. Altera virga vocata funiculum, ſignificat regimen terroris, quo uſus eſt Deus cum vidit Iudæos priori virgæ amoris et lenitatis abuti et indureſcere, ſcilicet poſt mortem Chriſti cum per Romanos eos exagitare cœpit, ac tandem funditus evertit, ut Iudæi omnes vel occiſi vel capti et funiculis colligati fuerint, et tunc quiſque ſuum funiculum, id eſt, ſortem et pœnam pro meritis accepit, ideoque hebr. eſt *funiculi*: ita Vatabl.

Hoc ergo utrumque tempus et regimen Dei, utraque virga aſſumpta ſignificat Zacharias, quaſi Dei vicarius et Propheta. Ipſe enim quaſi paſtor duplicis virgæ, Deum paſtorem duplicis regiminis, ſcilicet amoris et timoris, repræſentat. Hunc eſſe ſenſum patet: Primo, ex eo quod hoc oraſculum Prophetae ſit de futuro, non de præterito. In futuro autem non poſſumus commodius explicare, nec assignare ſymbolum virgæ decoris et funiculi, niſi eo modo quo iam expoſui. Secundo, idipſum patet ex rei eventu. Nam primo decorum fuit Dei regimen circa Iudæos, tempore Machabæorum et Chriſti, deinde terribile et funeſtum tempore Romanorum, Neronis et Veſpaſiani. Tertio, quia paulo poſt dicit Propheta, ſe utramque hanc virgam confeſſiſſe, quia ſcilicet Deus plane a ſe abiicit et reprobat Iudæos, quod de alio tempore, quam Chriſti et Titi, dici nequit. Quarto, quia v. 13. hanc virgam decoris contraſtactam eſſe ſignificat in morte Chriſti, ob eius venditionem et cædem, quia ſcilicet eum Iudæi appetiarunt, emerantque triginta argenteis.

Moraliter, principes, magiſtratus, Prælati, rectores, etc. diſcant hic a Dei providentia et regimine modum regendi, nimirum ut quantum ex ſe eſt, ſubditos regant decore, id eſt, humanitate, amore, clementia, miſericordia, beneficentia, promiſſis, et præmiis. Sic enim erit *נועם* *noam*, id eſt, decorum, elegans et ſpecioſum regimen: Dei enim ſapientia totum orbem ita regit et gubernat, ut attingat a fine uſque ad finem fortiter, et diſponat omnia ſuaviter, Sap. 8. v. 1. Quod ſi aliqui duri et ſervilis ingenii amore regi nolint, talibus exhibeant virgam funiculi, qua eos regant quaſi cervicoſos et brutos, minis, muletis, pœnis et ſuppliciis. Hanc enim eſſe optimam regendi methodum docet hic Zacharias, ipſeque uſus et experientia, probatus a Gentilibus, æque ac a Chriſtianis. Audi eorum hæc de re ſenſa et gnomas.

Archytas Pythagoric. de lege et iuſtitia: *Oportet, ait, verum principem non recte tantum imperare ſcire ac poſſe, ſed et humaniter. Turpe enim fuerit paſtorem oves odiſſe, et pecoribus ſuis inſenſum eſſe.* Xenophon in Pædia Cyri aſſerit, *bonum principem nihil diſſerre a bono patre. Nam et parentes filiis provident. Et Cyrus mihi nunc videtur ea nobis conſulere a quibus maxima in felicitate poſſimus ad ultimum uſque finem perſeverare.* Seneca lib. 1.

Moral.  
quæ ſit  
optima  
regendi  
ratio?

Gnomæ  
ſapientum  
de  
clementia.

A de Clementia c. 5. *Principum, ait, crudelitas bellum eſt: elementia in quæcumque domum pervenerit, eam felicem et tranquillam parabit; ſed in regia quo rarior, eo mirabilior. Magni animi proprium eſt placidum eſſe tranquillumque, ac iniurias et offenſas ſuperando deſpicere. Mulier enim eſt furere. Ira non decet regem.* Et nonnullis interiectis: *Optime Deos exemplum principibus conſtituam, ut ſe tales civibus præbeant, quales ſibi Deos eſſe volunt.* Aristot. lib. 8. Ethicor. *Similis, ait, eſt comparatio regis ad ſubditos, patris ad filios, paſtoris ad oves.* Pythagoras ita imperandum eſſe principi dicebat, *ut ſubditi magis eum venerentur quam metuant. Reverentiam enim admiratio, timorem odium comitatur.* Ita Stobæus ſerm. 46. qui et addit Pittacum cenſuiſſe, principem laudabilem eſſe qui efficit ut ſubditi metuant, non ipſum, ſed pro ipſo. Idem fuit Chilonis, Philonis, Muſonii ſenſus, eadem ſententia. Inſuper Anaxilaum Regii principem, interrogatum quid in principatu feliciffimum eſſet? reſpondiſſe: *Nunquam beneficia conferendo vinei.* Tiberius Cæſar, teſte Suetonio, dicebat: *Boni paſtoris (qualis eſt Imperator) eſſe tondere pecus, non deglubere.* Agapetus Diaconus de Officio regis: *Sicut oculus, ait, innatus eſt corpori, ita Imperator mundo adaptatus eſt a Deo, datus pro administratione eorum quæ uſui ſunt. Oportet ergo eum hominibus quaſi propriis membris proſpicere, ut proficiant in bonis, neu malorum offendiculo illidantur. Solis proſpecto partes ſunt, illuſtrare radiis orbem, principis vero virtus eſt egenorum miſereri.* Sicut animalia licet robuſtiſſima et ferociſſima, blanditiis tamen capiuntur et mauſueſcunt; ita ſubditi licet ab omni humanitate alieni, principis boni benevolentia et humanitate facile gubernantur, ait Dionys. Nic. in Auguſto, Plutarch. in Moral. Musicus, inquit, chordas diſſonantes non ſtatim abiicit, neque incidit, ſed ſenſim intendens aut remittens ad concentum adducit: ita princeps leniter debet emendare peccantes, non protinus tollere. Tali enim ſceptrum eſt plectrum, tali regimen eſt decus, non dedecus, eum cæteri magiſtratum (id eſt, deus ipſum) dedecorent, uti aiebat Cicero. Unde S. Hier. epist. ad Pammaeh. *De Cæſare, ait, egregie dixit Tullius: Cum quosdam ornare voluit, non illos honeſtavit, ſed ornamenta ipſa turpavit.* Plinius lib. 11. cap. 17. *Rex apum, ait, ſolus aculeum non habet, aut certe non ulitur. Ad hæc corpore eſt grandior, et ſpecie decentior, ſed aliſ quam exteræ, minoribus: ita principem oportet eſſe elementiffimum, et a ſua civitate nuſquam avolare longius.* In

Deo tria eminent, ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma bonitas: rex eſt Deus terreſtris: hunc ergo ternarium pro viribus abſolvat. Nam potentia ſine bonitate mera tyrannis eſt, ſine ſapientia pernicies, non regnum. Det ergo operam ut ſapiat, et quam maxime prodeſſe ſtudeat omnibus: nam id eſt bonitatis: potestas autem ad hoc ei ſerviat, ut quantum cupit prodeſſe, tantumdem et poſſit, imo plus velit quam poſſit: porro nocere hoc minus velit quo magis poſſit. Deus ut pulcherrimum ſui ſimulacrum in cælo conſtituit ſolem, ita in terris principem. At ſole nihil communius, qui cæteris etiam corporibus cæleſtibus lucem ſuam impertit. Ita princeps publicis uſibus maxime debet eſſe expoſitus, et nativum ſapientiæ lumen habere domi, ut etiamſi quid excutiant cæteri, nunquam tamen ille hallucinetur. Quod cor eſt in homine, hoc princeps in reipublica: ſicut ergo cor ſpiritus et vitam cæteris membris aſpirat, ſic et princeps ſubditis. Quod medicus in urbe, hoc princeps in republica: ita Plutarchus in Moral. Porro Claudianus in Panegy. Probini eius liberalitatem ita celebrat:

*Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos,  
Aurea dona vomens.*

*Liberale eſt ſerere beneficium, ut metere poſſis fructum, ait Cicero iturus in exilium. Potiſſima dos in principe eſt liberalitas et clementia, ait Pompon. Lætus in Dioelet. Demosthenes rogatus quid Deo ſimiles faceret homines? Reſpondit, benigne facere: ita Maxim. ſerm. 8. Xenophon dictitabat multo præclarior eſſe beneficiorum, quam trophæorum multitudinem poſt ſe relinquere: ita Stob. ſerm.*



46. Sic gloriosus fuit Cyrus, qui amicos quibus plurimum contulisset, divitiarum suarum thesauros esse dicebat, ait Xenoph. Alexander, Julius Caesar, Augustus, Constantinus, liberalissimi fuerunt. Ptolemæus a beneficiis, Evergetes cognominatus est. Phyladelphus aciebat, *magis esse regium ditare quam dilacerare*, ait Ælianus. Antigonus rex dicebat, *regnum non aliud esse quam splendidam servitatem*. Et sane si rem penitus introspicias, quid est principatus, quid Cardinalatus, nisi purpurata servitus, que cum splendore fidelium commodis servit? Miraris? Summus Pontifex, qui est principum et purpuratorum apex et culmen, non est aliud nisi servus servorum Dei: hunc enim titulum ipse sibi præfert eoque gloriatur. Sane Hadriani VI. Pontif. et præceptoris Caroli V. sepulcro, in Vaticano incisum fuit hoc elogium: *Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi in vita infelicius duxit, quam imperare*: ita P. Iovius in eius vita.

Porro virga **עֵזָא** *noam*, id est, decoris, pulchritudinis, iuenditatis, elegantie, gratie, multa poscit a principe et Prælo. Primo, humilitatem, ut se dimittat ad infimos, etiam rusticos et pauperes, eorumque querelas et gravamina præ aliis audiat, iisque medeatur. Secundo, affabilitatem, ut se omnibus affabilem, eorum et benignum præbeat, neminem avertatur, aut durius compellet. Tertio, æquanimitem, ut subditorum infirmitates et murmurationes æquanimiter ferat, iis non irascatur, non turbetur, sed eas toleret, sicut mater tolerat ineptias sui infantuli. Quarto, magnanimitatem, ut quasi angelus rebus humanis superior homines regat, uti pædagogus regit pueros: numquam cadat animo, etiamsi multos suis piis conatibus obistere aut reluctari videat, sed suaviter et fortiter omnes ad regulam æquitatis et pietatis inflectat. Quinto, patientiam, ut ferat constanter labores, molestias, ærumnas regiminis. Sexto, benignitatem et beneficentiam, ut præmii supra meritum, puniat citra condignum. Sit instar apis, quæ ubique mella fundit, aculeum vero non nisi in necessitate in hostes exerit: ita princeps omnibus beneficiat, nemini male; nec suas, sed reipublicæ dumtaxat ulciscatur iniurias. Septimo, animi candorem et suavitatem, qua melleat et consoletur allictos, tristes, pusillanimes, melancholicos. Octavo, charitatem, quam omnibus ubique, etiam inimicis aspiret, ut videatur habere eor charitate in omnes dilatatum, plenum et ardens. Nono, iucunditatem, urbanitatem, gratiam dicendi et agendi, qua gratiose loquatur, agat, imperet potius inuendo, quam iubendo; potius exemplo quam verbo; merentes honore et beneficentia præveniat; immerentes spe et promissis ad officium extimulet. Talis fuit Christus (de quo Zacharias hic maxime loquitur) ut patet Isaie 42. 1. et seq. et Isaie 11. 1. et seq. Matth. 12. 18. et alibi. Talis fuit S. Petrus, S. Paulus, S. Ioann. Talis S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregor. S. Aug. Tales in Societate S. Ignatium, S. Xaverium, P. Laynes, aliosque habuimus et habemus (Deo sit laus) qui omnibus animi sinceritatem, alacritatem, lætitiã, beneficentiam, beneficentiam exhibent et instillant: ut toti mellei semper mella, nunquam fella fundere videantur.

**ET SUCCIDI TRES PASTORES.** Quinam hi tres? Primo, S. Hieron. Remig. Albertus, Hugo et Ribera, accipiant Mosen, Aaron et Mariam eorum sororem et Prophetissam: Moses enim erat pastor populi in civilibus, Aaron in sacris, Maria præerat feminis, Exodi 15. 20. Eodem enim mense primo, puta Martio, quo mortua est Maria, lata est sententia mortis a Deo in Mosen et Aaron, Num. 20. 1. qui et paulo post eodem anno, qui fuit quadragesimus ab exitu ex Ægypto, mortui sunt, nimirum, Aaron die 1. mensis 5. puta Iulii, Num. 33. 38. Moses vero die 7. mensis Adar, id est, Februarii, Deuter. 34. 7. Huc sane quasi ad præteritam alludit propheta, sed aliud intendit prophetare de futuro. Secundo, alii intelligunt tres primos reges Israel, scilicet Saulem, Davidem et Salomonem; alii, ut Lyran. Ioram, Ochoziam, et Iezabel, quos Deus occidit per Iehu. Melius R. David accipit tres Iosia filios et reges, scilicet Ioachaz, Ioakim, et Sedeciam, quos Deus per Chaldaeos intra 22. annos regno privavit. Verum hi

omnes iam pridem successi erant: hic autem Propheta prophetat de futuro: narrat enim quomodo ipsemet pastor constitutus a Deo, per duas virgas paverit et rexit populum, ut hoc ipso cum duobus modis deinceps a Deo regendum representet.

Quocirca Tertio, aptius Arias tres pastores accipit Iudam, Ionatham et Simonem, fratres Machabæos, quos Deus uno mense annorum, id est, intra triginta annos sustulit; sed sub his tribus posteris, reliquosque populi principes usque ad Christum intellige. Hi enim populum rexerunt uno mense, id est, paucò tempore, virga decoris, et cum ea a Deo ob iniquitatem et rebellionem populi, præsertim dum Christo restitit eumque occidit, a Deo successi sunt, uti sequitur. Alludit ad pastores gregum, qui coacti ad eum pascendum, vel pecorum indomita feritate, vel nimio labore fracti, primo mense munus pastoris resignant, et a grege discedunt. Sic enim Deus misit sæpe ad Iudæos bonos pastores, id est, principes, Prophetas et pontifices pios, unum post alium continuo; sed hi vel Iudæorum pervicacia et malitia superati munus reliquerunt, vel tædio et labore consumpti sunt, vel a Iudæis occisi sunt, ut eis impropere Christus Matth. 23. 37. Quocirca Deus hoc munere pastores tales submitendi defessus et quasi tædio victus, statuit eos omnes cum virga decoris succidere et abrumperè, ac populum quasi gregem indomitum permittere sibi, ut sine lege et rege exeret quocumque ei liberit.

Mystice, Christus instituens Ecclesiam quasi novam Dei rempublicam, intra mensem, id est, brevi tempore, sustulit triplices legis veteris pastores, scilicet, principes, Prophetas et sacerdotes: ita Theodor. et Vatabl.

**ET CONTRACTA EST**, Hebr. **וַתִּקְצַר** *vulliktsar*, id est, angustiata est, q. d. Præ molestia et tristitia coarctata, et quasi contracta est anima mea, in eis. Id est, propter eos (eorum causa et respectu) Iudæos scilicet, ideoque abstuli ab eis tres pastores iam dietos. Symmach. et Theodor. vertunt, *anima mea exanimata est*; Septuag. *gravata est*; alii, *nauseat in eis*.

**SIQUIDEM ET ANIMA EORUM VARIAVIT IN ME.** Scilicet in meo cultu et in legis meæ obedientia, q. d. Nunc mihi obedientes fuerunt, nunc inobedientes, nunc me coluerunt, nunc suas cupiditates. Unde Chald. *anima eorum detestata est cultum meum*: deseram ergo eos quia ipsi priores deseruerunt me: detestor eos, quia ipsi prius detestati sunt me. Unde Septuag. *anima eorum rugiebat super me*; Aquila, *anima eorum immaturavit in me*, id est, stipitica, pontica, acerba (tales enim sunt fructus, v. g. pyra et poma immatura) fuit in me, aut me reiecit et vomuit, sicut os et stomachus reiiciunt et evomunt fructus rudos et immaturos; Symmach. *anima eorum invaluit in me*; Tigurina, *detestata est me*; Vatabl. *abhorruit a me*; alii, *dissoluta est in me*; alii, *nauseat in me*. Hebr. enim **בַּחַל** *bachal*, per metathesin alludit ad **חַבַּל** *chabal*, id est, ligaturæ; ligamus enim et fasciamus stomachos et membra dolore solata et languida; unde R. Moses loco paulo ante citato, putat alludi ad secundam virgam, quæ v. 7. vocatur *chobelim*, id est, dissipantes, demolientes, q. d. Quia hi pastores sunt *chobelim*, id est, dissipantes gregem meum, ideoque anima mea **בַּחַלָּה** *bachala*, id est, detestatur eos. Melius dicemus alludi ad **חַבַּלִּים** *chabalim*, id est, funiculi, q. d. Quia anima ipsorum *bachala*, id est, detestatur me, hinc ego dabo ei virgam *chabalim*, id est, funiculorum, camque quasi ream funibus et vineulis constringam. Porro per *eorum* et *eos*, Iudæos intellige, tum subditos, tum pastores: utrique enim recesserunt a Deo, licet enim Iudas, Ionathas et Simon Machabæi, recte paverint populum, tamen non recte paverunt Aristobulus et Hyreanus inter se de pontificatu decertantes; item Scribæ, Pharisei, pontifices et principes qui fuerunt sub tempora Christi.

Alludit ad Hebræos in deserto, qui variantes et fluctuantes animo, sæpe murmurarunt contra Mosen et Deum, volentes reverti in Ægyptum ad porcos et ollas carnum, ac nominatim Numer. 21. 5. *Deest, inquit, panis, non sunt*

- 1. Dos principis humilitas.
- 2. Affabilitas.
- 3. Equanimitas.
- 4. Magnanimitas.
- 5. Patientia.
- 6. Beneficentia.
- 7. Candor.
- 8. Charitas.
- 9. Urbanitas.
- Vers. 8. Tres pastores, qui?

*aque, anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo,* A  
puta super manna; quibus murmuribus adeo et toties fa-  
tigarunt Mosen, ut ipse peteret missionem a Deo, ac tan-  
dem dubitaret de Dei promissis, an scilicet Deus ex petra  
daturus esset aquas quas promiserat populo, idque ob po-  
puli malitiam et rebellionem: qua de causa et pastoratu  
sive principatu et vita a Deo privatus est in deserto, Num.  
20. 12. Similes, imo peiores fuerunt pontifices, Scribæ et  
Pharisæi tempore Christi: similis eis fuit populus, nan-  
seans, varians et nutans in lege et cultu Dei, ac proinde  
Deus pariter nauseans utrosque abiecit, suumque regimen  
decoris et amoris, mutavit in regimen funiculi, id est, ter-  
roris, minarum et verberum. Unde subdit:

Vers. 9. **NON PASCAM VOS.** ) q. d. Sicut patres vestros ob mur-  
mura et scelera in deserto deserui, imo damnavi omnes ad  
mortem, ut scilicet omnes morerentur in deserto, et nemo  
eorum ingrederetur in terram promissam, Numer. 14. 22.  
Insuper serpentes, ignem, aliasque plagas in eos immisi,  
fecique ut alii alios rebellantes mactarent, ut patet Exo-  
di 32. 28. et Numer. 25. 2. ita pariter vos mihi rebelles,  
imo Christi, quem amantissimum et suavissimum vobis  
dedi pastorem, hostes et parrieidas, deseram, daboque in  
prædam, ac perdam per Romanos, adeo ut in vicem gras-  
smini, mutuoque vos conficiatis, et devoretis: ita Clarius  
et Vatabl. Hoc enim est quod subdit:

**QUOD MORITUR, MORIATUR; ET QUOD SUCCIDITUR, SUC-  
CIDATUR: ET RELIQUI DEVORENT UNUSQUISQUE CARNEM  
PROXIMI SUI.** ) q. d. Mors, succisio et devoratio vestri non  
est mihi curæ, permittam vos mori, succidi, devorari,  
nec tantum permittam, sed et efficiam. Videtur tria fla-  
gella significare et comminari, scilicet, pestem, bellum  
et famem, q. d. Desinam eos regere in elementia et man-  
suetudine, ac regam eos tribus hisce plagis, inquit Vata-  
bl. Hac de causa Zacharias idipsam in se, suaque virga  
decoris quasi pastor repræsentans, eam conscidit et con-  
fregit, eiusque vice aliam minacem et sævam assumpsit,  
quam proinde vocavit Funiculum. Unde ait:

Vers. 10. **ET TULI VIRGAM MEAM QUÆ VOCABATUR DECUS, ET  
ABSCIDI EAM.** ) q. d. Sustuli hoc regimen meum meosque  
pastores, qui populum meum regebant cum decore et a-  
more, induxi que aliud, quo eos rexi funiculis et flagellis,  
quasi mancipia, imo quasi boves et asinos. Itaque hæc  
virga decoris symbolice, ad litteram conscissa et difra-  
cta est per Zachariam, ut ipso facto repræsentaret in  
morte Christi diffringendum esse regimen amoris, quo  
Dens eosque rexerat Iudæos.

**UT IRRITUM FACEREM FŒDUS MEUM QUOD PERCUSSI  
CUM OMNIBUS POPULIS.** ) Hinc S. Hieron. et alii putant  
hanc virgam decoris significare fœdus Dei cum Noe, o-  
mnibusque gentibus ex eo prognatis statim post diluvium  
initum, quod ob earum idololatriam et infidelitatem pau-  
lo post rescidit, quando cæteris gentibus relictis et re-  
iectis, fœdus aliud et peculiare iniit cum solo Abraham  
eiusque posteris, scilicet Israelitis, Genes. 7. 2. Verum e-  
sto eo alludat Propheta, tamen proprie vaticinatur de fu-  
turo, scilicet fœdus et regimen amabile et placidum, quo  
Iudæos regebat et reclusus erat, ob eorum rebellionem  
confringendum esse in morte Christi. Tunc enim irritum  
factum est fœdus Iudaicum et vetus testamentum.

Dices: Quomodo hoc dicitur initum cum omnibus po-  
pulis? nam constat initum cum solis Iudæis. Resp. quia  
tunc non erat aliud fœdus Dei in mundo, quam fœdus hoc  
Iudaicum, ac proinde quicumque e Gentibus huius fœde-  
ris Dei volebant esse participes, debebant fieri proselyti et  
indaismum capessere. Secundo, quia fœdus prius a Deo  
cum Noe et omnibus gentibus initum, tractatum est ad  
Abraham et Iudæos, in iisque permansit; itaque quoad  
sui originem initum fuit cum omnibus gentibus, æque ac  
quoad sui consistentiam et statum; non enim Gentes ab  
hoc fœdere exclusæ sunt, sed potius inclusæ: poterant  
enim ille iudaismum suscipere, itaque fœderi huic se in-  
serere, præsertim quia Abraham fœderis huius principi di-  
ctum erat a Deo: *In semine tuo benedicentur omnes gen-  
tes*, Gen. 22. 18.

**ET COGNOVERUNT SIC PAUPERES GREGIS.** ) q. d. *Sic*, Vers. 11.  
id est, ex illo meo gubernandi modo cognoscent humiles  
et mansueti, puta Apostoli cæterique fideles; qui custo-  
diunt Dei voluntatem, dicentem admirantes, Domini hoc  
verbum, id est, iussum et opus esse, qui Iudæos impios  
impune abire non sinit. Laudant ergo hoc Dei verbum in  
Iudæos iustum, in se vero misericors; perinde ac olim A-  
braham, Isaac et Iacob cognoverunt et laudaverunt meum  
iudicium, quo fœdus in Noe cum gentibus initum ob ea-  
rum infidelitatem et apostasiam rescidi, novumque cum  
Abraham et posteris iniit. Nota τὸ *qui custodiunt mihi*,  
id est, in mei gratiam, supple præcepta mea. Unde Pa-  
gnin. et alii vertunt, *qui custodiunt me*, scilicet quasi præ-  
tiosissimum thesaurum, quo affatim sunt divites, licet al-  
ias sint pauperrimi; Chald. *qui custodiunt voluntatem  
meam*; Tigurin. *qui observant me*, id est, meum os, mea  
iussa et mandata. Septuag. *oves quæ custodiuntur mihi*:  
qui enim peculium est Dei, ut dicere possit cum Aposto-  
lo: *Viro ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*, huic  
vieissim peculium, sors et pars est Deus, eique dicere po-  
test: Sors mea Dominus: *Dominus pars hæreditatis meæ  
et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*,  
psalm. 15.

**ET DIXI AD EOS.** ) Scilicet pauperes gregis, inquit S. Vers. 12.  
Hieron. qui me volentem abire a cura pastorali retinere  
cupiebant, et consequenter idem dixi ad alios omnes,  
quorum eram pastor, q. d. Dixi ad Iudæos: Si me pasto-  
rem cupitis, curæ et laboris mei pretium ac mercedem  
mihi constituite: sin minus, quiescite; ego pariter a vestri  
cura quiescam et abibo: nec enim pastor gratis pascit  
gregem, sed iustam pasturæ suæ compensationem depo-  
scit. Hæc omnia dixit et gessit Zacharias, non reipsa,  
sed mentaliter per visionem imaginariam, ait Vatabl. vi-  
debatur enim sibi (Deo id ei in mente repræsentante) hæc  
dicere, posseque pretium sui pastoratus, ac Iudæos illi  
statuere pretium triginta argenteorum, quod cum vile vi-  
deretur, iussu Dei proicere illud ad statuarium; ut per  
hanc visionem symbolice repræsentaret pretium quo Iu-  
dæi æstimaverunt Christum, eiusque in pascendo operas,  
dum cum triginta argenteis appetiarunt, emeruntque a  
Iuda, ut eum quasi pseudopastorem, imo tyrannum occi-  
derent et eruefigerent. Christus enim pastor Iudæorum,  
pavit eos in virga decoris, quæ proinde in eius morte a  
Deo conscissa et contrafacta est. Dicit ergo Zacharias in ty-  
po et persona Christi: *Si bonum*, etc. q. d. Si æquum vo-  
bis, o Iudæi, videtur, mihi Deo vestro pro vobis incarna-  
to, vosque in carne assumpta summo decore et dignatio-  
ne pascenti, docenti et regenti, assignate et date mercedem  
iustam et debitam huic meæ in vos providentiæ, cu-  
ræ et charitati, scilicet summam gratiarum actionem, o-  
bedientiam, honorem et cultum; *et si non*, q. d. Si id vo-  
bis non placet, vos non cogo: nec enim vestra mercede,  
cultu aut laude indigeo. Ad Christum enim hæc pertine-  
re ad litteram, docet S. Matth. cap. 27. 9. Quocirca ex  
hoc loco plane confirmatur expositio duarum virgarum,  
quam v. 7. assignavi: applicando eas ad Christum eius-  
que tempora: Zacharias enim hic repræsentat Christum,  
tam in persona, quam in facto suo, inquit a Castro. Nam  
sicut pro munere suo pastoritio exigebat pretium iustum,  
puta fidem et pietatem ex corde; ac pro eo datum est ei  
vile pretium triginta argenteorum: ita Christus postula-  
bat a Iudæis pro suo evangelizandi munere ut sibi crede-  
retur, et ut Messias Deique filius haberetur. At illi pretio  
triginta argenteorum eum æstimaverunt. Et sicut pro-  
pterea indignatus Propheta proiecit pretium, et eos qui il-  
lud dederant; ita Christus proiecit Iudæos, eosque tradi-  
dit Romanis devastandos.

**ET APPENDERUNT.** ) In libra ad iustum pondus. Olim  
enim pecunia non erat signata, sed ad certum pondus app-  
pendebatur, v. g. in pretium rei dabant tot vel tot dra-  
chmas, uncias, libras, talenta auri vel argenti. Hinc et post-  
ea cum pecunia signata fuit, certi ponderis esse debuit,  
et etiamnum esse debet. Quocirca siclus, qui erat com-  
munis moneta, ut esset iustus, poudere debebat 4.

drachmas, uti dixi Exod. 30. 13. quantum ponderant 4. Iulii Romani, vel 4. Regales Hispanici. Hinc et שקל שקל *sechel*, id est, sielus, hebr. dicitur a שקל *scital*, id est, appendere, ponderare. Sielus ergo idem est quod pondus, scilicet certum auri, vel argenti.

TRIGINTA ARGENTEOS.) Scilicet sielos, inquit Maldonatus, Perer. Salmeron et alii in Matth. 27. Christus ergo a Iuda venditus videtur 30. sielis, hoc est 30. florenis Brabanticis, quo pretio servi occisi vita aestimabatur, et redimenda erat ab occisore, iuxta legem Exodi 21. 32. Servo ergo eiusque vite Christus eiusque vita æquiparatur hic a Iuda et Iudeis.

Verum quia Ieremias e. 32. 9. staterem, id est, sielum, ut habent Hebræa, distinguit ab argenteis, ait enim, *Appendi ei argentum septem stateres, et decem argenteos*: et quia Budeus l. 5. de Asse, quem sequitur Suarez, Ribera et alii, asserit se Parisiis vidisse nummum quo venditus est Christus, eumque appendisse tantum duas drachmas Atticas, sive duos Iulios, aut duos Regales Hispanicos; hinc verisimilius videtur, argentum fuisse dimidium sieli, et duplum denarii. Argenteus ergo sunt duo Iulii, vel duo Regales, puta dimidium florenis Brabanticus.

Quocirca Christus venditus 30. argenteis, venditus fuit 15. florenis Brabanticis, sive sex scutis, hoc est sex aureis Romanis. In hac sententia magis confirmatus sum Romæ, ubi in templo S. Crucis in Ierusalem, cum parte sanctæ crucis, clavo et spinis a S. Helena eo delatis, vidi nummum unum ex hisce 30. argenteis, quibus venditus est Christus. Hic enim est instar duorum Regalium, imo minor Regali duplici decem assium, sive staterum, sed paulo crassior. Hinc quoque Zacharias hoc pretium per ironiam vocat *decorum*, id est, indecorum et vilissimum.

Nota. Quia Christus tam vili pretio venditus est, hinc hæc sui humiliatione et vili æstimatione meruit fieri et esse pretium nostræ redemptionis, itemque peccati, quod pari modo rem vilem cum Deo appendit et appetit. Peccator enim escam unam, furtum unius floreni, concupiscentiam unam turpem, punctum honoris, etc. cum Deo opt. max. imo præ Deo appetit, ponderat et æstimat, adeoque Deo ipsi anteponeit, ipsique præligit, cui tantæ in Deum iniuriæ et vilipensionis ut satisfaceret Christus, hinc similiter tam vili et indigno pretio vendi voluit, ut moraliter nos doceret, patienter ferre nostri despectum, contumelias et probra. Quis enim nos ita despicit et vilipendit, ut non pluris æstimet triginta argenteis, quibus Christus æstimatus et vilipensus est? Gravissima enim fuit hæc ignominia et iniuria Christi, utpote Filii Dei vivi, et totius creature Domini, cuius proprietatis est esse inæstimabile: quia eius valor et dignitas est quaquaversum infinita. Auxit iniuriam, quod a discipulo, quem in Apostolum e tot millionibus hominum elegerat, sit venditus, idque infensissimis Christi hostibus eius sanguinem sitientibus: tales enim erant Scribæ et Pontifices. Unde eius typus fuit Ioseph, qui a fratribus fuit venditus Madiianitis. Hinc illa Christi gravis querela Psalm. 54. 13. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Tu vero, o Iuda, homo unanimitis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebam cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Tropolog. voluit Christus nobis dare exemplum heroicæ summæque humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, charitatis, etc. imitandæ et exercendæ, ac nominatim Prælati tolerandi, imo curandi difficiles, malos et rebelles subditos. Illi enim in quantum onus gubernandi aggravant, in tantum virtutis meritum adaugent: et ut ait S. Bern. epist. 37. *In quantum gravaris, in tantum lucraris.* Ita S. Martinus Brictionem Clericum suum, assiduamque detractorem officio privare noluit, dicens: *Si Christus passus est Iudam, cur ego non putar Brictionem?* Hac patientia et humilitate adeo eum vicit, ut linguam vitamque mutarit, sanctus evaserit, et S. Martino in episcopatu successerit. Testis est Sulpitius dial. 5. de vita S. Martini qui et addit, hæc omnia Brictioni prædicta fuisse a Martino.

Tropol. vili pretio vendunt Christum, qui Sacramenta,

A Beneficia, iustitiam, castitatem suam, etc. pretio temporali nudantur et vendunt. Christus enim est veritas, iustitia, castitas; ita Salmeron in Matth. 27. Et S. Bern. serm. 1. de Corna Domini: *Quid, ait, est vendere? Alienare. Dominum vendit, qui a se Dominum alienat. O discipule Christi, te diabolus querit avellere, te extrahere de grege Domini. Vide ne consentias ei. Te vult occidere. Cave a mursumis: foveæ diaboli sunt: Iudas dum silit lucrum, tendit ad laqueum: dum perdit vitam, lucratur mortem.*

ET DIXIT DOMINUS AD ME: PROICE ILLUD AD STATUARIUM.) Hebr. יוצר *iotser*, communiter significat figulum, qui ex luto vel argilla fingit et format vasa vel statuas. Unde Aquila teste Eusebio l. 10. Demonstr. 4. vertit, *plastem*; Tigurina, Arias et Clarius, *figulum*. Secundo, *iotser* generatim significat eum qui ex ære, auro, argento, aliove metallo, vel materia rem aliquam, v. g. idolum vel statuam, effingit. Unde Septuag. et Symmach. vertunt, *proice eos ad conflatorium*, id est, ad conflatorium, puta ad monetarium, sive ad argentarium, vel aurifabrum, qui ponderat et cudit, vel conficit monetam, eiusque pretium æstimat, ut scilicet ille, cuius est pecuniæ valorem æstimare, iudicat an hoc sit condignum mæ personæ, æque ac laboris et pastoratus mei pretium. Hinc S. Hieron. vertit, *statuarium*, quod nomen commune est ad figulum et conflatorem. *Pro plaste atque fitore*, inquit S. Hieron. *statuarium olim interpretatus sum, verbi ambiguitate compulsus, quod statuarium fitoremque uno sermone significat.* Tertio, Chald. R. David, Pagnin. et Vatabl. censent יוצר *iotser* positum pro יוצר *otser*, id est, thesaurarius, vel præfectus thesauri, scilicet templi, sive domus Domini. Omnes hæc versiones eodem tendunt. Iubet enim Deus hic Zachariæ per visionem imaginariam, ut hos triginta argenteos quos ei pro mercede assignarant Iudæi, indignabundus proiciat in templo ad pedes sacerdotum, præsertim thesaurarii templi, ut illi æstiment vilitatem huius pretii, idque ad hoc, ut ipso facto representent venditionem Christi, et vilitatem pretii quo emptus est Christus, eiusque sanguis innocentissimus ad mortem, ideoque sacerdotes illud in carbonam non illaturos, sed daturos figulo, ut ab eo emanet agrum in sepulturam peregrinorum, Matth. 27. 7.

Nota primo: omnia hæc per visionem facta esse. Videbatur enim Zacharias in phantasia petere sui laboris pretium a Iudæis, illique ei assignare triginta argenteos, sed deinde eos proicere in templo ad pedes thesaurarii. Causa fuit, ut hæc visione representaret realem projectionem argenteorum in templo, quibus venditus est Christus, factam a Iuda. Fuisse enim visionem, non realem acceptionem et projectionem triginta argenteorum, colligitur ex eo, quod Zacharias non fuerit pastor, sed Propheta populi. Unde pastoris pretium ab eo non potuit exigere; et si prophetandi, id est, concionandi, mercedem exegisset, utique ei non tam vilem, sed decentem et honestam assignasset. Hæbat enim Zachariam populum in honore et veneratione: nam ad eius prophetiam et instantiam fabricavit templum, tam operosum et splendidum, ut patet 1. Esdræ 5. v. 1. Sic Ezechiel e. 1. reipsa non vidit currum cherubicum Dei, sed per visionem. Sic Isaias e. 8. 3. accessit ad Prophetissam, illaque peperit, non reipsa, sed per visionem. Hinc Propheta vocati sunt Videntes. Si quis tamen non per visionem, sed reipsa hæc a Zacharia peracta esse contendat, ad Christi venditionem reipsa representandam, non traham cum eo contentiosum funem, nec repugnabo, præsertim quia Zacharias reipsa videtur assumpsisse duas virgas pastorilias, quarum unam vocavit Decorem, alteram Funiculum; ac deinde reipsa induisse vasa pastoris stulti, ut ipse v. 15. ait sibi iussum a Deo. Simili enim modo Isaias e. 20. reipsa nudus incessit, ut reipsa representaret populi nuditatem et spoliationem. Similiter Ezechiel e. 4. reipsa obsidionem urbis in latere depinxit, et finem hominum comedit, ac dormivit 390. dies in uno latere, ut reipsa representaret obsidionem Hierosolymæ, eiusque famem et

Christus venditus fuit sex aureis.

Hinc meruit esse pretium peccati.

Vers. 15.

Fuit hæc visio, non realis actio.

diurnitatem. Similiter Osee c. 1. reipsa duxit fornicariam, et ex ea genuit filios fornicationum, ut reipsa repræsentaret mysticam fornicationem, id est, idololatriam, populi. Talia plura magisque portentosa egerunt Prophetae, quia a Deo facti sunt portentum Israelis et orbis, uti ait Isaias c. 8. 18. Nec mirum videri debet, populum tam exiguum pretium assignasse Zachariae, tum quia depauperatus erat: recens enim redierat e captivitate Babylo-nica, et magnos sumptus fecerat in fabrica templi, murorum urbis, et domorum suarum: tum quia Dei instinctu et directione id fecit, ad repræsentandum vile pretium, quo posteri aestimaturi et empturi erant Christum.

Nota secundo: Zacharias hic quasi in comœdia hæc videt et agit in persona, non sua, sed Christi: Christi enim personam hic induit, eumque symbolice et hieroglyphice repræsentat. De Christo ergo ad litteram hæc eius symbola explicanda sunt. Sicut enim in comœdia actor qui agit personam S. Laurentii, ad litteram significat dicta et facta, non sua, sed S. Laurentii; ita et hic Zacharias quasi actor, repræsentat in scena venditionem Christi per hæc sua symbola.

Nota tertio: Zachariae Christum repræsentanti dici a Deo, *Proiice*, cum Iudas proiecerit argenteos, non Christus: qui scilicet Christus innocentia sua, et prædictione proditiōnis Iudæ, eius conscientiam pupugit et impulit, ut argenteos referret et proiiceret in templo. Nam cum videret Christum a se venditum, iam a Iudæis tradendum morti, in se reversus, licet sero pœnituit doluitque, quod ipse sua venditione causa esset cur occideretur Christus, cuius innocentia et charitatis per triennium testis oculatus fuerat, quemque sciebat esse Prophetam et virum divinum, adeoque sibi hunc suam proditiōnem prædixisse. Unde Christi sanctitas et prædictio, ac consequenter conscientia tam immanis sceleris impulit eum, ut proiiceret argenteos, scelusque suum publice apud sacerdotes complices profiteretur, dicens: *Peccavi tradens sanguinem iustum*. Zachariae ergo dicitur, *Proiice*, id est, prædic proiiciendum a Iuda, Christi venditi pretium: Christo vero Zachariae antitypo dicitur, *Proiice*, id est, compelle et coge tua virtute, et stimulis conscientia inflixit Iudæ, ut is sceleris pœnitens proiciat pretium, quo te Deum et Dominum suum immani sacrilegio vendidit, ut ipsi videant pariter immanitatem suæ simoniae, qua Sanctum sanctorum tam vili pretio emerunt, ideoque illud, utpote vilissimum divini sanguinis pretium, non vasis usibusque templi assignent, sed in pauperes erogent, et sepulturae peregrinorum attribuant.

Nota quarto: sicut in comœdiis, symbolis, et parabolis quædam adduntur ad elegantiam comœdiæ, symboli, vel parabolæ, quæ rei significatam non conveniunt, et vice versa quædam sunt in re significata, quæ in comœdia vel parabola subticentur, imo subinde repræsentari non possunt, eo quod typus per omnia non respondeat antitypo; ita fit et hic. Nam Primo, Zacharias hic, uti exigit, ita et recipit pretium: Christus autem quem significat, exegit quidem pretium a Iudæis, at illud recepit, non ipse, sed Iudas proditor. Itaque hic indignitas antitypi longe excedit indignitatem typi. Quod enim Christus a Iudæis sit appetiatus triginta argenteis, sed ii dati sint non Christo, sed Iudæ eius proditori, longe vilis et indignius est, quam quod Zacharias appetiatus sit triginta argenteis, cum eos ipsemet receperit, id est, per visionem sibi recipere sit visus. Secundo, Zacharias proiecit argenteos quasi indignum sui pretium ad statuarium, vel figulum, nec exprimit quare, vel quid de iis sit factum. S. Matthæus vero hæc ipsa exprimit, scilicet, ideo eos datos esse figulo, ut ab eo emeretur ager in sepulturam peregrinorum, additque id factum esse ex Dei voluntate et decreto, dicens: *Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*. Tertio, Zacharias indignans tam vile pretium sibi dari, proiecit argenteos: Christus vero sui pretium uti non accepit, ita nec proiecit; sed ipse Iudas, idque non ex indignatione tam vilis pretii, sed ex sceleris conscientia et facti pœnitentia. Causa harum dispa-

Tria dis-  
paria  
in Zacharia  
et S.  
Matth.

ritatum est quod non decebat, imo fieri vix poterat, ut Propheta sanctus agens personam Christi, simul ageret personam Iudæ proditoris, eiusque facta et scelera in se assumeret: repræsentat ergo ea subeundo personam, non Iudæ, sed Christi. Quod enim in hac venditione sui passus est Christus, hoc egit, eique inflixit Iudas.

Quocirca licet certum sit Zachariam hic venditionem et pretium Christi adumbrasse, et quasi in scena repræsentasse, tamen ob disparitates iam allatas censent multi, S. Matthæum c. 27. v. 9. ubi idipsum a Propheta prædictum docet, directe et proprie non citare hunc locum Zachariae sed Ieremiæ. Ait enim: *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati* (Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 40. legit *honorati*, hoc est decorati, quasi respiciat ad *decorum pretium*, de quo mox Zacharias) *quem appetiaverunt a filiis Israel: et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*. Hæc enim verba multum differunt ab hisce Zachariae: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proiice illos ad statuarium, decorum pretium quo appetiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et proieci illos in domum Domini ad statuarium*. Cum ergo non sint Zachariae, videntur esse Ieremiæ: Ieremiæ enim nomen apud S. Matthæum constanter legunt Biblia Latina et Græca, tam moderna quam vetera, paucis exceptis. Romæ enim in Biblioth. Angelica Patrum Eremit. S. August. vidi vetusta Biblia manuscripta, in quibus deerat nomen Ieremiæ. Unde cum hæc verba non reperiantur in prophetia Ieremiæ, quæ nunc extat, multi censent olim in ea exlitisse, et a Iudæis esse erasa: aut potius ea scripta fuisse in aliquo alio Ieremiæ libro, qui intercidit. Unde S. Hieron. in cap. 27. Matthæi: *Legi, inquit, nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarae sectæ mihi Hebræus obtulit, Ieremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi*. Idem censent Orig. tract. 35. in Matth. Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 39. Euseb. l. 10. Demonstr. c. 4. S. August. lib. 3. de Consensu Evang. c. 7. a Castro hic. Alii tamen ex adverso censent, Matthæum citare hæc ex Zacharia, ac pro eo liberiorum incuria irrepisisse nomen Ieremiæ, tum quia Syrus, et nonnulli codices Evangeliorum Latini, olim teste S. August. loco iam citato, non habuerunt nomen Ieremiæ. Idem testantur Lyran. Rupert. et alii, quos citat Franc. Lucas in Notation. Matth. 27. Tum quia Evangelistæ Prophetas subinde citant non quoad verba, sed quoad sensum, præsertim quia Zacharias hic quasi comœdum agit Christi futuri: comœdus autem, uti comice et scenice repræsentat verba et facta præterita, ita multo magis futura. Quæ ergo Zacharias symbolice, obscure et concise more suo adumbravit ut futura in Christo, hæc discrete, clare et fuse in eodem impleta enarrat S. Matthæus. Hanc sententiam probabilem censent et sequuntur S. Hieronym. Baron. anno Christi 34. Iansen. Maldon. in Matth. 27. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 34. sect. 1. et alii magni iudicii viri.

D DECORUM.) q. d. Egregium vero dignumque hoc est mei laboris pretium. Est ironia. Similis est illa Poetæ:

*Egregiam vero laudem, et spolia ampla refertis.*

Alludit ad virgam decoris vers. 7. eique patheticam figit antithesin, q. d. Ego vos virga decoris decore rexi: vos indecorum et indignum mihi præmium rependitis. Ego omnem meum amorem et beneficentiam in vos exhausti: vos me meumque laborem et amorem non pluris quam triginta argenteis aestimatis. Hoc scilicet mei decoris et amoris decorum est pretium, hæc tantæ meæ dignationis digna est merces.

Moraliter idem sibi a Christo dici et exprobrari cogitet sacerdos, Religiosus, Christianus parens et accedus in Dei cultu et obsequio: Ego pro te vitam et animam dedi: tu vix pedem ultra debitum, mei amore movere vis. Ego pro te sudavi sanguinem et aquam: tu pro me guttulam sudoris in lucro animarum, in obedientiæ munitis emitte-  
ca vox Christi ad par-  
cos et  
accedos.

universos: tu mei causa vel uni postponi recusas. Hæc scilicet decorum est meæ charitatis, humilitatis, patientiæ pretium, quod mihi rependis? Dicit ergo anima saucta et fervens Christo:

*O nimium nostros, nimium miserate labores,*

*O nostri nimium, nil memor ipse tui.*

*Non genus humanum, non tanti machina mundi,*

*Non tanto merces digna labore fuit.*

*Scilicet æterni proles æterna parentis*

*Factus homo, soutes ne moriamur, obit?*

*O duri, inquit S. Bernardus serm. 2. de Pentecost. et indurati, et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarcinulis, tam pretiosas merces expendit. Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abunde: quia largiter undæ sanguinis de corpore Iesu, per quinque partes emanaverunt.*

Vers. 14. **ET PRÆCIDI VIRGAM.**) Sicut v. 10. conscidit priorem virgam nuncupatam Decorem, quæ significabat regimen amoris suave et blandum, eo quod illud aspersionentur duri et rebelles Iudæi; ac assumpsit alteram nuncupatam Funiculum, quæ significabat regimen terroris et flagellorum, quod scilicet eos quasi servos regebat verberibus et flagris (quo modo eos rexit post necem Christi per quadraginta annos usque ad Titum, quibus varias clades a Romanis aliisque gentibus acceperunt Iudæi, quarum multas in libro 7. de Bello Iudaico describit Iosephus; hæ enim præludia fuerunt ultimi belli et excidii:) ita cum vidit illos ne his quidem emendari, sed plane in peccatis suis obdurescere, confringit pariter hanc virgam, ac eorum curam et regimen deponit, eosque deserit. Factum id post mortem Christi, anno circiter quadragesimo, quo Iudæos tradidit Tito et Romanis vastandos, fecitque ut eorum resp. regnum, gens, Ecclesia, religio, urbs et templum franditus evertentur: ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Lyran. Ribera et alii.

**UT DISSOLVEREM GERMANITATEM.**) Septuag. *ædus;* *Tigurin. fraternam unitatem,* id est, amicitiam germanam et fraternam, quæ sub Davide et Salomone fuerat inter Iudam et Israel, puta inter duas et decem tribus. Alludit ad schisma, quo Israel sub Roboam recessit a Iuda et domo David, sibi que fecit Regem Ieroboam, et novos deos, puta vitulos aureos, quibus templa erexit in Dan et Bethel: sed per hoc significat futuram reipublicæ Iudæorum dissolutionem, dispersionem, ruinam. Nam sub tempora Christi Hyrcanus et Aristobulus fratres de principatu et pontificatu decertantes, causa fuerunt cur Pompeius invaderet Iudæam. Et post Christum proprie a Tito et Romanis dissoluta est germanitas, id est, fraternitas et societas Iuda et Israel, qua prius sub uno duce, unaque religione et lege conspirabant in unam Ecclesiam et rempubl. Hanc enim Titus, plane dissolvit et evertit, ac Iudæos patria expulit, et toto orbe dispersit. Adeo enim tunc soluta fuit eorum germanitas et cognatio, ut ipsi eam ignorent, nesciantque ex qua tribu aut familia sint oriundi. Nominat Iuda et Israel; tum quia alludit ad schisma, quod fecit Israel a Iuda sub Roboam; tum quia multi ex Israel, id est, decem tribubus, in schismate Roboam iunxerunt se Iudæ, vel post schisma ad unionem cum Iuda redierunt, quorum unio et societas plane dissoluta est per Titum: tum denique, quia mystice Iuda, id est, confitens representat Iudæos fideles, qui Christum amplexi, per eum servati sunt, tam anima, quam corpore: excidium enim Titi evaserunt; quia moniti a Deo, e Ierusalem ante obsidionem excesserunt, uti alibi dixi ex Eusebio. Israel vero schismaticus representat Iudæos infideles, qui Christum respicientes a Tito excisi sunt: ut sensus sit, q. d. sicut sub Roboam Deus, et domus David ac Iuda repulit a sua Ecclesia, regno et templo Israel, id est, decem tribus schismaticas; sic idem Deus per Christum, qui est typicus David, sibi credentes Iudæos separabit a non credentibus et infidelibus, tum in strage Titi, tum in die iudicii, tam particularis, quam universalis,

quo fideles cælo, infideles tartaro adiudicabit, ut fideles sint filii et hæredes Dei, infideles vero diaboli: ita S. Hieron. Theodor. Hugo Ribera et alii.

**ADHUC SUME.)** Huc usque Propheta egit pastorem sapientem et bonum, ut Deum pastorem populi ac pastores ab eo submittebat, v. g. Machabæos, et maxime Christum representaret, qui virga decoris, id est, amore et cura paterne, rectori essent Iudæos, ac rebelles virga funiculi, id est, terrore et minis, flagellaturi. Iam præcipit ei Deus ut ex adverso agat personam, induatque habitum pastoris stulti et pravi, qui se unum curat, et gregem negligit; ut ostendat Iudæos in tales incisuros, eo quod Deum pastorem optimum, et vicarios ab eo submissos aspersionati sint. Simili modo Christus huc alludens Ioan. 20. vocat se pastorem bonum, qui totus gregi invigilat, et animam dat pro ovibus, ac se opponit mercenario, qui sua comoda quærit; ideoque veniente lupo fugit, eique oves laniandas permittit. Sic et Ezechiel c. 34. fusc falsos pastores Israelis taxat, eorumque mores describit, ac tandem vers. 23. promittit Deum iis amotis suscitaturum verum pastorem, Christum Dominum.

**VASA PASTORIS STULTI.)** Sept. *imperiti;* Chald. *gubernatoris insipientis* non speculative, sed practice, qui scilicet imperite et stulte regit gregem, quia sibi uni sapit et providet. Per stultum ergo hic accipe improbum, sceleratum, rapacem, crudelem, qui sibi prosit, gregi obstit, imo in eum sæviat, eumque spoliat, diripiat, alligat: ita Theodor. Cyrill. et alii. Sic peccator vocatur *stultus* passim in Proverb. c. 15. 5. *Stultus irridet disciplinam patris sui.* Stultus enim est amens, qui rationis usu destitutus, stulta loquitur et agit. Quid autem stultius peccatore, qui agit contra dictamen rectæ rationis, contra legem, contra honestatem, contra virtutem, contra voluntatem Dei, qui pro fluxa voluptate vendit æternam gloriam, et ultro se in ignes gehennæ præcipitat? Iam eius vasa, id est, instrumenta sunt eadem quæ pastoris boni, ait S. Hieron. et Lyran. nimirum baculus, pera, fistula et sibilus: fistulæ enim cantu pastor mulect oves, ut suavius pascua, etiam auara, carpant et deglutiant. Nam pastor hic videtur habuisse speciem externam pastoris boni, sed non sensum eius internum. Unde mox vocat eum idolum pastoris.

Melius alii consent, *vasa pastoris stulti* a vasis boni differre: bonus enim gestat pedum, quo glebam in oves errantes proicit, ut eas ad gregem compellat; malus gestat baculum, quem in oves iacit, ut earum crura confringat: bonus gestat cultrum, quo ovibus pabula conscindat; malus machæram, qua eas mactet et laniet: unde sequitur: *Gladius super brachium eius:* bonus in pera recondit pabulum ovium, æque ac suum; malus suum dumtaxat, et laqueum ad oves strangulandas: bonus sibilo convocat oves; malus clamore horrifico percellit et fugat eas: bonus in pera gestat unguentum, quo oves læsas ungit et sanat; malus toxicum, quo eas enecat: bonus fistula aut cornumusa canendo, oves ad alacriter pascendum invitat; malus sibi uni citharam pulsat, uti in Italia vidi nonnullos inertes rusticos et pastores pro ligone aut pedo gestare citharam, esseque citharædos sibi scitos, aliis hiulcos et raucos: ita S. Cyrill. Hæc ergo instrumenta assumpsit et induit Zacharias Dei iussu, ut pastorem improbum representaret.

**ECCE EGO SUSCITABO PASTOREM.)** Nota hic Deum creare pastores, non tantum bonos, sed et malos ob peccata populi, ut per eos populum puniat. Sicut enim opes sæpe dat impiis, ita et honores ac prælaturas.

Quæres, quisnam fuit hic pastor impius? Primo Theodor. censet fuisse Antiochum Epiphaniem, qui sævit in Iudæos. Secundo, Arias censet fuisse Herodem Ascalonitam, qui cum esset alienigena, intravit se in regnum Iudæorum, cuius crudelitas patet ex infanticidio et ingulatione filiorum propriorum. Tertio, a Castro censet fuisse Titum et Romanos, hisce enim traditi sunt Iudæi, quia noluerunt parere Christo vero pastori a Deo missa, sicut olim eosdem tradiderat Salmanasari et Nabuchodonosori

gubernandos, eo quod Dei regimen respuissent. Hi enim vocantur in Scriptura pastores, ut Ierem. 6. 3. *Ad cam venient pastores.* Nahum. 3. 18. *Dormitaverunt pastores tui rex Assur.* Isaïæ 44. 28. *Qui dico Cyro: Pastor meus es.* Verum Titus et Romani non fuerunt pastores stulti: nam suo consilio et patientia occuparunt orbis imperium, ut dicitur 1. Machab. 8. 3.

4.  
genuina.

Quarto et genuine, pastor hic significat omnes perversos pontifices et principes, qui Iudæos post tempora Zachariæ rexerunt, aut pontificatum et principatum invaserunt, quibus Deus Iudæos tradidit ob eorum scelera, præsertim quod se suosque pastores respuerent. Talis in primis fuit Iason sceleratus, inquit Sanchez, qui perfidus profugit ad Antiochum, cepitque Ierusalem, et magnas civium strages edidit, 2. Machab. 5. 6. Item frater Iasonis Menelaus, de quo dicitur 2. Machab. 4. 25. *Acceptisque a rege mandatis venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio, animos vero crudelis tyranni, et feræ belluæ iram gerens.* Unde et aurea vasa e templo furatus est, et Oniam pontificem interfici curavit: hinc 2. Machab. 5. 15. vocatur patriæ proditor. Tales quoque fuerunt Herodes rex intrusus a Romanis, Annas et Caifas, alique non a Deo, sed a Romanis ob datum pretium constituti pontifices. Item Scribæ et Pharisei, qui Christo vero pastori sese opposuerunt usque ad eius necem et erucem. Tales post Christum fuere Theodas et Judas Galilæus, de quibus Act. 5. v. 36. et 37. Item Barchocebas tempore Adriani Imp. de quo Euseb. lib. 4. Histor. c. 6. Item Pseudomoses Cretensis, qui anno Domini 433. sub Theod. Imp. Iudæos decepit: fingens enim se Mosen, iussit eis ut e Creta mare secum ingrederentur, quasi eos in novam terram promissam deducturus, uti olim fecerat Moses; sed ingressos mare hausit et mersit, uti refert Socrates l. 7. c. 37. Talis denique erit Antichristus, qui Christo erit antagonista: licet enim hic in Christianos solos sit sæviturus, benignus vero futurus in Iudæos, utpote ab eis acceptandus et promovendus quasi Messias, ut docet Apostolus 2. Thessal. 2. 10. tamen sæviet in animas eorum: quia eas ad sui idololatriam, ad libidines, ad Christianorum strages, aliaque scelera, ac per ea in æternum exitium impellet; confirmato vero imperio sæviet quoque in facultates et corpora eorum: erit enim in omnes crudelissimus, et ambitiosissimus tyrannus. Nam tantum se suumque honorem, imperium et gloriam spectabit, eique servire coget subditorum opes, corpora et animas. Unde Christus Ioannis 5. 43. *Ego, ait, veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Huic etiam competit illud: *O pastor et idolum:* volet enim Antichristus quasi idolum et numen a suis coli et adorari. Quocirca per pastorem hunc stultum, non alium quam Antichristum intelligunt S. Hier. Theodor. Cyril. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et alii. Verum, ut generalis et plena sit expositio, dicendum videtur, Prophetam alios quoque suo ævo viciniore, iam nominatos hic notare: hi enim fuerunt prodromi Antichristi, illisque verba sequentia apposite congruunt.

**QUI DERELICTA NON VISITABIL.**) Puta oves fessas, claudicantes, errantes, dumetis implicitas, ideoque derelictas et perditas non requirit. Unde Chald. vertit: *illos qui erraverunt non quæret;* Pagnin. *quæ succisa sunt non visitabit;* Vatabl. *gravissime ægotantem et iam deploratam non inviset.*

**DISPERSUM NON QUÆRET.**) Hebr. הנער *hannaar*, significat excussum, indeque puerum a lacte et cura parentum excussum, hoc est, ablactatum et adolescentem. Unde Pagnin. vertit, *quod parvum est non quæret;* Tigurini. *stolidam non requirit;* Vatabl. *quod iuvene est non requirit,* id est, agnos gregis non requirit, eum stolidè secesserint a grege. Notat puerorum et iuvenum maximam habendam esse curam: qui enim ætate et imprudentia peccat, non malitia, magis est miserandus, et facile ostenso errore in viam revocari potest. Chald. vertit, *illos qui migraverunt non requirit.*

**CONTRITUM NON SANABIL.**) Tigurina, *sauciam non sanabit;* Septuag. *fractum non sanabit.*

**ID QUD STAT NON ENUTRIET.**) Pagnin. *quod stat non portabit;* Vatabl. *cam quæ resistat non portabit,* q. d. Ovem quæ præ lassitudine consistit, aliis redeuntibus in easulas, et loco moveri nequit, in humeros non suscipiet, ut ferat in ovile; Chald. *et illos qui stant non sustentabit, non fulciet;* Sept. *integrum non diriget;* Hebr. enim כילכל *chilchel* varia significat, scilicet sustentare, portare, nutrire.

**CARNES PINGUIUM COMEDET.**) q. d. Fructur lana, lacte et carne gregis, et famen eum non pascet; Chald. *substantias eorum diripiet.*

**ET UNGULAS EORUM DISSOLVET.**) Pagnin. *separabit;* Septuag. *talos eorum pervertet;* Vatabl. *confringet,* scilicet ictu pedis, vel virgæ quam gestat. Noster vertit, *dissolvit,* id est, verberando lædet et diffindet, ut incedere nequeant. Describit gestum pastoris crudelis sævientis in suas oviculas.

**O PASTOR ET IDOLUM.**) Pro *o* hebr. est הוי *hoi*, id est *væ*, ut vertunt Septuag. et Chald. vel *o*, ut vertit Noster, Pagnin. Vatabl. et alii. Unde Arabicus vertit, *væ pastori vano, otioso, mendaci.* Pro *idolum* hebr. est איליל *elil*, quod per annominationem alludit ad איל *evil*, id est, stultus, uti eum vocavit vers. 15. Iam *elil* Primo, significat rem vanam, inutilem, nihili. Unde Vatabl. vertit, *o pastorem nihili deserentem oves quæ sibi commissæ sunt:* alii, *o pastor vane et inutilis;* Septuag. *væ qui pascitis vana;* Syrus, *o pastor inanis, inculte* (instar terræ incultæ) *qui dereliquisti oves.* Secundo, *elil* est diminutivum ab אל *el*, id est, Deus, ut *elil* sit *deiculus*, umbra Dei, et idolum. Unde Pagnin. vertit, *o pastor idoli;* Tigur. *væ pastori idolo, qui gregem deserit;* Noster, *o pastor et idolum:* q. d. O pastor, qui non es pastor, sed idolum et larva pastoris: qui nihil habes veri pastoris, nisi eius umbram et simulacrum: quia tua tantum commoda aucuparis, oves vero non pascis, non curas, deseris, et permittis lupis. Addit S. Hieron. Antichristum hic notari, qui præ arrogantia vere volet adorari ut idolum et numen. Dicit ergo: O pastor *evil*, id est, non sapiens et sane, sed stulte et insane, tu pariter es *elil*, id est non verus, sed vanus; non vivus, sed pictus et fictus pastor: simia es pastoris, non pastor. Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia: ita et tu simia es hominis, non homo: aureum gestas pedum, auream coronam et mitram, ac byssinam poderem; sed in mente et corde nil habes sapientiæ, nil curæ, nil vigilantia, nil industriæ pastoralis. Væ, væ, væ tibi. In decretorio mundi die hæc larvam deteget Christus iudex, ostendet quam inane fuerit hoc pastoris idolum, quod exterius præfers. Talis fuit Novatianus Antipapa et æmulus S. Cornelii Papæ, de quo S. Cyprian. ep. ad Iabaiannum: *Novatianus, ait, simiarum more quæ cum homines non sint, humana tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi et veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imo adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis et hostis extiterit,* etc. Sic prædicantes hæreticorum sunt simiæ et idola pastorum.

**MORAL.** discere hic vitia et indicia falsi pastoris, ex iisque collige virtutes et signa veri pastoris. Falsus enim, ait Zacharias, *derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, id quod stat non enutriet, carnes pinguium comedet, et unguulas eorum dissolvit.* Radicem mali tangit S. Greg. hom. 17. in Evang. *Curis, ait, sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficiuntur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ a cælesti desiderio obdurescit animus, et dum ipse suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet quæ pertinent ad charitatem Dei.* Et mox: *Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quod cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus; susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum.* S. Bernard. serm. 76. in Cant. *Ad civitatis (Dei, puta Ecclesiæ) ait, custodiam opus est vi-*

Indicia  
falsi et  
veri pa-  
storis.

ru forti, spiritali, fidei; forti ad propulsandas iniurias: spiritali ut deprehendendas insidias: fidei, qui non quæ sua sunt quærat. Et mox: Pauci admodum sunt qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis eius. Diligunt manera, nec possunt pariter diligere Christum; qui munus dederunt Mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi et ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponse custodem? Unde vero hunc illis exuberare existimas rerum affluentium, vestium splendorem, mensurarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum et aurcorum, nisi de bonis sponse? Inde est quod illa pauper, et inops, et nuda relinquitur, facie miseranda, ineulta, hispidula, exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est instituere, sed prostituere, et devorare, dicente de illis Domino: Qui devorant plebem meam ut cibum panis. Quem dabis mihi de numero Prælatorum, qui non plus invigilat subditorum vacuandis marsupis, quam vitis extirpandis? ubi qui orando stectat iram, qui prædicet animum placabilem Domino? utinam tam vigiles præterirentur ad curam, quam alares currunt ad cathedram!

Exemplum S. Adalberti.

Ex adverso veri pastores quærent non quæ sua sunt, sed quæ Christi: non bursas venantur, sed animas: non vitam lautam ambiunt, sed cruce et martyria pro gloria Dei. Inter alios posteriori ævo hæc in re eminuit S. Adalbertus Pragensis, et postea Gnesnensis Episcopus, qui cum nobilissimis in Bohemia parentibus prognatus esset, spreto sæculi pompis in sortem Domini ascitus, sua in pauperes erogavit. Raptus ad Episcopatum Pragensem, totus corrigendis pravorum moribus inebuit, pie severus, et graviter mitis. Meridies præudentem (præter dies festos) media nox dormientem nunquam vidit; lectus eius erat humus. Cum se parum apud Bohemos proficere videret, perrexit ad Hungaros, eosque ac in primis Geisam ducem, eiusque filium S. Stephanum, qui primus apud Hungaros regis nomen et dignitatem accepit, ac Martyr oecubuit, in fide erudivit. Inde perrexit ad Polonos, quibus in Christiana doctrina confirmatis, progressus est in Prussiam, ubi ab infidelibus oecisis, apostolatus simul et martyrii lauream est adeptus anno Domini 997. cuius sepulcrum venerationis causa paulo post visens Otto III. Imp. brachium Sancti (quod Romæ in Ecclesia S. Bartholomæi deposuit, ubi illud quotannis veneramur) a Boleslao principe dono accepit, eique vicissim pro munere coronam regiam rependit, atque exinde Poloniae principes reges habiti, vocatique sunt, qui antea Duceum nomine censebantur. Regnum ergo debent S. Adalberto, quod ab eius ævo iam per sexcentos annos obtinent, æque ac Hungari. Ita habet eius vita, et Annale Poloniae.

Duo officia veri pastoris.

Porro ex hoc loco discimus duo esse officia veri pastoris. Primum est, vigilantia et cura gregis. Secundum, eminentia virtutis et vitæ sanctitatis. Nam falsos fictosque pastores hic describit et carpit Zacharias ex duobus oppositis, scilicet quod dormiant negligantque gregem, et quod commoda sua seententur, non gregis, eaque carnalia, non spiritualia. Quoad primum, S. Antiochus hom. 3. censet pastorem totum debere esse oculum, et mentem: Is, inquit, cuius fidei tutela animarum a Deo credita est, non medioiori studio vigilare debet pro salute subditorum, quippe qui certo sciat se pro illis aditum esse animæ propriæ periculum, etc. Debet igitur pastor totus esse mens et oculus, ut ne una quidem concreditarum sibi prædium indigna fiat, quæ recipiatur a Domino, per osecitantiam. Pastores ergo sint Argi, hoc est centoculi, ut singulas oves introspiciant et eurent: ideoque aute omnia primo se ipsos introspiciant et eurent. Qui enim sibi est æquam, cui erit bonus? qui se negligit, cui advigilabit? Scriptum est enim: Medice cura teipsum. Subditorum ergo est obedire, pastorem vigilare, iuxta illud Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, et subiaceite eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Si oculi dormiant, totum corpus dormit: oculi plebis pastores sunt;

si pastor dormiat, plebs etiam dormiet. Vigilantis pastoris exemplum accipe Genes. 31. *Viginti annis (ait Iacob) fui tecum, id est, cum Laban: oves tuæ et capræ steriles non fuerant, arctes gregis tui non comedi; nec captam a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quicquid furtim peribat, a me exigebas. Die noctuque vestu urebit et g'lu, fugiebatque somnus ab oculis meis, etc.* Si sic laborat et vigilat (ait Magnus Greg. l. 7. ep. 48. ad Anastasium) si sic, inquam, laborat et vigilat qui pavit oves Laban, quanto labori quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei? Observa verba illa Iacob: *Ego damnum omne reddebam; quicquid furtim peribat, a me exigebas;* quæ indicant a pastore rationem ovium reposendam a Deo. Damnum omne quod ipsius culpa contigerit, pastor reddet; quicquid perierit, ab eo exigetur. Hoc est quod ait S. Chrysost. l. 2. de Sacerdotio. Cui Christi grex concreditus est, hunc ovibus deperditis, animæ propriæ iacturam facere oportet.

Quoad secundum, typum dat Saul rex Israelis, de quo dicitur l. Reg. 9. quod ab humero sursum eminebat super omnem populum. Ubi S. Greg. Rex, ait, præcedit collo, præcedit capite: collo locutio, capite contemplatio designatur. Capite ergo et collo subditorum omnium capita pastor excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, et sublimitate doctrinæ. Isaïe 40. præcipit Deus, ut pastor evangelizans ascendat in montem: *Super montem, ait, excelsam ascende, tu qui evangelizas Sion: ex vita igitur sublimi, et non infima vulgarique, pastor ovibus, ut audiatur, debet evangelizare, quod docet idem vigilantissimus et sanctissimus pastor, vere Gregorius l. 1. epistolæ ep. 24. ad Episcopum Constantinopolitanum: Qui, ait, loci sui necessitate exigitur summa dicere, hæc eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo præcipit, ostendendo adiuvat ut fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur: Super montem excelsam ascende, tu qui evangelizas Sion; ut videlicet qui exlesti prædicatione utitur, imò tam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque subditos facilius ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat.* Eximius quoque pastor Salvianus, quem Gennadius Episcoporum magistrum appellat, hæc de re præclare l. 1. ad Ecclesiam Catholicam sic scribit: *Sacerdotes exempla esse omnibus debent, et tanto antestare cæteris oportet devotione, quanto antestant omnibus dignitate. Nihil enim est turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine, et despicibilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent tantum excellere oportet merito, quantum gradu.* Causam dat S. Basil. apud Nazianzen. in eius laudibus. Vix enim est, inquit, ut Antistes per summum assequatur medium, ac per exuberantem virtutis amplitudinem vulgus ad medioeritatem pertrahat. Denique aurea est sententia S. Gregorii l. 7. epist. 32. *Lux gregis flamma est pastoris. Decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in speculo vitæ suæ plebs commissa et eligere quod sequatur, et vitare possit quod corrigit.* Plura si cupis, vide ea quæ dixi Ezech. 34.

(GLADIUM SUPER BRACHIUM EIUS.) Vel active, vel passive. Active accipit Chald. dum vertit, *similis est pastor hic stultus lanioni, qui habet gladium in manu sua, et oculus eius respicit ad pinguium ut iugulet ea,* ideoque punietur a Deo, qui brachium eius arefaciet, et oculum obsecrabit.

Secundo, alii passim accipiunt passive, idque exigunt sequentia, q. d. Gladius, id est, ultio, Dei incumbet brachio crudeli pastoris stulti, ut eius potentiam confringat: item oculo dextro eius, id est, eius providentiæ, calliditati, consilii et pravæ intentioni, qua satagit gregem expilare et perdere, q. d. Deus hæc eius consilia et pravæ intentiones dissipabit, et infatuabit. Nam brachium eius

arefaciet, id est, potentiam illi adimet: et oculus eius dextrum, id est, intentionem et machinationem obscurabit, exæcabit et everlet: ita S. Hier. Theodor. Renuig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et a Castro. Hoc iu Antichristo clarissime patebit, quem Dominus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui, 2. Thess. 2. 8.

## CAPUT DUODECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat Ierusalem a Gentibus, quin et a Iudæis perfidis oppugnandam, sed Deum eam tutaturum per Machabæos, qui quasi heroes instar ignis omnia pervadent, subiicient, absument, ac tandem v. 10. promittit Deus se effusurum in Ierusalem spiritum gratiæ et precum per Christum, quem fideles visuri sunt in eruce clavis lanceaque transfixum, ideoque planctum maximum facturi. Ita S. Hieron. Theodor. Renuig. Albert. et Hugo. Allegorice Ierusalem est Ecclesia, præsertim primitiva, quam Deus per Apostolos et Martyres quasi heroes, contra omnes insultus Iudæorum et Gentilium per trecentos annos fortissime propugnabit. Ita Ribera, Arias et Vatablus, ac rursus in fine mundi contra Antichristum, Gag et Magog propugnabit. Allegor. dico, non litteraliter, uti multi censent. Nam litteraliter loqui Zachariam de temporibus Machabæorum mox secuturis, patet tum ex consequentia temporum, tum ex connexionione et congruentia oraculorum horum cum gestis Machabæorum, tum quia v. 10. desinit in passione Christi. Hæc autem secuta est ætatem Machabæorum. Sicut ergo Isaias, Ieremias, Osee, Daniel, Ezechiel, etc. prædixerunt ea quæ Iudæis mox erant eventura a Salmanasar, Nabuchodonosor, Cyro, et Dario: sic et Zacharias prædicat ea quæ iisdem mox obventura erant ab Antiocho sub Machabæis.

1. **O**nus verbi Domini super Israel. Dicit Dominus extendens cælum et fundans terram, et fugens spiritum hominis in eo: 2. Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed et Iuda erit in obsidione contra Ierusalem. 3. Et erit: in die illa ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur: et colligentur adversus eam omnia regna terræ. 4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, et ascensorem eius in amentiam: et super domum Iuda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum percutiam cæcitate. 5. Et dicent duces Iuda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum Deo eorum. 6. In die illa ponam duces Iuda sicut eaminum ignis in lignis, et sicut faciem ignis in fœno: et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu: et habitabit Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem. 7. Et salvabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio: ut non magnifice gloriatur domus David, et gloria habitantium Ierusalem contra Iudam. 8. In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem, et erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David: et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum. 9. Et erit in die illa, quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Ierusalem. 10. Et effundam super domum David, et super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolent super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. 11. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. 12. Et plangent terra: familiæ et familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum: 13. Familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. 14. Omnes familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum.

Vers 1.

**O** NUS VERBI DOMINI SUPER ISRAEL. ) Onus est onerosa, tristes et funesta prophetia, ut dixi Isaiæ 13. 1. Israel hic vocatur populus Iudaicus, descendens a Iacob: hic enim ab angelo cognominatus est Israel, ideoque omnis eius progenies, puta duodecim patriarchæ, et duodecim tribus ab eis proseminata, vocatæ sunt Israel. Iam quia decem tribus olim abductæ in Assyriam, toto orbe dispersæ erant, ita ut tempore Zachariæ Israelis nomen in eis evanuisse videretur, hinc stirps et familia, ac consequenter hæreditas et nomen Israelis, redacta sunt ad duas tribus reliquas, puta ad Iudæos. Hi enim fuerunt stirps Iacob, et populus Dei, cui exhibitus fuit Messias, Abraham et Iacob promissus: ita Cyrill. Prædicat ergo hic Zacharias onus, id est elades, Israeli, id est Iudæis, ab Antiocho, eiusque ducibus et posteris intentandas; sed Dei dextera et scuto avertendas per Machabæos. Unde Dei potentiam exaggerando, præmittit dicens:

DICIT DOMINUS EXTENDENS CÆLUM, ET FUNDANS TERRAM, ET FUGENS SPIRITUM HOMINIS IN EO. ) q. d. Ego sum Deus omnipotens, omniscius et optimus: nam meam omnipotentiam ostendi, dum vastissimos cælos ex nihilo creavi et expandi: sapientiam meam patefeci, dum terram in medio mundi pendulam, mira arte fundavi et fulcivi: bonitatem demonstro, dum quotidie animas creo et in corpora hominum nascentium immitto et conservo. Ergo multo magis eadem omnipotentia, sapientia et bonitate fulciam et defendam Ierusalem, hostesque eius coram ea col-

lidam et confringam. Hinc mystice, cælum est symbolum Ecclesiæ Christianæ, quam Deus per totum orbem extendit; terra autem, populi Iudaici, quem Deus in medio Ecclesiæ quasi suspendit.

ECCE EGO PONAM IERUSALEM SUPERLIMINARE CRAPULÆ. ) Hebr. **שפ** *saph* significat duo; primo, limen et superliminare; secundo, calicem vel poculum, uti vertunt hic Chald. Vatabl. Pagn. Arias et alii. Rursus **רע** *raal* significat primo, tremorem; secundo, crapulam; tertio, soporem; quarto, venenum; quinto, stuporem; sexto, concussionem. Unde alii vertunt, *vas cbrictatis*; alii, *vas tremoris*; aut, ut Syrus, *portam tremoris*; vel ut Arabi, *portam commotionis*; alii, *calicem veneni soporiferi*; alii, *eraterem stuporis*. Verum Septuag. et Noster tam hic, quam Amos 9. 1. vertunt, *superliminare crapulæ*, vel *commotionis*; Prado Ezech. 23. 31. *superliminare tremulum*, vel *mobile*. Sub superliminari intellige postes laterales, qui limini inferno ostii superstant et incumbunt: sic enim habent Septuag. *Ego pono Ierusalem sicut superliminaria quæ moventur, omnibus populis in circuitu*. Iam **רע** *crapulæ*, vel tremoris, stuporis et concussionis, dupliciter accipi potest. Primo, passive, q. d. Redigam Ierusalem in tantas obsidionis angustias, ut ipsa iis quasi Ierusalem tremere et insanire videatur: est enim hoc onus Ierusalem. Unde et sequitur: *Sed et Iuda erit in obsidionem contra Ierusalem*: ita Theod. et Euseb. lib. 8. Demonstr. c. 4. Secundo, active, q. d. Gentes obsidebant Ierusalem, ut eius

Superliminare  
crapulæ  
quod?



vino et spoliis se satient et inebriant; sed ego eas in tantis cladibus et strages impellam, ut iis quasi veneno letifero ebrii, in tremore, stupore et amentiam indigantur: angustiabantur Ierusalem, sed ibidem angustiabantur ipsimet, et laqueus quem aliis posuerant, in eorum caput redet: sicut Aman in cruce quam fixerat Mardocheo, suspensus est. Sic enim v. sequi lapidem oneris Ierusalem, explicat active, non passive, scilicet qui oneret et collidat, non Ierusalem, sed hostes eam dirixantes. Est metaphora a calice aureo, optimo vino pleno, sed venenato, ad quem certatim accurrunt sitibundi, sed mox ut eum gustarint, tremere, stupere, animam agere incipiunt. Simili modo Babylon dicitur propinare gentibus calicem aureum maledictionis, eoque inebriare, soporare et demeritare omnes gentes, Ier. 51. 7. Iam eodem redit sensus, sive *saph* veritas calicem, sive limen vel superliminare, q. d. Quicumque hostis attigerit limen Ierusalem, mox quasi ebrius et mente captus, tremere et furere incipit; sicut de Sibylla Cumana narrat Virgil. 6. *Aeneid.* quod mox ut limen antri sui fatidici ingrediebatur, extra se rapi, furere et vaticinari incipiebat. Talis est et lacus iuxta Neapolim, in quem si iniicia eanem, illico emori et exanimari videtur; quem si in lacum adversum inferas, statim ad se redit, et reviviscit: ita S. Hier. Remig. et Hugo. Rursum a Castro sic exponit, q. d. Ponam Ierusalem velut superliminare minans ruinam omnibus ingredi volentibus, quos tremere faciet quasi ebrios, ac venenico potu infectos: nam mox ut limen attingent, contremiscent et corruent. Palacius vero et Mariana sic, q. d. Ponam Ierusalem superliminare crapulae, in quod scilicet hostes furore ebrii impingent, caputque collident, q. d. Qui impugnant Ierusalem, quasi ebrii et insani cadent et corruent. Alii, q. d. Ierusalem erit hostibus obsidentibus quasi calix veneni mortiferi, quod bibentem morte aeterna consopit. Ad litteram loquitur de Ierusalem arctata et afflicta ab Antiocho Epiphane, eiusque asseclis, quos Indas et Machabaei ceciderunt, ut corruerent quasi temulenti.

Allegor. loquitur de Ecclesia primitiva, quam persecuti sunt Nero, Decius, Diocletianus; sed Deus eos quasi ebrios percussit et oppressit. Quocirca Alcazar in Apocal. cap. 11. v. 13. notat. 12. ex Theodor. sic exponit: *Quasi superliminare crapulae*, id est, sicut in crapula ebrius, ob vertiginem capitis moveri videtur superliminaria; sic revera commovebitur Ierusalem, id est, Ecclesia, itaque persecutionibus concutietur, ut ruitura videatur, et vicini populi se invicem cohortentur, ut ab ea sibi caveant, ne eius ruina involvantur. Aut, q. d. Vicini populi Ecclesiae limina respiciunt tamquam crapulam, ebrietatem et insaniam; ac Christianis insultant quasi ebriis et insanis: sicut pueri ebrium insectantur, illadunt, ac vacillantem et labantem impellunt ut corruat. *Sed et Iudas pugnabit contra Ierusalem*, q. d. Non soli Gentiles persequentur Ecclesiam, sed et Iudaei; qui tamen a Deo illuminati, pro Ecclesia contra Gentiles arma sument, magnamque in ipsis stragem edent, uti ait Zacharias v. 6. Paulo aliter Ribera, q. d. Sicut ebrii superliminare domus quam ingredi volunt, moveri videtur, et ideo ipsi quasi insani, putantes se commoveri, corruunt; sic accidet hostibus Ecclesiae, qui ad eam oppugnandam veniunt; corripientur enim insaniam quasi crapula, itaque corruent. Addit Delrio adagio 10. 20. forte ideirco Septuag. vertisse, *superliminaria*, in plurali, eo quod ebrii omnia videntur gemina, sicut et entheis. Minus recte Rupert. crapulam in bonum pro satietate accipit, q. d. Ecclesia erit domus crapulae, id est, satietatis et ebrietatis spiritualis, de qua in Pentecoste dicitur Actor. 2. quod Iudaei Apostolos musto plenos et ebrios iudicarent.

Porro videtur alludere Zacharias ad illud Ierem. 25. 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te: et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. Et accipi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus: Ierusalem, etc. Et magis ad Isaiae 29. 8. Sic erit, ait, mul-*

*titudo Gentium, quae dimicaverunt contra montem Sion: obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate; inebriamini, et non a vino; movemini, et non ab ebrietate: quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, etc. Et clarius Ierem. 25. 27. Haec dicit Dominus: Bibite et inebriamini: vomite, et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. Ecce haec est crapula, non vini, sed vindictae Dei, de qua Zacharias hic. Vide ibi dicta. Voluerunt enim Graeci calice furoris sui, credis et sanguinis inebriare Ierusalem; sed eorum per Machabaeos inebriati sunt a Deo, qui, ut ait Psaltes psal. 77. 65. *excitatus est tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posterio-ru, opprobrium sempiternum dedit illis.* Idem multo magis, et saepius fecit infidelibus persequentibus Ecclesiam. Nulla enim natio est, quae Christum et Ecclesiam immaniter aliquando non sit persecuta, eum eminus tantum eius superliminaria, id est, Christum crucifixum vidit, eiusque doctrinam paradoxam audivit, scilicet: *Beati pauperes: Beati qui lugent: Beati qui esuriunt*, etc. Haec enim omnia mundus abhorrebat et odiebat, donec internam eius pulebritudinem, gratiam, consolationem et spiritum vidit et gustavit. Haec de causa Cant. 1. Ecclesia dicitur esse sicut pelles Salomonis, et sicut tabernacula Cedar, exterius scilicet horrida, nigra, et aestu persecutionum adusta. Quare qui eius admirabiles divitias videre vult, domum eius intret oportet, et non in limine maneat. Hinc ab initio mundi inter probos et improbos aere et perenne fuit bellum: semper enim inter se contraria pugnant, ut calidum et frigidum, album et nigrum, virtus et vitium, Deus et diabolus. Huius rei symbolo censet Stunica, primum miraculum a Christo factum esse in vino ex aqua producto, quia scilicet Ecclesia ab ipso stabilienda erat vas crapulae.*

Tropolog. Messana per *superliminare crapulae*, intelligit cantharum, vel ramum boderæ aut vitis, quem œnopolæ ad limen tabernæ suspendunt, ut transcentes invitent ad introeundum, ibique potandum et inebriandum se. Huc accedit Albertus, qui sic exponit, q. d. Ponam Ierusalem patentem introitum advenientibus ad eam, sicut ad crapulam, qua insatiabilis eorum pascatur cupiditas. Sic ergo superliminaria crapulae significant tabernam, gancam, popinam, etc. in quibus viget ebrietas et crapula, quibus proinde onus Dei hic Propheta intentat. Propter crapulam enim, æque ac alia scelera, videtur Deus hoc onus imposuisse Hierosolymæ. Unde Sanchez per *superliminare crapulae* accipit prostibulum gulae et libidinis, puta ephebiam in Ierusalem ab impio Iasone constitutam, in qua optimi quique iuvenum publice cuilibet ad infandam libidinem prostituebantur. Hoc enim prostibulum vocari *crapulae*, quia symbolo crapulae, id est, scypho, in superliminari extante, quasi indice et titulo erat insignitum. Scyphus enim Hereuli et Baecho sacer erat, insignæ crapulae, indeque sequentis libidinis. Porro idipsum sacrilegus constituerat iuxta templum, imo in ipso templo. Nam, ut dicitur 2. Machab. 6. *Templum luxuria et comessationibus Gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus.* Gentiles enim in templis publica agitate convivio, docet Aristoteles lib. 7. Politic. cap. 12. Unde et Sichimitæ epulantes in fano Dei sui Berith, maledicebant Abimelech, ut dicitur Indic. 9. 17.

Dices, Deus dicitur hic positurus Ierusalem in superliminare crapulae. Deus autem non potest excitare crapulam proprie dictam: haec enim est peccatum ebrietatis. Resp. Ierusalem posuerat se superliminare crapulae proprie dictae, sed Deus ideirco posuit eam in superliminare crapulae metaphoricæ, ut scilicet, quæ crapulata erat ebrietate et culpa, crapularetur poena, ac inebriaretur suo sanguine Dei quæ vindicta, q. d. Puniam eam plagisque inebriabo, ut iis ostendam toti mundo eam se levisse gancam et tabernam crapulae. Est ergo in hac tropologia metonymia vel metalepsis, quæ ex consequente antecedens, ex effectus causa, ex poena culpa intelligitur: alioqui enim incommoda est et incongrua, utpote a sensu litterali dissidens, ei-

Superliminare crapulae est tabernaculum et gancæ.

que repugnans. Hoc recte adaptes bacchantibus in Bacchanalibus, quando multis in locis eum magna Christiani nominis ignominia, magnaque infidelium offensione, irrisioe et probro omnes pene domus, totaque civitas fit superliminare erapulae, ita ut ei iure hic titulus dari et inscribi possit: Hæc est domus erapulae: Hæc est civitas, non Christi, sed Bacchi: Hi dies sunt bacchantium, stultorum et insanorum, non Christianorum, uti in nonnullis Calendariis impressum legi.

SED ET IUDA.) q. d. Non solum Gentes, sed et Judæi perfidi, vel transfugæ obsidebunt Ierusalem, eamque affligent, ut ipsa ærumnis videatur ebria; sed has ærumnas Deus devolvit in ipsos Iudæos perfidos et transfugas, eosque plagis et caesorum sanguine inebriabit. Tales transfugæ fuerunt Iason et Menelaus, qui profugi ad Antiochum, Ierusalem obsiderunt, ceperunt et vastarunt, uti dixi cap. præced. v. 15. Item alii plurimi, qui minarum et tormentorum Antiochi metu, a iudaismo ad gentilismum apostatarunt, de quibus 1. Machab. 1 v. 44. et 53. et 2. Machab. c. 4. et 5. ac Ioseph. l. 12. Antiq. c. 6.

Allegor. prima persecutio Apostolorum et Ecclesiae fuit a Iudæis, ut patet ex Actis Apostolorum: ita Arias et Vatablus.

Vers. 5. PONAM IERUSALEM LAPIDEM ONERIS CUNCTIS POPULIS.) Syrus, lapidem conculeationis; Septuag. lapidem qui conculeatur; Chald. lapidem, offensionis; Arabicus, lapidem subiectionis.

Lapis oneris quis? Quæres, quis lapis oneris? Respondet optime S. Hieron. (quem proinde Remig. Rupert. Glossa, Ribera et alii passim sequuntur) dicens: *Mos est in urbibus Palestine, et usque hodie per omnem Iudæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis et castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos iuvenes exercere se solent, et eos pro varietate virium sublevare, alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem rectis iunctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In arce Atheniensium iuxta simulacrum Minervæ, vidi sphaeram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpuseculi movere vix potui. Cum quærerem quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis eius cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari; nec prius ad agonem quemquam descendere, quam ex levatione ponderis sciat, quis cui debeat comparari. Sensus ergo iste est: Ponam Ierusalem cunctis gentibus quasi gravissimum lapidem sublevandum. Levabunt quidem eam, et pro virium varietate vastabunt; sed necesse est, ut dum levatur, in ipso nisu et elevatione ponderis, gravissimus lapis seissuram aliquam vel rasuram in levantium corporibus derelinquat.* Hic est lapis oneris, oneratum et portantem concidens et opprimens, cuius meminit Ecclesiast. c. 6. v. 22. dicens: *Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur proiicere illum*, q. d. Sapientia est lapis oneris, quem quisque levando probat suas vires et robur. Unde stulti et improbi eum aliquousque levant, sed mox ut sentiunt eius pondus, illico abiciunt. Hinc Græca habent, *quasi lapis probationis fortis erit in illo*. Huius lapidis æque ac plumbi athleticæ meminit Hieron. Mercurial. lib. 2. Gymnasticæ c. 11. Iam Theodoret. Remig. et Hugo censent Ierusalem fuisse lapidem oneris, eum expugnata est a Tito et Romanis. Verum hic de tempore Antiochi et Machabæorum agitur, non Titi et Romanorum. Hæc enim Ierusalem non fuit lapis oneris, sed pila prædæ et gaudii.

Dico ergo ad litteram significari hic, quod Antiochus et Græci suis copiis ex omnibus gentibus collectis oppugnaturi sint Ierusalem, ut eam quasi lapidem oneris ex Iudæa exportent in Græciam, sed ab ea quasi a lapide oneris, per Machabæos concidendi sint et conterendi: id enim ita factum esse non semel, sed sæpius per intervalla temporum recto ordine demonstrat a Castro. Nam in primis Ptolemæus Philopator, dum templum ingressus vellet in Sancta sanctorum penetrare, sacerdotibus opem divinam implorantibus, pene mortuus cecidit et enectus divina vi, nisi citissime e templo a suis eductus fuisset, ut in

A lib. 2. Machabæorum refertur. Heliodorus missus a rege Seleuco ad spoliandum ærarium templi, flagellatus discessit, 2. Machab. 3. Iason ut ingressus civitatem, per diversa loca profugus interit honore sepulturae privatus. Antiochus Epiphanes urbem templumque spoliavit per seipsum, 1. Machab. 1. et 2. Machab. 5. deinde per Apollonium et Lysiam: sed male periit iniquus, ut dicitur 1. Machab. 6. et 2. Machab. 9. postulans misericordiam ab eo, a quo non erat adepturus. Alcimus deinde missus a rege Demetrio obsedit Ierusalem, 1. Machab. 9. et præcipiens destrui atrium interius et opera Prophetarum, percussus paralyti, et graviter tortus interit. Antiochus Sidetes Iudæam devastavit, et Ierosolymam obsedit, sed divinitus tactus sacrificium obtulit, et fœdere inito recessit, ut refert Iosephus l. 13. Antiq. c. 45. Post hos Romanorum Pompeius primus Iudæam subiugavit, Hierosolymam templique adyta ingressus, nunquam deinceps prospere rem gessit in bellis, donec in acie Pharsalica universus eius exercitus verso ad Hierosolymam cecidit vultu, ipseque fugiens in Ægyptum cæsus est. Denique M. Crassus contra Parthos profectus, templum Hierosolymitanum spoliavit: ideo a Parthis eum filio et universo exercitu trucidatus, liquato in eis auro iniecto, sui sacrificii pœnas exolvit, ut referunt Iosephus lib. 14. Antiq. c. 13. et Plutarchus in Pompeio et Crasso. Ex quibus constat, per multos annos urbem Hierosolymam a multis regibus ac ducibus obsessam, et Dei munere liberatam, non sine eorum concisione. Verum quoque deducitur, collecta fuisse adversus Ierusalem omnia regna terræ.

B Porro solerter coniicit Sanchez, Prophetam in hoc lapide oneris respicere ad palæstram, quam æque ac ephëbiam, ritu gentilitio in Ierusalem instituit impius Iason, in qua gestando onere et disco certabant tanta frequentia et concursu, ut sacerdotes festinarent participes fieri palæstræ, et præbitionis eius iniustæ, et disci, 2. Machab. 4. Ubi Nota: discus erat massa rotunda, seu globus ex ferro, quid? plumbo, saxo, quo adolescentes vires explorabant illum vel elevando, vel iactando: ut qui altius eum elevaret, vel longius iaceret, ille vinceret. Unde eos discobolos vocat Plinius l. 2. c. 34. de quibus Martial. l. 14.

Splendida eum volitent Spartani pondera disci: Este procul pueri, sit semel ille nocens.

C Allegor. Ecclesia est lapis oneris, quem levare tollere, et abiicere voluerunt Iudæi et Gentiles; sed omnes ab eo concisi et oppressi sunt, ut patet in Nerone, Decio, Valeriano, Iuliano, etc. sed maxime in Diocletiano et Maximiano, qui iurarant se extirpaturos Christi Ecclesiam et fidem, vel certe imperium deposituros. Secundum præstiterunt, quia prius præstare non potuerunt. Unde uterque a Constantino primo Imper. Christiano, ad necem et restim adactus est.

Anag. Ecclesia et Christus erunt lapis oneris, qui opprimet impios in die iudicii, deprimetque in tartara, de quo Christus Matth. 21. 24. *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum*, q. d. Qui restiterit Christo, quem Deus in Ecclesia posuit lapidem angularem, puta lapidem oneris, et petram scandali, eumque persecutus fuerit, frustra id faciet. Nam sibi in corpore et animo perniciem accerset, ita tamen ut non penitus conteratur, sed per pœnitentiam reparari possit: super quem vero ceciderit hic lapis, id est, ille cui Christus gravi sua ultione inebuerit, quales erunt damnati in die iudicii, huic nulla spes reliqua erit redintegrationis; perinde ac si lapis grandis in vas testaceum deiecit, illud in minutissima frusta confringit, ut nullo modo reparari queat: ita S. August. libr. 1. quæst. Evang. q. 30. tom. 4.

D PERCUTIAM OMNEM EQUUM, scilicet hostilem, puta Antiochi et Græcorum per Machabæos, IN STUPOREM.) Id est, ad stuporem, ut scilicet omnes videntes stupeant ad plagam tantam tamque subitam, et ipsi equites præ stupore et pavore quasi versi in amentiam, nesciant quo fugere, vel quid agere debeant: ita S. Hier. Theodoret. et alii.

ET SUPER DOMUM IUDA APERIAM OCVLOS MEOS.) Ut

scilicet protegam Iudeam et Iudeos, imo ut ii qui metu Antiochi prolapsi sunt in gentilissimum, eiusque copiis misti pugnant contra patriam, resipiscant, sumptisque animis imungant se Machabæis, et patriam propugnent: ita factum legitur 1. Machab. 2. 29.

Alleg. q. d. Faciam ut Iudæi qui Ecclesiam persequebantur, videant suum errorem, et ad eam convertantur, eamque propagent, uti contigit S. Paulo Actor. 9. ita S. Hieron.

**ET OMNEM EQUUM POPULORUM PERCUTIAM CÆCITATE.** ) Est catachresis et syncdoche; per *cæcitate* enim accipit stuporem et metum, quo correpti equi quasi cæci, nesciebant quo fugere deberent: proprie etiam multi equi hostium a Machabæis in capite percussi et exæcati sunt. Nam 2. Machab. 10. 30. dicitur: *Apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum in eorum consueverant, in adversarios autem tela et fulmina iaciebant: ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant.*

**ET DICENT DUCES IUDA IN CORDE SUO.** ) S. Hieronym. sic exponit, q. d. Iudæi ex metu transfugæ, et cum copiis Antiochi obsidentes Ierusalem, non ore, ne audiantur; sed corde suo dicent et precabuntur: Domino conforta cives Ierusalem, ut hisce Antiochi copiis resistere queant; ut sic victi cum hostibus, quibus coacte servimus, vincamus cum civibus, quos intime amamus. Secundo et planius, q. d. Machabæi in corde suo precabuntur Deum, ut confortet cives Ierusalem, ne Antiocho succumbant. Ita Iudam Machabæum legitur pene semper ante aciem orasse, et Dei opem implorasse, eaque victoriam obtinuisse.

Allegor. duces Iuda sunt Apostoli, qui orant Deum ut Ierusalem, id est, Ecclesia, omnibus tyrannis fortiter ad mortem usque et martyrium resisteret: ita Albertus et Arias.

**PONAM DUCES IUDA SICUT CAMINUM IGNIS.** ) q. d. Faciam ut Machabæi, et mystice Apostoli quasi ignis omnia circummeica populentur, superent, subiciant et ad se convertant. Vide gesta Iudæ, Ionathæ et Simonis in libris Machab. Id in Apostolis patuit in Pentecoste, quando spiritus sanctus eis insedit specie linguarum ignearum: unde mox eloquiis suis ignitis multa hominum millia, ac sensim totum mundum ad Christum converterunt: ita S. Hieronym. Remig. Albert. et alii.

**ET SICUT FACIEM IGNIS IN FŒNO.** ) Ita Romana. Alii pro *faciem* legunt *fuscem*; alii *facem*, et ita vertunt Septuag. Chald. Pagnin. Vatabl. et alii. Hoc enim significat Hebr. **לפיד** *lappid*, scilicet lampadem et facem. Eodem omnia redeunt: facies enim ignis est fax, celerrime comburens et consumens fœnum, cui iniicitur.

**ET HABITABITUR IERUSALEM.** ) q. d. Ierusalem prius vacuata civibus, profugis ob metum Antiochi, virtute Machabæorum, iis rursus implebitur, ut in ea sicut ante, habitent pacifice, frequentes et opulenti, ut patet 1. Machab. 14. 4. idque pene usque ad tempus Christi, qui eam aliis incolis cælestibus et divinis, puta Apostolis et primævis Christianis ditabit et decorabit. Nota pleonasmum Hebraicum, eum dicit Propheta: *Habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem*, redundat enim *in Ierusalem*. Nil enim aliud vult dicere, quam Ierusalem non alio, sed eodem in loco quo prius ædificandam et habitandam: quod ut plane, plene et certo futurum significet; addit *in Ierusalem*. Multæ enim civitates dirutæ, postea non eodem, sed alio vicino in loco ædificatæ sunt, uti Tyrus nova: nam vetus Tyrus dicitur Paletyrus, et a Tyro nova longiuscule distat. Sic Roma moderna alia est a veteri. Sic et Tusulanum: quia et Ierusalem moderna alio est in loco, quam fuerit vetus; nam moas Calvariæ, qui olim erat extra urbem, iam est in urbis quasi medietate. Prædicit ergo Zacharias, Ierusalem sub Machabæis eodem prorsus loco quo prius restaurandam, frequentandam et magnificandam.

Allegor. Ierusalem est Ecclesia Christi, quæ licet gravissimis persecutionibus agitata sit, et sedibus suis quasi

pulsa, suo tamen loco semper constitit, imo firmius se et copiosius in eodem locavit; v. p. Ierusalem nostra est Roma, ex qua licet Imperatores pene omnes, per trecentos annos extirpare conati sint Pontifices et Christianos; ideoque centena Martyrum millia exquisitissimis tormentis enecarint, illi tamen semper in ea perstiterunt, imo numero et robore creverunt, donec tandem toti non tantum urbi, sed et orbi sunt dominati. Unde S. Ambros. in e. 9. epistol. ad Roman. legit, *ponam Ierusalem in omnibus gentibus: quia, ait, ubique futuri erant (per Christum) filii Dei, et domus Dei in omnibus locis, quæ est Ecclesia.*

**SALVABIT DOMINUS TABERNACULA IUDA.** ) Est prolepsis, sive occupatio. Occurrit enim tacite obiectio: Quomodo Ierusalem et Iuda salva consistent inter tot hostes? ac respondet, id non eius, sed Dei viribus futurum. Deus enim salvabit ea, eorumque domos, etiam rusticanas, quas proinde vocat tabernacula, præsertim quia primitus Hebræi in deserto non in aliis domibus quam tabernaculis habitaverunt.

Alleg. tabernacula sunt particulae Ecclesiæ, ad quas licet olim Christiani metu persecutionum, vix, et non nisi noctu, paucique convenire auderent, Deus tamen servavit eas, imo auxit, et dilatavit; sicut olim in principio Synagogæ, puta in deserto, antitypa Hebræorum tabernacula ab hostibus, æque ac ab æstu, imbris et procellis illæsa servavit.

**UT NON MAGNIFICE GLORIETUR DOMUS DAVID.** ) q. d. Ne Hierosolymitæ, et præsertim posteri Davidis gloriantur, quod ipsi suis viribus tam se quam Iudæos in vicinis oppidis et pagis habitantes, contra Antiochum cæterosque hostes propugnarent; ecce ego dico et edico, me tam Hierosolymitas, quam Iudæos cæteros salvaturum. Mihi ergo omnes se submittant, mihi que suam salutem acceptam referant; ego enim Machabæis fortitudinem animosque dabo, quibus pauci contra maximos exercitus dimicantes, eos sternaat et prolignent. Id professus est Iudas Machabæus 2. Machab. 8. 18. et alibi, itaque a Deo victorias miraculosas obtinuit. Nota. *Domus David* vocantur posteri Davidis, eorumque familiæ, quæ plurimæ erant et nobilissimæ in Ierusalem. Rursum *gloria habitantium Ierusalem*, per hypallagen vocantur cives habitantes in Ierusalem gloriose. *Gloriosa enim dicta sunt de te civitas Dei*, Psal. 86. 2. Iuda vero vocantur cæteri Iudæi, qui circum Ierusalem in villis et urbibus habitabant. Similis hypallage est apud Poetam cum ait: *Trade ralem ventis*, pro trade ventos rati. Et, *Perflavit fistula buccas*, pro buccæ perflavit fistulam.

Allegor. *domus David* sunt Apostoli, similesque Ecclesiæ Principes: *gloria habitantium Ierusalem*, sunt Doctores, virique religiosi et sanctitate illustres: hi enim sunt gloria Ecclesiæ. Hi quoque non possunt gloriari contra Iudam, id est, populum et plebem fidelem, quasi ipsi suis viribus eam protexerint, cum hoc Dei eiusque gratiæ sit opus: ita Albert. Hugo et Vatabl.

Tropol. Clarius: *Domus*, ait, David, et gloria Ierusalem sunt reges, principes, nobiles et divites. Hi non possunt gloriari contra Iudam, id est, plebem fidelium, quasi ipsi sua nobilitate, potentia, opibus, fidem et locum in Ecclesia digniorem obtineant, cum hoc sit meræ gratiæ Christi, quæ in christianismo æquat ignobiles nobiles, pauperes divites. Nam, ut docet Apostolus, in Christo Iesu non est Iudæus, neque Græcus; non servus, neque liber; non dives, neque pauper; sed omnes unum sunt, puta nova Dei creatura, imo in christianismo primas et potiores partes tenent pauperes: tum quia Christus prædicavit pauperibus Lucæ 4. 18. et pauperes prædicavit beatos: tum quia regni sui proceres constituit pauperes Apostolos, per quos, reges et principes convertit, iuxta illud 1. Cor. 1. 26. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentis, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, etc. Et Iacob. 2. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit*

Vers. 5

Vers. 6

Alleg.

*Deus diligentibus se?* Denique divites et nobiles maiora habent impedimenta humilitatis et virtutis Christianæ, quam pauperes; honores enim inflant, opes et deliciae mentem enervant; quare maiori egent gratia Christi, quæ hæc vincula dirumpant, quam pauperes. Quocirca ob maiorem gratiam sibi factam, maiores tenentur agere gratias Christo.

Vers 8.

**QUI OFFENDERIT EX EIS.** ) Tigurina, *qui impegerit*. Hebr. enim **לְשׂוֹן** *casial* significat impingere, vel offendere in rem aliquam, v. g. lapidem, indeque corrui et infirmari. Unde Septuag. Chald. et Pagnin. vertunt, *qui infirmus fuerit ex eis*; Vatabl. *qui debilis fuerit, erit quasi David*; Arabicus, *quasi qui ad David, scilicet pertinet*. Iam sensus est, q. d. Machabæi eorumque socii qui pauci et invalidi videbantur, Dei ope fient validi bellatores instar Davidis, qui licet iuvenis et pene puer esset, tamen leonem, ursum et Goliath gigantem interfecit; imo qui ex eis offenderint, dum metu Antiochi apostatabunt a iudaismo ad gentilismum, hi videntes animos et victorias Iudæ et fratrum eius, cum Davide in homicidium et adulterium lapso pœnitentiam agent, fidem resument, ac cum fide novos animos et vires instar Davidis capessent. Id ita factum esse narrant libri Machabæorum: ita S. Hieronym. Theodor. et alii initio cap. citati.

Deus in infirmis ostendit suum robur.

Alleg. id verius in Ecclesia, ubi infirmi, imo fœminæ, pueri et puellæ Christi gratia ita fortes evadunt, ut mundum, carnem, diabolum, earnifices, ignes, bestias, et tormenta omnia superent, uti patuit in S. Agnete, Cæcilia, Dorothea, Luceia, Pancratio, Vito, Celso, et in dies patet. Rursum, qui in peccatum aliquod lapsi sunt, a Deo tacti fortiores resurgent, instar Davidis pœnitentis, uti patuit in S. Petro, Paulo, Matthæo, Magdaleua, Pelagia et plurimis aliis: ita S. Gregorius homil. 20. in Ezech. Albert. Hugo et Lyran. hic. Aliter Arias, q. d. Infiniti Sancti novæ legis poterunt conferri cum maximis Sanctis legis veteris, qualis fuit David. Hæc ergo est ingens consolatio Sanctorum Christi, quod ipse eligat infirma mundi, eaque ita validet, ut confundat fortia: nam virtus eius in infirmitate nostra perficitur, 2. Corinth. 12. 9. Qui ergo infirmus est, vel ætate, vel sexu, vel valetudine, vel animo, dicat eum S. Paulo: *Omnia possum in eo qui me confortat*.

**ET DOMUS DAVID QUASI DEI.** ) Hebr. quasi *Elohim*, quod vel in nominativo, vel in genitivo accipias. In nominativo accipiunt Vatabl. Pagnin. Syrus et Arabicus Antioch. dum vertunt, *domus David erit quasi Deus*, quod explicat Propheta dum subdit: *Sicut angelus Domini*, q. d. Domus David erit fortis instar angeli Dei. Hebr. enim *Elohim*, non tantum Deum, sed et angelos, heroes, duces ac principes significat. Unde Chald. vertit, *Domus David instar heroum feliciteraget, ac si angelus Domini in conspectu eorum esset*; Sept. vero, Arabicus Alexandr. et noster **אלהים** *Elohim*, accipiunt in genitivo, *domus David erit quasi domus Dei*, quia scilicet erit fortis sicut angelus, qui est de domo Dei. Et sic uterque sensus, et utraque versio eodem redit. Significat principes Iudæ (hi enim erant ex domo et posteritate Davidis) validissimos fore, ut vires non humanas, sed divinas habeant, ac instar angelorum facile Antiochi hominumque omnium acies profligent. Totius ergo versus hic est sensus: Sub Machabæis plebs timida et infirma, ita Dei ope valida fiet, ut Davidi valido bellatori comparari queat: principes vero non tantum cum Davide, sed et cum angelis in fortitudine, ducatu, providentia et regimine comparari poterunt. Ita factum est: nam Iudas, Ionathas, Simon viribus et victoriis superarunt Davidem, adeoque angelorum ope et ductu dimicarunt et vicerunt. Nam angeli in hostes eorum iaculati sunt tela et fulmina, uti narratur 2. Machab. 10. 30. Et eap. 15. dicitur Ieremias apparuisse et dedisse Iudæ aureum gladium, dicens: *Accipe sanetum gladium munus a Deo, in quo deities adversarios populi mei Israël*. Exinde ipse et assecclæ eius facti sunt quasi domus Dei, id est, quasi divinum asyllum, ad quod omnes Iudæi ab hostibus afflicti, quasi ad certam salutis anchoram confugerent, iisque quasi angelis ad salutem missis confide-

rent; quin et Gentiles, ut Spartani et Romani eorum amicitiam ambirent, ut patet 1. Machab. 12. v. 1. et c. 14. 17. Ita Theodor. Porro Iudas cum fratribus, licet oriundus ex Levi, non ex Iuda et David, vocatur domus David; quia domus David totaque republ. Iudæorum, eum sibi in caput et ducem elegit. Successit ergo Davidi in principatu, et regimine suæ domus, tribus et populi Iuda. Alludit ad domum fortium Davidis: David enim quia bellicosus erat, et in assiduis bellis versabatur; hinc pariter milites et duces habebat, vel exereendo faciebat bellicosissimos, inter quos eminebant 37. qui libr. 2. Reg. 23. v. 8. et seqq. recensentur et vocantur fortes David, quorum tres primi et fortissimi erant, Iesbaam, id est, sedens in cathedra: Eleazar et Semma, de quibus dicitur: *Usque ad tres primos non pervenit*. Unde Adrichom. in Descriptione Ierusalem, depingit domum fortium Davidis, in qua illi heroes Davidis habitabant: ubi etiam ceu in palæstra athletæ et pugiles exercitii causa digladiationibus certabant, citatque pro hac re Nehemiæ cap. 3. 16. et ibidem Lyranum. Sensus ergo est, q. d. Domus David, id est, posteri et assecclæ Davidis, puta Machabæi, adeo erunt bellicosi et fortes, ut domum cœlumque fortium Davidis, adeoque tres eius primos et fortissimos robore æquent, imo superent.

Alleg. David est Christus: hic est fortis ut magni consilii angelus, imo ut Deus: quia vere Deus fuit, æque ac homo. Domus et familia Christi, fuerunt Apostoli et viri Apostolici, quos ipse constituit principes suæ Ecclesiæ, quæ est domus Dei, eosque tam validos, ut angeli, vel dii viderentur potius quam homines, præsertim quia angelorum vitam in terris agebant, ac quasi angeli mediatores erant inter Deum et homines: ita Vatabl. Ribera et alii paulo ante citati.

Domus Davides sunt Apostoli.

Tropol: domus David est Religio, in qua instar Davidis omnes psallunt laudantque Deum, ideoque fortes in spiritu evadunt ad ardua quæque superanda, ut David. Hinc eadem est domus Dei, in qua Religiosi vivunt quasi angeli: utrique enim sunt de domo Dei; quia Deo astant, et Dei nuncii sunt, et præeunt castra populi, quasi strenui milites et duces. Adde, eis angelos esse familiares, et ab illis regi, iuxta illud Exod. 23. *Præcedet te angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum*. Denique S. Greg. hom. 20. in Ezech. per domum David accepit domum pœnitentium: *Hæc, ait, dies misericordiæ, quæ nobis de adventu redemptoris nostri promissa est. Qui itaque offenderit, erit quasi David: quia peccator ad pœnitentiam redit. Domus autem David quasi domus Dei: quia reversus quisque ad iustitiam, habitatio efficitur creatoris sui, ut sit sicut angelus in conspectu eius: quia misericordiæ viscera quæ in se expertus est, annuntiando aliis propinat*.

Et Religiosi.

**QUERAM CONTERERE.** ) Hebr. **לְהַשְׁמִיד** *lehasmid*, id est, disperdere. q. d. Satagam ut Græci aliæque Gentes, quæ oppugnant Ierusalem, a Machabæis eorumque posteris conterantur et disperdantur, utque Ierusalem continua quasi pace fruatur usque ad Christum, qui quasi novus Salomon pacis filius, imo pater, pacem plenam et divinam orbi asseret. Ita Theod. Nota, cum ait *omnes gentes*, intelligi Græcis vicinas et subditas, vel confœderatas. Nam, ut ait S. Hieron in Isaïæ c. 13. idioma S. Scripturæ est, ut omnes gentes, vel omnem terram intelligat eius provincie, de qua est sermo.

Vers. 9.

Alleg. q. d. Deus conteret omnes Imperatores, et gentes, quæ persequuntur Ecclesiam, imo eas Ecclesiæ subiciet facielque fideles, uti reipsa fecisse Deum, patet ex historis Eusebii, Soeratis, Sozomeni, Baronii et aliorum: ita S. Hieron. Albert. Remig. et Vatabl. Aliter Arias, qui per gentes accipit turmas dæmonum Christum Christique Ecclesiam oppugnantem, quas omnes Christus contrivit.

**ET EFFUNDAM SUPER DOMUM DAVID.** ) Assurgit hic de more Propheta ad Christum, et promittit quod ipse in Ierusalem, puta in Iudæos qui sibi credent, hoc est, in Ecclesiam primitivam, quæ cœpit in Ierusalem et Iudæa, atque ex Iudæis enaluit, effundet spiritum gratiæ et precum. Pro *gratiæ* hebraice est **חֵן** *ehen*, quod significat gratiam,

Vers. 10.

qua alicui gratiosi et amabiles sumus. Unde in Scriptura toties dicitur: Inveni, vel inveniam gratiam in oculis tuis, hoc est simi tibi gratus, placens, amabilis. Deus ergo hic pollicetur, quod per Christum effundet in fideles spiritum gratiæ, id est, spiritum qui eos per gratiam infusam gratificet Deo, ipsique et angelis faciat gratiosos et amabiles, iuxta illud Ephes. 1. 5. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Ita S. Hieron. Theodor. Remig. et alii passim. Secundo, Chald. et Arias pro *chen* non male vertunt *commiserationem*, qua misero, præsertim innocenti, ut Christo translixo, de quo v. 10. compatimur. Unde sic cum Chaldæo veritas, *effundam super domum David*, etc. *spiritum misericordiæ et miserationum*; vel cum Aria, *spiritum compassionis et deprecationis*, quæ ex compassionis cogitatione et sensu plerumque proficiscitur. Est enim deprecatio, miserantis animi voce, fletu atque lamentatione indicatio.

ET PRECUM.) Hebr. תחנונים *tachanunim*, quod Sept. vertunt, *misericiordiæ*; Chaldæus, *miserationum*; Clarius, *propitiationis*. Radix enim חנן *chanan* significat misereri, indeque precari: miseria enim excitat ad preces, quibus eam levemus. Unde Noster vertit *precum*. Iam S. Hieron. Remig. Albert. Vatabl. et alii passim, censent hic generatim prædici missionem Spiritus sancti in Apostolos et fideles in Pentecoste et deinceps. Ubi Nota duos effectus principales Spiritus sancti. Prior, quod det nobis gratiam, qua grati simus Deo: posterior, quod det nobis spiritum orationis et precum, per quas omnes infirmitates et miseras nostras sanemus, omniaque bona quibus egemus, a Deo impetremus, iuxta illud Rom. 8. 26. *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ingens ergo donum Dei et Spiritus sancti est donum orationis. Secundo, et pressius, magisque apposite et connexe ad sequentia, Arias et a Castro censent spiritum gratiæ et precum hic vocari eum, quem Deus iniecit Hierosolymitis, cum Christum viderunt in cruce confixum, ut scilicet eum aspicerent oculis, non torvis et crudelibus, sed benignis, gratiosis et commiserantibus, indeque erumperent in lacrymas et preces, optantes ut Deus Christi innocentis, et tam dira patientis misereretur. Spiritus enim in Scriptura significat mentis impetum et vehementiam, v. g. ad amandum et commiserandum, si sit Spiritus miserationis, uti hic est. Hunc esse sensum patet ex Hebræo, ubi hæc verba pendunt ex sequentibus: *Et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum.* Hæc enim eorum commiseratio fuit initium fidei et conversionis ad Christum, ac propagationis Ecclesiæ. Deus enim ob hanc eorum compassionem in Christum, dedit eis fidem, gratiam et salutem per Christum. Simili modo ex aspectu Christi crucifixi compuncta, et ad vitam perfectam conversa est S. Elisabetha, regis Hungariæ filia aliique permulti, uti mox ostendam. Quare minus recte ad litteram aliqui censent, hunc spiritum gratiæ et precum promitti hic Machabæis, uti eum Iudæ Machabæo datum seimus. Rursum Mariana hunc spiritum gratiæ et miserationis passive accipit, q. d. Faciam ut fideles mei omnibus sint grati, ut omnes eorum misereantur, eisque opem ferant.

Mor. discite hic magnum Dei donum esse donum orationis et precum: oratio enim est fistula cælestis, per quam a Deo per merita Christi sugimus omnem gratiam quasi manna. Eo excelluerunt S. Bernardus, S. Dominicus, S. Francisus, S. Thomas Aquinas (qui suam sapientiam et doctrinam orando, potius quam studendo se adeptum esse professus est) S. Franc. Xaverius, et alii, qui eo nixi ardua quæque susceperunt et perfecerunt, adeoque nihil a Deo postularunt, quod non impetrarint. Ad hoc disponit et ducit ingens in Deum fiducia, quam parit profunda consideratio tum bonitatis Dei, tum meritum Christi. Quid enim Deus benignissimus neget suis amicis, qui vitam suamque omnia pro eo prodigunt? Quid iisdem obtendentibus Christi sanguinem, dolores et mortem acerbissimam, per eamque supplicantibus, abnuat? Hinc fides thaumaturga,

A miraculorum operatrix, et suscitatrix mortuorum, imo damnatorum, aut certo damnandorum. Vis exempla? Accipe pauca et multis. S. Elisabetha precibus adolescentem vanum convertit, et ad Religionem impulit, ita ut ea orante adolescens clamaret: *Cessa o domina, cessa, quia vastissimo supplicationis tuæ incendio præcordia mea, et ipsæ medullæ depascuntur, ita ut fatiscam et emoriar: ita habet eius Vita.*

Anno Domini 959. perfectam pacem obtinuit Ecclesia Anglica defuncto Eduino rege, et succedente in monarchiam regni totius Edgardo. Porro precibus sancti Dunstani, quem afflixerat, ne penitus ad inferos damnaretur, animam eius erectam, ita narrat Osbertus monachus: *Inlerea Eduinus e vita præsentis subtractus, et anima ipsius, Dunstano in orationibus occupato, a quibusdam teterrimis hominibus cursim e vestigio est presentata. Cuius miseriam miseratus, suarum iniuriarum immemor, pro liberatione eius immensus omnipotenti Deo lacrymarum imbres effudit, nec ab eis destitit, donec se pro eo exauditum agnovit. Facto igitur non grandi intervallo, Mauri illi ad Dunstanum sua præda vacui redeunt. Et quia suas iniurias ulcisci supervacue venerant, calumniosas voces depromunt; quorum ille furores nihil pensans, Deo super ineffabili misericordia gratias egit. Ita habet Osbertus in Vita S. Dunstani, et ex eo Baron. anno Christi 959.*

Sophronius in Prato spirit. cap. 44. narrat de senæ quodam, cuius discipulus negligens mortuus est. Contristatus ergo oravit et dixit: Domine Iesu Christe verax Deus noster, revela mihi, quid sit circa fratris animam. Adspexit autem in excessu mentis effectus, fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad medium usque demersum. Tunc ait illi senior: *Nonne te propter hanc panam orabam, ut eam animæ ageres, fili? Respondit frater, et ait seni: Gratias ago Deo, pater, quod vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.*

Anno 920. fato concessit Sisinandus quartus Compostellanus Episcopus, cuius tanta fuit fama sanctitatis, ut Joannes Papa (opinor decimus) per litteras et tabellarium proprium se precibus ipsius commendaverit. Mortuus est autem senio confectus. In cuius obitu voces audite sunt angelorum canentium: *Veni electe Dei, intra in gaudium Domini tui.* Successit illi Gundesindus V. Compostellanus Præsul, et Comitis cuiusdam filius: sed hic cum mundo, quam Deo, magis deditus esset, vitam non satis pio sine elausisse dicitur. De qua re mater eius, matrona pia, gravi confecta dolore, et de anima filii vehementer sollicita, ante aram beatissimi Iacobi Apostoli divinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, et fletibus, precatationibus, ieiuniis, elemosynis sibi demereri, interposito S. Iacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo eiusdem Apostoli vocem hanc audivit: *Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse.* Ita habet Joannes Vasæus in Chronico Hispan. ad ann. 920.

ET ASPICIENT AD ME QUEM CONFIXERUNT.) Stolidæ Iudæi ex Chaldæo hoc intelligunt de Christo quodam filio Ioseph, quem in bello ocebuisse fabulantur, aut de Iuda Machabæo ab hostibus occiso. Vox enim *me*, significat hic loqui Deum: hebr. est דַּקָּרָה *dakarua*, id est, transfuderunt, transpunerunt, translixerunt, scilicet Iudæi infideles et impij Christi caput spinis, manus et pedes clavibus, latus lancea in cruce. De Christo enim cruce transfixo hic esse prophetiam, et sermonem docet et interpretatur S. Joannes e. 19. 33. ubi cum narrasset milites non fregisse Christi crura, eo quod viderant eum iam mortuum, *Sed unus militum, inquit, lancea latus eius aperuit. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleteretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. omnesque alij Interpretes, Græci et Latini; quin et Hebræi prisca apud Galatin. lib. 8. cap. 17. Loquitur de Iudæis qui Christum in cruce aspexerunt, præsertim iis qui ei compassi et commiserati sunt, uti paulo ante dixi, et fuse recteque probat Alcazar Apocal. 1. v. 7. notat. 6. qualis fuit Cen-

Spiritus  
Precum  
quis.

turio, eiusque socii, qui *viso terræ motu, et his quæ fiebant*, **A** *timuérunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste*, Matth. 27. 54. Porro tales multos, imo plerosque fuisse significat Lucas cap. 23. 48. dicens: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*: ita Arias, a Castro, Salméron tom. 10. tract. 48. in fine, et Aleazar loco iam citato. Pro *confixerunt*, Septuag. vertunt, *insultaverunt*, quia pro *dakar* per metathesin legerunt, *רַקְרַק* *rakadu*, id est, saltarunt, insultarunt: ita S. Hieron.

Symbolice, Cyrill. et Euseb. lib. 8. Demonstr. c. 4. hæc adaptant Iudæis in excidio Titi. iis, inquam, qui agnoverunt causam exidii esse, quod patres eorum Christum crucifixissent, ideoque conversi sunt ad Christum. Cæteri enim causam exidii non in Christi cædem, utpote quem non agnoverunt, imo negarunt esse Messiam, sed in seditiones eadesque mutuas, et alia Iudæorum peccata retulerunt, ut patet ex Iosepho lib. 6. Belli e. 16.

Anagog. id implebitur in die iudicii, quando Iudæi aliique impii, qui hic noluerunt Christum agnoscere, inviti eum agnoscent: nam damnabuntur eo quod ipsum transfixerint, aut transfixionis et passionis eius fuerint immemores, et ingrati suis sceleribus, ideoque plangent. Ita expleat S. Ioannes Apoc. 1. 7. *Ecce, ait, venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui cum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ*. Vide ibi dicta. Imo multi putant hunc esse sensum litteralem, ut

Theodor. Remig. Lyran. hic, et S. August. lib. 20. Civit. e. 30. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. sect. 9. Iansenius in Concord. Evangel. e. 1. 44. Toletus Ioannis 29. 37. qui ex hoc loco probant, stigmata crucifixionis et passionis in Christi corpore post resurrectionem mansisse, eaque videnda fore ab impiis in die iudicii. Sed ex dictis patet, hunc sensum potius esse anagogicum. Huc quoque alludit Christus Matth. 24. 30. dicens: *Et tunc parebit signum filii hominis* (puta crux, cum elavis, lanæa, etc.) *in exlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, etc.* Denique nonnulli id ipsum extendunt ad particulare cuiusque hominis iudicium. Ita Innocentius Pont. lib. de Miseria conditionis humanæ, et ex eo Ludolphus vol. 3. de Vita Christi cap. 46. eissent, quemque hominem in morte videre Christum in cruce positum; malum, ad suam confusionem, ut erubescat se non esse redemptum sanguine Christi, sua culpa id exigente; et hoc esse id quod hic dicitur a Zacharia: *Aspiciet ad me, quem confixerunt*; bonum vero Christum videre ad suam exultationem. Idque probant ex 1. Thess. 3. 13. *in adventu Domini nostri Iesu Christi*, id est, inquit, in die mortis, quando apparet tam bonis quam malis, Christus in cruce positus. Et ex Apoc. 3. 3. *Veniam ad te tamquam fur*. Verum hæc infirma et incerta sunt, ac proinde temerarium videtur illa asseverare, uti recte ait Dionys. Carthus. Dialogo de particulari iudicio art. 2. et 11. In iudicio tamen universali apparebit Christus, non crucifixus, sed cum cruce, et cicatricebus quinque vulnerum, uti iam dixi. Quare iudicium particulare cuiusque peragit Christus, vel per se, vel per Angelos. Per se, non descendendo de cælis (sic enim qualibet hora, utpote qua multi per orbem moriuntur, deberet de cælo descendere, seque replicare multoties, ut iudicet eos qui eodem instanti in variis locis et provinciis moriuntur) sed per mentalem locutionem, qua manens in cælo empyreo loquitur animæ in terra morienti, revelans ei sua facta, dictansque sententiam vitæ, vel mortis æternæ. Sic enim Angeli loquuntur invicem, etiam a se mutuo longissime distent. Vel certe iudicium particulare exeret per Angelos: illi enim sunt eius administratorii spiritus, ut ait Apostolus Hebr. 1. Unde Bartholom. Sibylla S. Theol. Doctor, Ordinis S. Dominici, in Speculo peregrin. quæst. decade 1. cap. 2. q. 9. censet Christum hoc iudicium exercere per Angelum Custodem cuiusque, ut is deinde eum pro meritis vel ad Purgatorium, vel ad cælum deducat, vel tradat dæmoni, ut eum rapiat in gehennam. Hoc enim ad Angeli custodiam pertinere videtur, eiusque esse ultimus actus.

**ET PLANGENT.**) Non tam suos dolores, uti faciunt impii in die iudicii, quam Christi indignam necem. Ait enim: *Plangent eum*, scilicet indigne crucifixum et occisum, *plangente quasi super unigenitum, ut doleri solet in morte primogeniti*. Est enim Christus *primogenitus omnis creaturæ*, Colos. 1. v. 15. *Sicut planetus Adadremmon in campo Maggeddon*, id est, sicut planxerunt olim Iudæi Iosiam regem optimum a Pharaone eæsum in campo Maggeddo, cuius filius et antitypus fuit Christus in Ierusalem occisus a Iudæis. Ita S. Hieron. *Crucifixus, ait, Domino salvatore renovabitur planetus in Ierusalem, separatis viris a feminis, eo quod tempore luctus non debeamus servire coniugiis et operi nuptiarum*. Id probat ex Ioelis 2. 16. *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo*. Et subdit: *Hoc non totum tempore angustiarum fieri, sed etiam in tempore orationis, quando volumus Deum deprecari. Igitur et nunc domus David, et tribus domus Nathan, et tribus domus Semei a suis uxoribus separantur, ut plangent Dominum*. Loquitur ad litteram de planetu fidelium in morte Christi, uti paulo ante ostendi. Gregor. Nazianz. in eamine cui titulus, *Christus patiens*, testatur militem illum qui lancea latus Christi perforavit, altero oculorum fuisse captum; sed Christi sanguine et aqua ad oculum admotis, visum recuperasse, ac Christi virtute agnita, pectus suam pereussisse, ipsumque verum filium Dei agnovisse. Salméron tom. 10. pag. 496. idem citat non tantum ex Nazianz. sed etiam ex Isidoro. Rom. Martyr. die 15. Martii, asserit Longinum fuisse eum qui latus Christi perforavit, indeque eredit et Martyr exasit. Hoc significat *aspiciet*, scilicet tam oculis cordis, quam corporis, *in me quem confixerunt*.

Symbol. hunc planetum recte accipias, tum eum quo planxerunt fideles, partim ex pœnitentia et lætitia conversionis suæ, qua receperunt Spiritum sanctum; partim ob persecutionem varias, quas propter Christum primitus passi sunt a Iudæis et Gentilibus; imo hunc ad litteram hic intelligi censet S. Hieron. Remig. Albert. et Aleazar loco iam citato: tum eum quo quotannis fideles, præsertim in hebdomada sancta (in qua Deus in fideles et pios effundit hunc spiritum gratiæ et precum sive commiserationis) recolunt, et plangent passionem Christi, dum cogitant se suis peccatis crucifixisse Christum, ideoque pœnitentiam agunt, et austeram vitam eapessunt, appetitus suos edomant, studentque mortificatione, uti faciunt Religiosi. Hi enim reipsa compatiuntur Christo, dum ob Christi recordationem, venerationem, amorem et imitationem, mortificationem Iesu in carne sua circumferunt, uti ait Apostolus, itaque quasi iusta Christo pro se crucifixo persolvunt, eique parentant. Reipsa enim dicunt, planguntque illud Thren. 4. 20. et c. 5. 18. *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. Cecidit corona capitis nostri: vix nobis, quia peccavimus*. Porro planetus hic est in Adadremmon, id est, in hortis malogranatorum: tales enim sunt Religiones et monasteria, in quibus viget disciplina et eharitas, quorum cura ad sponsam Christi pertinet, iuxta illud Cant. 6. 10. *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si florisset vinea, et germinassent mala punica*. Et e. 7. 12. *Mane surgamus ad vineas, et videamus, etc. si floruerunt mala punica*. Hinc seorsim plangunt viri in monasteriis virorum, et seorsim mulieres in monasteriis fœminarum, agentes pœnitentiam vite religiosæ. Porro maxime plangunt domus David, Nathan, Levi et Semei, que Christo erant cognatæ, id est, quæ pietate et eharitate ad Christum proximæ accedunt. Unde David exponitur dilectus, Nathan donatus, Levi copulatus, Semei obediens. Hæc Aleazar, cui consentiunt Isidor. Clarius, Vatabl. et Dionys. Ita Abbas Stephanus in Prato spirituali eap. 64. tribus senibus de animæ salute disserentibus: *Ego, inquit, die noctue nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Iesum Christum in ligno pendentem*. Ita S. Elzearius Comes Arriani crucifixum semper intuens, nulla iniuria, nulla afflictione, nulla molestia movebatur ad iram vel impatientiam, sed omnia placide immoto vultu et invicta patientia tolerabat.

An Christus crucifixus appareat cuique animæ in morte iudicis.

Planetus fidelium ob mortem Christi.

Cumque uxor eius Delphina miraretur istam apathiam, et causam quareret, respondit: *explicabo tibi arcanum peccatoris mei. Norris me interdum sentire aliquam indignationem in animo aduersus infestantes me, sed illico me conuerto ad cogitandas iniurias Christo illatas, eumque imitari cupiens dico mihi ipsi: Etiamsi famuli tui barbaram tuam conuellerent, et colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui maiora perpessus est; certumque habeas Delphina, me nunquam cessare a commemorandis iniuriis Salvatoris mei, donec animus meus plene sit tranquillatus.* Hæc ratione nulla ei perturbatio, vel commotio potuit dominari. Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 25 p. 5. narrat Martyrem quemdam captum a Gentili tyranno, semper gemebundum incessisse; cumque tyrannus causam tristitiæ quæreret, respondisse: *Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continue in corde meo passionis eius stigmata porto.* Unde indignatus tyrannus iussit ei cor evelle et dissecari, in quo reperit Christi crucifixi imaginem: qua re commotus, ad Christum conversus et baptizatus est. Eadem Christi crucifixi imago inventa est in corde S. Clare de Montefalco, uti narrat oculatus testis Thomas Bozius l. 15. de Signis Eccles. cap. 3. tom. 2. Nota sunt sacra stigmata S. Francisci a Christo crucifixo, quem iugiter intuebatur, impressa. S. Lidwina iugiter in plagis Christi, quasi in foraminibus petreæ, instar columbæ nidificantis commemorabatur, ut habet eius Vita apud Surium cap. 7. die 14. Aprilis. Idem fecit S. Clara, discipula S. Francisci, ut habet eius Vita cap. 20. apud Surium die 12. Augusti. Atque eius assecla S. Coleta, uti in eius Vita refert illi coævus Stephanus Iuliacus. Idem fecit S. Hedwigis Ducissa Poloniae, ut habet eius Vita c. 5. apud Surium die 15. Octobris. Et S. Birgitta, ut habet eius Vita c. 5. ac S. Gertrudis, Mechtildis, et Catharina apud Blossium Abbatem in Monili spirit. c. 2. Denique S. Elisabetha, Hungariæ regis filia, eum quadam die ornatu et comitatu regio Ecclesiam ingressa esset, statim ubi cruceem vidit Christumque in ea pendentem, cœpit in lacrymas solvi, et dolore acerrimo torqueri, cogitans dicensque sibi: *Deus et Salvator meus in putibulo moritur: ego gemmis, auro, purpuraque fulgeo: ille spineam coronam gestat: ego auream: ille inter latrones, hostes et derisores; ego turba famulorum me colentium cingor.* Quare cum se propterea infelicem, miseram, ac pene damnatam appellaret, quod tam male suum imitaretur creatorem, exanimis in terram corruit, ægreque ad se reversa, statuit vitam mutare, Christique humilitatem et cruceem imitari, ut reipsa præstilit. Ita habet eius Vita, et Hier. Platus l. de Dign. Card. c. 17.

**PLANGENT EUM.**) Transit a prima persona ad tertiam, puta a me ad eum. Hinc Sanchez putat Prophetam post raptum ad Christum, eiusque plagas, quibus confixus est, illico redire et revolare ad Machabæos, de quibus egit toto capite, q. d. In persecutione quam ab Antiocho dirissimam sustinebit populus Iudaicus, pii omnes plangent super eum, scilicet populum iam dictum: omnes enim tunc planxisse patet 2. Machab. 1. Verum in præcedentibus nulla vastationis, sed roboris et victoriarum Machabæorum facta est mentio. Adde, hunc raptum videri nimis subitum et insolentem. Ad eum tamen alludi non nego.

Secundo, Alcazar loco citato, censet *eo me*, ad Patrem æternum referri: illum enim in sua, id est in prima persona loqui solere in Scriptura; sed *eo eum* referri ad Filium, q. d. Aspicient me Patrem quem confixerunt; quia mihi iullicium fuit vulnus, quod Christo filio meo dilectissimo inflixerunt, iuxta illud Malachiæ c. 3. 8. *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Quare efficiam ut plangent eum.

Tertio, alii passim simpliciter censent esse enallagen Hebræam: Hebræi enim sæpe mutant personas, et de seipsis nunc in prima, nunc in tertia persona loquuntur. At facilius dicas, huc usque locutum esse Christum de se in prima persona, nunc vero loqui Prophetam de Christo, ideoque loqui de eo in tertia persona. Propheta enim id quod Christus paucis dixerat, exaggerat et ostendit

quantum de eius confixione in cruce futurus sit omnium planctus. Septuag. vertunt, *plangent super se*, quos sequens S. Iohannes Apoc. 1. 7. *Plangent*, ait, *se super eum omnes tribus terræ*: quia in die iudicii plangent impij super se, eo quod Christi necem vel procurarint, vel illi ingrati fuerint, de quo plura in fine capitis.

Porro docet hic Zacharias inter varios affectus, quos ex meditatione passionis Christi elicere possumus, ut admirationis, amoris, gratitudinis, compunctionis, timoris, penitentiae, imitationis, patientiæ, gaudij, spei, etc. emittere affectum compassionis, eumque proprie nos Christo pro nobis patienti debere. Quis enim non intimis sensibus condoleat Christo innocenti et sancto, imo Dei filio unigenito, eum cum in cruce confixum intuetur, tot tantaque pro se tam amanter pati? Quis non ex commiseratione gemat, et lacrymis diluat? Vere S. Bonavent. in Stimulo divini amoris: Quid, ait, fructuosius esse possit, quid suavius, quam ex toto corde compati amarissimæ passioni Iesu Christi Domini nostri? Vide eundem et nostrum Franciscum Arias lib. de Oration, mentali c. 12. Quocirca S. Clara, discipula S. Francisci, iussit Monialibus sui Ordinis, crebro plangere mortem Christi, uti habet eius Vita.

**SICUT PLANCTUS ADADREMNON.**) Primo, *Adadremnon* Vers. 11. urbs erat iuxta Iezrahel, quæ postea dicta est Maximianopolis, sita in campo Mageddo, ubi occisus est Iosias rex Iuda a Pharaone Neehao, cuius mortem luit Ieremias et totus Israel, 2. Paral. 25. q. d. In crucifixione et morte Christi maximus erit fidelium planctus, qualis fuit in cruce Iosiae optimi regis, qui fuit proavus et typus Christi. Ita S. Hieron. Remig. Alberlus et alii. Videtur hæc urbs ita dicta a copia malogranatorum. *Remnon* enim hebr. idem est quod malogranatum, *hadad*, vel ut Chald. legit, *hadar*, idem est quod decor. Dieta est ergo urbs hæc amœnissima *Adadremnon*, id est, decor malogranatorum. Unde Arabicus et Syrus vertunt, *sicut plangens super filium Amon* (id est, super Iosiam: Iosias enim fuit filius Amon, Matth. 1. 10.) *in campo Mageddo.*

Secundo, Septuag. more suo nomina propria ex etymo interpretantes pro *Remnon* vertunt, *malum puniceum*, sive granatum: pro *Mageddo* vertunt, *succisus*. Sic enim habent, *Sicut planctus mali punici*, aut potius, *puniceti*, quod in campo succiditur. Ubi recte notat S. Hieronym. Græcum *πωγωνας* (sic enim legendum in Septuag. non *πωων*, id est, malorum puniceorum, uti legunt Complutens.) non malum puniceum, sed punicetum, id est locum malis puniceis consitum, significare. Iam S. Cyrillus versionem Septuag. sic explicat, q. d. in Christi morte *similem planctum fore, qualis est planctus agricolæ, cum arbor malogranati cum suis pomis excinditur. Arbor est ενωνας* (id est, *pulehre florens*) *et frequentes a radice mittens ramos, rectos et proceros, quæ cum malis suis puniceis decoratur, tunc admirationem movet*, q. d. Sicut exciso puniceto maxime dolet herus, utpote qui in eo suas habebat delicias, præsertim dum floribus purpureis instar calyculorum, aut malis puniceis vermiculantibus ornantur, (uti Romanorum delicias esse videmus in punicetis) sic summe dolebunt omnes pii in morte Christi. Utitur similitudine granatorum potius quam aliorum fructuum, quia granata dum comprimuntur sanguineum fundunt succum, eumque sapidum et salutarem, qui representat sanguinem Iosiae et Christi, quo salvatus est mundus. Unde sponsa Cantic. 8. 2. *Dabo tibi poculum ex vino conlilo, et mustum malorum granatorum meorum.* Addit Cyrill. malogranato significari optimates reipubl. Theodor. vero Septuag. sic explicat: Sicut, inquit, lignatores secantes maximam arborem malogranatorum, ingentem strepitum faciunt; sic horum planctibus omnium aures circumsonabunt. Insuper charitatis typus est malogranatum: habet enim grana densissima et coniunctissima, instar uva, adeoque videtur uva pomi, sicut botrus est uva vitis: cortice enim est pomum, sed granis uva et botrus. Adde, punicicus vel purpureus puniceti mali, florisque eius color, amoris est symbolum. Hæc de versione Septuag. ex qua

censent nonnulli, in morte Iosiae succisum esse punice-  
tum, iuxta quod ipse occisus est, dictum Adadremmon,  
ideoque hic eius fieri mentionem, quod duplicem luctus  
causam et similitudinem ingerat, unam ex morte Iosiae,  
alteram ex succisione punice.

Tertio, Chald. putat duas luctuosas caedes, scilicet Achab et Iosiae hic significari, et ab utraque peti similitudinem. Sic enim vertit, *sicut planctus Achab filii Amri, quem occidit Hader Remmon (Benudad) filius Tabremon (rex Syriae, ut patet 3. Reg. 15. 18. et cap. 22. 24.) in Ramoth Galaad: et sicut planctus Iosiae filii Amon, quem occidit Pharan claudus in campo Mageddo.* Verum Achab impius fuit rex: unde in eius morte non fuit magnus planctus, et si fuisset, eo non uteretur Scriptura, nec ei compararet planctum de morte Christi. Quocirca a Castro suspicatur, Adad hunc fuisse virum quempiam celebrem, civem Remmon, occisum in Mageddo, cuius mors communi omnium planctu celebrata sit, eiusque historiam tempore Zachariae fuisse vulgatissimam, licet ea nobis sit incognita.

Est ergo Hebraeis proverbium: *Planctus Adadremmon vel planctus Iosiae*, significans ingentem planctum, qualis est planctus unigeniti defuncti. Simile Gentilibus fuit, *Planctus Adonidis*. Venus enim Adonidem mortuum amare plauxit, cuius lamenta annuo planctu et solemniter refreabant et celebrabant. Unde Venus apud Ovidium lib. 10. *Metamorph.*

— *Luctus, ait, monumenta manebunt*

*Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago,  
Annua plangoris peraget simulamina nostri.*

Et Ezech. c. 8. 14. vidit in templo mulieres plangentes Adonidem. Vide ibi dieta.

Vers. 12

SEORSUM.) Quia apud Hebraeos, imo et Graecos feminae separabantur a viris in conviviis, in oratione, aliisque actibus publicis et solemnibus, adeo ut apud honestiores pars una domus viris deputata esset, quae andronitis, pars altera feminis, quae gynæconitis dicebatur: ita ex Plutarcho, Athenæo et aliis Sanchez.

FAMILIÆ DOMUS DAVID.) Omnes hae familiae, sed quatuor prae caeteris planeturæ in caede, non Iudaeorum tempore Antiochi, sed Christi, asseruntur, scilicet David, Nathan, Levi et Semei, pro quo Septuag. habent *Simeon*. Verum Semei, vel Simeon hic, non est ille filius Iacob secundo genitus, frater Iudae, et patriarcha; sed alius, ait Lyran. eo longe posterior, qui vita et sapientia illustris scholam sive sectam instituit, de quo S. Hieronym. in Isaia 8. et ad Galgiam quaest. 10. Duas domos, inquit, Nazaraei duas familias interpretantur, Sammai et Hilleb, ex quibus orti sunt Scribae et Pharisaei. non multo priusquam Christus nasceretur, quorum scholam Akibas postea rexit; et has esse duas domos quae Salvatorem non receperunt, qui illis fuit in ruinam et in scandalum. Iam quenam fuerint hae quatuor familiae, non constat: constat tempore Zachariae et Christi fuisse Iudaeis notas et celebres. Duæ tamen de iis probabiles sunt opiniones. Prior, hosce quatuor fuisse proavos Christi: unde eorum familias maxime luxisse in morte Christi, tamquam cognati sui, praesertim eos qui Christi fidem erant amplexi. Nam Lucas c. 3. in genealogia Christi eius proavum nominat, Levi v. 24. et alium v. 29. deinde Semei v. 26. rursum Nathan et David v. 31. Favent S. Matth. Marcus et Lucas, qui dicunt in Christi necesse non tantum planxisse mulieres, et omnes notos eius stetit a longe, sed et totam turbam visis tot prodigiis quae tunc contigerunt, percussisse pectora sua: ita Arias et a Castro.

Posterior est S. Hieronym. Theodor. Remigii, Alberti, Riberae et aliorum plurimum, per familiam David significari proceres; hi enim prognati sunt ex David: per posteros Levi significari sacerdotes et pontifices; hi enim ex Levi descenderunt: per Semei, vel Sammai, significari doctores et Scribas, qui Sammai habuerunt ducem et magistrum: per posteros Nathan Prophetae significari Prophetas, id est, viros religiosos, qui orationi, meditationi, Deique laudibus vacabant, qui in libris Regum vocantur

filiis Prophetarum. Hæc enim erant officia Prophetarum, iudeque spiritum proprie prophetandi, id est, futura prædicendi, nonnulli ex illis magis in spiritu elevati concipiebant.

Dices, Multi ex his, ut sacerdotes et Scribae non plangerunt mortem Christi; sed eam procurarunt. Resp. in Scriptura sæpe ea facta, vel futura dicuntur, quæ fieri deest, aut debent, sive quæ ut fiant, honestas et rerum natura postulat, vel quibus ut fiant, iusta gravisque causa datur, ut dixi in proœnio canone 15.

Quatuor ergo hae familiae planeturæ dicuntur in morte Christi: quia decebat eas plangere, quia quaelibet plangit propriam gravemque habebat causam; etsi multi ex iis perversi re ipsa non plangerint. Familia enim David propriam plangendi causam habebat, eo quod Christus ex ea prognatus quasi rex et Messias occideretur. Rursum quod propter Christum occisum destrueretur regnum Davidis et Iudæ. Familiae Levi plangendum erat, eo quod Christus Sacerdos et Pontifex, omnibus Leviticis sacrificiis et sacerdotibus adumbratus, necaretur, quodque ipsa necis eius esset causa, ideoque ab ea aufereretur sacerdotium, templumque a Romanis pollueretur et combureretur. Familiae Semei plorandum erat, quod Christus Doctor orbis interimeretur, ideoque Doctorum et Scribarum ordo contaminandus et abolendus esset. Familiae Nathan lugendum erat, eo quod Christus Prophetarum dux iniquissime et crudelissime necaretur, ideoque ab eis auferenda esset omnis prophetia, religio et sanctitas. Adde, multos ex his familiis fuisse pios et conversos ad Christum, qui sane re ipsa eius mortem acerbè plangerunt. Insuper Arias, Mariana et Sanchez censent has quatuor familias prae caeteris planxisse mortem Iosiae, eique suo planctu parentasse, idemque multos ex iis fecisse Christo Josiae antitypo. Denique hae, omnesque aliae familiae plangent in die iudicii, quando videbunt se, vel suos ob Christi necem vel procuratam, vel vilipensam, ab eodem iam glorioso iudicante et regnante, ut ingratos, infideles, rebelles et impios damnari ad æterna incendia. Unde Sept. v. 40. pro eo quod Hebr. et Noster habent, *plangent eum*, vertunt, *plangent super se*. Et ex iis S. Ioannes loquens de Christo Iudice Apoc. 1. 7.

*Plangent se super (propter) eum omnes tribus terræ.* Ex quo liquet, hunc sensum de planctu impiorum in die iudicii, non tam esse anagogicum, quam literalem. Combinat enim Propheta omnem de Christi nece planctum, tam piorum in eius funere, quam impiorum in die iudicii: ita S. August. Theodor. Remig. Suarez et alii, quos citavi v. 10. quibus adde Tertull. lib. contra Iudæos c. 14. et Irenæum lib. 4. contra hæres. c. 66. Plangent ergo tunc impii, quia videbunt stigmata vulnerum Christi, æque ac sua peccata, quae illorum fuere causa, v. g. videbit Iudas, se sua proditione Christum adegisse in crucem: videbit dives epulo, se suis deliciis confixisse Christum: videbit superbus, se suis honoris punctis; avarus, se suis fraudibus et usuris; adulter, se suis libidinibus; pugnax, se suis pugionibus transpunctis Christum: videbit quisque impius, quot plagas suis sceleribus Christo inflixerit, quot spinas eius capiti, quot verbera et dolores ipsi inflixerit, quot pœnas ei addiderit. Insuper videbit Christum sua peccata omnia in se luenda, ex immenso amore suscepisse, eaque quantum in se est expiasset; ac proinde videbit suam ingratitude et dementia, quod poenitere et vitam corrigere, ac Christo obedire noluerit, ideoque sibi frustraneam fecerit Christi passionem et crucem; ac consequenter quod sola sua culpa, negligentia et malitia pereat, et ideoque iustissime damnatur ad horrenda et æterna tormenta. Merito ergo plangit. Denique plangunt quotannis Christi eadem omnes familiae fideles in hebdomada sancta. Prophetia enim hæc cœpit impleri moriente Christo, et post eius mortem pergit impleri per singula sæcula, donec plene compleatur in fine mundi et die iudicii: ita Vatabl. et Dionys. Hæc explicatio generalis est et plena, caeterasque omnes complectitur: nam Propheta vers. 12. hunc planctum dilatare, et ad omnes familias omniaque tempora extendere videtur.

Plangent  
impii  
Christi  
necem  
in die iudicii.



Tropol. plangunt Christum crucifixum Religiosi et fideles, qui sua vitia mortificant, passiones et membra crucifigunt amore Christi, ut eius crucem tam activam quam passivam, pro eius honore iugiter, tam in corpore quam

A in mente circumferant, ut dicant cum S. Paulo Galat. 6. 17. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, uti ex Aleazare dixi v. 10.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Prædicit Christum fore fontem gratiæ, iustitiæ et salutis, ideoque abolenda esse idola et pseudopphetas, adeo ut parentes suos filios, si falsa et impia doceant, graviter puniuri sicut. Fontem autem hunc vers. 6. docet aperendum plagis in cruce, iubente patre ac dicente: Framea suscitare super pastorem meum, et super virum coherentem mihi: percute pastorem, et dispergentur oves. Unde v. 8. docet Christi passione tertiam populi partem salvandam, camque probandam fore per ignem.*

1. **I**N die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. 2. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra: et pseudopphetas, et spiritum immundum auferam de terra. 3. Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater eius et mater eius, qui genuerunt eum: Non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini: et confugiet eum pater eius et mater eius, cum prophetaverit. 4. Et erit: in die illa confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur pallio sacco, ut mentiantur: 5. Sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. 6. Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. 7. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum coherentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos. 8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, et deficient: et tertia pars relinquetur in ea. 9. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es; et ipse dicet: Dominus Deus meus.

Vers 1. **I**N DIE ILLA.) Cum scilicet videbunt Christum in cruce conflixum, ideoque plangent, ut dixit cap. preced. vers. 10. tunc enim Christus factus est fons sanguinis, potius quam aquæ, ad abluenda Iudæorum omniumque hominum peccata.

**ERIT FONSPATENS DOMUI DAVID.)** Syrus et Arabicus, *fons qui aperietur domui David.* Alludit ad fontem Siloe, qui typus fuit Christi, Ioan. 9. 7. *Siloe enim hebr. idem est quod missus: Christus autem quasi legatus a Patre ad nos missus est, ut nos ei reconciliaret.* Siloe fons, inquit Adricom. in Descriptione terræ sanctæ, cui piseina, sive natatoria Siloe coniuncta est, in Occidentali latere vallis Iosaphat, e radice montis Sion scaturit. Aqua eius clara, dulcis et uberrima, cum silentio, ut ait Isaias cap. 8. 22. placideque fluit in torrentem Cedron. Hunc fontem inclytus rex Ezechias restauravit: atque in eius piscina cæcus ille a natiuitate oculos suos, Christi sputo et luto inunctos, lavans visum recepit (quo hic alluditur) Ioan. 9. De huius aquæ virtute diligentissimus loci huius perscrutator Saligniacus ita fere scribit: Fontis huius aqua adhuc hodie, ipsius etiam Saracenis in pretio est. Nam cum corpore naturaliter instar hircorum feteant, in hoc fonte se et pueros suos lavant, eaque lotionem fetorem suum mitigant. Quin et eam Turcæ magni faciunt, quod eius usum oculorum visui conferre experiantur. Scribit Nicephorus lib. 8. c. 30. S. Helenam Imperatricem ad fontem hunc mirifica construxisse opera. Hæc Adrichom. Siloe ergo et nomine, et virtute sua representat Christum, de quo Isaias cap. 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Vide ibi dicta.

Quæres, quisnam hic fons? Aliqui putantes hic agi de tempore Machabæorum, qui repurgarunt templum, et ritus Iudaicos restituerunt, censent hunc fontem fuisse templi, quo abluebantur immundi, et menstruatæ; has enim aqua viva ablutas fuisse tradunt Iudæi. Verum hoc frigidum est et Iudaicum. Adde, omnes orthodoxos censere hic agi de Christo. Respondent ergo Primo, S. Hier. Rupert. Hugo et Lyran. fontem hunc esse baptismum. Hoc verum est, sed parziale: nam multa peccata post baptismum committuntur, quæ hoc fonte abluuntur, cum tamen baptismus elui nequeant. Secundo, Remigius, hunc fontem censet esse doctrinam, quæ ex ore Christi et Apostolorum, quasi ex fonte scaturiebat, iuxta illud Prov. 20. *Os iusti vena vitæ, et os iusti parturiet sapientiam.* Unde

**B** Chald. vertit, *in tempore illo erit doctrina legis revelata, ut scaturigo aquarum domui David.* Tertio, Haymo censet hunc esse fontem misericordiæ Dei. Quarto, Vatabl. censet hunc fontem esse latus Christi, cum illud lancea perforatum, scaturivit aquam et sanguinem, quasi symbola Sacramentorum et gratiæ. Hæc vera sunt, sed partialia.

Dico ergo, plene et adæquate, hic fons est Deus incarnatus, puta Iesus Christus, qui est fons, hebr. מקור *makor*, id est vena, scaturigo, perenniter in homines quovis sæculo scaturiens aquas omnis gratiæ et doctrinæ. Rursum Christus est fons et origo Spiritus sancti, quem in nos effundit, ut peccata expuret, et animæ sitim restinguat, iuxta illud Ioan. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Insuper fons hic physice apertus fuit, cum in cruce, latere et corpore Christi per plagas aperto, factus est ipse quasi fons patens baptismi, et Sacramentorum omnium. Ita Theodoret. et Hebræi apud Galat. 1. 4. cap. ult. Item S. Gregor. homil. 20. in Ezech. quem audi: *Fons quippe occultus, est unigenitus Patris, invisibilis Deus. Fons vero patens, est idem Deus incarnatus: qui fons patens, recte domus David dicitur, quia ex David genere noster ad nos redemptor processit. Hi autem Ierusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Peccator vero et menstruatæ est, vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ habetur in prava cogitatione. Menstruatæ namque ista pollutio est, quia et aliena carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Sic itaque, sic est omnis anima, quæ etsi malum opus non agit, pollutæ tamen cogitatione sordescit.* Porro ad crucem et vulnera Christi hic respicere Prophetam, patet tum ex cap. 12. v. 10. ubi dixit: *Aspicient ad me quem confixerunt:* tum quia fontem hic explicans v. 6. ait: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Quinque ergo vulnera Christi fuerunt quasi quinque fontes, tam gratiæ, quam sanguinis.

Maxime autem respicit ad vulnus lateris Christi: tum quia ex eo exivit sanguis et aqua, quæ fuerunt quasi symbola Baptismi, Eucharistiæ, et cæterorum Sacramentorum, quibus a peccatis abluimur. Unde S. Hieron. Epist. 83. *Cum ad occasum, ait, latus Christi percussus lancea, baptismi atque martyrii Sacramenta funduntur.* Et S. Am-

Siloe fons qualis.

Fons patens domui David quis?

Resp.

1.  
2.

3.

4.

5.

Esse Christum incarnatum.

bros. l. 3. de Sacrament. cap. 1. *Quare, ait, aqua? quare sanguis? aqua, ut emundaret; sanguis, ut redimeret:* tum quia vulnus hoc fuit maius cæteris, adeoque tantum ut S. Thomas ei manum imponere potuerit, Ioan. 20. 27. Quinimo vulnus hoc videtur totum latus Christi penetrasse, ut videlicet lancea hæc adacta per dextrum latus Christi transierit eius cor et pericardium, atque cuspis eius exierit per latus sinistrum ad papillam. Nam utrumque latus Christi fuisse transfossum, tribus locis docet Prudentius. Primo, in earm. de Passione Christi, dum ita canit:

*Traiectus per utrumque latus, lactee atque eruore  
Christus agit: sanguis victoria, lymphæ lavaerum est.*

Secundo, Peristephanon hymno 8.

*Ipsæ loci est Dominus, laterum cui vulnere utroque,*

*Hinc eruo effusus fluxerit, et inde latex.*

Tertio, Cathemerinon hymno 8.

*O novum eade stupenda vulneris miraculum!*

*Hinc eruoris, fluit unda, lymphæ parte ex altera.*

Idem insinuat S. Cyprianus tract. de Passione Christi, cum ait, *De latere tuo, o Christe, divisim limitibus aqua et sanguis emanant.* Hinc et Theophyl. hoc vulnus lateris vocat  $\tau\omega\pi\epsilon\gamma\epsilon\varsigma$  in plurali. Idem confirmatur ex eo, quod S. Thomas lateri Christi manum imponere potuerit: ergo lancea per illud profunde fuit adacta; ac consequenter eius cuspis penetravit et pertudid latus sinistrum. Vide hic, o Christiane, latitudinem vulneris, et consequenter amoris Christi. Hic est fons patens, cor inquam patens, in quod introeas: illud ergo ingredi; totum enim te capiet. *Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus,* ait S. August. in Manuali cap. 23. Idem e. 21. *Tuta, ait, et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illie habito: patent mihi viscera per vulnera: quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arena cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordie Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

*Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. Foderunt manus eius, pedes eius, et latus eius lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi gustare quam suavis est Dominus Deus meus, quoniam revera suavis et mitis, et multæ misericordie est omnibus cum invocantibus in veritate; omnibus inquirentibus, et maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu Christi Salvatoris nostri. Magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratie, et perfectio virtutum. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recorro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnere Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordie Domini mei, et recedit a me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnere Domini nostri filii Dei extinguatur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi: in illis dormio securus, et requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Totâ spes mea est in morte Domini mei.*

Huius fontis simbolo sub nativitatem Christi Romæ in taberna meritoria trans Tiberim, fons quidam per totum diem fluxit oleo. Hic enim representabat fontem misericordie et beneficentiæ, quem Christus nascens orbi attulit, nec tantum attulit, sed et suis communicavit, dum eodem fontes sibi similes effecit, iuxta id quod ipse ait Samaritanæ: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam,* Ioan. 4. 14. Præclare S. Ambros. lib. 6. Hexamer. cap. 4. *Omnia, inquit, habemus in Christo, et omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.* Christus ergo est fons sapientiæ, charitatis, gratiæ, virtutis, omnisque boni: ipse est  $\pi\epsilon\pi\lambda\eta\sigma\sigma\epsilon\upsilon\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \sigma\omega\tau\epsilon\pi\iota\sigma\tau\epsilon\varsigma$ .

**DOMUS DAVID.**) Id est, ut S. Hieron. et Gregor. hom. 20. in Ezech. ex Domo David, hoc est e templo, ait Mariana, scaturiens. Unde Ezech. cap. 47. 1. vidit e templo fontem erumpere, et in fluvium crescere. Verum quia additur, *Et habitantibus Ierusalem*, hinc melius per *domum David* principes, per *habitantibus Ierusalem* plebem accipias, q. d. Fons hic patet omnibus, tam plebeis, quam principibus. Meminit Davidis, quia Christus Davidi fuit promissus, et ex eo prognatus: eius ergo posteris in primis exhibendus fuit, ac deinde cæteris Hierosolymitis et Iudæis. Unde Christus dixit, se non esse missum, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel; ac tandem per Apostolos hic fons gratiæ propositus fuit omnibus gentibus, ut ex eo salutem potent. Ita Theodoret.

Mystice, S. Hieron. domus David est Ecclesia, præsertim primitiva Apostolorum, in qua quasi in Ierusalem habitantes et cives, sunt omnes fideles, tam ex Gentibus, quam Iudæis.

**IN ABLUTIONEM PECCATORIS.**) Cyziei exstat fons, qui Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere credit Mutianus, ait Plinius lib. 31. 11. et Isidor. l. 13. Origin. c. 13. Cyziei, ait, fons amorem Veneris tollit. Ut ut hoc sit, certe nullus est fons qui peccata abluat, et ab iis peccatores emundet, nisi Christus qui fonte baptismatis ea extergit, ac gratia sua non tantum ea abolet, sed et eorum scaturigines, puta cupiditates terrenas fomitemque libidinis, gulæ, etc. sopit et restinguit, mentemque sacro igne et cælesti amore inflammat. Hebr. est, *ad peccatum et menstruum immunditiam*, scilicet abluendam et expiandam, nimirum a peccatore et menstrua, quod Noster clare vertit, *in abluitionem peccatoris et menstruatæ*. Alludit enim ad aquas expiationis, consecratis ex cinere vitulæ rufæ, quibus immunditia ex menstruo, morticino, aliave quavis pollutione (quæ erat peccatum legale veteris testamenti) contracta abluebatur, Num. 19. 11. Unde Chald. vertit, *dimittam peccata eorum sicut mundantur aqua aspersionis, et cinere vacæ quæ oblata est pro peccato.*

Porro hæc immunditia legalis, præsertim menstrui, typus erat peccati, quod est menstruum, id est virus et pollutio summa animæ, ut dixi Levit. 15. v. 19. et 25. ac consequenter aquæ, expiationis eiusdem, typus erant sanguinis Christi, quo peccatum omne abluatur.

Porro ad litteram per peccatorem intelligit viros, per menstruatam fœminas peccato sordidatas: tam enim mulierum, quam virorum peccata hoc Christi fonte eluuntur.

Symbol. Albert. Lyran. et Clarius, per peccatum intelligunt actuale. per menstruum originale: hoc enim transfunditur generatione, cuius fœces et reliquiæ in puerpera sunt menstrua, vel fluxus sanguinis, et sordes instar menstruorum.

Tropol. S. Gregor. hom. 20. in Ezech. Peccator, inquit, est qui delinquit opere: menstrua est, mens quæ labitur prava cogitatione.

Moral. S. Bernard. serm. 62. in Caut. *Quid, ait, tam efficax ad curandum conscientie vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio?* Et S. Bonavent. coll. 7. *Qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi invenit; nec opus est ut extra Iesum aliquid quærat.*

**DISPERDAM NOMINA IDOLORUM DE TERRA.**) Ex histo- Vers. 2.  
riis omnibus patet, per Christum et Apostolos sublata fuisse ubique idola et idolorum oracula, ac sacerdotes et Prophetas: de quibus subdit, *Et pseudoprophetas, et spiritum immundum*, puta demonem qui idolo assistebat, quasi eius anima, et per illud loquebatur, dabatque responsa: ita S. Cyrill. Remig. et Albert. Pro *pseudoprophetas*, hebr. est  $\text{נְבִיאִים}$  *nebiim*, quod communiter Prophetas significat, a rad.  $\text{נָבָא}$  *naba*, id est prophetavit; subinde tamen, inquit Arias, significat stulte loquaces et garrulos, qui scilicet vanæ orationis, cui nulla veritatis vel virtutis ratio subest, sunt artifices, et sermonis verborumque præstigiis populum capiunt, a rad.  $\text{נָבַב}$  *nub*, quod germinare, et instar germinis erumpere et ebullire

Utrumque latus Christi in cruce transfossum fuit.

In vulneribus Christi tota quies.

significat. Unde **בְּרֵי** *nib* vocatur fructus, et sermo, qui est fructus et quasi germen linguae.

Vers. 3.

**CUM PROPHETAVERIT QUISPIAM**, scilicet falsa et impia, ex instinctu spiritus immundi et idolorum, uti præcessit, **DICENT EI PATER EUS, ET MATER EUS, etc.** NON VIVES, QUIA MENDACIUM LOCUTUS ES IN NOMINE DOMINI.) *Mendacium*, scilicet in fide et religione, docens idololatricam vel haeresim. Significat in lege nova Christianos tantos fore zelatores Christi et Iudei, ut nec filiis ab eo apostatantibus pareant. Alludit ad Deut. 13. 6. *si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, vel filia, clam dicens: Eamus, et serviamus diis alienis, non parcat ei oculus tuus, ut miseraris et oculos eum, sed statim interficiet eum.* Ex quo loco discant haeretici, non tantum licitum et sanctum, sed et præceptum esse a Deo, ut haeretici morte plectantur, adeo ut nec parentes parcant filiis. Hoc est quod ait Christus Matth. 5. 29. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et proice abs te, etc. Et si dextera manus scandalizat te, abscede eam, et proice abs te.* Et cap. 10. 34. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici eius.*

**ET CONFIGENT EUM.**) Hebr. **דְּקָרוּהוּ** *dekaruhu*, id est perfodient, transigent eum, vel gladio, vel lancea, vel telo, vel clavis in cruce; Tigurina, *confodient eum*; Vatabl. *transigent eum*, id est, curabunt ut adigatur in crucem. Notat recte Sanchez, configere, urere, secare in Scripturis per catachresin, significare quemvis gravem dolorem et supplicium. Unde Sept. vertunt, *compedibus constringent eum*. Sic ait Nahum cap. 3. 40. *Omnes optimates eius confixi sunt in compedibus.*

Vers. 4.

**NEC OPERIENTUR PALLIO SACCINO.**) Septuag. *pelle elicina*; Pagnin. *pallio piloso*; Tigurina, *chlamyde villosa*. Habitus enim Prophetarum exterior erat saccus, puta pallium ex pilis et setis camolorum, equorum, vel aliorum animalium contextum, ideoque cilicium; ut ipso habitu populum provocarent ad letum et penitentiam, ut faciunt Capnceini: ita S. Hieron. Quocirca pseudoprophetae simile pallium assumebant, ut ipso habitu viderentur esse veri Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Quia pseudoprophetae videbant se etiam a suis, imo a parentibus falsitatis redargui, adeoque verberari et occidi; hinc non audebunt deinceps mentiri se esse Dei Prophetas, ac mendaciter vaticinari. Hinc consequenter non audebunt vestem propheticam, puta saccum, induere, quasi veri Prophetæ. præ se ferentes penitentiam et vitæ austeritatem. Unde sequitur:

Vers. 5.

**DICET: NON SUM PROPHETA; HOMO AGRICOLA EGO SUM.**) Sicut dixit Amos Amasie cap. 7. 14. *Non sum Propheta, et non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum vellicans sycomoros.*

**QUONIAM ADAM EXEMPLUM MEUM.**) Probat se non esse Prophetam, sed agricolam, q. d. Imitatus sum a puero Adamum et primos patres, qui me suo exemplo agros colere docuerunt. Adam enim in sudore vultus sui victum sibi paravit, iuxta sententiam Domini: *In sudore vultus tui vesceris pane*, Gen. 3. 19. In eum ergo intuens, ego potius statui sudore vultus mei ex agro vivere, quam Prophetam insolenter agere. Hebr. enim **קָנָה** *kana* significat possidere, inde **הִקְנָנִי** *hiknani* in conjugatione Hiphil, quæ duplicem actionem significat, idem est quod, possidere me fecit, vel possessiones colere me docuit. Unde Tigurina vertit, *Adam me ab adolescentia mea instituit, ut possessiones colerem*; Vatabl. *homo*, id est aliquis (Adam enim potest accipi vel ut proprium nomen primi parentis, vel ut commune cuiusvis hominis) *docuit me artem pastoralem a iuventute mea*. Hebr. enim *hiknani*, si a rad. **קָנָה** *kana*, per *he* derivetur, significat *possidere fecit*; si vero a **קָנָה** *kana* per *aleph*, significat *creavit*, genuit: litteræ enim *aleph* et *he* sæpe commutantur. Unde pro eo quod Noster vertit Proverb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; hebraice est idem *hiknani*, quod Septuag. vertunt, *Dominus creavit me*.

**ET DICETUR EI: QUID SUNT PLAGÆ ISTÆ IN MEDIO MANUUM TUARUM?**) Primo, Cyrillus, Theod. Lyrani. Albert. et Vatabl. censent licet fieri sermonem ad pseudopropheta, de quo huc usque fuit sermo, qui cum a suis vapulasset, essetque lividus, rogatus ab aliis, unde contraxisset illos livores et plagas, respondet: Castigatus fui apud parentes meos, ne prophetarem, cuius castigationis testes sunt plagæ istæ. Aut, ut S. Hieron. qui hæc accipit de pseudopropheta crucifixo ob falsam doctrinam, q. d. Cur cruci es allixus? cur clavis adactæ tibi sunt manus in patibulo? quod scelus perpetrasti ut hæc plagas mereris? Arias vero ceuset has plagas sibi ipsi impressisse pseudopropheta, ut populo se faceret venerabilem et sanctum. Sic enim Propheta Baal plagas et stigmata sibi intelligebant, ut patet 3. Reg. 18. 28.

Verum dico hic esse sermonem de Christo, eiusque plagis in cruce. Propheta enim post longam digressionem quam inseruit de pseudopropheta, quem dixit tollendum a Christianis, redit ad Christum, quem vers. 1. dixit fore fontem patentem domui David. Id enim declarat hic per plagas, quibus aperientur et patefient eius manus, æque ac pedes et latus. Id ita esse, patet Primo, ex ipsis verbis, quæ plane significant plagas manuum in Christo crucifixo. Secundo, quia ita eas explicat, et Christo applicat Ecclesia in Missa de passione Christi. Tertio, quia illud quod sequitur: *Percute pastorem, etc.* omnino Christus ad se refert Matth. 26. Quarto, quia Septuag. vertunt, *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: Quibus percussus sum in domo dilecti mei*, puta a populo meo dilecto. Quinto, quia redit hic Propheta ad Christum, de quo hic est omnis eius sermo, quem hætenus docuit perdituram idola et pseudoprophetas: ita Rupert. S. Tho. in psal. 21. R. Samuel de Adventu Messie c. 7. Galatin. 1. 8. c. 17. Ribera et alii.

Porro merito Propheta rei novitatem, et prodigium a sæculis inauditum admirans et obstupescens rogat: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* quid enim mirabilius a sæculo, quid magis stupendum in cælo, aut in terra, quam Deus in cruce, quam Deus plagatus, clavatus, spinis coronatus, crucifixus? Eum intuens obstupuit sol, luna, omniaque sidera, ideoque suos radios a tam indigno spectaculo retraxerunt: obstupuerunt sepulera et saxa, quando in eius passione discissa creperunt: obstupuit orbis universus, quando ad eius necem exhorrescens terræ motu conquassatus, et quasi e centro convulsus abscessit. Hic solus homo non obstupescet? Angeli stupuerunt et stupebant hinc Deum patientem, inde stuporem hominum, qui tantum spectaculum immoti, et quasi insensibiles spectant, ideoque exclamant: *Obstupescite cæli super hoc, et portæ eius desolamini vehementer.* Rex cælorum, Deus et creator meus, pro me pendet in cruce, pro me sese eviscerat, pro me sese exinanit, pro me dirissima morte excarnificatur, et ego terræ vermiculus non obstupescam? sacro horrore non perecllar? totus amore non liquescam? plagas plagis, dura duris, mortem morti, amorem amoris non rependam? Rependerunt S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sebastianus, cæterique athletæ et Martyres, qui cruces, castas, ignes, bestias, ardentissime pro Christo desiderant, ut qualem qualem ei gratitudinem et dilectionem reponerent. Rependerunt S. Anachoretæ, Virgines, Confessores, alacri animo tot tantisque penitentis se macerantes, tot vigiliis et laboribus carnis edomantes, ut mortificationem Iesu iugiter in suo corpore pro eius amore et honore portarent. Rependunt monachi, Religiosi, virique contemplationi dediti, qui iugiter oculis mentis eum stupore contemplantur Deum, Christumque suum pro se in cruce fixum, totique eum S. Franciscus in hoc divini amoris incendium et abyssum absorbentur; nec aliud dicunt aut cogitant, quam illud S. Thomæ visis Christi plagis: *Dominus meus, et Deus meus; Deus meus, amor meus, Iesus meus et omnia.*

Porro magis pathetica est versio Syri et Arabie Antiocheni: sic enim habet, *quid sunt plagæ istæ quæ in manibus tuis sunt? Et dicet: Hæc sunt plagæ quibus plagatus sum inter amicos meos* (in domo amicorum meorum) Et

Arabici Alexandr. *quid sunt vulnera ista, quæ sunt in medio manuum eius? Et dicit: Evenerunt mihi de domo dilecti mei.*

**IN MEDIO MANUUM TUARUM.**) Hebr. *inter manus tuas*, quæ scilicet sunt in brachiis, collo, pectore, totoque corpore inter manus interiecto. Unde Theodor. legit, *In medio scapularum tuarum.* Verum S. Hieron. Septuag. et alii passim vertunt, *in medio manuum tuarum*; Tigurina, *intra manus tuas.* Agitur enim de plagis et clavibus, quibus in cruce transfixæ fuerunt manus Christi, sub quibus a pari plagas pedum et lateris intellige.

**ET DICIT: HIS PLAGATUS SUM IN DOMO EORUM QUI DILIGEBANT ME.**) Puta in Iudæa et Iersalem; hæc enim erat domus colentium et diligentium Deum, qui se Deum diligere profitebantur, et ad id peculiari obligatione astringebantur, q. d. Mei cives, mei contribules, mei cognati, puta Iudæi quibus promissus eram, et ad quos missus fui quasi Messias, rex et redemptor, qui me mille beneficiis et nominibus summe amare et venerari tenebantur, mei, inquam, fratres, cives et subditi, me vulnerarunt et crucifixerunt, q. d. Passus sum a meis me piagari et crucifigi, quia eos, licet immerentes, dilexi, et dilexi nimis, ut eos a plagis eriperem.

Nota, *eo qui diligebant me*, valde pungit, acuitque plagam. Solet enim gravissima esse plaga et dolor, qui ab amicis infertur. Hinc sponsa Cant. 1. 6. *Filii matris mee*, inquit, *pugnaverunt contra me.* Ideo amor a S. Greg. Nazianz. orat. 28. vocatur Tyrannus dulcis, et ab Euripide in Hippolyto amarus, ac melle et felle fecundissimus. Amor enim uti insignem habet vim benefaciendi, ita et nocendi. Huius rei symbolo Gentiles Aquilonem (id est solem, qui amoris et beneficentiæ est hieroglyphicum) pingebant una manu tenentem citharam et charites, altera vero sagittas et pharetram gestantem. Hinc et illud: *Ubi amor, ibi dolor: nam sine dolore non vivitur in amore.* Hinc illa querela et pathos Christi de Iuda proditore psal. 54. 13. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Tu vero homo unaninis, dux meus, et notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu,* q. d. Hoc me cruciat, quod tu, Iuda, qui meus eras convivæ, me prodidisti, quem omni modo tueri debebas. Hinc rursus amantium iræ sunt amarissimæ, et fratrum odia acerbissima: perinde ac ex vino duleissimo, si corrumpatur, fit acetum acidissimum.

Pathetica Christi ad poenitentem vox.

Tropolog. hoc sibi a Christo crucifixo lacrymose dicit sentiat anima poenitens: Ecce his quinque plagis plagatus sum a te, quam dilexi, et ut me vicissim diligeres effeci: tua debita ego tui, tua vulnera in me suscepi, tuæ delicia et veneres clavibus me translixerunt: tua superbia spinis caput meum iraspunxit: tua gula me felle et aceto potavit: passus sum, ut te a tormentis gehennæ liberarem; mortuus sum, ut te a morte æterna eriperem. Vide quantum pro te dolui. Vide quantum te amavi. Vide quam parum me redames, quam amori meo sis impar et ingratus. Patheticæ S. August. in Medit. e. 6. *Candet, ait, nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gratissima prolis lacera membra. Vide redemptoris supplicium, et redempti dimitte delictum.* Et paulo post: *Quid commisisti dulcissime puer, ut sic iudicareris? quod secutus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis livor, tui cruciatus labor. O mirabilis censure conditio, et ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, et punitur iustus: delinquit reus, et vapulatur innocens: offendit impius, et damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravat charitas? quo processit pietas? quo exercuit benignitas?*

**A** quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? Ego enim inique egi, tu poena mularis: ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torture subiiceris: ego superbivi, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens caritati, tu obediens scelus inobediencie luis: ego gula parvi, tu inedia afficeris: me ad illicitam concupiscentiam rapuit ardor, te perfecta charitas duxit ad crucem: ego præsumpsi velutum, tu substisti culexum: ego delector cibo, tu laboras patibulo: ego fruor deliciis, tu laniaris clavibus: ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem: mihi ridens congaudivit Eva, tibi plorans compatitur Maria. Ecce rex glorie, ecce mea impietas, et tua claret pietas. En mea iniustitia, et tua liquet iustitia. Ex hisce prorumpens in affectum gratitudinis subdit: *Quid rex meus et Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condigne talibus referatur præmiis. Numquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio divina? Nec est creature moliri officium, quo iuste creatoris recompenset præsidium. Est autem nate Dei in hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens carnem suam crucifigat cum vitis et concupiscentiis: et hoc cum a te conceditur, quasi iam tibi incipit compati, quia et tu pro peccato meo dignatus es mori.* Mortificantes ergo cupiditates nostras, cum gratiarum actione et iubilo dicamus Christo id, quod Sephora dixit Mosi marito suo Exodi 4. 25. et 26. *Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem*, imo ob crucifixionem et concisionem omnium membrorum tuorum; ut, sicut tu sponse mi, ea propter me concede permisisti, ita ego mea tui amore circumcidam et mortificem. Denique Christus in cruce pro nobis plagatus, tacite et amorese cuique inelamat: *Ecce in muneribus meis descripsi te, Isaïæ 49. 16. utique non calamo, sed clavo, non atramento, sed sanguine meo:*

*Cernis ut in toto corpore sculptus amor.*

ac vicissim:

**C** *Cernis ut in toto sculptus, imo tostus, amore dolor, Respice me, me corde animo, me in pectore serva, Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos, Iluc veni.*

Lactant. in Carm. de Passione Domini, ita de ea canit:

*Cerne manus clavibus fixas, tractosque lacertos, Atque ingens lateris vulnus, cerne inde fluorem Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos.*

*Agnosce o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari,* ait S. Bernard. serm. 3. de Nativit. adeoque tot tantisque plagis vulnerari. Agnovit hoc S. Magdalena, quæ, ut refert Sylvester Prieras in eius Vita apud Surium, in Bauma poenitens per triginta annos, iugiter defixam in ea a S. Michaeli crucem et oculis intuita, et mente contemplata est, ideoque perennes lacrymarum imbres effudit. *Christus ergo amor noster, nobis crucifixus est,* idemque vir est dolorum, quia vir amorum. Ubi enim dolor, ibi amor; nec sine dolore vivitur in amore: quia mensura doloris est amor, et amoris dolor. O amor, amor, amor, quantum amasti nos! quam pauci amant te! et hi quam parum amant te, et dolent pro te! quia non cognoscunt te. Da Domine Iesu, ut amores tuos deinceps sentiam, non meos; dolores tuos, non meos: quia amor tuus amor meus, dolor tuus dolor meus. Nino enim dolore, et longe maiori amore parturivisti me. Merito dicebat S. Bonavent. *Domine, nolo vivere sine vulnere, quia te vulneratum video.*

**D** Et August. *Hinc lactor ab ubere, hinc pascor a vulnere.* Et S. Paulus: *Christo confixus sum cruci: vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus. Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Et, In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et S. Ignatius Martyr: *Amor meus crucifixus est.* Et S. Franciscus: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et S. Bernardus: *Non decet sub capite spinoso membrum esse delictatum.* Et S. Elzearius Comes Arriani ad Delphinam con-

Exemplum crucis amantium.

iugem: *Si me quæris*, ait, *non alibi quam in vulneribus Christi reperies*. Denique: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*.

*Namque meum crucifixus amor crucifixit amorem, Spemque meam fixit spes crucifixæ cruci.*

Hoc sapiebat, hoc sentiebat sponsa Cantic. 2. 13. sponso suo occiens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*.

Porro hæc plagæ adeo Christo charæ et pretiosæ, nobisque admirandæ, amandæ et adorandæ sunt, ut eas Christus resurgens resumere voluerit, et servare, et ostentare in cælo per omnem æternitatem, idque viginti de causis et titulis, scilicet ut illæ sint Primo, certissimi assumptæ carnis veræ non phantasticæ, ut volebant Manichæi, indices. Secundo, atrocissimæ passionis testes. Tertio, devictæ mortis aculei, et indubitata resurrectionis argumenta, quod scilicet idem numero Christi corpus crucifixum resurrexit, non aliud. Quarto, ardentissimi amoris characteres, quibus, ut ait Isaias, in manibus suis descripsit nos, non calamis, sed clavibus. Quinto, illustrissimæ victoriæ de peccato, dæmone, morte et inferno trophæa. Sexto, fulgida gloriosi corporis decora et triumphus. Septimo, redemptionis nostræ tessera. Octavo, obedientiæ usque ad mortem stigmata. Nono, sacræ laborum et dolorum Christi reliquiæ. Decimo, peccatorum omnium lytrum, quod iugiter Patri pro iis supplicando, Christus repræsentat. Undecimo, tribulationum consolatio. Duodecimo, patientium exemplum. Decimotertio, afflictorum refugium. Decimoquarto, penitentium incitamentum. Decimoquinto, tentatorum asylum, iuxta illud Cant. 2. 13. *Surge amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceræ*. Decimosexto, laborantium stimulus. Decimosextimo, Martyrum exemplar. Decimo octavo, electis gaudium. Decimonono, reprobis in die iudicii probrum. Vigesimo, angelis admiratio et stupor.

Vers. 7.

**FRAMEA SUSCITARE.**) Roganti, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* respondit Christus, se a suis plagatum, quos summe diligebat quasi eives et cognatos suos. Nunc eidem respondet Deus Pater, hoc suum fuisse decretum, ut pereuteretur Christus, itaque aperiretur fons ille, qui in nos scaturiret aquas salutis, de quo v. 1. qui idem est pastor bonus, hoc suo fonte sanans et satians oves suas infirmas, vagas et dispersas, ut illis vitam æternam procuraret. Hunc enim locum intelligi de Christo in cruce transfixo, docet ipse Christus Matth. 26. 31. dum ait Apostolis. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis*.

Ait ergo Deus Pater: *Framea suscitare*; Tigurina, *excitare o gladiæ*; Chald. *denudare o gladiæ*; Septuag. *consurge o gladiæ*, q. d. Evaginare o gladiæ, distringere, ut percutias et occidas Christum. Ubi Nota. Hi imperativi capiuntur pro futuro: significant enim Dei decretum de Christi morte futura, ex prævisa et permissa a se Iudæorum malitia, q. d. Deus prævidens Iudæorum malitiam fore tantam, ut si eis obiceret Christum, ipsi eum occiderent, decrevit eum ipsis obicere, permittereque ut ipsi eum occidant ad hoc, ut eius passione et morte salvaret genus humanum. Ex Dei ergo decreto futurum est, ut evaginetur gladius, qui Christum occidat. Unde Vatabl. vertit, *excito te o gladiæ*; S. Matthæus vero vertit, per futurum activum dicens, *Percutiam pastorem*. Et sic vertit hic Pagnin. ut Hebr. *חַחַח* *hach*, id est *percutit*, ponatur pro *אָח* *ach*, id est *percutiam*, scilicet gladio per Iudæos, obiciendo eis Christum, quos scio eius neci inhære, et mandando Christo, ut eorum plagas constanter excipiat et sustineat. Unde voci *percutiam*, respondet vox *convertam manum meam*, quæ sequitur. Hoc est quod ait S. Petrus Actor. 2. 23. *Hunc (Christum) definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis*. Sine enim hac Dei permissione, præscientia et decreto, Iudæi omnibus suis viribus et consiliis non potuissent occidere Christum, imo nec capillum ei adimere. Sicut ergo Moses virga percussit petram, Exo-

di 17. 6. ex ea elicit fontem, ex quo potavit totus populus: ita Deus Pater cruce feriens Christum, ex eo elicit fontem gratiæ, ex quo omnes fideles bibunt et salvantur. **FRAMEA** Petra autem erat Christus, 1. Corinth. 10. 4.

Nota. **FRAMEA**, a Gellio et Tacito vocatur lanca, vel telum oblongum: framea dicta nonnullis videtur a Græco *ραμμήνα* transpositione litterarum, ut *φ* præcedat, quod in F. vertitur: unde pro *framea* Septuag. hic vertunt, *romphica*: inde framea extensa est ad significandum gladium. Quare pro *framea* Aquila et Symmach. vertunt, *machæra*, id est, ut et alii passim vertunt, *gladius*. Hunc enim significat Hebr. *חֶרֶב* *cherb*. Iam per frameam et gladium synecdochicis et catachresticis significantur clavi, lanca, et omnia instrumenta, quibus alicui mors inferitur, uti Christo clavis, flagellis, spinis illata est. Isidor. l. 1. de Differentiis littera F. sic has voces distinguit, ut framea sit ensis utraque parte acutus, machæra ex altera parte acutus. Simili modo ait Ierem. cap. 47. 6. *O mucro Domini usquequo non quiesces? etc. Quomodo quiescet, eum Dominus præcipit ei adversus Ascalonem, etc.* Et Ezech. c. 21. 28. *Mucro, mucro evagina te ad occidendum, lima te, ut interficias et fulgeas*.

**PASTOREM MEUM.**) Quem scilicet ego Deus pater hominibus pastorem dedi, Ioan. 10.

**ET SUPER VIRUM COHERENTEM MIHI.**) Hebr. *עִמִּי* *amili*, id est, ut Pagn. *socium meum, coniunctum meum*; Symmach. *virum populi mei*; Aquila et Theodot. *contribulem meum*, id est, mihi Patri consubstantialem secundum divinitatem, et valde affinem secundum humanitatem, utpote filio meo intime coherentem per unionem hypostaticam. Unde Chald. vertit, *super socium eius, qui est similis illi*; Vatabl. *super virum cœqualem mihi*; Syrus, *super virum amicum meum*; Arabicus Antioch. *super virum clarum*, sive illustrem et maiestatem præditum: Arabicus Alexand. *super virum ab iis qui civitatis eius sunt*; Septuag. vertunt, *super virum civem meum*. Theodor. pro *meum* legit *eius*, illudque explicat de Apostolis et discipulis Christi, q. d. Dei decreto Iudæi percutebant Christum, eiusque discipulos et Apostolos.

Nota. Licet sola persona Filii, non Patris, nec Spiritus S. hypostatice assumpserit et terminarit humanitatem assumptam a Verbo, ac proinde solus Filius dicatur incarnatus et homo factus, non Pater, nec Spiritus S. tamen per hanc assumptionem ad personam Filii, humanitas assumpta intimam coherentiam et affinitatem cum Patre et Spiritu contraxit. Sicut enim mulier nubens viro, fit affinis eius fratribus, ita ut ab eis vocetur soror, sitque eorum fratria, inquit Festus; ita multo magis humanitas copulata Verbo, affinis facta est Patri et Spiritui S. præsertim quia Pater et Spiritus S. coeunt in eadem essentia divina cum Filio, uti fratres singuli essentiam humanam habent propriam et disparatam.

**PERCUTE (o framea) PASTOREM (Christum) ET DISPERGENTUR OVES.**) Apostoli aliique fideles. Septuag. in editione Vaticana habent, *et avellite oves*.

**ET CONVERTAM MANUM MEAM AD PARVULOS.**) Primo, aliqui ceusent *parvulos*, idem esse quod *oves*, puta Apostolos. Hinc Septuag. vertunt, *convertam manum meam ad pastores*. Videntur ipsi pro *אֲרִיִם* *isoarim*, id est *parvulos*, legisse *רֹעִים* *roim*, id est *pastores*, q. d. Ego Apostolos, qui pusillanimes, ut parvuli fugerunt a Christo patiente, mox a fuga revocabo, et ad Christum reducam: convertam ergo in eis manum meam a plaga ad medellam, a dispersione ad congregationem: ita S. Hieronym. Remig. Albert. Hugo et alii. Secundo, alii *parvulos gregis* ab ovibus distinguunt, et *πε* *convertam manum*, referunt ad, *percutite pastorem*, q. d. Manum meam qua percussi pastorem, eiusque oves dispersi, convertam pariter ad parvulos eius agnos, id est, ad fideles communes et plebeios, ut similiter eos percutebam, castigem et alligam; ut similes sint suo pastori, utque eos in virtute exerceam et roborem, atque in infirmitate eorum meæ gratiæ robur ostendam: ita Theod. et Lyran. Factum, id est post Christi in cælum ascensionem, quando primum a Iudæis Hie-

rosolymae. deinde mox Romae, totoque orbe mota est persecutio acris contra Christianos, quae per trecentos annos duravit usque ad Constantinum.

Vers 8.

ET ERUNT IN OMNI TERRA: PARTES DUAE IN EA DISPERSERUNT. ) q. d. In toto orbe duae hominum partes dispergentur et peribunt, scilicet Iudaei et Gentiles: quicumque enim manserunt in iudaismo et gentilismo damnabuntur, sola tertia pars quae erit Christianorum, servabitur et salvabitur. Soli enim illi qui ex Iudaeis et Gentibus convertuntur ad christianismum, salvantur: ita S. Remig. Albert. et Lyran.

Secundo, Theodor. Arias et a Castro, per terram ageipiunt Iudaeam, de qua hic fuit sermo, q. d. In omni terra Iudaea, e tribus partibus Iudaeorum, duae permanentes in suo errore excidentur et peribunt, tertia electorum fidelium residua succrescet, et servabitur. Verum hoc laxè accipiendum; nam tertia pars Iudaeorum praecise non fuit conversa ad Christum: pauerrissimi enim crediderunt Christo et Apostolis. Unde Apostoli mox iis relictis profecti sunt ad Gentes. Minus probabiliter Vatabl. et aliqui alii exponunt de excidio Iudaeorum per Titum, q. d. Ex Iudaeis qui erunt post passionem Christi, duae partes succidentur a Tito, tertia servabitur, sed multis tribulationibus probanda et affligenda. Nam haec tertia pars non fuit fidelium: quia fideles et Christiani ante excidium moniti a Deo, Hierosolyma excesserunt, itaque illud evaserunt: ita Theodor. et alii. Nota. Pro *dispergentur*, Lovan. *legunt disperdentur*: Hebr. enim *יִרְתְּוּ יִצְרָאֵל* *iccaretu*, id est *excidentur*: Septuag. *peribunt*: Chald. *consumentur*. Rursum pro *deficient*, hebr. *יִגְרְעוּ* *igrau*, id est *exanimabuntur*, expirabunt.

Tertia pars hominum non salvantur.

Anagog. Emmanuel Sa exponit, q. d. In toto orbe duae hominum partes erunt reproborum qui damnabuntur, tertia erit electorum quae salvabitur. Hoc intelligit moraliter, non mathematicè, q. d. Duae partes, id est, longe plures damnantur, quam salvantur. Nam arithmetice tertiã hominum partem non salvari, patet ex eo, quod tertia pars orbis non sit fidelis: nam Asiam, Africam et Indiam occupat paganismus et turcismus: sola pene Europa est Christiana. Iam in Europa dimidia fere pars est

haereticorum, schismaticorum, politiceorum et atheorum. Inter orthodoxos multi sunt concubinarij, multi qui odia fovent, multi iniustorum honorum possessores, multi ebriosi, etc. Coniice ergo quam parva pars sit proborum, qui soli habent spem salutis. Unde Christus: *Multi, ait, sunt vocati, pauci vero electi*. Et, *Spatiosa est via quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* Matth. 7. 13.

ET DUCAM TERTIAM PARTEM PER IGNEM, q. d. Fideles probabo et purgabo igne persecutionum et tribulationum, ut purificentur instar argenti: perfectiores vero eodem excoquam, ut solidentur, perficiantur et splendeant instar auri. Nam in hoc igne aderit eis Dominus, quem invocabunt. Unde ait: *IPSE*, scilicet populus meus fidelis, quem dixi esse tertiã hominum partem, *VOCABIT*, id est invocabit, *NOMEN MEUM*, ET *EGO EXAUDIAM EUM*. *DI-CAM: POPULUS MEUS ES*, q. d. Habeo te, amo, ergo, protego quasi populum meum. ET *IPSE DICET: DOMINUS DEUS MEUS*. ) q. d. Ipse vicissim me colet, amabit et invocabit quasi Dominum et Deum suum. Nam per ignem probatus et conflatus, dignus est qui reponatur in thesauris Dei, iuxta illud Sapient. 3. 5. *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos*. Et Proverb. 17. 3. *Sicut igne probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus*. Hinc de iis recte ait S. Hieron. *Tertiã hanc Sanctorum partem, ne delicata esset et secura, quasi argentum et aurum per ignem duci et probari*. Sic se probatum assertit Iob c. 23. 10. *Ipse, ait, scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit*. Quocirca sapienter monet Ecles. cap. 2. 4. dicens: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe*. *Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles*. (*δεξιοι* id est, acceptabiles, accepti, grati Deo) *in camino humiliationis*. Quod ergo est ignis auro, lima ferro, ventilabrum tritico, lixivium panno, sal carni, hoc tribulatio est viro iusto. Vide dicta Genes. 33. in fine.

Sancti probantur ad-versis, uti aurum igne.

## CAPUT DECIMUMQUARTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut *Isaias c. 44. sub typo casus Luciferi describit casum regis Babylonis; et Ezechiel c. 28. sub typo casus Cherubini describit casum regis Tyri; et David psal. 71. et 88. sub typo regni Salomonis depingit regnum Christi: atque idecirco quaedam dicunt quae magis typo, quaedam quae magis antitypo convenient, uti solet fieri in parabolis et symbolis; ita facit et hic Zacharias. Nam sub typo afflictionis Ierusalem per Antiochum, et restitutionnis eiusdem per Machabaeos, describit afflictiones, restitutionem et celebritatem Ecclesiae. Quocirca duplex hic est quasi sensus litteralis. Unus velut materialis, de Ierusalem et Machabaeis; alter quasi formalis magisque intentus a Spiritu sancto de Ecclesia et Christianis. Nam ad litteram hic de Ierusalem et Machabaeis esse sermonem, patet ex totius capituli contextu, ubi non aliud sonat quam Ierusalem, mons Oliveti, Remmon, Beniamin, Hananeel, Iudas, lebetes, phialae, etc. quae omnia nulli alteri proprie competunt, nisi Ierusalem terrestri. Adde, quod gentes undequaque venturas dicat in Ierusalem ad celebrandum festum tabernaculorum: hoc autem erat festum Iudaicum: ita Theod. Palacius, Mariana, et alij apud Euseb. l. 6. *Demonst. c. 48. Quod vero in Ierusalem non sistat acies Prophetæ, ut volunt Rabbinij, sed per eam se extendat ad Ecclesiam, patet, quia multa diei angustiora, quam ut Hierosolymae convenient, ut v. 4. quod scindetur mons Oliveti, et v. 8. quod exhibunt aquae vivae de Ierusalem ad mare Orientale, et ad mare novissimum; et v. 14. quod omnium gentium divitiae congregabuntur in Ierusalem, et v. 16. quod omnes gentes quotannis ascendent in Ierusalem ad celebrandum festum tabernaculorum, etc. Cum ergo sciamus haec plane non competere Hierosolymae, dicendum est ea magis spectare ad Ecclesiam Christi, in eaque esse completa. Praedicit ergo Zacharias Ierusalem capiendam et vastandam ab Antiocho Epiphane, sed Deum pro ea contra Antiochum praestitutum per Machabaeos, ideoque scissuram montem Oliveti: hinc Deum exaltandum esse in omni terra, ac Ierusalem fore securam et gloriosam, utpote cuius hostes Deus conteret, et in quam divitias gentium congregabit, adeo ut gentes quotannis eam adeant ad celebrandum festum tabernaculorum, et ad adorandum Deum. Quocirca in ea copiam fore lebetum, phialarum, oblationum, victimarum et gentium.**

- E**CCE venient dies Domini, et dividentur spolia tua in medio tui. 2. Et congregabo omnes gentes ad Ierusalem in praelium, et capietur civitas, et vastabuntur domus, et mulieres violabuntur: et egredietur media pars civitatis in captivitatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe. 3. Et egredietur Dominus,

et præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. 4. Et stabunt pedes eius in die illa super montem Olivarum, qui est contra Ierusalem ad orientem: et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem, et ad occidentem prærupto grandi valde, et separabitur medium montis ad aquilonem, et medium eius ad meridiem. 5. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium usque ad proximum: et fugietis sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Ozia regis Iuda: et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. 6. Et erit in die illa: Non erit lux, sed frigus et gelu. 7. Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox: et in tempore vesperi erit lux. 8. Et erit in die illa: exibunt aquæ vivæ de Ierusalem: medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum: in æstate et in hieme erunt. 9. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen eius unum. 10. Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad austrum Ierusalem: et exaltabitur, et habitabit in loco suo a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, et usque ad portam angulorum: et a turre Hananeel usque ad torcularia regis. 11. Et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius: sed sedebit Ierusalem secunda. 12. Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversus Ierusalem: tabescet caro uniuscuiusque stantis super pedes suos, et oculi eius contabescunt in foraminibus suis, et lingua eorum contabescet in ore suo. 13. In die illa erit tumultus Domini magis in eis: et apprehendet vir manum proximi sui, et conseretur manus eius super manum proximi sui. 14. Sed et Iudas pugnabit adversus Ierusalem: et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum, et argentum, et vestes multæ satis. 15. Et sic erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. 16. Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem, Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum. 17. Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Ierusalem, ut adoret regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber. 18. Quod et si familia Ægypti non ascenderit, et non venerit: nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 19. Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 20. In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino: et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. 21. Et erit omnis lebes in Ierusalem et in Iuda sanctificatus Domino exercituum: et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis: et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

Vers. 1.  
Refellit  
tur Mes-  
sias Iu-  
dæorum.

**ECCĒ VENIENT.**) Primo, Iudæi totum hoc caput referunt ad tempus Messiaë, quem ipsi cum omnibus hæc hominis hic a Zacharia recensitis ad litteram expectant. Verum errant: nam a 1600. annis funditus a Tito excisa est Ierusalem, templum, resp. et gens Iudæorum, cuius desolatio durabit usque in finem mundi, ut ait Daniel c. 9. v. ult. Addē: Propheta hic dicit primo capiendam et vastandam Ierusalem, ac mediam Iudæorum in ea partem ituram in captivitatem, quorum utrumque præsupponit Iudæos in Ierusalem restitutum iri; non enim possunt capi et vastari, qui non sunt; ac deinde Deum pro iis pugnaturum, per Messiam scilicet, ut ipsi dicunt. At qui hoc verum esse nequit: nam sic Iudæi ante Messiam restituerentur, et obtinerent Ierusalem, in eaque florent, quod tamen ipsimet negant. Dicunt enim restitutionem Hierosolymæ et Iudæorum fore per vires et arma Messiaë: alioqui enim ante Messiam deberent ponere alium Messiam, qui Iudæis Hierosolymam restitueret. Itaque hic seipsum elidunt Rabbini, et, ut vulgo dicitur, cornicum oculos configunt. Deinde v. 14. dicitur: *Sed et Iudas pugnabit adversus Ierusalem*: hoc autem de Messia eorum dici nequit. Ipse enim orietur ex tribu Iuda, utpote filius et successor Davidis et Salomonis, ac cum suis contribulibus Iudæis restituet Ierusalem, ut ipsi dicunt. Insuper v. 16. dicitur, quod omnes gentes ascendent ab anno in annum in Ierusalem, ut celebrent festum tabernaculorum. Hoc autem ad litteram, ut sonat, fieri nequit: tum quia urbs Ierusalem non potest capere omnes gentes totius orbis: tum quia ipsi docent, felicitatem et regnum Messiaë spectare ad Iudæos, non ad Gentes: Gentes enim tunc Iudæorum fore servos et mancipia, ut ipsi iam serviunt Gentibus. Denique nonnulla, si ut sonat accipias de Ierusalem, absurda et *αποδοξα* sunt. Tale est quod dicitur v. 21. *Et erit omnis lebes in Ierusalem, et in Iuda sanctificatus Domino*: sic enim tempore Messiaë, Iudæi domi nullos habituri essent lebetes, in quibus coquerent carnes, ad quas tamen ipsi more patrum anhelant; sed omnes suos lebetes deberent consecrare Deo in templo. Quocirca vere S. Hieron. hic ad v. 11. *Hæc, inquit, Iudæi iuxta litteram somniant: et nostri Chiliastæ, qui rursum audire desiderant: Crescite et multiplicamini; et replete terram, et pro huius vitæ continentia brevique icunio bulbos sibi, et vulvas, et aves phasidis, et attagenem,*

**A** nequaquam Ionicum, sed Iudaicum repromittunt, de quibus vere potest Dominus dicere: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt, etc.* Nos autem *eclestem Ierusalem interpretemur Ecclesiam, quæ in carne ambulans non vivit secundum carnem, cuius municipatus in cælis est.* Postquam enim Dominus Iesus rex fuerit super omnem terram, de quo ad Patrem Spiritus sanctus loquitur per Prophetam: *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis; tunc unus Dominus erit, et unum nomen eius, omni prava religione calcata, iuxta illud: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra? Et alibi: Sicut nomen tuum Deus, ita et laus tua in universa terra.*

**B** Secundo, multi censent ad litteram Prophetam hic describere excidium Ierusalem per Titum, idque in pœnam Christi ab eis crucifixi, uti dixit e. præcedenti v. 6. et 7. Ita Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 48. S. Cyrill. Theodor. Rupert. Vatabl. Ribera, Sanchez, et propendere videtur S. Hieron. Verum obstant omnia sequentia: Deus enim non est præliatus contra Romanos vastatores Hierosolymæ, nec restituit Ierusalem post excidium Titi, nec effecit ut omnes gentes veniant adoratum in ea Deum, et celebratum festum Tabernaculorum; cum Ierusalem post Titum per 1600. annos excisa et desolata maneat usque in hodiernum diem.

Dico ergo, ad litteram significatur hic Ierusalem capienda ab Antiocho Epiphane, et restituenda a Machabæis, uti probavi in præmio, idque docent Palaeus, Mariana et a Castro, ipseque rei eventus, ut patet ex libris Machab. præsertim lib. 1. c. 4. v. 22. et seq.

**C** Porro sub typo vastationis Ierusalem, depingitur hic vastatio Ecclesie, præsertim primitivæ, quæ facta est a Nerone, Traiano et aliis Gentilibus Imper. Tunc enim templa ab eis capta et eversa sunt; fideles alii bonis, alii libertate, alii vita privati. Ecclesia enim capi et vastari dicitur, cum eius fideles capiuntur et vastantur: ita Arias. Unde Glossa censet hic describi persecutionem Ecclesie factam a Cosroe rege Persarum, et ab Homar rege Arabum: nam uterque expugnavit Ierusalem, et cives partim occidit, partim abduxit, partim tributis subiecit: quæ servitus duravit usque ad Godefridum Bullonium, qui loca sancta Christianis pugnando restituit: ita Glossa.

Anagog. significatur hic vastatio Ecclesie futura per

Antichristum, quem Iudæi recipient quasi suum Messiam. **A** Ille enim longe gravior quam Nero, Decius, alique Tyranni in eam sæviet, uxores fidelium violabit (erit enim luxuriosissimus) omnia iura humana et divina pessumdabit, præsertim Hierosolymæ, ubi violenter quasi tyrannus sedebit, ponetque thronum tyrannidis suæ, uti diserte docet S. Ioannes Apoc. 20. 8. Loquens enim de Gog et Magog, qui erunt milites et duces Antichristi, ait: *Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circumierunt castra sanctorum et civitatem dilectam*, puta Ierusalem, in quam se recipient Christiani, ut eos trucident. Unde in Ierusalem ab Antichristo occidentur Elias et Henoeh, uti docet S. Ioannes Apoc. 11. 8. et seq. ita Lyran. Dionys. et alii.

Et hoc sensu vera erit sententia Iudæorum, qui dicunt hæc spectare ad ultima tempora, quibus veniet Messias: sed errant, dum putant Messiam restitutum iudaismum, non christianismum, ideoque Iudæis daturum bona temporalia, non spiritualia. Itaque Iudæis hæc et similia loca Scripturæ obiiicientibus, respondere possumus, nos quoque ea intelligere de adventu Messiae; sed de primo ad litteram, de secundo anagogice. Nam cum secundus Messiae adventus sit futurus in fine mundi, non possunt de eo ad litteram intelligi, quæ hic de restitutione et celeberritate Ierusalem dicuntur, quodque quotannis ad eam venient omnes gentes celebraturæ festum Tabernaculorum: si enim instabit tunc finis mundi, instabit ergo quoque finis festorum huius vitæ, ac consequenter festum Tabernaculorum deinceps non ad litteram, sed anagogice celebrabimus in cælo.

Vers 2.

**EGREDIETUR MEDIA PARS CIVITATIS IN CAPTIVITATEM** ) Qui hæc de excidio Ierusalem per Titum accipiunt, ita exponunt, q. d. Media pars civium occidetur et capietur, reliqua pars fidelium monita a Prophetis fugiet ex urbe, et salvabitur, uti præmonnit Christus Matth. 24. v. 16. Ita Theodor. et Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 18. Verum longe potior pars occisa fuit: pauci enim capti fuere; cum tamen Propheta hic mediam partem captam asserat. Nam Ioseph. lib. 7. Belli c. 17. ait mortua fuisse Iudæorum undecies centena millia, capta vero dumtaxat 97. millia. Rursum Christiani non salvati sunt in urbe, uti hic ait Propheta, sed extra. Quocirca Rupert. Ribera et alii sic explicant, q. d. Altera pars civium Hierosolymæ sub Tito capietur, altera vero non auferetur ex urbe: quia in ea occidetur, aut fame et ærumnis conficietur, et morietur.

Verum iam probavi hæc spectare ad excidium Ierusalem per Antiochum, non per Titum: sub Antiocho ergo hæc contigisse patet ex libris Machab. ac nominatim ex lib. 2. c. 3. 44. ubi dicitur: *Erant toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia viacti, non minus autem venundati*. Rursum, multi ex Iudæis partim metu, partim malitia consenserunt Antiocho, ideoque manserunt in urbe, cæterosque expilarunt, de quibus dicitur 1. Machab. 1. 55. *Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerunt legem Domini, et fecerunt mala super terram. Et effugerunt populum Israel in abditiis, et in absconditis fugitivorum locis*. Et de his ait Zacharias: *Et reliquum populi non auferetur ex urbe*, quia scilicet dedit se Antiocho, aut certe ab eo vincientur. Media enim pars hic non præcise et arithmetice, sed moraliter accipienda est, q. d. Una pars civium egredietur in captivitatem, altera in urbe remanebit, vel vincula, vel transfuga.

Vers 3.

**ET EGREDIETUR DOMINUS, ET PRÆLIABITUR CONTRA GENTES.** ) Hebr. **בגויים** *baggoim*, id est, *in gentibus*: quod dupliciter accipi potest. Primo, q. d. Cum Gentibus, scilicet cum Tito et Romanis, præliabitur Deus contra Iudæos: ita Cyrill. et Theodor. Secundo, *baggoim* melius veritas, *in Gentes*, id est, contra Gentes, ut vertunt Noster, Chald. et alii; quin et Sept. in editione Vaticanæ: nam in Complutensi habent, *in Gentibus*. Loquitur ad litteram de præliis Machabæorum miraculosis contra Antiochum, in quibus Deus per Angelos etiam visibiliter apparentes, pro Iuda decertare visus est, ut patet 2. Machab. 10. 29. et c. 11. 8. et c. 13. 12.

**SICUT PRÆLIATUS EST IN DIE CERTAMINIS.** ) Scilicet famosi illius et celeberrimi, quo contra Pharaonem decertavit, eumque protrivit in mari rubro, ut habet Chald. Quocirca Iudas Machabæus suos spe opis divinæ animans ad prælium, dicebat: *Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao*, etc. 1. Machab. 4. 9.

Sub hoc Machabæorum typo, parabolice significatur victoria Christi de gentilismo. q. d. Christus Gentes olim Deo adversas sibi subiiciet per Evangelium, earumque peccata merget in baptismo, *sicut præliatus est in die certaminis*, id est, sicut olim in huius rei typum decertans contra Pharaonem et Ægyptios in mari rubro, ibidem eos demersit: ita S. Hier.

Anagog. Significatur prælium Christi contra Antichristum (huius enim typus et præcursor fuit Antiochus, æque ac Pharao) Gog et Magog, quos iuxta Ierusalem e cælo profligabit, interimet et deturbabit in tartara, uti docet Apost. 2. Thessal. 2. 8. et S. Ioannes Apoc. 20. 9. et seq. ita Lyran. Hugo et Dionys. Rursum significatur Iis et certamen Christi contra omnes impios in die iudicii, quos sua sententia condemnabit, suaque potentia adiget in gehennam, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum*.

**ET STABUNT PEDES EIUS IN DIE ILLA SUPER MONTEM OLIVARUM.** ) Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 39. legit: *stabunt pedes eius in Elazone*, id est, in monte Oliveti; **Vers. 4.**

*ελαιος* enim Græcis est oleum. Descendet enim Deus cum suis Angelis in hunc montem, ut ex eo propugnet Ierusalem, et Antiochi copias prolliget, ideoque pedibus suis calcando montem, eum tremefaciet et discindet, de quo mox. Dicitur hic mons Oliveti, vel Olivarum, ab ubertate frequentium crescentium in eo olivarum, qui alias mons sanctus, et mons inclytus vocatur. A Ierusalem distat stadiis quinque, et ab ea valle Cedron interiacente dispecitur. Sub hoc typo significatur Christus Deus factus homo, staturus et versaturus in monte Oliveti, ibique in oratione pernoctaturus, Apostolos docturus, et passionem inchoaturus. Ibi enim orans in horto captus est, sicut ex eodem quasi rex et Messias, triumphans ingressus est urbem cum ramis olivarum in die palmarum. Ex hoc quoque gloriosus coram suis discipulis ascendit in cælum, Act. 12. In monte ergo Oliveti cœpit et consummarvit, uti redemptionem nostram, ita et Ecclesiam suam. Ibidem enim ascendens iussit Apostolis, dixitque: *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ*, Actor. 1. 8.

Quocirca mons Oliveti symbolum est Ecclesiæ e Gentibus Christo obedientibus collectæ, in qua stant et requiescunt pedes Christi: olea enim deditiois, subiectionis, obedientiæ, reverentiæ, et cultus est hieroglyphicum. Olim enim cum populi se principi cuiquam dedebant, prætendebant ramos olivæ, quasi pacem petentes, uti docet Servius in Æneid. 8. unde noster Martinus de Roa libr. 4. Singul. cap. 5. huius loci hunc dat sensum, q. d. Montes olivarum, id est, Romani qui totius orbis imperio potentiuntur, ad Iesu Christi pedes se abiicient, eique se totos tradent et subiicient, cum eum respuent Iudæi. Ita S. Ambros. in cap. 21. Lucæ, et Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 18. docent Ecclesiam in olivorum monte significatam. Hac de causa Christus crebro in monte hoc oravit et versatus est, ex eoque ascendit in cælum, ut significaret in Ecclesiam Gentium se transiturum, ac in eam misericordiam suam et munera diffusurum. Sic psalm. 51. 10. dicitur: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum*, q. d. Divites sperant in suis divitiis, uti præcessit: at ego spero in misericordia Dei, illi ramos olivæ prætendo, meque supplicem ad illius pedes abiicio, illi me dedo, illum pronus adoro: victum me illius magnitudine confiteor, manus do; ideoque veniam et misericordiam, quæ supplicibus debetur ac victis, consequenturum me non dubito. Addit vero *in æternum*, quia olivæ æternitatis est symbolum, teste Pierio: tales autem esse debent qui se Deo dedunt, ut in vitæ ratione perseverent, eorum dissimiles qui ad tempus credunt, et in tem-

Mons Oliveti qualis?

Symbolum est Ecclesiæ Gentium, cur?



pore tentationis recedunt. Ideo Paulus Rom. 11. 17. Gentes dicit ex oleastro factas olivas, quia fidem quam semel accepit Ecclesia Gentium, nunquam deseret, nec a Christi religione deficiet, uti defecerunt Iudæi. Sic Psal. 127. dicitur: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*, q. d. Suscitabo tibi filios subiectos et obediens, æque ac inter se concordēs et pacificos: oliva enim subiectionis et pacis est symbolum, ut dixi. Plures analogias olivæ et Ecclesiæ animæque sanctæ, recensui Jerem. 11. 16.

Anagog. significatur Christus in monte Oliveti deturbaturus Antichristum, cum ipse instar Christi ex eodem volet in cælum conscendere: ita S. Hieron. in Daniel 11. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 27. Anselm. in 2. Thessal. 2. Lyran. Hugo et Dionys. Rursus in die iudicii cum omnibus Angelis descendet in montem Oliveti, qui imminet valli Iosaphat, ut ibi iudicet, et disceptet cum omnibus gentibus, ut ait Ioel cap. 3. 2.

**QUI EST CONTRA IERUSALEM AD ORIENTEM.**) Alludit ad ascensionem Christi: Christus enim in monte Oliveti ascendit in cælum, ut ex vinea Iudæorum sylvescente ostenderet se fecisse olivetum, id est, Ecclesiam fertilem oleis, id est, sanctis, piis, misericordibus, lucidis et Spiritu sancto impinguatis: ita Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 48. unde ait: *Qui est contra*, vel oppositus veteri *Ierusalem*, et *Synagogæ ad Orientem*: quia Ecclesia prælata est Synagogæ, et propinquior facta soli iustitiæ, id est, Christo, ut eius orientis primos radios fidei, gratiæ, omniumque charismatum excipiat, ita ut eius respectu Ierusalem esset ad Occasum: quo significabat Synagogam exæcandam esse, ideoque ruituram in adventu Christi. Hinc et Christus facie aversa a Ierusalem, spectans Occidentem crucifixus est, indeque ex Apostolorum institutione Christiani orant conversi ad Orientem et templa respiciunt Orientem, in quibus imago Christi crucifixi Occidentem prospicit, quam qui adorant necessario Orientem spectant: ita Damasc. lib. 4. de Fide c. 43. et alii. Pari modo Christus in monte Oliveti ascendit in cælum, facie a Ierusalem aversa (ut ex vestigiis pedum eius lapidi impressis, quæ etiamnum visuntur, liquet) conversus ad Occidentem, et Romanam spectans Ecclesiam, ad quam ipse S. Petrum Vicarium suum, et S. Paulum Doctorem Gentium misit, ut eo sedem Ecclesiæ transferrent: ita Adrie hom. in Descrip. terræ sanctæ, agens de monte Oliveti.

Nota: Olim extra Ierusalem siti erant duo montes oppositi, scilicet ad Orientem mons Oliveti, cui ex adverso ad Occasum oppositus erat mons Calvariæ, in quo crucifixus est Christus, qui olim erat extra urbem, sed iam est intra eam. In ipsa vero urbe erant duo vicini montes, scilicet Sion respiciens Austrum, in quo erat arx David, et Moria respiciens Septentrionem, in quo ædificatum est templum. Inter hos duos montes erat brevis vallis domibus civium referta, quæ Mello et Tyropæon est dicta.

**ET SCINDETUR MONS OLIVETI.**) S. Hier. Cyrill. Theod. Burgensis, Palacius, censent hanc scissionem fore quadrifidam in modum crucis, ad quatuor mundi plagas, ita ut mons Oliveti scindatur primo ab Oriente in Occidentem, deinde duæ illæ partes discessæ rursus scindantur ab Aquilone in Meridiem. Verum Chald. Euseb. Lyran. Vatabl. Ribera, Sanchez et alii, censent eum scindendum in duas dumtaxat partes, scilicet versus Orientem et Occidentem, per medium, ita ut una pars scissi montis vergat (unde pro *separabitur*, Sept. vertunt, *inclinetur*; Tigurina, *deflectet*; Pagnin. *recedet*) ad Austrum, altera ad Aquilonem, et inter utramque media sit prærupta vorago, sive vallis profunda, quæ coniungatur valli Iosaphat, sive Cedron, indeque valli montis Sion, ita ut Iudæi qui fugient ex Sion et urbe per vallem Iosaphat, transituri sint per vallem factam in monte Oliveti discesso.

Quares, quando, et quomodo contigit hæc montis Oliveti scissio? Qui putant agi hic de obsidione et excidio Ierusalem per Titum et Romanos, varie hæc exponunt. Aliqui enim per scissionem montis Oliveti parabolice accipiunt schismata et seditiones Zelotarum, aliorumque Iudæorum in urbe. Alii, ut Theodor. censent montem Oli-

veti vocari exercitum Romanorum, qui eum montem occupavit: divisum vero montem dici, quia ad alia civitatis loca obsidenda et oppugnanda divisus fuit Romanorum exercitus, eo quod urbs versus montem Oliveti, ob vallem sive voraginem Cedronis interiectam, difficilius esset aditu et expugnata. Noster vero Sanchez tripliciter exponit. Primo, suspicatur in obsidione Romanorum, montem Oliveti ingenti terræ motu revera fuisse divisum, etiamsi id non dicat Ioseph, nec ullæ historiæ, sicut nec meminerunt terræ motus sub Ozia, quem tamen contigisse docet hic Zacharias. Secundo, castra Romanorum in monte hoc ita a Tito fuisse disposita, ut ab Oriente in Occidentem paterent et porrigerentur, atque hinc inde ad Aquilonem et Meridiem duas partes relinquerent, præruptum vero grande esse vallem Cedron, quam etiam occuparunt Romani: vallis enim nil aliud est quam montium scissura, q. d. Cedronis profunditas non munit Iudæos, nec impedit Romanos, quo minus urbem invadant et occupent; quia omnia suo milite complebant. Tertio, q. d. Titus profundissimam voraginem Cedronis, quæ inter urbem et castra sua in monte Oliveti sita interiacebat, urbemque munitabat, comportatis aggeribus ita implebit et complanabit, ut per eam facilis militibus ad muros invadendos sit accessus. Id enim cum fecisse in aliis vallibus, docet Ioseph. lib. 6. Belli cap. 4. Et in ipsa Cedronis valle aggeres esse constructos et muros, docet idem Ioseph. lib. 6. cap. 13. Favent Septuag. qui dicunt vers. 5. obturatam esse vallem montium: scissum ergo diei montem Oliveti, quia ex illo Romani præciderunt saxa, eaque cum terra devolverunt in subiectam vallem Cedronis, iisque eam impleverunt. Quocirca ait Propheta: *Fugietis*, o Iudæi, *ad vallem montium meorum*, id est, in urbem, ad spatium quod inter montem Moriam et montem Sion (ubi erat templum Dei) interiacet; *quia coniungetur vallis montium*, id est, vallis Cedron, quæ inter montem Oliveti et montem Sion interiacet, *usque ad proximum*, scilicet montem Oliveti: Titus enim muro cinxit civitatem, ducto per Cedronem ad montem usque Oliveti. Verum solum decima legio Romanorum constitit in monte Oliveti, qui erat ad Orientem urbis: reliquis vero Titi exercitus obsedit urbem ex parte Septentrionali, in loco qui dicitur Sapha, vel Scopos, situsque erat ex opposito duarum turrium, quæ vocabantur Psephina et Hippicus, uti disertè ait Ioseph. lib. 6. Belli cap. 5. Itaque Titus obsedit urbem plane iuxta montem Calvariæ. Hic enim erat pene ex adverso Psephina; ubi Iudæi crucifixerunt Christum, ut notat Adrie hom. in Descriptione Ierusalem et alii; ut Iudæi cognoscere Titum advenisse ad hoc, ut esset necis Christi ultor, ibique eos pleteret, ubi ipsi Christi parricidium, imo Deicidium commiserant. Tandem vero Titus, ut celerius urbem occuparet, eam circumcirca cinxit muro, in quo 40. castella constituit, idque opus perfecit spatio tridui, itaque Iudæos ad famem et extrema adegit. Quare non est verisimile ipsum vallem Cedronis implese et complanasse. Ioseph enim lib. 6. cap. 4. tantum ait eum complanasse vallem, quæ erat inter castra sua sita in Scopis, ad Septentrionem; non vero vallem montis Oliveti, quæ erat ad Orientem. Deinde Titus totus fuit in muro urbi circumducendo, isque unus occupabat milites omnes. Murus enim hic in circuitu erat 39. stadiorum, hoc est quinque pene milliarius, uti ait Iosephus. Adde, non agi hic de tempore Titi et Romanorum, sed Antiochi et Machabæorum, uti dixi initio.

Dico ergo ex hoc loco videri, quod tempore Antiochi et Machabæorum scissus sit mons Oliveti, dum Deus cum angelis in eum descendit, etsi id non narretur in lib. Machab. nec alibi; sicut non narratur in libris Regum terræ motus, qui contigit sub Ozia, et alia multa. Hunc sensum exigunt verba ipsa et temporis ratio: de Machabæorum enim ævo hic agitur: ita a Castro, et Paulus a Palacio, qui ita scribit: Credo hanc prophetiam impletam ante Machabæorum victorias, quando multa signa visa in cælo sunt, scilicet equites per aera discurrentes, cohortes armatæ, cursus equorum, 2. Mach. 5. Hæ enim cohortes erant angelorum, cum quibus veniebat Dominus in specie vi-

Christus facie aversa a Ierusalem, spectans Romanam, crucifixus est, et ascendit in cælum.

Mons Oliveti scissus quando? 1. Sentent.

2.

Ierusalem obsessa iuxta montem Calvariæ.

2. genuina.

sibili: veniente ergo Domino tremuit mons (nam cum egreditur Deus, terra movetur et concutitur, psal. 67. 9.) Ex tremore vero discissus est in quatuor partes, significans discissionem et divisionem Iudæorum ex patria sua in quatuor mundi plagas. Hæc Palacius.

Porro scissio hæc montis fuit typus scissionis eiusdem in fine mundi, ut mox dicam; sed inter alia representabat præsentem, tum fugas, ob instantes ab Antiocho clades; tum scissiones et schismata Iudæorum, dum alii Machabeis adhererent, alii Antiocho: rursus alii Antiocho et Syris, alii Ptolemæo et Ægyptiis faverent.

Simili modo sub Constantio Imper. et S. Cyrillo Patriarcha Hierosolymitano, anno Domini 353. crux sole fulgentior pleno die cælitus apparuit supra montem Oliveti (et forte eo quoque alludit hic Zacharias) eum quasi signans et instar crucis secans, ut representaret schisma Ecclesie quod faciebant Arriani, et Constantium eorum factorem moneret S. Crucis, et Crucifixum Dei filium Patri *αγαπῶν* esse adorandum ut verum Deum, uti eum adorarat illius pater Constantinus, qui proinde per vexillum crucis divinas de Maxentio aliisque hostibus victorias obtinuit; quasi Christus ex alto Orthodoxis a Constantio vexatis intonaret: Confidite, ego vici mundum cruce, et vos eadem vincetis Arrianos. Quocirca tota civitas hoc crucis signo excita ad ecclesiam cucurrit, Deum Deique Filium laudans et celebrans; quin et multi Iudæi ac Gentiles, viso hoc radiante in cælis crucis signo obstupuerunt, et ad Christum conversi sunt. Rem gestam et a se visam fuse perscribit S. Cyrillus ad Constantium Imper. in fine Catech. mystag. Eadem breviter sic narratur in actis Artemii Martyris die 19. Octob. apud Surium: *Quo quidem tempore, cum expugnatus esset Magnentius, signum crucis maximum mirifice apparens, adeo ut mirabili splendore superaret lucem diei, visum est Hierosolymis circa tertiam diei horam, cum esset dies festus qui dicitur Pentecoste, pertingens a loco qui dicitur Calvaria, usque ad montem Oliveti.* Sic et Sozomen. l. 4. c. 4. Socrates lib. 2. c. 24. et ex iis Baron. an. Domini 353.

Similis fuit Christi apparitio in monte Oliveti anno Christi 419. quam ex Marcellini chronico ita recenset Barotius: *Anno Christi 419. multe Palestinæ civitates villæque terræmotu collapsæ sunt. Dominus noster Iesus Christus semper ubique totus, super montem Oliveti Hierosolymæ vicinum, sese de nube manifestavit. Multæ et tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes tam visu, quam auditu perterritæ atque credulæ sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumque baptizatorum in tunieis erux Christi salvatoris, divinitatis nutu ex templo pressu refulsit. Cuius rei adeo admirabilis occasione, de tempore adventus Domini ad iudicandum capti sunt ubique misceri sermones, quod ex Danielis Prophetæ vaticinio c. 7. iam prænunciatus esset adventus filii hominis in nubibus; et Zacharias c. 14. de ipso loco adventus eius super montem Oliveti prædixerat. Et angeli de Christo in monte Oliveti in cælum ascendente Apostolis prænunciarunt: Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, ita veniet. Cuius occasione scripsisse videtur Hesychius epist. 79. ad S. Augustin. de novissimu die, quæ, cum præcessissent tot signa (ut ait) iam videretur instare. Cui respondens S. August. epist. 80. prolixè disputat de novissimi diei tempore. Huc usque Baron. occasione Melaniæ iunioris, quæ eodem anno seorsim a coniuge Piniano vitam egit monasticam, ac in cella apud montem Oliveti per 14. annos clausa perseveravit, duxitque in angusto loco vitam angelis similem.*

Similis fuit in eodem monte apparitio tempore belli sacri, qua Christiani animati Hierosolymam expugnarunt. Rem gestam narrat Wilhelm. Tyrius l. 8. Belli sacri c. 16 defatigatis Christianis in oppugnatione Hierosolymæ, ideoque dilabentibus: *Ecce, ait, adfuit rebus desperatis virtus divina. Nam de monte Oliveti miles quidam, qui tamen postea non comparuit, splendidum et refulgentem ventilando clypeum, signum dabat nostris legionibus ut redirent in idipsum, et congressum iterarent. Quo signo*

*exhilaratus dux Godefridus Bullonius, primus in mania conscendit, quem alii secuti, illico eius iussu effregerunt portam S. Stephani, per quam totum in urbem induxerunt Christianorum exercitum. Itaque a Christianis capta est Hierosolyma an. Domini 1099 die 15. Iulii, feria sexta, qua Christus moriens de morte triumphavit. Iuvit oraculum viri sancti qui habitans in monte Oliveti prædixerat, urbem illo die esse capiendam, ait Tyrius c. 17. Unde et ante oppugnationem urbis, Christiani nudis pedibus cum multa devotione, cantantes litanias cum erubicis processerunt usque ad montem Oliveti, ait idem c. 11. Ad hæc similesque apparitiones respexisse hic Zachariam, vel potius Spiritum sanctum probabile est. Unde mystice Lyran. hunc Zachariæ locum explicat de capta Ierusalem a Godefrido Bullonio et Christianis: urbis enim capiendæ signum eis datum est a monte Oliveti, uti iam dixi ex Tyrio.*

Denique nonnulli hæc conditionate exponunt, q. d. Deus ita tutabitur vos o Hebræi, ut si opus sit ad vestram tutelam findere montem Oliveti, ut per eum manus hostium effugiatis, id revera facturus sit, sed tanto molimine non erit opus: poterit enim ipse mille aliis modis vos protegere. Simile est Isaïæ 11. e. 15. et Zachar. 10. 11. ita a Casiro.

Iam parabolice et quasi allegorice, mons Oliveti est Allégor. Ecclesia, ait Euseb. l. 6. Demonstr. c. 18. Hic scissus est cum ibi a Christo ascendente iussi sunt Apostoli ire in mundum universum, et prædicare Evangelium omni creaturæ, indeque in quatuor mundi plagas diviserunt et sparserunt se, Christique fidem et Ecclesiam. Rursum scissio hæc montis denotat commotionem et contritionem Gentium audito Christi Evangelio, iuxta illud Lucæ 3. v. 5. *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.* Sed earum pars una mansit ad Aquilonem, id est, in suo infidelitatis et impietatis frigore perstitit: Aquilo enim frigidus significat frigidus, ac ex infidelitate et peccato torpentes; altera vero ad Austrum vergens significat fideles, qui calent charitate et fervent Spiritu Dei: Auster enim est calidus. Huius rei symbolo vidit Ezechiel gloriam Dei, id est, Deum gloriosum sedentem in curru Cherubico, et quatuor Cherubinis stipatum ex templo Iudaico evolare in montem Oliveti; sic enim ait cap. 11. 23. *Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem qui est ad Orientem urbis, puta supra montem Oliveti, ut ex hoc monte expectet et spectet novam Ierusalem, quasi phœnicem ex veteris cineribus resurgentem in Sion, puta Ecclesiam Christi, ut ibidem dixi. Porro Glossa per scissionem montis Oliveti, accipit schisma Græcorum a Latinis: ad Orientem enim habitant Græci, qui divisi sunt a Latinis habitantibus ad Occidentem. Unde ait: *Et fugietis*, id est, fugere debetis ad obedientiam Ecclesie Romanæ, cuius montes magui, scilicet SS. Petrus et Paulus, sunt patroni.*

Anagog. findetur mons Oliveti, cum Antichristus ex eo Anagog. findetur mons Oliveti de-hiscens Antichristo. volet in cælum conscendere: nam a Christo deturbatus corruet, et terra, puta mons dehiscens, vivum eum absorbebit, uti dixi 2. Thessal. 2. 8. Hoc est quod ait S. Ioannes Apoc. 19. 20. *Apprehensa est bestia (puta Antichristus) et cum ea pseudopropheta, etc. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.*

Rursum in die iudicii, Christus iudex descendet in montem Oliveti: unde tunc eum sua maiestate et potestate, ingenti terræ motu concutiet, ut ipse quasi præ horrore et veneratione Christi iudicis contremiscat; simul ut hoc terræ motu se findat, amplietque vallem Iosaphat, ad capiendum omnes homines iudicandos ibidem a Christo. Si enim Deus daturus legem, in Sina descendens concussit montem, Exodi 19. multo magis id faciet descendurus ad iudicium. Idipsum diserte docet S. Clemens Romau. l. 7. Constitut. Apost. c. 33. *Mons ipse, ait, Oliveti gloriæ venientis cedet, et in quatuor partes dissectus, longissime diffugiet, ut tribunali iudicis theatrum totius orbis assistat. Trepidatio vero hominum tanta erit, ut insani dif-*

Et in die iudicii.

fugiant in mediam vallem, quæ futura est amplissima; cum montibus remotis coniungenda sit cum omni circumposito campo. Hoc sane verbis Zachariae valde congruit. Ita inter alios Emmanuel Sa, et Iosephus a Costa l. 4. de Tempor. noviss. cap. 13. et 14. et Leonard. Lessius l. 13. de Divinis attrib. cap. 21. in fine: *Indicat*, inquit, *Zacharius montem Olivarum (iuxta quem vallis Iosaphat) scindendum in quatuor partes, ut fiat maxima planities, in qua excipiantur iudicandi.* Insuper hæc scissio montis representabit separationem Australium, id est, ferventium et electorum ab Aquilonaribus, id est, frigidis et reprobis. Illi enim erunt Orientales; quia oriatur eis lux et gloria sempiterna; hi vero erunt Occidentales; quia ibunt in occasum et mortem æternam.

PRÆRUPTO GRANDI VALDE. ) Id est, magna voragine, ut vertunt Septuag. vel *valle*, ut Chald. quæ ex scissione montis profunde patescet, et hiabit. Parabolice hic hiatus significat Hierosolymæ ruinam et desolationem, quando Apostolis abeuntibus ad Gentes, Iudæi infideles paulo post a Tito vastati, in profundum quasi barathri demersi sunt, iusta Dei vindicta.

Anagog. significat hiatus grandem montis Oliveti, et vallis Iosaphat futurum in die iudicii, quo reprobos omnes ibidem consistentes debiscens terra mittet in tartara. Hiatus ergo hic et vorago erit profundissima: nam a valle montis Oliveti extendet se usque ad infernum, qui est in centro terræ. In die ergo iudicii proprie et plane adimplebitur hæc propheta, sicut fissura montis Oliveti, et vorago ingens usque ad tartarum, ita ut in ipsum prospiciant non tantum reprobi, sed et electi Dei, gaudeantque mirifice quod horridum illud ignis barathrum in quod videbunt tot impios demergi, per gratiam Christi evaserint. Hanc voraginem horribilem in spiritu vidit S. Carpus, camque ex ore eius ita describit S. Dionys. Arcopag. ep. 8. ad Demophilum, dicens: *Referebat (Carpus) se vidisse domum in qua consistebat, primum vehementer agitari, ac dequam a summo cubine per medium dividi.* etc. *Ipsum quoque solum instar vasti ac tenebrosi cuiusdam profundissimi, discissum se vidisse ait, atque viros illos quibus mala imprecatus fuerat, ante se ad os illius profundæ voraginis stare trementes ac miserabiles, et qui ab ipsa pedum suorum labilitate iam mergendi viderentur. Porro ab inferiori parte voraginis serpentes cernebat emergere, qui circa illorum pedes ita instabiles ac nutantes, interdum quidem in globum colligi, et gravari una atque pertrahere; interdum vero dentibus et caudis, ore, gutture, linguis, ac toto corporis motu vim immensi pavoris viderentur incutere, ut qui modis omnibus deorsum illos præcipitare niterentur. Fuisse autem et viros quosdam in medio, qui contra eos una cum serpentibus impetum facerent, exagitantibus una et impellentibus, atque ferientibus: videbantur autem illi lapsui proximi,* etc.

Vers 6

ET FUGIETIS AD VALLEM MONTIUM EORUM.) Hebr. Septuag. et S. Hieron. in comment. legunt *meorum*. Unde et in Latinis ita legendum videtur. Nota  $\tau\omega$  in *vallem*: physice enim in terræ motu consilium et remedium est, fugere ad valles et ima; hæc enim minus quam montes terræ motu quatuntur. Porro huius loci sensus est is, quem dedi v. 4.

QUONIAM CONIUNGETUR VALLIS MONTIUM USQUE AD PROXIMUM.) Hebr. *usque ad* אֶלְאֵל *atsal*, quod quasi nomen proprium accipiunt et relinquunt Septuag. Chald. Aquila, Theodot. Vatabl. et Pagnin. Verum Noster, Symmach. et alii, vertunt ut appellativum, *usque ad proximum*; alii, *usque ad separatam*, scilicet a terræ motu, idæoque securum locum.

Iam varii varic hæc exponunt. Dux expositiones sunt probabiliores. Prior, q. d. Ut effugiatis Antiochum, et hostes obsidentes, et invadentes Ierusalem, fugietis per vallem Iosaphat et Oliveti (montem enim Oliveti hæc de causa findet Deus, ut per eius scissuram et vallem contiguam fugere possitis: unde ea vocatur vallis montium, scilicet iam divisorum. Mons enim Oliveti per hanc scissionem dividetur in duos, vel ut alii, in quatuor montes)

A usque ad Atsal, ubi ab hoste securi tutique eritis: ita a Castro, Figurin. et Arias. Posterior, q. d. Ut fugiatis et effugiatis hunc terræ motum, quo concutietur et scindetur mons Oliveti, fugietis in vallem montium meorum, puta in vallem Mello, sive Tyropæi, quæ interiacet inter montem Sion et montem Moria: hi enim sunt montes mei, quia in Moria habeo meum templum, in Sion meam arcam David. *Quoniam coniungetur vallis montium usque ad proximum*, q. d. Quia vallis, id est, vorago illa facta in monte Oliveti iam diviso (quæ proinde iam non est vallis unius montis, sed duorum, nimirum montium iam divisorum) pertinet ad montem sibi proximum, puta ad Moria. Unde in tota valle Iosaphat usque ad Moria, a terræ motu et scissura hæc tuti non eritis: fugietis ergo post montem Moria ad vallem Mello, ab hoc terræ motu liberam, ut ibi tuti sitis: ita S. Hier. Aut, ut Lyran. quia vallis montium, id est, vallis Iosaphat, quæ interiacet inter montem Oliveti et montem Sion, coniungetur usque ad proximum, scilicet hiatus factum in monte Oliveti. Unde in ea sine metu et periculo non eritis: ad illam ergo fugere non audebitis: fugietis ergo ad vallem montium meorum, id est, interiectam inter Sion et Moria, qui sunt montes mei. Huic expositioni favet id quod sequitur: *Et fugietis sicut fugistis a facie terræ motus in diebus Ozæ*: fugitori ergo erant non hostes, sed terræ motu, ac proinde fugitari non in ipsam scissuram montis Oliveti, hoc terræ motu factam, sed procul ab ea in vallem Sionis et Moria, quæ omnino immunis erat a terræ motu.

Symbol. hæc fuga in terræ motu adumbrat fugam Machæorum, et Iudæorum ad sylvas et speluncas in terræ motu, id est, in persecutione Antiochi, de qua I. Mach. 2. 28.

Parabolice, hæc accipe de obduratione Iudæorum, q. d. Cum mons Oliveti, id est, Ecclesia Christi, spargetur in quatuor mundi plagas, tunc vos, o Iudæi increduli, ab Evangelio, Christo et Ecclesia fugietis, non quidem ad idolatriam et gentilismum, sed ad vallem umbrosam montium meorum, hoc est, ad cultum, umbras, et caeremonias legis veteris, quæ viguit in monte templi, puta Sionis, qui olim fuerunt montes mei. Ita Euseb. l. 6. Demonstr. c. 18. *Quæ, ait, potest esse vallis montium Dei, nisi quæ olim celebrabatur ex lege Moysi et Ierusalem, corporalis et Iudaica adoratio?* Sic et Stunica, Ribera et alii, qui contendunt hunc sensum esse litteralem: ego litteralem fateor, sed typicum et parabolicum, præcedenti quem assignavi innixum, uti dixi initio capituli. Unde sequitur: *Quoniam coniungetur vallis montium usque ad proximum*, q. d. Hæc vallis, id est, hæc umbrosa, sed obstinata Iudæorum religio, tanto ætius coniunget se vicino sibi templo templique ritibus, quanto magis videbit spargi et propagari Ecclesiam Christi. Aliter Emmanuel Sa, q. d. Hic cultus legis veteris Iudæis tenacissime coniungetur, et adhærebit proxime ubicumque degant.

Nota. Pro נִסְתָּם *nastem*, id est, *fugietis*, ad rad. נָסַם *nus*, id est, fugit, Septuag. alii punctis legentes נִסְתָּם *nistam*, a rad. סָתַם *satam*, id est, clausit, obturavit, vertunt, *et obturabitur (replebitur) vallis montium meorum, et adiungetur vallis montium usque ad Asal.* Sic et Chald. Quod ad litteram sic accipi posset, q. d. Scindetur mons Oliveti, et hæc scissione corruet, et complanabit totam subiacentem vallem Iosaphat, usque ad proximum montem Moria. Parabolice vero sic explicat Euseb. q. d. Hæc vallis umbrosa Iudaica religionis obturabitur, id est, cessabit et obscurabitur a luce Evangelii, eiusque umbra cedet veritati Christi: quoniam coniungentur ad Asal, id est, ad montem Oliveti (inde enim Christus misit Apostolos ad Iudæos et Gentes) qui dicitur Asal, id est, opus Dei, quasi a rad. אָסָה *asa*, id est, fecit, אֵל *el*, id est, Deus. Verum melius legit Noster *nastem*, vertique *fugietis*, quia sequitur: *Sicut fugistis a facie terræ motus in diebus Ozæ.* Et quia præcessit: *Scindetur mons Oliveti*: scissione enim mons apertus fuit, non obturatus.

Sicut fugistis.) q. d. Ea trepidatione, celeritate, turba et confluxu fugietis, qua fugistis a terræ motu qui contigit tempore Ozæ; de quo dixi Amos l. v. 1.

Vers. 5.

**ET VENIET DOMINUS DEUS MEUS, OMNESQUE SANCTI CUM EO.** ) Repleat et inculcat quod dixit v. 3. *Et egredietur Dominus et praeliabitur contra gentes illas, et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliveti.* Loquitur ergo ad Iudæis per Machabæos contra Antiochum, eumque protriturus, uti dixi v. 3. Porro eum bellum fidelium est difficile, et victoria illustris, tunc dicitur Deus descendere cum omnibus sanctis suis, puta angelis: quia omnes ei astant, ut pro eo decerent; hinc vocatur Deus exercituum. Ita vidit Ezechiel c. 1. Deum curru bellico rectum, stipatum quatuor Cherubinis descendere in aciem contra Iudæos, ut eos plecteret per Chaldæos. Et Psaltes psalm. 17. graphicè describit Dei in prælium contra suos hostes descendentes maiestatem, milites, iras, animos. Et inter alia ait v. 11. *Ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum.* Et v. 15. *Misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Simili terrore, pompa et satellitio descendit in Sina daturus legem Hebræis, pro eisque contra Gentes præliaturus, Deuter. 33. 2. *Dominus de Sinai venit, apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.* Iam sub typo prælii divini gesti per Machabæos, parabolice intelligit prælium spirituale Christi gerendum per Apostolos, q. d. Veniet Christus, qui per Apostolos debellabit omnes gentes, easque suæ fidei et Evangelio subingabit: ita Theod. Vatabl. Arias, et Euseb. lib. 6. Demonstr. c. 18.

Anagog. et maxime significatur hic descensus Christi ad iudicium universale, cum omnibus angelis et Sanctis in montem Oliveti supra vallem Iosaphat, ut Antichristum omnesque impios condemnaret et puniat. Hinc enim alludens Iudas in sua epist. v. 14. ait: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra gentes.* Et Christus Matth. 24. 30. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate, et mittet angelos suos.* Et c. 25. 31. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo.* Ita S. Hieron. Cyrill. Remig. Hugo, Lyran. Ribera, Sanchez et alii passim, qui contendunt hunc sensum esse litteralem: ego censeo esse anagogicum, sed maxime intentum a Spiritu sancto litteralis enim est de Machabæis, parabolice de Apostolis, uti ostendi initio capituli.

Vers. 6.

**NON ERIT LUX SED FRIGUS ET GELU.** ) Ita et Septuag. Chald. et Tigurina; videntur ergo in Hebræo legisse יקרות *ickarot*, id est, *sed frigus*, vel potius יקרות *ickarot* (facile enim *vau* si decurtetur, vertitur in *iod*, et *vau* sæpe est adversativum significans, *sed*, uti crebro est videre in Proverbiis Salom. ) id est, *et frigus*, vel frigora: radix enim יקר *ikar* significat frigescere. Iam legunt יקרות *ickarot*, id est, *pretiositatum*: יקר *ikar*, enim significat esse pretiosum, decorum, eximium. Unde vertunt, *non erit lux pretiositatum*, id est, pretiosa, clara, eximia, יקפאון *vekippaon*, id est, *(id est, sed) concretionis*, id est, concreta, densa: hoc est, in illa die non erit lux clara, neque obscura, sed mista, nubila et maligna, qualis est diluculo, q. d. In illa die non erit plena lætitia, nec plena tristitia, sed læta tristibus miscuebuntur: at vespere succedet plena felicitas et lætitia. Eodem fere redit versio nostra et Sept. Sensus enim est, q. d. In illa die non erit lux clara et amœna, qualis est in æstate; sed concreta nebulis frigidis, et quasi congelata, ideoque molesta et tristis. Unde Pagnin. vertit, *in die illa non erit lux pretiosa, et (sed) nix coagulata*; Arabicus vero Alexand. *erit nix et grandis (frigus) et procellæ in una die. Et apparebit (revelabitur) Dominus in illa die: Et non erit lux in illa die, neque nox, neque vespera.* Ad litteram denotatur tempus calamitatis et afflictionis Iudæorum in persecutione Antiochi. Huius enim symbolum sunt tenebræ, frigus et gelu. Unde in Scriptura in exidio Babylonis Samariæ, Ierusalem, etc. dicitur obscurandus non tantum dies, sed et sol, Luna ac stellæ, per hyperbolen et hypallagen: quia scilicet Babylonis, Samaritis, et Hierosolymitis in tanta clade afflictissimis, lux obtenebrescere, ipseque sol, media licet die, obscurari videbatur. Unde explicans subdit:

Vers. 7.

**ET ERIT DIES UNA QUÆ NOTA EST DOMINO, NON DIES NEQUE NOX.** ) q. d. Veniet tempus persecutionis, quod (et enius acerbitas) soli Deo cognitum, imo provisum et prædestinatum est, in quo dies Iudæis valde afflictis ad tot ærumnas, non videbitur esse dies; sed neque nox, utpote lucente sole: ergo tempus hoc medium quid erit inter diem et noctem, et quasi contemperatum ex die et nocte: habebit enim a sole lucem diei, a tyrannide vero Antiochi habebit tenebras, id est, ærumnas noctis.

**ET IN TEMPORE VESPERI (Hebr. *vespere*) ERIT LUX.** ) Vespera Id est, ut Tigurina, *Ad vesperam erit lux*, q. d. Ad finem huius temporis calamitosi, quasi ad vesperam desinet hoc eius nubilum, et succedet lux felicitatis et gaudii, nimirum quando Machabæi vindicabunt cives suos, et profligabunt copias Antiochi.

Sub hoc Machabæorum typo parabolice significat, post obscuritatem et umbras legis Iudaicæ, postque ignorantiam tenebras et malitiæ gelu, in quibus omnes gentes ante Christum, quin et ipsi Iudæi degrebant, successuram lucem Evangelii Christi, in eamque quasi in vesperam desitutum diem illum obscurum Iudaismi, iuxta illud oraculum Zachariæ: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* Lucæ 1. 79. Et Isaia e. 60. 1. *Surge, illumina Ierusalem, quia venit lumentuum.* Hoc est quod ait Paulus Rom. 13. 22. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Hinc et Christus dicitur venisse in carnem sub finem et quasi ad vesperam mundi.

Symbol. Theodor. hæc refert ad diem passionis Christi: tunc enim tenebræ factæ sunt super universam terram, quæ diem quasi verterunt in noctem, ita ut dies illa proprie non esset dies, neque nox, sed participium utriusque; eratque in ea frigus. Unde Petrus stabat ad ignem calefaciens se. Post quam successit clara dies resurrectionis Christi. Sic et Clemens Roman. 1. 5. Constit. c. 13. *Postea, ait, fuerunt tenebræ a sexta usque ad nonam, et rursus lux vespere, sicut scriptum est: Non dies, et non nox, et ad vesperam erit lux.* Sic et Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 18. Porro frigus vel proprie accipi potest, vel metonymice, pro tenebris et nocte: hæ enim sunt frigidæ: opponitur enim frigus luci, dum ait, *Non erit lux, sed frigus et gelu*: ita Sanchez.

Anagog. In tempore huius vitæ non est clara lux cognitionis Dei, nec serena dies amoris cultusque Dei; tum quia per fidem ambulamus, non per speciem; tum quia ambulamus inter improbos, in quibus extincta est charitas; in ipsis quoque Sanctis ob concupiscentias et tentationes, sæpe refrigescit charitas: at vespere, puta in fine mundi, erit lux æternæ claritatis, quando facie ad faciem videbitur Deus deorum in Sion. Unde S. Iob orabat cap. 3. dicens: *Pereat dies in qua natus sum, q. d. Pereat dies mortalitatis, et lux immortalitatis erumpat, ait S. Greg. ibidem.* Et sponsa Cant. 2. 17. optat *ut aspiret dies æternitatis, et inclinentur umbræ temporis et mortalitatis.* Hæc ergo dies lucidissima et lætissima erit sanctis et beatis, obscurissima vero et tristissima impiis et damnatis. Unde aliqui unam hanc diem aiunt fore quasi duplicem, scilicet in ea non erit lux, sed frigus et gelu improbis; eadem vero erit dies et lux probis et piis: sicut eadem dies Hebræis in Ægypto erat dies lucidissima, Ægyptiis vero nox obscurissima per plagam tenebrarum, quam Deus eis inllexerat. Nam, ut ait Sapiens c. 17. 22. *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, etc. Solis autem illis superposita erat nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat.* Insuper paulo ante diem iudicii erunt dies nubili et frigidi, tum physice ob eclipses et procellas cælestes: tum moraliter ob errores varios, et hominum impietatem, æque ac ob plagas maximas, quas Deus impiis immittet, quæ recensentur Apocal. cap. 7. et 8. et 9. et 16. Sed *vespere*, id est, in fine mundi, succedet lux una clara, puta æterna dies gloriæ, cui nulla succedet nox: ita S. Hieron. Cyrill. Remig. Hugo, Lyran. Sanchez et alii, qui arbitrantur hunc sensum esse litteralem: ego anagogicum esse censeo, sed præcipue hic intentum a Spiritu sancto: illi enim verba textus optime congruunt. Nam sub illud tem-

2.

pus neque dies erit, quia sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellas de caelo cadent; sed neque nox erit, quia sol, licet obscuratus, praesens erit huic hemisphaerio. Ad extremum tamen erit lux, eaque clarissima, peracto iudicio, reprobis qui in tartarum demersis, renovabitur mundus, ac sol septuplo clarior lucebit, luna vero instar solis, ut ait Isaias cap. 30. v. 26. *Accedet splendor Christi et Sanctorum omnium, qui fulgebunt sicut sol, Matth. 13. 43. Quin et elementa iam purgata, plurimum lucis et splendoris addent mundo. Nam si credimus S. Thomae, in 4. dist. 18. quaest. 1. art. 4. Terra erit lucida et pervia sicut vitrum in superficie, aqua sicut cristallus, aer sicut nunc est caelum, ignis sicut nunc sunt luminaria caeli.* Rursum non erit dies, neque nox, id est, vicissitudo et successio qua nox continuo succedit diei, quia sol stabit, ac proinde unus et continuus erit dies lucidissimus: ita Sanchez. Huc accedit illa nonnullorum expositio, quae talis est, q. d. Dies illa iudicii, quae soli Deo est nota, quia ultima erit saeculi, hinc non habebit sibi succedentem aliam diem aut noctem: et quia admirabilis erit et extraordinaria tam electis, quam reprobis; non proprie dies, nec nox dicenda erit, sed vespera, id est, finis eius desinet in lucem, id est, sanctorum gloriam aeternam. Huc alludens noster Thomas theodidactus lib. 3. de Imitat. Christi cap. 47. pie et nervose ex persona Christi ad fidelem et pium: *Age, inquit, quod agis fideliter, labora in vinea mea: ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, gema, tace, ora, sustine viriliter contraria: digna est his omnibus et maioribus praetis vita aeterna; veniet pax in die una, quae nota est Domino, et erit non dies, neque nox, huius scilicet temporis; sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma et requies secura. Non dices tunc: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Nec clamabis: Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est, quoniam praecipitabitur mors; et salus erit indefectiva, anxietas nulla, iucunditas beata, societas dulcis et decora.* Hoc cogitabant SS. milites et martyres XL. sub Licinio Imper. ab Agricola praefecto damnati ad stagnum gelidum. Hi enim se invicem hisce vocibus ad illud fortiter subeundum incendebant: *Durum frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevis tempore durantes sinus Abrahae nos perpetuo foecabit. Unam noctem cum sempiterno xvo (et cum una die perenni, quae non habet noctem, neque finem) commutabimus. Incendatur frigore pes, ut cum Angelis continuo saltet. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi. Quando semel mori oportet, moriamur ut vivamus:* ita refert S. Basil. hom. de 40. Martyribus. Quocirca ante vesperam missi in stagnum, cum nec dies esset, nec nox, vespere et nocte luce caelesti donati sunt. Nam circiter tertiam noctis horam sol eos circumfulsit, ita lucidus et calidus, uti est in aestate, frigusque et gelu stagni dissolvit, aquamque calidam reddidit: ita habet eorum vita apud Surium die 9. Martii.

Vidit haec per umbram divinus Plato, cuius haec est gnome in Theaeteto: *Philosophia, sive vera sapientia est animi reditus e tenebrosa ista vita, quae potius nox dicenda est quam vita ad veram entis lucem.* Quocirca ipse passim sapientiae studiosos adhortatur, ut calcatis carnis concupiscentiis, uni vacent inquirendae et contemplandae veritati, lucique divinae. Deus enim est το σν, το κελον, το ζων; εσθος, ipsum ens, ipsum pulchrum, ipsa vita, etc. ait idem in Phaedone.

**EXIBUNT AQUAE VIVAE.)** *Aquae vivae* vocantur fontanae, quae e suis venis scaturiunt et ebulliunt. Magnum urbi locoque commodum, aequae ac recreationem et ornamentum afferunt fontes, eorumque aqueductus. Hinc Romani moderni, et magis prisca, Romam aquis fontanis, earumque aqueductibus iugenti labore et sumptu impleverunt, adeo ut Plinius lib. 36. cap. 15. eos vocet orbis miracula, nec iis quid magis mirandum esse Romae, imo nec in toto orbe asserat. Similes fecerunt Iudaei in Ierusalem, praesertim Salomon, qui de se ait Eccles. 2. 4. *Extruxi mihi piscinas aquarum,* adeo ut noster Villalpando tomo 2. de templo pag. 565. contendat aqueductus Salomonis ma-

gnificentiores fuisse aqueductibus Romanorum. Tales quoque fecit Ezechias, 4. Reg. 20. 20.

Alludit ergo Zacharias ad hosce Hierosolymae fontes, innuitque eos in captivitate Babylonica, vel ab Antiocho contractos, aut collapsos, fore restaurandos, augendos et exornandos. Hoc enim fecisse Iudaeos e captivitate redoces, docet Nehemias cap. 3. 15. dicens: *Et portas fontis edificavit Sellum, etc. et muros piscinae Siloe in hortum regis.* Et v. 16. *Usque ad piscinam, quae grandi opere constructa est.* Et Eccli. 30. v. 3. de Simone pontifice, qui vixit tempore Ptolemaei Philadelphi (avum enim habuit Iaddo pontificem, quem adoravit Alexander Magnus) dicitur: *In diebus ipsius emanaverunt putri aquarum; et quasi mare adimpleti sunt supra molam.* Idem fecisse Machabaeos, eorumque posteros in restauratione Ierusalem non est dubium: ita enim ornarunt Ierusalem, ut videretur esse orbis deliciae. Hinc Adrichomius et alii chorographi, per plures in Ierusalem describunt fontes: nimirum ad Orientem, *ad*, id est, versus, *mare Orientale* (quod est mare mortuum, sive lacus Asphaltites) respiciebant fons Siloe, fons Rogel, fons Draconis, torrens Cedran, probatica piscina: ad Occidentem, *ad*, id est, versus *mare novissimum*, id est, Mediterraneum, inter alios eminebat fons Gihon, ubi Salomon in regem unctus est, isque duplex, superior et inferior. Iusuper rivus erat qui ex Ierusalem influebat usque ad mare Orientale, et in illud influebat ad statuum salis, iuxta Engaddi. Ex alio latere erat collis aqueductus, iuxta Gabaon et Ierusalem, ubi Abner confodit Azael fratrem Ioab, 2. Reg. 2. Videmus multis in provinciis fluvios integros ad multa miliaria, alveum effluendo, arte duci. Ita, ut alios taceam, Bruxella urbs Belgii celebris, et sedes principum, suo sumptu fovea effossa, fluvium ductilem fecit per spatium 15. miliarium Italicorum, usque ad Scaldim, qui Antuerpiam alluit, fluvium, inquam, navigabilem, quo merces omnes Antuerpiam, indeque in Hispaniam, et per totum orbem, magno commodo et lucro vehit revehitque. Quid si Iudaei similem fossam fluviumque fecerint, duxerintque e Ierusalem ad mare Mediterraneum, ut eo merces omnes marinas in urbem inveherent, et suas eodem eveherent, dividendas et dividendas per totum orbem? Sane distantia a Ierusalem a mari Mediterraneo duplo tantum maior est, scilicet 30. circiter miliarium (quod est iter unius diei) imo par erit, scilicet 15. miliarium, si e Ierusalem fluvium ducas in torrentem Gaas: aut in torrentem qui Eleutheropoli in mare hoc decurrit. Id si verum est, ad amissum responderet verbis Zachariae, dum ait: *Medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum,* quod est Occidentale, sive Mediterraneum. De templo constat ex Aristæa lib. de Sept. Interpr. illud aqueductibus subterraneis fuisse refertum ad quinque usque stadia. Unde ad hosce Ierusalem fontes alludens S. Ioannes Apocal. 22. 1. dicit similes, sed praestantiores fore in Ierusalem caelesti. Summa haec aquarum copia non aliud significat Prophetam, quam magnam fore Hierosolymae felicitatem et amenitatem, ita ut tota aquis sit irrigua, quae ex ea utriusque in campos effluent, eosque fecundent et oblectent; quod tempore Machabaeorum, et posterorum re ipsa completum esse constat.

Iam sub hisce fontibus et aqueductibus Ierusalem, symbolice intelligit faustos laetosque egressus Iudae et fratrum eius, tum ad praelia et victorias de Antiocho capessendas, tum ad colligendos Iudaeos fugitivos, et eos qui metu Antiochi prolapsi erant ad gentilismum, revocandos ad libidem; stantes vero animandos ad constantiam: idque per totam Iudaeam, cuius terminus ad Orientem erat mare Orientale, sive mortuum, ad Occidentem mare Mediterraneum, q. d. Exhibunt e Ierusalem Machabaei, qui arentem et equalentem in tanta persecutione Iudaeae faciem ita rigabant, ut Iudaei fere extineti reviviscant, puta Iudas exhibit contra Galaad et Ammonitas, qui sunt ad Orientem iuxta mare mortuum; Ionathas vero contra Ioppen et Philisthaeos, qui sunt ad Occidentem Ierusalem, ut patet I. Machab. 5. 6. et 55. et c. 10. 76. ita Paulus a Palatio.

Fluvii ductiles.

Symbol. fontes significant victorias Machabaeorum.

Vers. 8. Aqueductus Roman. et Iudaeorum, orbis miracula

Parabol.  
doctri-  
nam et  
gratiam  
Aposto-  
lorum.

Parabolice vero et potissime, intellige aquas doctrinæ et gratiæ Evangelicæ; has enim Christus et Apostoli ex Ierusalem, quasi ex matrice eructarunt, et derivarunt per totum Orientem et Occidentem (unde Arias per mare Orientale et Occidentale, accipit Oceanum Orientalem et Occidentalem, quo Hispani et Lusitani navigant in Indiam, tam Orientalem, quam Occidentalem, ibique fidem et Ecclesiam Christi proseminant) sub quibus reliquis duas mundi plagas, scilicet Austrum et Aquilonem, subintelligit: idque fecerunt tam æstate quam hieme, id est, iugiter omnique tempore, tam commodo quam incommodo, tam adverso quam prospero, q. d. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem*, Isaia 2. 3. ex ea enim spargetur lex et gratia Christi per totum orbem. Alludit ad id quod dixit e. 13. 1. *In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem*, q. d. Ex Ierusalem quasi ex fonte promanabunt aquæ vitales sapientiæ, et gratiæ ad omnes gentes: ita S. Cyrill. S. Hieron. Remig. Hugo, Ribera hic, et Euseb. l. 6. Demonst. c. 18. et S. Aug. lib. contra Fulgent. Donat. c. 6. Accedit Theod. qui putat hic alludi ad aquam et sanguinem quæ fluxerunt e latere Christi, in cruce lancea transfixi, quæ fuerunt symbola redemptionis nostræ et Sanctorum, quibus salvantur omnes gentes. *Aqua, inquit, nos purgat et a peccatis expiat: sanguis nutrit, rigat et germinare facit*, scilicet fructus honorum operum.

Anagog.  
fontes  
sunt do-  
tes Beatorum ex  
visione  
Dei man-  
antes.

Anagog. significantur hic dotes et gaudia Beatorum in Ierusalem cælesti, quæ ex visione Dei quasi ex fonte promanant, de quibus Apocel. 22. 1. *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni*, etc. Vide ibi dicta. Cuius rei symbolo e paradiso terrestri emanabant quatuor fluvii, Genes. 2. 10. ita Lyran.

IN ÆSTATE ET IN HIEME ERUNT. ) q. d. Perennes erunt hi fontes Ierusalem, iugiter scaturientes aquas. Symbolice, Machabæi tam hieme quam æstate, id est, quovis tempore etiam importunissimo, pugnantes et vincentes consolationem, quietem et lætitiã dabant Israeli, instar fontium perennem: ita Palaeius. Parabolice, in Ecclesia fontes doctrinæ et gratiæ, quæ sunt Sacramenta iugiter manant volentibus eos haurire.

Tropol. nullis laboribus, nulloque tempore, sive adverso sive prospero, viri saueti exarescent, ut gratiam Dei amittant; aut si doctores et pastores sint, ut eam in alios non derivent et effundant: ita Stunica. Septuag. vertunt, *in æstate et in vere crit sie*, quod S. Hieron. mystice exponit, q. d. Hæ aquæ fluent in paschate et pentecoste: tunc enim solet celebrari sollemnis baptismus, cui proinde fontis sacri impletio et benedictio præmittitur: *Ut elebrebrum*, inquit, *pascha et pentecosten, in quibus de terrenis transcamus ad cælestia, et fructus nostros offeramus Deo. In phase enim hiemis finis, veris exordium est: in pentecoste æstatis principium, quando labores manuum nostrarum et fructuum offerimus Deo. De hac æstate et vere iustus perpetuo loquitur ad Deum: Tu fabricatus es aurorum et solum, et æstatem et ver tu plasmasti.*

Vers. 9.

ET ERIT DOMINUS REX SUPER OMNEM TERRAM. ) Ad litteram tenuit hoc competit Machabæis, quorum prælia et victoriæ divinæ in omni terra, scilicet Iudæa, imo toto orbe divulgatæ et celebratæ sunt; ac consequenter pleræque gentes Deum earum datorem et auctorem, quasi Dominum totius terræ timuerunt et celebrarunt. Verum plane et plene id convenit Christo, quem ut Deum mundi dominum, per prædicationem Apostolorum agnoverunt, invocarunt et coluerunt omnes gentes: ita S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Ribera et alii.

IN DIE ILLA ERIT DOMINUS UNUS, ET ERIT NOMEN EIUS UNUM. ) q. d. Iam in orbe multi habentur et nominantur dii, ut Iupiter, Apollo, Saturnus, Mars, etc. sed tempore Christi unus ab omnibus gentibus coletur, et nominabitur Deus, puta Christus, qui solus verus est Deus, idemque eum Patre et Spiritu saucto. Tunc ergo ubique nomen solius Christi invocabitur, non idolorum: ita Vatabl. et alii iam citati. Nota metonymiam: *nomen enim si-*

gnificat rem, puta personam nominatam. Sic Poetæ viros celebres et nominatos, vocant *nomina*. Unde Ovidius eleg. 4. lib. 3. Trist. *Vive tibi, et longe nomina magna fuge: nomina*, id est, potentes et principes, qualis erat Augustus, qui Ovidium relegavit in Sarmatiam, quæ nunc est Polonia, ubi locus exilii eius ostenditur.

ET REVERTETUR OMNIS TERRA USQUE AD DESERTUM. ) Vers. 10. Hebr. *sicut desertum*, id est, æque ac desertum. Unde Septuag. vertunt, *circuiens* (Dominus, qui præcessit) *omnem terram et desertum*, id est, *usque ad desertum*, inclusive, uti vertit Noster. Ad litteram significatur, quod Iudæi, qui in persecutione Antiochi dispersi fugerant usque ad deserta, montes et cavernas, post pugnas et victorias Machabæorum revertentur ad suas sedes et domos; revertentur, inquam, ex colle, scilicet Gabaa, ut habent Hebræa (quæ fuit urbs Beniamin, in qua natus est Saul primus rex Israelis) qui erat limes Aquilonaris regni Iudæ, usque ad Remmon, qui erat alter Iudæ limes ex parte Australi, q. d. Iudæi dispersi in extremos limites regni, revertentur in suas sedes, ac præsertim in Ierusalem, in eaque quiete et læte degent: quo significat totam Iudæam fore pacatam, quietam et felicem: ita Palaeius et Mariana. Hoc verum in Machabæis et Synagoga, verius in Apostolis, per quos omnes gentes confluerunt ad Ecclesiam.

Secundo, quia Hebr. *אָרָבָה araba*, non tantum desertum, sed et planitiem significat, hinc alii sic explicant, q. d. *Revertetur*, id est redigetur omnis terra vieiua Hierosolymæ in desertum, id est, in solum planum, sive in planitiem et aream, ut eo usque dilatari, eique inædificari possit urbs Ierusalem, eiusque suburbia, villæ et vineæ. Unde ex Hebræo vertunt Chald. et Pagnin. *circumdabitur omnis terra velut planities*; et Tigurina, *circumdabitur universa terra ut aequore plano*; et Vatabl. *vertetur universa terra tanquam planities*; alii ad verbum, et *circuietur universa terra ut planities*. Hebr. enim *יִסּוּב is-sob* idem est quod *circuietur*, vel *circumdabitur*, q. d. Universa terra circa Ierusalem, quæ montosa est, vertetur in planitiem, complanabitur et fiet æqualis, ut a quovis facile circuiiri et circumambulari possit. Solent enim montes vieini urbes abscondere, auram liberam impedire, et dare latebras hostium insidiis. Promittit ergo Deus se montes hosce complanaturum, ne urbi prospectum, tam activum, quam passivum adimant, et ut aere libero ventisque perflari possit, nec hostium subiaceat insidiis, ac dumos et muros suos eo propagare possit: urbes enim in planitie sitiæ amœnæ sunt, ac eminus conspiciunt et conspiciuntur. Hæc ut sonant, tenuiter facta sunt ab Assamoneis: unde per hæc potius symbolice significatur Ierusalem spiritualis, id est, Ecclesiæ Christi amœnitas, æquabilitas, incrementum et propagatio, quodque Deus omnia in ea ardua complanabit, et facilia efficiet per gratiam Christi, adeo ut etiam pueri et puellæ ea superent, non tantum constanter, sed et hilariter, iuxta illud: *Omnia valis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et videbit omnis caro salutare Dei*, Luca 3. 5. Unde rursum significatur Apostolos ituros ad Gentium deserta, ibique barbaros ad Christum conversuros, uti modo sit in Indiis. Addunt aliqui, per fidem Christi factum esse, ut regiones olim desertæ colerentur et habitarentur, uti reipsa factum esse in Germania, Hungaria, Polonia, Dania, Svecia, etc. demonstrat Thomas Bozius in signis Ecclesiæ tom. 2. lib. 20. signo 88. Hoc est quod exultans canit Isaia cap. 35. 1. *Lætabitur deserta et in via, et exultabit solitudo, et florebunt quasi liliæ. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri*. Unde S. Hieron. mystice sic explicat: *Tunc revertetur omnis terra in qua habitaverit Iudæi, usque ad desertum, id est, usque ad populum Gentium, qui prius desertus erat, et legis notitiam non habebat, a Gabaa usque ad Remmon, hoc est, a colle usque ad excelsum: quia de terra, et de deserto ad colles, et de collibus ad montana consurgimus. Unde et sponsus Cant. 2. transiit colles, qui*

*minores sunt, et salit super montes excelsos, de quibus scriptum est: Montes excelsi cervis.* Verum Mariana ad litteram planius et facilius hanc versionem sic explicat, *Circumdabitur omnis terra sicut planities*, q. d. Illis aquis vivis, quas v. 8. dixi egressuras e Ierusalem, irrigabitur et circumdabitur omnis terra, scilicet vicina Hierosolymæ. Hoc factum esse tempore Machabæorum, patet ex fonte Gihon, Rogel, Cedron et aliis paulo ante nominatis, quibus irrigatur et quasi utrinque ambitur Ierusalem, tam ad Orientem, quam ad Occidentem, ut patet insipienti typum et delineationem Hierosolymæ, quam ad vivum exhibet Adrichom. et alii. Quocirca frustra contendunt Iudæi hæc nunquam esse impleta; sed implenda a suo Messia. Cœperunt enim impleri sub Machabæis corporaliter, uti docent Palacius, Mariana et alii; sed spiritaliter, multoque excellentius et divinius impleta sunt per prædicationem Christi et Apostolorum.

**DE COLLE REMMON.** ) Hebr. מִגְּבֵהָ *miggheba*, quod Septuag. Chald. Rabbin. et alii recentiores, accipiunt ut nomen proprium, vertuntque, *de Gabaa usque ad Remmon*. Et sic Noster accipi potest, *de colle*, scilicet Gabaa, usque ad Remmon. Remmon enim est accusativi casus: patet ex articulo *lamed* qui ei præfigitur; *lamed* enim Hebræis servit accusativo. Verum quia subinde *lamed* servit quoque genitivo, hinc Secundo, verti potest, *de colle Remmon*, id est, Remmonis. Si per accusativum exponas, sensus erit quem paulo ante dedi, nimirum quod revertentur Iudæi dispersi undequaque: scilicet ex colle Gabaa, qui est ad Aquilonem Ierusalem, usque ad Remmon, qui est ad Austrum eiusdem. Ubi Nota duplicem fuisse Remmon, unam in tribu Simeonis, de qua Iosue 19. 7. hæc erat Australis Hierosolymæ; unde de ea hic agitur: alteram in tribu Iudæ, hæc erat Aquilonaris, quam Ioseph. lib. 5. Antiq. c. 6. vocat Roob, e ratque petra prærupta, et in ea urbs, distans a Ierusalem 15. miliaribus, non longe a Gabaa inter Septemtrionem et Orientem, in qua continuerunt se sexcenti viri in exterminio tribus Benjamin, ex quibus tota tribus reparata est, Iudic. cap. 20. et 21. ita S. Hieron. Adrichom. et alii. Iam si *Remmon* hoc secundum accipias, idque in genitivo, sensus erit similis iam dicto: iuxta aliam vero versionem paulo ante allatam sensus erit, q. d. Complamabitur regio vicina Ierusalem a colle Remmon, qui est ad Septemtrionem, *ad Austrum*, intellige *et*, q. d. *et ad regionem quæ est ad Austrum*: ita Sanchez, vel usque ad Austrum, id est, usque ad locum Remmoni ex parte Australi oppositum, ita ut spatium intermedium sit æqua, iucunda et amena planities, patensque campus, per quam protendantur Hierosolymæ partim plateæ, partim suburbia, partim villæ, vineæ et horti. Aut, q. d. Incolæ terræ sanctæ a Remmon usque ad Australem locum ei oppositum, venient in Ierusalem, ut eam ædificent. Aut aquis vivis e Ierusalem egredientibus irrigabitur planities, interiecta inter Remmon et Australem locum ei oppositum.

Mystice.

Mystice, fideles in Ecclesia dicunt eum sponsa Cant. 4. 6. *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris*, puta pœnitentiæ et orationis; indeque pergunt ad Remmon, id est, malogranatum (unde et Andreas Masius in Iosue c. 19. 13. censet locum horum dictum esse Remmon, a malorum granatorum copia et fertilitate) puta ad plenam charitatem, tam Dei, quam proximi. Sicut enim malogranatum plurima grana complectitur, iisque quasi coalescit; ita charitas omnes proximos visceribus suis complectitur, sibi que astringit et unit, atque ex omnibus omnium et singulorum amoribus quasi coalescit.

**ET EXALTABITUR.** ) Ierusalem, tam domibus et muris, quam fama et gloria: Machabæi enim ædificaverunt montem Sion, scilicet cingentes eum altis muris et turribus per circuitum: ita Palacius.

**ET HABITABIT IN LOCO SUO.** ) Id est, loco pristino reædificabitur, ait S. Hieron. Verum Romana et Hebræa legunt *habitavit*, id est, habitabit, *in loco suo*, id est, quiete, secure, læte habitabit domi suæ, nullos metuens hostes. Septuag. Hebr. רָמָה *rama*, id est, *exaltabitur*, ac-

Accipiunt ut nomen proprium. Unde vertunt, *Rama autem in loco permanebit*.

**A PORTA BENIAMIN.** ) Erat hæc in Bezetha, sive Cænopoli, id est, nova urbe. Significat ergo veterem urbem augendam per novam, puta adiciendam ei Bezetham, sive Cænopolim. Ubi Nota, Ierusalem ita adactam fuisse, ut veteri civitati duæ aliæ partes, quasi novæ civitates sint adiectæ, ita ut esset quasi trina, vel triplex civitas, quarum quæque suos habebat muros et portas. Hinc et vocabantur, prima, secunda, tertia civitas. Prima erat vetus, in qua erat porta prior. Secunda erat veteri proxima, in qua habitabat Holda Prophetissa, 4. Reg. 22. 14. Tertia erat extrema, et vocabatur Bezetha, sive Cænopolis, in qua erat porta Benjamin. Vide typum Hierosolymæ apud Adrichom.

**A TURRE HANANEEL,** quæ erat ultima civitatis veteris, indeque cœpit augeri civitas, adiecta Cænopoli, usque ad TORCULARIA REGIS. ) Quæ erant in adversa parte remotissima, puta in monte Sion, in quibus vinum regum exprimebatur. Omnia hæc significant Ierusalem valde augendam, et ornandam ad quatuor portas sub Machabæis, inquit Mariana et Palacius; per quod symbolice significatur amplificatio, complanatio, et exornatio Ecclesie Christi ad quatuor plagas mundi, ac multitudo credentium et Christianorum. Simile symbolum dilatationis Ecclesie, sub typo extensionis Ierusalem, habet Ierem. c. 31. in fine, et Isaias c. 51. 2. ut ibi dixi.

**ANATHEMA NON ERIT AMPLIUS.** ) Hebr. חֵרֶם *cherem*, vers. 11. id est, excisio, id est, res abominanda et excidendam, puta idolum quod Antiochus collocavit in templo, quod a Daniele cap. 11. v. 31. vocatur abominatio desolationis, q. d. Amplius idola non polluent templum, nec colentur: ita Theodor. et Palacius. Hoc factum sub Machabæis. Secundo, proprie, anathema Hebr. dicitur *cherem*, id est, excisio, successio, occisio, ut vertit Chald. de quo dixi Rom. 9. 3. et Levit. c. 27. 28. q. d. Amplius non excindetur, nec vastabitur Ierusalem, scilicet usque ad longum et immemorabile tempus: nam postea a Tito plane excisa est. Parabolice, Ecclesia Christi non excindetur, sicut excisa est Synagoga, sed durabit in æternum, donec a statu militante transferatur in triumphantem. Unde S. Hieronym. *Nullus, inquit, erit metus hostilis impetus, nulla formido. Nam sedebit Ierusalem securo, in fide et spe tutelæ et protectionis divinæ; pari modo securus in ea sedebit fidelis et sanetus quisque, iuxta illud psal. 90. 1. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.*

Vis exemplum illustre, imo in uno multa, eaque eximia accipe. Magnus ille S. Sabas, qui tempore Anastasii et Iustianiani Imp. acriter Concil. Chalcedonense propugnavit, et meritis cumulatus anno ætatis 92. Christi 531. gloriosus migravit in cælum, cum furiose in eum irrueret Satanas specie leonis, stetit securus, quia Deo nixus, aitque: *Si accepisti contra me potestatem, cur reprimis impetum? Ego sum paratus, Dei cedens nutibus, et non invitum me offerens, ut devorer: sin minus, cur fremis et exultas inaniter? Ambulabo enim, et conculebo te leonem munivisti Christi virtute.* Aufugit Satanas: omnes autem ferre ab illo tempore eidem magis fuerunt mansuetæ et obedientes: adeo ut ipse una eum eis versaretur, et nihil omnino lederetur. Agareus machinans S. Sabæ necem, eo orante: *Hi in curribus Domine, et in equis, nos autem in nomine tuo magnificabimur*, illico a terra, quasi alter Dathan, absorptus est. Exinde Dei gratia ita vicum sanetum imbuat, ut nihili faceret barbarorum insidias: et non solum ab eis non vinceretur, sed ne tereretur quidem penitus. Multis ergo ei se in sanctam disciplinam dantibus, Laura eius facta est chorus Apostolorum, aut angelorum Ecclesia laudantium Dominum. Ipse toto ieiuniorum tempore erat ieiunus, et nihil cibi attingebat, nisi quod Sabbatis et Dominicis divina sumebat Sacramenta. Tentatus a dæmone psallebat: hinc cor eius tranquillitate et hilaritate implebatur, demon se ab eo victum exclamavit. Magna in Deum fiducia ab eo per miraculum aquam, pecuniam, et quidquid voluit, obtinuit. Ingressus speluncam

ingentis leonis, cum se post preces sopori dedisset, ad eum media nocte fera accessit, et cum eum veste apprehendisset foras trahebat. Ille excitatus et leonis conspectu minime conturbatus, nocturnos hymnos protinus est aggressus. Leo foras egressus expectabat quoad preces finiret: quibus finitis leo regressus, veste eum tentat extrahere; cui ille intrepidus: *O leo, inquit, hæc quidem spelunca ambobus, si velis, sufficit ad habitandum. Sin hoc tibi non videtur, tu mihi potius spelunca cede: ego enim Dei manu sum formatus, et eius sum honoratus imagine.* His auditis leo abiit, S. Sabæ cedens spelunca et cubili. Quin et latrones occurrentibus leonibus: *Per preces, inquit, Sabæ monachi via nobis cedite:* et statim leones tamquam gravi plaga, nomine Sabæ percussi, in fugam se coniecerunt: quo viso latrones conversi vitam mutarunt. Leo, cui erat pes paxillo translixus, accessit ad S. Sabam, pedem porrigens et opem poscens. Exemit paxillum vir sanctus, quare gratus leo ei deinceps quasi famulum adhasit, et in omnibus quoad potuit inservivit, custodiens asinum, qui monasterio aquam et necessaria comportabat. Qui feras non formidabat, reges non timuit. Anastasium hæreticum Imp. libere redarguit. Iustinus Imperator eius faciem lumine eoruscum intuitus, quasi angelum Dei excepit, ab eoque benedictionem petiit. Iustinianus Imp. eum reveritus, mira eius rogatu effecit. Statuerat ei ad colloquium horam tertiam: illa ut souit, Sabas relicto Imperatore, ad solitam psalmodiam se recepit. Urgente discipulo ut Imperatori occurreret: *Imperator, inquit, facit quod ei convenit: et nos facinus id quod debemus.* Hæc Cyrillus in Vita S. Sabæ.

VERS. 12. **TABESCEAT** (Hebr. **המק** *hamck*, id est liquescet, sicut cera coram igne liquescit et dissolvitur. Ita Pagnin. et Vatabl. *tabesceat* (inquam) **CARO UNUSCUIUSQUE STANTIS SUPER PEDES SCOS.**) Id est, viventis et videntis, q. d. Tabescent hostes Hierosolymæ, non febrim, non morbo, sed plaga divina, ita ut sanus stans, vivens et videntis marcescat et contabescat. Id contigit Antiocho, quem Deus tormentem et furentem subito, *percussit insanabili et invisibili plaga: ut enim finivit hunc ipsum sermonem* (de vastanda omnino Ierusalem) *apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta,* etc. 2. Machab. 9. 5. Simili modo Antiochi duces et milites validi cum Iuda et Machabæis decertantes, percussi a Deo et percussi cadebant animis, et viribus, quasi tabescentes. Ita de Lysia dicitur 1. Machab. 4. 27. *Quibus ille auditis consternatus animo, deficiebat.* Et Iudas Deum orat v. 32. dicens: *Da illis formidinem, et tabefac audaciam virtutis eorum, et commoveantur contritione sua.* Similiter 1. 2. cap. 10. 30. narratur: *angeli stipantes Iudam, cum incolumem conservabant, in adversarios autem telum et fulmina iaciebant: ex quo et excitare confusi, et repleti perturbatione cadebant.* Et c. 12. 22. loquens de prælio Iudæ cum Timotheo: *Cumque cohors, inquit, Iudæ primo apparuisset, timor hostibus incussus est ex presentia Dei, qui universa conspexit, et in fugam versi sunt aliis ab alio, ita ut magis a suis deiicerentur, et gladiorum suorum ictibus debilitarentur.*

Tyranni  
et hære-  
siarum  
causis  
percussi

Parabolice, hoc verius fuit in persecutoribus Ecclesiæ. Legamus, ait S. Hier. *Ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid sævissimus omnium Maximinus, et nuper Iulianus passi sunt; et tunc rebus probabimus, etiam iuxta litteram prophetiæ veritatem esse completam, quod computruerint carnes eorum et oculi contabuerint, et lingua in pædorem et sanie dissoluta sit.*

Sic Nestorii blasphema lingua, quam exeruerat contra Ecclesiam et B. Virginem, docens eam non esse Deiparam, sed Christiparam, a vermibus erosa extabuit. Sic Arrius cælesti plaga percussus, dum perguit ad invadendam Ecclesiam Christianorum Constantinopoli, correptus ingenti dolore viscerum, secedens in latrinas intestina emisit, animamque infelicem efflavit, uti refert S. Ambrosius. 1. 1. de Fide c. 9. et Soerat. 1. 1. Histor. c. 25. Sic Calvinus instar Herodis fetore et vermibus consumptus, toti

Arbi vindictæ divinæ exemplum et portentum fuit, uti refert Bolsecus in eius Vita. Hoc est quod ait Isaias c. 49. 26. *Cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto sanguine suo inebriabuntur.* Vide ibi dicta.

Anagog. ita dissolvit et tabescere faciet Deus Antichristum, Gog, Magog, omnesque impios in fine mundi per plagas horrendas, quas eis immittet, *arescentibus hominibus præ timore, et expectatione* (eorum) *quæ supervenient universo orbi,* ut ait Christus Lucæ 21. 26. Hæc enim plaga et terrores proprie et directe immittentur in impios, indirecte tamen et comitanter afficient etiam pios, sed in ipsorum bonum. Nam hoc erit eis vel purgatorum penitentiae, vel martyrium patientiae ad illustrandam eorum virtutem, et augendam coronam. Ita Lyran.

Tropol. Tabescit caro, oculi et lingua in nobis, quando per gratiam Christi mortificamus concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, quæ maxime se ostendit in iactantia linguæ. Hi enim sunt tres hostes, et tentatores nostri in mundo, ut docet S. Ioann. Epist. 1. c. 2. 16. Ita Stunica.

**ERIT TUMULTUS DOMINI,** puta a Domino excitatus, ideoque **MAGNUS IN EIS.** Scilicet hostibus Machabæorum, æque ac fidelium et Christianorum. Pro *tumultus* hebr. est **מְהוּמָה** *mehuma*, quod Chald. vertit, *erit conturbatio stragis coram Domino*, q. d. Conturbabuntur hostes ob stragem acceptam a Domino; Sept. *erit stupor Domini magnus super eos*, q. d. Deus percellat eos et in stuporem adiget, facietque stupidos, ut se movere et consilire nequeant. Pagnin. et Vatabl. *erit contritio Domini magna in eis*, q. d. Deus valide et vehementer conteret eos. Alii, *erit strepitus, vel fragor Domini magnus in eis*, puta tonitru, uti olim accidit Philisthæis invadentibus Iudæos, iuxta illud quod Anna de filio suo Samuele prophetavit, dicens, *Domini formidabunt adversarii eius, et super ipsos in caelis tonabit,* 1. Reg. 2. 10. *Cum enim Samuel offerret holocaustum, Philisthæim inire prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthæim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel,* 1. Reg. 7. 10. Idem fecit militibus Antiochi pugnans pro Iuda: nam fulmina in eos iaculatus est, ut dicitur 2. Machab. 10. 30. tonitrua enim comitari, imo causare solent fulmina.

**ET CONSERETUR MANUS.** Hebr. *et ascendet manus eius super manum proximi sui*, quod Remig. et Hugo sic explicant, q. d. Infideles videntes stupenda prodigia Apostolorum, conserent manus, eoque signo fœdus inibunt, ut pariter se dedant Christo et Apostolis. Secundo, Vatabl. vertit, *ascendet*, scilicet in auras, id est evanescent, *manus eius in manu proximi*, q. d. Si quis rogarit opem a socio suo ut oppugnet Ierusalem, frustra id faciet: quia nec vires humanæ, nec consilia humana quidquam valebunt adversus vires et consilia Dei. Tertio, Chald. vertit, *et evellatur manus eius cum manu proximi sui*; et Pagnin. *succidetur manus eius super manum amici sui*, q. d. Implorabunt opem sociorum, sed cum iis succidentur. Quarto, et verisimiliter, Theod. et Lyran. exponunt, q. d. **Tantum** erit hostium tumultus, ut se invicem versi manus conserant, mutisque se concidant vulneribus. Quinto et simplicissime, q. d. Tanta erit tumultuantium trepidatio, tantus pavor, ut metu exanimis manus apprehendant, easque conserant et conglobent, ut hæc unione conglobati pavori quoquo modo resistere valeant. Sic enim videmus oves, boves, porcos, omniaque animalia in pavore, v. g. veniente lupo, natura instigante conglobare et condensare se, quasi a sese mutuo opem petant, ut uno eoque communi agmine conferti communi hosti resistant, seseque tueantur. Ea est vis pavoris, ea ex adverso societatis, iuxta illud Eccl. 4. 9. *Melius est ergo duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ,* etc. *Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur.*

**SED ET IUDAS.** q. d. Multi Iudæi partim metu, partim ex improbitate, spe opum et honorum iungent se Antiocho, et pugnabunt contra Ierusalem et Machabæos, uti



dixi cap. 12. 2. Simili modo tempore Christi Iudæi oppugnabunt Ierusalem, id est, Ecclesiam nascentem in Ierusalem. Mystice, Iudæi, id est, confluentes et fideles pugnant contra Ierusalem, qui fidem Christianam quam professi sunt, abdicant et einraunt, fiuntque heretici, apostatae, Saraceni, Pagani: hi enim solent esse infensissimi fidei semel agnitæ et Ecclesiae hostes: ita Remig. et Lyran. Id videmus in renegatis, qui sunt robur Turcæ contra Christianos.

**ET CONGREGABUNTUR DIVITIAE.**) Sic ad litteram spoliis Nicanoris, aliorumque Antiochi ducum et copiarum, ditavit se suosque Iudas Machabeus, 2. Machab. 8. 27. Ita Theod. Palaeus et Mariana: sub quorum typo intelligit spolia, quæ ex Gentibus in Ecclesiam intulerunt Apostoli. Nam ut ait Isaias c. 60. 16. Gentes conversæ ad Christum omnes suas opes in Ecclesiam contulerunt. Unde gratulatur Ecclesiae dicens: *Suges fac Gentium, et manilla regum lactaberis, etc. Pro ure afferam aurum, et pro ferro afferam argentum:* sub quibus rursus typice intelligit sapientiam, philosophiam, eloquentiam, mathesim, aliasque scientias et artes, tum liberales, tum mechanicas, quibus Gentiles conversi ornarunt Ecclesiam. Minus congrue Lyran. hæc accipit de spoliis gentium, quæ Antichristus inferet in Ierusalem, ubi suum thronum figet: ipse enim erit hostis et tyrannus Ierusalem, non rex et tutor.

Mystice, Remig. Albert. Vatabl. et Arias, per aurum accipiunt charitatem, per argentum sapientiam divinam, per vestes, cæteras gratias et virtutes Christianas, quas a Deo acceperunt Gentes conversæ ad Christum. Verum eas non intulerunt in Ecclesiam, sed in Ecclesia illas acceperunt, iis tamen eam exornarunt.

**ET SIC ERIT RUINA EQUI, ET MULI, etc. SICUT RUINA HÆC.**) q. d. Sicut dixi v. 12. cædendos et ruituros homines, gentesque quæ cum Antiocho pugnant contra Ierusalem, et typice contra Ecclesiam; ita dico pariter cædendos et ruituros eorum equos, mulos, camelos, etc. quibus contra Ierusalem pugnabunt, iis vel dimicando, vel sarcinas convehendo.

Symbolice, hæc omnia per catachresim significant, opes et bellica instrumenta hostium Ecclesiae, scilicet nobilitatem, astutiam, ingenium, sapientiam, potentiam, eloquentiam, etc. cessura victrici eorum Ecclesiae.

Mystice cum S. Hieron. et Remig. per equos accipe luxuriosos, vel arrogantes; per mulos, dolosos, aut potius cerebrosos et phantasticos; per camelos, divitiis et vitium onustos; per asinos, accidos, stolidos et stultos. Horum enim luxuria, arrogantia, dolus, avaritia, aecidia, etc. corruerunt, cum in baptismo vel pœnitentia induerunt castitatem, humilitatem, candorem, charitatem, et fervorem Christi.

**ET OMNES QUI RELIQUI FUERINT.**) Scilicet e strage prælii. Ad litteram alludit ad Gentes, quæ post tot et tam illustres Machabæorum victorias, partim iudaismum susceperunt, partim eis fœderatæ quotannis confluebant Ierusalem ad eorum festa, ibique Deum eorum adorabant: ita Theodor. Palaeus et Mariana. Sic enim Idumæos armis Hyrcani, qui filius fuit Simonis fratris Iudæ Machabæi, subactos, suscepisse circumcisionem et iudaismum, docet Ioseph. lib. 13. Antiq. cap. 17. Verum quia paucae gentes id fecerunt, hinc typice et potius sub iis intelligit omnes quæ conversæ sunt ad Christum, q. d. Cæteris in infidelitate sua pereuntibus, reliqui Gentium conversi ad fidem Christi, singulis annis venient in Ecclesiam, ibique celebrabunt festa Christiana, non Iudaica. Ita Stunica, Sanchez et alii: ac mystice semper celebrabunt festum tabernaculorum; quia vivent peregrini in hoc mundo, tendentes ingiter ad patriam caelestem, in qua mentem defigent, ut ibi perpetuum festum tabernaculorum in gloria agant. Nominat præ cæteris festum tabernaculorum, tum quia illud diutius cæteris, puta per septem dies, celebrabatur: tum quia alludit ad tabernacula Hebræorum in deserto, in quibus caelesti columna ignis per noctem, et nubis per diem obumbratis, protegebantur a tenebris no-

eternis, æque ac ab æstu diurno. Simili enim modo fideles in Ecclesia obumbratione Spiritus sanctus proteguntur ab omni tentatione et ærumna: tum denique ut meminuerint Christiani, se hic non habere civitatem et domum permanentem, sed habitare in tabernaculis quasi milites et peregrinos, ac tendere ad domum æternam in caelis. Vide dicta Levit. 33. 42. Ita S. Hier. Remig. Hugo, Lyr. Vatabl. Robera et alii passim. Mystice Euseb. l. 8. Demonstr. c. 4. per tabernacula intelligit particulares Ecclesias, in quibus quasi in tabernaculis securi ab omni procella et incursu hostili, degunt fideles tendentes in caelum.

Obiiciunt Iudæi festum tabernaculorum proprie esse accipiendum, ac proinde hæc exspectanda esse a Messia veni-

Festum tabernaculorum mysticum, cur?

**B** cause sunt variae. Prima, quia loquebatur Iudæis, qui non nisi festa Iudaica norant. Secunda, ut ostenderet festa Iudaica esse typos et figuras festorum Christianorum, hæcque illis responsura, sicut corpus respondet umbræ. Magnam enim fidem Ecclesiae facit consensio et consonantia novi testamenti eum veteri, quodque omnia eius Sacramenta et dona adumbrata fuerint per vetera et Iudaica. Tertia, quia Christiani longe magis et verius agunt festum tabernaculorum, non semel in anno, ut Iudæi, sed continuum et perenne. Hoc est quod eos monet S. Petrus epist. 1. c. 2. 11. dicens: *Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis,* Et S. Paulus sæpe docet, nos instar Abraham esse peregrinos terræ, sed cives caeli et sanctorum, ac domesticos Dei. *Fides,* inquit Hebr. 11. 1. et 9. *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, Abraham fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Iacob, cohæredibus repromissionis eiusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus.* Vide ibi dicta. Quarta, quia Propheta propheticè loquuntur, id est parabolice, symbolice, ænigmatice, tum ob rerum futurarum absentiam, quas per umbras et figuras videbant; tum ob eorum obscuritatem; tum ad prophetiæ elegantiam. Sic totum hoc caput, æque ac totus pene Zacharias et Ezechiel multis in locis, ac S. Ioannes in Apocalypsi symbolice sunt et parabolici. Simili modo Ægyptii sua mysteria representabant per hieroglyphica: Iudæi autem erant vicini Ægyptiis, et primitus degentes in Ægypto illa ipsa viderant: unde et subinde ea imitati sunt, quibus proinde Propheta simili modo prophetant, ne Ægyptiis inferiores esse videantur, præsertim eum Ægyptii sua symbola et litteras, suamque sapientiam ab Hebræis, puta ab Abraham, Iacobo, Iosepho, Mose, etc. hæserint, uti docent Euseb. lib. 10. Præpar. 2. Clemens Alexandr. l. 1. Strom. et S. August. 18. Civit. e. 39. Quinta, quia res spirituales et bona spiritualia, quæ in novo testamento attulit Christus, commode hominibus, et præsertim rudibus Iudæis explicari non poterant, nisi per symbola corporalia quibus assueverant.

**T**ropol. et anagog. S. Hier. *Quandiu, inquit, in profectu sumus, et in cursu atque certamine, habitamus in tabernaculis: hoc omni mente nitentes, ut de tabernaculis ad firmam et stabilem sedem transeamus, id est, domus Dei.* Unde et S. David dicit in Psalmo. *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et: Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei. Hoc loquitur qui in Ægypto est, et adhuc in secuto constitutus. Qui autem egreditur de Ægypto (quæ hebr. dicitur מצרים mitsraim, et interpretatur tribulatio) et ingreditur vitiorum solitudinem, carpit iter suum, et dicit in Psalmo: Pertransibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, etc. Unde et ille loquitur: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concepiscit et defecit anima mea in atria Domini. Et post paululum: Beati qui habitant in domo*

Mystice, peregrini qui?

*tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Vox enim exultationis et salutis in tabernaculis iustorum, etc. Unum petivi a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam delectationem Domini, et visitem templum eius. Qui in istiusmodi habitat tabernaculis, et de tabernaculis ad atria, et de atris ad domum, et de domo ad templum Domini ire festinat, debet celebrare solemnia tabernaculorum in ligno sapientiæ pulcherrimo, Levit. 23. 40.*

Vers. 17. **ET ERIT, QUI NON ASCENDERIT DE FAMILIIS TERRÆ.)** Scilicet Indææ: de ea enim hic agitur, illaque sola obligabatur lege veteri, et consequenter ad celebrandum festum tabernaculorum: ita Vatabl. q. d. Iudæi qui non ascenderint in Ierusalem ad festum tabernaculorum, privabuntur imbre, tum corporali (Deus enim Iudæos ob impietatem tempore Ahab et Eliæ, ac deinceps sæpe punivit siccitate et sterilitate) tum potius spiritali verbi doctrinæ et gratiæ Dei; multo magis hoc imbre privabuntur Iudæi et gentes quæcumque non ascenderint in Ierusalem mysticam, id est, Ecclesiam, ibique non celebrarint festum tabernaculorum mysticum, quod iam explicavi: ita S. Hieron. Remig. Lyran. et alii.

Recte notat Sanchez, per imbrem significari maxima beneficia. Unde Theodor. sic explicat: *Non erit super eos imber, id est, nullam misericordiam assequentur.* Tota enim fertilitas et felicitas Iudææ pendebat ab imbre matutino et serotino, puta sementis et messis: unde eum toties promittunt Prophetæ, eiusque subtractionem impiis comminantur. Alludit ergo Zacharias ad illud Mosis Deut. 11. 10. *Terra enim ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi iacto semine in hortorum morem, aquæ deucuntur irriguæ. Sed montosa est et campestris, de cælo exspectans pluviam. Quam Dominus Deus tuus semper invisit; et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem eius. Si ergo obedieris, etc. dabit pluviam terræ vestræ temporancam et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum.*

Vers. 18. **QUOD ET SI FAMILIA ÆGYPTI NON ASCENDERIT.)** Meminit Ægypti potius quam aliarum regionum et gentium: Primo, quia directe respicit ad Iudæos, qui sub Ionatha fratre Iudæ Machabæi, ex consensu Ptolemæi Philometoris regis Ægypti, ibidem templum simile Hierosolymitano ædificaverunt Heliopoli, in eoque pontificem constituerunt Oniam filium Oniæ pontificis, a quo urbs et regio, æque ac templum Onia est appellatum. In eodem loco puer Iesus, fugiens Herodem exulavit: unde etiamnum ibidem ostenditur fons Iesu, irrigans hortum balsami, ex cuius irrigatione balsamum oriri censet Bredembachius, uti refert Adrichom. in Heliopoli: stetit hoc templum usque ad imperium Vespasiani per annos 350. Erectum fuit contra legem Dei, quæ iubet ut solum in loco a Deo electo, puta in Hierosolymitano templo imoletur, Deut. 16. 2. Peccaverunt ergo Iudæi in Ægypto erigentes quasi altare contra altare, et facientes schisma a Ierusalem et templo ibidem iussu Dei ædificato, de quo Ioseph. 1. 13. Antiq. 6. Sensus ergo est, q. d. Si Iudæi qui in Ægypto degunt suam Oniam adire velint, nec ascendere in Ierusalem, privabuntur pariter imbre iam dicto. Secundo, quia Ægyptii vicinior erant Iudæis, iisque infensi: unde per synecdochen representant quosvis Gentiles et hostes Iudæorum, q. d. Si Gentiles alienissimi a Ierusalem, quales in primis fuerunt Ægyptii, nolint in eam mysticæ ascendere, puta si noliant adire Ecclesiam, fierique Christiani, non erit super eos imber gratiæ cælestis: ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyr. et Vatabl. Tertio, quia Ægyptus caret imbre et pluvia cælesti: pro ea enim habet terrestrem, puta Nilum, cuius exundatione irrigatur et sæcundatur, magis vel minus secundum maiorem vel minorem eius eluvium. Unde Plinius lib. 5. c. 9. *Ægyptus, ait, in duodecim cubitis (quibus Nilus exundans super agros ascendit et eminet) famem sentit, in tredecim etiamnum esurit, quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sexdecim delicias.* Quocirca cum hic Ægyptiis comminatur, dicitque: *Non erit super eos imber, per imbrem intellige*

A irrigationem Nili: hæc enim Ægypto est loco imbris: alioquin eis nulla est pœna carentia imbris, si adsit Nili exundatio. Unde Chald. vertit, *non crescet eius Nilus*: ita Mariana. Sensus est, q. d. Gentiles, qui sibi videntur abundare imbre sapientiæ, uti Ægyptus abundat aqua Nili, eo destituentur, nisi adeant Ecclesiam in eaque illam cælestis hauriant. Punientur ariditate et sterilitate, non tam corporali, quam spiritali gratiæ et doctrinæ salutiferæ. Quarto, quia Ægyptus hebr. vocatur מצרים *mitsraim*, quæ vox significat angustias, aut duas angustias, sive angustum et arcum quid inter duo prementia: unde apte representat angustias infidelium præsentis et æternas, quæ eos manent nisi Ecclesiam adeant, eiusque imbre divino irrigentur. Quocirca subdit: *Sed erit ruina, qua percutiet Deus omnes gentes*, etc. Ruina hæc partim temporalis est, v. g. qua Constantinus, Theodosius, Carolus, aliique principes Christiani percusserunt et prostraverunt infideles in præliis; partim æterna, qua eos Deus percussit in gehenna.

B **HOC ERIT PECCATUM ÆGYPTI.)** Peccatum, id est, peccati pœna et plaga, puta ruina iam dicta. Unde Chald. hæc erit ultio Ægyptiorum, et punitio populorum; est metonymia. Secundo, proprie, q. d. Hoc erit antonomastice peccatum, scilicet peccatum peccatorum omnium maximum, si nimirum nolint Gentes exire e suo gentilismo et ingredi Ierusalem, id est, Ecclesiam Christi, in eaque celebrare festum spirituale tabernaculorum, fide, spe et charitate tendendo ad patriam cælestem: ita S. Hier. Theodor. Remig. et Hugo.

C **IN DIE ILLA ERIT QUOD SUPER FRÆNUM EQUI EST, SANCTUM DOMINO.)** Hebr. est מצלת *metsillot*, quod Sept. Syrus, Arabicus Antiochenus, et Noster vertunt, *frænum*. Causam dat Marinus in Lexico: Crederem, ait, *metsillot* esse partem illam fræni ferream, quæ prominet ex ore equi (quæ vulgo dicitur *morso del cavallo*) sic dictam a collisione et tinnitu, pnta a nomine צלצל *tsilzel*, quod per onomatopœciam significat cymbalum (vel quid simile) tinniens. Hinc Secundo, R. David et Pagnin. vertunt *littinabulum*, quod muliones ex capite vel collo mulorum et equorum onerariorum, præsertim principum, suspendunt, tum ad ornatum, tum ut ex eius sonitu sciatur ubi sint, ne, si a via aberrant, perdantur. Unde Pagnin. vertit, *in illa die erit super tintinnabula equorum sanctitas Domino*, q. d. Tintinnabulis equorum insculpentur hæc duæ voces, *sanctitas Domino*, ut significetur ea esse consecrata Deo. Tertio, Chald. et S. Hier. in Comment. vertunt *phaleras*, quæ tegunt, ornant et obumbrant equum; radix enim צלצל *tsalal* significat tegere, obumbrare: unde צלצל *tsel* est umbra. Quocirca Chald. vertit, *in tempore illo erunt onus phalera equi sanctificata Domino*; et Tigurin. *in die illo consecrabitur Domino quod est in equorum phaleris*. Quarto, Clarius vertit, *collaria*; alii *stragula et quævis equorum ornamenta*; denique Arabicus Alexand. vertit, *putridam, vel tabem equi*.

D Sensus est, q. d. Machabæi victores, æque ac principes Christiani, in templo consecrabitur Deo hostium manubias, præsertim phaleras et ornamenta, quæ equis eorum detraxerunt: sicut David gladium, quem detraxit Goliath quoque eum occidit, consecravit Deo in templo, 1. Reg. 13. Rursum, q. d. Post Ecclesiæ victoriam et dominatum alta erit ubique pax, adeo ut aurum, argentum et gemmæ quibus ornari solent fræna principum, et nobilium stragula ac phalera pretiosæ, convertantur in Dei cultum, Deoque dedicentur, vel quasi trophæa in gratiarum actionem, ut vult Theodor. vel ad testandum pietatis et devotionis affectum: ita S. Hieron. Cyrill. Vatabl. Arias, Ribera et alii. Huc accedit expositio Stunica, qui censet aludi hic ad laminam quæ erat in tiara pontificis appensa fronti, cui inscriptum erat, *Sanctitas Domino*, q. d. Hic est pontifex sanctificatus, et consecratus Domino. Indicat ergo Zacharias, Machabæos militesque victores suis præliis præliaturos sanctitatem Domini, quasi titulum et causam, æque ac symbolum belli, in quo omnem victoriæ spem collocent, q. d. Nos pugnabimus pro lege sancta

Onion  
Heliopoli.

Fons Iesu.

Ægyptus pro imbre habet Nili exundationem.

Victores spolia dicant Deo.

Dei; unde eius symbolum in vexillis et armis præferimus, ideoque victores nos fore confidimus. Ita fecisse Iudam Machabæum notissimum est ex libris Machabæorum.

Hoc faciunt iam principes Christiani contra hæreticos et infideles in Gallia, Germania, Bohemia, Walachia, India, etc. decertantes, et ideoque de iis triumphant, et victoriis pene miraculosis potiuntur. Idem per umbram viderunt et fecerunt Gentiles. Alexandro enim digna vox est apud Dionem orat. 2. de regno: *Exuriis*, ait, *et hostium armis templa excolenda sunt: quum et Hector hostium spoliu ad sagittiferi Apollinis vitem se appensurum volebat.* Plures eorum gnomas et exempla citavi Num. 31. 50. ubi Israélite manubias Madianitarum Deo, quasi victoriae datori consecrarunt; et Gen. 14. 20. ubi Abraham parta victoria de quatuor regibus, spoliolum decimas Melchisede, quasi Dei vicario et pontifici obtulit.

Porro meminit frænorum potius, quam aliarum rerum, quia erit de hostibus Ierusalem et Ecclesie, quos devictos asserit suos frænones et phaleras, id est, sua decora, delicias et opes vel sponte, vel coacte, puta per victores, oblaturos Ecclesie. Milites enim, puta equites, omnes suas opes olim ponebant, et etiamnum ponunt in adornaudis armis et equis. Unde Juvenal. satyra 11.

*Argenti quod erat, solis fulgebant in armis.*

Et mox:

*Magnorum artificum frangebat pocula miles, Ut phaleris gauderet equus.*

Hinc fræna faciebant aurea. Talia erant Pallantis Æneid. 8.

*Frænæque binu meus quæ nunc habet aurea Pallas.*

Talia quoque erant equorum quos Latinus misit ad Æneam, Æneid. 7.

*Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.*

Quin et angeli stipantes Iudam Machabæum apparuerunt in equis, aureis frænis decori, lib. 2. Machab. e. 10. 29. Hinc illud S. Bernardi taxantis luxum non militum, sed Prælatorum: *Dicite Pontifices, in frænis quid facit aurum?* Hæc et plura noster Sanchez. Sic Elisæus vocatus ab Elia ad vitam propheticam, id est, sanctam et Religiosam, artis suæ instrumenta, scilicet aratrum et boves, in sacrificium Deo obtulit, 1. Reg. 19. 21.

Hinc Secundo, multi putant hic denotari Constantinum Magnum, qui clavum quo crucifixus est Christus, fræno equi sui imposuit, ut ostenderet suam in Christum pietatem, utque profiteretur se Christi crucifixi ope et virtute obtinuisse, et sperare deinceps obtenturum victorias contra infideles eius hostes. Tempore enim Constantini Ecclesia triumphavit de hostibus, eamque gloriam obtinuit quam hic describit Zacharias, q. d. Super frænum equi Constantini erit sanctum Domino, id est, clavus, sanctificatus Domino ex contactu sanctissimi corporis Christi. Quidni enim sanctus sit clavus, qui passionis Christi et redemptionis nostræ præcipuum fuit instrumentum? Ridet hoc S. Hieron. at non S. Cyrill. *Non incredibile, ait, hoc dixerit quis, neque alienum a decore est, meminisse Deum et prophetica prædictione honorasse Imperatorem valde pium, etc. Equos enim regum clavo crucis Christi ornari quid aliud declarat, quam summam Imperatorum pietatem?* Magis asseveranter S. Ambr. orat. de obitu Theodosii Imper. *Quæsit, ait, S. Helena, clavos quibus crucifixus est Dominus, et invenit. De uno clavo frænones fieri præcepit, de altero diadema intexuit; unum ad decorum, alterum ad devotionem vertit. Misit itaque filio Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis divinæ gemma connecteret: misit et frænnum, utroque usus est Constantinus, et fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque erudentium Imperatorum sanctum est quod super frænnum: ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet. Et paulo post: Recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi præsidium: in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: habena quoque de cruce, ut potestas regat, silique iusta moderatio, non iniusta præceptio. Ac post multa eiusdem argumenti: Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut fræna dirigeret, nisi ut omnibus Im-*

peratoribus sancto Spiritu dicere videretur: *Nolite fieri sicut equus et mulus; sed in fræno et clamo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent reges, ut regerent sibi subditos?* Additque illum hoc fræno refrænasse insolentiam tyrannorum, Licinii, Maximi, etc. Idem habet Theodor. lib. 1. Hist. e. 18. *Helena*, ait, *clavorum partem in Imperatoris galeam artificiose includendum curavit, quo capiti filii consuleret, et hostium telu depellerentur: partem fræno equi illius admiscuit, quo tum Imperatorem tutum ac securum redderet, tum veterem prophetiam explere posset. Nam olim prædixerat Zacharias Propheta: Quod est in fræno equi, erit sanctum Domino omnipotenti. Eadem habet Sozomenus l. 2. histor. e. 1. Niceph. l. 8. e. 29. et alii.*

Clavorum Christi distrubuto.

Porro Gregor. Turon. de Gloria Martyrum e. 6. constanter affirmans clavos quibus Christus crucifixus est, fuisse quatuor, scilicet singulis in singulis pedibus, æque ac manibus, ita eos distributos a S. Helena enarrat: *Speciosi autem, omnique metallo nobiliores Dominicæ crucis clavi, qui beata membra tenuerunt, ab Helena regina post ipsius S. Crucis inventionem reperti sunt: et de duobus quidem frænnum Imperatoris movit, quo facilis, si adversæ gentes restitissent principi, hæc virtute fugerentur, de quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse Prophetam, etc.* Subdit tertium a S. Helena in mare Adriaticum tempestuosum, et naufragiis infame fuisse proiectum, quo facto, mare deinceps navigantibus fuisse placidum et tranquillum: quartum vero in galea statuæ Constantini fuisse positum. Idem habet Zonaras lib. 3. Annalium, licet S. Ambros. et Baron. anno Christi 326. asserant eum positum, non in galea statuæ, sed in corona ipsa, quam in capite gestare solebat Constantinum. Subdit Gregor. miraculum clavi in fræno, quod suo ævo, puta

Miraculum.

tempore Iustini Imperatoris, contigit: *Magnam*, ait, *ferunt virtutem esse huius fræni, quod ambigi nequaquam potest: quod Iustinus Imper. publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illius enim a quodam mago propter pecuniam, emissas sibi a dæmonis umbra intolerabiles per duarum curricula noctium sustinuit insidias; sed cum tertia nocte frænnum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus ultra non habuit, repertumque auctorem insidiarum gladio percussit.*

Denique per frænnum significatur ipse Constantinus Imper. qui se suumque imperium cum fræno submisit et sanctificavit, id est, consecravit, Christo. Unde Arabicus Antioch. vertit, *in die illa erit* (sedens, puta Constantinus) *supra frænnum equi sanctificatus Domino; et Arabicus Alexandr. in illa die qui apprehendet putridum equi* (hostilis a se cæsi) *erit sanctum Domino omnipotenti.*

Tropol. S. Hieron. per frænnum accipit continentiam et mortificationem, qua refrænamus pruritus concupiscentiæ, præsertim oris et linguæ, per sermonem Dei, de quo Psal. 31. dicitur: *In clamo et fræno maxillas eorum constringe.* Et S. Iacobus e. 3. *In equorum ora frænones mittimus, et omne eorum corpus circumagimus, ut scilicet recto gradientur itinere, et molliu ad sedendum domino possint terga præbere. Tale frænnum, et talis sermo auri et argenti varietate compositus, feras equos Salvatori præparat ad sedendum, et sanctos facit, ac proprie illius cultui, consecratos.* Hæc S. Hieron.

Moral. frænnum est continentia lingue dicanda Deo.

Nota. Pro מצלות metsillot, Aquila et Symmach. legunt מצלות metsullot. Unde vertunt מצלות, id est, profundum; Symmach. περὶ σκοτεινὸν σκοτεινόν, id est, incessum umbrosum, sive tenebrosus, per quæ S. Hieron. intelligit areanam et mysticam scientiam, quam et David, ait, *quasi equus optimus se habere tactabat, dicens: Incerta et occultu sapientiæ tuæ manifestasti mihi, Psal. 50. et Apostolus: O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius! Rom. 11. 33. De hoc profundo Propheta clamavit ad Dominum, et exaudivit eum, Psal. 17. 12. Pas tenebras et sacramentu divina ingressus est Moses in Sina montis caligine, ut videret Deum; de quibus et David Ps. 33. 7. Iudicia Domini abyssus multa. Hæc arcana, et ista*

Constant. clavo Christi frænones ornavit.

*mysteria sancta sunt Domino, quæ noverat Evangelista Joannes. qui ausus est dicere, quod angeli forsitan nesciebant: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et ideo amatur a Domino: quia optimum habebat profundum, et reueberat super pectus Iesu; unde et hauserat sapientiam.*

**ET ERUNT LEBETES IN DOMO DOMINI QUASI PHIALÆ.)**

Phiala-  
rum tri-  
plex u-  
sus

Lebetes erant ollæ, in quibus coquebantur carnes victimarum Deo immolarum. Phialarum in templo triplex erat usus. Primo, in eis adolebatur thymiama. Secundo, in iis libabatur, id est, bibebatur, vel effundebatur vinum quasi libamen Deo, iuxta illud Amos 6. 6. *Qui bibunt in phialis vinum.* Tertio, in phialis excipiebatur sanguis victimarum, qui deinde effundebatur ad cornua altaris, ut designaretur sanguinem in quo consistit vita animalis, ac consequenter ipsam eius vitam, dari et immolari Deo, ut dixi in Levitico. Quocirca magna erat copia phialarum, longeque maior quam lebetum, vel ollarum. Dicit ergo propheta, tantum fore Gentium concursum in Ierusalem, ad sacrificandum in festo Tabernaculorum, ut lebetum, in quibus coquendæ sunt victimæ, tanta sit copia, quanta phialarum alio tempore esse solet. Nam illo festo sicut crescet numerus sacrificiorum et lebetum, ita crescet et proportionaliter phialarum. Unus enim lebes tres vel quatuor phialas requirit: quocirca tunc erant plures phialæ, quam lebetes, sed tot erunt lebetes, quot alias solent esse phialæ, q. d. Multa erunt instrumenta sacrificiorum et cultus divini, quia multa erit populi frequentia, æque ac pietas et religio. Hoc ad litteram impletum est sub Machabæis, qui suis præliis Ierusalem et templo suum decus restituerunt et auxerunt.

Parabolice verius est in Ecclesia Christi; in qua tot sunt lebetes, id est, calices, patenæ, ciboria, hierothecæ, thuribula, aliaque vasa sacra, in quibus vel sacrificatur caro et sanguis Agni immaculati Christi Domini, vel aliquod ministerium huic sacrificio exhibetur, quot in veteri lege et templo erant phialæ: ita Lyran. Aut, q. d. Sicut multi erunt lebetes, id est, patenæ, ciboria et hierothecæ, in quibus consecrantur, vel reponuntur hostiæ consecratæ, puta caro Christi: ita pariter multæ erunt phialæ, id est, multi calices, in quibus consecratur, sacrificatur et bibitur sanguis Christi: nec enim caro consecrari potest nisi consecratur et sanguis: unde et omnis calix suam habet patenam, in qua reponatur corpus Christi.

Phiala  
sacratio-  
lebetes.

Nota. Phiala sanctior et sacratio in templo erat quam lebes. Primo, quia physice nitidior et purior, æque ac pretiosior; quia sæpe erat ex argento, vel auro; lebes vero ex argilla, vel ære, isque ob ignem, carnes et fumum ater, fuliginosus, olens et sordidus. Unde illud vulgo:

*Vae tibi tu nigra dicebat cacabus olla.*

Cacabus enim est lebes, æque ac olla. Secundo, quia phiala proprie et proxime serviebat sacrificio, nimirum exceptioni et effusioni sanguinis victimæ, puta libationi; item thymiamati, eiusque suffitui et incenso: lebes vero tantum serviebat coquendis et lixandis carnibus victimæ iam immolatæ, ideoque post peractum sacrificium, ut scilicet eius participes fierent laici offerentes, et ex carnibus victimæ quam obtulerant, comederent et epularentur eorum Domino. Hinc Tertio, phialæ omnes erant templi, ideoque sacratæ Deo: lebetes vero non. Nam etsi aliqui essent in templo lebetes pro coquendis carnibus, sacerdotum præsertim, tamen affluente magna turba sacrificantium, uti fiebat in festo paschæ, pentecostes et tabernaculorum, hi non sufficiebant: unde tunc laicus quisque sacrificans debebat procurare sibi lebetem, commodando, vel conducendo eum, in quo carnes suas coqueret, quem deinde commodanti vel locanti reddebat. Prædicat ergo hic Zacharias, tantam fore devotionem populi, ut, eum plurimi confluxuri sint ad sacrificandum in festo tabernaculorum, plurimi quoque ex Ierusalem et Iuda afferant suos lebetes, non tantum pro se, sed et pro aliis, qui gratis eos advenis commodabunt, ut a mercatoribus eos emere vel conducere non sit opus; ac peractis sacrificiis re-

linquent eos templo, Deoque dicabunt in perpetuum: quod fiet ut tantus sit lebetum sanctorum numerus, quantus est phialarum, utque pene tam sacri habeantur (utpote Deo tanta devotione consecrati, et tot carniū Deo immolarum contactu sanctificati) quam phialæ, itaque in phialarum dignitatem et sanctitatem quasi transire videantur. Hoc ad litteram impletum sub Machabæis, cum ipsi repurgarunt templum, eiusque dedicationem et enœnia celebrarunt cælitus recepto igne divino, qui sacrificia consumpsit, quo miraculo viso certatim omnes concurrerunt ad offerendas victimas, quas hic ignis Deo concremaret.

Hinc mystice, lebetes sunt sacerdotes: sicut enim in lebetibus igne subiecto coquebatur caro victimæ; ita a sacerdotibus ignea vi et virtute Spiritus sanctus consecratur et conficitur Eucharistia, quam deinde fidelibus distribuunt quasi panem cælestem et vivificum, q. d. Tantus in lege nova erit sacerdotum numerus, quantus in lege veteri fuit phialarum, aliorumque vasorum sacrorum: ita a Castro. Generalius Remig. et Vatabl. per lebetes accipiunt mentes Christianorum, in quibus igne eharitatis consumuntur carnis vitia, et coquuntur preces et vota ad Dominum: cædem sunt phialæ, in quibus thymiamata devotionis et laudis ad Deum iugiter exhalat et fragrat, q. d. Tanta erit fidelium copia, qui seipsos in corde quasi victimas mactabunt, et quasi thymiamata suavissimum Deo offerent, quanta fuit lebetum ad sacrificia, et phialarum ad odoramenta in veteri testamento. Paulo aliter S. Hier. ipse enim lebetes et ollas carniū assignat Iudæis, phialas vero aromatum Christianis. *Ament, ait, aeneos lebetes, qui amaverunt ollas Ægyptias, et carnes, et pepones, et allia, et cæpe, et cumeres. Nos Iudæicos lebetes in quibus coquebantur carnes victimarum, vertamus in phialas aromatum coram altari Domini, de quibus sponsa dicit ad sponsum Cant. 6. Fratruelis meus descendit in hortum meum ad phialas aromatum, pascere in hortis, et colligere lilia, etc. ut impleat phialas animarum credentium, et Domino ex eis liba defundat. Istiusmodi lebetes cum versi fuerint in phialas Domini, et dicere potuerint: Christus bonus odor sumus; et pro virulentia carniū varios experint flores gestare virtutum, tunc erunt in Ierusalem et in Iuda sanctificati Domino. Ierusalem enim visionem pacis, Iudas exprimit contentem.* Huc alludit Ecclesia cum canit de S. Magdalena:

*Fit ex lebe phiala,  
In vas translata gloriæ,  
Ex vase contumeliæ.*

q. d. Quæ prius erat atra lebes, plena carnibus, gula, vino et venere, facta est phiala aurea offerens thymiamata penitentiae et charitatis Christo. Unde suos capillos, aromata, cæteraque lenocinia, et lebetes, id est, gulæ et libidinis instrumenta, in Christi honorem impendit, eique quasi in phiala obtulit, uti unguenta pretiosa rupto alabastro in caput eiusdem effudit. Ita S. Hieron. Cyrill. et Haymo mystice hæc exponunt de mortificatione, qua lebetes, id est, quicquid in nobis est ollare et carneum, igne Spiritus sanctus ita excoquitur, ut totum exhalet transcatque in spiritum; quo fit ut talem odorem Deo et angelis aspiret caro mortificata, qualem habere solent phialæ aromate fragrantæ, ait Sanchez. Sane hic sensus apposite respondet sensui litterali, et differentiae inter lebetem et phialam, quam paulo ante assignavi. Huc quoque alludit Apostolus 2. Timot. 2. 20. et Rom. 9. 21. ubi docet in domo Dei esse vasa alia in honorem, alia in contumeliam; ac peccatorem, qui est vas contumeliæ, si peniteat, seque a peccatis expurget, fieri vas honoris et gloriæ. Sic enim Magdalena, quæ peccatrix erat lebes ignominiae, penitens facta est phiala gloriæ.

Lebes est  
mortifi-  
catio  
carnis.

**ET ERIT OMNIS LEBES, scilicet ad sacrificia necessaria, SANCTIFICATUS DOMINO.)** q. d. Abundabit templum vasis rebusque necessariis ad Dei cultum, ita ut nihil cuiquam ad sacrificandum, Deumque rite colendum desit. Aut, q. d. Omnis lebes qui est in domo Domini, uti dixit versiculo præcedenti, iugiter ibi manebit quasi sanctifica-

Vers. 21.

tus Domino, nec inde extrahetur ut applicetur usibus profanis. Calices enim et vasa sacra semel consecrata Deo, manent in aeternum sacra, nec fas est ea reducere ad usus profanos. Aut, ut Palacius, q. d. Tanta erit immolantium multitudo, ut ex omni Ierusalem et Iudaea certatim adducantur lebetes, in quibus carnes victimarum coquantur, ac deinceps lebetes illi, quasi iam victimis hisce sanctificati, in usum templi remaneant, eruntque Deo et templo consecrati. Hoc verum fuit in Machabæis, verius in Christianis; hi enim abundant calicibus, thuribulis, lebetibus, omnibusque vasis ad sacrificium Deique cultum opportunis. His enim divites sunt ecclesie, monasteria, templa, ad invidiam hereticorum.

Mystice, omnis lebes, id est, omnis sacerdos, adeoque omnis fidelis, manebit sacerdos et fidelis, id est, Dei cultui addictus, et Deo quasi consecratus, ut in suo gradu fideliter et pie Deo serviat, nec amplius ad infidelitatem, scelera, usque profanos redeat, id est, licite redire nequeat; et si talem se præstet qualem professus est, nunquam reipsa rediturus sit.

Ex hoc loco liquet, hæc potius spiritualiter, quam corporaliter esse accipienda. Nam corporaliter in rigore falsum est, quod omnis lebes in Ierusalem et Iuda fuerit sanctificatus Domino: alioqui enim Hierosolymite et Iudæi debuissent omnes suos lebetes deferre ad templum, et dicere Deo, nec ullos domi ad proprios usus retinere potuissent, quod liquet esse falsum. Spiritualiter autem verum est, quod omnis lebes, id est, omnis sacerdos et fidelis in Ordinatione et Baptismo sit consecratus Domino. Unde S. Petrus loquens fidelibus etiam laicis: *Vos, ait, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum, 1. Petri 2. 9.* Et S. Paulus: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, Roman. 12. 1.* Et: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum laborum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus, Hebr. 13. 15.*

**ET COQUENT IN EIS.** ) q. d. Iudæi sub Machabæis in suis lebetibus coquent carnes, quas Deo immolarint; Christiani vero, præsertim sacerdotes, in mentibus suis coquent pia et ardentia desideria, proposita et vota, quasi victimas Dei, tum contritionis et pœnitentiæ, tum laudum et hymnorum, tum charitatis; præsertim circa conversionem animarum, ut scilicet proximos doceant res salutis, a peccatis avocent, ad virtutes, vitamque sanctam et perfectam inducant: hæc enim sunt victimæ Deo uti honorificentissimæ, ita gratissimæ et iucundissimæ. Addit a Castro alium sensum, q. d. Christi fideles eligent ex viris Deo sacris, quos ubique reperient, quem voluerint, ut per eum offerant Deo sacrificium verum Christi, puta Eucharistiam, sine quæstu et sumptibus; quibus olim opus erat ad coemendas victimas, ollasque conducendas, ad coquendas carnes sacrificiorum. Unde sequitur:

**ET NON ERIT MERCATOR.** ) Hebr. et Septuag. *non erit*

**A** *Chananeus*, id est, mercator, ut vertit Aquila, Chald. et Noster. Olim enim Chananeus in mercatura erant celebres. Iam sensus est, q. d. In templo erit abundantia lebetum, phialarum et cæterorum vasorum, quæ necessaria sunt ad sacrificandum, ac proinde non erunt mercatores, qui ea peregrinis venientibus in Ierusalem ad sacrificandum vendant, aut eloquent. Aut, ut Palacius, q. d. Tanta erit charitas concurrentium ad templum, ut quisque alteri, præsertim advenæ et peregrino, lebetes et phialas sine pretio gratis exhibeat et commodet; tanta etiam venientium erit devotio et diligentia, ut quisque sibi necessaria ad sacrificium secum allerat, ac proinde mercatoribus, qui ea in festis vendere solent adventantibus, non erit opus: id factum est sub Machabæis.

Iam sub hoc typo parabolice significatur, apud Christianos volentes Deo sacrificare, non fore mercatores, qui vendant oves, boves, columbas, aliasque victimas, quas Deo immolent, aliaque ad sacrificium necessaria, uti erant apud Iudæos; eo quod sacrificium Christianorum futurum sit, non carnale boum et ovium, sed mysticum, puta Eucharistiæ; aut spirituale et mentale, puta orationis, contritionis, charitatis, etc. q. d. In Ecclesia Christi facile et sine pretio licebit Deum colere, eique sacrificare. Huius rei symbolo Christus e templo cecit ementes et vendentes, Matth. 21. 12. Hinc Stonica sic exponit: Non erit Chananeus, id est, Gabaonita, qui more suo (Gabaonitas enim Iosue e. 9. 27. damnavit ad ligna et aquam comportandum pro sacrificiis templi) necessaria ad sacrificium suppeditet. Verum Gabaonitæ non erant mercatores, sed servi Hebræorum. Rursum non erit in Ecclesia

**B** mercator, scilicet rerum spiritualium, id est simoniacus, qui scilicet Eucharistiam, resque sacras pretio vendat aut emat, quia Christus præcepit Apostolis eorumque posteris: *Gratis accepistis, gratis date, Matth. 10. 8.* ita Lyran. et Vatabl. Porro non erit simoniacus, id est, licite esse non poterit, nec ut sit permittetur; quia a Prælatibus Ecclesiæ punietur, et beneficio quod simoniace obtinuit, si res constet, privabitur.

**C** Aliter Theod. Albert. et Clarius; hi enim per *Chananeum* intelligunt sceleratum et improbum. Tales enim olim erant Chananeus, ideoque a Deo per Hebræos e terra sancta expulsi sunt, q. d. Christiani non erunt scelerati; sed pii et sancti, intellige quantum est ex vi christianismi et gratiæ Christi: omnes enim qui huic gratiæ obsequuntur et cooperantur, sancti sunt: si quis vero id nolit, non mirum si sceleratus evadat, sed sua culpa et malitia. Insuper si sceleratus sit, Ecclesia eum corrigere sataget: si monitus secundo et tertio, se corrigere nolit, Ecclesia eum excommunicabit, et e cœtu fidelium expellet, iuxta præceptum Christi, Matth. 18. 15. *Dominus omnipotens, ait Theodor. hanc vocem veram esse hoc tempore præstet, ut nemo in nobis Chananeus videatur, sed omnes secundum traditionem Evangelicam, vivamus, et beatam spem expectemus, adventumque magni Dei conservatoris nostri Iesu Christi, cui cum Patre gloria et eum Spiritu sancto nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*



## MALACHIAM PROPHE TAM

## ARGUMENTUM.

**Q**UÆRITUR Primo, quis fuerit Malachias? Respondet Primo, Origenes apud S. Hieron. et Cyrillum, eum fuisse angelum qui corpus assumpsit, illudque sibi hypostatice univit, ut esset typus Christi, et ut hæc Dei oracula Iudæis enuntiaret. Id probat ex eo, quod Malachias hebr. idem sit quod angelus Domini. Et ita vertunt c. 1. v. 1. Septuag. et ex iis Clemens Alexandr. l. 1. Stromat. et S. August. libr. 20. Civit. c. 25. Et S. Chrysost. orat. 2. contra Iudæos, et homil. 14. in epist. ad Hebr. *Lege, ait, quid dicat Aggæus, quid Zacharias, quid angelus* (puta Malachias), *quid Esdras incuset.* Simili argumento motus Origenes, censuit Aggæum et Ioannem Baptistam fuisse angelos incorporatos, eo quod in Scripturis vocentur angeli, ut patet Aggæi 1. 13. et Matth. 11. 10. Cum Origene sensisse videtur Tertull. l. de Carne Christi c. 3. et 6. ubi probat non fuisse Verbo Dei impossibile carnem assumere ex eo, quod id angelis fuerit possibile: quod nisi de assumptione hypostatice intelligas, eius ratio inutilis esset et nullius momenti. Porro Origenes hanc sententiam tradit tum alibi, tum diserte tomo 2. in Ioannem, explicans illa Malachiæ verba: *Ecce ego mitto angelum meum.* Verum hic est error. Nam de fide est Ioannem Baptistam fuisse hominem, generatum ex Zacharia et Elisabeth, ut patet Lucæ 1. 15. et Ioan. 1. 6. Et certum est omnes Prophetas fuisse homines. Unde Eccles. c. 49. 42. *Et duodecim Prophetarum ossa,* inquit, *pullulent de loco suo.* Si habuerunt ossa, caque rursum pullulabant et resurgunt; ergo fuerunt veri homines: hi enim constant carne et ossibus: ita S. Hieronym. Cyrill. Theodoretus, et alii passim. Ad argumentum respondeo, Prophetas vocari angelos, id est, nuncios et legatos Dei. Sic quilibet sacerdos a Malachia vocatur angelus, eum ait c. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.* Secundo, vocantur angeli ob angelicos mores, formam et vitam. Simili modo multi hodie filiis suis indunt nomen *angelus*, ob devotionem quam habent erga angelos, utque eorum puritatem imitentur. Ita S. Epiphani. l. de Vita et moribus Proph. in Malachia et Aggæo, qui et addit ex sententia Hebræorum, Malachiam vocari angelum, eo quod quæcumque prædicaret, eadem ab angelo de cælis veniente docerentur et confirmarentur. Sed huius rei fides sit penes Hebræos: certe videtur olere fabulam et figmentum Rabbiniæ.

Origenes censuit Malachiam, Aggæum et Ioannem Baptistam fuisse angelos.

An Malachias sit Esdras.

Secundo, veteres Hebræi, æque ac moderni tradunt Malachiam fuisse Esdræ sacerdotem et scribam. Hanc traditionem referunt et sequuntur S. Hieronym. Remig. Rupert. Ribera et alii. Rationes et coniecturæ huius sententiæ sunt variæ. Prima, quia Malachias idem argumentum tractat quod Esdras, scilicet taxat neglectum legis

cultusque Dei, ac nominatim matrimonia cum alienigenis, quæ Esdras culpat c. 9. Secunda, quia Esdras eodem tempore vixit quo Malachias, ac meminit cap. 5. 4. Aggæi et Zachariæ, non tamen Malachiæ: ergo signum est ipsummet fuisse Malachiam, qui ita dictus sit, cum a Deo quasi angelus, id est, nuncius et propheta, ad populum missus est, ut eos induceret ad pœnitentiam, qua imminentes clades elligerent. Tertia, quia Esdras vir mire sanctus, zelosus et egregius prædicator, omnino videtur fuisse Propheta, nec alius esse potuit, quam Malachias. Quarta, quia Ecclesiasticus c. 49. cum laudat Zorobabel, Iesum, Nehemiam, præterit Esdræ, qui illis virtute et gestis non cedit: ergo verisimile est ipsum eum laudasse inter 12. Minores Prophetas, sub nomine Malachiæ. Ex adverso Iosephus in libris Antiquit. et Euseb. in Chronico, meminerunt Esdræ, sed non Malachiæ, quasi unus idemque fuerit: Eusebius tamen lib. 10. Præpar. cap. 3. meminit Malachiæ, eumque Aggæo et Zachariæ associat.

**B** Verum alii passim Malachiam ab Esdra distinguunt. Resp. neg. Resp. neg. gative.

Primo, quia Esdras ubique vocatur Esdras, nusquam Malachias; sicut Malachias ubique vocatur Malachias, nusquam Esdras: nec Malachias ullam dat significationem Esdræ. Secundo, quia Esdras ubique Scriba vocatur, Malachias vero ubique propheta. Tertio, quia Malachias ultimus fuit omnium Prophetarum, in eoque desiit prophetia apud Hebræos, uti ipsimet fatentur. Hic omnium Prophetarum fuit iunior, uti scribit S. Epiphanius, Dorotheus et Isidorus in eius vita: Esdras autem fuit senior Aggæo et Zacharia, qui post reditum e captivitate Babylonica, æque ac Malachias, prophetarunt. Esdras enim natus est ante captivitatem, vel certe anno 1. captivatis, ut patet ex eo, quod illo anno Saraïas pater eius occisus sit a Nabuchodonosore, mox a capta Ierusalem, in Reblatha, Esdræ 7. vers. 1. iuncto cum 4. Regum 25. 18. et 21. Iam captivitas duravit 70. annis: quare si eius initium ponas in excidio Ierusalem, sequitur Esdræm in eius fine 70. ut minimum fuisse annorum: sin autem eius initium ponas annis 11. citius, in strage Ioachim et captivitate Ioachin, sequitur Esdræm in eius fine fuisse 59. annorum: quibus adde annos 3. Cyri, 8. Cambysis, 36. Darii Hystaspis, 20. Xerxis, 7. Artaxerxis (anno enim 7. Artaxerxis, missus est ab eo Esdras in Ierusalem, Esdræ 7. 1. et 6.) habebis annos 133. vitæ Esdræ; post quos adhuc superstes fuit, et gessit ea quæ a c. 7. Esdræ ad finem libri enarrantur. Quare necesse est eum fuisse valde senem et grandævum: ergo Esdras non fuit Malachias, qui iuvenis obiit, uti tradunt Epiphani. Isidor. et Dorotheus in eius vita. Quarto, Esdras vitam pene egit in Babylone; unde fuit pincerna Artaxerxis; Malachias autem

vixit in Iudæa, ibique natus est post reditum populi e Babylone, uti docent Epiphanius, Dorotheus et Isidorus. Quinto, quia Esdras a Malachia distinguunt S. Chrysostomus, initio citatus, Theodor. præfat. in Cantica, S. Aug. 18. Civit. cap. 36. Athanasius, in Synopsi, Lyran. Vatabl. Clarius, a Castro, Arias et alii. Quin et Hebræi apud Genebrardum, in Chronolog. sub principium sextæ ætatis, tradunt Hebræos celebrasse Concilium ad conscribendum canonem librorum canonicorum, in eoque præsedisse Danielem, Aggæum, Zachariam et Malachiam, scribam vero fuisse Esdras. Hinc patet responso ad argumenta.

Ad primum enim respondetur, Prophetas plerosque idem pene argumentum tractare quod alii, scilicet minas excidii Ierusalem per Chaldæos.

Ad secundum, Esdras non meminit Malachiæ, quia eo fuit prior: post eum enim ultimo loco prophetavit Malachias. Adde, Esdras tantum meminisse Prophetarum qui populum incitarunt ad restaurandum templum: tales autem fuerunt Aggæus et Zacharias; non vero Malachias, utpote qui post restauratum templum prophetavit.

Ad tertium iam dixi, Esdras fuisse historicum et scribam, Malachiam vero fuisse Prophetam, idque discrete docet S. Augustinus. l. 18. de Civit. c. 36. Deus enim dona sua, præsertim prophetiæ, distribuit prout vult; unde et sanctioribus subinde eam negat, minus sanctis vero, imo impiis, eam communicat, uti asserit Christus Matth. 7. vers. 22.

Ad quartum, Ecclesiasticus non meminit omnium virorum illustrium, sed aliquorum dumtaxat: hinc sicut Esdras, ita et Danielem omittit. Idem dico de Iosepho, et Eusebii Chronico. Adde, forte Iosephum, et Eusebium secutos esse Hebræorum traditionem, quod unus idemque fuerit Esdras et Malachias, uti eandem secutus est S. Hieron.

Prophetavit Malachias sub Dario Hystaspis, ac deinceps, sub quo et Aggæus et Zacharias prophetarunt; sed post eos: ita S. Hieron. qui et secutus Hebræos, hunc dat canonem chronologicum Prophetarum. Tradit enim, dicitque in quibus (Prophetis) tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi qui ante eos habent titulos prophetarunt. Rursum prophetavit non ante, uti videtur velle S. Hieron. sed post consummationem fabricæ templi, uti apparebit, si quis caput 2. cum c. 9. et 10. Esdræ conferat. Taxat enim c. 1. et 2. sacerdotes, eisque minatur maledictionem, quod templo et altari incurrit et impie deserviant, reprobat solemnitates, quas Iudæi in templo peragebant indevote, avare et indecore; ac præsertim quod eas celebrarent polluti tum aliis peccatis, tum coniugiis infidelium, quod peccatum pariter culpatur et corrigitur Esdras c. 9. et 10. Unde ad eum alludens Malachias c. 2. 7. *Labia, ait, sacerdotis (Esdræ) custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius.* Esdras enim diu post consummatum templum (hoc enim factum est anno 6. Darii Hystaspis) putat anno 7. Artaxerxis e Babylone venit in Ierusalem, ibique populum in lege Dei instruxit, ac matrimonia eum alienigenis redarguit et dissolvit: ita Cyrillus, Theodorus et alii. Quare paulo ante annum 7. Artaxerxis, hæc de uxoribus alienigenis repudiandis videtur monuisse, et iussu Dei præcepisse Malachias. Nam anno hoc 7. supervenit Esdras, qui Malachiam adiuvans, reipsa Iudæis earum repudium persuasit, ut ulteriore Malachiæ monitione iam non esset opus.

Quæritur Secundo, quodnam sit argumentum Malachiæ? Respondeo Primo, arguit Iudæos ingratiitudinis, et sacerdotes negligentiæ et impietatis in Deum; quod cum angeli Domini esse debeant, tam doctrina quam vita, neutrum tamen præsentent. Secundo, prædicat abolendum sacerdotium et sacrificium Aaronicum in Ierusalem, eique successurum sacrificium purum sanctumque Eucharistiæ, celebrandum in toto mundo. Tertio, reprehendit Iudæos qui suas uxores repudiabant, et ducebant alienigenas. Quarto, prædicat adventum Christi, eiusque præcursores

A Ioannem Baptistam. Quinto, maledicit Iudæorum frugibus, ob negatas Deo decimas et primitias. Sexto, prænunciat diem iudicii, eiusque prænuntium et prodromum Eliam, qui convertet corda patrum ad filios. Quocirca Malachiæ prophetia sententiis brevis est, sed fecunda mysteriis, præsertim futuris in novo testamento, que clarius cæteris, utpote ultimus, et vicinior Christo et Apostolis, enunciat, eisque prophetiæ quasi lampada tradit, dum ipsorum quasi index et lucifer, in eos desinit et conquiescit. Unde S. Hieron. ad Paulinum: *Malachias, inquit, aperte et in fine omnium Prophetarum: de abiectio- ne Israel et vocatione Gentium: Non est mihi, ait voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam in manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Vitam vero Malachiæ paucis hisce verbis complexus est S. Epiphanius. libr. de Vita Prophet. *Malachias, inquit, e*

B *tribu Zabulon, post reditum populi e Babylone natus perhibetur in Sophu. Is ab ineunte ætate, dumque iuvenis es- sel vitam inculpatam egisse fertur. Super adventu Domini deque vita sanctorum in iudæio nonnulla ab eo vaticinata sunt, quodque ritus cum legibus Mosi commutabuntur, et emendabuntur. Cæterum cum populus eum universus, ut virum non minore sanctimonia, quam mansuetudine prædixim coleret, indiderunt illi nomen Malachiæ, id est, angelus: erat quippe forma oppido quam præstanti. Quæcumque præterea dixit in prophetia Malachias, visus est angelus eum in dies instituere, et declarare, etc. Ante diem vero adhuc iuvenis fato est functus, iuxtaque maiores suos in proprio agello repositus. Eadem quasi ad verbum habet Dorotheus. Addit Isidorus eum angelum vocari, eo quod oraculis eius ita crederet populus, ac si a Deo per angelum edita fuissent. Addit a Castro, Deum eius ore carpere et instruere Iudæicos sacerdotes, ac promittere aureos in novo testamento: hi ergo cum sint angeli, angelorum Prophetam et doctorem, puta Malachiam, postulabant.*

C Iure itaque Malachias, id est, angelus, nuncupatus est, cuius vultus, animus, actus, sermo erat angelicus: qua de causa crebro cum angelis, et de angelis loquitur, ut c. 2. 7. sacerdotem vocat angelum Domini, et c. 3. 1. tam Christum, quam Ioannem Baptistam angelos nuncupat. *Ecce, inquit, ego mitto angelum meum (Ioannem Baptistam) et præparabit viam ante faciem tuam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos queritis, et angelus testamenti (novi, puta Christus Dominus, qui est magni consilii angelus) quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus eius? et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflagans, et quasi herba fulgonum: et sedebit conflagans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Unde eundem soli comparans c. 4. 2. *Et orietur, ait, vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, et savitas in pennis eius; et egrediemini, et salietis sicuti vituli de armento.* An non hæc exultantis, celestis et angelici spiritus voces et iubili sunt? Merito ergo Malachias angelorum choro, et Sanctorum catalogo ascriptus legitur in Romano Martyrologio die 14. Ianuarii.*

Quocirca ad eum alludens S. Bernardus. serm. de S. Malachia Archiepiscopo Hiberniæ, utpote illi uti appellatione et cognomine, ita et moribus consimili: *Dilectus, ait, Deo et hominibus Malachias, hodie in consortium angelorum recipitur, re adeptus quod nomine dicebatur. Et quidem ante angelus erat non minus puritate, quam nomine; sed nunc felicius gloriosi in eo interpretatio nominis impletur, quando pari eum angelis gloria et felicitate letatur.* Et mox: *Extremum quod angelus noster ascendit ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungens, corda nobis concilians Beatorum, vota illis intimans miserorum.*

Vocatus angelus, cur?

S. Malachias Hibern. Archiep.

Malachias ut-  
timus  
propheta-  
vit sub  
Dario Hystaspis.

Malachiæ  
argu-  
mentum.

## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Arguit Deus Iudæos ingratitude, quia Jacob, inquit, dilexi quasi filium, Esau autem odio habui. Ubi est ergo amor meus et timor meus? Secundo, v. 7. arguit sacerdotes, quod offerant panem pollutum, et hostias cæcas et mancas. Hinc Tertio, v. 11. iis amotis novos se surrogaturum promittit, qui in omni loco offerant pie et sancte purissimum et augustissimum mincha, id est, sacrificium Eucharistiæ.*

1. **O** NUS verbi Domini ad Israel in manu Malachiae. 2. Dilexi vos, dicit Dominus, et dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, et dilexi Jacob: 3. Esau autem odio habui, et posui montes eius in solitudinem, et hæreditatem eius in dracones deserti. 4. Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, et ego destruam, et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum. 5. Et oculi vestri videbunt: et vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel. 6. Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum: ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: In quo despeximus nomen tuum? 7. Offeritis super altare meum panem pollutum, et dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est. 8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum, et languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. 9. Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. 10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. 11. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. 12. Et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: et quod superponitur, contemptibile est, cum igne qui illud devorat. 13. Et dixistis: Ecce de labore, et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum, et intulistis de rapinis claudum, et languidum, et intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit Dominus. 14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino: quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus.

Vers. 1. **O** NUS VERBI DOMINI AD ISRAEL.) *Onus*, id est tristis et onerosa prophetia, uti iam sæpius dixi; cuius horrorem temperat dicens, *ad Israel*, q. d. Deus in ore meo posuit hoc onus, ut eo quasi deportem illud ad Israel, eique illud promam et exponam. Israel enim ut filium suum amat Deus, ideoque eum hoc onere corripit et castigat. Aptius ergo magisque proprie Hebr. *אָנֹכְךָ*, Noster vertit, *ad Israel*, quam Tigurina, *contra Israel*.

AD ISRAEL.) Ad duas tribus, videlicet Iuda et Benjamin. Hæ enim solæ, decem tribubus in Assyriam abductis, sibi priscum et avitum Israelis nomen vendicarunt, præsertim quia multi ex Israel, id est, ex decem tribubus, vel reliqui, vel profugi iunxerunt se duabus iam dictis, et in eandem eum iis gentem et rempubl. coaluere, uti dixi in Zacharia: ita S. Hieron. Remig. Hugo, et Lyran. Ubi Moral. disce, Israel, id est, validos eum Deo, et per Deum esse non posse nisi eos, qui unionem et societatem fraternam colant: invalidi enim et inermes sunt, qui sibi solis prælisi, a fratrum et sociorum consortio et auxilio se segregant. Scitum est illud: *Concordia res parvæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur*.

IN MANU MALACHIAE.) Id est, per Malachiam quasi manum, id est, organum et instrumentum. Os ergo hic vocatur *manus* per catachresim: quia manus est organum organorum, ut ait Philosophus.

Moral. disce hic, eum qui de vitiis vel erroribus tuis te corripit, vel castigat, esse Malachiam, id est angelum, ac quasi angelum a Deo cælitus tibi missum, imo cæleste oraculum, munusque ingens tibi deferentem, a te reverenter suscipi, coli et amari debere. Qui itaque corripit alium, cogitet se angeli Dei vires obire; ac proinde ministerium hoc divinum expleat angelice, id est, sine ira, aliave passione, sincere, imperturbate, modeste, leniter ostendendo viscera charitatis et compassionis; sicuti angeli compatiuntur humanæ infirmitati et ignorantiae, quæ ad plenum perspecta habent, dum homines corripunt, iuxta illud documentum Apostoli Galat. 6. 1. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenita-*

*tis, considerans teipsum ne et tu leniteris*. Vide ibi dicta. Vicissim qui corripitur cogitet, se ab angelo corripit, ab eoque sibi hoc onus castigationis, esto duriusculum, iussu Dei imponi, ideoque ei gratias agat; uti faciebat S. Carolus Borromeus, qui præter alios, duos ex professo sacerdotes graves constituerat, omnium actionum suarum inspectores et censores. Illis enim hoc officii dederat, ut iugiter in omnia verba et facta sua invigilarent, notarentque sibi quid peccaret, de eoque libere et sincere sese admonerent, quos benigne audiebat, et monitus de errore quopiam, illi eum corrigebat: ita habet Vita eius l. 8. c. 16. Nimirum idipsum dixerat ab antecessore suo S. Ambrosio, qui, ut habet eius Vita, monitus a quopiam, monitori gratias agebat, dietitans, se ingens ab eo accepisse beneficium. Vere dixit Sapiens Prov. 27. 5. *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis*. Et c. 9. 8. *Argue sapientem, et diliget te*. Et Ecclesiastes c. 7. 6. *Melius est a sapiente corripit, quam stultorum adulatione decipi*. Ex adverso superbi, quia insipientes sunt, cum se impeti redargutione concipiunt, *gladium persecutionis credunt*, ait S. Gregor. l. 10. Moral. c. 3. Quin et Sapiens: *Qui odit, ait, increpationes, insipiens est*, Proverb. 12. 1. *Non amat pestilens cum qui se corripit, nec ad sapientes graditur*, Proverb. 15. 12. Et v. 10. *Qui increpationes odit, morietur*. Et v. 32. *Qui abiicit disciplinam, despiciet animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis*. Hoc est quod Iugentes angeli edicunt Jerem. 51. 9. *Curavinus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam*. Nam qui non vult corripit, non vult corrigi. Et qui odit correptionem, vestigium, id est, certum indicium, est peccatoris, id est, peccatis affixi, obstinatique instar diaboli, Eccles. 21. 7.

Quocirca S. Basil. in Regul. brevior reg. 159. *Qui huiusmodi est, inquit, huius conversatio inter reliquos fratres pernicioza est*. Unde idem alibi inbet eos quasi pestes a congregatione segregari. Idem reg. 158. Sicut, ait, infirmus anxius de salute corporis, libenter suscipit quid-

Exemplum S. Borromæi.



quid ordinat medicus, licet acerba sit et aspera curationis ratio: sic humilis, et qui vere salutem animæ desiderat, prompte et hilariter suscipit correptionem, quantumvis mordacem et aërem. Scripsit hac de re Galenus librum de Cognoscendis curandisque animi morbis, ubi docet, sicut unica ægroti spes recuperandæ sanitatis sita est in medico, ita totam salutis spem consistere in eo, si quis quærat et inveniat virum virtute et prudentia præditum, illique se totum instruendum, corrigendum et formandum tradat, illique erodat, non sibi etiam defectus quos ipse notat, in se non videat. Hoc est quod ait Eccles. c. 20. 4. *Quam bonum est correptum manifestare penitentiam.* Ita fecit S. Petrus correptus a S. Paulo, Galat. 2. v. 11. Theodosius Imper. ob eadem Thessalonicensium correptus a S. Ambrosio, uti refert. histor. Trip. p. 2. lib. 7. c. 6. In Chronicis Ordinis Cisterciensis narratur, olim in monasterio Clarevallensi pium hunc fuisse morem, ut si quis ab alio de aliquo defectu moneretur, vel reprehenderetur, illico reprehensus pro reprehendente, in gratiarum actionem recitaret orationem Dominicam.

Vers. 2.

**DILEXI VOS.**) Opponit Deus Esau Iacobo, quod hunc dilexerit, illum odio habuerit. Per Iacob intellige familiam potius, quam personam Iacob, puta eius posteros, scilicet Iacobæos: sic per Esau intellige Idumæos, Esau posteros. Porro dicit: *dilexi* in præterito, non in presenti diligo, q. d. inquit S. Hieron. Olim dilexi Iacobæos, cum me colerent et redamarent: at iam cum me aversentur, ego pariter eos aversor. Nam *amare non redamantem, est amoris impendia perdere.* Verum alii melius *non dilexi* exponunt per omnem temporis differentiam, q. d. Iacob dilexi, diligo et diligam. Sic enim Hebræi sæpe per unam temporis differentiam, cæteras omnes significant. Id ita esse patet ex eo, quod hisce verbis arguit præsentem Iudæos, eo quod amori suo non respondeant, sed amori rependant odium, q. d. Ego vos ab olim dilexi: nam sicut patres vestros dilexi, ita et vos filios eorum diligo. Alioqui enim exceperunt Iudæi, dicendo: Quid ad nos quod patres nostros dilexeris, cum nos ipsos oderis? Porro dilectio Dei est efficacis, et fons omnis boni et doni: ex amore enim et benevolentia nascitur omnis beneficentia. Dilexi ergo vos, ideoque ex Ægyptia servitute eduxi, in Synagogam meam elegi, legem de cælo dedi, vos manna pavi, columna ignis et nubis per desertum deduxi, victorias miraculosas de hostibus dedi, in Chanaan deduxi, firmavi, protexi, alui, ditavi; regibus, Prophetis, bonisque omnibus cumulavi.

**ET DIXISTIS.**) Hebr. *vau* est conversivum, cuius officium est vertere præteritum in futurum. Unde Vatabl. *verit, et dicetis*; Chald. *quod si dixeritis.* Huc usque enim hoc non dixerunt, quia necdum audierant a Deo, *Dilexi vos*; sed eo audito obstrepere cœperunt, ac dicere:

**IN QUO DILEXISTI NOS?**) Quo signo, quo dono, quo beneficio tuam in nos dilectionem ostendisti? Vide hic insuæm populi ingratitude, qua non tantum tot Dei beneficiis ingrati sunt, sed et eorum obliti, adeo ut ea non agnoscant; perinde ac si Deus eis peregrinus esset, nec quidquam boni unquam contulisset; cum tamen ex libris Mosis, Iudicum, Iosue, Regum, et cæteris S. Script. constaret, innumera et maxima eos a Deo dona perceperisse. Hoc est quod eis impropert Psaltes psal. 77. 11. *Obliti sunt benefactorum eius, et mirabilium eius quæ ostendit eis.* Huic ingratorum quæstioni respondet Deus, atque:

Vers. 2 et 3.

**NONNE FRATER ERAT ESAU IACOB,** isque gemellus ex eodem partu; **ET tamen DILEXI IACOB, ESAU AUTEM ODIUM HABUI?**) Ita et Syrus, et Arabicus uterque, q. d. Iacob cum suis posteris Iacobæis prælegi, et prædilexi præ Esau et posteris eius Idumæis. Idque Primo, cum de utroque adhuc in utero matris Rebeccæ existente, ideoque ante omne eorum meritum vel demeritum dixi, et prædixi matri: *Maiores serviet minori.* puta Esau Iacobo, Genes. 25. 23. Ubi adverte, odium hoc Esau non fuisse proprium et formale (nec enim Deus odisse poterat Esau antequam peccaret) sed tantum minorem amorem, quod scilicet Esau postponeretur Iacobo, ei que in donis cederet et subii-

Odiū vocatur amor minor.

aceretur. Sic Genes. 29. 31. pro eo quod Noster vertit, *videns autem Dominus quod* (Iacob) *despiceret Liam*; Hebr. Chald. et Septuag. habent, *videns autem Dominus quod odio haberetur Lia*: ubi neglectus Liæ, eiusque minor amor quam Rachelis, vocatur odium: nec enim Iacob proprie oderat Liam, quam ut coniugem amabat et alabat. Secundo, cum Iudæos prætulit Idumæis, dando Iudæis meam legem, Ecclesiam, templum, Prophetas, regnum, etc. eisque subiiciendo Idumæos. Tertio, et maxime ad rem præsentem, cum Iudæos Babylone liberavi, Idumæos in gratiam vestri ibidem captivos dereliqui: unde explicans subdit: *Et posui montes eius in solitudinem,* etc.

Nota ex S. Hieron. Theodor. Lyran. Vatabl. Aria, Ribera et aliis, Malachias ad litteram loquitur non de prædestinatione Iacob, et reprobatione Esau, q. d. Iacob et Iacobæos prædestinavi, Esau vero et Idumæos reprobavi et gehennæ addixi; nam hoc constat esse falsum: quia multi Iacobæi damnati sunt, et multi Idumæi, ut Iob cum suis amicis, salvati: sed loquitur de prælectione Iacob præ Esau ad bona temporalia. Respicit enim ad illud matri utriusque, prægnanti adhuc, promissum, Gen. 25. 23. *Dux gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividuntur, populusque populum superabit, et maior serviet minori,* puta Esau serviet Iacobo, et Idumæi Iacobæis, qui locus manifeste loquitur de prælectione ad initium temporale, non spirituale. Sensus ergo est, q. d. Dilexi vos, o Iudæi, magis quam Idumæos fratres vestros, cuius rei hoc vobis do signum et argumentum: cum tam vos, quam Idumæos, propter multiplicia peccata, Chaldæis vastandos tradidisset, ego vos diligens, pristinaque in patres vestros dilectionem conservans, paulo post e captivitate reduxi, et in patriam restitui: Idumæos vero, quia fuerunt vestri hostes, in gratiam vestri in ea reliqui, eorumque terram in solitudinem redactam, draconibus habitandam dedi. Hunc esse sensum litteralem et genuinum, patet ex sequentibus. Ex quo allegorice Apostolus Rom. 9. 13. assurgit ad prædestinationem et prælectionem ad bona spiritualia, cuius illa prælectio Iacob ad bona temporalia erat typus. Sicut enim Deus Iacobæos in opibus terrenis prætulit Idumæis, ita in spiritualibus, fideles in fide infidelibus, iustos in gratia iniustus, electos in gloria reprobus præfert et anteponit: ita S. Hieron. et alii passim, quos sequuntur Scholastici, ac nominatim Gabriel Vasq. 1. p. q. 23. disp. 95. num. 45. Vide ea quæ dixi Rom. 9. 13.

Iacob dilectus præ Esau et bona temporalia.

**ESAU AD BONA TEMPORALIA.** Respicit enim ad illud matri utriusque, prægnanti adhuc, promissum, Gen. 25. 23. *Dux gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividuntur, populusque populum superabit, et maior serviet minori,* puta Esau serviet Iacobo, et Idumæi Iacobæis, qui locus manifeste loquitur de prælectione ad initium temporale, non spirituale. Sensus ergo est, q. d. Dilexi vos, o Iudæi, magis quam Idumæos fratres vestros, cuius rei hoc vobis do signum et argumentum: cum tam vos, quam Idumæos, propter multiplicia peccata, Chaldæis vastandos tradidisset, ego vos diligens, pristinaque in patres vestros dilectionem conservans, paulo post e captivitate reduxi, et in patriam restitui: Idumæos vero, quia fuerunt vestri hostes, in gratiam vestri in ea reliqui, eorumque terram in solitudinem redactam, draconibus habitandam dedi. Hunc esse sensum litteralem et genuinum, patet ex sequentibus. Ex quo allegorice Apostolus Rom. 9. 13. assurgit ad prædestinationem et prælectionem ad bona spiritualia, cuius illa prælectio Iacob ad bona temporalia erat typus. Sicut enim Deus Iacobæos in opibus terrenis prætulit Idumæis, ita in spiritualibus, fideles in fide infidelibus, iustos in gratia iniustus, electos in gloria reprobus præfert et anteponit: ita S. Hieron. et alii passim, quos sequuntur Scholastici, ac nominatim Gabriel Vasq. 1. p. q. 23. disp. 95. num. 45. Vide ea quæ dixi Rom. 9. 13.

Moraliter, hic discat quisque æstimare Dei in se amorem et beneficentiam, qua multis aliis prælatus est, v. g. si Religiosus est, prælatus est sæcularibus: si sacerdos, laicis: si doctus, indoctis: si fidelis, infidelibus, etc. adeoque si quisque suas naturæ et gratiæ dotes consideret, inveniet se peculiare et proprias aliquas a Deo accepisse, quibus alios superat; sicut vicissim in nonnullis ab aliis superatur; ut hinc ansam habeat humilitatis, inde laudis et gratiarum actionis. Vide dicta Exodi 25. 4. Sic in quolibet Sancto suo modo verum est illud Abrahæ elogium: *Non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi,* Eccl. 44. 20. Et illud S. Pauli: *Unusquisque proprium donum habet a Deo, aliis quidem sic, aliis vero sic,* 1. Cor. 7. 7.

Moral. quisque alios in aliquo superat.

**ET POSUI MONTES EIUS IN SOLITUDINEM.**) *Eius,* scilicet, *Seir,* ut quidam codices eum Ruperto legunt, hoc est Idumææ: hæc enim sita est in montibus, sicut Tirolis et Helvetia in Alpibus. Probat se odio habuisse et habere Esau, id est Idumæos, ex eo quod eorum regionem vastavit per Nabuchodonosor, adeo ut civibus in Babylonem abductis, nec inde reductis, ferarum facta sit lustrum et draconum cubile: ita Lyran. Vatabl. Ribera et alii. Nabuchodonosor enim post excisam Ierusalem invasit et excidit Idumæam, uti dixi in Abdia.

**DESTRUCTI SUMUS.**) Hebr. *רשענו* *rusciasnu,* id est depauperati sumus, et ad extremam inopiam redacti: ita Chald. Pagnin. Vatabl. et Arias, scilicet per vastationem agrorum et urbium, quod Noster clare vertit, *destructi sumus*; Septuag. *subversa est Idumæa.*

Vers. 4.

**SED REVERTENTES ÆDIFICABIMUS QUÆ DESTRUCTA SUNT.**) Hebr. *חֲרָבוֹת* *charabot*, id est, quæ desolata et deserta sunt; sicut videmus Iudæos, quorum æmuli sumus, e Babylone in patriam reversos, suas domos et urbes reedificasse sub Cyro, Dario et Artaxerxe.

**HÆC DICIT DOMINUS: ISTI ÆDIFICABUNT, ET EGO DESTRUAM.**) Ecce odium Esau, et dilectionem Iacob, q. d. Vos o Iudæi reedificastis Ierusalem et templum, egoque fabricam vestram protexi et promovi: volent vos æmulari Idumæi, et urbes suas pari modo restaurare; at ego eis obsistam, ac fabricas eorum impediam et destruam. *Nisi ergo Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* psal. 126. 1.

**ET VOCABUNTUR TERMINI IMPIETATIS.**) q. d. Idumæa vocabitur terra inops et maledicta, terra ob impietatem desolata; terra quæ impietatis uti habuit culpam, ita et sustinet pœnam, adeo ut omnes transeuntes eam exhibeant et subsannent, dicentes: Quam scelerata fuit hæc terra quam Deus ita desolavit, et quasi Sodomam e caelo sideravit! Alludit vox *רִשְׁעִיָּה* *riscia*, id est *impietatis*, ad *רִשְׁעִיָּה* *ruscias*, id est, depauperatus est, q. d. Idumæa fuit populus *riscia*, id est *impietatis*, ideo *ruscias*, id est, depauperatus et desolatus est. Inde enim *רַס* *ras* vel *rus* est pauper; perinde ac si latine dicas: Idumæus fuit Cyrus, fuit dirus, fiat ergo Irus: fuit Cyro si non ditior, certe dirior et impietior: fiat ergo Iro pauperior. Sicut Cyrus cæsus a Tomyri regina Seythiæ factus est Irus, cum caput eius culeo pleno sanguinis inclusum, ab ea subsannante audivit: *Cyre bibe sanguinem, quem tantopere sitiisti.*

**ET POPULUS CUI IRATUS EST DOMINUS IN ÆTERNUM.**) Est metonymia: sub causa enim intelligit effectum, puta sub ira vindictam ex ira manantem, q. d. Idumæi sunt populus, cui Dei ira et vindicta in æternum incumbet: quia eos æterna vastitate, excidio et desolatione punit.

Quæres, quomodo hoc sit verum? Nam uti Iudæi, ita et Idumæi excidio Chaldæorum fuerunt superstites. Idumæos enim post hæc tempora subegit Simon Machabæus, eiusque filius Hyrcanus, teste Iosepho l. 13. Antiq. c. 16. et 17. imo Idumæi interfuerunt bello Iudaico sub Tito, teste Iosepho l. 6. Belli c. 7. Respondeo id verum est Primo, quia captivitas eorum nunquam fuit publico decreto revocata, nec generali reditu soluta; quia ipsi turmatim omnes fuere abducti in Babylonem, sed turmatim ex ea non fuere reducti, uti fuere reducti Iudæi per edictum Cyri, 1. Esdræ 1. 1. Manserunt tamen in Idumæa et vicinis locis aliquæ eorum reliquæ, quæ sensim succreverunt seque propagarunt, additis etiam coloniis aliarum gentium, quæ in Idumæam, utpote derelictam et cuilibet patientem, transmigrarunt: quo factum est, ut incolæ non essent puri Idumæi, sed mista et quasi nova gens. Vide dicta Ierem. 49. 13. Secundo, hæc Idumæorum reliquæ subactæ sunt ab Hyrcano, uti iam dixi, qui eos coegit ad circumcisionem et iudaismum, adeoque ex Idumæis fecit Iudæos. Tunc ergo Idumæa gens et superstitio excisa fuit, tumque impletum hoc Malachiæ oraculum: *Vocabuntur populus cui Dominus iratus est in æternum*: quia in æternum sustulit eorum rempublicam et Synagogam infidelium, eamque transmigravit et transtulit in Synagogam et remp. Iudæorum, fecitque ut Iudæis essent subditi, tam in civilibus, quam in sacris. Quocirca cum Titus oppugnaret Iudæos, in eorum auxilium venire viginti millia Idumæorum, ut pro Iudæis quasi fratribus, imo patribus, heris et dominis suis dimicarent. Denique post bellum Iudaicum sensim Idumæi ita extincti sunt, ut ne quidem nomen eorum supersit, uti superest gens, licet vaga, nomen et distinctio Iudæorum: ubique enim Iudæi ab indigenis distinguuntur et discernuntur. Perperam Iudæi per Idumæos accipiunt Romanos, uti dixi in Abdia.

Tropol. Remigius: *Esau et Iacob, inquit, fratres de una stirpe generati, vitiorum atque virtutum figuram præterdunt: quæ duo licet sint contraria, ex uno cordis fonte procedunt. Nam quia liberi sumus arbitrii, pro nostra vo-*

Tropol.  
pugna  
Iacob et  
Esau no-  
tat pu-

*luntate aut ad vitia deflectimus, aut ad virtutes. Primo-gnam  
genitus est Esau: quia priora sunt per infantiam, adole- virtutum  
scientiam et iuventutem: post nascitur Iacob, qui supplan- et vitio-  
tator interpretatur; quia errores fragilioris ætatis alas fir- rum.  
mior succedens corrigit et supplantat. Unde bene maior  
frater, hispidus et agrestis venator, et sylvis assuetus dicitur  
fuisse; minor lenis et simplex, habitasse domi perhibetur.  
Itaque sub nomine Esau Deus vitia odio habere asseritur,  
non naturam quam bonam fecit: et propterea fines eius ponit  
in solitudinem, ut omne malum extirpetur, et vitia non  
succrescant. Quod si impudens malitia ea quæ sunt destructa  
rursus ædificare conetur, Dominus iterum destructurum se  
proficitur. Quod facit duobus modis; sive dum corriguntur  
peccatores, sive cum pertinaciter peccantes iusta ultione  
damnantur.*

Huc accedit Georgius Venetus tom. 2. de oculis Prophet. sect. 7. n. 318. ubi quærit cur Esau voetur Seir, ac respondet: quia Seir significat turbinem, horrorem, pavorem, hircum, pilosum, faunum ( *Seirim* enim sunt Satyri ) dæmonem, quæ omnia recte conveniunt improbis, viventibus secundum carnem et sanguinem, quorum finis est interitus, et stipendium mors (ut ait Apostolus) ac gehenna. Horum ergo sors est dæmoniaca, formidolosa, horrore, dolore et angustia plena. Hinc Christus venit ut hominem animale de Seir erueret, et duceret in Ierusalem, id est in visionem pacis. Itaque Seir et Edom sunt impii, et præsertim damnati in inferno. De his enim verissime dicitur: *Et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum.* Damnati enim sunt fulles et fomenta gehenæ, quorum capiti iugiter incumbit ardens Dei ira et indignatio, eaque efficax et ignita, vomens flammam incendia, quibus eos cremabit in æternum. Væ, væ, væ sceleri et malis. Deus hanc maledictionem a cervicibus nostris avertat.

**MAGNIFICETUR DOMINUS SUPER TERMINUM ISRAEL.**) Op- Vers. 5.  
ponit *terminum*, id est regionem, Israel, termino, id est regioni, impietatis, puta Idumææ, v. 4. q. d. Glorificetur Dominus qui punit improbos, et præmiat probos: quia scilicet vastavit impiam Idumæam, et piam Iudæam exaltavit, imo impiam pie subiugavit, itaque ex infideli et impia fidelem et piam effecit. Id factum est per Hyrcanum, uti iam dixi. Unde Secundo, Chald. vertit, *multiplierit gloria Domini; etenim dilatavit terminos Israelis*, scilicet usque in Idumæam. Tertio, alii sic exponunt, q. d. Extendat Deus terminos et dominiuum Israelis, ut eo modo pariter extendat suam gloriam et magnificentiam, atque a gentibus Israeli subiectis cogoascatur et colatur. Quarto, alii vertunt, *magnificetur Dominus ultra terminum Israel*, q. d. Gloria et magnificentia Dei non arctetur angustiis Israelis terminis, sed ultra eos se propaget et distendat per totum orbem. Hoc cœpit fieri sub Machabæis, per eorum victorias cælitus a Deo obtentas, sed allegorice plene factum est per Christum et Apostolos. In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in lines orbis terræ verba eorum. Verus enim Israel est Ecclesia et populus Christianus, qui se e Iudæa propagavit per universum mundum. Ita hodie veri fideles subingata Bohemia, Austria, Hungaria, etc. gaudent ob dilatatum imperium non tam reipublicæ, quam Ecclesiæ, dicuntque: *Magnificetur Dominus super terminum Israel.*

Anagog. q. d. Laudetur Deus ob gloriam, triumphos et multitudinem Israelis, id est, sanctorum et electorum. Hi enim mirilice laudant Deum, quod videant in se cecidisse sortem tam felicem, maxime cum vident terminos impietatis, id est, cætum damnatorum, præsertim amiceorum et sociorum suorum, a Deo ita puniri et comburi, seque ab eorum sorte per Dei gratiam fuisse erutos et salvatos: ita S. Hieron. Vide Apostolum ob hoc beneficium celebrantem et glorificantem Deum toto c. 1. ad Ephesios.

**FILIUS HONORAT PATREM.**) Recensitis suis in Iudæos Vers. 6.  
beneficiis, Deus hic transit ad eorum maleficia, quæ ipsi ingrate rependerunt. Ingratitudo enim ergo et irreverentiam eorum culpam et accusat. Nota. *Honorat*, id est iure naturæ, divino et humano honorare tenetur; et, si vere fi-

hinc talis est, qualis esse debet, re ipsa honorat. Tam honor in hoc præcepto, *Honora patrem et matrem*, quatuor complectitur, scilicet primo, amorem; secundo, reverentiam; tertio, obedientiam; quarto, beneficentiam et alimoniam, si ea indigeant, uti dixi Deut. 5. 16.

SI ERGO PATER EGO SUM, UBI EST HONOR MEUS? ET SI DOMINUS EGO SUM, UBI EST TIMOR MEUS? Patri enim proprie a filio debetur honor, domino a servo timor, non tantum servilis, sed et liberalis, qui reverentiam, amorem, ac obsequium sedulum et exactum complectitur. Porro Deus est pater fidelium. Primo, creatione; secundo, conservatione et gubernatione; tertio, alimonia; quarto, cura et providentia paterna; quinto per fidem et gratiam qua nos iustificat, sibi in filios et hæredes regni sui adoptat. Idem est dominus iisdem titulis, aliisque, ut quod nos redemerit, et sanguine filii sui sibi quasi coemerit; quod sit summa maiestas, cui omnis creatura servire tenetur; quod nos quasi servos et operarios ad vineam suam excolendam, proposita mercede gloriæ æternæ conduxerit, etc. Hæc titulis Deus omnium, etiam laicorum, est pater et Dominus. Unde ad omnes Iudæos, etiam laicos, hic dirigi a Deo sermonem, eosque ingratitude, irreverentiæ et impietatis accusari, quod suæ dilectioni, de qua dixit, *Iacob dilexi*, non responderint; sed Deum amantem se odio habuerint, inhonorarint et contempserint, censent S. Hieron. Theodoret. Remig. et Hugo.

Audi S. Ambros. in Malachiæ verba, in fine tom. 2. *Si servus es*, inquit, *redde Domino timoris obsequium: si filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cum gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris. Unde aut contumax servus, aut superbus es filius. Qui est ergo utilis Christianus, semper debet patri ac Domino suo laudes dicere, et in eius gloriam omnia procurare; sicut ait B. Apost. 1. Corinth. 10. dicens: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid feceritis, omnia in gloriam Dei facite. Videte quale veri Christiani Apostolus voluit esse convivium, ut magis fides Christi, quam prandii sagina comedatur; et plus reficiat hominem Dominici nominis frequens invocatio, quam epularum multiplex et copiosa collatio, meliusque pascit esurientem religio quam sagina. Vide sequentia, ubi pulchre docet Christianum debere Deo patri tam maue, quam vesper instar lusciniæ, aliarumque avium gratias agere, et laudes canere. Audi et S. Bernard. serm. 16. in Cant. *Ita ipse, inquit, patrem se exhibuit mihi; sed non ego me vicissim illi filium. Quantum fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operat confusio faciem meam*, etc. Et serm. 83. *Exigit, ait, Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari. Quid in his eminet? nempe amor. Absque hoc et timor pœnam habet, et honor non habet gratiam. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor et gloria: sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint.**

Magis tamen proprie et genuine ad sacerdotes hic loqui Deum, patet ex eo quod sequitur: *Dicit Dominus exercituum ad vos o sacerdotes*. Hebræa enim habent: *Dicit Dominus exercituum vobis sacerdotibus, despicientibus nomen meum. Dicit*, scilicet id quod præcessit: *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus?* Unde Complut. ita legunt et dispungunt, ut hæc omnia coniungant hoc modo: *Ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos o sacerdotes*: ita Lyran. Pagnin. Valabl. et alii. Ubi Nota, sacerdotes præ laicis vocari filios Dei; tum quia Deo dicati et consecrati sunt, ut ad eius quasi familiam pertineant; tum quia iusti et sancti esse debent, ut sancta sacrificia et preces pro populo Deo offerant: sancti enim sunt filii Dei adoptivi, tum proprie, quia in lege veteri Levitæ et sacerdotes pro primogenitis filiorum Israel, quos Deus ab angelo percutiente et a morte liberat, ideoque sibi depoposcerat, Deo oblati et dati sunt, Exodi 13. 2. et Num. 8. 16. Sensus ergo est, q. d. Vos o sacerdotes, in primis arguit et culpatur Deus, quod cum sitis eius primoge-

ni, peculiariter præ laicis cæterisque Israelis filiis ab eo dilecti, et in sacerdotes electi; tamen cum non ut patrem honoretis, nec ut dominum revereamini; sed cum eiusque cultum et victimas inhonoratis, et despiciatis. Timor enim hic et alibi, reverentiam, adorationem, sacrificium, omnemque cultum Dei denotat. *Qui enim metuit, non scrutatur, sed colit, observat, adorat, honorat, glorificat, laudat, commendat*, ait S. Chrysost. hom. 2. de incomprehens. Dei natura.

Incipit Malachias prophetiam et correctionem suam a correctione sacerdotum: quia reformatio reipubl. et laicorum, pendet a reformatione cleri et sacerdotum: qualis enim est sacerdos, talis est et populus. Sane hoc sæculo hæresis Lutheri occasionem dedit in seipita, et mala vita plurimum sacerdotum. Quocirca et Christus initio, æque ac in fine prædicationis suæ, redarguit vitia sacerdotum. Docet id egregie Auctor Imperfecti apud S. Chrysost. initio homil. 38. in S. Matth. ubi recte sacerdotes comparat stomacho, explicans enim ingressum solemnem Christi die palmarum in Ierusalem, quo primo templum adiit: *Et intravit, inquit, Iesus in templum Dei. Hoc erat proprium boni filii, ut et veniens ad domum curreret patris, et illi honorem redderet qui genuit eum, ut tu imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad Ecclesiam curras. Hoc erat boni medici, ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam, primum ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic et de templo omne malum procedit: quemadmodum medicus quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, et cum componere primum festinat: quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est; si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est: ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, omnium fides marcescit. Cor autem et stomachus sacerdotes intelliguntur; quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis, Isaia dicente de regibus quidem: Omne cupit in dolore; de sacerdotio autem: Omne cor in tristitia.*

Explicat id, munia stomachi analogice applicando sacerdotibus, dicens: *Sicut enim stomachus accipiens cibum coquit eum in seipso, et per totum corpus dispergit; sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas ex Deo, et excoquentes eam in se, id est, tractantes et meditates apud se, universo populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante unumquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in se secundum suam naturam; ut puta quod suscipit iecur, totum fit sanguis; quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata sunt; quod autem in mammis, totum efficitur lac; sic sacerdotibus in Ecclesia loquentibus Dei verbum, omnes suscipiunt; unusquisque autem convertit illud secundum proprium cor, ita ut unum id ipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitium; in cordibus autem pervertis suscitet iracundiam, quasi bilis: in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac; in aliis autem odium, quasi phlegma nocivum et expuendum. Videte ergo sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo et opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquid infirmatum fuerit membrum, non omnino languet et stomachus: si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant et sacerdotes; si autem et sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem: sacerdotes autem non solum pro suis, sed et pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. Vidit arborem pallentibus foliis marcescentem, et intellexit studiosus agricola, quia lesurum in radicibus haberet. Nam vere quemadmodum eum videris arborem pallentibus foliis marcescentem, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem; ita cum videris populum indisciplinatum et irreveriosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non*

Reformatio laicorum inchoanda a reformatione sacerdotum.

Quod stomachus est in corpore, hoc sacerdos in populo.

Moral. Deo ut patri debetur amor, ut domino timor.

Sacerdotes præ laicis sunt filii Dei tribus titulis.

est sanum. Hæc prolixius recitavi, quia singula ab ore **A**

**ET DIXISTIS: IN QUO DESPEXIMUS NOMEN TUUM?** ) Hebr. **בזינו** *bazinu*, id est *sprevimus*; Chald. *contempsimus*; Tigurina, *quam re vile habuimus nomen tuum, illudque nobis sordet?* Respondet Deus: *Offertis super altare meum panem pollutum.* S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. per panem intelligunt panes propositionis, censentque culpari hic sacerdotes, quod eos non triticeos, aut non azymos ut lex iubebat, sed siliginæ, hordeaceos, fermentatos, aut alia ratione vitios Deo offerrent. Addit S. Hieron. Remig. Haymo, Albertus, Hugo et Lyran. taxari sacerdotes, quod panes hosce ex quovis frumento conficerent, cum iuxta eorum traditionem, ex patrum religione et pio usu acceptam, non nisi ex selecto frumento confici deberent, quod ipsimet sacerdotes sevisent, messuissent, moliuissent et coxisent. Quod notent Christiani, præsertim sacerdotes, ut discant qualia, quam pura et selecta Deo offerre debeant.

Verum quia panes propositionis non offerebantur in altari, quod tamen de suo pane ait hic Malachias, sed in mensa panum propositionis: nec enim erant victimæ, sed meræ oblationes; hinc melius per panem pollutum accipiunt victimam pollutam, tum similæ et panum; quos quasi sacrificia coneremabant Deo in altari, vocabantque *mincha*, ut patet Levit. 2. tum carniæ, puta boum, ovium, hircorum, quos sacrificabant Deo: ita Chald. Vatabl. Clarius et Arias. Hebræi enim panem vocant omnem escam, etiamsi caro sit; ac præsertim bos, capra, agnus, et quævis victima Deo oblata vocatur panis, id est, cibus Dei, ut ostendi Levit. 22. 25. et cap. 24. v. 6. et 8. Num. 28. 2. Rationem dedi Levit. 2. nimirum quod sacrificium sit convivium Dei, in quo Deus cum hominibus quasi comedere et bibere videtur. Quocirca carnes Deo immolatæ erant quasi panis, id est cibus, quo vescabatur Deus: vinum Deo libatum erat quasi potus quem bibebat Deus. Quod enim ignis devorabat et consumebat, hoc censebatur Deus per ignem repræsentatus edere et consumere. *Panem ergo pollutum* vocat victimas cæcas, claudas, mancas, quas contra legem Levit. 22. v. 19. et 22. Deo offerebant: ita enim se explicat Malachias vers. 8. Secundo, *pollutum*, quia non offerebant eo ritu et cæremoniis, quas præscribit lex Levit. c. 1. 2. 3. 4. etc. Tertio, *pollutum*, ob impietatem, et scelera sacerdotum eum offerentium. Sacrificia enim Iudæorum valebant, et vim impetrandi habebant non ex opere operato, uti habet nostrum Eucharistiæ, sed ex opere operantis, puta ex dignitate et devotione sacerdotis sacrificantis, qui hic erat sceleratus et impius: quocirca eius oblatio magis Deum irritaudi, quam impetrandi vim habebat.

Porro Gentiles adeo deorum suorum reverentes erant, ut priusquam victimas immolarent, eas sollicite explorarent, an puræ essent. Hinc et meliores e grege seligebant, easque Apollini candidas, quarum, si maiores essent, cornua inaurabant. Unde Ascanius l. 10. *Æneid.*

*Et statuam ante aras aurata fronte iuvenum  
Candentem.*

Et Ovidius:

*Blandis induta cornibus aurum,  
Conciderant ictæ, nivea cervicæ iuvenæ.*

Quod si color hic victimæ deesset, etiam superiuducebant. Unde illud Iuven. satyra 10.

*Due in Capitolio magnum  
Cretatumque bovem.*

Testatur Arnobius lib. 2. contra Gentes, olim in Albano monte non alios licuisse, quam nivei candoris immolare tauros.

Vers. 7.

**ET DICITIS: IN QUO POLLUIMUS TE?** ) Id est, pollutum panem, id est victimam, obtulimus tibi? Nota hic, o sacerdos, qui pollutus pollutum offert Deo sacrificium, Deum ipsum quasi pollutum et conspuat: quia mensam, victimam et cibum Dei conspuat, præsertim in lege nova, ubi victima est ipse Christus Deus noster. Quocirca Apostolus 1. Cor. 11. 27. diserte asseverat: *Quicumque mandu-*

*caverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, q. d. Erit quasi Christi- da et Deicida, perinde ac Iudas proditor. Dum enim Sacramenta violantur, ipse cuius sunt Sacramenta violatur,* ait S. Hieron.

**IN EO QUOD DICITIS: MENSA DOMINI DESPECTA, contemptibilis, est.** ) Quia scilicet dicitis: iam viluit altare Domini; ac proinde vilia quælibet in eo offerri possunt. Mensam enim vocat altare, quia, ut iam dixi, sacrificium est quasi convivium, in quo conviva est Deus, mensa est altare, esca est victima, potus est libamen, ministrans est sacerdos. Tangit hic radicem mali, aitque causam contemptus sacrorum esse ipsam altaris vilitatem, q. d. Vos o sacerdotes vilipenditis meum altare, dicitisque illud evituisse, ideoque parum referre quid, et quale in eo offeratur: quocirca offertis in eo victimas cæcas, claudas et manecas.

Quæres, qua causa et titulo dicebant altare evituisse. Resp. Primo, ob longam sacrorum cessationem: quia per septuaginta annos captivitatis caruerunt templo, altari et victimis. Hæc enim in animis accolarum generare solet sacerorum oblivionem, neglectum, incuriam, contemptum, uti vidimus in pagis Belgii, tempore belli Hollandiæ a sacerdotibus desertis, ubi rustici, præsertim iuvenes et pueri qui nunquam viderant sacerdotem, ut primum eum viderunt, stabant attoniti; vel diffugiabant, putantes se non hominem, sed monstrum videre; vel spiritum, uti mihi ibidem olim videre et experiri contigit. Secundo, quia videbant templum a se reedificatum, non æquare gloriam templi prioris, quam viderant senes, et iuvenes a senibus audierant, *ae putabant deesse religionis sanctimoniam, quia deerat ædificationis ambitio,* ait S. Hieron. cum e contrario, *Deus non tam altaris ornatum, quam offerentium devotionem requirat,* ait Remig. Tertio, quia Iudæi nuper Babylone redeuntes pauperes erant: unde non poterant opulentas dare oblationes sacerdotibus, qui proinde negligebant altare, aliisque negotiis se dabant quibus compararent sibi victum. Sic enim hodie videmus subductis, vel pereuntibus redditibus templorum, perire quoque vel minui sacerdotum eorum et ministeria: ita Vatabl. Quarto, quia videbant Deum victimas hæc non edere, sed eas igne consumi. Unde meliores sibi reservabant, aut cum deterioribus commutabant, censentes satius esse deteriora dare igni, meliora ventri. Audi S. Hieron. *Quid prodest, inquit, si offeramus optima? qualiacumque fuerint quæ offeruntur, igni sunt devoranda:* erat hic prætextus avaritiæ et gulæ. Sic hodie videmus sacerdotes et Prælatos nonnullos in mensis et conviviiis esse splendidos, in altari et templo sordidos; in mensis adbibere mappas pretiosas et vina falerna; in altari vero lintea laeera, et vilium potius quam vinum. Qua de re iure quæritur Cardin. Bellarm. in Gemitu columbæ.

Quatuor causæ neglectus sacrorum. 1.

2.

3.

4.

Moral. discite hic Primo, Deo, utpote auctori omnium, non qualia qualia, sed optima et præstantissima esse danda. Secundo, contra hæreticos, Deum honorari et delectari magnificentia templorum, altarium, vasorum sacrorum, etc. quia ipse maior est omni laude, et omni magnificentia magnificentior. Famosa et magnifica fuit mensa sacra, quam teste Cedreno, Baronio et aliis Justin. Imp. in Augusto S. Sofiæ templo erexit. Constabat enim auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, mare et totus mundus. Ex omni materia pretiosa plura, meliora, potiora collegerat, liquatisque his quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ concinnarat: ita omne varium illud opus intuentibus erat stupori. In orbem hanc ostentabat epigraphen: *Tua de tuis tibi offerimus servi tui Christe, Justinianus et Theodora. Ea tu propitius accipe, fili Dei Verbum qui nostri causa carnem assumpsisti, et cruci affixus fuisti, ac nos in tua recta fide conserva. Et quam nobis commisisti remp. eam ad tuam gloriam auge et tuere, intercedente sancta Deipara virgine Maria.*

Moral. de templo ornatum.

Mensa pretiosa Iustini- ni Imp.

Mensa sacra Ptol. Philadelphi.

Celebrat Ioseph l. 12. Ant. c. 2. mensam, quam templo Hierosolymitano dono misit Ptolemæus Philadelphus.

rex Aegypti, ut ab Eleazaro Pontifice impetraret septuaginta Interpretes qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma converterent. Erat enim tota ex auro, longa duos cubitos cum dimidio, lata unum, alta sesquicubitum. Ornata erat cymis versatilibus, et sculpturis egregiis. Exterior autem loricee facies gemmis pulchris, ovali specie distinguebatur. Huic subiecta erat corona per circuitum, omne genus fructuum representans, dependentibus racemis, et specieis emergentibus, et malis puniceis intersertis, quæ omnia constabant lapillis colorem nativum fructuum referentibus, et auro circum totam mensam revinctis. In mensa autem sculptus erat Mæander magni pretii, gemmis per medium tamquam stellis variegatus, carbunculo et smaragdo suavissime radiantibus. Basis facta erat e carbunculo palmum lata, crepidinis specie; qua vero pedes imitebantur, octo digitorum latitudine. Tanta erat artis subtilitas, ut perflante vento agitata, naturæ, non artis, opus videretur: crassitudo autem mensæ erat semieubitalis. Hæc et plura Iosephus.

Mystice, mensa Dei, id est anima, virtutibus ornanda est.

Præsertim cum sumit Eucharistiam.

Vers. 8.

Synbol.

Ab his discamus exhibere Deo mensam honoratam et magnificam, non cum Iudæis vilem et despectam. Id faciemus mystice, si animam nostram omni virtutum genere adornatam Deo offeramus. Ipsa est enim quasi microcosmus Deo, qui macrocosmus est, dicanda; ac præsertim si opera charitatis exerceamus. Hisce enim mensam instruimus, non tam pauperibus quam ipsi Deo: in hac enim ipse delectatur et quasi epulatur.

Tropol. S. Hieron. *Polluimus, ait, panem, id est, corpus Christi, quando indigne accedimus ad altare, et sordidi mundum sanguinem bibimus, et dicimus: Mensa Domini despecta est; non quod hoc aliquis audeat dicere, sed opera peccatorum despicunt mensam Dei.* Unde de talibus ait Apost. 1. Corinth. 10. 20. *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum, etc.* Rursum polluit panem et mensam Dei, ac in ipsum Deum iacit contumelias, ait S. Hieron. doctor et prædicator, qui verbum Dei, quod est panis animæ, docet propter luera, vel humanam gloriam, ac divitibus blanditur, peccatores honorat, et pauperes sanctos repellit, mensam Scripturarum Dei mensis idolorum, sæcularisque doctrinæ putans esse communem.

SI OFFERATIS CÆCUM AD IMMOLANDUM, NONNE MALUM EST? Ita et Septuag. ac Chald. vertunt interrogative, q. d. Omnino malum est, quia contra legem Levit. 21. 22. quæ poscit victimam integram et vitio carentem. Recentiores, ut Vatabl. et Tigurina, vertunt affirmative, cum hostiam cæcam sacrificatis (supple dicitis) Non est malum, sed bonum et licitum. Pecebant ergo avari sacerdotes, qui ut oblationes suas suaque luera auferent, nullam respuebant victimam a populo oblatam, etiamsi cæca esset vel manca; imo pro integra a populo oblata, ipsi e suo grege substituebant claudam vel mutilam, integram sibi reservantes.

Ita peccant hodie Christiani, qui pro decimis et primitiis dant manipulos, vel animalia deteriora, meliora sibi retinentes; qui filios claudos, luscios, stolidos, ineptos detrudunt in monasteria, vegetos et aeres tradunt mundo; qui tempus iuventutis floridæ dant carni et sanguini, tempus senectutis effictæ dant pietati et Deo, etc. qui meliores horas dant studiis, deteriores orationi: Dei enim maiestatem contemnunt, qui ei seipsos anteponunt, ut sibi potiora, Deo peiora attribuant. Si tales et talia offerrent principi, vel regi, nonne vapularent? Qui semesas a porcis vel canibus escas regi apponeret, mulctaretur; non mulctabitur is, qui offert Deo semesa a diabolo, et aliquid adhuc diabolicum exhalantia?

Symbolice, Remigius et S. Hieron. *Victima, inquit, Dei est bonum aliquod, ut oratio, eleemosyna, etc. Verum cæca est victima, si animus offerentis non est illustratus luce veritatis; vel si non est simplex intentio eius qui offert. Clauda est orationis victima eius, qui duplici mente accedit ad deprecandum Dominum. Debilis est, qui Christum non habet, qui est Dei virtus et sapientia. Istiusmodi victi-*

*mae si offerantur, minime Deo placere possunt, sed potius reum faciunt offerentem.* Manca est obedientia, quæ subiecit Superiori voluntatem, non intellectum; manum, non animum.

OFFER ILLUD DUCI TUO, et vide SI PLACUERIT EI. ) q. d. Videbis utique quod non placebit ei, sed summe displicebit, donaque tua respnet, quin et indignabitur tibi: censebit enim se a te contemni et vilem reputari, quod tam vilia, puta cæca, clauda, manca animalia ei offeras, et integra tibi reserves. Si ergo talia non auderes offerre duci tuo homini mortali, quomodo Deo immortalis ea offerre audes, qui est Rex regum, et Dominus dominantium?

AUT SI SUSCEPERIT FACIEM TUAM. ) Puta te totumque munus, quod ore et facie tua ei obversa offers: facies enim index est animi et mentis, totumque hominem, et personam ipsam representat. Nam facies decora, honesta, liberalis, reverens meretur suscipi, hilarique et benigno vultu a principe, et multo magis a Deo suscipitur: facies vero indecora, turpis, avara, impudens, irreverens ab iisdem despicitur et rejicitur, q. d. Dux et princeps tam avaram et impudentem faciem, quæ tam avarum et impudens munus sibi offert, non acceptabit, sed aversabitur, quanto magis ego eadem non acceptabo, sed aversabor? Sic de Iob reverente, patiente et pio ait Deus c. 42. 8. *Iob autem servus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam.*

ET NUNC DEPREAMINI ) Hisce verbis non ironice, ut vult Clarius et Arias, sed serio hortatur eos ad pœnitentiam, ut patet ex sequentibus: ita S. Hieron. Theod. Haymo, Rupert. Lyran. et alii.

DE MANU ENIM VESTRA (ita Hebr. Chald. Sept. Tigur. et alii: perperam ergo Pagn. vertit, de manu Nostra) FACTUM EST HOC. ) q. d. Non patrum hoc scelus est, sed vestrum; non tam laicorum est culpa, quam vestra, o sacerdotes (eos enim alloquitur, ut patet v. 6.) Vos ergo suppliciter deprecamini vultum Dei, qui cum offendistis et ad indignationem concitastis: ita S. Hieron. Theodor. Lyran. et alii. Aliter Vatabl. q. d. De manibus vestris, id est, ad operibus manuumstrarum profecta est hæc maledictio, de qua dicitur in sequentibus v. 14. *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.*

SI QUOMODO SUSCIPIAT FACIES VESTRAS. ) Id est, vos vestrasque oblationes, uti dixi v. 8. Aliqui ex Hebræo sic vertunt, *num auferet*, id est, *si quo modo auferat a vobis faciem*, scilicet suam iratam, aut vestram tristem malisque oppressam, ostendendo vobis faciem hilarem, eaque vos exhilarando. Hebr. enim נָשָׂא *nasa* et suscipere, et tollere vel auferre significat. Aliter Theodor. q. d. Num sine pœnitentia et deprecatione veniæ vos in gratiam recipiam?

QUIS EST IN VOBIS QUI CLAUDAT OSTIA (templi) ET INCENDAT (perperam Compl. legunt, non incendat) ALTARE (hoc est, altaris ignem, et per ignem victimas, ac thymiamata, quæ quotidie in altari cremantur Deo) MEUM GRATUITO? ) q. d. Nemo vestrum gratis templo et altari servit, sed laboris sui stipendia percipit, et ex altaris oblationibus sustentatur, et vivit, cur ergo illud meninque in eo cultum negligitis, et negligentem peragitis? Si enim non religionis et Dei intuitu, certe mercedis respectu, et obligatione iustitiæ obstricti, deberetis hoc munus vestrum ad quod pretio conducti estis, diligenter et accurate obire et præstare: ita S. Cyrill. S. Hieron. et alii. Nota. Ad verbum ex Hebræo sic vertit Tigur. *Ad hæc quis ex vobis ostia claudat? num vero in ara mea gratis incenditis?* quod Noster aliis verbis, sed clariore sensu expressit, dum vertit, *quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratis?* alii vero cum Septuag. et Chald. contrarie vertunt hoc modo, *quis est in vobis qui claudat fores, ut non accendatis altare meum gratis?* q. d. Utinam aliquis vestrum clauderet fores templi, ut non uratis super altare meum victimas hasce pollutas frustra, sive in vanum. Nam illæ mihi non placent, sed placet pura mincha Christi, quæ toto orbe offertur, ut sequitur: ita Theod. Vatabl. et Clarius. Unde et S. Hieron. notat Græcum δωρεαν, id est

*gratuito, verti posse in gratia; ut videlicet, inquit, gratiam non habeant altari Domini serviendi, sed ea priventur.* Hic secundus sensus valde tam Hebraeo, quam sequentibus cohæret et respondet: atque Hebr. חִינָם *chinnam* sæpe significat gratis, frustra, in vanum, ut psalm. 34. 14. *Odio habuerunt me gratis, hebr. chinnam.*

NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS, DICIT DOMINUS.) Tigrina, non est mihi in vobis beneplacitum, id est, non mihi placetis, non estis mihi grati ob vestram irreligiositatem, neglectum et contemptum sacrorum. Hebr. enim חֶפֶץ *chepets*, significat placitum, beneplacitum, complacentiam, affectumque amoris et benevolentiae, quem Sept. vertere et vocare solent εὐδοξίαν. Et (id est, idcirco) munus (Hebr. מִנְחָה *mincha*, de quo paulo post) non suscipiam de manu vestra. Vetera enim sacrificia non placebant ex opere operato, uti placent in lege nova, sed tantum ex opere operantis. Cum ergo hic operantes et sacrificantes displicerent Deo, displicebant et sacrificia; ideoque per Christum cum Synagoga, lege et gente sunt abolita. Idem fiet Christianis. Audi S. Chrysost. in c. 20. S. B Matth. Prius, ait, in vallibus fiet obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat, quin iam nox est? Sic primum in sæcularibus et et laicis Christianis incipit prevalere obscuritas peccatorum. Nunc autem quando iam vides, quod sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes et colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur quia finis est mundi? Idem in cap. 24. Matth. hom. 47. Si pars aliqua domus, inquit, fuerit decisa, cum labore tamen possibile est ut reparetur. Si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatum, quid faciet paterfamilias, nisi in aliquo loco nova iaciat fundamenta, et lapides de priori loco transvectans, aliam sibi ædificet domum? Sic et in spiritualibus, si quidem populares peccaverint, per pœnitentiam corriguntur; si autem dissipatum fuerit ipsum sacerdotium, quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? iuxta illud Christi: Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum calet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus, Matth. 5. 13.

Vers. 11 AB ORTU ENIM SOLIS USQUE AD OCCASUM, MAGNUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS.) q. d. Nolo amplius angustis Iudææ finibus contineri, arcta mihi est Ierusalem, angustum templum: coaretor in Palæstina, cælum enim et terram ego impleo. Quare par est ut totus mundus sit mihi templum, ut omnes gentes ubique me colant victimis et sacrificiis. Quocirca brevi per Christum efficiam, ut nomen meum Gentibus toto orbe prædicetur, illæque me ubique agnoscant, adorent, celebrent.

ET IN OMNI LOCO SACRIFICATUR ET OFFERTUR NOMINI MEO OBLATIO MUNDA.) *Sacrificatur et offertur*, id est, brevi per Christum et Apostolos sacrificabitur et offerretur: Propheta enim propheticæ loquitur et prophetat de futuris, q. d. Nolo, o sacerdotes Iudaici, vestra sacrificia, sed brevi ea abolebo, tum quia impura et polluta sunt, tum quia uno in loco a pauculis Iudæis offeruntur. Quocirca eis per Christum surrogabo sacrificium aliud, quod in se purissimum erit et sanctissimum, quodque ubivis terrarum a quibuslibet gentibus mihi offerretur.

Quæres, quænam hæc oblatio munda? Primo, Iudæi respondent esse preces, quas Iudæi pii inter Gentes dispersi ubivis locorum Deo offerebant. Unde Chald. vertit, *ego recipiam preces vestras, et nomen meum sanctificabitur per manus vestras, et erit sicut oblatio munda coram me.* Verum hoc ex textu patet esse falsum. Nam reicit hic Deus sacrificia Iudæorum, dicens: *Non est mihi voluntas in vobis. Et munus non suscipiam de manu vestra;* eisque opponit sacrificia Gentium, eaque acceptat.

Secundo, Hugo censet esse oblationem quam Gentes proselytæ et Deum Iudæorum agnoscentes offerebant in templo Hierosolymitano. Sed obstat τὸ in omni loco, quod perperam invertit Hugo, explicatque, q. d. *Ex omni loco.*

Tertio, Arias accipit oblationes et victimas, quas Gentes tempore Malachiae, Deum verum ex motu caelorum et

Oblatio munda qua? I. Sentent

II

III.

A gubernatione universi agnoscentes, ubivis locorum ipsi offerebant. Verum Gentes sacrificabant Iovi, Herculi, Belo, non Deo vero: Iovem enim ponebant gubernatorem universi. Pauci enim Gentilium, ut Iob eiusque amici, Deum verum agnoverunt, et coluerunt: cæteri omnes coluerunt idola, quæ proinde in Scriptura dñi Gentium nominantur.

Quarto, Calvinus et hæretici, qui negant omne sacrificium legis novæ proprie dictum, accipiunt oblationem mysticam, puta Dei cultum per fidem, spem, charitatem, orationem, invocationem et laudem, atque opera pia, præsertim charitatis et eleemosynæ, aut conversionis aimarum. Idem censent Clarius et Vatabl. quibus favere videtur Tertull. l. 5. contra Iudæos: sed idem adversatur iis lib. 3. contra Marc. 22. ubi se explicat, et per oblationem mundam accipit sacrificium Eucharistiæ, Deique laudes et hymnos qui cum ea cani solebant, de causa ipse oratione et hymnis solet intelligere Eucharistiam, sicut et alii Patres subinde eam vocant εὐχαριστία, id est orationem, preceationem sacram, liturgiam; imo idcirco vocatur Eucharistia, id est gratiarum actio.

Verum dico, de fide est hæc oblatio mundam esse sacrificium corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. Unde patet contra hæreticos, Eucharistiam non tantum esse sacramentum, sed et sacrificium. Probat. primo, quia pro oblatio hebr. est מִנְחָה *mincha*, quæ vox licet ex sui origine significet quodvis munus, donum, oblationem, sacrificium; tamen a Mose et Deo appropriata est uni sacrificio, ut scilicet proprie significet sacrificium farreum, quod fiebat ex farina vel pane, quodque describitur Levit. 2. ut ibi dixi. Hoc autem mincha, sive sacrificium farreum erat proprie dictum sacrificium, ut patet Levit. 2. eratque typus sacrificii Eucharistici: utrobique enim offertur farina et panis, sed in Eucharistiam transubstantiatus et transmutatus in corpus Christi. Cum ergo mincha typicum et Iudaicum fuerit proprie dictum sacrificium, sequitur multo magis mincha verum et Christianum, puta Eucharisticum, esse verum et proprium sacrificium. Unde Sept. vertunt, *in omni loco incensum offertur mihi, et sacrificium mundum; Arabicus, ab ortibus solis ad occasus eius nomen meum glorificatur in Gentibus, et afferunt ad me victimas, et incensa nomini meo in omni loco; Syrus, in omni loco faciunt mihi incensa, et offerunt nomini meo oblationes mundas; Tigrina, in omni loco nomini meo incensum, et mola pura offertur.* Mola enim pura est sacrificium farreum, vel farina qua victimæ immolandæ caput aspergebant: unde ab hac mola dictum est verbum immolo. Alludit Malachias ad sacrificium iuge, quod quotidie tam mane quam vespere offerebant, in quo victima erat agnus, cum decima parte similæ conspersæ oleo, Exodi 29. v. 38. Agnus enim repræsentabat Christum, simila speciem panis, sub qua ipse in Eucharistia immolatur.

Secundo, idem innuit vox *munda*, q. d. Hoc mincha erit in se munda et sancta victima, ita ut semper maneat munda, etiamsi eam offerentes sint immundi. Talis autem est sola Eucharistia, in qua victima est ipse Christus mundissimus, et Sanctus sanctorum.

Tertio, quia Malachias solis hic loquitur sacerdotibus Aaronicis, ut dixi v. 6. eorumque mensæ et victimis pollutis opponit sacerdotes, altare, et victimam mundam legis novæ. Ergo loquitur de sacrificio non metaphorico et mystico, sed genuino et proprie dicto. Hæc enim tria, scilicet sacerdos, altare et sacrificium sunt correlativa, ut ubi unum est, cætera duo adesse necesse sit. Sacerdos enim est sacrificii, quod in altari offertur, sacerdos; et vicissim sacrificium in altari oblatum, est sacerdotis in altari sacrificantis sacrificium. Cum ergo hæc tria vere fuerint in veteri lege, quæ fuit typus legis novæ, sequitur in lege nova quoque veros et proprios esse sacerdotes, altaria et sacrificia, præsertim quia nulla unquam Ecclesia aut religio, imo nulla gens Deum vel idolum colens, fuit sine sacerdote et sacrificio. Natura enim dicitur Deum colendum esse latria et sacrificio.

Quarto, idem convincit vox *sacrificatur*, pro qua hebr. est מִקְטָר *muktar*, id est adoletur, incenditur, suffumi-

IV.

V.

genuina. Esse sacrificium Eucharistiæ. Probat. I.

II.

III.

IV.

gatur, crematur. Oratio autem non incenditur, nec crematur, sed victima proprie dicta. Unde *muktar* idem est quod *sacrificatur*: quia olim omne sacrificium Deo cremabatur. Iam autem in Eucharistia non crematur, sed alio modo digniore, Deo sacrificatur, et in honorem eius transubstantiatur, et manducando consumitur, de quo mox plura.

V. Quinto, idem ostendit *το in omni loco et in Gentibus*. Nullam enim est sacrificium quod ubivis gentium a fidelibus offeratur, nisi Eucharisticum.

VI. Sexto, ita hunc locum intelligendum esse docet Concilium Trid. sess. 22. c. 1. omnesque Patres et Doctores, nimirum S. Hieron. Theod. Remig. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera hic, item Clemens Rom. lib. 7. Const. Apost. c. 31. S. Martialis epist. ad Burdegal. c. 3. Iren. l. 4. c. 32. Iustin. contra Tryphon. Cypr. l. 1. contra Iudæos c. 16. Cyrill. catech. 16. Eusebius l. 1. Demonstr. c. 6. S. Aug. l. 18. de Civit. c. 35. S. Chrysost. in psal. 95. et orat. 2. contra Iudæos, Tertull. loco citato, Damascen. l. 4. c. 14. insuper Rabb. ut R. Samuel tract. de vero Messia ad R. Isaac c. 20. et alii apud Galatin. l. 11. c. 11. vide Bellarm. lib. 1. de Missa toto cap. 10. ubi omnia hæreticorum effugia confutat.

Obiicit Calvinus, et Antonius Sadeelius, aliique qui Missam missam faciunt, *mincha* hic tropice sumi pro pura religione et spirituali Dei cultu, quo Deum mente colimus et adoramus: Quia, inquit, pro *sacrificatur* Hebr. est *מקטר muktar*, id est, offertur thymiana, adoletur sufflitus, vel incensum, ut vertunt Septuag. Atqui nullum est thymiana quod in lege nova proprie dictum Deo offerimus, sed tantum mysticum, scilicet oratio et purus Dei cultus: ergo ille hic intelligitur. Resp. radix *muktar*, est *קטר katar*, quod licet proprie significet suffire, sullumigare, adolere incensum; tamen sæpe per metalepsin significat sacrificare: quia in sacrificio olim victima incendebatur, itaque per ignem et fumum ascendebat ad Deum: ita docent omnia lexica, omnesque Hebraei. Eucharistia ergo est oblatio munda, quæ *muktar*, id est, sacrificatur Deo. Adde, alludi ad *mincha* vetus et Indaicum, cui thus imponebatur, quod totum Deo proprie *muktar*, id est, sullumigabatur et cremabatur, iuxta legem Levit. 2. 2. per thus enim, quod omnium gentium usu et ritu Deo adoletur, significabatur rem hanc, puta *mincha*, id est, sacrificium farreum, Deo offerri et sacrificari. Unde et in nostris solemnibus Missis adhibetur thurificatio. Per hanc ergo thurificationem Propheta metonymice intelligit sacrificium, cuius illa est index et symbolum, imo pars aliqua, sed de hoc mox plura. Iam verba singula pressius examinemus.

IN OMNI LOCO.) Quia nihil ita Dei nomen et gloriam toto orbe celebrat et magnificat, ac sacrificium Eucharistiæ, quo Christus ipse se in victimam Deo Patri offert per manus sacerdotum suorum, uti paulo post ostendimus.

SACRIFICATUR.) Sept. Tigur. et Pagnin. *incensum offertur*; Syrus, *ponunt incensa*, thurificant; Arabicus Antioch. *faciunt mihi incensa*; Arabicus Alexandr. *offerunt ad me incensa*. Hebr. enim *muktar* est participium passivum coniugationis Hophal, quod proinde vel ut nomen, significans *thymiana*, incensum, sufflitum; vel ut verbum, aut potius verbale, significans *adoletur*, incenditur, sacrificatur accipi potest: ut nomen acceperunt Sept. ut verbale Noster.

Ubi Nota, Eucharistiam hic vocari incensum vel *thymiana*. Primo, quia continet Christi corpus quasi hostiam, Deo in ara crucis igne charitatis incensam, quæ quasi thymiana odorem suavissimum Deo exalavit, quo eius iram placavit, eumque hominibus reconciliavit. Secundo, quia Eucharistia conficitur, et conditur sacris precibus, quæ sunt thymiana Deo, iuxta illud psal. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Ita S. Chrysost. in psal. 95. *Dilucide*, inquit, *mysticam interpretatus est mensam quæ est incruenta hostia*. *Thymiana vero purum appellat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur*. *Hic enim sufflitus Deum refocillat, non is qui a terrenis radicibus sumitur, sed qui a puro corde exhalatur*. Denique Eucharistia vocatur incensum, quia non tantum represen-

tat, sed et reipsa continet Christum in ara crucis pro nobis incensum, id est, dolore et amore tostum, Deoque sacrificatum.

Tropolog. thymiana sunt ignitæ orationes, suspiria et vota tam sacerdotum, quam fidelium, dum Eucharistiam vel consecrant et conficiunt, vel sumunt et manducant, iuxta illud quod Apocal. 4. 8. angeli dicuntur habuisse et obtulisse Deo *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*. Quocirca S. Chrys. hom. 91. ad popul. Antioch. *Igitur, inquit, tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes, et charitatem quam nobis exebuit*.

OFFERTUR.) Hebr. *מגש muggas*, id est offertur, adducitur, offertur, applicatur, propinqua sit. Radix enim *גש nags*, significat accedere, appropinquare: victimæ enim et dona quæ Deo offeruntur, ad illum quasi accedunt et appropinquant, præsertim Eucharistia, in qua victima est ipse Christus Dei filius.

OBLATIO.) Hebr. *מנחה mincha*, id est munus, donum, quod Deo adducitur, donatur, offertur, a rad. *נחה nacha*, id est addoxit, dedit, obtulit. Porro *mincha* proprie erat sacrificium farreum, puta farinæ et panis, Levit. 2. quod proinde sua forma et specie, erat expressa figura Sacramenti et sacrificii Eucharistiæ: unde et cum illo in iugi sacrificio agni, quotidie libabatur vinum iuxta legem Exodi 29. 40. quod representabat alteram speciem Eucharistiæ, scilicet vini, sub qua ex vi verborum consecrationis ponitur et immolatur sanguis Christi, uti sub specie panis vi eorundem ponitur corpus Christi. Insuper cum *mincha* adolebant et offerebant oleum, thus et sal: oleum significat misericordiam Christi, quam in hoc Sacramento et sacrificio quotidie quasi novam et redivivam nobis exhibet: thus, eiusdem religionem et odorem suavissimum, quo se Patri in cruce immolavit, et rursus in Eucharistia immolat: sal, aternitatem et incorruptionem, quam in beata resurrectione per Eucharistiam nobis afferet, uti ipse promisit Ioann. 6. 55. Plura de his dixi Levit. 2. Sic et priseas Gentilium, qui pulvis et pane potius quam carne vescabantur, victimas fuisse incruentas et puras, id est farreas, non carneas, docet Ovid. l. 1. Pastor.

*Ante deos homini quod conciliare valeret  
Far erat, et puri lucida mica salis.*

Ideoque in sacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre et sale constabat. Mola enim, ait Festus Pompeius, nihil aliud erat, quam far tostum et sale aspersum; et quod eo molito hostiæ aspergerentur, inde molæ nomen invenit: quam proinde Virgil l. 2. *Aneid.* *salsas fruges appellat*:

*Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.  
Sic et Tibull. lib. 3. eleg. 4.*

*Et vanum metuens hominum genus, omnia noctis  
Farre pio placant, et saliente sale.*  
Rursus Ovid. l. 4. Pastor.

*Farra Deo, micæque licet salientis honorem  
Detis, et in veteres thurca grana focos.*  
Idem lib. 1. Pastor.

*Iude vocor Ianus, cui cum cereale sacerdos  
Imponit libum, farraque mista sale.*

Quin et Arnob. l. 2. contra Gentes docet farreas victimas fuisse ante thuris notitiam et usum: *Thus, ait, neque ipse Romulus, aut religionibus artifex comminiscendis Numa, aut esse scivit, aut nasci, ut pium far monstrat, quo peragimur fuit sacrificiorum solemnium munia*.

MUNDA.) Primo, quia corpus Christi, quod in Eucharistia offertur, est mundissimum et sanctissimum, utpote ex Virgine opera Spiritus sancti efformatum, ipsique Deo hypostaticè unitum. Secundo, quia nulla indignitate aut malitia sacerdotum, vel offerentium inquinari potest, inquit Conc. Trid. sess. 22. c. 1. Etsi enim sacerdos esset impiissimus, Eucharistia tamen semper suam munditiam retinet, vimque mundandi ex seipsa, sive ex opere operato. Tertio, quia Eucharistia homines non tantum a peccatis, sed a peccatorum causis, puta a concupiscentiis, tentationibus, passionibus emundat, ac peccandi occasio-

Eucharistia vocatur incensum vel thymiana, cur?

olim victima erat far, non caro.

Mola salis quæ.

Eucharistia dicitur non tripliciter.

nes vel amovet, vel ad eas superandum robur addit.

Denique tres erant species sacrificii a Deo Iudæis præscriptæ Levit. 1. Prima erat holocaustum, puta, bos, ovis aut columba, quæ tota in Dei honorem comburebatur. Secunda, hostia pro peccato, ad illud scilicet expiandum. Tertia, victima pacifica, qua scilicet pro pace, id est, salute et beneficiis, vel iam obtentis, Deo gratias agebant, vel pro obtinendis supplicabant. Hisce tribus in lege nova successit unicum sacrificium Eucharistiæ, quod eminenter tres hæc species in se complectitur. Ipsa enim est dignissimum Deo holocaustum, quo summe Dei maiestas colitur et honoratur, estque refectio et repetitio holocausti illius, quo Christus se totum Patri in ara crucis obtulit et immolavit. Ipsa pariter est sacrificium propitiatorium pro peccatis, iuxta illud Hebr. 10. 6. *Holocaustomala et pro peccato non tibi placuerunt, Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Et v. 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi.* Tertio, Eucharistia est sacrificium pacificum, quo Deo de omnibus donis perceptis gratias agimus, et pro percipiendis obsecramus.

Moral.  
quam pu-  
rus de-  
beat esse  
sacer-  
dos.

Moral. discite quam purus et sanctus debeat esse sacerdos, qui oblationem purissimam, imo ipsam puritatem, Christum inquam, Sanctum sanctorum, consecrat, tangit, manducal, distribuit; quod angelis non est concessum. Angelica ergo, et plusquam angelica puritas requiritur; ut angelorum Dominum suscipiamus, imo conficiamus. Iudæis itaque, et multo magis Christianis edixit Deus Levit. 20. 26. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei.* Et c. 22. 32. *Ego Dominus qui sanctifico vos.* Vide ibi dicta, et Levit. 9. in fine cap. Vere noster Thomas theodidactus lib. 4. de Imitat. Christi c. 12. *O quam magnum, inquit, et honorabile est sacerdotum officium, quibus datum est Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare! O quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis! Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum, et utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi suscipit Sacramentum. Oculi eius simplices et pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ et in celum elevatæ, quæ creatorem celi et terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

QUA MAGNUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS.) Vox quia partim proprie et causaliter accipi potest, q. d. Causa cur Gentes Deo offerent oblationem tam puram et nobilem, quam est ipsa Christi filii Dei caro et sanguis, est, quia magni me meumque nomen æstimabant; credent enim et profitebantur me esse summum et augustissimum numen, ideoque summam et augustissimam hostiam iam dictam mihi offerent. Partim improprie et consecutive, ut more Hebræo quia non significet causam, sed consecutionem et effectum, q. d. Ex hac hostia Eucharistiæ consequetur, ut nomen meum magnificetur; per hanc hostiam mire glorificabor ego, nomenque meum.

Eucharistia summe honoratur Deo octo de causis.  
I.

Quæres, unde, et qua ratione? Resp. Primo, quia Iudæi et Gentiles offerebant Deo, vel diis suis oves, boves, capras, fruges, aliasque creaturas, ut protestarentur Deum esse omnium creatorum causam, principium et finem, seque ab illo omnia bona accepisse, accipere et postulare. Christiani vero loco creaturarum offerunt Deo in Eucharistia Christum Dominum, Dei filium, qui est primogenitus omnis creaturæ. Quanto ergo Christus creator nobilior est omni creatura, tanto magis hac sui victoria honoratur et glorificatur Deus præ victimis Iudæorum et Gentium.

II. Secundo, quia oves, boves et capræ non sunt condigna pretia peccatorum: Christi autem caro et sanguis condigna sunt. Iis ergo satisfit ex æquo offensæ et iustitiæ Dei, ac consequenter Deus, Deique iustitia per illa summe honoratur, placatur, conciliatur.

A Tertio, quia per Eucharistiam Deo uni veroque oblata, exclusa sunt idola et idolothya, id est, sacrificia idolis immolata; ac consequenter Deo sua unitas, dignitas et maiestas apud gentes toto orbe est restituta. Agnoscunt enim et profitentur in Eucharistia, se nulla alia deorum numina, quæ prius coluerant, sed solum Deum verum credere, colere et adorare.

III.

IV. Quarto, quia per hanc Christi victimam agnoscitur summa Dei bonitas, qua filium suum nobis dedit in redemptorem: et iustitia, qua peccatum punivit morte sui filii unigeniti: et sapientia, qua modum invenit salvandi nos; sed ita ut simul satisfaceret suo honori, et iustæ vindictæ, nimirum mittendo filium suum in carcerem, qui in ea patiens et moriens satisfaceret læsæ maiestati divinæ: et potentia qua tam augustam hostiam, sibi commensam et æqualem instituit. Idem videre est in cæteris Dei attributis, quæ per Christum orbi innotuerunt.

IV.

V. Quinto, quia in Eucharistia memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, dum escam tam augustam dedit timentibus se, Ps. 110. 4. Eucharistia enim reficit nobis beneficium creationis, redemptionis, iustificationis, glorificationis, cæteraque omnia, uti ostendi Zachar. 11. 17.

V.

VI. Sexto, quia Eucharistia est miraculum miraculorum, opus operum Dei, portentum sæculorum, iuxta illud Zachar. 9. 17. *Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Quapropter S. Dionys Eccles. hierarch. c. 3. Eucharistiam vocat omnium sacramentorum consummationem, divinissimum et sacrosanctum Sacramentum, sacrosancta et augustissima mysteria. S. Martialis ep. ad Burdegal. c. 3. et 4. Eucharistiam nuncupat communionem Dei vivi, mensam divinam, et escam in fide perfecta totam caelestem; Iren. lib. 4. cap. 32. *novi testamenti novam oblationem;* S. Cyr. I. de Cæna Domini, *cibum inconsumptibilem;* Optatus Milev. *pignus salutis æternæ, tutelam fidei, spem resurrectionis;* S. Ephrem. lib. de Natura Dei minime scrutanda, *ignem immortalem.* Hoc sane, inquit, excedit, omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christus salvator noster: *ignem et spiritum manducandum ac bibendum præstitit mihi, corpus scilicet et sanguinem suum.* S. Chrys. hom. 14. in ep. 1. ad Cor. *Cum benedictionem, inquit, dico, Eucharistiam dico, et dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio. Etenim cum calice inenarrabilia Dei beneficia consecuti sumus, etc.* S. Cyrill. catechesi 4. ait per Eucharistiam nos fieri *christophoros, et divinæ naturæ consortes.*

VI.

VII. Septimo, quia per Eucharistiam participat tam sacerdos, quam offerentes et assistentes, imo omnes fideles totius Ecclesiæ, sanguinem, redemptionem, omniaque merita Christi. Rursum per illam omnis gratia cum suo fonte et auctore, puta Christo, ad nos derivatur. Quocirca vere et sapienter noster Thomas theodidactus l. 4. de Imit. Christi, c. 5. *Quando, ait, sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adiuvat, defunctis requiem præstat, et sese omnium bonorum participem efficit.* An non hæc est magna nominis Dei gloria, magna Dei laus et glorificatio? Hinc vocatur *Eucharistia*, quia ipsa est summa gratiarum actio. Nil enim maius pro beneficiis naturalibus et supernaturalibus quæ accepimus, Deo reddere possumus, quam Christum ipsum: Christus enim omnia alia Dei beneficia exæquat, imo in imænum superat. Quocirca S. Chrys. lib. 6. de Sacerdotio: *Per id tempus, ait, et angeli sacerdoti assident, et caelestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est.* Confirmat id visione viri sancti, asserentis se in Missa angelorum multitudinem conspexisse, fulgentibus vestibus indutorum, *allare ipsum circumdantium, sic capite inclinatorum, ut si quis milites præstante rege stantes videat.* Idem hom. de Eucharistia in Encænii: *Agnus, ait, Dei immolatur, Seraphim astant sex alis faciem tegentia.* Idem hom. 24. in 1. ad Corinth. *Dum in*

VII.



hæc vita sumus, ut terra nobis cælum sit, fucit hoc mysterium. Ascende igitur ad cæli portas, imo non cæli, sed cæli exolorum, et tunc quod dicimus intuerberis. Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam, etc. Neque enim angelos, neque archangelos, non cælos, non cælos exolorum: sed ipsum horum omnium tibi Dominum ostendo. Idem lib. 3. de Sacerdotio: Hoc ergo mysterium maxime horrendum verendumque quis tandem qui insanus minime sit, quique e potestate non exierit, fastidire ac despici potest? S. Gregor. 4. Dial. c. 58. Quis, ait, fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri?

VIII. Octavo, quia in Eucharistia exercetur summa fides, spes, charitas, religio, cæteraque virtutes, quibus Deum colimus et glorificamus. Fides, quia credimus Deo dicenti, ibi vere esse corpus Christi, etiamsi visus, gustus, tactus, omnesque sensus contrarium iudicent, scilicet esse panem et vinum. Spes, quid enim non speremus a Deo, quem credimus nobis dare filium suum in cibum et sacrificium? Charitas, quis enim ea non accendatur, cogitans immensum Dei et Christi in nos amorem, quo se vobis totum dat et communicat, Religio, quis enim non summa veneratione colat Deum, quem presentem credit et videt? et ita de cæteris. Atque hæc fuit una e causis præcipuis, quare Deus Eucharistiam instituerit, nimirum ut daret obiectum et materiam exercendi omnes virtutes, ut iis eum coleremus et honoraremus. Denique Eucharistia est manna omne delectamentum in se habens, et omnem saporis suavitatem, ideoque magnifice Deum datorem celebrans et deprædicans, ac quasi muta voce clamans: *Panem cæli dedit eis: panem angelorum manducavit homo. O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, panem suavissimo de cælo præstito esurientes reptes bonis, fastidiosos divites dimittens inanes!* ut canit Ecclesia.

Mira sacerdotis dignitas Sacerdos ergo iturus ad altare, cogitet quantum opus adeat. Cogitet, et stupeat se esse legatum Ecclesiæ, imo totius orbis ad Deum, ut cum eo summa negotia tractet, nimirum ut nomine totius creaturæ homagium Deo præstet, ac doxologiam et gratiarum actionem pro omnibus beneficiis a qualibet creatura perceptis; ut oret et propitiæ Deum pro peccatis totius mundi; ut peccatoribus in infernum ruituris liberationem, veniam et gratiam impetret; ut omnium afflictorum morbos, tentationes, ærumnas Deo repræsentet, opemque poscat; ut singulis fidelibus Dei gratiam, virtutum augmentum, omniaque bona impetret; ut pro defunctis exoret, et pro tot millenis animabus quæ in Purgatorio uruntur, supplicet. Denique ut sit mediator Dei et hominum, ac Christi ipsius personam subeat, iteretque illud idem sacrificium quod Christus obtulit in cruce, ubi ipse tam victima fuit, quam sacerdos. Quis hæc perpendens non perecellatur? non stupeat, non accendatur?

Vers. 12. ET VOS POLLUISTIS ILLUD, scilicet, nomen meum vile et quasi pollutum effecistis, IN EO QUOD DICITIS: non tam verbis, quam re ipsa et factis: **MENSA DOMINI CONTAMINATA EST.**) Mensa Dei est altare. Redit ad sacerdotes sui ævi, quos arguere cœpit v. 5. q. d. Talis erit mea mensa et victima tempore Christi, quem iam descripsi: vos vero, o sacerdotes Iudaici (uti cœpi dicere v. 5.) ex adverso ita viliter, sordide et indignè tractatis altare meum, meaque sacra et sacrificia, atque si essent res viles, sordidæ et pollutæ; ac hostia altari superposita esset res contemptibilis, pariter et ignis sacer, qui illum devorat et consumit: ita S. Cyrill. Causa huius indignitatis fuit diuturnus in captivitate sacrorum neglectus, item paupertas Iudæorum, ac avaritia sacerdotum, uti dixi v. 7. De igne etiam altaris contemnendo occasio fuit, quod hic post reditum e Babylone non e cælo, uti prior, datus sit, sed ex aqua crassa accensus, ut patet 2. Machab. 1. 21. Hebr. ad verbum habent: *fructus, vel proventus eius contemptibilis, et comedens illum* (hoc enim est אֹכֵלו *ochelo*) fru-

ctus altaris, est victima quæ in eo offertur: *comedens illum*, est ignis, qui eum cremat et consumit. Unde Noster clare vertit, *quod supponitur* (altari puta holocaustum, aliave victima) *contemptibile est cum igne qui illud devorat.* Iam aliis punctis legunt אֹכֵלו *ochlo*, id est, cibus eius. Unde vertunt, *fructus eius contemptibilis, cibus eius*, q. d. Fructus mensæ Dei, qui est cibus in ea Deo appositus, puta hostia, vel victima altari imposita, est contemptibilis. Unde Chald. vertit, *mensa Domini despecta est, et despecta sunt dona eius;* et Tigurina, *proventus eius, nempe cibus eius vilis:* quia adeps victimæ, et intestina, quæ in altari Deo cremantur, sunt res viles et sordidæ, ait Vatabl. Aliter S. Hieron. Fructus, ait, vel proventus altaris est ignis (hic enim ex altari quasi nascitur et prodit) cibus vero ignis sunt victimæ, q. d. Vilis est ignis altaris; quia viles sunt victimæ, quas quasi cibum devorat.

ET DIXISTIS: ECCE DE LABORE; Septuag. hæc de afflictione sunt, q. d. Causam eorum altare meum et victimæ sint vilia et sordida, reiecit in vestros labores: excusatis enim vos paupertate et ærumnis, dicitis quod nuper magna fatigatione et sumptu redeuntes e captivitate Babylonica, per omnem laborem vestrum vix adhuc tantilla, et tam vilia comparare et offerre possitis: ET dum hæc dicitis, EXSUFFLASTIS ILLUD. Id est, exsufflatione mea dignum fecistis: ita S. Hieron. Remig. Albert. et Lyran. Addit Cyrill. q. d. Hæc victima non ex se, sed ex labore itineris facta est maera, manea vel clauda.

Aliter recentiores, R. David, Pagnin. et Vatablus: hi enim pro מַתְלָא *metelaa* per *tsere*, id est, de labore, uti legerunt Sept. Chald. et Noster, legunt מַתְלָא *metelaa*, vertuntque, *ecce labor;* vel potius, ut R. Abraham, *matelaa* conflatur ex מַתְלָא *ma telaa*, id est, *quis labor*, q. d. O quantum laboris subii in afferenda hæc victima? quam mihi meisque humeris fuit onerosa? quam ea apportanda defatigatus et anhelus sum? quam fuit mihi gravis, crassa et pinguis hæc hostia? Unde Pagnin. vertit, *ecce labor, et proiecistis illum*, q. d. Proiecit in terram victimam, quasi eius onere quo oppressi estis, vos levaturi, ideoque, ut Noster vertit, *exsufflastis illum*, quasi anhelum exsufflatione halitum attracturi. Ita dicunt ipsi, sed mentiuntur: nam hostia eorum adeo vilis, maera et exilis est, ut exsufflari flatuque depelli, imo exanimari possit, eoque ut halitum suum tenuem esset et expiret. Septuag. in editione Rom. vertunt, *exsufflavi illum* (licet in editione Regia habeatur, *exsufflastis illum*, itaque legant S. Hier. et Theodor.) per antithesin et collisionem contrarii sensus, q. d. Vos exsufflastis et suspirastis præ nimio onere: ego vero tamquam rem levissimam et vilissimam exsufflo, levi flatu repello, refuto, atque adeo abominor. Sic parasitus apud Plautum gloriosum militem titillat dicens: *Cuius tu legiones distlasti spiritu, quasi ventus folia.* Addit S. Hieron. *In Hebræo legi potest. Et exsufflastis me* (legendo אֹתִי *oti*, id est *me*: iam tamen omnes legunt אֹתִי *oto*, id est *eum*) q. d. *Non sacrificio, sed mihi fecistis iniuriam, me enim tacite irrisistis, exsufflastis et exsibilastis.*

Nota ad populum magis, quam ad sacerdotes hæc dici. Sicut enim prius taxavit incuriam sacrorum in sacerdotibus, ita hic eandem taxat in populo, qui de more sacerdotes suos in scelere et avaritia sequebatur, imo præibat. Unde de populo subdit dicens: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino:* ita S. Hier. Remig. Hugo, Lyran. licet aliqui, ut a Castro, et Sanchez, censeant continuari hic sermonem ad sacerdotes. Illis enim pergit loqui initio capituli sequentis. Dicamus utrosque hic culpari.

DE RAPINIS.) Elidit Deus falsam populi excusationem, q. d. Dicitis vos ex labore vestro has hostias, quales quales comparasse. Mentimini: nam ex rapinis eas parastis, rapinistis eas; atque ex rapinis claudas et languidas mihi obtulistis, integras vero, pingues et vegetas vobis reservastis. Duplex est ergo, imo triplex crimen vestrum: primum rapinæ, secundum irreverentiæ et irreligiositatis, tertium mendacii. Numquid hoc scelus patiar? numquid

munus tam fedum et sordidum de manu vestra suscipiam? Absit: ita S. Hier. Remig. Albert. et Lyran.

Vers. 14. MALEDICTUS DOLOSUS QUI HABET IN GREGE SUO MASCULUM. ET VOTUM FACIENS IMMOLAT DEBILE DOMINO.) *Masculum*, id est robustum, perfectum, integrum, sine vitio.

Nota primo: Levit. 22. 23. saceri, ut si hostiæ sint votivæ, sive ex voto oblatae, sint perfectæ, sin voluntariæ, id non requiri, sed permitti ut sint mutilæ et imperfectæ. Causam ibidem assignavi. Hic ergo Deus iuxta legem, in voto requirit victimam masculam, tum proprie dictam; tum masculam, id est perfectam: opponit enim eam debili, vel, ut Tigurina vertit, *vittato*; Pagain. *maculoso*; Chald. *corrupto*. Hebræum enim מִשְׁחָת *mosehat*, quod Noster vertit *debile*, significat succisum, excisum, mancum, corruptum. Sic ait Virgil. in Pharmaceutr.

*Verbenasque adole pingues, et mascula (id est, fortia et egregia) thura.*

Sic Persius satyra 5.

*Calido sub pectore mascula bilis*

*Intumuit, quam non extinxerit urna cieuta.*

Sic vocamus mascula vina, masculos animos, id est fortes et generosos.

Nota secundo: In solo holocausto, utpote perfectissimo sacrificio. Deus requirit victimam masculam, Levit. 1. 3. unde in hostia pacifica, si sit voluntaria, permittit ut sit fœmina, Levit. 3. 1. Dico, si sit voluntaria: nam si esset votiva, id est, ex voto debita, debebat seligi melior, ideoque mascula, ut patet ex hoc loco Malachiæ. Quare si quis Deo vovisset ex grege suo ovem, seligere debebat masculam, non fœminam; cuius rei causam tropologicam assignavi Exodi 1. 16. nimirum quod Deus amet, ideoque a votentibus sibi consecrari velit, mascula, id est, generosa et virilia, non fœmina, id est, languida et infirma. Optima ergo sunt Deo vovenda et offerenda, idque summo studio, ait S. Cyrill.

Nota tertio: *To si habuerit*. Nam, ut ait S. Hieron. *si non habes masculum, nihil tibi nocet ista maledictio. Hæc autem dicendo, ostendit eos habere quæ optima sunt, et offerre quæ mala sunt*. Fœmina ergo se dicans Deo, illi perplacet: æque ac vir offerens ovem fœminam, cum non habeat masculam.

Nota quarto: *To dolosus*, significat hic peccari non tantum contra religionem, sed et contra iustitiam. Sicut enim mercator qui emptori certo pretio suas merces addidit, si postea ei illas tradat vitiatas et corruptas, peccat dolo malo, estque iniustus; ita et qui Deo victimam promisit, scilicet Deo dignam, et iuxta legis præscriptum integram et perfectam, fraudulentus est, et peccat contra iustitiam, si postea eidem tradat mancã, mutilam et vitiatam, facitque factum in re sacra, ideoque sacrilegium.

Mal.  
Res vota  
Deo sit  
optima

Discant hic Religiosi et votentes, sua vota debere esse mascula; atque id quod voverunt, debere Deo dari integrum, virile, perfectum et opimum. Ergo castitas eorum debet esse omni ex parte illibata et integra; paupertas perfecta; obedientia virilis et mascula. Hoc enim exigit reverentia summæ et divinæ maiestatis, cui se consecrant, ut ei summa, optima et perfectissima offerant; nimirum ut faciant se holocaustum Deo, totas facultates ei offerendo per votum paupertatis, totum corpus per votum castitatis, totam animam per votum obedientiæ. Quocirca S. Basil. serm. 1. de Monast. instit. asserit eum qui nuncium sæculo remisit, divinum quoddam vas effectum esse; ac proinde ei cavendum, ne vitioso usu polluat; seque ipsum custodire debere velut quiddam Deo dicatum, ne sacrilegii crimen incurrat; si videlicet corpus quod Deo sacravit, rursus ministerio vitæ communis contaminet. Hinc S. Gregor. homil. 12. in Ezech. docet Religiosos esse holocausta Dei: *Qui, inquit, cuncta quæ mundi sunt deserunt, et totam mentem igne divini amoris incendunt: hi nimirum omnipotenti Deo sacrificium et ho-*

*locaustum fiunt*. Idem docet D. Thomas 2. 2. q. 186. a. 7. Quin et S. August. 1. 10. Civit. 6. *Ipse homo, inquit, Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est, in quo scilicet victima est homo, culter est sui odium et abnegatio, mors est abdicatio vitæ sæcularis ut spirituales capessat, ignis est amor Dei, ligna sunt orationes et pietatis exercitia, sacrificium est ipsa sui per tria vota oblatio et consecratio. Ita S. Teresia, ut habet eius Vita, vovit se in qualibet re facturam id quod optimum esset, perfectissimum Deoque honorificentissimum. Ita masculam victimam offerunt Deo, qui per continentiam omnes cupiditates, utpote fœminarum, fœmineas, trucidant. Rursum, qui pudorem metumque omnem pro Dei gloria contemnunt. Insuper, qui persecutiones, exilia, famem, carceres, tormenta et mortem pro Deo genere sustinent et superant, uti fecerunt Martyres.*

Sic masculum animum, et septem proles masculas quasi victimas pro lege Dei ad martyrium obtulit Machabæa mater et virago, quæ singulas hortabatur voce patria fortiter repleta sapientia, et fœminæ cogitationi masculinum animum inserens dixit: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis, etc.* 2. Machab. 7. 21. Totidem masculos secum Deo ad martyrium obtulit S. Felicitas sub Marco Aurelio Imper. anno Domini 175. quæ Publio Præfecto suadenti ut sibi et filiis consuleret, obediendo Imperatori et sacrificando eius diis, respondit: *Tua compassio est crudelitas, tuum consilium illecebrosum et crudele*; ac conversa ad filios: *Aspicite, ait, o filii caelum, ubi Christus vos spectat et expectat cum suis Sanctis: certate viriliter pro salute animarum vestrarum: ostendite vos fideles et constantes in amore Christi Iesu*. Quibus vocibus animati filii ad unum omnes sua corpora in prædam dederunt, ac gloriosam pro Christo mortem obierunt, æque ac post ipsos mater. Totidem masculos secum Deo obtulit S. Symphorosa cum marito Getulio, qui omnes martyrii lauream adepti sunt sub Adriano Imper. anno Domini 138. quibus competit illud Sapientis Prov. 31. v. 10. 17. 19. 25. *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Manum suam misit ad fortia. Fortitudo et decore indumentum eius, et ridebit in die novissimo.*

QUIA REX MAGNUS EGO, DICIT DOMINUS.) Et proinde magna mihi conveniunt et debeatur, eximia scilicet et perfectissima, ideoque mascula, non fœminea: valida, non debilia; integra, non manca, vel mutila.

ET NOMEN MEUM HORRIBILE.) Hebr. נֹרָא *nora*, id est, tremendum et reverendum; Chald. *potens*. Respicit ad v. 6. *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Horribile ergo idem est, quod summe pavidum et reverendum. Reverentia enim quando est eximia, ex profunda consideratione tantæ maiestatis generat tremorem, horrorem et stuporem. Hic est horror sacer, de quo Virgil. Æneid. 1.

*Horrentique atrum nemus imminet umbra.*

Et Lucanus:

*Arboribus suis horror inest.*

Rursum *horribile*, id est, *terribile*, ut vertit Pagain. et formidabile; quia ipse sui suorumque sacrorum neglectum horribiliter castigat et punit. Hinc Sophon. c. 1. 11. ait: *Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.*

Septuag. Hebr. נֹרָא *nora*, non a נֹרָא *iare*, id est, terruit; sed a נֹרָא *raa*, id est, *vidit*, deducentes vertunt εἰς γένος, id est, *illustre est nomen meum in gentibus*. Hoc verum fuit tempore Malachiæ et Machabæorum, quorum victoriæ cælestes Deum toto orbe cunctis gentibus illustrem et formidabilem fecerunt; verius est in Christo et Christianis: omnes enim gentes celebrant Christum, eiusque Deum Patrem: ita Theodor.

Horribile, id est, reverendum.

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Malis sacerdotibus in cultu suo incuriis minatur Deus egestatem, maledictionem, infamiam, eo quod eorum sit custodire scientiam, cum sint angeli Domini. Mittam, inquit, in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris. Et v. 9. Propter quod et ego deli vos contemptibiles, et humiles omnibus populis. Secundo, v. 40. multis arguit sacerdotes et populum, quod repudiarent suas uxores Israelitides, et ducerent alienigenas, ideoque pariter vers. 45. protestatur se eorum victimas repudiaturum. Duas ergo hic dat causas cur ei displiceant ipsorum hostiæ: prior est, quod sint viles et illegitimæ; posterior, quod offerantur ab iis qui coniugio cum idololâtris sunt maculati et polluti.*

1. **E**T nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes. 2. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis: quoniam non posuistis super cor. 3. Ecce ego proiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitate vestrarum, et assumet vos secum. 4. Et scietis quia nisi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis: et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. 6. Lex veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non est inventa in labiis eius: in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. 7. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. 8. Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. 9. Propter quod et ego deli vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. 10. Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? 11. Transgressus est Iuda, et abominatio facta est in Israel et in Ierusalem: quia contaminavit Iudas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. 12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Iacob, et offerentem munus Domino exercituum: 13. Et hoc rursum fecistis: operichatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. 14. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te, et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui. 15. Nonne unus fecit, et residuum spiritus eius est? Et quid unus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere. 16. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum, et nolite despiciere. 17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent: aut certe ubi est Deus iudicii?

Vers. 1.

**E**T NUNC AD VOS MANDATUM HOC, O SACERDOTES.) Reddit a populo ad sacerdotes, quasi ad mali fontem: eorum enim avaritiam et sacerorum incuriam taxavit c. 4. v. 6. et sequ. Hanc Dei increpationem audiant, sibi que a Spiritu sancto dictatam putent sacerdotes novæ legis, a quibus uti maiorem sanctitatem iure requirit Deus, ita gravius eos puniet, si in officio suo sint incurii, aut scandalosi.

Ver

**S**I NOLUERITIS AUDIRE, ET SI NOLUERITIS PONERE SUPER COR, UT DETIS GLORIAM NOMINI MEO.) q. d. Si nolueritis mihi momenti, et scelera vestra arguenti obedire, si, inquam, nolueritis firmiter apud vos decernere, eordique vestro imprimere, quod deinceps debite me coletis, curabitisque ut meo altari, victimis et cultui suis constet decor, honor et gloria, offerendo scilicet mundas, legitimas, meque dignas vietimas. Nota hebraismum: *ponere super cor*, vel in corde, est cordi imprimere, cor applicare, cor flectere et dirigere, corde ferri et intendere. Per *cor* intellige mentem et voluntatem, eiusque propositum, resolutionem et decretum.

Quæres, quid iubet Deus hic poni super cor? Respondet Chald. sui timorem; vertit enim, *nisi ponatis timorem mei super cor, ut detis gloriam nomini meo*. Hic enim timor non tantum servilis, sed et filialis, est quasi pondus grave cordi hominis impositum, quod illud premit, impellitque ut Deo se submittat, et per omnia obediat; perinde ac pondera in horologio eius rotas premendo commovent, aguntque ut iudicem horarum stata temporis mensura circumagant, ad horas quaslibet diei indicandas et monstrandas. Simili modo enim pondus cordis nostri, est timor et amor Dei, iuxta illud S. Aug. lib. 11. Civit. 28. *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror. Velut amores corporum, ait S. August. momenta sunt pon-*

Amor est pondus cordi.

**A**derum. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur. Secundo, Vatablus respondet, præcepta Dei iuberi hic poni super cor, q. d. Nisi adverteritis ad præcepta mea, nisi cor applicaveritis ad ea quæ vobis præcipio. Ubi Nota, sapientes et probos Dei præcepta ponere super cor, ut illi quasi incumbant et dominentur, illudque agant ad ea exequendum; insipientes vero et improbos ponere ea sub corde, ut cor eis dominetur, eaque capessat si, ubi, et quando velit; si nolit, ea pessundet, et negligat. Tertio, simplicius et facilius dici potest, iubere hic Deum sacerdotibus, ut gloriam nominis divini imponant cordi suo, ut scilicet decernant in corde dare, et procurare gloriam Dei in eius sacrificiis. Propheta enim explicat quid iubeat *ponere super cor*, dum illico subdit: *Ut detis gloriam nomini meo*. Nam gloria Dei est pondus, quod cor sacerdotis premere et impellere debet, ad sacerdotii munia pie riteque obendum. Finis enim et scopus sacerdotii, est gloria Dei. Quocirca sacerdos in omnibus suis actionibus hunc finem et scopum spectare debet, easque ita religiose obire, ut per eas honoretur et glorificetur Deus. Ita S. Ignatius fundator Societatis nostræ, hoc firmiter cordi impressum habebat, tamquam totius vitæ suæ principium et regulam: *Ad maiorem Dei gloriam*.

Pii ponunt legem supra cor, impiis sub corde.

Gloria Dei est scopus sacerdotis.

**MITTAM IN VOS EGESTATEM.)** Hebr. *מַעְרָה* *mcera*, id est, maledictionem. Unde sequitur: *Et maledicam benedictionibus vestris*: ita Septuaginta, Chaldæus, Pagninus, Vatablus et alii. Iam maledicere Dei est efficax, idemque quod malefacere; sicut ex adverso benedicere Dei est benefacere. Quocirca maledictio Dei accipi potest paupertas, infamia, sterilitas, pestis, omniaque mala et adversa. Noster tamen vertit, *egestatem*; tum quia hæc maxime et sæpissime Iudæis a Deo fuit comminata et intenta-

Avaritia  
pœna est  
egestas.

ta, hancque maxime Iudæi terreni et carnales extimescebant; tum quia propria et condigna pœna avaritiæ est egestas, q. d. Vos, o sacerdotes, conamini per avaritiam, suffurando mihi victimas meliores, easque vobis arrogando, vos ditare: quocirca ego efficiam, ut vos depauperent: efficiam enim ut propter eas egestatem, quam per eas inique fugere cogitabatis, incurritis.

Notent hic avari, præsertim Ecclesiastici, æterna Dei lege iustissime sancitum esse, ut cupiditates contrariis pœnis puniantur, et per quæ quis peccat, per eadem et plectatur; scilicet ut superbi puniantur ignominia, gulosi esurie, invidi exaltatione æmuli cui invident, a cedi labore et fatigatione, ac consequenter avari penuria et egestate. Hanc ergo sciant et cogitent sibi, et posteris suis a Deo certo infligendam, tum in hac vita, tum in futura. Quocirca desinant avaritiæ servire, utpote quæ illis non divitias, quas ambiunt; sed inopiam sit paritura: studeant vero eleemosynæ, quæ opes omnes eis conciliabit.

MALEDICAM BENEDICTIONIBUS VESTRIS.) Primo, q. d. Privabo vos bonis quæ vobis dedi, quæque ex mea benedictione possidetis, auferam vobis oblationes meliores et pinguiore, quia vos eas mihi suffurati estis; faciam ut populus parce, et peiora vobis offerat, quia vos peiora mihi obtulistis: iuxta illud: *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, 2. Cor. 9. 6. Benedictiones enim Dei sunt fruges, opes et gratiæ, quibus ipse nos cumulat, nobisque benefacit. Unde et præcessit: *Mittam in vos egestatem*: ita S. Cyrill. Remig. et Vatablus.

Secundo, q. d. Hominibus, bestis, agris et domibus, quibus vos o sacerdotes irreligiosi benedixeritis, ego maledicam et malefaciam, affligam, evertam: ita S. Hieron.

Tertio, q. d. Habebo vestras benedictiones pro execrationibus. Unde Chald. vertit, *maledicam benedictioni vestræ, et execrabor eam*.

Symbol. Theodor. per benedictionem accipit sacerdotium, q. d. Auferam a vobis sacerdotium, quia vos eo indigni estis, eoque abutimini, præsertim quando illud cum lege veteri abolebo, novumque et sanctum per Christum instituum.

Tropolog. S. Hieron. *Qui, inquit, sanitate abutuntur in libidinem, et divitias vertunt in luxuriam, bonamque famam sordida conversatione deturpant, hi benedictiones Dei mutant in maledictionem*. Item proprie sacerdotes, qui adulantur peccatoribus, dummodo divites sint, atque eorum vitiis blandiuntur, de quibus dictum est, Isaïæ 3. *Popule meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, et semitas pedum vestrorum supplantant*.

ET MALEDICAM ILLIS.) Idem repetit et inculcat, q. d. Omnino et graviter maledicam benedictionibus vestris. Secundo Pagnin. et Vatablus, vertunt, *quin etiam maledixi*, id est, maledicere cœpi, *illi*, scilicet cuilibet benedictioni vestræ; Chald. *execrabor illam*. Maledicere Dei est efficax, idemque quod malefacere, hominum vero est inefficax: nam sæpe quibus homines maledicunt, Deus benedicit. Ita ocimum, inquit Plinius lib. 29. c. 7. *Cum maledictis ac probris serendum præcipiunt hortulani superstitiosi, ut latius proveniat. Et cuminum qui serunt, præcantur ne exeat*. Deus tamen illi benedicit, ut copiose succrescat.

Vers. 5.

ECCE EGO PROICIAM VOBIS BRACHIUM.) Pro proiciam hebr. est גוער *goer*, quod proprie, ut vertit Chald. significat increpare, et per metalepsin increpando proicere, corrumpere, disperdere. Rursum pro *brachium*, Hebr. est זרע quod si punctes זרע *zera*, significat semen; siu punctes זרע *zeraa*, significat brachium: *zera* legunt Rabbini et recentiores; unde Pagninus vertit, *corrumpo vobis semen*, q. d. Ecce maledicam benedictionibus vestris, uti dixi, quia semen quod seminastis in terra corrumpam, faciamque a vermibus erodi, ut parum vel nihil segetis succrescat, quod metatis; Tigurina, *increpabo et increpando disperdam vobis semen*, sive frumenti. sive filiorum, q. d. Et fruges, et stirpem vestram subvertam, disperdam vos cum semine, id est, cum filiis vestris.

A Verum Septuag. et Noster pro *zera*, id est semen, legunt *zeraa*, id est brachium, hoc est, armum dextrum victimæ pacificæ. Hic enim ex lege Levit. 7. 31. cedebat sacerdoti; quo tropol. monebatur sacerdos, strenue operari, *ut non solum sit eius operatio utilis, sed etiam singularis; ut sicut subditos honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat*, ait S. Gregor. 2. p. Pastor. cap. 3. Sensus est, q. d. Armum quem in lege vobis separavi et dedi, indignanter vobis relinquam, et quasi indignabundus proiciam, dum faciam ut laici offerentes contemptibiliter et indignabunde vobis armum et victimas in faciem proiciam; eo quod videant vos tam viles, incurios et irreligiosos, tam negligenter et irreverenter Dei sacrificia tractare et peragere: ita S. Hieronym. Remig. et Hugo. Accedit huc Lyranus, qui per *brachium* accipit robur et alimoniam, q. d. Alimoniam quam ex victimis percipiebatis, vobis auferam: aut brachium, id est robur vestrum, proiciam, ne quid magni vel heroici operetur, sed hostibus succumbat. Utramque lectionem, *zera* et *zeraa*, amplectitur Arias, et a Castro, qui sic explicat, q. d. Ego proiciam brachium, quo mihi mincha, id est, farinam seminis et tritici vestri, offertis, ipsamque farinam in facies vestras indignans respergam.

Tertio, Aquila vertit, *ecce ego vos increpabo cum brachio*, q. d. Meo brachio, meaque potentia vos proiciam et disperdam. Alludit partim ad duces belli, partim ad oratores brachio minantes et pugnantes. Nam *brachium procerius proiectum, est quasi quoddam telum orationis*, ait Cicero lib. 3. de Oratore.

Symbol. Theodor. q. d. Brachium, sive armum, hoc est, victimas et cæremonias vestras, ob vestrum neglectum et abusum abiiciam et abolebo, novasque per Christum et Apostolos inducam et sanciam. Denique in Hebræo elegans est allusio, inter *zera* vel *zeraa*, et זרעתי *zarati*, id est dispergam, q. d. Dispergam brachium vestrum, et semen per illud a vobis in agro sparsum.

ET DISPERGAM SUPER VULTUM VESTRUM STERCUS. Heb. ad emphasin et maius probum, repetitur vox *stercus*. *Et spargam vobis stercus in facies, stercus*, inquam, SOLEMNITATUM VESTRARUM.) Per *stercus* accipe cum Sept. ventriculum, qui stercus conficit et continet: ventriculus enim in victima pacifica cedebat sacerdoti, iuxta legem Levit. 7. 31. Sensus est, q. d. Quia vos mutilas, viles et illegitimas victimas offertis, ego indignans dabo, et per offerentes proiciam vobis ventriculum, quem per legem vobis assignavi, ita ut stercus eo contentum, hoc iactu excussum, vultum vestrum conspergat et conspuat, illudque *assumet vos secum*, ut scilicet vos stercore hoc involuti, mihi et omnibus sitis risui et contemptui, et vocemini stercorarii, viles et abiecti, uti Heli comminatus sum, et reipsa præstiti, 1. Reg. 2. 30. Porro stercus symbolum est probri et ignominie, quo vos afficiet Deus, dum ob sacrorum neglectum, ignorantiam, malamque vitam faciet vos populo contemplabiles et exosos, dumque vos puniet inedia, fame et bello, tradetque Antiocho Epiphani, aliisque hostibus vexandos et illudendos. Unde Chald. vertit, *revelabo confusionem scelerum vestrorum in facies vestras*.

ET SCIETIS.) q. d. Iam mihi comminanti non creditis, sed pœna vos docebit, nimirum *Phryges non nisi plagis sapient*. Cum enim videritis vos contemni et puniri, uti hic prædico, tunc sciatis mandatum illud de religione, munditie et sanctitate sacerdotum, deque victimis mundis rite et legitime offerendis, olim in Levitico a me sancitum, nunc vero Malachiam renovatum et refricatum, fuisse a me, puta a Deo vestro editum ad hoc, ut *pactum meum olim cum Levi*, id est tribu Levitica, initum, firmum et illesum consisteret. Videbitis enim vos bona pacto a me promissa perdidisse, quia pacti condiciones violastis; insuper et puniri. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et Lyran. qui per *Levi* accipiunt non personam, sed tribum Levi, id est Levitas, ut vertunt Septuag. Nec enim hoc pactum inivit Deus cum ipso Levi filio Jacob, sed cum eius posteris, puta cum Aarone, qui primus a Deo

Vers. 4.

per Moſen conſecratus eſt ſacerdos et pontifex Iudaeorum, ac deinceps ſacerdotium et pontificatum ad poſteros tranſmiſit, ut patet Levit. 8. unde de illo canit Eccles. cap. 43. v. 7. *Exceſſum fecit Aaron fratrem eius, et ſimilem ſibi de tribu Levi: ſtatuit ei teſtamentum æternum, et dedit illi ſacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria.* Ita Hebræi, Theodor. Vatabl. et Arias, qui duo per Levi accipiunt quoque Phinees, nepotem Aaronis, ex patre Eleazaro: quia ob zelum eius, quo vendicavit Dei honorem occidendo cultores Beelphegor, Deus novo promiſſo conſignavit et confirmavit illi et poſteris eius pontificatum in perpetuum. Imo Hebræi nonnulli, quos ſequitur B. Petrus Damiani. epist. 12. vel. ut alii notant, 41. c. 2. ad Nicolaum II. Pontif. cenſent Phinees eundem eſſe cum Elia, ac proinde cum etiamnum vivere, et victurum uſque in finem mundi, ut dixi Numer. 25. 11. Minus recte Rupert. per Levi accipit Moſen, tum quia poſteri Moſis non fuerunt ſacerdotes, ſed poſteri Aaronis; tum quia Moſes non tam pactum iniiit, quaſi paciſcens cum Deo, quam ſequeſter et mediator fuit pacti, quod Deus pepigit non tantum cum Levitis, ſed cum omnibus tribubus Iſrael. Levi ergo hic ſignificat ordinem ſacerdotalem ex Aaron deſcendentem, qui uti magnus erat honos, ita magnum onus ſibi habebat impoſitum, ut patet ex toto Levitico, ac ſæpe pœnam mortis, ſi peccarent, ut patet Levit. 10. 8. et c. 22. 3.

Vers. 5. **PACTUM MEUM FUIT CUM EO VITÆ ET PACIS.**) Scilicet ei dandæ tum in hoc ſæculo, tum in futuro, ſi me rite coleret, meaque leges et cæremonias obſervaret, q. d. Pepigi et promiſi Aaroni et poſteris eius longam, paciſicam, opulentam et felicem vitam, ſi meum pactum et meas ſanctiones cuſtodiret, puta ſi rite et legitime munia ſacerdotis obiret: ita Theodor. et alii. Id Aaroni reipsa præſtitit Deus: nam vitam ei prorogavit ad annum 123. qui fuit quadreſimus a pontificatu eius, æque ac ab exitu Hebræorum ex Ægypto, cuiusque pontificatum contra æmulos, Core, Dathan et Abiron, eos vivos in infernum abſorbendo, et aridam virgam Aaronis floridam efficiendo, Num. 16. et 17. propugnavit. Hebræi hæc accipiunt de Phinees, quem tradunt pontificem ſanum et proſperum vixiſſe annos trecentos, imo alii cenſent eum etiamnum vivere; ipſum enim eſſe Eliam, uti paulo ante dixi.

**ET DEDI EI TIMOREM.)** En pactum Dei cum Aaron et poſteris: Deus enim Aaroni promiſit longam vitam et pacem, id eſt proſperitatem, ſi ſibi obediret: Aaron viciffim promiſit Deo timorem, quod ſcilicet eum religioſe veneraretur et coleret. Timor enim hic et alibi ſignificat Dei reverentiam et cultum. Porro hunc timorem et reverentiam non ex ſe habebat, ſed a Deo: eſt enim donum Dei et Spiritus ſancti, ut docet Iſaias cap. 41. v. 3. Unde ſequitur: *Timuit me, et a facie nominis mei pavebat;* ſcilicet Aaron, cuiusque nepotes Phinees, Onias, Machabæi, alique veri et boni ſacerdotes. Tantum enim de bonis loquitur.

Vers. 6. **LEX VERITATIS FUIT IN ORE EIUS.)** q. d. Aaron legem meam vere et recte populum ore ſuo docebat. Hæc eſt ſecunda pacti conditio, quam ab Aaron exigit Deus, quamque ei præſtare debet ſacerdos et pontifex, ſcilicet docere veram Dei fidem, religionem, legem et cultum, ac refutare omnem hæreſim, et ſuperſtitionem falſumque Dei cultum. Quocirca pontifex in lege veteri pectori inſcriptum gerebat *Urim et Tummim*, id eſt, doctrina et veritas. Vide dicta Exodi 28. 30. et Levit. 10. 8. Graviſſime auctor Imperfecti in S. Matth. apud S. Chryſoſt. homil. 25. *Non ſolum, ait, ille proditor eſt veritatis, qui transgrediens veritatem palam mendacium pro veritate loquitur; ſed etiam ille, qui non libere pronunciat veritatem quam libere pronunciare oportet, aut non libere veritatem defendit quam libere defendere oportet, proditor eſt veritatis. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confefſio fit ad ſalutem.* Et S. Ambros. lib. 2. epist. 17. ad Theodos. Imper. *Nihil, ait, in ſacerdote tam periculolum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod ſentiat non libere pronunciare. Siquidem ſcriptum eſt:*

In ſacerdote requiritur libertas corripiendi.

**A** *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebur. Et ideo clementie tuae (o Imperator) displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentium meo periculo involveris, libertatis bono incaris.*

**INIQUITAS.)** Id eſt mendacium, error et falſa doctrina, ait Vatabl. ac falſitas, ut veritit Chald. adde, et fraus, hypoceiſis, aduſatio iniuſtitia, et quælibet alia iniquitas.

**IN PACE ET IN ÆQUITATE AMBULAVIT MECUM.)** Puta in meis præceptis, q. d. Aaron ſtudiuit præcepta mea cuſtodire, ſervando pacem et æquitatem cum proximis. Ubi Nota, qui paciſice et æque verſatur cum proximis, hic ambulat cum Deo, qui pacis et æquitatis eſt amator, auctor et tutor. Unde Septuag. vertunt, *in pace dirigens* (id eſt in pace et rectitudine, vel planitie) *ambulavit mecum.* Eſt hæc tertia conditio pacti, quam ab Aaron et quoſvis ſacerdote exigit Deus, nimirum æquitas et pax ſive paciſica converſatio, ut in ea ambulent cum Deo, ſicut ambulavit Henoch Genes. 5. 22. et Noe Gen. 6. 9. Vide ibi dicta.

Paciſicus cum proximo ambulat cum Deo.

3. Pax.

**ET MULTOS AVERTIT AB INIQUITATE.)** Hæc eſt quarta conditio veri Aaronis et veri ſacerdotis, ut verbo et exemplo ſatagat omnes retrahere ab impia et iniqua vita ad piam et ſanctam. Quocirca S. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio, ſacerdotes vocat parentes noſtros: *Parentes enim, inquit, nos in præſentem, ſacerdotes in vitam æternam generant.* Iure queritur S. Gregor. *Ecce, ait, mundus ſacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officii non ſupplemus. Fractus quippe ſanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æterna Eccleſia minime in prædicando laboramus.* Plura vide homil. 47. in Evangel. Graviſſime vero S. Chryſoſt. in Matth. c. 23. homil. 43. *Multi, ait, ſunt ſacerdotes, et pauci ſacerdotes: multi nomine, et pauci in opere. Videte ergo quomodo ſedeatis ſuper cathedram: quia cathedra non facit ſacerdotem, ſed ſacerdos cathedram: non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit ab ea: qui male ſederit, iniuriam facit cathedrae. In iudicio enim ſedes. Si bene vixeris, et bene docueris, iudex omnium eris: ſi autem bene docueris, et male vixeris, tui ſolius. Nam bene vivendo, et bene docendo, populum inſtruis quomodo vivere debeat: bene autem docendo, et male vivendo, Deum inſtruis quomodo debeat te condemnare. Idem in cap. 25. Matth. *Bene agente populo, unusquisque pro ſuo merito remuneratur; ſacerdos autem pro bonis omnium. Hæbit enim pro propriis lauream, pro acquisitione aliorum laureolam.* Rurſum S. Gregor. homil. 11. in Ezechiel. *Nos, ait, qui ſacerdotes vocamur ſupra ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepide et tacentes videmus. Tunc ſubiecetus moritur ſine te, quando in cauſa mortis contradicteorem te pertulerit: nam mortuo, cui non contradicis, adiungeris.* S. Iſidor. lib. 3. de Summo bono: *Sacerdotes, ait, pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantibus non erudiunt, aut peccantes non arguunt. Sicut enim peccatorem convenit argui, ita iuſtum non exulcerari.* Hugo de S. Victor. 1. 2. de Claſtro animæ: *Tres, ait, ſunt paſtoris voces, ſcilicet ſuavis, dulcis, alta. Suavis ad infirmum, ad morientem dulcis, ad ſurdum pertinet alta.**

4. Zelus animarum.

5. Græmæ Patrum.

**D** **LABIA ENIM SACERDOTIS CUSTODIUNT, id eſt, cuſtodire debent, ſcientiam, et legem requirent, id eſt, requirere debent, et de facto requirent, ex ore eius.)** Dat rationem eius quod dixit v. 6. *Lex veritatis fuit in ore eius,* quia ſcilicet fecit quod facere debuit. Nam ſacerdotis eſt cognoscere legem, eamque alios docere, iuxta illud Eccleſiaſtici de Aaron cap. 45. 11. *Et dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem docere Iacob teſtimonia,* (id eſt, leges ſuas: hæc enim ſunt teſtimonia voluntatis divine, quid ſcilicet a nobis fieri, vel non fieri velit Deus) *et in lege ſua lucem dare Iſrael.* Sic S. Paulus ad Titum 1. ab eo exigit, *ut ſit potens exhortari in doctrina ſana, et contradicentes revincere,* ait S. Hieron. Quocirca S. Ambros. lib. 3. de Fide cap. 7. *Biblia, quæ continent legem Dei, vo-*

Vers. 7.

Sacerdotus eſt ſcire et docere legem Dei.

cat librum sacerdotalem, quasi sacerdotibus proprium et ab iis assidue legendum. Notat S. Hieron. non dici. Proferent scientiam, sed *custodient*, ut scilicet eam loquantur opportune et congrue, dando conservis cibum in tempore suo, ut monet Christus Matth. 24. 45. ita ut os sacerdotis sit arca quædam salutaris, unde quisque sibi depromat necessaria, quæ ibi Deus ad communem cuiusque utilitatem et instructionem recondidit. Quocirca Auctor. Imperfecti apud S. Chrysost. homil. 38. in Matth. *Sicut*, ait, *stomachus accipiens cibum coquit, sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturam a Deo, et excoquunt eam in se, id est, tractantes et meditantes apud se universo populo subministrant.* Et S. Ambros. serm. 13. sacerdotes comparat apibus: *Sicut apes*, inquit, *de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt.*

Gnomæ  
Patrum

Præclare S. Bernard. lib. 2. de Consid. ad Eugen. c. 13. *Inter sæculares*, ait, *nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemix. Consecrasti os tuum Evangelio: talibus iam aperire illicitum, assuefacere sacrilegium est. Labia sacerdotis, ait Malachias, custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, non nugæ profecto vel fabulas. Verbum scurrile, quod facti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul et ab aure relegandum est. Fæde ad cachinnos moveris, fædius moves.* Particulatim vero S. Chrys. hom. de eo qui incidit in latrones: *Memnerit*, ait, *sacerdos se speculatorem esse cunctorum, ut ovibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis undas exhibeat, exterminet ab ovibus lupos, ab agnis nocivas bestias excludat, vulneratos curet, errantes revocet, ignaros instruat, erigat lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suæ vitæ universos provocet exemplo: sit eius doctrina duplex, ut eius verbis facta conveniant, atque doctrinæ respondeant: in nullo sit minor, qui cunctis est potior. Charismatibus splendeat, fulgeat officiis. Sit cum auctoritate humilis, cum humilitate sublimis. Nee ideo sit melior, quia maior; sed ideo maior, quia melior. Multiplicet populos, et eos docendo meliores faciat quam accepit. Sic fiet ut dum hominibus ferventer insistit, Dominum sibi constituat debitorem.* Quocirca S. Ambros. 1. de Dignitate sacerdotis c. 6. ait sacerdotes esse oculos Ecclesiæ, ut per eos reliquum corpus ducatum lucis accipiat. *Nam quid aliud*, ait, *interpretatur Episcopus, nisi superinspector? maxime cum in Ecclesia solio editiore residet, et ita cunctos respiciat, ut et cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo si ita est, cur te velut tetrum speculum universorum oculis demonstras?*

QUIA ANGELUS DOMINI EXERCITUM EST.) Sept. quia angelus Domini omnipotentis est. Hebr. est מלאך malach, sive Malachias. Exponit, ait S. Hieron. nomen suum Esdras sacerdos Dei, hoc est Malachias (ipse enim cum Hebræis censet Malachiam fuisse Esdras) quod angelus Domini interpretatur. Angelus autem, id est, nuncius, sacerdos Dei verissime dicitur: quia Dei et hominum sequester est, eiusque ad populum nunciat voluntatem: et idcirco in sacerdotis pectore rationale est, et in rationali doctrina et veritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctum esse debere, et præconem Dominicæ veritatis. Sacerdos ergo est angelus Dei, Primo, quia est nuncius Dei ad homines. Unde Tigurina vertit, *legatus enim est Domini exercituum.* Sicut enim legatus non aliud, quam principis se legantis voluntatem annunciat: eique nihil addere aut demere potest; ita et sacerdos Dei voluntatem annunciat populo, eique nihil addere aut demere potest, ait S. Chryst. hom. 2. in epist. ad Rom. Ac vicissim vota populi refert ad Deum. Est ergo tam legatus populi ad Deum, quam Dei ad populum, puta inter utrumque internunciis, mediator et sequester. Deus, ait Tertull. lib. contra Iudæos c. 9. *eos vocare consuevit angelos, quos virtutis suæ ministros præfecit.* Secundo, sicut angeli ministrant Deo, ita et sacerdotes. Unde Chaldæus vertit, *quia minister est coram Domino exercituum.* Unde Plato in Phædro ait triplicem esse extasin et furorem; primo, vatium; secundo, sacerdotum;

Sacerdos  
est an-  
gelus se-  
ptem ti-  
talis.

1.

2.

A tertio, amantium. Nee enim aliquid ab hisce tribus digne fieri posse, nisi animus a corpore sevocetur, et extra se in ardorem et quasi furorem rei amatæ, præsertim celestis et divinæ, rapiatur. Tertio, sicut angeli iugiter astant Deo, in eum intentam habent aciem mentis, ei iubilant et psallunt iugiter, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum (*angelorum enim opus est laudare Deum*, ait S. Basil. in Psal. 28.) ita et iugiter orare ac psallere debet sacerdos, iuxta illud Psal. 137. v. 2. *In conspectu angelorum psallam tibi.* Quarto, quia angelorum veritatem, sinceritatem, castitatem, puritatem, virtutem et zelum imitari debet, ac quasi angelus esse inter homines, quasi magister inter pueros, quasi pastor inter animalia. Quocirca apte ex hoc loco Isidor. Pelus. Dorothei presbyteri levitatem castigat lib. 1. ep. 319. *Cum sacerdos*, ait, *gregis forma, et Ecclesiæ lumen dictus sit, ac revera sit, subditos, ut ceram sigillo, sic ipsius moribus imprimi necesse est. Quocirca si lumen esse vis, scurrilitatem, ac risus petulantiam odio insectare: ne alioqui multos petulantiam ac procacitatem doceas. Sacerdos enim Domini omnipotentis angelus est: angelus autem risum nescit, Deo cum metu ac pavore ministrans.* Quinto, sacerdos est angelus consecratione divina, qua potestatem maiorem quam habeant angeli, a Deo accipit. Sexto, angelorum tria sunt munia, scilicet purgare, illuminare et perficere, ut ait S. Dionys. in Cælest. hierar. Et, *angelorum perfectio est sanctificatio*, ait S. Basilius hom. de Spiritu sancto. Eadem sunt munia sacerdotis. Eius enim quasi mediatoris est reducere populum ad Deum: hinc oportet ut iugiter in mente habeat, videatque Deum, ad quem intendit populum reducere. Porro quomodo quis Deum videre possit, paucis et pulchre docet Plotinus, Platonicus licet, lib. de Pulchr. c. 9. *Efficiatur*, ait, *divinus, pulcher et deiformis, qui divinam pulchritudinem sit inspecturus.* Audi et S. Ambr. lib. de Initiandis c. 2. *Sacerdos est angelus, qui regnum Christi, et vitam æternam annunciat: non specie tibi æstimandus, sed munere.* Socrates dicebat os sapientis (qualis est sacerdos) esse quasi ostium templi, quia sicut hoc, ita et illud non nisi sacra pandit et promittit. Septimo, angelorum est perseverare in sanctitate et sanctificatione, ait ibidem Basilius: qui enim in ea non perseverarunt, facti sunt dæmones: ita sacerdoti necessaria est perseverantia in suo opere et officio.

Si id verum fuit in Aaron et sacerdotibus veteribus, certe longe verius est in Christianis, qui sacrificia et mysteria longe augustiora et diviniora conficiunt, et tractant. De quibus aurea est sententia S. Gregor. Nazianz. Apol. 1. *Veritatis*, ait, *antistes et propugnator, eum angelorum classe atque ordine est, cum archangelis Deum celebrat, ad supernum altare sacrificia transmittit, simulque cum Christo fungitur sacerdotio, figmentum instaurat, imaginemque Creatori sistit, et supernum mundo opificem agit, et, ut quod maius est dicam, Deus est, aliosque deos efficit.* Rursus S. Chrys. hom. 2. in ep. 2. ad Timot. *An ignoras*, ait, *quid sit sacerdos: Angelus utique Domini est. Non ex seipso loquitur. Si despicias, non illum despicias, sed Deum qui illum ordinavit.* Sacerdos enim in ordinatione sua, a solo Deo accipit potestatem remittendi peccata, consecrandi corpus Christi, docendi, prædicandi, etc. Idem lib. 3. de Sacerdotio: *Etenim*, ait, *sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est. Quippe non mortalis quispiam, non angelus, non archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem huiusmodi disposuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus auctor fuit, ut angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cælis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret.* Idem hom. 5. de verbis Isaiaæ demonstrat sacerdotem maiorem esse rege, et sacerdotium maius esse regno: quia rex in terram dumtaxat, sacerdos etiam in cælum ius habet: *Sacerdoti*, ait, *thronus in cælis collocatus est, et de cælestibus negotiis pronunciandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse exlorum rex: Quæcumque ligaveritis su-*

3.

4.

5.

6.

7.

Gnomæ  
Patrum.

*per terram, erunt ligata et in caelis; et quaecumque solve-*  
*ritis super terram, erunt soluta et in caelis, etc. Itaque medi-*  
*lius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam, illine*  
*venientia beneficia ad nos deferens, et nostras petitiones*  
*illae deferens, Dominum iratum reconcilians utriusque*  
*naturae, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Ideo-*  
*que Deus ipsum regale caput sacerdotis manibus subiecit.*  
Sacerdotium ergo est caeleste regnum. Hinc Auctor im-  
perfecti hom. 18. in Matth. ait, *sacerdotes esse vicarios*  
*Christi, et Christum: et qui honorat sacerdotem Christi,*  
*Christum honorat: et qui iniuriat sacerdotem Christi, ini-*  
*uriat Christum.*

sacerdo-  
tes sunt  
apes ob  
tres ana-  
logias.

Apposite S. Ambros. serm. 5. sacerdotes comparat api-  
bus ob tres analogias. Prima est, *quia sicut apes, ait, de*  
*divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt,*  
*et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte*  
*componunt.* Secunda, *quia sicut apes castitatem corporis*  
*praeserunt, cibum vitae caelestis exhibent, aculeum legis ex-*  
*ercent. Puri enim ad sanctificationem, suaves ad rese-*  
*ctionem, severi sunt ad ultionem.* Tertia, *quia velut alvea-*  
*rio quodam gratiam matris Ecclesiae continent, in qua di-*  
*versorum meritorum cellulis dulcissimis praedicationibus*  
*componentes, de uno Salvatoris examine Christianorum ex-*  
*amina multa producunt.* Denique S. Chrysost. lib. 2. de  
Sacerdotio: *Aspicite, ait, sacerdotis dignitatem. Agitur in*  
*terra, sed officium caelestibus negotiis continetur. Non enim*  
*homo, non angelus, non archangelus, non aliqua alia crea-*  
*tura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus in-*  
*stituit, atque adhuc manentes in carne ministerio fungi*  
*praestitit angelorum.* S. Ignatius ep. ad Smyrn. *Sacerdoti-*  
*tium, ait, est summa omnium bonorum quae in hominibus*  
*consistunt: quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat,*  
*et Dominum Iesum Christum primogenitum totius creatu-*  
*rae, et solum natura principem sacerdotem Dei.* Plura vide  
apud S. Chrysost. lib. 3. et 6. de Sacerdotio. Quocirca S.  
Franciscus nunquam sustinuit ordinari sacerdos, dieti-  
ans se tanta dignitate indignum. Addebatque: Si hinc  
occurreret mihi sacerdos, illine angelus, relicto angelo ac-  
currerem ad sacerdotem, eius manus oscularer, peterem-  
que ab eo benedictionem; quia ipse corpus Christi conse-  
crat, nobisque panem vitae administrat. Sic et S. Hedwigis  
Ducissa Poloniae, mire venerabatur sacerdotes quasi  
angelos Dei, supplexque ab eis petebat benedictionem, uti  
habet eius Vita.

Vers. 8.

**VOS AUTEM RECESSISTIS DE VIA** hae legis, scientiae,  
veritatis, aequitatis et timoris divini, quam Aaroni et Le-  
vitis praescripsi v. 5. et seq. ideoque **SCANDALIZASTIS PLU-**  
**RIMOS IN LEGE**, dando eis exemplum legis violandae et  
contempndae: **IRRITUM FECISTIS PACTUM LEVI.**) Non ser-  
vando pacti iam dieti conditiones, quas iam recensui. Quo-  
circa vicissim nec ego ea quae in hoc pacto promisi, vo-  
bis servabo aut praestabo.

Vers. 9.

**PROPTER QUOD ET EGO DEDI VOS CONTEMPTIBILES.**)  
Iustum enim est, ut sacerdos contemnens Deum, pari mo-  
do contemnatur a populo, iuxta illud, quod Deus inten-  
tavit Heli 1. Reg. 2. 30. *Quicumque glorificaverit me,*  
*glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobi-*  
*les.* Iustum est, ut qui honorem sacerdotii commaculavit  
et inhonoravit, inhonoretur et ipse, eoque magis, quo ex  
altiore honoris apice in imum vilitalis et contemptus cor-  
ruit. Ita videmus nonnullos impuros sacerdotes fieri lu-  
dibria hominum, et mortalium vilissimos, quisquillas, et  
peripsemata censer. Pari modo S. Ambros. l. de Dignit.  
sacerd. e. 6. et S. Greg. hom. 17. in Evang. docent, cau-  
sam eum sacerdotem et clericum despiciantur, esse ipsorum  
inscientiam, levitatem, et malam vitam. Vere S. Aug. vel  
quisquis est auctor, lib. de Bono viduitatis cap. 7. *Sicut*  
*stella, inquit, differt a stella in claritate, sic sacerdos dif-*  
*fert a sacerdote in conversatione. Multorum siquidem est*  
*vocari sacerdotes, sed non est omnium esse sacerdotes,* etc.  
Quocirca ut apicem gradus et honoris sui tucantur, hono-  
rent Deum, graduque suo digne vivant, et ministerium  
tam sanetum sanete obeant. *Sobriam a turbis gravitatem,*  
*severam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicet sa-*

**A** *cerdotalis,* ait S. Ambros. epist. 26. et S. Gregor. 2. p. 1164 v. 11  
Pastor. e. 1. *Tantum, inquit, debet actionem populi actio-*  
*transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita-*  
*pastoris. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione*  
*praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis*  
*compassione proximus, praecunctis contemplatione suspen-*  
*sus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delin-*  
*quentium vitia per zelum iustitiae erectus, internorum cu-*  
*ram in exteriorum occupatione non minuens, externorum*  
*providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.*  
Denique S. Hieron. ad Heliodorum: *Domus Episcopi, in-*  
*quit, et conversatio quasi in specula posita, magistra est*  
*publicae disciplinae: quidquid fecerit, id sibi omnes facien-*  
*dum putant.*

**ACCEPTISTIS FACIEM IN LEGE.**) *Faciem*, id est, perso-  
nam, ut vertunt Septuag. personae enim pars maxime di-  
gna et spectabilis est facies, per quam alii placent, alii  
displacent: unde illi acceptantur, hi rejiciuntur. Est he-  
braismus: Hebraei enim acceptationem personarum vo-  
cant acceptationem facierum, ob causam iam dictam. Unde  
Symmach. vertit, *reverti estis facies in lege.* Sensus est,  
q. d. Vos, o sacerdotes eratis iudices populi, cumque se-  
cundum legem iudicare deberetis, ac tueri innocentes, or-  
phanos, pupillos et pauperes, iudicastis secundum respec-  
tum, vel acceptationem personarum; facies pingues, opu-  
lentas et splendidas divitum et potentum faciebis macilen-  
tis, egenis, abiectis pauperum praetulistis, divitibus cau-  
sam et bona pauperum adiudicastis. Verum sic Propheta  
potius dixisset: *Acceptistis faciem in iudicio, non in lege.*  
Acceptere enim faciem in lege, est in lege exponenda, vel  
exequenda respicere non tam mentem legis, quam perso-  
narum qualitatem et dignitatem, v. g. eximere a lege di-  
vites, et ea obligare ac plectere pauperes, iuxta illud Iu-  
venal. satyr. 2.

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*  
Multum enim movet aspectus faciei vel ad amorem, vel  
ad commiserationem, vel ad odium, etc. Quocirca Aro-  
pagitae iudices incorrupti noctu, vel in tenebris iudica-  
bant, ne qua facies illustris, vel abiecta eos moveret ad  
aliquem affectum, qui rectum iudicium perverteret, ait Lu-  
cianus in Hermotimo. Primo ergo Vatabl. exponit, q. d.  
Si vobis aliqua quaestio proponitur de lege, o sacerdotes,  
respondetis habito respectu personarum magis, quam  
rei et veritatis, adulando divitibus. Secundo, Theod. q. d.  
Divitum victimas, etiam mutilas et lege vetitas, accipie-  
batis et sacrificabatis; pauperum vero rejiciebatis: quod  
est vitium acceptationis personarum, aequae ac sacrilegii.  
Tertio, Rupert. q. d. Respexistis ad facies pulchras, et o-  
pulentas mulierum alienigenarum, easque duxistis ux-  
ores; proprias vero Israelitides ob deformitatem, vel ege-  
statem repudiastis: de hoc enim vitio in sequentibus ag-  
git fuse, et ob illud reprobatur et rejicit eorum victimas et  
sacrificia v. 13. Aliter vertunt Syrus et Arabicus uterque,  
scilicet, *acceptistis in facie legem*, quod aliqui sic expli-  
cant: *In facie*, id est, in superficie, q. d. Corticem legis cor-  
ram hominibus impletis, at non legis mentem et sensum:  
q. d. Hypocritae estis.

**NUMQUID NON PATER UNUS OMNIUM NOSTRUM.**) Transit  
Propheta ad alterum sacerdotum (hi enim in scelere e-  
rant duces) et populi illo aeo vitium, scilicet quod post  
reditum e Babylone uxores suas Israelitides, ex pauper-  
tate, senectute, labore, morbis et aerumnis repudiarent,  
ut vult S. Hieron. aut potius ut ancillas haberent et de-  
spicerent, ut vult Lyran. (unde tantum ait *despicitis*, id-  
que tertio repetit; et v. 16. suadet, ut potius eas dimit-  
tant) ac earum loco alienigenas, iuveneulas, divites et  
formas ducerent, contra legem id vetantem Deuter. 7.  
v. 3. easque quasi coniuges honorarent. Idem vitium tar-  
xat et emendat Esdras Malachiae coaevus e. 9. et 10. Por-  
ro nititur duobus argumentis ad amorem coniugum, inde-  
quod ad coniugium ipsum reconciliandum et redintegran-  
dum. Prius petit a communione sanguinis, quod scilicet  
unum eundemque habeant patrem, vel Iacob, ut volunt  
Hebraei; vel potius primum patriareham Abraham: hic e-

Vers 10  
Coniugu  
vincula  
duo  
1.

nim Eccli. 46. 20. vocatur pater multitudinis Gentium. A Hoc enim significat hebr. nomen Abraham: et ab eo Iudæi se vocabant et iactabant filios Abraham: ita S. Hier. Remig. Rupert. Lyran. et alii. Sensus est, q. d. Vos, o Iudæi, cum Iudæis uxoribus coniugati, invicem estis fratres et sorores. Habetis enim unum communem patrem Abraham, æque ac Isaac et Jacob sive Israel, a quo Israelitæ nuncupamini, sicut ab Abraham Abrahamitæ: æquum ergo est, ut invicem honoretis et ametis amore et honore fraterno, quasi filios eiusdem domus et familie Abraham. Nolite ergo iniurii esse Abraham, Isaac et Jacob, despiciendo uxores vestras, quæ sunt filie Abraham. Isaac et Jacob. Nolite scindere hanc familie vestre unionem, imo unitatem: nolite sororibus vestris præponere extraneas et alienigenas. Posterius petit a communione religionis, quod scilicet omnes habeant, colantque unum Deum, qui licet creaverit cælum et terram, omnesque gentes, proprie tamen creavit, id est, in suam Ecclesiam, populum, gentem efformavit, adsevit et adoptavit Hebræos, quos in sua fide, religione, cultu et Synagoga quasi novum et spiritualem populum creavit, infundens sui cognitionem, timorem et amorem: iuxta illud Deuter. 32. 6. *Numquid non ipse pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Et v. 18. *Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Deus ergo est creator omnium per naturam, sed proprius Hebræorum per fidem et gratiam. Sic Apostolus ait, Christianos in Christo quasi communi patre per baptismum esse renatos, regeneratos, et factos novam creaturam, non naturalem, sed spirituales, ideoque quasi fratres, invicem arctissime uniri, et amare debere; eo quod omnibus sit *unus Deus, una fides, unum baptisma*, Ephes. 4. 4. Sensus ergo est, q. d. Si Abraham amor et veneratio vos non tangit, tangat timor amorque Dei vestri: nolite a Deo vestro, eiusque filiabus apostatare ad filias idololatrarum, quæ certo vos ad idola sua abducent, uti abduxerunt Salomonem: nolite Deo id vetanti esse rebelles; alioqui credite et formidate eum sui contemptus aerem fore vindicem, et ultorem fandi atque nefandi. Cum ergo duplici vinculo tam areto sanguinis et religionis, uxoris vestris sitis obstricti, nolite illud abrumperere et violare.

**QUARE ERGO DESPICIT UNUSQUISQUE NOSTRUM FRATREM SUUM?** Lyran. putat hic redargui odia et lites, quibus inter se dissidebant et contendebant Iudæi: unde ut eos ad concordiam redigat, dixit eos unum habere patrem Abraham, et unum colere Israelis Deum. Verum Prophetam proprie non de quovis eorum dissidio hic agit, sed de eo quod nasebatur ex eo, quod uxores Israelitides repudiarent, vel potius despicerent, ut ait Prophetam, hoc est, eis anteferrent alienigenas pulchras et opulentas, quas honorabant ut coniuges, Israelitides vero deprimebant habebantque ut ancillas et servas. Inde enim offendebantur non tantum ipsæ, sed et earum fratres, parentes, cognati, ideoque odiis et iurgiis inter se certabant. Sensus ergo est, q. d. Cur veteres uxores contemnimus, et fratrum nostrorum abiicimus filias? ait S. Hieron. qui proinde per *fratrem* accipit socerum: despiciendo enim soceri filiam, despiciunt ipsum socerum, ceterosque affines. Rursum sub *fratre* more Scripturæ per enallagen accipe quoque sororem, id est, cognatam, vel congenerem, puta Hebræam. Sicut enim sub viro subintelligi solet mulier, sic et sub fratre soror. Sensus ergo est, q. d. Despiciatis uxores, quæ sunt sorores vestræ, quia eiusdem generis et gentis, puta Hebrææ: ita Arias. Porro modestiæ causa dicit Prophetam: *Unusquisque nostrum*, non Vestrum, ut correpto sit lenior, utpote qua seipsum includat, eum tamen ipse revera huic culpæ non esset affinis. Sensus ergo est, q. d. *Unusquisque nostrum*, id est, plerique e populo nostro.

**VIOLANS PACTUM PATRUM NOSTRORUM.** ) Pactum scilicet, quod cum Deo inivimus, promittendo nos servaturos eius leges, inter quas una est de non ducendis alienigenis. Per *pactum* ergo metonymice accipe legem, quæ erat conditio pacti, quod Iudæi cum Deo pepigerant. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. et alii; præsertim quia, ut ait Arias, per has uxores, utpote idololatrias, sensum mariti pel-

liciebantur ad apostatandum a Deo, et consequenter a pacto quo promiserant se Deum semper culturos, ac ad deflectendum ad earum idola, superstitiones et vitia, uti contigit Salomoni.

**TRANSGRESSUS EST IUDA pactum et legem iam dictam: ET ABOMINATIO FACTA EST IN ISRAEL.** ) Idem dicit exaggerando aliis et acrioribus verbis. Post reditum enim e captivitate non erat alius Israel, quam Iuda et Iudæi. vers. 11.

**QUIA CONTAMINAVIT IUDAS SANCTIFICATIONEM DOMINI.** ) Per *sanctificationem*, vel, ut hebr. est **קֹדֶשׁ** *kodes*, id est, *sanctitatem*; Tigurina, *sanctum*; Septuag. *sancta*, accipi potest primo, sancta Dei lex; secundo, sanctus Dei cultus; tertio, sanctitas vitæ, ad quam obligabatur Israel, eamque profitebatur, et inde vocabatur gens sancta, Deo scilicet dicata et devota, iuxta illud Exodi 19. 6. *Erilis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Unde Chald. vertit, *violaverunt viri domus Iuda animam suam, quæ erat sanctificata coram Domino et dilecta.* Idem tropolog. facit quivis peccator: hic enim per peccatum polluit templum, quod in anima sanctificarat sibi Deus, ex eoque facit fanum profanum, imo sacrilegum diaboli; uti docet Apostolus 1. Corinth. 6. 19. *An nescitis, ait, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo?* Quarto, sanctitas fidei et religionis: quia per uxores idololatrias abducebantur a vera Dei fide ad fidem et cultum idolorum: ita Lyran. Quinto, sanctitas templi: templum enim hebr. *kodes*, id est, sanctitas, vocatur; quia sanctissimum, et sanctissime colendum. Nam peccatores suis sceleribus polluunt terram, et maxime templum in quo versantur, q. d. Deus despicit vestras oblationes et victimas, ut dixi v. 13. quia vos eius legem despicitis, ac templum vestris connubiis cum idololatriis polluitis. Sexto, sanctitas charitatis, puta generis necessitudo, gentisque suæ sancta unio, quam ipsi violabant contribules suas repudiando, vel despiciendo, et alienigenas superinducendo. Septimo, sanctitas matrimonii, quam ipsi per divortium commaculabant: ita Vatabl. Octavo, et optime, sanctitas Iudæe erat separatio a Gentibus, qua iuxta legem Dei, Iuda ut populus dicatus Deo separabat se a commercio, ac præsertim a connubio Gentium idololatrarum. Ita S. Hieron. Remig. et Hugo, iuxta illud psalm. 113. 2. *Factu est Iudæa sanctificatio eius*, id est, gens separata ab aliis, quasi Deo dicata et sancta, Deumque colens, celebrans et sanctificans. Denique sanctificatio, vel sanctitas Dei proprie est illa, qua ipse in se sanctus est, ac ut talis ab hominibus cognoscitur et colitur. Hæc enim profanatur, si quis eam cum idolis et idololatriis commisceat. Unde causam dat, seque explicat dum subdit: *Et habuit filiam Dei alieni.*

Tropol. octuplicem hanc sanctitatem polluit et violat quivis fidelis dum peccat. Ipse enim per fidem, baptismum et gratiam est sanctificatus, Deique cultui dicatus, ac præsertim Sacerdos et Religiosus, qui per ordinationem, vel professionem Deo proprie est consecratus. Peccatum ergo octuplicis rei sacræ est pollutio et profanatio (ut patet per singula iam dicta discurrunt, eaque peccato applicanti) ac consequenter quasi octuplex est sacrilegium. Unde Septuag. vertunt in plurali, *quia contaminavit Iudas sancta Domini, in quibus*, id est, quæ *dilexit Dominus*, ideoque accurate præcepit voluitque a nobis observari. Hæc minatur Isaias e. 26. 10. dicens: *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Porro fideles, et præsertim Religiosos, per fidem, gratiam et vota connubium et nuptias inire cum Christo, eique animas suas quasi sponsas despondere; ac proinde si illud peccando violent et dissolvant, spiritualiter adulteros esse, patet ex illo 2. Corinth. 11. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quod enim in nuptiis carnalibus efficit verbum *voco*, hoc in spiritualibus efficit verbum *voco*. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 85. in Cant. *non terret eelsitudo, quam sociat similitudo, amor conciliat, professio marital.* Professionis forma hæc est: *Iuravi et statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Et mox: *Ergo quam videris animam relictiis omnibus, verbo volis inhærere,*

Sanctitas Dei octuplex.

1.  
2.  
3.

4.

5.

6.

7.

8.

Octuplicem Dei sanctitatem polluit peccator.

Anima sancta nupta est Deo.



*verbo vivere, verbo se regere, de verbo concipere quod patri verbum, quæ possit dicere: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, puta coniugem verboque maritaliam.* Quocirca S. Agnes, teste S. Ambros. serm. 90. dicebat iuveni se ambient: *Ipsi sum desponsata, cui angeli servant, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit: quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, mundi sum; cum accepero, virgo sum. Annulo suo subarrharit me, et immensis monilibus ornavit me. Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo.* Hoc est quod Deus promittit per Osee c. 2. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio, et in misericordia et in miserationibus: et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.* Vide ibi dicta.

**ET HABUIT FILIAM DEI ALIENI.** Scilicet in coniugem. Nam hebr. est *בַּעַל baal*, id est, maritavit, matrimonio sibi iunxit, possedit ut amore ardens maritus. *Filiam Dei alieni* vocat alienigenam, quæ colit Deum, non verum Israelis, sed alienum, puta aliarum gentium idolum et dæmonem, tamquam Deum et patrem suum.

**Tropol. filia Dei alieni** est concupiscentia carnis, et oculorum, ac superbia vitæ, cui quasi sponsæ, imo adulteræ insano amore copulatur peccator. Audisti culpam Israelis: audi pœnam; et ex huius gravitate, illius gravitatem æstima. Ait ergo:

**DISPERDET DOMINUS VIRUM QUI FECERIT HOC, MAGISTRUM ET DISCIPULUM.** Hebr. *עַר וְעֵצֶר* *er veone*, id est, excitantem, vel vigilem, et respondentem. Excitans et vigil est magister, qui vigilat ut vera vestiget, doceat, tueatur, ac mentem discipuli excitet, stimulet et acuat, nunc docendo, nunc disputando, nunc interrogando: respondens est discipulus, cuius est magistro excitanti et interroganti respondere. Sensus ergo est, q. d. Deus disperdet Iudæum, qui sua uxore despecta ducit alienigenam, quisquis ille sit, sive doctor, sive discipulus; sive sacerdos, sive laicus; sive nobilis, sive plebeius: ita S. Hieron. Secundo, Tigurina *er veone* vertit, *eum qui auctor est, et qui obsequitur*, q. d. Auctorem et executorem sceleris disperdet Deus. Tertio, Chald. vertit, *filium et nepotem*. Filius enim est is qui excitat et generat nepotem: unde nepos ei respondet. Quarto, Clarius et Arias vertunt, *eum qui in domo pulsat, vel a somno excitat, et eum qui pulsanti vel excitanti respondet*, q. d. Omnes omnino in tali familia disperdet Deus. Quinto, Septuag. pro *עַר* *er*, legentes *עַד ad*, id est usque, vertunt, *donec humilietur de tabernaculis Iacob*: Hebr. enim *עָנָה ana* significat humiliare, et respondere.

**ET OFFERENTES MUNUS.** q. d. Etiam si sit sacerdos offerens hostias: ita Chald. et S. Cyrill.

**ET HOC RURSUM FECISTIS;** Tigurina, *deinde et hoc adiecistis*; Chald. *et hoc secundo facitis*, q. d. Priori sceleri, quo alienigenas ducitis, secundum adiecistis, scilicet: **OPERIEBATHIS LACRYMIS ALTARE DOMINI.** q. d. Priores uxores quas despiciebatis, ita viliter et misere quasi ancillas et servas tractabatis, imo male muletabatis, ut illic afflictissimæ confugerent ad templum, ibique ante altare lacrymas uberrimas profunderent, querentes apud me de vestra iniuria, poscentesque opem et vindictam. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. et alii passim, excepto Lyrano, qui sic explicat, q. d. Vos in coniugio cum alienigenis permanentes, ut hoc scelus expietis, curritis ad templum, ibique lacrymis profusis veniam postulatis. Verum frustra, quia propositum vos emendandi non concipitis, sed in scelere et matrimonio illegitimo persistere vultis. Quem sensum secutus S. Chrysost. tropol. hæc refert ad eos qui rapiunt aliena, utque rapinam expient, partem dant templo, vel pauperibus: *Iudaica, inquit, huiusmodi elemosyna est, imo vero diabolica. Non vult Christus rapina nutiri, etc.* Ita ipse homil. 86. in Matth.

**MUGITU.** Septuag. et Chald. *gemitu*; Pagnin. *clamore*; Noster efficaciùs vertit, *mugitu*: mugitus enim proprie est vox horrona boum. Unde Statius 14. Theb. de Iove in taurum mutato, cum veheret Europam, ita canit:

*Dignatus virgine nostra  
Terga premi, et placidas falsum mugire per undas.*

Hinc per catachresin cæteris animalibus, et homini, quin et terræ ac mari tribuitur. Unde Virgil. 3. *Æneid. Terram mugire videbis*; et lib. 6. *Solum mugil sub pedibus*: ac Catull. epig. 64. de Berecynthia: *Frenitu mugienti loca cuncta retonent*. Significat ergo mugitus hic ingentem uxorum a maritis despectarum explorationem, ex ingentis afflictione et dolore manantem, ita ut non mulierum more eiulare, sed boum more mugire viderentur, iuxta illud Oënonis ad Paridem apud Ovidium:

*Implevique sacrum querulis ululatibus Idam.*

**ITA UT NON ASPICIAM ULTRA AD SACRIFICIUM.** Quia aspicio ad lacrymas et mugitus uxorum, quas vos opprimitis: magis enim illæ, utpote iuste et miserabiles, me movent, quam iniqua et impura sacrificia crudelium.

**QUIA DOMINUS TESTIFICATUS.** Hebr. *הֵייד heid*, id est *testis* Vers 14 *protestatus est*, hanc esse suam mentem et voluntatem, hoc est, precepit et sanxit matrimonium insolubile, utque maritus amet uxorem, et propter eam relinquat patrem et matrem, Gen. 2. 24. vos autem hanc protestationem et legem meam violatis, relinquendo et despiciendo uxores vestras: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et Lyran.

Secundo, hebr. *heid* cum Tigurina verti potest, *testatus est*, et eum Vatabl. *testificari potest*, ut alludatur ad ritum veterum Hebræorum, qui Deo teste et nymphagogo, ut ait Theodor. contrahebant coniugium, ut eo sanctius et inviolabilis esset, quo Deo quasi præsentem et paranymphe fuerat conciliatum. Unde Laban Genes. 31. v. 49. invocans Deum in testem, ait ad Iacob generum suum: *Intueatur et iudicet Dominus inter nos, quando recesserimus a nobis, si afflixeris filias meas, et si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit: indeque locus vocatus est Galaad, id est, tumulus testis.* Sic et Raguel filiam Saram copulavit Tobiaë invocans Deum, dicensque: *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob vobiscum sit, et ipse coniungat vos.* Idem apprecatur sacerdos coniugibus Christianis, dum eos coniungit et benedicit. Sic et Gentilibus adeo sancta erant matrimonii vincula et iura, ut ea non nisi diis testibus et præsidibus invocatis, et per sacrificia conciliatis inirent. Audi Valerium Flaccum libr. 8. Argonaut.

Deus nuptiarum conciliator et vindex.

*Inde ubi sacrificas cum coniuge venit ad aras  
Æsonides, unaque adeunt, pariterque precari  
Incipiunt, ignem Pollux undamque iugalem  
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.*

Et paulo post:

*Primus et ecce fero, quatioque hunc lampada vestro  
Coniugio, primus celebros dotalia sacra.*

Quocirca Modestinus l. 1. ff. de ritu nupt. nuptias definit divini et humani iuris coniunctionem. Et Gordianus in l. *Adversus*, C. de crim. exp. hæred. uxorem rei divinæ et humanæ sociam appellat. Hinc et nuptias non copulabant, nisi captatis prius auguriis, ut ex decorum voluntate eas auspicas et prosperas fore renuntiarent auspices. Hinc Claudianus epist. ad Serenam:

*Me iungeret auspex*

*Purpura, me sancto cingeret aula toro.*

Idem in Rullin. lib. 1.

— — — *Hæc auspice lædæ*

*OEdipodem matri, natæ iunxere Thyesten.*

Proprie autem Iunonem nupturi invocabant, illique multos habebant honores, quod illam iungendis et conciliandis coniugiis præesse censerent. Docet id Ovid. in epist. Medæe ad Iasonem:

*Conscia sit Iuno, sacris præfecta maritis.*

Et in epist. Hypsipyles:

*Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Iuno  
Adfuit.*

Et Virgil. lib. 4. *Æneid.*

*Iunoni ante omnes, cui vineta iugalia curæ.*

Et Statius in Sylvis:

*Dat Iuno verenda*

Ritus nuptiarum apud Gentiles.

Iuno coniugum præstes.

Filia Dei alieni est concupiscentia.

Vers. 12

Vers. 15.

*Vincula, et insigni geminat concordia tæda.*

Porro Iunoni sacra facientes, fel victimæ divulsum abiciebant, ut mystice significarent bilem omnem et iracundiam a nuptiis abesse oportere: ita Plutarch. in Coniug. præceptis. Huc spectat Numæ, qui Romulo successit, lex apud Gellium lib. 4. c. 3. *Pellæ ædem Iunonis non tangit; si tangit, Iunoni erinibus dimissis agnam fœminam cædit.* Invocabant et Deum sanctum Fidium, sive Medium Fidium, quasi fidei præsidem, et sancti fœderis conciliatorem et vindicem: de quo Ovid. lib. 6. Fastor. et S. August. lib. 18. Civit. 19. *Sabini, ait, regem suum primum Sangum, sive, ut aliqui appellant, Sanctum, retulerunt in deos.* Tam sancta erant Gentilium connubia; quam religiosa ergo et inviolata eadem apud Christianos sint oportet?

Septem argumenta avocantia a repudio et adultério.

I.

Nota: Malachias dehortatur hic Iudæos a despectu et repudio uxorum Israelitarum septem argumentis. Primum est, quia Deus a genesi mundi sanxit matrimonii vinculum, voluitque esse perpetuum. Idem ex more et ritu connubiorum testis fuit et quasi conciliator matrimonii tui: noli ergo matrimonium tam sancte a Deo sancti, iura violare: ita S. Chrysost. homil. de Libello repudii tom. 4.

II.

INTER TE ET UXOREM PUBERTATIS TUÆ.) Est hoc secundum argumentum, q. d. Hæc est uxor tua prima et legitima, quam in pubertate, id est, cum primum factus es puer, puta quam adolescens duxisti: noli ergo primos et teneros eius amores abrumpere.

QUAM TU DESPEXISTI.) Hebr. *fraudasti*; Chald. *mentitus es*.

III.

ET HÆC PARTICEPS TUÆ.) Pagnin. *socia tua*; Tigurina, *consors tua*. Est tertium argumentum, q. d. Sicut Deus Adæ dedit Evam in adiutorium tam generationis, quam vitæ; ita idem hanc e gente tua dedit tibi quasi sociam et consortem familiæ, laborum et bonorum omnium, æque ac malorum. Cum ergo hæc tibi tanto tempore fida et individua fuerit comes et socia, noli in extremo vitæ eam deserere: noli hanc maculam dare in gloriam tuam: noli comœdiam et fabulam vitæ tuæ, tam indigna catastrophe concludere.

IV.

ET UXOR FŒDERIS TUI.) Est quartum argumentum, q. d. Hæc est uxor, cum qua primum matrimonii fœdus iniisti: noli ergo hoc fœdus infringere, ne voeris et reipsa sis fœdifragus.

Vers. 15.

V.

NONNE UNUS FECIT?) Est quintum argumentum, q. d. Deus unus primitus fecit unam fœminam, scilicet Evam; et unum marem, scilicet Adam, ut inter hos duos, et consequenter inter cæteros omnes coniuges ex eis progenerandos, esset unum et indivisibile coniugium, nec enim Adam poterat alteri uxori iungi, quam Evæ, cum non esset alia creata a Deo; nec Eva ad alium virum divertere, quam ad Adam, cum non esset alius vir in mundo. Noli ergo hanc Dei sanctionem et unitatem coniugii infringere: noli protoplastorum Adæ et Evæ esse degener: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran.

Secundo, Chald. per unum accepit Abraham, vertit enim, *nonne unus fuit Abraham, ex quo propagatum est sæculum? et quid unus quæsit, nisi ut permaneret sibi proles in conspectu Domini?* q. d. Abraham pater vester ex quo tota gens vestra descendit, non desepit Saram, licet sterilem, sed ea petente duxit Agar; quia ex ea non voluptatem, ut vos, sed prolem quæsit. Et Tigurina, Pagnin. et Vatabl. *annon et unus hoc fecit, in quo excellens* (Hebr. enim *אנשׁ* *secar* et residuum et excellens significat) *fuit spiritus? Quid vero unus ille fecit? quærebat semen Dei: hoc est, Abraham cum unus esset et sine liberis, virque excellentissimus, non fecit hoc quod vos facitis, q. d. Despiciis et repudiatis uxores vestras sine maiorum exemplo, imo contra eorum exemplum: nam vos ex uxoribus procreastis proles, quas quærebat, et ex Sara procreare non poterat Abraham; nec tamen ideireo eam desepit, nullo minus repudiavit. Estis ergo non legitimi filii Abraham, sed degeneres et spurii.*

VI.

ET RESIDUUM SPIRITUS EIUS EST.) Est sextum argumentum, q. d. Deus ex se unum humanum spiritum, ha-

litumque vitalem creavit, cuius unam quasi partem dedit Adamo, alteram reliquam fœminæ, puta Evæ: Ergo non debetis hanc unitatem discindere divortio. Fœmina enim est quasi dimidium viri, tum corpore, quia ex residuo viri, puta ex costa, formata est; tum spiritu, quia halitum vitalem quem Deus insufflavit in Adam, eum postea divisit cum Evæ, cum eundem non numero, sed specie, id est, humanum et similem, in eam insufflavit, fecitque ut ipsa esset animal, imo homo vivens: ita S. Chrysost. hom. de Libello repudii. Hinc secundo, potest spiritus accipi pro amore et affectu: quia enim Adam et Eva ex eodem quasi corpore, et halitu vitali efformati sunt et constant, hinc pariter eundem habent spiritum, id est, affectum amoris a natura ingeneratum, quo mulier virum, et vir mulierem quasi sui comparem, ac sui dimidium, imo quasi alterum se intime amat et diligit. Causa enim et finis, cur Deus ex viro formaret fœminam, fuit, ut iis ingeneraret summum erga se invicem amorem, et coniunctionem in coniugio, ut numquam cogitarent de divortio vel repudio, quia per hoc discinditur unum quasi corpus viri et fœminæ, unusque spiritus, non tantum humanus, sed et divinus, utpote a Deo eis aspiratus, quasi divinæ particula auræ: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. et Lyranus. Aliter Arias: spiritum enim accipit pro mente, consilio, iudicio. Unde sic vertit, *et non unus fecit, et residuum spiritus illi: et quid unus ille quærens? Semen Dei*; sicque explicat, q. d. Non unus vestrum hoc peccatum divortii commisit, sed plurimi: unde nix est unus qui habet residuum spiritus, id est, sanæ mentis, consilii et iudicii. Quid enim singuli quærent? Anne semen Dei, ut scilicet proles fideles Deo gignant? Nequaquam; sed cupiunt suam explere libidinem.

VII.

ET QUID UNUS QUÆRIT NISI SEMEN DEI?) Est septimum argumentum, q. d. Quid unus, puta Deus, ex unius cum una coniugio, a se sancto intendit et quærit, nisi filios fideles et sanctus sibi gigni, ex fideli patre et matre, non autem infideles ex alienigenis? Matres enim alienigenæ et idololatræ, quas vos o Iudæi, ambitis, instillabunt suis prolibis amorem et cultum suorum idolorum, in eoque eas educabunt: ita S. Hieron. et alii eius sequaces. Significat Iudæos in matrimonio non debere studere voluptati et libidini, ideoque ambire alienigenas; sed proli, eiusque educationi piæ et sanctæ, quam a solis uxoribus Israelitis sperare possunt, ac proinde eas retinendas et ambiendas esse.

Moraliter notent concionatores, hæc septem rationes, quibus demonstratur a Deo sanctitas et insolubilitas matrimonii, iisque utantur contra divortia, et adulteria, atque ac iurgia et litigia coniugum, ut eis coniugalem ætatemque amorem persuadeant. Item ut dissuadeant Catholicis, ne matrimonia ineant cum hæreticis; hi enim sunt alienigenæ, qui proles educant in aliena fide, id est, in perfidia et hæresi. Exempla illustria amoris coniugalis Gentilium recenset Valer. Maxim. lib. 4. c. 6.

CUSTODITE ERGO SPIRITUM VESTRUM.) Primo *spiritum*, spiritus, id est, animam et voluntatem custodite a peccato libidinis, amoris et coniugii eum alienigenis, atque ex adverso a peccato despectus et repudii uxorum pristinorum, quæ sunt Israelitides: ita S. Hier. Secundo, Remig. Albert. et Lyran. per *spiritum* accipiant uxorem; hanc enim supra vocavit *residuum spiritus* viri, q. d. Custodite amorem pristinum erga uxores, quæ sunt quasi dimidium spiritus, id est, animæ vestræ. Unde explicans subdit: *Et uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere*. Tertio, a Castro, q. d. Custodite spiritum Abraham, ut sicut ille amavit Saram, ita vos ametis uxores vestras. Quarto, Tigurina vertit, *vos igitur quam chara est anima vestra, cavete ne in uxores, quæ vobis in iuventute desponsæ sunt, perfidi sitis*. Quinto, Arias ex Hebræo vertit, *custodite in spiritu vestro*, q. d. In re hæc tanti momenti, ne sinatis vos agi temeritate et libidine, sed agite omnia certo et maturo spiritu ac iudicio. Sexto, Vatabl. vertit, *servate igitur vos in spiritu vestro, et ne pravariemini*, hoc est, neque animo, neque corpore peccetis in Deum. Septimo, nervo-

sus et germanius per *spiritum* accipe amorem et affectum, quem vir perere debet erga uxorem, quasi alteram corporis et spiritus sui partem. Hoc enim significat vox illativa *ergo*, scilicet Prophetam respicere ad *residuum spiritus*, de quo dixit supra, q. d. Mulier et vir habent eundem spiritum, uti vitalem, ita moralem amoris mutui, ut dixi supra: ergo par est ut eundem studiose custodiant. Huc accedit P. Pineda in Iob 19. 17. qui per spiritum accipit habitum, quem sibi invicem communicant maritus et uxor crebris colloquiis, et conversatione. Est ergo in illis reciprocatio spiritus, iuxta illud Iobi: *Habitum meum exhorruit uxor mea*. Sensus ergo est, q. d. Custodite habitum vestrum, ne eum communicetis mulieri alienigenæ, sed tantum uxori legitime, hoc est, nolite convivere, conversari, colloqui et commisceri alienigenæ, sed Israelitidi dumtaxat, quam primitus coniugem duxistis.

Moral. custodiant viri spiritum castum et virilem: quia nihil est quod eum, etiam in Ecclesiasticis et devotis, ita emolliat et effeminet, atque amor etiam in speciem pius fœminarum, præsertim alienigenarum. Exemplum est in Sardanapalo, ultimo Nimives rege et monarcha, quem ait Iustinus l. 1. *Arbustus invenit inter scortorum greges purpuram colorem, et muliebri habitu cum molitie corporis, et oculorum lascivia omnes feminas ulcipientem, pensa inter virgines partientem*. Sic Iezabel dominata est Achabo, concubinæ Salomoni, Dalila Samsoui, Omphala Hereuli, uti describit Seneca in Hippolyto:

*Natus Alcmena posuit pharetram,*

*Passus aptari digitis smaragdus, etc.*

Clarius vero Deianira apud Ovidium de Hercule ita canit:

*Vidit in Herculeo suspensa monilia collo,*

*Illo, cui cælum sarcina parva fuit.*

*Crassaque robusto deducens pollice fila,*

*Æquaque formosæ pensa rependis heræ.*

*Diceres infelix scuticæ tremefactus habenis,*

*Ante pedes dominæ pertinuisse minas.*

Vide S. Cyprianum tract. de Singularitate clericorum.

**CUM ODIO HABUERIS DIMITTE.**) Varii varie hunc locum vertunt, et explicant. Primo, R. Hanauus apud Ariam sic vertit, *Deus odit eum qui dimittit uxorem suam*. Secundo, Pagnin. *si oderit dimitte*, q. d. Si uxor tua sit rixosa, teque oderit, dimitte illam. Tertio, Chald. *quod si oderis, dimitte eam, et ne operias peccatum vestimento tuo*, q. d. Si oderis uxorem, repudia illam, et ne legas tuum odium illa veste et prætextu, quod illam domi tuæ retineas, quasi illam ames, cum occulte eam tractes ut servam. Quarto, sic vertit et explicat Vatabl. *qui odio habet, dimittat: al legit unusquisque vestrum iniquitatem sub veste sua*, id est, unusquisque vestrum dimittit quidem uxorem quam odit, sed non dato libello repudii: unde fit, ut alteri nubere non possit. Quiuto, alii, *qui odit dimittat, et tegat iniquitatem sub veste sua*, q. d. Vir dimittens uxorem, tegat suam infamiam, qua eum uxor, dum domi detineretur, et male tractaretur, solebat diffamare. Sexto, alii multi censent esse ironiam, q. d. Si oderis uxorem, dimitte; sed scito quod iniquitas operiet vestem tuam. Nec enim lex ob odium permittebat repudium, sed ob fœditatem uxoris, id est, ob fornicationem, lepram, mores incorrigibiles, etc. ut dixi Deut. 24. v. 1. Septimo et planissime, q. d. Cum oderis uxorem dimitte, dato illi libello repudii, ut alteri nubere possit potius quam eam domi perpetim ut servam alligas, verberes, mutiles, vel occidas: sed scito quod iniquitatem non evades. Licet enim minus malum sit dimittere uxorem, quam occidere, tamen in se grande malum est: nec enim ob solam displicentiam, vel odium licet eam dimittere.

**OPERIET AUTEM INIQUITAS VESTIMENTUM EIUS.**) Scilicet mariti dimittentis, ut patet ex pronomine Hebræo masculino, non autem mulieris dimissæ. Est enallage personæ: ponitur enim *eius* pro *tuum*. Pro *iniquitas*, hebr. est **עוון** *chamas*, id est, iniuria, vis, violentia. Aliqui vertunt, *si vir dimittat uxorem, operiet iniquitatem vestem suam*, q. d. Dimittendo eam teget suam iniuriam et infamiam libello repudii, quasi veste, velamine et prætextu,

ait P. Prado in Ezech. 13. 18. Ex adverso Tigurina verit, *num ergo violentiam vestimento suo teget?* q. d. Minime. Aut, ut Clarius, q. d. Ne operiet vir odium in corde suo, quasi si maculam sub veste abscondat. Aliter Vatabl. et alii, uti paulo ante recensui. Verum nostræ Vulgate versionis varia est explicatio. Primo, S. Hieron. per vestimentum accipit corpus, quod est quasi vestis animæ, in iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 5. vers. 4. *Nolumus expoliari corpore, in resurrectione et cælo, sed supervestiri; ut absorbeatur quod mortale est a vita*. Sensus ergo est, *iniquitas*, id est, pœna iniquitatis, operiet vestem, id est, corpus tuum, q. d. Deus te acriter in corpore, cuius delicias et libidines iniuste sectaris, puniet, alligetque moribus, fame, plagis, etc. Secundo, Sept. per *vestimentum* accipiunt cogitationes. Sicut enim vestis tegit corpus, ita animam tegunt cogitationes, intentiones, desideria et concupiscentiæ, quæ in anima circum se invicem, ita in glomum quasi convolvuntur, sicut in cepis orbiculi alii alii, quasi involuera circumvolvuntur et vestiuntur. Vertunt

**B** ergo *operiet iniquitas super cogitationes tuas*. Tertio, alii proprie accipiunt *vestimentum*, q. d. Iniquitas, id est, pœna iniquitatis, operiet vestem eius: quia scilicet Deus puniet virum ex odio dimittentem uxorem, paupertate et nuditate, ut suis rebus, etiam intimis, puta vestibus, spoliatur. Quarto et genuine, vestis hic metonymice capitur pro homine veste induto. Est ergo phrasid Hebræa, *operiet vestem*, pro eo quod nos dicimus, operiet hominem vestitum, inde sumpta, quod homo per vestes sit conspicuus, et cognoscatur, iuxta illud Eccli. 19. 27. *Anictus corporis, et risus dentium, et gressus hominis enunciant de illo*. Sic ex adverso de Sanctis dicitur Apoc. 7. vers. 14. *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni: ubi stola vocat conscientias, quæ animæ quasi sunt vestes et stolæ*. Quocirca hoc loco hebr. est, *operiet iniquitas super vestimentum tuum*, id est, ita redundabit, eminebit et exuberabit tua iniquitas, ut nullo vestimento occultari aut dissimulari possit. Tanta enim erit, ut te vestemque tuam operiat, legat et obruat. Similis phrasid est Iosue 24. 7. *Adduxit super eos (Ægyptios) muræ, et operuit eos*; hebr. est, *operuit super eos*. 2. Paral. 5. 8. *Cherubim expandent alas suas super locum*, hebr. est, *operiebant Cherubim super arcum*. 2. Esdræ 4. v. 5. *Ne operias iniquitatem eorum*, hebr. est, *ne operias super iniquitatem eorum*: præpositio enim *super*, redundantiæ et exuberantiæ significat: ita Lyran. Arias et a Castro. Denique per iniquitatem, vel, ut hebr. est, iniuriam et violentiam, accipe iniquitatis tam culpam, quam pœnam et vindictam, q. d. Si uxorem ob solum odium dimiseris, operiet te gravis culpa, et infamia, æque ac pœna, qua Deus hoc scelus in te vindicabit.

**CUSTODITE SPIRITUM VESTRUM**; scilicet affectum et amorem erga uxores vestras, **ET NOLITE DESPICERE.**) Illas. Vide dicta v. 15.

**LABORARE FECISTIS DOMINUM IN SERMONIBUS VESTRIS.**) Tangit hic aliud Iudæorum crimen, blasphemæ scilicet, spectans ad atheismum, quod nimirum dicerent, non esse numen puniens improbos, et protegens probos. Unde Lyran. et Pagnin. hinc incipiunt caput tertium. Sept. vertunt, *provocastis Deum sermonibus vestris*; Chald. *faecistis negotium coram Domino*; Arias et Tigurina, *fatiqstis et lassastis Dominum*, vestra scilicet continua contentione, sicut homines litigiosi et clamosi suis litigiis et clamoribus fatigant iudices, eisque aures obtundunt. Vatabl. *molestia affectis*.

Nota hic impius, præsertim blasphemus et atheus, sua improbitate fatigare, alligere et lassare Deum, quantum in ipsis est, etsi revera eum non alligant nec lassant, eo quod ipse afflictionis et lassitudinis non sit capax. Nam si eius esset capax, utique improbitas hæc alligeret et fatigaret eum; nec ulla alia re, quam hæc Deus alligeret et fatigaretur. Simile est Isaia 1. 14. *Solemnitates vestras odit anima mea: factu sunt mihi molesta, laboravi sustinens*. Et Ephes. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis*. Sensus ergo est,

Vestis quadruplex.

Conscientia est vestis anime.

Vers 17.

Improbri alligant et lassant Deum.

Moral de fuga mulierum, etiam devota-rum.

Vers. 16.

q. d. Vos, o Iudæi, blasphemia vestra molestia affecistis, exacerbastis et fatigastis Deum, dicentes: *Omnis qui facit malum, bonus* (Chal. *rectus*) *est in conspectu Domini*, q. d. Mali sunt grati Deo, malos amat Deus: malos enim ita prosperat, dilatat et exaltat, ut eis delectari videatur. Uode explicans subdit. *Et tales ei placent. Aut certe ubi est Deus iudicii? Ubi est Dei providentia? ubi iusta eius iudicia? ubi Deus iustus vindex impiorum, et protector piorum, qui nos fideles suos ita afflixit, et hostes nostros infideles ita magnificavit? Est dilemma: vel Deus amat malos et mala, vel non amat: si amat, ergo ipse pariter malus est, quod absit: si non amat, cur ergo eos non punit; quinimo eos prosperat, facitque ut dominantur piis, in eosque sæviant, uti nobis contigit?*

Querela  
impio-  
rum de  
Dei pro-  
videntia

Causa enim huius querelæ et blasphemiarum fuit, quod, ut ait S. Hier. *reversus populus de Babylone, et videns cunctas in circuitu nationes, ipsosque Babylonios idolis servientes abundare divitiis, vigere corporibus, omnia quæ bona putantur in sæculo possidere; se vero qui habebat notitiam Dei, squalore, inedia, servitute coopertum, scandalizatur et dicit: Non est in rebus humanis providentia: omnia casu feruntur incerto, nec Dei iudicio gubernantur, quin potius mala ei placent, et bona displicent: aut certe si Deus cuncta diiudicat, ubi est illius æquum iustumque iudicium?* Subdit S. Hieron. *Istiusmodi quæstionem mens incredula futurorum quotidie suscitavit Deo, cum viderit iniquos potentes, et sanctos humiles, etc. qualis in Evangelio Lazarus legitur, qui ante fores divitis purpurati desiderat micis, quæ abiciuntur de mensarum reliquiis, inopem animam sustentare: divitem vero tantæ feritatis et crudelitatis, ut non miseretur homo hominis, cuius etiam canum lingua miseretur; non intelligentes tempus iudicii, nec vera esse bona illa quæ perpetua sunt, dicunt: Mali ei placent, et ubi est Deus iudicii?* Similis querela est Habacuc 1. Vide ibi dicta. Eadem iterat Malachias c. 3. 14. eique respondet v. 46. et seq. scilicet, quod in ea re expectare debeant tempus vindictæ a Deo definitum, atque interim laudare Dei patientiam et longanimitatem, quæ

differt ultionem ut peccator resipiscat, Rom. 2. 4.

**UBI EST DEUS IUDICII?** ) Hebr. est *he* demonstrativum, quod magnoam habet emphasim: *Ubi est Deus* **הַמִּשְׁפָּט** *hammispat*, id est, illius iudicii, scilicet magni, certissimi, exactissimi, acutissimi, omniscii, iustissimi, liberissimi, quo nec potentem, nec divitem, nec munera, nec quid aliud præter iustitiam respicit. Ipse enim est Deus *hammispat*, cui scilicet ex natura competit exacto iudicio iudicare omnes et omnia; ipsius enim natura est ipsa æquitas, ipsa iustitia, ipsa providentia, ipsa gubernatio, eaque iustissima et sapientissima. Unde Sept. vertunt, *ubi est Deus iustitiæ?* Chald. *ubi est ergo Deus qui facit iudicium?* cuius scilicet proprium est esse omnium iudicem, ac in omnes rigidum exercere iudicium: nimirum idipsum exercebit plane et plene in decretorio et ultimo mundi die, qui erit horizon huius vitæ et futuræ, disternens tempus ab æternitate, cælum a gehenna, beatos a damnatis, in omne ævum, per Christum, quem constituit iudicem universorum, vivorum et mortuorum. Frustra ergo olim clamaverunt, et etiamnum clamant impii et stolidi Iudæi: *Ubi est Deus iudicii?* qui nos gentem suam a tot probris et ærumnis, quas a 1500. annis ubique terrarum patimur, iudicet et vindicet. Quocirca æque stolidi Rabbi in Thalmud scribunt, Deum, quoties reminiscitur calamitatum quas Iudæi a Gentibus ubilibet patiuntur, duas effundere lacrymas in mare Oceanum, et præ dolore pectus utraque manu contundere; quam impiam et ineptam eorum blasphemiam inter alias plurimas recenset et ridet Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. in voce Thalmud. pag. 142. Verius et sapientius pro Deo contra se sic argumentari deberent: Deus, cum sit iustissimus, iusto iudicio nos omnes per 1500. annos abiecit, et punit gravissime: gravissimum ergo scelus patravimus, nimirum occidimus Messiam nostrum, Iesum Christum Deum et Domium universorum, Deum inquam iudicii. Frustra ergo querimur et quærimus: *Ubi est Deus iudicii?* nos enim eum occidimus.

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Taxavit c. 2. incuriam et improbitatem sacerdotum veterum: hoc cap. assignat remedium, nimirum Christum venturum in carnem, suumque templum, et eius præcursorem Ioannem Baptistam; Christus enim, inquit, purgabit filios Levi, etc. et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia; quo simul respondet querelæ impiorum in fine cap. 2. dicentium: Ubi est Deus iudicii? Christus enim erit Deus iudicii, imo et testis velox maleficis, et adulteris, et periuris, etc. Secundo, v. 8. culpavit Iudæos, quod Deum configant fraudando, sibique arrogando eius decimas et primitias. Tertio, v. 14. arguit eos qui dicunt: Vanus est qui servit Domino, quasi Dei cultus sit inutilis; nec Deus suos cultores remuneretur. Quibus respondet v. 48. In die iudicii videbitis quid sit inter iustum et impium, et inter servientem Deo, et non servientem ei.*

1. **E**CCE ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: 2. Et quis poterit cogitare diem adventus eius, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans: et quasi herba fullonum: 3. Et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. 4. Et placebit Domino sacrificium Iuda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui. 5. Et accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et periuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. 6. Ego enim Dominus et non mutor: et vos filii Iacob non estis consumpti. 7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo revertemur? 8. Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, et in primitiis. 9. Et penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota. 10. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, et effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam. 11. Et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. 12. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. 13. Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. 14. Et dixistis: quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est quis servit Deo: et quod emolu-

mentum quia custodivimus præcepta eius, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? 15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. 16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo. Et attendit Dominus, et audivit: et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen eius. 17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: et paream eis, sicut parcat vir filio suo servienti sibi. 18. Et convertemini, et videbitis quid sit inter iustum et impium; et inter servientem Deo, et non servientem ei.

Vers. 1.

**ECC**E EGO MITTO ANGELUM MEUM.) Assurgit Propheta ad tempora Christi duplici de causa. Prior est, quod cap. 2. carperit vitia sacerdotum sui avi. Quocirca hic eorum correctorem suggerit, scilicet pontificem Christum qui in novo testamento sit purus et integros sacerdotes instituturus, ac sacrificium Deo gratissimum oblaturus: ita Rupert. Ribera et alii. Posterior, ut respondeat Iudæis negantibus Dei providentiam, ac dicentibus: *Ubi est Deus iudicii?* Ait enim: En Christum Deum iudicii, qui brevi incarnabitur, et sese ostendet in templo: ita S. Hieron. Theodoret. et alii.

Nota hanc esse vocem Filii Dei, non Patris, non Spiritus sancti: nam Ioannes Baptista non fuit præcursor, nec præparavit viam ante Patrem et Spiritum sanctum, sed ante Filium: solus enim Filius in carnem ad nos descendit. Unde et ipse in veteri testamento idipsum Prophetis promisit, ideoque iisdem præ cæteris personis apparuit, aut seipsum revelavit, quasi præludens suæ incarnationi. Accedit quod sic explicet Zacharias Lucæ 1. v. 76. dicens suo filio Ioanni: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, scilicet Christi, qui per viscera misericordiae Dei nostri visitabit nos oriens ex alto:* ita S. Hieronymus, Albertus, Lyranus, Vatablus, Ribera et passim alii.

Dices, Quomodo ergo Christus Matth. 11. 10. citans hunc locum, de Ioanne ait: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te?* Nec enim Christus de se poterat dicere *ante faciem tuam*; et *ante te*; sed, Ante faciem meam, et Ante me. Respondet ibidem Iansen. Christum tum qua Deus, tum qua homo, in Scriptur. vocari faciem Patris: quia ipse perfecte Patrem eiusque dotes et virtutes representat, perinde ac facies representat tutum hominem: sicut eadem de causa Christus vocatur Verbum, os, imago Patris, et character substantia eius, Hebr. 1. 3. Hinc Psaltes orat psal. 79. 8. *Ostende nobis faciem tuam* (id est Messiam) *et salvi erimus.* Pluribus idipsum probat Galatin. lib. 3. c. 12. Hunc ergo dant sensum: Ecce ego Pater æternus mitto angelum meum; puta Ioannem Baptistam, qui præparet viam ante faciem meam, id est ante Christum, qui est facies mea, id est mea imago, mea similitudo, meus index. Unde Pater apud S. Matth. 11. 10. convertens se ad Christum, vicissim de Ioanne ait: *præparabit viam ante faciem tuam*, id est, ante te, o Christe, fili mi: nam tua facies est etiam facies mea. Verum hic sensus subtilior et symbolicus videtur: nam *ante faciem tuam*, ad litteram idem est quod *ante te*: sic enim se explicat Evangelista subdens, *Qui præparabit viam tuam ante te.*

Dupliciter ergo respondent Interpretes. Primo, S. Ioannem missum esse tam a Patre et Spiritu sancto quam a Filio. Opera enim Trinitatis ad extra sunt indivisa, et tribus personis communia, uti docent Theologi: quare quod unus facit, hoc faciunt duo cæteri; eum omnes tres sint unius uti naturæ, ita et potentiae ac operationis. Quocirca Patres censet Isaiam c. 6. 1. eum ait: *Vidi Dominum, etc.* vidisse SS. Trinitatem. Itaque eum Scriptura opus quodpiam uni personæ divinæ attribuit, cæteras subintelligit. Christus ergo Matth. 11. 10. loquens Iudæis, ne ab eis arrogantiae insimularetur, noluit dicere se misisse Ioannem, sed Patri modestiæ causa id assignat; quem morem perpetuo servavit disputans eum Iudæis, ut patet in primis capitibus S. Ioannis, ubi omnia sua Patri transcribit. Cum ergo Filius hic dicit: *Ecce ego mitto angelum ante faciem meam*; Pater quoque dicit: *Ecce ego mitto ange-*

**A** lum ante faciem tuam, o Fili, ut ait S. Matthæus. Et Spiritus sanctus idipsum dicit: *Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam o Christe: Spiritus sanctus enim misit Ioannem, uti et cæteros Prophetas, perque os eorum locutus est.* Hic ergo in Malachia loquitur Filius, sed in S. Matthæo loquitur Pater et Spiritus sanctus. Unde S. Hier. in c. 1. S. Marei dicit, Ioannem missum a Spiritu sancto, illumque intelligi eum ait Christus: *Ecce ego (puta Spiritus sanctus) mitto angelum meum ante faciem tuam, o Christe.* Hac de causa Petrus Chrysolog. Ioannem Baptistam vocat medium totius SS. Trinitatis, quasi de eo eertent, eumque sibi arrogant singulæ personæ SS. Trinitatis.

**B** Secundo, a Castro respondet, eandem personam divinam loqui hic apud Malachiam et apud S. Matthæum, scilicet Filium. Dicit ergo hic Filius: *Ego mitto Ioannem ante faciem meam, scilicet quæ est facies mei incarnati.* Idem apud Matth. dicit sibi ipsi, sed homini facto, *Ecce ego filius Dei mitto Ioannem ante faciem tuam, o Christe fili hominis.* Licet enim in Christo sit una dumtaxat persona, tamen illa virtute est duplex: quatenus enim sustinet naturam divinam, est persona divina; quatenus vero sustinet naturam humanam, est persona humana. Loquitur ergo Christus Deus Christo homini, quasi alteri a se: quia qua homo alteram, et prorsus diversam a Deo habet naturam; in Christo enim aliud (licet non alius) est Deus, aliud homo.

**C** ANGELUM.) De fide est hunc angelum esse S. Ioannem Baptistam. De eo enim hæc Malachiæ verba explicat Christus, Matth. 11. 10. verbis paulo ante citatis: ita S. Hieron. Cyrill. Theod. Remig. et cæteri omnes. Sed cur S. Ioannes vocatur *angelus*? Responderi posset, quia Iudæi eum ob vitam sanctam et eremiticam putarunt esse angelum non hominem, uti refert Eusebius lib. 9. Demonstr. et S. Hieron. Quinimo e Christianis Doctoribus Origenes tom. 5. in Ioan. censuit Ioannem Baptistam vere fuisse angelum incarnatum. Argumenta eius fuerunt duo. Prius, quia Ioannes dicitur missus a Deo, Ioan. 1. v. 6. ergo, inquit, prius extitit, non utique in terra, sed in cælo: ergo fuit angelus. Posterius, quia idem a Malachia hic vocatur angelus. Verba Origenis sunt: *Quoniam legimus, Malach. 3. 1. Ecce ego mitto angelum meum, adnotamus nun forte unus angelorum existens, præcursor ad ministerium deputetur Salvatoris nostri. Et mirum profecto nihil, Christi ob amorem hominum incarnati imitatores aliquos extitisse, quibus dulce fuerit ei benignitati inseruire eadem corporis similitudine.* Censet ergo angelos aliquos fuisse incarnatos, ut Deo incarnato se assimilerent, eique in carne servirent. Verum hic est error. S. Ioannem enim fuisse hominem, non angelum, patet ex Ioan. 1. 6. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes*; et Lucæ 1. 1. ubi eius parentes, conceptio, nativitas, etc. fuse describuntur: ita S. Cyrill. 1. 1. in Ioan. c. 7. Ad primum Resp. S. Ioannem non ante, sed post nativitatem, imo post infantiam et adolescentiam, iam virum fuisse missum a Deo, ut sua prædicatione et baptismo præpararet animos hominum ad Christum. Simili modo missi sunt Prophetæ omnes ad prophetandum, quos tamen constat homines fuisse, non angelos. Ad secundum iam respondebo.

**D** Quæres, Cur ergo S. Ioannes hic vocatur angelus? Resp. quia angelus fuit non natura, sed gratia; nimirum Primo, fuit angelus officio: fuit enim angelus, id est legatus, Dei ad homines adducendus ad Christum. Simili modo Aggæus c. 1. v. 13. in Hebræo, et Malachias nomine suo; quin et sacerdotes omnes Malach. 2. 7. vocantur *malachim*, id est, angeli Domini exercitum.

Christus est facies Patris, cur?

Ioannem Baptistam fuisse angelum incarnatum censent Iudæi et Orig.

Vocatur angelus ob octo analogias. 1.

- II. Secundo, quia sicut angeli infantiam non habuere, sed cum perfecta natura, ratione, iudicio usuque liberi arbitrii creati sunt; ita et Ioannes tantum sex menses habuit infantiae: sexto enim mense visitatus a B. Virgine, in utero sanctificatus est, prophetavit, usumque rationis obtinuit. Nam Christum in utero matris agnovit, salutavit, adoravit, ideoque præ gaudio exultavit, Lucæ 1. 44.
- III. Tertio, quia parcissimi fuit cibi, et pene sine cibo et potu vixit iustarum angelorum. Unde S. Basil. homil. de ieiunio, ait totam vitam Ioannis fuisse continuum quoddam ieiunium.
- IV. Quarto, quia purissimus et castissimus fuit, virgoque perpetuus instar angeli. Nam, ut ait S. Athanas. lib. de Virgin. sub finem: *Virginitas est angelorum vita*. Et S. August. lib. de S. Virgin. c. 13. *Virginalis, ait, integritas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptio nis perpetua meditatio*. Et S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium: *Statim, inquit, ut filius Dei ingressus est super terram, novam familiam sibi instituit; ut qui ab angelis adorabatur in caelo, haberet angelos in terris*. Et S. Cyprian. tract. de habitu virginum: *Cum castæ perseveratis ac virgines, angelis Dei estis aequales*. Et S. Ambros. lib. 2. de Virgin. *Quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei. Nemo ergo miretur si angelis comparentur, quæ angelorum Domino copulantur*. Amplius audet S. Bernard. epist. 42. *Differt, inquit, homo pudicus et angelus, non felicitate, sed virtute. Nam etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur*. Ob quam luctam et victoriam S. Basil. tract. de Virgin. cap. 79. ait castos esse angelos, non ex infimo ordine, sed illustrissimos et nobilissimos. Hanc castitatem S. Ioannes quasi eum natura hausit a Deo, qui eum concipi fecit ex parentibus senibus et sterilibus, ex corporibus, inquam, a concupiscentia defæcatis, ut ex iis purus formaretur per miraculum quasi angelus. Denique Ioannes pro castitate, quia scilicet reprehendebat adulterium Herodis cum Herodiade, Martyr occubuit.
- V. Quinto, quia sicut angeli perpetuo vident faciem Dei, Matth. 18. 10. ita Ioannes a puero secedens in eremum, sanctæ vacans contemplationi cum Deo et angelis conversatus est, indeque angelicam libertatem, constantiam, charitatem, zelum, perfectionem imbibit et induit. Nam, ut docet S. Chrysost. homil. 32. in Acta in morali, virtus facit angelos, imo deos Deique filios: *Ergo, inquit, si virtus angelos facit, utique nos angelos possumus facere, etsi non natura, certe proposito et electione. Nam hoc quidem absente, nulla utilitas est angelum esse natura: id quod diabolus indicat, qui antea angelus fuerat. Hoc autem præsentem, nullum damnium est hominem esse natura, ut in Ioanne et Elia perspicuum est, qui in caelum ascendit*. Rursum S. Ioannes conversatus est cum Verbo incarnato, eique assistit et servivit, sicut angeli astant et serviunt Deo in caelo.
- VI. Sexto, quia gratiam acceptam nunquam perdidit, quia nunquam peccavit, saltem deliberate aut graviter, sed in charitate suoque gradu perstitit quasi confirmatus in gratia, instar angeli. Huc eum duxit austera vita et severa pœnitentia in victu, vestitu, somno, etc. Quocirca Petrus Damian. serm. de eo, vitam eius vocat continuum martirium. S. Chrys. hom. 10. in Matthæum, eam vocat vitam angelicam. Idem homil. 38. *Ioannes, inquit, ita in terris quasi in caelo versabatur. Naturæ namque necessitate superata, mirabile quoddam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit: nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli suæ semper offerrebat colloquia*.
- VII. Septimo, quia, sicut angeli superiores docent inferiores, insuper purgant, illuminant et perficiunt homines; ita idem præstitit Ioannes, iuxta illud Gabrielis ad Zachariam patrem de Ioanne, Lucæ 1. 16. *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Elia, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam*. Et illud ipsiusmet Baptistæ Ioan. 1. 23. *Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini*, etc. Vere B. Petrus Chrysologus serm. 127. *Ioannes, ait, appellatur schola virtutum, magister vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitie titulus, castitatis exemplum, patrum via, peccatorum venia, fidei disciplina, maior homine, par angelis, legis summa, Evangelii satio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præcursor iudicis, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis*. Adde, Ioannes primus explicite prædicavit regnum caelorum, quasi angelus caelestis, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum*.
- VIII. Octavo, quia in deserto non habuit alium doctorem quam Spiritum sanctum, qui illuminavit eum in altissimis Dei et Christi mysteriis, non quasi hominem, sed quasi angelum, uti docent S. Ambros. homil. de nativ. Bapt. et S. Chrysost. hom. 12. in Ioannem. Ibi a Spiritu sancto accepit intelligentiam Script. imo potestatem scribendi et loquendi instar scriptoris hagiographi. Ibi hausit sapientiam et ardorem tanto doctore et prædicatore orbis, ad fidem Christo conciliandam necessariam, ac proinde fuit quasi angelus, non qualis qualis, sed instar unius Cherubini et Seraphini: sanctitate enim et virtute, æque ac officio, superavit S. Ioannes omnes inferiores angelos. Quocirca a Iudæis pene adoratus et cultus fuit, quasi ipse esset Messias. Vide decem privilegia S. Ioannis apud S. Bernard. ser. de iisdem (si tamen ipse eius est auctor) p. 393. Item 28. Ioannis excellentias, quas recenset noster Barradius l. 8. c. 3. et 4. tom. 1. Denique S. Ioannes fuit Christi et Evangelii aurora, lucifer, iris, lucerna, pronubus, amicus, præcursor sive prodromus, vox, testis, Propheta, legis limes, utriusque testamenti mediator et fibula.
- Anagog. Ioannes est Elias.
- Anagog. Hebræi teste S. Hieron. censent angelum hunc esse Eliam: quia sicut Elias olim vivens fuit typus S. Ioannis, qui Eliæ spiritum et zelum induit, uti ait Christus Matth. 17. 12. ita vicissim Ioannes præcurrens et præparans viam Christo, typus fuit Eliæ, qui rediturus est in fine mundi, ut contra Antichristum decertans, viam pareret Christo venturo ad iudicium: ita et Sebastian. Barrad. tom. 1. lib. 8. c. 3. et 4. ubi 28. prærogativas S. Ioannis recenset.
- Denique auctor imperfecti homil. 27. *Mirabilis est, ait, qui in humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, et obtinuit quod non habuit natura, per gratiam*. S. August. serm. 4. de Baptista: *Quisquis Ioanne plus est, non tantum homo, sed et Deus est*. S. Ambros. serm. 94. *Præcellit cunctis, eminet universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas: et quisquis ex muliere est, inferior est Ioanne*. Gerson tract. 4. in Magnificat: *Videtur Ioannes Baptista primus post Mariam positus in ordine Seraphinorum, loco Luciferi*.
- ET PRÆPARABIT VIAM ANTE FACIEM MEAM.) Scilicet qui mihi sit proximus, me tamen secundum carnem antecedit, priorque mundo manifestetur. Hoc enim est *ante faciem*, qui scilicet proximus est alteri, eum tamen, eiusque faciem anteit et præcedit. Hic præparabit viam ante me, hoc est, suo baptismo, testimonio, doctrina et prædicatione disponet animos Iudæorum, ut quando ego me mundo patefaciam, ipsi me recipiant ut verum Messiam in lege promissum. Hoc est Christo præparare viam, idque ante faciem eius, id est ipso præsentem et in mundo iam existente per carnem assumptam. Christum enim ipse signabit, ac digito indicabit, atque de eo testimonium perhibebit, quod scilicet ipse sit Agnus, id est Filius Dei, qui tollit peccata mundi.
- Nota. Cæteri Prophætæ multis sæculis ante Christum missi sunt, ut eum futurum prænunciarent; Ioannes vero missus est, ut iam natum et præsentem indicaret, ideoque dicitur missus ante faciem eius. Alludit ad legatos, quos quasi prodromos rex præmittit in urbem, ad quam ipse mox venturus est, ut civibus suum adventum prænuncient; hoc enim officium Christo in Iudæa præstitit Ioannes. Quocirca a Christo vocatur non tantum Propheta, sed etiam plusquam Propheta, Matth. 11. 10. quia cum

Ioannes  
fuit hori-  
zon et li-  
bula le-  
gis ve-  
teris et no-  
væ.

Deo incarnato familiariter conversatus ipsum orbi demon-  
stravit, imo baptizavit. Unde sequitur: *Et statim* post Ioan-  
nem, *veniet dominator*, scilicet Christus. Quocirca S. Ioan-  
nes fuit horizon legis veteris et novæ, quia, ut ait S. Thom.  
3. p. q. 38. art. 1. *Ioannes fuit terminus legis, et initium*  
*Evangelii*; ac, ut ait Nazianz. orat. 21. *Mediator novi et*  
*veteris testamenti*. Atque, ut B. Chrysol. serm. 91. *Ioan-  
nes fuit legis et gratiæ fibula, scilicet ad quem desineret iu-  
daismus, et a quo inciperet christianismus*, ut ait Tertul.  
1. 4. contra Marcion. 33. *Sicut Lucifer finis est noctis, et*  
*diei initium*.

AD TEMPLUM.) Ad litteram intellige materiale Hiero-  
solymitanum. Ad hoc enim venit Christus infans in festo  
purificationis, post nativitatem et oblationem S. Ioannis;  
sed genuine et propriissime post S. Ioannis prædicationem,  
carcerem et decollationem venit Christus ad templum, in  
eoque prædicavit et fecit miracula, quibus demonstravit  
Iudæis se esse Messiam hic promissum: ita S. Hieron. Al-  
bert. Lyranus, et cæteri. Hinc patet contra Arrianos, Chri-  
stum esse verum Deum: Dei enim veri erat hoc templum.  
Ergo cum hoc templum fuerit Christi (ipse enim hic di-  
citur venturus ad suum templum) sequitur, Christum esse  
Deum. Soli enim Deo dicantur templa.

Mystice  
templum  
Dei fuit.  
1.  
Uterus  
Virginis.

Mystice, per templum hoc aliqui accipiunt Primo, ute-  
rum Virginis, in quo quasi in templo purissimo et sanctis-  
simo Christus novem mensibus habitavit, dum ex ea car-  
nem assumpsit, et admirabile incarnationis mysterium in  
eo, quasi in templo celebravit: ita S. Cyrill.

Humani-  
tas Chri-  
sti.

II. Secundo, Theodor. et S. August. 1. 18. Civit. 35. tem-  
plum hoc interpretantur carnem et humanitatem Christi,  
in qua plenitudo divinitatis habitavit corporaliter. Coloss.  
2. 9. ita Christus corpus suum vocavit templum, dicens:  
*Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*,  
Ioan. 2. v. 19. Christus enim in corpore quasi in templo  
suum sacerdotium peregit, ait Rupert. præsertim dum il-  
lud in cruce Deo Patri pro hominum redemptione immo-  
lavit.

Ecclesia.

III. Tertio, S. Hieron. eum suis, per templum accipit Eccle-  
siam, sive Synagogam et cætum fidelium, qui est tem-  
plum Dei, non litterale et corporale, sed mysticum et spi-  
ritale.

DOMINATOR (Hebr. הַאֲדֹנָי *haadon*, id est, ille dominus  
omnium, scilicet anteuomastice, qui plenum, eminent, et  
transcendens in omnes et omnia habet ius, dominium et  
imperium) QUEM VOS QUÆRITIS.) Hebræi aliqui, quos  
sequitur Remigius, uti per angelum accipiunt Eliam, ita  
per dominatorem accipiunt Antichristum: hunc enim vol-  
ent, et pro Christo recipient Iudæi in fine mundi. Verum  
hoc recte refellit S. Hieron. Nec enim Antichristus erit  
angelus testamenti, qualem hunc dominatorem fore sub-  
iungit Malachias. Dominator ergo hic est Christus Domi-  
nus, Rex regum et Dominus dominantium, qui mox se-  
culus est Ioannem Baptistam. Perperam ergo Iudæi hæc  
referunt ad Christum suum, quem ipsi putant in fine mun-  
di venturum. Nam, ut recte argumentatur S. Hieron. *Miror*  
*ait, quomodo rerum exitus eos non doceat veritatem. Quod*  
*enim templum suum inveniet Dominator, quod usque ad*  
*fundamenta destructum est? aut si ab alio extruendum est*  
*antequam Christus adveniat, quid Christus eorum amplius*  
*facturus est, cum ab alio restituta sint omnia?* Iudæorum  
ergo Christus non erit alius quam Antichristus; nec enim  
alius eorum Christus venturus est.

ET ANGELUS TESTAMENTI.) Hebr. בְּרִית *berit*, id est  
fœderis. Testamentum enim in Scriptura sæpe significat  
pactum et fœdus, uti dixi Hebr. 9. v. 15. et 1. Corinth.  
11. 25. unde Tigurina vertit, *et legatus fœderis*. Mala-  
chias duos hic proponit et promittit angelos: unum nu-  
dum, alterum testamenti: priorem scilicet, præcurso-  
rem et indicem posterioris. Prior est Ioannes Baptista, poste-  
rior est Christus. Unde de eo ait: *Et statim*, scilicet post  
priorem angelum, puta post Ioannem Baptistam, *veniet*  
*ad templum*, etc. *angelus testamenti*, id est pacti, sive fœ-  
deris, ut vertit Syrus. Porro cum duplex sit fœdus Dei cum  
hominibus, vetus sive Iudaicum, et novum sive Christia-

num, Christus utriusque fuit angelus, et legatus. Chri-  
stus enim a Patre missus apparuit Mosi in Sina, per eum-  
que vetus fœdus cum Iudæis iniit, quo eis promisit se ven-  
turum in carnem, ad eorum mundique totius redemptionem:  
Christus enim fuit angelus in veteri fœdere promissus  
Abrahæ et semini eius, ac præsertim Mosi. Quocirca  
S. Paulus Galat. 3. 19. ait legem veterem datam in ma-  
nu, id est, per manum, mediatoris; ubi multi per media-  
torem intelligunt Christum. Hinc et ipse ait Isaïæ 52. 6.  
*Ego qui loquebar ecce adsum*. Quapropter S. Basili, Cy-  
rilli, Eusebii, Ambrosii, aliorumque multorum Patrum  
sententia est, quod quodcumque in veteri testamento  
dicitur apparuisse Deus, apparuerit secunda persona, scilicet  
Filius, ut suum adventum realem in carnem præsi-  
gnificaret, eique umbraticæ et typicæ in corpore speciei te-  
nus assumpto præluderet, ut dixi initio Pentateuchi ca-  
none 16.

Christus  
est ange-  
lus tam  
veteris,  
quam  
novi tes-  
tamenti.

Secundo, genuine et proprie, Christus fuit angelus,  
id est legatus, internuncius et conciliator novi testamen-  
ti, id est fœderis, quod Deus per Christum cum homini-  
bus iniit, quos eis non bona terrena, uti Iudæis in fœdere  
veteri, sed spiritualia, cælestia et æterna exhibuit, quæ in  
veteri adumbrabantur, quæque expresse promisit Abrahæ  
dicens: *Benedicentur omnes gentes in semine tuo*, Gen. 18.  
v. 22. Hæc enim Abrahæ benedictio non fuit aliud, quam  
remissio peccatorum, gratia, iustitia, salus, vita æterna,  
quæ Christus Iudæis in primis, deinde omnibus gentibus  
contulit, eaque ratione omnia omnino Dei promissa A-  
brahæ et Iudæis facta complevit. Et hoc est quod subdit  
dicens: *Quem vos vultis, quem scilicet vos, o Iudæi, quasi*  
*Messiam, redemptorem et salvatorem Abrahæ promissum,*  
*avide expectatis: ita S. August. 1. 18. Civit. 35.*  
Quocirca Christus a Septuag. Isaïæ 9. 6. vocatur *magni*  
*consilii angelus*.

Porro Christus fuit angelus novi testamenti et fœderis.  
Primo, quia iram et inimicitiam Dei contra homines pla-  
gavit et sustulit. Fuit ergo angelus fœderis, id est recon-  
ciliationis. Quocirca ab Isaïa cap. 9. v. 6. vocatur *Prin-*  
*ceps pacis*; et ab Apostolo Ephes. 2. v. 14. *Pax nostra*; et  
Col. 2. v. 14. *Donans vobis omnia delicta: delens quod*  
*adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contra-*  
*rium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*.  
Secundo, quia vere novum fœdus veteri Mosaico abolito,  
inter Deum et homines conciliavit, quo Deus se obligat  
Christianis ad dandam gratiam et gloriam æternam; Chri-  
stiani vicissim se obligant Deo, quod eius filio Iesu Chri-  
sto credent, obedient, eiusque legem, doctrinam et vitam  
capessent. Tertio, quia e cælo in terram descendit quasi  
angelus, ut carnem assumens in seipso limum Verbo, ter-  
ram cælo, hominem Deo vinculo unionis hypostaticæ,  
quasi aretissimo fœdere copularet. Quarto, quia in ulti-  
ma cæna paulo ante mortem testamentum proprie dictum,  
continentes ultimam suam voluntatem, concludit, illudque  
institutione Eucharistiæ sancivit, dicens: *Hic est sanguis*  
*novi testamenti, etc.* uti dixi 1. Corinth. 11. 25. Quinto,  
quia Christus hoc fœdus et testamentum ad homines e  
cælo quasi angelus detulit, illudque in terra instituit tri-  
ginta tribus annis laborando, prædicando, miracula fa-  
ciendo, circumcundo per vicos et castella, fatigando se,  
sudando, in fame, siti, frigore, æstu evangelizando; ac  
tandem illud suo sanguine non tantum roboravit et sigil-  
lavit, sed et emit ac comparavit, quasi persoluto pretio  
ad tantam reconciliationem, tantamque fœdus iusto et  
condigno, idque pro omnibus gentibus, et per omnia sæ-  
cula, etiamsi mundus mille annorum millionibus perdura-  
ret, imo per totam æternitatem. Hoc enim fœdus Sancti  
et Beati in cælo per gloriam participabant in æternum;  
ipsum enim ad cælum ducit. Unde et cælestis gloriæ causa  
a Christo sancitum est. Quocirca ipse confecto hoc fœde-  
re primus in cælum gloriosus ascendit, quasi pandens i-  
ter cælestis fœderis, suosque fideles eo vocans, et ad se se-  
quendum invitans. Denique S. August. 1. 18. Civit. 35.  
*Christus, ait, dicitur angelus, propter Evangelium, quod*  
*nunciavit hominibus, Nam si Græca ista interpretemur, et*

Christus  
est ange-  
lus  
novi tes-  
tamenti  
quanti-  
pliciter.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.

*Evangelium bona nuntiatio est, et angelus nuncius est.* A Quod enim melius est nunciium, quam caelorum regnum praedicare, imo pandere et offerre? Unde Arabicus Antioch. vertit, *nuncius*, vel *Apostolus testamenti*. Huius rei symbolo angelus Manue nunciatus ortum Sampsonis ex eo nascituri, qui futurus erat Israelis liberator et vindex, id eoque typus Christi, peracta legatione in flamma victimae ascendit in caelum, Iudic. 13. v. 20. Quibus de causis omnino par est, ut omnes Christiani omnesque omnino homines Christum Domini, quasi angelum testamenti de caelo venientem, et quasi legatum a Deo ad se missum, summa devotione, honore et amore excepant; illi immensas gratias agant, illi per omnia obediant, eius doctrinam et vitam aemulentur, ac eum crucem baiulantem generose sequantur, certi quod per eam post illum ascensuri sint in caelum: illi totos se dedant: illi totum cor offerant, illudque eius cordi et amori immergant. Ita avide eum quasi Messiam suum expectabant Iudaei, uti etiamnum expectant: Unde de iis subdit Malaehias:

QUEM VOS VULTIS.) Hebr. **חַפְּצִים** *chaphetsim*; Chald. *desideratis*; Figurina, *quo vos delectamini*; alii, *in quo vobis complacitum est*. Christus enim quasi malorum omnium depulsor, et honorum omnium adductor, a patribus per quatuor annorum millia summe fuit desideratus. Unde a Iacobo Patriarcha vocatur, *Desiderium collium æternorum*, Gen. 49. 26. et ab Aggæo c. 2. 8. *Desideratus cunctis gentibus*. Hinc illa Prophetarum suspiria: *Utinam dirumperes caelos, et descenderes*, Isaia 64. 1. *Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum. Aperiat terra, et germinet Salvatorem*, Is. 45. 6. Idem Christi desiderium eo nato habuit S. Simeon, aliique sancti et fideles. Unde de Anna prophetissa ait Lucas c. 2. v. 38. *Loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israel*. Secundo, Arias censet hic Prophetam respondere Iudaeis dicentibus c. 2. v. 17 *Ubi est Deus iudicii?* Hæc enim respondet: *Statim veniat dominator, qui impiis erit terribilis, Deusque iudicii, piis vero erit angelus testamenti*.

Unde Tropol. S. Bernard. serm. et Pastores in Synodo: *Templum, inquit, Dei sanctum est, quod estis vos. Anima iusti sedes et templum Dei est. Dominus in templo suo facit mirabilia, et præbet oracula. Veniat ad templum suum dominator quem queritis, quo possitis dominari carnalibus desideriis, et diabolicis resistere tentationibus. Veniat et angelus testamenti, quem vos vultis, qui annunciet vobis suam voluntatem et confirmet promissam hereditatem. Inducant eum, in templum suum parentes eius, pater videlicet, et mater, et fratres eius. Qui sint illi respondeat ipse: Quicumque fecerit voluntatem patris qui in caelis est, ipse meus pater, et mater, et frater, et soror est. Pater generando per verbum prædicationis, ut dicit Apostolus: Ego per Evangelium in Christo vos genui. Mater pariendo per exemplum sanctæ conversationis. Frater et soror, caste diligendo in amore fraternitatis. Hi parentes estis vos aut esse debetis.*

ECCE VENIT.) Hebræi, Remig. Lyran. et S. August. lib. 18. Civit. c. 33. hæc accipiunt de secundo adventu Christi ad iudicium, cuius angelus et præcursor erit Elias. Verum hic sensus est anagogicus. Nam ad litteram hic agi de primo adventu Christi in carnem et mundum, patet ex eo quod sequitur: *Et purgabit filios Levi*, etc. In secundo enim adventu eos non emundabit, sed impuros iudicabit et damnabit: ita S. Cyrill. Theod. Rupert. Vatabl. Arias, Ribera et alii. Ait ergo: *Ecce venit. Vox Ecce*, significat primo rem hanc, puta adventum Verbi incarnati fore novum, admirabilem et stupendum: secundo, fore certum: tertio, fore exoptatum et lætum: quarto, fore celerem, q. d. Video mihi videre Messiam nostrum adventantem: ecce venit, ecce mox aderit.

Vers. 2. ET QUIS POTERIT COGITARE?) Hebr. **מִי מְכַלְכֵּל** *mi mechalchel*, id est, quis feret, quis sustentabit, quis metietur, quis continebit, quis comprehendet? Unde Sept. et Chald. vertunt, *quis sustinebit?* Pagnin. *quis ferre poterit diem quando veniet?* Noster, *quis poterit cogitare diem adventus eius?* q. d. Quis poterit capere, et cogita-

tionem comprehendere tantam angeli testamenti, id est, Dei in carnem et mundum advenientis, inter homines conversantis, in templo prædicantis, suam legem, Sacramenta et Ecclesiam sancientis, potentiam, sapientiam, bonitatem, etc. Quis gloriam illius diei, quo Christus in terris nobiscum aget, mente concepiat, aut verbo explicet? Quis animo complectatur, et ore recenseat charismata, virtutes et gratias cælestes, bonaque omnia quæ Christus e caelo nobis afferet? Hebr. enim *mechalchel* derivatur a **כָּל** *col*, id est, *omne*: inde verbum **כִּלְכַּל** *chilchel* significat omnia complecti, omnia recensere. Nota. Dies adventus Christi ponitur metonymice pro ipso Christo, suo die adveniente, vel potius adventuro.

Secundo, iuxta Septuag. q. d. Quis ferre et sustinere poterit tantam Christi lucem et maiestatem? Eius enim respectu omnium angelorum et hominum acies, instar nocturnarum hebetatur, caligat, deficit. Quis solem iustitiæ clara luce radiantem, adversis et irretortis oculis intueri valebit? Quomodo hominum infirmitas tantam potentiam, cæcitas tantum iubar, fragilitas tantam efficaciam, impuritas tantam sanctitatem, palæ tantum ignem sustinebunt? ipse enim quasi ignis conflans. Quis stupore, timore, horrore, et abyssali reverentia tantæ celsitudinis non deficiat, non exanimetur? Quis non liquescat, non tabeseat, sicut plumbum et stannum liquescunt et tabeseunt coram igne ardentissimo, in fornace qua conflantur? præsertim dum in tanta demissione, exinanitione, amore, dignatione, divinam dignitatem et magnificentiam in Christo incarnato contemplatur et spectat. Hic est sensus genuinus: quare minus genuine Vatabl. hæc refert ad tribulationes Christianorum, et persecutiones primitivæ Ecclesiæ, quæ fuerunt ardentissimæ, q. d. Quis ardorem illarum tribulationum sustinebit? utique nemo viribus humanis, sed multi viribus divinis, suggestis a gratia Christi.

ET QUIS STABILIT AD VIDENDUM EUM?) Septuag. *quis stabilit in visione eius?* Quis erit tam durus et ferreus, quem Christi aspectus non sternat et frangat? Quis adeo rebellis et frigidus, cuius animum ignea vis oculorum Christi non capiat et inflammet? ita Sanchez. Secundo, q. d. Quis stare poterit coram eo? Quis attonitus pavore et admiratione non corruat, videns oculis suis tantam Christi claritatem et magnificentiam? Unde Hebr. est: *quis stabilit in videndo eum?* Vatabl. *quis cum se ad conspiciendum præbebit, consistet, aut subsistet?* Pagn. *quis poterit stare cum apparuerit?* Chald. *ecquis consistet cum revelatus fuerit?* Hæc rumina, o fidelis, o sacerdos, dum Christum in altari præsentem habes, imo consueis et manducas.

IPSE ENIM QUASI IGNIS CONFLANS.) Arabicus, *quasi ignis vadens*: Septuag. *quasi ignis constatorii*; Tigurina, *quasi ignis excoquens*. Sic Persæ Deum censuerunt esse ignem, quando ignem ut Deum colerunt. Quin et Stoici ipsum Deum in ignem dissolutum iri opinantur, ait S. Iustinus orat. ad Antouin. Pium. Imo Plato censuit in ignea substantia esse Deum, ait idem Iustin. oral. ad Gentiles; additque, Plato sidera appellat igneum deorum genus. Verum hi errores sunt explorati. Porro Propheta angelum testamenti, id est Christum, comparat igni fornacis ardentissimæ, quo conflantur metalla, ut aurum, argentum, ferrum, stannum, etc. ut significet ignitam et ardentem fore eius doctrinam, legem et gratiam. Primo enim, sicut in fornace liquatur aurum; ita Christus dura hominum corda sua gratia emollit et liquat, ac in gemitu et lacrymas compunctionis resolvit. Secundo, sicut ignis liquando aurum, ab eo separat alia metalla et scoriæ; ita Christus per lacrymas et pœnitentiam separat ab anima vitia, et concupiscentias inolitias. Tertio, sicut hæc separatione aurum purificatur, perficitur, splendet; ita pariter et anima. Quarto, sicut vi ignis aurum calefit, imo ignescit, ut videatur in ignem transformari; ita vi gratiæ Christi anima accenditur, ut videatur instar ignis se et alios inflammare amore Dei. Hoc est quod Isaia c. 4. 3. prædicit: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, etc. in spiritu iudicii et spiritu ardoris*. Et

Christus est ignis conflans quintupliciter.

1.  
2.  
3.  
4.



Ioan. Baptista Lucae 3. 16. ait se baptizare aqua, Christum vero igne: *Ipse, inquit, vos baptizabit Spiritu sancto et igne.* Hae de causa in Pentecoste misit Spiritum sanctum in Apostolos specie ignis et linguarum ignearum, ut significaret Spiritum sanctum eos igne charitatis accendere, eisque indere eor amore et zelo igneum, ac linguas igneas. Et Christus ipse Lucae 12. 49. *Ignem, inquit, veni mittere in terram. Et quid volo, nisi ut accendatur?* de quo vide S. Ambr. serm. 18. in illud psal. 118.

5. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quinto, sicut igne aurum, aes et ferrum, licet durissima, non tantum moliantur, et flectuntur, sed et in certam formam, v. g. cunei, scutellae, sarlaginis, etc. efformantur; ita gratia Christi hos format Apostolos, illos Doctores, alios Martyres, alios Confessores, alios Virgines, etc. 1. Cor. 12. 4. atque ex uno gradu ad altiozem, imo ad ipsum virtutis et perfectionis apicem conscendunt. Tres enim sunt gradus et status virtutum. Primus est politicus et vulgaris, qualis est virtus communis fidelium, qui honeste pieque vivunt secundum praecipia Dei. Secundus est excelsior transeuntium, et in divinam similitudinem tendentium, quorum virtutes vocantur purgatoriae, ita scilicet, ut prudentia omnia mundana divinorum contemplatione despiciat, omnemque animae cogitationem dirigat in divina; temperantia relinquat, in quantum natura patitur, ea quae corporis usus requirit: fortitudo efficiat, ut anima propter excessum a corpore, et accessum ad superna, nulla difficultate vel adversitate terreatur: iustitia denique faciat, ut tota anima consentiat ad huiusmodi propositi viam. Tertius est divinam similitudinem iam assequentium, quorum virtutes sunt et vocantur animi purgati; qualis est in Beatis, et in nonnullis in hac vita perfectissimis: ita scilicet, ut prudentia solum divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates nesciat; fortitudo timorem non sentiat, caeterasque passiones ignoret; iustitia cum divina mente, eam scilicet imitans, perpetuo foedere societur. Ita S. Thom. 1. 2. q. 61. a. 5. et Vincentius 3. p. l. 1. t. de virtute, d. 7.

Tres virtutis gradus.

Tropolog. igne, id est, tribulatione, nos excoquit Deus.

Persecutio Decii permittit ad accendendum torporem Christianorum.

Anagog. in die iudicii quasi igne excoquantur peccatores.

Tropolog. ignis quo Deus purificat et excoquit animas, est tribulatio et afflictio. Sicut enim sordes metallorum igne auferuntur, sic peccata afflictionibus, ait Vatabl. Ita Martyres, ut S. Laurentius, igne tormentorum excocti, facti sunt hostiae purissimae et ardentissimae Deo, iuxta illud psal. 45. v. 3. *Ignem me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Hae de causa Deus permisit persecutionem acrem Decii Imp. ut Christianorum virtutem et pietatem, quae in pace, quam habuerant sub duobus Philippis, patre et filio, Christianis Imp. elangueret, suscicaret et acueret, uti S. Cyprianus sibi revelatum fuisse scribit 1. 4. epist. 4. *Nam et hoc nobis, inquit, per visionem, fratres charissimi, exprobratum scialis, quod dormitemus in precibus, etc. Persecutio ista examinatio est atque exploratio peccati nostri; excuti nos Deus voluit et probari sicut suos semper probavit: nec tamen in probationibus eius aliquando auxilium credentibus defuit. Denique ad minimum famulum suum, etc. pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est: Die illi, inquit, securus sit: quia pax ventura est.* Porro inter scelera ob quae venit ista persecutio, praecipua fuisse sacerdotum et Episcoporum negligentiam et enpeditatem, asserit idem Cyprianus tractatu de Lapsis.

Anagog. sicut ignis scorum comburit, ita Christus in extremo iudicio reprobos damnabit ad gehennam, eosque *comburet igne inextinguibili*, ut ait Ioannes Baptista Mathaei 3. 12. Hinc S. Hieron. sic exponit: *Ipse veniet quasi ignis conflagrans: ignis enim in conspectu eius ardebit, et in circuitu tempestas valida. Tunc vocabit calxum desuper et terram, ut diiudicet populum suum: flumina ignis trahent ante eum, peccatores quosque volentia. Ignis autem dicitur Dominus, et ignis consumens, Deut. 4. v. 24. ut lignum nostra, fennum, stipulamque comburat. Et non solum ignis, sed et herba fullonum. Ipse his qui peccant graviter, ignis conflagrans est atque consumens; qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat. Felices et sapientes, qui in hac vita malunt emundari herba*

fullonum, quam in futura, puta in gehenna aut Purgatorio, igne conflagri. Porro S. August. libr. 20. Civit. c. 23. hoc examen in die iudicii refert ad solos bonos et pios: hi enim sunt filii Levi offerentes Deo sacrificia in iustitia. Unde colligit, in die iudicii *quasdam quorundam purgatorias pennis futuras.* Sic et Gennadius Patriarcha Constantinop. in exposit. Concil. Florentini c. 8. contra Graecos, concedentes quidem Purgatorium post hanc vitam, sed negantes in eo ignem, igneque expiari animas iustorum, ex hoc loco probat in eo esse ignem, eoque expiari animas: ignis enim hic, inquit, conflagrans et emundans non pertinet ad Beatos in caelo, utpote mundissimos; nec ad damnatos in gehenna, utpote inemundabiles et inemendabiles: ergo pertinet ad animas Purgatorii: in eo ergo est ignis conflagrans, et emundans animas iustorum a levibus et venialibus maculis: ita ipse tom. 4. Bibl. SS. Patrum.

ET QUASI HERBA FULLONUM.) Hebr. *sicut borith lavantium*, scilicet pannos, id est fullonum. Unde Chald. *sicut quo dealbantur*, scilicet panni; Septuag. *sicut herba lavantium*. Hinc patet *borith*, non saponem esse, ut volunt Arias et Vatablus, sed herbam, uti asserit Theodor. R. Iona, R. Salomon, Tigurina et alii. Unde S. Hieron. in Jerem. 2. 22. tradit herbam fullonum in virentibus et humectis Palaestinae locis nasci, et ad eluendas sordes et maculas e pannis eandem vim habere, quam habet nitrum et sapo: unde et herba saponaria tum latine, tum italice vocatur, hortulanis notissima, qua vulgo ad maculas e pannis et vestibus extergendas utuntur, uti Romae meis oculis conspexi. Vide dicta Jerem. 2. 22. Nota: Sicut paulo ante Propheta comparavit Christum igni conflagrans et purificanti aurum; ita hic eundem comparat herbae fullonum pannos emundanti, ut vestem nuptialem suorum emundet, candidamque et splendidam efficiat. Iustorum enim animae per Christi gratiam cadent ut stolae, et fulgent ut aurum.

Porro pro *borith* Syrus, et Arabieus uterque vertunt *sulphur*, quia suo ardore omnia purificat: aut forte בריית *borith* acceperunt pro vicino גפרית *gophrit*, id est sulphur. Unde Syrus vertit, *quia quasi ignis est qui conflagrat, et quasi sulphur dealbans*; Arabieus Antioch. *ipse enim quasi ignis vadens, et quasi sulphur quod candescit*; Arabieus Alex. *ipse enim veniet quasi ignis conflagrans, et quasi sulphur exardescet*. Notus est sulphuris ardor: unde S. Hieron. haec refert ad ignem Purgatorii, vel inferni, ubi est ignis ardens pice et sulphure, uti paulo ante dixi.

ET SEDEBIT CONFLANS ET EMUNDANS ARGENTUM.) Se-Vers. 5. *debit*, serio et accurate, non obiter et leviter quasi per transennam, conflaturus argentum, id est, suos fideles, praesertim sacerdotes, uti subiungit; ut fiant nitidi instar argenti, splendeantque quasi argentei sacerdotes.

Secundo, *sedebit*, quasi discretor et iudex, uti vitia, praesertim ea quae se specie virtutum velant, puta hypoerises et fucos, a veris virtutibus, ipsosque virtuosos ab hypoeritis diiudicet, secernat et separet. Homines enim pro affectu iudicant, et quod virtutis est vitio deputant, et quod vitii est virtuti. Merito hae de re queritur Sidonius Apollin. l. 7. epist. 9. *Quis, ait, non erubescat, cum videat sordidari virtutum sinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abiectus. Si proferimus erectum, superbus censetur. Si minus institutum, propter imperitiam creditur irritendum. Si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatum. Si severum, tamquam crudelis horretur. Si indulgentem, facilitate culpatur. Si simplicem, despicitur ut brutum. Si acrem, vitatur ut callidus. Si diligentem, superstitiosus decernitur. Si remissum, negligens iudicatur. Si solertem, cupidus. Si quietum, pronunciaturn ignavus. Si abstemium producimus, avarus accipitur. Si cum qui prandendo pascat, educitatis impetitur. Si cum qui pascendo ieiunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant, verecundiam pro rusticitate fastidiunt. Ligidos propter austeritatem non habent charos; blandi apud eos communione vilescunt.* Christus iudex hae omnia colat, quid virtus

Virtutes quasi vitia traduntur.

sit, quid vitium acri iudicio discernit: illi suum decus, huic dedecus decernens.

Confessarius ex penitentibus agnoscitur.

Meminerit sacerdos, praesertim confessarius, se quasi vicarium Christi sedere pro tribunali, ut non leviter hoc iudicium peragat, dicatque cuilibet confitenti. Ego te absolvo: sed mature culpas examinet, casque non tegere, non oblinere, non superficialiter delere, sed radicitus eradere satagat: sicut aurifex per ignem ab auro eradit omnem scoriam, et fullo per herbam borit a panno omnem, etiam intimum, tollit naevum et maculam. Quid enim prodest poenitentia absolvi, si radix, puta eadem proclivitas et occasio proxima ad peccandum, resideat, quae illico eum rursus ad peccandum et ad recidivam impellet? nimirum fiet quod vulgo dicitur: Canis ad vomitum, et sus lota ad lutum. Vis nosse an quis bonus sit confessarius? vide quales sint eius poenitentes: si hi vitam mutant, aut in sanctitate valde proficiant, si heroica opera capessant; scito insignem esse confessarium: si poenitentes mancant idem, hoc est, in eodem statu, vitii aut virtutis scito enervem esse confessarium, et unum e trivio. *Sape*, inquit S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 11. *et reprobi peccata sua confitentur, sed deslere contemnunt: electi autem culpas suas quas vocibus confessionis aperiant, districtae animadversionis fletibus insequuntur.* Et mox: *Psalmista plagam cordis non solum detexerat, sed detecit, etiam medicamentum maroris adhibebat, dicens. Iniquitatem meam ego pronuncio, et cogitabo pro peccato meo. Pronunciando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quam medicamentum vulneri apponit?* Idem hom. 34. in Evang. *Poenitentiam*, inquit, *agere, est et perpetrata mala plangere et plangenda non perpetrare: nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc poenitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat.*

Exempla S. Ambr. Borromaei, etc.

S. Ambrusius poenitentes audiens, adeo in eos pio commiserationis et opitulationis affectu movebatur, ut in lacrymas prorumperet, flensque ipsosmet flere, et vitam mutare compelleret: ita habet eius vita. Eius assecla fuit S. Carolus Borromaeus. Vide S. Ambros. ser. 35. de modo vere agendi poenitentiam. Eiusdem est tremenda illa sententia l. 2. de Poenitentia c. 10. *Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint poenitentiam. Renunciandum saeculo est, etc. Vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui: seipsum homo abneget, et totus immutetur: sicut quemdam adolescentem fabulae ferunt, propter amores meretricios peregre profectum, et abilito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectae, quae ubi non interpellata, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum; responderit ille: Sed ego non sum.*

Sedendo homo fit sapiens et divinus.

Mystice, sedet homo in sabbato, id est, Dominico et festo die, cum ab operibus aiiis quiescit, et Deo vacat. Sicut enim homo fit sapiens sedendo et quiescendo, ut ait Aristot. l. 7. Physic. sic et idem quiescendo illustrationes Dei excipit, quibus purgatur, et divinus efficitur, iuxta illud Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se.* Et ps. 45. 11. *Vacate et videte quoniam ego sum Deus.* Sicut enim aqua quieta, subsidentibus sordibus fit limpida et perspicua quasi speculum; ita et anima quieta subsidentibus passionibus veritatem cernit, fitque capax cognitionis spiritualis et divinae, praesertim quia libera a tumultu, et separata ab aliis obiectis, uni veritati, unique Deo vacat et intendit. Verum est enim illud:

*Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

**PURGABIT FILIOS LEVI.** Tum quia multi Levitae et sacerdotes conversi ad Christum, facti sunt sancti, imo praedicatores, inter quos fuit S. Barnabas, Act. 4. 36. de quibus ait S. Lucas Act. 6. v. 7. *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Taxavit enim Malachias Levitas et sacerdotes Iudaicos, quos a Christo reformandos hic praedicat: ita Theodor. Tum quia Christus veteribus Levitis et sacerdotibus Aaronicis abrogatis, novos iastituit sanctae et angelicae vitae. Tales enim fuerunt Apostoli, eorumque discipuli et successores. Hi ergo sunt filii Levi, id est sacerdotes non veteris, sed novi testamenti; posterius non

Aaronis, sed Christi: ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyrau. et alii. Simili modo Ecclesia Christi vocatur Sion et Ierusalem, quia in Ierusalem orta, Synagogae Sionis et Iudaeorum successit. Meminit purificationis sacerdotum a Christo faciendae, potius quam laicorum; tum quia summa puritas et sanctitas requiritur in sacerdotibus Christi, eo quod sint vicarii Christi, qui est Sanctus sanctorum, quodque Sacramenta sanctissima, praesertim Eucharistiae tractent, conficiant et administrent: tum quia sacerdotes plebem purificent: hinc quo purior et sanctior est sacerdos, eo purior et sanctior evadit plebs. Sacerdos enim ei suam sanctitatem et verbo et vita aspirat et instillat. Sicut ex adverso impurus sacerdos vitiat totam Ecclesiam, uti ex S. Chrysost. et aliis ostendi v. 1. et c. 1. 6. Videant ergo sacerdotes quomodo hoc suum decus tueantur, nequando de iis dici possit, quod de sui aevi presbyteris ingemiscens dixit S. Bonifacius primus Episc. Moguntinus, Frisiae Apostolus et Martyr: *Olim Sacerdotes aurei celebrabant in calicibus ligneis, nunc lignei sacerdotes celebrant in calicibus aureis*: ita habet eius Vita.

Tropol. filii Levi, id est, sacerdotes spirituales et mystici sunt fideles, qui Deo victimas bonorum operum, orationis, compunctionis, elemosinae, et praesertim purum cor, sanctaque et ardentia amoris desideria offerunt, iuxta illud 1. Petri 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.*

**ET COLABIT.** Colare est pauxillatim stillatimque liquorem aliquem, v. g. oleum, vinum, lac, aurum liquidum, etc. per aliquod vas angustum, vel linteolum transfundere aut transmittere, ut quod purum est transeat, quod crassum et impurum excludatur. Unde Plinius l. 13. c. 2. *Regale, ait, unguentum colato melle constat.* Et Manilius:

*Et colare vagos inductis retibus amnes.*

Et Apuleius lib. Florid. *Neque, ait, illi norant colere aurum, vel colare aurum.* Hic pro colabit, Chald. vertit, *expurgabit*; Pagnin. *constabit*; alii, *defaecabit*; Septuag. *effundet*, sicut e fornace consilatoria stillatim effundi solet liquidum et defaecatum aurum. Porro Christus colat et expurgat sacerdotes per Spiritum sanctum sicut colavit Apostolos in die Pentecostes. Spiritus sanctus enim indit eis spiritum compunctionis et lacrymarum, item charitatem et zelum. Tropol. per tribulationes et persecutiones, inquit Vatabl. quales passi sunt sacerdotes in primitiva Ecclesia, cum omnes pene rapiebantur ad mortem, populoque erant duces ad martyrium. Quod Romae fecisse S. Cornelium Papam in persecutione Decii, narrat et celebrat S. Cyprian. l. 1. epist. 1. ad Cornelium: *Exprimi, ait, non potest, quanta istis exultatio fuerit, etc. ducem se illis fratribus confessionis extitisse; sed et confessionem ducis de fratrum confessione crevisse, ut, dum praecedis ad gloriam, multos feceris gloriae comites, et confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri.* Et mox: *Virtus illie Episcopi praecedentis publice comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est, dum apud vos unus animus, et una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est. Docuistis granditer Deum timere, Christo firmiter adherere, plebem sacerdotibus in periculo iungi, in persecutione fratres a fratribus non separari, concordiam simul iunctam vincim omnino non posse; quidquid simul petitur a cunctis, Deum pacis pacificis exhiberi.* Et paulo post: *Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum, quale in conspectu Christi eius Ecclesiae suae gaudium, ad pugnam quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, sed tota semel castra prodississe?*

Christus colat suos tribulatione et zelo.

Moral. Videant hic Episcopi, et eorum examinatores, quam accurati esse debeant in admittendis iis qui se offerunt ad Ordines sacros, ut videant an probae talique gradu dignae sint vitae, et an habeant doctrinam, qua tanto munere rite perfungi, ac populum in fide et rebus divinis instruere valeant. Si enim aurifices tanta cura et labore, puta per ignem, colent aurum et argentum; ut

Moral de exacto examine Episcoporum.

ab eo scorium separent, et non nisi purum putumque colligant, quanto magis Episcopos colare debet ordinandos, ut aureis populo ordinet sacerdotes, non stanneos, non ferreos, non ligneos? a sacerdotibus enim pendet tota Ecclesie disciplina, vita et sanctitas. Legant et practiceant hae de re decreta Concil. Trident. sess. 23. c. 7. et 14. et sess. 24. cap. 18. Narrat Sophronius in Prato spirit. c. 149. et ex eo Baron. tom. 6. anno Domini 461. quod, cum Abbas Amos Patriarcha Hierosol. ordinatus esset, dixerit: *Orate pro me Patres: magnum enim et intolerabile onus mihi iniunctum est. Petri et Pauli similitum est regere rationales animas, ego autem infelix et peccator sum; plus enim quam cetera timco ordinationis sarcinam.* Albert deinde exemplum S. Leonis: *Nam inveni scriptum, quia beatus et angelis aequalis Leo Papa, quadraginta dies perseveravit ad sepulcrum Apostoli Petri, vigiliis et orationibus insistens, petensque ab Apostolo ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitteretur sibi peccata sua. Impletis quadraginta diebus apparuit ei Apostolus Petrus, dicens ei: Oravi pro te, et dimissa sunt omnia peccata tua, praeterquam impositionis manuum.* Loquitur de dimissione non culpae; hae enim omnis simul dimittitur; sed poenae, inquit Baron. Illis ergo remanebat S. Leo peccatorum poenis obligatus, quae illi perpetrasset, qui ab eo indigne fuissent promoti ad Ordines, iuxta illud Apostoli 1. Timoth. 5. *Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

Exemplum S. Leonis et Amos.

Olim Deus ordinandos caelitus designabat. Exemplum.

Hae de causa non nisi praemissa oratione et ieiunio totius Ecclesiae, ordinantur sacerdotes: ac Deus olim saepe iudicio caelesti designabat, quos vellet eligi Episcopos, ut designavit S. Matthiam Actor. 1. 26. Sic S. Fabianus designatus est a Deo Pontifex per columbam, e sublimi in caput eius devolantem; columbae enim specie Spiritus sanctus descendit in Christum cum baptizaretur: ita refert Euseb. 1. 6. hist. c. 22. Simile accidit S. Chrysostomo: nam cum ordinaretur Patriarcha Constantinop. alba columba devolans stetit super caput eius, uti narrat Leo Augustus in eius vita, et ex eo Baron. tom. 6. ann. Domini 456. Sic et S. Gregorius fugiens pontificatum, indicio fulgidae columnae iugiter super se e caelo dependentis agnitus, raptus est ad templum S. Petri, creatusque Pontifex. Sic et S. Remigius Rhemensis Episc. cum duorum et viginti tantum esset aetatis annorum, caelitus creatus est. Nam radius novi luminis super eius verticem descendit, ac si ipse sol de caelo motus super eum cecidisset: quia scilicet ipse illuminandarum lux parabat animarum. Etenim radio illo se illustrante, sensit capiti suo unguinis sacri infusum liquorem, quo totum eius delibutum est caput, inquit Hinemarus in eius Vita. Mortuo Mena Patriarcha Constantin. Iustinianus Imper. ingressus in coetum Episcoporum et Cleri, eis visionem caelestem enarravit. Cum, inquit in aede S. Petri principis Apostol. in qua senatus habebatur, somnus me comprehendisset, in quiete vidi principem Apostolorum mihi magnum Eutyechium ostendentem, dicentemque: *Fac ut hic sit Episcopus.* Cum hoc iurasset Imperator, Eutyechius ab Episcopis et Clero conclamatus est Patriarcha: ita Eustathius in Vita S. Eutyechii. Sic S. Ambrosius declaratus est Mediolanensis Archiep. voce pueri, et populi exclamantis: *Ambrosius Episcopus:* ita Socrates lib. 4. cap. 30. Sic S. Athanasius ab Alexandro Episcopo Alexand. moriente evocatus ut sibi succederet, cum ille fugeret, exclamavit Alexander: *Athanasii putas te posse fugere, non tamen effugies;* quare a Clero et populo raptus est ad episcopatum: ita Sozom. lib. 2. histor. c. 46. S. Amphilocheum ab angelis consecratum esse Episcopum Ieonii narrat Nieph. 1. 11. c. 20. Qui ergo creaturi sunt sacerdotes vel Episcopos, orationi insistant, et caeleste lumen Dei que nutum exposcant, ne in re tanti ad commune Ecclesiae bonum momenti errent; sed eos designent, qui Dei gloriae, Ecclesiae aedificationi, sibi saluti sunt futuri.

**SACRIFICIA.** ) Hebr. מנחה *mincha*, id est, sacrificium farreum, puta Eucharistiae sub speciebus panis et vini, de quo dixit c. 1. 11. Hoc enim utpote purissimum, op-

ponit impuris sacrificiis et sacerdotibus Aaronicis: ita Theodor. Rupert. Lyran. et alii.

**IN IUSTITIA.** ) Id est iuste, pure, sancte, iuxta illud Zachariae Lucae 1. 14. *Servianus illi in sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Sacerdotes enim quasi angeli corporati coram Deo incedere et ambulare debent in omni iustitia et sanctitate.

**ET PLACEBIT.** ) Chald. *suscipietur voluntarie;* Pagnin. et Vatablus, *dulcescet:* (hoc enim est ארבה *arebu*,) id est dulce, gratum, sapidumque erit Domino sacrificium Iuda et Ierusalem, hoc est, Ecclesiae Christianae, quae est nova Sion Dei, ex veteri Sione intereunte exorta, ut in ea vetus quasi phoenix resurgere et renasci videatur. Hinc praesens per Ierusalem, quae erat metropolis et caput Iudaeae, posset accipi Ecclesia Romana et Sedes Apostolica, quae est caput et metropolis totius Ecclesiae, quae est Iuda, id est, confitens Deum.

**SICUT DIES SAECULI.** ) Id est, sicut dies antiqui, ut sequitur, quibus prisci sancti viri, Abel, Noe, Melchisedec, Abraham, Moses, Aaron, etc. placebant Deo, eique sancte offerebant sacrificia sua. Unde sacerdos in Canone Missae dicit, et orat: *Supra quae (scilicet panem et calicem consecratum) propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera iusti tui Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedec, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.*

Nota *τὸ sicut*, assimilat sacrificia Christiana Aaronicis, non tam quoad ipsum sacrificium, quam quoad sacrificantes. Ipsum enim sacrificium in lege nova est longe praestantius Aarónico, cum victima eius sit ipsum Christi corpus, quod proinde vim impetrandi habet ex opere operato: Aaronicæ autem victima erat bos, ovis, vel capra, quae tantum erant typus et umbra Christi, ideoque valebant tantum ex opere et devotione operantis, non vero ex opere operato. Dicit ergo, quod Christus ipsos sacerdotes in lege nova emundabit et sanctificabit, ut ea puritate, devotione et religione offerant Deo sacrificia, qua obtulerunt Noe, Abraham, Melchisedec, aliique prisci et eximii Sancti. Secundo, tamen *τὸ sicut*, potest significare similitudinem in ipso sacrificio. Nam ut ait Lyran. *τὸ sicut* significat analogiam quae est inter typum et antitypum, inter imaginem et exemplar, inter umbram et veritatem, ac proinde, ut ait Clarius, significat praecellentiam sacrificii Eucharistici praeter Aaronicis, q. d. Placebit Deo sacrificium Eucharisticum mirifice, sicut liquet ex eius typis, imagine et umbris, puta ex sacrificio Noe, Abrahæ, Melchisedec, etc. Si enim haec, quae tantum fuerunt, typi et umbræ a deo placuerunt Deo, ut Deus propter ea benedixit toti eorum familiae, imo toti orbi, multo magis placebit sacrificium Christi, quod illorum fuit exemplar, veritas et antitypum, quodque priscis illis omnem vim et dignitatem tribuit, per quam placerent Deo.

**ET ACCEDAM AD VOS IN IUDICIO.** ) Redit ad querelam Indaeorum dicentium cap. 2. v. ult. *Ubi est Deus iudicii?* Hisce enim respondet: *Ece brevi veniam, accedam, et appropinquabo,* ut vertit Tigurina, *vobis ad iudicium,* ut scilicet descendam in carnem, et coram inspiciam impiorum scelera, itaque eorum sim testis oculatus, quae quasi iudex condemnem et puniam. Simili modo ait Deus Genes. 18. v. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, etc. Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Quocirca reipsa tres angeli, representantes Deum trinum et unum, perrexerunt Sodomam, ubi ab incolis appetiti ad stuprum, caelitus pluerunt super eos ignem et sulphur, quo omnes conflagrarunt. Pergit loqui Propheta de primo Christi adventu in carnem, quo Christus venit ut scelera inspiciat, eorumque sit testis, quae deinde partim in hac vita et morte punit, partim in extremo iudicio punit. Unde Chald. vertit, *et revelabor super vos, ut faciam iudicium, et erit verbum meum contra vos in testem,* etc. ita Rupert. Arias, Ribera et a Castro. Alii passim censent, Prophetam hic transire a primo Christi adventu in car-

Vers. 4.

Vers. 5.

nem, ad secundum, quo veniet ad iudicium, quando ipse, ut ait S. Hieron. simul erit iudex et testis, occultissimorum etiam criminum, adulteriorum, etc. quæ hic recensentur: ita Theodoret. Remig. Hugo, Lyran. et Vatabl. Christus enim iudex, simul erit *testis velox*; Tigur. *festinus*; Vatabl. *promptus*; quia enim nihil latet, sed qua Deus omnia videt, qua homo omnia cognoscit per scientiam infusam, æque ac beatificam. Quocirca impiis dicit: Ego vidi, o Iuda, tuam occultam avaritiam, quæ te impulit ad me prodendum Iudæis. Ego vidi, o Roberte, tuam occultam pollutionem, fornicationem, adulterium. Ego vidi, o Nicolae, tua occulta prava desideria, tuas ulciscendi cupidines, tuas cædis machinationes. Ego vidi, o Simon, tuas occultas simonias, ambitiones, invidias, etc. Nonne ita est? si neges, conscientia tua Christo testis erit teque mentiri clamabit. Quocirca totus mundus videbit æquisimum esse Christi iudicium et sententiam, qua dicit: Ite adulteri, ite homicidæ, ite simoniaci, ite ambitiosi, ite invidi, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Uterque sensus huic loco congruit. Christus enim cepit esse iudex et testis in primo adventu, sed utrumque perficiet in secundo, puta in die iudicii. *Testis* ergo per catachresin hic idem est quod iudex. Sic Christus vocatur testis fidelis, id est iudex, Rex et Princeps, Apocal. 1. 5. Vide ibi dicta.

**QUI CALUMNIANTUR MERCEDEM MERCENARII.**) Hoc est, ut Chald. et Septuag. *qui auferunt violententer mercedem mercenarii*; Pagnin. *qui vi retinent*; Vatabl. *qui opprimunt*; Tigurina, *qui mercenarium mercede fraudant*. Hebr. enim פשוט *aseiak* significat per calumniam, vim vel dolum fraudare alium re, vel iure suo. Unde additur, *Viduas et pupillos*, supple et repete, *calumniantur*, fraudant et opprimunt. Nam פשוט *humiliant*, quod quædam Biblia habent, expungunt Romana, æque ac Hebræa. Unde Sept. vertunt: *Qui opprimunt per potentiam viduas, et percussunt pupillos*.

**OPPRIMUNT PEREGRINUM.**) Septuag. et Chald. *qui pervertunt iudicium advenæ*; Pagnin. Hebr. מלטה *malte*, reddit ad verbum, *pervertentes peregrinum*; Tigurina *aversantur peregrinum*.

**EGO ENIM DOMINUS, ET NON MUTOR.**) Hebr. לא שניתי *lo seianiti*, id est, ut Septuag. *non sum mutatus*; Pagnin. *non mutavi me*, id est, non mutor. Hebræi enim quia earent verbo præsentis, idecirco illud exprimunt per præteritum. Iam sensus est Primo, q. d. Minus me firma est, impleo quod prædixi; ait Vatabl. Minor hic adulteris, periculis, oppressoribus pauperum vindictam præstabo illam. Secundo, q. d. Non sum mutabilis, mobilis et inconstans, ut nunc hoc, mox aliud velim, sed semper scelera et sceleratos odi et punio. Tertio, S. Hieron. *Quod sequitur*, inquit, *Ego Dominus, et non mutor; idecirco ponit, quia supra dixerat: Ipse quasi ignis conflans, et quasi herba fallonum, ne putemus eum divinitatis mutare naturam, cum pro nobis aut angelus, aut ignis, aut borith nominatur*. Quarto, alii referunt ad id quod sequitur: *Et vos filii Iacob non estis consumpti*, q. d. Ego vos licet perversi sitis, non consumpsi, quia misericordia mea quam patribus vestris promisi, est constans et immutabilis: *Ego enim Dominus et non mutor*, iuxta illud Thren. 3. 22. *Misericordie Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius*. Aut, q. d. Vos, o Iudæi, calumniamini me esse mutabilem, quod contra promissa patrum vos consumpserim. At erratis: nec enim ego sum mutatus, nec vos consumpsi. Quinto, q. d. Vos, o Iudæi, mutamini, itisque de scelere in scelus: at ego in sententia et iudicio meo sum constans et immutabilis. Sexto, ex adverso Rupert. q. d. Ego sum immutabilis in bono; vos estis obstinati et immutabiles in malo. *A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis*, ut sequitur. Septimo, Chald. vertit, *ego enim Dominus non mutavi pactum meum quod a sæculo est; et vos domus Israel putatis quod quicumque moritur in hoc sæculo, iudicium eius cessat*, q. d. Vos putatis impios non puniendos, eo quod multi impuniti mancant in hoc sæculo. At erratis: puniam e-

**A** nim eos in futuro. Nam in iudicio et iustitia, ab æterno a me decreta constans sum et non mutor. Octavo et genuine, vox enim dat causam præcedentium, q. d. Vos, o Iudæi, calumniamini me, iactando illud cap. præced. v. ult. *Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini; et tales ei placeant*. Censetis enim me mutasse indolem; quasi qui olim bonos amarim, malos oderim; nunc mutata mente bonos odiam, et affligam, malos amem et ditem; eo quod infideles Chaldæos prosperaverim, vos vero fideles meos eis vastandos tradiderim: hinc dicitis: *Ubi est Deus iudicii?* Hinc calumniæ ego respondi v. præcedenti, edixique: *Accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox maleficis*, etc. q. d. Licet ad modicum tempus differam iudicium et vindictam impiorum, tamen certo et brevi ad illam accedam, eamque peragam. Nam constanter bonos amo et præmio, malos constanter odi et punio; sed suo tempore. Cuius rei causa est, mea, tum in natura, tum in dicitis et decretis constantia et immutabilitas: *Ego enim Dominus, et non mutor*: ita S. Cyrillus, Theodoret. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et Vatabl.

Nota: immutabilitatis Dei causa, vel potius ratio prima, ait D. Thom. 1. p. q. 9. est plenitudo et perfectio naturæ, puta divinitatis. Hæc enim eum omnia bona in se habeat, et possideat firmiter, necessario et naturaliter, hinc mutari nequit, ut aliud aliquid bonum quærat vel ambiat, eum omnia habeat in se essentialiter. Hinc nomen eius est Iehova, id est, *qui est, Ego sum qui sum*, Exodi 3. v. 14. Vide ibi dicta. Celebre est illud Trismegisti, in Pimandro: *Sicut mundi partes sunt cælum, aqua, terra et aer; sic membra quasi Dei sunt vita, immortalitas, necessitas, providentia, natura, anima, mens, horumque omnium participatio, ipsum bonum: neque fit aliquid usquam, neque est factum, ubi Deus non adsit*. Divinius Cassiodorus in psalm. 47. *Magnus Dominus, etc. Deus, inquit, est virtus inexplebilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cuius definitio est finem in sanctorum laudibus non habere*. Iam quia Deus immutabilis est natura, hinc et immutabilis est voluntate, ut quod semel vult, semper velit: quia voluntas sequitur naturam, imo in Deo voluntas idem est eum natura.

Secunda, quia Deus est actus purus, nihil habens admistum potentialitatis: quidquid autem mutatur, est aliquo modo in potentia ad id quod mutatur, ait D. Thom. loco iam citato. Hinc spectat illud Apostoli: *Qui solus habet immortalitatem*, 1. Tim. 6. *Quia omnis mutatio quædam mortis imitatio est*, ait S. Bernard. mox citandus. Hinc psalm. 101. dicitur: *Sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt*; et num. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiat; nec ut filius hominis, ut mutetur*. Præclare S. Greg. Nyssen. in expositione orationis Dominicæ ad illa verba, *Adveniat regnum tuum: Numquid, ait, nunc regem fieri vult universi regem, qui semper est quod est, qui ad omnem mutationem firmus et immobilis est, qui non potest reperire melius quidquam, in quod transeat?*

Tertia, Deus est immutabilis, quia est simplicissimus, cui nihil addi vel accedere potest: ita S. August. lib. 11. de Civit. cap. 10. *Est itaque, ait, bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus*. Idem lib. 6. de Trinit. cap. 6. *Nihil simplex, mutabile est*. Et auctor 1. de Essentia divinitatis apud S. August. in principio: *Idco, ait, Deus immutabilis dicitur, quia in natura eius ira, furor, penitentia, oblivio, recordatio, et alia his similia nullo modo accidunt. Simplex enim natura est, et immutabilis, atque imperturbata: neque aliud est ipse, aliud quod habet, et quod est, iuxta illud Iacobi 1. 17. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Quocirca Tertul. vel potius Novatianus lib. de Trinitate cap. 4. *Immutatio, inquit, portio est mortis. Nam et incrementa originem monstrant, et detrimenta mortem atque interitum probant. Et ideo: Ego, ait Malach. 3. sum Deus, et non sum mutatus: statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, converti non potest. Hoc enim in ipso quidquid illud potest quod est, Deus semper sit necesse est, ut*

S.  
Et ge-  
nuine.

Immuta-  
bilitatis  
Dei  
I.  
Ratio est  
eius ple-  
nitudine.

II.  
Quia est  
actus pu-  
rus.

III.  
Quia est  
simplici-  
cissimus.

*semper sit Deus, servans sese virtutibus suis. Et ideo dicit: Ego sum qui sum.*

**IV.** Quarta dat S. Anselm. in Prosol. c. 22. Tu solus, ait, *Domine es quod es. In quo est aliquid mutabile, non omnino est quod est: et quod habet fuisse, quod iam non est, et futurum, quod nondum est, id non est proprie et absolute: tu vero es quod es; quia quidquid aliquando aut aliquo modo es, hoc totus ac semper es: et tu es, qui proprie ac simpliciter es. Quia quod mutatur perdit aliquid esse, et aliud esse acquirit; Deus autem nihil potest perdere, vel acquirere. Unde S. August. lib. 11. Confess. 10. In quantum, ait, quisque non est quod erat, et est quod non erat, in tantum moritur et oritur.*

**V.** Quinta quod vult hoc ab aeterno voluit. Quinta dat S. August. l. 11. Conf. c. 10. et 11. et lib. 12. cap. 13. Quia voluntas Dei aeterna est, et quidquid in tempore per totam saeculorum seriem operatur, id ipsum simul et semel ab aeterno voluit et decrevit. Implicitum autem ut quod ab aeterno efficaciter voluit, hoc in tempore non fiat, aut ut contrarium eius fiat. Sic enim elideretur aeternum Dei decretum. Celebre est illud Platonis: *In Deo est providentia et sapientia aeterna: in caelis est fatum: in terra rebusque particularibus est contingens et novum.*

**VI.** Sexta dat S. August. lib. 11. de Civit. c. 21. Quia omnia praeterita et futura sunt Deo praesentia, et in omnia ut praesentia fertur Dei scientia, voluntas et providentia. Sicut ergo quod circa rem praesentem volo, non possum non velle: ita quod Deus vult circa futura, non potest non velle, quia futura sunt ei praesentia.

**Tropol.** S. Gregor. Nazianz. orat. 27. haec applicat viro in virtute forti et constanti. Hic enim, ait, *divinum aliquid sentiens, his quoque Dei verbis uti possit: Ego idem sum, et non mutor. Quare nec ab animo suo migrabit, nec immutabitur cum temporibus ac rebus, alias alios mores induens, ac novos subinde colores assumens, non secus ac polypi petrarum, ad quas accesserint, colores referunt: sed idem semper, suisque similitis permanebit, fixus in rebus minime fixis, immotus in incertis et fluctuantibus, non aliter ac rupes quaedam ventorum fluctuumque impetu non modo non concutitur, sed etiam incursantes undas circa se frangit atque absumit.*

Moral. hic discet. Nomen Dei est: Ego sum qui sum, idem semper, constans et immutabilis: Ego Dominus, et non mutor; sum inflexilis in sententia, immutabilis in decretis: certa sunt meae minae, certa promissa. Pii ergo credite et sperate gloriam aeternam, impii timete et fugite ignem aeternum. Ex adverso titulus et nomen hominis, angeli, et cuiuslibet rei creatae est: Ego creatura sum, et mutor, muto consilia, muto animum, muto decreta, muto desideria et amores, denique versor in continua mutatione et motu. Natura enim creata cum sit dependens, imperfecta, imminuta, defectiva, mobilis; hinc perpetim mutatur. Quocirca qui in hominibus aliisque creaturis spem et amorem deligunt, in perpetua fame, siti, desiderio, metu, motu, alteratione et alternatione versantur, iuxta illud Thren. 1. v. 8. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Qui enim adhæret mobili, cum eo moto moveatur necesse est. Ex adverso vis esse constans et immobilis? adhære incommutabili naturæ et hono, quod est Deus. Deus enim in sua immutabilitate est immutabilis, sicut ex adverso homines et creaturæ in sua mutabilitate sunt immutabiles, quia perpetuo mutantur: nam nunc volunt, mox nolunt; nunc amant, mox odiunt; nunc placent, mox displicent; nunc favent, mox adversantur; nunc volunt, sed non valent; mox valent, sed non volunt; nunc summi sunt, mox imi; nunc vivi, mox mortui. Vere S. Bernard. serm. 81. in Cantic. citans hæc verba Malachiae: *Ego Dominus et non mutor: Omnis enim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, ubi esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas?* Praclare S. August. l. 1. Confess. c. 6. *Apud illum, ait, rerum omnium instabilium stant causæ, et rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, et*

Qui confidit in creatura, est in inglu me tu.

Omnis mutatio est quaedam mors.

**A** omnium irrationabilium et temporalium sempiternæ vivunt rationes; et, ut ait Boethius:

*Stabilisque manens dul cuncta moveri.*

Et Prosper sententia 143. *Aeterna et incommutabilis est voluntas eius, nec consilio alternante variatur, in qua simul est quidquid in rebus errandis, vel ordinandis precessit, aut sequitur.* Eodem pertinent quæ scribit D. August. lib. 4. Confess. cap. 4. *Immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam velus, innocans omnia, et in vetustatem deducens superbos, et nesciant; semper agens, semper quietus, colligens et non egrus, portans et implens et protegens, creans et nutrens et perficiens. Quæris, cum nihil desit tibi; amas nec astuas, zelus et securus es; pernitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod invenis, et nunquam amittis; nunquam inops, et quædes lucris; nunquam avarus, et usuras exigis. Supererogatur tibi ut debeas, et quis habet aliquid non tuum? reddis debita nullis debens, donans debitu nihil perdis, etc.*

**B** Hæc est primæva et increata in Deo immutabilitas, quæ omnis stabilitatis et immutabilitatis est fons, origo et causa, tam in angelis, caelis, mundo, quam in hominibus. Ad eum ergo ascende o anima, illi inhia, illi te affige, si solida, si firma esse cupis. Transcende maris huius fluctus, transvota mundi turbines: nil te moveant illecebrosæ opes, dignitates et pompæ, quæ in momento pertranseunt: non te terreant pauperies, morbi, arumæ, persecutiones, quæ sæpe subito, et semper in morte finiuntur. In caelo habita, in Deo commorare: ibi fixa, imperturbata conquiesces. Ibi super omnium mutabilium sphaeras, supra anni solisque vias elevata, ex alto despicias hoc terræ punctum: videbis et ridebis vana hominum studia, vanos labores, vanos mundanorum amores et honores, quasi puerorum erepundia. Miraberis, imo miseraberis, exilem hominum sortem, et exiliorem mentem, ac nugacem nugaram huius mundi fascinationem, sensum simplicem pervertentem, atque cum Poeta exclamabis:

Moral. Mens fixa in Deo sit immutabilis.

**C** O curas hominum, o quantum est in rebus inane!

Praclare S. Greg. lib. 26. Mor. cap. 28. *Anima, inquit, ad illum suspensa est, a quo formata. Et quia ad Deum solum appellendum facta est, omne autem quod infra appetit, minus est, iure ei non sufficit, quod Deus non est. Hinc est quod huc illucque spargitur, et ab unaquaque re fastidio impellente remoretur, etc. Sancti autem viri, quia cauta se observatione custodiunt, ne ab intentione sua mutabiliter dissolvantur, et quia idem esse appetunt, ut cogitationem qua Deum diligunt, se solerter astringunt. In contemplatione namque creatoris hoc accepturi sunt, ut una semper mentis stabilitate perfruantur, nulla eos tunc mutabilitas dissipat: quia scilicet eorum cogitatio sibimetipsi semper indissimilis perseverat. Hoc ergo cum labore nunc conantes imitantur, quod post gaudentes in munere accipiunt. Cui se Propheta immutabilitati virtute amoris astringerat, cum dicebat: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. Huic Paulus unitati intentione adhæserat, dicens: Unum autem, quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ ante sunt exiens, sequor ad palmam supernæ vocationis Christi.*

**D** **ET VOS FILII IACOB NON ESTIS CONSUMPTI.** Aptè hæc coherent cum eo quod præcessit, q. d. Ego sum Deus qui non mutor: sicut enim non muto minas, sententiam et vindictam in adulteros, periuros, aliosque maleficos, ita vicissim non muto misericordiam quam patribus vestris promisi. Nam non consumpsi vos, cum iuste id facere possem: *A diebus enim petrum vestrorum recessistis a legitimis meis.* Secundo, q. d. Licet constanter malos oderim, vestra tamen peccata non punivi plane et omnino, uti merebantur: nec enim vos consumpsi, sed toleravi ex amore, quo constanter patres vestros vosque eorum filios prosequor, expectans, ut resipisceretis. Unde vos hortor ad poenitentiam, dicoquo: *Revertimini ad me, et revertar ad vos.* Tertio, Septuag. vertunt, *vos o filii Iacob non recessistis a peccatis patrum vestrorum; Figurina, vos o filii Iacob nequaquam desistitis; alii, non facitis finem, non ces-*

*satis* (Hebr. enim כלה *cala*, significat finire, complere, cessare) scilicet me offendere, et irritare, q. d. Ego dispero vindictam impiorum, exspectans vos ad pœnitentiam: at vos ex adverso peccata peccatis cumulatis. Facitis sicut pueri cerviciosi, qui blande vocati a parentibus dorsum obvertunt, fiuntque duriores instar bubalorum, qui quo magis attrahuntur a bubalariis, eo magis reuidentur et retrocedunt. Aut, q. d. Ego non mutor a bono; vos autem non mutamini a malo: ego sum immutabilis in sanctitate; vos immutabiles estis in perversitate: ita Rupert.

Vers. 7. **A LEGITIMIS MEIS.**) A legibus meis; Tigurina, a *statutis meis*; Pagnin. *ab institutis meis*.

**REVERTIMINI AD ME**, per pœnitentiam, **ET REVERTAR AD VOS.**) Per gratiam, amicitiam, beneficentiam. Prior enim est pœnitentia peccatoris, quam sit eius iustificatio et reconciliatio cum Deo: tamen prior est gratia excitans Dei, qua pulsat mentem peccatoris, ut revertatur et pœniteat, quam sit eius pœnitentia. Peccator enim iacet sopitus in somno, imo morte peccatorum, a qua excitari nequit, nisi per vocem et gratiam Dei cor tangentis et excitantis: sicut hic Iudæos prævenit et excitat dicens: *Revertimini ad me*: ita hunc locum, et similes explicat Cone. Trident. sess. 6. c. 5. ubi docet *iustificationis exordium in adultis, a Dei, per Christum Iesum, præveniente gratia sumendum esse, etc. ut qui per peccata a Deo aversi erunt, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando, disponantur.* Et mox: *Unde in sacris Litteris cum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: Convertite nos Domine ad te, et convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.* Peccator ergo ut a peccato resurgat, cum id non possit viribus suis, sed Dei, crebro oret: *Converte me Domine ad te, et convertar.*

Vers. 8. **SI AFFIGET HOMO DEUM.**) Ita et Tigurina. Hebr. est קבה *kaba*, quod incertæ est significationis: unde varie a variis vertitur, *kaba* Hebr. multa significat. Primo, Sept. et alii putant. *Kaba*, per metathesin esse idem quod קבה *akab*, id est supplantavit, conculcavit, oppressit. Unde Septuag. vertunt, *si supplantabit homo Deum, quia vos supplantastis me.* Alludit ad nomen Iacob, q. d. Vos, o filii Iacob, imitamini patrem vestrum, sed perverse: Iacob enim rapuit iura primogenituræ Esau fratris sui, sed inusu matris, et voluntate Dei; unde vocatus est Iacob, id est supplantator: vos vero mihi invito rapitis meas decimas et iura: unde inverso nomine voco vos *Iacobæos*, non Iacobæos. Secundo, Pagnin. et Vatabl. *kaba* vertunt rapere, fraudare, extorquere, spoliare. Unde Pagnin. vertit, *numquid rapiet homo quæ Dei sunt, quia vos rapuistis mea?* Vatabl. *numquid spoliare debet homo Deum, quia vos spoliastis me?* Spoliat homo Deum, quando illius ministris subtrahit decimas, et alia ad victum necessaria. Aquila, Symmach. et Theodot. vertunt, *numquid homo fraudabit Deum?* scilicet suis decimis et iuribus. Tertio, R. Abraham *kaba* vertit, corrumpere, perdere. Quarto, Syrus et Arabicus Alexandr. vertunt, *numquid opprimit homo Deum, sicut vos opprimitis me?* Et Arabiens Antioch. *numquid homo opprimit Deum, quia vos expulistis* (proieicistis, despexistis) *me?* Quinto, *kaba* Chaldæorum et Syrorum lingua, inquit S. Hier. significat affligere. Omnes hæ versiones eodem collimant; sensus enim est, q. d. An æquum est, ius et fas, ut homo Deum suum contristet et affligat, perinde ac si eum clavo aut lancea confingeret? contristet, inquam, defraudando decimas, quibus alendi erant eius ministri; quo fit, ut illi ob paupertatem diffugiant, et Deum Deique cultum relinquunt: itaque Dei religio et veneratio negligitur, calcatur, pessumdatur: annon hoc Deum affligat, et quasi cruci affligat? ita Remig. Albert. Hugo, Lyran. Ribera et alii. Loquitur Deus humano more et anthropopathos.

Mystice, S. Hieron. (qui putat hunc esse sensum litteralem) hæc refert ad crucifixionem Christi: *Unde et nos, inquit, ante plurimos annos vertimus, Affiget, magis ad mysterium Dominicæ passionis, in qua homines crucifixe-*

*runt Deum, quam ad decimas ac primitias scripta referentes.* Porro iis quæ sequuntur hæc de cruce ita connectit, q. d. *Ut me affigeretis cruci, ut sceleratas manus iniiceretis Deo vestro, multarum ante rerum meditatione fecistis, subtrahendo decimas et primitias, non dico sacerdotibus, sed Leviis, sed mihi, qui eas per Mosen iussi dare,* q. d. Affixistis me olim sacrilegium decimarum, nunc affixistis me cruci: ac per prius sacrilegium viam stravistis, et gradum fecistis ad posterius Christicidium.

Tropol. omnis peccator dum peccat, peccato suo quasi sagitta in cælum missa, Deum configit quantum in se est, iuxta illud Apost. Hebr. 6. 6. *Rursum crucifigentes filium Dei, et ostentui habentes.* Hæc sane consideratio deberet hominem, etiam furem, a scelere inhibere: Scis quoruas o infelix, dum ruis ad eadem, ad venerem? ruis ad necem Christi; ut iterum Christum affigas cruci. Inhibe ergo gradum, ne tantum nefas admittas: refræna iram, libidinem, etc. quia ira et libido sunt Christicidium, imo Deicidium. Quot verbera, quot maledicta, quot pollutiones committis, tot clavos adigis per corpus Christi, tot pugionibus cor eius configis et perfodis.

**IN DECIMIS.**) Vide hic quam stricte Deus exigit decimas, quamque sentiat si eæ negentur, videlicet perinde ac si quis eum clavo, vel pugione transigeret.

**ET IN PRIMITIIS.**) Tigurina. *in magnificis donis.* Hebr. est תרומה *teruma*, id est elevatio, hoc est oblatio, quæ elevando offerebatur Deo, ut dixi Exodi 23. v. 27. ac præsertim primitiæ: hæ enim inter oblationes principem locum tenent. Vide hic rursum quam Deus gaudeat oblationibus fidelium; ac doleat si eæ desinant, aut minuantur.

**ET IN PENURIA MALEDICTI ESTIS.**) Tigurina, *execratione execrati estis*; Vatabl. et Pagnin. *maledictione ipsa vos estis maledicti.* Per maledictionem intelligit negationem pluviam, iudeque terræ sterilitatem, famem et penuriam: horum enim causa est Dei maledictio. Unde paulo post benedictionem huic maledictioni oppositam, vocat pluviam: *Si non aperuero, inquit, cataractas cæli, et effudero vobis benedictionem.* Sensus est, q. d. Maledixi vobis, vosque penuria et fame afflxi, et, id est quia, pari modo me vos configitis, et alligitis egestate et fame, negando decimas et oblationes; itaque, fugatis sacerdotes, ac cultum meum evertitis. Idem eodem tempore questus est apud magistratus Nehemias c. 13. 10. ubi suo iussu decimas sacerdotibus, et sacerdotes suis officiis temploque restitutos, enarrat.

**GENS TOTA.**) q. d. Non unus, noo pauci, sed omnes et tota gens negant decimas; itaque me configunt.

**INFERTE OMNEM DECIMAM.** etc. **ET PROBATE ME SUPER HOC,** etc. **SI NON APERUERO CATARACTAS.**) Tigurina, *fenestras cæli*, id est, ut explicat S. Hieron. si non effundero tam copiosam pluviam, ut cataractæ cæli apertæ esse videantur. Nota. Cataractæ vocantur ex alto defluentes aquæ tanta copia, impetu et fragore, ut ruere potius quam fluere videantur (Græci enim καταρρακταιν defluere dicunt) qualem Tibure cernimus Anienem, et quales esse in Ægypto Nilii cataractas legimus, inquit Plinius lib. 5.

9. Hinc loca ipsa e quibus exeunt aquæ, et præsertim obices et repagula quibus retinentur et coercentur, vocantur cataractæ. Hebræi, et Hieron. ab Oleastro in Genes. 7. 11. censent vere has cataractas esse in cælo, easque fuisse ruptas in diluvio tempore Noe, ita ut per illud cælum discissum sit in foramina et fenestras, ut per eas ruerent aquæ, terramque mergerent et obruerent. Verum hoc est paradoxum, repugnans sacræ Scripturæ, et Physiæ. Est ergo Hebræa figura et phrasis: Hebræi enim cælum elaudi dicunt, cum tenet vapores et nubes, ne in pluviam solvantur et depluant; aperiri vero ac rumpi, cum aquæ e nubibus magna vi, fragore et impetu erumpunt, perinde ac si cataractas, id est obices obiectos, puta ferreas portas, vel fenestras perfringerent. Sic et Latini in magnis imbribus, apertas esse cæli cataractas dicere solent. Unde illud psal. 41. 8. *Abyssus abyssum invocet in voce cataractarum tuarum.* Similia sunt Isaïæ 24. 18. 4. Reg. 7. 2. Vide dicta Genes. 7. 11.

Tropol. peccatum est sagitta configens Deum.

Vers. 9.

Vers. 10.

Cataractæ cæli quæ?

**ET EFFUDERO** (Pagnin. *evacuavero*) **VOBIS BENEDICTIONEM.** Figurina, *omniyenam benedictionem effundam. Benedictionem vocat imbrem copiosum, humectantem et fecundantem agros, itaque producentem copiosam segetem et messem.*

**AD ABUNDANTIAM.** Hebr. בלי דאי *beli dai*, id est, *usque ad non sufficientiam*, supple vasorum et horreorum, q. d. Tantam abundantiam frugum omnium dabo, ut non sufficiant vobis vasa et horrea, quibus illas excipiat et recondatis: ita Vatabl. unde Pagnin. vertit, *adeo ut non sint sufficientia vobis vasa*; uti contingit mulieri illi ab Elisæo benedictæ, cui lecythus tantum stillavit olei, ut omnia vasa commodato accepta impleret, adeo ut illa diceret filio: *Affer mihi adhuc vas; et ille dixit: Non habeo; stetitque oleum*, 4. Reg. 4. 3. Esto ergo liberalis in Deum, Deique ministros, et senties vicissim Deum multo in te liberaliorem. Nec enim liberalitate a creaturis suis se vinci sinit Creator. Hinc Secundo, melius et simplicius Hebr. *beli dai*, id est *non sufficientia*, cum sit unum nomen, idem est quod *abundantia*: abundantia enim opponitur sufficientiæ, q. d. Dabo vobis imbres et fruges, non ad sufficientiam, sed ad abundantiam. Unde Arias vertit, *ultra sufficiens*. Hebr. enim בלי *beli* subinde significat *absque, præter*. Sicut ergo dicimus, Vidi formicas absque numero, id est, innumerabiles; sic Deus promittit hic imbrem *beli dai*, id est, absque sufficientia, vel præter sufficientiam, id est, plusquam sufficientem, puta abundantem et copiosum. Aut certe *beli*, hic in compositione est mere encliticum, tantumque ornatus causa additur voci *dai*, id est sufficientia, copia, abundantia. A *dai* enim Deus vocatur שדי *sciaddai*, id est cornucopiæ, ditissimus, abundantissimus, munificentissimus. Unde R. Saadias: Deus, inquit, dicitur *Sciaddai*, eo quod ipse abundet adeo, ut sua abundantia omnes omnium creaturarum defectus expleat. Hoc secuti videntur Septuag. vertunt enim, *usque dum sufficiat*; et Chald. *adeo ut dicatis, Satis est*. Hebræi enim *dai*, id est sufficientiam, vocant copiam et abundantiam, ut vertit Noster.

Nota. Iudæi Babylone redeuntes erant pauperes: hinc negabant decimas. Pauperes enim ex angusta re familiari contrahunt angustum cor: unde sunt parci, sordidi, avari, furaces, ac præsertim iura Ecclesiæ debita vel negant, vel carpunt et minuunt. Quocirca sapienter Salomou deprecatur tam paupertatem, quam divitias, Prov. 30. 8. *Mendicitatem, ait, et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria: ne forte satiatas illuciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perireum nomen Dei mei.* Durum enim telum est necessitas. Quocirca Deus huic eorum malo et miseriæ occurrens, angustum eorum cor elidit, et dilatat, docens si liberales sint in Deum et sacerdotes, percepturos a Deo benedictionem rerumque abundantiam. Sciatis, inquit S. Hieron. vos perdidisse abundantiam, quia fraudastis me parte mea. Moneo igitur ut reddatis mihi mea, et ego restituum vobis vestra. Idem iisdem eodem tempore promissit Aggæus e. 2. 20. et Zachar. e. 2. 4. Scripsit de reddendis decimis S. August. serm. 219. de Tempore tom. 10. ubi inter cætera citans hæc Malachiæ verba, ex eo hæc colligit axiomata. Primum, *Decimæ sunt tributa egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus.* Secundum, *Non eget Dominus Deus, non præmium postulat, sed honorem.* Tertium, *Primitias rerum et decimas dignatur petere, et negas avarare? Quartum, Quid faceres, si novem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset? Quintum, Quod certe iam factum est, cum messis tua pluviarum benedictione subtracta, ieiuna defecit; et vindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit. Quid avide supputas? Novem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Hæc est enim Domini iustissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ul decimam revoceris. Sextum, Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. Septimum, Decimæ ex debito requiruntur, et qui eas dare noluerit, res alienas invasit. Octavum, Quanti pauperes in locis ubi*

Decem de decimis axiomata S. August.

**A** *ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni iudicis apparebit: quia a Domino pauperibus delegatum, suis usibus reservavit. Nonum, Ecce annus ium finitus est, redde Domino plenti mercedem. Decimum, Non de tuo aliquid exigit, quod refundas, sed suum, imo sui partem decimam reposeit. Vide de decimis Conc. Trident. sess. 25. cap. 12. et ea quæ dixi in Deuter. cap. 14. in fine, et Numer. 18. in fine.*

**INCREPABO**, id est, prohibebo quasi increpans (est catabhesis) **DEVORANTEM.** Scilicet segetes vestras, puta locustam, q. d. Præcipiam locustis, easque cohibebo, ne depascantur vestras fruges, ne vastent vestra sata. Unde explicans subdit: *Et non corrumpet fructum terræ vestræ.*

**ERITIS ENIM VOS TERRA DESIDERABILIS.** Primo, Septuag. subintelligunt *sicut*: unde vertunt, *vos eritis sicut terra voluntaria*, id est, volita et desiderabilis, q. d. Eritis virentes, florentes, prosperi, abundantes omnibus frugibus et opibus: ita Cyrill. aut, ut Vatablus, q. d. Vos eritis homines habitantes terram fertilissimam et amoenissimam.

Secundo, potest esse epegegesis: vos, id est, terra vestra erit *desiderabilis*; Tigurina, *optata*, q. d. Omnes gentes optabunt habitare in terra vestra, utpote benedicta a Deo, ideoque frugibus abundante: ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran.

Tertio, Hebr. ad verbum est, *vos eritis terra chephets*, id est voluntatis, complacentiæ, desiderii, in qua scilicet complacebit sibi Deus, quamque benedicet bonisque omnibus cumulabit: quia enim vos obeditis Deo, eumque colitis dando ei decimas et primitias; hinc vicissim Deus sibi complacebit in vobis, ac propter vos in terra vestra, ut per eam eiusque fertilitatem vos locupletet et beet. Unde Chald. vertit, *habitabilis in terra domus maiestatis meæ, et fiet in ea voluntas mea, dicit Dominus*, q. d. Quia vos facitis voluntatem meam, hinc vicissim voluntas et complacentia, indeque beneficentia mea effundet se in vos et in terram vestram, in eaque commorabitur et conquiescet. Sic Iudæa a Daniele c. 11. 16. vocatur *terra inclyta*, hebr. צבייה *tsebiia*, id est gloria, decor, voluntas, beneplacitum, desiderium, res dilecta et grata iustar capreoli. Vide ibi dicta.

Allegor. Ecclesia et anima sancta est terra *chephets*, in qua scilicet sibi complaceat Deus, iuxta illud Isaïæ 62. 2. *Videbunt gentes iustum tuum, et cuncti reges inclytum tuum, et vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra Derelicta, etc. sed vocaberis, Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur: quia complacuit Domino in te.* Eadem in Cant. 2. 9. vocatur *tsebiia*, id est, caprea amabilis et gratiosa, quia sponsus eius est Christus gratiosissimus, ut capreolus. *Similis, inquit, est dilectus meus capræ hinnuloque cervorum.* Et v. 17. *Revertere, similis esto dilecte mi capræ hinnuloque cervorum super montes Bethel.* Et e. 4. 5. *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Et Jerem. 3. 19. *Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium?* Hebr. est hæreditatem *צבי צביות tsebi tsebot*, id est, gloria caprearum, vel iuwenditatis iuwenditatum, id est, summe amabilis, charissima et inenudissima.

**INVALUERUNT SUPER ME.** Id est, contra me. Redit Propheta ad blasphemiam Iudæorum e. 2. vers. ult. quia frequens erat in ore eorum. Pro *invaluerunt* hebr. est חזקו *chazeku*, id est, roborata sunt. Primo, quia contentiose, valide et elamose persistitis, imo crescit in vestra blasphemiam, iugiterque illud mihi oclamatis: *Vanus est qui servit Domino*: ita Lyran. et a Castro. Secundo quia hæ vestræ assidue et rixosæ blasphemie mihi valde graves et molestæ accidunt, meque quasi lapide molari aggravant et opprimunt: ita S. Hieron. Remig. Haymo et Arias. Tertio, Tigurina vertit, *superant me verba ve-*

Vers. 11.

Vers. 12. Terra desiderabilis erit inclyta.

Allegor. est Ecclesia et anima sancta.

Vers. 15.

stra, quia scilicet vos vestris clamoribus et blasphemis plures avertitis a me, quam Prophetæ mei suis concionibus ad me convertant: sicut hæretici plures pervertunt, quam Catholici convertant. Omnes enim naturaliter propendent, imo ruunt in libertatem carnis quam prædicant hæretici, et abhorrent a continentia et vitæ severitate, quam prædicant Catholici.

ET DIXISTIS: QUID LOCUTI SUMUS CONTRA TE? Hebr. נִדְבַרְנוּ *nidbaru*, utpote in *niphath*, significat assiduam et continuam locutionem. Unde Chald. vertit, *in quo multiplicavimus sermonem contra te?* Audi eorum murmura contra Dei providentiam, iustitiam et sanetitatem.

VANUS EST QUI SERVIT DEO ) Tigurina, *frustra servitur Deo*; Chald. *nihil lucratur qui colit coram Domino*, nimirum

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

Mundani pietatem cœcitant vanitatem. Vanus ergo, id est indonatus, irremuneratus, quia nullum servitutis suæ recipit lucrum, aut præmium. Hoc est iudicium mundi, quo mundani vanos censent viros pios, iustos, sinceros, austeros, præsertim cum vident eos depauperari, despici, deprimi, affligi: quia vera bona virtutis et gloriæ æternæ ignorant; sed omnia metiantur præsentis aspectu, sensu et gustu; uti faciunt pueri, porcelli et bruta. Ac proinde ipsimet vani sunt, quia non nisi caducis et vanis pascuntur. Ita uxor Iob ei afflicto insultabat dicens: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, et morere.* Cui sapienter Iob, æque ac generose respondit: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Iob 2. 10. Sic Tobiam occasione officii sepulture exæcatum, irridebant cognati dicentes, e. 2. 13. *Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? Tobias vero increpabat eos dicens: Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Sane si iusti non haberent spem alterius et melioris vitæ, vane se affligerent, et frustra aliorum afflictiones sustinerent. Nam, ut ait Apost. 1. Corinth. 15. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Nunc autem quia speramus aliam vitam, beatam et æternam, pro modicis vitæ huius tribulationibus; hinc feliciores sumus omnibus hominibus. Ita S. Casimirus Dux Lithuanie, et filius Casimiri regis Polonie, cum in morbum incidisset, medicique assererent ab eo liberari non posse, nisi uxorem duceret, respondit: *Eligo virgo mori: non enim novi aliam vitam, nisi celestem immortalitatem.* Quocirca ne virginittatis propositum infringeret, maluit occumbere, fierique Deo castitatis victima, ut in æternum cum Deo et Agno, angelus inter angelos viveret: ita habet eius Vita.

Vers. 14. QUA AMBULAVIMUS TRISTES.) Hebr. קְדֹרְרִית *kedorranit*, id est, ut Tigurina, *pullati*, atrati, quasi mesti, afflicti et penitentes; Pagnin. *humiles*; Septuag. *supplices*; Chald. *in depressione spiritus*. Unde per antithesin subditur:

Vers. 15. ERGO NUNC BEATOS DICIMUS ARROGANTES.) Qui audent omnia, ideoque se extollunt, et dominantur modestis, eosque calcant et affligunt, uti quotidie videmus.

SQUIDEM ÆDIFICATI SUNT.) Id est, prolibus, et simul domibus, villis, opibus, deliciis, honoribus aucti sunt impii. Est hebraismus.

TENTAVERUNT DEUM.) Id est, ad iram provocaverunt. Unde Septuag. vertunt, *restiterunt Deo*. Secundo, magis genuine, et nervose *tenta-verunt*, Hebr. בָּחַנוּ *bachanu*, id est, prolaverunt Deum, q. d. Impii suis sceleribus non contenti, alia aliis, et numero, et gravitate enormia addiderunt, ad hoc, ut experirentur an esset numen scele- rum vindex. Voluerunt ergo sua audacia et improbitate movere numini bilem, ut viderent an concitaretur ad se vindicandum. Verum cum viderent non esse vocem, neque sensum, Deumque nullam iræ, nullam vindictæ dare significationem; sed ex adverso se impune peccare, liberos esse ab omni pœna, imo omnia sibi ex voto fluere et prospere succedere, tunc velut victores, imo debellatores

numinis, quasi nullum esset, vel impotens ad vindicandum, securi in sua impietate vivere, luxuriari et lascivire cœperunt: ita a Castro.

TUNC LOCUTI SUNT.) q. d. Tunc iusti et pii sibi contra blasphemos et atheos defendendam susceperunt Dei causam, puta providentiam et iustitiam, atque ad id se mutuo cohortati sunt, nimirum asserendo illa quæ a patribus, et e Scriptura didicerant, scilicet Deum in hac vita multa dissimulare et impunita relinquere; ut acrius et plenius ea puniat in futura, utque in die iudicii generalem in omnes exerceat iustitiam: ita S. Hieron. et passim alii, uno excepto Aria, qui vertit, *tunc vastati sunt timentes Dominum*, scilicet ab impiis et atheis impune eos invadentibus: quia, inquit, Hebr. דִּבְּרָ דִּבְּרָ *dibber*, id est loqui, subinde significat vastare, perdere, ut ps. 2. 5. et 2. Paral. 22. 10. Unde דִּבְּרָ *deber* significat pestem et mortem.

ET ATTENDIT DOMINUS.) Aliqui putant hæc esse verba piorum, quæ scilicet ipsi locuti sunt ad defendendam Dei providentiam, q. d. Deus non negligit, sed attendit dicta et facta tam iustorum, quam iniquorum, eaque in libro memoriæ suæ conseribit, ut in die iudicii ea depromat, publicæque legat et iudicet: ita Lyran. et Clarius.

Melius alii censent esse verba Prophetæ, q. d. Deus tam impiorum blasphemias, quam piorum apologias attendit, easque in libro monumenti, id est, memoriæ, conseripsit, idque in gratiam piorum timentium se, et cogitantium nomen eius, qui scilicet nomen et gloriam Dei assidue cum veneratione cogitant, invocant, prædicant et celebrant, ut in die iudicii eorum, erga se fidem, religionem et pietatem toti mundo ostendat, et æterna corona præmii: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Hugo, et alii.

Nota. Liber monumenti est liber memoriæ, ut habent Hebræa et Græca; Syrus et Arabicus Antiochen. vertunt, *scriptus est liber recordationis*; Arabicus Alexandr. *audivit Dominus hoc, et scripsit librum in quo est hoc, et fecit illum memoriam* (recordationem) *coram omnibus timentibus Dominum, ut timeant nomen eius.* Deus enim in sua memoria, quasi in libro monumenti annotat et conseribit singulorum hominum dicta et facta, ut in die iudicii ea ex illo legat coram omnibus hominibus et angelis, ac cuique pro meritis vel demeritis præmium vel pœnam decernat. Unde de eo ait Daniel c. 7. 10. *Iudicium* (id est, Deus index cum sanctis, quasi suis assessoribus) *sedet, et libri aperti sunt.* Et S. Ioannes Apocal. 20. 12. *Libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ; et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris, secundum opera ipsorum.* Vide ibi dicta. Hic ergo *liber timentium Deum*, est liber prædestinationis, qui alibi vocatur *liber Dei*: unde Exodi 32. Moses ait Deo: *Aut dele me de libro tuo quem scripsisti; et liber viventium, ut psal. 68. 29. Deleantur de libro viventium.* Idem vocatur *liber cæli*. Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælo, Luca 10. 20. Idem a S. Ioanne in Apocal. crebro vocatur *liber vitæ*: quia in eo Deus sanctos et electos conseripsit ad vitam æternam. Hic vero vocatur *liber monumenti*; Hebr. זִכְרוֹן *ziccaron*, id est, memoriæ, hoc est, mentis divinæ; quod electi illi semper observentur, utpote quos Deus peculiari amore, favore et cura prosequitur, ut illos suo tempore in regnum suum transferat. Sic Deuter. 32. v. 43. ait Deus: *Nonne hæc condita sunt apud me, signata in thesauris meis?* scilicet in libris memorialibus, puta in archivis mentis divinæ: ita S. Cyrillus. *Scribitur, inquit, liber memoriæ timentibus Deum, quos ait fore sibi familiares, et intimos tempore acquisitionis, cum scilicet Christus descendet e throno maiestatis comitantibus angelis, et statuet oves ad dextram, hædos ad sinistram.* Nec enim in Deo proprie est memoria, quæ est præteritorum: Deo enim nihil præterit, sed omnia sunt quasi presentia. Loquitur ergo humano more: quia enim res præteritæ apud homines in memoria conservantur, hinc idem tribuit Deo. Mentem ergo Dei omnia cognoscentem vocat memoriam, quatenus ipse ea quæ nobis præterita sunt cognoscit, et in se recondit, ac in sua notitia conservat. Unde

Liber memoriæ Dei est liber vitæ et cæli.

In Deo non est memoria, sed visio.



S. August. in psal. 87. *Tunc, inquit, dicitur Deus meminisse, quando facit; tunc obliuiscit, quando non facit. Nam neque obliuio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia non obliuiscitur.* Idem l. 10. Conf. cap. 14. *Memoria, ait, quasi venter est animi, etc. Forte ergo sicut de ventre cibis ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur.* Deus autem nullius recordatur, nec quidquam extrahit latens de ventre et sinu memorie, utpote qui omnia actu intuetur et videt. Rursum dicitur hic liber memorie, quia ad memoriam, famam et gloriam aeternam transcribet Sanctos, iuxta illud psal. 111. 6. *In memoria eterna erit iustus;* cum omnis gloria et pompa impiorum et mundi transeat instar fumi, iuxta illud psal. 9. 8. *Perit memoria eorum cum sonitu.* Et psal. 33. 17. *Perdidit de terra memoriam eorum.* Vis ergo memoriam et nomen aeternum? quare illud non apud homines, sed apud Deum: non in terra, ubi omnis memoria liniatur cum saeculo, sed in caelo, iuxta illud Sapientis c. 8. 13. *Habebo per hanc (sapientiam, scilicet practicam, hoc est virtutem) immortalitatem et memoriam aeternam.* Et Sapient. B 4. v. 1. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius.* Et Eccles. 24. 28. ait Sapientia: *Memoria mea in generationes saeculorum.* Porro quid praemii in hoc libro monumenti Deus decreverit piis et iustis, subdit dicens:

Vers. 17. **ET ERUNT MIHI, AIT DOMINUS, IN PECULIUM, etc.** Al-ludit ad libros memorie, puta ad annales et diaria regum, de quibus Esther 2. 23. in quibus scripta fuerunt merita Mardochei; ob quae cum exaltavit Assuerus. Sic Pontifex habet librum memorie, in quo merita Praelatorum scribit, quos ad episcopatum vel cardinalatum evehere destinat.

**IN DIE QUA EGO FACIO, id est faciam, scilicet iudicium, IN PECULIUM.** ) q. d. In die iudicii timentes me, meamque providentiam credentes et propugnantes, erunt mihi in peculium, id est, in populum proprium et peculiarem mihi dicatum, et ex mei visione ac fruitione beatum: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. et alii. Nota. Pro C *peculium* hebr. est סגולה *segulla*, id est, portio selecta, res rara et chara, thesaurus pretiosus, cimelium praestans. Alludit ad Exodi 19. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Vide ibi dicta. Sicut enim in lege veteri, Israelitae fuerunt peculium, id est hereditas Dei, et populus a Deo electus ex omnibus gentibus; ita in lege nova peculium Dei sunt Christiani et iusti per gratiam, qui proinde in caelo erunt peculium Dei per gloriam, possessi a Deo, et vicissim possidentes Deum, quod ultimum hic proprie intendit Malachias: agit enim de die iudicii, deque praemiis Sanctorum.

Sancti sunt peculium Dei.

Peculii etymon et usus.

Electi sunt peculium Christi.

Aliter ergo hic sumitur peculium, quam apud veteres Romanos et iuriconsultos. Peculium enim, inquit Festus, a peiore dicitur, estque quiddam alicuius labore et industria comparatum et lucrifacrum est. Et proprie servorum est sicut pecunia patrumfamilias et nobilium. Unde apud maiores omne patrimonium dicebatur peculium, quia pecoribus universa eorum substantia constabat. Ulpianus de peculio lib. *Depositi*: Peculium, ait, dicitur est quasi pusilla pecunia, sive pusillum patrimonium. Peculium autem Tubero sic definiit, quod servus domini permissu separatum a rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur. Florentinus in lib. *Peculium*, ff. de peculio: Peculium, inquit, in eo consistit, quod parsimonia sua quis sibi paravit, vel officio meruit a quolibet sibi donari, idque velut proprium patrimonium servum suum habere quis voluit. Hinc Celsus in lib. *Si chorus*, ff. de legatis, 3. scribit pecuniam sine peculio, id est, sine fructu et lucro, fragilem esse. Hic vero peculium sumitur pro hereditate selecta, et thesauro raro charoque. Electi tamen possunt dici peculium Christi priori significatione, quia labore et pretio sanguinis Christi, qui propter eos servilem naturam assumpsit, empti sunt, iuxta illud: *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro*, 1. Corinthi. 6. Ingens haec erit gloria Sanctorum, quod sint futuri peculium et cimelium Dei; sicut reprobi

erunt mancipia et peculium diaboli, iuxta illud Christi: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui parati est diabolo et angelis eius*, Matth. 23. v. 41. Hinc hoc peculium ab Apostolo vocatur sors sanctorum, regnum Christi et familia Dei: *Gratias, inquit, agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae*, Coloss. 1. 12. Et, *Unum tradiderit regnum Deo et Patri*, 1. Corinthi. 15. 24. Et, *iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei*, Ephes. 2. 19. Hoc praevideus Isaias cap. 44. 5. *Iste, inquit, dicit: Domini ego sum; et iste vocabit in nomine Jacob; et hic scribet manu sua, Domine; et in nomine Israel assimilabitur.* Porro Deus hoc suum peculium, puta Sanctos et Beatos, exornat longe magis, quam patrumfamilias colat suum peculium, aut rex vel regina ornet suum cimelium. Cum enim eos habeat in summo amore, aequae ac honore, hinc eos omni laetitia, opulentia, sapientia, felicitate, imo seipso cumulat et beat.

fidem sunt sors sanctorum.

Unde S. August. lib. 10. de Civit. c. 7. *Merito, ait, illi in caelestibus sedibus constituti, immortales et beati, qui creatoris sui participatione congaudent, cuius aeternitate frui, cuius veritate certi, cuius munere sancti sunt.* Et in psal. 87. sub finem, explicans illud: *Sicut latantium omnium (vel, ut ipse legit, incundatorum) habitatio est in te. Similes, inquit, ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ibi totum negotium nostrum non erit, nisi laudare Deum, et frui Deo. Et quid alium quærimus, ubi solus sufficit per quem facta sunt omnia? Habitabimus et habitabimus; subiciuntur illi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Beati ergo qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te. Hoc uno beati otioso negotio.* Et in Soliloq. c. 33. *O quam gloriosum est regnum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti, amici lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso! O regnum beatitudinis sempiternae; ubi tu Domine spes Sanctorum et diadema gloriae, facie et faciem videris a Sanctis, lactificans eos undique in pace tua, quae exuperat omnem sensum. Ibi gaudium infinitum, laetitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo. Ubi iuventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marescit, ubi gaudium nunquam decrescit: quoniam ibi summum bonum possidet, quod est videre semper faciem Domini virtutum. Felices igitur, qui de naufragi vita praesenti ad tanta gaudia iam pervenire meruerunt: infelices heu nos et miseri, qui per huius maris magni fluctus procellosasque voragine naves trahimus, ignorantes an ad portum salutis pervenire valeamus. Infelices, inquam, quorum est vita in exilio, via in periculo, finis in dubio, etc.*

Descriptio felicitatis Beatorum.

**ET PARCAM EIS.)** *Parcere* apud Latinos proprie significat parum tangere, abstinere, veniam dare, ultionem remittere. Hinc per antiphrasim dictae sunt Parcae, quod nemini pareant, quas Gentiles tres esse putarunt, Clotho, Lachesis et Atropo, easque Cicero l. 3. de Natura Deor. Erebi et noctis filias, fataque esse censet, quod nascentibus hominibus bonum malumque conferant. Unde est illud Cleanthis:

Parcae quae et quales?

*Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Fingunt eas vitae hominum praesesse, et nendo eam ducere instar filii et staminis. Nam

*Clotho tenet fatum, Lachesis net, et Atropos oecat.* Unde Virgil. eclog. 4.

*Concordes stabili fatorum numine Parcae.*

Sic hic sumi potest, q. d. Ego parcam praeteritis vestris peccatis, utpote iam per penitentiam vestram et meam condonationem obliteratis, et aeterna oblivione sepultis, nec ullam de eis vindictam aut poenam sumam. Quocirca quiddam triste est, quasi sevas Parcae et fata ab eis arcebo et propellam. Secundo, parcere idem est quod conservare: et tunc in praeterito habet parsi, ait Donatus; nam alias habet peperei: ita Plautus in Aulul. *Festo die,*

ait, *si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris.* Et Virgil 10. Æueid.

*Argenti atque auri memoras quæ mille talenta,  
Natis parce tuis, (parce, id est conserva.)*

Tuncere  
pro mi-  
sereri.

Hinc Cicero orat. pro Quintio opponit parcere et perdere, quasi contraria. *Iugulare civem, inquit, ne iure quidem quisquam bonus vult: mavult enim commemorare, se cum posset perdere, peperisse; quam cum parere potuerit, perdidisse.* Idem pro Cælio opponit parcere et spoliare: *Parcat, inquit, iuventus pudicitia suæ, ne spoliaret alienam.* Sic hic sumitur. Unde Septuag. vertunt, *eligam eos*; alii, *misereror eorum*; alii, *indulgens ero in eos.* Hebr. enim **חמל** *chamal* significat affectum pietatis, misericordiæ, indulgentiæ, quo v. g. pater amat filium, eius miseretur, ei indulget, eum tuetur, fovet, nec ullo malo affligi sinit. Sic enim Deus tuebitur et servabit electos suos in die iudicii, cum non sicut eos affligi damnationis sententia, igne, vel ulla re alia, qua affligentur damnati, etiamsi electorum fuerint parentes, filii, cognati, amici. Est ergo metalepsis *parcam*, id est misereror, et tuebor eos a communi maledictione, qua feriam improbos. Quos enim amamus, et quorum misereror, eis in communi clade parcimus. Unde Theodor. *Parcam, inquit, id est, illos mihi vindicabo, et liberabo e manu impiorum.* Sic sumitur *parcere*, 2. Reg. 21. 7. *Pepercit rex Miphiboseth filio Ionathæ: pepercit, id est, pio miserationis affectu eum complexus est, eum quasi pupillum in suam curam suscepit, fovit, aluit, quasi Ionathæ sibi amicissimi filium.* Nec enim Miphiboseth peccarat, ut ei David peccatum condonaret, et proprie parceret. Et Ezech. 16. 5. *Non pepercit super te oculus, id est, nullus tui misertus est.*

Duo generalia electorum præmia significat hic Prophe-

**A**ta: prius, quod erunt peculium, id est, populus pecularis Dei, ideoque ab eo cumulabuntur omni honore, decore, felicitate et gloria. Secundum, quod parceret eis, id est, amovebit ab eis metum damnationis, gehennæ, omnisque mali, eosque certos et securos faciet, quod in æternum erunt Beati, nihilque unquam doloris vel mali sentient: sicut ex adverso damnatorum duplex erit pœna: prior, carentia omnis solatii et boni: posterior, abundantia omnis miseriæ, tormenti et mali. Ingens enim erit gaudium Beatorum, quando videbunt se liberari a crepitantibus gehennæ incendiis, cæterisque malis horrendis, quibus videbunt involvi impios tot et tantos, præsertim quia videbunt se eadem aliquando per peccata sua meruisse, in eaque re ipsa casuros fuisse, nisi Deus eos liberasset. Quocirca canent: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non sumus damnati: Nisi Dominus adiuvisset me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Et canticum Mosis: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem proiecit in mare: liberavit nos de manu Pharaonis, id est diaboli, peccati et gehennæ, Exodi 15. 1.* Et canticum Agni, dicentes: *Magna et mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ et veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum: quis non timebit te, et magnificabit nomen tuum?* Apocal. 15. 3.

**ET CONVERTEMINI ET VIDEBITIS.** ) q. d. Vos, o impii, Vers. 18. negantes Dei providentiam, in die iudicii mutabitis sententiam, licet sero et coacte: videbitis enim et reipsa sentietis, quantum intersit iuter iustum et impium, quando videbitis hunc igni æterno, illum paradiso cæloque addici, uti fusius explicat Malachias cap. seq. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Ribera et alii.

## C A P U T Q U A R T U M.

### S Y N O P S I S C A P I T I S.

*Pergit describere diem iudicii, in quo desinet impiorum felicitas, et incipiet eorum infelicitas: atque ex adverso desinet piorum infelicitas, et incipiet eorum felicitas nunquam finienda. Tunc ergo Deus, qui in hac vita impiorum scelera dissimulavit, et pios ab eis affligi permisit, assumet iudicium, ostendetque se esse Deum iudicii, ac illum diem, iudicio universali hominum omnium ab æterno prædefuisse, ideoque in hoc mundo permisisse pios ab impiis vexari, ut horum improbitas, illorum virtus in die illo decretorio declaranda, et gloria celesti præmianda, coram toto mundo enitesceret: Orietur, inquit, vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, etc. Et calcabitis impios. Hinc Secundo v. 4. monet ut legem Dei custodiant, eo quod per eam sint iudicandi, ideoque asserit se ante diem iudicii præmissurum Eliam, qui ipsos ad legis Dei custodiam exstimulet, ut iudicis non iram et anathema maledictionis, sed clementiam et remunerationem æternam experiantur.*

1. **E**CCE enim dies veniet succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. 2. Et oriatur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius: et egrediemini et salietis sicut vituli de armento. 3. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis, sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. 4. Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel præcepta et iudicia. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. 6. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.

**VEIS 1** **E**CCE ENIM DIES.) *To enim dat causam præcedentium, q. d. In die iudicii videbitis quod intersit inter pium et impium, nec pios vane et frustra servivisse Deo. Ecce enim dies veniet, qui impios cremabit, sicut ignis stipulam: piis autem oriatur Sol iustitiæ. Dies hic est dies iudicii extremi: huius enim solius præcursor erit Elias. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Remig. Lyran. et alii, uno excepto Aria, qui per diem accipit diem quo Christus et christianismus orbi illuxit: ille enim impiis fuit quasi caminus, eorum impietatem manifestans, redarguens et comburens; piis vero fuit quasi sol iustitiæ, et sanitas, tum mentis, tum corporis. Sed hoc præposterum est, et mysticum.*

**SUCCENSA.**) Igne, tum spirituali et mystico, puta ar-

**D**enti ira et ultione Christi iudicis, qua impios a piis separabit, eosque ad tartara damnabit et præcipitabit, iuxta illud Daniel. 7. v. 9. *Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius: millia millium ministrabant ei; et decies milia centena millia assistebant ei: iudicium sedit, et libri aperti sunt.* Ita S. Hieron. Remig. et Clarius; tum vero et proprio, puta igne conflagrationis mundi, qui præbit iudicium; et igne inferni, qui statim post iudicium damnatos in gehennam convolvit, et celerrime abripit quasi stipulam. Ignis enim conflagrationis secernet impios a piis; tum quia eos gravius uret, gravioremque necem et stragem pro demeritis inferet, quam piis: tum quia separabit eos loco et statu in die iudicii, ut ad sinistram iudicis

Duplex  
præmium  
Beatorum.

Vers. 18.

Dies iudicii igne succensa duplici.

quasi hædi mactandi consistant, ibique eis quasi carnifex assistet, ut post iudicis sententiam illico eos in tartara quasi turbo deturbet: ita Lyranus et Vatabl. Huc allusit Apostolus 1. Corinth. 3. 13. cum diem iudicii describens ait: *Uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit.* Vide ibi diæta.

Moral. Nota impiis suis peccatis succedere sibi hunc ignem, ut docet Isaias c. 50. 11. *Ecce, inquit, vos omnes accendentes ignem, accincti flammis: ambulatote in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.* Vide ibi diæta. Sic Babylonii succedentes fornacem, non tribus pueris, qui in ea Dei virtute illæsi manserunt; sed sibi ipsis eam accenderunt. Nam *erupit flamma, et incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis,* Daniel. 3. 48.

QUASI CAMINUS.) Septuag. *sicut clibanus*; alii, *sicut furnus*. Cogita horrorem fornacis et incendiï Babyloniei, in quo effundebatur flamma super fornacem cubilis quadraginta novem, Daniel. 3. 48. Cogita fornacem, qua cælesti igne combusta est Sodoma et Pentapolis, Genes. 19. Cogita incendia arcium et urbium, si quæ unquam oculis speetasti; et scito hæc tantum fuisse umbram et scintillam huius camini, quo igne cælesti conflagrabit totus orbis, omniaque quæ in eo sunt, puta domus, templa, arces, villæ, urbes, arbores, animalia, homines, cæteraque universa, ita ut tota terra videatur esse furnus et clibanus ardens. Rursum hic caminus et ignis conflagrationis mundi, tantum erit umbra et scintilla ignis gehennæ, ubi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum, Apocal. 19. 3. Hunc ignem tibi propone, cum te libido, superbia, ira, demon vel mundus ad scelus sollicitant.

ET ERUNT OMNES SUPERBI, ET OMNES FACIENTES IMPIETATEM, STIPULA.) Hoc est, quasi stipula, instar stipulæ, q. d. Superbi et potentes, qui in hæc vita erant fortes, ferrei et auci, ita ut nemo auderet eis resistere, ipsi vero auderent pugnare cum Deo; hi in die iudicii erunt infirmi, imbelles et invalidi ut stipula, quæ igni resistere nequit: quia ab efficaci et potenti ultione Dei, quasi stipula correpti, celerrime cremabuntur; nec tamen consumuntur, sed servante eos Deo ad æterna tormenta, semper manebunt vivi, ut semper ardeant. Ecce tunc apparebit non fuisse vanos eos qui serviverunt Deo, sed vanos et stultos qui serviverunt veneri, ambitioni et Mammonæ: quia pro modico honore, pretio et voluptate accersiverunt sibi æternos ardores: pii vero per modicum despectum, paupertatem et dolorem accersiverunt sibi gloriam æternam.

QUÆ NON DERELINQUET EIS RADICEM ET GERMINEM.) *Et*, id est *nee*. Est proverbium, significans plenam excisionem et perditionem, q. d. Dies illa iudicii igne suo ita afflabit, excindet et perdet impios, eorumque opes, delicias, felicitatem et gloriam, quasi stipulam, ut non tantum hæc omnia, sed et omnis boni spem in æternum eis adimat, eosque in æternam mortem et ignem præcipitet; sicut arbor, aut potius stipula succisa, vel evulsa radice, ac succensa non potest repullulare in germen, et renasci: ita S. Cyrill. et Albert. Secundo, Lyranus per radicem intelligit spem redeundi ad statum gratiæ et meritum, q. d. Impiis in die iudicii nulla supererit spes errores et lapsus suos corrigendi, nulla spes poenitiæ et veniæ, nulla spes redeundi ad Dei gratiam, nullum tempus dabitur satisfaciendi, aut merendi vitam æternam. Prior sensus litteralis est, posterior moralis.

Vers. 2. ET ORIETUR VOBIS TIMENTIBUS NOMEN MEUM SOL IUSTITIÆ.) *Iustitiæ*, tum proprie diætæ, tum naturalis et symboliæ, hoc est, salutis, gloriæ et felicitatis. Iustitia enim naturæ congrua, et quasi debita, est eius integritas, salus et decor. Hinc iustitia, æque ac salus, subinde in Scriptura capitur pro munditie, claritate et splendore, ut psal. 131. 9. et 16. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Et, *Sacerdotes eius induam salutari*; ubi Chald. pro iustitiam vertit, munditiam, uti et hic pro Sol iustitiæ, vertit, *sol puritatis*: Et Isaiæ 61. 10. *Induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiæ circumdedit me*, hoc est, in-

duit me undequaque mundissima veste per Christum salvatorem. Idem enim est vestimentum salutis, et indumentum iustitiæ: posterior enim versus explicat priorem: ita Prado in Ezechuelem c. 16. 4. sub linem. Iustitia ergo hic est salus, decor et gloria; unde explicans subdit: *Et sanitas in pennis eius*: Iustitia enim soli debita, est eius splendor, et vis sanandi. Iam Theodoret. Arias, et Clarius hæc accipiunt de primo Christi ortu et adventu in mundum, quem ipse quasi sol oriens illuminavit, calefecit, omnique gratia et virtute fecundavit et vivificavit. Hinc dicitur *iustitiæ*, quia ex se radios iustitiæ dilapidat, quibus instillavit, et in dies iustificat peccatores quoscumque, qui eum intueri, id est, in eum credere, eique obedire volunt; sicut sol omnibus qui oculos ad se convertunt, lucem, lætitiæ et vitam impertit. Secundo, oriens sol est instar sponsi de thalamo suo prodeuntis; ita Christus est sponsus Ecclesiæ. Tertio, sol est instar gigantis in stadio, a carceribus ad metam inoffenso cursu properantis: ita Christus princeps omnipotens potenter gloriosum gratiæ suæ cursum absolvit, ut a nemine præpediri possit. Quarto, sol non exspectat preces, sed statim refulget, et omnibus videntibus lucem vitamque affert. Ita Christus prior dilexit nos, et eum inimici essemus prævenit, sponteque sua maximis beneficiis ditavit et ditat. Ipse est ergo noster Apollo, sanitatis præses; ipse rex omnium sæculorum, omnia nova luce, nova vita, nova pulchritudine exornans. Quinto, sol nubibus obvelatur, celipsim patitur, rutilus et ruber apparet: ita Christus carne assumpta velatus est, in cruce deliquium passus, illuminatus per resurrectionem, ruber et formidandus est iudex et vindex peccatorum. Verum hic agi de secundo Christi adventu, patet ex præcedentibus et seq. quæ omnia spectant ad diem iudicii, in quo Deus cuique pro meritis retribuet poenam vel præmium. Tunc ergo piis oriatur Deus et Christus quasi sol iustitiæ, impiis vero occidet. Primo et genuine, quia sicut sol obscura illuminat, et videnda ac conspicua oculis omnium exhibet; ita Christus piorum virtutem et iustitiam, quæ in hæc vita ab impiis obscurabatur et deprimebatur, in die iudicii illustrabit et clarificabit, et toti orbi conspicuam et gloriosam exhibebit: ita S. Hieron. Unde dicitur *iustitiæ*; Chald. *puritatis*, id est iustissimus, purissimus et sanctissimus: quia iustos et iustitiam hic oppressam, ibi splendescere et coruscare faciet. Secundo, quia sua claritate, maiestate et gloria radiabit quasi sol. Hinc eo moriente in cruce obscuratus fuit sol, ut indicaret veri solis occasum. Tertio, quia Sanctos mira lætitia afflicet, post longas ærumnes persecutionum et tribulationum huius vitæ, sicut sol post longas tenebras noctis oriens homines exhilarat: ita S. Hier. Theodor. Remig. Rupert. Lyranus et Vatabl. Quarto, quia ut sol dispellet omnem caliginem errorum, peccatorum, concupiscentiarum, tentationum, adducetque perpetuum diem veritatis gratiæ et iustitiæ. Quinto, quia solis lumen non est vulgare, quale est candelæ, lucernæ, ignis, stellarum, sed eximium et gloriosum: ita Christus in die iudicii lumine gloriæ illustrabit Sanctos in anima, beando illos visione Dei, quæ eis beatitudinem et gloriam æternam affert, et dote claritatis donabit eorum corpora. Nam, ut ait Christus Matth. 13. 43. *fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* Sexto, quia sicut sol *aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus et tenebrat*, ait S. August. lib. 2. de moribus Manich. c. 8. ita Christus iustorum mentes acuet et vegetabit in æternum, impiorum vero animos oculosque sua luce excecabit. Septimo, quia sol sua unitate hieroglyphicum est Dei, sua vero Trinitate symbolum est SS. Trinitatis: *In sole enim tria sunt, et separari non possunt, cursus, splendor, calor. Videmus enim solem in celo eurrentem, fulgentem, calentem. Divide ergo si potes, Arriane solem, et tum demum dicide Trinitatem*, ait S. August. serm. 1. de verbis Apostoli. Idem serm. 181. de Tempore: *Sol, ait, candor, et calor, et tria sunt vocabula, et tria unum. Quod candet hoc calet, et quod calet hoc candet: tria hæc vocabula res una cognoscitur: ita Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tres personæ in Deitate unum sunt, et individua unitas*

Christus est Sol iustitiæ ob quas analogias in primo suo adventu.

1.  
2.

3.

4.

5.

Christus in die iudicii proprie erit Sol iustitiæ ob septem analogias.

1.

2.

3.

5.

6.

7.

Sol dictus quia solus in mundo.

Manichæi solem esse naturam triangulam.

Anaxagoras ait solem esse lapidem ardentem.

Solis, id est Christi, gloria.

Samson, id est parvus sol, typus Christi.

recte creditur. Deus est ergo sol, quia solus ille colendus est, quo solo fruens, beatus fit cultor eius; et quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur, ait S. August. lib. 2. contra faustum 3. sol enim dictus est, quod solus, id est unus, dumtaxat sit in mundo, quodque solus cum est exortus, obscuratis omnibus aliis sideribus, appareat, ait Cicero l. 2. de Natura deorum. Quocirca Manichæi solem adorabant ut Deum, imo censebant ipsummet esse Christum, ut ibidem cap. 6. subdit S. August. His, inquit, obscenissimis pannis vestris conamini assuere ineffabilem Trinitatem, dicentes Patrem in secreto quodam lumine habitare: Filii autem in sole virtutem, in luna sapientiam; Spiritum vero sanctum in aere. Et paulo ante refellens eorum de sole figmenta: *Primo*, inquit, *cum navim quamdam esse dicitis: ita non tantum, ut dicitur, toto celo erratis, sed et natalis. Deinde cum omnium oculis rotundum effulgeat, eaque illi figura pro sui ordinis positione perfecta sit: vos eam triangulam perhibetis, id est, per quamdam triangulam exli fenestram, lucem istam mundo terrisque radiare* (sicut solis radii cum per foramen triangulare transeunt, mox iterum se colligunt, orbiculantur, et rotundi apparent, ut solem rotundum a quo manant, representent, uti docent Prospectivi, et patet ipsa experientia.) *Ita fit ut ad istum quidem solem dorsum cervicemque evertetis; non autem ipsum tam clara rotunditate conspiciunt, sed nescio quam navim per foramen triangulum micantem atque lucentem, quam confictam cogitatis, adoretis.* Ex adverso Anaxagoras censuit solem esse lapidem ardentem, ait idem S. August. lib. 18. Civit. cap. 41. Cum enim olim lapis in Ægos Thraciæ annem et cælo cecidisset, Anaxagoras (quem etiam prædixisse ferunt id futurum) affirmavit cælum omne ex lapidibus constare, solemque ipsum candens esse saxum. Quocirca Euripides eius discipulus in Phaethonte tragœdia, solem auream glebam nuncupavit. Eam ob causam Anaxagoras a Gleone impietatis accersitus, defensusque a Pericle discipulo, talentis quinque et exilio mulctatus est: ita Diogen. Laert. in eius Vita.

Ad Manichæorum errorem accedit Homerus, et ex eo Plinius lib. 2. cap. 6. Quare quæ Plinius elogia dat soli, nimis utique augusta et divina, tu Christo soli iustitiæ verissime assigno: *Planetarum, inquit, medius sol fertur amplissima magnitudine ac potestate: nec temporum modo terrarumque sed siderum etiam ipsorum exlicque rector. Hunc mundi esse totius animum, ac plinius mentem, hunc principale naturæ regimen ac numen credere decet opera eius testimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras: hic reliqua sidera occultat, hic rices temporum, annuumque semper renascentem ex usu naturæ temperat. Hic cali tristitiam descutit, atque etiam humani animi nubila serenat. Hic suum lumen cæteris quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principii litterarum Homero placuisse, in uno eo video.* Rursum Plato in Cratyllo triplex dat solis, etymon. *Ἡλιος, inquit, Dores vocant ἡλιος; ἡλιος autem fuerit, quod homines in unum eundemque locum congreget, ubi primum ortus est. Dici etiam possit videri ἡλιος ἡλιος, id est, quod semper rotatur, scilicet circa terram perpetuo quodam cursu.* Tertio, dicitur ἡλιος, quod res quæ e terra fiunt varie efformet: *ἡλιος enim id significat.* Tria hæc competunt Christo, qui est sol iustitiæ. Nam Primo, Christus omnes fideles in unam Ecclesiam a suo in orbem adventu congregavit, et iugiter congregat. Secundo, Christi oculus, cura et mens semper oberrat et volvitur circa Ecclesiam. Tertio, dotes et virtutes singulorum fidelium in Ecclesia varie efformat, uti docet Apostol. 1. Corinth. 13.

Hinc Christi typus et præcursor fuit Samson, Iudic. 13. 24. sicut enim Iudeis a Philistinis oppressis Deus nasei fecit Samsonem, qui populum suum ab hostium tyrannide liberaret, indeque vocatus est שמשון sciamson, id est sol lætitiæ, a שמש scemes, id est sol, et שש sas, id est gavisus est; vel potius Samson, est parvus sol, ut sit diminutivum a scemes, q. d. Israeli in tenebris, mœ-

rore et servitute constituto, ortus est solculus, id est parvus novusque sol, puta Samson iudex et vindex, qui tenebras hasce dispellat, et Iudæos nova luce, libertate et lætitiâ perfundat et recreet. Ita pariter Christus verus Samsou, orbi a peccatis et ærumnis oppresso datus est a Deo quasi sol oriens ex alto, qui peccata in primo adventu, sed ærumnas omnes et mortem in secundo fugabit et abolebit: tumque non amplius dicent: *Ubi est Deus iudicium?* Videbunt enim solem iustitiæ, puta Christum, qui iuste pro meritis puniet impios, et præmiabit pios. Plura de sole dixi Isaïæ c. 45. 6. ubi ostendi solem esse symbolum regis et multo magis Christi Domini, qui est rex regum.

Denique noster Martinus de Roa l. 1. Singular. c. 14. censet Christum vocari Solem iustitiæ, id est, verum iustamque amicum, qui radios suæ beneficiæ in fideles suos, quasi amicos effundat; solem enim apud sacros et profanos scriptores amicitiae esse symbolum, ob quinque analogias. Prima est, unicus est sol, et unicus debet esse amicus: plures stelle, plures familiares, iuxta illud Eccl. 6. 6. *Pacifici sint tibi multi, consiliarius unus e mille.* Secunda, sol Euripidi est aurea gleba, Homero restis aurea e cælo in terram demissa, eo quod ipse aurum gignat in imis terræ visceribus: ita amicus est aurum optimum, thesaurus ingens. Eccl. 6. 14. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.* Tertia, soli semper est æterna iuventa: sic amicitia perpetua et constans esse debet, nec temporum varietate labefactari, nec vetustate consumi. Quarta, sicut sol sua luce euncta collustrat, et viarum difficultates aperit, et qua sit eundum ostendit: ita etiam amicorum est commovere amicos; et vitæ pericula, et morum offensiones, et quæ vitare, quæ amplecti debeant monstrare. Ita dicitur Iudic. 5. v. 31. *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent, id est, radios emittant, quibus alii tum illustrent, tum etiam incendantur ad verum decus, veramque virtutem.* Quinta, sicut sol est benevolus et beneficus; sic et amicus. Dicitur ergo Christus per antonomasiam sol iustitiæ, id est, iustus verusque sol, benignus, liberalis, bona sua omnibus impertiens: *et sanitas in pennis eius, hoc est, in radiis eius; quia amicus fidelis est medicamentum vitæ et immortalitatis.* Eccl. 6. 16. *Sanitas ergo in pennis eius, quia ipse solatur mœrentes, recreat afflictos, confirmat labantes, iacentes excitat, iratos mitigat, omnibus denique omnia præstat officia amicitiae et charitatis.* Hinc nimirum est sol iustitiæ: quia nemo omnium est, qui hominibus vel commoderit magis, vel magis illuxerit, quam Christus. Hinc promittitur timentibus et amantibus Deum: magus enim amoris est amor: amicorum Dei præmium est Christus amicissimus.

Symbolice, S. August. Epist. 119. ad Ianuarium c. 3. *In Praverbiis (Ecclesiast. 27. 12.) legitur: Sapiens sicut sal permanet, stultus autem sicut luna mutatur. Et quis est sapiens qui permanet, nisi Sol iustitiæ, de quo dicitur: Ortus est mihi sol iustitiæ, et quem sibi non fuisse ortum in die novissimo plangentes impij, dicturi sunt: Et iustitiæ lumen non lucet nobis, et sol iustitiæ non ortus est nobis? Nam istum carnis oculis visibilem solem, oriri facit super bonos et malos Deus; qui etiam pluit super iustos et iniustos. Quis est ergo ille stultus, qui tamquam luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens a sole iustitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena convertit, et eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis. Et inferius: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Obscura videtur Ecclesia in tempore peregrinationis suæ, inter multas iniquitates gemens, etc. Orietur, inquit, in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec interficiatur luna: id est abundantia pacis in tantum crescet, donec omnem mutabilita-*

Sol typus veri amici ob quinque analogias: talis est Christus.

Symbol. Christus est sol, Adam est luna.

tem mortalitatis assumat. Tunc novissimu inimica destruetur mors, et quidquid nobis resistit ex infirmitate carnalis, unde nobis perfecta pax nondum est, consumetur omnino, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem.

**Tropolog.** irascenti et peccanti occidit, mansueto et iusto oritur sol iustitiæ. Unde S. August. homil. 13. inter 50. *Non debuit, inquit, occidere sol super iracundiam vestram, et multi soles occiderunt: transiit aliquando iracundia vestra, dies magni solis celebramus: illius solis, de quo dicit Scriptura: Orietur vobis sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius. Quid est in pennis eius? In protectione eius. Unde in psalm. 16. dicitur: Sub umbra alarum tuarum protege me. Et mox: Si ergo irasceris, ne occidas sol iste in corde tuo super iracundiam tuam, ne forte et occidas tibi sol iustitiæ, et in tenebris remaneas. Ne putetis autem quia nihil sit iracundia: Turbatus est præ ira oculus meus. Utique cui turbatur oculus, solem videre non potest; et si conatus fuerit videre, pœnu illi est, non voluptas. Notent hic pastores (quod nonnullos factitare vidi et audivi) ut plebem die solis, id est Dominico, convenientem ad ecclesiam, moneant de dimittenda ira, omniique peccato, eo quod ille sit dies Domini, in quo ortus est eis sol iustitiæ. Rursum S. Bernard. epist. 107. *Vobis, inquit, qui timetis Deum oritur sol iustitiæ. Manentibus igitur in tenebris filii dissidentis, evadit in novam hanc lucem lucis filius de potestate tenebrarum, si tamen iam fidenter Deo dicere potest: Particeps ego sum omnium timentium te.**

**ET SANITAS IN PENNIS EIUS.**) Hebr. כנפיה ביענא *biēnāphecha*, id est, *in alis eius*. Poeticæ pennas vocat radios, Primo, quia vestiunt, ornant et stipant solem, sicut pennæ aut comæ avem. Unde ab Homero vocatur auricomus sol. Et Virgil. initio 6. *Æneid.* loquens de Dædalo:

*Præpetibus pennis ausus se credere cælo. etc:*

*Redditus hic primum terris tibi Phæbe sacravit Remigium alarum.*

Sol enim vocatur Phœbus, quasi φῶς, a φῶς et βῆς, id est lux vitæ.

**Secundo**, quia sol celerrime movetur et quasi volat ut avis, iuxta illud de sole psal. 18. *Exultavit ut gigas ad currendam viam: a summo cælo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* Sol enim tam velox est, ut uno die naturali, id est 24. horis, conficiat millionem miliarium, et insuper 140. millia eorundem; quod tantumdem est, ac si totum terræ ambitum circumcurreret quinquagies, uti ex Astronomis docui Genes. 1. 16. Insuper sol oriens radios suos quasi pennas velocissimas, in momento spargit per totum hemisphærium.

**Tertio**, quia sol, præsertim oriens, utrinque radios in cam figuram expandit, ut videatur esse avis expansis alis, iuxta illud psalm. 138. 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo;* Hebr. *si sumpsero alas auroræ;* quæ verba de Christo intelligit S. August. *qui cum sumpsit pennas suas in resurrectione, iam corpore non gravatur.* Hinc Ægyptii solem pinxerunt quasi avem, longas spargentem pennas circumquaque, eamque vocarunt phœnicem. Phœnix enim non est avis vera, sed symbolica, puta sol, ut ostendi Gen. 7. 2. Hinc unicum dixerunt esse phœnicem, quia unicus est sol in mundo; eumque degere Heliopoli, id est, in urbe solis, atque interire et renasci, quia sol occidens vespere, mane rursus oritur et quasi resurgit, iuxta illud Ovidii *Metamorph.* 15.

*Una est quæ reparet, seque ipsa reseminet ales.*

Exstat apud Lactantium incerti Auctoris elegans carmen de phœnice, in quo tota eius historia, vel potius fabula enarratur, ubi inter cætera phœnicem vocat avem solarem. Inter cætera ergo sic de ea canit:

*Parcet et obsequitur Phæbo memoranda salcelles, etc.*

*Lulca cum primum surgens aurora rubescit,*

*Ter quater illa pius immergit corpus in unguis,*

*Et conversa novos Phæbi nascentis ad ortus,*

*Expectat radios et inbar exoriens.*

*Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,*

VOL. VII.

*Et mira lacrim voce ciere novam.*

Sicut omnes pene aves cum sole occidente dormire, et cum oriente vigilare incipiunt: unde mane cantillant, eandemque suo solem orientem salutant. Pergit Poeta de cauda et pennis phœnicis:

*Caudaque porrigitur fulvo distincta metallo,*

*In cuius maculis purpura mista rubet.*

*Clarum inter pennas insigne est desuper iris,*

*Pingere exu nubem desuper alta solet.*

*Equatur toto capiti radiatu corona,*

*Phæbæi referens verticis alta decus.*

*Effigies inter pavonis mista figuram*

*Cernitur, et mistam Phusidis inter avem.*

*Est levis et velox, regali plena decore:*

*Et raram volucrum turba salutatur evans.*

*Alituum stipata choro volat illa per altum,*

*Turbaque prosequitur muere lata pio, etc.*

*Ipsu sibi proles, suus est pater, et suus hæres:*

*Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi:*

**Ipsa quidem, sed non eadem, quia et ipsa nec ipsa est:**

*Aeternam vitam mortis adeptam bono.*

Nimirum phœnix est sol, cuius cauda, pennæ et comæ sunt radii in longum, latum et altum expansi, qui partim albicant, partim rubent, suoque loco in nube roscida faciunt iridem: atque puleher et speciosus est, æque ac magnificus et velox in incessu, uti pavo trahens post se elegans syrma caudæ, puta radiorum longe lateque expansorum: unde in ortu cum aves, animalia et homines salutant. Ipse sibi est pater, et filius, qui post occasum ex seipso quasi rursus oritur et renascitur, itaque continuo suo occasu continuum sibi parit ortum, et quasi vitam æternam, cuius æque ac resurrectionis est hieroglyphicum. Quocirca ad hoc phœnicis symbolum videtur hic alludere Malachias, imo illud ipsum suis verbis repræsentare, dum ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius.* Perinde ac nonnulli censent fecisse Iobum c. 29. 18. *In nitulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies;* ubi Tertull. legit: *Et sicut phœnix multiplicabo dies.* Græcum enim φῶνιξ apud Septuag. et phœnicem, et palmam, ob similem longævitatē, significat. Plinius enim lib. 7. c. 40. asserit phœnicem vivere 660. annis. Sic et Heb. חול *chol*, quod Noster Iob 24. v. 18. vertit palma, veteres Hebræi et moderni, R. Salomon, Tigurina, Caictan. vertunt *phœnix*. Unde Philippus Presbyter in Iob 29. Pieri, ait, potest, ut Iob in similitudinem avis illius (phœnicis) dicat se per mortem in cinere carnis, velut in nido pro tempore moriturum, et inde resurrecturum in gloriam et multitudinem dierum. Idem asserit Beda.

Quocirca phœnix est symbolum Christi (et consequenter Christianorum) morientis, et gloriose ex seipso et sua virtute resurgentis, uti ostendit Aldrovandus in phœnicæ. Porro sanitas est in pennis solis, quia sol suis radiis plantas, animalia et homines nocturno frigore languentes, torpentes et quasi emorientes excitat, roborat, vivificat, lætificat, itaque quasi omnium creaturarum languores et vulnera sua luce, radiis et calore sanat. Iam sensus est Primo, q. d. Veniet Christus, qui quasi phœnix, et sol iustitiæ oriens in mundo, quocumque suas alas et pennas, hoc est, radios suæ prædicationis (unde Syrus et Arabicus vertunt, *sanitas super linguam eius*) gratiæ et virtutis extendet, ibi omnes infirmitates corporis et animæ sanabit. Nam, ut ait S. Marcus cap. 6. 65. *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant:* uti hæmorrhœissa tactu fimbriæ, quæ quasi ala et penna erat (teste Hesychio homil. de S. Maria) vestis Christi, sanata est a fluxu sanguinis, Lucæ 8. 44. Rursus sicut sol sua luce fugat serpentes, lupos, tigrides, omnesque feras savas et noxias; ita Christus sol iustitiæ suo adventu in orbem dæmones effugavit, idola contrivit, peccata delevit, mundumque infirmum, imo mortuum sanitati et vitæ restituit: ita Theodoret. Idem facit quotidie, dum exoritur in fidelium animis, sive peccatorum, sive iustorum. Nam ex eis vel dæmones, et peccata gravia, vel levia, concupi-

Pennæ solis sunt radii, cur?

Solis velocitas quanta.

Phœnix non est aliud quam sol.

Alludit Malachias ad phœnicem.

Phœnix symbolum Christi morientis, et resurgentis.

Sol sabbat, et Christus. I.

scientias, tentationes, malas cogitationes, omnesque infirmitates depellit et sanat, ut homo sibi redditus, sanus et vegetus incipiat operari opera non tantum sancta, sed et heroica, quibus perfectionis Christianæ apicem et culmen conscendat. Verum quia hic agitur non de primo, sed de secundo adventu Christi, quo ipse iudex, quasi sol iustitiæ, piis in hac vita afflictis et oppressis suum robur, decus et gloriam restituet, imo in immensum auget; hinc

II. Secundo et genuine, hæc cum eodem Theodor. Rupert. Lyrano et aliis accipias de sanitate, quam consequentur Beati a Christo in die iudicii, q. d. O viri pii, gemitis in hac vita, quod iniuste ab impiis opprimamini, incarcerationum, libertate privemini, uti vos, o Iudæi, in Babylone, quasi in carcere caeco a Chaldæis conclusi fuistis: verum attollite animos, sustinete fortiter. En brevi orietur vobis sol iustitiæ, puta Christus iudex, qui illorum iniustitiam, et vestram iustitiam coram toto orbe celebrabit, et remunerabitur. Rursum in hoc sæculo affligimini mille infirmitatibus et ærumnis, ut spoliatione honorum, paupertate, squalore, mœrore, fame, siti, morbis, verberibus, vulneribus, morte et martyrio. Tolerate: en brevi sol iustitiæ pennas, id est radios sanitatis suæ, in vos diffundet, quibus omnia vestra vulnera, omnes plagas, omnes mœrores et infirmitates dispellet, uti sol tenebras, easque pleae et perfecte sanabit. Nam corpora vestra afflicta et corrupta et sepulcris et cineribus suis educet, resuscitabit, beabit et glorificabit, ut saliat quasi vituli de armento. Quocirca sanitas hæc multa complectitur: Christus enim in resurrectione omnes ægritudines non solum corporis, sed et animæ persanabit. Sanitas ergo corporis primo, erit ipsa eius resurrectio; secundo, immortalitas; tertio, impassibilitas, ut nec ab igne, nec a gladio, nec ab hoste, nec a dæmone, nec ab ulla re creata amplius lædi aut pati possit; quarto, agilitas; quinto, subtilitas; sexto, claritas; septimo, felicitas; octavo, gloria, puta omnis decor, omnis honor, omnis suavitas, omnes deliciae, omnes opes, omne quod delectat.

Sanitas corporis resurrectio o triplex.

Sanitas animæ beata triplex.

Sanitas vero animæ erit Primo, lætitia inenarrabilis, quæ omnem mœrorem a mente, et omnem lacrymam ab oculis absterget, iuxta illud Isaie 35. 10. *Lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium et lætitiæ obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Secundo, integritas omnium animæ virium: nam, ut ait S. Prosper. libr. 1. de Vita contempl. cap. 4. *Ibi erit intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine evagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo.* Anima enim per peccatum Adæ sauciata est in intellectu, per obscuritatem et ignorantiam; in voluntate, per proclivitatem ad bona caduca; in irascibili, per varios metus et formidines; in concupiscibili, per infirmitatem et concupiscentiam multiplicem, etc. Christus in cælo hæc omnia sanabit, dando intellectui lumen et scientiam, voluntati constantiam in bono, irascibili heroicam fortitudinem, concupiscibili honestatem et rectitudinem, ut nil nisi honestum et rectum concupiscat. Tertio, sanitas animæ erit lumen gloriæ, visio et fructio Dei, ac dotes gloriosæ quæ ex ea consequentur, et derivabuntur in omnes animæ vires et potentias, et ex illis in corpus: unde S. Augustinus epist. 56. ad Dioscorum: *Tam potenti, ait, natura Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine, quæ in fine temporis sanctis reprobatur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanctitatis, id est, incorruptionis vigor.*

Moral de patientia et fortitudine

Moral. hæc sibi applicant, ruminantque Martyres. En patimur pro Christo, unguis laceramur, dentibus ferarum laniamur, scorpionibus discerpimur, catastis distendimur, gladiis truncamur, ignibus torremur: veniet ecce, et brevi veniet sol iustitiæ Christus iudex, qui membra nostra lacerata, laniata, diseissa, truncata, tosta restituet, sanabit, et æterna gloria decorabit. Hæc cogitabas, o S. Laurenti, cum in craticula assereris, et tamen insultabas tyranno. Hæc ruminabas, o S. Vincenti, cum

A non tantum omnia corporis tormenta, sed et Dacianum tyrannum generose vicisti. Hæc meditaberis, o S. Christina, cum a patre tuo idololatra, quasi carnifice flagris concisa, defluentes carnis particulas in vultum patris proiciens, dixisti: *Recipe, o tyranne, carnem quam generasti.*

Dicant et pœnitentes: *Affligimus nosmetipsos ieiuniis, vigiliis, ciliciis, plagis: propter te, o Christe, mortificamur tota die, quia speramus carnis resurrectionem, in qua tu illam emaciatam, lividam, contractam, emortuam, nobis succulentam, roseam, floridam et radiantem restitues; quando nimirum reformabis corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis tuæ.*

Dicant et mœrentes, certantes ac luctantes: *Ecce lugemus in præsentī vita, mœsti flemus, suspiramus, ingemiscimus: nunc caro, nunc mundus, nunc dæmon nos tentat: nunc scrupuli angunt, nunc suspiciones et timores deprimunt, nunc cholera irritat, nunc calumniæ, probra, irrisiones affligunt, nunc labores fatigant, nunc dolores bene exanimant, etc. Illucesce o sol iustitiæ: penuas et radios sanitatis tuæ in nos diffunde, ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus. Eia Domine aspiret dies sanitatis, et inclinentur umbræ infirmitatis. Eia aspiret dies æternitatis, et inclinentur umbræ mortalitatis, ut pulsis mœroribus, timoribus, scrupulis, tentationibus, doloribus, aspiret menti nostræ pax, serenitas, robur, integritas, gaudium et iubilus sempiternus. Quoties ergo te infirmitas animi, quoties dolor corporis premit, cogita: Orietur brevi sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius. Illum suscipe, illum invoca, illi spem mentemque affige: ita phœnix eris.*

Audi illi inhiantem S. August. in Meditat. cap. 19. *O Sempiterna domus Dei luminosa et speciosa, dilexi decorem tuum, et locum habitationis gloriæ Domini Dei mei: tibi suscipe peregrinatio mea nocte ac die, tibi inhiat cor meum, tibi intendat mens mea, ad societatem beatitudinis tuæ pervenire desideret anima mea: dico ei qui fecit te, ut possidet me in te, quia ipse fecit me et te.* Et paulo post: *O Ierusalem domus Dei æterna, post Christi dilectionem tu esto lætitia et consolatio mea: dulcis memoria tui beati nominis, sit revelatio mœroris lædiorumque meorum. Tædet enim me Domine valde vitæ huius, et istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vitæ incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superbiorum, plena miseris et erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors, in qua momentis singulis morimur per varios mutabilitatis defectus, diversis generibus mortium. Numquid ergo hoc quod vivimus in hoc mundo, dicere possumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores arsicant, aer morbidat, esæ inflant, ieiuniis macerant, ioci dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ inflant et iactant, paupertas deiecit, iuventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimat? Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miseræ vitæ ita finem imponit, ut cum esse desiderit, non fuisse putetur. Mors ista vitalis, et vita mortalis, licet*

Aug. ad vitam beatam.

C *his aliisque sit respersa amaritudinibus, proh dolor! quam plurimos suis capit illecebris, et quam multos suis falsis promissionibus decipit. Deinde sanitatem quam alleret Christus iudex suis electis, ita depingit: O tu vita, quam præparavit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secunda, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate et mutatione, vita totius elegantis et dignitatis plenissima: ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, et timor nullus: ubi dies æternus, et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua: avido corde quanto plus valeo tecum considerare, tanto plus amore languo: tuo vehementi desiderio, tuæque dulci memoria admodum delector.*

**EGREDIEMINI.**) Scilicet de hoc sæculo et vita, quasi de carcere, ut ingrediamini in alteram beatam et immortalē: ita S. Hieron. Remig. Albert. et Vatabl. Aut potius, *egrediemini* in die iudicii (de eo enim hic agitur) de sepulchris, cum Christus sol iustitiæ suis pennis, id est radiis gloriæ, vos resuscitabit et sanabit, aspirans vobis vitam gloriosam: ita Theodor. Unde et Tertull. lib. de Resurrect. carnis, cap. 31. legit: *Exibitis de sepulchris, veluti vituli de vinculis soluti.*

**ET SALIETIS SICUT VITULI DE ARMENTO.**) Hebr. **וְשָׂפָא** *sapaa* significat crescere, impinguari, luxuriari, lascivire, saltare ex pastu, gaudio et petulantia, uti faciunt vituli saginati. Unde Chald. Tigurina et alii vertunt, *augescetis, vel pinguescetis sicut vituli saginæ*; Pagnin. *sicut vituli saginati*, id est utiles; Septuag. *saliētis sicut vituli de vinculis relaxati, et soluti*, ut legit Tertull. l. de Resurrect. carn. c. 31. vituli enim præ aliis animalibus saliunt, et petulei sunt (unde vitulus dicitur a vitulando, id est, lasciviendo.) Hinc vinculis constringuntur, ideoque dum his exsolvantur, quasi carcere liberati, præ gaudio mire exiliunt (uti et pueri e scholis emissi) præsertim dum saginantur: tum enim sanguine et spiritibus vitalibus abundant. Porro vituli teneri, domi in stabulis saginantur lacte; maiores vero in pascuis cum armento, id est, grege boum et vaccarum. Unde Noster vertit, *sicut vituli de armento*, id est, sicut vituli armenti, qui cum armento pascuntur, ideoque iuxta suas matres aliosque vitulos et boves sibi congeneres, sibi que similes, lætabundi exultant. Omne enim animal gaudet sibi simili, cum eo que delectatur, et si iuvenem sit exultat. Unde Rupert. et ex eo Delrio adagio 1027. *vitulum de armento*, explicat *vitulum armentarium*: nam qui cum armento vagatur, vinculo liberatus est, ideoque exilit. Aut *vituli de armento*, id est, separati ab armento, positique in stabulis, ut ibi saginentur. Significat hæc phrasi Malachias miram exultationem piorum, qui in hoc mundo quasi in carcere ab impiis (velut Iudæi in Babylone a Chaldæis) pressi et oppressi fuerant, in resurrectione a Christo ita sanandos, ut sint succulenti, speciosi, fortes, imo gloriosi, ideoque quasi vituli saginati incredibili gaudio exultent, iuxta illud Sapient. 3. 7. *Fulgebunt iusti sicut sol; et sicut seintilla in arundine discurrent.* Unde Mariana sic explicat: *Saliētis*, inquit, id est, præ gaudio choreas plaudetis, iuxta illud Psal. 149. 3. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Vox ergo saliētis*, significat primo, plenam sanitatem, robur et vigorem corporum beatorum; secundo, lætitiā ingentem. Unde Vatabl. vertit, *dissiliētis huc illuc*; tertio, dotem agilitatis, inquit Suarez 3. p. q. 54. art. 4. disp. 44. sect. 4. ex Innocentio III. qua instar vulguris discurrent eclerrime quaquaversum, ut ubi voluerit esse spiritus, ibi protinus sit et corpus, iuxta illud Isaia 40. v. ult. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assumunt pennas ut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Unde S. Anselm. lib. de Similitud. cap. 51. asserit Beatos in agilitate similes fore angelis, quia a cælo ad terras dieto cilius dilabuntur; impios vero præ pondere neque pedes, nec manus, nec aliud corporis sui membrum moturos, aut movere posse. Et c. 52. docet beatum, si velit, posse terram loco suo movere; damnatum autem nec vermes ab oculis amovere. Huius rei symbolo sancta illa animalia Ezechiel. 1. v. 14. *ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*

Quarto, vox *saliētis* significat mutationem ingentem Beatorum, per saltum quem e terra faciunt in cælum. *Saliētis* ergo e cæno ad cælum, e morte ad vitam, ex æruminis ad gloriam, e sepulchro ad thronum Dei et Agni. Ita sponsa, id est Ecclesia Beatorum, imitabitur sponsum Christum, de quo Cant. 2. 8. ait ipsa: *Vos dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transitiens colles. Similis est dilectus meus capræ hinnuloque cervorum.* Christus enim ingentes dedit saltus, dum e cælo salit in uterum Virginis, ex utero in præsepium, e præsepio in erucem, e eruce rediit in cælum.

**Quinto**, ecclestes choros et choreas, ovationes et plausus Beatorum. Alludit ad Iudæos, qui transito mari rubro et submerso Pharaone, sacros choros præcincte Maria duxerunt, Exodi 15. 20. ac peracta peregrinatione 40. annorum per desertum, quiete et læte incolentes terram promissam, quæ typus erat cæli et ecclestis beatitudinis, in festo tabernaculorum, inter alia lætitiæ signa, tenentes manibus palmas saltabant, et choreas ducebant; uti ostendi Levit. 23. 40. Quo anagogice representabant choros Beatorum in cælis, ubi peracta victoria palmati, perenne agent festum tabernaculorum: iuxta illud, *Laudate eum (Dominum) in tympano et choro*, Psal. 150. 4. Et: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilante Deo in voce exultationis*, Psal. 46. 1. Et, *Sancti eius exultatione exultabunt*, Psal. 131. 16. Et Psal. 67. 26. *Prævenierunt principes coniuncti psallentibus in medio iuvenearum tympanistriarum*. Et Psal. 125. 6. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Licet enim chorea mundanorum sit mollis et lasciva, cælitum tamen est casta et angelica. *Sic vinum bibas ut Cato, sic terram pede pulses ut Scipio*, inquit ille. Scipio enim imperator, inquit Seneca lib. de Tranquil. in ludis et festis corpus movebat ad numeros, et tripudiabat, non molliter, sed viriliter, non factorus nominis sui detrimentum, etiamsi ab hostibus spectaretur. Simili modo David saltavit totis viribus ante aream, 2. Reg. 6. 16. et Israelitides coram Saule et Davide percussu Goliath, choros agentes cantabant in tympanis et sistris: *Percussit Saul mille, et David decem millia*, 2. Reg. 18. 7. ac Iephthæ victori a cæde hostium redenti occurrit filia cum tympanis et choris, Iudic. 11. 34. *Chorea mundana*, inquit Conradus Clingius in locis Theologicis, c. de chorea, *est circulus, cuius centrum est diabolus, et circumferentia omnes angeli eius. At chorea ecclestis est circulus, cuius centrum est Agnus, et circumferentia omnes virginis et electi eius.* Hinc Cantic. 7. 1. dicitur: *Quid vilebitis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Et Jerem. cap. 31. 4. de Ecclesia tam militante, quam triumphante ait: *Ædificaberis virgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium.* Et Lucæ 15. 25. senior filius in convivio iunioris reductis et redivivi, audivit *symphoniam et chorum*; nimirum hunc chorum poseunt nuptiæ Agni, quas scilicet cum Christo sponso perennes celebrabit Ecclesia Apoc. 19. 9. et c. 21. 2. Quocirca S. August. in Meditat. c. 22. *Ultimam*, inquit, *illis sanctissimis choris interesset, ut cum beatissimis spiritibus gloriæ conditori assisteret!* Et S. Athanasius, vel potius Anastasius (cital enim quæst. 3. et 8. Epiphanium et Nyssenum, qui Athanasio fuere posteriores) ad Antiochum quæst. 33. *Sanctorum*, inquit, *animæ a S. Spiritu incitatæ, cum angelis in regione vivorum Deum laudant et tripudiant.*

**ET CALCABITIS** (Tigurina, *conculcabitis*) **IMPIOS.**) Tertull. lib. de Resurr. carnis c. 31. *Conculcabitis inimicos.* Vers 5. Primo, quia eos sub pedibus habebitis: impii enim in valle Iosaphat iudicandi consistent; pii vero rapiuntur obviam Christo in aera, ibique cum eo sedebunt quasi Iudices. Secundo, quia tanto gaudio afficiemini, quanto afficeremini si nunc calcaretis inimicos vestros, q. d. Eritis superiores improbis, eisque dominabimini. Tertio, quia quasi assessores Christi iudicis damnabitis impios; unde Pagnin. vertit, *diructis impios*. Quarto, quia per demones quasi lictores et executores sententiæ vestræ deturbabitis eos in tartara, ubi erunt *quasi cinis sub planta pedum vestrorum*, id est, instar cineris comminuti et humiliati, nempe contemptissimi et abiectissimi. Rursum cinis notat ignem gehennæ, ait Vatabl. in illo enim erunt impii *quasi cinis*, id est, adurentur ut cinis, non quod incinerandi et in cinerem redigendi sint, sed quod sicut cinis in igne semper perdurat, ita in eodem perdurant et impii in æternum. Quid enim impiis, æque ac cinere, vilis, miserius, squalidius, aridius, sterilius? ita Catullus:

*Troia nefas, commune sepulchrum Asie Europæque Troia virum, et virtutum omnium acerba cinis.*

Et P. Sabinius:

Dos agilitatis.

Par angelis pene.

*Iam cinis, et tantum flebile Troia solum.*

Seneca in Herc. Fur.

*Cadmæ proles, atque Ophionius cinis quo recidistis?*

Claudian. in Eutropium:

*Migdonii cineres, et si quid restat Eoi*

*Quod percat regni.*

IN DIE QUA FACIO.) Id est, faciam, scilicet in die iudicii, quando faciam vos calcare impios, sicut ipsi in hac vita conculcarunt vos, iuxta illud Psal. 149. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum: Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: Ad alligandos reges eorum in compe-dibus, et nobiles eorum in manicis ferreis: ut faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Et Sapient. 3. 8. *Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis.* Et Matth. 19. 28. *Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Vers. 4

MEMENTOTE LEGIS MOYSI.) Hinc Iudæi contendunt probare, legem Moysi non fuisse abolitam per Christum, sed duraturam usque ad diem iudicii: de eo enim hic in præcedentibus et seq. agitur. Respondet Primo, Rupert. Lyran. et Vatabl. per legem hic intelligi præcepta moralia, quæ durant etiam tempore legis novæ. Verum obstat, quod legem hanc explicans subdit Malachias, *præcepta*, hebr. *חוקים chukim*, id est, sanctiones circa sacra et ritus, puta præcepta ceremonialia; et *iudicia*, id est, præcepta iudicialia. Secundo, alii sic explicant: *Mementote legis Moysi*, ut scilicet in eius caeremoniis, ritibus et iudiciis intueamini Christum et Ecclesiam eiusque Sacramenta; et *iudicia*, quæ in illis figurantur. Moses enim expresse de Christo audiendo ita Iudæis præcepit: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*, Deuter. 18. 15. ita S. Hieron. Theod. Arias et alii. Verum et hoc acrius et coactius videtur. Nam iubere ut meminerint legis, est iubere ut eam opere compleant, eiusque sanctiones caeremoniales et iudiciales observent. Hoc autem non potuit Malachias iubere Iudæis pro tempore Christi, et legis Christianæ.

Dico ergo, Prophetam loqui Iudæis sui ævi, et posteris eorum futuris usque ad Christum: toto enim hoc tempore duravit et obligavit lex Moysi. Ad eam ergo servandam Iudæos sui temporis adhortatur, quia ipsi in ea servanda refraxerant, præsertim in præceptis caeremonialibus de dandis decimis et primitiis, uti vidimus e. 3. 8. Illos ergo excitat, eisque dat acrem stimulum ad legis observationem, scilicet representationem diei iudicii, q. d. Vide-te ut leges omnes a Mose præscriptas observetis, tam quæ Dei cultum, quam quæ ius proximi spectant. Nam Deus in die iudicii legis servatæ, vel non servatæ exactam a singulis rationem requiret, ac eam observantes glorificabit, non observantes condemnabit. Nolite ergo dicere: *Ubi est Deus iudicii?* uti dixistis cap. 2. 17. Nec: *Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus præcepta eius?* uti dixistis e. 3. 14. In die enim iudicii videbitis Christum esse Deum iudicii, nec vane vos servisse Deo, et præcepta eius custodisse. *Tunc enim orietur vobis Sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius, et egredietur, et sabietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios*, etc. ita Remig. Albert. Hugo, Vatabl. Arias et alii.

Perperam ergo Victorinus et Maldonatus in Matth. 17. ex hoc Malachia loco, et ex Apoc. 11. 6. censent eum Elia venturum, non Henoch, sed Moysen, ut ambo certeet contra Antichristum.

IN HOREB.) In Sina, ut dixi Exodi 17. 6.

Vers. 5.

ECCE EGO MITTAM VOBIS ELIAM.) Post exhortationem suorum ad legem Moysi servandam, quam obiter inseruit Propheta, hic redit ad diem iudicii, eiusque prodromum assignat Eliam.

Quæres, quisnam hic Elias? Calvinus, et nonnulli Catholici, ut Burgensis, Arias, Clarius, censent esse Ioannem Baptistam: quia de eo, ad hunc Malachia locum respiciens Christus Matth. 17. 10. ait: *Elias iam venit*, sei-

alicit Ioannes Baptista, uti mox explicat S. Matth. Et e. 11. 14. *Omnes Prophetæ et lex usque ad Ioannem prophetaverunt. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.* Alii Novantes per *Eliam* accipiunt quoslibet Prophe-tas a Deo in orbem mittendos. Verum dico, certum est per Eliam hic verum Eliam accipi, non Ioannem Baptis-tam, aut chorum Prophetarum. Probatur Primo, quia Septuag. hunc Eliam vocant *Thesbiten*: sic enim habent codices Vaticani et alii, ut mirum sit in Regiis *Thesbi-ten* deesse. Sic et versio Arabica, *ecce, ait, ego mittam vo-bis Eliam Thesbiten, ante apparitionem diei Domini ter-ribilis*. Ergo de vero Elia hic est sermo: nec enim Ioan-nes Baptista fuit Thesbiten. Secundo, quia Elias hic erit præcursor secundi adventus Christi ad iudicium: hic enim erit *dies Domini magnus et horribilis*: Baptista vero preivit primum Christi adventum in mundum. Tertio, quia eum Elias veniet, veniet et Christus percussurus terram a-nathemate, uti indicat Propheta v. ult. Hoc autem fiet in se-cundo adventu. Nam in primo venit salvare mundum, non perdere aut percutere. Quarto, ita ad hunc locum allu-dens explicat Eccl. e. 48. 10. dicens: *Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.* Et Christus Matth. 17. 10. *Elias quidem, inquit, venturus est, et restituet omnia.* Quinto, quia ita interpretantur Patres Græci et Latini, Cyrill. Theodor. Remig. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. et alii hic, S. Chrysost. Euthym. Beda, Anselm. S. Thomas in Matth. 17. Hippol. lib. de Consummatione sæculi, Cyprian. tract. de Sina et Sion, Ephrem tract. de Antichristo, Prosper in Dimidio temp. e. 13. Tertull. lib. de Anima e. 35. Instin. dial. contra Tryphon. Nyssen. 1. Testimon. contra Iudæos, S. Aug. 20. Civit. 29. S. Greg. 11. Moral. 10. Andreas, Ambr. Haymo, Rupert. et Aretas in Apoc. cap. 11. Eadem fuit communis Hebræorum sententia, ut patet Matth. 17. 10. Idem de Elia prædixit Sibylla, dum ita canit:

*Tum quoque celesti curru devectus inibit*

*Terras de calce Thesbiten, signaque trina*

*Ostendet toti mundo vitæ pereuntis.*

Dices, S. Hieron. per *Eliam* accipit chorum Propheta-rum, qui præibit secundum Christi adventum. Resp. S. Hieron. mystice explicat Eliam, ut mox dicam, non litte-raliter. Nam Eliam in persona esse venturum, clare docet ipse in e. 11. et 17. S. Matthæi. Instabis, Quomodo ergo S. Hier. hic ait: *Iudæi, et iudaizantes hæretici ante adventum suum Eliam putant esse venturum?* Resp. quia Iudæi suum adhuc expectant Messiam, eiusque primum in mundum adventum, cuius præcursorem censent fore Eliam: hos redarguit S. Hieron. Et merito: est enim hic duplex eorum error. Prior, quod censant Christum non-dum venisse. Posterior, quod putent Eliam fore præcur-sorem primi adventus Christi, cum sit futurus præcursor secundi.

Ad argumentum initio ex e. 17. S. Matth. propositum respondeo, simillimos in officio, zelo, prædicatione et sanctitate fuisse, et fore Eliam et Ioannem Baptistam: quia hic fuit præcursor Christi in primo adventu, ille erit præ-cursor eiusdem in secundo adventu. Quocirca unus sor-titur nomen alterius, utpote cuius est antitypus. Ioan-nes Baptista enim vocatur Elias, non in persona; sed ob similem spiritum et virtutem, ut ait Gabriel, Lucæ 1. 17. *Ipscæ præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Distinguit ergo Christus duos Elias, unum ad litteram, de quo ait: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia*: alterum typicum, puta Ioannem Baptistam, de quo ait: *E-lias iam venit*. Iudæi enim confundebant duplicem Chri-sti adventum, eumque commiscebant in unum, ante quem venturus esset Elias, ac proinde aiebant necdum venisse Christum, eo quod necdum venisset Elias: quibus respon-det Christus, duplicem esse Christi adventum, et prioris præcursorem esse typicum Eliam, puta Ioannem Baptis-tam, uti prædixit Malachias e. 3. 1. posterioris præcur-sorem fore verum Eliam, ac proinde cum ipsi viderent Eu-liam typicum, credere debere iam venisse Christum, eu-

Eliam ventu-rum in fine mun-di probatur quin-que argumen-tis.



ius ipsum fore præcursores prædixerunt Prophetae.

Mystice, S. Hieron. et ex eo Remigius: *Post Mosen, inquit, cuius mandata specialiter docuimus esse seruanda, Eliam dicit esse mittendum. In Mose legem, in Elia prophetiam significans. Et Dominus atque Saluator transfiguratus in monte, loquentes habebat Mosen et Eliam in candidis vestibus, qui et dicebant ei quæ passurus esset in Ierusalem. Lex enim et omnis Prophetarum chorus Christi prædicat passionem. Et mox: Mittet Dominus in Elia (qui interpretatur Deus meus, et est de oppido Thesbi, quod conversionem et penitentiam sonat) omnem Prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios.*

Quæres primo: Cur hic Propheta iniiciat mentionem Eliæ? Resp. Primo, quia cap. 1. 10. et cap. 2. 2. prædixit reprobationem iudaismi et Iudæorum per Christum; ut ergo eos consoletur et Christo conciliet, prædicat hic eos rursus revocandos fore, et in pristinam gratiam recipiendos a Christo tempore Eliæ, per eius prædicationem et miracula. Igitur cum eum viderint, recipient quasi verum Eliam hic prædictum, ac in Christum quem Elias prædicabit, credent. Quocirca Iudæi avidè expectant Eliam, ut Christum ab eo designatum amplectantur. Hinc Rabbiorum de Eliæ gnome est: *Tisbi*, id est, Elias Thesbites, *solvat dura*, hoc est, nodos omnes et quæstiones. Ad Eliam enim remittunt, quidquid in Scriptura dubium et obscurum incidit, uti refert Quinquarboricus in Abbreviariis Hebr. Imo Iudæi etiamnum, quoties aliquem circumveniunt, ponunt ornantque Eliæ sellam, censentes eum in spiritu adesse, et zelari pro lege Domini, uti tradunt Rabbini in Thalmud tractat. *Berachot*, et R. David hic, et Galatin. lib. 10. cap. 6. Secundo, quia Malachias dixit v. 2. quod Christus timentibus Deum in die iudicii *oriatur quasi sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius; et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios*. Talis autem fuit critique Elias: unde congrue erit Christi præcursor. Fuit enim ipse, eritque sui ævi phœnix, imo sol illuminans, sanans et accendens amore Dei frigida hominum corda: unde et meruit curru igneo, quasi Phaethon rapi in cælum: hinc et Elias dictus est quasi *ελως*, id est sol, ait S. Chrys. de quo mox plura.

Cur Elias venit?  
I.  
Causa.

Quæres secundo: Cur Elias potius quam Moses, vel quis alius, futurus sit præcursor secundi adventus Christi? Resp. Primo, ob ingentem zelum, quo præ aliis Prophetis a Deo dotatus fuit Elias. Cum enim mitteretur a Deo ad corrigendos sæculi sui corruptissimi mores, et ad idololatricam ex Israele extirpandam, opus erat ei ad hoc perficiendum ingenti animi robore et zelo, quem proinde Deus ei indidit; eoque conflavit et debellavit tam impiissimam Iezabel cum Achab marito suo, quam omnes Prophetas Baal, quos et occidit, 3. Reg. 18. Simili zelo opus erit in fine mundi, quando refrigescet charitas, et abundabit iniquitas. Mittetur ergo zelosus Elias, ut eum Antichristo colligat, ut perversissimos illius ævi mores emendet, itaque viam sternat Christo venturo. Mosen, licet zelosum, non congruit redire, ne videatur legem veterem suo reditu restituere, et Iudæos in iudaismo confirmare: ipsi enim ad aliud non appellant, quam ad Mosen eiusque legem.

II. Secundo, quia Elias missus fuit a Deo ad tollendum schisma, quod fecit Ieroboam et decem tribus apostatantes a Iuda et a Deo, pro eoque adorantes vitulos aureos in Dan et Bethel. Simili modo mittetur in fine mundi ad tollendum schisma, quod olim fecerunt Iudæi a Christo et cæteris gentibus fidelibus, ut eos uniat Christo et Ecclesiæ. Iudæi enim ipsi credent, utpote Iudæo, et Prophetae suo, adeo in Scriptura celebrato, et promisso ad idem opus, quod olim fecit, iterum peragendum in fine mundi. Hanc causam dat Malachias cum subdit: *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum; et restituere*, id est, ut restituit Deo et avitæ fidei, *tribus Iacob*, ut ait Eccles. c. 48. 10.

III. Tertio, quia sicut olim sub Noe mundus periit diluvio, sic in fine peribit igne conflagrationis. Mittetur ergo Elias Propheta igneus, ut ignem instantem peccatoribus prænuntiet, eosque ad fidem et penitentiam accendat,

A quo hunc ignem evadant. Hinc Eccles. cap. 48. 1. *Surrexerit, inquit, Elias Propheta quasi ignis, et verbum eius quasi facula uridebat.*

IV.

Quarto, quia Elias ob zelum caelestem raptus est in cælum. E cælo ergo quasi caelestis Christi e cælo venturi testis adveniet, iuxta illud Eccles. 48. 9. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum, qui scriptus es iudiciis temporum* (id est, tempore a Deo iudicato et decreto) *tenere iracundiam Domini*. Adde id meruisse Eliam sua virginitate, et puritate angelica. Eum enim virginitatem fuisse, et quidem illo ævo singularem, docet S. Iguat. epist. 11. S. Ambros. lib. 1. de Virg. S. Epiphani. in Anchor. *Elias, ait, erat in virginitate, ut præcognita virginitatis immortalitatem prædicaret mundo*. S. Ephr. serm. de transfiguratione: *Aspexit, inquit, virgo veteris testamenti virginitatem novi, Elias nimirum Iouannem.*

V.

Quinto, quia Elias fuit dux et antesignanus Prophetarum, tum tempore, tum dignitate, tum sanctitate, tum libertate et efficacia prædicandi, tum rerum gestarum gloria: unde repræsentat totum chorum Prophetarum, ait S. Hieron. qui præit Christo, eique testimonium perhibet. Eadem de causa Elias apparuit Apostolis in Transfiguratione Christi, ut ostenderet ipsum esse Christum, sequere et omnes Prophetas illi suum dare calculum, illique attestari quod ipse esset Messias orbis salvator.

VI.

Sexto, quia Elias Israelis et Iudæorum fuit custos, Propheta, doctor, protector, Apostolus. Veniet ergo, ut suos Iudæos per tot sæcula aberrantes a Deo, ad eum et Christum reducat. Unde Elisæus Eliæ dum in cælum raperebatur, succlamabat: *Pater mi, currus Israel et auriga eius*, qu. d. Tu o Elia pater mi, eras Israelis auriga et currus, quia cum tu auriga regebas et flecebas quocumque volebas, eundemque ut currus tolerando baiulabas, protegebas ac propugnabas contra Syros aliosque hostes. Unde Septuag. vertunt, *pater mi, currus Israel et equites eius*. qu. d. Tu, o Elia, eras totum robur, totus exercitus Israelis, qui magis eum servabas et defendebas tuo zelo, precibus et meritis, quam magna curruum et equitum multitudo. Præclare Tertull. lib. de Anima c. 35. citans hæc Malach. verba: *Elias, inquit, non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemplus, sed mundo reddendus, de quo est translatus, non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ, idem et ipse et sui nominis et sui hominis.*

VII.

Septimo, quia, sicut Elias curru igneo raptus in cælum, typus fuit gloriosæ ascensionis Christi in cælum; ita rursum typus fuit gloriosi regni Christi et Beatorum, quo in die iudicii triumphantes ascendent in cælum, ibi in æternum regnaturi. Apposite ergo gloriosus Elias præbit gloriosum Christi adventum, uti sol oriens præit solem meridianum. Fuit enim Elias sua sanctitate, zelo et raptu quasi *ελως*, id est, sol mundi. Vide S. Chrysost. serm. de ascensione Eliæ tom. 1. ubi triumphalem Eliæ currum depingens inter cætera ait: *Oportebat namque errantis populi rectorem, gubernatorem sacerorum, moderatorem dissipientium voluptatum, Israelis aurigam; ut quoniam ad iugum timoris Dei lascivos et vagos animos revocavit, frenis lorisque astrinxit, et ad iter disciplinæ recto tenore currendum concordè quatum copulatione composuit, ad regna caelestia curru atque equis transvolaret evectus*. Addit deinde: *Hinc Poetas atque pictores in figuranda solis imagine, exempla credo sumpsisse: qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans, et fluctu Oceani levatus inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad caelestia videtur ascendere. Sol enim Græco sermone *ελως* appellatur. Unde Elias vere *ελως*, quia curru et equis fulgentibus igne, de Oceani fluctu, id est, de mundi commotione, per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates, progrediens, ad caelestia devectus ascendit*. Erat enim Elias *vir cui totus mundus erat inferior*, ut idem ait homil. 15. inter 27. ex variis in S. Matth. locis.

VIII.

Octavo, quia Elias exemplum et typus est beatæ resurrectionis, quam in die iudicii Christus confert omnibus beatis et electis. Unde ex Epiph. in Anchor. S. August.

lib. 15. Civit. 19. Eliam et Henoch vocat primogenitos nostræ resurrectionis. Et Tertull. l. de Resurrect. carnis cap. 58. *Henoch et Elias*, inquit, *nondum resurrectione disjuncti, quia nondum morte functi: quia tamen de orbe translati, et hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni iniuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt, cuiusmodi fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?*

Moral. discite hic ex Elia, quanta virtus sit zelus, quantique Deus faciat zelosos, utpote quos velit sibi esse vicinos, suosque esse prodromos, præcursores et indices, uti fuit antitypus Elias, scilicet Ioannes Baptista; de quo Gabriel ait Zachariæ Lucæ 1. 17. *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ*. Talis fuit S. Paulus, dicens Rom. 8. 35. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia?* etc. Talis fuit S. Ignatius, cuius igneas epistolas, vitam et martyrium si quis legat, ignescet. Talis S. Franciscus, qui proinde adhuc vivens, sed absens, suis fratribus apparuit quasi sol in curru igneo, tamquam alter Elias zelator legis divinæ, suo ardore accendens orbem, eoque rapiendus in cælum. *Intellexerunt namque concorditer omnes sanctum patrem absentem corpore, præsentem spiritu, transfiguratum tali effigie, supernis irradiatum fulgoribus et ardoribus inflammatum; supernaturali virtute in curru splendente simul et igneo, sibi demonstrari a Domino, ut tamquam veri Israelitæ post eum incederent, qui vivorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat a Deo currus et auriga*, ait S. Bonavent. in Vita eius c. 4. De hoc suo zelo gloriatur Elias 4. Reg. 19. 14. *Zelo*, ait, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus sum ego solus, et querunt animam meam, ut auferant eam.*

Vers 6. ET CONVERTET COR PATRUM AD FILIOS. ) Varii varie hoc explicant. Primo, S. Hieron. hic, S. August. 20. Civit. 29. Greg. 11. Moral. 9. et ex iis Toletus, Lucæ 1. 17. sic explicant: Elias cor, id est mentem, patrum transferebat in filios, excitando, scilicet in filiis idem cor, id est, eundem animum, fidem, desiderium et devotionem erga Christum, quod habuerunt eorum patres, ut eos filii imitentur et æmulentur, q. d. Elias sua prædicatione restituet et revocabit fidem et devotionem patrum, Patriarcharum scilicet et Prophetarum antiquorum erga venturum Messiam, in filiis, id est posteris, ut et ipsi viva fide et ardenti studio Christum, quasi Messiam iam præsentem amplectantur; itaque ignitum patrum erga Christum desiderium, iam multis sæculis per infidelitatem et scelera extinctum accendit in filiis. Unde pro *convertet* hebr. est *חָשַׁב* *hoseeb*, id est, redire faciet, q. d. Elias faciet ut in filiis redeat cor, id est mens, fides et devotio patrum. Alludit *hoseeb* ad *Tisbi*, id est Thesbites; *Elias* enim hebr. idem est quod *Deus meus*. *Tisbi* significat conversionem ad penitentiam, restitutionem et revocationem, q. d. Elias iuxta nomen suum et patriam erit Thesbites, quia convertet suorum corda per penitentiam ad Deum suum; itaque omnia in integrum restituet et revocabit: ita S. Hieron. Hoc est quod ait Christus: *Elias venturus est et restituet omnia*, Matth. 17. Et Eccli. c. 48. 10. *Veniet Elias conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob*, id est, Elias duodecim tribus collapsas a vetera veritate patrum fide et religione, in pristinam et avitam pietatem restituet: per cæcitatem et perfidiam fractas et dissipatas, ostensa fidei luce redintegrabit. Verum huic expositioni obijci potest id quod sequitur: *Et cor filiorum ad patres eorum*: nec enim Elias cor, id est, mentem et devotionem filiorum transtulit in patres, ut illam eis inderet, utpote qui eam primitus habuerant, et iam erant mortui. Sed respond. sensum esse: Elias convertet cor filiorum ad patres, id est, efficiet ut Iudæorum cor, id est, mens et fides consentiat et adhærere cordi, id est, menti et fidei patrum.

Secundo, R. Salomon, Aben Ezra, R. David, Arias, Vatabl. et a Castro, censent hæc phrasi non aliud significari,

quam omnes, tam patres, quam filios, ad unam fidem ac religionem convertendos, q. d. Elias convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres, id est, faciet ut patres et filii habeant unum cor, id est, sint unanimes in fide et amore Dei, ut uno communi corde et animo patres cum filiis, et filii cum patribus, id est, tam maiores quam minores, Christum recipiant et colant. Unde Aben Ezra: *Erunr*, ait omnes cor unum, seu cordis unius ad revertendum ad Dominum, tam patres, quam filii. Verum sic potius dixisset: Convertet cor patrum et filiorum ad Christum; iam autem dicit: Convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres.

Tertio, q. d. Elias sua prædicatione et zelo efficiet, ut Iudæi in fine mundi imitentur suos Patriarchas, ut sicut ipsi crediderunt, sperarunt, summeque desiderarunt et amarunt Christum venturum; ita filii eorum credant, sperent, summe desiderent et ament eum præteritum, imo præsentem; itaque cor patrum a filiis incredulis ante aversum, ad eos iam credentes convertet, facietque ut Patriarchæ Iudæos Christo credentes pro legitimis filiis agnoscant, et ament. *Abraham enim pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est*, ait Christus Ioannis 8. Idem die de Isaac, Jacob, Mose, Davide, etc. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Lyran. et alii. Hoc enim est reducere, vel convertere cor unius ad alterum, nimirum redintegrare amorem pristinum, reconciliare affectum aversum: cor enim est symbolum et sedes amoris. Hic sensus sequitur ex primo, ac proinde uterque genuinus est, et connectendus. Quia enim Iudæis in fine mundi erit idem cor, id est, animus fides et pietas in Christum, quod fuit patrum: hinc consequenter erit idem cor, id est amor et charitas mutua, patrum fidelium erga filios fideles, et filiorum erga patres. Unde Lucas c. 1. 17. hæc verba Malachiæ applicans antitypo Eliæ, id est Ioanni Baptistæ: *Convertet*, inquit, *corda patrum in filios*: et pro eo quod Malachias subdit: *Et cor filiorum ad patres*, vertit, et *incredulos ad prudentiam iustorum*; hoc est Primo, q. d. Elias, æque ac Ioannes convertet Iudæos ad prudentiam, id est, ad fidem, quam de Christo venturo habuerunt patres iusti eorum patres: ita Maldon. in Lucæ cap. 4. Secundo, q. d. Faciet Ioannes, ut increduli diligenter considerent signa adventus Messie, a Prophetis præscripta, et patribus a Deo data; atque ex iis credant Messiam iam venisse, Christumque agnoscant, scilicet Christum esse hunc quem ipse eis digito ostendet, dicens: *Ecce Agnus Dei*; hoc enim prudentiæ est opus: ita Toletus in Lucæ 1. Tertio, Ioannes convertit incredulos, græce *ἀπίθεις*, id est, inobedientes, ut vertit Syrus, scilicet legi et præceptis maiorum, ad prudentiam iustorum, quæ est amare cælestia et æterna, non terrena et caduca; timere et colere Deum, eiusque leges observare: qui enim hoc facit, is sapit et prudens est. Ioannis enim prædicatione erat hæc: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. 3. 2. Eadem erit Eliæ.

Symbolice, Elias convertet cor patrum, id est Iudæorum, ad filios, id est, ad Christum et Apostolos: hi enim ex Iudæis prognati, eorum fuerunt filii: et cor filiorum ad patres, nimirum Christianorum ad Iudæos (primi enim Christiani ex Iudæis sunt orti) q. d. Elias faciet ut Iudæi credant Christo et Christianis, ut Christianorum fides et religio infundatur Iudæis, ac proinde utrique habeant unum cor, id est animum, fidem et religionem, nimirum, cultum Christi: ita Theodor. hic, et S. Chrysost. et Euthym. in c. 17. Matthæi, ac Damascen. l. 4. de fide c. 27.

Ex hoc ergo loco patet, Iudæos pene omnes in fine mundi convertendos esse ad Christum, per Eliam. Ita censet S. Chrysost. homil. 58. in Matth. *Elias*, inquit, *restituet omnia, incredulitatem videlicet Iudæorum qui tunc erunt residui, ad fidem convertet*. Et post nonnulla: *Quomodo ergo credituri sunt, inquires? Siquidem Elias cuncta restituet, non modo sane quia nolus, verum etiam quoniam usque ad illum diem amplior magis atque amplior gloria Christi radiis solaribus erit fulgentior, ad quæ omnia eum prædicatione illius accedat ad Christi fidem impellens, fa-*

Iudæi  
pene o-  
mnes  
conver-  
tentur ab  
Eliæ.

*cellime suscipiant.* Idem docet S. August. 20. Civit. 29. Theodor. in cap. 12. Daniel. S. Greg. hom. 12. in Ezech. Damasc. l. 4. de Fide c. 27. Beda l. 3. in Mare. c. 37. Theoph. in c. 17. S. Matth. Ambr. Victorin. et Anserbertus in c. 11. Apoc. estque hæc communis Patrum et Ecclesie traditio. Ubi Nota, cum ait Christus, *Elius restituet omnia*, significat ingentem tunc fore conversionem: ad hæc, Eliam facturum pacem inter Iudæos et Gentes, tanto tempore discordes, ut uno fœdere in Christi fidem et Ecclesiam cœcant: insuper, Eliam collapsos Cleri et populi mores reformaturum, suoque zelo Apostolico omnia ad avitum natorem et primigenium splendorem quem habuit Ecclesia tempore Apostolorum, reparaturum, ut Christiana religio et sanctitas ubique mirifice splendeat et coruscet. Plura de Elia et Henoch dixi Gen. 5. 24. et Apoc. 11. 2. et seq. Hinc rursus Iulianus Archiep. Tolet. l. 1. contra Iudæos, probat eos iam aversos esse a Christo, ac consequenter iam venisse Christum; quia ad eum convertebantur in fine mundi: nec enim converti possunt nisi aversi: Iudæi autem ab alio Christo non sunt aversi, quam a nostro Iesu Christo: ergo hic verus est Christus et Messias.

**NE FORTE VENIAM ET PERCUTIAM TERRAM.** Id est, veniens percutiam, vel, cum venero iudicare percutiam. Est hendiadys, qua unum dicitur per duo. Nam *forte* non ad *veniam* (quia non fortuitum et dubium, sed fixum certumque est quod veniet ad iudicium) sed ad *percutiam* referendum est, q. d. Ne forte cum venero iudicatorum terram, inveniam eam incredulitate et sceleribus refertam, ideoque iusta condemnationis sententia *percutiam* eam *anathemate*; Chald. *exterminatione*; Pagnia. *occisione*; Septuag. *αφθαρ*, id est penitus, vel subito; Tigur. *prorsus*; alii, *funditus, radicitus*; alii, *usque ad interitum*, vel interuocionem. Hebr. enim *חרם* *cherem* significat excisionem, qua res stirpitus excinditur, interimitur et perditur: idem significat Græcum *αυθιςμα*. Vide dicta Levit. 27. 28. et Rom. 9. 3. Per *cherem* ergo et *anathema* hic intellige æternam maledictionem, pœnam et ignem gehennæ, cui Christus impios omnes addicet in die iudicii: ita Remig.

Per *terram* metonymice intellige incolas terræ, puta homines terrenos et terrena sapientes: ita S. Hieron. Dicit *terram*, non Iudæam; tum quia Iudæi quos convertet Elias, sparsi sunt per totam terram; tum quia Elias non tantum Iudæos, sed et Gentes ubivis terrarum convertet, et Christianam vel fidem, vel vitam et mores eis imprimet, itaque avertet ab eis anathema damnationis æternæ. Minus recte Arias per anathema accipit excidium Iudæorum per Titum et Romanos: agitur enim hic de die iudicii, cuius præcursor erit Elias. Minus apte quoque Vatabl. per *forte* putat significari tempus adventus Christi indeterminatum, q. d. Ne forte veniam tempore incerto, quo minime putabitis vel me exspectabitis. Nam quocumque tempore veniet Christus, certo perdet impios, nisi se convertant per prædicationem Eliæ.

Moral. Sancti zelosi sunt Atlautes orbis.

Moral. discite hic Primo, ex Elia, qui iram Dei avertet, ne percutiat totam terram anathemate, Sanctos illustres et zelosos esse quasi bases et columnas orbis, qui suis precibus, meritis et zelo eum, alioqui ruiturum in exitium, fulciant et sustinent: tum quia orando manus Deo irato quasi ligant, ne in vindictam prosiliant: tum quia prædicando sanctæque vivendo peccatores compungunt, impelluntque ad corrigendam vitam. Hi enim sunt quasi angeli terrestres, quorum meas in cælis est, qui terra celsiores, et Deo quasi fortiores sunt. Talis Sodomæ Atlas fuit Abraham Gen. 18. 23. et apud Iudæos Moses Exodi 23. 14. ac Samuel 1. Regum 7. 10. et David 3. Reg. 11. 12. et Ezechias 4. Reg. 20. 6. et Jeremias cap. 1. 18. Deus enim pluris facit unum insigniter sanctum, quam centum communes iustos. Ratio est, quam per transennam, per lumen, inquam, naturæ, vidit Plato in Theæteto, dicens: *Deo nihil est similis, quam eum ex hominibus aliquis iustissimus est.* Qui sane cuilibet stimulus esse debet, ut iugiter ardenti conatu aspiret et contendat ad profectum, et ad culmen sanctitatis. Talis enim in cœtu iustorum e-

minet quasi gigas, qui dextra sua cælum contingit, ibique quasi alter Iacob eum Deo luctatur, et volentem vincit. Hinc Dominus ad Ezechielem cap. 22. 30. *Quæsiit*, inquit, *de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni.* Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos. Non est dubium plures tunc in Iudæa fuisse iustos, sed nemo fuit tam eminens, qui staret oppositus Deo, eique flagellum extorqueret.

Talis Venetiæ Atlas fuit S. Laurentius Iustinianus, Exem-  
carundem Patriarcha: viro enim cuidam sancto revela-  
tum est, Deum civitati indignantem eam perditurum fuisse, nisi precibus sui sancti Patriarchæ furor divinus aversus fuisset: ita habet eius Vita. Talis Emesæ, imo orbis Atlas fuit S. Simeon, cognomento Salus, id est stultus, quod sanctitatem suam stultis operibus celaret, cum interim multa mirabilia in summum sui contemptum, ac in salutem corporalem et spiritualem proximorum patraret. Cum enim quidam Emesenus civis Hierosolymam profectus, se Abbatibus Ioannis precibus commendaret, hæc ab eo responsum tulit: *Miror te, cum Emesæ habeas Abbatem Simeonem, ad me hominem vilem et abiectum divertere. Nam non ego solum, sed etiam mundus totus indiget illius precibus*; ita Leontius Episcopus Neapol. in Vita S. Simeonis.

Similes Ecclesiæ Atlantes fuere S. Dominicus, S. Franciscus, S. Vincentius Ferrerius (qui centum Christianorum millia, Indæorum 25. Saracenorum octo ad Christum convertit) sic Japonum et Indorum Atlas hoc ævo fuit S. Xavierius. Quis ergo dubitet mundum precibus talium stare Sanctorum? Quocirca merito S. Ambros. l. 2. de Cain et Abel c. 3. et 4. *Quam beata*, ait, *civitas quæ plurimos iustos habet, quomodo benedicatur tota de parte! Quam gaudeo cum aliquot mites ac sapientes diu vivere video, cum virgines castas, viduas graves aspicio longævas, velut quandam incanem Ecclesiæ curiam præterant ipso quodam vultu et specie gravitatis, quod iuvenes reverentur, quod imitentur, quod ad omnem morum gratiam colorentur. Similiter eum aliquis huiusmodi decessit, quamvis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex iuvenum muro senili.* Subdit tales esse quasi civitates refugii, in quas delinquentes se recipere possunt. Denique *peritura*, inquit, *urbis aut malorum imminetium, vel futuræ labis hoc primum iudicium est, si ei decedant viri consultores, vel etiam graviores femine. Hinc primum infruentium aperitur porta malorum.* Idem docet Isaias c. 1. v. 1. et seq.

Disce Secundo, æstimare et ponderare ultimum *cherem* et *anathema*, quo suam, omnesque aliorum prophetias claudit Malachias, ut illo stimulo incitet omnes ad piam sanctamque vitam. Eodem sua oracula concludit Isaias dicens: *Et egredientur, et videbunt cadavera virorum quæ prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Hoc est *cherem*, quo ferientur et siderabuntur impii in ultimo et decretorio mundi die, qui erit horizon temporis et æternitatis, cæli et gehennæ, quando a Christo iudice in valle Iosaphat, quasi in orbis universi teatro, ad æterna tormenta damnandi, pavidi et attoniti audient: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius; atque illi- ceo igne conflagrationis convoluti, a dæmonibus in tartara rapiuntur, ubi in æternum separati, imo maledicti a Deo, angelis, et Beatissimis, perpetuo carcere conclusi, nunquam amplius videbunt solem, stellas, vel ullam lucem, nullam lætitiæ aut consolationem percipient; sed in perpetuis iucendiis volutabuntur: ubi lumen tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.* Hoc cogita cum te libido stimulat, cum ambitio sollicitat, cum ira exagitat, cum caro blanditur, cum mundus allicit, cum dæmon fallaces suas illecebras et pompas ostentat. In manu, in arbitrio tuo est vita et mors, cælum et gehenna, salus et damnatio, felicitas et infelicitas tua sempiterna. Elige quod mavis. Cogita: *momentum quod delectat, æternum quod cruciat.* Et vicissim: *momentum quod cruciat, æternum quod delectat.*

Ultimum *cherem* quam metuentiam

Præclare S. Chrysost. hom. 1. de Lazaro: *Si quis, inquit, in centum annis vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnum fruitus, centum deinde annis cruciaretur, num is vellet unam noctem qua somniavit, centum annis æquiparare? Hoc de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, imo multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt mille anni ad futuram fruitionem: quantumque interest inter somnia et res veras, tantum interest inter huius vitæ statum et illius. Quid enim sunt aliud omnes res et spes mortalium, quam somnia vigilantium?* ait Philo. *Quid videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo?* ait Cicero Tuscul. 4.

Ex adverso cogita, quam dispar sit *cherem* Sanctorum, anathema Beatorum. Impii sunt *cherem* iustitiæ et vindictæ divinæ: Sancti sunt *cherem* misericordiæ et gloriæ divinæ. Impii sunt *cherem* diaboli: pii et electi sunt *cherem* Dei, id est, res sacra ab usibus profanis separata, Deo Deique laudibus in æternum dicata. Impii sunt anathema, folles et fomenta gehennæ: Sancti sunt anathema cæli et Ierusalem cælestis, uti in ea ad perennem Dei gloriam per æterna sæcula resplendant.

Probus ergo piusque esto, fuge illecebras mundi, mortifica concupiscentias, sustine morbos, despectus, ærumnas, persecutiones: stude puritati, sanctitatem cole, enitere ad omnem virtutem: modicus erit brevisque omnis labor tuus; sed ingens præmium te manet, et corona immarcescibilis. *Ad enim quod in presenti est momentaneum leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, 2. Cor. 4. 17. O fragilitas humana, exiguum est quidquid agis propter spem æternorum;* ait Euseb. Emissenus (vel potius Eucherius Lugdun. aut quisquis est auctor) hom. de S. Maximo. Quocirca S. Antonius, teste S. Athanasio in eius Vita, hoc beatum *cherem* suis inculcabat, ut iugis eis esset stimulus ad heroicam sui victoriam, omnemque perfectionem: *Hoc, inquit, sit primum cunctis in communi mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata brevissima sint. Et mox: Promissio vitæ æternæ vili pretio comparatur, scriptum est enim: Dies vitæ nostræ septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta. Quando ergo octoginta aut centum annis laborantes in Dei opere vixerimus, non tanto tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis sæculorum regna tribuentur, etc. Nemo cum aspexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia: quia omnis terra ad infinitatem cælorum comparata brevis ac parva est.*

O æternitas, quanta, quam durans, quam constans et æterna es! *Cherem* es, anathema es. O mentes amentes, quæ tui obliviscuntur! o stupor stupidorum mortalium, qui te pro momento voluptatis divendant et prodigunt! Obstupescite cæli super hoc, et portæ eius desolamini vehementer. Si Deus daret, diceretque Iudæ, et cuilibet damnato: Singulis millenis annis pro tuis peccatis emittes unam dumtaxat lacrymam; et quando hoc modo per

**A** tanta annorum intervalla, tot lacrymas emiseris, ut iis totam mundi capacitatem impleas, miserebor tui, teque ex inferni ignibus penisque eripiam; gauderet sane Iudas gaudio ingenti et ineffabili, eo quod aliquam haberet salutis spem. Sed quam longa hæc spes, quam vasta annorum ei in penis emetienda essent spatia? quot millena annorum millia ei expectanda, antequam lacrymis suis vel scyphum impleret? quot milliones annorum, ut poculum? quot cubi millionum, ut dolium unum? Quando ergo cubiculum, quando domum, quando urbem, quando unam provinciam, quando terram, quando ærem, quando cælum lacrymis suis compleret? At iam infelix Iudas ne quidem hæc spes habet, sed etiamsi per hæc annorum interstitia totum mundum lacrymis impleret, necdum linis, necdum medium, imo necdum principium esset eius miseræ æternitatis; quia novus ei mundus priori similis, lacrymis implendus pararetur a Deo; et eo impleto, tertius; et post eum quartus, quintus, sextus, et ita deinceps sine numero et termino. Idem est ex adverso de gloria S. Pauli, et cuiusvis Beati. **ÆTERNITATEM MEDITARE**, ingredi et penetra quantum potes: quo profundius ingredieris, eo longiorem et profundiorẽ reperies: **ABYSSUS EST**. Semel dictum, iterum, iterumque, imo semper dicendum: **ÆTERNITATEM MEDITARE**.

O B. Virgo Deipara, Prophetarum Regina, æterni Verbi, eiusque fidelium et filiorum mater ab æterno ordinata, quæ Deum nobis tua carne virginea corporasti; per eumque beatæ æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, offer hoc meum, imo tuum opus benedicto filio tuo Iesu Christo, Salvatori nostro, ac toti SS. Trinitati, ab eaque impetra, ut quicumque illud lecturi sunt, ad eius cultum et laudem perennem accendantur. Ipse enim est felix æternitas sua, et nostra. Effice, ut eam quasi summum bonum ardentissime diligamus; atque ex adverso peccatum et gehennam, quasi summum et æternum malum, summe horreamus et fugiamus: ac proinde effice pariter, ut beatæ et miseræ æternitatis memoria, timor et amor iugiter nobis obversetur, ut **BEATÆ ÆTERNITATI VIVAMUS**, certemus, laboremus, patiamur dura et acerba quæque. Averte a nobis *cherem* et *anathema* reprobationis æternæ. Fac et forma nos *cherem* et *anathemata* Deo, in templo et gloria cælesti. Filii tui sumus, vel esse cupimus. Monstra ergo te esse matrem, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

Votum ad  
B. Virginiem.

Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. *Psal. 118.*

In sempiternum ævum thesauriza. S. Nazianz. in *Sent.* Iunge cor tuum Æternitati Dei, et cum illo æternus eris. S. August. in *Psal. 91.*

Nullus labor durus, nullum tempus longum, quo gloria Æternitatis acquiritur. *Angeli apud Bedam in Histor. lib. 3. cap. 19.*

Pro paucis annis laboris omnium nobis sæculorum regna reddentur. S. Anton. apud S. Athan.

Vera beatitudo est sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare. S. Eucherius ad Valerianum.



## I N D E X

## LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ

## IN HOC OPERE EXPLICANTUR, VEL ELUCIDANTUR

Prior numerus paginam, secundus columnam designat: literæ additæ eas, quæ columnis interiecta sunt, denotant.

## EX GENESI.

<b>C</b> ap. 1. v. 6. Firmamentum in medio aquarum.	442 c 1
2. 9. Lignum vitæ in medio paradisi.	ibidem
4. 24. Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies.	63 a 2
10. 11. Ex illa terra egressus est Assur, et ædificavit Niniven.	306 c 1
19. 24. Pluit Dominus a Domino sulphur et ignem super Sodomam.	241 d 2
22. 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes.	385 b 2-659 b 2
24. 1. Erat Abraham dierum multorum.	239 b 2
25. 23. Maior serviet minori.	637 d 1
26. 22. Nunc dilatavit nos Dominus.	28 c 1
29. 31. Videns autem Dominus quod despiceret Liam.	637 a 2
41. 52. Crescere me fecit Dominus in terra paupertatis meæ.	173 d 2
47. 9. Dies peregrinationis meæ parvi et mali.	544 a 2
12. Alebat eos, omnemque domum patris sui, prabens cibaria singulis.	146 c 1
31. Adoravit conversus ad lectuli caput.	418 d 2
48. 16. Invocetur super eos nomen meum.	288 d 2
49. 26. Salutare tuum expectabo, Domine.	574 a 1

## EX EXODO.

Cap. 3. v. 14. Ego sum qui sum.	263 b 1
13. 17. Non duxit eos per terram Philistiim, quia vicina erat.	574 c 1
16. 16. Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum.	146 b 1
34. 6. Qui custodis misericordiam in millia.	193 a 1

## EX NUMERIS.

Cap. 9. v. 22. Si vero biduo aut uno mense fuisset super tabernaculo.	110 b 2
12. 7. In omni domo mea fidelissimus est.	533 d 1

## EX DEUTERONOMIO.

Cap. 32. v. 9. Iacob funiculus hereditatis eius	271 b 2
33. 2. Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan.	446 b 1
34. 5. Moses mortuus est super os Dumini.	20 c 1

## EX LIBRO IOSUE.

Cap. 14. v. 15. Adam maximus ibi inter Enacim situs est.	358 d 1
17. 5. Funiculi Manasse absque terra Galaad.	271 b 2
24. 7. Adduxit super eos mare, et operuit eos.	655 c 2

## EX LIBRO IUDICUM.

Cap. 5. v. 31. Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.	672 b 2
6. 15. Ecce familia mea infima est in Manasse.	359 a 1
9. 8. Servunt ligna ut ungerent super se regem, dixeruntque olivæ, etc.	33 a 1
15. 16. In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos.	412 b 2

## EX LIBRO I. REGUM.

Cap. 2. v. 5. Donec sterilis peperit septem.	219 c 1
9. Impii in tenebris contrescent.	249 d 2
18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini.	307 c 2

3. 2. Oculi eius caligaverant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam exstingeretur, Samuel dormiebat in templo Domini.	39 b 1
20. 30. Filius mulieris ultro virum rapientis.	61 b 2
25. 29. Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium: porro inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu.	285 a 1
26. 8. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit.	394 a 1
30. 14. Erupimus ad Australem plagam Cerethi.	472 c 1

## EX LIBRO II. REGUM.

Cap. 8. v. 1. Tulit David frannum tributi de manu Philistiim.	28 d 1
14. 14. Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram.	330 c 1
21. 7. Pepercit rex Miphiboseth filio Ionathæ.	670 b 1
21. 19. A Deo datus filius Saltus.	28 d 1

## EX LIBRO III. REGUM.

Cap. 2. v. 31. Amovebis sanguinem innocentem qui effusus est a loab, a me et a domo patris mei.	214 a 1
4. 25. Unusquisque habitabat sub vite et ficu sua.	538 a 1
11. 31. Scindam regnum de manu Salomonis, et et dabo tibi decem Tribus.	128 c 2
37. Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel.	128 d 1
22. 15. Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis.	31 a 2

## EX LIBRO IV. REGUM.

Cap. 2. v. 12. Pater mi, currus Israel, et auriga eius.	677 b 2
8. 10. Vade, dic ei, sanaberis: porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.	31 a 2
9. 24. Jehu implevit manum suam in arcu.	580 b 1
14. 9. Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, etc.	33 c 1
17. 24. Et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filijs Israel, qui possederunt Samariam.	331 c 1

## EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

Cap. 2. v. 55. Cinæi venerunt de calore patris domus Rechab.	28 a 2
3. 17. Filii Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia.	490 d 1
4. 22. Qui stare fecit solem, virique Mendacii, et Securis, et Incendens.	453 c 1

## EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

Cap. 5. v. 8. Cherubim expandere alis super locum.	655 c 2
15. 3. Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore et absque lege.	89 b 2

## EX LIBRIS ESDRÆ.

Lib. 1. c. 6. v. 19. Fecerunt pascha decima quarta die mensis primi.	489 c 1
Lib. 2. c. 4. v. 5. Ne operias iniquitatem eorum.	655 c 2

## EX LIBRO IOB.

Cap. 2. v. 9. Benedic Deo, et morere.	39 a 2
3. 3. Pereat dies in qua natus sum.	624 c 2
9. 6. Qui commovet terram de loco suo: qui præ-	

- cepit soli, et non oritur. 524 d 1  
 7. Stellae clausit quasi sub signaculo. 510 c 2  
 26. Dies mei transierunt quasi naves poma portantes. 272 d 2  
 21. 33. Dulcis fuit glaucis Coccyti. 33 b 2  
 22. 14. Circa cardines caeli perambulatur, nec nostra considerat. 520 b 1  
 24. 19. Ad nimium calorem transcat ab aquis nivium. 206 c 1  
 29. 18. Et sicut palma multiplicatio dies meos. 673 b 2  
 31. 21. Cum viderem me in porta superiorem. 249 c 1  
 27. Si vidi solem eum fulgeret, etc. et osculatus sum manum meam. 167 c 1  
 34. 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 169 c 2  
 39. 5. Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem, et vincula eius quis solvit? 79 d 2  
 42. 14. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundae Cassiam, et nomen tertiae Cornustubii. 28 b 2  
**EX LIBRO PSALMORUM.**  
 Psal. 7. v. 15. Ecce parturit iniquitatem, concepit dolorem. 416 d 1  
 21. Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! 341 a 2  
 8. 2. Quam admirabile est nomen tuum in universa terra! 203 b 1  
 9. 27. Sub lingua eius labor et dolor. 416 d 1  
 21. 15. Effusus sum sicut aqua. 107 a 1  
 22. 4. Et si ambulavero in medio umbræ mortis. 441 d 2  
 35. 9. Inebriantur ab ubertate domus Dei. 493 b 2  
 37. 69. Deus in adiutorium meum intende. 20 c 1  
 41. 3. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? 307 c 2  
 44. 1. Eructavit cor meum verbum bonum. 521 b 1  
 51. 10. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum. 620 d 2  
 54. 13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. 616 b 1  
 59. 10. In Idumæam extendam calcamentum meum. 450 a 2-288 c 1  
 11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam? nonne tu Deus? 288 c 2  
 60. 9. Sic psalmum dicam nomini tuo. 150 c 2  
 61. 10. Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. 337 c 1  
 64. 1. Te decet hymnus Deus in Sion. 438 b 1  
 12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. 289 a 1  
 65. 18. Iniquitatem si aspexi in corde meo. 353 a 2  
 67. 5. Iter facite ei qui ascendit super oceanum. 527 b 1  
 18. Carrus Dei decem millibus multiplex, millia latantium, Dominus in eis, in Sina, in sancto. 452 c 2  
 19. Ascendisti in altam, accepisti doua in hominibus. 175 d 1  
 68. 13. In me psallebant qui bibebant vinum. 258 c 1  
 21. Improperium expectavit cor meum et miseriam. 431 b 1  
 29. Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur. 174 c 1  
 70. 15. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. 163 d 2  
 71. 16. Erit firmamentum in terra in summis montium. 177 d 2  
 72. 1. Quam bonus Israel Deus! 380 d 1  
 25. Quid mihi est in celo, et a te quid volui super terram? 73 d 2  
 27. Qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te. ibidem  
 73. 3. Leva manus tuas in superbias eorum in finem. 527 b 2  
 14. Dedisti eum escam populo Æthiopum. 481 b 2  
 76. 19. Vox tonitruum tui in rotu. 452 a 2  
 77. 19. Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram. 574 c 1  
 79. 18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ. 530 a 1  
 90. 6. A negotio perambulante in tenebris, ab incursu et demonio meridiano. 520 b 1  
 13. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. 522 b 2  
 102. 4. Qui coronat in te misericordia et miserationibus. 563 d 1  
 103. 3. Qui ponis nubem ascensum tuum. 452 a 2  
 104. 15. Nolite tangere Christos meos. 454 c 1  
 105. 9. Increpuit mare rubrum, et exsiccatum est. 531 c 1  
 108. 6. Constitue legislatorem super eum. 529 b 2  
 109. 3. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: ex utero autem luciferum genui te. 112 a 2  
 111. 9. Iustitia eius manet in sæculum sæculi. 146 b 2-259 a 1  
 113. 2. Facta est Iudæa sanctificatio eius. 652 c 2  
 113. 8. Similes illis fiant qui faciunt ea. 136 c 1  
 118. 135. Faciem tuam illumina super servum tuum. 112 d 1  
 127. 3. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. 177 c 1  
 131. 9. Sacerdotes eius induantur iustitiam. 671 d 1  
 16. Sacerdotes eius induam salutari. ibidem  
 136. 2. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. 519 a 1  
 137. 7. Si ambulavero in medio tribulationis. 441 d 2  
 139. 10. Labor labiorum ipsorum operiet eos. 416 a 2  
 12. Vir linguosus non dirigetur in terra. 162 b 1  
**EX PROVERBIIS SALOMONIS.**  
 Cap. 1. 10. Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. 77 b 2  
 3. 12. Quasi pater in filio complacet sibi. 418 d 2  
 8. 27. Quando præparabat caelos, aderam. 435 a 2  
 23. 5. Ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in caelum. 412 b 1  
 24. 16. Septies in die cadit iustus. 219 b 1  
 25. 11. Mala aurea in cancellaturis argenteis. 19 c 1  
 30. 1. Verba Congregati filii Vomentis. 28 d 1  
 15. Sanguisugæ duæ sunt filiae, dicentes: Affer, affer, et nunquam satiantur. 150 d 2  
 — Tria sunt insaturabilia, et quartum quod nunquam dicit: Sufficit. 219 c 1  
 31. 29. Cingulum tradidit Chanaanæo. 163 a 2  
**EX ECCLESIASTE.**  
 Cap. 9. v. 8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. 258 b 2  
 11. 2. Da partem septem, nec non et octo. 219 b 1  
**EX CANTICO CANTICORUM.**  
 Cap. 2. v. 8. Ecce iste venit transiens colles. 542 d 2  
 2. 16. Dilectus meus mihi, et ego illi. 374 a 2  
 4. 6. De vertice Saron et Hermon, de cubilibus leonum. 594 b 2  
 16. Surge Aquilo, et veni Auster, perfla ortum meum, et fluat aromata eius. 196 d 1  
 5. 1. Bibite et inebriamini. 493 b 2  
 2. Ego dormio, et cor meum vigilat. 34 c 1  
 8. Aduro vos, filiae Ierusalem, ut annuntietis dilecto meo, quia amore langueo. 451 a 1  
 8. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. 509 d 1  
 11. Vineæ mea coram me est. 140 c 1  
**EX LIBRO SAPIENTIÆ.**  
 Cap. 3. v. 16. Filii adulterorum in consummatione erunt. 96 a 1  
 4. 3. Spuria vitulamina non dabunt radices altas. ibidem  
 12. Fascinatio nugacitatis obscureat bona. 485 d 2  
 10. 18. In pigritiis humiliabitur contignatio. 289 c 2  
 21. Sapientia operuit os mutorum. 249 d 2  
 11. 17. Domine, qui amas animas. 156 b 1  
 12. 25. Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. 248 c 2  
 19. 17. Sicut in organo omnia suum sonum custodiunt. 85 b 2  
**EX ECCLESIASTICO.**  
 Cap. 2. v. 4. Homines receptibiles in camino humiliationis. 618 b 2  
 6. 22. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur proicere illam. 606 c 1  
 15. 11. Non dixeris: Per Deum abest; quæ enim odit ne feceris. Non dicas: Ille me impleavit. 155 c 1  
 19. 3. Putredo et vermes hæreditavit illum. 456 b 2

21. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. 636 b 2
24. 14. Ab initio et ante saecula creata sum. 363 a 2
32. 5. 7. Non impedias musicam, gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. 258 b 1
43. 29. Multa dicemus, et deficiemus in verbis; confirmatio autem sermonum ipse est in omnibus. 438 a 1
30. Gloriantes ad quid valebimus? 438 b 1
32. Supervalebit enim adhuc. ibidem
34. Exaltantes replemini virtute. ibidem
48. 9. Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini. 676 b 2
10. Veniet Elias conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob. 678 d 1
49. 12. Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo; nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis. 16 c 2
- EX ISAIA.
- Cap. 2. v. 2. Preparatus mons domus Domini. 435 a 2
3. 12. Mulieres dominatae sunt eis. 419 a 1
17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit. 454 c 2
4. 1. Apprehendent septem mulieres virum unum, dicentes: Tantummodo invocetur nomen tuum super nos. 32 d 2-288 d 2
6. 11. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur. 245 c 2
9. 4. Sceptrum exactoris eius superasti, sicut iudice Madian. 71 a 2
10. 5. Vae Assur, virga furoris mei. 355 c 2
26. Levabit Dominus virgam suam in via Aegypti. 241 d 1
13. 8. Facies combusta vultus eorum. 190 c 2
21. 7. Vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli. 443 b 2
23. 10. Transi terram tuam, filia maris. 156 b 2
28. 15. Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. 301 d 1
21. Ut faciat opus suum, alienum opus eius; ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. 330 a 1
33. 1. Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? 355 d 2
38. 9. In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. 442 b 1
40. 2. Loquimini ad cor Ierusalem. 81 a 1
31. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current, et non laborabunt. 375 d 2
43. 13. Ab initio ego ipse. 363 a 2
45. 8. Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum. 176 c 1-660 b 1
57. 13. Cum clamaveris, liberent te congregati tui. 30 a 1
60. 15. Ponam te in superbiam saeculorum. 277 b 1-365 b 2
61. 6. In gloria eorum superbiatis. 400 c 2
10. Indumento iustitiae circumdedit me. 671 d 1
65. 4. Qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt. 132 b 2
- EX JEREMIA.
- Cap. 1. v. 14. Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae. 556 b 2
2. 24. In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum. 213 d 2
10. 2. A signis caeli nolite metuere, quae timent Gentes. 462 d 2
11. 14. Ne assumes pro eis laudem. 441 a 1
15. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera? 127 d 1
12. 7. Reliqui domum meam. ibidem
18. 11. Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem. 264 a 2
22. 24. Si fuerit lechonas annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. 509 c 2
44. 27. Faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro. 420 c 1
46. 6. Quis est qui quasi fluvius ascendit, etc. 70 a 2
55. 18. Vana sunt opera et risu digna. 268 a 2
- EX THIRENIS.
- Cap. 1. v. 5. Facti sunt hostes eius in capite. 281 a 1
8. Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est. 139 a 1
15. Toreular calcavit Dominus virgini filiae Iudae, ideo ego plorans. 20 d 1
2. 19. Consurge, lauda in nocte. 441 a 1
4. 3. Fila populi mei crudelis quasi struthio in deserto. 333 a 1
- EX EZECHIELE.
- Cap. 5. v. 5. Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui illam. 442 b 1
7. 6. Venit finis, evigilavit adversum te. 272 c 1
23. Terra plena est iudicio sanguinum. 214 a 1
8. 17. Ecce applicant manum ad nares suas. 167 c 1
16. 5. Non pepercit super te oculus. 670 b 1
55. Et soror tua Sodoma, et filiae eius revertentur ad antiquitatem suam. 287 c 2
19. 3. Eduxit unum de catulis suis. 70 b 2
24. 13. Donec quiescere faciam indignationem meam in te. 214 b 1
28. 14. In medio lapidum ignitorum ambulasti. 520 a 1
34. 23. Pastorem suscitabo servum meum David. 508 c 2
- EX DANIELE.
- Cap. 4. v. 27. Nonne haec est Babylon quam ego aedificavi? 38 b 1
7. 10. Iudicium sedit, et libri aperti sunt. 668 c 2
- Ex Prophetis Minoribus loca, quae non sunt aut in Hieroglyphicis, Symbolis, Adagiis, aut in Commentariis suo loco exposita.*
- EX OSEE.
- Cap. 1. v. 6. Voca nomen eius, Absque misericordia. 28 a 1
9. Voca nomen eius, Non populus meus. ibidem
2. 21. Exaudiam caelos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum, etc. 29 b 1
10. 5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariae. 28 b 1
13. 14. Ero mors tua, o mors. 419 a 1
- EX IONA.
- Cap. 2. v. 9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquant. 116 b 1
- EX MICHAELA.
- Cap. 1. v. 10. In domo pulveris, pulvere vos conspergite. 28 b 1
11. Transite vobis habitatio pulchra. ibidem
- Non est egressa quae habitat in exitu. ibidem
12. Infirmata est in bonum, quae habitat in amaritudinibus. ibidem
14. Dabit domos mendacii in deceptionem regibus Israel. 28 c 1
7. 4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe. 341 a 2
- EX SOPHONIA.
- Cap. 1. v. 7. Silete a facie Domini Dei. 437 a 2
- EX ZACHARIA.
- Cap. 3. v. 8. Adducam servum meum Orientem. 28 c 1
9. Super lapidem unum multi oculi. 219 c 1
11. 1. Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. 33 c 1
2. Ulula, abies, quia cecidit cedrus. ibidem
- EX MALACCHIA.
- Cap. 4. v. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius. 33 d 1
- EX LIBRO I. MACCHABEORUM.
- Cap. 1. v. 3. Et siluit terra a conspectu eius. 437 a 2

## EX NOVO TESTAMENTO.

## EX EVANGELIO S. MATTHEI.

Cap. 2. v. 6. Et tu Bethlehem Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.	357 c 2
15. Ex Ægypto vocavi filium meum.	150 a 1
3. 11. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni.	199 b 1
4. 6. Si filius Dei es, mitte te deorsum.	195 b 1
5. 3. Beati pauperes spiritu.	577 a 2
6. 34. Sufficit diei malitia sua.	340 c 1
10. 26. Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.	124 a 1
29. Nonne duo passeret asse veneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro.	428 b 2
35. Veni separare hominem adversus patrem suum, et filium adversus matrem suam, etc.	381 a 2
11. 10. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, etc.	657 b 1
— Præparabit viam ante faciem tuam.	657 c 1
25. In illo tempore respondens Iesus dixit.	547 d 2
12. 7. Si autem scieritis quid est, Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.	114 b 1
13. 9. Qui habet aures audieodi, audiat.	29 b 1
33. In farinæ satis tribus.	219 b 2
17. 10. Elias iam venit.	676 d 1
21. 44. Qui ceciderit super lapidem istum confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.	606 c 2
23. 14. Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ! quia devoratis domos viduarum, orationes longas orantes.	464 d 2
32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.	553 a 1
28. 28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.	127 b 2
25. 12. Nescio vos.	129 a 2
26. 39. Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.	31 b 2
28. 19. Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.	365 c 2

## EX EVANGELIO S. LUCÆ.

Cap. 1. v. 17. Convertet corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam.	677 d 1
54. Suscepit Israel puerum suum.	524 a 1
69. Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.	ibidem
2. 21. Postquam consummati sunt dies octo.	265 d 2
8. 25. Increpavit ventum et tempestatem aquæ.	531 c 1
14. 7. Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent.	232 c 2
18. 19. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.	263 b 1

## EX EVANGELIO S. IOANNIS.

Cap. 1. v. 1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.	243 a 2
14. Verbum caro factum est.	199 c 2
— Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre.	365 b 2

16. De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.	543 c 2
19. Lux quæ in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.	32 b 2
2. 19. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.	659 b 1
4. 6. Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem.	150 c 2
8. 25. Principium qui et loquor vobis.	363 b 2
41. Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus et colimus Deum.	575 c 2
44. Diabolus in veritate non stetit.	119 c 2
11. 50. Expedi vobis, ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat.	31 d 1
12. 15. Noli timere, filia Sion, ecce rex tuus, etc.	576 d 2
14. 23. Si quis diligit me, sermones meos servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.	199 a 2
17. 11. Pater, serva eos in nomine tuo.	365 c 2

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

Cap. 7. v. 43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, et simulacrum Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas.	252 c 1 et seqq.
8. 10. Hic est virtus Dei, quæ vocatur Magna.	503 d 2
13. 40. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis. Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini.	418 a 2

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 15. 8. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis.	386 a 1
16. Sanctificans Evangelium Dei.	482 a 2

EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

Cap. 5. v. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.	94 b 2
11. 17. Reus erit corporis et sanguinis Domini.	640 d 1

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap. 6. v. 16. Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei.	206 b 2
---	---------

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. 5. v. 5. Avarus quod est idolorum servitus.	281 b 1
--	---------

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 3. v. 5. Nos enim sumus circumcisio.	572 b 1
---	---------

EX EPISTOLA II. AD THESSALONICENSES.

Cap. 2. v. 10. Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ideo mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio.	169 d 2
---	---------

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 1. v. 7. Qui facit Angelos suos spiritus.	589 c 1
13. 16. Talibus enim hostiis promeretur Deus.	484 d 1

EX EPISTOLA I. S. PETRI.

Cap. 5. v. 2. Pascite qui in vobis est, gregem Domini.	175 d 2
--	---------

EX EPISTOLA S. IUDÆ.

19. Non est ausus iudicium inferre blasphemiam, sed dixit: Imperet tibi Domious.	531 c 1
--	---------

EX APOCALYPSI.

Cap. 2. v. 9. Ab his qui se dicunt Iudæos esse et non sunt.	572 b 1
5. 12. Dignus est Agnus accipere virtutem et divinitatem.	564 c 1
7. 14. Laverunt stolas suas in sanguine Agni.	655 b 2



# I N D E X

## RERUM ET VERBORUM MEMORABILIVM

QUÆ IN HOC COMMENTARIO CONTINENTUR.

### A

**A**, a, a, apud Latinos et Europæos est vox summe afflicti. 187 c 2

Aaroni vitam Deus prorogavit, et honorem contra æmulos defendit. 649 b 1

Eius variæ dotes. 649 c 1 et seqq.

Ab mensis Hebræorum respondet nostro partim Iulio, partim Augusto. 566 a 2-570 c 2

Abdias quando cæperit prophetare, et quid prophetet. 40 c 2-291 b 1

An fuerit discipulus Eliæ. 291 a 1

An fuerit tertius pentacontarchus ab Ochozia ad Eliam missus. 291 b 1

An idem cum Abdia misso ad docendum in civitatibus Iuda. ibidem

Fuit coævus Osee, Amos, Iocli, Michææ. 291 c 1

Sub tempora Ieremie prophetavit. 291 a 2

An fuerit Idumæus. 292 a 1

Fuit Sichimita. ibidem

Eius sepulcrum ubi. ibidem

Fuit typus Christi. 292 b 1

Est omnium Prophetarum minimus et brevissimus. ibidem

Eius brevitatis elogium. 292 a 2 et seqq.

Abel an a Cain occisus in agro Damasceno. 222 b 2

Abiectos et viles Deus erehit et eligit. 216 b 1

Abies semper viret, nec hieme folia amittit. 178 b 2

Est symbolum perfectorum minorum. 594 c 1

Ablativi verbis suis iuncti, eorundem significationem adaugent, et actionem complent. 29 a 1

Abnegatio sui interimit animi tristitiam. 522 c 1

Abominatio desolationis fuit idolum ab Antiocho Epiphane in templo collocatum. 627 b 2

In Scriptura vocantur idola et idolothya abominationes. 576 b 1

Abraham Patriarcha, quomodo sit et Propheta. 17 c 1

Secutus est Deum vocantem. 308 d 1

Unde dictus Hebræus. 311 a 1

Unde nomen acceperit. 385 b 2

Ei cur Propheta Michæas det misericordiam, veritatem Iacobo. ibidem

Fuit atlas Sodomæ. 679 d 1

Eius benedictio quid anagogice fuerit. 659 b 2

Est communis Iudæorum pater. 652 a 1

Abrami Eremitæ erga neptem suam peccantem charitas et zelus. 89 a 1

Absinthii nomine vocatur peccatum in Script. 246 b 2

Abstinere vino et carne Christianos debere, docuit fanaticus nuper hæreticus. 230 b 1

Abstractio animæ a sensibus et sensibilibus magna est ad prophetiam dispositio. 21 c 2

Abundantiæ et prosperitatis symbolum est pax. 569 c 2

Abusus quorundam concionatorum, verba S. Scripturæ ad novos suos conceptus torquentium. 20 b 1

Abutentes opibus adversus illos quorum opera fuerunt eas consecuti, arcus dolosus sunt. 126 a 2

Abyssini vocantur Æthiopes græce et latine. 481 c 2

Recens baptizatis dant Eucharistiam. 587 b 2

Abyssus vocatur aqua carens fundo. 315 a 1

Acacii Episcopi in Conc. Nicæno darities in errantibus in fide ad pœnitentiam recipiendis. 325 d 1

Academia Hierosolymis fuit in porta secunda. 465 d 1

Accaronitæ victi a Machabeis, pacifice inter Iudæos ha-

bitaverunt, et Iudæi inter eos. 576 c 1

Accipiter avis Ægyptiis sacra, dicta ab accipiendo, est symbolum celeritatis. 157 a 1

Cur Ægyptiis sacra fuerit, est inter aves fecundissima et vivacissima, oculos habet acutissimos. 157 b 1

Trigesimo quoque die feminæ solet coniungi; recto cursu volare solet; est symbolum sacerdotii, item gloriæ et victoriæ. ibidem

Acedi emblema. 555 a 1

Eos quam acriter Christus in die iudicii correpturus sit. 600 d 2

Achab posteriorum sanguis cur in Iezrahel effusus sit. 63 b 1

Achan (quomodo) perturbavit totum Israel. 81 d 2 et seqq.-82 a 2 et seqq.

Achaz, rex Iuda, pressus a regibus Syriæ et Israelis, petiit opem ab Assyriis. 108 a 1

Acheron fluvius infernalis unde dicatur. 33 c 2

Acies fidelium testium Dei recensetur. 158 c 2

Actiacum bellum fecit Augustum orbis monarcham. 500 a 1

Actio sæpe capitur pro loco, in quo actio exercetur. 284 a 1

Actio in se levis gratior est Deo facta excellenter, quam excellens in se facta leviter. 375 b 2

Actus virtutum quatenus in Deo sint. 65 a 2

Sunt hi idem quid cum eius essentia. ibidem

Actus humani speciem sumunt ex obiectis. 136 d 1

Actus peccati transiens post se relinquit in anima peccantis maculam habitualement peccati. 136 d 2

Acuta nimis, non sunt solida, sed sæpe stolidi. 21 a 1

Aezib fuit nomen urbis in tribu Iuda. 336 b 2

Fuit et alia Achseph vel Acziba, non longe a Tyro. ibidem

Adad civis Remmon occisus in Mageddo, an omnium planetum excitavit. 612 a 1

Adadremmon urbs quæ, et ubi sita, unde dicta. 611 b 2

Adagia Minorum Prophetarum. 49 d 1

Adalberti (S.) Pragensis Episcopi elogium. 603 b 1

Adam mox ut superavit contra Deum, sensit stimulum carnis. 105 a 1

An a Deo creatus in agro Damasceno iuxta Eden, ex terra rubra. 222 a 2

Est velut puer, pomo illectus et deceptus. 272 b 2 et seqq.

Ei quomodo peccandi via a Deo obstructa. 75 d 1

Adam et Enos unde vocetur homo. 84 a 1

Quomodo dextram suam diabolo dederit. 530 a 1

Velut luna est, Christus sol. 672 d 2

Adamas symbolum est duri iudicii ac inevitabilis vindictæ. 267 b 2 et seqq.

Item ad misericordiam inflexibilem. 267 d 2

Eius proprietates. 268 a 1-567 a 2

Addo fuit avus Zachariæ. 515 b 2

Est alius ab Addo Vidente qui scripsit Chronica regum Iuda. 516 a 1

Adonidem quare plangeret Venus, et is planetus quotannis recoleretur. 612 b 1

Is quamdiu steterit in spelunca Bethlechem ab Adriano Imp. erectus. 361 a 2

Adoptamur in iustificatione a Deo in filios. 68 c 1

Adoptio divina quam inæstimabile bonum sit. 69 a 2 et seqq.

Perfectissima adoptio animæ sequitur ex communicatione ipsiusmet Spiritus sancti et divinitatis. 69 b 1

Adoptio nostra virtute duplex est. 69 c 1

Utraque hic mehoatur per gratiam, in cælo perficitur per gloriam æternam. 69 d 1

Adoptivi filii Dei sumus, longe perfectius quam sint a-

- doptivi filii hominum. 69 a 2  
 Adoro idem est quod ad ora applico. 167 c 1  
 Adventus Christi triplex est, primus in humilitate, secundus in gloria, tertius ad iudicium. 111 d 2  
 Adversa omnia sunt velut sigillum Christi. 511 b 1  
 Adversis electi probantur. 618 a 2  
 Adulatione deceptum quomodo significarent Ægyptii. 251 c 1  
 Adulatio principes magis perdit quam hostis. 131 d 2  
 Adulter frustra uxorem pudicam speret. 99 c 1  
 Adulteram quare iubeatur Osee in domum inducere. 86 c 1  
 Quæ et qualis hæc fuerit. 86 c 2  
 Adulterium a fornicatione au distinguatur. 73 c 2  
 Advocati pauperes opprimentes suggillantur. 238 c 2  
 Ædificare in sanguinibus tropologicè quid sit 346 d 2 et seqq.  
 Æditus unde dictus; idem dictus æditimus. 462 b 1  
 Templi singula iam Romæ suos habent ædituos; quod horum officium. 462 c 1  
 Hebraice dicebantur kemarim. ibidem  
 Quod horum esset munus. 462 d 1 et seqq.  
 Erant alii a sacerdotibus, iisque subserviebant. 462 a 2  
 Ægyptii quo iure spoliati ab Hebræis. 58 b 1  
 Eorum dogmata constabant symbolis. 19 b 1-629 c 2  
 Quas bestias coluerunt. 157 a 1  
 Valebant equorum robore et copia. 175 c 2  
 Sunt a Noe servituti addicti. 371 d 1  
 Quibus hieroglyphicis Deum exprimerent. 244 b 1  
 In morbis resectum capillum pro sospitate diis volebant. 338 d 1  
 Quot annis arbores et pecora rubrica illinebant adversus incommoda. 401 d 2  
 Primum in tabulis arboris quæ papyrus dicitur, scribere cœperunt. 430 b 2  
 Eorum sacerdotes in sacrificiis tunicas lineas inducebant. 462 a 2  
 Il qui cum Pharaone mortui in peccatis, descendunt in tartara. 394 d 1  
 Ægyptus erat continuum Israelis refugium. 132 d 1  
 Cur in obeliscis et nummis per ibin designetur. 157 c 1  
 Est triquetra. ibidem  
 In ea non pluit, sed vice pluvie est Nilus exæstuans. 277 d 1  
 Eius fertilitas. 277 a 2  
 Idololatriæ fuit inventrix et magistra, ideoque Iudæis vicinis vicinia sua noxia. 213 b 1  
 Cor vocetur domus servitutis. 371 d 1  
 Est ultra Æthiopiam. 481 b 2  
 Iudææ ad Austrum est. 561 a 2  
 Eius idola conecerunt mox ut eam intravit Christus. 499 d 2  
 Quando a Romanis, et per quem subacta. 561 a 2  
 Carcer Hebræorum fuit, et typus Babylonici carceris. 455 d 1  
 Æneam Iudæi censent fuisse Idumæum. 293 a 1  
 Troia excisa, extulit secum penates suos. 90 b 2  
 Æneanes ex oraculo putabant se patriam amissuros, si particulam aliquam largirentur. 282 a 1  
 Ænigmatibus cur utantur Prophete. 19 b 1  
 Ænigmata e Minoribus Prophetis simul collecta. 47 d 1  
 Ænigma sphingis de homine. 427 a 1  
 Æqualia non sunt peccata et recte facta. 38 b 2  
 Æquanimitas, illustris dos Principum et Prælatorum est. 597 b 1  
 Aer et aqua sunt elementa vicina. 424 d 2  
 Aeris inspiratione sola multi vivere. 424 c 2  
 Ærugo quod vitium segetum sit. 183 b 1-240 d 2  
 Ærumnis Deus peccatori peccandi vias obstruit. 75 d 1  
 Æs duritiei symbolum est. 559 d 2  
 Æschines quam in Socratem fuerit gratus. 373 c 2  
 Ætas integra et dimidia hominis quæ sit. 442 b 1  
 Ætas Christi fuit finis seculor in præcedentium miserorum, et initium sequentium felicissimorum. 442 a 2 et seqq.  
 Æternitatem omnia amant. 30 a 2  
 Æternitatem concipimus velut ingentem, sed definitum annorum numerum. 350 c 1  
 Eius origo est immutabilitas Dei. 364 b 1  
 Æternitas est origo temporum, et propria duratio Dei. 364 c 1  
 Æternitas temporum, quæ sit. 363 d 2  
 Durationem et quasi ætatem Dei, quæ infinito temporis coextenditur, colligit in momentum. ibidem  
 Non habet finem aut principium, est intrinseca mensura existentie divinæ. 363 d 2-449 d 2  
 Eius hypotyposis et descriptio. 680 c 1  
 Æternitas Dei est causa omnium temporum. 450 a 1  
 Æternitas est axis sæculorum. 450 b 1  
 Deus est ipsa æternitas in se. 450 a 2 et seqq.  
 Septem mystica itinera æternitatis, ad ingrediendum intrinsecum secretum et æternum. 450 c 2 et seqq.  
 Æternum Hebræis significat, quod in genere suo magnum est. 423 c 1  
 Item misericordem. ibidem  
 Id in Script. quomodo sumatur. 37 c 2-296 d 2  
 Æthiopia vicina est Alexandria. 411 a 1  
 Eam vastavit Nabuchodonosor, item Cyrus, et Cambyses: sita est trans Ægyptum: quando infesta fuerit Iudæis. 474 b 1  
 Æthiopia Africana duplex est. ibidem  
 Unde sic d et a. 474 c 1  
 Æthiopes Iudæis ob coloris differentiam ut quid rarum in pretio fuere. 285 d 1  
 Sunt symbolum servitutis, ab olim a Noe servituti addicti. 285 c 2  
 Iis cur assimilentur Israelitæ. ibidem  
 Typi sunt dæmonum et impiorum. 451 d 2  
 Æthiopem lavare qui dicantur. 285 b 2  
 Æthiopes duplices sunt, scilicet Madianitæ, et Abyssini. 451 c 2  
 Æthiopsis forma dæmon sæpe Sanctis apparuit. 474 c 1  
 Æthiopes tamen dæmonem pingunt album. 474 d 1  
 Æthiops, filius Vulcani, Æthiopiam denominavit. 481 c 2  
 Ævum habet principium, sed caret fine. 364 a 1  
 Affabilitas decet Prælatos et principes. 597 b 1  
 Affectus erga Ven. Eucharistiam quotidie renovandus. 584 c 1  
 Affectus coniugum mutuis esse debet. 654 c 2 et seqq.  
 Affectus et motus animi in Deo est. 65 d 1  
 Afflictio est caminus Dei ad excoquendos suos. 661 c 1  
 Afflictio piorum non diu durabit. 674 a 1-674 a 2 et seqq.  
 Afflictis consolatio est videre quod Deus ipsorum iniurias ulciscatur. 392 d 1  
 Afra (S.) ab Iliaria matre lenam agente, in stupris educata; sed ambæ post Martyres effectæ. 60 d 1  
 Africa circumnaviganda ex Lusitania in Indiam navigare volentibus. 482 a 1  
 Agatha (S.) quid Præsidi responderit, servilem Christianorum vitam ei obicienti. 200 b 2  
 Aggæus Propheta quis: quid eius nomen sonet, quando prophetavit. 41 a 2-447 a 1  
 Eius argumentum. 487 b 1  
 Eius ingens animus. 487 c 1  
 Quot annis eius prophetia de Christo eum antecesserit. 487 a 2  
 Eius prophetie partitio. ibidem  
 An fuerit Angelus incarnatus. 487 b 2  
 Eius vite synopsis. ibidem  
 Iest natus in Babylone, juvenis rediit cum cæteris in Iersalem: an Psalmos aliquos composuerit. 487 c 2  
 Quando Iudæos ad templi fabricam sit adhortatus. 488 b 1-489 c 1 et seqq.-497 a 1  
 Cur vocetur nuntius Domini. 496 b 1  
 Agger dicitur aggerata, id est, congesta terra. 422 a 2  
 Aggere comportato capta Tyrus est. ibidem  
 Per aggeres oppugnantur urbes. ibidem  
 Agilitatis dos in Beatis similis Angelis futura. 675 c 1  
 Hæc eos agilime per caelos transvolare facit. 458 b 2  
 Agnes (S.) Christum sponsum omnibus aliis præposuit. 653 a 1  
 Statura exili fuit. 545 c 2  
 Agnus quomodo ab origine mundi occisus dicatur, cum tunc nondum exstaret. 362 d 2  
 Agnus Paschalis in quo fuerit figura Christi. 577 b 1  
 Agri quando sitire dicantur. 74 a 2  
 Agrorum limites olim erant lapis, erecta columna, titulus. 106 c 1  
 Agros piorum quomodo tueatur Deus. 240 c 2  
 Iis in hieme conducit serenitas, in vere pluvia. 588 a 1  
 Agricola Dei cultum et festa negligentes puniuntur sterilitate. 493 a 2  
 Abias Silonites an Dei iussu Ieroboam regem constituerit. 128 b 1  
 Ain et Ateph litteræ subinde commutantur. 334 b 2

- Ain* solet saepe verti in G. 223 a 1
- Akibas rector scholae Scribarum et Pharisaeorum illustris. 612 c 1
- Alae dantur ventis ob velocitatem. 101 d 2
- Albati aurigae quales essent Romae in ludis Circensibus. 560 d 2
- Colore hoc aerem representabant. ibidem
- Albi equi Zachariae visi indicant gentes Iudaeis propitias. 519 c 1-560 c 1 et seqq.
- Vide Equus.*
- Albae victimae Apollini immolabantur. 640 c 1
- Alcimus templum prophanans percussus paralyti. 606 a 2
- Alcoranum Mahometanorum ex fabulis Iudaeorum et aliis novis consarcinatum est. 485 c 1
- Id iubet Turcas armis sectam suam propagare. 560 b 2
- Alectoria gemma dat in certaminibus robur. 159 a 2
- Alemannus proprie quid sit ex vi verbi. 300 d 2
- Alexander Iannaeus, Simonis Machabaei nepos, urbem Gazam cepit et diruit. 575 c 1
- Alexander Magnus quomodo dicatur Alexandriae conditor. 38 b 1
- Unde se hominem esse perciperet. 97 b 1
- Non intelligitur per virum inter myrteta stantem. 519 a 2
- Nec eius successores per equos a Zacharia visos. ibidem
- Fuit belli fulmen: cur pardo comparetur. 420 d 2
- Qua via orbis imperium pararit. ibidem
- In Script. vocatur hircus caprarum, quia erat adhuc iuvenis. 412 b 2
- Apud Arbellam rex Asiae proclamatus mox Babylonem ingressus est. 561 d 1
- Quanta in rebus omnibus spe niteretur. 432 c 1
- An mare Pamphiliae sicco pede transierit. 592 b 2
- Ex levitate vestem patriam mutavit. 464 a 1
- Quo nomine Gazam expugnarit. 575 b 1
- An fuerit spurius. 575 b 2
- Iaddum pontificem Iudaeorum pronus adoravit. 508 a 2-580 a 2
- Eius propensio in Iudaeos. 508 a 2
- Eius insatiabilis ambitio. 429 a 1
- Eius victoriae variae in Asia. 573 a 1 et seqq.-574 b 2
- Laboriose Tyrum subegit. 574 b 2
- Alexander Severus Imp. in larario habebat imagines Abrahami et Christi. 90 d 2
- Ei sortes imperium denuntiarunt. 310 b 1
- Alexandriae cognomentum est Amon. 409 b 2-410 d 1
- Coluit idolum Tammus. 409 c 2
- Eius situs. ibidem
- Primo olim dicta fuit No: ab Alexandro Magno amplificata, dicta est Alexandria. 409 d 2
- Quando a Nabuchodonosore eversa. 411 b 1-ibidem
- Eius splendor, opes, forma, magnitudo, munitio, celeberritas. 409 d 2 et seqq.
- Eius praeventus e vectigalibus et annona. 410 d 1 et seqq.
- Eius aedificia superba. 410 b 1
- Postea ob plebis sanctimoniam dicta est paradisus Domini: cur ei, licet hostili, Aug. Imp. pepererit. ibidem
- Marcus (S.) eam Christianae fidei asseruit, scholam Ecclesiasticam illi instituit. ibidem
- Ab ortu et occasu cingitur Nilo. 410 c 2
- Abundat aquis circumquaque: quantae ei inde accedant merces. 410 d 2
- Vicinos habet Aethiopes, Abyssinos et Libyes. 411 a 1
- Alfonsus Aragonius, cogitans bellum, per suos rumorem spargebat, cur hoc susciperet. 121 d 1
- Alfonsi VIII, regis Castellae, victoria de Saracenis vi Ven. Eucharistiae. 585 c 1
- Alicariae meretrices quae dicerentur. 207 a 1
- Alienatio a sensibus fieri potest vi morli, opera etiam daemones. 34 a 2
- Alienigenae uxores faciunt viros apostatare a Deo. 652 c 1-654 c 2
- Alleluia au primus in Ierusalem cantarit Aggaeus. 488 a 2
- Aloisius Gonzaga (B) quam sollicitè ambulavit cum Deo; eius in oratione attentio. 375 a 2
- Alta exposita sunt ruinae. 235 b 1 et seqq.
- Altare holocausti symbolum est mortificationis. 195 c 1
- Altaria nostra sunt schema praesepii in quo reclinatus est Christus. 362 a 1
- Alternum dare sanguinem quid sit. 92 c 2 et seqq.
- Alveus maris rubri siccati quare vocetur a Propheta Iutum. 455 b 2
- Amalthaea capra lovis fuit nutrix. 550 a 1
- Amans Deum quid amet, et quantum amet. 439 a 2 et seqq.
- Magis est ubi amat, quam ubi ammat. 136 a 2
- Amantes perdit in suo corpore velut mortui sunt. ibidem
- Amapha erat sudarium sacerdotum: quis eius usus et etymon. 195 a 2
- Videtur fuisse manipulus. ibidem
- Amaricour* cur dicitur pons quidam Leodii. 335 a 2
- Amaritudinum nomine saepe in Scriptura peccata vocantur. 246 b 2
- Amasias pontifex idolorum in Bethel cur accuset Amos apud Ieroboam regem. 268 c 2
- Suadet Amos ut Bethel relicta transeat in Iudam. 268 d 2 et seqq.-269 a 2
- Eius uxor fornicata est, Deo eum puoiente. 271 a 2
- Et aliae eius poenae. 271 b 2
- Ambitio est velut statera dolosa. 164 c 1
- Eius quanta sit vis. 428 d 2
- Inebriat hominem. 433 b 1
- Ambitiosi vento pascuntur. 161 b 1
- Illis variis modis viam ad honores obsepit Deus. 75 a 2
- Ambrosius (S.) monitus a quoquam, gratias monitori agebat. 636 a 2
- Pueri voce designatus est Archiepisc. Mediolan. 663 d 1
- Poenitentes audiens, iis collacrymabatur. 662 b 1
- Ambulandi cum Deo sollicitudo quid requiratur. 374 d 1
- Praxis et modus ita ambulandi per sex alas. 375 b 2
- Ambulare cum Deo quid sit. 375 d 2
- Quomodo huc homo perventurus sit. 376 a 1
- Amiantus lapis constantiae symbolum est. 159 b 2
- Amicus capitur interdum pro marito. 87 c 1
- Amicis regum olim dabatur annulus regius. 509 c 1
- Ab amicis vexari vexatio gravissima est. 616 b 1
- Amici veri typus est sol. 672 a 2
- Veri amici proprietates. 672 b 2
- Ammon fuit filius Lot: eius posterii Ammonitae habitarent in Arabia. 225 d 1
- Ili a Chaldaeis, et ab Antiocho, et a Machabaeis vastati fuere. 225 a 2
- Sunt imago libidinis et libidosorum. 226 a 2
- Iis qualem restitutionem promittat Deus. 287 d 2
- Quando Idumaeos invaserint. 296 c 1
- Quando a reliquiis Iudaeorum direpti sint, et ad vere Dei cultum compulsi. 473 b 2 et seqq.
- Amor est telum violentissimum, quod ex inimicis amicos facit. 152 a 1
- Amoris magnus est amor. 151 c 2
- Est velut quaedam ebrietas. 185 a 2
- Eo trahuntur homines, bestiae funibus. 151 d 1
- Quisque talis est, qualis eius amor est. 136 a 2
- Cur amor vocetur ignis et clibanus succensus. 122 c 1
- Liquefacit partes corporis, et spiritus vitales eo resolvuntur. 122 d 1
- Ex vehementi amore sequitur deliquium et languor. ibidem
- Amor Dei quomodo animam mox immutat. 330 c 1
- Amor fraternus Dei et hominum gratiam conciliat; eius bona. 224 a 2
- Eius bases quinque sunt. 224 c 2
- Amor turpis res impotens est, alteri emancipata, vili sibi. 136 b 2
- Amore et poenis regendi subditi. 596 c 1 et seqq.
- Amorem omnia vincere, quomodo symbolice a Genitibus expressum. 438 b 2
- Amor omnis ponderis libramentum est, et pondus cordis. 448 d 2-647 b 1
- Transformat amantem in similitudinem amati 451 a 1
- Amorem nostrum excitat Ven. Eucharistia. 583 b 2 et seqq.
- Amoris Christi erga nos magnitudo. 609 a 1-616 c 1 et seqq.
- Is quem igneus in nos sagittas iaciat. 448 b 2
- Amorem amori Christo qui rependant. 615 c 2
- Quomodo is rependendus. 616 a 2 et seqq.
- Amorrhaei inter ceteros Chanaanicos robore et savitie eminebant. 229 b 2
- Amos quando prophetarit, et quid prophetet. 40 c 2-215 c 1-217 b 1
- Non est idem cum patre Isaiae. 215 a 1

- Fuit Thecutes. 215 a 1  
 Fuit rusticus armentarius. 215 b 1-269 b 2-216 b 1  
 Fuit Osee coævus. 215 c 1  
 Directe prophetat ad Israel, obiter quoque ad Iudam:  
 ntrique captivitatem prædicit, sed Israelem pro-  
 missione Messiae consolatur. 215 a 2-278 b 2  
 Percussus fuit ab Amasia sacerdote Bethel. 215 a 2  
 Veete per tempora transfixus est in Bethel, sed in  
 Thecæ expiravit. 215 b 2  
 Quæ causa martyrii eius. ibidem  
 Au per biennium tantum prophetavit. 215 c 1  
 Quid nomen eius sonet. 216 b 2  
 Pastoralis more loquitur. 218 a 2 et seqq.  
 Precibus avertit cladem ab Israel. 265 a 2  
 Cur ei Amasias suadeat ut e Bethel in Iudam trans-  
 eat, et quibus argumentis. 268 c 2 et seqq.  
 Cur et quomodo se Prophetam esse neget. 269 d 2  
 Ab armentis subito raptus est a Deo factusque Pro-  
 pheta. ibidem  
 Quomodo se humiliando a Deo exaltatus sit. 269 d 2  
 Victabat sycomoribus. ibidem et seqq.  
 Degebat in Bethel et prophetabat contra vitulos. 274 b 2  
 Amos Patriarcha Hierosolym. quam onus Episcopatus  
 exhorruerit. 663 a 1  
 Amphilocheus (S.) ab Angelis Iconii Episcopus est con-  
 secratus. 663 d 1  
 Amphora est mensura capiens tres modios frumenti,  
 decima pars ephi. 552 d 2  
 Qualis mensura Romanis esset. ibidem  
 Amphora quam vidit Zacharias, significat mensuram  
 peccatorum Iudæorum, punitioni eorumdem a Deo  
 decretam. ibidem  
 Ad quos respiciat. 553 a 1 et seqq.  
 Quid significet. 553 c 2-557 c 1  
 Tria portendit. 553 c 2  
 Significatio, pene eadem est cum libro volante. 553 c 2  
 Amri, pater Achab, rex Israel, idolatriam sæpe a Deo  
 succisam renovavit. 377 a 2  
 Anabaptistæ cur parvulos non baptizent ante usum ra-  
 tionis. 327 d 1  
 Anachoretæ qua ratione spiritum propheticum sint a-  
 depti. 22 a 2  
 Unde dicti sint Ascetæ. 302 c 2  
 Anates palentriæ alias in retia inducunt. 124 b 1  
 Anathematis impiorum et Beatorum quæ sit differentia. 680 a 1  
 Ἀνατολή proprie de ortu solis dicitur. 534 c 2  
 Anaxagoras dixit solem esse lapidem ardentem. 672 b 1  
 Anaxarchus in pila tusus quid tyranno responderit. 466 b 2  
 Ancillæ etiam Spiritum sanctum acceperunt. 200 a 2  
 Andromedæ fabula unde sit sumpta. 308 d 2  
 Andronitis dicebatur pars domus viris deputata. 612 b 1  
 Angelus Romæ gladium visus est in vaginam recoude-  
 re, cum civitas ad vitæ emendationem redisset, in  
 inguinaria lue. 321 a 1  
 Angelus fortis Apocalyp. cap. 5. an ad litteram sit  
 Osee Propheta. 55 a 2  
 Angelo quomodo prævaluerit Iacob. 162 b 1  
 Angelus inter myrteta Zachariæ cur appareat. 517 a 2-518 d 2 et seqq.  
 Quomodo mystice inter myrteta stet. 517 d 2  
 Fuit hic S. Michael. 519 c 2  
 Angelus in columna nubis et ignis castra Hebræo-  
 rum deducens, quomodo vocetur equus. 455 a 2  
 Angelus cur aliquando in Scriptura vocetur Deus. 531 a 1  
 Angeli nomine cur dictus Aggæus et Ioan. Baptista. 496 a 2  
 Angelum malum an quisque habeat, ei a Lucifero as-  
 signatum. 530 c 1  
 Angelus an Zachariæ loqueretur interius mentali vel  
 imaginaria inspiratione. 519 c 2  
 Angeli quomodo loquuntur homini in phantasia. 34 c 2  
 An non sint in loco nisi per operationem. 329 b 2  
 In hominum custodia nec merentur, nec demerentur. 370 d 1  
 An ad hunc incerti sint de sua salute et beatitudine. ibidem  
 Sunt Dei legati. 293 d 2  
 Quamlibet induere formam possunt. 517 d 2  
 Sacerdotes is assimilantur variis de causis. 650 d 1 et seqq.  
 Eorum munia sunt tria, purgare, illuminare, perfi-  
 cere. 650 b 2  
 Eorum est in sanctitate perseverare. 650 c 2  
 Inter eos versatur sacerdos. 517 a 2  
 Recreantur sanctis sermonibus. 486 c 2  
 Lucernis assimilantur. 541 a 1  
 Sunt milites Dei, pro eoque pugnant. 624 b 1  
 Sunt Dei ministri. 547 c 1  
 Eorum symbola sunt ignis, lampades, stellæ, fulgura. 547 a 2  
 Afflictis præsto esse solent. 517 c 1  
 Possunt esse simul advocati et iudices. 529 c 1  
 Sæpe in templis vigilare conspecti sunt. 511 d 2  
 Cur vocentur oculi. 535 d 2  
 Christo tum in passione, tum alias sæpe ministra-  
 runt. 499 b 1  
 Eorum nulli incarnati fuere. 657 c 2  
 Eos an fuerit possibile carnem assumere. 634 a 1 et seqq.  
 Apparere pastoribus ea ipsa hora qua natus est  
 Christus. 498 d 2  
 Eorum perspicacitas et subtilitas. 468 b 1 et seqq.  
 Eorum magna vis est in omnes reges. 522 b 1  
 Eorum conspectus quam olim esset terribilis. ibidem  
 Angeli quatuor tutores Ierusalem et Iudææ, cur  
 vocentur fabri. 521 c 2  
 Angeli septem primarii tutores Ecclesiæ sunt. 535 c 2  
 Quando eorum Scriptura primum meminerit. 536 a 1  
 Ili per septem lampades, et septem agni oculos re-  
 præsentantur. 547 b 1 et seqq.  
 Angeli tutelares Iudæorum an per quatuor quadri-  
 gas denotentur. 558 b 1  
 Angeli tutelares sunt murus igneus Ecclesiæ et quo-  
 rumlibet fidelium. 524 d 2  
 Hi verisimiliter exercent iudicium particulare cu-  
 iusque. 610 d 1  
 Angelus metaphorice vocatur princeps. 590 a 2  
 Angeli cur vocentur arces et munitiones. 479 c 1  
 Animam divinitatis participem esse censuere veteres  
 philosophi. 35 d 1 et seqq.  
 Eius immortalitas. 250 b 2  
 Triplici vinculo Deo colligatur. 74 a 1  
 Separata a sensibus, fit apta ad impressiones Dei,  
 Angelorum vel dæmonum recipiendas, ac per eas  
 ad accipiendam notitiam futurarum. 35 c 2  
 Anima cuiusque est velut urbs. 245 c 2  
 Eius quæ sit lingua. 34 b 2  
 Virgo est conditione naturæ: quomodo fiat meretrix,  
 et quomodo castitatem recuperet. 186 c 2  
 Deserto creatore creaturas amans, adultera est. 87 d 1  
 Eius summa cum Deo unio unde sequatur. 69 b 1  
 Anima fidelis allegorice vinea est. 140 c 1 et seqq.-289 c 2  
 Quomodo ea colenda. 140 d 2 et seqq.  
 Est domus et templum Christi: quæ domus huius  
 partes. 289 b 2  
 Est hortus, imo paradisi Domini. 290 b 1  
 Quomodo is enique colendus. 290 a 2  
 Est turris gregis, et filia Sion, et Ophel. 352 b 2  
 Quomodo arida, squalens, sitiens, dici queat. ibidem  
 Amans Deum, fit spiritalis, angelica, divina, et in  
 Deum quodam modo transit. 136 c 2  
 Quomodo fiat sponsa Dei. 79 d 2  
 Peccato fit domus diaboli. 246 c 1  
 Eius tunc miseria et squalor. 186 c 2  
 Tunc est velut urbs eversa. 348 a 2  
 Item cloaca et latrina. 131 a 1  
 Anima penitens quomodo ad Deum revertatur. 75 d 2  
 Et Deo tunc æque grata est. 77 a 2  
 Anima arida non parit nisi monstra et venena vi-  
 torum. 74 b 2  
 Anima per antiphrasin aliquando ponitur pro cada-  
 vere. 506 d 2  
 Animæ vita est pietas, quam tollit impietas. 555 c 1  
 Anima est tropologie currus; et quinam eius equi. 453 a 1  
 Anima per virtutes et cruce expolienda. 537 d 1-641 b 1  
 Anima Christi quam perfecte a Spiritu sancto orna-  
 ta, Verboque adaptata sit. 537 a 1  
 Anima sancta allegorice est terra desiderabilis. 667 c 2  
 In celo perficietur. 432 b 1  
 Cælum est. 537 c 2  
 Ab Angelis sæpe visitatur. 512 a 1  
 Eam decet sanctitudo. ibidem

- In ea non minus Deus colitur, quam in templo. 512 b 2  
 In ea Deus praesens est et praesidet. 512 c 2  
 In ea substantiahter Deus habitat. 512 d 2  
 Dignae cum Deo conversetur. 513 a 1  
 Anima beatae sanitas erit triplex. 674 c 1  
 Anima et caro tropologicè sunt Iacob et Esau. 293 d 1  
 Annas fornicantes qui convertunt, amuli sunt Osee fornicariam dicentis. 61 d 1  
 Eas qui curant, periculis a Deo eximuntur. 317 c 1  
 Animae diversis artibus a demone decipiuntur. 123 b 2 et seqq.  
 Eas convertere volens Siren sit oportet. 335 c 1  
 Animarum ad Christum convertendarum tempore Evangelii quanta futura copia. 289 a 1  
 Animas quales Christus ad inferos descendens e Purgatorio liberavit. 173 c 1  
 Animae peccantium sunt plenae mendacii. 407 b 2  
 Sunt quasi ficus in os diaboli cadentes. 411 a 2  
 Animas ante Christi mortem ivisse ad caelum docent Calvinistae. 579 a 1  
 Animalia parvum habentia cor generosa sunt, quae vero magnum timida. 16 a 1  
 Quae eiusdem generis sunt, in periculo mortis congregantur. 93 d 1  
 Quomodo ab auctore naturae cibum et potum sibi congruum petant. 194 c 2  
 Animalia parva magnum Dei artificis sunt artificium. 264 a 2  
 Animalia *καρροδοῦσα* quae sint. 313 a 2  
 Animalia duo, in quorum medio cognoscendum Christum Propheta ait, quid sint et quid significant. 443 c 2  
 Omnes animalium species quae sunt in terra, proportionaliter sunt et in mari. 424 a 2  
 Anna, mater Samuelis, quam erga Deum grata exstiterit. 138 b 1  
 Anna et Caiphas fuere pastores perversi. 602 b 1  
 Annulo ferreo olim usi Romani, postea aureo. 404 c 2  
 Eo litteras et testamenta obsignabant. 509 b 1  
 In digito cur is gestaretur. ibidem  
 Dabatur legatis missis ad exterarum gentes, item victoribus et triumphantibus, sed maxime amicis. 509 c 1  
 Inter sponsores erat signum mutui amoris. ibidem  
 Est signum fidei coniugalis. ibidem  
 Priscis habitus est symbolum prudentiae. 509 a 2  
 Varii annuli tum magici, tum artificiosi, recensentur. ibidem  
 Annus in aetatem et hiemem dividitur. 378 b 1  
 Annum Hebraei vocant *iamin*, id est dies, cur. 88 d 2  
 Annus magnus quis Mathematicis sit. 70 c 2  
 Annus septimus Hebraeis erat totus sacer. 275 c 1 et seqq.  
 Annorum quibus Prophetae prophetarunt, subductio. 40 a 1 et seqq.  
 Anno lunari utebantur Iudaei, is xi. diebus minor est anno solari. 489 c 1  
 Illi annu n et menses duplices habebant. ibidem  
 Anno sacro utebantur ad res sacras; quis primus eius mensis. 489 c 1  
 Profanus quando inciperet. 489 d 1  
 Annus saepe capitur pro clade insigni quae tali anno contigit. 442 a 1  
 An tot anni futuri sint post incarnationem Christi, quot ante eam praecessere. 442 c 2  
 Anni 70 desolationis templi et urbis quando incipiant et finiantur. 489 a 1  
 Antichristus cur sedem in Ierusalem constituturus sit. 100 c 1  
 Eum dabit Deus Iudaeis et improbis in furore suo. 169 d 1  
 Ipse aliquo modo vocari potest ventus ureus. 174 a 2  
 Colet Deum Moazim, id est, fertitudinum. 428 c 1  
 Eum quomodo Christus in fine saeculi per plagas horrendas perditurus sit. 452 a 2  
 Per tres annos eum dimidio Ecclesiam opprimet. 544 b 2  
 An in Babylone regnum sit inchoaturus. 556 a 2  
 An illic nasciturus. ibidem  
 Eius typus fuit Nabuchodonosor. 556 b 2  
 In Christianos saevus, in Iudaeos benignus futurus est; eius mors et scelera describuntur. 602 b 1  
 Volet a suis ut numen adorari. 602 b 2  
 Eius qui fuerint apud Iudaeos prodromi. 602 c 1  
 Eius persecutio quam gravis futura sit. 620 a 1  
 Huius typus fuit Antiochi et Pharaonis persecutio. 620 a 2  
 Ex monte Oliveti deturbabitur in tartara. 621 c 1-622 c 2  
 Iudaeis erit Angelus testamenti. 557 a 1-659 d 1 et seqq.  
 Antiochia urbs dicta Emath Hebraice. 256 a 1  
 Eius situs. 256 c 1  
 Cur ab Amos dicta Magna. ibidem  
 Qui eam condiderint. 256 b 1  
 Eadem vocatur nunc Antiochia, nunc Epiphania, nunc Reblata. ibidem  
 Fuit terminus terrae sanctae ad Septentrionem. 256 d 1  
 Eam Salomon valde communivit: obtinuerunt eam deinde Syri. ibidem  
 Postea ab Alexandro Magno occupata, et ab Antiocho illustrata est. 256 a 2  
 Quomodo ponatur aliquando intra fines Damasci. ibidem  
 Urbes decem sunt dictae Antiochia. 256 c 2  
 Cur dicta Hebraeis *Chamai*, et *Chamma*, id est, sol. 256 d 2  
 Haec postea, Nestori haeresim amplexa, ingenti terrene motu concussa est. 218 b 1  
 Antiochus Epiphaneus cur accipitris cognomen assumpsit. 157 c 1  
 Dira a Deo morte punitus fuit. 628 c 1  
 Fratris filium regno paterno exclusit, hinc perpetua bella fuere inter utriusque posteror. 224 d 1  
 Eius persecutio fuit modici temporis. 560 c 1  
 Antiochus Sidetes Iudaeam vexans repente divinitus tactus foedere inito recessit. 606 a 2  
 Antipater Martyr testis fidelis Dei. 158 d 2  
 Antistites omnes Christo comparati parvi sunt, et umbrae dumtaxat. 491 a 1  
*Fide Praelati.*  
 Antoninus (S.) corpore perquam fuit exiguus, monstrum tamen memoriae, doctrinae, sanctitatis. 545 b 2  
 Antonini (M.) Philosophi Imp. in uxoris adulteris lenocinium. 59 a 1  
 Antonius (S.) Deo videante, cum daemoneb luctabatur. 484 a 1  
 Suos monuit, semper sibi persuaderent, illum diem vitae ultimum fore. 475 b 2-364 d 1  
 Antonius (S) de Padua omnes vita sua ad perfectionem animabat. 24 a 1  
 Apellis haeretici blasphemia de Prophetis priscis. 18 a 2  
*Apha* verti potest ut appellativum, significans pulverem, et ut proprium urbis. 333 b 2 et seqq.  
 Tropologicè mortem denotat. 335 d 2  
 Aphraatis Eremitae responsum ad Valentem Imp. Arrianum. 234 d 2  
 Precibus locustas a cuiusdam agro abegit. 183 b 2  
 Apim coluerunt Aegyptii, et Hebraei in Aegypto degentes, et in deserto sub forma vituli: renovavit hunc Ieroboam rex. 142 b 1-142 d 2  
 Eius forma. 142 d 1  
 Apio viridi aegri sanantur pisces. 425 d 2  
 Apocalypseos prophetae multae adhuc futurae sunt: eas particularibus eventibus accommodare error est. 38 d 2  
 Apollinis et citharam et sagittas tenentis quod sit hieroglyphicum. 616 b 1  
 Apologus tres habet partes, *μυθου, προμυθου* et *επιμυθου*. 232 b 2  
 Apologis cur frequenter utantur Prophetae. 33 a 1  
 Apostatae a fide vel Ordine sunt onagri solitarii. 131 d 1  
 Apostoli an comederint carnes et biberint vinum. 23 a 2  
 Sunt testes Dei fideles. 159 d 2  
 Propter unum Iudam tempestate iactati sunt. 309 d 1  
 Cur, Christo eunte ad passionem dormirent. 309 a 2  
 Sunt salvatores Israelis, cur. 303 a 1  
 Sunt victores vineae Domini. 81 c 2  
 Eorum plerique e Nephthalim et Zabulon prognati. 66 d 1-67 c 1-580 a 1-580 d 1  
 Quomodo e Iudaea in Hispaniam mystice excurrunt, atque inde in Africam, etc. ut incolae Christo subiciant. 301 c 2  
 Gentes vicinas Iudaeae Evangelio paulatim subegere. 300 b 2  
 Figura eorum est Ionas missus in Niniven ad praedicandum. 306 d 1  
 Quomodo sint velut leones. 367 d 2  
 Evangelium praedicantes, passim a variis gentibus urbibusque vicinis cogebantur, ut pari modo apud se evangelizarent. 289 d 1  
 Montibus mustum dulcissimum stillantibus comparantur. ibidem

- Sunt velut pastores et principes Ecclesiae. 367 b 1  
 Quomodo sint duces Iuda. 607 b 1  
 Igniti fuere et ardentis. 607 c 1  
 Quibus instrumentis orbem converterint. 573 b 1  
 Sunt Patriarchae novi testamenti. 581 d 1  
 Globis assimilantur. 581 d 2  
 Doctrina sua mundum illustrarunt. 540 d 2  
 Quomodo vere Iudaei mystice fuerint. 572 a 1  
 Quomodo familia et domus David vocentur. 608 b 2  
 Verbis et opere praedicaverunt. 490 a 1  
 Arcubus comparantur. 580 d 1  
 Sunt quasi quadriga Christi. 560 b 2  
 Equis generosis assimilantur. 590 a 1  
 Sunt nives, nubes, venti, fulgura. 589 b 1  
 Fuere viri portenti. 533 d 2  
 Per equos rufos mystice repraesentantur. 559 d 1  
 Quomodo sint mystice filii Levi. 662 d 1  
 Ipsi Christus subiecit omnes gentes. 527 b 2  
 Eorum fuga in passione Christi. 617 d 2  
 Eos Graciam Christi fidei subiugatos a Prophetis praedicatur. 580 b 2  
 Horum filii sunt viri Apostolici et praedicatores. 482 d 1  
 Ipsi Deus iter difficultatum pervium velut fecit ad orbem Evangelio subiiciendum. 455 c 2-592 c 2  
 Ipsi quomodo Christus sit cooperatus. 541 d 2  
 Eorum sermones ardentis fuere quasi lapides fundae. 580 c 2  
 Eorum zelus et victoria. 580 d 2  
 Fuerunt quasi grex electus a Deo. 581 b 1  
 Item lapides primarii et sancti. 581 c 1  
 Appion ab Homero evocato ab inferis quid petierit. 485 d 1  
 Apponi ad patres quid sit. 93 a 2  
 Apum industria in parvo corpore. 16 a 1  
 Aqua si effundatur, nihil eius vasi adheret. 106 d 2  
 Aqua pluviae quomodo dicantur in nubibus ligari. 101 d 2  
 Aquae quomodo Ionam penetrarent. 315 a 1  
 Aqua est aer crassior. 425 a 1  
 Symbolum est refrigerii. 579 b 1  
 Item populi copiosi. 403 b 2-404 c 1  
 Aqua maris salsa quomodo pisces nutriri queant. 424 b 2  
 Aqua expiationis apud Iudaeos tollebatur omnis immunditia legalis. 614 c 2  
 Est haec typus sanguinis Christi. ibidem  
 Aqua Virgo Romae omnem aliam aquam refugit. 586 d 2  
 Aquae vivae vocantur fontanae. 625 d 1  
 Aquae ductus Iudaeorum et Romanorum fuere ut miracula. ibidem  
 Aquilae vulturinae an clangant. 127 a 2  
 Earum vox quam caeteris avibus terribilis. ibidem  
 Eae in Scriptura non raro aquilae vocantur. 127 b 2  
 Aquila vera pene muta est, idque ex animi magnitudine, qua animae affectus regere novit. 127 a 2  
 Praedam vivam quaerit. 127 b 2  
 Toto corpore depilatur, cum senescit. 338 b 1 et seqq.  
 An solo capite decalvetur. 338 a 2  
 Cum ei defluunt pennae, infirma est, et se abscondit. 338 b 1  
 Ipsa se depilans et renovans symbolum est penitentis. 338 c 2  
 Et peccatoris ac resurgentium ad gloriam. 338 d 2  
 Aquilae in montibus an nidificent. 294 b 2  
 Iis assimilantur sapientes superbi. ibidem  
 Eas Chaldaei, et postea Romani, in vexillis praeferebant. 421 c 2  
 Aquilifer Romanis vocabatur ipse signifer. ibidem  
 Aquilo symbolice est diabolus. 196 d 1  
 Aquilo in Italia et Romae salutaris est. 446 a 1  
 Aquilo et Auster quid symbolice denotent. 445 d 2 et seqq.  
 Aquilonaris ille tyrannus, quem significat loel venturum contra Ierusalem, quis sit. 196 a 1  
 Arabes latrocinii erant infames. 420 c 2  
 Arabia Iudaeae erat ad Austrum. 446 b 1  
 Eam Scriptura vocat nomine Aethiopiae. 481 b 2  
 Eius flumina. ibidem  
 Arabica interpretatio Bibliorum duplex est. 18 c 2  
 Araneorum quoddam genus, quod alios ridendo cogit emori, alios flendo desiderio suorum. 249 a 1  
 Araneorum telas sibi textit quilibet peccator. 129 d 2  
 Arare Hebraeis idem est, quod operari et colere. 145 d 2  
 Arationem incipientes, solebant Gentiles sacrificare daemonebus petentes fertilitatem. 133 b 1  
 Ararat olim circum urbem aedificandam ducebatur, et ei iam eversa idem inducebatur. 348 a 1  
 Arbaces rex Assyriorum post Sardanapalum. 322 c 1  
 Arbel quis locus, vel princeps, et unde urbs illa appellata. 148 a 2  
 Verisimilius est idem esse per crasin quod Ierobaal, id est, Gedeon. 148 b 2  
 Arbitrio (in) cuiusque est, quamdiu vivit, vel bene agere, vel male. 155 d 2  
 Item salus vel damnatio. 679 d 2  
 Arbor scientiae boni et mali putatur fuisse ficus. 270 c 2  
 Arborea incisae in Brasilia dant potum. 75 b 1  
 Arborea amisso cortice, exarescunt. 186 c 1  
 Arca testamenti Ecclesiae triumphantis typum gessit. 212 d 2  
 Ei quasi curru bellico gloriae suae Cherubinis stipatus Deus insidebat. 452 b 2  
 Erat haec velut quadriga. ibidem  
 Vocatur gloria populi Israel. 525 c 1  
 Non fuit in secundo templo, sed ad eius imitationem effecta alia. 495 a 1  
 Arcana Dei iudicia non sunt scrutanda. 495 c 1  
 Arces nidi sunt tyrannorum. 294 d 2  
 Architecti libella cur utantur. 521 d 1  
 Arcturus quae sit stella; est stella ingens in sidere Bootis post caudam ursae maioris. 247 a 1  
 Quando oriatur; suo ortu et occasu grandines et procellas ciet. 246 d 2 et seqq.  
 Ei Ecclesiae comparatur. 247 c 2  
 Arcus dolosus quis dicatur, et quomodo efformetur. 125 d 2  
 Arcus magni pedibus intenduntur. 579 d 2  
 Areopagitae iudices noctu cur indicarent. 651 c 2  
 Argenteus olim fuit medium sili, et duplum deuarii. 599 a 1  
 Argentum omne Dei quomodo sit. 502 b 2 et seqq.  
 Arietem agentes, latebant sub testitudine; eius forma. 403 a 2  
 Arimazis superba ad Alexandrum Magnum responsio. 294 a 2  
 Aristippus Philosophus aulas regum sectabatur. 464 b 1  
 Aristobulus Simonis Machabaei filius Tyrum expugnavit. 574 d 2  
 Cum Ilyreano de pontificatu decertans causa fuit cur Iudaei a Pompeio subacti sint. 595 c 1-601 c 1  
 Arma hostium bello capta suspendi solent Deo, ut illi victoria accepta referatur. 354 a 2  
 Armenia Hebraeis dicitur Aram vel Armen ab Aram filio Sem; in eius montibus primum quievit arca Noe: est proviciis omnibus excelsior. 239 b 1  
 Armenta sunt maiora animalia, et unde vox ipsa formetur. 269 b 2  
 Armus dexter victimae pacificae sacerdoti cedebat, quid hoc tropologice declararet. 648 a 2  
 Arrius Christi divinitatem et aeternitatem negabat. 363 c 1  
 Eius schisma caelesti prodigio praevotatum. 622 a 1  
 Succisus est a Concilio Niceno. 522 c 2  
 Eius feralis mors. 628 d 1  
 Arrii (in) Philosophi professoris Alexandrini gratiam Alexandriae victae pepercit Augustus. 410 b 1  
 Artaxerxes ad templum Hierosol. sumptus et oblationes misit. 565 a 2  
 Artaxerxes Longimanus an fuerit Darius is, sub quo prophetavit Aggaeus. 488 b 1  
 Sextus Persarum rex fuit. 488 c 1  
 Artes mechanicae etiam Dei dona sunt. 498 a 2  
 Asa rex Iuda millionem Aethiopiis cecidit, et an huius victoriae meminerit Abdias. 285 d 2  
 Asarhaddon rex Assyriorum an fuerit Sardanapalus 322 c 1-398 c 1  
 Victus est a Merodach-Baladan, fuitque ultimus Assyriorum rex. 399 c 2  
 Sobolem regni successorem non reliquit. 396 a 1  
 Ascalon a Ionatha Machabeo incesa, postea reaedificata fuit; illic natus Herodes Magnus; hodie Saracenorum propugnaculum est. 575 a 2  
 Quam Ascalonitae infideles Christianis olim infensi fuerint. 575 b 2  
 Ascendere Hebraeis idem est quod ire, pergere. 209 a 1  
 Est verbum militare et forense. 209 b 1  
 Ascendere capitur interdum pro crescere. 70 a 2  
 Ascensio Dei quae dicatur. 284 a 1  
 Ascensus cur dicatur transitus a Gentilismo et Iu-

- daismo. 70 d 1  
 Asia minor olim paradisi, iam multis in locis inculta  
 squalet. 270 d 1  
 Asina typus est Iudaeorum oneri legis assuetorum. 577 d 2  
 Item animae mitis et humilis. ibidem  
 Super as nam Christus sedit in suo triumpho, non  
 asinum. 577 b 2  
 Sedit super asinam et pullum successivo. 577 c 2  
 Asini in Palestina equis pares sunt velocitate, et ea-  
 dem officia praestant quae equi et muli. 577 b 2  
 Asinus asina est in remissione operis deterior. ibidem  
 Asinus et bos a quo abducta in stabulum in quo Chri-  
 stus natus est. 444 d 1  
 Asinus denotat lascivos, gulosos, pigros. 445 a 2  
*Aspicere* aliquando sumitur pro delectari. 353 a 2  
 Aspiratio Hebraea II saepe per A vertitur. 187 c 2  
 Aspiraciones quaedam pia ad Iesum per diem usur-  
 pandae 502 d 1  
 Assuerus habebat septem principes sibi adstantes. 367 a 1  
 Assuerus et Cyaxares an idem sit rex. 398 b 2  
 Assuerus idem est qui Darius; erat hoc commune  
 Persarum nomen. 517 c 2  
 Assyrii sub specie locustarum aliquando Prophetis de-  
 monstrati. 264 b 1  
 Eorum avis cur dicatur columba. 157 d 1  
 Caestem vindictam Sennacherib quomodo expres-  
 serint. 132 a 1  
 Cur Assyrii vocabantur quivis potentes tyranni, sive  
 Graeci essent, sive Persae. 356 a 2-366 c 1  
 Significant quoque quoslibet hostes Ecclesiae, item  
 daemones. ibidem-ibidem  
 Eos intelligit Michaeas per *filiam latronis* et latro-  
 nes. 355 b 2  
 Cur equis rufis comparentur. 559 d 2  
 Cur spinis. 395 a 1  
 Cur comparentur leonibus. 405 c 2  
 Cur columbam colerent. 477 d 1  
 Respectu Iudaeae ad Aquilonem siti sunt. 474 b 2  
 Eorum reges varii post Sardanapalum recensentur.  
 387 a 1 et seqq.  
 Eorum monarchia quot annis steterit. 400 c 1  
 Sub Babilonis saepe ab historicis promiscue capiuntur. 398 a 2  
 Astomi an balitu et odore attracto solum vivant. 424 c 2  
 Αστροα dicuntur quasi αστρακη, id est, fulgur. 453 b 2  
 Astronomici annuli ad quid formentur. 509 b 2  
 Astyages, filius Cyaxaris, regnavit post patrem in Media. 400 c 1  
 Et quando. 399 c 2 et seqq.  
 Atargatis Dea erat conflata ex muliere et pisce: unde  
 id nomen derivetur, quomodo coleretur. 428 a 1  
 Ate Dea e caelo deturbata, in terra hominibus nocet. 449 c 1  
 Athanasius (S.) quasi Atlas Ecclesiae unus stetit pro fi-  
 de contra Arrianos. 158 b 2  
 Modico flexu vocis faciebat sonare lectionem psalmi. 251 d 1  
 Episcopatum renuens, a Deo ad eum vocatus, eum  
 acceptavit. 308 d 1  
 Athei putant animam esse mortalem. 250 b 2 et seqq.  
 Athenienses magistratus sorte creabant. 309 d 2  
 Athleta cur se ungerent oleo et luto. 433 d 2  
 Atra omnia videntur maestis et pavidis. 210 c 1  
 Attacus, vel Attelabus, est locusta alis vestiri incipiens. 182 b 2  
 Attributa omnia in Deo habent verum esse, in creatu-  
 ris umbram essendi tantum. 263 c 1  
 Attributa Dei quaedecim nobis imitanda sunt. 193 b 1 et seqq.  
 Avari cuiusdam mortui cor in arca nummaria reper-  
 tum. 124 b 2-467 c 1  
 Avarus dicitur quasi avidus aëris. 281 a 1  
 Quomodo se ad Deum convertet. 175 a 1  
 Est velut dolosus mereator. 163 a 2 et seqq.  
 Avarus mille habet artes capiendi opes aliorum, et  
 quidem occulte. 272 c 2  
 Inferno est similis, cur. 282 d 1  
 Item insanienti. 282 a 2  
 Fidem et gratiam perdit. ibidem  
 Quod avidè congestit, haeres luxuriosus saepe pro-  
 digit. 282 b 2  
 Eius oculi, aures et pedes quales sint. ibidem  
 Aurum suum facit idolum. 129 b 2  
 Perpetuo somniat de sua pecunia. 281 b 1  
 Iusto Dei iudicio penuria punitur. 276 a 1  
 Ei Deus dat opes ad supplicium cupiditatis. 503 a 1  
 Avaritia et luxuria sunt duae filiae diaboli et insatiabiles. 120 d 2  
 Illa idolorum est servitus. 129 b 2  
 Per aëroginem designatur. 467 b 1  
 Eius symbolum est dipsas serpens. 281 d 2  
 Avaritia in capite esse quomodo intelligatur. 281 a 1  
 Ex eo mutant omnia mala Ecclesiae. 281 c 1  
 Ipsa duriora iubet quam Christus. 282 b 1  
 Aliae eius et avarorum proprietates e SS. Patribus  
 afferuntur. ibidem et seqq.  
 Est honorum ariditas officiorum. 282 a 2  
 Multat diabolo. 282 b 2  
 Hominem oculis, auribus, pedibus truncat. ibidem  
 Comparatur hydrae, Briareo centimano, et Scyllae  
 omnia sorbenti ibidem  
 Tam animae avari, quam corpori proximi lethale sa-  
 pe vulnus intelligit. 280 c 2  
 Cur vocetur ignis. 376 c 2  
 Avaritiae mala quae dicatur a Propheta. 434 a 2  
 Quae avaritia bona sit. 434 b 2  
 Avaritia quanta sit vis. ibidem  
 Instar vini inebriat hominem. 433 b 1  
 Assimilatur amphorae quam vidit Zacharias, hanc su-  
 perbia et inanis gloria in altum levant. 557 a 2 et seqq.  
 Eius poena congrua est egestas. 648 a 1  
 Αγγλωδης quatuor diversa significat. 351 c 1  
 Auctor alienius rei, in Scriptura quis esse dicatur. 38 a 1  
 Auctor cur in Prophetas hunc commentarium scrip-  
 serit. 18 b 2  
 Eius brevitatis. 19 b 2  
 Eius in Scripturis volutandis assiduitas. 27 a 1 et seqq.  
 Deo, si quid in eis potest, acceptum refert. 15 a 1  
 Averruncare quis Deus Gentilibus esset. 483 c 2  
 Averruncare idem est quod avertere. 483 b 2  
 Aves ovis aut pullis sublatis e nidi loco fugiunt. 123 b 2  
 Aves palentriae quae. 124 b 1  
 Avis Aegypti est ibis vel accipiter, cur. 157 a 1  
 Aves aliquae volant in aere, et natant in aqua. 425 b 1  
 Angeli, symbolice aves cur dicantur. 425 c 1  
 Aves pene omnes cum sole occidente dormiunt, cum  
 oriente canere incipiunt. 673 a 2  
 Augustinus (S.) quam difficile se a concubinato ex-  
 pedierit. 145 a 2  
 Quomodo eum et amasiarum consuetudinem tandem  
 discussit. 344 a 2  
 Inimicus fuit dicacitatis mensalis. 395 c 1  
 Augusti Imp. obitus. 30 d 1  
 Moriens Romam reliquit marmoream. 334 c 1  
 Eius libidines imitatae sunt duae Iuliae, filia et neptis. 99 c 1  
 Eius ossa legerunt primores equestris ordinis. 260 b 2  
 Aegre tulit Romanos pallatos incedere. 464 c 1  
 Quibus de causis pepercerit Alexandriae. 410 a 1  
 Graecorum in Aegypto monarchiam extinxit. 561 a 2  
 Vidit virginem Deiparam infantem ulnis gestantem;  
 cur puero Hebraeo nascituro aram in Capitolio e-  
 rexerit. 499 c 1  
 An Iani templum ter clauserit. 499 a 2  
 Cur amplius Dominus noluerit nominari. 499 d 2  
 Factus orbis monarcha, Christi fuit praeventus. 500 a 1  
 Aurelianus Imp. quomodo Romam auxerit. 319 b 1  
 Auris corporis in Scriptura significat aurem mentis,  
 puta voluntatem. 29 b 1  
 \*Aurora comparatur Christi ortus tum divibus, tum  
 humanis. 112 b 2  
 Aurugo quod vitium segetum sit. 240 d 2  
 Vide Rubigo.  
 Aurum est occultus hominis tyrannus. 164 b 2  
 Eo expugnantur omnia. 152 b 1  
 Aurum infectum quid dicatur, quid factum, quid si-  
 gnatum. 404 b 2 et seqq.-467 b 1  
 Expurgatur per plumbum, non per stannum. 546 a 2  
 Aurum est avari idolum, et cur. 467 b 1  
 Defodiabant id Babytacei. 404 b 2  
 Quando primum Romam invectum. 404 c 2  
 Cur pallescat. ibidem  
 In Utopia Mori non aestimatur. 405 a 1  
 Auri quantum David filio pro templi fabrica reti-

- querit. 505 b 2  
 Id omne disperit vel incendio, vel rapina Chaldæorum. 505 e 2  
 Auster unde Hebraice dicatur Theman. 445 d 2  
 Cur dextera pars mundi vocetur; symbolum est felicitatis et bonorum 446 a 1  
 In Italia noxius et pestifer est. ibidem  
 Mystice quid sit. 446 d 1  
 Est ventus vitalis, calidus et foetidus. ibidem  
 Australium provinciarum conversio ad Christum, in Scriptura prædicta est. 301 e 2  
 Autumnus tempus fructuum est. 378 b 1  
 Azazel rex Syriæ Israelitas victos ferreis plaustriis triturauit. 221 e 1  
 Azoti tempore Christi habitaverunt Iudæi. 575 e 2
- B**
- Baal, Baalim, Bel, Bal, Belus, erat Jupiter Belus, primus Deus Chaldæorum. 76 b 1-83 b 2  
*Baal* Hebraice quid significet. 83 b 2  
*Baal pharasim*, quis sit locus. 96 b 1  
 Babylon a Nemrod, non a Nabuchodonosore condita. 399 b 2  
 Quantæ olim fuerit magnitudinis. 38 b 1  
 Quando a Dario Hystaspis expugnata. 525 b 2  
 Quomodo ea expugnatio peracta. ibidem et seqq.  
 Eius structura quomodo et cur superbiret Nabuchodonosor. 434 c 2  
 Ipsa sedes idololatriæ et impietatis est. 556 e 2  
 Babylonii cur in bello vestibus rubris uterentur. 560 a 1  
 Eos subactos cur Xerxes iusserit voluptatibus indulgere. 96 e 2  
 Babytaeni aurum defodiabant, ne cui esset noxæ. 404 b 2  
 Bacchanalibus grassatur impietas; hinc eo tempore Dei indignatio precibus avertenda. 557 e 1  
 Hac suggillantur. 606 a 1  
 Bacchus vitis inveniens est noster Noe. 309 a 1  
 Baculo divinatorio divinabant veteres. 98 b 1  
 Balaam quid suaserit regi Balac ad perniciem Israelis. 372 b 2  
 Balena non fuit cetus qui Ionam devoravit. 313 a 1  
 Balsasar a Cyro cæsus factus est fabula omnibus gentibus. 433 e 2  
 Baptismus an sit fons patens domui David. 613 d 1  
 Parvulos iustificat ex opere operato. 327 e 1  
 Baptizatis olim mox a baptismo dabatur Eucharistia. 587 b 2  
 Quamdiu is mos duravit. 587 d 2  
 Barbara (S) in tormentis semper Deo fisa est. 477 b 2  
 Barbari etiam symbolis in scientiis suis usi. 19 a 2  
 Barchochebas fuit stultus Iudæorum pastor. 602 b 1  
 Barlaam Eremita non alios vitæ annos computabat, quam quos Deo dedicasset. 491 e 2  
 Basilea quid proprie diceretur. 269 e 1  
 Basilius (S.) in eremo orationi et sacrarum Litterarum studio vacavit. 79 b 1  
 Bavo (S) quomodo dæmonem tentantem confuderit. 531 d 1  
 Beati perpetuo laudant Deum. 481 d 1  
 An lingua Hebræa. 481 a 2  
 Eorum gaudia in cælo erunt æterna. 459 b 1  
 Ibi servant Deo labio uno electo. 481 d 1  
 Quos Deo ibi hymnis concinant. 459 b 1  
 Sunt peculium Dei. 669 e 1-670 a 2  
 Sunt de gloria securi, nihil mali sentiunt. 670 a 2  
 In die iudicii cur optabunt egredi cælo. 528 a 2  
 Sunt anathema misericordiæ et gloriæ divinæ. 680 a 1  
 Quibus nominibus Deum assidue laudent. 638 d 2  
 Stupent eius gloriam silendo. 438 e 1  
 Quomodo saliant, et quo sensu. 675 d 1  
 Eorum chori et choræ. 675 a 2  
 Quomodo impios sint conculcaturi. 675 e 2  
 Beatitudo est nosse Deum. 92 d 1  
 Beatitudo nostra consistit in visione Dei. 34 b 1  
 Beda an sit liber de Divinatione mortis et vitæ. 310 e 1  
 Beelphegor colebatur fornicando iuxta eius idolum. 229 b 1  
 Beerri pater Osee, an idem cum Beera principe tribus Ruben. 56 b 1  
 Belgii provinciarum præcipuarum egiæ. 334 d 1  
 Bella perpetua cur fuerint inter Syros et Israelitas. 221 b 1  
 Item inter Moabitas et Ammonitas. 227 a 1  
 Bellorum strages sæpe præeunt locustæ, bruchi et erucæ. 184 b 1  
 Quod belli signum priscis Romanis erat. 274 d 1  
 Bello capti quasi mancipia detondebantur. 338 b 1  
 Bellum sanctificare quid sit litteraliter et tropologice. 208 d 1  
 Bellum sanctum quod dicitur. 134 e 2  
 Belomantia utebantur veteres. 98 b 1  
 Belus cur vocetur sagena Nabuchodonosoris. 427 e 2 et seqq.  
 Is erat Deus Chaldæorum. 427 d 2  
 Benadad commune nomen regum Syriæ a primo eius rege Adad. 222 e 1  
 Benedictini monachi ob nimias opes a primæva sanctitate deciderunt. 80 b 1  
 Benedictio Abraham et Israeli promissa pertinet ad eos omnes qui credunt in Christum. 67 d 1  
 Quæ est benedicendis in eo omnibus gentibus, impleta est in Christo. 508 e 2  
 Benedictio religiosæ vitæ quæ sit. 511 d 2  
 Benedictio nomine vocatur imber copiosus. 667 a 1  
 Benedictus Papa Henrico Imper. Romani ingresso ponum aureum cruce aurea desuper eminente donno dedit. 273 b 1  
 Beneficentia de inimicis amicos facit. 596 d 2  
 Propria Prælatorum et Principum virtus est. 597 b 1  
 Beneficii tribuntur homines. 151 d 1  
 In Beneficiis Ecclesiasticis dandis illicita sors est. 309 d 2  
 Beneficia Dei quam a nobis gratiarum actionem exigant. 459 d 1  
 Benjamin Tribus cum Iuda in unam rempubl. et Ecclesiam coaluit postea. 527 d 2  
 Benignitas Dei in peccatores. 192 d 1  
 Bernardus (S.) orando S. Scripturam intellexit. 26 e 1  
 Eius ad lesum suspiria. 501 d 2  
 Bersabee erat terræ sanctæ terminus ad meridiem, unde dicta sit; ponitur inter urbes Iudæ; eius descriptio. 246 a 1  
 Bestiarum fit raritas vastatis urbibus et locis. 461 b 2  
 Bestiis variis assimilantur vitia, et iis dediti. 145 b 2  
 Etiam bestię ad Deum clamant. 322 d 2  
*Vide Feræ, Bruta.*  
*Bethaetsel* accipi potest primo, ut nomen proprium loci; secundo, ut appellativum, significans domus vicina 335 b 1  
 Bethaven vocantur decem Tribus schismaticæ, cur. 17 b 2  
 Ignobis urbs Iudææ fuit. 100 d 1  
 Ita vocatur Bethel per antiphrasin. ibidem  
 Bethel fuit urbs celebris, primo sanctitate, postea idololatria. 100 d 1-566 e 1  
 In ea Ieroboam posuit vitulos aureos, primo dicta est Luza, sed a Iacob dicta Bethel. 100 d 1  
 A Prophetis per antiphrasin dicitur Bethaven, id est, domus iniquitatis, vel nihili. ibidem  
 Erat in Tribu Benjamin. 100 a 2  
 Quomodo tropologice Bethel, fiat Bethaven. 100 d 1  
 Ibi reges Israel commune regni sui fanum erexerunt. 280 b 1  
 Hinc hoc nomine vocantur decem Tribus. 17 b 2  
 Bethlehem, id est, domus panis, unde dicta. 356 e 2  
 Eius situs et amœnitas. 356 d 2  
 Tempore Mosis necdum Bethlehem vocabatur, cur vero ita in Genesi nominetur. ibidem  
 Iuxta eam est spelunca in qua natus est Christus. 357 a 1  
 Erat respectu Ierusalem quasi ruralis pagus. 357 b 1  
 Cur dicta Ephrata prius. ibidem  
 Quatuor habuit nomina. 357 d 1  
 Erat duplex Bethlehem, una in Iuda, altera in tribu Zabulon. ibidem  
 Quomodo minima sit, et non minima. 357 e 2  
 Quare a Propheta dicitur *parvulus es*, masculine, non *parvula* femine. 358 b 1  
 Quomodo sit parva in millibus, vel principibus Iudæ. 358 e 2  
 Eius cives multi illustres recensentur. 359 d 2 et seqq.  
 Ipsa fuit regæ stirpis seminarium. 360 b 1  
 In ea Samuel natus Davidem in regem. ibidem  
 Unde vocetur civitas David. 360 b 1-366 d 1  
 Est totius terræ horreum, quia in ea natus panis mundi. 360 a 2  
 Eius gloria et maiestas ex hoc suo cive. ibidem



- SS Patres eam miris laudibus celebrant. 360 b 2 et seqq.  
 In Bethlehem apparuit stella stetitque apparens Magis. 361 c 1  
 Est mundi oriens, et orbis metropolis. 361 d 1  
 Eam Adrianus Imp. prophanavit erecto ibidem Adonidis simulacro. 361 a 2  
 Postea erexit ibi Helena Imp. basilicam, et eius descriptio. ibidem et seqq.  
 Eius schema sunt templa Christianorum. 362 a 1  
 Quomodo omnes nos fieri possimus Bethlehem. 362 c 1  
 Est ad Austrum respectu Ierusalem, in ea natus Christus. 446 d 1  
 Bethlehem princeps oppido Bethlehem nomen qua occasione imposuerit; eius stirps numerosa. 356 c 2  
 Bethon et Bethaven idem est. 106 a 1  
 Bethulia sita erat e regione maris Tiberiadis. 196 c 1  
 Betis, Gazæ præfectus, ab Alexandro, urbe expugnata, circum urbem raptari iussus est. 575 b 1  
 Bezeta erat nova urbs et extrema Ierusalem. 627 a 2  
 Bias quid responderit sceleratis Deos in tempestate invocantibus. 309 c 2  
 Bibacitas nonnullorum. 436 c 2  
 Bibere in Scriptura dupliciter sumitur. 298 a 1  
 Biblia sunt liber sacerdotalis. 643 d 2  
 Eorum interpretatio Lxx Interpretum Alexandriae procurante Ptolemæo rege adornata est. 410 c 1  
 Bibliotheca Alexandrina quot librorum millia habuerit, a quo instituta et aucta. ibidem  
 Birgitta (S.) assidue passionem Domini recolebat. 611 b 1  
 Bisarionis monachi misericordia. 115 c 2  
 Bona Ecclesiarum non sunt in laicorum usus impendenda. 281 a 2  
 E bonis damnatorum sacrificabant Gentiles. 229 a 2  
 Bona præsentis sæculi levia sunt, et sensu parvulos oblectant; sapientibus autem caelestia, contemptibilia sunt. 272 b 2  
 Vix uno die durant. 326 b 1  
 Ea sæpe Deus dat hostibus suis, negat amicis. 417 c 2  
 Ad bona temporalia Iacob dilectus fuit præ Esau. 637 a 2  
 Quæ bona nobis præstet et præstiterit Iesus. 457 b 2  
 Bonorum spiritualium quanta futura copia tempore Evangelii. 289 a 1  
 Quæ sint bona spiritualia Ecclesiæ et animæ sanctæ, quæ peccando ipsa amittit. 189 b 1  
 Bonum Hebræi vocant id, quod prosperum et iucundum est. 340 c 1  
 Item pro consolatorio. 521 a 1  
 Omne bonum nostrum a Deo pendet. 375 a 1  
 Bonum omne omnium creaturarum, in Deo totum collectum est in simplicem unitatem. 65 c 2  
 Qui bonum operantur ob inanem gloriam et quæstum sordidum, ventum seminant, et turbine metunt. 130 c 1  
 Summum bonum, summe est beneficium. 114 d 2  
 Bonum orbis est Iesus et Maria. 359 b 1 et seqq.  
 Bonum summum quas condiciones habeat. 477 c 2  
 Bonum oritur ex integra causa. 507 a 1  
 Bonifacii (S.) de presbyteris sui ævi sententia. 662 a 2  
 Bonosi Imp. vinositas. 97 d 2  
 Bonus vir est velut lex viva. 132 a 1  
 Bonus sæpe capitur pro suavi et miti. 380 d 1  
 Bona verba et sermones sunt velut flores animæ sanctæ 290 a 1  
 Bonzii sacerdotes Japoniorum, suis scelerum omnium immunitatem spondent. 94 d 2  
 Borith herba fallonum ubi crescat, et quis eius usus. 661 b 2  
 Bos inigo assuetus significat Iudæos legi subditos. 445 c 1  
 Et sua indole, stupidos obstinatos, sævos. 445 a 2  
 Boves in calidis regionibus communiter sunt rufi. 517 b 1  
 Inter bovem et asinum in præsepio reclinatus est Christus. 444 a 1  
 Bobus in Palæstina trituran. 144 d 2  
 Et hi de granis pabulum capiunt. ibidem  
 Vide Triturare.  
 Bosphorus est terminus Græciæ et Thraciæ. 301 a 1  
 Cur Hebraice dicatur *Sopharad*. ibidem  
 Est proprie angustum mare quod a bobus tranari potest. 301 b 1-301 d 2  
 Est duplex, unus in Propontide, alter Cimmericus. 301 b 1  
 An eousque relegati sint Iudæi. 301 c 1  
 Bosphori Cimmerici quæ latitudo. 301 a 2  
 Bosphorus Hispanicus est fretum Herculeum. 301 b 2  
 Bosphorus item commune nomen est, et in genere omnem angustiam maris denotat. 301 d 2  
 Bosra, urbs Idumææ, unde dicitur; est et alia Bosra in Arabia, et tertia in Moab. 225 d 1  
 Brabantia urbium præcipuarum epitheta. 334 d 1  
 Brachia hominis sunt velut alæ. 425 b 1  
 Brachium proficere est oratorum. 648 b 2  
 Brasiliæ quis sit potus. 75 b 1  
 Briectius (S.) S. Martino adversarius initio, postea ei in episcopatu successit. 599 d 1  
*Bromos* quid proprie significet. 196 c 2  
 Bruchus Hebraice dicitur ligurio, quod herbas lingat, et comestor. 181 a 2  
 Quale animal sit bruchus. 181 b 2  
 Est parva locusta sive pullus locustæ. 182 a 1  
 Minima germina quæque usque ad radices stirpitus depascitur. ibidem  
 Bruchus semper pene iungitur cum locusta, quasi proles cum matre. 182 b 1  
 Vox bruchus unde formatur. 182 c 1  
 Eius forma. 182 d 1  
 Nomen bruchi subinde extenditur ad alias locustarum species. 182 a 2  
 Quare vocetur aculeatus. ibidem et seqq.  
 Significat minimam locustæ speciem, cum ceteræ species omnes enumerantur; cum vero illæ substituentur, pro illis substituitur. 182 c 2  
 Brunonis (S.) conversionis occasio. 161 d 2  
 Brutis similes sunt qui de peccatis non ingemiscunt, et si quid ventri desit, dolent. 189 b 2  
 Bruta phantasiæ instinctum sequuntur quasi legem naturæ sibi iocitam. 283 d 1  
 Quomodo et cur ieianent, in publica pœnitentia. 322 b 2  
 Bruxellensis fossæ Antuerpiam usque commoditas. 625 b 2  
 Bubali in Iudæa erant indomiti; in Italia vero subiugales fiunt. 261 d 1  
 Buccina differt a tuba. 105 c 2  
 Bucephalus fuit equus Alexandri Magni, an fuerit rufus, unde dictus. 517 b 1  
 Eius descriptio. 590 b 1  
 Bucolica sunt carmina ruralia pastorum. 269 b 2  
 Bulla est cordis symbolum: cur eam nobiles in pectore gestarent, unde dicitur. 124 a 2  
 Buxus olim serviebat scribentibus. 430 b 2  
 Byblus urbs, ad Libanum sita, fert vinum præstantissimum dictum Byblinum. 178 b 1

## C

- Cadaver contactum olim omnia tangentia polluebat. 507 a 1  
 Cadavera comburebant Hebræi, Græci et Romani: hac de re diversæ sapientum fuere sententiæ. 259 d 2  
 Christiani cur ea sepeliant in terra. 260 b 1  
 Idem etiam fecere Iudæi, regum vero corpora cremabant, cur: at Israelitæ plebeiorum ossa cremabant. 260 c 1  
 Cæcilia (S.) Martyr quam sollicite cum Angelo custode et Deo ambularit. 375 d 1  
 Api confertur. ibidem  
 Parva corpore extitit. 545 c 2  
 Cælestis gloriæ iucunditas. 212 a 2 et seqq.  
 Eius typus fuit Sethim. 212 c 2 et seqq.  
 Eius descriptio. 669 b 2  
 Cæli quomodo a Deo exaudiantur. 85 d 1  
 Et quomodo id mystice fiat. 86 a 1  
 Cælum quomodo in die iudicii commovendum. 210 d 2  
 Cælum empyreum cur dicatur confessio et laus Dei. 213 d 1  
 Cur Ierusalem. ibidem  
 Cælum dicitur quasi eælatum stellis. 537 c 2  
 Est templum Dei, in quo habitat. 437 a 2  
 Cæli commotio quæ facta, nascente Christo. 498 d 2 et seqq.  
 Cæli et stellarum nulla vis est ad danda et tollenda regna. 449 c 2

Cælum quomodo claudi dicant Hebræi.	666 d 2	Canticum Beatorum in caelo.	83 d 1
Cælum cur vocetur symbolice moos umbrosus, et Pharan, id est os videntis.	446 a 2 et seqq.	Cantores templorum in cantu gravitatem servant.	251 d 1
Cæsariem Gentiles in funere tondebant, cur.	338 c 1	Cantorum præfectus cur vocetur Hebraice <i>vincens</i> .	458 d 2
Calamitas opportuna est ad audiendum verbum Dei.	516 d 2	Cantus Ecclesiasticus gravis sit.	251 d 1
Calamitas publica ieiunio avertitur.	566 c 2	Ei respondeat affectus.	251 a 2
Calami candelabri cur vocentur rostra.	548 d 1	Cantus, etsi lugubris, hoc ipso quo cantus, aures delectat.	340 d 1
Eorum descriptio.	539 d 1	Capillos resectos veteres diis consecrabant.	338 d 1
Calcei immissione olim capiebatur possessio.	288 d 1	Capistrum quomodo exaltetur super maxillas boum et equorum.	152 d 2
Caleb ex Ephrata uxore primogenitum habuit Bethlehem.	357 b 1	Capitalia (septem) peccata designantur per septem gentes Iudam persequentes.	226 a 1
Caligulae Imp. crudelitas.	221 b 2	Capite nudo incedebant Romani et Hebræi.	258 d 2
Iovem ad duellum provocavit.	242 c 1	Caput maxime sentit totius corporis noxam.	297 d 2
Inter auri acervos subinde volutabatur.	281 d 2	A capite ruinam trahunt monasteria, collegia, Ordines, respubl.	425 a 2
Quam in nobiles Romanos iniurius fuerit.	355 b 2	Capitis commotio super afflictos signum est condolentiae.	409 b 2
Calipha, Mahometanorum pontifex, Babylone inter auri acervos volutans fame interiit.	281 c 2	Capitum distributio in novo Testamento, in ultimis Græcis interpretibus invenitur pene similis nostræ.	39 d 1
Calix voluptatis in calicem fellis transit.	298 a 2	Ea quæ nunc est divisio, quando primum inducta.	ibidem
Calicum certamen in convivis quod sit.	436 b 2	Capitum S. Scripturæ destructio non est facta a Prophetis, sed recentior est.	39 c 1
Callimachus statuaris cur dictus <i>καλλιζωτης</i> .	540 c 2	Cappadoces occupantur Palæstinam, exclusis ab ea Hevæis primis incolis.	286 a 1
Calor quid conferat ad aliquid componendum et concipiendum.	36 b 1	Caprificus alia est arbor a sycomoro.	270 b 2
Facit mobiles et pugnaces.	410 c 2	Captivi qui Romam ducebantur in triumphum, post triumphum ingulabantur.	283 a 2
Calvariae mons est pars montis Moria.	569 a 1	Captivitate (e) Babylonica multi Israelitæ cum Iudæis misti redierunt.	165 a 1-170 d 2
Olim erat extra Ierusalem ad Occasum, iam intra urbem est.	621 c 1	Eius anni LXX. quando incipiant et desinant.	520 a 2
Intra eum Titus urbem obsedit.	621 c 2	Caracalla Imp. Getam fratrem a se occisum in divos retulit, etiam cæsus est.	224 a 2
Calvini blasphemia in Habacuc Prophetam.	423 d 2	Carbunculus in vitibus quid sit.	240 d 2
Eius paralogismus.	507 b 2	Carcharias piscis cur inter cete recensetur. 313 b 1 et seqq.	ibidem
Negat limbum patrum.	579 a 1	Is fuit, a quo Ionas absorptus.	ibidem
Eius feralis mors.	628 d 1	Eius vastitas.	ibidem
Eius placita meræ insanis sunt.	235 a 2	Velocissimus est.	315 c 1
Calvinismus in publicum civitatum ac provinciarum grassatur incendium.	161 d 1	Cardinales cur purpura vestiantur.	402 b 1
Calvitiolum erat Iudæis signum maximi luctus.	338 a 1	Cardinales septem Diaconi, et septem Cardinales Episcopi instituti ad imitationem septem oculorum, quos Zacharias lapidi incisos vidit.	536 c 1
Est proprie capitis.	338 c 2	Cardinalium qualis vita esse debeat.	536 b 2
Calumnia Hebræis est oppressio a quocumque vim aut iniuriam faciente.	107 a 1	Cardiognostes dicitur Deus.	104 d 1
Cambyses Amasis regis Ægypti iam defuncti cadaver effodi et flagris cædi iussit.	227 b 1	Cardo dicitur quasi cor ianuæ.	280 a 2
Cambyses et Magi Persarum reges templi fabricam impedire volentes monti magno comparantur.	542 a 2	Cardineam deam coluerunt Romani.	ibidem
Campaenæ sunt propria Christianorum: hæc initio fuere minores, pace Ecclesiæ reddita, paulatim grandiores factæ: unde dictæ.	194 c 1	Carioli metropolis fuit Moab, unde dicta.	227 d 1
Canariis (in) insulis quomodo trituretur.	353 d 2	Carmeli montes sunt duo: unus in Iudæa, alter in Israel: uterque fuit fertilis.	218 c 2
Canathus fons apud Argivos fabulosus Iunonem quotannis virginem reddere ferebatur.	586 d 2	Carmelus symbolum fertilitatis est et lætitiæ. 218 c 2-384 b 1	384 b 1
Candelabrum quod Zacharias vidit non erat idem cum Mosaico.	539 a 1	Carmen funebre continebat victorias et virtutes defuكتورum.	30 b 1
Erat unum e tribus præcipuis vasis templi.	ibidem	Carmen Ionæ simile est Psalmo 68. Davidis.	314 b 2
Ipsium describitur.	548 b 1 et seqq.-ibidem et seqq.	Carmine <i>σζζλια</i> ; id est, obliqua, quæ dicerentur.	258 d 1
Erat octocalamum.	539 d 1	<i>Carmenes</i> lingua Punica vel Arabica, villæ pulcherrimæ in Bactica dicuntur.	218 c 2
Eius lucernæ, calami, infusoria.	ibidem et seqq.	Carnales deliciae in quo a spiritualibus distent.	148 b 1
Quid per ipsum repræsentetur.	540 d 1 et seqq.	Carnales homines non habent cor hominis, sed brutale.	124 c 2
Proprie repræsentat Deum, eiusque providentiam.	540 b 2-541 d 1	Caro capitur pro homine.	199 c 2
Item est symbolum vitæ, divinæ generationis, animi puritatis, amoris, famæ, gloriæ, divinitatis.	540 c 2	Intolerabilis dominus est.	303 d 1 et seqq.
Repræsentat quoque restaurationem templi et reip. Iudæorum.	540 d 2	Carnibus abstinerunt homines ante diluvium.	23 d 1
Id a Tito Iudæis fuit ademptum.	541 a 1	Eas comederunt Apostoli.	23 a 2
Cur Zacharias id extra templum videat.	541 a 2	Carnem nostram sibi Christus velut coniugem copulavit.	60 d 2
Allegorice repræsentat Christum eiusque Ecclesiam. ibidem	ibidem	Hæc illius divinitatem tegebat.	112 c 2
Septem eius calamorum orificia, in culmine eorum exstantia, habebant speciem oculorum.	546 d 2	Caro et spiritus per asinam et pullum, quibus Christus incedit, repræsentantur.	577 d 2 et seqq.
Eius rostra quæ dicantur, et eorum situs.	548 d 1	Diversa requirunt.	32 a 1
Candor Prælati et principii necessarius.	597 c 1	Caro humana præ carne aliorum animalium est ærumnosa, misera.	531 d 2
Sinceri animi est symbolum, nigror maligni.	285 c 2	Caro silet a vi gratiæ Christi.	528 a 2
Canis piscis Ionæ deglutivit: eius descriptio.	313 b 1	Caroli (S.) Borromæi de via perfectionis sententia.	25 b 1
Eius magnitudo.	ibidem	Certam de Dei ope spem habebat in Dei causa.	432 b 2
Cantharus vocari potest contextus trabium culmen domus sustentium.	435 b 1	Actionum suarum duos serios inspectores constituit. 636 a 2	636 a 2
Canticum (in) Habacuc allegoricus sensus præcipue intentus est a Spiritu sancto.	440 a 1 et seqq.	Carolus Magnus quomodo Imperium Romanum auxerit. 561 c 2	561 c 2
Est id partim oratio, partim et magis canticum.	440 a 2	Mirus Romanæ Ecclesiæ Pontificis cultor fuit.	564 c 2
An ipse in eo deprecetur veniam sui peccati, an vero peccatorum populi.	441 b 1	Carolus (B.) Flandriæ Comes, monopoliæ frumentario-	

- rum inhibens, Martyr occubuit. 275 d 2  
 Carolus V. Imp. abdicato Imperio in solitarium locum se recepit. 78 c 2  
 Quam celeriter bellum Germanicum confecerit. 420 d 1  
 Eius annulus horologium integrum inclusum habuit. 509 b 2  
 Carpentia ferrata super hostes stratos agebant victores aliquando. 221 d 1  
 Carpi (S.) zelus indiscretus contra peccatores. 325 d 1  
 Vidit in spiritu voraginem inferni. 623 b 1  
 Carthago Hebraeis vocatur Tharsis. 307 c 1  
 Carthusiensis Ordo ob silentium, solitudinem, et visitationem Superiorum in vigore permansit. 80 b 1  
 Casimiri (S.) Poloni erga Ven. Eucharistiam affectus, breve vitæ eius compendium et miracula. 587 d 1  
 Maluit mori quam castitatem amittere. 587 d 1-668 c 1  
 Casleu mensis respondet nostro Novembri. 566 b 1  
 Cassius (S.) Episcopus Naruensis quotidie celebrabat. 586 c 1  
 Castiget (Deus antequam), præmonet. 233 a 1-234 d 1 et seqq.  
 Castitas est velut martyrium. 159 d 2  
 Casti sunt Angeli, etiam inter illustrissimos. 658 a 1  
 Castra agere, vallo et fossa muniri solent. 422 a 2  
 Catalaenus militibus Ven. Eucharistia communis insignem de hostibus retulit victoriam. 585 b 1  
 Cataracta vocari potest foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur. 167 a 2  
 Cataractæ vocantur aquæ ex alto defluentes magno impetu, item loca in quibus aquæ retinentur. 666 c 2  
 An in celo sint cataractæ. 666 d 2  
 Catharina (S.) Alexandrina fuit, et ibidem decollata lac pro sanguine dedit. 410 d 1  
 Catharina (S.) Senensis, spurcis cogitationibus agitata, post victoriam meruit videre Christum. 484 b 1  
 Cur Pontifici, ut bellum Turcis inferret, suaderet. 410 b 2  
 Eius cor præ amore fissum est. 584 b 1  
 Eius orexis erga Ven. Eucharistiam. 584 a 2  
 Quos ea in ipsa effectus ediderit. 586 d 2  
 Eius cum Christo familiaritas, erga eum amor, stigmata. 85 a 1  
 Iussa est a Christo semper eius recordari. 65 b 1  
 Cato (M.) gulosi cur familiaritatem detestaretur. 97 b 2  
 De tribus dolebat. 381 a 1  
 Quomodo ad censuram evectus sit. 591 a 1  
 Cur de Dei providentia dubitaret. 417 b 1  
 Catuli leonum audaciores sunt et ferociores, cur. 108 a 2  
 Eorum edendi rabies. 233 b 2-ibidem  
 Caucasi montis quæ sint portæ ferreæ. 559 b 2  
 Cauda piscibus velut temo est. 425 b 1  
 Causon quis ventus sit et morbus. 161 d 1  
 Cedron torrens est inter Ierusalem et montem Oliveti, per vallem Iosaphat decurrens. 466 b 1  
 Cedrus æternitatis symbolum est. 177 a 1  
 Item Pontificum et principum. 594 c 1  
 Celeritas in præliis conficiendis multum valet. 420 d 1  
 Cellæ bona varia. 79 c 1 et seqq.  
 Cera olim tabulæ scriptoriæ inducebantur. 430 b 2  
 Cerebri proprii commenta non sunt populo venditanda. 21 b 1  
 Cerethim vox unde deducatur, et quid significet. 472 a 1  
 An omnes Philisthini vocentur Cerethim, an certa eorum regio. 472 c 2  
 Ita vocati milites prætoriani Davidis. 472 c 1  
 An ab his habitata sit et nominata insula Creta, an vero hi orti a Cretensibus. 472 a 2  
 Ceroma athletarum fiebat e luto et oleo, cur. 433 d 2  
 Cervisia fit ex aqua in farina tritici cocta. 75 b 1  
 Cervæ velociores sunt cervis, cur. 458 d 1  
 Prudentia illarum in quo consistat. ibidem  
 Hinulum assuefaciunt quo refugere debeat; quomodo pro eo pugnent. ibidem  
 Cervus mas cum pinguerit, secessum petit. ibidem  
 Cervi balitu serpentes et cavernis extrahunt. 384 d 2  
 Ceti nomen est commune ad omnes pisces grandes et cetaceos: cetus quis proprie sit. 313 a 1  
 Vide Carcharias.  
 Ceti amant profundum maris. 314 a 2  
 Et loca montosa. 315 a 2  
 Charonæi ex omnibus diis maxime coluere sceptrum Aganem nonis. 455 a 1  
 Chalanne urbs fuit potens condita a Nemrod, dieta po-  
 stea Ctesiphon. 256 a 1  
 Chaldaicæ paraphrasæos in Biblia quinam auctores. 19 a 1  
 Subinde iudazat. 457 a 1  
 Chaldaei in vocibus Hebraicis S. litteram commutant in T. 90 b 1  
 Monarchiam Assyriorum ad se transtulere. 366 c 1  
 Locustis comparantur Iudæam depascentes. 186 b 1  
 Eorum regibus et castris præferebatur ignis. 190 d 1  
 Eorum Ierusalem invadentium descriptio. 190 b 1 et seqq. -191 a 1  
 Eorum dexteritas in pugnando, saltando, etc. et audacia. 191 c 1  
 Quomodo vocentur milites Dei. 191 c 2  
 Et eius sacerdotes, indeque vocantur sanctificati ab eo. 463 a 2  
 Cur equis rufis assimilentur. 559 d 2  
 In conviviis aliorum se crapula, nuditate ac fœditate oblectabant. 436 a 1  
 Eorum sævities, voracitas, rapacitas. 421 c 2  
 Comparantur aquilæ, pardo, lupo. 421 d 2  
 Quomodo Tyrum expugnarint. 422 a 2  
 Eorum imperium corrui in Balsasare. 422 c 2  
 Eorum Niniven expugnantium viva hypotyposis. 401 c 1-402 b 1 et seqq. -407 c 1  
 Cham primus regnavit in Ægypto, quæ iude dicta est terra Cham. 455 b 1  
 Chamalu Tartariæ principis sedes, quot milliaria ambitu suo complectatur. 319 b 2  
 Chanaan nomine, vocantur Israelitæ impii. 163 a 2  
 Chananaei an per Germaniam dispersi. 300 d 2  
 Eos omnes, etiam infantes, cur inheret Deus occidi. 229 d 2  
 Erant avari et ob maris viciniam mercaturæ, et in ea dolis vacabant. 164 b 1 et seqq. 633 a 2  
 Hinc Chananaeus idem est quod mercator. 302 a 2  
 Peste, fulgetris, et igneis sagittis prostrati ante adventum Hebræorum. 449 c 1  
 Charientismi figuræ Rhetorices quis usus. 39 b 2  
 Eius exempla aliquot in S. Scriptura. ibidem et seqq.  
 Charitatis actus nobiliores sunt actibus religionis. 114 c 2  
 Malo granato assimilatur. 611 d 2  
 Prælatos et principes maxime decet. 597 c 1  
 Fidelium vinculum est. 512 c 1  
 Ea in Sanctis ob concupiscentias sæpe refrigescit. 624 c 2  
 Charitas quo pacto in Eucharistia exerceatur. 645 a 1  
 Charitas Christi incarnati repræsentantur per Austrum calidum. 446 d 1  
 Chartæ usus olim incognitus fuit. 550 b 1  
 Unde fiat: papyro veterum successit. 430 b 2  
 Cherubim an sint Theraphim. 90 b 1  
 Iudæis in veneratione erant. 91 a 1  
 Cherubim duo propitiatorii, an recte vocentur duo animalia. 443 c 2  
 Chiliastarum deliria et somnia. 208 c 1  
 Chomer est onus asinarum, et mensura triginta modios continens. 88 d 1  
 Choreia Beatorum in celo. 675 a 2  
 Eius definitio. ibidem et seqq.  
 Choræ mundanæ descriptio. 675 b 2  
 Christianus mystice vocari potest separator. 575 d 2  
 Christianus vere est testis fidelis Dei. 158 b 2  
 Christiani omnes per Christum ducem morti insulant. 172 a 2  
 Semper iis est pugnandum. 302 c 2 et seqq.  
 Patrem suum imitentur Deum, eiusque mores. 68 a 1  
 Eorum servitus longe præstat regum opibus. 200 b 2  
 Assimilantur Israelitis in deserto agentibus. 78 a 2  
 Eos Iudæi habent ut Idumæos. 293 a 1  
 Sunt peculium Dei. 669 c 1  
 Quomodo dicantur sancti. 633 b 1 et seqq.  
 Cur se invicem amare debeant. 652 b 1  
 Orant conversi ad Orientem. 621 b 1  
 In primitiva Ecclesia habebant omnia communia. 538 a 1  
 Eos cur Deus sub Decio exagitari permisit. 661 c 1  
 Christiani quo viso animali Ierusalem de Saracenis ceperint. 622 d 1  
 Virtute Ven. Eucharistiæ insignes victorias retulerunt. 585 c 1  
 Eos afflictos ex Diocletiani persecutione Deus per

Constantinum Imp. iuvit.	82 c 2	Cocytus quis fluvius, et unde dictus.	33 b 2 et seqq.
Christianorum in terra sancta victoria, post solemne omnium ieiunium.	322 c 2	Cœnatoriæ vestes quæ dicereantur.	258 b 2
Christiani primi Ierusalem et Iudææ varie afflicti fuerunt.	353 a 1	Cœnatorii lectuli quoniam essent.	229 a 1
Chronologica harmonia XII. Prophetarum.	40 a 1 et seqq.	Cœtus Prophetarum quis et qualis esset.	24 b 2
Chrysaorii horribilis mors.	202 d 1	Cogitationes intimas novit et pervidet Deus.	104 d 1
Chrysolithus gemma quia coloris marioni est, ab Hebraeis dicta est Tharsis.	307 a 1	Cogitationes sunt vestes animæ.	655 a 2
Cibus cum filiis Arabiam incoluit, non Abyssiniam.	481 c 2	Cognitionem qualem habeat Deus piscium, culicum et rerum vilium.	428 d 1
Eorum posteritatem se per Abyssiniam propagarunt.	481 d 2	Ad Dei cognitionem duplici via pertingimus.	439 a 2
Cibi spiritualis penuriam sæpe patiuntur gulosi et divites.	278 a 2	Cognitio sui est via ad cognitionem Dei.	147 c 1
Cibus iumentorum, id est, hominum, est Christus iacens in præsepio.	445 d 1	Cognitio Dei perfecta, beata vita est.	147 c 1
Sine cibo multi vivere.	585 a 2	Colare quid proprie sit.	662 c 2
Cicero senescens in Tusculo philosophatus est.	80 d 1	Coleta (S.) assidue in vulneribus Christi commemorabatur.	611 b 1
Eius nycterismus in Verrem.	29 d 2	Collectæ dies quis esset in veteri Synagoga.	187 b 2
Ciconia quia pia symbolum est pietatis.	556 b 1	Collectionis nomine Scriptura cur exponat mortem, defectiorem, interitum.	93 d 1-461 a 2
Cidaris erat tiara veteris pontificis.	533 b 1	Colligari in fasciculo viventium quomodo dicerentur pii viri, cum vita decederent.	456 c 1
Cilices populi orti sunt a Tharsis nepote Iapheth.	307 a 1	Collo et capite mystice quomodo rex et pastor super subditos eminare debeat.	603 b 2
Cilicia cur vocetur Tharsis.	307 d 1	Celoni Hispani tempore siccitatis publicas supplicationes et diverberationes instituunt.	240 c 2
Cilicium erat vestis Prophetarum.	23 a 1-615 b 1	Color purpureus animos in hostes commovet.	402 a 1
Cimmeria regio dura erat et aspera.	301 c 1	Amoris est symbolum.	611 d 2
Cimmerius Bosphorus ubi situs.	ibidem	Color rufus ardorem animi notat et acuit, ignis splendorem refert.	560 a 1
Eius latitudo.	301 a 2	Commiserationis affectus potissime est e passione Domini eliciendus.	611 a 2
Cur in Cimmeria inferni sedem collocent poetæ.	301 d 1	Columbæ recordi comparantur Israelitæ.	123 b 2-477 c 1
Civis ex herba quadam Arabica combusta quas habeat vires ad purgandum.	473 a 2	Ea, esto semper pulli sibi auferantur, semper ad eundem nidum redit.	123 b 2
Circe navigantes suo cautu illectos in bestias mutabat.	251 c 1	Ob objectam escam sponte in retia incurrit, a columbis alterius columbarii illecta.	124 a 1
Circensium aurigarum variæ factiones: eorum quatuor colores: quas apud Romanos et Græcos turbas excitariunt.	560 c 2	Pellit patrem a consortio matris.	124 c 1
Eorum coloribus repræsentantur quatuor elementa, eorumque dissidia.	560 d 2	In colorum varietate mire sibi placet, alis inter se collisus excitat accipitres.	124 d 1
Florum ludorum origo.	560 c 2	Apud Assyrios sacra erat.	157 d 1
Cistercienses monachi propter negotia nimia ruralia a primæva sanctitate deciderunt.	80 b 1	Natura recte et constanter volat.	157 a 2
Civitates multæ dirutæ, postea non eodem loco, sed alio vicino ædificatæ sunt.	607 d 1	Timida est, et vel ad accipitris umbram celeriter avolat.	157 b 2
Civitas inferior Ierusalem cur dicatur filia Sion.	465 c 1	Unice amat suum columbare, ac pullos, et abducta alio celeriter eodem revolat.	ibidem
An bene vocetur pila.	466 a 1	Columbis usi prisci ut tabellariis.	ibidem et seqq.
Clades quas Deus Israeli immisit, ante denuntiavit, quam infligeret.	233 a 1 et seqq.	Maxime id verum in columbis Syriæ et Palæstinæ.	157 d 2
Clamorem excitabant dii Gentilium quasi dormientes.	437 d 1	Iis ibi utuntur mercatores, ut merces advectas dominarentur.	ibidem
Clangere proprium est aquilarum.	127 d 1 et seqq.	Comessationes mentem homini eripiunt.	97 b 1
Clangori tubæ prophetia comparatur.	233 b 1	Commentatores Prophetarum minorum.	18 b 2
Clara (S.) iugiter Christi passionem meditabatur.	611 b 1-611 b 2	Comminatio elementi miseratione mollienda.	324 c 2
Claræ (S.) de Monte Falco cordi crucifixi Christi figura insculpta fuit.	611 b 1	Commotio calis et terræ et maris cur facta in Christi incarnatione, redemptione, legislatione.	498 c 2 et seqq.
Clarevallenses monachi olim de defectu aliquo moniti pro reprehendendo orare solebant.	637 a 1	Communicantium pie orationes et suspiria sunt velut thymiana.	643 d 1
Claudianus cur de Dei providentia dubitaret.	417 b 1	Communicatio gratiæ et donorum Dei provenit a Spiritu sancto.	199 d 1
Claudicans, per metalepsin, idem est quod dolens, fatigatus, afflictus.	350 b 2	Communione (post) fideles olim sacra canebant cantica, et subinde arcana mysteria eructabant.	585 d 2
Clastra regularium sæcularibus videntur carceres mortis, at Religiosis sunt portus.	315 b 2	A communione meditetur communicans quo dono donatus sit.	584 b 2
Clavus Christi fræno Constantini Imp. additus.	631 c 1	Frequens communio signum et causa prædestinationis est.	584 d 2
Eorum quatuor distributio.	631 a 2	Compati oportet Christo tormenta passo.	611 a 2
Miraculum quoddam circa frænum ex eis confectum.	631 a 1 et seqq.	Complexio intima est naturæ divinæ et humanæ in Verbo per unionem.	537 b 1
Clementia virtus Dei propria est.	155 b 1	Conceptum mentis invat calor.	36 b 1
Clementia vindictam temperet, imo superet.	303 b 1	Conceptus mundanorum quam mendaces sicut.	336 d 2 et seqq.
Potissima regentium virtus est.	596 d 1 et seqq.	Concilium Romanum sub Vigilio Papa damnavit errores Theodori Mopsuesteni.	19 c 2
Clerici auro inhiare non debent.	467 a 2	Uti et Constantinopolitanum II generale.	ibidem
Præ-laturas ambientes taxantur.	129 b 1	Concionator, bene docens et nihil præstans, similis est cupresso frondosæ, sed infrugiferæ.	178 d 2
Eorum cupiditas fovet avaritiam sæcularium.	281 c 1 et seqq.	Paucos convertens, quare se consoletur	378 b 2
Ipsa suggillatur.	ibidem	Cum rudibus et duris agens sensim eos imbueret.	270 d 2
Eorum lautitias quam immerito carpant malevoli.	76 b 2	Concionatores nonnulli abutuntur sacra Scriptura.	20 b 1
Climax figura Prophetis frequens.	38 c 1	Animas a fornicatione peccati conversas Christo despondeant.	61 d 1
Qualis sit figura.	38 d 1		
Clopias piscis crescente luna albescit, decrescente nigrescit.	453 d 2		
Clysteris usum docuit ibis avis.	157 d 1		
Coccineus color erat militaris.	401 b 2		
Et cur.	401 c 2 et seqq.		
Coccus nobilium ac regum erat vestis.	401 b 2		

- Dum plausum, luera aut commoda aucupantur, filios spirituales non gignunt. 138 c 1  
 Novissimorum terrores auditorio suo incutiant. 321 b 1  
 Opportunitatem commodam suos monendi capient. 489 b 2 et seqq.  
 Prædicent tam manu quam ore. 490 a 1  
 Verbo Dei abutentes mensam Dei polluunt. 641 b 1  
 Sint ut speculator. 460 b 2  
 Sunt Angeli et nuntii Dei. 496 a 2  
 In arguendis vitiis non cessent, donec audientes permoveant ad illa exstirpandum. 497 a 1  
 Symbolice sunt nives, nubes, venti, fulgura. 589 b 1  
 Sunt quasi signum Dei. 511 b 2  
 Concordia quanta sustineat onera. 480 c 2  
 Concordia fratrum quam sit suavis. 224 a 2  
 Concupiscentiæ sedes et instrumentum, sanguis est. 93 a 1  
 Eam peccato meruimus: auferetur in resurrectione. 173 d 1  
 Concupiscentia adulterii non exstinguitur ipsò adulterii actu. 120 c 2  
 Concupiscentia ex Adamo contracta fons omnis peccati est. 554 d 2  
 Eius quanta sit vis. 418 a 1  
 Est tibia Dei alieni. 653 b 1  
 Conditor rei alicuius quis dicatur. 38 a 1  
 Confarreatione nuptiæ apud Romanos contrahebantur; hæc denotabant vitæ communionem. 88 a 2  
 Confessario omnia animæ vulnera et lepræ detegendæ. 170 c 1  
 Confessarii sunt vicarii Christi in iudicando, leviter hoc peragere iudicium non debent. 662 a 1  
 Quales ii sint, ex pœnitentibus agnoscitur. ibidem  
 Confessores pro fide Christi capti, qui sibi nimis fidunt, in tormentis deficiunt. 340 a 1  
 In tormenta se dantes spe gloriæ æternæ, sunt vinculi spei tropologicæ. 579 b 2  
 Per equos varios mystice repræsentantur. 559 a 2  
 Configere, urere, secare in Script. per catachresin significant quemvis gravem dolorem. 615 b 1  
 Congregari ad populum suum dicebantur fideles et sancti, cum diem suum obirent. 456 c 1  
 Congregatio cur vocetur mors. 93 d 1  
 Coniugatio *Hitpacl* Hebræorum significat actionem reflexam, qua agens agit in seipsum. 354 c 1  
 Coniuges tempore publicæ pœnitentiæ, supplicationis, quadragesimæ abstineant copula. 194 d 2  
 Coniugum amor quantus esse debeat. 654 a 2 et seqq.  
 Coniugii præses priscis erat Iuno. 653 d 2  
 Coniugium Osee cum fornicaria fuit stabile, non temporarium. 58 d 1  
 Id repræsentat simile, sed mysticum Christi coniugium. 60 d 2  
 Consanguineos (in) indignos officia et beneficia conferentes, ædificant Sion in sanguinibus. 347 c 1  
 Conscientiæ pacem habens, Christum in anima habet. 366 a 2  
 Conscientia cuique sua est colenda ut vinea. 289 c 2 et seqq.  
 Conscientia mala non potest habere lætitiæ. 134 d 1-309 a 2  
 Eius remorsus est velut aquila rostro tendens. 466 c 2-421 c 2  
 Ea in die iudicii peccatorem accusabit. 468 b 1  
 Est vestis animæ. 655 b 2  
 Conscientiæ bonæ elogium. 513 a 1  
 Consecrationis templi ritus quinque Ecclesiæ et Religionis domibus accomodantur. 511 d 2  
 Consensio veteris Testamenti cum novo magnam Ecclesiæ fidem conciliat. 629 b 2  
 Consilium divinum per sortes exquirendum non est. 309 d 2  
 Consolatio angelica quo iudicio a diabolica illusionem discernatur. 21 b 2  
 Consolationes cælestes hominem quam agilem reddant. 458 b 2  
 Conspectu (in) Dei vivere quid sit. 112 a 1 et seqq.  
 Constans vir est immutabilis, quasi Deus terrestris. 665 b 1 et seqq.  
 Constantiæ symbola sunt alectoris gemma, amiantus lapis, salamandra. 159 a 2 et seqq.  
 Constantinopolis quo pacto divinam olim vindictam evaserit. 321 d 1  
 Constantinus Imp. clavo crucis Christi frænos equi sui ornavit. 631 c 1  
 Ipse symbolice frænum est Domino consecratum. 631 b 2  
 Iam Christianus basilicas augustissimas erexit. 492 d 1  
 Cui exerit templum *Ara cæli* nuncupatum. 499 c 1  
 Pacem plenam Ecclesiæ attulit. 486 d 2  
 Constantinus Copronymus Imp. fœda lue percussus animam efflavit. 492 c 2  
 Constantius (S.) Mansionarius parvæ fuit staturæ. 545 b 2  
 Constantius Imper. militibus sacro Viatico instructis Magnentium profligavit. 585 c 1  
 Postea factus Arrianus, sacro igne percussus interiit. 492 b 2  
 Consuetudinis quanta sit vis. 145 d 1  
 Eius vincula rumpenda volenti e carcere peccati egredi. 344 d 1 et seqq.  
 Consuetudo peccandi est velut massa plumbea. 555 b 2  
 Consulentes dæmonem quantopere decipiantur. 589 a 2  
 Consultoria sors illicita est, nisi Deus inspiret illa utendum. 309 d 2  
 Contemplatio quid sit. 450 d 2  
 Contemptus sacrorum apud Iudæos post reditum e captivitate unde proveniret. 645 d 1 et seqq.  
 Contemptus mundi omnem supprimit spem. 522 d 1  
 Contemptum sacrorum et sacerdotum punit Deus per tyrannidem principum. 170 b 1  
 Contentus suis animus dives est. 427 d 1  
 Contraria contrariis curanda sunt. 275 a 1  
 Contus est sudes et hasta longior. 238 a 2  
 Conversio plena ad Deum quæ sit. 175 a 1  
 Fit per efficacem voluntatis propositum de vita mutanda. 192 b 1  
 Conversio Indiæ utriusque ab Abdiâ prophetata est. 301 c 2 et seqq.  
 Conversio omnium gentium ad fidem promittitur per Prophetas. 287 d 2  
 Conversio omnium Iudæorum fiet in fine mundi. 591 d 2  
 Conversio Gentium per Apostolos vocatur prædatio et spolium. 527 b 2  
 Hæc Deo accepta est instar sacrificii. 581 a 1  
 Conversus ad bonam vitam a mala, tropologicè dici potest torris erutus de igne. 531 b 2  
 Convertere captivitatem Hebræis est e captivitate liberare. 118 a 1  
 Convertere cor patrum ad filios quid sit. 678 b 1 et seqq.  
 An obligemur primo instanti usus rationis converti ad Deum. 516 c 1  
 Convivæ coronabantur rosis, myrto, et aliis floribus et herbis, cur. 258 b 2  
 Eorum quis esse debeat numerus. 395 b 1  
 Convivæ maledicæ suggillantur. ibidem  
 Convivium a communionem victus et cibi dicitur. 101 a 2  
 lis olim adhibebatur musica, cur. 258 b 1  
 Sæpe causa excidii fuere. 395 a 1  
 Vocantur spinæ tribus de causis. 395 b 1  
 In his olim mos fuit circumdato myrti ramo convivas ad cantandum excitare. 517 a 2  
 Convulvulus flos rudimentum naturæ est. 61 d 1  
 Copia frumenti et vini an per frumentum electorum Iudæis promittatur. 583 a 1 et seqq.  
 Coquis et pistos priscis idem erat. 120 c 2  
 Cor in Scriptura significat interiora omnia. 168 a 1  
 Cor est bulla pectoris. 124 a 2  
 Est quasi focus et arx corporis. 16 a 1  
 Cur dicatur simul minimum et maximum. ibidem  
 Cordis recens nati in puero pondus sunt duæ drachmæ. 157 c 1  
 Corde qui carere dicantur. 124 a 2  
 Ex corde impio impietatis semina oriuntur. 147 c 2  
 Cor cuiusdam divitis avari in arca nummaria reperiuntur. 124 b 2  
 Cor origo est sensus communis, ratiois et sapientiæ. 493 d 1  
 Totum Deo dandum. 570 c 1  
 Id parvum habent generosa animalia, magnum timida. 420 d 2  
 Id habent pisces situm ut homo. 426 a 1  
 Ex corde lætitiæ et mæroris motus exoritur. 456 a 2  
 Cor regum in manu Dei est. 489 a 1  
 Cordis deliquium quos causetur effectus. 405 b 2  
 Corda hominum saxea per Christi necem ad pœnitentiam commota sunt. 210 c 2

Cornelius (S.) Papa suis subditis ad martyrium dux erat.	662 c 2	Crux Christi firmavit Rom. Imperium.	119 d 2
Cornelii (P.) Vishavæi dogma de humilitate.	545 b 1	Sycomoro assimilatur.	270 c 2
Cornibus (in) fortitudo taurorum est.	262 b 2	Crux fidelium brevis est.	111 d 1
Cornu capitur pro fortitudine et animositate.	ibidem	Ea Christi velut sigillum est.	511 b 1
Cornua lucis quomodo et cur Mosi addiderit Deus.	448 a t	Est vexillum eius.	527 c 2
Cornua Christi est crux et fortitudo crucis.	448 d t	Ea velut cornibus dæmonem et mortem superavit.	448 d 1-532 c 1
Item charitas et humilitas.	448 a 2	Crucis cornua fuerunt arma et cornua Christi; crux quomodo fuerit in manibus eius.	448 d 1
Cornua quatuor Zachariæ visa quid denotent.	521 b 2	CruX super Oliveti montem apparens tempore Constantini Imp. quid portenderet.	622 a 1
Quid mystice.	522 c 1 et seqq.	CruX omnis Christianorum gloria, adeoque eis ambienda.	577 c 1
Corona triplici cur coronetur Rom. Pontifex.	562 d 2	Cruces amantium exempla.	616 d 2
Repræsentat regnum Christi.	ibidem	Ctesiphon urbs a Parthis aucta ad exhauriendam Babylonem.	256 a 1
Adumbrata illa fuit in coronis Iesu Pontificis.	563 a 1	Vide Chalanne.	
Vocatur regnum.	562 a 2	Cucurbita magna et frigidam facit umbram.	325 c 2
Coronam gerit rex ut Deus quidam terrestris.	563 b 1	Cur pro cucurbita S. Hieron. Hederam verterit.	ibidem
Coronæ olim erant deorum.	ibidem	Eius umbra mundi vanitatem notat.	326 d t
Coronæ cuius rei regem et Pontificem moneant.	ibidem	Culmus evanidus et germen farinam non habens denotat hypocritas.	130 a 2
Corona Iesu Pontificis e donariis Iudeorum facta, an e tribus partialibus facta fuit, et cur.	562 a 2	Culpa per pœnitentiam tollitur, sed non pœna.	194 a t-382 b 2 et seqq.
Coronæ ovantium subinde et triumphantium erant myrtæ.	518 c 2	Ilæc et illa cognatæ invicem sunt.	422 d 2
Coronæ dabantur convivis ad delicias.	395 a 2	Cultores et curatores sunt qui ingiter Deo famulantur.	187 b 2
Corporale linteum in Sacro repræsentat fascias, quibus Christus recens natus est involutus.	362 a 1	Cultus Christi semper in uaa lingua floruit.	481 b 1
Corpus mysticum Ecclesiæ, figura est corporis naturalis Christi.	150 d 1	Cultus Dei est semen omnis felicitatis.	570 b t
Corpus Christi est tabernaculum David, quod Deus tertia die a morte ad vitam gloriosum suscitavit.	287 a 2	Cultum sacrorum post reditum e captivitate Iudæi neglexere.	531 d 2
Corpus nostrum est lutum et later.	411 d 2	Cupiditates sunt dii peccantium.	76 b t
Vestis est animæ.	655 a 2	Sunt velut panis subcinericius.	123 a t
Eius resurgentis sanitas est octoplex.	674 b 1	Cupiditas est charybdis insatiabilis, ardens febris, fera effera.	433 b 2
Corpora Beatorum in die iudicii gloria donabuntur.	528 a 2	Cupiditates quasi vinum inebriant hominem.	433 b t
Correptor vitiorum alienorum quomodo monere debeat.	636 b 1	Eas contrariis pœnis punit Deus.	648 a 1
Correptus corripientem benigne audiat.	ibidem et seqq.	Cupressi pulchræ quidem sunt et sublimes, nullum tamen edunt fructum.	179 a 1
Corrumpi (omnibus inest aliquid quo) possint.	183 a 2	Cur dicantur aternæ.	177 a 1
Corruptio est filia voluptatis.	61 c 2	Curam rerum minimarum an habeat Deus.	428 d 1 et seqq.
Corus mensura erat 30 modios Italicos continens.	88 d 1-276 a 2	Curatio, Curator, Curati quid significant.	187 b 2
Corvi vox strages non raro præsentit futuras.	475 c 2	Currus tropologicæ est anima.	453 a 1
Crapulæ voluptas illico in sordes, vomitum et excrementa vertitur.	436 a 2	Currum falcatorum, et ardentibus tædis instructorum usus olim in bello erat.	402 c 1
Crassus (M.) spoliato templo Hierosol. sacrilegii pœnas dedit.	606 b 2	Currus cherubicus, quo Deum vehi conspexit Ezechiel, cur e templo in montem Oliveti evolare visus sit.	622 c 2
Creaturæ omnes sunt Dei exercitus.	244 a 1	Custodia mystice est secretum, status, gradus et officium.	429 b 1 et seqq.
Sensu naturali sentiunt vocem sui Creatoris, et eius offensam.	277 d 1	Custodia dicitur præceptorum et rituum observatio, lex.	96 c 1-533 c 1
Respectu Creatoris sunt umbræ rerum, et nihil.	263 b 1	Custos Hebræis vocatur præfectus, rex, dominus.	412 c 1
Invitæ serviunt impiis hominibus.	76 a 2	Custodem Angelum quisque homo habet.	428 a 2
Ad quid illæ creatæ sint.	ibidem	Cuthæi sunt Assyrii, a Salmanasare in Samariam translati: coluere Deum verum simul et idola.	66 a 2
Libenter hominibus piis in usum cedunt.	76 b 2	Proprie non habitant in Samaria, n'pote diruta, sed in civitatibus ei olim subiectis.	331 d 1
In fine mundi in impios insurgent.	76 c 2	Cyaxares, rex Medorum, Niniven cepit et evertit.	398 b 2 et seqq.
Earum conspiratio cum suo Creatore.	85 b 2	Eius pater et filius.	ibidem
Sua commotione Christi humilitatem in eius iacarnatione obstupuerunt.	500 c 1	Cyaxares vox unde formetur.	ibidem
Per eum restauratæ sunt.	ibidem	Scythias Media expulit.	398 c 2
Eas invitemus, ut nos in gratiis Deo agendis adiuvet.	459 d 2	Despondit filiam suam Nitocrin Nabuchodonosori, ut se in obsidio Ninives adiuvaret.	398 d 2
Creaturarum omnium quæ fuerunt, sunt et erunt, perfectiones continet Deus in se eminenter.	438 b 2	Quamdiu regnarit.	399 b 2 et seqq.
Singulæ ab Oceano essentiæ Dei guttam unam essentiæ hauriunt.	438 c 1	Cyprianus (S.), audita mortis sententia, Deo egit gratias.	172 d 2
In iis dum quis fidit, ab iis decipitur.	477 a 2	Cornelii (S.) Pontificis auctoritatem tuetur contra Schismaticos.	129 c 1
Est quoque in iugi metu et motu.	665 c 1	Cypselus quod genus avium sit.	475 b 1
Earum silentium est scala qua ad Deum ascendamus.	439 a 2	Cyrene duplex est, una in Lybia, altera in Media.	222 c 2
<b>Credo</b> Hebræis quid significet.	463 a 1	Unde vox Cyrene formetur.	ibidem
Credere in Deo, vel in Deum, Hebræis idem est quod credere Deo; credere in Deum Latinis plus significat.	321 a 2	Cyrillus Diaconus Heliopoleos quale martyrium subierit.	575 a 1
Creta insula an sit colonia Phœnicum, et nominata a Cerebim.	472 a 2	Cyrillus (S.) præcipuus antagonista Nestorii hæretici fuit.	522 d 2
Primitus habitata est, nullum habet animal noxium, optimi vini ferax est.	472 b 2	Cyrus Balsasarem regem Babylonis per suos septem principes occidit, et Iudeos inde liberavit: septem eius principes qui fuerint.	367 a 1
Cretenses re nautica excellere et bellica.	ibidem	Cur vinum non hauriret.	97 c 2
Cribri usus, pro vanno in Italia et alibi est.	286 c t		
Cristas rubras cur gestarent in galeis milites.	401 c 2		
Crucifixus Deus portentum est a sæculis inauditum.	615 b 2		
Crudelitas aliena a Deo est.	155 a 1 et seqq.-234 c t		
Crudelitas et Deo et hominibus exosa est.	221 a 2		
Crura duo et extremum auriculæ, quæ pastor de ore leouis eruat, quid symbolice denotent.	236 a 1		

- Pacem** Israeli dedit contra Assyrios, dum Chaldaeos vicit victores Assyriorum. 366 b 1 et seqq.
- Cyrus** fuit typus Christi liberatoris. 431 c 1
- Ipsa** et Persae asinis assimilantur. 443 b 2
- Unde** dicatur mulus. 443 c 2
- Quare** vocetur Christus. 454 b 1
- Cambysem** filium admonuit, ut ad Deum in omni rerum tractatione confugeret. 492 a 2
- Quo** anno monarchiae solverit captivitatem Babylonicam. 520 b 2
- Tantum** triennio fuit monarcha. 520 c 2
- D**
- Dagon** an idem deus cum Dercete. 428 a 1
- Quomodo** pingeretur. ibidem
- Damascus** urbs antiquissima fuit, caput Syriae; elogium eius. 573 c 2
- Quando** illa Domini requies facta sit. 573 b 2
- Eius** strages facta a Teglatphalasar. 222 b 1
- Eius** fines. 254 b 2-256 a 2 et seqq.
- Cur** vocetur vallis idoli ab Amos. 222 d 1
- An** in eius agro creatus Adam, et Abel occisus. 222 a 2
- Damnandi** ante praevisa demerita non sunt positi in serie damnandorum. 154 c 2
- Damnati** ex inferno nunquam liberabuntur. 173 a 1
- Mortem** optant, et mori nequeunt. 143 c 2
- Suae** tribuant malae voluntati, non Dei praedestinationi, quod damnati sint. 156 c 1
- Sunt** velut pisces in stagno gehennae natantes. 426 a 2
- In** die iudicii optabunt manere in inferno, ne cogantur venire ad iudicium. 528 a 2
- Iis** a familiaribus propinabatur vinum forte. 229 d 1 et seqq.
- Damatio** est ex homine peccante, et seque in peccatis usque ad finem vitae obdurante. 168 a 2
- Dan** terminus Iudaeae erat ad Septemtrionem. 246 a 1
- Dauaidum** labor irritus apud inferos. 493 d 2
- Daniel** sub Evilmerodach rege in lacum leonum coniectus est. 414 b 2
- Ut**rumque templum vidisse potuit. 497 c 2
- Cum** sociis prima Nabuchodonosoris expeditione in Iudaeam, captivus abductus est. 427 a 2
- Cur** vocetur vir desideriorum. 501 d 1
- Quousque** vitam extenderit. 562 a 2
- An** ipse cum sociis tribus fuerit postea legatus a Iudaeis Ierusalem. 562 d 1-565 a 1
- Multa** Chaldaica usurpat vocabula. 36 d 1
- Dardania** ob admissam Eutyctetis haeresin terrae motu concussa, multa eius oppida demersa. 218 c 1
- Darius** persice significat prudentem. 515 b 1
- Darius**, sub quo prophetavit Aggaeus, quis fuerit. 488 b 1
- Darius** Medus praecessit Cyrum. ibidem et seqq.
- Ipsa** Camelo, et Medi quibus imperabat, camelis assimilantur. 443 b 2
- Darius** Hystaspis a Graecis ad Marathonem profligatus est. 520 c 1
- Quando** Babylonem expugnavit rebellantem post Cyrum. 525 b 2 et seqq.
- Sub** hoc Aggaeus prophetavit. 488 c 2
- Dedit** Iudaeis e Babylone reversis facultatem reaedificandi templi. 299 c 1
- Ilinitu** equi electus est rex Persarum. 366 d 2
- Eius** symbolum fuit accipiter. 157 b 1
- Darius** Codomannus, ultimus Persarum monarcha, ab Alexandro iuxta Arbella victus est. 561 d 1
- Aperuit** sepulcrum Nitocris ex auri cupiditate. 398 d 2
- Dativus** saepe apud Hebraeos per paragogen redundat. 38 b 1
- Datorem** hilarem Deus diligit. 134 a 2
- David** rex Salomoni cultum Dei commendavit. 141 d 1
- Fuit** Bethlehemites. 360 b 1
- Quam** sollicite cum Deo ambulavit. 375 c 1
- Ammonitas**, ob legatos suos violatos serravit, divisitque cultris. 221 d 1
- Musica** adhibuit ad Dei laudes. 258 a 1
- Passim** orat a Deo in suis operibus dirigi. 339 b 2
- Ei** peccanti Deus remisit culpam scelerum, sed non poenam. 194 a 1
- Eius** regnum per varias rupturas cecidit. 287 c 1
- Eius** tempore maxime floruit, imo coepit, gloria Israelis. 288 c 1
- Davidis** nomine saepe in Scriptura intelligitur Christus. 91 b 1
- Hinc** ei promittit quod in Christo implendum erat. 508 c 2
- Salomoni** filio quot miliones auri pro templi fabrica requebantur. 505 b 2
- Eius** familia cur in Christi morte plangere debuerit. 612 c 1
- Eius** promittatur Christus ex eius semine nasciturus. 508 b 2
- Debelaim** fuit socrus Osee. 61 b 2
- An** fuerit quoque fornicaria. ibidem
- Nomen** eius quid significet, et quid symbolice. ibidem
- Decalvatio** totius hominis magnum est probum. 454 d 2
- Decimae** deo danda, quibus de causis. 667 c 1 et seqq.
- Dandae** de meliori parte frugum. 641 c 1
- Decimam** quam frugum iuberentur Hebraei tribus festis praecipuis ad templum ferre. 239 b 2
- Decii** Imp. persecutionem permisit Deus ad Christianorum torporem acuendum. 661 c 1
- Eius** immanitas et mors. 222 a 1
- Decor** virga, Zachariae pastoris, significat regimen suave per amorem et beneficia. 595 b 2-596 b 1
- Quid** ad litteram significet. 595 d 2
- Defunctis** (pro) orandum. 30 a 2
- Deitas** Filii Dei probatur. 659 b 1
- Delassant** impii sua improbitate Deum. 655 d 2
- Delectare** nos debent futura et Deus, non praesentia. 163 b 1
- Deliciae** quam noxiae. 97 d 1
- Fugaces** et evanidae sunt. 258 a 1-393 d 1
- Eas** sequitur saturitas, violentia, excidium. 259 b 1
- Effeminant** animos, et adigunt ad omnia scelera. 258 c 2
- Peccatori** in hora mortis in dolores vertentur. 278 d 1
- Inter** corporales et spirituales quod sit discrimen. 148 a 1
- Illae** illico in sordes et vomitus vertuntur. 436 a 2
- Deliquium** et languor amoris quod sit. 122 d 1
- Delphicum** oraculum siluit sub ortum Christi. 499 b 2
- Delubra** vox unde derivetur, et quae dicantur. 132 b 2
- Demolio** activum est, et demolior passivum aliquando apud veteres. 191 c 1
- Demosthenes**, pretii enormitate deterritus a Laide meretrice recessit. 96 b 2
- Denarius** numerus significat laeta. 551 d 1 et seqq.
- Item** rei perfectionem. 551 b 2
- Dentes** in fame, contrahentibus se gingivis et nervis, obstupescunt. 240 b 1
- Dentes** leonis cur dentur exercitui daemones in fine mundi. 186 a 1
- Dentes** leoni grandaevo saepe comminuantur vel excidunt. 186 b 1
- Dentes** priores ad cibi scissionem et masticationem acuti sunt. 425 c 2
- Depilatio** apud Gentiles et Iudaeos erat signum luctus. 338 a 1
- Depilatio** est totius corporis. 338 c 2
- Dercete** Semiramidis mater, an in piscem conversa, quomodo pingeretur, et eius templum. 428 a 1
- An** eadem cum Dagon deo Palaestinarum. ibidem
- Erat** dea Syrorum. 428 b 1
- Desolatio** Iudaeorum ob occisum Christum adhuc durat, et durabit. 278 b 2
- Desperatio** extrema tentans, saepe stimulus et causa victoriae est. 82 c 2
- Est** spei mater. ibidem
- Ea** vitanda in rebus desperatissimis. 382 b 1
- Detractio** proprie vocatur nigredo. 285 b 2
- In** conviviis valde frequens est. 395 b 1
- Detractor** cur vocetur locusta. 186 b 1
- Canum** naturam imitator. 227 c 1
- Deus** Pater puteo assimilatur, non cisternae, cur. 56 c 1
- Cum** Filio spirat et mittit Spiritum sanctum. 198 a 1
- Deus** in minimo eminet maximus. 16 a 1-264 a 2
- Magna** gaudet imminuere. 16 c 1
- Universum** totum in homine collegit. ibidem
- Per** Prophetas conatus est Israellem ab idololatria revocare. 16 a 2
- Quomodo** et quid animae devotae loquatur. 34 c 2-78 c 2-81 d 1
- Quod** eius hieroglyphicum apud Aegyptios. 53 b 2-168 a 1
- An** possit dispensare ut fornicatio sit licita. 57 c 2
- In** nullo praeecepto legis naturae directe dispensare

- potest. 57 d 2  
 Sed indirecte et in præceptis secundæ tabulæ, non primæ. 57 c 2 et seqq.  
 Et in matrimonii vinculis, ut non sit perpetuum. 58 c 1  
 Eius iussio abstersit a connubio Osee omnem turpitudinem. 59 b 2-60 b 2 et seqq.  
 In eo non est oblivio, quomodo tamen oblivisci dicitur. 65 a 1  
 Nec memoria, sed visio. 668 d 2  
 In eo nulla est passio, sed sola virtus. 65 d 1  
 In eo est verus actus misericordiæ et aliarum virtutum. ibidem  
 Eius essentia describitur et bonitas. 65 b 2  
 Essentia eius per se præstat sola, quod in creatoris præstant plurimæ et diversissimæ virtutes, sed modo eminentissimo. 65 c 2  
 Eum habere patrem quanta felicitas. 66 d 1-68 a 1-69 b 2-70 a 1  
 Eius erga nos charitas in iustificatione. 68 c 1  
 Substantialiter novo modo inest iusto. 68 d 2-199 a 2  
 Eius præsentia ubique præ oculis habenda. 65 b 1-69 b 2 et seqq.-163 b 1  
 Eius in Israelitis miseratio. 74 c 1-151 a 1-151 d 1-370 c 2 et seqq.-470 a 1 et seqq.  
 Quomodo vias peccandi peccatoribus obstruat. 75 d 1  
 Quomodo suos lactet. 77 d 2  
 Suos in silentio et a turba secretos alloquitur. 80 d 2  
 Quomodo eos consoletur. 81 b 2  
 Eos ad extrema redigi permittit, et tunc demum auxiliatur. 82 d 2-83 b 1-314 a 1-203 a 1-382 a 1  
 Iudæis est dominus, Christianis vir et sponsus. 83 c 2  
 Parentum et maritorum peccata punit prolium et uxorum peccatis. 99 a 1  
 Pervidet intimas cogitationes, propensiones, intentiones. 104 d 1  
 Ira eius comparatur lænæ, cur. 108 c 1-233 c 1 et seqq.  
 Quid plagis suis spectet. 109 a 1  
 Eius oculi soli comparantur. 112 c 1  
 Est sine patre et matre. 112 d 2  
 Non est causa perditionis hominum, sed eam omnimodis avertere conatur. 113 c 1  
 Cuius misericordiam præferat sacrificio. 114 a 2 et seqq.  
 Est radix regnorum et rerumpubl. 138 d 2  
 Eius liberalitas in eleemosynarios. 146 c 2  
 Quomodo hominem ad se trahat. 151 a 2  
 Peculiariter apud et inter Hebræos habitabat. 154 d 1 et seqq.  
 Eius in peccatores clementia, dignatio, patientia. 154 c 2-192 d 1-192 d 2 et seqq.-417 b 2  
 Neminem reprobat ex se ante prævisa demerita. 154 c 2 et seqq.-155 d 2  
 Dedit homini liberum arbitrium. 155 d 2  
 Electionis alicuius plures habet causas nobis incognitas. 156 c 1  
 Omnibus nobis ubique præsens est. 163 b 1  
 Varias formas assumpsit per Prophetas, ut Israelitis ad emendationem permoveeret. 165 b 1  
 Nullum peccatum impunitum relinquit. 166 a 2  
 Eius amor in fideles et filios. 112 c 1-113 c 1-455 d 2  
 Neminem reprobat ideo ut peccet, sed omnem reprobum ideo reprobat quia peccavit. 168 d 2  
 Peccatori non raro auferit dulcia et prospera. 184 a 1 et seqq.  
 Eius clementia quot numeris iustitiæ præstat. 193 a 1  
 Omne bonum ei placet, malum omne displicet: prævidet et providet omnia. 193 b 1  
 Quam sit patiens: est summe iustus. 193 c 1  
 Est in omnibus rectus: communicat ex suo, quidquid communicabile est. 193 d 1  
 Pœnitentibus offensas ita condonat, ut nunquam eorum recordetur. 193 a 2-484 a 1  
 Benignus est iis qui ipsum gravissime offenderunt. 193 a 2  
 Paucis lacrymis, genuit, imo corde dolente contentus est: verax est in dictis et promissis. 193 b 2  
 Non est acceptor personarum. ibidem  
 Nulla re turbatur, sed æquanimis est semper: non querit suum, sed bonum creatorum. 193 c 2  
 Bene facit omnia in operibus naturæ æque ac gratiæ: non bis punit idipsum. ibidem  
 Eius dona sunt fruges et omnia bona naturalia. 198 b 2  
 Solus menti illabi potest. 199 a 2  
 Se suaque oracula attemperat conditioni hominum. 200 c 1  
 Quam ei grata sit sui invocatio. 203 b 1  
 Est Sactorum spes et fortitudo. 210 d 2-403 a 2  
 Est in cælo beatis omnia in omnibus. 213 d 1  
 Infirmi mundi eligit ut confundat fortia. 16 a 1 et seqq.-216 b 1-269 c 2-270 a 2-608 b 1  
 Superbos et sacrilegos quam acriter punit. 217 c 2-248 c 2  
 Cur dicitur *ter maximus, ter felix, ter sanctus*. 219 b 2  
 Peccatori cuilibet sufficiens ad conversionem dat auxilium. 154 d 2-221 a 1  
 Et displicet crudelitas. 221 a 2  
 Animarum ruinam ab aliis causatam quam sentiat. 168 a 1-225 c 2  
 Familias honorat, et iis benedicit, dum aliquos ex iis ad religionem vocat. 230 a 1  
 Cum gemit, non est signum animi imbecillis, sed excitantis se ad plagam. 230 b 2  
 Eius stridor in peccatores. 231 a 1  
 Nullum malum suis immittit, nisi prius eos moneat per prædicatores. 257 a 1-233 a 1-234 a 2  
 Ambulare cum peccatore non potest, si ille peccatum defendat. 233 a 1  
 Mala publica et privata infligit. 234 b 1  
 Omnes creaturæ sunt eius exercitus. 390 c 2  
 Dicitur mundus exemplaris. 244 b 1  
 Est princeps temporum quasi sol. 244 b 2  
 Sæpe infirmos roborat, ut prævaleant fortibus. 177 a 1-264 b 1  
 In nullo est prædicamento. 263 b 1  
 Attributa omnia in eo habent verum esse. 263 c 1  
 Pœnam fingit adæquatam culpæ. 263 a 2 et seqq.  
 Cuius rempubl. vel animum aliquam sibi relinquit, se ei irasci ostendit. 267 a 1  
 Sua condonatione tegit peccata, cum vero calcem et trollam ponit, permittit peccatorem hostibus. 267 d 1 et seqq.  
 Quomodo dicatur mandare pesti, gladio, fami, pisci. 283 a 2  
 Quam sit terribilis iudex et omnipotens. 283 c 2-267 c 2-437 d 2  
 Eius magnificentia colligitur ex cæli et terræ fabrica. 284 c 1-391 d 1 et seqq.  
 Semper clementia vindictam temperat et superat. 303 b 1-551 d 1  
 Quomodo regnet in anima. 303 c 1  
 Etiam Gentium curam gerit, etiamsi corruptissimæ sint. 306 c 1  
 Eius manus nemo effugere potest. 309 b 1  
 Facies eius ubi dicitur esse, ubi hominibus se exhibet. 307 b 2  
 Ei vocanti obediendum. 307 d 2  
 Sæpe per sortes voluntatem suam declarat. 309 d 2 et seqq.  
 Eius summa maiestas. 374 d 1 et seqq.  
 Hæc maxime a nobis timorem et reverentiam exigit. 311 c 1  
 Etiam subinde in populo innocuo peccata aliquorum occultat. 311 d 1  
 Eius si vocationem fugiamus, maius ab eo fugientibus instat periculum. 317 c 2  
 Eius magnificentia perficitur in infirmitate et obedientia hominis. 318 a 1  
 In eum non cadit pœnitentia. 324 a 2  
 Est longe clementior homine etiam sancto. 327 a 2  
 Quomodo dicatur de cælo descendere. 329 b 2 et seqq.  
 Proprium eius opus est benefacere, punire alienum. 330 a 1  
 Bonus et clemens est piis, malus et rigidus impiis. 341 a 2  
 Eius obscuritas et caligo. 351 d 1  
 Eius æternitas. 363 a 2  
 Eius cum Israelitis ingratis expostulatio. 370 d 2 et seqq.  
 Quam de nobis sit sollicitus. 374 c 2  
 Ab eo pendet omne bonum nostrum. 375 a 1  
 Ignis consumens est, hinc sollicite cum eo ambulamus oportet. 375 b 1-83 d 2  
 Non considerat in operibus nostris quantum, sed ex quanto. 375 b 2  
 Licet peccatori pœnitenti condonet culpam, non tamen illico condonat omnem pœnam. 194 a 1-382 a 2  
 Eius ira duplex est. 382 a 2  
 Adfuit Iudæis e Babylonica captivitate redeuntibus. 384 c 1  
 Summum eius est opus peccatoris iustificatio. 386 a 1 et seqq.



- Quæ Dei sunt, et maxima et perfectissima sunt. 318 c 2  
 Est tardus ad vindictam, sed tarditatem supplicii gravitate compensat. 149 c 1-389 c 1-551 b 2  
 Eius zelus contra tyrannos. 233 a 2 et seqq.-389 c 1-392 b 1  
 Eius zelotypia in suos filios. 389 d 1  
 Est dominus iræ suæ. 389 b 2  
 Quam forti sit animo in offensionibus hominum et repulsa toleranda. 389 d 2  
 Novit suos, ignorat hostes. 392 b 2  
 Quos in hac vita punit, non punit in futura. 394 c 1  
 An curaret res humanas, cur multi dubitarint. 417 a 1 et seqq.  
 Cur sinat pios affligi, impios prosperari. 417 a 1 et seqq.-655 d 2 et seqq.  
 Eius longanimitas, impassibilitas, celsitudo. 417 d 1  
 Peccatum mortale odio odit infinito. 424 a 1  
 Eius sanctitas infinita est. 424 b 1  
 An habeat curam particularem piscium. 428 d 1  
 Ab æterno simul et semel omnia futura cognovit. ibidem  
 Non tantam habet curam piscium quantum habet hominum ex parte effectus. ibidem  
 Eius cura generalis de minimis qualis sit. 428 b 2  
 Potius casto silentio quam exili nostro præconio venerandus est. 437 d 2  
 Est omnia, et omnium causa finalis, conservans et efficiens. 438 a 1  
 Eius essentia in immensum omnem creaturarum intellectum, conceptum et vocem transcendit. 438 c 1  
 Est sol immensus gloriæ, a quo singuli homines et Angeli radiolum unum lucis emendicant. ibidem  
 Perfectiones omnes in eo sunt infinitæ et augustissimæ. 438 b 2  
 Eum quomodo viderit amor. ibidem  
 In attributis omnibus est positive infinitus. 438 c 2  
 In infinitum transcendit omnes res possibles et imaginarias, quæ sunt infinitæ, in infinitum. 438 d 2  
 Ei immensa debetur reverentia, cultus, amor et latria. 439 a 1  
 Est nobis super omnia summo amore diligendus. 439 b 1  
 Eius descriptio compendio tradita. 439 c 1  
 Ad eius cognitionem duobus modis pertingimus. 439 a 2  
 Ipse incarnatus opus stupendum est. 441 c 1  
 Cur ab Austro et dextro venire dicatur. 445 d 2  
 Eius quæ sint cornua. 447 d 2  
 Solus ipse regna dat et imperia. 449 c 2  
 Est præses temporum, dominus æternitatis. 449 d 2 et seqq.  
 Vocatur ævum ævorum. 450 c 1  
 Antonomastice cur dicatur salus. 457 d 1  
 Est fortitudo nostra, quomodo. 458 b 1  
 Ei infinitæ gratiæ infinitis modis debentur. 459 a 2  
 In die iudicii scrutabitur arcana cordium. 467 b 2  
 Eius lucerna increata et creata, quæ. 467 d 2  
 Ipse summum bonum est. 477 c 2  
 Est omiscius. 478 a 2  
 In dilectione sua stabilis est. 483 d 2  
 Cur in tribulatione suorum dissimulet. 484 a 1  
 Mire delectatur nostra virtute. 484 c 1  
 Eius in manu eor regum est. 489 a 1  
 Regandus est ut pios det reges et principes. ibidem  
 Eius inspirationes quanti faciendæ sint. 489 d 2  
 In anima sancta, religione, et Ecclesia quomodo colatur. 512 b 2  
 In ea quomodo præsideat. 512 c 2  
 Eius in homines pietatis officia. 516 c 1  
 Vindictam post castigationem convertit in auctores. 521 c 1  
 Est per Christum gloria Ecclesiæ. 525 c 1  
 Quomodo Iudæis dormierit et somnum excusserit. 528 a 1  
 Est totus oculus. 535 d 2  
 Eius providentia per candelabrum representatur. 540 b 2-541 d 1  
 Magna a parvis orditur. 544 c 2  
 Ei ignis et lampades præferuntur. 547 a 2  
 Mensura præscripta peccatorum impleta punit. 552 d 2  
 Est mundi oculus. 553 c 2  
 Quam ardentem cupiat esse cum hominibus. 587 c 1  
 Eius sœdus quod fuerit cum Iudæis. 598 d 1  
 Deus in cruce est prodigium a sæculis inauditum. 615 b 2  
 Eius dignatio carnem humanam assumentis. 531 d 2 et seqq.  
 Iudæis Christum obiecit ut ipsi eum occidant, ut sua morte genus humanum is redimeret. 617 c 1  
 Descendit cum Angelis in auxilium fidelium. 624 b 1  
 Quibus titulus pater et dominus eorum sit. 639 a 1  
 Eucharistia summe honoratur. 644 d 1 et seqq.  
 Semper petit optima. 646 c 1  
 Eius maledicere et benedicere est efficax. 647 b 2  
 Est nuptiarum conciliator et vindex. 653 b 2  
 Quomodo non affligitur peccatis impiorum. 655 d 2  
 Hunc Ethnicus velut ignem concipiebant. 660 c 2 et seqq.  
 Est immutabilis octupliciter. 664 c 1  
 Huius immutabilitatis variæ causæ. 664 b 2 et seqq.  
 Natura eius plenitudo et perfectio. ibidem  
 Est actus purus, nihil habens admistum potentialitatis. 664 c 2  
 Est simplicissimus. 664 d 2  
 Est ipsum esse. 665 a 1  
 Quod vult hoc ab æterno voluit. ibidem  
 Omnia ei sunt præsentia. 665 b 1  
 A peccatore peccato configitur velut sagitta. 666 a 2  
 In memoria sua conscribit singulorum hominum dicta et facta. 668 c 2  
 Deiformes quomodo evasuri simus. 451 d 1  
 Dei quilibet ab Hebræis vocabantur *Baalim*. 150 d 2  
 Deos tutelares urbes, Gentiles eam obidentes carmine aliquo evocabant. 330 a 1  
 Quam hi impotentes essent. 90 c 2  
 Dexteræ capitur in Scripturis pro parte Australi. 445 d 2 et seqq.  
 Item est symbolum egregii alicuius conatus et operis. 529 d 2  
 Diabolus peccatores suis vitis alligat. 102 b 1  
 Dei simia est. 100 c 1  
 Sæpe facit ut maniaci divinent. 36 a 1  
 Ei competit vindemia, Christo vix racematio. 378 a 2  
 Eius opera potest quis rapi in extasin quasi naturalem. 34 a 2  
 Est tyrannus Aquilonaris, cur. 196 d 1  
 Est homini leo in hac vita, ursus in morte, coluber in gebenna. 250 a 2  
 Semper sitit sanguinem. 120 d 2-191 a 2  
 Abutitur anima peccatoris pro sua libidine ad omnem malitiam. 186 c 2  
 Sanguinis humani avidus homines sibi immolari pecebant. 167 b 1  
 Quomodo vires animæ enervet. 123 b 1  
 Omnes pietatis fructus in ea evertit instar locustarum. 185 a 1-186 d 1  
 Formidat animos viriles, sævit in molles. 262 d 1  
 Cogit animam ad desperationem. 83 a 1  
 Eorum alii huic, alii illi vitio præsumunt, et ad ea homines sollicitant. 98 d 1  
 Est eorum regnum in anima tyrannicum. 303 c 2  
 In sortibus iis tribuitur prænotio futurorum, quæ soli Deo propria est. 310 a 1  
 Quomodo steterit a dextris Iesu Pontificis. 529 b 2 et seqq.  
 Quomodo a dextris huius proditoris. ibidem  
 Impedire voluit fabricam templi. 529 d 2  
 Cur sit a dextris impiorum. ibidem  
 An quisque diabolum habeat a quo tentetur. ibidem et seqq.  
 Quomodo eum Deus pro Iesu increparit. 530 c 2  
 Allegorice lupus vespertinus est. 421 d 1  
 Sæpe etiam se in lupum transformat. 421 a 2  
 Hominem cur et quando mutum reddat. ibidem  
 In quo hyænæ assimilatur. 421 b 2  
 Ipse somnum, Christus vigiliam inducit. 412 c 2  
 Quare fulgur dicatur. 449 c 1  
 Ceto voraci assimilatur. 425 a 1  
 Templi fabricam impedire satagens monti magno assimilatur. 542 a 2  
 Item Christianismo se opponens. 542 c 2  
 Diaboli idolo assistebant quasi animæ idoli, dabantque responsa. 614 d 2  
 Eaque falsa et noxia. 589 a 2  
 Representantur per Æthiopes. 451 d 2  
 Et tales hominibus apparent. 474 d 1  
 In iudicio peccatorum oculosissima quæque pudent. 468 b 1  
 Per Eucharistiam prodigantur. 585 a 1  
 Διαψαλλομα quam diversimode vertatur. 446 d 2  
 In eo necessario inveniebatur et cantorum et concentus, et sententiæ mutatio. 447 a 2

- Dies excidii Hierosolymæ est typus diei mortis et iudicii. 191 d 2  
 Quos dies quis quotannis solemniter celebrare debeat. 71 c 2  
 Dies quinam sint magnæ virtutis Dei. 71 c 1 et seqq.  
 Dies magnos quos Romani vocarent. 71 b 2  
 Dies Balaim tropologicè qui dicantur. 77 b 1  
 Quos dies Hebræi festos habuerint. 71 c 2-77 c 1  
 Dies apud Hebræos sæpe significat annum. 239 b 2  
 Sæpe capitur pro clade insigni quæ tali die contigit. 442 a 1  
 Dies Domini dicitur dies ultionis, qua aliquas gentes perdit. ibidem  
 Dies continuus erit post iudicium peractum. 625 a 1  
 Dies parvi et magni qui dicantur. 70 c 2-544 c 1  
 Dies ante diem iudicii quomodo futuri nubili et frigidi. 624 d 2  
 Dies fabricæ templi cur vocentur parvi. 544 d 1 et seqq.  
 Diffarreatio est dissolutio matrimonii confarreatione contracti. 88 a 2  
 Difficultates omnes in via Christi occurrentes generose perfringendæ sunt. 344 b 1 et seqq.-344 b 2  
 Diffidentia oritur ex defectu fidei, quam illa Deo contumeliosa sit. 477 a 2  
 Digitus annularis quis sit. 509 c 1  
 Diguatio Christi summa erga genus humanum. 199 c 2  
 Dignitates huius sæculi aureus vapor sunt. 149 b 2  
 Δύο Græcis significat res quatuor. 172 a 1  
 Dilectio Dei est efficax, et fons omnis boni. 637 b 1  
 Diluvium triplex. 391 b 1  
 Diluvium Deucalionis finxerunt poetæ ex diluvio Noe. 309 a 1  
 Dimidium in dubiis melius est toto. 427 c 1  
 Diocletianus et Maximianus Christi fidem se extirpaturos iurarant, at non potuerunt. 606 c 2  
 Diodorus Siculus erravit in rege sub qua factam scribit Tigris inundationem qua Ninive obruta. 393 b 1  
 Diogenes quam vestium luxum et levitatem carperet. 464 b 1  
 Cur a simulacris petere aliquid soleret. 119 b 2  
 Diptera est membrana e pelle capræ Iuvis. 550 a 1  
 Dipsas serpens avaritiæ symbolum est: ab eo percussus, inextinguibili siti enecatur. 281 d 2  
 Dirigi in Scriptura est prospere agere. 162 b 1  
 Disceptatio Christi cum impiis in die iudicii qualis futura sit. 205 a 2  
 Disciplinæ monasticæ abiectio quomodo a Deo puniatur. 275 b 1  
 Eius observantia quantopere alios ad imitationem alliciat. 572 b 1 et seqq.  
 Discordia fraterna a Deo sæpe punita. 224 b 1  
 Discus quale athletarum instrumentum esset. 606 b 2  
 Dispensare an possit Deus ut fornicatio sit licita, et in quibus præceptis dispensare possit. 57 c 2  
 Dispositio ad prophetiam prima, est mentis quies. 21 a 2  
 Secunda, mentis abstractio. 21 c 2  
 Tertia, vitæ sanctitas. 22 a 1  
 Maxime humilitas. 22 d 1  
 Dispositio optima quæ sit ad Ven. Eucharistiam sumendam. 584 a 2  
 Disruptio verborum, capitum, et sententiarum S. Scripturæ multum valet ad eius genuinum sensum capiendum. 39 a 1  
 Dissidium inter consanguineos propter Evangelium quale enatum sit. 381 a 2  
 Divagatio quanta sit hominum mundanorum maxime mercatorum. 425 b 2  
 Diversitas animorum ablata per adventum Christi. 480 a 2  
 Divinare prophetias adhuc futuras quatenus liceat. 38 b 2 et seqq.  
 Divinandi vis non est in anima moribundi vel maniaci. 35 d 1 et seqq.  
 Divinatio non fit naturaliter. ibidem  
 Divinatoria sors quæ, et quatenus illicita sit. 310 a 1  
 Divini quomodo fieri possimus. 193 b 1  
 Divini vocantur somniatores. 589 b 2  
 Divinitatis quod sit hieroglyphicum et ænigma. 450 b 1  
 Eius puritas, amor, ardor, trinitas personarum, æteruitas duplex. ibidem  
 Divinitas Christi semper, etiam in morte, mansit tam corpori quam animæ eius coniuncta. 111 d 1  
 Divinitas omnes perfectiones in se continet. 65 a 2  
 Divisoria sors quæ, et an licita sit. 309 c 2  
 Divites in Christianismo non est quod se pauperibus præferant, quia maiora habent virtutum impedimenta quam pauperes. 607 d 2  
 Divitiæ sunt divitis idolum, rapina, robur, spes, requies. 164 a 2  
 Non exstinguunt habendi sitim. 120 d 2  
 Vide Aurum, Pecunia.  
 Doctor superbus aquilis assimilatur. 294 b 2  
 Doctor bene doceas, et nihil faciens similis est cupresso. 178 d 2-179 a 1  
 Doctor arrogans convertitur in arcum pravum. 126 b 1  
 Doctorem iustitiæ, qui a Ioele promittitur, ostenditur fore Messiam. 197 a 2  
 Doctores Ecclesiæ hyadibus assimilantur. 247 d 2  
 Mystice per equos n'gros Zachar. repræsentantur. 559 d 1  
 Sunt quasi sigillum Dei. 511 b 2  
 Doctores quatuor Ecclesiæ intelliguntur per fabros Zachariæ visos. 522 a 2 et seqq.  
 Doctrina legis divinæ vendere pecunia, est simonia. 347 a 2  
 Doctrina cur Hebræis vocetur ros vel pluvia. 176 b 1-197 b 1  
 Doctrina consentiat cum opere. 490 a 1 et seqq.  
 Doctrina Christi portentosa est. 534 b 1 et seqq.  
 Sycomoro comparatur. 270 c 2  
 Eius paradoxa. 38 a 2  
 Doctrina Evangelica semper in una lingua floruit. 481 b 1  
 Doctrina Christi et Apostolorum an sit fons patens domui David, quem describit Zacharias. 613 b 1 et seqq.  
 Dolere in Prophetis suis, cur, et quomodo se dicat Deus. 113 a 2  
 Domestici sunt maxime inimici hominis. 381 d 1  
 Dominicus (S) vivens fuit velut Angelus terrestris. 23 b 2  
 Dominus fidelium, quare sit Deus. 639 a 1  
 Domitiani inutilis occupatio in captandis muscis. 428 c 2  
 Ei sortes interitum denuntiarunt. 310 b 1  
 Domus pulveris, est terra, item corpus mortale. 333 d 2  
 Domus æstiva et hiemalis, quid sint mystice. 237 b 2  
 Domus eburnea Achab. ibidem  
 Domus spiritalis partes. 289 b 2  
 Domus ædificandæ in cælo, duraturæ, non in terra, mox casuræ. 320 c 1  
 Domus Domini symbolice erat Israel et Iuda. 127 d 1-138 b 2  
 Domus David vocatur posteri Davidis, eorumque familia. 607 c 2  
 Allegorie Apostoli virique Apostolici. ibidem  
 Domus est quasi magnus quidam homo civilis. 454 b 2  
 Domus quoque symbolice est familia et resp. ibidem  
 Domus spiritualis fundamentum, parietes et tectum quæ sint. 494 b 2  
 Domus, in quibus immane aliquod scelus est patratum, solent destitui usque ad fundamenta. 552 d 1  
 Dona Spiritus sancti plenissime fuerunt in anima Christi. 536 a 1  
 Eorum copia magna in fideles effunditur. 199 b 1  
 Ea ipse indifferenter in omnes effundit. 200 a 1  
 Donis sponsi olim uxores sibi coemebant. 88 c 1  
 Hinc vocantur dona sponsalia vel iugalia. ibidem  
 Dona templorum data olim meretricibus. 332 a 1  
 Douatistæ e qua Scriptura suæ sectæ in Africa natæ patrociniū quærent. 446 b 2  
 Dormire in lectuli plaga quid sit. 236 b 1 et seqq.  
 Dormisse et excitatus a somno quomodo dicatur Deus populo suo. 528 a 1  
 Dorotheus qui vitas Prophetarum scripsit, non fuit Episcopus Tyrius et Martyr sub Iuliano. 25 a 1  
 Illic grandævus Martyr obiit. 291 a 1  
 Dos Dei, animam sibi despondentis, quæ. 84 d 1  
 Dotes Prophetæ, robur, iudicium et efficacia. 346 b 2  
 Dos agilitatis per pedes cervorum a Propheta exponitur. 458 b 2  
 Dotes Beatorum ex visione Dei manantes auagocice vocari possunt fontes. 626 b 1  
 Draconis cum elephantis pugna et planctus. 332 c 2  
 Dromades cameli sunt velocissimi. 336 b 1  
 Duci militari captandus sol et ventus est. 422 a 2  
 Duellum Christi et diaboli. 532 c 1  
 Dunstanus (S.) Edvinum Angliæ regem precibus ab inferno liberavit. 609 a 2  
 Duplex tribulatio quæ dicatur. 393 d 2  
 Duplicia bona quæ reddat Christus suis. 579 c 2  
 Duplex sæpe capitur pro multiplex. 579 d 2  
 Durannus Episcopus Tulosanus cur a morte apparuerit tumentibus labris et spumoso ore. 486 d 1  
 Duratio est triplex, tempus, ævum, æternitas. 364 a 1

## E

- Ebrietas voluntaria insania est.** 98 a 1  
 Quæ mala causetur. 471 c 2 et seqq.  
**Ebrietas capitur aliquando pro rerum omnium abundantia.** 177 b 2  
**Ebrietas spiritualis quæ sit, et quam optanda.** 493 c 2  
**Ebrius sæpe ob nuditatem suam se omnium ludibrio exponit.** 436 b 1  
**Ebriis omnia videntur moveri et apparent duplicia.** 605 c 1  
**Ecclesia cur Origenem damnarit.** 20 b 2  
**Eius hieroglyphicum et exordium.** 44 a 1  
**Eam Christus sibi copulavit ut coniugem.** 61 b 1  
**Eius quis sit magnus dies, et fuerit.** 71 b 2  
**Est una et sola.** 78 d 1  
**Varias ob causas vocatur solitudo.** ibidem et seqq.  
**Eam quando et quomodo Deus sit consolatus.** 81 b 1  
**Ob scelera impiorum punitur et turbatur.** 82 b 2  
**Eius bonis locupletari volentes graviter peccant.** 94 c 2  
**Vinæ ob varias analogias comparatur.** 140 c 1 et seqq.  
**Item olivæ.** 177 c 1  
**Quatuor eius bona spiritualia sunt præcepta, exercitia, virtutes et charismata.** 189 b 1  
**Quod eius etymon.** 203 a 1  
**Arcturo sideri assimilatur.** 247 c 2  
**Est velut fasciculus Dei.** 284 d 2  
**Est tabernaculum Davidis, id est, Christi et Christianorum.** 287 b 1-614 a 2  
**Materialiter et reipsa est regnum Christi.** 287 c 1  
**Fundata est super petram.** 289 b 2  
**Est domus Domini in monte ædificata.** 349 b 1  
**Transcendit omnes doctrinas, leges, instructiones, scholas, religiones Iudæorum et Philosophorum.** 349 a 2  
**Ad eam gentes terrenas venire quam miraculosum sit.** ibidem  
**Eius pastor est Christus.** 352 d 1  
**Cur sit turris gregis et Ophel; cur vocetur Ierusalem filia, et Sion.** 203 a 2-351 c 2 et seqq.  
**Sine bellis esse nequit cum sit militans.** 366 d 1  
**Ei pacem quomodo Christus attulerit.** 367 c 1  
**Persecutionibus crescit.** 384 a 2  
**A fidelibus inter se consociatis constituitur.** 512 b 1 et seqq.  
**Orta tantum post Christi recessum sicut luna post solis occasum.** 453 c 2  
**In monte Sion inchoata est.** 506 a 1  
**Eius maior gloria est quam Synagogæ.** ibidem  
**Est allegor. lapis oneris, quem cuncti tollere et abicere volentes male periere.** 353 c 2-606 c 2  
**Allegorice cur Alexandria populorum est.** 411 b 1  
**Eius lapides sunt fideles mortificatione expoliti.** 512 b 1  
**Quomodo posita sit Gentilibus et Iudæis quasi superliminare crapulæ.** 605 c 1  
**Exterius deformis, introrsum pulchra est.** 605 b 2  
**Eius typus est candelabrum, cur.** 539 a 1  
**Est mysticum Dei templum.** 659 c 1  
**Est firmamentum veritatis.** 568 a 2  
**Eam quam validis vallis Deus communiat.** 576 a 2  
**Allegorice est terra desiderabilis.** 667 c 2  
**Eius quanta sit amplitudo, et capacitas.** 524 a 2  
**Est paradus Dei.** 524 c 2  
**Durabit in æternum, donec in statum beatum mutetur.** 627 c 2  
**Ex ea quando et quomodo impietas expelli dicatur in Babylonem.** 557 b 1  
**Eius restauratores quovis sæculo Deus excitavit.** 495 c 2  
**Ecclesia Catholica vasis sacris abundat** 632 b 1  
**Multos ritus ex Zacharia et Apocalypsi, et similia symbola mutuata est in officiis Ecclesiasticis.** 536 c 1  
**Ecclesia Iudæorum et Christianorum, eadem est.** 483 a 2  
**Hæc illi ut prælata sit, et propinquior facta soli iustitiæ.** 621 b 1  
**Ecclesia Græca prima pene in orbe effloruit, deditque primos Doctores.** 580 b 2  
**Ecclesiam triumphantem nulli adversarii affigere, nulli immundi polluere poterunt.** 211 b 2  
**Ecclesia vetus Iudæorum per multas rupturas cecidit** 287 c 1  
**Ecclesiastes cur Hebraice feminine vocetur cohelet.** 496 a 2  
**Ecclesiasticus non texit elogia omnium virorum illustrium.** 635 b 1
- Ecclesiasticus opibus quas ex beneficio percepit, cognatos laicos non locupletet.** 281 a 2  
**Beneficia beneficiis non accumularet.** ibidem  
**Eorum cupiditate fovetur valde avaritia laicorum.** 281 c 1 et seqq.
- Εξβρασμος, quid proprie sit.** 405 a 2  
**Eclipsis solis facta in Passione Christi, allegorice indicata per Amos.** 278 c 1  
**Ecnephas ventus quis sit, quam in Italia sit procellosus.** 422 b 1  
**Eden regio, in qua situs erat paradus terrestris, fuit in Mesopotamia et locis vicinis.** 222 a 2  
**Educatio prolium a matre maxime pendet.** 60 b 1  
**Edvinus, Angliæ rex, precibus S. Dunstani ab inferno liberatus.** 609 a 2  
**Effeminati quinam et quales essent.** 99 d 1  
**Cur ita dicerentur.** ibidem et seqq.  
**Erant Priapo consecrati.** ibidem  
**Effusio donorum Spiritus sancti vocatur in Scriptura baptismus.** 199 b 1  
**Quanta eius donorum copia sit.** ibidem  
**Egredi quomodo cælo Deus dicatur ad aliquid operandum.** 329 b 2  
**Inter egredi sermonem, et egredi hominem quæ sit differentia.** 363 d 1  
**Egressus Christi triplex est, temporalis, æternus, et partim temporalis et partim æternus.** 362 d 1  
**Ελαφς, id est, cervus, græce unde dicatur.** 384 d 2  
**Elapidare locum aliquem quid sit.** 331 a 1  
**Elcesæus, hebraice idem est quod serotinus, tardus: cognomen est Nahum a patria.** 389 b 1  
**Electores S. R. Imperii in inauguratione Imperatoris quæ Imperii insignia gessent.** 273 b 1 et seqq.  
**Electorum cœtus in mente Dei colligatus, est velut fasciculus.** 284 d 2  
**Ante opera prævisa non sunt ad gloriam prædestinati.** 154 c 2  
**In die iudicii prospicient in tartarum.** 623 b 1  
**Sunt peculum Christi.** 669 d 1  
**Item sors Sanctorum et regnum Christi.** 669 a 2  
**Quam Deo sint chari.** ibidem  
**Eleemosynæ præstantia et vis.** 115 c 1 et seqq.  
**Eius quantus sit proventus.** 146 b 2  
**Solet vocari iustitia.** 259 a 1  
**Pœnitentia tollit in cælum.** 373 c 2  
**Eam dans dat eam Deo de suo.** 503 a 1  
**Eleemosynariorum opes Deus multiplicat.** 276 c 1  
**Elementa nostra non habent primævam puritatem in qua condita sunt, sed multis rebus terrestribus permista sunt.** 425 a 1  
**Post iudicium purgata erunt.** 625 a 1  
**Eorum dissidia repræsentantur per quatuor colores aurigarum in ludis Circensibus.** 560 d 2  
**Eliacim pontifex tempore Iudith etiam bellorum curam gessit.** 562 b 2  
**Elias Abbas qua ratione donum castitatis a Deo obtinuerit.** 317 d 1  
**Elias et Henoch indices sunt resurrectionis mortuorum futuræ.** 318 a 2  
**Quamdiu in fine mundi prædicabunt.** 544 c 2  
**Sunt duo filii olei.** 549 a 2  
**Elias in fine mundi promittitur venturus.** 676 a 2  
**An hoc nomine Ioan. Baptista intelligendus sit.** Ostenditur verum Eliam venturum. 676 a 2 et seqq.  
**Est futurus præcursor secundi adventus Messiæ, nec primi fuit.** 676 c 2  
**Similis in zelo, prædicatione et sanctitate fuit ei Ioan. Baptista.** 658 b 2-ibidem  
**Eum avide expectant Iudæi.** 677 b 1  
**Cur Iudæi aliquem circumcidentes ei sellam ponant.** ibidem  
**Soli assimilatur.** ibidem  
**Cur ipse potius, quam quis alius in fine mundi venturus sit.** 677 c 1  
**Eius zelus.** 677 a 2-678 a 1  
**Missus fuit ad tollendum schisma Ieroboam.** 677 d 1  
**Ob zelum caelestem raptus in cælum est.** 677 a 2  
**Fuit virgo.** ibidem  
**Fuit Prophetarum dux et antesignanus.** ibidem  
**Cur apparuerit in transfiguratione Christi.** 677 b 2  
**Fuit Israelis custos, Propheta, doctor, protector.** ibidem

- In quo fuerit typus ascensionis Christi in cælum. 677 c 2  
 Et beatæ resurrectionis. 677 d 2  
 Quomodo cor patrum ad filios sit conversurus. 678 b 1 et seqq.  
 Iudæos in fine mundi quomodo convertet. 678 d 2  
 Faciet pacem inter Iudæos et Gentes, erit reformator cleri et populi. 679 a 1  
 Elimelech maritus Noemi fuit Bethlehemites. 360 a 1  
 Elisabetha regina hæresim in Angliam invexit, quo regnum stabiliret. 119 c 1-121 d 1  
 Elisabetha (S.) ex aspectu Christi crucifixi ad vitam perfectam conversa est. 611 b 1  
 Precibus adolescentem vanum ad Religionem implit. 609 a 2  
 Elisæus solus Dei iussu, in Prophetam ab Elia unctus est. 22 d 2  
 Elul Hebræorum mensis partim nostro Septembri, partim Augusto respondet. 489 d 1  
 Elzearius (S.), Comes Arriani, quo intuitu omnes iniurias æquo animo perferret. 610 d 2  
 In vulneribus Christi tantum inveniri volebat. 616 d 2  
 Emanatio æterna Christi cur vocetur a Propheta egressus in plurali. 363 b 1  
 Emath urbs unde dicta, ubi sita, quotuplex fuerit: an duplex; una magna, altera minor. 256 a 1 et seqq.  
 Ostenditur tantum esse unam, scilicet Antiochiam. 256 c 1-574 b 1  
 Emendatio vitæ non est procrastinanda. 475 a 2  
 Enallage personæ crebra est apud Prophetas. 75 c 2  
 Item temporis. 411 a 1  
 Encæniorum diem cur Iudæi celebrarint. 71 d 2  
 Engaddi vinea fertilissima fuit. 81 b 2  
 Epaminondas hostis fuit deliciarum. 258 c 2  
 Ephëbiam qualem Iason impius pontifex Hierosolymis excitavit. 605 c 2  
 Ephraim erat communis Hebræorum mensura, hinc sæpe pro mensura in genere capitur. 276 a 2  
 Ephod erat primaria vestis pontificis. 89 c 2  
 Ephraim quid significet. 173 d 2  
 Ephraim Tribus dedit primum regem Israel, et multos eius successores. 105 a 1  
 Sic vocantur decem Tribus. 17 b 2  
 Ea inter decem erat fortissima. 592 a 1  
 Ephrata dicta est prius Bethlehem. 357 b 1  
 Ephrata etymon. ibidem  
 Imo tota régio a fertilitate dicta Ephrata. 357 d 1  
 Ephrata uxor Caleb fuit abavia Bethlehem. 357 c 1  
 An eadem sit cum Maria sorore Mosis. ibidem  
 Epicuræos (ad) cur multi ex aliis sectis deficerent, ex iis ad alias nemo. 97 a 2  
 Epicuri discipuli eius imaginem in aunulis gestabant. 509 d 1  
 Epiphania urbs an sit Emath minor. 256 a 1  
 Quatuor Epiphaniæ sunt in diversis provinciis. 256 c 2  
 Episcopi quædo et quomodo subditis fiant rete. 103 c 2  
 Advigilent, ne novi Scripturæ sensus proferantur. 21 d 1  
 Episcopatu arendi si carent scientia S. Scripturæ. 94 d 1  
 Quomodo ordinandos examinare debeant, et quare. 662 d 2  
 Quomodo suis sanctitate præluere debeant. 603 b 2  
 Sint vigiles et attentis. 602 c 1 et seqq.  
 Vide Prælatus.  
 Episcopatus in quo consistat. 536 a 2  
 Episcopatus Romano annexus est pontificatus. 536 c 1  
 Epistola Hebræis vocatur liber. 388 b 2  
 Epistolæ Paulinæ non exstant eo ordine quo scriptæ. 18 a 2  
 Epitaphium orbis univèrsi, et commune omnium Prophetarum quod sit. 30 b 1  
 Epitaphiorum quatuor sunt causæ. 30 c 1  
 Equus multarum rerum symbolum est. 517 b 1  
 Et comparatur humanitas Christi, cur. 452 d 2  
 Est hieroglyphicum Apostoli, virique Apostolici. 453 a 1-590 a 1  
 Equi multi hostium a Machabæis in capite percussi et excæcati sunt. 607 a 1  
 Equis adoraandis præsci plane dediti erant. 631 b 1  
 Equis vehi cur fingantur Angeli. 558 b 2 et seqq.  
 Equi bellici veloces sunt pernicitate, sanguine effuso gaudent. 421 d 2  
 Equorum Chaldæorum generositas. ibidem  
 Equorum copia Iudæis vetita. 175 c 2  
 Hinc eos petere solebant ex Ægypto. ibidem  
 Equo rufo cur insideat vir Zachariæ apparens. 517 b 1  
 Equi quatuor Ioannis in Apocal. visi designant IV. universales Ecclesiæ persecutiones: qui quas. 522 c 2  
 Equi rufi, albi et varii Zachariæ visi quas gentes repræsentant. 519 c 1  
 Quos Angelos denotent. 519 a 2  
 Albi Græcorum monarchiam repræsentant. 560 c 1  
 Equi rufi an denotent monarchiam Romanorum, an Assyriorum et Chaldæorum. 559 d 2  
 Quid egerint hi, incertum. 560 a 1  
 Nigri Persas repræsentant. 560 b 1  
 Varii Romanos, non Ægyptios. 560 d 1  
 Rufi denotant mystice Apostolos et Martyres. 559 d 1  
 Nigri Prophetas et Doctores. ibidem  
 Albi virgines. 559 a 2  
 Varii Confessores. ibidem  
 Quid hi quatuor aliud repræsentent. 521 b 2 et seqq. 522 c 2  
 Eremiticæ vitæ bona, delicia, et eucomia. 79 b 1 et seqq.  
 Ericius quod sit animal. 475 b 1  
 Est symbolum furis. ibidem  
 Eruca vermis est, qui post pluviam nascitur. 181 b 1  
 Unde nomen eruca derivetur: quomodo colligi et quando debeat. ibidem  
 An vermiculus sit, qui crescens fiat bruchus, ac deinde locusta. 185 d 1  
 Esau dum viveret, potentior fuit Iacobo fratre. 162 a 1  
 Est odio habitus propter peccata. 169 b 1  
 Dicitur est quercinus. 229 c 2  
 Item Edom et Seir. 293 a 1  
 Præ Iacob odio habitum a Deo quomodo intelligatur. 637 d 1  
 Cur vocetur Seir. 638 a 2  
 Esauitæ et Idumæi multi salvati sunt. 637 a 2 et seqq.  
 Esdras an idem qui Malachias. 634 c 1  
 Eius ætas et anni. 634 b 2  
 Vitam pene egit in Babylone, fuitque piucerna Artaxerxis. 634 c 2  
 Fuerint scriba concilii collecti a Iudæis. 635 a 1  
 Cur non meminerit Malachiæ. ibidem  
 Quando Ierusalem venerit. 635 c 1  
 Idem cum Malachiæ populo suasit. ibidem  
 Prius templum vidit, quamdiu vitam prorogavit. 497 b 2  
 Fuit patruus Iesu pontificis. 490 d 2  
 Alienigenas uxores abstulit a Iudæis e Babylone reversis. 530 a 2  
 Essæi Alexandriæ quotidie ieiunabant. 23 a 2  
 Esse omne in Deo est. 438 d 1 et seqq.  
 Essentia Dei infinita virtutis est. 65 a 2  
 Identifier cum actibus et potentiis divinis, tum circa se, tum circa creaturas. 65 b 2  
 Esther ob gratiam et pulchritudinem vocata Edissa. 517 b 2  
 Quando viserit, an fuerit uxor Darii Hystaspis. ibidem  
 Esurientes iustitiam sunt beati. 95 c 2  
 Ethanum quis Hebræis esset mensis. 489 d 1  
 Eva a serpente decepta columbæ assimilatur. 124 a 1  
 Evacuatoria in candelabro Zachariæ quæ sunt. 548 c 1-548 b 2  
 Evangelica doctrina et lex est velut pluvia serotina. 588 a 1  
 Quomodo sit frumentum et vinum. 583 b 1  
 A Ierusalem per totum orbem diffusa fuit. 626 a 1 et seqq.  
 Est proprie bonus nuntius. 660 a 1  
 Vide Lex.  
 Evangelio Christi inobedientes vel iniurios quomodo Deus punit. 368 d 2  
 Id per Meridtem cæteras orbis plagas pervasit. 302 a 1  
 Ipsum est lex pacis, amoris, concordie. 350 b 1  
 Eius prædicatio est quasi sacrificium. 581 a 1  
 Eius vis et energia. 580 c 2  
 Dupliciter vocari potest onus. 573 b 1  
 Evangelistæ quatuor per quatuor fabros Zachariæ repræsentari queunt. 522 a 2  
 Prophetas subinde citant non quoad verba, sed quoad sensum. 600 c 2  
 Eorum capita quomodo olim Patres Græci et Latini distinxerint. 39 c 1  
 Eucharestia complementum bonorum est. 91 a 2  
 Eius sacrificium in specie panis et vini institutum a Christo, cur. 134 a 1  
 Est funiculus amoris. 151 d 2  
 Ipsa cur rori comparetur. 176 c 1

- Est memoria et memoriale iuge Christi. 178 b 1  
 Panem caelestem nobis manducandum exhibet sub specie panis triticeii. 177 a 2  
 In ea Christum devote suscipientes fiunt Bethlehem et presepe Domini. 362 c 1  
 Ei cur faces praeferantur, et ante eam ardeant lampades. 547 a 2  
 Est frumentum electorum. 583 a 1  
 Item bonitas et pulchritudo Christi. 583 c 1 et seqq.  
 Est convivium, in quo Christus nobiscum convivatur. 583 a 2  
 Est omne bonum et pulchrum Dei et Christi, aequae nostrum. 583 b 2  
 In ea est quasi nova mundi creatio. ibidem  
 Est manna supernaturale, est quasi nova Christi incarnatio, et viva representatio mortis Christi. 583 c 2  
 In ea Deus omnia vetera miracula renovat et superat. ibidem  
 Est summum sacrificium, quo Deus summe honoratur. 583 d 2  
 Est panis transubstantiatus et supersubstantialis. 584 a 1  
 Eius operationes. 584 a 1 et seqq.-584 c 2 et seqq.-586 b 2-587 a 2  
 Est ignis divini amoris, ardorem caritatis in nobis exercens. 584 b 1  
 Unde hominibus vilescat. 584 c 1  
 Eius fames et desiderium optima ad eam dispositio est. 584 d 1  
 Quanta ad eam aviditate accedendum sit. ibidem  
 Quomodo post eam sumptam se gerat homo. 584 a 2 et seqq.  
 Facit iuvenes validos. 584 d 2  
 Facit ut a Deo eligamur ad vitam aeternam. ibidem  
 Ea Martyres se muniebant in certaminibus: hinc a Christianis domum deferebatur. ibidem  
 Eius vi fideles vim demonum elidunt. 585 a 1  
 Dat opem in praebis. 585 b 1 et seqq.  
 Vires corporales adauget. 585 d 1  
 Multi eius solius sumptione vitam duxerunt. 585 a 2  
 Inebriat mentes. 585 d 2-586 a 2-177 c 2  
 Eius virtute resurgemus. 586 c 1  
 Quomodo eam vocent Patres. ibidem  
 Germinat et efficit virgines. 586 d 1  
 Reprimit libidinem. 586 b 2  
 Olim mox a baptismo cur daretur. 587 b 2  
 Subinde a Patribus vocatur oratio et liturgia. 642 a 2  
 Sacramentum non tantum est, sed et sacrificium. 642 b 2  
 Quomodo sit sacrificium, et mundum. ibidem et seqq.  
 Eius sacrificium Dei nomen mire celebrat. 643 c 1  
 Cur vocetur incensum vel thymiana. 643 d 1  
 Tripliciter dicitur munda. 643 d 2  
 Eminenter complectitur in se tres species sacrificii Iudaei praescripti. 644 a 1  
 Ea summe honoratur Deus octo de causis. 644 d 1 et seqq.  
 Est miraculum miraculorum. 644 b 2  
 Per eam participat tam offerens quam assistens omnia merita Christi. 644 c 2  
 Per eam omnis gratia cum suo auctore ad nos derivatur. ibidem  
 Cur vocetur Eucharistia. 644 d 2  
 Quam eam reverentur Angeli. ibidem  
 In ea omnes virtutes exercentur. 583 d 2-645 a 1  
 Cur eam Deus instituerit. 645 b 1  
 Est velut manna. ibidem  
 Eam indigne sumentes polluunt mensam Domini. 644 b 1  
 Eucherius (S.) Lugdunensis Episc. quam insignis mundi et rerum mundanarum fuerit contemptor. 409 c 1  
 Eius sancta familia et miracula. 409 d 1  
 Eudemus philosophus annulos fecit contra daemones et serpentes. 509 a 2  
 Euphemismus figura est boni omnis captatio. 39 a 2  
 Euphrates fuit limes terrae sanctae, statutus a Deo, ad Orientem. 383 a 2  
 Eius diversione capta Babylon a Cyro. 392 d 2  
 Europae terminus ad Occidentem est Hispania. 302 a 1  
 Maiori ex parte mari alluitur. 302 b 1  
 Eurus ventus calidus et torrens est. 240 d 2  
 Eusebius Emissenus ab auctor homiliarum, quae eius nomine circumferuntur. 316 d 2  
 Eusebius Episcopus, Ecclesiam in Pelusio ex oppressionibus pauperem adificans suggillatur. 347 c 1  
 Eustochium (S.) Romae Bethlehem praetulit. 360 b 2  
 Eotyches nam naturam in Christo constituebat, damnatus fuit a Concilio Chalcedonensi. 522 d 2  
 Eutychus quomodo ad Patriarchatum Constantinopol. evectus sit. 663 d 1  
 Eversores templorum et sacrarum everterunt pariter reipub. aequae ac se, et suam stirpem. 492 b 2  
 Excelsa erant fana et altaria diis dicata. 268 a 2  
 Excelsa Isaac quae vocet Amos. ibidem  
 Excessus mentis aliquando fit sine alienatione a sensibus. 34 c 1  
 Excetus, Phocensium rex, habuit annulos magicos. 509 a 2  
 Excidium mundi representatur excidio Ninives. 406 c 2  
 Execrationem Hebraei tam horrores quam boni omnis causa subtrahunt. 277 c 1  
 Exempla bonorum ante oculos sibi statuat is qui bonus evadere cupit. 370 a 1 et seqq.  
 Exempla quam ad movendum potentia sint. 572 a 2  
 Exempla et virtutes Sanctorum velut lucernae sunt. 468 c 1  
 Exempla principum reip. statum fundant. 544 a 1  
 Exercitum Niniven et Assyrios invadentium vocatur diluvium, cur. 392 c 2  
 Exercitus est unus collective, sed multus distributive. 401 d 1  
 Exercitus etiam significat multitudinem. 302 c 2  
 Dietus ab exercendo. 302 b 2  
 Exhumare mortuos inhumanum est. 227 b 1  
 Exossare agros quid sit. 165 c 2  
 Expectare aliquando pro timere capitur. 431 b 1  
 Extasis differt a prophetia, et quid proprie sit. 34 b 1  
 Aliquando contingit sine alienatione mentis a sensibus. 34 a 2  
 Ezechias quando solemne suum Pascha instituerit. 396 b 2  
 Imminentibus urbi Assyrii, domos pauperum muris vicinas destruxit. 347 b 1  
 Michaeam Prophetam reveritus est, eiusque oraculis compunctus. 329 b 1  
 Non est is dominator, quem nasciturum in Bethlehem praedicit Michaeas. 359 b 2 et seqq.  
 Ezechiel cur iussus stercore bouum vesci. 59 a 2

## F

- Faber communiter ferrarium significat, nisi vox distinguens addatur. 521 d 2  
 Fabri quatuor Zachariae visi, sunt Angeli Iudaeae et Ierusalem tutores. 521 c 2  
 Fabri mystice qui. 522 c 1  
 Fabri turris Babel fuere figura Iudaeorum impietatem suam et Antichristum exaltantium. 557 b 1  
 Fabianus (S.) indicio columbae a Deo designatus est Pontifex. 663 b 1  
 Fabiolae Romanae (S.) poenitentia, quod marito adultero repudiato inscia alteri nupsisset. 186 d 2  
 Fabrica domus spiritualis quomodo sit construenda. 513 b 2  
 Fabula tres habet partes, fabulam, profabulationem, affabulationem. 232 b 2  
 Ad fabulas poeticas subinde alludunt Prophetae. 33 d 1  
 Fabularum utilitas. ibidem et seqq.  
 Fabulis scatet doctrina Iudaeorum. 485 b 1  
 Facere veritatem et mendacium in Scriptura quid sit. 119 c 2  
 Facere Latine est sacrificare. 76 a 1  
 Facere aurum et argentum, est illud caelare, polire, aut efformare. 76 b 1  
 Facies Imperatori praeferi solitae quomodo distinguerentur ab his quae imperatrici et Patriarchae praeferebantur. 547 c 2  
 Faciei aspectus ad amorem, commiserationem et odium multum movet. 641 a 2-651 b 2  
 Facies destituta cordis influxu, pallescit. 405 c 2  
 Facies, id est, praesentia Dei, cur dicatur esse in templo et in Iudaea. 307 c 2  
 Facta doctrinae respondeant. 490 a 1  
 Factio tollenda sublato capite. 259 d 1  
 Facultates temporales sunt homini ut pellis, caro, ossa. 345 a 2  
 Sunt divitum robur et fortitudo. 354 a 2  
 Faeces a vino cur amoveantur. 468 b 2  
 Famam venandi duci, mors parvi facienda. 401 b 2  
 Famam mortuorum ledere, quantum sit nefas. 227 c 1  
 Fames Iudaeae septennis quam Elisaeus sub loram rege

- prædixit, an a loele significata sit. 183 c 1  
 An fames biennalis, quam prædixit Amos. ibidem  
 Famem sapius Israëltis ob idololatriam Deus im-  
 misit. 240 c 1  
 Fames Ven. Eucharistiæ, optima est ad eam susci-  
 piendam dispositio. 584 d 1  
 Familia est magnus quidam civilis homo. 454 b 2  
 Per familiam David quæ in Christi morte planxerit,  
 qui intelligantur, et qui per familiam Semei et  
 Nathan. 612 c 1 et seqq.  
 Cur eæ plangere debuerint. 612 a 2 et seqq.  
 Familia Esther cur myrtetis comparetur. 517 c 2  
 In familia Heber mansit cultus Dei et lingua Hebræa. 481 b 1  
 Familiæ multæ potentes, sed impiæ, sæpe ad nihilum  
 rediguntur. 552 b 2  
 Far erat victima priscorum Gentilium. 643 c 2  
 Fasciculus Dei quis dicatur. 284 c 1  
 Mundus sublunaris septupliciter fasciculus est. 284 d 1  
 Mystice Ecclesia, et anagogice electorum cætus. 284 d 2  
 Fasciculus viventium est numerus prædestinatorum. ibidem  
 Fauces hiantes signum famis 116 c 2  
 Fauces dicuntur stricti ingressus vallium aut col-  
 lium. 116 d 2  
 Febris tertiana vocatur causon. 161 d 1  
 Felicitas (S.) septem filios ad martyrium obtulit. 646 b 2  
 Felicitas mundana facile immutatur. 413 b 2  
 Felicitas summa est ad Deum accedere. 477 c 2  
 Felicitatis omnis semen est religio, et cultus Dei. 570 b 1  
 Felicitas sequentium Deum et fidelium. 179 a 1  
 Fenella Kemelthum, regem Scotorum, occidit porrigens  
 ei pomum aureum, e quo multa tela prosiliebant. 126 a 1-273 d 1  
 Feræ Deo et Sanctis servantur. 312 d 2  
 Fermentatum nihil inferri poterat altari, et panes fer-  
 mentati pro sacerdotibus. 239 d 2  
 Fermentum est symbolum corruptionis et malitiæ. ibidem  
 Ferrei sæculi descriptio. 380 d 2  
 Ferreis plaustris triturabant Hebræi. 221 c 1  
 Tale plaustrum describitur. 221 b 1 et seqq.  
 Fervere et ardere quomodo currus dicantur. 407 a 2  
 Festa Christianorum cur a Zacharia vocentur nomine  
 festi Tabernaculorum. 629 a 2  
 Hæc representantur per Festa Iudaica. ibidem  
 Festum Tabernaculorum per septem dies celebra-  
 batur. ibidem et seqq.  
 Festa varia Iudæorum. 71 c 2  
 Festa futura apud eos publica præconis voce publi-  
 cabantur. 208 d 1  
 Fiber animal amphibium est homini inimicum. 475 b 1  
 Ficus Ægyptia quæ dicatur. 270 b 1  
 Ficus geminæ (quas Debelaim significat) quid tropo-  
 logice et litteraliter denotent. 61 b 2  
 Ficus arbores sunt bifera. 379 a 1  
 Per eas denotantur apud Prophetas Iudæi et Iudæa. 185 d 2  
 Primæ quia avidè expetuntur, significant rem valde  
 desiderabilem. 136 b 1  
 In Palestina non sunt omnium fructuum primi. 378 c 2  
 Ficus primæ dicuntur flores ficulneæ. 411 d 1  
 Ficus spirituales quæ. 538 a 2  
 Fidelis quem deum magni facere debeat. 71 a 2  
 Sit sanctus in verbis et operibus. 178 d 2  
 Est lilium ob septem analogias. 176 d 1  
 Peccatis inquinatus est vas immundum. 130 d 2  
 Quando habeat labium electum. 481 a 2  
 Est sigillum Dei dupliciter. 511 d 1  
 Fideles crescunt crescente Ecclesia. 453 d 2  
 Per spem promissæ liberationis æruinas fortiter to-  
 lerant. 431 d 2  
 Charitate dum flagrant, sunt quasi coccinei. 492 b 1  
 Tropologie sunt sacerdotes mystici. 662 b 2  
 Ipsi Deus difficultates omnes complanat ad exstir-  
 panda vitia inclita. 542 c 2  
 Eorum planctus ob mortem Christi, quam quotannis  
 recolunt. 610 b 2-612 d 2  
 Fideles omni rerum temporalium mutabilitate supe-  
 riores sunt. 105 b 2  
 Sunt in baptismo Domino consecrati. 633 a 1  
 Fideles primi fuerunt ex Iuda et Israel. 72 a 2  
 Ili fratres vocabant eos qui ex Samaritis et Gentibus  
 convertebantur. 72 a 2  
 Eorum sensim quale fuerit incrementum. 70 a 2  
 Cur a Propheta dicantur claudicantes. 486 c 2  
 Quomodo a Iudæis et Gentilibus exagitarentur. ibidem  
 Pauperes erant et humiles. 483 c 1  
 Eorum sanctimonia. ibidem  
 Fideles Iudæi ante Ierusalem excidium a Deo moniti  
 illud evasere. 618 b 1  
 Fidendum Deo. 82 c 2  
 Ei fidentes semper iuvantur, cur. 83 b 1  
 Fides initio Ecclesiæ maxime inculcanda fuit. 84 d 2  
 Eius solitudo in Ecclesia est. 78 d 1  
 Eam non habent parvuli. 327 c 1  
 Fides vera est omne regnorum firmamentum. 119 c 2  
 Fides nostra est eadem quæ Dei. 432 b 1  
 Fidei quanta sit virtus, et qui eius effectus. ibidem  
 Est fundamentum omnis sanctitatis. 513 b 2  
 Ipsa quomodo in Eucharistia exerceatur. 645 a 1  
 Fides thaumaturga ex oratione provenit. 609 d 1  
 Fides in Deo est fidelitas et constantia in promissis. 84 c 2  
 Fidem qui Deo non servat, nec homini servabit. 120 a 1  
 Fides, Spes et Charitas (SS.) sorores fuere et mar-  
 tyrio, et sanctitate, et sanguine. 225 a 1  
*Filia latronis*, idem est quod latrocinii dedita. 355 a 1  
 Quas gentes per eam Propheta intelligat. 355 b 1 et seqq.  
 Filia Sion dicebatur civitas inferior Ierusalem. 465 c 1  
 Filiatio Dei quanta sit dignitas. 68 a 1-69 b 2  
 Quomodo hæc fiat. 68 a 1  
 Fit per Spiritum sanctum, qui personaliter datur  
 filius Dei. 68 c 1  
 Filios ex uxore accipere, Hebræis idem est, quod pro-  
 creare. 59 d 2  
 Filii Osee cur vocentur, filii fornicationum. 58 c 2-59 c 2 et seqq.  
 Eos non adsevit ab alio procreatos, sed ex fornica-  
 ria ipse procreavit. 59 a 1-59 d 2  
 Filios meretricis quis dicatur. 60 c 1  
*Filii maris* qui dicantur. 156 b 2  
 Qui filii obedientiæ, superbiæ, diffidentæ. 60 a 1  
 Qui filii Titan. 33 a 1  
 Qui filii Prophetarum. 24 b 2  
 Filii Sion sunt omnes fideles et Christiani. 197 b 1  
 Filiis indigentibus præstat dare sua quam monasteriis. 114 c 2  
 Filium Dei esse maius est, quam cali terræque Domi-  
 num aut Angelum. 70 a 1  
 Tales quomodo reddamur. 69 b 1 et seqq.  
 Et filii Dei adoptivi. 69 a 2  
 Filii olei duo, sunt Iesus et Zorobabel. 548 d 2  
 Filii Prophetarum qui dicerentur, quod eorum offi-  
 cium. 612 d 1  
 Filio prodigo in gratiam recepto cur detur annulus. 509 b 1  
 Filius Dei est medius inter Patrem et Spiritum sanctum. 442 d 2 et seqq.  
 Ipse est nexus, vinculum et centrum rerum omnium. 442 d 2  
 In ipso omnia creata sunt. ibidem  
 Ipse in veteri Testamento præ cæteris personis SS.  
 Trinitatis apparuit, aut seipsum revelavit, quasi  
 præludens suæ incarnationi. 657 a 1  
 Et appropriatur salus, liberatio et redemptio. 65 d 2  
*Fide* Christus.  
 Fines fidelium, et Sanctorum latiores et meliores quam  
 impiorum sunt. 257 a 1  
 Flagellorum nomine cur vocentur tribulationes. 408 c 1  
 Flamen Dialis hederam tangere non poterat. 326 c 1  
 Flere non posse maxima flendi causa. 94 a 1  
 Flora meretrix dives pop. Romanum scripsit hæredem:  
 qua occasione dea florum facta sit. 332 d 1  
 Flores spirituales virtutum quinam sint. 290 a 1 et seqq.  
 Flumen subinde vocatur fluxus aquarum. 314 a 2-452 a 1  
 Flumina quomodo metaphorice dicantur confuodi. 592 d 2  
 Eorum nomen Script. etiam fossas comprehendit. 481 c 2  
 Fluxiorum ductilium commoditas. 625 b 2  
 Fodere per metalepsim significat emere, comparare. 88 a 1  
 Fœdus duplex Dei cum Noe et Abraham, an repræsen-  
 tetur per duas virgas Zachariæ. 595 d 2-598 c 1  
 Fœminæ omnium pene animalium magis lascivæ sunt  
 quam mares; qua: huius rei ratio physica. 101 a 1

- Fœmina est quasi dimidium viri, quomodo. 654 a 2-654 d 2  
 Fœminæ apud Hebræos et Græcos separabantur a viris in conviviis, oratione, aliisque actibus publicis. 612 b 1  
 Fœminæ pisces maiores sunt maribus, sed ad cibum minus præstantes. 426 a 1  
*Vide* Mulier, uxor.  
 Fœnum aliquando capitur in Scriptura pro frumento spicato et manipulis tritici. 353 d 2  
 Fœnum *cordum* quod sit. 265 a 1  
 Fœnus Hebræi vocant vulnus et morsum. 280 c 2  
 Est animæ funus. 163 d 2  
 Dabatur ad calendas. 275 a 2  
 Fœtor Iudæorum natus, baptismo tollitur. 131 a 1  
 Fomes peccati vocatur aliquando mors: hic in resurrectione et gloria caelesti auferetur. 173 d 1  
 Fons de domo Domini sanctos inebriatus, quis. 212 b 1  
 Fons Cupidinis Cyzici potantes facit amorem depone. 586 c 2-614 b 2  
 Fons Iesu in Ægypto ubinum situs. 630 c 1  
 Fons olei fluxit Romæ tota die sub nativitate Christi. 499 b 2-614 d 1  
 Fons patens domui David quis sit; ostenditur esse Christum incarnatum. 613 b 2 et seqq.  
 Fontes plurimos habuit Ierusalem. 625 a 2  
 Fornicatio et in novo Testamento est prohibita, et in veteri fuit. 57 b 2  
 Eius congrua pœna est *απειρία*. 137 d 2  
 Frequentata pellicit ad continuum concubinatam. 372 d 2  
 Fornicatio significat apud Prophetas idololatriam. 59 b 1-96 b 1-73 c 2-144 a 2-407 c 2  
 Fornicatione colebatur Priapus, et omnia idola. 96 c 1  
 Fornicatio tum corporalis, tum spiritualis hominem facit recodem, et cur. 96 a 2  
 Fornicatio Israelitarum cum Madianitibus quam continua fuerit. 372 b 2  
 Fortes David quinam et quales essent, et eorum domus et palæstra ubi esset. 608 a 2  
 Fortitudo Christi abscondita fuit in infirmitate humanitatis, passionis et crucis. 448 c 2  
 Fortitudo nostra Deus est, et quid hæc eius fortitudo in nobis faciat. 458 c 1  
 Fortitudo invicta Christi et S. Petri. 268 d 1  
 Fræna aurea olim faciebant milites. 631 b 1  
 Fræna suos clavis Christi Constantinus ornavit. 631 c 1  
 Framea telum oblongum est, et unde dicatur. 617 a 2  
 Franciscus (S.) cur suos dici voluerit Miores. 15 a 1  
 Noluit eos ad Ecclesiasticas dignitates promoveri. ibidem  
 Quomodo vita sua omnes ad cælum vocarit. 23 c 2  
 Totum se Deo resignarat. 327 d 2  
 Unde S. Scripturam intellexerit. 26 d 1  
 Mira devotione cum parvulo de Bethlehem in typica sua Bethlehem est dissuaviatus. 362 a 1  
 Quantopere sacerdotes suspiceret. 651 b 1  
 Absens suis apparuit quasi sol in curru igneo. 678 a 1  
 Visus per visionem Pontifici sustentare ruentem basilicam Lateranensem. 495 c 2  
 Triplicem Ordinem fundavit. 496 a 1  
 Eius humilitas. 545 c 1  
 Eius devotio erga Ven. Eucharistiam. 586 b 1  
 Quo eam affectu sumeret. 584 c 1  
 Franc. David novorum Arrianorum choragus. 363 d 1  
 Franc. Lucas Apologiam scripsit Targum Chaldaici. 19 a 1  
 Franc. Vatablus ab hæreticis impressoribus est vitiat. 18 d 2  
 Franciscus Xaverius (S.) fuit velut homo caelestis et angelus terrestris. 24 b 1 et seqq.  
 Præfectum Malacensem in vallem Iosaphat citavit. 206 b 1  
 Qualibus cum nautis in Iaponiam profectus sit. 310 a 2  
 Eius animus intrepidus in periculis pro Dei nomine suscipiendis. 317 a 2  
 Quam Joanni Lusitaniæ regi, et in eo omnibus principibus, meditationis materiam præscripsit. 273 c 1  
 Frater est fere alter: fratrum officia: fratres in fratres iniurii acriter a Deo puniti. 224 b 1 et seqq.  
 Fratrum amoris bona. 224 a 2  
 Eius bases quinque. 224 c 2  
 Frater Hebræis etiam cognatus est, item soror. 652 c 1  
 Fratrem societatem colentes fortes sunt. 636 a 1  
 Fretum Gaditanum est Bosphorus Hispanicus. 301 b 2  
 Frigus urere quomodo dicatur. 240 d 2  
 Frigore etiam torquendos damnatos in inferno censent multi. 206 c 1  
 Frigus in Script. symbolum est calamitatis et afflictionis. 624 d 1  
 Frondator tripliciter accipi potest. 269 d 2  
 Frondosa vitis que dicitur. 139 b 1 et seqq.  
 Fructum mendacii comedit omnis peccator. 148 a 1  
 Frugum (pro) proventus instituta quatuor temporum icunna. 571 b 1  
 Frumentarius olim erat, qui nunc veredarius vel nuntius appellatur. 299 d 2  
 Frumentum cur earus circa tempus messis. 275 d 1  
 Eius monopolas quam acriter Deus punit. 275 d 2 et seqq.  
 Sæpe eorum frumentum deperditur. 276 a 1 et seqq.-277 a 1  
 Frumentum electorum proprie quid sit. 543 a 1  
 Fuga mundi suadet. 525 d 2  
 Fuga unicum fornicationis remedium. 97 a 1  
 Fugæ Iona quæ fuerint causæ. 306 c 2  
 Fugere licet in persecutione tyrannum. 309 b 1  
 Fugiens a facie Dei blandientis, incidit in faciem eius ulciscens. 307 b 2  
 Fulgentius (S.) quo motivo Religionem professus sit. 526 c 1  
 Fulgur in Script. symbolum est terroris. 403 a 1  
 Cur vocetur phantasia. 588 a 2  
 Fulgura sunt Dei prænuntia, eumque præcedunt. 547 b 2  
 Iis et tonitruis comparantur Apostoli. 589 b 1  
 Sunt arma Dei, quæ in inimicorum suorum caput eiaculantur. 392 c 1  
 Fumus a vapore quomodo differat. 201 b 1  
 Fundamenta etiam templi Salomonici a Chaldæis eversa. 494 b 2  
 Ea Herodes tantum solvit, cum Templum Zorobabelis ampliaret. 505 c 1  
 Ea Iudæi cur conservarent. ibidem  
 Fundamenta templi secundi quando iaci cœperit perfecta. 508 a 1  
 Fundibularii olim primi prælium inibant. 580 d 2  
 Fundos suos quomodo veteres limitarent. 106 d 1  
 Funeris veteres cur adhiberent lamentatrices, et tibicines. 340 a 2  
 In funere Gentiles et Iudæi cæsariem tondebant. 338 c 1  
 Funiculi Adam quid proprie significant. 151 c 1 et seqq.  
 Funiculi, spatia itinerum Ægyptiis sunt. 212 c 1  
 Funiculo pro virgibus mensuris, ad terram dividendam, olim utebantur. 271 b 2  
 Hinc significant sortem hæreditariam cuiusque. 472 a 1-595 c 2  
 Funiculus coccineus Christianis pueris olim ex collo suspendebatur ad avertendum fascinum. 401 d 2  
 Denotat cœtum et congregationem. 595 c 2  
 Funiculus architectorum quem usum habeat. 523 b 1  
 Furari nunquam licet. 58 a 1  
 Furor triplex, sacerdotum, vatum, et amantium. 650 d 1  
 Furcus (S.) accusatus ad tribunal Christi est, quod peccantes non corripisset. 240 b 2  
 Futura contingentia omnia, omnesque actus voluntatis liberos præcognoscit Deus. 104 a 2  
 Hæc prænotio est dos propria Deo, et nota divinitatis. 35 d 2  
 Futurum iunctum participio vel gerundio eiusdem verbi Hebræis significat actus vehementiam et continuationem. 61 a 2  
 Futurum Hebræis sæpe significat consuetudinem actionis. 94 a 2

## G

- Gabaitarum stuprum in uxorem Levitæ contigit statim post tempora Iosue. 144 a 1  
 Gabaonitæ damnati ad servilia templi ministeria. 633 b 2  
 Gabriel Angelus est curator populi Dei. 523 b 2  
 Gabriel vox idem est quod fortitudo Dei. 591 d 2  
 Gadas et Gobrias Cyri principes Balsasarem regem occiderunt. 367 b 1  
 Galaad mons erat terræ sanctæ, qui cessit in sortem tribubus Ruben et Gad, in eo ædificata civitas dicta quoque est Galaad. 116 a 2-165 d 1  
 In ea erant aromata optima et medici. 119 a 1  
 Galeis cur cristæ rubræ adderentur, et fulgetra. 403 a 1

- Galgal (in) Israëlæ abiecerunt omne regimen Dei. 138 a 2  
 Ea urbs ubi sita, et ad quam tribum pertineret. 99 d 2-165 d 1  
 Fuit miraculis et religione patrum illustris. 99 d 2  
 Quæ mira in ea contigerint. ibidem et seqq.  
 Cur ibi idololatræ idola statuerint. 100 b 1  
 Gahlæa unde nomen accepit. 208 a 1  
 Galla (S.) S. Eucherii uxor totam se pœnitentiæ et rigori dedit. 409 d 1  
 Galli et effœmiati probrosa vocabula. 99 a 2  
 Galli per tres, significant superlativum. 219 c 2  
 Gallia cur Iudæis sit Sarepta. 300 c 2  
 A quibus ad Christum conversa. 300 d 2  
 Ut sana sit et pacifica, sanguinem quolibet decennio mittat oportet. 410 b 2  
 Ganea est tropologicè superliminare crapulæ. 605 c 2  
 Garrulitas Christiano, et fideli cavenda est. 486 a 1 et seqq.  
 Gaudere in Domino quid proprie sit. 457 c 1  
 Gaudium de Dei gloria et maiestate unde in nobis oritur. 439 b 1  
 Gaudium Christi est tolerantia et virtus fidelium. 484 d 1  
 E gaudio repentino multi obierunt. 456 a 2  
 Gaza urbs Philistiniûm unde dicatur. 222 d 2-471 a 2  
 Pomp. Melæ in eius etymo error. 223 a 2  
 Est et altera Gaza Mediæ civitas. ibidem  
 Eius idolum fuit Marnas. 575 c 1  
 Eius capiendæ ab Alexandro portentum. ibidem  
 Alæ eius expugnationes. ibidem  
 Gedeon unde dictus Ierobaal et Iernbaal. 108 b 1-148 b 2  
 Dictus est etiam Arbel. 148 c 2  
 Geminatio verbi eiusdem apud Hebræos significat actionis vehementiam et gradum superlativum. 419 a 2  
 Gemmayz quæ sit in Syria arbor, eius vilitas. 270 a 2  
 Generatio Christi duplex est, temporalis et æterna. 362 d 1 et seqq.  
 Utraque cum aurora comparatur. 112 b 2  
 Gennadius Patriarcha Constantinop. Purgatorium contra Græcos astruxit. 661 a 2  
 Gentes ascitæ per fidem in familiam Abrahamæ, benedictionum eius factæ sunt participes et hæredes. 67 d 1 et seqq.-200 a 1  
 Quomodo se coram Iudæis, et postea coram Christianis humiliarint. 384 b 2 et seqq.  
 Servi erant ante Christum, sed per Christum in filios cooptati sunt. 200 a 2  
 Earum conversio per Prophetas promittitur. 67 c 1 et seqq.-70 c 1-474 a 1  
 Se invicem hortatæ sunt, ut turmatim ad Ecclesiam Christi transirent, cur. 349 a 2-571 b 2  
 Earum vires et sapientia cesserunt Evangelio. 574 d 2  
 Eas quomodo Christus suo ortu commoverit. 500 d 1-504 b 2  
 Visis doctrinis paradoxis legis eius ab ea refugiebant, at interiori pulchritudine eius visa eam amare cœperunt. 605 a 2  
 Quin et eam promoverunt. 565 a 2  
 Conversæ ad eam omnes suas opes in Ecclesiam contulere, item omnes scientias et artes. 629 a 1  
 Gentes quæ et quales Christi ortum desiderarint. 501 b 2  
 Quomodo et quam ardentem Christum cognoverint. 501 b 1 et seqq.  
 Gentiles simiæ fuere Iudæorum in multis ritibus. 338 a 2  
 Ad imitationem eorum Seraphim colentium efformarunt suos Teraphim. 91 a 1  
 Multas de suis fabulis e veris sacra Script. historiis confinxere. 308 d 2  
 Hostium deos pariter hostes suos æstimabant, et ut hostes concidebant. 331 b 2  
 In afflictione diis quasi eius auctoribus, maledicebant. 260 c 2  
 Magno ululatu deorum opem exposebant. 125 c 1  
 Gentiles pauci in lege veteri Deum verum agnoverunt. 642 a 2  
 Multi eorum quando legem Iudaicam susceperunt. 571 a 2  
 Eorum multi fuere cælicolæ et solicolæ. 462 d 2  
 Putabant deos suos subinde dormire, et a somno dehere excitari. 437 d 1  
 Hinc oraturi, eos inclamando excitabant ut preces suas audirent. ibidem  
 Erant in victimis seligendis et adornandis diligentes. 640 c 1  
 Eorum persecutionem contra Ecclesiam designat equus rufus Ioanni visus. 522 c 2  
 Primum Salomonis templum honorarunt, secundum Zorobabelis profanaverunt. 504 c 1 et seqq.-504 c 2  
 Nonnunquam oblationes obtolere in templo Hierosolymitano. 527 c 2  
 Genu unum curvare, est Deum orando velut irridere, aut ei minari. 373 b 1  
 Genua languescunt in cordis deliquio. 405 b 2  
 Ea cur lætitia et mœror statim occupet. 456 a 2  
 Gerardi (S.) mors læta et felix. 172 b 2  
 Germania an sit Chanauæa ex opinione Iudaizantium. 300 d 2  
 Una cum veste fidem mutavit. 464 d 1  
 Germanitas Iudæ et Israel quomodo et quando dissoluta sit. 601 c 1  
 Gernoda suis verbis iuncta eorumdem significationem adaugent, et actionem complent. 29 a 1  
 Gestus et vox Prophetarum qualis fuerit. 23 b 1  
 Geth duplex est urbs, una in Philisthæa, altera in tribu Zabulon. 304 a 2  
 Geth cur fidem Israelitis datam fefellerit. 336 b 2  
 Gigantum (ad) fabulam alludit Scriptura in Iudith. 33 a 2  
 Gihon fons duplex est, superior et inferior. 625 b 2  
 Gladus Dei siccitas, fames, bella in Script. vocantur. 495 b 2  
 Globus Imperatori in manu tradi solitus cum cruce ei infixæ quid significet. 273 b 1-546 b 2  
 Globus aurei coloris visus Romanis e cælo in terram descendere, paulo ante ortum Christi. 499 a 1  
 Globus terræ vocatur fasciculus ob sex causas. 284 d 1  
 Gloria Dei est scopus sacerdotis. 647 b 2  
 Gloria Dei quando et quomodo operuerit cælos. 447 b 2  
 Et allegor. ce. 447 c 2  
 Gloria Ierusalem erat Deus et arca fœderis. 526 c 2 et seqq.  
 Gloria mundi quam sit brevis et fugax. 113 c 1-577 b 1 et seqq.  
 Gloria: quæ patientes manet, quanta sit magnitudo. 418 c 1  
 Gomer vocata fuit uxor Osee. 61 b 2  
 Quid nomen id symbolice significet. ibidem  
 An post susceptas ex eo proles adulterata sit. 86 c 2-89 c 1  
 Gorgonia (S.) soror Gregorii Nazianzeni, virtute Vener. Eucharistiæ a paralysi liberata est. 585 b 2  
 Gothi Romanorum imperium mire auverunt: postea ipsum varie attriverunt. 561 b 2  
 Gradatio Prophetis frequens. 38 c 1  
 Gradus novem impietatis sunt. 117 b 2  
 Peccati et peccantium sunt tres. 66 d 2  
 Et alii quatuor peccati. 226 a 2  
 Gradus quatuor ad æternitatem, lectio, meditatio, oratio, contemplatio. 451 a 2  
 Græca lingua primum Apostoli cœperunt propagare fidem Christi: hæc post tempora Alexandri magnam Orientis partem occupavit. 481 a 1  
 Græci in Ordine Prophetarum a Latinis dissentiunt. 18 c 1  
 Unde factum, quod Græci codices Bibliorum, et Patres Græci, censeant Iohannem dixisse in sua predicatione: *Adhuc tres dies*, cum dixerit: *Adhuc quadraginta dies*. 320 b 2  
 An utraque lectio retineri possit. 320 d 2  
 Græci dormientes in pelle arietis Iovi immolati captabant eius responsum. 229 b 1  
 Eorum victoria ad Thermopylas. 116 d 2  
 Eorum monarchia quando plane deleta sit. 561 a 2  
 Repræsentatur per equos albos. 560 c 1  
 Iudæis post reditum e captivitate continuo negotium facessivere. 580 a 2-606 d 1 et seqq.  
 Ab Apostolis Christo subacti fuere. 580 b 2  
 Græci milites an cocco induerentur. 401 c 2  
 Græci baptizati dant Eucharistiam. 587 d 2  
 Gratia iustificans non est una simplex qualitas, sed multa Spiritus sancti dona complectitur. 68 c 2  
 Gratia Spiritus sancti quos in anima effectus pariat. 212 b 2-330 c 1  
 Privatio gratiæ, argumentum superbiæ est: at eius copia signum humilitatis. 138 a 2  
 Gratia plenitudo animæ Christi infusa fuit in primo conceptionis eius instanti. 112 d 2  
 Gratia omnis vigor, qua spiritualiter crescimus a Christo derivatur. 138 d 1  
 Gratia exæquans gratiam quæ dicatur. 543 a 2 et seqq.



- Gratiam pro gratia accipere quid sit. 543 c 2  
 Gratia maior data homini lapsio per Christum, quam data Adæ in statu innocentiae. 506 b 1  
 Gratias (quas) Deo mano et vespere agere Christianus debeat. 639 c 1  
 Idque infinitis modis. 459 a 2 et seqq.  
 Etiam ob data omnia dona naturalia. 198 b 2  
 Gravis ponitur interdum pro magno, id est, multo. 407 a 2  
 Gregorius (S.) Magnus indicio fulgidæ columnæ agnitus ad pontificatum evahitur. 663 c 1  
 In inguinaria lue Litanias publicas indixit, et ita pestem avertit. 321 a 1  
 Gregorii (S.) Nazianzeni studium ut sui pacem colerent, cum propter se turbati essent. 311 d 2  
 Omnia opera sua conclusit versibus triginta millibus. 39 a 2  
 Primarius Macedonianorum adversarius fuit. 522 d 2  
 Eius parentes in morbo virtute S. Synaxeos convalescere. 585 b 2  
 Corpore parvo fuit. 545 a 2  
 Grex proprie est minorum animalium.  
 Gregis damnum Deus a pastore reposit. 603 d 2  
 Grossi duplices in ficibus sunt. 411 d 1  
 Gryllus est locusta cinerei coloris. 182 d 1  
 Gulæ summum fauces vocantur, extremum stomachus. 117 a 1  
 Gule symbolum sunt Philistinum. 302 d 1  
 Et bruchus. 185 a 1  
 Gulosi emblemata quod sit. 125 a 2  
 In sordibus et vomitu suo computrescit. 188 d 2  
 Et quomodo ad cibum et potum Deus viam obstruat. 75 a 2  
 Sæpe punitur penuria cibi spiritualis. 278 a 2  
 Gundesindus Episcopus Compostellanus, precibus matris a Purgatorii penis ereptus. 609 c 2  
 Guttatus color est idem qui varius. 560 d 1 et seqq.  
 Gygis annulus revera magicus fuit. 509 b 2  
 Gynæconitis dicebatur apud Græcos pars domus fœminis deputata. 612 b 1
- ## H
- Habacuc nomen significat luctatorem cum Deo: quam bene Prophætæ nomen hoc conveniat. 414 a 1  
 An fuerit hic filius Sunamitidis, quem Elisæus vitæ restituit. 414 b 1  
 Unde ortus, et quando prophetarit. 414 b 1-41 c 1  
 Videtur esse unus de Prophetis, quos ad Manassem Deus misit. 414 c 1  
 Ex professo prophetat contra Iuda, consequenter Chaldaeorum per Persas interitum prædicit. ibidem  
 A Cyro assurgit ad Christum. 414 a 2  
 Prophetavit ante excidium Hierosolymæ: non est idem Habacuc, qui Danieli in Babylonem prandium attulit. 414 b 2  
 Catalogo Sanctorum adscriptus est. 414 c 2  
 Quomodo conqueratur de pravitate sui avi. 415 b 1  
 Cur Deum orans totius populi personam induat. 423 a 2  
 Habitus exterior Prophetarum quis esset. 22 d 2-615 b 1  
 Hadrach nomen est loci vicini Damasco, ubi sit, incertum: an sit oppidum Colesyriæ. 573 d 1 et seqq.  
 Hadrianus Imper. privatas iniurias ulcisci noluit. 154 d 1  
 Quomodo Bethlehem profanavit. 361 a 2  
 Hadrianus VI. Pontifex neminem suorum ad honores promovit. 347 d 1  
 Eius epitaphium. 597 a 1  
 Hæresis assertit dolos et fraudes. 120 a 1  
 Eam politici principibus suadent, ut statum suum tueantur. 119 c 1  
 Ea quomodo in Hollandiam invecta. ibidem  
 Hæresis Calvinii quot mala invexerit in Europam. 161 d 1  
 Hæresis est, sacræ Script. alienos et contrarios sensus affingere. 20 c 2  
 Est vestis peregrina quam assumunt Novantes. 464 d 1  
 Hæreticorum descriptio genuina. 76 a 1  
 Transgredientes terminos religionis a Patribus sanctis, hæresim assumunt quasi idolum. 106 c 2  
 Pacifica omnia promittunt, sed paulatim occulte sua docent. 121 c 1  
 Sunt arcus dolosus, et convertuntur in arcum pravum. 126 a 1 et seqq.  
 Quare ventum dicatur seminare. 130 a 2
- Ut exentiant iugum Catholicorum, Turcarum opem implorant, sed ab iis opprimuntur. 131 b 2-337 a 1  
 Habent verba mortifera, quibus iniquitatem loquuntur contra Dominum. 134 c 1  
 Peiores sunt idololatriæ. 139 c 1  
 Comparantur vaccis Basan 100 d 2 et seqq.-238 c 1-239 c 1  
 Item crucis et bruchis. 186 d 1  
 Item sirenibus. 333 c 1  
 Inter hos perpetua sunt iurgia, quæ parit superbia. 140 d 2  
 Pessimo dæmonum spiritu continentur. 161 d 1  
 Sunt Chananaei, cur. 164 b 1  
 Eorum signa insaniam sunt. 235 a 1  
 Catholicos sacerdotes apud reges calumniantur quasi quasi reos perduellionis. 268 d 2  
 Hominem excoeriant et exossant. 345 b 2  
 Docent peccata baptismo tantum tegi per iustitiam imputativam. 385 d 1  
 Cur sint lupi vespertini. 421 b 2  
 Per Æthiopes representantur. 471 d 2  
 Eorum coniugia dissuadenda. 654 c 2  
 Eos morte plectere, non tantum licitum, sed et præceptum est a Deo. 615 a 1  
 Negat sacrificium legis novæ proprie dictum. 268 d 2  
 Hæreticorum persecutionem contra Ecclesiam representat equus niger a Ioanne in Apocalypsi visus. 522 c 2  
 Halitus fœtidus Iudæorum. 131 a 1  
 Hamus instrumentum aduncum est, cui esca appenditur. 427 d 1  
 Hannibalis, eiusque uxoris cruenta vox. 221 a 2  
 Harmonia inter Prophetas Maiores et Minores. 29 d 1  
 Harmonia chronologica 12 Prophetarum. 40 a 1  
 Hebdomades 70 Danieli expresse fuerunt revelatæ, ante eum tamen erant in mente Dei decretæ, qui eas confuse aliis Prophetis revelavit. 442 b 2  
 Hebræi nomen unde primo inductum. 311 a 1  
 Primo ita dictus Abraham. ibidem  
 Id nomen olim fuit gloriosum. ibidem  
 Hebrææ linguæ an in celo sit usus. 481 a 2  
 Ea iam valde accisa est. 485 a 1  
 Hebræi per pleonasmum exprimunt relativum cum suo antecedente. 163 a 2-390 d 1  
 Solas consonantes in verbis attendunt. 398 c 2  
 Futura sæpe ponunt pro actionis continuatione, more et consuetudine. 407 c 1-478 d 2  
 Item pro presenti. 478 d 2  
 Enallage personæ est illis frequens. 411 a 1-479 d 1-611 d 1  
 Item generis et numeri. 431 b 2  
 Cum volunt significare animal tenerum, ei adiungunt nomen matris. 412 b 2  
 Verba contactus construunt cum *in* regente ablativum, vel accusativum. 463 a 1  
 In Scriptura multis in locis aliter scribunt, aliter legunt. 418 c 2  
 Verbum idem cum geminant, significant actionis vehementiam et gradum quasi superlativum. 419 a 2  
 Quamlibet terram vocant pulverem. 422 b 2  
 Omnem sententiam insignem vocant parabolam, proverbium vel ænigma. 433 c 2  
 Rebus inanibus metaphoricè dant vitam. 433 b 2 et seqq.  
 Filium vocant *ben*, quasi domum. 454 b 2  
 Ventrem vocant quicquid a collo ad usque inguina est. 456 a 2  
 Non solum insulas maris Mediterraneæ, vocabant insulas, sed et omnes Europæ provincias trans mare sitas. 474 a 1  
 Carent gradu comparativo, et eius vice utuntur positivo cum præpositione *plusquam*. 114 d 1-503 b 1  
 Articulos multiplicat per pleonasmum. 504 a 1  
 Cur pupillam vocent filiam vel virgulem. 527 a 2  
 Utuntur genere feminino pro neutro quo carent. 544 d 1  
 Sæpe notam similitudinis omittunt. 561 a 1  
 Litteræ serviles non raro apud eos per enallagen inter se commutantur. 529 c 2 et seqq.  
 Ordines verborum imperfectorum sæpe confundunt. 144 b 2-187 d 1  
 Per unam temporis differentiam sæpe omnes significant. 637 b 1  
 Faciem capiunt pro persona. 651 a 2  
 Quia carent verbo præsentis, ideo illud exprimunt per

- præteritum. 664 c 1  
Eum quem alloquuntur, sæpe compellant in tertia persona. 118 b 2  
Urbes ob speciem, opes et gloriam vocant virgines. 245 c 1  
Tempus omne dividebant per menses et sabbata. 275 c 1  
Res præstantissimas compellant pluraliter. 363 b 1  
De se loquuntur in tertia persona. 65 c 2  
Eorum verba nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum significant. 37 d 2  
Item duo contraria. 346 a 2  
Verba activa iis sæpe agendi vim et potentiam notant. 32 b 2  
Similitudinem exprimunt, *sicut* apponendo utrique rei simili. 95 d 1  
Sumunt verba pro adverbis. 103 d 2  
Infinitivis utuntur pro præterito. 107 c 1  
Carent casibus. 129 b 2  
Suppositum e circumstantiis subintelligendum relinquunt. 141 b 1  
Imperativum usurpant pro futuro. 146 b 1  
Et vice versa. 195 d 1  
Per *in* significant pretium. 166 a 1  
Ipsis præposito *in* sæpe idem valet quod propter. 105 b 1  
Sæpe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. 219 c 1  
In rhythmis solent posteriore hemistichio quasi idem dicere, quod dictum priori. 228 b 2  
In iuramentis execratoriis non exprimunt quænam sibi imprecentur. 242 b 1  
Idem habent pronomen reciprocum et absolutum. 243 d 1  
Sæpe futurum per præteritum exponunt. 297 b 1  
Præceptum vocant omnem dispositionem. 312 d 2  
Idem nomen iterantes in genitivo, significant in eo genere eximium. 340 d 1  
Futurum subinde usurpant pro participio. 341 a 1  
Illustri sententiæ præfigere solent *ki*, id est, quia. 366 a 1
- HEBRAICARUM ET CHALDAICARUM VOCUM SYLLABUS.**
- Ahah* interiectio dolentis est et desperantis. 187 c 2  
Eius vis. ibidem et seqq.  
*Alaphim* varia significat. 358 c 2  
*Aleph* et *he* litteræ quia primæ gutturales, sæpe inter se commutantur. 615 d 1-475 d 1  
*Amutsim* et fortes et veloces significat, sed capitulum interdum pro *chamutsim*, id est cinerei. 560 a 2  
*Anach* amplæ significationis est. 267 b 2  
*Arza* tam cedrum significat, quam attenuabo. 475 c 2  
*Ascias* et calumniari et opprimere significat. 567 d 1  
*Asciam* quid significat. 141 b 1  
*Aven* significat vanum, inutile, iniquitatem, rapinam. 263 a 2  
*Belial* significat inobedientiam, impietatem, apostasiam, et ipsos inobedientes et apostatas, ac ipsum diabolum. 397 b 1  
Unde vox derivetur. 397 a 2  
*Beros* et abietem, et iuniperum, et cupressum significat. 178 c 2  
*Berudim* quem proprie colorem denotet. 560 d 1  
*Beth* significans *in* varie sumitur. 57 d 1  
*Betsa* significat diversa. 191 a 2  
*Biccura* sunt ficus præcoquæ et primitivæ, non grossi et immaturæ. 379 a 1  
*Chobod* quam varia significet. 337 c 2  
*Caphtor* quid proprie sit. 280 d 1  
*Cara* significat fodere et emere. 88 a 1  
*Chaim* tantum usitatum est in numero duali, unde in eo et singularem, et dualem, et pluralem vitam significat. 445 c 2  
*Charas* significat operari, arare, fabricare, machinari. 145 d 2-147 c 2  
*Charuts* multiplicem et variam habere significationem potest. 209 c 2  
*Chasida* et ciconiam, et per antiphrasin milvum significat. 556 b 1  
*Chaziz* quam diversæ sit significationis. 588 a 2  
*Chec* quid sit et *chaha*. 116 d 2  
*Chel* robur et opes significat. 410 d 2  
*Chelub* quale sit instrumentum. 272 a 1  
*Chemarim* et thurificatores, et atros significat, item alia. 462 c 1 et seqq.
- Chemdat* significat non quale quale, sed ardeus et ingens desiderium. 501 c 2  
*Cherem* proprie et communiter significat exterminium, non rete, nisi abusive. 379 d 1-679 b 2  
*Chet* et *ain* litteræ sono sunt vicinissimæ, hinc subinde permutantur. 475 d 1  
*Chesed* proprie significat pietatem tum in Deum, tum in homines. 116 a 1  
*Chi* coniunctio quam diversa in Script. significet. 32 c 1  
Sæpe non causam significat, sed enclitica est, et ornatus causa additur. 142 c 2-467 a 1  
Sæpe est assertiva et admirativa. 70 b 2-473 d 2  
Sæpe ponitur pro igitur, et est initium orationis. 245 d 2  
*Chiun* et *kevon* quale sit idolum. 252 d 2 et seqq.  
Cur dictum *Rephan*, a Persis *Chivan* vel *Chevan*. 253 d 1  
*Chonen* significat præparat, instaurat, fulcit, erigit, firmat, ædificat. 435 a 2  
*Chotam* est tam annulus quam sigillum. 509 b 1  
*Chusan* per paragogen idem est quod *chus*. 451 b 2  
*Deber*, id est, pestis, per catachresin significat quidquid instar pestis exitiale est. 241 b 1  
*Elil* significat rem vanam et nihili, item idolum per diminutivum ab *el*. 602 b 2  
*Et* articulus ordinarie accusativo, raro nominativo servit. 498 a 1  
*Gaal* et redimere et inquinare significat. 477 b 1  
*Galal*, et *Galgala*, et *Gilgal*, et *Golgol* quid significant. 100 a 1  
*Gazam* dicitur eruca, id est, tonsor, rosor. 181 b 1  
*Gheon* et superbiam et magnificentiam significat. 400 c 2  
*Gor* vel *gorer*, vel *gara*, quid proprie sonet. 125 b 2  
*Gulla* in candelabro erat vas concavum et sphericum ad capiendum oleum, quod latine vocari posset *gula*. 539 b 1  
Eius descriptio. ibidem et seqq.  
*Halichot* proprie perambulationes et transitus significat. 450 a 1  
*He* litteræ mysteria, quod in verbo *eccabeda* apud Aggæum ipsa deficiat. 494 d 2 et seqq.  
*Icquidenu* non tantum accinctum significat, sed et unitum et coniunctum. 456 c 1  
*Iotser* et figulum, et monetarium, et statuarium significat. 599 a 2  
*Isci*, id est vir, derivatur ab *es*, id est ignis, vel ab *iesce*, id est, est, cur. 83 d 2  
*Kaba* quam incertæ et multiplicis significationis. 666 b 1  
*Kal* significat levem, velocem, facilem, vilem. 396 a 2  
*Katob* significat luum subito exsurgentem. 172 c 1  
*Kedescia* famosa est meretrix et publica, *zona* quælibet. 99 b 2  
*Ketseph* est variæ significationis. 143 d 1  
*Kikaion* quæ sit herba in Palæstina. 325 d 2  
S. Hieron vertit, *hederam*; Septuag. *cucurbitam*; an idem sit cum ricino. ibidem  
Est commune arbustis quæ brevi crescunt, et frondes producant facientes umbram. 325 c 2 et seqq.  
*Kippod* an sit avis, an quadrupes, an natalile. 475 b 1  
*Kos* significat colligere et acervare. 470 b 1  
*Labat* quid significet. 99 c 2  
*Lakach*, id est accipio, amplissima significationis est. 59 d 2  
*Lamed* littera subinde servit nominativo, item accusativo. 459 a 1  
Interdum et genitivo. 627 b 1  
*Iamnatseach* et in finem, et victori significat. 458 c 2 et seqq.  
*Lets* quid proprie significet. 121 d 2  
*Mamzer* idem est qui spurius, qui extra matrimonium alieno patre natus est. 575 b 2  
Item alienigena. 575 c 2  
*Maoz* hebraice significat fortitudinem, locum fortem, præsidium, arcem. 392 b 2  
*Matseba* quam amplam significationem habeat. 89 c 2  
*Matsor* proprie arcem significat. 429 b 1  
*Matte* per metaphoram tribum significat. 376 a 2  
*Meghilla* est liber, membrana, charta. 550 a 1  
*Megura* dicitur a *gur*, id est, habitare, quia in germine quasi habitat semen, id est, arista, et granum protuberans ex semine. 508 b 1  
*Meik* significatio ample se extendit. 230 d 2  
*Min* sæpe propter, subinde *ad* significat. 561 d 1

- More* quam habeat significationem. 197 b 1  
*Muktar* etiam per metalepsin significat sacrificare, proprie est suffumigare. 643 b 1  
*Muggas* et offertur et applicatur significat. 643 a 2  
*Nachon* quintuplicem habet significationem. 349 c 1  
*Nasa* et suscipere et auferre significat. 641 c 2  
*Nebim* tam Prophetas, quam garrulos significat. 644 d 2  
*Nezer* est corona, diadema, coma, consecratio, separatio, nazaraatus. 412 c 1-581 c 1  
*Nib* vocatur et fructus et sermo, qui germen linguæ est. 615 a 1  
*Nihia* unde deducatur. 340 a 2  
*Nika* significat innocentem esse vel declarari, item nocentem declarare et punire. 213 c 2-552 c 1  
*Nocham* significat consolationem, commiserationem, poenitentiam. 173 a 2  
*Noked* est punctator et inustor, id est, armentarius, qui pecudes suas propriis notis inurit. 216 b 1  
*Nora* terribile est, mirabile et gloriosum. 201 d 2  
*Noscia* tam est passivum salvatus, quam activum salvator, idemque quod Iescina et Iesus. 577 d 1  
*Nuge* vox unde deducatur, et quid proprie significet. 484 c 2  
*Nun* littera in multis verbis est formativa nominis. 577 d 1  
*Olam* significat sæculum mundum, æternitatem, cur. 362 d 2-449 d 2  
 Aliud *olam* Dei; aliud hominum. 450 b 2  
*Pissatbar* quid proprie significet. 177 d 2  
*Pochazim* quam varia significet. 478 c 1  
*Pura* hebraice torcular proprie; per catachresin quamlibet vini mensuram denotat. 507 c 2  
*Raal* significat tremorem, crapulam, soporem, venenum, stuporem, concussionem. 604 b 2  
*Resceph* nonnisi metaphorice diabolus significat. 449 b 1  
*Restsim* amplæ significationis est. 261 c 1  
*Ros* varia significat. 141 c 2  
*Sala* significat calcare, urgere, insistere; *salat* attollere, elevare. 446 c 2-447 a 2  
*Saph* significat limen et superliminare et poculum. 604 b 2  
*Savera* significat vaccam lascivia vel œstro agitatum. 100 d 2  
*Scelach* diversa Hebræis significat. 191 d 1  
*Sciadai* est nomen Dei, eumque vel misericordem vel potentem significat. 188 d 1  
*Sciaga* significat errare, ignorare. 441 a 1  
*Scialon* non tantum pacem, sed et integrum et perfectum significat. 569 d 2  
*Scighionot* quam diversimode accipiatur. 440 a 1  
*Seet* et decretum, et magnificentiam, et onus, et tributum significat. 420 a 1  
*Selah* videtur esse nota cantus ad vocem elevandam, vel producendam. 446 c 2  
 Est nota nunc optantis, nunc affirmantis, et applaudentis. 446 d 2  
 Varia eius interpretatio. ibidem et seqq.  
 Insinuat item insignem aliquem affectum quo psallens pro movente spiritu afficiebatur. 447 b 1  
 Cur id tam confuse in psalmis positum inveniat; alibi vero ubi illustriores videntur sententiæ, omitatur. ibidem  
 Ad verbum non significat *semper*, est dumtaxat nota carminis et musices. ibidem  
 Qualis nota carminis fuerit. ibidem et seqq.  
 Denotat saltem mutationem aliquam in cantu. 447 a 2  
*Serukim* quis color Hebræis sit. 519 b 1  
*Thapsar* unde derivetur et quid significet. 412 d 1  
*Tirghelet* Hebræis nutritrix est. 151 a 1  
*Tsade* et *samech* litteræ affines sunt. 534 b 2  
 Item *tsade* et *scin*. 148 a 2  
*Tsanterot* quam amplæ et distinctæ significationis sit. 548 c 2  
*Tsara* quid proprie significet. 343 d 2  
*Tsemach* proprie est germen vel surculus. 534 b 2  
*Tseror* ambigue est significationis. 286 d 1  
*Tsiltset* et cymbalum et frænum significat. 630 b 2  
*Vau* sæpe est adversativum, significans *sed*. 624 c 1  
*Vau* conversivum, vertit præteritum in futurum. 637 c 1  
*Zera* et *Zeroa* quomodo differant. 648 d 1  
*Zona* est proprie caupona, quæ prostituit edulia vel merces, vel operas suas, vel etiam corpus. 207 b 1  
*Hederam* vertit S. Hieron. Hebræum verbum *kikaion*, et cur. 325 d 2  
 Est quædam hederæ species quæ non serpit, sed per se consistit. ibidem  
*Hedera* symbolum est vanitatis mundi, omnisque rei mundanæ. 326 b 1  
 Item voluptatum mundanarum. ibidem  
 Eam cur tangere flamini diali Romæ nefas esset. 326 c 1  
*Hedera* unde dicatur: est in tutela Bacchi. 325 c 2-ibidem  
 Capitis gravedinem discutit. 325 c 2  
 H' דוּוּוּ Græcis deductum videtur ab Hebræo *eden*, id est, voluptas. 222 a 2  
*Hedwigis* (S.) Ducissa Poloniæ quasi Angelos sacerdotes venerabatur. 651 c 1  
 Iugiter passionem Christi meditabatur. 611 b 1  
*Helem* nunc fuit e legatis a Iudæis Babyloniis in Ierusalem, ad aurum deferendum missis. 561 d 2  
 Alio nomine vocatur Holdai. 565 a 1  
*Helena* Laecæa quod fuerit sigillum. 511 d 1  
*Helena* (S) Imperat. quomodo clavos Christi distribuerit. 631 d 1  
 Stabulum Christi basilica exornavit. 357 a 1-361 a 2  
*Heliodorus* templi Hierosol. ætarium expilans ab angelis cæsus est. 606 a 2  
*Helioabalus* Imp. a matre hausit suam spurcitiam. 60 d 1  
 Quare omnes araneorum telas Romæ colligi iusserit. 234 a 2-319 a 2  
*Heliopoli* qua occasione Iudæi templum simile Hierosolymitano erexerint. 630 c 1  
*Ηλιος* quod habeat etymon. 672 c 1  
*Henoch* et Elias primogæuiti sunt nostræ resurrectionis. 678 a 1  
*Vide* Elias.  
*Henrici VIII.* Angliæ regis, funesta catastrophe. 492 c 2  
 Eius incestum coniugium. 95 a 1  
*Herba fullonis* maculas e lana eluens qualis sit. 661 b 2  
*Hercules* monstrorum domitor, non alius est quam fortis Samson. 309 a 1  
 A batæna devoratus et ex ea incolumis rediisse fingitur. 313 c 2  
 Mulieribus servivit. 655 b 1  
*Herinacius* animal quale sit. 475 b 1  
*Hierodes* fuit Ascalonta. 575 a 1  
 Cur templum magnificum extruxerit. 504 d 2  
 Eius potentia. ibidem  
 Prius templum tantum ampliavit. 505 b 1 et seqq.  
 Suum prioris fundamentis inædificavit. 505 c 1  
 Ne quidem unam porticum Salomonis instaurare potuit. 505 c 2  
 Invasit regnum Iudæorum. 602 b 1  
 Eius immanitas. 357 a 2  
*Heroum* animæ dicebantur lucos incolere. 368 b 2  
*Hesperus* stella culta a variis gentibus ut Deus. 253 b 2  
*Hevila* filius Chus habitavit versus Indiam. 482 a 1  
*Hiatus* grandis montis Ohveti de quo Zacharias, quid parabolice et anagogice significet. 622 b 2 et seqq.  
*Hiems* in Iudæa et Romæ modica est. 489 c 2  
*Hieroglyphicum* prophetiæ. 19 d 1  
 Hieroglyphicis quibus Deum Ægyptii exprimerent. 244 b 1  
 Hieroglyphica Prophetarum Minorum. 42 a 1  
*Hieronimus* (S.) in solitudinem Bethlehem sese abdidit, et eodem alios invitavit. 79 a 1-445 a 2  
 Eam Romæ prætulit. 360 b 2  
 Eius memoriæ lapsus. 148 c 2  
 Cur novam versionem Bibliorum ex Hebræo procurerit. 150 a 2  
 Ad Christi tribunal citatus vapulavit, quod Cicero-nem præ Scriptura legeret. 26 d 2-202 a 2-370 d 2  
 Seipsum reprehendit, quod primo seusum mysticum attulerit, omisso litterali. 292 b 1  
 Eius corpus Romæ iuxta præsepe Domini reconditum est. 445 a 2  
 Fuit parva statura. 545 b 2  
 An ceaseat Deum rerum micimarum curam non habere. 428 d 1 et seqq.  
*Hieronimus Savanarola* quæ de Florentia et Italia prædixit, quem exitum habuerit. 38 c 2  
*Hilarion* (S.) Eremita quomodo fuerit Propheta. 17 c 1  
*Hilarius* mutatus multa ex Origene est. 39 a 2  
*Hircino* sanguine an comminatur adamas. 268 a 1

Hispani novum orbem ad Christum converterunt.	301 b 2	tractaret.	486 b 1
An orti ab Iberis vel Iberis incolis Ponti Euxini.	ibidem	Humana omnia merum sunt somnium.	680 a t
Nullum habuere cum gentibus Orientis commercium.	301 c 2	Item umbra hederæ sunt.	44 a 1
Cur ad externa bella vel novas colonias ducentas emittantur.	410 b 2	Reguntur a mutabilitate, et cito pertranseunt.	105 b 2
Eorum reges a Gothis prognati sunt, quomodo sensum suum imperium propagarint.	561 c 2	Humanitas Christi, videns se verbo uniri, obstupuit et etiamnum stupescit.	441 b 2
Hispania a Rabbis semper vocatur <i>Sepharad</i> .	301 a 2	Fuit velut equus, cui inequitavit divinitas.	452 d 2
Ponitur a Geographicis ultima pars orbis.	ibidem	Est lucerna cælestis Ierusalem.	468 a 2
Historia tota Ionæ Prophetæ Christo applicatur.	316 c 2	Quam perfecte divinitati unita fuerit.	537 b 1
Historia Iudith contigit post captivitatem Babylonicam, regnante Cambyse, vel Dario Hystaspis, vel Xerxe eius filio.	196 d 1	In quo lapidi stanneo assimiletur.	546 c 2
Historia de Osee fornicariam ducente vere contigit.	59 d 1	Patri et Spiritui sancto affinis est.	617 c 2
Historici prisce sæpe non errant in rerum narratione, sed in personis et temporibus.	393 b 1	Mystice Christi fuit templum.	659 b 1
Hollandi uno veroque Ecclesiæ capite relicto, hodie inter se variis hæresibus digladiantur.	119 d 1	Humiles et mansueti soli iram Dei lenire possunt.	471 c 1
Holocaustum quid proprie sit.	646 a 1	Humilis anima Dei velut inmeatum est.	577 d 2
In eo requiritur victima mascula.	ibidem	Humiliare nos quare coram Dei maiestate debeamus et deprimere in abyssum nostri nihili.	439 a 1
Holofernes Iudæos e Babylone reversos, missus a Nabuchodonosore rege Assyrio, invasit, sed est cæsus.	196 b t	Humiliatio via est ad humilitatem.	192 a 1-377 b 1
Quando hoc contigerit.	196 c 1 et seqq.	Humilitas convolvula est rudimentum animæ.	16 d 1
Homicidium Scriptura vocat sanguinem.	92 c 2	Ea ad revelationem Dei animam maxime disponit.	22 d 1
Homicidas punire quam vindicta pia et salutaris sit.	213 d 2 et seqq.	Eius effectus.	ibidem
Homo et Deus diversimode se gerunt in condonandis offensis.	154 b 1	Mater conciliatrix et conservatrix est gratiarum cælestium.	138 a 2
Homo post peccatum est merum ludibrium tentationum et calamitatum.	128 a 1 et seqq.	Est tegmen virtutum.	186 c 1
Homo per peccatum privatur bono infinito.	424 a 1	Ea cum doctrina magni apud Deum est.	291 c 2
Eius vita quam brevis, fragilis et incerta.	272 d 2 et seqq.	Eam quantopere Christus tota vita dilexit.	360 c 1 et seqq.
Pulvis et cinis est.	334 a 1	Est congrua via ad scientiam divinam.	548 d 2
Microcosmus est, et microcæcus.	454 b 2	Quam deceat Prælatos et principes.	597 b 1
Reptile est ob tres analogias.	426 d 2	Humor dulcis multus in marinis aquis mistus est.	424 c 2
Velut arbor inversa est.	454 d 2	Humor phlegmaticus, crudus, lentus et viscosus quomodo calorem naturalem alere valeat.	424 d 2
Per peccatum factus est iumentum.	445 d 1	Humore vivunt, aqueo pisces, aereo homines.	ibidem
Eius descriptio moralis.	424 a 2 et seqq.	Humor melancholicus, frigidus et ater tristes cogitationes parit.	342 d 2
Habet homo omnis unde se extollat et humiliet.	637 c 2	Huoni, Alani, Gothi, Wandali, et modo Turcæ, quasi erucæ, locustæ, bruchi et rubigo sibi succedentes orbem Christianum depopulati sunt.	186 d 1
Homines bellas crudelitate superant.	221 d 2	Hyæna lupi species noctu prædas exercet: eius natura describitur.	420 a 2
Post peccatum sunt merum ludibrium tentationum, et calamitatum.	130 c 1	Hyæna Arabica qualis sit.	ibidem
Homines cur vitulis aureis immolarentur.	167 c 1	Hyæna esto proprie non sit lupus, ad lupos tamen refertur.	420 a 2 et seqq.
Homines piscibus assimilantur ob varias analogias.	424 a 2 et seqq.	An vocetur lupus vespertinus.	ibidem
Eorum varii sunt ordines, gradus, complexiones, linguæ, familiæ, gentes.	ibidem	Hydrus crocodilum interficiens symbolum est resurrectionis Christi et nostræ.	171 c 2
Eorum in mundo iactationes et tentationes.	424 b 2	Hymni deorum olim canebantur in conviviis.	258 d 1
Eorum multi catarrho vel pituita emoriuntur.	ibidem	Hypocrisis est tropologicè vestis peregrina.	464 a 2
Potentiores opprimunt minus potentes.	424 d 1-425 a 1	Hypocritæ sunt culmus germen non habens.	130 b 2
Quantumvis sapientes, coram Deo obmutescunt.	425 b 1	Quam multos greges vitiorum alant.	476 a 2
Homines quomodo semiangeli fiant.	425 c 1	Hyrcanus, Simonis Machabæi filius, Idumæos ad circumcisionem compulit.	629 d 1-638 c 1
A ratione et voluntate primum putrescunt.	425 a 2	Cum Aristobolo de pontificatu decertans in causa fuit cur a Romano subactus sit.	595 c 1-601 c 1
Quam variabiles sint.	665 c 1		
Honor parentibus debitus quatuor complectitur.	639 a 1	I	
Honor rebus maior ex longinquo est.	24 c 2	Ibis in Ægypto solum reperitur.	157 c 1
Honores mox ut nati, emoriuntur.	326 b 1-393 d 1	Triquetram formam habet in rostro, et incessu.	ibidem
Hors mons situs est in Arabia.	383 b 2	Erat sacra Mercurio, et cordis symbolum, huic mire confert: duas drachmas ponderat.	ibidem
Hordeum cibus erat servorum et pauperum, etiam adulterarum apud Hebræos.	88 c 2	Docuit usum clysteris, hinc sanitatis est symbolum.	157 d 1
Id antiquissimum est in cibis.	88 d 1	Serpentem inimica est.	ibidem
Hormisdas architectus Imp. Constantii de Roma quid sentiret.	320 c 1	Luna non apparente non comedit.	453 d 2
Horologia an dicantur Teraphim.	90 a 1	Ietericus morbus est morbus regius.	241 a 1
Horrible significat interdum reverendum et sacrum.	646 c 2	Ἰχθύς vox Græca continet litteras initiales horum verborum Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ.	425 c 1
Horti pensiles Babylone a Nitocri regina constructi sunt orbis miraculum.	398 d 2	Idolum vocatur labor et dolor, quia eius est causa.	106 a 1
Hostem vincendi optima ratio est, eum vincere amore et beneficiis.	152 a 1	Est deus mendax.	84 a 1-119 a 2
Hosti fugienti aureus pons sternendus.	152 b 1	Est idea et phantasia artificis.	167 a 1
Inter hostes acerrimos nos ubique observantes ut supplantent, versamur.	374 d 2	Ea olim fabricata ex mercede meretricum.	332 a 1
Hostium adventum non raro præeunt locustæ, bruchi et erucæ.	184 a 1 et seqq.	Ea an coluerint Hebræi in deserto.	252 a 2
Hostes Ecclesiæ Dei cur vocentur Ægyptii, Assyrii, Chaldæi, in Scriptura.	592 c 2	A Script. vocantur sordes et stercorea.	90 d 1-107 d 1
Hostia pro peccato quæ diceretur.	644 a 1	Item vanitas, res vanæ, leviculæ, ludicræ, deiculi.	268 a 2-316 a 1
Hugo (S) Cluniacensis Abbas quam seria dum viveret		Cur vocentur amaritudines Dei.	166 a 1
		Item abominationes.	576 b 1
		Ea Iudæi non coluerunt post captivitatem Babylonicam.	267 b 1

- Fide* Iudæi.  
 Idola dantia oracula habebant altum et patulum os. 253 d 1  
 Vocantur amasii. 331 b 2  
 Fornicatione olim colebantur. 96 b 1  
 Ipsi Iudæi ædificabant domus et templa, eaque in basi collocabant. 556 c 2  
 Idololatræ stupidi sunt similes suis idolis. 136 d 1  
 Sunt meretrices tropologie. 331 b 2 et seqq.  
 In suis sacrificiis et festis epulari et inter præsentibus vinum distribuere solebant. 87 a 2  
 Idololatriam arguere Hebræorum, est argumentum Minorum Prophetarum. 16 a 2  
 Eius excidium peractum est per Apostolos Christi. 473 d 2  
 Idumæa perpetuo fuit annula populi Dei. 213 c 1-288 a 2  
 Quomodo ab eodem attrita. 288 a 2 et seqq.-292 a 1  
 Unde dicta Theman, mons Seir, Edom. 445 d 2  
 Mansit post captivitatem deserta et desolata. 638 c 1  
 Postea unde homines in ea propagati sint. ibidem  
 Idumæi et Israelitæ quomodo sint fratres. 223 c 2  
 Et tamen hos exosos habuere illi, et cur. ibidem  
 Idumæorum excidii a Chaldæis quæ fuit causa. 293 d 1  
 Quando eos Chaldæi invaserint. 291 b 2  
 Hos adiuerunt in excidenda Ierusalem, et ideo excisi sunt. ibidem  
 Cur se invictos putarent. 294 c 1  
 Quomodo penitus a Chaldæis exspoliati et victi sunt. 296 a 1-296 d 2  
 Non plane ab eis excisi sunt. 296 d 2-298 c 1  
 Quomodo evadent manus Gog et Magog tempore Antichristi. 297 c 2  
 Iam plane deleti sunt. 298 c 1-300 a 1-638 c 1  
 Venere Iudæis a Tito obsessis auxiliatum. 299 d 1-638 d 1  
 In captivitate Babylonica manserunt. 638 c 1  
 Fuere Iudæorum deinde servi et tributarii. ibidem  
 Quando et a quo iussi circumcissione accipere. 299 d 1-629 d 1-ibidem  
 Apud eos viguit sapientia. 296 a 2  
 Iudæi censent Romanos esse Idumæos. 293 a 1  
 Iacob nascens Esau plantas tenens, quid denotaret. 162 a 1  
 Promissiones ei factæ, in posteris eius impletæ sunt. 385 d 2  
 Moriens quædam prædixit quæ paulo post, quædam quæ post longum tempus evenerunt, quædam in fine mundi eventura. 201 d 1  
 Cur dictus Israel post luctam cum Angelo. 330 d 1  
 Timeus fratrem contra se venientem cum lacrymis petit ab Angelo benedictionem. 162 d 1  
 Ei apparuit Deus scalæ innixus. 162 a 2  
 Bis ei apparuit. 162 b 2  
 Exemplum vigilantis pastoris est. 603 a 2  
 Eum dilectum fuisse præ Esau, quomodo intelligatur. 637 d 1  
 Iacob et Esau fuere uno partu editi. 224 a 1  
 Iacob nomine decem Tribus nominatur. 17 b 2-604 b 1  
 Iacobi (S.) Apostoli zelus indiscretus in Samaritanis. 325 d 1  
 Solis Iudæis in Hispania prædicavit. 302 c 1  
 Quam paucos ibi ad fidem converterit. 545 d 1  
 Iacobus (S.), frater Domini, quo loco de pinna templi præcipitatus sit. 466 d 1  
 Vinum non bibit, nec carnes comedit. 23 d 1  
 Iacoponus (B) quomodo tentationem gulæ superaverit. 131 b 1  
 Iactura temporis gravissima est. 491 d 2  
 Jaddus pontifex fuit filius Iesu. 490 d 2  
 Ianus an Augustus bis, an ter clausit. 499 a 2  
 Ianus biceps est Noë, qui duo vidit sæcula. 309 a 1  
 Iapones deos in adversis etiam flagellant. 260 d 2  
 Iarcha septem annulos dedit Apollonio Thyane. 509 a 2  
 Iason, mala via pontificatum invadens, fuit pastor stultus. 602 a 1-594 a 1  
 Ephebiæ qualem in Ierusalem excitaverit, in qua libidini et crapulæ vacabatur. 605 c 2 et seqq.  
 Eius funesta mors. 606 a 2  
 Iechonias impius rex cur in Hebræo diminute vocetur Conias. 358 b 2  
 Eum quomodo a se proiecerit Deus. 509 c 2  
 Fuit avus Zorobabelis. ibidem  
 Non reliquit post se filium regem. 396 c 1  
 Iecur sedes amoris est et concupiscentiæ. 168 a 1  
 Jehova nomen continet in se SS. Trinitatem, cur duplex he contineat. 495 c 1
- Iehu permisit idololatrias sensim virus idololatriæ spargere. 121 a 1-121 b 2  
 Eum Deus iussit extirpare eam: qua de causa id ipse non fecerit. 119 a 1-119 c 2  
 Eius dissimulatio. 120 a 1  
 Invasit regnum Achab. 62 b 1 et seqq.  
 Ieiunia quatuor temporum adumbrata sunt per 4 solemnia ieiunia Iudæorum. 571 b 1  
 Ea quatuor de causis sunt instituta. ibidem  
 Ieiunii commoda et effectus. 566 c 2  
 Ieiunio in calamitate publica Deus conciliandus. ibidem  
 Quale ieiunium Deo placeat. 566 d 2  
 Duplici modo sanctificatur. 187 a 2  
 Eius alæ sunt oratio et iustitia. 194 a 2  
 Ieiunia extraordinaria Iudæorum quæ essent, quæ ordinaria. 566 b 1 et seqq.-570 b 2 et seqq.  
 Qui sibi ieiunent. 567 b 1  
 Cur Iudæi ieiunarent die decima mensis septimi, et decimum decima. 570 b 2  
 Ieiunare templo et urbe ædificata cur eos nolnerit Deus. ibidem et seqq.  
 Ieremias quando cæperit prophetare. 460 b 1  
 Huius abbreviator est Sophonias. 460 b 2  
 Ieroboam an speculatores constituerit in Galaad; qui populum cogent adorare vitulos. 103 c 1  
 Qua via primum idola induxerit. 121 d 1  
 Fuit auctor schismatis a Roboam, et stirpe David et Deo. 128 b 1  
 An fuerit rex, an tyrannus, an a Deo creatus et populo, an vero a solo populo. ibidem et seqq.  
 Populus eum creans peccavit, ut et ipse regnum invadens. 128 b 2  
 Cur vocatur aliquando Ephraim. 166 c 2  
 Eum dedit Deus in ira, quomodo. 169 b 2  
 Ieroboam II. rex quando regnare cæperit, eius anni adaptantur annis Ozia regis Iuda. 217 b 1 et seqq.  
 Sub eo prophetavit Osee. 56 b 2  
 Ierusalem sita erat in loco alto. 209 b 1  
 Censetur esse medium terræ. 205 b 1  
 Quadragesimo anno a prædicatione Christi eversa est. 320 d 2  
 Est filia latronis occidens Christum. 356 a 1  
 Eius propterea punitio. ibidem  
 Cur vocetur metonymice turris gregis. 351 d 1  
 Cur item nebulosa. ibidem  
 Triplex erat civitas, quia iuxta templum Septemtrionem versus in tres regiones erat distributa. 24 d 2-465 c 1-627 a 2  
 Quinam in singulis habitarent. 465 c 1 et seqq.  
 Erat super duos colles cuncta contrariis frontibus semet inspicientes, interveniente valle discretos. 466 b 1  
 Vocatur Libanus. 436 d 2  
 Quomodo ponenda sit in superliminare crapulæ. 604 c 2  
 Quomodo id fecerit Deus. 640 c 1 et seqq.  
 Eius reædificandæ quanta amplitudo futura promittatur. 524 a 1 et seqq.  
 Fere semper in Scriptura figura est Ecclesiæ. 524 a 2  
 Quare vocetur pila active et passive. 465 d 2 et seqq.  
 Post reditum e Babylone quomodo vocetur civitas veritatis, et mons Domini. 568 a 2  
 Eius felicitas. 569 b 1  
 Est obsessa a Romanis iuxta montem Calvaria. 621 c 1  
 Ierusalem moderna alio est in loco quam fuerit vetus. 607 d 1  
 Quam hæc deserta et inculta sit. 552 c 2  
 Futura est sedes regni Antichristi, ibique ab eo occidentur Henoch et Elias. 620 a 1  
 Ierusalem caelestis elogia varia: eius cives sentient quod in ea et in ipsis habitet Deus. 211 a 2  
 Ipsa est mons sanctus. cur dicatur sancta. ibidem  
 Eius deliciae et omnium bonorum ubertas. 211 b 2  
 Eius habitatio futura perpetua. 211 c 2  
 Cælum cur vocetur Ierusalem. 213 d 1  
 Iesciua est Iesus, Iesciui et Iesus meus. 457 d 1  
 Iesum Christum Prophetæ sæpe ad litteram repræsentant. 19 b 2 et seqq.  
 An in vita comederit carnes. 23 a 2  
 Pene omnes Prophetæ in eo desinunt. 30 c 2  
 Eius in calice passionis bibendo promptitudo. 31 b 2  
 Ab eius parte ad nostram iustificationem nihil deest. 38 a 1

- Eius in orbe sibi subigendo potentia. 44 c 1 et seqq.  
 Est lumen de lumine. 56 a 2  
 Iniit connubium cum carne humana, et cum Ecclesia. 60 d 2-61 b 1  
 Eius in hoc dignatio et misericordia. 61 c 1  
 An dici possit allegorice Iezrahel. 63 c 1  
 Evangelizavit tam Israelitis, quam Iudæis. 67 c 1  
 Antequam prædicationem inchoaret, in desertum a Spiritu Sancto ductus est. 79 a 1  
 Ter Ecclesiam sibi despondit. 85 a 1  
 Ipse bonum nostrum est. 91 a 2  
 Amarum tribulationis calicem bibit, quo nos ab eo non deterreremur. 106 c 1 et seqq.  
 Eius adventus promittitur Iudæis in tribulatione positus, et quidem brevi futurus. 110 b 2  
 Quomodo nos tertia die vivificet. 110 b 2  
 In resurrectione plene nos vivificavit. 110 d 2  
 Cur die tertia resurrexerit. 111 c 1  
 Tres eius adventus sunt. 111 d 2  
 Eius ortus est instar auroræ. 112 b 2  
 Noctu ante luciferi ortum natus est. ibidem  
 Crevit ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines. 112 c 2  
 Bis nasci debuit. 113 a 1  
 Comparatur imbri serotino et tempestivo. 113 b 1  
 Vivum misericordiæ fuit speculum. 115 d 2  
 In Ægypto ubi exulavit. 132 d 1  
 Inde revocandus ab Osee prædicitur. 150 b 1  
 Quomodo nos traxerit in funiculis Adam. 151 d 1  
 Maxime in Vener. Eucharistia. ibidem  
 Quomodo a nobis iugum peccati, dæmonis et concupiscentiæ auferat. 152 d 2  
 Eius redemptio sufficiens fuit ad omnes salvandos. 155 d 1  
 Vult omnes homines salvos fieri. 155 a 2  
 Evangelizans tum per se, tum per Apostolos comparatur leoni. 156 b 2  
 Est antesignanus Martyrum. 158 c 2  
 Eius incarnatio et passio variis Prophetarum figuris fuit repræsentata. 165 c 1  
 Resurgens patres ex inferno et morte liberavit, secumque resurgere fecit. 171 a 1-172 d 1  
 Quomodo fuerit mors mortis, et morsus inferni. 171 a 1 et seqq.-172 a 2-419 b 1  
 Suo ad inferos descensu nullos damnatorum liberavit. 173 a 1  
 Ibi primum dedit iubilæum. 173 b 1  
 Eius descensus in carnem rori descendenti comparatur. 112 c 2-176 c 1  
 Lilio assimilatur. 176 a 2  
 Vocatur radix David, quin et David. 177 a 1-287 a 2  
 Omnis eius sermo et doctrina, vitæ eius mysteria, mors, resurrectio, et Sacramenta boni odoris sunt. 178 b 1  
 Austro calido comparatur. 171 b 1-196 d 1  
 Est doctor iustitiæ et doctor doctorum. 197 a 2 et seqq.  
 Eius adventus docuit humilitatem. 198 a 2  
 Quæ prodigia in eius vita et morte acciderint. 200 c 2-594 b 1  
 Eius gloria in die iudicii. 201 c 2  
 Descendet ad iudicium in aerem valli Iosaphat vicinum. 205 d 1 et seqq.  
 Est stella oriens in celo illuminans beatos. 213 a 1  
 Est iustus iustorum. 598 d 2  
 Vili pretio a Iuda est venditus. 599 a 1  
 Est Dei Patris meditatio, conceptio, dictio et eloquium. 321 a 2 et seqq.  
 Est finis et scopus legis et Prophetarum. 30 c 2-31 c 1-110 c 2  
 Eius hictor in die iudicii erit ignis. 266 d 2  
 Adamanti assimilatur. 268 b 1  
 Restituit regnum David patris sui. 287 a 2-534 b 2  
 Per reges Christianos dominatur etiam civiliter toti orbi Christiano. 288 a 1  
 Ab inferno et morte nos redemit. 301 d 1  
 Eius patientis et resurgentis figura est Ionas. 305 b 2-309 b 2-313 b 2-317 d 2 et seqq.  
 Item ex eo quod columba est. 306 c 1  
 Secutus est Patrem vocantem ad prædicandum et moriendum. 308 d 1  
 Somnum eius in navi orta tempestate repræsentat summus Ionæ. 309 b 2  
 Eius resurrectionis optimus testis esse poterat Ionas. 318 a 1  
 Est vermis vetus Testamentum corrodens. 326 a 2  
 In utero Virginis pulveri nostro se involvit. 333 d 2  
 Fuit perfectus Iudæorum redemptor et dux. 343 a 2-382 b 1  
 Viam nobis in caelos aperuit. 344 b 1  
 Est natus sub Augusto. 350 b 1  
 Cur sit turris gregis et nebulosa. 352 d 1  
 Natus est in antro, cur, et rure. 357 a 1  
 Digna illo fuit ipsa sui demissio. 359 a 2  
 Est dominator in Israel, quem in Bethlehem nasciturum prædixit Michæas. 359 c 2  
 Cur natus sit in Bethlehem. 360 b 1  
 Eius concio e præsepio ad homines. 360 c 1  
 Mundi panis est et manna caeleste. 360 a 2  
 Eius egressus est triplex. 362 d 1  
 Ut homo bis egressus est. 362 a 2  
 Variæ eius pro hominum salute expeditiones. ibidem  
 Duplex eius nativitas, una temporalis, altera æterna. 362 b 2-44 c 1  
 Quomodo dicatur agnus occisus ab origine mundi. 362 d 2  
 Eius æternitas probatur. 363 a 1 et seqq.  
 Ideo natus est tempori, ut nos vivamus æternitati. 364 a 1  
 Stat a dextris Patris ut Ecclesiam propugnet. 365 d 1  
 Est pax causalis triplex. 366 b 1  
 Eius in Iudæos et Christianos ingratos impropria. 371 d 2  
 E Iudæis paucos dum viveret, convertit. 378 b 2  
 Venit gladium mittere, non pacem. 381 b 2  
 Eius satisfactio an ita sufficiens sit, ut nos pro nostris peccatis satisfacere non debeamus. 394 a 2  
 Eius sanguis cogitatus Christianos extimulat ad fortiter pugnandum. 401 d 2  
 Factus homo factus est velut piscis huius sæculi, eius nomen  $\rho\iota\sigma\tau\iota\varsigma$  fuit, id est, piscis. 425 c 1  
 Cur Apostolos piscatores elegerit. 425 d 1  
 Vocari a Prophetis solet Veniens. 431 a 1  
 Suo adventu robur et regnum diaboli evertit, et fideles eruit e captivitate. ibidem  
 In templis et corporaliter in Eucharistia, inhabitat. 437 b 2  
 Quomodo ab amore se vinci passus sit. 438 b 2  
 Est hostia infiniti pretii. 439 a 1  
 Incarnatus est tempore calamitosissimo. 442 d 1  
 Et in consumatione annorum a Deo præstitutorum. 442 a 2  
 Passus est in medio ultimæ hebdomadis Danielis. 442 b 2  
 Item anno ætatis XXXIV. quæ est media vitæ humanæ. ibidem  
 Natus est durante lege Mosis, quæ media inter legem naturæ et gratiæ. 442 c 2  
 Item tempore gratiæ, quod medium inter tempus legis et gloriæ. ibidem  
 Est medium totius universi et sæculorum omnium, æque ac redemptionis nostræ mediator. 442 d 1  
 Assumpsit naturam humanam, ut esset mediator Dei et hominum. 443 a 1  
 Eius typus fuit arbor vitæ in medio paradisi collocata. ibidem  
 Medium locum semper elegit 443 b 1  
 In quorum animalium medio sit et fuerit cognitus. 443 c 2 et seqq.-ibidem  
 In præsepio reclinatus est inter bovem et asinum. 444 a 1  
 Variæ causæ, cur sit reclinatus in præsepio. 444 c 1  
 Est verus pastor et bonus. 444 d 1  
 Regnum eius consistit in mundi contemptu. ibidem  
 Eius paupertas ditissima fuit. 444 d 2  
 Quomodo factus sit iumentum nobis. ibidem  
 Factus est Gentibus et Iudæis cibus. 445 c 1  
 Est medium duarum vitarum quadrupliciter. 445 b 2  
 Cur a dextris venire dicatur, et filius dextræ vocetur. 446 a 1  
 Quomodo ab Austro venisse dicatur. 446 d 1  
 Quam omnis eius vita et doctrina gloriosa fuerit. 447 c 2  
 Corona eius est fortitudo crucis. 448 d 1  
 Crux quomodo in manibus eius fuerit. ibidem  
 Eius in nos charitas. 448 a 2  
 Passus est ex valida dilectione. 448 d 2  
 Sceptra impiorum quomodo perfrugerit. 455 b 1  
 Summus fuit Princeps, Pontifex, Propheta et Doctor Ecclesiæ. 563 a 1 et seqq.  
 Est iustitia sempiterna. 491 b 1  
 Templum corporis sui quomodo in resurrectione re-

- ædificavit. 491 b 1  
 Eo veniente in carnem cur facta cæli terræque com-  
 motio, et quæ. 498 d 2 et seqq.  
 Super eum baptizandum Spiritus sanctus in colum-  
 bæ specie descendit. 499 b 1  
 Angeli ei sæpe ministrarunt. ibidem  
 Sponte gloriosus in cælum ascendit. 499 c 1  
 Est maris et procellarum dominus. 500 a 1  
 Est principium, centrum, vita, felicitas totius uni-  
 versi. 500 a 2  
 Est antistes totius mundi. 500 b 2  
 Portal omnia verbo virtutis suæ. 500 c 2  
 Vocatur desiderium collum æternorum. ibidem  
 Et *electa Gentium*. 500 d 2  
 Cur sit desiderium Gentium. 501 c 1 et seqq.  
 In cælo est desiderium Beatorum et Angelorum. 501 b 2  
 Est omne quod desiderari ab homine potest. 501 c 2 et seqq.  
 Vocatur gloria templi secundi. 503 c 1  
 Pacem attulit credentibus sibi. 506 d 1  
 Natus est ex familia et stirpe Zorobabel. 508 c 1  
 Eius regnum quietum et æternum futurum est. 508 c 2 et seqq.  
 Quomodo et quare sit annulus Dei Patris, quem di-  
 gito suo inseruit. 510 c 1  
 Est sigillum in manu Patris passivum et activum. 510 a 2  
 Idque quadrupliciter, qua homo. 510 b 2  
 Est sigillum regni divini quintupliciter. 510 c 2  
 Patri, Ecclesiæ, Angelis et toti orbi honori est. 510 d 2  
 Est legatus Patris ad homines: est eiusdem et mun-  
 di totius delicia, et sapientia Patris increata et  
 creata. ibidem  
 Nos sua cruce et gratia obsignat. 511 a 1  
 Est reconciliatio mundi totius. 512 a 1 et seqq.  
 Designatur per virum inter myrteta stantem. 517 c 1  
 Est gloria Ierusalem. 525 b 1  
 Eius Deitas probatur. 362 d 2 et seqq.-526 d 2-659 b 1  
 Proprie eius gloria est humanitas, et opera in ea pa-  
 trata. 527 a 1  
 Terram sanctam sanctificavit magis, quam omnes  
 Patriarchæ et Prophetæ. 527 d 2  
 Eius in die iudicii maiestas, et ira in impios. 205 a 2-210 a 2-231 b 1-660 a 2  
 Pugnavit contra Luciferum in deserto se tentantem. 530 a 1  
 Carne humana vestitus representatur per Iesum pon-  
 tificem sordidus vestibus indutum. 531 c 2  
 Cur sordidus fuisse dicatur. ibidem  
 Cruce et patiendo vicit diabolum. 532 c 1  
 Resurgens indutus est mutatoris. 532 d 2  
 Est portentum sæculorum. 533 d 2  
 Eius incarnatio opus est omnium Dei operum maxi-  
 me stupendum. 534 a 1  
 Est germen. 534 a 2 et seqq.  
 A primo conceptionis instanti fuit Deo consecratus. 534 c 2  
 Duas habet generationes. 534 d 2  
 Quæ bona nascens orbi attulerit. 535 a 1  
 Est lapis angularis et fundamentalis in fabrica Ec-  
 clesiæ. 535 c 1  
 Plena eius providentia circa Ecclesiæ fabricam. 535 d 1  
 Omnia Spiritus sancti dona habuit. 536 a 1 et seqq.  
 Eius corpus quomodo in passione incisum et cæla-  
 tum fuerit. 536 a 1 et seqq.  
 Suo ortu non tantum attulit opes spirituales, sed et  
 temporales. 538 a 1  
 Candelabro representatur. 541 a 1  
 Eius in terra exilia et parva fuerunt. 544 c 2  
 Quomodo vocetur lapis stæoneus allegorice. 546 b 1 et seqq.  
 Per quatuor Sanctorum genera orbem subiecit. 559 d 1  
 Eum quomodo bonis operibus coronemus. 563 c 1  
 Recte vocatur oriens, et cur. 534 b 2 et seqq.  
 Sub eo et ex eo orta multitudo fidelium. 563 c 2  
 Gloriam promissam quando plene sit adeptus. 535 a 1  
 Quomodo sit oculus, tam videns omnia, quam in  
 quem videant omnes. 574 a 1  
 Prædicavit etiam Sydoniis et Tyriis. 574 c 2  
 Quomodo dici possit separator. 575 d 2  
 Cur cum pompa Ierusalem, in die Palmarum inve-  
 ctus est. 577 a 1  
 Eius regnum magis spirituale quam temporale est. ibidem  
 Per agnum Paschalem quomodo præfiguratus sit. 577 b 1  
 In sua triumpho sedit super asinam, non asinum, cur. 577 b 2  
 Eius sanguis cur vocetur sanguis testamenti. 578 a 2  
 Triduo ibi mansit. 579 b 1  
 Symbolice quomodo vocetur arcus Iudæ. 580 b 1  
 Quomodo sit pulcher et speciosus. 583 c 1  
 Ad passionem iturus cur Eucharistiam instituerit et  
 sumpserit. 586 b 2  
 Venditus fuit triginta argenteis. 599 b 1  
 Pathetica eius oratio ad parcos et aecos. 600 d 2  
 Et qui resistunt ab illo opprimuntur. 606 c 2  
 An appareat in cruce anime cuique in morte iudex. 610 c 1  
 Quæ familiæ in eius morte planxerint. 612 c 1  
 Et cur quælibet illarum plangere debuerit. 612 a 2  
 Est fons patens domui David. 613 c 1 et seqq.  
 Effudit in nos Spiritum sanctum. 613 b 2  
 Peccata omnia abluit, eorumque scaturigines tollit. ibidem  
 Eius pathetica vox ad animam pœnitentem. 616 c 1 et seqq.  
 Vulnera cur resurgens resumere voluerit, et in cæ-  
 lo servet. 617 a 1  
 Ipsum cur Deus Pater Iudæis obiecerit, ut ab ipsis  
 occideretur. 617 c 1 et seqq.  
 Quomodo sit vir cohærens Deo Patri. 617 b 2  
 Eius humanitas Patri, et Spiritui sancto affinis est. 617 c 2  
 In monte Oliveti quæ gesserit. 620 b 2  
 Ex eodem Antichristum deturbabit in tartara, et il-  
 luc ad iudicium descendet. 621 a 1-622 d 2  
 Ex eodem ascendit in cælum. 621 b 1  
 Faciæ aversa a Ierusalem crucifixus est, et ascendit  
 in cælum. ibidem  
 Dicitur ipse, tempore christianismi, solus colendus  
 ut Deus. 626 a 2 et seqq.  
 Quomodo sit faciës Patris, et cur. 657 b 1  
 Cur quæ ipse facit, Patri ascribat. 657 c 1  
 In eo quidem una persona est, sed hæc virtute du-  
 plex est. 657 d 1  
 In templo Hierosolymitano docuit et fecit miracula. 659 a 1  
 Est Angelus et legatus tam novi quam veteris Testa-  
 menti. 659 a 2 et seqq.-47 c 1  
 Quintupliciter fuit angelus novi Testamenti. 659 c 2  
 Summis votis a patribus sanctis diu desideratus. 660 a 1  
 Est ignis conflans quintupliciter. 660 d 2  
 Comparatur herbæ fullonum, cur. 661 b 2  
 Qua Deus, omnia videt; qua homo, omnia cognoscit  
 per scientiam infusam ac beatificam. 664 a 1  
 Est sol iustitiæ ob quinque analogias. 671 a 2  
 Maxime in die iudicii futurus est sol iustitiæ. 671 b 2  
 Nomen solis Græcum *ἥλιος* secundum omnes deriva-  
 tiones ei accomodatur. 672 c 1  
 Per Samsonem adumbratus fuit. 672 d 1  
 Verus amicus est. 672 a 2  
 Quomodo sit santas in pennis eius. 673 c 2  
 Vere sol est, Adam tantum luna. 672 d 2  
 Eius morientis et resurgentis typus est phœnix. 673 c 2  
 Oriens in animis fidelium, quos ibi effectus operetur. 673 d 2  
 Iesu nomen multis ante annis prænominavit Habacuc. 457 a 2  
 Significat id nomen omnia bona ab eo nobis donari. 457 b 2 et seqq.  
 Non tantum significat salutem quam nobis dedit, sed  
 et modum quo nos salvavit. 457 d 2  
 Et quomodo vivere debeamus. 458 a 1  
 Iesus filius Srach fuit Christi typus. 490 d 2  
 Iesus et Zorobabel cur vocentur filii olci. 548 d 2 et seqq.  
 Comparantur Cherubim templi. 549 b 1  
 Iesus, filius Iosedec, pontifex fuit tunc nomine, tum of-  
 ficio typus Christi Iesu. 490 d 2 et seqq.-531 c 1  
 Eius elogium. 490 d 2 et seqq.  
 Vixit cum populus e captivitate Babylonica rediret. 528 c 2  
 Consistit reus coram S. Michaelle, accusante Satana. 529 c 1  
 Cur Satan stet a dextris eius. 529 b 2  
 Quod eius fuerit peccatum cuius accusatur. 530 d 1  
 Eius filii alienigenas duxerunt uxores, non autem  
 ipse, nec meretricem. 530 b 2  
 Cur ei Satan adversatus. ibidem  
 Eius partes Deus defecit. 531 a 1  
 Cur dicatur torris erutus de igne. 531 a 2  
 Quæ eius vestes sordide. 531 c 2  
 His indutus, repræsentat Christum carne humana ve-  
 stitum. 531 d 2

- Cur ab Angelo opem exposcat. 532 d 1  
 Mutatorius et cidari indotur. 532 a 2  
 Elicuit actum contritionis de peccato suo. 532 c 2  
 Est cum sociis vir portenti quintupliciter. 533 c 2  
 Ei revelatus est Christi ortus. 535 c 1
- Iezabelis reginæ iniquitas erga Naboth, et castigatio di-  
 vina. 379 d 2  
 Iezabel vox quadruplex habet etymon. 61 d 2  
 Hoc nomine cur dicantur decem Tribus. 17 b 2  
 Iezabel urbs erat métropolis decem Tribuum, eius  
 situs, agri eius fertilitas. 62 a 1  
 Iezabel fuit primus Osee filius. 61 d 2  
 Cur ita vocari puer hic iubeatur. 62 b 1 et seqq.  
 Iezabel allegorice est Ecclesia Christi. 70 d 2  
 Dies Iezabel quis dicitur. 71 a 1
- Ignatii (S.) Soc. Iesu fundatoris, in mulierculis a turpi  
 quæstu avocandis studium. 89 b 1  
 Eius zelus in divina gloria promovenda. 317 d 1  
 Totum se Deo resignaverat. 327 d 2  
 Lectione vitarum Sanctorum a vita sæculari conver-  
 sus est. 370 c 1  
 Eius de spe in Deum gnoma. 432 b 2
- Ignatius (S.) Martyris zelus et ardor. 678 a 1  
 Quam ardentem Christum desideraret. 501 d 2
- Ignatius Azevedius e Soc. Iesu a Calvinistis piratis  
 cæsus. 159 a 1  
 Ignifer capitur pro valido milite. 299 d 2
- Ignis regibus et Castris Chaldæorum et aliorum præse-  
 rebatur, eumque Chaldæi et Persæ ut Deum cole-  
 bant. 661 d 1-547 b 2-254 a 1  
 Quid is in die iudicii sit facturus. 670 c 2  
 Quam is futurus terribilis. ibidem et seqq.  
 Is perdet impios usque ad radicem. 671 c 1  
 Igni comparatur amor. 122 c 1  
 Scripturæ phrasi capitur pro excidio et strage. 222 c 1  
 Item pro vi ac robore. 299 b 2  
 Ignis zeli quis mystice sit. 44 a 2  
 Potentia et vis ignis in auro conflando. 660 d 2  
 Christus igni comparatur. ibidem et seqq.  
 Cur Deo præferatur. 547 a 2  
 Vocatur a Poetis purpureus, cur. 402 a 1  
 Ignis sacer in secundo templo non defuit. 495 a 1  
 Hunc sacerdotes Iudæi et aliarum gentium custodie-  
 bant. 462 a 2  
 Igne consumentur, in fine mundi, omnes oppresso-  
 res iustorum. 406 c 2  
 Ignis gehennæ quam sit futurus gravis. 671 b 1  
 Pice et sulphure ardet. 661 c 2  
 Ignis magnus an sit ante cælum in æthere, per quem  
 transire debeant omnes in cælum entes. 525 a 1
- Ignorantia semper aliqua peccato coniuncta est. 441 b 1  
 Illusio diabolica nunc dignoscatur. 23 b 2  
 Illustrationes divinas sæpe sentiunt spirituales in ora-  
 tione, item peccatores. 35 a 1  
 Sunt quædam gratiæ prævenientes, et a Deo petendæ. 35 c 1  
 Illustratio peccatorem in iustitia promovens et ad per-  
 fectionem deducens, est velut imber serotinus. 198 a 1
- Imaginem eius quem diligebant, in annulis gestabant  
 amici. 509 d 1
- Imagines sacræ Iudæis vetitæ non erant, sed tantum  
 profanæ. 89 d 2  
 Hinc eas non faciebant nisi idolis. 90 c 1  
 Eas Astrologi loquentes conficiebant et quomodo. 90 a 1
- Imagines vetustissimæ Christum quasi pastorem depin-  
 gunt. 89 d 2
- Imber temporaneus in Palæstina in autumno cadit, se-  
 rotinus in vere. 113 c 1-197 c 2  
*Vide* Matutinus et Serotinus.
- Immiser cordia est genuina voluptatis filia. 298 a 2 et seqq.  
 Immolatio Christi in cruce fuit pulcherrima et Deo di-  
 gnissima. 583 d 1  
 Immunditiam Iudæi ex mortuo quomodo contraherent. 134 c 1  
 Immutabilitatem Dei quomodo Sancti imitentur. 193 b 1  
 Ipsa est origo aternitatis. 364 b 1  
 Eius quæ sint causæ. 664 b 2 et seqq.
- Impedire pietatis opera quam sit malum. 117 a 2  
 Imperatores Rom. recens creati nova nomina capie-  
 bant. 66 c 2
- Impii ob libidines et fastum sobole pene caruerunt. 138 b 1  
 Triplici corona coronantur. 562 d 2  
 Ipsi olim cur ignis prælatus. 547 b 2  
 Quomodo vocentur reges Iudæorum. 595 c 1  
 Imperatores ethnici christianismo se opposcentes,  
 montibus magnis comparantur. 542 c 2  
 Ii qui pietatis curam habuere, opibus, victoriis et re-  
 gnis a Deo donati sunt. 492 d 1  
 Item qui Pontificibus Romanis morigeri fuere. 564 c 2  
 Imperium Rom. urbis cruce Christi firmatum. 119 d 2  
 Impietas quomodo in Babylone sedem stabilem figat. 553 c 1  
 Cur sedere fingatur. 554 d 2  
 Ipsa animam occidit. 555 b 1  
 Impietas Iudæorum duplex, idololatria, et occisio  
 Christi. 555 b 1-557 b 1  
 Impietatis novem sunt gradus. 117 b 2
- Impius punitus est lex viva, inclamans cæteris ut im-  
 pietatem fugiant. 132 a 1  
 Impiis Deus aliquando dat donum prophetiæ. 22 a 1  
 Sunt plectendi et expellendi. 82 b 2  
 Per impios Deus impios castigat. 170 b 1  
 Item pios. 417 a 2  
 Sunt plerique illiberales. 138 a 1
- In oneribus, quibus in vita gravantur, gustare inci-  
 piunt aterni carceris supplicia. 131 c 2  
 Ante prævisionem operum non reprobantur. 154 c 2  
 Quomodo maturi sint, ut a falce divini iudicii deme-  
 tantur. 209 c 1  
 Brevia aternis, terrena cælestibus præferunt. 257 b 1  
 Appropinquant solio Luciferi. 257 c 1  
 Si in pios immites, acriter in die iudicii punientur. 207 c 2-209 c 2 et seqq.
- Vocantur maledicti. 551 b 2  
 Eorum corpora et mentes sunt tentoria dæmonum. 451 d 2  
 Peccatis succendunt sibi ignem inferni. 670 c 1  
 Affligunt et delassant Deum. 655 d 2  
 Eorum de Dei providentia querela. 656 a 1  
 Eorum vexatio quam parvo duret tempore. 545 d 2  
 Eos sæpe dominari, pios premi sinit Deus. 417 a 1  
 Cur plangent mortem Christi in die iudicii. 612 c 2  
 In inferno quomodo futuri quasi cinis. 676 a 1
- Impinguationi animalium conducunt quies et obscuritas. 257 d 2  
 Implere arcum est plene intendere. 580 b 1  
 Impossibilia aliquando fieri videmus possibile. 261 c 2  
 Improbitas modica magnam virtutem inficit. 507 d 1  
 Improperia Christi in Parasceve unde petita sint. 371 d 2  
 Impunitas, gravis Dei punitio est. 221 a 1-415 b 2  
 In Hebræis est nota iurantis. 238 d 1  
 Inamabilis capitur pro invisio, odioso. 471 a 1  
 Inania quam avide consecetur homo. 485 c 1 et seqq.-  
 486 b 1 et seqq.
- Incarnatio Filii Dei est opus omnium operum Dei ma-  
 xime stupendum. 534 a 1-441 c 1  
 Fuit infinita humiliatio. 424 a 1  
 Quam gratiarum actionem a nobis exigit. 459 a 2 et seqq.  
 Facta est tempore opportunissimo. 442 d 1 et seqq.  
 Eius tempus, est magnus dies Iezabel. 71 a 2
- Incendium animæ quam noxium. 161 d 1  
 Incessus pompaticus suggillatur a Prophetis. 255 c 2  
 Incessus magna cura habenda, quia ex eo colligitur  
 animus. 255 d 2
- Incipientes in fide et virtute, quando prophetent mora-  
 liter. 200 c 1  
*Increpare ventum* quid in Scriptura significet. 531 c 1
- Indi peccata sua scripto exarata in flumen iactant, ut  
 æterna premantur oblivione. 385 d 1
- Indiæ Orientalis et Occidentalis conversio ab Abdia præ-  
 dicta est. 301 d 2  
 Illa quomodo in Scriptura vocetur Æthiopia. 482 a 1  
 Eius et regionum vicinarum conversio a Sophonia  
 prædicta est. ibidem  
 Indoles prolium a matre potissimum pendet. 60 b 1  
 Inebriari capitur in Scriptura pro satiri. 493 b 2
- Infamia ex lucro iniusto contracta apud bonos nun-  
 quam eluitur. 163 c 2 et seqq.  
 Infantes nutricum indolem sugunt. 60 a 2  
 Infans pene miraculose in utero matris vivit. 313 c 2  
 Infernus quomodo inter fratres dividat. 173 c 2



- Vocatur terra silentum. 275 a 1  
 Comparatur torculari avis et holris pleno. 209 a 2  
 Ei comparatur ambitiosus et avarus. 433 d 1  
 Cur vocetur oreus ibidem  
 An infernus et mors aliquando pro una re sumantur. 433 a 2  
 Cur vocetur Iupiter Summanus. ibidem  
 Ibi impietas cum omnibus impiis quasi amphora contipata est. 555 b 2  
 Est anagogice pila. 466 b 2  
 Item Babylon. 557 a 1  
 Infidelium opera omnia non sunt peccata. 507 b 1  
 Mystice sunt Idumæi. 293 c 1  
 Infirma mundi eligit Deus ut confundat fortia. 269 c 2  
 Infirma contra eos quibus Deus irascitur, robusta sunt. 186 b 1  
 In his suum robur ostendit. 609 b 1  
 Infirmiorem proximi portet fidelis. 512 c 1  
 Infortunia dextre ferre felicitatis est ingenii, quam ingentem prosperitatem regere prudentia. 417 a 2  
 Infusoria candelabri quidam essent; eorum numerus, situs, descriptio. 539 b 2 et seqq.  
 Septem infusoria mystice sunt septem Sacramenta. 539 d 2  
 Ingenia præcocia raro ad maturitatem perveniunt. 130 b 2  
 Ingenium in calore consistit. 36 b 1  
 Ingrati in benefactores columbis comparantur. 124 c 1  
 Ingratitudo quanta animæ mala adferat. 138 d 1  
 Ingressu (de) Christi in die Palmarum in Ierusalem, gloriosa prædicit Zacharias. 576 c 2  
 Inimicos diligere est cunulus perfectionis. 193 a 2  
 Initio operis Dei opem implorant servi Dei. 340 a 1  
 Initium Scriptura vocat id quod erat ante tempora. 363 a 2  
 Iniurias remittere et oblivisci divinum est. 154 d 1  
 Iniuriæ acceptæ species oculis obiecta acuit animos in hostem. 401 d 2  
 Iniuria in venditione Christi quanta fuerit. 599 c 1-599 b 2  
 In medio annorum quomodo vivificavit Deus opus suum. 441 b 2 et seqq.  
 Inscriptio legis et disciplinæ religiosæ fit in cinere a Christo. 511 d 2  
 Inspirationes Dei quanti faciendæ sint. 489 d 2  
 Instrumenta pastoris stulti quæ sint. 601 b 2  
 Et quomodo hæc a boni pastoris instrumentis differant. 601 c 2  
 Intellectus res intellectas per species sibi imprimit. 136 c 2  
 Intentio prava est velut statera dolosa. 164 c 1  
 Intentionem dirigentes ad creaturas, sunt arcus dolosus. 126 a 2  
 Interpres Vulgatæ immerito ab hæreticis ut illatinus suggillatur. 189 a 1  
 Invenire gratiam in oculis Dei quid sit. 609 a 1  
 Invocare nomen Dei apud Hebræos significat omnem Dei cultum. 203 a 1  
 Deus semper invocandus. 203 b 1  
 Inutile cur vocetur idolum et peccatum. 471 a 1  
 Ioachimi Abbatis Floriacensis quales sint Prophetiæ. 38 c 2  
 Ioannes Baptista (S.) puer secessit in desertum. 79 a 1-657 b 2  
 Se humilians a Christo exaltatus est. 269 c 2  
 Cur dictus sit Angelus. 496 b 2  
 Præparavit viam ante Christum. 109 c 1-657 a 1  
 Missus tam a Christo quam a reliquis personis ante faciem Christi. 657 c 1  
 Est medius totius SS. Trinitatis. 657 d 1  
 Eum Angelum incarnatum fuisse censent Iudæi et Origenes. 657 b 2  
 Sed fuit vere homo. 657 c 2  
 Vir est missus a Deo. ibidem  
 Tantum sex menses habuit infantia: in utero matris sanctificatus fuit, pene sine cibo aut potu vixit. 658 a 1  
 Purissimus et castissimus fuit. ibidem  
 Pro castitate Martyr occubuit. 658 b 1  
 Nunquam peccavit, saltem deliberate et graviter. 658 c 1  
 Eius vitæ austeritas. 658 d 1  
 Quomodo Iudæos docuerit et converterit. ibidem  
 Varia eius elogia. 658 a 2  
 A solo Spiritu sancto in deserto eductus fuit. ibidem  
 Fuit instar Cherubini. 658 b 2  
 Superavit officio, virtute et sanctitate omnes inferiores Angelos. ibidem
- Fuit typus Eliæ, et Elias ipsius. 658 b 2  
 In quo a cæteris Prophetis differat. 658 d 2  
 Vocatur plusquam Propheta a Christo. ibidem  
 Fuit horizon et fibula legis veteris et novæ. 659 a 1  
 In quo Eliæ similis fuerit. 676 d 1  
 Cur vocetur Elias. 676 a 2  
 Quomodo converterit corda patrum in filios. 678 b 2  
 Ioanne Chrysostomo (S.) in exilium acto Constantino-  
 polis terræ motu contremuit. 218 c 1  
 Apud Arcadium Imp. curavit ut quæ in Phœnicia es-  
 sent idola, penitus tollerentur. 575 d 1  
 Albæ columbæ indicio designatus in Patriarcham est. 663 b 1  
 Corpore exiguo fuit. 545 a 2  
 Ioannes Damascenus (S.) natus Damasci est. 573 c 2  
 Ioannes Eleemosynarius (S.) quo viso ad misericordiam animatus sit. 115 c 1  
 Eius de misericordia axiomata. 115 a 2 et seqq.  
 Quam ei misericordia eius compensata sit. 115 a 1  
 Ioannes Maldonatus (P.) Soc. Iesu, quotidie quinquies mortis meminit. 475 b 2  
 Ioannes Monachus sola Vener. Eucharistia victitavit. 585 a 2  
 Ioannes Præfectus prætorio Belisarii panem nauticum militum depravans, quam acriter punitus sit. 276 a 1  
 Ioannes Silitianus quomodo ab Atherio Archiepisc. compellatus. 582 b 1  
 Quam certam de Dei ope fiduciam haberet. 432 b 2  
 Ioas usus est apologo contra Sichimitas. 33 a 1  
 Iob quia in Arabia vixit, multas voces et consuetudines Arabicas usurpat. 36 d 1  
 Eum cur Deus de turbine alloquatur. 130 c 1  
 An cum Christo in carne resurrexerit. 317 d 2  
 Pro sua innocentia disputabat cum amicis et Deo. 370 c 2  
 Sollicitus cum Deo ambulavit. 375 c 1  
 Iohel ubi sit natus, de qua Tribu, cuius filius, quo tem-  
 pore et quibus prophetavit. 41 b 1-180 a 1  
 Prophetat soli Iudæ et Benjamin. 180 b 1  
 Eo pene tempore prophetavit quo Osee: sub quibus regibus: an sub Manasse, et post excidium Sa-  
 maria. 180 c 1  
 Comminatur captivitatem Babylonicam. 180 a 2  
 Eius argumentum. ibidem  
 Eius, et patris eius etymon: quid significet. 180 c 2  
 Est relatus inter sanctos. ibidem  
 An sit ad litteram unus de tribus illis Angelis, quos S. Ioannes in Apocalypsi vidit falcibus demetentes messem. 209 d 1  
 Iohanan (R.) de templo Hierosolymitano vaticinium. 594 b 1  
 Ioas quando prophetavit, et sub quo rege. 40 b 2-387 c 1-304 b 2-321 d 2  
 Paucis annis præcessit Amos. 40 c 2  
 An fuerit filius viduæ, quem suscitavit Elias. 304 b 1  
 An adolescens ille, qui unxit Iehu in regem. ibidem  
 Fuit oriundus ex Geth Zabulonitide. 304 a 2  
 Missus ad Sardanapalum. 304 b 2  
 Eius historia paucis perstricta. 305 b 1  
 Sanctorum catalogo adscriptus est, et monacho cui-  
 dam sancto cum aliis Prophetis apparuit. 305 b 2  
 Mittitur in Niviven. 305 a 2-306 c 1  
 Prædicare iubetur illi excidium. 306 d 1  
 Quomodo fugerit in Tharsis. 307 d 1  
 Quomodo nauta ab eo petant quo vadat. 307 a 2  
 Cur Deum fugiat. 307 d 2  
 Eum fugiens incidit in pericula. 308 a 2  
 Tempestate iactatur. 309 d 1  
 Cur dormiret in navi sopore gravi. 309 a 2  
 Sensit remorsum conscientia: ex fuga a Deo. ibidem  
 Sors quomodo super illum ceciderit. 310 c 1  
 Quomodo se dixerit esse Hebraum. 311 b 1  
 Eius charitas magnaanimæ et pœnitentia. 311 b 2  
 Quomodo petierit in mare abici. ibidem  
 Cur eum Deus in mare proici vellet. 311 c 1 et seqq.  
 A nautis qua restrictione missus in mare. 312 c 1  
 Devoratus est a ceto. 312 d 1  
 In eo similis fuit Christo patienti et resurgenti. 111 c 1-305 b 2-314 b 2-316 c 2-318 c 1  
 Quatuor miracula in ceto circa eum facta sunt. 313 b 2  
 Quid nomen eius hebraice sonet. 313 d 2  
 Pressus angustiis ad Deum redit. 314 a 1 et seqq.

- Mox eius opem sensit. 314 a 1 et seqq.
- Spondet se iterum ad templum ad Deo gratias agendas. 314 b 2 et seqq.
- An a ceto vectus et eiectus sit in mari Rubro. 315 b 1
- Eius angustia similis fuit angustiae Christi in horto. 315 c 2
- Gerit curam pro salute nautam. 316 b 1
- Eiectus est circa Ioppen, et cur. 316 a 2
- An fuerit e sanctis qui cum Christo resurrexere. 317 d 2
- Est index resurrectionis mortuorum. 318 a 1
- E ceto liberatus statim adiit templum, ut vota persolveret. 318 a 2
- Eius sepulcrum non fuit in Ninive, sed in Palæstina. 320 b 1
- Quomodo viam tridui unius diei festinatione compleverit. 320 d 1
- Tertiam Ninives partem prædicando obivit die primo. 320 a 2
- Videns oraculum suum frustrari, cur sit afflictus. 324 d 1 et seqq.
- Laboravit indiscreto honoris proprii amore. 325 b 1
- Optans Ninivitas puniri indiscreto zelo, peccat venialiter. ibidem
- Post XL. diem prædicationis suae afflictus egressus est Ninive, eventum expectans. 325 a 2
- Videns nullam cladem sequi, murmuravit. 325 b 2
- Quomodo Ninive valedicens in Iudæam redierit. 327 a 2
- Cum dixit iuxta Septuag. *Adhuc triduum et Ninive subvertetur*, innuit mysterium resurrectionis; et iuxta textum Hebraicum: *Adhuc quadraginta dies*, innuit mysterium ascensionis Christi. 419 b 1
- Iouathas Iudæ Machabæi frater, quas Philistinorum urbes cepit. 575 c 2
- Quomodo sit separator Azoti. 575 d 2
- Ioppe celeberrimus portus est totius Iudææ. 308 c 2
- Eius descriptio. 308 c 2-315 a 2
- Quantum distet a mari Rubro. 315 c 1
- Iordanis fuit medium terræ sanctæ. 383 a 2
- Iosaphat rex an sepultus in Sion, an in valle Iosaphat. 201 b 2
- Iosaphat, rex Iudæ, quod Barachiae sibi in regno succedenti præceptum dederit. 115 c 1
- Ioseph cur vocetur decem Tribus. 17 b 2-591 d 2
- Ioseph quam an fratres peccantes fuerit benignus. 325 a 2
- Iosephus historicus e spelunca extractus ad Vespasianum deductus est. 467 a 2
- Eius fides sæpe vacillat. 505 d 1
- Iosias fuit rex piosissimus. 460 b 1
- Eius mortem Iudæi planxere. 610 a 2-611 b 2
- An in eius morte succisum punicetum dictum Adadremmon, et hæc succisio luctum auxerit. 611 c 2
- Eius filii tres an sint tres pastores a Deo succisi. 463 c 2
- Eorum misera sors. 597 d 1
- Iosias, filius Sophoniae, fuit aurifex; hinc eius nomen coronæ quam fecit fuit incisum. 562 d 1
- An fuerit quartus dona offerentium. ibidem
- Alio nomine dicitur Hem. 564 d 2
- Iosue, ut victoriam prosequeretur, stetit solem et lunam. 453 c 1
- Typus fuit Christi. 55 b 1-457 a 2-491 a 1
- Iosue idem est quod Osee. 55 a 1
- Iovis quædam statua triocularis. 535 d 2
- Ira cur vocetur ignis. 470 a 1
- Ira Dei quam sit æstivans. 392 b 1
- Ipsæ iræ suæ dominus est, homo servus. 389 b 2
- Dies iræ est dies iudicii, cur. 469 c 1
- Ira quomodo hominem dementet. 185 a 2
- Rubigini æquiparatur. 185 a 1
- Quædam velut insania est. 192 b 2
- Iræ Dei evidens signum est, cum ipse rempubl. vel animam cuiusque deserit. 267 a 1
- Ira Dei in peccatorem duplex est. 382 a 2
- Iurato occidit sol mentis et rationis. 673 a 1
- Iris an hauriat et bibat aquas e mari. 248 d 1
- Isaac fuit figura Christi Iesu, etiam in quantum medius fuit inter Abraham et Iacob. 443 c 1
- Isaias (an) in visione audivit terræ motum, quem Amos indicat. 217 d 1
- Quare nudus et discalceatus per Ierusalem inceserit. 59 a 2-332 a 2
- Quando ediderit oraculum de Christo nascituro. 359 d 2
- Isidorus (S.) Hispanensis labore longo doctrinam sibi paravit. 271 a 1
- Ismael quare a domo Abrabæ pulsus sit. 224 b 1
- Israel vox unde deducatur. 162 c 1
- Israel peculiaris populus Dei erat. 150 a 1-232 a 1
- Ex Ægypto vocatus, fuit figura Christi pueri inde redeuntis. 150 d 1
- Erat typus fidelium. 206 b 2
- Israel et Iuda distinguuntur post schisma Ieroboam, usque ad captivitatem Babylonicam. 32 a 2
- Post eam pro eodem sumuntur, et Israelis nomen ad solas duas Tribus transit. 32 a 2-227 c 2
- Israel cur vocetur decem Tribus. 17 a 2
- Eorum regnum a Deo accisum fuit. 63 c 2-64 a 2
- Nunquam omnes ex Assyria redierunt, nisi perpauci misti Iudæis. 287 b 2
- Quomodo comparentur matulæ. 130 d 2
- Et onagro solitario. 131 d 1
- Quomodo Tyro urbi. 137 a 2
- Et vecordi columbæ. 123 b 2 et seqq.
- A Ieroboam desciscendo, et Ieroboam creando peccarunt contra ius divinum. 128 b 2 et seqq.
- Cur a Prophetis Chanaan vocentur. 163 a 2
- Cur vocentur non populus Dei. 67 c 2
- Eorum quæ sit nuditas. 74 c 1
- Arbori prius frondosæ, at postea exarescenti comparantur. 138 c 2
- Item viti nullas proferenti uvas. 139 b 1 et seqq.
- Eorum excidium denotatur per adulteram quam Osee iubetur diligere. 86 c 1
- Eas cur Deus minetur cædendas in valle Iezrahel. 63 c 2 et seqq.
- A primo rege Ieroboam ad usque ultimum Osee coluere idola. 65 d 1
- Non tantum per vitulos Bersabee iurabant, sed et per viam qua ad eos ibatur. 279 a 1
- Ereverunt templum simile Hierosolymitano. 279 b 2 et seqq.
- Petentes a Samuele regem, simul ab eo petierunt iudices. 169 a 2
- Quando salvati, et qui. 67 b 1
- Factum id sub Christo, et ab Apostolis, et in fine mundi fiet. 67 c 1
- Non pauci pii Ieroboami idololatriam fugientes, ex Samaria fugientes in Iudæam sedem fixerunt. 66 c 1
- Multi quoque Deo vero Israel sacrificabant, sed imperfectæ. 134 a 1
- Quando eorum multi ad Deum redierint, relicta idololatria. 156 a 2
- Nullum iustum et pauperem vendidisse leguntur, nisi tempore Christi. 227 c 2
- Vere Israelitæ qui sicut. 206 b 2
- Vide* Hebræi, Iudæi.
- Isthmus est terra angusta inter duo freta. 301 d 2
- Italiae urbium primariorum elogia. 334 c 1 et seqq.
- Itinera æternitatis Dei quæ sint ad litteram. 449 c 2
- Sunt itinera temporis, puta præteritum, præsens et futurum quæ sub æternitate decurrunt. 450 c 1
- Mystice autem misericordia et veritas. 450 b 2
- Iubilæum primum Christus resurgens animabus in Purgatorio dedit. 173 b 1
- Iuda vocatur interdum tota gens Iudaica complectens tres Tribus, et alios ex aliis. 589 d 2
- Iudæa cur dicatur terra desiderabilis. 567 d 2-667 a 2
- Quomodo facta in stuporem omnibus. 567 d 2
- Eius fines. 196 b 1 et seqq.-261 d 1-263 b 2-360 c 1-383 a 2-578 d 1-591 d 2-593 b 1-625 d 2-626 a 2-604 b 1
- Eius longitudo. 256 d 1
- Respectu Babyloniæ Australis est. 301 a 1-301 c 2
- In ea cur Deus semper censeretur esse. 307 d 2
- Olim fertilissima, hodie lapidosa et sterilis est. 270 d 1
- Cur dicatur terra sancta. 527 d 2
- Eius felicitas et fertilitas tota peudebat ab imbre matutino et serotino. 630 b 1
- Longior duplo est quam lata. 630 c 1
- In eam quomodo Deus fuerit austerus simul et clemens. 573 a 2
- Iudæus aliquando mystice capitur pro fidei et Christiano. 572 b 1
- Iudæi frumentum triturratum cribabant. 286 c 1
- In festis convivia albatu celebrabant. 258 b 2

- Erant in imaginum adorationem propensissimi. 89 a 1 et seqq.  
 Tubis populum convocabant. 194 c 1  
 Cur non vescerentur sanguine. 93 b 1  
 Quaecumque dura, in salum mare demergebant. 385 e 1  
 Solebant in blasphemiam et luctu vestes scindere. 192 d 1  
 Etiam in vallibus habebant lucos et idola. 370 a 2  
 Erant immisericordes in proximos, ac propensi ad oblationes externas. 112 c 2  
 Post dedicationem tabernaculi et consecrationem Aaronis, raro obtulere sacrificium solemne in deserto. 252 b 1  
 Ibi promiores fuere in murmur, et ad idola quæ in Ægypto coluerant, redire. ibidem  
 Eorum cum filibus Moab fornicatio. 372 b 2 et seqq.  
 In lectulis convivaturi iacebant. 229 a 1  
 Sub gravi onere legis pressi magnis votis Christi civitatem requirebant. 367 b 1  
 Quomodo sanguinem sanguini miscerunt. 94 c 2  
 Eorum salvatores qui fuerint. 303 a 1  
 Quomodo Auster vel ad Austrum sint. 300 d 1  
 Eorum victoria tempore Machabæorum. 300 a 2  
 Christo quasi victori in die Palmarum, ramos olivæ prætulerunt. 177 c 1  
 Multi captivitate Babylonica afflicti resipere. 374 d 1 et seqq.  
 Multi per vastationem Iudææ, in alias oras dispersi, sub Cyro et Machabæis redire. 302 c 1  
 Multi quoque fugere in Hispanias. ibidem  
 In Babylone habuere pontificem, legem, iudices, regem, altare, sacerdotes, etc. 89 a 2  
 Christo docenti pauci credere. 67 d 1 et seqq.-179 a 1  
 Post captivitatem Babylonicam ad idola non sunt relapsi. 56 b 2-227 b 2-368 b 1-553 c 1  
 Eorum in excidio Ierusalem per Titum calamitas. 143 b 2  
 Eorum e Babylone per Zorobabel liberatio prædicitur. 343 a 2  
 Eorum perveracia. 223 a 1 et seqq.  
 Idumæis assimilantur. 224 a 1  
 Iudæi Hispani, auditis prodigiis Christi et Apostolorum, misere legatum ad eos, qui aliquos ex iis ad se mitti deprecaret. 302 c 1  
 Eorum excidium per Titum, ob occisum Christum. 64 b 1-188 a 1  
 Eorum multi a Christo in Ecclesiam collecti sunt, in fine mundi vero caso Antichristo omnes salvi fiunt. 91 b 2-350 c 2  
 A Romanis ad stercora exportanda damnati, et stabularii facti sunt: eorum facter. 130 d 2  
 Iudæi contemptores Prophetarum fuerunt typus Iudæorum spernentium Christum; et excidium illorum per Chaldaeos præfiguratur excidium horum per Romanos. 419 d 1  
 Eos per Cyrum e captivitate Babylonica liberandos Nabucæ prædicit. 431 a 1  
 Sibi persuadere non poterant templum ac sanctam civitatem a Deo tradendam impiis Chaldaeis. 419 c 2  
 E Babylone redire quantopere optarent, et aggregari patribus suis in Palestina sepultis. 456 d 1  
 Eorum nequitia tempore Amos. 415 c 1  
 Cum veste peregrina sæpe Gentilium mores et idololatricam assumebant. 463 d 2  
 A Prophetis vocantur Chananæi ob impietatem. 467 a 1  
 Multi in Babylone fixere sedes e captivitate reliqui. 525 a 2  
 Cur eos Prophetæ tam studiose et serio hortentur ut fugiant e Babylone. 525 b 2-526 a 2 et seqq.-553 c 1 et seqq.  
 Qui Iudæi Ierusalem obsederunt et oppugnarunt. 526 b 2  
 Quomodo suis in epitaphiis defunctis apprecarentur. 446 d 2  
 Cur cæteris Gentibus invisi essent. 471 a 1  
 Quando Phisthaam subegerunt. 472 d 2  
 Sæpe in Scriptura vocantur nominibus gentium, quarum mores et cultum imitabantur. 479 a 1  
 Censebant Æthiopes esse ultimos hominum. 482 b 1  
 Eos Christus humilitatem docuit. 483 c 1  
 Ob vana bona terræ a lege Dei recesserunt. 484 c 2  
 LXX annis in captivitate Babylonica mansere, Cyro permittente redire. 487 a 1-489 b 1-555 a 2  
 Duplicem habebant annum et menses. 489 c 1  
 Utebantur mensibus lunariis. ibidem  
 Ex captivitate in Ierusalem redeuntes, constituerunt ducem Zorobabelem. 490 c 2  
 Regnum summum ipsorum post captivitatem mansit penes pontifices. 490 c 2-533 d 1-562 b 2  
 Cur in templo reedificando segnes fuerint. 491 b 1 et seqq.  
 Ipsi templum reedificantibus an dederit Deus opes Gentium. 504 b 2 et seqq.  
 Quam pacifice templi fabricam absolverint. 506 c 1  
 Ipsi promissus fuit Christus. 537 d 2  
 Olim scribebant in membrana oblonga, quam circa cylindrum convolvebant. 550 a 1  
 Eorum impietas duplex, idololatria et occisio Christi. 555 b 1  
 Quando impleverint mensuram impietatis suæ. ibidem  
 Violatæ religionis convicti quas pœnas olim darent. 555 b 2  
 Cur ieiunabant quotannis die decima Iain. 566 b 1  
 Templo restaurato petunt vnum adhuc ieiunare debent. 566 a 2-570 c 2  
 Eorum sanctificatio sita erat in ieiunio et abstinentia. 566 b 2  
 Dum Chaldaeos fugerunt, sparserunt se per Syriam, Persidem, Mediam, Ægyptum. 567 b 2-569 d 1  
 Quando redierunt in Ierusalem. 569 d 1  
 Pauci a Chaldaeis in Iudæa relicti sunt ad colendam terram. 567 c 2  
 Varia eorum ieiunia variis de causis. 570 b 2 et seqq.  
 Post reditum e captivitate restituerunt lapides terminales ab Idumæis destructos. 581 c 2  
 A pastoribus suis decepti fuere. 590 a 2-591 c 2 et seqq.  
 Pugnabant ut plurimum pedites. 450 a 2  
 An sicco pede transierint Bosphorum Thracium. 301 a 1  
 Quomodo voeentur pecora occisionis. 594 d 2  
 Qua occasione a Pompeio subacti fuerint. 601 c 1  
 Eorum mutabilitas. 597 d 2 et seqq.  
 Fuerunt murmurationibus dediti, et eorum propterea punitio. ibidem  
 Apostatantes a Iudaismo visis Machabæorum victoriis redire. 576 b 1  
 Multi eorum Christi in crucem acti commiseratione tacti pectora percussere. 609 d 2  
 Quomodo eius mortem plauerunt. 610 a 2  
 Ipsi qui contribules erant Christi et fratres, eum confixere. 616 a 1  
 Eorum quot millia in excidio Ierusalem occisa et capta. 620 b 1 et seqq.  
 Quot sub Antiocho Epiphane. 620 c 1  
 Multi ei partim metu, partim malitia consenserunt. ibidem  
 E captivitate reduces aquæductus urbis restaurarunt. 625 d 1  
 Unde symbolis et parabolis sua exprimere assueverunt. 629 c 2  
 Qua occasione Heliopoli in Ægypto templum extruxerunt. 630 c 1  
 In eo peccarunt. 630 d 1  
 Cur uxores post captivitatem reiicerent, et alienigenas contra legem ducerent. 651 d 2  
 Ipsos ut peculum suum elegit Deus. 652 a 1  
 Deo teste nuptias contraherent. 653 b 2  
 Cum Grecis continuo ipsis negotium fuit post reditum e captivitate. 580 a 2  
 Vide Hebraei, Israelitæ.  
 Iudæorum hodiernorum servitus et miseria. 89 a 2  
 Toti usuris inhiant. 41 c 2  
 Carent iam rege, rep. sacerdotio et altari ob occisum Christum, et non ob idololatricam. 89 a 2-552 c 2  
 Etiamnum existimant Deum tantum apud se habitare. 154 a 2  
 Sunt dolosi in stateris. 163 b 2  
 Et hoc nomine sæpe a Prophetis suggillati. 376 b 2  
 Christum ubi que deprimere conantur. 358 b 2  
 Eorum in Christianos odium. 224 a 1  
 Eorum permulti in Ægyptum fugerunt. 132 d 1  
 Eorum pauci in Hispania ad Christum fuere conversi. 302 c 1  
 Expectant summum Messiam, qui deleat Romanos, et alias gentes Iudæis et sibi subigant. 211 a 1-293 a 1-457 b 1  
 Eumque potentem et magnificentem. 576 c 2-619 a 1 et seqq.  
 A Romanis e cloacis et sepulcris sunt ad necem extracti in excidio urbis. 467 a 2  
 Quomodo plangent urbis et regni sui eversionem. 470 a 1  
 Probrorsa eorum nomina. 485 a 1 et seqq.  
 Nugis et fabulis scatent. 485 b 1  
 Aiant tertium templum a suo Messia erigendum, et ipsum gloriosius Salomonico. 503 c 1 et seqq.  
 Quæ ab eo portenta expectent. 592 a 2

- Sæpe templum conati sunt reedificare post Christum. 504 d 1 et seqq.-552 c 2
- Sunt quasi torris erutus de igne. 531 b 2
- Lucernis sua festa et sabbata celebrant. 541 a 1
- Christo et Christianismo adversantes montibus magnis assimilantur. 542 c 2
- Sunt in totius mundi oculis. 554 a 1
- Nec cælum eos recipit, nec terra. 556 c 1
- Antichristo adhærebunt quasi idolo impietatis. 556 d 1 et seqq.-557 b 1
- In fine mundi ad Christum convertentur. 556 a 2 et seqq.-591 d 2
- Eorum cognationes iam obscuræ sunt. 601 c 1 et seqq.
- Eorum blasphemiam de lacrymis Dei ob reiectum populum suum. 656 b 2
- Eorum Messias refutatur. 659 c 1 et seqq.
- Erit is Antichristus. ibidem
- Putant Eliam fore præcursorem primi adventus Messias. 676 d 2
- Eum avide expectant. 677 b 1
- Cur ei in circumcissione sellam ponant. ibidem
- Hi qui Christo credidere, in excidio urbis tam animam quam corpore servati sunt. 601 d 1
- Paucissimi horum Christo credidere. 618 a 1
- Iudæa tribus in Dei cultu permansit. 158 b 1 et seqq.
- Cur acrius castigari meruerit, quam Israel. 63 a 2
- Eius cur Deus sit misertus. 65 d 1
- Israele in captivitatem abducto, ut proximus hæres, eius terram occupare poterat. 106 a 2
- Iudas Patriarcha primus post Moysen mare Rubrum ingressus dicitur. 158 a 2 et seqq.
- Iudæa proditoris Christum inimicis vendentis ingratitude. 599 c 1
- Cur argenteos in templo proiecerit. 600 b 1
- Iudas Machabæus Idumæos ad circumcissionem compulit. 299 d 1
- Ante prælium semper opem Dei invocabat. 591 b 2-607 b 1
- Quas opes ex spoliis Græcorum collegerit. 629 a 1
- Unde dictus: a Ieremia aureum gladium accepit missum a Deo. 591 b 2
- Iudas Galilæus fuit stultus populi pastor. 602 b 1
- Iudicant homines pro affectu, et quod virtutis est, vitio: quod vitii est, virtuti deprecant. 661 c 2
- Iudicare* sæpe in Scriptura idem est quod vindicare. 303 a 1
- Interdum idem quod accusare. 73 b 2
- Iudices pauperes opprimentes suggillantur. 228 c 2
- Ædificant Sion in sanguinibus. 348 a 2
- Iudices homicidas puniendo, quantum boni præsent. 213 d 2
- Iudicis partes sunt tueri iustos et institiam, ac punire iniustos eorumque iniurias. 84 b 2-389 d 1
- Iudices rapaces lupis assimilantur. 478 b 1
- Iudicium vocantur peccata, item pœna et condemnatio. 483 b 2
- Capitur aliquando pro iustitia, saucitate, debito et officio virtutis. 246 b 2-373 d 2 et seqq.
- Iudicium quando et quomodo assequatur suum finem. 416 c 2
- Iudicia Dei non sunt scrutanda. 417 a 1
- Iudicium particulare cuiusque peragit Christus vel per se vel Angelos. 610 c 1
- In eo quisque animæ suæ causam agat. 370 d 2 et seqq.
- Iudicium vocare ad ignem* quid sit. 266 d 2
- Iudicium senum est in frigore. 36 b 1
- Iudici diem quæ signa præcessura sint. 201 a 1
- Cur is sit dies magnus. 201 c 2
- Dici potest magnus dies Iezrahel. 71 c 2
- Tunc omnes gentes congregabit Deus in vallem Iosaphat et iudicabit. 204 a 2
- De eo loquuntur Prophetæ quasi de die prælii. 209 a 1
- Eius horror. 202 a 1 et seqq.-469 b 1
- Semper hic præ oculis habendus. 202 a 1
- In eo an totus orbis e cardinibus suis convellendus sit. 280 b 2
- Tunc Deus scrutabitur exacte secreta cordium. 467 b 2
- Cur is dies dicatur esse prope. 469 a 1
- Cur vocetur amarus. ibidem
- Erit dies iræ, tribulationis, angustiarum, calamitatis, necessitatis, perditionis, tumultus, tenebrarum, turbationis, tubæ, desolationis, iubilationis, nebulae et procellarum. 469 b 1 et seqq.
- Et tunc impii Christum videbunt in quem confixerunt. 610 b 1
- Ille proprie nec dies, nec nox dicitur, cur; sed vespera. 625 a 1
- Proprie Domini dies est, reliqui hominum. 463 d 1
- Erit is igne duplici successus. 670 c 2
- Cur vocetur dies resurrectionis Christi. 479 d 2
- Ostendet hic Christum esse verum Deum. 480 b 1
- Tunc Christus futurus proprie sol iustitiæ. 671 b 2
- Et descendet in montem Oliveti, ac cum sua maiestate conculiet. 622 d 2
- Tunc is opprimet suos adversarios. 606 c 2
- Tunc impii plangent mortem Christi. 612 c 2
- Tunc Christus et Sancti cingentur igne conflagrationis mundi. 525 a 1
- Tunc Deus omnia regna mundi Christo subiiciet. 508 d 2
- Tunc silebit omnis caro a facie eius. 528 a 2
- Tunc quoque peccatores quasi igne excoquentur. 660 c 2
- Iuge sacrificium quale et quod esset. 643 b 2
- Iugum Christi quomodo grave sit. 573 c 1
- Iugum quomodo super maxillas exaltetur. 152 a 2
- Iugurtha fratres suos regno exclusit. 224 d 1
- Iulia, Augusti filia, Iulianum paternarum fuit æmula. 60 a 2
- Iulianus Apostata sagitta cœlitus ictus periiit. 492 b 2
- Iulii Cæsaris ambitio. 429 a 1
- Eius in bellis celeritas. 420 d 1
- Non ausus fuit Ægyptum facere provinciam. 561 a 2
- A Virgilio vocatur Daphnis. 66 b 2
- Eius statuæ vertici cur stella appingeretur. 253 d 2
- Alexandrum Magnum sibi imitandum proposuerat. 370 b 1
- Iudæis est Idumæus. 293 a 1
- Iulii decima die combustum fuit templum a Chaldæis. 566 a 2-570 b 2
- Nona vero die murus fuit perfractus. 570 b 2
- Iumentum tropologice quid denotet. 445 a 1
- Iuniperus egregiam præstat umbram, suavem vigilantiam, sed gravem dormienti. 178 c 2
- Iuno priscis erat coniugii præses: hinc ei sacrificantes cur fel victimæ divulsam abicerent. 653 d 2
- Iuramentum est actus patriæ. 100 b 2-463 a 1
- Iuramentum execratorium quomodo Hebræi proferrant. 39 a 2
- Iurans sæpe facile peierat. 552 c 1
- Iurare per regem quomodo sit licitum. 463 b 1
- Iurandi consuetudinem cur toties coarguat S. Chrysostomus. 497 b 1
- Iurigo obtinent impudentes, quod iure non possunt. 416 a 2
- Iustus myrto ob varias analogias assimilatur. 518 b 1 et seqq.
- Iusti vita et rectitudo in duobus consistit. 431 c 2
- Iusti omnia quæ aggrediuntur, bene cedunt. 569 a 2
- Soli ambulant in viis Domini rectis. 179 b 1
- Iusti penitentes portant iram Dei. 382 d 2
- Symbolice uvæ et botri vocantur. 378 c 1
- Ipsis datur Spiritus sanctus in propria persona. 68 d 2 et seqq.
- Quæ rei huius moralis sit ratio. 69 b 1
- Iude* Sancti.
- Iustificatio (in) SS. Trinitatem substantialiter recipimus. 68 a 2
- Quid inde boni consequamur. 68 c 1 et seqq.
- Iustificatio impii maius Dei opus est, quam cali terræque creatio. 386 b 1
- Iustificationis exordium in adultis a Dei præveniente gratia capitur. 666 b 1
- In iustificatione peccator ater dealbatur. 482 b 2
- Iustinianus Imp. pretiosissimam mensam templo S. Sophiae dono dedit. 640 d 2
- Iustitia et scelerum vindicta quam Deo chara, curæ et honori sit. 463 b 2-562 b 1
- Iustitia divina quomodo in Iudæos sævierit. 563 d 2
- Iustitia subinde capitur pro munditie. 671 d 1
- Iustitia finis iudicii est. 416 c 2
- Iustitia, per quam iustificamur, multa complectitur. 68 c 2 et seqq.
- Iustitia triplicem patitur significationem. 372 d 2
- Capitur interdum pro iustificatione. 84 a 2
- Interdum pro misericordia. 146 b 2
- Cum iustitia et iudicium iunguntur in Scriptura significat duo officia iusti iudicis. 146 c 1 et seqq.
- Iuvenibus cur visiones dandæ dicantur, non senibus. 200 c 1

## K

- Καμυχα* vitium sunt pampini et palmites, vel fasciculus sarmentorum vitis. 139 c 2  
Kosachi vino adusto cur se ante praelium impleant. 592 b 1

## L

- Labia cur statim gaudium ac mœror occupet. 456 a 2  
Labinum unum electum quomodo attulerit Christus suo in orbem adventu. 480 b 1  
Labinum electum quod sit. 481 a 1  
Labor in Script. vocatur omne peccatum, et maxime vis et iniuria, cur. 416 c 1  
Labores quos nostri causa Christus suscepit. 183 d 2 et seqq.  
Labores catenati qui sint. 183 d 2  
Laborandum hic, ut postea accipiamus præmium. 147 a 1  
Lacedæmonii cur essent fortes in bello. 60 c 1  
Et in eo uterentur vestibus rubris. 560 a 1  
Eorum unanimitas civitati pro muro fuit. 480 d 2  
Lachis urbs Iuda, adventante Sennacherib, misit legatos cum muneribus ad Geth urbem Philistiim. 336 a 1  
Primo invasa est a Sennacherib, cultum idolorum prima suscepit. ibidem  
Lacouis cuiusdam adolescentis generositas. 131 b 1  
Lacrymis compunctionis et pœnitentiæ crescit iustus. 518 c 1  
Lactare quid proprie sit, et unde derivetur. 77 d 1  
Lacum Prophetæ vocant infernum et limbum. 579 b 1  
Lacus mirabilis iuxta Neapolim canem et exanimans et vivificans. 605 b 1  
Læta miscentur tristibus in hac vita. 551 d 1  
Lætitia vehemens hominem sæpe emori facit. 456 a 2  
Laicorum reformatio inchoanda a reformatione sacerdotum. 639 a 2  
Laici coniugati cur præ Monachis lectioni S. Scripturæ vacare debeant. 26 d 1  
Eorum proprie est opes coacervare pro familiæ sustentatione et liberis. 281 d 1  
Lamentatores tibiis canentes funeri adhibebantur olim. 340 a 2  
Lamia piscis fuit qui Ionam devoravit. 313 b 1  
Eius descriptio et magnitudo. ibidem  
Unde dicitur. 313 c 1  
Lamia Aristotelis an alia a vulgari. 313 d 1  
*Λαυραδοχαις* quis ritus apud priscos. 299 b 2  
*Lampas* capitur in candelabro Zachariæ pro vase concavo oleum continente. 539 b 1  
Eius descriptio. ibidem et seqq.  
Lampades cur Deum præcedere dicantur. 517 a 2  
Lampades multæ Romæ in sepulchris Martyrum ad aliquot sæcula arserunt sino olei effusione. 540 c 2  
Lapidatio erat pœna adulterii apud Iudæos. 353 b 2  
Lapilli cur addantur frumento cribrando. 286 d 1  
Lapilli an bene significant plebeios. 286 b 2  
Lapis primarius Ecclesiæ est Christus. 543 b 1  
Lapis titularis et terminalis quis sit. 343 a 1-581 c 2  
Lapis stanneus quis dicatur. 546 a 1  
Lapis primus fabricæ alicuius magna cum solemnitate poni solet. 537 a 1  
*Lapis de pariete clamabit* adagium quid significet. 434 c 2  
Lapis oneris quis dicatur; tales solebant poni in uppidis Iudææ ad exercendas vires. 606 b 1  
Lapis cælatus quomodo vocetur Christus. 536 d 2  
Lapides XII. post transitum Iordanis a Iosue erecti sunt typus XII. Tribuum et Apostolorum. 100 b 1-581 a 2  
Lapides in victoria, triumphi et rei alicuius memoriam solent erigi. 581 a 2  
Lapides viales qui. ibidem et seqq.  
Lapides sancti et separationis quomodo fuerint Apostoli virique Apostolici. 581 c 1 et seqq.  
Lappa est spinosa, flosculum habet aculeis plenum; est triplex; velut intra se germinat. 135 a 1  
Lapsus semper ad maiorem gratiam resurgit. 198 d 1  
Lares domestici erant theraplum. 90 b 2  
Lararium locus erat, in quo lares et Dei domestici colebantur et servabantur. 90 d 2  
Lateranensis basilica constructa a Constantino Magno

- ex palatio Laterano. 269 c 1-403 c 2  
Eius Episcopus proprius est Pontifex; in ea est cathedra eius. 536 c 1  
Eius dignitas. ibidem  
Latina lingua omnes fideles sub Rom. Pontifice Deum et Christum colunt. 481 b 1  
Latrones duo inter quos pendit Christus, an significantur per duo illa animalia, quorum in medio eum cognoscendum ait Propheta. 443 b 1  
Latronum nomine olim vocabantur milites: quid latro significet. 120 b 1  
Latrones Syri quales fuerint, a quibus exagitati Israelitæ. ibidem  
Latus Christi utrumque in cruce perfossum fuit lancea. 614 a 1  
Id an sit fons patens domui David, quem indicat Zacharias. 613 c 2  
Ex eo aperto fluxere omnia sacramenta. ibidem  
Vulnus eius quam patens et vastum fuerit. 613 d 2  
Laudari solent ab orante dotes eius, a quo aliquid petitur. 441 a 1  
Laurentius (S.) Iustinianus fuit atlas Venetiarum. 679 a 2  
Lauretum in Italia integri pagi turmatim confluunt. 571 b 2  
Laurus denotat prudentiam, dicata Apollini. 549 b 2  
Læana leone ferocior est, maxime cum peperit alitque catulos. 108 c 1  
Lebes omnis quomodo sit sanctificatus Domino. 633 b 1  
Lebetes in templo cui rei servient. 632 a 1 et seqq.  
Sunt phialis pauciores et minus sacri. 632 b 1  
Eorum multitudo, quam Zacharias in templo prædicit fore, quomodo ad litteram intelligenda. 632 d 1  
Lectio duplex cum est in textu Hebræo, utraque mysteria admiranda præfert. 419 b 2  
Lectus avari est mammona, superbi honor, gulosi mensa, luxuriosi cubile, accedi torpor et somnus. 237 a 1  
In lectis cœnabant Hebræi. 229 a 1  
Lecti dicti a legendis herbis, e quibus fiebant. 257 b 2  
Lecti plaga quæ dicitur. 236 b 1 et seqq.  
Lectisternia Gentilium quænam essent. 229 b 1  
Legatis olim cur daretur annulus. 509 c 1  
Legiones prætorianæ Davidis unde dictæ Cerethi et Phelethi. 472 c 1  
Quod eorum officium. 472 d 1  
Erant Philisthæi. ibidem  
*Lemma*, id est, assumptio, Septuag. cur vocent onus. 415 a 1  
Leoni (S.) Papæ impositionis manuum culpa quare non sit dimissa. 663 a 1  
Præcipuus antagonista Eutychetis hæretici fuit. 522 d 2  
Leo rugit cum famet et prædam videt, et cum eam capit. 233 d 1  
Ita se infareit, ut ad triduum non esuriat, eius halitus ex ingluvie gravis est. ibidem  
Quartana cur iugiter laborat, et hanc abstinencia superat. 108 d 1  
Leoui comparatur Christus evangelizans per se, et per Apostolos. 156 b 2  
Oculis semper excubat. 547 c 1  
Dilaceratam prædam dividit catulis suis. 406 c 1  
Leonibus tyranni comparantur. 477 d 2  
Leones plurimi in saltibus Iudææ erant. 594 b 2 et seqq.  
Leones quam placidos se S. Sabæ exhibuerint. 628 a 1  
Levi quidam fuit proavus Christi. 612 c 1  
Levi familia cur in Christi morte plangere debuerit. 612 a 2 et seqq.  
Levia verba et opera signum sunt animi levis. 486 b 1  
Levita in tabernaculo excubare dicuntur. 96 d 1  
Levita multi, ad Christum conversi, facti sunt sancti. 662 d 1  
Leucolorum dentes acuti et firmi sunt. 186 a 2  
Eorum animositas. 108 b 2  
Lex Dei vocatur argentum. 502 d 2  
Lex Domini in die iudicii peccatorem coarguet. 468 c 1  
Legem ponunt pii super cor, impii sub corde. 617 a 2  
Leges sunt anima civitatis. 591 b 1  
Lex Mosis est velut pluvia mattutina. 265 b 1-588 b 1  
Ex eius iugo Christus ita nos eduxit, uti e profundo quodam lacu. 579 c 1  
Lex Evangelica est lex ultima, et ea fuita venturum est iudicium. 498 d 2  
Quomodo dicatur perpendicularum. 516 c 1

- Est lex amoris, quietis et concordiae. 350 b 1  
 In ea sunt vere et proprie sacerdotes et sacrificia. 642 d 2  
 Est velut pluvia serotina. 264 c 2 et seqq.  
 In ea omnes sunt pares, sed pauperes tenent primas. 607 d 2  
 Legem perfectam attulit Christus in orbem veniens. 480 b 2  
 In lege naturae Deus nequit dispensare. 57 d 2  
 Lex scripta est commentarius vitae Sanctorum. 132 a 1  
 Lex Dei significatur saepe per *iudicium*. 246 c 2  
 Leges debent esse vincula charitatis. 152 a 1  
 Leges cur tabulis lapideis inscriptae a Mose. 131 d 2  
 Leges tum veteres, tum Christianorum, sunt velut funiculi Adam. 152 a 1  
 Libanus viuum fert praestantissimum: et botri e quibus id exprimitur ingentes sunt. 178 b 1  
 Ipse mons situs in regione calida, frugifera et montosa. 178 c 1  
 Olim cedris abundabat, iam pene iis caret. 270 d 1  
 Capitur interdum pro thure. 178 d 1  
 Erat terminus Iudaeae et initium Gentium versus Aquilonem. 383 a 2 et seqq.  
 Per eum designatur templum aliquando et Ierusalem, cur: unde dictus. 436 d 2  
 E libano ligna succidit pro templo Salomon, et Zorobabel, et Iudaei pro eiusdem restauratione. 494 a 2  
 Libatio erat oblatio libaminis, puta vini et olei quo sacrificia condebantur. 133 b 2-187 c 1  
 Libella cur utantur architecti. 521 d 1  
 Liber significat Dei mentem, voluntatem et decretum. 551 a 1 et seqq.  
 Liber memoriae Dei est liber vitae et caeli. 668 c 2  
 Liber memoriae Summi Pontificis quis sit. 669 b 1  
 Libri multi sacri et profani periere. 285 d 2  
 Libros veteres aestimabant numero versuum, non capitulum. 39 d 1  
 Liberalibus dat Deus opes ad exercitationem humanitatis. 503 a 1  
 Liberalitas de inimicis amicos facit. 596 d 2  
 Liberalitate suorum non vincitur Deus. 667 a 1  
 Liberatio Iudaeorum e Babylone fuit typus liberationis hominum per Christum e servitute peccati, diaboli, et inferni. 414 a 2  
 Quando illa facta sit. 442 c 1  
 Liberatores varii Israelis Christi fuere typi. 414 a 2  
 Libertas corripendi in sacerdotibus requiritur. 649 d 1  
 Libertas est vita moralis et civilis. 110 a 2  
 Libidinis quomodo peccandi viam Deus obstruat. 75 d 1  
 Libido non exstinguitur ipso actu venereo. 120 c 2  
 Est poena superbiae. 104 d 2  
 Mater est idololatriae aequae ac haeresis. 144 b 1  
 Erucæ assimilatur. 185 a 1  
 Homini etiam sapienti mentem eripit. 96 b 2  
 Licentiosa vita monasteriorum quomodo a Deo puniatur. 275 b 1  
 Ligna Setim erant imputribilia; unde sic dicta. 212 c 1  
 Libo assimilatur fidelis ob septem analogias. 176 d 1  
 Illius proprietates describuntur. ibidem et seqq.  
 Limbus cur vocetur lacus sine aqua. 579 b 1  
 Lingua una et sermo fuit in statu innocentiae. 480 d 2  
 Lingua Assyria et Chaldaica vicinae sunt. 222 c 2  
 Linguae continentia dicanda est Deo, eaque frano representatur. 631 c 2  
 Linigeri cur dicti sacerdotes Aegypti sint. 462 d 1  
 Liptote quae figura Rhetorices sit. 339 a 1  
 Latanas septemplex Romae in inquinaria lue indixit S. Gregorius Papa. 194 c 1-321 a 1  
 Earum usus priscus astruitur. 194 c 1  
 Lituanas Maiores sanxit Concilium Moguntinum. 194 d 1  
 Loca aliquot Scripturae, in quibus Septuaginta versio plane a Vulgata differt. 418 d 2 et seqq.  
 Locuples vox unde derivetur. 281 a 1  
 Locustarum exercitus. 183 b 2  
 Aegyptus erant hieroglyphicis famis: eas multi Sancti precibus suis abegerunt. ibidem  
 Saepe praenuuntiant hostium adventum et bellorum stragem. ibidem et seqq.  
 An nascantur ex eruca. 185 b 1  
 Comparantur equis et equitibus. 185 d 2-190 b 2  
 Nihil eis inivium. 191 b 1  
 Earum acies. 191 a 2  
 Arrodunt plerumque cortices arborum. 186 c 1  
 Locusta locustarum, est soboles locustae, scilicet atelabus. 412 a 2  
 Locutio Angelorum quomodo fiat. 610 d 2  
 Locutio Dei ad animam quomodo fiat. 34 c 2  
 Longi, amentes sunt, breviores, ingeniosiores. 292 a 2  
 Longius an sit is miles qui lancea Christi latus aperuit, eumque Filium Dei esse agnovit. 610 b 2  
 Longitudo iusta debet esse dupla ad latitudinem. 551 b 2  
 Loqui ad cor quid sit Scripturae phrasi. 81 a 1  
 Lora est lota acia. 87 b 2  
 Lucerna in Script. vocatur generis propagatio. 299 b 2  
 Lucerna increata Dei est eius mens, intellectus, perspicacia, scientia. 467 d 2 et seqq.  
 Quae eiusdem lucernae creatae. 468 b 1  
 Ad lucernam quaerere quid sit adagialiter. 467 a 2  
 Lucernas accendunt Iudaei in festis. 54 a 1  
 Lucernas septem laterales habebat candelabrum Zachariae visum. 539 a 1  
 Earum descriptio. 539 d 1 et seqq.  
 Lucerna piscis per noctem relucet. 540 d 2  
 Lucifer est noster tyrannus, eius iacula ignita sunt, eius milites sunt daemones plurimi. 403 b 1  
 Contra eum perpetim in terra pro Ecclesia depugnat S. Michael. 529 c 1  
 Est tentator Summi Pontificis. 529 d 1  
 Invenit superbiam. 185 b 1  
 Ex eo caelis deturbato Gentiles finxerunt Aten a Iove caelo depulsam. 309 a 1  
 Luciferum vel stellam Veneris Hebraei ut vocarint: eam ut reginam caeli coluerunt variae gentes. 253 b 2  
 Cur dicatur Arabibus *Bacham*, Hebraeis *Kium*. 253 c 2  
 Eam cur coluerint Hebraei in deserto. ibidem  
 Quomodo hanc efformaverint. 253 d 2 et seqq.  
 Est symbolum variae fortunae. 254 b 1  
 Lucifer oriens est doctrina Christi. 26 a 1  
 Lucro turpi nemo ditatur: ipsum evitandum Christiano. 332 c 1  
 Est lucranti inutile: ad usum honestos impendi non potest, a templo suo id repellit Deus. 332 d 1  
 Lucrum, Deo duce collectum, prosperatur. 494 a 1  
 Temperatum a Deo venit, excessivum saepe peccatum includit. 502 d 2  
 Lucus unde dicatur, non erat caeduus, et ideo sacer. 368 a 2  
 Eos cur succidi ut superstitiosos Deus iusserit. ibidem  
 Ludovicus (S.) rex Deo se per omnia conformavit. 327 d 2  
 Quid filio suo moriens circa cultum Ecclesiae praecipit. 564 c 2  
 Ludovicus Pius Imp. XI. dies ieiunus transegit Ven. Eucharistiam quotidie sumens. 585 a 2  
 Lugere quando metaphorice dicantur agri. 74 a 2-147 b 1  
 Lumborum concisio sequitur ex cordis deliquio. 405 b 2  
 In lumbis et renibus consistit maxima pars roboris hominis. 405 c 2-400 d 1  
 In confortantur, si stringantur. 400 d 1  
 Lumen Evangelii successit post tenebras gentilismi. 624 a 2  
 Lumen propheticum quid proprie sit. 35 a 1  
 Est necessarium, non liberum menti. 35 b 1  
 Luna symbolice quomodo in sanguinem convertatur. 453 d 1 et seqq.  
 Quomodo tropologice. 454 a 1  
 Luna crescente, crescunt animalia. 453 d 2  
 Lupus in fame lupum vorat. 406 c 1  
 Luporum an sit duplex genus. 421 a 1  
 Lupis congeneres sunt hyaenae, lynceae, pantherae, lyciones, thoes. ibidem  
 Generosi, insidiosi, feroces, voracissimi et insatiabiles sunt: unde vox lupus derivetur. 421 b 1  
 Noctu grassantur, et cur. ibidem  
 Eorum oculi lucem noctu eiiculantur: alii etiam mane ad praedam exeunt. 421 c 1  
 Luporum noctu quae sit ferocitas. ibidem  
 Lupi an veneficia pellant. 421 a 2  
 Lusitanis accepta ferenda conversio Orientalium. 301 d 2  
 Lutheri dogmata, merae insaniae sunt. 235 a 2  
 Eius inscitia probantis imagines esse vetitas. 89 d 2  
 Luti nomine cur vocetur ceroma athletarum. 433 d 2  
 Ope sunt lutum deustum. ibidem  
 Lux ex oleo quasi filius nascitur, lactatur et nutritur. 549 a 1

Lux perpetuæ gloriæ, et renovationis mundi futura  
post d. em iudicij. 624 d 2  
Lux symbolum prosperitatis, iucunditatis, felicitatis  
et gaudi. 250 d 2-278 b 2  
Luce cælesti est opus ad Prophetas intelligendos. 26 b 1  
Luxuriæ schema basiliscus est. 522 b 2  
Ipsa et avaritia sunt duæ filię diaboli semper insatiabiles. 120 d 2  
Luxuria est pœna arrogantię. 101 d 2  
*Vide* Libido.  
Luxuriosi in factoribus libidinis suæ computrescunt. 188 b 2  
Ipsi et gulosi in die iudicij maxime a Deo iudice exagitantur. 207 d 2  
Luxus provinciarum deprædatione et desolatione punitur. 275 b 1  
Lycanthropi qui sint, et quam noctu saviant. 421 a 2  
Lychnis lapillus, crescente luna, edit sonum modulatum. 453 d 2  
Lydwinia (S.) iugiter in Christi crucifixi vulceribus habitabat. 611 b 1  
Lyra in conviviis convivis tradebatur olim, quam iuxta propinationes resignabatur. 258 d 1  
Lysias, Antiochi dux, qualiter a Deo percussus. 628 c 1  
Lysimachi superbia. 294 d 2

## M

Macedonius negabat Spiritus sancti divinitatem. 242 c 2  
A Concilio Constantinopolitano damnatus est. 522 d 2  
Machabæorum victoriæ prædicuntur a Prophetis. 300 a 2-354 a 1  
Sub iis maxime floruit religio, et fortitudo Iudeorum, et erant legitimi principes. 89 a 2  
Machabæi tres, Judas, Ionathas, Simon intra triginta annos a Deo sublati. 597 a 1  
Restaurarunt et ornarunt templum et urbem Ierusalem. 627 a 1-627 d 2  
Eorum victoriæ significatæ symbolice per fontes. 625 d 2  
Fuere et pontifices et principes populi. 625 d 1  
Quomodo Damascum usque victorias extenderint. 573 a 1  
Equis generosis assimilantur. 589 d 2  
Eorum potestas. 590 b 2  
Robur. 591 b 2  
Pugnabant pedites in equites. 591 c 2  
Eos angeli in præliis adjuverunt. 628 c 2-631 b 1-621 d 2  
In persecutione fugerunt ad montes. 623 b 2  
Viribus et victoriis Davidem superarunt. 608 d 1  
Facti sunt quasi asylum divinum. ibidem  
Quomodo vocentur Iudæi et domus David, cum essent oriundi ex Levi. 589 d 2  
Eorum intentio erat non tantum terminos Iudææ, sed et religionem gentis suæ propagare. 576 c 1  
Machabæorum mater masculum animum habuit. 646 b 2  
Machæra et framea quomodo inter se differant. 617 a 2  
Madianitarum, insequente Gedeone, pavor Madianitides quamdiu Israelæm ad fornicationem et idololatriam pellexerint, et quas pœnas dederint, casi a Josue. 372 b 2-451 c 2  
In Scriptura vocantur Æthiopes, nempe Orientales. 451 c 2-481 b 2  
Magi dæmonem invocant, sed is tandem ab eis animam et corpus extorquet. 337 a 1  
Dæmones familiares habent in annulis. 509 b 2  
Mala suadent et faciunt. 589 a 2  
Magistratus officium quod sit. 590 c 2  
Medico solerti assimilatur. 590 d 2  
Quid meminisse debeat. 591 a 1  
Magistri sententiarum error circa angelorum merita. 370 d 1  
Magna lapsui patent et ruinæ. 279 b 2  
A parvis initiis exordium capiant. 544 c 2  
Magni pleromque timidi sunt. 545 b 1 et seqq.  
Magni esse qui volunt, sese humiliter. ibidem  
*Magnus dies Iezrahel* quis sit Osee. 70 b 2  
Magnos dies quos vocaverint Romani, et quis Mathematicis magnus annus. 70 c 2-201 c 2  
Magnanimi comuuniter statura pusilli sunt. 16 a 1  
Magnanimitas mudana in offensis non condonandis, diabolica est. 154 b 1

Magnanimitas illustris principum et Prælatorum est virtus. 597 b 1  
Magnates quomodo corripiendi. 39 c 2  
*Magnificare* sumitur pro insultare. 297 a 2  
Mahometanorum persecutionem contra Ecclesiam adumbrat equus pallidus Iohann in Apocalypsi visus. 522 c 2  
*Vide* Torca.  
Maiestas Dei quam augusta, sublimis et tremenda. 374 d 1  
Quam illa exacte a nobis serviri velit. 374 c 2  
Mala omnia tum publica, tum privata a Deo infliguntur. 234 b 1  
Nihil proprie malum est nisi peccatum. 234 c 1  
Mala tria quorumlibet peccatorum, iguorantia, concupiscentia et miseria. 188 b 1  
Malum an, Deo dispensante, s it non malum. 57 c 2 et seqq.  
Malum oritur ex singulis defectibus. 507 b 1  
Malachias (S.) Hiberniæ Archiepiscopus in quo Malachias Propheta similis fuerit. 635 d 2  
Hiberniæ pisces restituit. 93 b 2  
Malachias fuit ultimus Prophetarum, nec post eum Iudæi alium usque ad Christum habuere. 498 d 1-634 a 1 et seqq.-635 b 1  
Non fuit Angelus in carne humana. 634 a 1  
Cur vocetur Angelus. 634 b 1-635 b 2  
An sit idem cum Esdra sacerdote. 634 c 1 et seqq.  
Iuvenis obiit. 634 c 2  
Ira fuit cum aliis concilio Iudæorum collecto ad conficiendum canonem librorum sacrorum. 635 a 1  
Prophetavit sub Dario Hystaspis, et deinceps. 635 b 1  
Item post consumatam fabricam templi. 635 c 1  
Eius argumentum. 635 d 1  
Est sententiis brevis, sed mysteriis fœcundus: novi Testamenti mysteria multa præannuntiat. 635 a 2  
Martyrologio Rom. adscriptus est. 635 d 2  
Malchus philosophus cur dein dictus Porphyrius. 66 c 2  
Malchus (S.) monachus, herum fugiens, intra sepulcrum se addidit. 143 c 2  
Maledictionem Hebræi contrario nomine vocant benedictionem. 39 a 2-242 b 1  
Maledicere (quomodo) benedictionibus nostris Deus. 648 b 1  
Maledicere Dei est malefacere. 648 b 1-454 d 2-551 b 2  
Maledicere interdum capitur pro supplicia inferre. 551 b 2  
Quomodo improbos in fine mundi et in die iudicij Christus maledicturus sit. 679 d 2  
Malitia dici potest statera dolosa. 164 d 1  
Malogranata apte repræsentant sanguinem Christi. 611 d 2  
Sunt symbolum optimatum, item charitatis. ibidem  
Videntur nva pomi. ibidem  
Maniaci quomodo divinent. 36 a 1  
Manichæi cur damnent Osee factum et connubium. 60 c 2  
Matrimonium omne damnabant. ibidem  
Solem adorabant ut Deum, et censebant esse ipsummet Christum, item navim triangulam. 672 a 1  
Manipuli sacerdotalis usus et origo. 195 a 2  
Idem is est cum sudario. ibidem  
Hic moneat sacerdotem devotionis priscorum sacerdotum. ibidem  
Manna (cum) an depluerit ros qui manna tegeret. 176 c 1  
Ei conferuntur cælestia eloquia. 19 b 1  
Mansuetudo facit morum compositionem. 471 d 1  
Maubiæ hostium in templis a principibus consecrantur. 631 a 1  
Manus organum est organorum. 165 c 1-489 d 2-567 b 2-636 b 1  
Capitur pro ore. 567 b 2  
In manibus Christi quomodo fuerit crux et cornua crucis. 448 d 1  
Manum arcu implere quid sit. 580 b 1  
Manum osculari solebant idololatras, si non possent idolum. 167 c 1  
Maus Dei nemo effugere potest. 306 b 2  
Marcella (S.) a S. Hieron. in Bethlehem invitatur. 361 a 1  
Semper mortis meminit. 475 b 2  
Marcion censuit Christum suo ad inferos descensu omnes animas damnatas liberasse. 173 a 1  
Mareus (S.) fuit velut parens Religiosorum. 24 c 2  
Alexandriam ad fidem Christi convertit. 410 b 1  
Mardocheus utrumque templum vidisse potuit. 497 b 2  
Mare Mediterraneum et Mortuum fuere termini Iudææ. 196 b 2-578 d 1  
Mari qui dominatur, dominari potest et terræ. 578 c 1

- Commotiones in mari variæ sub tempus Christi factæ sunt. 500 a 1  
 In mari salso, quomodo dulcis liquor sit. 424 c 2  
 Mare docet orare. 314 a 1  
 Cur quiescat, admissio Iona. 312 b 1 et seqq.  
 Mare Orientale Iudæi vocant mare Mortuum. 196 c 2  
*Mare* in Scriptura significat Occidentem. 156 b 2  
 Unde Hebraice Tharsis dicatur. 307 a 1 et seqq.  
 Maresa fuit urbs subiecta Gethæis. 336 d 1  
 Alius est locus a Morasthi patria Michææ. 328 b 1-336 d 2  
 Maria (S.) mater Dei fons est, ex quo manavit fluvius, irrigans torrentem peccatorum. 212 a 2  
 Passa est martyrium cordis. 160 b 1 et seqq.  
 Quantum orbi boni præstat. 371 a 2  
 Est nobis cynosura. 371 b 2  
 Vocatur pariens et mater antonomastice. 364 d 2  
 Estheri assimilatur, item myrto. 517 d 2 et seqq.  
 Suis clientibus open et consolationem adfert. ibidem  
 Est gratia plena. 518 a 1  
 Est quasi mons virtutum, cæteris Sanctis excelsior. 446 a 2  
 Lampadi comparatur et candelabro. 541 d 2  
 Per eam Sancti omne suum lumen a Christo habent. 542 a 1  
 Ex ea Christus creatus velut germen e terra, irridente rore caelesti. 534 b 2  
 Ipsa infantem ulnis gestans Augusto Imper. visa est. 499 c 1  
 Auctoris ad eam votum. 680 b 2  
 B. Maria in columna celebris Cæsaraugustæ locus. 545 d 1  
 Maria (S.) Ægyptia S. Synaxim secum accepit in eremum vadens. 586 b 1  
 Tot annis passa est tentationes libidinis, quot in ea vixerat. 77 c 1-382 d 2  
 Annos 47 in solitudine pœnitens egit. 386 b 2  
 Maria (S.) Magdalena confertur cum uxore Osee. 61 d 1  
 Post peccatorum remissionem, totam vitam in eremo, in lacrymis et crucifixi amore egit. 78 b 2  
 Ante mortem S. Eucharistiam a S. Maximino accepit. 586 c 1  
 Quomodo facta sit e lebetæ phiala. 632 c 2  
 Maria (S.) Oigniacensis in morbo sola Vener. Eucharistia vivebat. 585 a 2  
 Mariti ob uxoris pollutionem, dolor grandis est. 271 a 2  
 Ius in eam habet, succeditque in locum patris. 84 a 2  
 Maritos suos Hebrææ vocabant *Buali*, id est, Domine mi. 83 b 2  
 Maru (C.) ambitio impotens. 429 a 2  
 Marnas idolum fuit Gazensium, cuius fanum Marnæum celebre fuit, a quo id successum. 575 c 1  
*Maroth* dupliciter sumi potest. 335 d 1  
 Tropologicè gehennam significat. 335 d 2  
 Martialis poeta pater nugarum est. 485 a 2  
 Martinianus (S.) Eremita quomodo ignem concupiscen-  
 tiæ extinxerit. 97 a 1  
 Martinus (S.) quam patienter Brictionem clericum tolerarit. 599 d 1  
 Martyres olim ex unco suspendebantur, et unco lace-  
 rabantur. 272 a 2  
 Tormentis et morti gaudentes insultaverunt. 172 d 2-484 a 2-577 c 1  
 Sunt testes Dei fideles. 158 b 2  
 Quomodo a Christo olim lactarentur. 77 d 2-674 d 1 et seqq.  
 Eorum dignitas, gloria, bonus odor. 159 c 1 et seqq.  
 Sunt Martyres item qui ex charitate morbidis ministrantes emoriuntur. 160 d 2  
 In tormentis semper Deo fisi sunt. 477 c 2  
 Sunt purpurei Christi milites. 402 a 1  
 Mystice designantur per equos rufos Zachariæ visos. 519 b 2-559 d 1  
 Ipsi cur olim Eucharistia daretur. 584 d 2  
 Eorum visa constantia multos spectantium ad martyrium subeundum animavit. 572 a 2  
 Martyres Tyrii quam constanter Martyrium subierint. 574 d 2  
 Martyres in Iudæa occisi representantur per equos rufos alio non egressos. 560 b 1  
 Martyris cuiusdam in corde, Christi crucifixi imago reperta. 611 a 1  
 Martyrium est fructus vineæ Ecclesiæ. 140 b 2  
 Eius varia elogia e sanctis Patribus. 159 c 1 et seqq.  
 Exhortatio ad ipsum. 159 d 2  
 Mascula debebat esse hostia votiva. 646 a 1  
 Talem tropologicè qui offerant. 646 b 1 et seqq.-646 a 2  
 Masculum capitur pro forti, egregio, generoso. 646 b 1  
 Maspha urbs Iuda satis celebris; quæ in ea gesta. 103 a 1  
 An duplex fuerit urbs, una in Iuda, altera in Israel. 103 b 1  
 Massa plumbea in ore amphoræ a Zacharia visæ quomodo concipienda sit, et quid significet 555 d 1 et seqq.  
 Maternus (S.) a morte resuscitatus tot annis postea supervixit, quot diebus in sepulcro iacuit. 318 b 2  
 Mathematici planetarii vera si dicant, casu fit, non arte. 35 c 2  
 Mathesis quætopere Alexandria floreret. 410 c 1  
 Matres regum cur tam studiose Scriptura in libris Regum nominet. 60 c 1  
 Matres cur magis proles ament, quam patres. ibidem  
 Iis proles corpore et moribus sunt similiores quam patribus. 60 a 2  
 Matrimonii (in) vinculo quomodo Deus dispensare possit. 58 c 1  
 Matrimonium Osee cum meretrice honestavit Dei iussio. 59 d 1 et seqq.  
 Matrimonii vinculum sanxit Deus. 654 c 1  
 Matthæus (S.) an in historia venditionis Christi, citet verba Zachariæ, an Ieremiæ. 600 a 2  
 Matula vocatur homo vilissimus. 130 d 2  
 Matulæ obsequium quam vile. 131 b 1  
 Matutinus imber in Iudæa quis sit et quando veniat. 113 b 1-197 c 2-240 b 2-264 c 2-588 a 1  
 Mauritius Imp. maluit in hac vita a Deo puniri, quam in futura. 202 c 1-383 a 1-394 c 2  
 Maxillæ percussio proverbialiter dicitur de gravi ignominia. 355 b 2  
 Super maxillas boum quomodo iugum exaltetur. 152 d 1 et seqq.  
 Mediatores merito vocantur filii Dei. 443 b 1  
 Mediocritatem tota vita sua uos docuit Christus. 443 d 1  
 Meditatio est clavis S. Scripturarum. 26 d 1  
 Medium sæpe capitur pro summo. 442 a 1  
 An aliquando pro optimo. 442 b 1  
 Medium est extremorum centrum, unio, finis, perfectio. 442 a 2  
 Medium locum Christus semper elegit nascens, vivens, moriens. 443 b 1  
 Medius filius erat Ethnicis fidei præses. 654 a 1  
*Μεθυρα* proprie appellatur subrisio. 249 a 1  
 Melanaetos aquilæ species in petris nidificat. 294 b 1  
 Invidia expers non clangit. 127 a 2  
 Melancholici tristitia suspicantur. 342 d 2  
 Melania Romana in totum orbem benefica fuit. 115 d 2  
 Melchom erat idolum Ammonitarum. 226 a 1  
 Melitenses multas habent voces mutuatas ab Arabicis et Syris. 301 b 1  
 Meminisse Dei summa benedictio est. 515 b 2  
 Memoria non est in Deo, sed visio. 668 d 2  
 Memoriam æternam ambiunt omnes. 30 a 2  
 Memphis urbs Ægypti fuit ab alia parte Nili Cairo opposita. 134 d 2  
 Eius magnitudo. 319 c 1  
 Mendacium triplex est, mentis, oris et operis. 119 d 1  
 Mendacium fructum comedit omnis peccator. 148 a 1  
 In Script. sæpe significat quodlibet peccatum. 478 b 2  
 Mendici Dei sumus quotquot sumus. 375 a 1  
 Menelai Pontificis Iudaici scelera. 602 a 1  
 Mens post communionem cum Deo unienda. 584 b 2  
 Mens fixa in Deo fit immutabilis. 665 b 2  
 Mens fidelis mystice lebes est. 632 b 2  
 Mens in cognitione utitur phantasmatibus. 34 a 2  
 In ea Deus loquitur per se, in phantasia per Angelos. 34 c 2  
 Suas habet aures et oculos. 329 b 1  
 Mentis solitudo cum corporis solitudine semper coniungenda. 79 c 2  
 Mensam pretiosam Iustinianus Imp. templo S. Sophiæ dedit. 640 d 2  
 Item Ptolemæus Philadelphus templo Hierosolym. ibidem  
 Mensium nomina Hebraica videntur esse Chaldaica. 516 c 2  
 Mensis apud Hebræos tripliciter accipitur. 275 c 1  
 Menstruum typus peccati est. 614 c 2  
 Mentiri nunquam fas est. 58 a 1  
 Mentiri quando dicantur fructus. 147 d 2  
 Mercatorum fraudes in vendendo et emendo. 275 d 2-276 b 2-277 a 1



- Vocari possunt Chananæi. 163 a 2  
 An Deo placere possint. 163 c 2  
 Lucri studium temperent. 164 a 1  
 Quantopere lucro inhiant. 275 a 2  
 Eorum mercimonia sæpe incassum cadunt ob neglectum Dei cultum. 494 a 1  
 Mercaturæ lucra cito dilabuntur. 393 a 2  
 Merces capitur subinde pro lucro operæ. 569 b 2  
 Meretricium sordes et factor. 409 a t  
 Tales ducere, ut turpi vitæ finem imponant, sanctum est. 59 b 2  
 Indolem suam proli communicant. 60 b 1  
 Sunt vitulæ lascivientes. 145 c 1  
 Earum in turpitudine perseverantia. ibidem  
 Ex meretricio non ditescunt. 332 c 1  
 Auferunt homini cor. 96 a 2  
 Amasios etiam plangendo detinent. 333 c 1  
 Meretrices etiam viri dici possunt ob abusum libidinis. 99 b 2  
 Olim primitias lucris Veneri consecrabant. 332 a 1  
 His dabantur deorum donaria. ibidem  
 Sunt dæmonum matulæ. 131 a 1  
 Mesa, rex Moab, qua occasione immolarit suis manibus proprium filium, non regis Edom. 226 b 1  
 Messalina Claudii Imp. uxor fuit infamis. 59 a 1  
 Messias Iudæorum refutatur. 287 b 2-368 d 2-619 a 1  
 Eum mutationem quandam miram in frumento facturum agnoscunt Rabbinæ. 177 d 2  
 Eius lex et ætas in Scriptura vocatur novissima. 198 d 2  
 Moriturus probatur, ideoque ab Hebræis vocatur filius caducus. 287 b 2  
 Eum venisse contra Iudæos vincitur. 503 c 1-504 c 1  
 Hi qualem eum expectent, et quando. 457 b 1-577 a 1  
 Messem parvam inferunt in horrea qui Dei cultum negligunt. 493 a 2  
 Metalepsis crebra Prophetis æque ac Poetis. 29 b 1  
 Methodius martyr an sit auctor libri prophetici, qui eius nomine circumfertur. 38 d 2  
 Metonymia crebra Prophetis æque ac Poetis. 28 d 2  
 Metus pallorem membris inducit et linguæ silentium. 295 d 2  
 Levis pallorem, gravis nigrorem. 190 c 2  
 Micha idolum crexit in urbe Dan. 144 a 1  
 Michæas Propheta suppar est Isaïæ, et ad verbum idem subinde cum eo dicit. 29 a 2-329 b 1-348 b 1 et seqq.  
 Quando cœperit prophetare, et quid prophetet. 40 d 2-328 a 1-329 a 1  
 Michææ fuere duo. 328 a 1  
 Propheta fuit Morasthites. 328 b 1  
 Eius sepulcrum fuit in Morasthi. ibidem  
 Fuit ex Tribu Iuda. 328 c 1  
 Martyr occubuit, et martyrologio ascriptus est: eius corpus sub Theodosio seniore repertum. 328 a 2  
 Eius argumentum. 328 b 2  
 Nominis eius etymon. 329 a 1  
 Eius erga populum suum zelus. 325 b 1-342 c 2  
 Concisus est et plenus affectibus. 343 a 1  
 An nudus et spoliatus incesserit, et quare. 332 a 2  
 Qua ratione se filiis novi Testamenti annumeret. 350 d 1  
 In se repræsentavit parvitatem et magnitudinem Bethlehemem, et Christi nati in Bethlehemem. 358 a 2  
 Quando ediderit oraculum de Christo in Bethlehem nascituro. 359 d 2  
 Idque post vastationem per Assyrios. 356 d 1  
 Michael (S) Luciferum principem dæmonum habet antagonistam. 529 c 1 et seqq.  
 Tuetur et custodit Summum Pontificem. 529 d 1  
 Est defensor Iesu Pontificis. 531 a 1  
 Cur vocetur Deus. ibidem  
 Fuit Angelus stans inter myrteta, et cur ibi steterit. 519 c 2  
 Cum suis Archangelis est præses Synagogæ. 529 b 1  
 Miles Christi omnes sensus et animæ potentias in aciem educere debet. 302 d 2  
 Milites olim dicebantur latrones, et unde. 120 b 1  
 Eos diversimode Romani exercebant. 302 b 2  
 Romani et Græci olim coccineis vestiebantur. 401 c 2  
 Et omnes suas opes ponebant in adornandis equis et armis. 63 t b 1  
 Militia cæli cur vocentur astra. 462 c 2  
 Eam Iudæi astricolæ in domorum tectis cur adorarent. 462 c 2  
 Mille anni in oculis Dei velut dies unus. 110 c 2  
 Millenarii putabant post diem iudicii sanctos in terram cum Christo victuros in omnibus deliciis per mille annos. 211 a 1  
 Milo Crotoniates in certaminibus invictus fuisse perhibetur, quod alectoris gemma uteretur. 159 a 2  
 Minæ et pœnæ præsentis non nisi stilla sunt, cum pœnis inferni collata. 271 b 1  
 Minæ Prophetarum comparantur rugitui leonis, retiacupis et clangori tubæ. 233 c 2  
 Miucha significat proprie sacrificium farreum ex farina vel pane. 642 b 2  
 Est typus Eucharistiæ. 643 b 2  
 Ei thus imponebatur. 643 c 1  
 Sal, oleum et thus cum eo adolebantur. 643 b 2  
 Minerva dea sapientiæ, fingitur a Poetis et Gentilibus, oleæ inventrix. 215 c 1  
 Eius quædam lampas toto anno sine oleo arsit. 540 c 2  
 Minimorum rerum curam an habeat Deus. 428 d 1  
 Hæ non habent Angelos custodes, et alia Dei auxilia. ibidem et seqq.  
 Minimum est numerorum, magnitudinum, elementorum, corporumque omnium basis. 545 a 1 et seqq.  
 Eius paradoxa axiomata. ibidem  
 Ministrantes morbidis, et in eo ministerio emorientes, Ecclesia Martyribus annumerat. 160 b 2  
 Minores fratres unde sic nominati. 15 a 1  
 Minos legislator novennio cum Iove agens, est noster Moses diu in Sina cum Deo colloquens. 309 a 1  
 Miraculis (sine) gentes non tenebantur credere Apostolis prædicantibus. 321 b 2  
 Miraculum devorationis et eiectionis Ionæ, propter Nivitas factum est. 313 b 2  
 Quatuor miracula contigerunt Ionæ in ceto concluso. ibidem  
 Quenam in Eucharistia peragantur. 383 c 2  
 Miracula quotidiano usu talia videri desinunt. 584 c 1  
 Misericordia significat opera charitatis, aliarumque virtutum indebita. 114 c 2  
 Est virtus divina, et propria Deo. 114 d 2  
 Pluris est eam facere, quam templa condere. 115 a 1  
 Cur præstet sacrificio. 114 a 2 et seqq.  
 Ea cessante, cessat opum proventus, et agrorum. 92 b 1 et seqq.  
 In Script. sæpe capitur pro sanctitate et iustitia. 146 c 1  
 Ipsa propria Sanctorum virtus. 146 b 1-259 a 1  
 Misericordia in Deo est non qua passio, sed in hominibus virtus et passio est. 65 d 1  
 Misericordia et veritas sunt itinera æternitatis et æterni Dei. 450 b 2  
 Misericordia Dei in peccatores, est eius vindicta quam de iis sumit. 480 d 1  
 Misericors in pauperes est sapiens. 114 d 2 et seqq.  
 Deo fœnerat. ibidem  
 Misericors est Deus in peccatores. 192 a 2 et seqq.  
 Missa (in) cur olim omnes præsentis communicare voluerit Anacletus Papa. 585 a 1  
 Mithridatis in Romanos crudelitas et mors. 221 d 2  
 Mitibus tropologicè oritur sol. 673 a t  
 Moabitæ quando Idumæos invaserint. 296 c 1  
 Eorum restaurationem quomodo promittat Deus. 287 d 2  
 Cur regis Idumæorum mortui et sepulti ossa effoderint. 227 a 1  
 Quando id factum sit, non constat. ibidem  
 Eos quando Iudæi diripuerint. 473 b 2  
 Quando hi ad Dei veri cultum compulsi. 473 c 2  
 Symbolum sunt blasphemorum. 471 d 2  
 Modestia per nigrum colorem denotatur. 560 c 2  
 Modicum omne sæculum est in oculis Dei. 498 b 2  
 Modios 48 hordei ad annum victum Romani assignabant servis et aliis. 88 c 2  
 Modius Italicus duplus est ad Hispanicum. 276 a 1  
 Mœchari nunquam licet. 58 a 1  
 Mœror caliginem oculis æque ac menti inducit. 278 b 1  
 Conscientia mala parit mœrorem. 309 a 2  
 Mola pura est sacrificium farreum, vel farina qua victimæ immolandæ caput aspergebatur. 642 c 2  
 Mola salsa quæ diceretur. 643 c 2

- Moloch erat Deus Ammonitarum, summus deorum.** 226 a 1  
**Eum Hebraei in deserto coluere una cum Beelphegor.** 252 b 2  
**Et eum in tabernaculo secum circumferebant.** 252 c 2  
**Non idem est cum Remphan, sed cum sole.** 254 a 1  
**Monachi cuiusdam Eleemonis misericordia.** 115 c 2  
**Alius quomodo libidinis tentationem vicerit.** 131 b 1  
**Monachi solitudinem colant.** 80 b 2 et seqq.  
**Monarchiæ IV. an designatæ per erucas, locustas, bruchos et rubiginem.** 184 d 1  
**Depingi eæ solent per IV bestias et quadrigas.** 184 d 1-560 b 2  
**Monarchia Assyriorum et Chaldæorum per equos rufos significatur.** 559 d 2  
**Monarchiæ Persicæ anni supputantur.** 566 a 1  
**Monasteriis maxime dæmon insidiatur.** 100 c 1  
**Monetæ corrosos quomodo castigantur.** 555 a 2  
**Monicæ (S.) post sacram communionem ardor.** 586 a 1  
**Monitor vitiorum, est Angelus.** 636 b 1  
**Quomodo is monere debeat.** ibidem et seqq.  
**Monopolas frumenti acriter insectatur S. Ambrosius.** 276 d 1  
**Eos principes plectant.** 275 d 2  
**Eorum merces sæpe, Deo permittente, depereunt.** ibidem et seqq.  
**Mons Sion quomodo dicatur sanctus.** 299 b 1  
**Montium fissuræ sunt extrema montium.** 315 a 2  
**Sunt quasi fundamenta terræ.** 370 a 2  
**Magnæ in rerum natura virtutis nomen obtinent.** 370 b 2  
**Montes quomodo Deus citet, in quibus Israelitæ peccarant.** 369 b 1  
**Montes symbolice notant principes et magistratus.** 369 c 2  
**Mons umbrosus, a quo descendit Christus, typice B. Virginem deorat.** 446 a 2 et seqq.  
**Item Deum Patrem vel cælum.** 446 b 2  
**Mons magnus cur vocentur templi fabricam impedire volentes.** 542 a 2  
**Montes duo erant in Ierusalem, et duo extra eam.** 621 c 1  
**Monstra peccatorum quando parit anima.** 74 b 2  
**Morasthi patria Michææ, viculus in Tribu Iuda, est alius locus a Maresa.** 328 b 1-336 d 2  
**Morbi sæpe peccatorum flagella sunt.** 383 a 1  
**Eorum vi potest quis alienari a sensibus.** 34 a 2  
**Iis item laborant pisces, non tamen pestilentia.** 425 d 2  
**Morborum animi curandorum quæ sit ratio.** 637 a 1  
**Moria mons, sanctus dicitur ob quatuor causas.** 569 a 1  
**Erat ad Septemtrionem Ierusalem, in quo ædificatum erat templum.** 621 c 1  
**Moribundi an divinent.** 35 d 1  
**Mors cur vocetur congregatio.** 93 d 1  
**Mors tyrannorum plerumque cruenta est.** 211 a 1 et seqq.  
**Mors quomodo homines vivos retineat.** 313 b 2  
**Quare vocetur nihil.** 278 c 1 et seqq.  
**Per Adæ peccatum in orbem inducta, omnibus eius posteris dominabatur.** 171 b 2  
**Sed Christus a morte et inferno resurgens, de utrisque triumphavit.** 171 c 2 et seqq.  
**Expugnat etiam validissimos.** 172 b 2  
**Velut uncinus pomorum est, quæ omnes hominis dotes, virtutes et vitia attrahit.** 272 c 2  
**Ei insultant Christiani per Christum.** 172 a 2  
**Eius hieroglyphicum.** 273 d 2  
**In ea sapit quislibet insipiens.** 123 c 1  
**Quædam putredo est.** 456 b 2  
**Morti comparantur ambitiosus et avarus.** 433 d 2  
**Ascendit per fenestras.** 465 b 2  
**In morte an quilibet videant Christum crucifixum.** 610 c 1  
**Mortale peccatum odit Deus odio infinito.** 424 a 1  
**Mortificantes vitia, passiones et membra, plangunt tropolog. Christum crucifixum.** 613 a 1  
**Mortificatio continuum martyrium est.** 159 d 2  
**Ea præmittenda ad orationem accedenti.** 195 c 1  
**Est lebes mystice.** 632 c 2  
**Mortuum tangentes Iudæis immundi erant.** 134 b 1  
**Mortuos exhumare inhumatum est.** 227 b 1  
**Morum imago vivacior quam verborum.** 22 b 1  
**Morus arbor scribitur Græcis per omicron et per ω: est arborum prudentissima.** 270 b 2  
**Moscua urbs quam magna et frequens.** 319 d 2  
**Moses in Æthiopes castra moturus, quomodo a serpentibus illæsus fuerit.** 157 d 1  
**Eos an ad pacem coegerit.** 285 d 2  
**Deum vocantem secutus est.** 308 d 1  
**Æthiopiissam ducens figura fuit Christi carnem nostram assumptis.** 61 b 1  
**Liberans Hebræos, et cædens Pharaonem, typus fuit Cyri liberatoris Iudæorum per cædem Balsasaris, et uterque typus Christi liberatoris fidelium per stragem diaboli.** 455 d 1  
**De Dei promissis cur dubitaret.** 598 a 1  
**Eius posteri non fuerunt sacerdotes.** 649 a 1  
**Moses, Aaron et Maria, an sint tres pastores a Deo succisi.** 597 d 1  
**Moses et Elias an intelligantur per duo illa animalia, in quorum medio cognoscendum Christum ait Propheta.** 444 a 1  
**Ii ambo assistens Christo vocantur filii olei.** 549 a 2  
**Moses Cretensis quomodo Iudæis imposuerit.** 602 b 1  
**Motio Dei catachrestice vocatur legatus.** 293 d 2  
**Mozos, id est, terunda, medicis quadruplex est.** 109 b 2  
**Motus orbium cælestium an recte vocentur itinera æternitatis.** 449 c 2  
**Mugitus et vox boum, per catachresin animalibus aliis, homini, terræ et mari tribuitur.** 653 a 2  
**Mula pariente expugnata est Babylon a Dario Hystaspis.** 525 c 2  
**Muli erant frequentes apud Iudæos.** 188 b 2  
**Mulier inconstans est garrula.** 381 a 1  
**Multæ viros perdidit.** ibidem et seqq.  
**Earum quanta potentia.** 97 a 1  
**Mulier in amphoræ medio cur sedeat apud Zachariam, et quomodo id concipiendum.** 554 c 1  
**Quid hoc significet.** ibidem  
**Quid denotet tropologice.** 554 d 1 et seqq.  
**Mulieres duæ impietatem in Babylonem deferentes quid significet.** 555 c 2 et seqq.  
**Mulier symbolum est infirmitatis et concupiscentiæ.** 554 d 1  
**Est metropolis omnium scelerum: variæ de mulierum improbitate et periculis gnomæ.** ibidem et seqq.  
**Earum, etiam devotarum, fuga suadetur.** 655 a 1  
**Mundana omnia in comparatione Dei nihil sunt.** 439 c 1  
**Mundani censent pietatem vanitatem esse.** 193 d 1-668 a 1  
**Eorum inania studia et contentiones.** 526 b 1  
**In rebus divinis parci sunt, sed in iis quæ spectant pompam aut ventrem, profusi.** 240 a 1  
**Mundare sanguinem significat vindicare eum.** 213 d 2  
**Mundus est domus mendacii, et omnis mundana hæreditas, præsertim inique acquisita.** 336 d 2 et seqq.  
**Est tyrannicus dominus.** 303 c 1  
**Eius mutabilitas.** 320 a 1  
**Omnia eius gloria est stella cadens.** 254 b 1  
**Eius vanitas est instar puncti brevissimi.** 337 d 1  
**Mundi huius fallacis descriptio.** 406 c 2-409 b 1-413 a 1  
**Totus in maligno positus est.** 407 b 1  
**Eius illecebæ blande ingrediuntur, sed misere tandem hominem in interitum demergunt.** 433 c 1  
**Eius opes, pompæ, prosperitates nobis contemendæ sunt.** 417 c 2  
**Ex eo velut e Babylone fugiendum.** 525 d 2  
**Ninive comparantur, quoad pompam, opes, vires, gloriam, vanitates, et excidium.** 413 a 1  
**Est canticum Dei.** 244 a 1  
**Item templum Dei.** 500 b 2  
**Mundus sublunaris vocatur globus elementaris et fasciculus.** 284 d 1 et seqq.  
**Est quasi magnum quoddam animal.** 452 d 2 et seqq.  
**Quandiu durabit ex traditione Hebræorum.** 442 c 1  
**igne conflagrationis peribit.** 677 d 1  
**Munera hamata quæ dicantur.** 427 d 1  
**Murmurandum non est contra Deum punientem.** 264 b 2  
**Murus ædificatus a Tito Ierusalem obsidente ut eam ad extrema redigeret.** 621 b 2  
**Muro (triplici distinctæ erant tres regiones eius versus Septemtrionem.** 465 c 1  
**Musæum Serapium et Isæum fuit Alexandria.** 410 b 1  
**Musca quomodo præstantior sole sit.** 292 a 1  
**Regi assimilatur.** 15 c 2  
**Musicam veteres conviviis adhibuerunt.** 258 b 1  
**Mussul urbs Tigri adiacens an sit Ninive vetus.** 320 a 1  
**Mustum statim hominis cerebrum occupat, et eius vires.** 97 b 1

Mutari cur nequeat Deus.	664 b 2 et seqq.	Ortus fuit ex Eleese viculo Galilææ.	389 b 1
Mutatio officii et loci sæpe homines a suis cupidis amovet.	468 b 2	Eius prophetia contra Niniven comparatur pluvie serotinae, et Ionae pluvie matutinae.	ibidem
Mutatio omnis quaedam et mors.	665 d 1	Nares latas et patulas qui habent, tardi ad iram sunt; qui arctas, cholericus sunt.	192 a 2
Mutationes cordis perversi in melius miraculis potiores sunt.	248 c 1	Naso suspendere quid sit.	29 c 2
Mutatoriae vestes quæ dicantur et sint.	532 a 2	Nasus index iræ et irrisionis.	ibidem
Quid symbolice representent.	532 d 2	Nathan Propheta fabricam templi Davidi ex seipso prædicens erravit.	37 b 2
Maze primi sunt fructus Palaestinae, similes ficibus, sed his longiores.	378 d 2	Nathan quidam fuit e maioribus Christi.	612 d 1
Mycterismus creber apud Prophetas est.	29 c 2	Nativitatem duplicem Christus habet.	362 b 2
Myrtites vitium quas vires habeant.	518 d 1	Natura humana peccato Adæ collapsa vocatur tabernaculum David.	287 b 2
Myrtus ob siccitatem amat loca irrigua.	517 a 2	Est vinculum omnium, et cum omnibus partem habens cum omnibus deliciatur.	443 a 1
Est hilaritatis indicium.	ibidem	Eius in peccato iacentis profunditas mystice per lacum representatur, e quo Christus victos eduxit.	579 c 1
Myrti ramo circumlato olim mos erat convivas ad cantandum excitare.	ibidem	Naves fabricare didicerunt homines a natatu piscis.	425 b 1
In quo iustorum sit symbolum.	ibidem	Navigantes haud procul a periculo absunt.	308 b 1
Ex ea fiebat corona principum.	517 c 2	Nautæ infideles crebro utuntur sortibus.	310 a 2
Symbolum quoque est felicitatis.	517 d 2	Omnes in tempestate qua Ionas iactatus est, quisque suum Deum invocabat.	309 d 1
Ac Beatæ Virginis.	ibidem	Cur miserint sortes dormiente Iona.	309 c 2
Item omnium iustorum.	518 b 1 et seqq.	Quid a Iona perceptati sint.	310 c 1 et seqq.
Crescit iuxta aquas.	518 c 1	Cur timentur timore magno.	311 c 1
Ex eius bacis fit vinum, eius odor.	ibidem	Eorum zelus in eo salvando.	ibidem et seqq.
Fuit Veneri dicata.	ibidem	An ad verum Deum conversi.	312 b 2
Semper viret, eius oleum astringit.	ibidem	Et vota voverunt.	312 c 2
In festis Romani ea tempora cingebant.	518 d 1	Nazaræi crinem suum Deo comburebant.	338 a 2
Ea horti et villæ sepiri solebant.	518 a 2	Eraat Religiosi veteris legis; abstinebant vino, gestabant cæsariem intonsam.	586 d 1
Eius succus quam sit præstans, eius bacis olim pro pipere utebantur: valet ad conciliandos dissidentium animos.	518 a 2	Per comam quam alebant, a vulgo separati, et quasi Deo consecrati erant.	412 d 1
Aliæ eius proprietates traduntur.	ibidem et seqq.	Nebula magnam Dei potentiam et sapientiam ostendit: nebulae mirabilia.	243 c 2
Est brevis vitæ, sed celeris fructus.	518 d 2	Per viam negationis melius ad Dei cognitionem pervenitur, quam per viam affirmationis.	439 a 2
Sacris olim adhibebatur.	ibidem	Nemrod primus orbis rex dominabatur Assyriæ, imperii sedem posuit Babylone: fuit auctor turris Babel.	366 c 1
<b>N</b>			
Naas, rex Ammon, in quo typus sit diaboli.	530 a 1	Neomenia erat Hebraeis prima dies mensis et Kalendæ.	105 b 2
Nabuchodonosor senior, aliter dictus Nabonassar vel Nabopolassar, an evertit Niniven: fuit pater Nabuchodonosoris magni.	396 b 1	Et ita dicebatur ipse mensis.	275 c 1
Nabuchodonosoris iunioris vel magni quatuor in Iudæam expeditiones notantur per eracas, locustas, bruchos, rubiginem.	184 a 2	Nero ex aurea pyxide barbam Iovi Capitolino consecravit.	338 a 2
Tredicim annis Tyrum obsedit.	223 d 2	Eius crudelitas.	221 b 2
Bracho comparatur.	265 d 1	Nesroch templum Ninives in eius excidio solo tenus dirutum est.	403 c 2
Item inferno et morti.	433 d 1	Nestorius ponens duas personas in Christo succisus fuit a Concilio Ephesino.	522 c 2
Ac leoni.	403 b 1	Eius lingua a vermibus corrosa contabuit.	628 d 1
Capta Ierusalem invasit Ammon, Moab, Edom, Tyrum.	225 d 2	Niger vocatur detractor, calumniator.	285 b 2
An Hispaniam subegerit, et eo Iudæos transtulerit.	301 c 2	Quibus nigra est cauda, de his gustari vetabat Pythagoras.	ibidem
Fuit auctor monarchiæ Babylonice translatae ab Assyriis.	398 c 2	Nigris clerici et multi mouachi vestiuntur.	560 c 2
Eius anni subducuntur.	399 c 2	Nigror symbolum est rei contemptæ.	ibidem
Typus fuit diaboli.	422 c 1	Nihilo (in) letatur peccator.	262 c 2
Ob superbiam mutatus in belluam est.	422 b 2	Nihil sine Deo factum est.	ibidem
Est piscator Dei.	427 c 1	Nilus septem ostiis influit in mare: quotannis exundans, oblimat Ægyptum vice pluvie.	277 a 2-630 d 1
Eius insatiabilis rapacitas.	ibidem	Eius incrementa.	277 b 2
Eius exercitus vocatur hamus, sagaena, rete.	427 a 2 et seqq.	Totam Ægyptum evertit.	ibidem
Tres expeditiones in Iudæam fecit.	ibidem	Vocatur turbidus.	263 b 2
Piscatori cur comparetur.	427 d 2	Et niger.	482 c 2
Item ebrio.	433 d 1	Ninive quid sonet, et unde vox dicta.	306 b 1
Ulciscens oppressionem pauperum an fuerit typus Christi.	431 c 1	Quandoque vocatur Nina.	306 b 1-358 d 1
Quando subegerit Æthiopas.	474 b 1	In ea Assyrii monarchiæ sedem fixere: est ad Tigrim sita: a quo condita.	306 b 1
Typus qua in re sit Antichristi.	556 b 2	Eius scelera vindictam clamabant.	306 a 2
Nabuzardan et Nabuchodonosor denotantur per duas mulieres impietatem in Babylonem abripentes.	555 d 2	An in eam a ceto Ionas eiectus: eius distantia a mari.	316 a 2
Naxia etiam per parabolam significatur.	340 d 1	In eam a Iudæa facilis est via.	316 b 2
Nahum Propheta qua occasione contra Niniven prophetet.	387 a 1	Eius magnitudo quanta.	319 a 1-319 d 2
Et quo tempore.	387 b 1	Ipsa iter tridui continens quid mystice representet.	320 a 1
Post Ionam quot annis.	387 c 1	Quomodo collapsa et destructa sit.	ibidem
Quando eius prophetia completa.	387 a 2	Eius subversio a Iona prædicata, fuit conditionata.	321 c 1
Eius ostenta quæ prodantur.	387 c 2	Non est excisa ob primam in scelera recidivam, sed ob aliam posteriorem: quando ab Arbace Medo et Beloso Babylonia subacta: postea refflorescens potentes habuit reges.	387 a 1-398 c 1
Eius nomen Hebraice quid sonet.	388 a 2	Alud ei excidium intantat Nahum.	387 b 1
Misit prophetiam suam ad Ninivitas per Epistolam.	388 b 2		
Vocat eam <i>onus et visionem</i> , cur.	388 b 1		

- Id describitur. 390 d 2  
 Ad id variæ gentes confluerunt. 392 d 2  
 Inundatione Tigris capta et obruta est. 393 a 1  
 Dum convivaretur, oppressa fuit. 395 a 1 et seqq.  
 Quando id contigerit. 387 b 1-398 c 1 et seqq.-474 b 2  
 A quibus excisa sit. 398 c 1 et seqq.  
 An ante, an post excidium Hierosolymæ id factum sit. 399 a 1  
 Expugnata fuit post excidium huius. 399 a 2 et seqq.  
 Sapius rebellans capta est a Medis et Chaldæis re-  
 gibus. 399 c 2  
 Quamdiu a Cyaxare obsessa sit. 398 b 2  
 Eius imperium quot annis steterit. 400 c 1  
 A Deo castigata, quia Israelitis sæpe iniurias irro-  
 gavit. 400 d 2 et seqq.  
 Condita fuit locò humido et paludoso. 404 c 1  
 Eius opes. 404 d 1  
 Erat velut lustrum leonum. 405 c 2  
 Gentes sibi subditas coegit ad idola sua, et eas ven-  
 didit in mancipia. 408 a 1  
 Est imago mundi: perituri et exscindendi. 413 a 1  
 Cur vocetur civitas Ionæ. 477 d 1  
 Ninivita, regem suum imitati, ventri et veneri vaca-  
 bant. 305 b 1  
 Quomodo ad prædicationem Ionæ crediderint in Deum. 321 a 2  
 Indixere ieiunium publicum. 322 c 2  
 Id quadraginta diebus servaverunt. ibidem  
 Hac pœnitentia multi eorum fuere iustificati, et sal-  
 vati quicumque in iustitia persisterunt. 323 b 1  
 Deus iis pœnam condonavit, et culpam. 323 c 1  
 Fuere vere contriti. 323 d 1  
 Dubitant de remissione non culpæ, sed pœnæ, di-  
 centes: *Quis scit si, etc.* 323 d 2  
 Quanta fuerit vis pœnitentiæ eorum. 323 b 2  
 An statim ad prædicationem Ionæ pœnituerint. 324 a 2  
 Sed post ad vomitum redeuntes a Chaldæis excisi  
 sunt. 305 a 2  
 Ninus est Assur, hic ædificavit Niniven. 306 c 1  
 Quot annis ante Abraham vixerit, et quamdiu eius mo-  
 narchia in Ninive steterit. 400 c 1  
 Niobe in lapidem mutata est ob interfectos ab Apolline  
 filios septem et totidem filias. 138 b 1  
 Nisan erat primus mensis anni sacri, et mensis Pa-  
 schalis. 489 c 1  
 Nitocris hortos pensiles in Babylone construxit, eius  
 sepulcrum. 398 d 2  
 Nix cur vocetur visio et apparentia. 588 a 1  
 Nives terram diu obsidentes eam fecundant et dant  
 frugum copiam. 588 b 2  
 Nives vocantur mystice Apostoli et prædicatores. 589 b 1  
 No primo dicta est Alexandria. 409 d 2  
 Nobiles in christianismo non est quod se ignobilibus præ-  
 ferant. 607 d 2  
 Maiora habent impedimenta virtutis exercendæ quam  
 ignobiles. 608 a 1  
 Nobiles Romani et Chaldæi toti erant in armis et equis  
 et frænis adornandis. 402 b 1  
 Nocturnæ preces et vigiliæ cur indictæ fuerint. 202 d 2  
 Noe cur centum annis arcam fabricarit. 234 a 2  
 Noe idem sonat quod Nabum. 388 a 2  
 (Nolæ) Campanulæ unde dictæ. 194 c 1  
 Nomen in Confirmatione vel ingressu Religionis mutare  
 fas est: et cur id fiat. 66 c 2  
 Nomina Christiana danda pueris, non Gentilium. 255 c 2  
 Nomine Christi vocari quam sit gloriosum. 288 c 2  
 Nomen Domini est ipse Dominus, qui per nomen in-  
 vocatur. 203 a 1  
 Et symbolice eius virtus, gloria et omnis perfectio. 203 b 1  
 In funeribus invocare solebant Iudæi nomen Domini. 260 c 2  
 Nomen Dei quo Christus suos pascit, quotuplex. 365 c 2  
 Nomina Hebræa, præsertim animalium, genumarum,  
 arborum, lapidum, multa significant. 183 a 1-302 b 1  
 Nomen Iesu. *Fide Iesus.*  
 Nomen sæpe significat personam nominatam. 626 d 1  
 Nomina parentum Hebræi sæpe sumunt pro posteris. 91 b 1  
 Nomina patrum aliquando iuvant ad Prophetæ intel-  
 ligentiam. 17 d 2  
 In nominibus propriis Prophetæ alludunt ad eorum  
 significata. 28 b 1
- Non ultra, non amplius in Scriptura non significant*  
 æternitatem. 37 c 2  
 Nosse Deum beata vita est. 92 d 1  
 Novacula acuta quam vidit Isaias, quid denotet. 264 b 1  
 Novale est novus ager, cum is excisis herbis noxiis pri-  
 mo colitur. 147 b 1  
 Novatianus antipapa fuit tantum idolum pastoris. 602 c 2  
 Novembri (cur in) magna cæli inconstantia. 247 d 1  
 Novitii Religionum quam ferventes sint. 458 c 1  
 Novitiis in Religione nihil dicendum quo ad sæculum  
 repetendum moveantur. 121 c 1  
 Novum mundum fidelium Christus instituit. 210 c 2  
 Novi orbis conversio Hispanis et Lusitanis gloriæ est. 302 c 1  
 Nox visionibus accipiendis aptior est. 516 d 2  
 Nubentes Romæ non tangebant limen domus. 195 b 1  
 Nubes quomodo vocentur flumen aereum. 314 b 2  
 Sunt pluviae vehiculum. 102 a 1  
 Quadriga sunt Dei. 452 a 2  
 Iis assimilantur Apostoli et viri Apostolici. 589 b 1  
 Noces duri corticis an pomorum nomine comprehen-  
 dantur. 272 b 1  
 Nudare in Scriptura subinde tondere significat. 454 c 2  
 Nudipedes erant qui aliorum ossa legebant. 260 b 2  
 Nudus vocatur lacer et pannosus. 332 b 2  
 Nugacitas hominum quanta sit. 485 c 1  
 Nugæ quautopere fideli vitandæ sint. 486 a 1  
*Nugæ vox ab Hebræo nuge derivata est, idemque si-  
 gnificat.* 484 b 2-485 a 1  
 Nugæ vocantur homines, et res nugaces et nihil. 484 c 2  
 Numa populum Rom. ferum religionis institutione et  
 utilibus legibus domuit. 141 a 2  
 Numantia ob discordiam excisa. 480 c 2  
 Numerus cardinalis sæpe capitur pro ordinali. 489 c 2  
 Per numerum nominum divinabant veteres. 310 b 1  
 Numinis metus et reverentia homines a peccato avocant,  
 et ad bonum impellit. 92 d 1  
 Nuptiarum conciliator et vindex est Deus. 653 b 2  
 Earum ritus apud Gentiles. 653 c 2  
 Earum definitio: earum præses Iuno. 653 d 2  
 Ab iis abesse debent rixa et iracundia. 654 a 1  
 Nutricium Ephraim cur se vocet Deus. 150 d 2  
 Nutricum adolem et mores sugunt infantes. 60 a 2
- O**
- Obediendum Deo vocanti. 307 d 2  
 Obedientia vera in qua re sita sit. 496 b 1  
 Manca quæ sit. 641 a 2  
 Eius symbolum oliva est. 177 c 1  
 Ipsa martyrium est. 159 d 2  
 Oblatio tristi animo oblata Deo displicet. 640 c 1  
 Oblatio mystica quam hæreticis sit. 642 d 1  
 Oblatio munda quæ nomini Dei offerenda promitti-  
 tur, quænam sit. 642 c 1 et seqq.  
 Ostenditur esse Eucharisticum sacrificium. 642 b 2  
 Obstinatio in peccatis designatur anagogice per talen-  
 tum plumbi. 555 b 2  
 Occasiones peccatorum non vitantes quam stolidi sint. 124 c 1  
 Occidit impios Deus, dum eos facit pios. 368 a 1  
 Per octo primates homines quos Michæas intelligat. 366 b 2 et seqq.  
 Oculus corporis in Script. significat oculum mentis. 29 b 1  
 Oculus hominis centum morborum genera habet. 273 c 2  
 Oculus baculo insisteus hieroglyphicum Dei est. 53 b 2-468 a 1-535 d 2  
 Oculum quanta cura custodiatur. 527 d 1  
 Angeli cur vocentur oculi. 535 d 2  
 Oculum dextrum quomodo nobis eruat diabolus. 530 a 1  
 Ab iis quæ odiosa nobis sunt oculos avertimus et  
 contra. ibidem  
 Oculorum porta quomodo dicatur porta piscium. 465 b 2  
 Quam lubrici ii sint. 426 b 1  
 Oculi in candelabro Zachariæ quid sint. 546 d 2  
 Quid significant. 547 c 1  
 Oculi septem lapidis a Zachar. visi, an ei incisi vel  
 affixi fuerint, an vero a lapide separati, sed in  
 eum respicientes. 535 d 1

- Ostenditur ei fuisse affixos vel incisos. 535 n 2  
 Quater in lapide concipiendi sint 535 b 2  
 Quid significant. ibidem  
 Hi tropologicè sunt septem dona Spiritus sancti. 536 b 1  
 Oda fraterna enī sunt acerrima. 224 b 1 et seqq.  
 Odium Dei nullatenus potest esse bonum aut licitum. 58 a 1  
 Odii Iudæorum in Christianos quæ sit causa. 293 b 1  
 Ob odium uxoris non erat Iudæis repudium licitum. 655 c 1  
 Odium aliquando in Scrip. vocatur minor amor. 637 d 1  
 Odio infinito Deus peccatum omne odit. 424 a 1  
 Odolla urbs fuit antiqua, magna et regia. 337 a 2  
 Odoratis rebus vires in animi syncope maxime restaurantur. 424 c 2  
 OEconomia vitæ Christi plena est paradæis. 38 a 2  
 Offensum prævenire, quam decorum sit. 154 b 1  
 Officium hominis est bonum facere, et mala declinare. 374 a 1  
 Oleis abundantes regiones an præ aliis viros sapientes gignant. 215 b 1  
 Olea deditiois, subiectionis et obedientiæ symbolum est. 620 c 2  
 Item æternitatis. 620 d 2  
 Item pacis studium denotat, hinc Palladi sacra. 549 b 2  
 Oleum misericordiam Dei symbolice representat. 177 c 1  
 Habet nitorem, ignis fomentum, et pinguedinem. 549 b 1  
 Olei fons Romæ e terra profluxit per totum diem ante Christi ortum. 614 d 1  
 Eo in loco erecta Ecclesia. 499 c 2  
 Olei proprietates Pontificibus ac regibus adaptantur. 549 b 1 et seqq.  
 Oleum Samariæ excellebat, uti hodie Tiburtinum: eo carebat Ægyptus. 161 b 2  
 Oliva symbolice Ecclesiam et Sanctum quemlibet designat. 177 c 1  
 Olivæ duæ apud Zachariam symbolice diversimode accipiuntur. 548 d 2 et seqq.  
 Earum descriptio. 540 a 1 et seqq.  
 Quid symbolice denotent. 540 c 2-541 d 1 et seqq.  
 Olivæ parvæ sunt Romæ. 546 d 1  
 Oliveti mons qualis et ubi situs, vocatur sanctus et inclytus: quid in eo gestum. 620 b 2 et seqq.  
 Est symbolum Ecclesiæ Gentilium. 620 c 2  
 Ex eo Christus in cælum ascendit, inde Antichristum deturbabit, et illic ad iudicium veniet. 621 a 1  
 Quomodo et quando scissus sit. 621 d 1  
 Olla atra diabolus est mystice, et in eo spem reponentes. 405 c 2  
 Olla succensa a Ieremia visa quid denotaret. 264 b 1  
 Olympias neptis Ablavii omnia sua in pauperes erogavit. 115 d 2  
 Olympiades cæperunt anno XL Oziæ regis. 40 d 1  
 Ab iis cæpit apud Græcos historiæ fides constare. ibidem  
 Olympii Abbatis in cruciatibus corporeis tolerantia. 394 d 2  
 Omen ex Scriptura captare quatenus liceat. 38 b 2  
 Omnia omnibus est Deus. 163 b 1  
 Onager mas zelotypus est. 131 d 1  
 Agmine fæminarum stipatus incedit. ibidem  
 Significat typice gentes exleges ante Christum. 445 c 1  
 Onion appellatur templum, urbs et regio Heliopoles, qua occasione id ædificatum. 630 c 1  
 Quamdiu id steterit. ibidem  
 Onocrotalus avis similis est cygno, dicta a sono; eius ingluvies, cur vocetur gutturosa, quare conchis se repleat, erat immunda Iudæis, est gulæ symbolum, dicitur quoque Pellicanus; est amans solitudinis. 474 d 2  
 Onus vocari potest Evangelium dupliciter. 573 b 1  
 Onus vocatur prophetia tristis, minax, odiosa et calamitosa. 33 d 2-388 b 1-415 a 1-573 a 1-604 b 1-636 a 1  
 Cum prophetiis præponitur, ipsæ partim lætæ, partim tristes sunt. 34 a 1  
 Operariorum labores sæpe incassum cadunt ob neglectum Dei cultum et gratiam. 494 a 1  
 Opes quam vanæ sint, et indignæ quibus homo cor apponat; quam noxiæ. 404 b 2  
 Ab iniustis possessoribus ad iustos avolare gestiunt. 412 b 1  
 Dicuntur lutum ob vilitatem. 434 a 1  
 Item qua inique collectæ animam conspurcant. 434 b 1  
 Vocantur in Scriptura propagines. 401 c 1  
 Opes suas templis et personis Deo dicatis offerre, Deo gratum. 564 d 2  
 Avaro sunt idolum, rapina, robur, spes et requies. 161 a 2  
 Vide Aurum.  
 Ophel erat turris excelsa in Sion, eius descriptio. 351 b 1  
 Ab altitudine dicta est Ophel, id est, tenebræ. 351 c 1  
 Non erat turris Isephina. ibidem  
 Significat symbolice caliginem Dei. 351 d 1  
 Ophiomachus locusta fit, dum mole corporis et alis perficitur. 182 a 1  
 Optationes extremorum malorum in viris sanctis accipiuntur pro prophetiis eorundem. 174 c 1  
 Optimates capita sunt urbium. 255 d 1  
 Dicuntur hinc montes et excelsa terræ. 330 b 1  
 Opus primum Dei Patris fuit æterna generatio Filii: et primum redemptionis nostræ fuit eius incarnatio. 112 b 2  
 Opus bonum, semen est melioris. 146 c 2  
 Operis veritas in quo consistat. 119 d 1  
 Quod sit operis mendacium. ibidem  
 Opus bonum debet habere omnes suas circumstantias positivas et negativas. 507 b 1  
 Opere prius concionandum quam ore. 490 a 1  
 Opus olivæ est fructus, quem olea producit. 457 b 1  
 Opus Dei, per excellentiam est redemptio generis humani. 441 c 2  
 Opera perfecte faciendi praxis. 375 b 2  
 Opera bona et vitæ mutatio Deum ad clementiam flecentur. 323 a 1  
 Hæc amissa per lapsum, post pœnitentiam redeunt. 198 d 1  
 Opera nostra omnia in Deum tendant. 25 c 1  
 Etiam corporalia quantumcumque levia, sollicitè faciendæ sunt. 375 b 2  
 Opera bona sunt semina beatæ æternitatis. 147 a 1  
 Ea impedire quantum sit scelus. 117 a 2  
 Iis Christum coramamus. 563 c 1  
 Ea peccatis sordidans, ea perdit, item qui ea ob ostentationem facit. 494 b 1  
 Opera omnia infidelium et impiorum non sunt peccata. 507 b 1  
 Opera principum magis reip. statum fundant quam edicta et minæ. 544 a 1  
 Opera SS. Trinitatis ad extra sunt tribus personis communia. 657 d 1  
 Optima Deo danda. 640 c 2 et seqq.  
 Oracula sua Prophetæ scribunt et hominibus sui ævi, et secuturis. 302 b 1  
 Ea sunt cœu litteræ e cælo delatæ. 26 c 2  
 Multa eorum cur non extent. 15 c 1  
 Oracula etiam falsa vendere auro, simonia est. 347 a 2  
 Oracula sua Deus attemperat conditioni hominum. 200 c 1  
 Deorum oracula in somnis captabantur in delubris iuxta sepulera magnatum. 132 b 2  
 Item dormiendo super stragula. 229 b 1  
 Ea Christus suo ortu sustulit non tantum apud Christianos, sed et apud Gentiles. 368 a 2  
 Plane defecerunt in morte Christi. 438 c 2  
 Oraculum rationalis diu apud Iudæos cessarat. 495 b 1  
 Orandum subditis maxime, tam pro regibus quam pro toto populi cœtu. 169 d 2  
 Oratio ad Deum, pro principibus, est optima. 120 a 2  
 Orationis factæ vel neglectæ, quanta sit vis. 339 a 2  
 Ea magis intelligitur S. Scriptura quam studio. 26 b 1  
 Cælos penetrat ulcunquæ effusa. 314 a 1  
 Donum orationis ingens Dei et Spiritus sancti donum est. 609 b 1  
 Est fistula cælestis, per quam a Deo per Christi meritum omni gratiam sugimus. 609 d 1  
 Subinde vocatur laus. 441 a 1  
 Oratio Christi ad impios in die iudicii. 205 a 2  
 An totus orbis Christo iudice in valle Iosaphat sedentem concutiendus et convellendus sit. 210 b 2  
 Orbitas filiorum congrua pœna est fornicationis. 137 d 2  
 Ordinandi olim cælitus aliquando a Deo designabantur. 663 b 1  
 Ordinationes sacerdotum quando communiter fiant. 571 c 1  
 Ordines religiosi quibus de causis a primæva sanctitate deciderint. 80 b 1  
 Oriens est Christus. 531 a 2 et seqq.  
 Orientem respiciunt Christiani orantes et templa. 621 b 1  
 Orientales natura calidi sunt. 410 c 2  
 Olim in tabernaculis degebant. 287 b 1

Orientalis ventus urens est et noxius.	161 c 1	Ossa crematorum quomodo colligerentur.	260 c 1
Origenes scripsit in Cantica versus fere 20 millia.	39 d 1	Ostentatio multis causa est interitus.	124 d 1
Putabat Angelos in hominum custodia mereri vel de-mereri.	370 d 1	Præcox ostentatio scientiæ, virtutis, virium, et ingenii non perveniet ad felicem exitum.	130 b 2
Item damnatos omnes aliquando salvandos.	173 a 1	Ostiensis Episcopus inter Cardinales primus est.	536 a 2
Sensus mysticos Script. semper sectatur.	20 b 2	Otto Imper. vi Vener. Eucharistiæ hostes suos profli-gavit.	585 b 1
Eius in ea volutanda assiduitas.	27 b 1	Ova piscium fœminarum non perficiuntur ad generatio-nem sine mare.	426 a 1
Nimis fisus ingenio est.	ibidem	Oves tondentur sub æquinoctium vernum.	265 b 1
Eius lapsus.	295 b 1	Ovidius in Polonium relegatus fuit.	626 a 2
Putavit Malachiam, Aggæum et Ioannem Baptistam fuisse Angelos incarnatos.	634 a 1	Ozias rex quo anno mundi regnare cœperit, qui sub eo prophetarint.	40 d 1
Præfuit scholæ Alexandriæ.	410 b 1	Dictus est et Azarias.	217 a 1
Originale peccatum generatione transfunditur: per menstruum symbolice intelligitur.	614 c 2	Eius regni anni.	217 b 1
Orion sidus est meridionale ante Taurum: unde dica-tur; eius descriptio.	247 d 1 et seqq.	Eius fastus quomodo a Deo punitus.	217 b 2
Ei Martyres comparantur.	247 d 2	Quando eius lepra contigerit.	217 c 2
Ornato templorum, altarum, vasorum sacrorum Deus honoratur et delectatur.	640 c 2 et seqq.		
Orpheus diu in solitudine vixit, ut supernis intenderet.	21 d 2	<b>P</b>	
Os Hebræis sæpe significat capacitatem, proportionem, mesuram.	146 b 1 et seqq.	Pacifica victima quæ diceretur.	644 a 1
Subinde voluntatem.	146 a 2	Poterat esse fœmina, si esset voluntaria; secus si vo-tiva.	646 b 1
Oris veritas et mendacium quæ sint.	119 d 1	Pacificus cum proximo ambulat cum Deo.	649 a 2
Osculari solebant idololatræ idolum in signum venera-tionis.	167 c 1	Pactum Dei cum Levitis quale fuerit.	648 d 2
Osee, ultimus Israelis rex, fœdus cum Assyrii iniit, deinde contra eos opem imploravit Ægypti.	161 b 2	Pactum Dei cum Iudæis initum quomodo cum omni-bus populis initum dicitur.	598 d 1
Ab eis in captivatem est adductus.	138 c 2	Palæstinæ quanta sit ariditas.	240 a 2
Osee usque ad annum ætatis XC. prophetavit.	15 a 1-56 b 2	Palæstram qualem Iasou pontifex Hierosolymæ exci-tavit.	606 b 2
Dictus est commaticus, et quasi per sententias lo-quens.	15 a 2-55 c 2	Palatia superba et ampla detestatur Deus.	259 a 2
Fuit primus Prophetarum.	18 d 1-40 d 1-55 c 1-56 b 1	Paleutria columba et anas quæ dicatur.	124 b 1
In nonnullis cum Isaia convenit.	29 a 2	Paliurus est genus spinæ asperæ et acutæ.	380 b 1
Quando cœperit prophetare.	40 a 2	Palladium fatale e cælo decidit in Troiam, eius miracu-la, eo sublato Troia capta.	90 c 2
Et sub quibus regibus, et quid.	40 a 2-55 c 1	In arce situm erat.	403 c 2
Oraculis, factis, moribus et nomine Christum præfi-gurat.	55 a 1	Pallium cilicinum erat vestis exterior Prophetarum.	615 b 1
Unde id nomen derivetur, et quid significet.	ibidem	Id cilicio suo superiniiciebant.	23 a 1
Prophetat Iudæ et Israeli.	55 b 1	Olim assumebant conversi a Gentilismo.	23 b 1
Fuit synchronus Isaïæ.	55 c 1	Palmae duæ iugiter fumantes an sint in valle Iosaphat.	205 b 1
An ipse Angelus de quo Apocal. 5. ad litteram.	55 a 2	Παζ vocabatur Deus a Gentilibus.	438 b 2
Cur dicatur Angelus fortis: an quercum in 12 par-tes vi verborum dividerit.	55 b 2	Pan quomodo ab Amore in lucta sit victus.	ibidem
Sanctorum catalogo ab Ecclesia adscriptus est.	55 c 2	Panis subcinericeus cur vocetur Israel.	122 c 2
An fuerit Issacharita.	56 b 1	Talis panis describitur.	ibidem et seqq.
Vidit excidium Tribuum a se prædictum.	56 a 2	Per panem Hebræi intelligunt quemlibet cibum.	75 b 1
Cur solum Ieroboam nomet e regibus sub quibus prophetavit	56 c 2	Panis lugentium vocantur sacrificia Deo displicentia.	134 b 1
Cœpit 90 annis ante excidium Samariæ, et 224 an-te excidium Ierusalem.	57 a 1	Panis pollutus aliquando victima polluta vocatur.	640 b 1
Cur iubeatur a Deo fornicariam uxorem ducere.	57 d 1-59 d 1-60 b 2	Panis supersubstantialis est Eucharistia.	584 a 1
Non iubetur fornicari, sed meretricem in uxorem ac-cipere.	57 b 2	Panis et vinum sunt materia Veu. Eucharistiæ.	134 a 1-643 b 2
An eum ea sit fornicatus sine peccato.	57 c 2	Panes propositionis quales esse deberent.	640 a 1
Vera eius uxor fuit.	58 c 1 et seqq.	Panteus scholæ Alexandriæ fuit præfectus.	410 b 1
Stabile hoc eius coniugium fuit.	58 b 2	Papyrus arbor est in Ægypto, eius tabulæ olim chartæ usum præbuere.	430 b 2
Sibi filios adulterinos procreavit.	59 a 1	Parabola vox Hebræis late patet.	340 d 1-433 c 2
Non duxit idololatriam.	59 b 1	Eius tres sunt partes.	232 b 2
Vere eam duxit, non vero per visionem imaginariam.	59 c 1	Parabolis cur Minores Prophetæ utantur.	19 b 1
Cur eius filii vocentur filii fornicationum.	59 c 2	Paradoxa crebra sũnt apud Prophetas.	38 d 1
Eius charitas in fornicaria ducenda.	60 b 2	Maxime cum de Christi incarnatione, vita, passione, resurrectione vaticinantur	38 a 2
Et obedientia.	60 c 2	Paraphraseos Chaldaicæ in Biblia quis auctor: hæc mul-tis in locis corrupta est.	19 a 1
Hanc cum duxit, iuvenis fuit.	ibidem	In nonnullis favet religioni Christianæ.	ibidem
Eius connubium cum Christi connubio comparatur.	60 d 2	Parcæ unde dicantur, et quæ sint.	669 c 2
Eius prima proles dicta est Iczrahel.	61 d 2 et seqq.	Parcere quid proprie Latinis significet.	ibidem
Secunda Lo-rachuma.	64 c 1	Capitur quoque pro misereri.	670 a 1
Tertia Lo-ammi.	66 d 1	Pardus animal sævum et maculosum est.	420 d 1
Iubetur quoque a Deo adulteram domum adducere, et cur.	86 c 1-87 b 1 et seqq.	Ex arboribus in viatores subito insilit, hinc vocatur ob celeritatem fulmineus.	ibidem
Habuit eam ut ancillam, ad hoc ut adulteriis abstineret.	87 c 1-88 c 1	Parentalia sunt sacrificia pro mortuis parentibus.	134 c 1
Quas adulteræ huic conditiones, dum eam conduce-ret, proposuerit.	88 d 2 et seqq.	Parentes non impediant proles ad Religionem aspi-rantes.	230 a 1
Ossa sunt schema virtutum duriorum.	345 c 2	Eorum vitia in filios transfunduntur.	60 b 1
Ossa Prophetarum quomodo pullulare dicantur.	16 d 2	Filiorum orbitate puniuntur, dum ipsi matrimonio turpiter abutuntur, vel prohibus impie abutuntur.	138 a 1
Ossium dispersionem iusugiter impiis minatur Deus.	227 b 1	Parentes extrema laborantes inopia deserendi non sunt religionis prætextu.	347 d 1

- Paria aliquot fratrum et sororum, et sodalium sanctorum enumerantur. 224 d 2 et seqq.  
 Parietes duo fabricæ invicem oppositi physice censentur paralleli, mathematice non sunt. 521 a 2  
 Parisiensis urbis magnitudo. 318 d 2  
 Παρισιος et advenam et acolam vel incolam significat. 472 a 2  
 Parturientis dolores quando et quomodo peccatori accidant. 170 a 2  
 Partus Deiparæ matris fuit nobilissimus, caeloque et terræ optatissimus. 364 d 2  
 Parvi cur sint acutiores. 292 a 2  
 Parva plus vitæ et vigoris habent quam magna. ibidem  
 Non parvam gloriam includunt et artem. 15 b 2 et seqq.  
 Magnam habent industriam, 16 c 1  
 Parvi dies qui dicantur in Scriptura. 544 c 1  
 Parvos Deus ad celsa evehere satagit. 545 d 1 et seqq.  
 Parvulos alidere ad saxa summæ crudelitatis argumentum est. 411 c 1  
 Parvuli in baptismo non eliciunt actum fidei, qua iustificentur. 327 d 1  
 Parvuli etiam vagitu suo Deum ad misericordiam flectunt. 194 b 2  
 Pascha quo mense celebrarent Iudæi. 489 c 1  
 Pascor verbum commune est. 161 a 1  
 Pascuum, et substantivum est, et adiectivum: vox *pascua*, in substantivum transit. 188 d 2  
 Passionis Christi pauci participes sunt. 31 d 2  
 Eius tempus est magnus dies Iezrahel. 71 b 1  
 Per eam pax reddita orbi. 312 a 2  
 Eius balneum lampade ab oleo nutrita denotatur. 541 b 2  
 In ea fuit Christus quasi lapis calcatus. 537 c 1  
 Et per eam calcaturam omnes eius virtutes fuere velut expolitæ. 537 d 1  
 Eam qui semper præ oculis habuerint et habeant. 615 c 2 et seqq.  
 In ea quomodo Christus fuerit sordidatus. 532 b 1  
 Passiones animæ quatuor, per quatuor cornua representantur. 522 c 1  
 Quatuor plagis Iaelis representantur. 185 b 1  
 Hæ continuo iactant animam peccatoris. ibidem  
 Hominem dementant. 185 a 2  
 Sunt turbines et tempestates. 390 d 2  
 Sunt velut quadriga. 408 d 1  
 Illis obsequentes, imbelles velut mulieres sunt. 554 d 1 et seqq.  
 Illis subsidentibus anima fit divina. 662 d 1  
 Earum seræ rumpendæ e carcere peccati et diaboli egredi cupienti. 344 c 1  
 Pastor sit oculus et vig lans. 603 d 1  
 Item sanctitate suis antecellat. 603 b 2  
 Pastoris boni et mali discrimina. 601 c 2  
 Hinc illum creat Deus. 601 d 2  
 Pastoris sævi mores. 602 a 1 et seqq.-603 d 2  
 Pastoris umbra et idolum quis sit. 602 b 2  
 Pastor mysticus et symbolicus fuit Zacharias Propheta. 594 c 2-595 a 2  
 Duo officia veri pastoris. 603 c 1  
 Pastores bonos Iudæis plurimos Deus misit, sed hi vel muus pascendi reliquerunt, vel lædio consumpti, vel ab eis occisi sunt. 597 a 2  
 Pastores malos quos Iudæi habuerint, Deo nauseam moventes. 601 d 2  
 Pastores turris Eder primi Christi ortum didicerunt per Angelum. 352 a 2  
 Pastores septem suscitandi sunt septem Angeli principes Synagogæ tutores. 367 a 1  
 Pastores quando subditis fiant rete. 103 c 2  
 Velut vittores sunt. 81 d 2  
 Pater apud homines quis proprie dicatur. 69 b 1 et seqq.  
 Pater iustorum quomodo sit Deus. 639 a 1  
 Patres Prophetarum ab ipsis in titulis nominati an Prophetæ etiam fuerint. 17 c 2  
 Patres in limbo anagogice vocari possunt vineti spei 579 b 2  
 Eos e limbo quomodo Christus eduxerit. 578 d 2 et seqq.  
 Satius hic est pati quam in futuro. 456 c 2  
 Patientes quam esse Prælati debeant et principes. 597 b 1  
 Patientia est vera potentia. 390 c 1  
 Propria Sanctorum virtus est. 193 c 1  
 Patria cur in nonnullis Prophetis recenseatur. 18 a 1  
 Patriarchæ primi Deo sua sanctitate fuere gratissimi. 379 b 1  
 Vocari possunt radix Israel. 138 d 2  
 Maxime prophetarum morti vicini. 21 c 2  
 Hinc et Prophetæ fuerunt. 17 d 1 et seqq.  
 Quomodo vocentur Christi Domini. 454 c 1  
 Patriarchas Christianos olim præibat lampadarius. 547 c 2  
 Pauci ad Christum ab Apostolis virisque Apostolicis conversi sunt. 288 a 2  
 Paula (S.) Bethlechem Romæ prætulit. 360 b 2  
 Fœminarum tria condidit monasteria, et unum virorum. ibidem  
 Mortua ibi est, eius epitaphium. 361 b 1  
 Continua fuit Martyr. 160 a 2  
 Quomodo vitæ deliciis planxerit. 187 b 1  
 Paulinus Nolæ (S.) Episcopus ex humilitate in S. Script. commentari noluit. 15 b 1  
 Ei quam miraculose frumentum a Domino multiplicatum. 276 b 1  
 Quam in pauperes et egenos effusus fuerit. 276 b 1  
 Paulus (S.) corpore pusillus fuit, sed sapientia gigas. 545 b 2  
 Fuit Propheta. 17 c 1  
 Et perfectionis magister: an fuerit abstemius. 23 c 1  
 Fuit Angelus terrestris. 24 c 1  
 In raptu non vidit divinam essentiam. 34 d 1  
 Sæpe phrasin usurpat Cilissam, quia Cilix. 36 d 1  
 Mysterium vocationis Gentium ubique valde stupet. 71 a 2  
 In tribulationibus exultat. 81 b 1  
 Est signifer testium fidelium Dei. 158 c 2  
 Gladium persecutionis vertit in vomerem Evangelii, iam conversus. 208 c 2  
 Arabiam ad Christum convertit. 300 b 2  
 Intrepidus se ingerebat periculis. 317 b 2  
 Eius zelus pro Iudæis. 325 a 2-581 a 1-678 a 1  
 Amorem legis patriæ velut stramineum ligamen discussit. 344 a 2  
 Conversionem suam a Iudaismo ad Christianismum quantopere deprædicet. 386 a 2  
 In quo fuerit sigillum Christi. 511 a 2  
 Pavor, cum Deo tribuitur, in Script. significat summam reverentiam. 91 b 1  
 Caliginem oculis æque ac menti inducit. 278 b 1  
*Vide Metus, Mæror.*  
 Pauper est, qui plura cupit. 427 d 1  
 Pauperes sæpe ob inopiam peccant. 551 d 2-667 c 1  
 Eos Christus quam diligeret. 342-a 1-607 d 2  
 Pauperes *gregis*, vocantur inopes in populo. 595 a 2  
 Eos opprimunt, qui sua quærunt commoda. 259 b 1  
 Eorum oppressio enorme crimen. 227 d 2 et seqq.  
 Paupertas voluntaria martyrii genus est. 160 b 1  
 Eam quantopere Christus dilexerit. 360 c 1-444 a 2  
 Paupertas populi est paupertas principis. 345 d 1  
 Paupertas mater et amica est humilitatis. 360 c 1  
 Eius typus. 444 a 2  
 Vera paupertas esse debet expedita, nuda, patiens, confidens, opulenta, secunda. ibidem  
 Paupertas Christi ditissima est. 444 d  
 Pax Hebræis significat bonorum omnium affluentiam. 211 b 2-549 c 1  
 Eius symbolum est oliva. 177 c 1  
 Pacem cum Deo, cum anima, cum proximis qui cupit, Christum adeat. 366 a 2  
 Eam triplicem attulit Christus. 366 b 1  
 Pax quæ bona pariat. 569 c 2 et seqq.  
 Eius emblemata. 549 c 1  
 Sub Christi regno quomodo floreat. 578 c 1  
 Est una de dotibus sacerdotis. 649 a 2  
 Pax domitis concupiscentiis, in anima quantum bonum adferat. 506 a 2  
 In tali anima habitat Deus. ibidem  
 Ea necessaria volenti in virtute proficere. 506 d 1  
 Animæ est quasi signaculum. 511 b 2  
 Pacem in peccatis habere prope est obdurationi. 555 a 1  
 Pacem nos docuit Christus, dum medium ubique locum elegit. 443 d 1  
 Paxillus est symbolum principis. 590 a 2  
 Peccanti nemini, ne sancto quidem, parcat Deus. 166 a 2

Peccantibus non est conivendum, aut adulandum.	94 d 2-95 e 1	In idem peccatum quater vel sæpius recedentes difficile convertuntur.	220 b 2
Peccator adhærens creaturis, nil nisi turbulentum in iis inveit.	308 b 1	Peccatum unum mortale quanta Dei sit iniuria.	89 b 1
Non homo est, sed bestia.	145 b 2	Peccatum omne punit Deus.	166 a 2
Eius lethargus.	309 b 2	Quo diutius confessario tegitur, eo difficilius expellitur.	170 d 1
Quam inania consetetur.	87 c 2	Cur vocetur ignorantia.	441 a 1
Edit fructum mendacii.	148 a 1	Quantum sit sacrilegium.	652 c 2
Videtur non habere cor.	124 b 2	Eius emblemata varia.	554 e 2
Comedit panem lugentium.	134 d 1	Eius propria descriptio.	418 b 1
Per peccatum omni decore virtutum et gratiarum spoliat.	338 d 2	Est mendacium practicum.	478 b 2
Hic bibens calicem voluptatis postea bibit calicem ultionis Dei.	298 a 2	Est sagitta confgens Deum.	666 a 2
Per fraudes parans sibi opes et dignitates, telas araneorum sibi texit.	130 a 1	Eius typus menstruum est.	614 e 1
Lætatur in rebus nihili ob septem rationes. 262 c 2 et seqq.		Eius splendor externus, interius fœlor.	409 a 1
Concipit peccatum cum brevissima voluptate, sed parit cum longo dolore.	170 b 2	Eius radix pœnitenti evellenda.	662 a 1
An aliquando, ob gravitatem et frequentiam scelearum, nequeat converti.	221 a 1	Peccatum Iesu pontificis quod fuerit, ob quod a Sætana accusabatur.	530 d 1
Carat et veneri indulgens fit quasi vitulus.	142 d 1	Peccata fœno et stipulæ comparantur.	230 c 2
Eius cum Deus obliviscitur, iugens id illius est pœna.	65 a 1	Sunt instar pavis subcinericii.	123 a 1
Eius stultitia quanta sit.	76 d 2	Cur vocentur amaritudines Dei.	166 a 1
Ei a Deo se avertenti, opem suam subtrahit Deus.	345 d 2	Ipsis assueti quam ægre ab iis avellantur.	145 d 1 et seqq.
Ei quomodo viam peccandi Deus obstruat.	75 d 1	In Sacramento baptismi et aliis vere extinguuntur.	385 d 1
Ei duplici ira irascitur.	582 a 2	Eorum tres sunt gradus.	66 d 2
Cum eo sua peccata defendente non potest ambulare.	233 b 1	Creant turbineum, qui peccatores tandem deturbet in tartara.	102 b 2
Cupiditates suas facit suos deos.	76 b 1	Eorum remissio quantum Dei sit beneficium.	386 a 1
Deo reconciliatus, identidem ei pro beneficio iustificationis gratias agat.	386 a 2 et seqq.	Peccata patrum et maritorum punit Deus peccatis filiorum et uxorum.	99 a 1
Iusto Dei iudicio, in morte tot euris opprimitur, ut Dei obliviscatur, maxime si pœnitentiam differat in mortem.	261 a 1	Peccata populi sacerdotes tripliciter comedunt.	94 b 2
Eum Deus assidue ad pœnitentiam invitat.	113 d 1 et seqq.	Peccatorum præteritorum recordatio stimulus est ad sollicitam cum Deo ambulationem.	374 d 1 et seqq.
Eius conversionem quam avide Deus expectat.	379 b 1	Solus Deus ea auferit et condonat.	532 b 2
Non fovendus peccata dissimulando.	91 c 2	Ea omnia abluit Christus, et eorum scaturigines tollit.	614 b 2
Non advertens quo est, in lona fugiente repræsentatur.	306 b 2 et seqq.	In occulto patrata Deus educit in lucem.	554 b 2
Io se immisericors est.	253 a 2 et seqq.	Quando peccatorum ludæorum mensura ab ipsis impleta fuerit.	553 a 1 et seqq.-555 e 1
Cum orationis studium negligit, a Deo deseritur.	339 a 2 et seqq.	Peccata occisionis quomodo Iudæi a Propheta vocentur.	594 d 2
Polluit templum Dei quod in anima eius habet.	652 a 2	Peculium Romanis erat quiddam alienius labore et industria comparatum erat: unde derivetur vox.	669 e 1
Peccando polluit octuplicem Dei sanctitatem.	ibidem	Eius usus et definitio.	ibidem
Cum Deus ei suam revelat turpitudinem et sordes voluptatis, magna est gratia.	408 d 2	Pecunia est divitum robur, item nervus belli.	354 a 2
Eius pœnitentia prior est, quam sit eius iustificatio: tamen prior est gratia excitans Dei, quæ pulsat mentem peccatoris, ut pœniteat.	666 a 1	Item anima, sanguis, vita.	345 a 2
Parvo pretio Deum amittit et vendit.	599 b 1	Est occultus hominis tyrannus.	164 b 2
Peccando Deum velut cruci affigit.	666 a 2	Avari idololum est.	281 b 1
Omnia quæ tangit, peccato illico non inficit.	507 c 1	Olim omnis, præsertim cum rudis esset, semper ad pondas annumerabatur.	276 b 2-598 d 2
Eum satius est in præsentis sæculo puniri, quo in futuro impune habeat.	394 e 1	<i>Fide</i> Aurum, Opes.	
E statu damnationis educitur velut e laeu profundo, dum ad gratiam revocatur.	579 e 1	Pedum usus quid homini præstet.	425 b 2
Iustificatus fit ex Æthiope candidus.	482 b 2	Pedis immissione in agrum vel locum olim fiebat usucapio.	450 a 2
Conversus est velut torris erutus de igne.	531 b 2	Pedes Domini tropologicæ qui sint.	391 b 1
Ei commiserandum est.	476 a 1	Pelagia (S.) in monte Oliveti tugurio erecto pœnitentiam egit.	206 b 1
Peccatores cur vocentur nugæ, et nugaees.	485 d 2	Pelagius hæresiarcha in senio hæresin suam detexit.	123 d 1
Eorum conversio opus est Spiritus sancti.	542 d 1	Unde lapsus.	295 b 1
In die iudicii quasi igne excoquentur.	661 d 1	In parvulis actualia peccata esse dicebat.	327 a 2
Illis semper imminet Dei ultio.	551 a 1	Penates domestici erant theraphim.	90 b 2
Obstinati sunt velut Æthiopes.	474 e 1	Eos etiam post excidium urbis secum peregre asportabant.	ibidem
<i>Fide</i> Impii.		Unde dieti.	90 d 2
Peccatum quomodo clamet in cælum.	306 a 2	Pentateuchus olim unus continuus fuit tractatus.	39 c 1
Eius voluptas quam sit vana et insipida.	87 c 2	Percussio cardinis templi Bethelmi, Amos menti obiecta quid significaret.	280 c 1
Sæpe desolationis est causa.	174 c 1	Perditio sui ipsius quisque est.	169 e 1
Eius acerbitas.	174 c 2	Perditio est ex homine peccante, seque in peccatis obdurante.	168 a 2
Eius enormitas in se.	386 a 1 et seqq.	Peregrini sumus super terram.	629 d 2
Vocatur in Script. sæpe amaritudo, fel et absinthium.	246 b 2	Pelle caprina utitur Iupiter loco libri.	550 a 1
Item labor et dolor.	416 d 1	Pellis hyænæ an hominem tutum contra hostes reddat, et alia eius mira.	420 e 2
Item nihil, et peccatorem ducit ad nihil.	262 e 2	Pelta vox unde deducatur.	472 c 1
Cur appelletur sanguis.	93 a 1 et seqq.	Peltati milites qui dicantur.	ibidem
In Scriptura tripliciter sumitur.	92 c 1-94 b 2-122 e 2	Pennis solis sunt eius radii.	673 b 1
Eius actus transiens post se in anima relinquit maculam habitualem peccati.	136 d 2	Perambulare in principibus, idem est quod regere.	520 a 1
Eius gradus quatuor.	220 a 2	<i>Perdere</i> et <i>percere</i> contraria sunt.	670 a 1
		Perfectio divinx nature est in causa, cur nequeat Deus mutari.	664 b 2
		Perfectiones omnes in Deo infinitæ et augustissimæ	



- sunt. 438 b 2  
 Perfecti in fide et virtute quomodo mystice somnia videant. 200 c 1  
 Perfecti quomodo imperfectos regere debeant. 81 a 2  
 Perire dicuntur ea quorum non est usus. 461 b 2  
 Perpendiculo cur architecti utantur. 521 d 1  
 Perpendiculum Israelis quando Deus deponat. 267 a 2  
 Persarum reges solis nomen sibi aut imaginem assumentabant. 254 a 1  
 Hinc et ignem sibi præferri curabant. 254 a 1-190 a 2  
 Persæ Iudæos non afflixere; sed potius iis propitii fuere. 184 d 1-521 b 2-560 c 1  
 Cur uterentur vestibus rubris in bello. 560 a 1  
 Per equos nigros representantur. 560 b 1  
 An veste atra uterentur. ibidem  
 Equis pollebant, uti etiamnum equitatu contra Turcas pollent. 519 b 2  
 Quomodo requiescere fecerint viam Dei in Chaldæos irati. 559 a 2 et seqq.-562 a 1  
 Deum censuerunt esse ignem. 660 c 2  
 Ipsis Alexander et Græci monarchiam extorsere. 561 d 1  
 Eorum imperii sedes erat Babylone. ibidem  
 Eorum reges habebant principes, qui dicebantur oculi et aures regis. 536 a 1  
 Persecutione crescit Ecclesia. 384 a 2  
 Persecutio infidelium, contra Christianos tempore legis novæ, quanta fuerit. 381 a 2  
 Persecutio prima Ecclesiæ fuit a Iudæis. 606 b 1  
 Ea excitatur Christianorum ardor et puritas. 661 c 1  
 Persecutiones et persecutores universals Ecclesiæ per quatuor cornua Zachariæ visa symbolice denotantur. 522 c 2  
 Persecutores Ecclesiæ Deus ei subiecit. 608 d 1  
 Persicum pomum veneni vim habere dicitur, in Italiam transmissum naturam mutavit. 273 a 1  
 Persona (in tertia) loquitur de seipso Deus honoris causa. 241 d 2  
 Personarum acceptio non est apud Deum. 193 b 2  
 Personæ tres divinæ sunt velut montes rebus omnibus creatis eminentes. 211 d 2  
 Tres dies mystice sunt. 111 a 2  
 Pestis (tempore) licet sorte sacerdotem eligere, qui Sacramenta conferat. 309 d 2  
 Pestis Israelitarum, quam memorat Amos, quando acciderit. 241 b 1  
 Quanta fuerit pestis Ægypti tempore Mosis. 241 d 1  
 Eam cur Deus Chanaanæis immiserit. 449 b 1  
 Petosyris esse dicitur tractatus de divinatione vitæ et mortis, qui Ven. Bedæ ascribitur. 310 c 1  
 Petræ scissæ sunt patiente Christo. 499 d 2  
 Petrus (S.) quomodo dicatur filius Ionæ, cuius pater fuit veritas. 306 a 1  
 Vixit herbis et oleribus. 23 d 1  
 Audiens galli cantum resolvebatur in lacrymas, memor suæ negationis. 386 a 2  
 Adamanti comparatur. 268 c 1  
 SS. Petrus et Paulus olivis comparantur. 541 b 2  
 Sunt duo filii olei. 549 a 2  
 Petrus (B. Damiani) Cardinalis et Episc. Ostiensis, Cardinalatu relicto intra monasterium suum se recepit. 79 b 2  
 Petrus Faber (P.) maluit obedire quam vitæ consulere. 160 a 1  
 Petrus (S.) Martyr quomodo populos ad pœnitentiam animaret. 24 a 1  
 Petrus Telonarius vidit se ob immisericordiam in pauperes iudici Christo sisti. 202 d 1  
 Phadaia frater fuit Salathiel, habuit quoque filium Zorobabelis nomine. 490 a 2  
 Phaetontis incendium contigit sub Mose; quale ipsum fuerit, an solum terræ siccitas. 266 d 1  
 Phaeton unde dictus. ibidem  
 Phantasia (in) loquitur Deus per Angelos, in mente per se. 36 a 1  
 Pharan deduci potest a *peer*, id est, gloria. 446 c 2  
 Pharan mons in quo gesserit typum missionis Spiritus Sancti in Apostolos. 446 d 1  
 Symbolum est cæli. 446 c 2  
 Pharaon typus est Balsaris regis, et uterque diaboli. 455 d 1  
 Ille cum omnibus suis in mari Rubro perit. 455 b 1-454 a 2  
 Pharisæi fuere pastores mali. 597 d 2  
 Eorum intolerabilis superbia. 483 b 1  
 Pharus insula vicina Alexandriæ turrim habet, quæ navigantibus igne collucet. 410 a 1  
 Phenennæ contra Annam protervia ob proles quomodo suppressa. 138 b 1  
 Phialarum in templo triplex erat usus. 632 a 1  
 Magna earum illic erat copia. ibidem  
 Est phiala lebetes sacratior. 632 c 1  
 Omnes erant templi et sacre. 632 d 1  
 Philippus, diaconus Azoti, primus Evangelium prædicavit. 575 d 2  
 Philippi III. Hispaniarum regis pietas in vita, et in morte timor de Dei iudicio. 78 d 2  
 Philippus Macedo quomodo detractorem sibi beneficiis devinxerit. 152 b 1  
 Philisthæa quinque habuit urbes et satrapias. 222 d 2-471 a 2  
 Erat pars terræ Chanaan. 472 c 2  
 Quando ad Iudaismum, et deinde ad Christianismum transierit. ibidem et seqq.  
 Philistini fuere iurati, et pene perpetui hostes Iudæorum. 207 d 1  
 Eorum omen superstitiosum Deus direxit in bonum. 310 c 1  
 Quando Iudæos captivos Idumæis vendiderint. 223 d 1  
 Ipsi et Gentiles cum Iudæis per Christum in unam Ecclesiam coaluere. 343 c 1 et seqq.  
 Philomelæ raptis pullis lugubre melos edunt. 333 d 1  
 Philosophi multi sua dogmata per ænigmata et symbola tradiderunt. 19 b 1  
 Philosophia est animi reditus e tenebrosa vita. 625 c 1  
 Eam venalem qui habeant. 490 c 1  
 Phinees cur Deus pontificatum in perpetuum consignaverit. 649 a 1  
 An idem sit cum Elia, et etiamnum vivat. ibidem  
 Phochas Imp. Deo permittente ad imperium evectus, ut improbos castigaret. 170 a 1  
 Phœnices orti ab accolis maris Rubri. 315 c 1  
 Veneri donum dabant de prostitutione filiarum. 332 a 1  
 Inventores litterarum ferebantur. 574 d 1  
 Phœnicium mare et Tyrium, quomodo vocari possit Rubrum vel Erythræum. 315 c 1  
 Phœnix non est aliud quam sol. 673 c 1  
 Est symbolum Christi morientis et inde resurgentis. 673 c 2  
 Phraortes, pater Cyaxaris, in obsidione Ninives interit cum copiis. 398 c 2  
 Phrasis duodecim Prophetarum est symbolica. 19 b 1  
 Pietas a mundanis putatur vanitas. 668 a 1  
 Pignora sibi aliquem, est eum sibi mancipare. 229 c 1  
 Pignora iudicialia quænam a Iurisperitis dicantur. ibidem  
 Pn IV. Pontificis emblema fuit virga et laurus cum hoc lemmate, *Pœna et præmium*. 214 b 2  
 Pii plangunt Christi necem in eius funere, impii plangunt in die iudicii. 612 c 2  
 Pios sæpe opprimi, impios dominari sinit Deus. 417 a 1 et seqq.  
 Piorum afflictio non erit perpetua. 674 a 1 et seqq.  
*Vide* Iustus, Sanctus.  
 Pila est mortarium: unde dicta vox. 465 c 2  
 Pila nomen proprium urbis, quis sit locus: an urbs Tiberias. 465 d 2  
 Esse dicitur vallis et vorago Mello. 466 b 1  
 Pinnæ piscibus sunt instar alarum. 425 b 1  
 Pisces solent agminatim et congregati natare. 93 d 1  
 Iis assimilantur homines. 424 c 1 et seqq.  
 Eorum variæ sunt species. 424 a 2  
 Quique suos habent duces. ibidem  
 Sunt aquei, et humore luxuriant. 424 b 2  
 In aqua vivunt, et ex ea et humore aluntur. ibidem  
 Maiores devorant minores. 425 a 1  
 Muti sunt. 425 b 1  
 Pinnas iuxta caput habent quibus mare sulcant. ibidem  
 Sunt aliqui semiaves. ibidem  
 Ventre incubant aquis. 425 c 1  
 Saltri debent ne putrescant. 425 a 2  
 Facile ab esca illi se sinunt: quam vagi sint et errent. ibidem  
 Pedibus carent, sed pinnas habent ut natent. 425 b 2  
 Nonnulli respirant et dormiunt, et qui. ibidem

- Ad multam etiam ætatem perveniunt : multos habent  
deos, eosque acutos et serratos. 425 c 2
- Morbis laborant, non tamen pestilentia. 425 d 2
- Piscibus commodiores sunt imbres æstivi, et hiems  
serena. ibidem
- Habent cor, eiusque situm qualem homo. 426 a 1
- Generant ut homines. ibidem
- Voraces sunt, item fœcundi : lubricos habent oculos. 426 b 1
- Habent memoriam, et vitam agunt rationi humanæ  
vicinam. ibidem
- Cur piscibus victitarint præsci homines temperantes. 426 c 1
- Quorundam piscium astutia. ibidem
- An mansuescant. 426 d 1
- Vocantur reptilia. 427 b 1
- Pistilla inferni sunt puncturæ conscientiæ. 466 c 2
- Pistillo retusior, nudior, calvior*, proverbialiter de  
quo dicatur. 466 d 2
- Pistor et coquus præscis idem erat. 120 c 2
- Pittacus amplas donationes Mitylenæorum despexit. 544 d 2
- Plagas quas immittit Deus, hominum superbiam ster-  
nere satagit. 108 c 2
- Illis peccata punit, et hic illas adæquat. 264 a 2
- Plagæ quatuor, quas describit Isael, erucæ, locustæ,  
bruchi et æruginis, quid significant. 183 c 1
- Significant Iudæam sterilitatem. ibidem
- Vel hostes Iudæam vastaturos, et clades cladibus suc-  
cessuras. 183 c 2
- An quatuor monarchias repræsentent. 184 d 1
- An solos Assyrios et Babylonios. 184 a 2
- Per eas denotatur Nabuchodonosor, aut quatuor eius  
in Iudæam expeditiones. ibidem
- Quatuor hæ plagæ adaptantur quatuor Iosæ filiis. 184 c 2
- Allegorice per eas accipiuntur quatuor a diversis ex-  
citata persecutiones Ecclesiæ. 184 d 2
- Symbolice vero quatuor passionis animæ. 185 b 1
- Plagæ quæ Chananæis et Chaldæis inmissæ. 449 b 1
- Plagæ piis ad coronam, impiis ad pœnam sunt. 628 a 2
- Plaga* aliquando capitur pro latere et extremitate. 236 b 1
- Vox hæ desumpta est a Græcis. ibidem
- Item pro assumpto et commissura tapetis aut vestis. 236 c 2
- Plagium quod crimen sit. 228 b 1
- Vetium id lege divina et humana. ibidem
- Placatus draconis quis sit, et qua occasione draco  
plangat. 332 c 2
- Placatus Iudæorum super morte Iosæ regis et Christi. 610 a 2-611 b 2
- Placatus fidelium ob mortem Christi. 610 b 2
- Quem hi quotannis renovant. 612 a 2 et seqq.
- Placatus Adadremmon* vel *Iosæ* est proverbium si-  
gnificans ingentem planctum. 611 b 2
- Planities apta urbibus ædificandis. 626 b 2
- Plato primo dictus est Aristocles. 66 c 2
- Multas et fabulis suis ex Mosis Genesi est mutuatus. 309 a 1
- Unde dictus Socrates minor. 370 b 1
- Remp. imaginariam in libris de Republica descripsit. 520 c 2
- Historia de Platone Christiano cuidam apparente fa-  
bulosa est. 173 b 1
- Plastrum magis stridet onustum re levi quam gravi. 230 c 2
- Plebei assimilantur collibus. 289 a 2
- Vocantur valles. 330 b 1
- Plumbo aurum et argentum expurgatur. 546 d 1
- An adamantem frangat. 546 a 2
- Pluto inferorum præses unde dicatur. 433 a 2
- Non est idem cum inferno. ibidem
- Pluvia donum Dei est. 391 b 2
- Pluviæ tempus duplex in Iudæa, primum post æsta-  
tem, posterius ante ætatem. 197 c 2
- Vide Matulianus.*
- Poderis pontificia erat usque ad pedes demissa. 532 d 2
- Pœnæ infernalis quanta sit gravitas. 418 c 1
- Pœna respondere et commensurari debet culpæ ac  
peccanti. 104 d 2-264 c 1
- Pœna et præmio stant republicæ. 214 b 2
- Pœnitentia non cadit in Deum. 324 a 2
- Pœnitentia lapsa pœnitenti omnes priores virtutes et  
merita restituit. 198 d 1
- Addit ei novam gratiam. ibidem
- Aperit ostium spei et salutis. 82 b 2
- Eius opera non est nuda resipiscentia, sed gemitus,  
saccus, cinis, ieiunium. 322 d 1
- Eius schema est aquila se depilans et renovans. 358 c 2
- Eius quanta vis sit et potentia. 323 b 2
- Eius actus et gestus ex præscio Ecclesiæ more qui sint  
193 c 2 et seqq.
- Eius fructus. 195 c 2
- An per eam tollatur omnis offensa ex animo Dei, ita  
ut amplius peccatori non sit offensus. 382 b 2
- Pœnitentia voluntaria peccata punire debemus, ne ea  
Deus puniat in futuro. 394 c 2
- Omne sternit gaudium. 522 c 1
- Pœnitentes intra solitudinem se abdant. 78 b 2
- Pœnitere nemo potest nisi per gratiam Dei ad pœniten-  
tiam excitetur. 532 c 2
- Pœnitentes post peccatum sæpe sunt fortiores quam  
ante lapsum. 506 c 1
- Pœnitentium consolatio in suis mortificationibus. 674 a 2
- Pœtæ cur vocentur nugæ. 484 c 2
- Politici principibus hæresin suadent, qua statum suum  
stabiliant. 119 c 1
- Poloniæ reges regnum debent S. Adalberto. 603 c 1
- Poloni equites cur luporum exuvias induant. 420 c 2
- Pollutus ea quæ tangit polluit. 507 a 1
- Polycarpus (S.) ferax Deo fuit vitis. 140 d 1
- Pompeius Magnus quas pœnas violati templi Hierosol.  
dederit. 606 a 2
- Qua occasione Iudæam invaserit. 595 c 1
- Eius insatiabilis ambitio. 429 a 1
- Pomp. Melæ error de denominatione urbis Gazæ. 223 a 1
- Pomo comparatur vita hominis. 272 d 2
- Pomum rotundum speciem gerit orbis. 273 a 1
- Pomi vox generalis significat omnem fructum qui mol-  
liori cortice est. 136 b 1-272 b 1
- Vox pomum unde dicitur. 272 d 2
- Poma apta quæ decerpantur, symbolum sunt puni-  
tionis tempestivæ. 272 c 1
- Pomorum custodia quid sit. 331 a 2
- Pomum vetitum Adami videtur fuisse ficus. 411 b 2
- Ponere messem est metere, non demeti. 118 b 1
- Ponere super cor* Hebræis quid sonet. 647 a 2
- Pontifex Rom. cur gestet crucem ex adamantibus. 268 c 1
- Etiam tyrannice regens, non potest a populo et cle-  
ro deponi. 128 c 2
- Se servum servorum Dei nominat. 200 b 2
- Eius auctoritatem egregie contra schismaticos tue-  
tur S. Cyprianus. 129 c 1
- Eius corona e tribus partialibus constat. 562 c 2
- Cur talem coronam gestet. ibidem
- Est sponsus et princeps Ecclesiæ, regem Christum  
repræsentat quasi eius vicarius. 562 d 2
- Tribus orbis partibus præest: equitas summa in eo  
requiritur. ibidem
- Est sacerdos SS. Trinitatis, et omnes virtutes in eo  
esse debent. ibidem
- Cuius rei illum corona moneat. 563 b 1
- Recte pontificatu si fungatur, imponit coronam pon-  
tificiam capiti Iesu Christi. 563 c 1
- Est custos Ecclesiæ. 533 d 1
- Eius domestici quales esse debeant. 533 c 2
- Proprius Episcopus est Ecclesiæ Lateranensis. 536 c 1
- Eius idea et norma quæ. 591 a 2
- Custodem et tutorem habet S. Michaellem, tentatorem  
Luciferum. 529 d 1
- Animatur ad generose contra hunc certandum. ibidem et seqq.
- Pontificem Angelicum qualem pronuntiat Hieron. Sa-  
vanarola. 529 b 1
- Pontifices (pœnes) Iudæos post reditum e captivitate  
fuit regimen populi. 533 d 1
- Pontifices scelerati post tempora Zachariæ vocantur  
pastores stulti. 602 a 1
- Pontum (in) Euxinum cur crebro pisces migrare soleant. 424 c 2
- Ei dominabantur Assyrii, et inde petebant milites. 301 c 1
- In eum an Ionas eiectus. 316 a 2
- Eius distantia per mare a Ioppe. ibidem
- Pontici milites duri et asperi cur essent. 301 c 1
- Popilius Lænas quam generose Antiochum Epiphauem  
bello in Ptolemæos abstinere iusserit. 139 c 2

- Popina tropologice appellari potest superliminare crapulæ. 605 c 2
- Populosæ regiones, ut se in pace conseruent, otiosos, inquietos, et pugnaces foras emittant. 410 a 2
- Populi peccata Pontifici imputantur. 530 d 1
- Populus adducit turbam, turba tumultum. 410 a 2
- Populus unus unum hominem representare potest. 150 a 2
- Populus Dei sunt qui in Christum credunt, tam ex Gentibus quam ex Israelitis. 67 a 2
- Porcelli testamentum vetus quale sit. 485 d 1
- Porphyrius (S.) Gazensis Episcopus Marnæ idolium incidit, quo prodigio monitus. 575 c 1
- Porphyrius philosophus unde nomen traxerit. 66 c 2
- Porta (in) Hebræi iudicia exercebant. 249 b 1
- Ibi quoque erat forum civile et rerum venalium. ibidem
- Hinc capitur pro iudicio quod in porta exercebatur. 249 c 1
- Porta Benjamin erat in nova urbe Ierusalem. 627 a 2
- Porta piscium in Ierusalem quæ diceretur, et unde eius situs: alia eius nomina; an ad Occidentem urbis sita. 465 a 1-466 d 1
- Per hanc Chaldæi primo Ierusalem sunt ingressi in eius excidio. 466 d 1
- Porta gregis erat in Sion, et super eam turris. 351 a 2
- An hæc dicatur turris gregis. ibidem
- Cur dicitur filia Sion et gregis. 351 b 2
- Per hanc Christus in die Palmarum urbem est inventus. 352 c 1
- Quæ sit porta secunda. 465 c 1
- Portæ priscae templi quæ latitudo et longitudo. 551 d 1
- Portæ templi apertæ fuere moriente Christo. 594 a 1
- Portentum fuit Christus in vita, morte et doctrina. 534 b 1
- Portus sunt angustiæ maris inter duas continentes. 301 d 2
- Porticus cur addita templo Salomonis. 195 a 1
- Potentia regum et regnorum imbellis est, nisi Dei ope et cultu fulciatur. 140 c 1
- Potentiarum animæ inter se consociatio. 512 d 1
- Potentiores opprimunt infirmos. 427 b 1
- Præceptum negativum obligat pro semper. 516 d 1
- Præcoquæ fides quæ dicantur. 378 c 2
- Prædestinationis divinæ signum est Deum vocantem sequi. 308 a 2
- Non est ex præviis prædestinati meritis, sed ex Deo prædestinante. 168 b 2
- Eius quod sit signaculum. 511 b 2
- Prædestinatis (licet in) non sit causa cur prædestinentur, tamen in non prædestinatis est cur non prædestinentur. 511 d 1 et seqq.
- Prædestinatorum numerus cur dicatur fasciculus viventium. 284 d 2
- Prædicantes hæreticorum sunt tantum idola pastorum. 602 c 2
- Prælectio Iacobi præ Esau magis ad posteros eius spectabat, quam ad ipsum Iacob. 162 a 1
- Præficæ voce, gestu et tibie sonitu planctum in funeribus ciebant. 250 a 1
- Uti ad luetum, ita et ad gaudendum commovebant. 333 c 1
- Præfidentia sæpe causa est ruinæ et excidii. 395 a 1
- Prægnantes sæpe ab hostibus discinduntur, et parvuli ad parietem eliduntur. 174 c 2
- Hoc quia Ammonitæ in Israelitas commiserere, excidio a Deo destinantur. 225 b 2
- Prægnantes Galaad secare mystice quid sit. ibidem
- Prægnatum æternæ vitæ multi Sancti in pia Eucharistiæ sumptione sentiunt. 451 c 1
- Prælati animas a puro zelo dum quærunt, proles multas pariunt spirituales; at, cum plausum et lucra aucupantur, nullas gignunt. 138 c 1
- Non debent, ut reges, domiuari in cleris. 352 a 1
- Velut venatores sunt. 81 d 2
- Eorum quod sit officium. 590 c 2
- Quales esse debeant. 591 c 1
- Ipsis se elevantibus elevatur Ecclesia, quasi luna sequens solem. 454 a 1
- Debent esse portenta sanctitatis. 534 c 1
- Sunt quasi sigillum Dei. 511 b 2
- Raro liberi sunt a culpis subditorum. 491 c 1
- Tolerant et cudent subditos rebelles. 599 d 1
- Prælati mali per lupos vespertinos denotantur. 478 b 1
- Prælati triplicem Christus habuit. 491 a 1
- Premia generalia electorum in cælo duo sunt. 670 b 1 et seqq.
- Præmonstratenses quam ob causam a primæva sanctitate deciderint. 80 b 1
- Prænotio futurorum contingentium est dos propria Deo et index divinitatis. 35 c 2
- Præsentia Dei ubique nobis efformanda. 163 b 1
- Præsentia Deo sunt omnia. 665 b 1
- Præsepe Domini quomodo exornatum a S. Helena fuerit. 361 a 2
- In eo cur reclinatus sit Christus. 444 c 1
- Quæ eius tropologica causa. 445 a 1
- Præsepium Christi septem symbola. 445 a 2
- Est id Romam delatum. ibidem
- Præstabilis est Deus super peccatores. 192 a 2
- Quam verbum hoc sit elegans, eius etymon. 192 b 2
- Hæc præstabilitas unde in Deo oriatur. 192 d 2
- Præstigiatos frequentes erant apud Iudæos. 368 d 1
- Præsumptio intolerabilis est, Deum assidue offendere, et indubitam eius opem sperare. 347 c 2
- Prasinus quis color, conflatur ex gilvo et nigro. 560 d 2
- Repræsentat terram. ibidem
- Pretium quod Christus a Iudæis pro suo pastoratu et doctoratu exigat. 598 b 2 et seqq.
- Pretium venditionis Christi quod fuerit. 599 b 1
- Preto-Ioannes, Imperator Abyssinorum, utriusque Sabææ dominum se scribit. 208 b 1
- Priapus per obscenas libidines et fornicationes colebatur. 96 c 1
- Princeps metaphoricè vocatur angulus et turris. 590 d 1
- Item paxillus et arcus. 590 a 2
- Eius officium. 590 c 2
- Qualis erga suos esse debeat. 591 c 1
- Principes quomodo esse debeant filii olei. 549 b 1
- Eorum prima dos prudentia est. 515 b 1
- Illis quæ virtutes necessariae sint. 597 b 1
- Audiant Ecclesiam et Pontificem. 564 b 2
- Sunt quasi sigillum Dei. 511 b 2
- Eorum opera et vita fundant reip. statum. 544 a 1
- Sunt quasi aurigæ reipubl. 402 a 2 et seqq.
- Item pastores. 345 c 1
- Olim myrto coronabantur. 517 c 2
- Quidam fato se et natura cæterorum dominos constitutos putant. 449 c 2
- Bene principatu fungentes coronant Christum. 563 c 1
- Eorum symbola et descriptiones. 49 c 1
- Non castigent nisi ex prudentium consilio. 303 c 1
- Suos nec expilent nec deglubant. ibidem et seqq.
- Symbolicè vocantur montes et fundamenta terræ. 369 c 2
- Eorum rebus ne se immisceant subditi. 381 b 1
- Principes impii a Deo dantur, ad sumendum de impio populo pœnas. 170 b 1
- Pii magnam in cælo gloriam sunt adepturi: impii vero in gehenna graviter sua et subditorum scelera luent. 330 d 2
- Legitimi a Deo dantur. 129 d 1
- Principes perversi Iudæorum vocantur pastores stulti. 602 a 1
- Principes septem primarios habebant reges Persarum. 536 a 1
- Principes urbium olim vocabantur reges. 575 b 1
- Vide Rex.
- Probatica piscina unde diceretur. 351 a 2
- Procellæ sæpe a Deo immittuntur ob scelera quæ in navibus fiunt, aut antea facta sunt. 309 c 2
- Symbolum sunt horrendi prælii, stragis, supplicii, vindictæ. 469 b 2 et seqq.
- Apostolos repræsentant. 589 b 1
- Processionum usus fuit etiam in veteri testamento. 194 c 1
- Ipsæ quoque Christus Dominus eas sanxit. ibidem
- Proclus Episcopus Constantinop. Theodosio Iuniori contra Scythas pugnanti accommodavit ea, quæ in Script. dicuntur de Gog et Magog. 38 b 2
- In terræ motu populo Litaniam indixit. 194 d 1
- Prodigium quid dicatur. 200 b 2
- Prodigia quæ acciderint in vita et morte, et post mortem Christi. 200 c 2
- Quæ in excidio urbis per Titum 200 d 2
- Quæ in fine mundi eventura sint. 201 a 1 et seqq.
- Quænam eventura prophetet Iael. 200 c 2 et seqq.
- Quæ urbis Ierusalem capiendæ a Romanis. 594 a 1 et seqq.
- Prodigiorum viri qui et quales dicuntur. 534 a 1
- Profano anno utebatur Iudæi ad commercia et res ci-

- viles. 489 d 1  
 Quando is inciperet. ibidem  
 Proficientes in fide et virtute quando moraliter visiones videant. 200 c 1  
 Profunditas capitulorum interdum pro calliditate. 104 a 1  
 Proles sequuntur affectum matris. 60 b 1 et seqq.  
 Et matri sunt quam patri corpore et moribus similiores. 60 a 2  
 Ab ea vitia sugunt. 60 b 1  
 Iusto Dei iudicio parentum scelera imitantur. 99 a 1  
 Proles Osee prima cur filius, et secunda filia sit. 64 d 1 et seqq.  
 Quid tres eius proles designent. 66 a 2  
 Promethei ludi quomodo celebrarentur. 299 b 2  
 Prometheus est pyrophorus, cur. 299 c 2  
 Promissiones ultimæ hominis vanæ sunt. 123 c 1  
 Promissio Dei cur vocetur misericordia et veritas. 385 b 2  
 Propagiones urbium sunt vel suburbia, pagi, oppida, vel familiæ et tribus, vel filii et nepotes, vel opes et messes. 401 c 1  
 Prophetare in Scriptura ample capitur. 200 b 1  
 Quomodo prophetarint multi in novo Testamento. ibidem  
 Prophetæ appellari possunt vere religiosi. 17 a 1  
 Et patriarchæ veteres. 17 c 1 et seqq.  
 Prophetarum interna dispositio ad prophetiam. 21 a 2  
 Sunt pictores virtutis. 22 b 1  
 Quis eorum habitus exterior fuerit. 22 d 2  
 Omnes sacro oleo uncti non fuerunt. ibidem  
 Eorum victus et gustus. 23 b 1  
 Erant Angeli terrestres. 23 b 2  
 Cur a populo secederent. 24 c 2  
 Sunt os et oracula Dei. 25 d 1  
 Sunt veluti mundi soles. 25 d 2 et seqq.  
 Eorum qualis scientia fuerit. 25 d 1 et seqq.  
 Sunt paranympsi Christi. 26 b 2  
 In iis quærenda est sapientia, non eloquentia. 26 c 2  
 Eorum quanta sit obscuritas. 27 a 1  
 In nominibus propriis cur alludant ad eorum significata. 28 a 1  
 Metonymia crebro utuntur. 28 d 2  
 Item metalepsi. 29 b 1  
 Cur soleant post oracula excidii subiungere carmen fœnebræ. 30 b 1  
 Pro scopo habent Christum. 30 c 2  
 Eorum verba diversos, imo contrarios subinde habent sensus. 31 c 1  
 Sæpe utuntur apologis. 33 a 1  
 Subinde alludunt ad fabulas poetarum. 33 d 1  
 Prægustum quemdam habuere beatitudinis. 34 b 1  
 Sæpe viderunt futura sine extasi, subinde fuerunt alienati a sensibus. 388 b 2  
 Excipientes Dei revelationem, fide divina tenebantur credere, sua oracula esse a Deo. 34 a 1  
 Cum ad certas gentes prophetant, ritus, merces, quin et voces illis proprias usurpant. 36 c 1  
 Sæpe alludunt ad historias sui temporis, quæ iam incognitæ sunt. 36 d 1  
 Aliquando quædam ex se proferunt, et in iis aliquando errant. 37 b 2  
 In quo veri a falsis differant. 37 c 2  
 In ipsis sæpe est gradatio. 38 b 1  
 Abundant paradoxis. 38 d 1  
 Antecesserunt omnem historiam Gentilium. 40 a 2  
 Cur prophetiis suis titulos præfigant. 56 a 1  
 An Prophetæ, qui nomen patriæ non præferunt, sint Hierosolymitæ. 56 b 1  
 Sunt vinivores vineæ Domini. 81 c 1  
 Ad Christum plerumque assurgere, et subito velut avolare solent. 110 b 2-197 b 1-228 a 1  
 Cur vocentur viri spiritus. 135 d 1  
 Suas prophetias solebant confirmare iuramento. 141 b 2  
 Representant personam Dei, ut eius legati. 165 c 1  
 Cur tristibus læta subiungant. 171 c 1-288 a 1-392 d 1-414 c 1  
 Multa prædicant et comminantur, quæ quando acciderint, incertum est. 183 d 1  
 Sub sceleribus sui ævi carpunt similia posterorum crimina, maxime committenda contra Christum. 227 c 2  
 Invite prophetant mala. 234 c 2  
 Deo per eos loquente tacere non audent, nec possunt. 234 d 2  
 In publico, et portis, sua oracula prædicabant. 249 b 1  
 Quomodo sua oracula a Deo intelligerent. 264 a 1  
 Prophetiæ spiritum non habebant perpetuo, sed erat is transiens. 269 a 2-325 d 1  
 Eorum visiones communiter erant imaginariæ. 280 a 1  
 Per plurimos annos prophetarunt. 241 a 2  
 Omnium miseriarum finem et liberatorem statuunt Christum. 243 a 2  
 Non scripserunt omnes prophetias suas, vel si scripserint, aliquæ perierunt. 304 c 1  
 Eorum tres sunt dotes, robor, indicium et efficacia. 346 b 2  
 Qui Iudæ prophetarunt directe, indirecte quoque respexerunt Israel, et vice versa. 241 c 2  
 Cuiuscumque Prophetæ pater aut avus in titulo ponitur, an ipsi quoque Prophetæ fuerint. 461 a 1  
 Prophetæ falsi cur se spiritu prophetico agi simulant. 478 c 1  
 Veri solebant viva voce concionari, ac deinde eadem in libro scribere, ut ab auditoribus repeti, et a posteris legi possent. 388 b 2  
 Visio eorum qualis esset. 389 a 1  
 Loquantur de futuro per præteritum ob futuri certitudinem. 419 c 2  
 Vocantur manus et organum Dei. 489 d 2  
 In suis minis et oraculis identidem iterant, hæc dicit Dominus. 492 a 1  
 Omnia tempora, æque ac sæcularia, videntur ipsis modicum quid, imo momentum dumtaxat. 498 b 2  
 Sæpe non distinguunt tempora quibus prophetias suas habuerunt. 528 c 1  
 Saliunt et resiliunt a typo ad antitypum. 543 b 1  
 Per equos nigros repræsentantur mystice. 559 d 1  
 De Christo valcinaturi non ex abrupto ad eum transeunt, sed gradatim, et cur. 573 c 1  
 Vocantur videntes. 599 d 2  
 Multa eorum quæ scribunt in visione ipsis ostensa, alia reipsa per eos et in eis facta sunt. 599 c 2 et seqq.  
 Eorum vestis exterior erat pallium e pilis animalium contextum. 23 a 1-615 b 1  
 Loquantur parabolice, symbolice et ænigmatice, cur. 629 c 2  
 Omnes homines fuere, nulli vero Angeli. 634 b 1  
 Cur Angeli vocentur. ibidem  
 Cur in Christi morte plangere debuerint. 612 a 1  
 Prophetæ Minores, cur vocentur Minores. 15 a 1  
 Multa prophetaverunt quæ scripto non tradiderunt. ibidem  
 Cur adeo pauca scripserint. 15 c 1  
 Argumentum eorum idem est quod Maiorum. 16 a 2-29 d 1  
 Eos sæpe in novo Testamento Christus citat. 16 b 2  
 Etiam Christianis eorum oracula adaptari possunt. ibidem  
 Sunt XII. numero. 16 c 2  
 Sunt antitypi XII. Apostolorum. ibidem  
 Quibus prophetarent, id ipsi in suis prophetiis indicant. 17 a 2  
 Minantur Israelitis captivitatem Assyriacam, Iudæis Babylonicam, et sub utraque Romanorum. 17 b 2  
 Cur aliqui horum patres suos nominant, alii taceant. 17 c 2  
 Cur in aliquibus nomen patriæ recenseatur. 18 a 1  
 Aliqui eorum non notant tempus prophetiæ; alii e contra id exprimunt. ibidem  
 Qui id non exprimunt, an prophetarint sub illis regibus, sub quibus prophetavit præcedens, qui tempus præfert. 18 b 1  
 Probabile est eos pene omnes in Bibliis ordine temporis quo prophetaverunt, esse collocatos. ibidem  
 Quis eorum sit ordo. 18 c 1 et seqq.  
 Unus confirmat oracula alterius. 18 a 2  
 Abundant parabolis, symbolis, ænigmatibus. 19 b 1-106 c 2  
 Aliquando ad litteram loquuntur de antiquis populi Iudaici liberatoribus, allegorice de Christo; aliquando ad litteram de Christo, etsi cum allusione ad illos. 19 b 2  
 An aliqui horum fuerint e cætu Prophetarum. 24 d 2  
 Certas sedes non habuerunt et domos. ibidem  
 Nominum eorum etymologia. ibidem  
 Quis eorum fuerit in prophetando finis. 26 b 1  
 Eorum obscuritas. 27 a 1

Affectibus abundant.	30 b 2	In primo instanti usus rationis non tenentur ad Deum per amorem Dei super omnia converti.	516 c 1
Eorum harmonia chronologica.	40 a 1	Puer capitur pro ministro.	523 b 2
An prophetare inceperint circa exordia urbis Romæ.	40 d 2	Puerorum maxima habenda est cura.	602 d 1
Qui prophetarint ante captivitatem Babylonicam, qui post reditum ex ea.	41 d 1	Pugnam vitiorum et virtutum tropolog. repræsentat contentio Esau et Jacob.	638 d 1
Prophetarunt omnes per 300 annos.	41 d 2	Pulcheria Augusta: elogium.	225 a 1
Prophetia: hieroglyphicum quod sit.	19 d 1	Pulchrum et pulchritudo Christi quomodo sit Euchari- stia.	583 c 1 et seqq.
Vera a falsa quatuor iudiciis dignoscitur.	22 c 2	Pullus asinæ cui Christus insedit, quid symbolice repræ- sentet.	577 d 2
Eius donum aliquando etiam impiis datur.	22 a 1	Pulvis pedum Dei, quem eis Nahum attribuit, tria de- notat.	390 a 2
Continua non datur nisi Sanctis, ob tres causas.	ibidem	Punit (quos) Deus in hac vita, non punit in futura.	394 c 1
Eam assequendi modus.	22 c 1	Puniuntur severe Dei castigationem non astimantes.	63 d 1
Qua via cum Anachoretæ acceperint.	22 a 2	Punire est actus iustitiæ vindictivæ.	155 d 1
Exposcit lumen supernaturale.	31 d 2	Pupilla nihil magis custoditur; cur Hebræis dicatur filia.	527 d 1
Proprie donum Dei est.	35 c 1 et seqq.	Pupilli in Deo Deique protectione habitant.	175 d 2
Eius definitio.	35 d 2	Purgatorio (e) verisimile est a Christo liberatas fuisse animas in eius ad inferos descensu.	173 b 1
Nunc dicitur visio, nunc verbum Domini.	329 b 1-516 d 2	Eius ignis post hanc vitam astruitur.	661 a 2
Per catachresin ad præteritum et præsens tempus se etiam extendit.	36 a 2	Est murus igneus paradisi caelestis.	525 a 1
Eius octo modi et species sunt.	36 b 2	Puritas Angelica in sacerdotibus requiritur.	644 b 1
Unde dignoscantur, quod lætæ, vel tristes, vel mistæ sint.	33 d 2	Puritas omnimoda dicitur sanctitas.	424 b 1
Eam Deus sanctioribus subinde negat, minus sanctis vero, imo impiis, eam communicat.	635 b 1	Nascitur ex amore et adhesionem ad Deum, resque di- vinas et caelestes.	424 c 1
Olim de avis transibat in filios.	516 a 1	<i>Πυροφορος</i> , id est, frumentarius: quod eius officium.	299 a 2
Pleræque Prophetis per intervalla variis diebus, quin et annis a Deo fuere revelatæ.	528 c 1	Vel ignifer.	299 b 2
Pleræque veteres adimpletæ sunt vel ante Christum, vel per Christum.	38 b 2	Potius est antesignanus castrorum, qui laurum, co- rollas et lampada præferebat.	299 c 2
Quæ de vocatione Gentium ad Ecclesiam, quando im- pleta sit.	288 b 1	Erat inviolabilis: hinc significat residuum.	300 a 1
Prophetia Ionæ de Ninives subversione fuit conditio- nata.	321 c 1	Purpureas cristas galeis cur adderent milites.	401 c 2
Propheticum lumen quid sit.	35 a 1	Purpureis vestibibus utebantur Chaldæi.	401 b 2-560 a 1
Est necessarium, non liberum menti.	35 b 1	Purpureus color index ignei animi est; dicitur quasi purus urens, id est ignis.	402 a 1
Propheticus spiritus saltus et resultus, qui.	543 b 1	Purus est qui toto affectu adhæret Deo.	424 c 1
Propositum deliberatum peccandi est velut statera dolosa.	164 d 1	Pusilli homines ingenio et arte præstant.	292 a 2
Proselyti ad Iudaismum facti multi per victorias Macha- bæorum.	629 c 1	Puteos sibi quisque in Mesopotamia locisque vicinis ob terræ ariditatem fodiebat.	88 a 1
Prosperitas sæpe opprimit eum a quo habetur.	417 a 2 et seqq.	Putredo (mors cur vocetur) periphrastice.	456 b 2
Ea stultus efficitur stultior.	417 a 2	Pyretorum magnorum in Cappadocia quod esset offi- cium.	462 d 1
Prostitulum latine et lupanar, et meretricem sonat: eadem etiam prostitula femine dicitur.	207 a 1	Pythagorici per symbola sua dogmata tradebant.	19 b 1
Protagoras ex huiusmodi lignorum factus est philosophus.	284 b 2	Per numerum nominum divinabant.	310 b 1
Providentiæ divinæ symbolum.	45 c 1-244 b 2		
Eius laqueos nemo potest evadere.	233 d 2		
Eius duæ partes sunt, sapientia et decretum, sive præordinatio et executio.	559 a 2		
Ipsa est triplex.	535 d 2		
Ipsa est symbolice candelabrum.	541 d 1		
Est veluti testudo sanctorum, sub qua latitant.	403 a 2		
Illa in Deo æterna est.	665 a 1		
De ea cur dubitarunt multi.	417 a 1		
Obscura nobis est.	518 b 1		
Per candelabrum repræsentatur.	540 b 2-541 d 1		
Oculus et sol mundi est.	535 a 2-553 c 2		
Proximus, cur Hebræis sit socius et amicus.	570 b 2		
Psalmi qui Aggæi et Zachariæ nomine inscribuntur an ab ipsis compositi.	488 a 1		
Psalmi cuiusque affectus psallens induere debet.	251 a 1		
Eos Iudæi in templo in laudem Dei canebant.	251 c 1		
Idque voce, et instrumentis musicis.	ibidem		
Mentem excitant, elevantque ad sublimia.	21 d 2		
Pseudopastores cur vocentur hirci.	589 b 2		
Pseudopropheta: cur sibi stigmata infligerent.	615 a 2		
Comptuli incedebant.	346 d 1		
A veris quibus signis dignoscantur.	22 c 2		
Ptolemæus Philadelphus Bibliothecam Alexandriam mi- re auxit: ipsius auspiciis adornata interpretatio Bi- bliorum Græcorum.	410 c 1		
Multa Iudæorum millia ex Ægypto libertate donata domum remisit.	592 d 1		
Qualem mensam templo Hierosolymitano obtulerit.	640 d 2		
Ptolemæus Philopator, templi Hierosol. sancta Sancto- rum ingredi volens, pœnas dedit.	606 d 1		
Puella quadam Tullensis triennio toto omni cibo absti- nuit.	585 a 2		
Pueri plerumque patrisant, et parentum vitia imitantur.	99 b 1		
<i>Vide Proles.</i>			

## Q

Quadragesimalis numerus symbolum est poenitentiae.	320 d 2
Quadragesimalis ieiunium qui servant, Deo anni velut decimas per abstinentiam dependunt.	571 d 1
Quadragesimo post Christi mortem anno Ierusalem a Romanis excisa est.	594 b 1
Quadragesima (S.) Martyres quibus se vocibus ad constan- tiam animarint.	625 b 1
Quadrige Dei sunt vubes.	452 a 2
Quadrige quatuor quas Zacharias vidit, quid signifi- cent.	558 b 1 et seqq.
Repræsentant IV. monarchias, et cur.	559 a 1
In quadrige depugnabant veteres; hinc belli, et re- gni bello parti est symbolum.	559 b 1
Mystice quadrige Zachar. sunt quatuor genera San- ctorum.	559 d 1
Ventis assimilantur.	561 a 1
Quærere regnum Christi, est idem quod ab eo possi- deri.	288 a 2
Deum quinam quærant, et quomodo.	288 a 2-463 c 1
Quatuor capitur in Scriptura aliquando pro <i>quartum</i> .	219 c 1
Idque an auxesin.	ibidem
Quatuor scelera Damasci an definite, an indefinite, accipienda sint.	219 a 2
Quatuor temporum ieiunia adumbrata per quatuor solemnia Iudæorum ieiunia.	571 b 1
Ob quatuor causas ea instituta.	ibidem et seqq.
Quercus symbolum sunt divitum.	229 c 2
Item fortitudinis et constantiæ.	229 c 2-549 b 2
Quærela impiorum de Dei providentia.	656 a 1
Quies in Deo quam suavis sit.	565 a 1

- Quies mentis est prima dispositio ad prophetiam. 21 a 2  
 Eius vis et effectus. ibidem  
 Quies eorum qui ad Dominum converti incipiunt. 82 a 2  
 Quinzai Tartariæ urbs complectitur iter tridui et amplius, et eius descriptio. 319 a 2  
 Quippe ponitur interdum pro *quavis*. 574 c 1
- R**
- Rabba metropolis fuit Ammonitarum, postea dicta Philadelphia. 225 d 1  
 Rabbini censent Messiam suum mutationem quamdam miram in frumento facturum. 177 d 2  
 Racematio competit Christo, diabolo plena viudemia. 378 a 2  
 Radices Hebrææ sunt trilitteræ: quadriliteræ sunt peregrinæ, vel ex duabus radicibus Hebræis conflata. 302 a 1  
 Radices iacere vel mittere quid sit. 177 a 1  
 Radix Israel significat fecunditatem illi a Deo inditam, vel reges eius. 138 c 2  
 Rad i lucis cur vocentur corona. 447 d 2  
 Ramiri regis Castellæ de Saracenis victoria virtute Ven. Eucharistiæ parta. 585 c 1  
 Ramoth Galaad, vel Ramatha quæ urbs esset. 116 a 2  
 Rappa fuit pater gigantum. 253 a 2  
 Raptus mentis an fiat naturaliter. 34 c 1  
 Fit aliquando sine alienatione mentis a sensibus. ibidem  
 Rasin, Syria rex, a Teglatphalasar rege Assyriorum occisus fuit, et Damascus eversa. 222 b 1  
 Ratio hominis est velut lucerna, et eum accusabit in die iudicii. 468 b 1  
 Rationem quam exactam in die iudicii exacturus sit Deus. 467 a 2 et seqq.  
 Rationale Pontificis Hebræi an haberet duo simulacra dantia responsa consulentibus. 90 b 1  
 Raucum an hominem lupus reddat. 421 a 2  
 Reblatha urbs an sit Emath minor, et Epiphania. 256 b 1  
 Reboatus cur dicatur aquilarum vox, eiusque vis. 127 a 2  
 Receptatores maleficorum pœnis eiusdem subiacent quibus ipsi malefici. 309 c 1  
 Rectam habere animam est recte de Deo sentire. 431 d 1  
 Rectoribus quæ sint dotes et virtutes necessaria. 597 b 1 et seqq.  
 Sunt Atlantes reipubl. 530 c 2  
 Redemptio Christi fuit sufficiens ad homines omnes salvandos. 155 d 1  
 Per autonomasiam opus Dei est. 441 c 2  
 Reditus honorum operum post penitentiam adstruitur. 198 d 1  
 Reformatio laicorum inchoanda a reformatione sacerdotum. 639 a 2  
 Refractarii faciem avertunt. 567 a 2  
 Regimen (id) optimum est, in quo suavitas cum fortitudine miscetur. 367 d 2  
 Regimen duplex Dei erga Iudæos post tempora Zachariæ, unum amoris, alterum terroris. 49 c 1  
 Regimen lenè longe potentius et durabilius est duriori. 596 b 1 et seqq.  
 Regimen summum Iudæorum post captivitatem mansit penes pontifices. 533 d 1  
 Regina Saba venit ex Abyssinia. 461 c 2  
 Regiones olim desertæ, per fidem Christi redditæ sunt habitabiles. 626 d 2  
 In regionibus piscosis post admissam hæresim pisces alio commigrarunt, vel emortui sunt. 93 b 2  
 Regionum natura et feracitas perit vel immutatur. 270 d 1  
 Regiones suburbicariæ Romæ quæ dicerentur. 319 d 1  
 Regius morbus quis sit, et unde dicatur. 240 d 2  
 Regna mortalia, mera somnia sunt. 149 b 2  
 Quam brevi ea concidant. 406 c 1  
 Qua ratione habeant naturam ventorum. 561 c 1  
 Remota iustitia, sunt magna latrocinia. 355 b 1  
 Eorum fundamentum est vera religio. 119 c 2-138 d 2  
 Regnum animæ est primum et maximum. 352 c 2  
 Regnum Christi est Ecclesia, sed spirituale. 287 c 1  
 Quam id amplum sit. 287 a 2  
 In die iudicii id perficietur. 288 a 1  
 Regnum Dei in anima quam excellens sit. 303 c 1  
 Consistit in gratia et virtutibus. 303 d 1  
 Dirigitur ad animæ quæ regitur, utilitatem. 303 a 2  
 Facit subditos suos nobiles. ibidem  
 Regnum Davidis mobile fuit et temporaneum, Christi immobile est et æternum. 287 b 1  
 Illius rupturæ variæ. 287 c 1  
 Regnum Israel Deus non instituit, sed regnum Iuda. 128 c 2 et seqq.  
 Regnum Hebræorum non tantum humanum erat, sed et spirituale. 128 b 2  
 In regno Christi desinunt monarchiarum symbola a Prophetis visa. 560 d 1 et seqq.-564 c 1-577 a 1  
 Id magis spirituale quam temporale est. 577 a 1  
 Regnum omne sub alio graviore est regno. 522 a 1  
 Regnum Iuda et Israel an litteraliter significant duæ virgæ pastoritiæ Zachariæ. 595 d 2 et seqq.  
 Religio Christiana semper in una lingua floruit. 481 b 1  
 Religionis virtutem quomodo in Eucharistia exercere possimus. 645 a 1  
 Ipsa mater est omnis felicitatis. 570 b 1  
 Quantopere Deo placeat. 508 b 2  
 Religio vera regni firmamentum est. 119 c 2  
 Religiosis status, et vita in ea, et vocatio ad eam opus Dei est. 230 a 1  
 Religionis in quibus viget disciplina, sunt horti mælogranatorum. 610 c 2  
 Eæ quantopere ambiuntur. 570 a 1 et seqq.-608 b 2  
 Sunt velut domus David, et cur. 608 b 2  
 In his non minus colitur Deus quam in templo votis, oblationibus, sacrificiis. 512 b 2  
 In eis Deus præsidet. 512 c 2  
 Religiosi non se immisceant rebus sæcularibus. 121 c 1  
 Nam tunc robur spirituale paulatim amittunt. 123 b 1  
 Sicut familiares Deo, et cum eo ambulent. 376 a 1  
 Suum ament Ordinem ut columba columbare. 158 a 1  
 Superiori suo omnem conscientiæ statum aperire debent. 170 c 1  
 Non frequentantes orationem sunt velut mortui. 376 a 1  
 Tepidi non omnes gratias simul, sed modo hanc, modo illam amittunt. 107 a 2  
 In morte exultant. 172 d 2  
 Mystice Prophetæ sunt. 17 a 1  
 Eos satius est carni non parcere, quam mundanos in stercore suo computrescere. 188 b 2  
 Dicit possunt filii Prophetarum. 24 b 2  
 Vocari possunt Nazaræi. 228 d 2 et seqq.  
 Eorum lauitias quam iniuste suggillent malevoli. 76 b 2  
 Velut fortes Davides sunt. 608 b 2  
 Sunt Angelis familiares. 608 c 2  
 Quomodo plangant mortem Domini. 610 b 2  
 Deo per vota ligati sunt velut sacrum quoddam vas. 646 c 1  
 Sunt Dei holocaustum. 646 d 1  
 Eorum vita quam alta et a vulgo separata sit. 582 b 1  
 Eos parit vita religiosa. 572 b 1  
 Sunt gloria Ecclesiæ. 607 c 2  
 Esse debent portenta sanctitatis et prudentiæ. 534 d 1  
 Velut conubium ineunt cum Deo. 652 d 2  
 Opibus coacervandis non iuvent. 467 a 2  
 Cur sæpe sedes suas mutant. 468 c 2  
 Religiosi veteres vocabantur filii Prophetarum. 612 d 1  
 Reliquiæ Idumæorum cur dicantur a Propheta. 288 d 1  
 Reliquiæ Iudæorum in fine mundi per Eliam et Henoch convertentur. 365 c 1  
 Remigius (S.) cælitus Episcopus Rhemensis designatus est. 663 c 1  
 Remissio peccatorum summum Dei donum est. 366 a 1  
 De remissione peccati sui ex parte sua, quomodo dubitare penitens possit. 324 b 1  
 Remmon duplex fuit urbs, una in Tribu Simeonis, altera in Iuda: utriusque situs. 627 b 1  
 Unde locus dictus. 627 c 1  
 Remora pisciculus ingentes naves valido vento actas remoratur. 292 a 2  
 Rempna vel Rephan quid sit. 252 d 2  
 Unde vox illa Græce derivetur. 253 a 1  
 An vox sit Hebræa vel Arabica. 253 b 1  
 Quale sit idolum. 253 d 1  
 An sit Hercules vel Lucifer. 253 a 2  
 Renegati robnr Turcæ, sunt infensissimi Ecclesiæ hostes. 629 a 1

- Reprobatio (an in Deo sit) damnandorum, non ob eorum demerita, sed ex mero Dei beneplacito. 154 c 2 et seqq.  
 Est ex homine peccante, et sequitur in peccatis ad finem usque vite obdurante. 168 a 2  
 Ipsa non est causa peccati, sed potius eius effectus. 168 d 2  
 Necessario peccatum vindicandum quasi obiectum proprium præsупponit. ibidem  
 Eius signum et causa est, nolle Deum sequi, sed suas voluntates, et cupidines. 308 a 2  
 Reptile animal quod dicitur. 426 c 2  
 Ea in terra degunt, et in suis antris quam primum deprehenduntur; nullum habent ducem, solitaria vivunt, tardigrada sunt. ibidem  
 Iis comparantur homines. 426 d 2 et seqq.  
 Repudium uxorum multis argumentis dissuadetur. 654 a 1 et seqq.  
 Non erat id olim licitum ob uxoris odium. 655 d 1  
 Id, Deo dispensante, Iudæis fuit licitum. 58 c 1  
 Resignare nos totos Deo debemus. 327 c 2  
 Respondere capitur nonnunquam pro incipere loqui. 547 d 2  
 Respubl. est quasi magnus quidam homo politicus. 454 b 2  
 Reip. firmamentum, decus et gloria sunt regnum, sacerdotium, et militia. 590 b 2  
 Respublicæ hæreticæ sacerdotes Christianos exterminantes, illis, Christo, sibi iniuriæ sunt. 94 c 1  
 Restauratio qualis gentium captivarum per Prophetas promittitur. 287 d 2 et seqq.  
 Restauratores Ecclesiæ suæ semper excitavit Deus. 495 c 2  
 Resurrectio est effectus Eucharistiæ. 586 c 1  
 Christus quomodo in die resurrectionis prædatus sit gentes, limbum et infernum. ibidem  
 In ea quomodo sordidas vestes velut exuerit. 532 d 2  
 Ea post passionem successit, quasi lux post tenebras. 624 b 2  
 Eius aptissimus testis et præco poterat esse Ionas. 318 a 1  
 In ea Christus plene nos vivificavit. 110 d 2  
 Certam ex ea nos fidem et spem resurrectionis nostræ habemus. 111 a 1  
 Eius symbolum est phœnix et hydrus. 171 c 2  
 Ante eam qui ibant in mortem, ibant pariter in infernum. 170 c 2-171 b 2 et seqq. 172 c 1  
 Resurrectio ad gloriam denotatur per aquilam se renovantem. 338 d 2  
 In universali resurrectione omnes ad vitam revocabimur. 171 a 1-172 d 1  
 In ea quomodo sit futura lux. 624 c 2 et seqq.  
 Vocatur dies iudicii resurrectio Christi. 479 d 2  
 Rete divinæ providentiæ nemo evadere potest. 233 d 2  
 Revelationes spirituales assiduæ mentem mire illustrant. 451 b 1  
 Reverentia quomodo generet horrorem et stuporem. 646 c 2  
 Rex græcæ cur dicatur *βασιλευς*. 369 c 2  
 Rex est qui cupiditatibus suis, potentiis animæ, et appetitibus, sensibus, linguæ et omnibus membris dominator. 303 b 2-352 b 2  
 Rex Nioces publicum suis indixit ieiunium ad prædicationem Ionæ. 321 c 2  
 Quis ille fuerit. 321 d 2  
 Rex mitis Ierusalem ingressurus, quem prædicit Zacharias, non est Zorobabel, nec Alexander Magnus, sed Christus. 576 c 2 et seqq.  
 Rex quidam, toti orbi dominaturus, ex Oriente venturus, a Sybillis prædictus, est Christus; hoc oraculum Gentiles ad Vespasianum detorserunt. 499 a 2  
 Reges sunt pastores populi. 345 c 1  
 Ambitiosi non regnant ex Deo. 129 b 1  
 Sed legitimi. 129 d 1  
 Ab Homero dicitur lovis alumni. ibidem  
 Eorum potentia sine Deo invalida est. 141 c 1  
 Sunt Christi, quia uncti olio in inauguratione. 366 b 2  
 Illorum est prodesse omnibus, nocere nemini. 303 b 1 et seqq.  
 Ab iis pendet regni fides vel infidelitas. 330 d 2  
 Auroræ comparantur quæ aurea videtur, sed mox evanescit. 149 b 2  
 Per eorum lapsus castigantur populi. 170 b 1  
 Pro iis Deum qui orat, optime orat. 120 a 2  
 Impii non regnant ex Deo. 129 b 1  
 Ii sunt pastores dæmonis. 122 b 2  
 Regum cor est in manu Dei. 489 a 2  
 Sunt filii olei 549 b 1
- Aurigis comparantur. 559 b 1  
 Reges suos tributis gravantes ex iis non dantur. 494 c 1  
 Reges summam habeant potentiam, sapientiam, bonitatem, et cur. 596 c 2  
 Sunt Dei simulacrum. ibidem  
 Sibi comparantur, cordi, et medico. 596 d 2  
 Regum liberalium exempla. 597 a 1  
 Eorum potes variæ. 597 b 1  
 Olim in palatiis habebant templa deorum tutelarium suorum. 403 c 2
- Reges Assyriorum et Persarum septem penes se habebant intimos consiliarios. 366 c 2 et seqq.  
 Reges Israel quomodo dederit Deus in ira sua. 169 b 2  
 Ii Assyrii munera et tributa solverunt. 131 b 2  
 Omnes idololatræ fuerunt. 330 c 2  
 Ii toti populo causa idololatriæ fuerunt. ibidem  
 Regum Israel alii regnum tyrannice invasere, alii quomodo a Deo electi. 128 b 1 et seqq.  
 Reges Iuda sibi continuo succedentes sob quibus prophetarunt Prophætæ. 40 a 1  
 Regibus variis olim lampades et faces prælucebant. 547 b 2  
 Regibus piis Deus difficultates omnes complanat ad extirpandam hæresim. 542 c 2  
 Reges barbari uxoribus civitates donabant. 406 a 2  
 Reges varii Babylonii recensentur. 399 b 2 et seqq.  
 Reges Iudæorum et duces iusti iniustique an per duplicem Zachariæ virgam significantur litteraliter. 596 a 1 et seqq.
- Vide* Princeps.
- Rhabdomania prisca erat in usu: quis eius ritus. 98 b 1  
 Ricionum qualis sit herba, an Hebræo *kikaion* respondeat. 326 a 1  
 Rigor humanitate mitigandus principi et rectori est. 596 c 1  
 Risus (altaria) quæ sint. 268 a 2  
 Risus Sardonius quid sit. 29 c 2-248 d 2  
 Rivas Ægypti quis dicatur. 263 b 2-277 d 1  
 Rixa omnis a nuptiis abesse debet et coniugio. 653 c 2 et seqq.  
 Robur node dictum. 229 c 2  
 Robur animæ in quo consistat, et quomodo parandum. 400 a 2  
 Rogandus Deus, ut nos iis dirigat viis, quibus præscit nos ad salutem venturos. 308 b 2  
 Rogomelech qualis fuerit. 566 b 1  
 Quid ad verbum significet. 566 d 1  
 Roma quando condita. 40 d 2  
 Roma Gentilis cur symbolice vocetur *filia latronis*. 356 c 1  
 Eius primi incolæ fuere latrones. ibidem  
 An primitus vocata Valentia. 343 c 2  
 Eius magnitudo et dimensio. 319 b 1  
 Eius incolæ. 319 d 1 et seqq.  
 Cur a S. Ioanne vocetur Babylon. 556 c 2  
 Plena fuit aquæductibus. 625 d 1  
 Roma moderna alio loco est quam vetus. 607 d 1
- Romanorum monarchia per equos varios et fortes representatur. 560 d 1  
 Eius fortitudo et varietas. ibidem et seqq.  
 Quando ea cœperit. 561 b 2  
 Quam variæ in Iudæos affecti fuerint. 560 d 1  
 Ii an Iudæis fuerint stulti pastores. 601 d 2  
 Eorum castra Ierusalem obsidentium describuntur. 621 d 1 et seqq.
- Urbem et templum Ierusalem funditus diruerunt. 594 a 1  
 Etiam linguam suam victas gentes suscipere cogebant. 481 c 1  
 Conflicturi cum hoste, tunicam coccineam in prætorio exponebant. 401 c 2  
 Iudæos post excidium orbis in cloacis, speluncis, sepulchris scrutati, inde extraxerunt ad necem. 467 a 2  
 Omnium gentium deos colebant, ut eos haberent faventes. 141 a 1  
 Iudæi sunt Idumæi. 293 a 1  
 In vexillis præferabant aquilas. 127 c 2  
 Non virgis cadebantur, sed sarmentis vitium. 139 c 2  
 Romani Pontifices, semper exagitati, semper crevere et numero et robore. 607 a 2  
 Rom, Ecclesiæ dignitas et potestas. 541 a 2  
 Princeps est omnium Ecclesiarum. 536 a 2  
 Romula (S.) felix mors et ingressus in calum. 413 c 2  
 Romulus iactis urbis fundamentis templum Iovi Statori et

- Feretrio dēdicavit. 492 d 1  
 An conditor urbis Romæ. 38 b 1  
 Est fratricida. 224 c 1  
 Vetuit regnum adiri, nisi annuente Deo. 129 d 1  
 Ρωσ Græcis est puniceum. 611 c 2  
 Ros significat mystice suavitatem. 367 d 2  
 Item doctrinam. 176 b 1  
 Ei assimilatur Christi ortus. 112 c 2  
 Roris descriptio et proprietas. ibidem et seqq.  
 Rosa odoris est prodiga, et citissime evaporatur: cur  
 Græcis ρόδος dicatur. 258 b 2  
 Calor in rosa profusi odoris est causa. ibidem  
 Rostra in candelabro Zachariæ quæ dicantur, et quid  
 representent. 548 b 1 et seqq.  
 Rubens color zeli et acrimonie est index. 560 a 1  
 Refert ardorem stellæ Veneris. 253 c 2  
 An in mari Rubro eiectus sit Ionas. 315 b 1  
 Rubiginosa, festi dies Romæ erant ad amoliendam rubi-  
 ginem. 183 b 1  
 Rubigo plaga segetum et germinum. 182 c 2  
 Quale id vitium segetum sit, et unde oriatur. 183 b 1-240 d 2 et seqq.  
 Dicitur a rubedine. 183 b 1  
 Ruti equi alacriores et animosiores sunt. 560 a 1  
 Quas gentes representent. 519 c 1  
 Rufus equus Zachariæ visus quid symbolice denotet. 517 b 1  
 Rugitui leuculorum comparatur in Script. ira Dei et  
 hostium insultus. 233 b 2  
 Ruinas Israel quomodo Deus resarciverit. 287 b 2 et seqq.  
 Ruminare quid sit: est proprie animalium. 125 d 1  
 Rure natus est Christus. 357 b 1  
 Russata quæ factio aurigarum. 560 d 2  
 Color hic ignem representat. ibidem  
 Russati cur et unde dicerentur milites. 401 c 2  
 Rutellum vel rutrum dicitur a radendo. 299 a 2
- S**
- Sanaan* accipi potest vel ut nomen proprium urbium,  
 vel ut appellativum significans exitum. 334 b 2  
 Sabbatum Hebræis erat quintuplex. 275 c 2  
 Sabbæi dæmonibus moribus et nomine sunt similes. 207 c 2  
 Duplices Sabbæi sunt, vel Æthiopes, vel Arabes Ara-  
 biæ Felicis. 208 b 1-482 a 1  
 Sabas (S.) quam parvi Deo fretus vim omnem hominum,  
 dæmonum et ferarum faceret. 627 c 2 et seqq.  
 Sabbath mensis respondet nostro Januario. 516 c 2  
 Saccus cilicinus erat exterior vestis Prophetarum. 23 a 1-615 b 1  
 Erat vestis aspera lugentium et pœnitentium, qua  
 utebantur ad Deum placandum. 186 b 2-278 c 1  
*Sacer* capitur aliquando pro execrando. 229 a 2  
 Sacro anno utebantur Iudæi ad festa et res sacras:  
 quod eius initium. 489 c 1  
 Sacerdos, altare, et sacrificium, sunt correlativa. 195 c 1  
 Sacerdos quidam Romæ XL. annos ex sola aeris in-  
 spiratione vixit. 424 c 2  
 Sacerdos mystice lebes est, et cur. 632 a 2  
 Sacerdos omnis in ordinatione consecratus est Domino. 633 a 1  
 Sacerdotes sacrificantes in quo Deiparæ matri similes  
 sint. 362 a 1  
 Orando saneteque vivendo se hostiam Deo pro pec-  
 catis populi offerant. 95 d 1  
 Indigne sacrificantes abominabiles sunt Deo. 134 d 1  
 Tripliciter peccata populi comedunt. 94 b 2  
 Cur dicantur sancti. 95 b 2  
 Eos custodire decet cultum ritusque sacros Dei. 96 d 1  
 Eorum est flere peccata populi. 195 d 1  
 Olim in sacrificio hac de causa sudario utebantur. ibidem  
 Præ laicis sunt tribus titulis filii Dei. 639 d 1  
 Ab eorum reformatione inchoanda reformatio laico-  
 rum. 639 a 2  
 Stomacho comparantur, et quomodo. 639 c 2  
 Eorum vita qualis esse debeat. ibidem  
 Quanta in iis requiratur puritas. 644 b 1-662 a 2  
 Eorum quanta sit dignitas. 645 c 1-651 a 1  
 Sunt mediatores Dei et hominum. 645 c 1-650 b 2  
 Dei gloria est eorum scopus. 647 b 2
- Variæ eorum dotes. 649 c 1  
 In iis requiritur libertas corripiendi. 649 d 1  
 Zelum habeant animarum. 649 b 2  
 Animarum pereuntium reddent rationem. ibidem et seqq.  
 Eorum est scire et docere legem Dei. 649 d 2  
 Quomodo sancta et salutaria loqui debeant. 650 a 1  
 Comparantur apibus. ibidem  
 Angeli septem titulis sunt. 650 d 1  
 Sunt Dei ministri, et iugiter ei adstare debent. ibidem  
 Quomodo inter homines agere debeant. 650 a 2  
 Eorum potestas. 650 b 2  
 Sunt maiores regibus. ibidem  
 Impuri iusto Dei iudicio contemptui sunt. 651 d 1  
 Immundi tactu rei sacræ non sanctificantur, sed po-  
 tius eam sœdant. 507 c 1  
 Baptismum non vitiant. 507 a 2  
 Populum sanctitate excedant. 603 b 2  
 Inter Angelos versantur. 533 a 2  
 Esse debent in vita portentosi. 533 c 2  
 Sacerdotes in primitiva Ecclesia pene omnes ad mor-  
 tem rapiiebantur, erantque duces ad martyrium. 662 c 2  
 Sacerdotum veterum arroganter in templo incedentium  
 fastus taxatur. 464 b 2  
 Pauperum bona specie religionis, quasi illa offerenda  
 sint Deo, dolose diripiiebant. 464 d 2  
 Sacra obituri mutabant vestes. 532 d 2  
 Sacrificabant tunica linea induti. 462 d 1  
 Sacerdotes Priapi erant feminæ. 404 a 1  
 Et eum sua prostitutione colebant. 98 d 2  
 Sacerdotes Baal ad eum placandum cultris se concii-  
 debant. 124 a 2  
 Sacerdotes per Israel sparsi, etiam ad cultum idolo-  
 rum deflexerunt. 102 c 1  
 Eos cur Ioel plorare velit inter templi vestibulum et  
 altare. 195 c 1  
 Sacerdotum Bethelinorum avaritia. 280 c 2 et seqq.  
 Sacerdotes an vitulos aureos Ieroboam furati, deau-  
 ratos eorum loco reposuerint. 143 a 1  
 Sacerdotio (ex) pendent totius populi fides et religio. 94 c 1  
 Eius oblatio ingens Dei castigatio est. ibidem  
 Maius est regno, imo est cæleste regnum. 650 d 2  
 Sacra cur negligenter Iudæi post reditum e captivitate  
 Babylonica. 640 b 2  
 Sacramenta semper omnibus patent. 626 c 1  
 Mystice intelliguntur per septem infusoria candelabri  
 Zachariæ. 540 b 1  
 In eorum multis est usus olei. ibidem  
 Ex opere operato, non operantis, iustificanti. 327 c 1  
 Sacrificium est cibus Dei. 133 b 2-134 a 1-640 b 1  
 Eius tres species a Deo Iudæis præscriptæ erant. 644 a 1  
 Omne olim cremabatur. 643 b 1  
 Veterum fuit oblatio thuris. 462 b 2  
 Sacrificia Iudæorum placebant ex opere operantis,  
 Eucharistiæ ex opere operato. 251 b 1-640 c 1-  
 642 a 1-663 b 2  
 Est hoc præstantius Aaronico. 663 b 2  
 Imo omnium præstantissimum. 583 d 2 et seqq.  
 Sacrificium mysticum animæ sanctæ quod sit. 512 b 2  
 Sacrificium Christianorum aut Eucharisticum est, aut  
 spirituale et mentale. 633 a 2  
 Sacrificii nomine intelligitur omnis cultus Dei externus. 114 c 2  
 Eius actus ut manat a religione et devotione interna,  
 melior est actu misericordiæ; non tamen sacrifi-  
 cium externum. 114 a 2 et seqq.  
 Erat actus religionis et patriæ Dei. 114 a 2  
 In sacrificio laudis offerri fermentum non poterat,  
 quia sacrificia Hebræorum erant azyma. 239 c 2  
 Sacrificia quorundam cur Deo displicerent. 134 b 1-134 a 2  
 Ea offeriebant Gentiles cum arandum, metendum, et  
 vindemia esset calcanda. 133 b 1  
 Ea sortibus addebant, ad idolum quod consulebant  
 conciliandum. 310 a 2  
 Sæculum hoc æstuans, est velut mare. 156 c 2  
 Sæculorum ordo duplex quoad chronologiam. 40 d 1  
 Sægæ dæmonis sunt mancipia. 337 a 1  
 Sægena est rete minus. 427 a 2  
 Ita vocatur Belus Deus Chaldæorum. 427 d 2  
 Item industria militaris et arma Nabuchodonosor. 428 b 1



- Sagittæ Dei sunt fulmina, tonitrua, grandines, et lapides. 453 d 1  
Per sagittas quomodo veteres divinarent. 98 b 1
- Sal aliud est marinum, aliud quod ex terra instar bituminis effoditur. 473 d 1  
Conservat pisces a putrefactione. 425 a 2  
Eo aspersa terra sterilesceat. 473 a 2  
Symbolum est communionis. 473 b 2  
Item æternitatis: id adaptatur sacrificio Eucharistico. 643 b 2
- Salamandra constantiæ symbolum est, eamque pro insigni assumpsit Franciscus I. Gallie rex. 159 b 2
- Salathiel an fuerit binomius. 490 d 1  
An fuerit Zorobabelis pater, an avus, an pater eiusdem adoptivus. 490 a 2  
Mortuus est in Babylone. 490 c 2
- Salmanasar, rex Assyriae, defectionem Israelitarum tam a Deo, quam a se ultus est. 143 b 1
- Salomon rex uti nomine, ita re ipsa pacificus, fuit typus Christi. 366 d 1-524 b 2  
Quod mulierum amoribus fuerit implicatus, forte a matre adultera hausit. 60 d 1  
An habuerit anulum fatalem sapientiæ. 509 a 2
- Salomonis (R.) fabella de pisce masculino et fœmina Ionam devorante. 314 c 1
- Salus tantummodo ex Deo quomodo sit. 169 d 1  
Salus nonnunquam accipitur pro splendore et munditie. 671 d 1
- Salutatio Christi et Apostolorum ex ritu Hebræorum erat, *Pax vobis*. 569 d 2
- Salvantur pauci, pereunt plurimi. 378 a 2 et seqq. 618 b 1  
Salvatur nemo nisi per Evangelium. 203 c 2
- Salvatio Iudæorum e captivitate Babylonica fuit umbra salvationis, quam attulit Christus. 299 a 2  
Salvatio hominum, sive salus, sunt Dei equi. 452 c 2
- Salvianus, Episcoporum appellatur magister. 603 c 2
- Samaria urbs erat in monte Sæmer sita, hinc ut et tota regio dicta: dein in Augusti honorem vocata Sebaste: eam Herodes a fundamentis instauravit, et muro circumdedit. 125 b 1-235 c 1-236 c 1  
Vocatur a Michæa ænigmatice Aphra, Sappir, Sanaan. 33 a 2 et seqq.
- Cur vocetur *virgo Israel* ab Amos. 215 c 1
- Samariæ nomine cur vocentur decem Tribus. 17 b 2
- Eius restitutionem quomodo promittat Deus. 287 c 2
- Quomodo in æcerum lapidum convertenda dicatur. 331 b 1  
Quando fidem Christi acceperit. 67 b 1
- Samaritæ cum idolis colebant quoque Deum verum, cur. 132 c 1  
Multi eorum, urbe excisa, ut se salvarent, in Ægyptum fugerunt. 132 d 1  
Cur Gentium nomine vocentur. 479 a 1  
Cur fabricam templi impedirent. 491 d 1
- Samson unde dicatur: fuit typus Christi. 672 d 1
- Sanaballat cum Samaritis templi restaurationem impediens mons magnus bene an dicatur. 542 a 2
- Sanctificare idem est quod indicare. 208 d 1  
Hebræis proprie est segregare ab usibus profanis. 187 a 2  
Quid sit sanctificare ieiunium. 187 a 2-567 b 1
- Sanctificatio legalis et cæremonialis legis veteris quæ diceretur. 506 c 2  
Sanctificatio Dei est octuplex. 652 a 2 et seqq.
- Sanctificatio Iudæorum sita erat in abstinentia et ieiunio. 566 b 2
- Sanctitas vitæ magna est dispositio ad divina oracula accipienda, et cur. 22 a 1  
Ipsa execratur omne peccatum. 424 a 1  
Consistit in conformitate cum lege æterna, quæ est in mente Dei: item in amore et coniunctione cum eo. 424 b 1
- Sanctitas immaculata et sinceritas per equos albos mystice denotatur. 560 b 2  
Primaria pastorum dos est. 603 c 1  
Ea quam homines alliciat. 572 b 1 et seqq.
- Sanctum sanctorum lampadi candelabri assimilatur. 541 b 1
- Sanctus et perfectus quis proprie sit. 424 b 1  
Sancti viri descriptio graphica. 582 c 1 et seqq.
- Sanctum ferventem unum pluris facit Deus, quantum communes iustos. 679 d 1  
Sancta, cur dicatur cælestis Ierusalem. 211 a 2
- Sancti in quo Deo sint similes. 193 b 1 et seqq.  
Iis omne bonum placet, malum omne fugiunt, tentationes et novissima prævident. 193 b 1
- Inimicos amant, et beneficiis obruere student: summe iusti sunt: quidquid possunt, aliis communi-  
cant. 193 c 1
- Iniuriarum facile obliviscuntur. 193 a 2
- Neminem gravant supra vires; veraces et fideles sunt tum Deo, tum proximo. 193 b 2
- Tam amant pauperes quam divites, tam afflictos quam felices. ibidem
- Omnes vitant turbationem: malefacta proximorum dissimulant: pure Dei gloriam et proximorum utilitatem in omnibus procurant. 193 c 2
- Omnibus in operibus student esse perfecti: non puniunt bis idipsum. 193 d 2
- Eorum oculi intenti in Christum sunt. 535 c 2
- Suum lumen habent non a se, sed a Christo per B. Virginem. 533 d 2 et seqq.
- Crucem et doctrinam Christi meditari debent. 270 c 2
- Iram Dei portant dum pro peccatis suis puniuntur. 382 a 2
- Sancti penitentes, Dei erga se misericordiam semper celebrarunt. 386 a 2  
In celo omni benedictione benedicuntur. 212 c 2  
Eorum corpora imputribilia sunt. 212 d 2  
Oliva denotantur. 177 c 1  
In die iudicii cæteris palpitantibus securi stabunt. 210 c 2
- Semper omnes suas vires, virtutes, victorias, et triumphos Deo et Christo adscribunt. 459 d 1
- Semper gratiam Dei conservant tum pro se, tum pro aliis. 626 c 1
- Sunt corona Dei. 563 d 1  
Cervis assimilantur. 458 a 2  
Quam Deo sint chari. 669 a 2  
Quam ardentem Iesum desiderant. 501 d 2
- Quo magis a Deo in altum extolluntur, eo humiliores sunt. 461 a 1  
Adversis probantur, ut igne aurum. 618 a 2
- Sunt munimen urbium, et totius universi. 518 a 2
- Sunt peculium Dei. 669 c 1-670 a 2
- Item sors Sanctorum et regnum Christi. 669 a 2  
Visa impiorum prosperitate sæpe turbantur. 417 c 1  
Eorum precibus stat orbis terrarum. 679 d 1 et seqq.
- Eorum vita peccatori velut lucerna est. 468 d 1
- Immense oderunt peccatum tam in se, quam in aliis. 424 b 1
- Ad Sanctorum quorum cor Deus loquatur. 81 c 1
- Sancti veteris testamenti ob fidem in Christum venturum ad novum pertinent Testamentum. 350 d 1
- Sancti nonnulli illustres in bestias acceperunt potestatem. 84 c 1
- Sancti zelosi sunt Atlantes orbis. 679 d 1  
Item civitates refugii. 679 c 2
- Sancti omnes quomodo animam et corpus cælarint et exornarint. 537 b 2  
Sancti varii qui orationi mire dediti fuerunt. 609 d 1  
Sancti eminentes brevis sunt ævi, sed illud multis virtutibus impleant. 518 d 2
- Sanguinea complexio parit cogitationes lætas, et animosas. 342 d 2
- Sanguis Iezrahel quomodo visitari dicatur super domum Iehu. 62 d 1  
Sanguis innocens effusus clamat viudictam, et vindicta expiatur. 214 a 2
- Sanguis* in Script. vocatur homicidium, omnis contaminatio, et synecdochice omne peccatum et scelus. 62 c 1-92 c 2-166 b 1-213 b 2-407 a 1
- Sanguis sanguinem quomodo tangat. 92 d 2
- Sanguis Christi sumptus animat ad sanguinem fundendum pro eo. 585 a 1  
Item ad fortiter cum dæmone, mundo et carne pugandum. 401 d 2
- Quomodo et quare vocetur is sanguis testamenti. 578 a 2  
Sanguinis typus est coccus sive purpura. 401 d 2 et seqq.
- Sanitatem quomodo in penis suis habeat Christus. 672 c 2  
Sanitas corporis resurgentis octuplex est. 674 b 1  
Sanitas animæ beatæ triplex. 674 c 1  
Sapientes superbi sunt ut aquilæ. 294 b 2
- Sapientia gloriabantur Phœnices et Sidonii. 574 c 1 et seqq.
- Sapientia Dei per equos varios denotatur. 560 b 2
- Saponariæ herbæ quis sit usus. 661 b 2

- Sapores, Persarum rex, Aureliano Imp. pro scabello utebatur equum consensurus. 145 d 2-422 d 1
- Sappir* capi potest primo ut appellativum, deinde ut nomen proprium urbis. 334 b 1
- Sappir* urbs quæ sit: eius descriptio. 334 a 2
- Saraceni an denotentur per equos varios. 560 b 2
- Eorum imbecillitas. ibidem
- Se in aqua Siloe lavantes factorem hircinum quem habent, mitigant. 613 b 1
- Saraïas pontifex occisus est a Nabuchodonosore, fuit pater Esdræ et Iosedec. 490 d 2
- Sarasar et Rogommelech querentes de ieiunio quales fuerint. 566 b 1
- Sarcasmi Prophetis Minoribus frequens. 29 b 2
- Sardanapalus, Assyriæ rex, cur e Paphlagonia militem collegerit. 301 c 1
- Fuit hominum mollissimus. 304 c 2-655 b 1
- Quomodo regno exuat. 304 c 2 et seqq.
- Proprium eius nomen est Tonosconcoleros. 305 a 1
- Eius nomen abiit in proverbium, significatque hominem mollem. ibidem
- Eius epitaphium. ibidem
- Regnavit in Ninive, cum eo profectus est Ionas. 321 d 2 et seqq.
- Quando regnavit. 322 a 1-398 c 1
- In eo concidit ex parte monarchia Assyriorum: sed postea rursus restituta fuit. 322 b 1
- Ad prædicationem Ionæ egit pœnitentiam, at postea cum suis ad vomitum redit. 40 b 2-322 c 1
- In pœnitentia indutus est sacco. 322 c 1
- An sit idem qui Asarhaddon. 398 a 2
- Sardoa herba si comedatur mentem adimit, labiisque contractus risu speciem præbet. 248 d 2
- Sarepta idem est quod Conflatorium. 302 a 2
- Sarepta Sidoniorum quæ sit. 300 c 2
- Sarepta cur dicatur Gallia. ibidem
- Saretser an sit nomen officii. 566 d 1
- Sarsur in Syria insectum a locusta quomodo differat, est duplex, eius forma, color, strepitus. 182 d 2
- Sartago ferrea quam vidit Ezechiel, significat firmum Dei decretum de evertendo Iuda. 267 b 2
- Satagere quod proprie sit. 353 c 1
- Satan idem est quod adversarius; ita vocatur diabolus, qui fidelibus ubique et summe adversatur. 529 c 1
- Cur stet a dextris Iesu Pontificis. 529 b 2
- Satisfacere (nemo potest) de condigno pro pœna accidentali, seu extraordinaria. 324 a 1
- Satisfactio pœnitentiæ in Scriptura aliquando significatur per iudicium. 373 b 2 et seqq.
- Satisfactio Christi non impedit quominus nos pro nostris peccatis satisfacere debeamus. 394 b 2
- Discrimen inter satisfactionem Christi et nostram. ibidem
- Satum erat tertia pars epha, id est modius Italicus. 276 b 2
- Satyrus S. Ambrosii frater Ven. Eucharistia ad collum appensa e naufragio evasit. 585 b 2
- Saul cur vocetur Æthiops. 285 c 2
- Scandalizantes puillos homicidæ sunt animarum. 225 c 2
- Scandalum mulierum Moab quomodo se extenderit de Setim usque ad Galgatham. 372 c 2
- Scelera quatuor Israelis, quæ inunit Amos, quæ sint ex sententia Rabbiorum. 227 a 2 et seqq.
- Scelerum gravitas et multitudo Sanctis obstruit os, quo minus se deprecatores pro iis interpouant. 416 b 1
- Sceptra olim gestabant universi principes ac magistratus. 455 a 1
- Credebant veteres ea habere quid divinitatis, hinc per ea iurabant. ibidem
- Capiuntur interdum pro ipso rege. ibidem
- Sciaddai nomen Dei est, quia ipse abundat. 667 b 1
- Scientia æterna maxime Deum decet, illique propria est. 428 a 2
- Scientia supernaturalis requiritur præter naturales, in Propheta. 25 d 1
- Scientia Dei quæ sit. ibidem et seqq.
- Eius splendor. 25 c 2 et seqq.
- Scientia Dei practica quid sit, et quomodo ea in terra non sit. 92 c 1-94 b 1
- Scipio (P.) quam graviter choreas duceret. 675 b 2
- Unde nomen traxerit. 569 c 1
- Militem gulosum equo et ordine privavit. 97 b 2
- Ad imitandum sibi proponebat Cyrum Xenophontis. 370 b 1
- Solitudinis mire amans fuit. 80 d 1
- Schismatis regni Iudaici auctor fuit rex Roboam. 601 d 1
- Scissio montis Oliveti a Zacharia indicata quid significet, et quomodo ea facta intelligatur. 621 d 1
- Quando contigerit. 621 d 2 et seqq.
- Quid representet. 622 a 1
- Hiatus ex ea secuturus. 623 b 1
- Schola Alexandrina quam celebris foret. 409 b 2 et seqq.
- Σωληξ est vermis, unde dicatur. 435 b 1
- Scopos vel Sapha quis locus in Ierusalem. 621 c 2
- Scorpiones sunt flagella e spinis et aculeis. 238 d 2
- Scorta regum sunt reginæ. 96 b 2
- Ea similia sunt vino letalibus venenis temperato. ibidem
- Sunt hominum, imo diaboli matulæ. 131 a 1
- Scortantes plerumque carent prolibus, aut, si habeant, sunt miseræ, et brevis ævi. 96 a 1
- Scribæ et Pharisei ex quibus orti sint. 612 c 1
- Cur in morte Christi plangere debuissent. 612 a 2
- Fuere perversi Iudæorum pastores. 602 b 1
- Eorum intolerabilis superbia. 483 a 1
- Iis substituit Christus humiles Apostolos. 483 b 1
- Scripturam quomodo quidam ad suos conceptus torqueant. 20 b 1
- Eius sensus genuinus sectandus. 20 c 2
- Eius sensus sunt conceptus ipsius Spiritus sancti. 21 a 1
- Est Dei epistola ad nos missa. 26 d 1
- Est clavis cæli. ibidem
- Eius obscuritas. 27 a 1
- Enarrans opera Dei, magis significat ea quæ facere potest, quam quæ reipsa facit. 32 c 2
- Cur fabulis Gentilium aliquando utatur. 33 d 1 et seqq.
- Solet tempus adventus Messie ut breve reputare. 110 b 2 et seqq.
- Solet integros numeros ponere, etiamsi illis aliquid desit vel supersit. 252 c 1
- Est liber Dei: quæ in eo scripta contineantur. 550 a 1
- Ipsa quod Ecclesiæ est tribuit Christo, et vice versa, ob summam Christi cum ea coniunctionem. 479 d 2
- Sæpe ea facta vel futura dicit, quæ fieri decet aut debet, sive quæ fiant honestas postulat, vel quibus ut fiant iusta causa datur. 612 a 2
- Iusta situm Iudææ plagas mundi consignare solet. 561 a 2
- Utitur computo anni sacri, non profani. 508 b 1
- Cum opus quoddam uni personæ divinæ attribuit, cæteras subintelligit. 657 d 1
- Solet per tempus rei exitum significare. 516 d 2
- Omnes gentes vel omnem terram, intelligit eius provinciam, de qua sermo est. 608 d 2
- Scripturarum altitudo quibus prophetatus est Christus, est velut mons umbrosus. 446 a 2
- Scrupulosi umbras peccatorum timent. 295 d 2
- Scrutabitur omnes cogitationes in die iudicii Deus. 467 d 2
- Sculptilia vocantur idola, cur. 331 b 2
- Scyphum cur Iason posuerit in ephobia quam Hierosolymis excitat. 605 c 2
- Scythæ pro patriis sepulcris acriter dimicarunt. 227 c 1
- Sear Iasub, filius Isaïæ, cur ita dicatur. 66 b 2
- Secessus nonnunquam captent, qui ad vitam activam vocati sunt. 80 c 2
- Secreta qui tacita velit, primus taceat. 380 d 2 et seqq.
- Secretum, mystice vocatur custodia. 430 a 1
- Secunda porta Ierusalem erat, quæ erat in secundo muro. 465 c 1
- Quomodo ea capta a Chaldæis. 465 a 2
- Securitatem quietissimam qua phrasi exprimitur Hebræi. 350 b 1
- Sedendo homo fit sapiens et divinus. 662 c 1
- Seditionis mala nascuntur e tumultu. 410 a 2
- Seductor hominem excoriat et exossat. 345 b 2
- Seianus equus dominorum fuit pernicies. 590 d 1
- Seir mons, in quo erectus fuit serpens æneus, typum gessit crucis Christi. 446 d 1
- Seleucus annis amoris est remedium. 586 c 2
- Seleucus, Asiæ rex, ingentia dona misit templo Hierosolymitano. 527 c 2
- Selymus, Turcarum Imper. Iulium Cæsarem ad imitandum in exemplum sibi sumpserat. 370 b 1
- Semei quidam fuit e maioribus Christi. 612 c 1

- Semen pacis quod sit. 569 c 2  
 Semen in Palæstina in Novembri germinare incipit. 489 b 2  
 Semen Dei quomodo vocetur Spiritus sanctus. 61 a 1  
 Seminare ventum, in Scriptura quid sit. 130 a 1  
 Semiramis Nium filium ad stuprum invitavit. 60 d 1  
 Eam coluerunt Assyrii in specie columbæ, quod in  
 hanc illam mutatam crederent. 157 a 2  
 Senatus Rom. quanti religionem olim fecerit. 492 a 2  
 Senes valent experientia, sapientia, prudentia. 569 c 1  
 Senes cur proniores ad preces et vota. 194 b 2  
 Ipsi cur Propheta somnia immittenda dicat. 200 c 1  
 Senuar unde dicta sit Babylon. 556 d 1  
 Sennaar Iudæi vocant quamcumque gravem calamita-  
 tem, carcerem et exilium. 556 a 2  
 Senuacherib a filiis in templo Dei sui est interfectus. 396 a 1  
 Vocatur Belial, cur. 397 b 1  
 Eius cladem quomodo posteris expressam tradide-  
 rint Assyrii. 132 a 1  
 Quomodo vocetur Assyrius. 366 a 2  
 Comparatur locustæ, cur. 265 d 1  
 Excisa Samaria a Salmanasare, venit in Iudæam, et  
 Ierusalem obsedit, sed ab Angelo cæsus est. 333 d 1-336 a 1-392 d 1-395 a 1  
 Sensus (ad) genuinum S. Scripturæ capieudum mul-  
 tum valet capitulum, sententiarum et vocum eius  
 coniunctio vel disunctio. 39 a 1  
 Is maxime sectandus. 20 c 1  
 Sensus litteralis primarius est, et ei allegoricus su-  
 perstruendus. ibidem  
 In eo omnia et singula congruere debent rei de qua  
 agitur; secus est in allegorico. 150 c 1  
 Hic sæpe illo potior est. 529 a 1  
 In ex cerebro confingendi non sunt. 31 d 2  
 Novi non sunt quærendi. 21 c 1 et seqq.  
 Sensus multiplices suppeditant multa Hebræa verba. 210 b 1  
 Sensus omnes velut oculati exhiberi possunt. 34 b 1  
 Patres multi sensum litteralem ab allegorico non dis-  
 tinguant. 529 a 1  
 Sensus sextus præscientiæ Prophetis proprius est. 415 a 1  
 Sensus ululatus et planctus in die mortis ac iudicii. 465 b 2  
 Sententiæ infidelium in Script. solenter discernendæ sunt  
 a sententiis fidelium. 32 b 1  
 Sententia Dei de excideuda urbe per Michæam pro-  
 lata, abolita non fuit tempore Ieremiæ, sed suspensa  
 dumtaxat. 348 b 1  
 Hæc sententia erat de excidio per Chaldæos, non au-  
 tem per Romanos. 348 a 2  
 Separator Azoti quomodo fuerit Alexander, Ionathas  
 Machabæus, et mystice Christus. 575 d 2  
 Sepeliri semper desiderarunt sancti in patria. 456 c 1  
 Sepharad unde deducatur. 301 a 1  
 Quid Assyriace significet. 301 a 1-302 a 1  
 Quid Arabice. 301 b 1  
 Per Sepharad vulgo accipitur Hispania. 301 a 2  
 Eadem habet consonantes quas Græcum *Sperida*;  
 quomodo Græcis Hispania vocatur. 301 b 2  
 Est nomen Assyriacum. 302 a 1  
 Quam varia significet. 301 c 2 et seqq.  
 An post tempora Abdiæ Hispania vocata sit *Sepha-*  
*rad*, et a recentioribus Rabbini. 302 b 1  
 Sepharvaim urbs an iuxta Bosphorum sita, et unde  
 dicta. 301 b 1  
 Sepheta est nomen proprium regionis campestris Iudææ. 300 c 1  
 Septem (per) Angelos principes regit Deus Ecclesiam et  
 orbem. 366 c 2  
 Septem principes intimos habebant reges Assyriorum  
 et Persarum. ibidem  
 Septenarius numerus in Script. symbolum est multitu-  
 dinis: quod si addatur octonarius, magnam mul-  
 titudinem significat. 219 b 1-366 c 2  
 Eius mysteria. 536 c 1 et seqq.  
 Is Iudæis erat solemnus. 275 c 2  
 Septimus mensis, id est, September, totus pene Iudæis  
 sacer erat. 275 c 1  
 Septuaginta Interpretum Versio, procurante Ptolemæo  
 Philadelpho, Alexandria facta et cusa est. 410 c 1-592 d 1  
 Non sine Spiritus sancti instinctu aliter quædam ver-  
 terunt quam sicut in Hebræo. 419 b 1  
 An fuerint quasi Propheta et scriptores hagiographi. 419 b 1  
 Nonnulla addunt in sua Versione quæ non sunt in  
 Hebræo. 443 a 2  
 Quædam etiam omittunt. 150 a 2  
 Quædam aliter vertunt. 252 a 2  
*Ain* litteram sæpe vertunt in G. 471 b 2  
 Posuerunt et ipsi numerum XL dierum in prædica-  
 tione Ionæ, sed eorum numerus depravatus est. 320 c 2  
 Septuaginta anni captivitatis Babylonicæ unde inchoandi.  
 40 b 1-489 b 1  
 Alii sunt a septuaginta annis desolationis templi et  
 urbis. 520 a 2  
 Sepulcra veterum fuere apud flumina, cur. 33 b 2  
 Intra sepulcra se abdebant, qui calamitatem decli-  
 nabant. 143 b 2  
 Sepulcra mortuorum violanda non sunt. 227 c 2  
 Sepulcrum Ionæ in Assyria an sit. 320 b 1  
 Seraphim an idem sint cum Theraphim. 90 a 1  
 Unde dicantur. 259 d 2  
 Serapion monachus panem furari solitus, mox ut pec-  
 catum confessus est, a tentatione omni et fame li-  
 beratus est. 170 d 1  
 Serapis erat vitulus corpore nigro, candida fronte, ha-  
 bens in tergo albam notam. 142 d 1  
*Fide* Apis, Vacca, Vitulus.  
 Sergius Rusius Maronita, Archiepisc. Damascenus ver-  
 tit Biblia Arabica in Latinam. 18 c 2  
 Sericens color quis dicatur. 519 b 1  
 Serics damnandorum et eligeudorum an sit infallibilis  
 et certa. 156 c 1  
 Serotinus imber in Palæstina est qui in vere cadit ad  
 segetes incrassandas. 113 b 1-197 c 2-264 c 2  
 Sertorius qua industria Charatinos expugnavit. 422 b 2  
 Servitus Hebræorum in Ægypto fuit typus captivitatis  
 Babylonicæ, et utraque tyrannidis peccati et con-  
 cupiscentiæ. 455 d 1  
 Servus Dei honorificus titulus est 200 a 2  
 Qui servi Dei vocati sint, et se sic vocarint. ibidem  
 Servi olim a dominis detondebantur. 338 b 1  
 Curvi et depressi incedunt. 70 a 2  
 Servis perpetuis olim solebant aures perforari. 88 b 1  
 Servi et ancillæ etiam Spiritum sanctum accipiunt. 200 a 2  
*Servus servorum Dei* titulus Pontificis est. 597 a  
 Setim quis locus, et eius situs. 212 c 1-372 d 1  
 Arboreus in eo nascentes dictæ sunt ligna Setim. 212 c 1  
 Fuit typus cæli ob VII analogias. 212 c 2  
 Severus Abbas sola prope Eucharistia vitam duxit. 585 a 2  
 Sexum an mutet hyæna alternis annis. 420 d 2  
 Si, nota est apud Hebræos iurantis et signum iuramen-  
 ti execratoriæ. 277 c 1  
 Capitur vel proprie vel improprie. ibidem  
 Sibylla Cumana sub Tarquinio superbo vixit. 499 d 1  
 Erythræa quædo floruerit. 360 a 1  
 Sicera unde fieret. 75 b 1  
 Sichem urbs unde dicta, tempore Christi dicebatur Si-  
 char, deinde Neapolis, hodie Napolosa, eius situs. 117 c 1  
 Eius celebritas. ibidem  
 Siculus valebat florenum Belgicum. 88 d 1  
 Ponderare debebat quatuor drachmas. 598 d 2  
 Unde vox derivetur. 276 c 2  
 Sidonii, tempore Christi, Iudæis coniuncti vel associati  
 erant, subacti a Maclabæis. 574 c 2  
 Fuere acres, et fere perpetui Iudæorum hostes. 207 d 1  
 Sigillum veterum erat in pala annuli. 509 b 1  
 Sigillum Christi crux est, diaboli voluptas. 511 b 1  
 Sigillum Dei dupliciter est fidelis. 511 d 1  
 Signa proprie quæ dicantur. 200 c 2 et seqq.  
 Signa veri prophetæ quæ sint, quæ falsi. 22 c 2  
 Signabant veteres omnia annulo. 509 b 1  
 Silentio potius profundo veneranda est Dei maiestas,  
 quam exili præconio. 437 d 2  
 Silentium reverentiæ, timoris et stuporis est indi-  
 cium. 463 c 1  
 Id conducit religioni. 80 b 1 et seqq.  
 Silentio punit Deus strepitum et turbam. 275 a 1  
 Silentium vocatur infernus. ibidem  
 Id ponitur per metalepsin pro desolatione. 274 c 2  
 Silentii otiosi etiam Deo reddenda erit ratio. 317 c 2

- Silere est revereri, timere, obstupescere. 437 a 2  
 Silent omnia a facie Dei. 438 a 2-438 d 2-439 c 1  
 Siloe fons quis fuerit, et ubi situs. 613 b 1  
 Fluit cum silentio: quæ in eo mira contigerint: eius aqua etiam Saracenis hodie in pretio est. ibidem  
 Nominis et virtutis sua representat Christum. 613 c 1  
 Simeon (S.) Salus, atlas fuit orbis. 679 a 2  
 Simeon quidam auctor Scribarum et Phariseorum. 612 c 1  
 Simiæ orbes oculorum dilatantur, crescente luna, et contra. 453 d 2  
 Simile per omnia non est simile. 58 b 2  
 Simon pontifex vixit tempore Ptolemæi Philadelphi. 625 a 2  
 Simon Machabæus Gazam expugnavit. 575 c 1  
 Simoniacus rerum sacrarum nundinator est, et licite esse non potest. 633 b 2  
 Simplicitas Dei quanta sit. 664 d 2  
 Sina (in) monte quam gloriosum se exhibuerit Deus. 447 b 2-447 d 2  
 Typum gessit Sionis, in qua data est lex nova in Pentecoste. 446 c 1  
 Sinarum conversionem prædixit Isaias eosque vocat *Sinim*, esto eius ævo non habuerint hoc nomen. 302 b 1  
 Sion mons sanctus dicitur ob quatuor causas. 569 a 1  
 Quæ in eo contigerint. ibidem et seqq.  
 Ibi Christus Ecclesiam inchoavit, uti Salomon in eo corporale templum ædificavit. 349 b 1  
 Sion proprie significat superioris urbis partem, in qua erat templum et arx David. 347 c 2  
 Cur vocetur turris gregis metonymice. 351 d 1  
 De Sion quomodo egressa sit lex Evangelii Christi. 349 c 2  
 Sirenum fabula quid significet: fuerunt ipsæ partim volucres, partim virgines. 333 b 1  
 Ubi habitaverint: has Ulysses cur declinaret. ibidem  
 Vox Siren unde dicatur. 333 c 1  
 Sciebant et plangere. ibidem  
 Illis similes sunt mulieres. 97 a 1  
 Smilax, sive volva, quæ herba: duæ eius sunt species. 395 d 1  
 Sociatio fidelium Ecclesiam integravit. 512 c 1  
 Societas peccatorum quam noxia sit. 309 d 1  
 Socrates cur vocetur nugarum antistes. 484 d 2  
 Sodalitatis nequam incommoda. 526 a 1 et seqq.  
 Sodomæ restitutio quomodo promittatur. 287 c 2  
 Sodomitæ ex deliciis crudeles evasere. 259 a 1  
 Sunt puuiti hic et in futuro. 394 c 1  
 Sol quomodo in tenebris symbolice convertatur. 201 d 1  
 Quomodo tropologicè. 201 a 2  
 Quomodo tropologicè in meridie occidat. 278 b 1  
 Solem aliquando obtegunt agmina locustarum. 191 b 2  
 Sol, luna et stellæ au revera in die iudicii obscurandæ. 210 b 1  
 Allegorice id de Christo B. Virgine et Sanctis exponitur. 210 d 1  
 Et tropologicè. 210 a 2  
 Sol est rex stellarum. 254 a 1  
 Ipse trius et unus est quomodo. 671 d 2  
 Dictus est sol, quia solus in mundo. 672 a 1  
 Eum Manichæi adorabant, et censebant esse navim triaogulam. ibidem  
 Eius elogium ex Plinio. 672 c 1  
 Est typus veri amici. 672 a 2  
 Eius pennæ sunt radii, cur. 673 b 1  
 Quanta eius velocitas. 673 c 1  
 Oriens radios expandit in figuram avis. ibidem  
 Ægyptii eum vocarunt phœnicem, cur. ibidem et seqq.  
 Quomodo sit in eius pennis sanitas. 673 d 2  
 Sua luce fugat serpentes et feras noxias. ibidem  
 In passione Domini quomodo sit obscuratus. 499 c 1  
 Eum ut Deum veteres colebant. 462 d 2  
 Signa in sole quæ visa sint paulo ante ortum Christi. 499 a 1  
 Sol stetit et luna, pugnante Iosue contra Amorrhæos. 453 c 1  
 Sol oriens Iustus est. 534 c 2 et seqq.  
 Item sol iustitiæ in primo suo adventu ob quinque analogias. 671 a 2  
 Solitudo cur vocetur Ecclesia. 78 d 1  
 Solitudo quantopere prosit ad bonum religionis. 80 c 1-80 b 2  
 Mentem disponit ad percipienda divina oracula. 21 d 2  
 Spiritualis magis sectanda, quam corporalis. 79 c 2  
 Vere pœnitentibus necessaria. 78 b 2 et seqq.
- Eius bona. 78 b 2 et seqq.  
 Eius elogium. 79 a 1 et seqq.  
 In quam solitudinem sit ductus Israel a Deo. 78 a 1  
 Solium iniquitatis quod dicatur ab Amos. 257 c 1  
 Sollicitudo ambulandi cum Deo quos effectus pariat. 25 c 1  
 Quid hæc a nobis requiratur. 374 c 1  
 Etiam ad laicos et conjugatos spectat. 375 a 2  
 Somnia aliqua divina sunt. 200 b 1  
 Senibus sol somnia tribuantur. 200 c 1  
 Quando somnium visione sit perfectius. ibidem  
 Somnus ab extasi quomodo differat. 34 a 2  
 Mœrorem sepelit. 309 a 2  
 Somnus Ionæ representat somnum Christi iu navi, orta tempestate. 309 b 2  
 Somnum diabolus inducit, Christus vigiliam. 412 c 2  
 Sophonias quid hebraice significet: eius maiores, et locus natalis. 460 a 1  
 Sanctorum catalogo adscriptus est. 460 b 1  
 Quo tempore prophetavit. 41 c 1-ibidem  
 Prophetat solis duabus tribubus; eius argumentum. 460 c 1  
 An prophetavit primis octodecim annis Iosue. 460 a 2  
 Ioeli in stylo similis est: est abbreviatio Ieremiæ. 460 b 2  
 Eius illustris prosapia, maiorum eius nomina exponuntur. 460 a 1 et seqq.  
 An fuerit abnepos Ezechie regis. 460 c 1  
 Sordidatus cur dicatur fuisse Christus Iesus. 532 a 1  
 Sortes cur miserint nautæ quibuscum navigabat Ionas. 309 c 2  
 Sors est triplex: divinatoria, consultoria, divinaria. ibidem  
 Sortes quales in Iure Canonico velentur. 309 d 2  
 Duplex in divinatoriis peccatum committitur. 310 a 1  
 Sortes Domitiano interitum, Alexandro Severo imperium denuntiaverunt. 310 b 1  
 Pythagorica sors qualis fuerit. ibidem  
 Sortem nautarum Ionæ superstitiosam Deus ordinavit in bonum. 310 c 1  
 Item sortem Philistæorum, item sortes Saulis. 310 d 1  
 Spadix quis sit color, et is maxime in equo commendatur. 517 c 1  
 Species, quas Prophetarum imaginationi obiciebat Deus, symbolice representabant res futuras vel arcanas. 264 b 1  
 Speculator sit conciuator oportet. 460 a 2 et seqq.  
 Item pastor. 460 b 2  
 Spelunca natalis Christi quantopere a Constantino et eius matre S. Helena Imp. fuerit exornata. 357 a 1-361 a 2  
 Spes concepta de plurimorum doctrina et conversatione quam sæpe vana sit. 495 d 1  
 Spes quomodo in Eucharistia exerceatur. 645 a 1  
 Spes quanta sit virtus, et qui eius effectus. 432 b 1  
 Non confundit. 74 d 2  
 Sæpe ex desperatione oritur. 82 c 2  
 Nunquam ea deponenda. ibidem  
 Eius symbolum est lilium. 176 a 2  
 Spes omnes mundanorum mendaces sunt. 336 d 2 et seqq.  
 Spicæ cur vocentur rami pleni olivis. 548 a 1  
 Spinis electorum viæ quomodo sepiantur. 75 c 1 et seqq.  
 Spina Arabica acuta et densa est. 75 c 1  
 Spirituales partum impediens homicidæ sunt animarum. 225 c 2  
 Spirituales hostes quoniam sint, et quæ damna inferant. 198 c 1  
 Spiritualia commode Christus per symbola corporalia Iudæis exposuit. 629 c 2  
 Spiritus Dei, quem effundendum prædicit Iosue super omnes, quis sit. 200 a 1  
 Spiritus Propheticus Prophetis non erat habitus permanens, sed aliquando ab eis recedebat. 37 a 1 et seqq.-269 a 2  
 Spiritus singulis vitis præsent. 98 d 1  
 Spiritus capitur interdum pro arte architectonica. 498 d 1  
 Spiritus Dei multiplex est. 498 b 1  
 Spiritus precum quis sit, eiusque effectus. 609 b 1  
 Spiritus in Scriptura significat mentis impetum ac vehementiam. 609 c 1  
 Spiritus increatus Dei duplex est: prior in Deo essentialis, alter notionalis. 498 b 1  
 Spiritus creatus sunt dona spiritus increati. 498 c 1  
 Spiritus sanctus non est semen Dei. 61 b 1  
 Sponte sua se annexit suis donis, hinc in iustificatione animæ Dei det seipsum substantialiter. 68 c 1-199 a 2-512 d 2

- Quæ rei huius moralis sit ratio. 69 b 1  
 Fideles per desertum huius vitæ deducit. 78 a 2  
 Est primum et incrementum bonum. 91 a 2  
 Inopes ignorantes et miseros ad summam scientiam, dignitatem et gradum evahere potest. 216 b 1  
 Eius effusio in Pentecoste in Apostolos, et deinde in alios futura a Ioele prædicatur. 198 d 2  
 Primo fusus est, deinde infusus, tertio effusus in Apostolos. 199 c 1  
 Quam necessario in homines effundi debuerit. ibidem  
 Partitur inter fideles sua dona. 199 d 1  
 Est vere Deus, non minus quam Pater et Filius. ibidem  
 Mittitur a Filio de propria ipsius substantia. 199 c 2  
 Quomodo super omnem carnem effusus sit. ibidem  
 Etiam in Gentes. 200 a 1  
 In omnes indifferenter beneficus est. ibidem  
 In nobis inhabitans causa est adoptionis qua in filios Dei adoptamur. 69 b 1  
 Prophetas informat. 346 d 2  
 Eius quanta sit efficacia. 140 a 2  
 Dedit Apostolis donum linguarum, quo ab omnibus intelligerentur, et vicissim omnes intelligerent. 481 c 1  
 Non intelligitur ab Aggæo per desideratum cunctis gentibus. 501 b 1  
 Hunc pauci Iudæi cognovere, Gentes fere nullæ. ibidem  
 Est murus igneus Ecclesie. 524 d 2  
 Eius principales effectus duo. 609 b 1  
 Est spiritus veritatis. 569 a 1  
 Super Christum baptizandum in specie columbæ descendit. 499 b 1  
 Ei peccantium conversio accepta referenda. 555 d 2 et seqq.  
 Quam eam suaviter peragat. ibidem  
 Est spiritus mansuetudinis. 542 d 1  
 Spolia victores Deo dicant. 630 d 2  
 Sponsæ quales adolescentibus quærendæ. 60 b 1  
 Cur annulum in digito annulari gestent. 509 c 1  
 Sponsus animæ Deus est. 652 d 2  
 Spousi olim sponsas emebant muneribus. 88 c 1  
 Spuriæ proles impudicarum matrum bene ab iis avelluntur. 60 a 2  
 Iure Canonico arcentur a sacerdotio. ibidem  
 Spuriotrophia Romæ, multa sunt. 60 b 2  
 Stannum et plumbum sæpe pro eiusdem naturæ metallo capitur, est tamen inter utrumque discrimen. 546 a 2  
 Stanni tres proprietates. 546 d 1  
 Σταχυρ græce est siclus Hebræus. 276 d 2  
 Eius pondus et valor: erat et ærens et aureus eiusdem ponderis, sed pro materia diversi pretii. ibidem  
 Statuæ multæ Romæ ad terram concidere, nascente Christo. 499 c 2  
 Statuarius nomen referri potest et ad figulum et ad conflatores. 599 b 2  
 Status Religionis est opus Dei. 230 a 1  
 De statu vitæ deliberanti recessus et solitudo quærenda sunt. 79 b 2  
 Statui, ad quem quis vocatus est, Deus convenientia dat media. 317 b 2  
 Stella Magis in Betlehem apparuit, ibique stetit. 361 c 1  
 Stellis comparantur electi et reprobi; illi fixis, hi cadentibus. 295 c 1  
 Stella Lucifer habita a Syris ut regina cæli. 254 a 1 et seqq.  
 Stella insoliti splendoris apparuit nato Christo. 499 a 1  
 Stellæ Deum præcedere quomodo dicantur. 547 b 1 et seqq.  
 Eas cur veteres adorarent. 462 c 2  
 Regna et res humanas non regunt. 449 c 2  
 Peccatorem in die iudicii coarguent et exprobrabunt. 468 d 1  
 Stephanus (S.) Hungaria rex Martyr fuit. 603 b 1  
 Stephanus monachus quomodo in agone mortis cum dæmonibus disputavit. 370 d 2  
 Stercorum nomine vocantur idola a S. Scriptura. 107 c 1  
 Sterilitas naturale et ordinarium Dei flagellum est. 183 c 1  
 Sterilitate puniuntur scortantes. 96 a 1  
 Stigmata crucifixionis in Christi corpore post resurrectionem remanserunt. 610 b 1  
 Stillare Hebræis, maxime Prophetis, est loqui et prophetare. 270 d 2-341 b 1  
 Stimulos ad omnem virtutem exercendam addit, exempla prædecessorum intueri. 370 a 1  
 Stirpem Davidis suo ortu Christus restituit. 534 b 2
- Stoicorum paradoxa quæ. 38 b 2  
 Stomacho comparantur sacerdotes, cur. 639 c 2  
 Strages Iudæorum impiorum vocatur sacrificium solemnè; eius partes per omnia applicantur rei significatæ. 463 d 1 et seqq.  
 Strages Pharaonis in mari, et Chaldæorum in Babylone typus fuere peccati prostrati a Christo. 455 c 1  
 Stragem ingentem qua phrasi Græci exprimerent. 299 d 2  
 Stragula vocari possunt plagæ, id est, anguli, quia angulata sunt. 236 c 1  
 Streptus silentio punitur. 275 a 1  
 Struthionum quis gemitus dicatur. 332 d 2  
 Fœminæ magis clamosæ sunt quam mares, cum pullos perdunt: sunt valde amantes pullorum: quomodo capiuntur. ibidem  
 Cur dicantur crudeles in eos. ibidem  
 Reperiuntur struthiones tantum in calidis terris: cur dicantur struthiocameli. 333 a 1  
 Stultus pastor quis dicatur. 601 b 1  
 Stultus quis proprie sit. ibidem  
 Stulta mundi elegit Deus, ut confundat per ea sapientes. 269 c 2  
 Stultitiam Israelis quam suggillant Prophetæ. 76 d 2  
 Stupor est alienatio vel mentis, vel sensuum. 240 d 1  
 Sturninus quis color sit. 519 b 2-560 a 2  
 Stylus erat instrumentum scriptorium. 430 c 2  
 Stylis a discipulis suis compunctus fuit S. Cassianus. ibidem  
 Stylus Prophetarum Minorum qualis sit. 19 b 1  
 Suavitate Ecclesiam gubernat Deus. 542 c 1  
 Subcinericeus panis cur vocetur Israel. 122 c 2  
 Subditi a Superioribus correpti non sunt defendendi. 436 c 1  
 Eorum peccata Superioribus et pastoribus adscribuntur. 530 c 2  
 Sublevare animam est eam erigere in spem. 95 b 1  
 Subrisus subinde signum iræ despicientis adversarium. 248 b 2  
 Subsannatio fit vel sibilando, vel manus compludendo. 476 a 1  
 Subter vitem et ficum sedere quid Hebræis sonet. 537 d 2  
 Suburbia Romæ olim quam late patuerint. 319 c 1  
 Sudarium cur adhibeatur in sacrificio Missæ. 195 a 2  
 Ipsum vocatur mappola vel amapha. ibidem  
 Sufficiens auxilium ad conversionem quilibet peccator, quantumlibet magnus, a Deo accipit. 221 a 1  
 Suffusoria candelabri quæ dicerentur. 548 b 2  
 Sulphur ardore suo omnia purificat. 661 c 2  
 Superbia mater est omnis sceleris et confusionis. 483 a 1  
 Ea in Ecclesia et Religione maxime Deo displicet. 483 c 1  
 Eius pœna est luxuria. 104 d 2  
 Ruina est omnium virtutum. 138 d 1  
 Superbiens ob Dei dona et gratias, deseritur a Deo, doneque privatur. 138 c 1  
 Superbi astris se æquant. 294 d 2  
 Eorum fastus et lapsus. 295 a 1  
 Colunt Luciferum stellam, cur. 254 b 1  
 Potissimum in die iudicii exagitabuntur. 207 d 2  
 Tunc futuri ut stipula. 67 t b 1  
 Superiores quantum onus in regimine sustineant. 530 c 2  
 Ab iis animas exigit Christus iudex. ibidem  
 Sunt velut Atlantes. ibidem  
 Superliminare erapulæ vel tremoris quod dicatur respectu Ierusalem. 604 c 2-605 c 2  
 Quid hoc tropologicè significet. 605 b 2  
 Supernaturales rationes nobis sectandæ sunt in vita agenda. 25 d 2  
 Supplicium quod dicatur, et supplicationes. 229 a 2  
 Supplicationes rogationum cur institutæ. 183 b 1  
 Supplicia quæ Deus in domos lacinosorum immittit, eas usque ad fundamenta comminuit. 552 b 2  
 Quæ supra doctrinam, vires, et ingenium sunt et sunt, non perveniunt ad maturitatem. 130 b 2  
 Suscitatio tabernaculi Davidis, ab Amos prædicta, de tempore Christi intelligenda est. 286 c 2  
 Suspendium animæ quid sit. 450 d 2  
 Sycaminus arbor quæ, ipsa vox unde formetur. 270 b 1  
 Eius descriptio. ibidem et seqq.  
 Sycomorus vel sycomorea arbor describitur: dicitur et ficus fatua, vel ficus Ægyptia: non in sola Ægypto reperitur, in Iudæa etiam frequens erat. ibidem et seqq.  
 Eius vilitas. 270 d 1  
 Eius fructus amari sunt, ut dulcescant, inciduntur. ibidem et seqq.

Est alia a caprifico.	270 b 2	Quando Syros exciderit.	222 b 1
Alia vocis huius derivatio inconcinna.	270 c 2	Telas aranearum sibi texit quilibet per fraudes ditescentis.	129 d 2
Uno anno septies fert fructus.	ibidem	Tempestas est symbolum horrendi praelii, conflictus, strages, supplicii, vindictae.	469 b 2
Symbolice est crux et doctrina Christi.	ibidem	Tempestas ingens maris facta tempore nati Christi.	500 a 1
Respondet arbori scientiae boni et mali.	ibidem	Tempestivus imber quis in Palaestina sit.	113 b 1-197 c 2
Syllae crudelitas.	227 b 1	Templorum lapides clamabant contra haereticos qui ea demoliti sunt, in die iudicii; item contra sacerdotes qui in ipsis scandalum fidelibus dederunt.	435 c 1
Symbolicis cur utantur Minores Prophetae.	19 b 1	Eorum fabrica quam Deo placeat.	505 d 2 et seqq.
Symbolis (in) quae adduntur, non omnia rei significatae conveniunt.	600 c 1	Templum primo erigendum in urbis fabrica.	492 c 1
Symbolici sunt Zacharias, Daniel, Ezechiel.	514 a 1	Est domus Dei.	533 c 1
Symmachus, Urbis praefectus, laudatur a nervosa styli brevitate.	15 c 2	Ipsam decet sanctitudo.	512 a 1
Symmachus, interpres Bibliorum, fuit Ebionita Christi divinitatem negans.	454 c 1	Inter ipsum et animam sanctam octo analogiae.	511 c 2 et seqq.
Symphorosa (S.) septem filios et maritum Getulium ad martyrium obtulit.	646 b 2	Christiana templa superant templum Salomonicum numero et gloria.	506 a 1
Synagogae ortus et initia.	74 b 1	Respiciunt Orientem.	621 b 1
Dies eius iuventutis qui sint.	83 a 2	Templum non admittit turpe lucrum.	332 d 1
Ipsa tamdiu afflicta est, donec Deipara Christum salvatorem Israelis peperit.	364 b 2	Templum, in quo Christus Dominus in Missa offertur representat Bethlehem.	362 a 1
Cur vocetur claudicans.	350 b 2	Dici potest sanctitas, cur.	299 b 1
Eam Deus in fine mundi iterum assumet.	89 c 1	Templum Salomonis cur dicatur Ophel.	351 d 1
Synagogae viri scripta Mosis per capita et libros digesserunt.	356 d 2	Proprie tantum duas continuit partes, Sanctum et Sanctum Sanctorum, sed ante se habebat porticum.	195 a 1
Synopsis Dorothei de Vitis Prophetarum plena fabulis est.	25 b 1	Eius partes explanantur.	195 b 1 et seqq.
Syri quam graviter Israelem sub Ioachaz attriverint.	241 b 1	Cur vocetur superbia potentium.	277 b 1
Inter eos et Israel tas perpetua fuere bella.	221 b 1	Eo quomodo Deus egredi dicatur.	329 b 1
Saepe atrocissimi vexarunt Iudaeam.	355 d 1	Cur dicatur Libanus.	436 a 2
Olim male audiebant ob morum molliem.	286 b 1	Videbatur eminus esse mons niveus.	ibidem
Columbis pro veredariis utuntur; et cur.	123 c 2	In eo solo Hierosolymis Deo immolari poterat.	630 c 1
Syria ab Aram filio Sem vocata est Aram, deinde a Cyrenensibus, Kyria, indeque euphoniae causa Syria.	286 a 1	Subterraneis aquaeductibus refertum fuit.	625 c 2
Olim hortis abundabat.	289 a 2	Erat locus orationis aequae ac oraculi.	566 d 1
Item columbis perniciosus.	123 c 2-157 a 2 et seqq.	Id qua in re secundo praestaret.	497 a 2-503 c 1
		Utrumque multi viderunt.	497 a 2
		Templi secundi fundamenta iacta, et parietes erecti sub Cyro, sub Dario peracta contiguatio.	494 b 2
		Quo anno Darii Hystaspis inchoatum et perfectum fuerit.	488 c 2
		Huic quinque defuerunt, quae in primo fuerunt.	494 d 2
		Tamen priori gloriosius fuit ex eo, quod Christus in eo Deo Patri oblatus et versatus sit, miracula paravit, etc.	503 c 1 et seqq.
		Dutius duravit quam primum.	504 d 1
		Eius gloria est Christus Iesus.	505 d 2
		In eo iacta sunt Ecclesiae Christianae fundamenta.	506 a 1
		Fuit longe impar primo in structura, pretio et gloria.	504 d 2-505 a 2 et seqq.
		Sapientia a diversis fuit polluta.	504 a 2
		Commendatur ab Aggaeo, quod Christus illud sit ingressus.	501 a 2-505 a 2 et seqq.
		An ipsum restauratum ab Herode.	504 d 2
		In eius fabrica cur populus tergiversaretur.	689 c 1 et seqq.
		Haec rebus sacris in computo mensium annumeratur.	489 b 2
		Caepa haec est in mense Augusto.	ibidem
		Eius portae sponte apertae quid designent.	594 b 1
		Templum utrumque quam diu duravit.	504 a 2
		Templum Herodis an fuerit augustius Salomonicum.	501 d 2 et seqq.-505 a 2
		Non id extractum, diruto Zorobabelico, sed tantum hoc ampliatum.	505 b 1
		Templa tria sibi promissa esse dicunt Iudaei pertinaces.	503 d 1
		Temporanea pluvia in Palaestina quae sit.	588 a 1
		Tempus legis gratiae cur Osee vocet diem tertiam.	110 b 2
		Tempore gratiae utendum est dum datur.	147 b 2
		Tempus habet finem suum ac principium.	364 a 1
		Est intrinseca mensura vitae hominum.	364 b 1
		Tempus in quo parturiens pariet, quod a Propheta dicitur.	364 a 2 et seqq.
		Tempus totum Christianismi, vocatur magnus dies Iezrahel in Scriptura.	71 a 1
		Temporum princeps est Deus quasi sol.	244 b 2
		Tempus praesens vitae, est tempus merendi vel demerendi.	418 b 1
		Tempus Evangelii est medium inter tempus legis et tempus gloriae.	442 c 2
		Tempus omne opportunum est ad bene agendum et poenitentiam.	491 b 2

## T

Tabernaculum Mosis in deserto erat typus Ecclesiae militantis.	287 c 1
Tabernaculum Davidis, quod suscitandum promittit Amos, proprie significat domum eius regiam et thronum regium.	287 b 1
Cur vocetur tabernaculum.	ibidem
Tabernaculum capitar pro quavis domo.	607 a 2
Tabernaculi Mosaici symbolica adaptatio.	541 d 1
In festo Tabernaculorum cur Iudaei iubeantur gestare ramos myrteos.	519 a 1
Tabes tyrannorum et haeresiarcharum.	628 b 1 et seqq.
Tabulis (in) ligneis, maxime luxuris, olim scribebatur.	430 b 2
Isque vel nudis vel cera obductis.	ibidem
Tabulae legis quas Moses a Deo acceperat, lucis radios longe eiacularantur.	448 a 1
Talentum plumbi apud Zachar, amphoram ocludens quid symbolice denotet.	554 b 1
Quid tropolog. et anagogice significet.	555 b 2
Talentum auri et argenti, quot aureos contineret.	505 b 2
Tamerlanes Baiazete Turcarum Imp. pro scabello utebatur, dum equum condescenderet.	145 d 2
Tammus Hebraeis erat quartus mensis, respondens partem lunio, partim Julio nostro.	570 b 2
Tammuz, id est, Adonis idolum Alexandriae erat.	409 c 2
Targum in Prophetas auctor fuit R. Ionatham, at Targum Pentateuchi R. Aquila, ceterorum R. Ioseph caecus.	19 a 1
Tarquinius superbus capita Gabinorum de medio tollenda, quo facto ostenderit.	259 d 1
Quo anno Darii Hystaspis urbe a Romanis pulsus.	520 c 1
Tarsum Ciliciae Ionas fugere voluit.	307 d 1
Tartessum in Hispania an Ionas fugere voluerit, dum in Tharsis fugere vult.	ibidem
Tebet mensis decimus Hebraeorum partim Decembri, partim Ianuario, respondet; cur die huius decima Iudaei ieiunarent.	570 c 2
Tecta domorum in Iudaea et Syria etiamnum plana sunt.	462 c 2
Teglatphalasar igni comparatur omnia invadendi.	266 c 2
Quas Tribus in Assyriam captivas abduxerit.	ibidem

- Est mensura non otii, sed pii negotii. 491 c 2  
 Eius quantum sit pretium. 491 d 2  
 Tempus docet prudentiam. 567 d 2  
 Temulenti dormiunt verius quam vivant. 97 b 2  
 Tenebrae, falsitatis et mendacii, cladis et calamitatis sunt symbolum. 346 d 1  
 Item tristitiæ, adversitatis, carceris et captivitatis. 190 b 1-250 d 2  
 Ægyptiæ unde ortum habuerint. 453 c 1  
 Tentationes sunt demonum iacula. 403 b 1  
 Τερατα sunt, quæ præter opinionem sunt, et humanam consuetudinem excedunt. 200 b 2  
 Theresia (S.) vovit se in qualibet re facturam id quod optimum esset. 646 a 2  
 Eius de humiliatione sui sententia. 545 c 1  
 Teribazus veste insolescens Alexandro Magno ludibrio fuit. 464 c 1  
 Terminus erat lines agrorum, et Romæ Deus hoc nomine, cuius festa dicebantur Terminalia. 106 d 1  
 Teruarius numerus familiaris est S. Scripturæ, et primus numerus multitudinis. 219 b 2  
 Quando vero ternario additur unitas, tunc maxima multitudo significatur. ibidem  
 Item typus est æquitatis summæ. 562 d 2  
 Eo Gentiles utebantur in arcanis, velut sacro ibidem et seqq.  
 Eius mysteria varia. ibidem  
 Eum rei cuique Deus inseruit. 220 a 1  
 Terra aluntur et vivunt plantæ, reptilia, serpentes. 425 a 1  
 In terra quæ commotio facta sit nascente Christo. 499 d 1 et seqq.  
 In passione Domini universali motu concussa fuit. 280 a 2  
 Terra arida cur plura generet moustra. 74 b 2  
 Terra Assur est Ninive et Assyria. 367 a 2  
 Terra Nemrod est Babylon, cur. ibidem  
 Terra sancta tota erat quasi una familia Dei. 138 b 2  
 Typus est cæli. 212 c 2  
 Terra recipiens sanguinem iniuste effusum censetur pollui; a qua pollutione mundatur, dum a iudice homicidæ puniuntur. 213 d 2-214 a 2  
 Quomodo in die iudicii commovenda sit. 210 c 2  
 Terræ motus Constantinopolitanus publica supplicatione et Litanis indicta cessavit. 194 d 1  
 Terræ motus Amos quis, quando, et qua de causa fuerit. 217 d 1  
 Contigit ob fastum Ozis, quo is victoriis inflatus arrogavit sibi munus sacerdotale. 217 a 2  
 Terræ motus sunt pœnæ schismatis, hoc enim punit terræ scissio. 218 b 1  
 Terrena homines multi toti cogitant. 427 a 1  
 Terribilis in alios caveat multos. 221 a 2  
 Tertia pars relinquenda, duabus dispersis, quænam intelligatur. 618 b 1  
 Tertia hominum pars non salvatur. ibidem  
 Tertulliani lapsus. 295 b 1  
 Improprie Sanctum spiritum vocavit Dei semen. 61 a 1  
 Testamentum vetus velut imber matotinus est, novum est serotinus. 198 a 1  
 Unum alteri per omnia concordat. 29 d 1  
 Sunt velut duo montes. 559 c 2  
 Hæc an intelligantur per duo illa animalia, in quorum medio cognoscendum Christum ait Propheta. 443 d 2  
 An repræsententur per duplicem Zachariæ virgam ad litteram. 595 d 2  
 Testamentum in Scriptura sæpe significat pactum. 659 d 1  
 Veteres prophetiæ pleræque omnes impletæ vel ante Christum, vel per Christum; paucæ excipiuntur. 38 b 2  
 Testamentum Grunni Porcelli. 485 d 1  
 Testamentum novum quomodo sanciverit Christus, eiusque sit Angelus. 629 b 2 et seqq.  
 Testes fideles Dei sunt Apostoli, Doctores et Martyres. 158 b 2  
 Testium Dei acies. 158 c 2  
 Testudinis bellicæ descriptio. 403 d 1  
 Erat testudo duplex: una arietaria, altera militaris. 403 a 2  
 Testudo animal vocatur a testa qua se contegit. ibidem  
 Thabor mons est in medio Galiliæ omni ex parte miræ aequalitate rotundus; eius descriptio. 103 b 2  
 Thalmud Iudæorum videtur cento fabularum. 485 b 1  
 Tharsis dicta sunt omnia loca vicina Ciliciæ, mare Mediterraneum, quodvis mare, et Oceanus ipse. 307 a 1  
 Item gemma chrysolithus, quia coloris marini. 367 a 1  
 Tharsis quoque significat Carthaginem vel Tunetum. 367 c 1  
 Proprie Tarsum Ciliciæ urbem. 367 d 1  
 Theba: urbs Ægypti centum portas aut aulas habuit. 319 c 2  
 Thecæ oppidum an compascuum fuerit. 215 a 1  
 An terra Thecæ ob olearum copiam viros sapientes gignat. 215 b 1  
 Eo loco postea multi sancti monachi egerunt. 215 c 1  
 Eius situs et descriptio. 216 a 2  
 Quid mystice sonet. 216 b 2  
 Aliquando sycomoris abundavit, postea iis caruit. 270 e 1  
 Theman nepos Esau dedit nomen regioni Idumæ. 445 d 2  
 Significat Theman quoque plagam Australem. ibidem  
 Vox Theman an derivetur a *iamin*, id est, dextera. ibidem  
 Theman urbs Idumæ; eius situs: in ea vixit studium sapientiæ: eius rex fuit Eliphaz amicus Iob. 225 d 1  
 Theodorus (S.) prece sua locustas agros popolantes enecavit. 183 b 2  
 Theodorus Mopsæstenus iudaizans, omnia augusta de Christo oracula ad litteram referri volebat ad prescos duces; ab Evangelistis vero accommodari ea Christo sensu tantum allegorico. 19 c 2-576 b 2  
 Damnatur ut hæreticus. 19 c 2 et seqq.-286 d 2  
 Theodosius Imper. senior miraculose de Eugenio tyranno victoriam retulit. 390 b 2-469 b 2  
 Benigne audivit corripientem Ambrosium. 637 a 1  
 Theodosii Imper. iunioris lucubrations et lampas artificiosa. 540 d 2  
 Theodotus interpres Bibliorum Ebionita adversatus est Christi divinitati. 454 c 1  
 Theologia *μυθικη* celebris fuit apud veteres. 33 d 1  
 Theophrastus ab eloquentia ita dictus. 66 c 2  
 Theotimus maluit oculos amittere, quam ab uxore abstinere. 96 d 2  
 Θεραπεια et Θεραπευται, quid Græcis significet. 187 b 2  
 Theraphim significant imagines sive simulacra. 90 c 1  
 Sumuntur pro idolis. ibidem  
 Unde vox derivetur. 90 d 1  
 Videntur vocati a Gentilibus a Cherobim et Seraphim, quos videbant Iudæos in magna veneratione habere. 91 a 1  
 Theseus ex pueris excedens Apollini Delphico comam consecravit. 338 a 2  
 Thoes ex lupo et hyæna generantur. 421 a 1  
 Thomas a Kempis quantus solitudinis cultor. 80 c 2  
 Thrasibulus Perianthro Corinthio quid ad regnum stabilendum suaserit. 259 a 2  
 Thrips vermiculus est lignis innascens. 184 a 1  
 Thurificare est quoddam sacrificare. 462 b 2  
 Thus omnium gentium ritu Deo adoletur. 643 c 1  
 Iudæi imponebant omni sacrificio carneo. 462 b 2  
 Thymiana his quotidie Deo in altari thymiamatis adolebatur. ibidem  
 Hoc nomine cur vocetur Eucharistia. 643 d 1  
 Id etiam pro thure captur et ambræ. 98 a 2  
 Tiburtinum oleum præstantissimum. 161 b 2  
 Tigris in urbem inundatione capta est Nive. 403 b 2-404 b 1-393 a 1  
 Tigris et Euphrates cur vocentur flumina Æthiopiæ. 481 d 2  
 Tigurina Versio Leonis Hebraei et Zwinglianorum, lima et censura in multis lucis indiget. 18 d 2  
 Timere in S. Script. est colere, revereri, adorare. 462 d 2  
 Timor Dei in Scriptura significat in venerationem et cultum Dei. 142 a 2-311 b 1-385 a 1  
 Is est prima sacerdotis dos. 649 c 1  
 Timor Dei, iudicii et gehennæ peccatori excordi restituit cor. 96 a 2  
 Timor sanguinem reducit ad cor, unde extremæ partes pallescent. 190 c 2  
 Timor servilis et filialis est pondus cordis. 617 b 1  
 Talis timor domino a servo debetur. 659 a 1  
 Timus an sit tantum productio nominis in verbis in *timus* desinentibus. 462 c 1  
 Tineæ ex pulvere, situ et putredine enascuntur. 107 a 2  
 Tineæ voluptas assimilatur ob quatuor analogias. 107 b 2  
 Instar tineæ familias, urbes et provincias sceleratas Deus sensim consumit. 107 a 2  
 Tiutinnabula cur multis appendantur. 630 c 2

- Tirones in armis omnique labore et austeritate castrensi exercendi. 302 b 2
- Tisri mensis Hebræorum septimus erat, respondens nostro partim Septembri, partim Octobri, huius die tertia Iudæi ieiunabant. 489 d 1
- Erat is plenus solemnitatibus. 489 a 2
- Titio ad ignem* proverbium quid significet. 531 a 2
- Titulus crucis Christi est e buxo, litteræ ei nudæ incisæ sunt. 430 c 2
- Ex titulo prophetiæ sæpe colligere est qualis ipsa sit futura, an tristis, an læta. 33 d 2
- Titii Imper. benignitas in coniuratos. 129 d 1
- Qua parte Ierusalem obsederit. 621 d 1 et seqq.
- In expugnatione eius Iudæis caudelastrum ademit. 541 a 1
- Tobias iunior quando mortuus, an viderit excidium Ninives. 398 b 2-399 c 1-400 b 1
- Tolerantia nostra mire delectatur Deus. 481 c 1
- Tornitrua aerem et terram totam commovent. 191 b 2
- Torcularia mystice sunt gymnasia, monasteria, collegia et asceteria, persecutiones, tribulationes. 198 b 1
- Item corda inter spem et timorem posita. ibidem
- Torcular calcare* in Script. significat ulcisci, et acres de reo pœnas sumere. 209 a 2
- Torcularia regis quis locus in Ierusalem. 627 a 2
- Tori dicti sunt a tortis herbis, quæ accumbentiam bumperis supponebantur. 257 c 2
- Torrens spinarum quis sit. 212 b 1
- Torrens Ægypti quis sit. 263 b 2
- Torrens voluptatis caelestis inebriat Beatos. 211 d 2
- Torris erutus de igoe symbolice significat Iesum pont. populumque in Babylone ita tostum, ut pene consumptus sit. 531 a 2
- Totum qui cupit, perdit totum. 427 c 1
- Tradi (quomodo dicatur quis) ut faciat malum. 408 b 1
- Trabis ferratis nonnullis in locis grana excutiantur ex aristas. 209 c 2
- Vide Triturare.*
- Traiani (de) anima ex inferno precibus S. Gregorii liberata, historia apocrypha est 173 a 1
- Transfiguratio Christi symbolice demonstratur. 549 a 2
- Transire* in Scriptura significat punire. 145 c 2
- Transitus Israelis per aquas maris Rubri et Iordanis celebratur. 452 a 1
- Transsubstantiatio est velut quædam creatio. 583 b 2
- Eam futuram sub Messia agnoscunt Rabbinii. 177 d 2
- Tremor maxime invadit labia, genua, cor. 456 a 2
- Tres iuvenes in fornace Babylonia an sint viri portentosi. 533 c 2
- Tres Pastores, quos Deus succidit, quinam sint. 597 d 1
- Tres dies quibus a Ieo vivificati sumus, quales sint. 111 a 2
- Tria sunt omnia ex mente Aristotelis. 219 b 2
- Tria et quatuor scelera Damasci quæ et quot sint. 219 b 1
- Tria parva, sed efficacia. 16 a 1
- Trias a Pythagoræis dicitur iustitia et virtus. 219 c 2
- Tribulatio est telum Dei, quo fugientes ad se retrahit, et vitia nostra curat. 109 c 2
- Est velut aratrum quæ malarum herbas cogitationum evellit. 110 b 1
- Eam Sancti omnes salutarem esse censuerunt. ibidem
- Ipsa dat exercitium, probationem et præmium. 110 d 1
- In ea vicinus adest Deus. 315 b 2
- Velut sigillum Christi est. 511 b 1
- Item velut pila, in qua Deus peccatores tundit, ut pœnitentiæ gemitus extundat. 466 b 2
- Nos ea excoquit Deus quasi igne. 661 c 1
- Quam sit utilis. 177 d 2 et seqq.-559 a 1-618 a 2
- Ipsa pii a Deo colantur. 662 c 2
- Fortiter tolerata animam fidelem Deo de novo quasi unit. 484 c 1
- Tribulationes mundi sunt flagella Ninives. 408 c 1
- Quæ sit duplex tribulatio. 393 d 2
- Tribunal (ad) Dei confugere satius est, quam ad hominum. 327 a 2
- Tribus decem cur vocentur Ephraim et Ioseph, Samaria, Iezrahel, Israel, Iacob, Bethel. 17 a 2
- Ex Assyriaca captivitate non rediere. 66 b 1
- Quando tamen apud Prophetas dicuntur ex ea rediisse, intelligendum est de libertate spirituali. ibidem et seqq.
- Litteraliter tamen non pauci ex iis cum Iudæis in Ierusalem verum Deum colentes, excisa Ninive confugere. 66 c 1
- Alii etiam antea illuc confugerunt, alii etiam in Israele relicti sunt. ibidem
- An licite fecerint schisma a domo David. 128 b 1
- Abductæ sunt a Salmanasar in Babylonem, etiam trans Babylonem, in Mediam, Persiam et alias regiones. 254 b 2
- Vide Israelitæ.*
- Tribus duæ post reditum e captivitate, Israelis nomen sibi cur vindicarint. 591 d 2-604 b 1-636 a 1
- Tribus Iuda post captivitatem Babylonicam pro omnibus capiebatur Tribubus. 32 a 2
- Trichium dictum a tribus lectis: ea insterni et ornari solebant ebore, auro et argento. 257 c 2
- Tridui iter quomodo Ninive complecteretur. 318 c 2
- Triduum resurrectionis Christi in Script. expressum est. 111 b 1
- Quomodo ipsum computetur. ibidem
- Cur die tertia resurrexerit. 111 c 1
- Trigesimum (ante) annum apud Hebræos ordinarie nemini docere aut prophetare licebat. 414 c 2
- Trinitatis (SS.) mysterium a Zacharia indicatur. 531 a 1
- Eius symbolum est sol. 671 d 2
- Est sanctissima ac maxima, infinita in se bona complectitur, eaque ternariis a se creatis communicat. 219 b 2
- Tota personaliter venit in animam quæ iustificatur et adoptatur, in eaque quasi in templo et throno inhabitat. 68 b 2 et seqq.-199 a 2
- Quantum inde boni nobis accedat. 512 c 2
- Trisagio hymno cantato cessavit terræ motus Constantinopoli. 194 d 1
- Tristitia per erucam scite adumbratur. 185 b 1
- Tristitia vicina luctui est, et gaudio carens, sine dubio tristis est. 33 c 2
- Tristitia spiritum omnium pessimus est. 154 a 2
- Triticum bibitur in cerevisia. 177 b 2
- Triturandi modus apud varios varius 144 d 2 et seqq.-209 c 2-221 c 1-353 d 2
- Triumphantes eum quadriga veherentur. 559 c 1
- Triumphus S. Crucis quale festum in Hispania, et qua occasione institutum. 585 c 1
- Trophæis magnorum ducum multi excitati duces præclari evasere. 592 b 1
- Trolla est instrumentum cæmentariorum. 267 c 1
- Trolla in manu Dei stantis super murum litum mystice quid sit. ibidem
- Quid trollam deponere 267 d 1
- Tubis Iudæi utebantur ad populum convocandum. 194 c 1
- Tunetum Africae urbs an intelligatur per Tharsis, ad quam fugit Ionas. 307 c 1
- Turba quantopere honestæ vitæ noceat. 80 d 1
- Sæpe causa ruinæ est. 410 a 2 et seqq.
- Turcis cur bellum inferri vellet a Christianis S. Catharina Senensis. 410 b 2
- Quocumque pedem inferunt, sterilitatem inferunt. 270 d 1
- Eorum amici et socii sunt hæretici. 131 b 2-337 a 1
- Eorum adventum in Italiam præsignificaverunt agmina locustarum. 184 c 1
- Turpe* videtur derivari a voce Chaldaea. 90 d 1
- Turris gregis est locus in quo Iacob pavit greges: eius descriptio. 350 d 2
- Fuit iuxta Bethlehem, et ibi Angeli pastoribus Christi ortum annuntiarunt; dicta est turris gregis etiam ante Iacob tempora. 351 a 1
- Turris designat symbolice principem. 590 d 1
- Turris Haananeel erat ultima civitatis veteris Ierusalem, et inde cepit augeri civitas, adiecta urbe nova. 627 a 2
- Tutelares Deos Gentes secum per vias duxere. 252 c 2
- Tydei statura pusilla, at animus magnus. 15 b 2
- Tyranni Ecclesiae graviter a Deo percussi. 628 d 1
- Sunt Dei instrumenta, et lictores, ut vel pios defendant, vel impios castigent. 170 a 1 et seqq.-561 c 1
- Ipsi dum invidant aliena, iusto Dei iudicio perdunt sua, et intereunt cum sua stirpe. 396 b 1
- Eorum celer ortus est et interitus. 406 c 1
- Regna adificiant et adaugent per cædes, rapinas et bella iniusta. 347 b 1



Non regnant ex Deo.	129 b 1
Eorum mors plerumque eruenta.	221 c 2
Tyrus, pene perpetui fuere Iudaeorum hostes.	207 d 1
Quando eos captos Idumaeis vendiderint.	223 b 2
Tyropæon vocabatur vorago Mello,	466 b 1
Tyrus quando a Nabuchodonosore vastata sit.	223 d 2
Typus superborum et superbæ est.	226 a 1
Cur vocata sit ropes.	574 a 2
Eius sapientia in qua re sita fuerit.	ibidem
Tria portenta eius vastanda per Alexandrum.	574 b 2
Est item a Machabæis subacta : tempore Christi Iudæis associata erat.	574 c 2
Eius tria robora disiecta per Evangelium Christi.	574 d 2
Quos habuerit Martyres sub Diocletiano.	ibidem
Ex insula facta peninsula per Nabuchodonosorem et Alexandrum.	575 a 1
Duplex est, nova et vetus.	607 d 1

## U

Ubera meretrices ornant, ut amasios illiciant.	74 a 1
Udonis Antistitis Magdeburgensis iudicium et condemnatio.	202 b 1
Umbra (de) asini fabulam cur Demosthenes narrarit.	326 c 2
Uacinus pomorum quid proprie sit.	272 a 1
Quid hic Prophetæ Amos visus, symbolice designat.	272 b 1
Quid tropologie.	272 b 2
Alludit ad unum reorum.	272 d 1
Unco olim vincti trahabantur, vel etiam feriebantur rei.	ibidem
Id exemplis Martyrum probatur.	272 a 2
Unguenta in conviviis adhibebantur olim ad voluptatem et ad sanitatem.	258 d 1
Unio Dei cum anima sancta quanta sit.	199 b 2
Unio animorum quam sit ad adversa toleranda potens.	480 c 2
Unitas linguæ multum facit ad unionem et consociationem Ecclesiæ.	481 b 1
Unus homo potest repræsentare totum populum ex se generandum, vel sibi subditum	150 a 2
Unusquisque alios in aliquo superat.	637 c 2
Upupa canens ante tempus vitium, magnam vini bonitatem et copiam prænantat.	178 a 1
Urbanitas Prælatos et principes maxime decet.	597 c 1
Urbis etymon.	348 a 1
Urbis condendæ et diruendæ ritus erat aratrum circum eam ducere.	ibidem
Urbes Israelis quomodo distributæ erant per chiliades.	358 d 2
Urbes aliquot magnæ et populosæ recensentur.	319 a 1 et seqq.
Urbium magnarum quanta sit vanitas.	320 a 1
Urbes rupibus impositæ vocantur nidi.	294 d 2
Quomodo decalventur.	338 b 2
Solent vocari filia vel virgines, cur.	358 c 1
Uredo morbus segetum interdum vocatur aurugo, ærugo, rubigo.	241 a 1
Urim et tumum in rationali pontificis an dici possint Theraphim.	90 b 1
Id pluribus annis in secundo templo defuit.	495 b 1
Ursæ mira est sævitia, raptis catulis, quia mirus illius in eos amor, et cur.	167 d 2
Usuræ mala et damna.	163 c 2 et seqq.
Eam Hebræi vocant vulnus et morsum.	280 c 2
Usurarii plerique nullos conscientia remorsus sentiunt.	164 c 2
Uterus Virginis matris mystice fuit templum Christi.	659 b 1
Utopia (in) Mori quam aurum sorderet.	405 a 1
Uxor Osee fuit famosa meretrix.	57 d 1
Fuit figura idololatrantis Synagoga.	57 a 2
Uxorem non ducere quomodo Pacuvius Arrio amico suo suaserit.	39 c 2
Uxores maritos in scelere imitantur, idque iusta Dei vindicta.	99 a 1
Uxores Hebrææ maritos suos vocabant <i>Baali</i> , id est, Domine mi.	83 a 2
Apud priscos, etiam Hebræos, per munera a sponsis emebantur, et ipsæ dando dotem vicissim maritos ea coemebant.	88 c 1
Uxores suas quibus nominibus Iudæi amare teneantur.	651 d 2 et seqq.

Eorum repudium multis argumentis dissuadetur.	654 a 1 et seqq.
Uxor pubertatis diligenda.	654 b 1

## V

Vacca, petulantia symbolum est : magnam cum Venere affinitatem habet, hinc et in Ægypto immotabatur : eius libido.	237 c 2
Vaccæ cur potius Israelem Prophetæ comparent, quam cani vel asino.	101 b 1
Vaccæ Basan significant mulieres Samariæ lascivas et imperiosas.	237 c 1
Etiam viros opulentos.	238 a 1
Etiam sacerdotes vitulorum.	238 b 1
Vaccæ Bethaven sunt vituli quos erexit Ieroboam in Bethel et Dan.	142 b 1
Verisimile est fuisse vaccas, non boves, quia Ægyptiis vacca sacra erat.	142 c 1
Contraria sententia non est improbabilis.	142 d 1
Valens Imp. in tugurio a Gothis concrematus est.	492 b 2
Valentinianorum demones triginta potius nominum portenta sunt, quam numina.	485 c 1
Valeriani Imp. immanitas et misera sors.	221 d 2 et seqq.
Vallis Achor quis locus.	81 c 2
Eius situs : unde dicta.	81 d 2
Vallis Gethsemani facta est credentibus spes et ianua vitæ aeternæ.	83 d 1
Vallis Iezrahel quænam diceretur.	63 c 2 et seqq.
Vallis Iosaphat, ad quam congregabuntur omnes homines, an sit incertus aliquis locus, sed indefinite significet locum iudicii.	204 a 2
Au certa sit vallis, quæ ab eventu nominanda sit vallis Iosaphat, id est, iudicii Domini.	204 b 2
Est nomen vallis certæ sitæ inter Ierusalem et montem Oliveti.	ibidem
Eius descriptio.	204 c 2-466 b 1
In ea est hortus in quo Christus captus est a Iudæis, in eadem sepulta B. Virgo est.	205 a 1
Unde dicta sit.	ibidem
In hac idololatræ et idola a piis regibus combusti sunt.	ibidem
Fuit cœmeterium Ierusalem : ibi quoque Molocho infantes cremabantur.	205 b 1
An in ea sint fauces inferni.	ibidem
Cur vocetur vallis concisionis.	209 c 2 et seqq.
In quam vallem Iosaphat, et quas gentes deducendas a Deo dicit Iosaphat, ibique iudicandas	204 a 1 et seqq.
Ipsa est vallis Cedron.	466 b 1 et seqq.
Quando dicatur vallis Siloe.	ibidem
Vallis Ierusalem quousque pertingat : cur hæc vocetur Pda a Sopbonia.	465 d 2 et seqq.
Vallis Mello et Tyropæon erat inter montes Sion et Moria.	466 b 1-623 a 2
Vallis Settim significat anagogice locum Beatorum in cælo.	212 d 1
Valles quasi terræ sunt fundamenta et radices.	370 a 2
Minus terræ motu quatuntur quam montes.	623 c 1
Vana gloria per locustam designatur.	185 a 1
Bona opera decorticat et vastat.	186 a 2
Vaudregisilus nomen proprium, e tribus conflatum, idem est quod e tribus sociis unus.	379 d 2
Vanitas urbium et omnium rerum mundanarum.	320 a 1
Auri, gemmarum et byssi.	404 b 2-405 d 1
Vanitas omnis splendoris mundani.	409 b 1
Vapor a fumo quomodo distinguatur.	201 b 1
Varius color quis dicatur.	519 b 1
Variæque Zachariæ visi denotant gentes varias Iudæis, vicinas, eis partim amicas, partim inimicas.	519 d 1
An Romanos repræsentent.	ibidem
Vasa sacra semel consecrata Deo manent in æternum sacra.	633 a 1
Vasis sacris abundat Ecclesia Catholica.	632 b 1-633 a 1
Vates pyrophori qui Græcis essent.	299 d 2
Vaticanus mons Romæ cur dicatur aureus.	210 a 1
<i>Ve</i> particula in compositis significat vel intensionem, vel minutionem.	195 a 1
Vectigalia iniuqua imponentes adificiant in sanguinibus	

- dominia. 347 b 1  
 Vectis capitur pro porta et robore. 222 d 1  
 Vellicare arbores tripliciter accipitur. 269 d 2  
 Vena (ex eadem) saepe prodit primo stannum, deinde argentum, postea plumbum. 546 c 2  
 Venditus Christus fuit quindecim florenis Brabantiae. 599 b 1  
 Venenata omnia ab anima effuganda. 290 a 1  
 Venetiarum Resp. qua occasione coaluerit. 283 c 1  
 Venetus color est caeruleus, sive marinus. 560 d 2  
 Repraesentat mare et aquam. ibidem  
 Venter Hebraeis est, quidquid a collo ad inguina est. 456 b 2  
 Venter ceti, quomodo dicatur inferus. 314 a 2  
 Venter gulosi et luxuriosi aliud non est quam matula, latrina, cloaca. 131 a 1  
 Aestuans mero despumant in libidinem. 257 b 2  
 Ventosus dicitur de iactabundo et mendace. 342 d 2  
 Ventriculus in victima pacifica sacerdoti cedebat. 648 c 2  
 Ventus Orientalis in Iudaea vehementissimus est. 422 b 1  
 Ventorum carcer et coustrictio. 559 b 2  
 Ipsis comparantur Apostoli et praedicatores. 589 b 1  
 Ostendunt Dei potentiam et magnificentiam. 242 d 2  
 Eorum mirabilia. ibidem  
 Angelos repraesentant. ibidem  
 Item Deum, cur. 244 a 1 et seqq.  
 Ipsis ala dantur per metaphoram. 101 d 2  
 Ventus urens vel uredo, est Eurus vel Boreas. 240 d 2  
 Ventum seminare est inanem operam sumere. 130 a 1  
 Venti nomine in Scriptura denotatur opus inane et sterile. ibidem  
 Venus cur diceretur myrtea. 518 a 1  
 Eius sacerdotes apud Babyloios, Cyprios, Phoenices erant feminae. 404 a 1  
 Cur Vulcano nupta dicatur. 122 c 1  
 Fuit incesta, quia incestuosissimi Iovis fuit filia. 60 a 2  
 Veneris actus videtur mera epilepsia. 97 a 1  
 Verbum idem est quod oraculum et missio. 56 a 1  
 Verba activa Hebraeorum saepe non effectum, sed agendi virtutem, vim et potentiam notant. 32 b 2  
 Nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum. 37 d 2  
 Verba contactus Hebraei construunt cum in. 92 c 2  
 Verborum imperfectorum ordines apud eos saepe commutantur. 187 d 1  
 Verba Scripturae diversos, imo contrarios, subinde habent sensus. 31 c 1  
 Verba multa secundae apud Latinos coniugationis coniunguntur et in tertia. 395 e 1  
 Verbum Domini acre est in peccatores, molle et clementius in iustos. 573 a 2  
 Ipsum quanti faciendum sit. 492 a 1  
 Est velut lucerna. 468 c 1  
 Verba levia signum sunt animi levis. 486 b 1  
 Verbi Dei filatio, exemplar est filiationis nostrae cum Deo. 68 b 1  
 Verbum abbreviatum est Deus infans. 16 d 1  
 Verbum cur dicatur factum caro, non anima aut animatus homo. 199 c 2  
 Veritas triplex in Scriptura est, mentis, oris et operis. 119 d 1  
 Veritas aliquando significat iustitiam. 374 a 1  
 Veritatis filius quomodo sit Christus. 306 a 1  
 Est una de praecipuis sacerdotum dotibus. 649 d 1  
 Ipsa amara est, adulatio blanda. 518 b 2  
 Veritas prima et increata Dei, est ratio formalis credendi in fide. 432 b 1  
 Vermes minatur Deus Balsasari. 434 d 1  
 Vermis qui hederam Ioniae erosit, fuit extraordinarius aliquis, nostris mordacior. 326 a 2  
 Verriculum retis genus unde vocetur, idem est cum sagena. 427 b 2  
 Versio Bibliorum LXXI. Interpretum in Graecum sermonem quando adornata sit. 571 a 1  
 Versio Arabicorum Bibliorum duplex est. 18 c 2  
 Versionum antiquarum varietas servit ad S. Scripturae claritatem et copiam. 18 d 2  
 Verticis nomine appellari possunt reges et regum palatia, item imperium et potentia. 218 d 2  
 Vesperum quomodo sit futura lux, allegorice, symbolice et analogice. 624 a 2 et seqq.  
 Vespertini lupi qui dicuntur ab Habacuc. 420 a 2-421 c 1  
 Vestalium virginum quod esset officium. 462 d 1  
 Vestis rei sacrae contactu sanctificata an sanctificet omne id quod tangit. 506 e 2  
 Vestis convivialis erat alba. 560 c 1  
 Vestem peregrinam quam vocet Propheta. 463 d 2  
 Vestis coccinea tutos praestare in periculis credebatur. 401 d 2  
 Vestium novitatem et luxum Deus punit. 464 a 1  
 Vestes sordidae Iesu pontificis quid ad litteram, symbolice et allegorice denotent. 531 c 2  
 Vestes mutatoriae, quas is induit, sacrae fuere. 532 d 2  
 Candidae symbola sunt balnearum et computationis. 258 b 2  
 Vestes Prophetarum olim erant saccus et pallium. 23 a 1  
 Eas scindebant Iudaei in blasphemiam, aut simili atroci scelere, aut in gravi luctu. 192 d 1  
 Vestibulum cur additum templo Salomonis. 195 a 1  
 Eius altitudo. 195 b 1  
 Erat id templo connexum. 195 d 1  
 Unde dicatur et formetur vox *vestibulum*. 195 a 1  
 Via in caelum obstructa vi perfringenda. 344 b 1  
 Via in Scriptura rem, negotium, ius et causam significat. 228 b 2  
 Item actum, opus, eius successum, modum vivendi, vitae tenorem. 95 e 2  
 Via Samaritarum in Aegyptum communis olim erat. 241 c 1  
 Viae quomodo dicantur vivere, florere, mortuae, lugere. 279 a 1  
 Via Bersabee multis repleta erat aris et sacellis idolorum. ibidem  
 Vias Domini et vias in caelum pauci norunt. 179 e 1  
 Victima Gentilium priscorum erat far, non caro. 643 c 2  
 Victima caeca et clauda symbolice quae sit. 641 d 1  
 Victimae spirituales quae. 633 c 1  
 Victimae piaculares mentem a culpa expiare non possunt. 506 d 2  
 Victimae in Scriptura vocantur cibus et panis Dei. 133 b 2  
 Tristi animo Deo oblatae ei displicent. 134 a 2  
 Victoria omnis de hostibus tam corporalibus quam spiritualibus, adscribenda est Deo. 354 b 2-459 d 1  
 Saepe dependet a bono duce. 422 e 1  
 Victoria Iosue de Amorrhais quam miraculosa fuerit. 453 c 1  
 Victoria Christianorum navalis de Turcis ad Naupactum a Deo venit ventum propitium Christianis dante. 390 b 2  
 Victus Prophetarum fuit sobrius et vilis. 23 b 1  
 Videre Deum quomodo quis possit. 650 b 2  
 Vigilia et cura gregis primariae pastoris dos. 603 c 1  
 Eius emblemata quod. 547 d 2  
 Vigilantius haereticus noluit lampades ante reliquias Sanctorum accendi. 547 a 2  
 Vigiliam Christus inducit, diabolus somnum. 412 c 2  
 Vinacea sunt folliculi ovarum. 87 a 2  
 Sunt symbolum rerum vanarum et futilium. 87 c 2  
 Vincentius Ferrerius (S.) precibus suis locustas fugavit. 183 b 2  
 Fuit atlas orbis. 679 b 2  
 Vincti spei sunt duplices; erantque Iudaei fideles expectantes redemptionem Israel per Christum, et alii. 579 d 1  
 Vincula charitatis sunt leges tum Iudaeorum, tum Christianorum. 152 a 1  
 Vinculo triplici anima Deo colligatur. 74 a 1  
 Vindemia et vinum cur iungatur messi tam apud Ioclem loquentem de messoribus, quam apud S. Iohannem in Apocalypsi. 209 d 1  
 Vindicare apud veteres significabat defendere. 108 a 1  
 Se quomodo de impiis vindicet Deus. 480 c 1  
 Vindicta Dei dicitur quandoque ebrietas. 605 a 2  
 Etiam Domini solemnitas. 131 c 2  
 Vindicta de improbis patienter expectanda piis. 417 d 1 et seqq.  
 Celer in peccatores descendit. 551 a 1  
 Semper iis imminet. ibidem  
 Est inevitabilis. 551 b 1  
 Vindicta scelerum quam Deo grata sit et sancta. 562 b 1  
 Ea expiatur terra et sanguis innocens effusus. 213 d 2  
 Vindicta iusta est, ut qui aliena rapuit, perdat sua. 249 d 1  
 Est per clementiam temperanda. 303 b 1  
 Vinea potissimum erat praedium antiquis, praesertim Patriarchis. 140 c 1

- Eam solebant in atrio domus plantare ad umbram et amonitatem: est quid medium inter hortum et agrum: est questuosa et deliciosa, maxime fructifera est. 140 c 1  
 Lucunda est. 140 d 1  
 Vineæ Engaddi fertilissima est. 81 b 2  
 Vineæ Domini olim erat Synagoga, iam est Ecclesia. 81 c 2  
 Vineæ Nabothi situs. 62 a 1  
 Vinum fugiens quod dicatur. 101 b 2  
 Vinum forte cur propinaretur damnatis. 229 d 1  
 Est animi speculum. 97 d 2  
 Lac senum, lignum vitæ, imo vita hominis dici potest. 140 d 1  
 Id non bibebant Nazaræi. 230 a 1  
 Eius usum interdixit Tatianus Eueratitarum princeps 230 b 1  
 Id in sacrificio in Dei honorem vel in terram effundebatur, vel a sacerdotibus bibebatur. 134 a 1  
 Quomodo hominem in omnia vitia præcipitet: ipsum mox ut a Noe inventum, ab omnibus auide arripitum est. 95 c 1  
 Eius nomen in omnes prope linguas transit. ibidem  
 Vinum Libani erat præstantissimum. 178 b 1  
 Vinum Libani vario sensu accipitur. ibidem et seqq.  
 Vinum Cretense. 472 b 2  
 Vinum aromaticum quod dicatur. 178 d 1  
 Vinum nardinum, myrrhatum, foliatum quid; vinum cur condidatur: vinum croceum olim Romæ in theatris spargebatur. 178 a 2  
 Vini vires. 585 c 2  
 Eius mala et effectus. 586 b 2  
 Accendit animos in prælia, et hominem interritum reddit. 262 b 2-402 d 1-592 b 1  
 Ei comparantur cupiditates. 433 b 1  
 Vinum germinans virgines quod sit. 585 d 2  
 Quotidie in ingi sacrificio agni libabatur. 643 b 2  
 Vir dicitur a virtute. 83 d 2  
 Vir dolorum, misericordiæ, etc. quomodo ab Hebræis sumatur. 57 d 1  
 Vir sanguinum est latro et homicida. 92 d 2  
 Vir cur vocari velit Deus a Synagoga, non dominus. 83 b 2  
 Vir Zachariæ apparens fuit Angelus Michael vel Gabriel. 517 a 1  
 Viri Apostolici equo generoso assimilantur. 590 a 1  
 Sunt filii et pesteri Apostolorum. 482 a 2  
 Terrena non nisi modice et necessitate coacti tangunt 582 a 1  
 Viri prodigii qui et quales dicantur. 533 c 2  
 Viros eximios Deus corpore parvos formavit. 575 a 2  
 Virga vigilans visa a Ieremia, quid designaret. 264 b 1  
 Virgæ quibus centuriones cadebant delinquentes milites, e sarmentis vitium fiebant. 139 c 2  
 Virgæ duæ Zachariæ, quarum uni nomen Decor, alteri Funiculus, quid significant. 595 d 2 et seqq.  
 Virgili versus quam elaborati sint. 19 a 2  
 Is quomodo Ennium legerit. 20 b 2  
 Virginitas amissa nullo modo recuperari potest. 245 a 2  
 Virgo vivido colore florens, iuventutis nunquam senescentis, et vitæ immortalis est symbolum. 140 a 2-586 c 1  
 Virginum nomine vocant Hebræi urbes et regna ob speciem, opes et gloriam. 245 c 1  
 Virgines mystice designantur per equos albus Zachariæ visos. 519 b 2-559 a 2  
 Earum status similis est Angelico. 658 a 1  
 Virtus est animæ sobrietas et sapientia. 185 c 2  
 Difficultatibus obsidetur. 177 b 2 et seqq.  
 Tria ad proficiendum in ea media. 25 d 1  
 Virtutes variæ floribus accommodantur. 290 a 1  
 Virtutes et bona opera sunt velut uvæ in animæ vineæ crescentes. ibidem  
 Externæ et internæ pelle et carne denotantur. 345 b 2  
 Eius profectus e quibus signis colligatur. 486 c 1  
 Ea vitium potentius est. 507 d 1  
 Facit Angelos, imo Deos et Dei filios. 657 d 2 et seqq.  
 Eius tres sunt gradus et intensiones respectu eam habentium. 661 a 1  
 Virtutes quasi vitia nonnunquam traducuntur. 661 d 2  
 Virtutes quatuor Apostolicæ denotantur per quadricolores equos Zachariæ. 560 b 2  
 Virtutes quasnam homo in Eucharistia exerceat. 645 a 1  
 Viscera misericordiæ Dei quæ sint. 81 b 2  
 Visio pacis est Ierusalem. 211 a 2  
 Ad visionem propheticam requiritur res futura quæ prævidetur, lumen propheticum mentem Prophetæ elevans, et visio et cognitio rei futuræ. 34 d 2  
 Visio, quæ fit vigilantibus, in se perfectior est somnio quod fit dormienti: quando vero somnium visione perfectius sit. 200 c 1  
 Visio vel verbum Domini cum præponitur Prophetis, ipsæ latæ sunt ordinariæ. 34 a 1  
 Visio Prophetarum erat intelligentia mentalis, qua intelligebant ea quæ Deus ipsis revelabat. 232 b 2 et seqq.  
 Visitare in Scriptura quid proprie significet. 62 c 2  
 Capitur subinde pro condemnare, punire, excindere. 161 c 2  
 Visus forma reliquorum sensuum cur dicatur. 31 a 1  
 Vita triplex, naturæ et culpæ, gratiæ, et gloriæ. 111 b 2  
 Vita bona magis prodest ad peccatores convertendos quam verba. 22 b 1  
 Vita Apostolorum similis fuit vitæ Prophetarum. 23 c 1 et seqq.  
 Vita Christianorum debet esse cælestis. 70 a 2  
 Vita fidelis tota, martyrium est. 160 b 2  
 Vita capitur pro gloria, fortitudine, sanitate. 112 d 1  
 Vitæ brevis suadet ut æternis inhiemus. 273 d 2 et seqq.  
 Eam quisque habet velut stadium in quo usque ad mortem decurrat. 155 d 2  
 Est velut pomum ob varias analogias. 272 d 2  
 Vitæ solitaria bona et elogia. 78 b 2 et seqq.  
 De vitæ statu deliberanti recessus necessarius est. 79 b 2  
 Vitas Sanctorum sibi propouat ad perfectionem aspirans. 370 c 1  
 Vita hæc mortalis meræ sunt tenebræ. 624 c 2 et seqq.  
 Vitam divinam et humanam in se complexus est Christus. 445 b 2  
 Illic vitæ infernalis et beatæ arbiter est. 445 c 2  
 Vita sacerdotis esse debet Angelica. 533 a 2  
 Eius idea et speculum. 651 d 1 et seqq.  
 Vita religiosa parit Religiosos. 572 b 1  
 Vita sanctitate Prophetæ prophetiæ donum accipere meruere. 490 a 1  
 Ad vitam beatam anhelantis suspiria. 674 b 2  
 Vita Sanctorum et Christi velut lucerna est, hæc arguet in die iudicii nequitiam peccatorum. 468 d 1  
 Vita Sanctorum quam alta et separata sit. 582 b 1 et seqq.  
 Vitellii Imp. crudelitas et mors 221 b 2-272 d 1  
 Vita septem capitalia fidelis per septem virtutes contrarias, septem dona Spiritus sancti, septem petitiones orationis Dominicæ, septemque primas beatitudines expugnare debet. 302 d 1  
 Vita qui sanat, noctem in diem convertit. 248 a 1  
 Vita Superiorum et principum manant ad subditos. 281 c 1  
 Vitia omnia quomodo iustus expugnet. 518 d 2  
 Vitia quatuor maxime Ecclesiam et fideles impetentia, sunt ut quatuor cornua Zachariæ vasa. 522 b 2  
 Vitia publica non principibus a concionatore imputanda, sed populo. 491 c 1  
 Vitio uno abeunte alterum nos oppugnat, ut residuum quod prius reliquit, posterius depascatur. 181 d 2  
 Vitium quodlibet est animæ ebrietas et insania. 185 c 2  
 Vitium virtute potentius est. 507 d 1  
 Vide Peccatum.  
 Vitæ centurionalis quæ dicatur. 139 c 2  
 Vituli aurei quos efformavit Ieroboam, fuit Apis Ægypti. 129 c 2  
 Eos cur in Israel non invenerit. 16 a 2  
 Erecti erant in Dan et Bersabee, quasi in duobus regni limitibus. 279 a 2  
 Duo erant, non unus. 142 b 1  
 Cur vocentur hi modo vituli, modo vitule vel vaccæ. ibidem  
 Per vitulos labiorum quid intelligatur. 175 a 2  
 Vituli quam et quare petulei sint. 675 a 1  
 Vitulus de armento quis dicatur. ibidem  
 Vide Vacca.  
 Vivere debemus Christo, qui suam pro nobis vitam dedit, et ob quem vivimus. 458 a 1  
 Vocales olim et puncta in textu Hebræo non erant. 418 c 2  
 Vocatio Gentium a Prophetis prædicta est. 565 a 2  
 Vocatio Dei sequenda. 308 b 1 et seqq.  
 Vocatio non est ex præviis prædestinatorum meriti, sed ex Deo vocante. 168 b 2  
 Vide Prædestinatio.

Volumen quid sit.	550 a 1	Quando mortuus.	41 c 2
Cur videat Zacharias volumen volans, et in eo quæ scripta sint.	ibidem et seqq.	An ortus e Tribu Levi.	514 a 2
Cur vocetur compendium.	550 a 2	Eius corpus quando inventum.	515 a 2
Cur volet, variæ dantur causæ.	551 a 1	Quomodo in visione pretium pastoratus sui a ludæis poposcerit, ac triginta argenteos ab eis datos ad statuarium proiecerit.	598 b 2-599 c 2
Cur longum XX cubitis, latum X.	551 d 1	Fuit ludæis in honore et veneratione.	599 d 2 et seqq.
Voluntas Dei est mensura et regula omnis sanctitatis.	424 b 1	An tantum per visionem repræsentata el sit venditio Christi.	599 b 2
Ipsa æterna est.	665 a 1	Pretium parvum pro pastoratu cur ei a populo sit assignatum.	599 c 2
Ea per preces, considerationes, elemosynas, ieiunia, exquirenda, et ea cognita illico exequenda.	308 a 2	Illius pretii acceptio et projectio, cum Christi pretio a Iuda accepto et projecto comparatur.	600 d 1
Voluntas nostra natura sua omnium rerum speciem quasi induit, quibus se per amorem applicat.	136 a 2	Ipse et Malachias ultimi fuere Prophetarum.	18 c 1
Voluptas pomum aureum est, et illecebrosa.	273 d 1	Zacharias, pater Ioannis Baptistæ, fuit Propheta æque ac filius.	516 a 1
Tinea assimilatur.	107 b 2	Zelosi sunt Atlantes orbis.	679 d 1
Item Ilypani fluvio.	298 a 2	Zelotæ in obsidione urbis per Titum, suis contentionibus urbem exhaustere.	595 c 1
Eius tædia, dolores, fastidia et furie ultricis conscientie.	298 b 2	Zelotes gloriæ suæ Deus est.	198 b 1
Est insatiabilis.	95 d 2	Zelus sponsi Dei in sponsam Synagogam.	84 d 2
Voluptas peccati insipida et inanis est.	87 c 2	Zelus iogens tum salutis animarum, tum gloriæ divinæ requiritur in concionatoribus et sacerdotibus.	22 a 1-649 b 2
Hydra multorum capitum est.	554 a 2	Zelus indiscretus displicet Deo.	325 b 1
Est mater omnis peccati.	554 d 2	Talis fuit zelus Iouæ optantis Niniveu subverti.	ibidem
Est sigillum diaboli.	511 b 1	Item SS. Iacobi et Ioannis ignem in Samaritas mitti optantium, et S. Carpi.	325 d 1
Voluptates sæpe hominem enecant.	326 b 1	Zelus est ingens amor rei amatae.	568 a 1
Cito transeunt ut fœnum.	262 c 2	Duos actus contrarios complectitur.	389 c 1
Mentem inebriant ac dementant.	185 a 2	Zelus Eliæ quantus fuerit.	676 c 2 et seqq.
Earum fuga dispoit ad Propbetiam.	21 d 2	Zelus gloriæ Dei unde in viris sanctis oriatur.	439 b 1
Voluptatibus licitis abstinens ex Epicteti sententia, divinæ naturæ consors est.	148 c 1	Quanta sit virtus et quanti a Deo fiat.	678 a 1
Earum sectatores non possunt ædificare templum Dei.	492 d 2	Zelus Christi erga peccatores et impios.	480 d 1
Vorago ingens e fissione montis Oliveti in die iudicii, improbus missura in tartara, erit profundissima.	623 b 1	Zelus Dei pro Ierusalem quis sit.	521 b 1
Vorago Mello cur vocetur pita.	466 b 1	Zelus maritorum pro uxoribus.	470 a 1
Votorum (ad) suorum violationem clerici et Religiosi non sunt pelliciendi.	230 b 1	Zonæ unius milites dicuntur excellentes bello.	120 b 1
Esse debent perfecta.	646 c 1	Zopyrus se deformavit, ut Dario regi uo Babylonem expugnaret.	525 c 2
Votum Deo dolo eludens peccat contra iustitiam et religionem.	ibidem	Darii de eo elogium.	525 d 2
Volivæ hostiæ esse debebant perfectæ.	646 a 1	Zoroastres in solitudine vixit, ut divinis intenderet.	21 d 2
Vox Dei est tonitru.	191 c 2	Zorobabel non est dominator in Israel, quem in Bethlehemi nasciturum predicat Michæas.	359 b 2
Vox fortis signum est animi fortis, remissa timidi.	295 d 2	Unde dictus Zorobabel.	359 b 2-490 b 2
Vulcanus cur elaudis a poetis fingatur.	448 a 1	Fuit filius Salathiel.	490 d 1
Vulgatæ Interpres solet subinde pro nomine proprio eius significatum reddere.	474 c 2	Alius est Zorobabel filius Phadaïæ.	ibidem
Vulgus mobile ad regum libitum, mutat fidem et religionem.	120 a 2	Ei in ducatu successere filii et posteri usque ad Christum.	490 c 2
Vulnera Christi quinque fuere quasi fontes gratiæ et sanguinis.	613 d 2	Quomodo in solutione problematis coram Dario propositi palman tulcrit, et quam propterea mercedem sit consecutus.	491 a 2
In illis tuta quies est.	614 b 1	Quomodo populum ad fabricam templi sit cohortatus.	491 d 1 et seqq.
Medentur omnibus animi morbis.	614 d 1	An Deus ei promittat per Aggæum eum cum suis ab invasione Gog et Magog indenuem fore, aut a Peris nullum damnnum passurum.	508 d 1 et seqq.
Cur ea resurgens resumere voluerit, et in cælo servare.	617 a 1	Eius ex semine promittitur Christus nasciturus.	508 b 2
Vultus Christi iudicis quam futurus terribilis.	528 a 2	Quod avo eius Iechoniæ Deus abstulit, hoc ei restituit ob pietatem.	509 c 2

## X

Xenophon in Cypriædia ideam insignis regis descripsit. 520 c 2

## Z

Zachariæ tres illustres fuere, et quis illorum inter templum et altare sit occisus.	195 d 1-514 b 2	Quomodo et quare sit anulus Dei.	509 d 2 et seqq.
Zacharias filius Ieroboam, rex Israel, occisus est a Solum, qui regnum ab eius familia ad suam transtulit.	268 c 2	Eius stirps quomodo a Deo conservata.	ibidem
Zacharias Propheta coævus fuit Aggæo.	41 a 2-514 a 1-515 b 1	Quomodo Deo fuerit honori et ornamento.	510 a 1
Eius symbola.	514 a 1	Fuit Dei legatus ad regem Darium et ad populum, fuit quoque Deo carus.	ibidem
Eius etymon.	ibidem	Quomodo sit quasi geos Dei.	510 b 1
Eius argumentum.	514 b 1	Eius sapientia.	ibidem
Cur vocetur memoria Domini.	514 a 2	In Babylonem redux ibi defunctus est.	ibidem
Martyrem fuisse censent nonnulli.	514 b 2	Qua in re fuerit typos Christi Iesu.	510 d 1
Eius miracula.	514 c 2	Fuit princeps rerum civilium et reip.	540 d 1
Eius sanctitas.	515 a 2	Olivæ comparatur.	541 b 1-541 b 2-548 a 1-548 d 2
		Significatur per lapidem primarium.	542 d 2
		An a Zacharia recte vocetur <i>oriens</i> .	563 a 2

# INDEX MATERIARUM PRO CONCIONIBUS

Evangeliorum Dominicarum totius anni, et Festivitatum aliquot, quæ in hoc Commentario proponuntur.

## DOMINICA I. ADVENTUS.

- ERUNT SIGNA IN SOLE.** Signa Deus solet præmittere, et feriendos præmonere, antequam feriat. 234 d 1  
 Quæ signa diem iudicii præcessura sint. 201 a 1-210 d 1  
 Unum e signis erit ignis conflagrationis, qui totum orbem succendet, isque duplex. 670 c 2  
 Eius conflagrationis horror describitur. 266 d 2  
 Hoc igne peccatores excoquantur. 661 d 1  
 Eliæ et Henoch adventus describitur. 677 a 1 et seqq.  
 Eliam eum Christus tunc missurus sit. 677 d 1  
 Hic multos Iudæos ad fidem Christianam convertet. 678 d 2  
**IN SOLE.** Christus est sol, Adam non nisi luna. 672 d 2  
**VIRTUTES CÆCORUM MOVEBUNTUR.** Virtutes cælorum et terra quomodo tunc commovendæ sint. 210 c 2  
**ET TUNC VIDEBUNT FILIUM HOMINIS.** Christus iudex hoc die erit proprie sol iustitiæ ob rationes varias. 671 a 2 et seqq.  
 Cum omnibus Angelis et Sanctis ad iudicandum veniet. 624 a 1  
 Dies iudicii auferet impiis spem salutis unquam consequendæ. 671 d 1  
 Christi iudicis quanta tunc futura perspicacitas. 663 d 2  
 Tunc scrutabitur conscientias velut ad lucernam. 467 b 2  
 Eius diei horror ex variis epithetis ostenditur. 469 b 1 et seqq.  
 Homini Christiano is semper præ oculis habendus. 210 c 1  
 Cur vocetur magnus. *V. not. D. ult. post Pent.* 201 c 1

## DOMINICA II. ADVENTUS.

- CUM AUDISSET.** Consuetudinum malarum et passionum vincula rumpenda sunt e carcere peccati et diaboli in libertatem filiorum Dei egredi volentibus. 344 c 1  
**PAUPERES EVANG.** Quia pauperes Deo curæ sunt, hinc graviter peccant advocati et iudices qui eos opprimunt. 228 c 2  
 Pauperes, abjectos et infirmos Deus erigit et evehit, cur. 216 b 1  
*Vide in Indice rerum, v. Pauper.*  
**TU ES QUI VENTURUS ES, AN ALIUM EXPECTAMUS?** Iudæi post Christum suum Messiam frustra expectant. 287 b 2-368 d 2  
 Erit is Antichristus, qui ipsorum erit idolum et numen. 557 a 1 et seqq.  
 Huius mores, et imperium describitur. 602 a 1 et seqq.  
 Quomodo is in fine sæculi destruendus a Christo sit. 628 a 2  
 Messiam iam dudum venisse contra illos ostenditur. 501 a 1-503 c 1  
**ARUNDINEM VENTO.** Mutatio omnis est quædam mora. 665 d 1  
 Contra mens in Deo fixa sit immutabilis. 665 b 2  
 Vir constans est quasi Deus terrestris. 665 b 1  
**HOMINEM MOLLIBUS VESTITUM.** Vestium luxus, novitas et mollietis reprehenditur. 464 a 1  
 Vestis peregrina vocari potest hæresis et hypoëresis. 464 d 1  
**ECCE ECO MITTO ANGELUM MEUM.** Ioannes Baptista quomodo missus ante faciem Christi. 657 b 1  
 An fuerit Angelus incarnatus. 657 c 2  
 Vocatur Angelus ob octo analogias. 657 d 1  
 Eius infantia, abstinentia, castimoniam, recessus in eremum, vitæ innocentia. 658 a 1 et seqq.  
 Elogia varia eiusdem. 658 a 2  
 Doctus est a Spiritu sancto. ibidem  
 Est alter Elias. 658 b 2  
 Missus est ut Christum iam missum indicaret. 658 d 2  
 Fuit horizon et filula legis veteris et novæ. 659 a 1  
 Ei similis fuit et futurus est Elias zelo, officio, prædicatione, et sanctitate. 676 c 2  
 Quomodo corda patrum ad filios converterit, etc. 678 a 2 et seqq.

## DOMINICA III. ADVENTUS.

- PROPHETA ES TU?** Prophetarum tres sunt dotes, robur, iudicium et efficacia. 346 b 2  
 Proph. omnes in Christo desinunt, et ad eum avolant. 30 c 2  
 Prophetæ veteres fuere velut Angeli terrestres. 23 b 2  
*Vide in Indice rerum, v. Propheta.*  
 Ioannes in deserto locustis victitans fuit imago veterum Prophetarum, quorum victus sobrius fuit, etc. 23 b 1  
 Tu quis es? Ita seipsum quilibet interrogare potest; ita enim ad Dei cognitionem perveniet. 147 c 1

## FERIA IV. QUAT. TEMPOR. ADVENT.

Christus carnem assumens, ut humanam naturam li-

- beraret, est vindex orbis. 672 d 1 et seqq.  
 Ut sic, est sigillum Patris quadrupliciter. 511 d 1  
 Representatur per Iesum pontificem sordidis indutum. 531 d 2  
 Humanitas hæc fuit quasi equus, cui inequitavit divinitas. *Vide not. in festo Annunt. B. Virginis.* 452 d 2

## DOMINICA IV. ADVENTUS.

- PRÆDICANS BAPTISMUM POENIT.** Poenitentia non est in solo dolore de peccatis sita, sed et in susceptione operum poenitentium, et satisfactione per eadem pro illis. 394 c 2  
 Poenitentia publica sæpe publicas elades avertit. 320 d 2 et seqq.  
 Ninivitarum poenitentia. 322 d 1 et seqq.  
 Eorum plur. per poenitentiam suam sunt iustificati, et qui in ea ad mortem usque perseveraverunt, salvati. 323 b 1  
 Poenitentia animæ pristinum suum decorem restituit. 186 c 2 et seqq.  
 Poenitentia: elogia. 195 c 2  
 Eiusdem vis et effectus. 198 d 1-323 b 2  
 Poenitentium et poenitentia: schema est aquila pennas veteres abiciens, et novas assumens. 338 c 2  
*Vide Dom. I. Quadrag. et Ind. rerum, v. Poenitentia.*  
 Concionator prædicet ore et manu, ut fecit S. Ioan. Bapt. 490 a 1  
 Constans sit in vitis arguendis, nec deficiat. 497 a 1  
**ERUNT PRAVA IN DIRECTA.** Rectitudo animæ duabus in rebus sita est. 431 c 2  
**IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.**  
 Ortus Iesu Christi elogia. 359 b 1 et seqq.  
 Eius egressus triplex, æternus, temporalis, et partim temporalis et æternus. 362 d 1  
 Christus ortus et generatus est quasi aurora ante diem exoriens. 112 b 2  
 Eo nascente, et ante nativitatem eius commotio facta est in cælo et in terra. 499 d 1 et seqq.  
 Quæ in mari. 500 a 1  
 Cur tres hæc commotiones factæ sint. 500 c 1  
 Gentium quæ tunc facta sit commotio. 500 d 1  
 Quomodo eius adventum Gentes omnes desiderarint. 501 b 1 et seqq.

- Est Angelus tam veteris quam novi Testamenti. 659 a 2  
 Eius initia quam parva fuerint. 544 c 2  
**RECLINAVIT EUM IN PRÆSEPIO.** In quorum animalium nido Christus cognitus sit. 443 c 2 et seqq.  
 In præsepio quare sit reclinatus. 444 c 1  
 Causa tropologica cur in eo iacuerit. 445 a 1  
 Septem symbola huius præsepit. 445 a 2  
**QUIA NON ERAT EI LOCUS IN DIVERSORIO.** Locus natalis Christi fuit stabulum, eius descriptio: natus est rure. 357 a 1  
 Eius concio e præsepio. 360 c 1  
 Stabulo natali Christi similia sunt templa Catholicorum. 362 s 1  
 Cur datus in Bethlehem. 360 b 1  
 Eam profanavit Adrianus Imp. erecto illic Adonidis simulacro, sed cohonestavit eam Imperatrix Helena, etc. 361 a 2  
 Bethlehem descriptio, situs, elogia. 356 c 2 et seqq.  
 Cur dicatur et sit domus panis. ibidem  
 Quomodo nequaquam sit minima in principibus Iudæ. 357 d 2  
**PASTORES ERANT CUSTODIENTES** Turris gregis quis sit locus, iuxta quem past. hi oves suas custodiebant. 350 d 2-352 a 2  
**ERAT LUX VERA.** Christus Dominus primo suo in mundum adventu fuit sol iustitiæ ob quinque analogias. 671 a 2  
 Eius, in quantum sol est, elogia. 672 c 1  
 Oriens ex virgine est velut germen oriens. 534 a 2  
 Item sol post tenebras exoriens, et stellæ in tenebris lucentes. 534 c 2 et seqq.  
 Hinc et per candelabrum et lucernas representatur. 541 a 2  
**DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS DEI FIERI.** Filii Dei in quo consistat, et quanta bona secum trahat. 68 a 1-69 b 2 et seqq.  
**PLENUM GRATIÆ.** Gratia quia ipse plenus est, hinc et nos gratia et virtute obsignat, ut sigillum ceram. 511 a 2

## IN FESTO S. STEPHANI PROTOMART.

- OMNIS SANGUIS IUSTUS QUI EFFUSUS EST.** Sanguis innocens effusus terram polluit, qui simul et terra expiantur, dum vindicta de homicidis sumitur. 214 b 1 et seqq.  
**IERUSALEM QUÆ OCCIDIS.** Ierusalem occidens Proph. et

- ipsum principem Proph. Christum, est filia latronis. 356 a 1  
**IN FESTO SS. INNOCENTIUM.**  
 Quia magna Herodis infanticidæ hoc in facto fuit crudelitas, agi poterit de crudelitate; quamque ea Deo et hominibus exosa sit. 221 a 2  
**ET FUGÆ IN ÆGYPTUM.** Fons Iesu in Ægypto quis sit, etc. 630 c 1  
**DOMINICA INFRA OCTAV. NATIV.**  
**ANNA VIDUA NON DISCOEBAT DE TEMP.** Deum ubique et semper in mem. præsentem habere nos oportet. 65 a 1-163 a 1  
**IN FESTO CIRCUMCISIONIS.**  
**QUOD VOCATUM EST AB ANGELO.** Nomina olim ab eventu vel præsentem vel futura accipiebantur. 66 c 2  
 Ea in confirmatione vel ingressu Religionis cur immutari aliquando soleant. ibidem  
**VOCATUM EST NOMEN EIUS IESUS.** Nomen Iesu quam amabile et reverendum, eius significatio et effectus. 457 b 2  
 Varii, præferentes nomen Iesu, fuerunt typus Iesu C. 491 a 1  
 Aspirationes piæ ad Iesum. 501 d 2  
**IN VIGILIA EPIPHANIÆ.**  
**APPARUIT ANGELUS IN SOMNIS.** Christum ex Ægypto revocandum esse prædixit iam ante Oseas Propheta. 150 a 1  
**IN EPIPHANIA DOMINI.**  
 Occasione Magorum qui primi e Gentibus ad Christum venerunt, agi poterit de vocatione gentium ad fidem et Ecclesiam Christi. Gentes ergo Ecclesiam construxerunt. 565 a 2  
 Quantum earum statim ad eam confluxus fuerit. 569 d 1  
 Quomodo hæc accessio facta sit. 622 b 2  
**STELLAM EIUS.** Stella hæc describitur et alia prodigia nascente Christo facta. 499 a 1  
 Stellæ cur veteres adorarent. 462 c 2  
*Fide in Indice rerum, v. Bethlebem et Stella.*  
**OBTOLEUNT MYRRHAM.** Myrrha typus mortificationis est, et hæc species martyrii. 159 d 2  
**DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.**  
**EXISTIMANTES ILLUM.** Ut hinc colligere est, viri a feminis in oratione et actibus publicis separabantur. 612 b 1  
**ET ERAT SUBDITUS ILLIS.** Omnis obedientia tam parentibus quam alienis præstita, species martyrii est. 159 d 2  
**DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.**  
**NUPTIÆ FACTÆ SUNT.** Maritus succedit in ius patris quem sponsa reliquit, ut totum amorem et studium in maritum transferat. 84 a 2  
 Sponsæ quales quærendæ et eligendæ adolescentibus. 60 b 1  
 Nuptiæ Dei cum anima sancta quomodo contrahantur. 652 d 2  
 Earum conciliator et vindex est Deus, et earum ritus apud Gentiles. 653 b 2  
 Septem argumenta a repudio et adulterio avocantia. 654 a 1  
 Fidei conjugalis symbolum est annulus. 509 c 1  
 Eius usus et symbola plurima. 509 b 1  
 Vir uxori cur debeat amorem. 654 a 2-654 c 2  
**Deus Christianis velut sponsus est et vir.** 83 b 2  
 Parentum vitia, in proles transfunduntur. 60 b 1  
 Peccata maritorum punit Deus peccatis uxorum et fil. 99 a 1  
**Scortorum quanta sit turpitudine et infamia.** 131 a 1  
 Scortantes plerumque sterilitate a Deo puniuntur. 138 a 1  
 Fornicatio homini mentem simul et opes eripit. 96 a 2  
 Spiritus fornicationis an sit dæmon aliquis specialis ad libidinem incitans. 98 d 1  
 Superbiæ pœna libido est. 104 d 2  
**DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.**  
**IN TENEBRAS EXTERIORES.** Hæc tenebræ qua inferni typus sunt, hinc de eo agi poterit. Infernus est velut pila, in qua tunduntur damnati. *V. Dom. XIX post Pent.* 466 c 2  
**DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.**  
**ECCE MOTUS MAGNUS FACTUS EST.** Virtutum et vitiorum quanta inter se sit pugna. 638 a 2  
 Passiones animæ 4. velut impetuosus turbines. 185 b 1-390 d 2  
 Hæc hominem dementant. 185 a 2  
 Item velut quatuor equi indomiti hominem in diversa raptantes. 408 d 1  
 Mundus quam sit turbulentus, ideo cymba nostra quamprimum ex eo subducenda. 525 d 2  
 Cupiditas est charybdis insatiabilis. 433 b 2  
 Qui creaturas sectatur, in perpetua motu et metu est. 665 c 1  
 Quam sit malorum Deoque exorum societas noxia. 309 d 1  
**ET SURGENS IMPERAVIT.** Quomodo Deus movet ad se invocantibus, et sperantibus in eo. 382 a 1  
 Et iucepet mare et ventos. 391 d 1  
**MODICÆ FIDELI.** De Deo in adversis nunquam desperand. 477 a 2  
 Spes et fides de Dei ope omnia adversa superat. 432 b 1  
**FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA.** Creaturæ omnes tum caelestes, tum terrestres silent in conspectu Dei. 438 b 2-438 d 2  
 Quies mentis quanta lateat in famulatu Dei. 565 a 1  
 Potentiam omnem adversam statim Deus subridendo velut despicit. 248 b 2  
**VENTI ET MARE OBEIUNT EI.** Venti ostendunt Dei magnificentiam et maiestatem. 242 d 2  
 Sunt eius exercitus, et ad eius nutum militant. 243 d 2  
**DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.**  
**UNDE ERGO HABET ZIZANIA?** Nulla mala homini nisi per Deum indignatur. 234 b 1  
**VIS, INUS ET COLLIGIMUS EA?** Indiscretus zelus quam perversus sit, Deoque displiceat. 325 b 1  
**ET AIT, NON.** Clementior est Deus homine etiam sancto et zeloso. 327 a 2  
**ALLIGATE EA IN FASCICULOS.** Elementorum conglobatio et globus elementaris, quomodo sit fasciculus in manibus Dei. 284 d 1  
**DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.**  
**SIMILE EST REGNUM CÆLORUM.** Regnum divinum quomodo per Christum Deus in terra stabiliat. 510 c 2  
**FERMENTO.** Vitium statim malignitatem suam affricat, non ita virtus, etsi magna. 507 d 1  
 Sicut fermentum totam pastamapidam reddit, sic voluntas omnium rerum speciem et faciem quasi induit, quibus se per amorem iungit. 136 a 2  
**DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.**  
**CONDOCERE OPERARIOS.** Omnia opera infidelium et impiorum non sunt peccata. 507 b 1  
 Virtutum et bonorum operum tres sunt gradus. 661 a 1  
 Operibus bonis coronamus Christum. 563 c 1  
 Bona opera quoniam amittant. 494 b 1  
**OPERARIOS.** Operariorum labor sæpe in irritum cadit, quia Dei cultum negligunt. 494 a 1  
**QUID STATIS HIC TOTA DIE OTIOSI?** Accedi a Christo quomodo suggillantur. 600 d 2  
**ITE ET VOS IN VINIAM MEAM.** Ecclesia vinea est, uti et anima, ob varias analogias. 140 c 1 et seqq. 289 d 2  
 Vindemia plena competit diabolo, racematio Christo. 378 a 2  
 Anima sancta hortus et paradus Dei est. 290 b 1  
**AN OCLUS TUUS?** Impii conqueruntur de Dei provid. 656 a 1  
 Christus est oculus activus et passivus. 574 a 1  
**MULTI SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI.** Quam pauciam ad cælum ducentem agnoscant. 179 c 1  
 Deus neminem reprobat ex se ante prævisa demerita. 154 c 2  
 Vult omnes homines salvos fieri, ac nem. reprobari. 155 d 2  
 Reprobatio, obduratio, perditio, damnatio non est per se ex Deo reprobante, obdurante, perdente et damnante, sed ex homine peccante. 168 a 2  
 Contra prædestinationem, vocatio et gratia non est ex prævisis prædestinatorum meritis, sed ex Deo prædestinante, vocante, et gratia sua præd præveniente. 168 b 2 et seqq.  
 Electio Iacobi præ Esau quomodo intelligenda sit. 638 d 1  
**DOMINICA IN SEXAGESIMA.**  
**EXIIT QUI SEMINAT.** Opera bona semina sunt aternæ vitæ. 147 a 1  
**ET III RADICES NON HABENT.** Peccator omnis edit fructum mendacii, id est, inanem et evanidum. 148 a 1  
 Quæ supra vires et ingenium tentantur, non sunt durabilia. 130 b 2  
**A VOLUPTATIBUS VITÆ.** Consuetudinis malæ, et præsertim fornicariæ, quanta sit vis et arctæ compedes. 145 d 1  
**UT VIDENTES NON VIDEANT.** Peccator quam sibi male consulat dum Dei obliviscitur. 65 a 1  
 Occasiones videndi et audiendi illicita, etiam oblata, evincendæ, et cur. 124 c 1-165 b 2  
 Peccator in malo obstinatus Æthiopi colorem non euenient comparatur. 474 c 1  
 Peccandi consuetudo est ut talentum plumbi. 555 b 2  
**DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.**  
**FILIUS HOMINIS TRADETUR.** Venditio et traditio Christi triginta argenteis a Prophetis prædicta fuit. 227 c 2  
**QUI PRÆIIBANT INCREPABANT EUM.** Impedire opera pietatis, et tendentes ad salutem remorari, quantum sit scelus. 117 a 2  
**IPSE VERO MULTO MAGIS CLAMABAT.** Sancti viri quam ad Iesum et Deum ardentem clamant et anhelant. 501 d 2  
 Quia autem hisce diebus multi, ob Bacchanalia ventri et gulae indulgent, inveni in libidinem et crapulam concionator potest. Libido ergo pœna superbiæ est. 104 d 2

Voluptas est linea ob varias analogias.	107 b 2
Deliciae corporales merum sunt mendacium.	148 a 1
Voluptuosus et omnis peccans non videtur habere cor.	124 b 2
Gulosorum sordes et probum.	131 a 1-436 a 2
Comessationes mentem homini eripiunt, ac libidinem inflammant.	97 c 1
Peccator omnis cum peccatis et idolis suis, quasi eum vitulus vitulatur.	142 d 1
Improbi vita sua nequam delassant et affligunt Deum.	655 d 2
Vili pretio et parva voluptatula Deum vendunt.	599 a 1
Bacchanalia suggillantur.	606 a 1
Ebrietatem sequitur destructio fortitudinis corporalis.	471 c 2
In Bacchanaliis quodammodo impletur peccatum mensura cuiusque.	557 c 1
Chorae mundanae descriptio.	675 b 2
Peccatoribus omnibus celer imminet vindicta.	551 a 1
Impunitas illorum luctuosa est.	415 b 2
Peccatoribus commiserandum est.	476 a 1
<i>Fide Ind. rer. v. Luxus, Peccator, Peccatum, Vinum.</i>	
<b>IN DIE CINERUM.</b>	
<b>MEMENTO, MEMO.</b> Hominum vilitas et fragilis conditio.	426 d 2
<b>DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.</b>	
<b>DUCTUS EST A SPIRITU.</b> Secessus et quies parit sapientiam.	662 c 1
Ibi loqui Deus animae solet.	430 a 1
Solitudo quanta bona adfert, quam multiplicibus eam colentes a Deo donis compleantur.	78 b 2
Collectio sui intra solitudinem exercenda de vitae statu eligendo deliberanti.	79 b 2
<b>ACCEDENS TENTATOR.</b> Diabolus est Aquilo, omnia virtutum germina adurans; Christus autem Auster, ea crescere faciens.	196 d 1 et seqq.
Diabolus quomodo sit a dextris impiorum.	529 d 2
Demones sunt velut atrii Aethiopes.	474 c 1
<b>ET COM Ieiunasset.</b> Ieiunium corporale abstrahit mentem a vitis, nosque Deo conciliat.	566 c 2
Ieiunia quatuor temporum quae Christiani servant, quatuor de causis sunt instituta.	571 b 1
Quadragesimale ieiunium observantes, Deo quodammodo anni totius decimam dant.	571 d 1
Ieiunium dupliciter sanctificatur.	187 a 2
Ieiunium Ninivitarum.	322 c 2
<b>SUSTULIT ILLUM IN PINNACULUM TEMPLI.</b> Pinnaculum templi quod fuerit, et quod eius vestibulum.	195 a 1
<b>SI CADES.</b> Diabolus in omnibus rebus Dei est simia.	100 c 1
<b>MENDAX</b> est, et omne mendacium eum parentem habet: mendacium triplex est, mentis, oris, operis.	119 d 1
<b>OSTENDIT EI OMNIA REGNA.</b> Regna et potentatus huius mundi cur ventis comparentur.	561 c 1
Regnum omne sub alio potentiore regno est.	522 a 1
Regna huius mundi quam fluxa sint et cito transeant.	393 d 1-406 c 1
Regnorum omnium auctor et provector est Deus.	559 b 1
<b>REGNA MUNDI.</b> Mundana omnia, quantumvis magna, praeter Deo nihil sunt.	257 a 1-439 c 1
Mundus quam fucatus et fallax sit.	409 b 1-413 b 1 et seqq.
<b>ANGELI MINISTRABANT EI.</b> Sui in afflictionibus et tentationibus praesertans Deus intinetur.	484 a 1
<b>FERIA VI. QUAT. TEMP. QUADRAGES.</b>	
<b>PISCINA PROBATICA.</b> Siloe fons, a quo Piscina haec dependet, describitur	613 b 1
<b>DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.</b>	
<b>RESPLENDUIT FACIES EIUS Sicut sol.</b> Christus splendore suo omnium oculos offuscet.	661 b 2
Deus oculus et sol mundi est.	553 c 2
<i>Vide not. de sole in Nat. Dom., et Ind. rer., v. Sol.</i>	
<b>APPARUERUNT MOSES etc.</b> Illi duo cur vocentur filii olei	549 a 2
<i>De Elia v. alia not. in Dom. I. Adv et Ind. rer., v. Elias.</i>	
Elias similis erat officio, zelo, praedicatione, et sanctitate Ioanni Baptistae, et hic illi.	676 c 2
Cur apparuerit cum Mose in hac transfiguratione.	677 b 2
Ob zelum raptus est in caelum.	677 a 2
Eius elogium.	677 c 2
Quomodo conversurus sit cor patrum ad filios.	678 c 1 et seqq.
<b>DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.</b>	
<b>OMNE REGNUM IN SE DIVISUM DESOLABITUR.</b> Concordia quanta sit potentiae causa.	480 c 2
Linguae unitas quantum ad civilem concord. conf.	481 b 1
Discordia, lites et bella quantopere Deo displiceant, et acriter ab eo puniantur.	224 b 1

**DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.**

Ut panes in manibus Ap. multiplicati fuere, ita elemos. opes per benedictionem divinam, adaugentur. 114 d 2 et seqq.  
 Eleemosyna defectus saepe causa est paupertatis, sterilitatis agrorum et luis pestiferæ. 92 b 1  
 Eam dans dat Deo suum. 502 c 2 et seqq.

**FERIA II. POST DOMINICAM IV. IN QUADRAGESIMA.**

**QUADRAGESIMA ET SEX ANNIS AEDIFICATUM.** Templum iam Salomonis quam Zorobabelis quot annis duravit. 504 a 1  
 Templum ab Herode extractum, an magnif. Salomonico. 504 d 2  
 Templum Salomonis cur vocetur Libanus. 494 d 2  
*V. rel. de templis not. in Ded. Eccl. Ind. rer. v. Templ.*

**FERIA III.**

**VADE ET CORRIPE.** Qui alium de vitis monet, angelus est. 636 b 1  
 Hoc qui facit veri amici officium praestat. 636 a 2

**DOMINICA IN PALMIS.**

**INVENIETIS ASINAM.** Christus cur cum solemnibus pompa Ierusalem sit ingressus. 577 a 1  
 Sedit super asinam et eius pullum, non simul, sed successive. 577 c 2  
 Quia duo haec animalia symbolice denotent. 577 d 2  
**EIECIT VENDENTES.** Quare eos Dominus hodie templo eiecit. 639 a 2 et seqq.  
 Ira Dei in peccantes quam ardens sit. 392 b 1  
 Quia Ecclesia hodie fidelibus passionem Domini proponit, de ea tractari poterit. Christus patiendo et cruce sua vici diabolium. 532 c 1  
 Venditus fuit triginta argenteis. 599 b 1  
 Hinc meruit esse pretium peccati. ibidem  
 Iudae eum vendentis ingratitude. 616 b 1  
 Christus ut Deus, in crucem actus, est portentum scolorum. 615 c 2  
 Ei passo compati debemus. 611 a 2  
 Facie aversa a Ierusalem crucifixus est, Romam versus conversus. 621 b 1  
 Tenebrae unde factae sint in passione. 624 b 2  
 His visis et Christi morte Iudae corde compuncti sunt. 609 d 2 et seqq. 610 b 2  
 Planctus fidelium ob eius mortem quotannis. 610 b 2  
 Clavo crucis Dominicae frænos equi sui ornavit Constantinus Imper. 631 c 1  
 Quo tempore Christus sit passus. 442 b 2

**IN FESTO PASCHATHIS.**

**SURREXIT, NON EST HIC.** Resurrectio universalis adstruitur in fine mundi futura. 171 a 1  
 Resurrectionis tum Christi, tum nostrae futurae symbolum est phoenix et hydrus serpens. 171 c 2 et seqq. 673 c 2  
 Christus ad inferos descendens fuit inferno velut morsus, et moriens morti mors. 171 a 1 et seqq.  
 Aliquot eum animas tunc e Purgatorio liberasse verisimile est. 173 b 1  
 Morti insultant Christiani, sicut et Christus mortem occidit, et ei mors fuit resurgendo. 172 a 2  
 Christus tertia die resurgens quomodo nos vivificavit. 110 b 2  
 Ipse ob sex causas tertia die surrexit. 111 c 1  
 Christus patiens et resurgens figuratus est in Iona Propheta qui triduo in utero ceti fuit. *Vide in Indice rerum verbo, Ionas.*  
 Eius quanta fuerit post resurrectionem gloria. 564 c 1  
 Christus a morte gloriosus resurgens, indutus quodammodo vestibus mutatoris est. 532 d 2  
 Corporis resurgentis sanitas est octuplex. 674 b 1  
 In resurrectione universali in fine mundi erit lux aeternae claritatis, nunc vero nox est. 624 c 2  
 Cur tunc resurgere Christus dicatur. 479 b 2 et seqq.

**FERIA II. POST PASCHA.**

**QUI FUIT POTENS.** Christianus et docere debet et facere. 490 a 1  
 Vitia populi magis exemplo quam castigatione tollenda sunt. 544 a 1  
**NOS SPERABAMUS.** Sperandum est Deum in adversis auxiliaturum, et ea ablaturum. 432 b 1  
 Vita alterius spem habent iusti. *V. Ind. rer. v. Spes.* 668 b 1  
 Ex desperatione oritur spes. 82 c 2  
 Christianus semper sperare debet, nunquam desperare. ibidem et seqq.  
**IESUS APPROEQUANS IBAT COM ILLIS.** Sollicitudo ambulandi cum Deo, quid requirat. 374 c 1  
 Varii ad eam stimuli. 374 d 1 et seqq.  
 Modus et praxis ambulandi cum Deo per sex alas. 375 b 2

- FERIA III. POST PASCHA.**  
**STETIT IN MEDIO DISCIPULORUM.** Christus est medium univ-  
 versi, ac semper dum vixit, medium locum elegit. 442 d 2  
 Quomodo ipse sit medium duarum vitarum. 445 b 2  
**PARTEM PISCIS ASSI.** Christus factus homo est piscis hu-  
 ius sæculi, at in crucis craticula assatus est. 425 c 1  
**DOMINICA IN ALBIS.**  
**PAX VOBIS.** Pacis quod sit emblemata. 549 c 1  
**Pax animæ et serena conscientia invitat Deum ad ha-**  
 bitandum in ea. 506 a 2  
 Pacis semen quintuplex est. *V. Ind. rer. v. Pax.* 569 c 2  
**OSTENDIT ILLIS MANUS etc.** Vulnera manuum, lateris ac  
 pedum, cur Christus a resurrect. resumere voluerit. 613 d 2  
 Sancti iugiter in his commorantur. 610 d 2 et seqq.  
 In his tuissima quies et statio est. 614 b 1  
**MITTE IN LATOS MEUM.** Ex hoc latere perforato omnia  
 Sacramenta et gratiæ effluxere. 613 d 2  
 Vulnera hoc quam ingens fuerit; utrumque latus lan-  
 cea militis apertum fuit. 614 b 1  
**DOMINICA II. POST PASCHA.**  
**EGO SOM PASTOR BONUS.** Christus pastor oves suas sem-  
 per pascit et protegit. 365 a 2  
**Nomen Dei, quo suas oves Christus pascit, quadru-**  
 plex est. 365 c 2  
**PASTOR BONUS ANIMAM SUAM DAT.** Bonus pastor quomodo  
 a malo differat. 601 b 2 et seqq.-602 d 2  
 Vero pastori duo sunt necessaria, vigilantia et emi-  
 nentia sanctitatis. *V. Ind. rer. v. Pastor.* 603 c 1  
**MERCENARIUS FUGIT, QUIA MERCENARIUS.** Prælati et pa-  
 stores quomodo fiant subditis rete et laqueis. 103 c 2  
**DOMINA III. POST PASCHA.**  
**MUNDUS AUTEM.** Peccanti risus et impunitas luctuosa est. 415 b 1  
 Mundi gaudium et voluptas mendax est. 336 d 2 et seqq.  
**VOS VERO CONTRISTABIMINI.** Deus pius opprimi, impios  
 dominari permittit, cur. 417 a 1  
**TRISTITIA VESTRA CONVERTETUR IN GAUDIUM.** Pœnitentiis  
 sese macerantes et lugentes qua se spe solentur. 674 a 2  
 Deus flagellans suos per tyrannos, mox in flagella pro  
 suis convertitur. 389 d 1-521 b 1  
 Quos in hac vita punit et tristari facit, in altera ri-  
 dere faciet et præmiabit. 394 c 1  
**DOMINICA IV. POST PASCHA.**  
**ARGUET DE PECCATO.** Peccati emblemata quod sit. 554 c 2  
 Peccatum et impietas ob sex causas sedere fingitur. 554 d 2  
 Eius gravitas et pœna, talento plumbeo repræsentatur. 554 b 1  
 Peccatum est sagitta Deum conficiens. 666 a 2  
 Odit id Deus odio infinito. 424 a 1  
 Ob quatuor analogias vocatur sanguis. 93 a 1  
 Peccatum nullum relinquit Deus impunitum. 166 a 2  
 Eius amaritudo et absinthium. 246 b 2  
 Amaritudo quanta peccati voluptatem sequatur. 298 a 2  
*Plura v. Ind. rer. v. Peccatum, et not. Dom. Quinq.*  
**DE IUSTITIA.** Sceleratorum castigatio et iustitia acce-  
 ptissimum Deo sacrificium est. 463 b 2-562 b 1  
**DE IUDICIO.** Iudicia hominum quam falsa sint. 661 c 2  
**IN LITANIIS MAIORIBUS.**  
 Quia Litanie hæc institutæ sunt ad sterilitatem et pla-  
 gas agrorum avertendas, hinc agi poterit de locu-  
 stis, bruchis, etc. quæ segetes et germina depasc. 183 c 1  
 Sterilitas agrorum Dei invocatione avertenda est. 240 b 2  
 Litanie publicæ quam antiquæ fuerint et solemnes,  
 earum recitatio quæ commoda attulerit. 194 c 1  
 Punit Deus, quia peccant homines. 264 c 1  
**PETITE, ET DABITUR VOBIS.** In clade publica ieiunio et  
 precibus Deus placandus est. 566 c 2  
**OMNIS QUI.** Semper opem Dei in arctis petere debemus. 203 b 1  
 Oratione quoque opus est ad S. Script. intelligendas. 26 b 1  
 Oratio clavis regni cælorum est. 26 d 1  
 Eius commoda, et neglectæ incommoda. 339 a 2  
**QUANTO MAGIS PATER VESTER BONA omnia naturalia, frug-**  
 es, esæe et supernaturalia, dona Dei sunt. 198 b 2  
**IN VIGILIA ASCENSIONIS.**  
**UT COGNOSCANTE SOLUM DEUM.** Beatitudo summa in vi-  
 ta est nosse Deum. 97 d 1  
**IN DIE ASCENSIONIS.**  
**Mons O'iveti, e quo Christus in cælum ascendit, qualis**  
 sit, quæque in eo ipse gesserit. 620 b 2  
 Est symbolum Ecclesiæ gentium. 620 c 2  
 Olea quarum rerum sit symbolum. 620 e 2  
 Ascendit illic Christus in cælum facie ab Ierusalem  
 aversa, et Romam versus conversa. 621 b 1  
 Is mons quomodo scissus. 621 d 1  
 Quæ in eo apparitiones factæ. 620 d 2 et seqq.  
 Hic antichristo et in die iudicii debiscet. 622 d 2  
 Qua nos via potissimum ad Deum ascendere valeamus. 439 a 2  
 Ut Dominus vi sua in cælum ascendit, sic Christiano  
 cui libet via in cælos vi perfringenda est. 344 b 1  
**DOMINICA INFRA OCTAV. ASCENSIONIS.**  
**AUSQUE SYNAGOGIS FACIENT VOS.** Nihil novum hoc Chri-  
 stiano, qui se hac in terra peregrinum esse putat. 629 d 1  
**ET VOS TESTIMONIUM PERHIREBITIS.** Testes fideles Dei sunt  
 Apostoli, Doctores, Martyres. 158 b 2  
**DOMINICA PENTECOSTES.**  
**PARACLITUS AUTEM SPIRITUS S.** Spiritui S. appropri. amor. 498 b 1  
 Spiritus sancti divinitas adstruitur. 199 b 1  
 Mittitur a Filio de propria eius substantia. 199 a 1  
 Quæ prodigia facta sicut a Spiritu sancto super Aposto-  
 los descendente. 201 d 1  
 Spiritus sancti gratiam plene ad Deum convertimur:  
 et hoc quomodo fiat. 175 a 1  
 Spiritus sanctus in animam, cum iustificatur, illabi-  
 tur realiter, personaliter, substantialiter. 68 c 1-199 a 2  
 Septem eius dona sunt velut septem oculi. 536 a 1  
 Ea divisim et diversimode data sunt. 636 b 2 et seqq.  
 Ea auro emere volens, merus mercator est. 633 b 2  
 Spiritus sanctus specie ignearum linguarum descen-  
 dit: nam Deus ignis est, et ei ignis præfertur. 524 d 2-547 a 2  
 Quomodo etiam Christus sit ignis conflatus quintup. 660 d 2  
 Linguarum quale donum Spiritus sanctus Apostolis de-  
 derit. *Plura vide in Indice rerum, v. Spiritus.* 481 b 1  
**AO EUM VENIEMUS.** Iusto et iustificato SS. Trinitas inest  
 substantialiter novo quodammodo. 68 a 2-199 a 2-512 d 2  
 Anima cum in Deo manet, et Deus in illa, serenata est,  
 et quanta huic mansio illa pariat bona. 21 a 2  
 Deo terra desiderabilis est. 667 a 2  
**PACEM MEAM DO VOBIS.** Christus est pax causalis triplex. 366 b 1  
 Ipse quoque est pax nostra. 366 d 1  
 Per Spiritus sancti gratiam in filios Dei adoptamur:  
 quas hæc adoptio gratia menti infundat. 68 c 1 et seqq.  
 Fimus quoque sponsæ Dei. 84 d 2  
 Sion mons, in quo Spiritus sanctus datus, cur dicatur  
 sanctus. *Vide Indicem rerum, v. Sion et Sina.* 569 a 1  
**FERIA II. POST PENTECOSTEN.**  
**SIC DEUS DILEXIT MUNDUM.** Caritas et humilitas Chri-  
 sti sunt eius cornua. 448 a 2  
**IN FESTO SS. TRINITATIS.**  
**DOCETE OMNES GENTES.** Animas curantes et lucrantes pe-  
 riculis a Deo eximuntur. 317 c 2  
 Doctores fidelium plausum non captant e novorum  
 sensuum S. Scripturæ productione. 20 b 1  
 Sensus verus S. Scripturæ pro concione adferendus.  
 20 c 2 et seqq.  
 Sanctitas vitæ quantum conducat ad alios converten-  
 dos, et veram S. Script. intelligentiam acquirendam. 22 a 1  
 Quanta dissidia occasione Evangelii enata sint inter  
 domesticos, patre dissentiente ab Evangelio, filio as-  
 sentiente, et matre a filia. 381 a 2  
 Religio est mater felicitatis. 570 b 1  
 Ea velut aqua per totum orbem derivata est. 626 a 1  
 Fides Christ. effecit ut region olim desertæ colicæperint. 626 d 2  
**IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.** Ternar-  
 ius numerus schema est SS. Trinitatis, eius elogia  
 et mysteria. 219 b 2 et seqq.  
 Eum cuique rei Deus inseruit, ut imaginem sui ipsius,  
 qui trius in personis, et unus in essentia. 220 a 1  
 Deus est immutabilis octo de causis. 661 c 1 et seqq.  
 Quæ huius immutabilitatis causa. 664 b 2 et seqq.  
 Dei essentia describitur. ibidem  
 Virtutes omnes in eo sunt eminentissimæ, et ipse in  
 suis attributis infinitus est. 438 b 2-438 c 2  
 Lucerna Dei increata est eius mens et perspicacia.  
 467 d 2 et seqq.  
 Omnibus in rebus constans est. 665 b 2  
 In eo non est memoria, sed rerum visio. 668 d 2  
 Noster et dominus et pater est, et utroque titulo de-  
 betur ei amor. 639 b 1  
 Eius sanctitas octuplex est. 652 a 2



- Divinitatis quod sit emblemata. 450 b 1  
Eius maiestas est silentio veneranda. 437 d 2  
Quam illa augusta sublimis, et immensa sit. 438 c 1
- DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.**
- ESTOTE MISERICORDIES SICUT PATER VESTER MISERICORS  
EST. Quomodo sit Deus præstabilis super peccatores. 192 a 2  
Quomodo enim tum in misericordia, tum in aliis qua-  
tuordecim attributis imitari possimus. 133 b 1 et seqq.  
NOLITE IUDICARE. Mundani iudicant pietatem esse vanit. 668 a 1  
PERFECTUS AUTEM ERIT. Perfectos Deus per internas lo-  
cutiones dirigit. 81 c 1  
Quomodo ad eos loquatur. 34 c 2  
Sunt Deo familiares. 376 a 1  
Vita perfectio in Religione servata alios ad eam sec-  
tandam allicit. 572 a 2  
Vita perfectio in quo consistat. 424 b 1  
Tria media in ea proficiendi. 25 d 1  
EADEM MENSURA QUAE MENSU FUERITIS. Cupiditates peccatis  
contrariis puniuntur. 648 a 1
- IN FESTO VEN. SACRAMENTI.**
- Ven. Eucharistiae sacrificium in pane et vino est a Chri-  
sto institutum, cur. 134 b 1  
Est funiculus amoris. 151 c 2  
Cur rori comparetur. 176 c 1  
Est memoriale iuge Christi. 177 d 2  
Ipsa fideles spiritualiter inebriat. ibidem  
In ea Christum devote suscipientes, sunt Bethlehem  
et præsepe. 362 c 1  
Est bonum et pulchrum Christi. 583 c 1  
Compendium est mirabilium Dei. 583 b 2  
Omnes eius proprietates, effectus et dignitates ibidem et seqq.  
Quo ad eam affectu accedere oporteat. 584 d 1  
Quomodo post eius sumptionem se homo gerere deb. 584 a 1  
Facit hominem velut invlescere et fortem. 584 d 2  
Martyres per eam ad conflictum animantur. ibidem  
Alii eius effectus. 585 a 1 et seqq.  
Variorum sanctorum erga eam affectus. 586 a 1 et seqq.  
Quos effectus in S. Catharina Senensi operata sit. 586 d 1  
Germinat virginitatem. 587 d 1  
Olim mox a baptismo dabatur. 587 b 2  
Ea Deus summe honoratur. 644 d 1 et seqq.  
Ei quanta debeatur reverentia et honor. 437 a 2 et seqq.  
Sacrificium Eucharisticum præstantius Aaronico est. 633 c 1  
Ipsam vocatur oblatio munda. 643 b 2  
Cur item incensum vel thymiana. 643 d 1  
Continet in se eminenter tres species sacrificiorum Iu-  
daicorum. 643 d 2  
*Vide in Indice rerum, v. Eucharistia.*
- DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.**
- VILLAM EM. Bona præsentis sæculi, quæ tanto labore  
mortales congerunt, quam fugacia sint. 148 b 1-272 b 2  
Avaritia quomodo sit in capite omnium. 280 c 2 et seqq.  
Eius mala et damna varia recensentur. 281 a 1  
Lucri nimia aviditas sæpe hominem extra iuris et iu-  
stitiæ metas rapit. 163 c 2  
Avaritiæ imago est mulier in amphora sedens. 557 a 2 et seqq.  
HABE ME EXCUSATUM. Peccator detinetur rebus frivolis,  
quo minus ad Deum redeat. 262 c 2  
Creaturæ quæ illum destinant, sunt tantum umbræ  
rerum: solus Deus est ipsa essentia in se. 263 b 1  
UXOREM DOXI. Lascivia fœminarum unde proveniat. 101 a 1  
Uxori secreta non sunt revelanda. 380 d 2  
Mulierosi in fœtore suæ libidinis computrescent. 188 b 2  
Deliciæ carnis et mundi vanæ sunt. 148 a 1  
Mulier quorum sit malorum causa. 554 d 1 et seqq.  
Mulierum, etiam devotarum, fuga suadetur. 655 a 1
- DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.**
- ERONT APPROPINQUANTES AD IESUM PECCATOES. Conver-  
sio peccatorum quomodo fiat. 542 a 1 et seqq.  
Peccator pollut octuplicem sanctitatem Dei. 652 c 2  
*Vide not. sup. Dom. III. Adv. et Dom. in Quinq.*
- DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.**
- IN NAVIM QUÆ ERAT SIMONIS. Navis hæc typus est Eccle-  
siae, cuius caput est S. Petrus. Ecclesia catholica vo-  
catur solitudo, quia colit unum Deum. 78 d 1 et seqq.  
Quomodo eam Apostoli et Apostolici viri protegant. 367 c 1  
Ipsa est regnum Christi, cuius imago est regnum David. 287 b 1  
Quomodo dicatur turris gregis. 352 a 1
- Ei semper de reformatibus Deus providit. 495 c 2  
Eius typus est candelabrum Zachariæ. 539 a 1-541 a 2  
Huius candelabri infosoria 7. sunt septem sacramenta. 539 d 2  
Ecclesiae quæ sint valla et munimenta. 576 a 2  
Eius maior est gloria quam Synagogæ. 506 a 1  
Ipsa est terra desiderabilis. 667 b 2  
Est exterius horrida, introrsum pulchra. 605 b 2  
Ecclesia ac religio maxime semper in una lingua flo-  
ruit. 481 b 1 et seqq.  
Ecclesie florentis typus est Ierusalem florens. 524 d 1  
*Vide in Indice, verbo Ecclesia.*
- PER TOTAM NOCTEM LABORANTES, NIHIL CEPIMUS. Bona o-  
pera quidam amittant. 494 b 1  
Mundanorum inania, vana, laboriosa studia et conten-  
tiones. 326 b 1-526 b 1  
PISCUM MULTITUDINEM. Homines sunt in hoc mundo vel-  
ut pisces, ob varias analogias. 424 a 2 et seqq.  
Post labores sequitur fructus. 271 a 1
- DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.**
- VADE PRIUS. Offensum prævenire, quam decorum sit. 154 b 1  
Quomodo in eo Dei et hominum sit dispar sensus. ibidem  
QUI IRASCITUR FRATRI SUO REUS ERIT. Talionem quomo-  
do Deus tyrannis iustos affligentibus reddat. 396 b 1
- DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.**
- MISEREOR SUPER TARBAM. Fons omnis misericordiæ et  
bonitatis est Christus. 614 d 1  
Huius fontis aqua omnia peccata nostra emundantur. 614 b 2  
QUIA IAM TRIBUO SUSTINENT ME. Tolerantia et virtutibus  
nostris mire delectatur Deus. 484 c 1
- DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.**
- ATTENDITE A FALSIS PROPHEtis. Hæretici falsi sunt Pro-  
phetae, quorum dogmata meræ sunt insanie et deliria. 235 a 2  
*Vide Indicem rerum, v. Hæreticus et Hæresis.*  
Hæretici nasum cereum S. Scripturæ affigunt, eam-  
que detorqueunt in alienos sensus. 20 b 2  
Chanaanæis fraudulentis similes sunt. 164 c 1  
Horum plerique vindice Dei manu percossi. 628 d 1  
INTRINSECUS SUNT LOPi. Lopi vespertini qui dicantur. 420 a 2  
Talis est diabolus et gula. 421 d 1  
Hæretici lupi vespertinis assimilantur. 421 b 2
- A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCEtis EOS. Hæreticorum fru-  
ctus sunt sacrilegia, contra quos clamabunt lapides  
et ruinæ in die iudicii. 435 c 1  
Eorum mores. 345 b 2
- DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.**
- QUASI DISSIPASSET BONA. Bona Dei sunt creaturæ, qua-  
rum usum hominibus concedit, quæ impiis invite  
serviunt, piis libenter. 76 a 2 et seqq.  
Uti villicus hic, factus inops, iniquis artibus rem suam  
augere voluit, ita pauperes sæpe ex inopia peccant. 667 c 1  
SCRIBÆ. Advocati, scribæ, iudices pauperem opprime-  
ntes suggillantur. 228 c 2  
Liber memoriæ Dei est velut liber prædestinationis vi-  
tæ et cæli. 668 c 2
- QUINQUAGINTA. Villicus hic dimidium sibi servavit, sic  
dimidium melius est cum certitudine, quam totum  
cum incertitudine. 427 c 1
- DE MAMMONA INIQUITATIS Aurum quam indignum, cui  
homo cor suum apponat. 401 b 2 et seqq.  
Avari cor habent in opibus, quæ eorum idolum sunt. 467 c 1  
Ebriosi morti et inferno similes sunt. 433 d 1  
Opes densum lutum cor vocari queant. 434 a 1  
Eleemosynariorum opes a Deo adaugentur. 276 c 1  
*Vide notata in Dominica II. Quadragesimæ.*
- VILlicum INIQUITATIS. Peccatores quomodo sint archi-  
dolosus. 125 d 2 et seqq.
- FILII HUIUS SÆCULI. Columbae cui filii lucis simplices as-  
similantur, simplicitas pluribus deducitur. 123 b 2 et seqq.  
Qui cor habeant, et qui eo carere dicantur. 124 a 2
- DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.**
- VIOLENS CIVITATEM. Anima cuiusque est velut urbs, etc. 245 c 2  
NON RELINQUENT IN TE LAPIDEM SUPER LAPIDEM. Ierusa-  
lem est a Tito obsessa iuxta montem Calvarie. 621 c 2  
Eam Deus antequam exciunderet, expectavit plenam  
peccatorum eius mensuram. 552 d 2  
Eius mox capiendæ prodigia. 554 a 1  
Gentes eam inique capientes et templum profanantes  
quas Deo pœnas dederint. 606 d 1 et seqq.

- Ierusalem descriptio. 627 a 2  
 Supplicium semper capiti scelesti imminet. 551 a 1  
 Anima peccato infecta est velut urbs eversa. 348 a 2  
 Urbes magnæ et potentes, Deo permittente, tandem concidunt, uti et omnis mundi pompa. 320 a 1  
**EO QUOD NON COGNOVERIS TEMPUS VISITATIONIS TUÆ.** Dei gemitus ex fastidio, et ex offensione suspirium quod se excitat ad anhelatam plagam in impios. 250 b 2  
 Iudæi quomodo tempus hoc non cognoverint. 89 a 2  
 Temporis et opportunitatis quanta ratio habenda. 491 c 2  
**COEPIT EDICERE EMENTES ET VENDENTES IN ILLO.** Lucrum turpe a templo suo arceat Dominus. 332 d 1  
**VOS AUTEM.** Improperia Christi ad hominem ingratum. 371 d 2  
**DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.**  
**UT ORARENT.** Orationis spiritus a Deo venit. 609 b 1  
 Quantum ea Dei sit donum. 609 d 1  
 Sancti sæpe suis precibus hominem e damnatione liberant. ibidem et seqq.  
**IEIUNO DIS IN SABBATO.** Bonum operantes ob inanem gloriam vel quæstum, ventum seminant. 130 c 1  
 Anima, Dei donis superbiens, a Deo deseritur. 138 c 1  
**NOLEBAT NEC OCULOS AD CÆLUM LEVARE.** Homo quomodo se coram Deo deicere debeat. 439 a 1 et seqq.  
**QUI SE EXALTAT.** Superbia quomodo semper a Deo retundatur, quamque ei omnis superbus exosus sit. 294 d 2 et seqq.  
 Superbi colunt Luciferum. 254 b 1  
 Incessus non sit pompaticus nec fastuosus, etc. 255 d 2  
**OMNIS QUI SE HUMILIAT EXALTABITUR.** Humilitas conducit ad divinas illustrationes accipiendas. 22 d 1  
**DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.**  
**SOLUTUM EST VINCOLUM LINGUÆ EIUS.** Lingua continentia Deo dicanda est. 631 c 2  
**LOQUEBATUR RECTE.** Nugæ et nugacia verba quantopere fidei cavenda sint. 486 a 1  
**DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.**  
**MULTI PROPHETÆ VOLDERUNT VIDERE QUÆ VOS VIDETIS.** Prophetæ quomodo omnes sint et fieri possint. 17 a 1 et seqq.  
**IN LEGE QUID.** Leges sunt velut vincula charitatis. 152 a 1  
 In Decalogi lege an possit Deus dispensare, et in præceptis legis naturæ. 57 c 2 et seqq.  
**DILIGES DOMINUM DEUM.** Amorem quantum Deo debeamus. 439 b 1  
**PROXIMUM SICUT.** Amor fraternus quantum sit bonum. 224 a 2  
 Paria fratrum et sororum mutuo se secundum carnem et spiritum diligentium. 224 d 2  
 Amor telum est violentissimum. 152 a 1  
**SACERDOS QUIDEM DESCENDERET.** Sacerdotis huius immitis occasione, agi poterit quomodo sacerdotum sit eleemosynas largiri, non avaritiæ studere. 281 b 1 et seqq.  
 Amicos suos ditare non debent, aut iis facultates ex Ecclesiæ proventibus partas relinquere. 281 a 2  
 Eorum est plorare peccata populi. 195 d 1  
 Qua ratione comedant peccata populi, dum in iis convivent. 94 b 2  
 Eorum vita licentiosa reprehenditur, cum se a populo vitæ sanctitate discriminare deberent. 95 c 1 et seqq.  
 Inter Angelos versantur. 533 a 2  
 Esse debent portenta sanctitatis. 533 d 2  
 Sunt filii Dei tribus titulis. 639 d 1  
 Ab eorum reformatione inchoanda reformatio laicorum. 639 a 2  
 Stomacho comparantur. 639 c 2  
 Eorum quanta esse debeat puritas. 614 b 1  
 Quanta eorum sit dignitas. 645 c 1  
 Variæ ipsorum dotes. 649 c 1 et seqq.  
 Eorum est scire et docere legem Dei. 649 d 2  
 Angeli sunt variis titulis. 650 d 1  
 Apes sunt ob octo analogias. 651 a 1  
 Vitæ illorum idea et speculum. *V. Ind. rer. v. Sacerdos.* 651 a 2  
**INFUNDENS OLEUM.** Oliva quilibet Sancti sint, et cur. 177 c 1  
 Oleum quarum rerum sit symbolum. 620 c 2  
*Vide Indicem rerum, v. Olea et Oliva.*  
**VADE, ET TU FAC SIMILITER.** Exempla virorum magnorum sibi ob oculos ponere, acer est ad omnem virtutem stimulus. 370 a 1 et seqq.  
 Exemplorum quanta sit vis. 572 a 2  
**DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.**  
**OSTENDITE VOS SACERDOTI.** Quia peccatum instar lepræ animam inficit, hinc Evang. hoc non inepte peccatoribus adaptari poterit. *V. Ind. rer. v. Peccator.*  
 Conscientia penitus confessario a laicis detegenda, et a Religioso Superiori suo: quæ commoda etc. 170 c 1  
 Confessarii quomodo se gerere in penitentibus audiendis debeant. 662 a 1  
**GRATIAS AGENS.** Infinitas Deo gratias agere oportet pro eius in nos beneficiis, idque infinitis titulis. 459 d 1  
**DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.**  
**PATER VESTER CÆLESTIS PASCIT ILLA.** Ergo sancti se Dei providentiæ committant, utpote quæ fortissima testudo est. 403 a 2  
 Ea est velut candelabrum aureum. 541 d 1  
 Providentiam particularem piscium an habeat Deus. 428 d 1  
**NE SOLLICITI SITIS QUID MANDUCETIS.** Frumenti monopolæ penuriam et sterilitatem sperantes, suggillantur. 275 d 2  
**CONSIDERATE LILIA AGRI.** Fideles ob septem analogias lilio comparantur. 176 d 1  
**QUÆRITE PRIMUM.** Virtutibus ante omnia incumbendum, nam per eas anima et per cruce calatur Deo. 537 d 1  
 Hominum quorundam inania studia et contentiones neglectis rebus seriis. 486 b 1 et seqq.  
**DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.**  
**DEPUNCTUS EFFEREBATUR.** Cadavera olim alia comburebantur, alia terræ mandabantur: ossilegii quis esset ritus. 259 d 2  
 Concupiscentia nobis inhærens velut mors est. 173 d 1  
**FILIUS UNICUS MATRI.** Quia adolescens hic in flore ætatis extinctus est, agi poterit de vitæ brevitate. 272 d 2  
 Vita ipsa quam sæpe parva relædatur et violetur. 273 a 1 et seqq.  
**DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.**  
**CUM INVITATUS ERIS AD NUPTIAS.** Convivalis et mensalis detractio suggillatur. 395 b 1  
**QUOMODO PRIMOS ACCUBITUS ELIOERENT.** Ambitionis et studii præminentiæ quanta sit vis. 428 d 2  
**DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.**  
**SEDE A DEXTRIS MEIS.** Dexteram symbolum honorum est. 529 d 2  
**DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.**  
**SIMILE EST REGNUM CÆLORUM.** Quomodo homo regnum Dei fiat, et quanta regni huius sit excellentia. 303 c 1  
**QUOSCUQUE INVENERITIS.** Iudæis ad fidem venire reventibus, Gentes in magna copia venerunt. 67 b 1 et seqq.  
**AMICE, QUOMODO HUC INTRASTI?** Amici veri typhus sol est ob quinque analogias: et talis amicus Christus est. 672 a 2  
 Amici beneficentia comparantur. 596 d 2  
**IN TENEBRIS EXTERIORES.** Per hæc intelligitur infernus, qui allegorice Babylon, confusio et obscuritas est. 557 a 1  
 Pueri in hac vita satius est, quam in die iudicii vel apud inferos. 456 c 2  
**DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.**  
**NISI SIGNA ET PRODIGIA.** Miracula lonæ in ventre ceti. 313 b 2  
**DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.**  
**DEBITUM DIMISIT EI.** Peccatori confitenti Deus culpam quidem remittit, ac poenam reservat, quam luat oportet, aut hoc in sæculo, aut in Purgatorio. 382 a 2  
**TENENS SUFFOCABAT EUM.** Non ita Deus, sed semper vindictam clementia temperat. 303 b 1  
 Homo homini hodie quam inimicus et durus sit, quamque parva iis sit fides. 380 c 1  
**DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.**  
**VIAM DEI.** Veritas triplex est, mentis, oris, operis. 119 d 1  
**QUID ME TENTATIS?** Hypocrisis est velut vestis peregrina. 464 a 2  
**COGNITA IESUS NEQUITIA EORUM.** Cogitationes et propensiones intimas pervidet et prævidet Deus. 104 d 1  
 Iudæorum sub Christo quanta fuerit obstinatio. 623 b 2  
**DATE CÆSARI.** Reges sunt pastores populi. 345 c 1  
 Ab iis pendet regnorum pietas et fides. 330 d 2  
 Regum et regnor. vis sine Dei cultu et ope invalida est. 141 d 1  
 Tyranni per vim et bella iniusta dominia sua ædificant et adaugent. 347 b 1  
 Principes exemplo suis præeant. 120 a 2  
 Ambitiosi ex Deo non regnant. 129 b 1  
 At boni et legitimi reges a solo Deo dantur. 129 d 1  
 Impios plectit Deus, dando eis reges scelestos. 169 c 2  
 Cor regum in manu est Dei. 489 a 1  
 Reges templorum et honoris Dei curam habentes, quomodo ab eo opibus et victoriis aucti sint. 492 a 2  
 Regibus olim cur præferretur ignis. 547 b 2  
 Sunt filii olei tripliciter. 549 b 1  
 Sunt atlantes regni et civitatum. 514 c 2 et seqq.

- Audiant Rom. Pontificem. 564 b 2  
 Sunt anguli, pavilli et arcus populo. 590 a 2  
 Quomodo se in populi regimine gerere debeant. 590 c 2  
 Variæ eorum dotes. 597 b 1 et seqq.  
 Clementia quantopere eos deceat. 596 c 1  
 Regendi quæ sit optima ratio. ibidem  
*Plura vide notata in Dominicam I. in Quadragesimam et in Indice rerum, v. Tyranni, Rex, Princeps.*
- DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.**
- MULIER QUÆ SANGUINIS FLUXUM PATIEBATUR, ACCESSIT.  
 Tribulatione trahit Deus homines ad se refugientes a se. 109 c 2  
 Si TETIGERO TANTUM VESTIMENTUM. Christus sanat ut sol variis modis. 673 d 2 et seqq.  
 CUM VIDISSET TIBICINES. Olim in funeribus adhibebantur, tibicines et lamentatores. 340 a 2  
 ET TURBAM TUMULTUANTES. Tumultus et strepitus pœna est altum silentium et solitudo. 275 a 1  
 NON EST MORTUA. Mortuorum fama non est laudanda. 227 c 1  
 Mortuis cur erigantur epitaphia. 30 c 1  
 Animæ immortalitas. 250 c 2
- DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.**
- ERIT TUNC TRIBULATIO MAGNA. Excidium Nives est ty-  
 pus excidii mundi sub diem iudicii. 406 b 1  
 SICUT FULGUR EXIT. Fulgura sunt arma indignantis Dei. 392 c 1  
 ET QUI IN TECTO. Tecta domorum Iudæorum erant plana. 462 c 2  
 SOL OSCURABITUR. Sol, et luna, et stellæ quomodo in die iudicii obscuranda sint. *V. not. Dom. I. Adv.* 210 d 1  
 VIDEOUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBBUS. Homines omnes iudicandi in valle Josaphat convenient, ubi iudicem Christum videbunt: vallis huius descriptio. 204 a 2 et seqq.  
 Cur iudicium futurum prope Ierusalem. 205 b 1  
 Christi disceptatio cum impiis in die iudicii quænam futura. 205 a 2  
 Eiusdem tunc stridor contra illas. 231 a 1  
 CÆLUM ET TERRA TRANSIBUNT. Terræ motus ob schismata contingere, Deo permittente, solent. 218 b 1  
 Quia Beati post iudicium in cælum assumuntur, agi poterit de cælo: unde varia eius nomina et elogia. *Vide pag. 210. et notata in festo omnium Sanctorum.*  
 Eius typus fuit Settim locus ob varias analogias. 212 c 2  
 ITE MALEDICTI. Hæc ultima maledictio quam sit metuenda. 679 c 2  
 Tuoc quasi lapis oneris impios opprimet. 606 c 2  
 Eorum tunc planctus ob mortem Christi. 612 c 2  
 IN IGNUM ÆTERNUM. Æternitatis vera et viva hypotyposis. 680 c 1  
 Itinera æternitatis quæ sint. 449 c 2  
 Itinera ad æternitatem quæ sint. 450 c 2 et seqq.  
 Gradus ad æternitatem qui sint. 451 a 2  
 Æternitatis origo est immutabilitas, differt ab ævo et tempore. 364 c 1
- IN DEDICATIONE ECCLESIAE.**
- ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORUM. Sycomoribus quæ sit arbor, et ubi invenitur. 270 b 1 et seqq.  
 QUIA STATORA PESILLES ERAT. Parvos et parva quomodo Deus evehat, et in parvis magnificentiam suam et artem patefaciat. 16 a 1  
 Magnitudinem suam ad parva contrahit. 16 c 1  
 Pusilli homines ingenio et arte præstaut. 292 a 2  
 DECIMAS DO OMNIUM QUÆ. Decimæ dari cur iubeantur. 667 c 1 et seqq.  
 Facies Dei in templo speciatim dicitur esse. 307 b 2  
 Quia templo Salomonico perfecto, nebula implevit illud, agi hic poterit de commodis nebulae matutinae. 243 c 2  
 Anima fidelis est templum et domus Dei, eius partes et fabrica. 289 b 2  
 Cantus Ecclesiasticus quam esse debeat gravis. 251 d 1  
 Ecclesiæ typus est caudalbrum Zacharæ. 539 a 1-541 a 2  
 Templum Hierosolymit. qui profanarunt, quas Deo pœnas dederint. 606 a 2 et seqq.  
 Analogiæ octo inter templum materiale et animam sanctam. 511 c 2 et seqq.  
 Ecclesia primo erigenda in urbis fabrica. 492 c 1  
 Sacrorum et templorum neglectus unde proveniat. 607 c 2 et seqq.  
 Templorum ornatus et fabrica quantopere placeat Deo. 508 b 2  
 Spolia de hostibus relata et manubias victores in tem-
- plis suspendunt. 630 d 2  
 Titus consecrationis templorum quinque sunt. 511 d 2  
 Eorum eversores omnes semper male perierunt. 492 b 2  
 Aedituorum quod sit officium, et olim Hierosolymis esset. 462 b 1 et seqq.
- IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.**
- APPROPINQUARET DAMASCO. Damasci situs, elogia, celeberritas. 573 c 2  
 Conversio peccatoris quomodo fiat. 542 d 1  
 S. Pauli zelus. 581 a 1
- DOMINE, QUID ME VIS FACERE? Dei voluntas assidue per preces hominis exquirenda, et quid a se fieri velit, et quo in statu officioque ab eo sibi serviri. 308 a 2  
 Paulus suum peccatum ubique et passim in epistolis propalat, uti et reliqui Sancti peccatores gratiam iustificationis semper deprædicant 386 a 2  
 Patant hi omne malum quod in orbe contigit, ob sua peccata accidere. 382 d 2
- IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIE VIRGINIS.**
- UT SISTERENT ILLUM. Christus templum ingrediens suo id introitu illustravit. 503 b 2  
 OFFERENT HOSTIAM ET DUOS PULLOS. Victimæ masculas cur requirat Deus. 646 b 1  
 Meliora et optima semper Deo danda et votenda. 640 c 2-641 b 1
- IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.**
- TU ES FILIUS DEI VIVI. Christi divinitas astruitur. 527 a 1  
 TU ES PETRUS, ET SUPER. Prælati ac Pontificis qualis esse vita debeat. 590 c 2 et seqq.  
 Prælati Ecclesiæ esse debent monstra sanctitatis. 534 d 1  
 Sunt annulus Dei. 511 b 2  
 Cardinales septem Diaconi per septem oculos repræsentantur. 536 c 1  
 Cardinalum et Episcoporum qualis esse vita debeat. 536 b 2  
 Romani Pont. custos est S. Michael, tentator Lucifer. 529 d 1  
 Cur triplici corona coronetur. 562 c 2
- SUPER HANC PETRAM. S. Petri Apostoli fides et constantia in fide. invicta fuit ut adamas. 268 c 1
- IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.**
- SORS CECIDIT SUPER MATHIAM. Triplex est sors, divinatoria, divinatoria, et consultoria, et quæ ex his et quantenus licita. 309 c 2  
 Ordinandos in Episcopos et Pontifices sæpe Deus cælitus designat, uti S. Mathiam per sortes in Apostolum designavit. 663 b 1
- IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.**
- CONCIPIES IN UTERO. Christus in utero hoc conceptus, est symbolice vir in myrtetis stans. 517 c 1  
 E charitate ardenti incarnatus est. 446 d 1  
 Hoc incarnationis opus est maxime stupendum. 534 a 1  
 Unde et ipsamet humanitas Christi hoc obstupuit. 441 b 2  
 Christus in incarnatione et passione est velut lapis cælatus. 537 a 1  
 Cum carne humana hac die connubium iniiit, velut cum muliere fornicaria. 60 d 2  
 Incarnatio eius quomodo peracta. 61 b 1  
 Christi lesu incarnati divinitas diversimode contra hæreticos adstruitur. 19 b 2 et seqq.  
*Vide notata feria IV. Quatuor Temp. Adventus.*
- IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.**
- SICUT MOSES EXALTAVIT. Crux sigillum Christi est. 511 b 1  
 Cornua crucis sunt et Christi cornua. 448 d 1
- IN NATIV. S. IOANNIS BAPTISTÆ.**  
*Vide notata in Dominica II. et III. Adventus.*
- IN FESTO S. MARIE MAGDALENÆ.**
- S. Maria Magdalena passionem Domini assidue recoluit. 616 c 2  
 OLEO CAPUT MEUM NON UNXISTI. Olim in convivis flores et unguenta nardina adhibebantur. 258 d 1  
 Adhibitus quoque fuit cantus et musica. 258 b 1
- REMITTUNTUR EI PECCATA MULTA, QUIA DILEXIT MULTUM. Pœnitentia post lapsum Deo gratior, quam segnis innocentia ante lapsum. 506 c 1  
 Christi ad pœnitentem pathetica vox. 616 c 1  
 In iustificatione Deus Æthiopes, id est, peccatores, velut dealbat. 482 b 2  
 Remissio peccatorum summum Dei donum est, hinc iustificatus perpetuo huius debet meminisse, uti S. Maria Magdalena. 386 a 1

- IN FESTO S. IACOBI.**
- DIC UT SEDEANT.** Ambitionis quanta sit vis. 428 d 2
- POTESTIS BIBERE CALICEM, QUEM EGO?** Christi alacritas in passionis calice ebibendo. 31 b 2
- POTESTIS BIBERE CALICEM?** Sic Episcopi ordinandos serio ante examinare debent. 663 b 1
- S. Iacobus Apostolus** quam paucos in Hispania converterit. 545 d 1
- Iacobus et Iohannes** vocantur filii tonitru, quia zelosi erant: hinc ostendi poterit quam iugeus virtus sit zelus, quantique Deus zelosos faciat. 678 a 1
- Fuit hic zelus** indiscretus. 325 d 1
- Zelosi Sancti** sunt orbis athlantes. 679 d 1
- IN FESTO ASSUMPT. B. MARIE VIRGINIS.**
- Maria Virgo** velut myrtus est. 517 d 2
- Quam sæpe Deum** iratum propitium nobis reddat. *ibid.* et seq.
- Lampas Ecclesiæ** est. 541 d 2
- Per eam Sancti** omnes lumen suum a Christo accipiunt. 542 c 1
- Cælum ascendens** innixa Iesu filio dilecto suo velut basi, est una cum filio basis et omne bonum orbis. 371 a 2
- IN FESTO S. MATTHÆI.**
- MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM.** Multis de causis misericordia præstat sacrificio. 114 a 2
- SECUTUS EST EUM.** Mox ut Deus vocat, obediendum et sequendum. 307 d 2 et seqq.
- Emendationem vitæ** procrastinantes clamant cum corvo, *cras, cras.* 475 d 1
- Peccatori dum** suam Deus turpitudinem ostendit, magnam illi gratiam præstat. 408 d 2
- IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS.**
- NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI.** Viri magni et illustres ut plurimum parvo sunt corpore, sed animo et corde magno. 545 a 2
- Parva plerumque** sunt initia rerum maximarum. 544 c 2
- Deus in parvis** suam magnificentiam et artem patefacit. 16 a 1 et seqq.
- Quomodo** magnitudinem suam ad parva contrahat. *ibidem*
- PARVULI.** Au pueri statim ac ratione uti incipiunt, tenentur ad Deum converti. 516 c 1
- QUI SCANDALIZAVERIT UNUM DE PUSILLIS.** Scandalizantes pusillos sunt veri homicidæ animarum. 225 c 2
- ANGELI EORUM.** Angelum quisque an habeat a quo ad malum impellatur, ut a Custode impellitur ad bonum. 530 c 1
- S. Michael** vocatur Deus aliquando in Scriptura, quia legatus Dei est. 531 a 1
- Est custos** Ecclesiæ et Romani Pontificis. 529 d 1
- Angeli septem** primarii stantes ante thronum Dei representantur per septem lampades et septem Agni oculos. 517 c 1
- Per hosce septem** exercet Deus suam providentiam. 540 b 2
- Eorum vis** et potentia in regna, reges et principes. 522 b 1
- Sunt murus** igneus Ecclesiæ et fidelium. 524 d 2
- IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.**
- Felicitas** Beatorum in cælo describitur. 211 d 2 et seqq.
- Eorum præmium** duplex erit. 670 a 2
- Eorum quæ** sit sanitas. 674 c 1
- Agilitate** pollebunt admirabili. *ibidem*
- Hæc pedibus** cervorum assimilatur. 458 b 2
- Eorum chori** et choreæ circum Agnum quales futura. 675 a 2
- Quam felices** illi futuri sint in die extremi iudicii. 680 a 1
- Eorum in cælum** et Angelorum desiderium est Christus Agnus. 501 b 2
- Serviunt in cælo** Deo labio uno, an lingua Hebræa eum laudant. 481 d 1
- Eorum memoria** quandiu maneat, mundanorum quam brevis sit. 668 d 2
- Sunt peculium** Dei. 669 c 1
- Item sors** sanctorum, et regnum Christi. 669 a 2
- Pia ad vitam** cælestem viri pii anhelantis suspiria. 674 b 2
- Vita Sanctorum** in terra adhuc viventium quam elevata sit. 582 b 1
- Sanctorum et perfectorum** virorum graphica descriptio. 582 c 1
- Sancti illustres** velut lampades sæculi sunt. 541 d 2
- Myrto** comparantur. 518 b 1 et seqq.
- BEATI PAUPERES.** Pauperum solatium est, quod ducem habeant Christum, cuius vita pauperula et obscura fuit. 532 a 1
- Pauperes, sub Christianismo** cur potiores sint divitibus. 607 d 2
- Paupertas Christi** ditissima fuit. 444 d 2
- Paupertatis** typus. 444 a 2
- Vide in Indice rerum, v. Pauper et Paupertas.*
- BEATI MITES.** Mansueto et miti oritur sol, irato occidit. 673 a 1
- BEATI QUI LOQUUNTUR.** Afflictorum et mœrentium quæ sit in luctu consolatio. 674 a 2
- BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR.** Adversa et persecutionem tolerantibus qua spe sese solentur. *ibidem*
- In omni adversitate** ad Iesum recurrendum est, quia ipse est omne quod sperare possumus. 502 b 1
- Tribulationibus** velut igne depuramur. 618 a 2
- Annus tribulationum** est annus meritorum. 589 a 1
- Tribulatio** velut mortarium est, in quo tunduntur peccatores. 466 b 2
- Tolerantia** adversitatum signum est rectitudinis animæ. 432 b 1
- BEATI ERITIS CUM MALEDIXERINT VOBIS HOMINES.** Peccatoribus per odia, persecutiones impiorum, ærumas, morbos, damna, vias ad peccandum obstruit Deus, et a peccatis eos revocat. 75 d 1
- IN COMMUNI FIDEL. ANIMARUM.**
- Purgatorio** contra hæreticos modernos et Græcos adstruitur. 525 a 1
- An cuique** morienti sigillatim appareat Christus iudex. 610 c 1
- Christus ad inferos** descendens, baud dubie animas aliquot iam pene aut plene purgatas secum assumpsit, et e Purgatorio liberavit. 173 b 1
- IN COMMUNI APOSTOLORUM.**
- Apostoli** sunt velut equi Christi. 590 a 1
- Eorum quatuor** virtutes primariæ, sanctitas, zelus, sapientia, modestia representantur per quatuor Zachariæ equos. 560 b 2
- Ipsi sunt** arcus Dei. 586 d 1
- Iis, etsi infirmis** instrumentis, mira Deus perfecit. 608 b 1
- Sunt nives,** nubes, venti, fulgura. 589 b 1
- Apostoli infirmi** et indocti confundere fortia. 269 c 2
- An comederint** carnes. 23 a 2
- IN COMMUNI PONTIFICUM.**
- Quia Pontifices** Romani vulgo sese vocant servos servorum Dei, tractari potest, quam sit honorificum nomen, servus Dei. 200 a 2
- Pontifices et Prælati** sunt annulus Dei. 511 b 2
- Vide in Indice rerum, v. Prælati.*
- IN COMMUNI MARTYRUM.**
- Martyrii et Martyrum** pro fide elogia. 159 c 1 et seqq.
- Martyres** quomodo omnes quotquot vivimus, esse possumus. 159 a 2
- Morbo letali** laborantibus ministrantes, et ex eo obsequio morbum contrahentes et emorientes, ab Ecclesia inter Martyres recensentur. 160 b 2
- Martyres** qua spe seipsos in tormentis solarentur. 674 d 1
- Multæ martyres** in sexu fragili aimum masculum prætulere. 646 b 2
- Patientia** vera potentia est. 390 c 1
- IN COMMUNI CONFESSORUM.**
- NEGOTIAMINI USQUE DUM VENIO.** Mercaturæ lucra quam cito aufugiant. 393 a 2
- Religiosi** sunt domus David mystice. 608 b 2
- Cur se mundos** custodire debeant. 646 c 1
- Concionatores** et Doctores sunt annulus Dei. 511 b 2
- Religio** templo confertur. 511 c 2 et seqq.
- Septem vitæ** capitalia fidelis luctator, habitans in specula mentis et contemplationis, supplantat. 302 d 1
- Religiosorum** typus erant Nazaræi. 230 a 1
- IN COMMUNI DOCTORUM.**
- Cætus** et filii Prophetarum, qui fuerint. 24 b 2
- IN COMMUNI VIRGINUM.**
- Amorem** carnalem virgines superarunt, eiusque ardorem extinxerunt: Amoris passio quam sit vebemens, quantusque eius ardor. 122 c 1
- Quæ post voluptatem** carnalem sequatur in conscientia afflictio et amaritudo. 298 a 2
- Virginitatis** et virginum quæ sit dignitas. 658 a 1
- Vide in Indice rerum, v. Virgo et Virginitas.*





BS       Lapide, Cornelius à  
485        Commentaria in sacram  
L36        Scripturam  
1854  
t.7

PLEASE DO NOT REMOVE  
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

---

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

---

UTL-AT DOWNSVIEW



D RANGE BAY SHLF POS ITEM C  
39 10 08 17 03 012 8